8
9 N
9

A VI e 24

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

R. P. IOANNIS DE CARDENAS, HISPALENSIS, E SOCIETATE IESV;

CRISIS THEOLOGICA BIPARTITA,

SIVE

Diſputationes Selectæ ex Morali Theologia.

IN QVIBVS PRO VOTIS ILLVSTRISSIMI D. D. Ioannis Caramuelis, vtque Operi eius interrogatorio reſpondeatur, quamplurimæ eius opiniones, & argumentationes ad præfatam criſim vocantur.

PARS PRIMA.



LVGDVNI,
Sumpt. LAVRENTII ARNAVD, & PETRI BORDE.

M. DC. LXX.

CVM APPROBAT. ET PERMISSV.

Pertinet ad Conventum S. Francisci Transtiberini 1711

Digitized by Google

Digitized by Google

SACRÆ CÆSAREÆ

VTRIVSQVE ORBIS MAIESTATI

REGINÆ COELORVM SEMPER AVGVSTÆ,

B. MARIÆ A CASTELLO: *VVLGO*, DE LA MOTA;

AB HÆREDITARIA ORIGINALI LABE, IVRATA immunitate gaudenti; gratia habituali, infinitâ ſimpliciter, decoratæ; Coloniam Martiam, eiuſque Excellentiſſimos Duces protegenti:

IOANNES DE CARDENAS, Societatis IESV, hanc Theologicam Criſim pro donario appendit.

D*ILEXI* (ô Regina ſemper, & æternùm Auguſta) *dilexi decorem iſtius domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ, locum quietis, & paſcuæ meæ. Ideo in hoc dilectionis loco ad tua genua prouolutus, quod tribus nominibus vindicas, debitum perſoluo, dum hoc volumen criticum, tuis Caſtelli aris appendo. Ad hoc ergo anathema Tibi ſuſpendendum impellit primò ſacramentum, quo me ad has tuas aras deuinxi, tuam illam ab hæreditaria culpa immunitatem tuendi: vt vbi pro hac immunitate caput meum deuoui, ibi Theologiam meam Tibi acceptam referam: vbi Conceptum tuum immunem à culpa tuendum ſuſcepi, ibi conceptus meos ab erroris periculo incolumes reddas, protegas, tuearis. Memini diem publicâ acclamatione lætiſſimum, in quo Excellentiſſimus D. Rodericus Ponce de Leon, quartus vrbis Arcobrigæ Dux, Neapolitani Regni Prorex, cum filiis, & familia, cum omnibus oppidorum ſuæ ditionis Capitulis, cum Clero, & ferè omnibus Regularibus familiis, votum ſacramento firmatum, inter Miſſarum ſolemnia feſtiuiſſimè celebrauit, tuendi hanc immunitatem tuam; inter quos minimus Societatis IESV alumnus votum meum firmaui. Atque vt domum tuam decet ſanctitudo, quæ ex ingenita ſibi luce nebulam culpæ, & caliginem erroris expellit: ita dum domui tuæ adſum, eiuſque ſanctitudinem colo, & Conceptum tuum abſque noxa dilexi, &*

conceptus meos abſque errore concupiui. Expertuſque ſum (gratiam Tibi refero) ſanctitudinis tuæ patrocinio Theologiam meam Criticam (ita ſpero à doctis exiſtimandum) & à noxa immunem, & ab errandi periculo incolumem.

Vrget deinde ad hoc Tibi apparandum obſequium, ingentis experientia beneficij, quo me iterum, alma Cælitum Regina, obſtrinxiſti. Cupiebam Reipublicæ litterariæ ſuadere, tuam Deigenitricis dignitatem eſſe in genere moris infinitam ſimpliciter, imò & ſummam poſsibilem in pura creatura: item gratiam habitualem, qua animus tuus in ordine ſupernaturali locupletabatur, ab inexhauſto Omnipotentiæ theſauro datam eſſe, infinitam ſimpliciter, & in pura creatura ſummam poſsibilem, ab inſtanti Incarnationis Verbi. Cui accedere debere opinabar meritorum, virtutum, & beatitudinis in eodem genere infinitatem. Dumque his aris tuis ſupplex aderam, & voti mei felicem exitum deprecabar, ſuffragium tuum expertus ſum; & felici omine vidit litterarius orbis Geminum Sidus Mariani Diadematis: *quod ſeptem abhinc annis in publicam lucem edidi. Vtque fauſtorum ſiderum obſeruatores, felices ex illis euentus ſuſpicantur; ita mihi licere exiſtimaui, ex gemino illo ſidere, inter noxæ vortices, & erroris pericula, geminam felicitatem pro Theologia mea præſagire. Pro cuius incolumitate illam tuis aris affigo, tuis ſuffragiis prouoluo.*

Nec mea ſolùm experimenta me, & lucubrationes meas huic Caſtello tuo deuincunt. Tertio loco me admonet debiti mei, & ſuffragij tui ſumma illa gratia, qua Excellentiſsimos Arcobrigæ Duces, & ſub horum ditione coercitos populos, ad has ædes tuas, patrocinij comparandi causâ confluentes, protexiſti. Sileo feliciſsimos æquè ac pientiſsimos Gadium Duces, Ponziæ familiæ ſtipites, columina; qui Mauritanam perfidiam ab Hiſpaniæ finibus propulſuri, in hoc Caſtellum, ſubſidij comparandi causâ, confugiebant. Quibus felici omine inuocationis tuæ inauguratis, ad fundendas Mauritanas copias, ſupra-giganteas, & prope cæleſtes vires ad præſidium contuliſti. Hæc, inquam, & alia execrandi roboris monſtra ſuffragio tuo ab illis ſuperata prætereo. Nam quæ vidimus, teſtamur; & quæ oculis vſurpauimus, dulciùs alliciunt, fortiuſque prouocant ad ambitum patrocinij tui. Sub hoc cæleſtis militiæ Caſtrum confugerunt D. Rodericus Ponzius, & D. Anna, Aragoniorum Regum ſanguine creta, & cognomine inſignita; quarti Arcobrigæ Duces, cùm Neapolitanum Regnum Proreges petebant. Et mirandum eſt, quæ, & quanta ſubſidia ex hac arce illis immiſeris, pro numero, & magnitudine capitalium diſcriminum, quæ in ea Prouincia ſubierunt. Nam vt prætercam intumeſcentis pelagi iniurias, quas cum tantorum capitum periculo perpeſſi ſunt, quaſque benigno ſidere propuliſti; tot, tantaque vitæ diſcrimina in Neapolitani populi ſeditione incurrerunt, vt nullo alio, quàm tui Caſtelli ſubſidio euadere potuerint.

Arriſiſti

Digitized by Google

Arriſiſti eis vultu benigno vſque ad reditum. Sed poſtquam reduces è tumultuariis vorticibus fidiſsimam ſtationem prope templum tuum tenuerunt, quanta beneficia coram Te ſupplices pro filiis exoptarunt, obtinuerunt, experti ſunt!

Pro D.Franciſco primogenito (qui hodie Arcobrigæ clavum Ducalem quintus tenet) aſsiduas vidi à parentibus effuſas preces. Sed nec fruſtra: tot enim vidi à Te in illum beneficia profecta, vt non maiori indigeam patrocinantis ingenij tui teſtimonio. Nam poſtquam ab æſtuantis pelagi fluctibus, & fluctuantis Neapolitanæ plebis æſtibus euaſit incolumis, beneficio tuo ad clavum ditionis ſuæ ſedet feliciter, imperat prudenter, allicit comiter. Publicæ rei intentus debellat vitia, virtutes protegit, iniurias auertit; merita ciuium in Rempublicam propriis præponit commodis. In pauperem copiæ, in ægrum leuaminis, in orphanum tutelæ, in optimum quemque ciuem patriæ prouidentiæ partes agit. Et hæc omnia Tibi, tuoque gratiarum Caſtello, a Te in ipſum dulciter influente, refert accepta.

Quid dicam de D. Emmanuele Ponzio, ſecundario horum Caſtellæ Primatum filio? Prouoluebatur ad tuas ſubſidiarias aras pientiſsima parens D. Anna Aragonia, & aſsiduâ precum & lachrymarum effuſione præmiſsâ, piam ſchedulam exarabat, & in ea hæc verba: Anna ancilla tua pro Emmanuele deprecatur. *Et hunc libellum ſupplicem, verbis Laconicum, votis prolixum, & lachrymarum colluuie perplutum, pro filio piè ambitioſa, in ſinum tuum inſinuabat, vt Emmanuelis nomen cordi tuo inſertum radices ageret ad tutelam promerendam. Hinc tanta à Te in ipſum beneficia germinarunt, vt caligantes dumtaxat oculi non videant. In Luſitano prælio D.Emmanuel ſub Carazenæ Marchione militans, duorum veteranorum agminum equeſtrium ductor, ad acriorem conflictum accedens, & in ſæuiora belli diſcrimina proſiliens, inter lethalis plumbi aſsiduam colluuiem, non ſine miraculo tuo euaſit incolumis. Deinde Mantuam Carpentanorum ex glorioſo prælio redux, beneficentiæ tuæ refert, quod ad Ducatum Aueiri, ad Ducatum etiam Maquedæ, inito nobiliſsimo matrimonio aſcenderit, & ex eo prolem ſuſceperit, fortunarum copiam, humanæ felicitatis cumulum, quæ æternaturis virtutibus vberem materiem miniſtrat. Et maternam pietatem ſapiens gloriatur, ſe nihil accepiſſe boni, tranſeuntis, manſuri, niſi de tuis ſinibus dimanantis.*

Quid referam tertium filium D. Ioſephum Ponzium, non minùs piorum parentum ad te precibus emiſsis præmunitum; qui tot beneficia accepta tibi refert, quot dignitates obtinuit, quot æqua meritis munera ſperat, quot virtutes ad ea gerenda cumulauit. In Salmanticenſi Academia Conchenſis Collegij togâ decoratus eſt; ad eius Collegij Rectoratum ſemel & iterum aſcendit; Archidiaconus Talaueræ in Toletana Eccleſia inter primas dignitates ſedet; in Pinciano Areopago Senator ſtat, in Regium

Digitized by Google

Caſtellæ Senatum proximè aſcenſurus; & maiora adhuc pro meritis ſperat. Vt omittam, oraculo, fortè præſagientis, Eminentiſsimi D. Baltaſaris Cardinalis de Moſcoſo & Sandoral, Archiepiſcopi Toletani, D. Ioſephum vtriſque infulis, Cardinalitiis, & Archiepiſcopalibus dignum eſſe.

Quid Excellentiſsimorum Ducum Roderici, & Annæ filias referam; Duciſſam Beiaris Victoriam, Duciſſam Gandiæ Mariam, Marchioniſſam Carazenæ & Fromeſtæ Catharinam? Quas ſi audierimus referentes, quos gratiarum riuulos ex hoc Caſtello hauſerint, tempus deficiet.

Qui ergo tot beneficiorum latices ab hoc patrocinij loco viderim ebullire, quò pergam voti cauſa, ſacræ ambitioſus tutelæ, niſi ad has aras, in quibus firmiſsimum aſylum reperio. Si diſputationum vortices in criticam meam Theologiam, velut intumeſcentis pelagi fluctus, æſtuauerint, non timeo. Vidi iam te ex hoc Caſtro ſuperbientis pelagi fluctibus imperare. Si litterarij orbis Principes (Profeſſores doctiſsimi) in Theologiam meam claſsicum perflauerint, & ab eis Martis furor ſæuierit; in exemplum ſperandæ tutelæ erit mihi præclara Ducum ſoboles, à Luſitanico diſcrimine, tuo ſuffragij clypeo protecta. Si aduerſus Criſim meam ſeditio commota fuerit litterariæ plebis (eorum, qui exigua lectione, & tenui diſcurſu contenti, ad vnius qualiſcumque Authoris nomen probabilitatem inclamant) vt exulare conentur diſputationes, quæ infirmis eorum auſibus reſiſtunt; ad Neapolitanæ tumultuantis plebis caſſos conatus aſpiciam, à quibus Proreges tuos, & Proregiam familiam eruiſti. Accipe ergo donarium, & redde ſuffragium. Cuius protectione præmunitus, quidquid hoſtile, propitium ſpero, & ſecurum.

AD

Digitized by Google

AD LECTOREM.

Scopus, & methodus huius Voluminis.

ABSIT à te, prudens Lector, vt meo hoc qualicumque labore conſpecto, me Anti-Caramuelium numero adſcribas. Ingenioſiſſimi viri D. Ioannis Caramuelis opiniones & argumentationes, quantum ingenij mei tenuitas fert, in hoc volumine attentè conſidero: non contra, ſed circa illas criſim meam exerceo. Non inuadit hoſtiliter arcem, nec inter aduerſarios connumeratur ille, qui diſpicit, an milites arcis viui ſint, an exanimes; qui arma diſcutit, an ærea ſint, an plumbea, vel deluſorio fulgentis imaginis apparatu deterrentia. Non vitio vertitur argentario artifici, qui examinat aurum, argentum, ſtannum. Quæ lydius lapis diſtinguit auri pondera, non inuidiæ opus eſt, ſed artis, vel naturæ, vel vtriuſque. 1.

Igitur D. Ioannis Caramuelis ſocium, licèt tanto nomini impar, ago. Has eſſe partes meas, facilè coniicies, ſi aduerteris animum ad ſcopum, quò ipſe collimat, & quò ego ipſe. Veritatem ipſe inhianter ambit; & eodem ambitu teneor. Practicam probabilitatem pro ſecuritate conſcientiæ, maximam partem inſtituti eius eſſe, iam diu compertum habes; ſed & mei etiam hic conſpicies. Quid quod ad nomen ſocij aſpirem, qui eidem fini adipiſcendo collaboro? 2.

Sed ſtrictior adhuc catena nos obligat; fortiora vincula me illi adnectunt. Pro votis ipſius ſtare deſidero. Quid ſibi amplius ſocietas vindicat? Vota ipſius fuerunt, non ſemel, ſed ſæpius inſinuata, vt viri docti ingenioſis eius argumentis reſpondeant, & de eius aſſertionibus iudicium proferant. Et quidem in prologo Theologiæ Fundam. editionis Lugdunenſis anni 1657. hæc verba habentur, tanquam relata ex editione alia. [Proteſtor, me nolle citari, aut audiri pro altera contradictionis parte, ſed ſolùm audire doctiores. Evulgo enim *interrogatorium Opus*, in quo multa rogantur, & ponuntur, & nihil omnino reſoluitur.] Et inferiùs: [Priores & poſteriores theſes non expono defendendas, ſed examinandas ſubiicio, & oro, vt ſine vocum, & iniuriarum ſtrepitu (nam multi hodie inſaniunt) me iuuare dignentur, & oſtendere, cur debeant vel admitti, quæ nego; vel negari, quæ admitto] 3.

Et ita Bernardinus Clanchy in cenſura, panegyricâ illâ quidem, Theologiæ Fundamentalis, in limine huius operis præfixa, ſtans pro D. Caramuele ſic viros doctos inuitat: [Fundamentalem iſtum librum præmittit, qui eſt quædam totius Theologiæ Moralis, & Virtualis ſynopſis. Peregrinam in illo doctrinam & ingenium oſtendit; & iure poteſt petere in ipſa reſponſione doctrinam. Eſto, quæſtionibus abſurdè poſitis ſapientum non ſit reſpondere; 4

dere;

dere : at ſubtiliter poſitis ſatisfacere, non eſt inſipientium & rudium. Et ſi quando ipſamet dubitatio non ab ignorantia, ſed à ſcientia nobiliore ſuboritur, ratio, quæ vnum cæteros rogare coëgit, cæteros excitabit, vt illi accuratè reſpondeant. *Suadebo igitur doctis*, vt... eidem reſpondere dignentur, vt eorumdem exornati reſponſis, evulgentur ſex tomi, qui totam Theologiam Moralem complectantur.]

5. Sed & ipſe D. Caramuel in prece dedicatoria, qua volumen ſuum Deo O. M. litatur, ſic ait: [Doctores illi, quos ad maiorem gloriam tuam, & ſecuriorem inſtitutionem meam *conſulit iſte liber*, vel mihi reſpondebunt, vel non : ſi reſpondeant, tibi agam gratias, CAVSA PRIMA, quæ miniſterio ſecundarum me informas; ſi non, agam CAVSA ABSOLVTA, gratias tibi, ſciens, vbi abeſt humanum, adeſſe magiſterium diuinum.] Dictis concinit ibidem inferiùs. Nam aduerſus Anti-Caramuelem querelas fundens, quòd ſe dicteriis proſequatur, ſubiungit: [Qui tamen mihi multò gratior eſſet, ſi inſtrueret: dubiâ enim luce orbem litterarium percurro, & in communi via viam quæro : & ideo manuductione ſola indigeo, non autem vituperio, vel laude.] Eamdem poſtulat reſponſionem ab Eminentiſſimo D. Ioanne de Lugo Societatis IESV in epiſtola eidem volumini præfixa. Iudicium Antonini Dianæ implorat etiam in epiſtola ad ipſum panegyrica, & ipſum enixè precatur, vt in vndecima Reſolutionum Moralium parte primis ſuis Fundamentalis Theologiæ fundamentis reſpondeat. Ait enim : [Sit vndecima de primis Theologiæ Moralis, quæ poterit reſpondere iſti libro.] Quod præſtitit Diana.

6 Et denique in epiſtola, quam inſcribit eximiis DD. Magiſtris Sacræ Theologiæ Doctoribus & Profeſſoribus, ſic eorum iudicium & reſponſionem ſe exoptare profitetur: [Ergo proderit à multis & magnis Doctoribus ſecuritatem eorumdem fundamentorum explorari, antequam turres, quæ eis inſiſtunt, vento contradictionis exponantur. Sed à quibus? à vobis, ſapientiſſimi Domini, quibus terrarum orbis maiores & doctiores non habet. Legite, obſecro, ſequentes paginas: & ſi quid in ipſis abſonum, vel obſcurum, ſplendoribus doctrinæ veſtræ decircinate, aut illuſtrate.] Eos autem ſeptuaginta quatuor Authores propriis nominibus expreſſis ad reſponſionem hortatur. Additque in margine : [Erunt fortaſſe plurimi viri docti, & illuſtres, quorum mentionem non fecerim, quibus etiam aliquid dictuſus ſum. Hanc, inquam, epiſtolam direxi ad illos, quorum vel libros lego, vel litteris frequenter honoror : ſi alij me ſuis litteris dignabuntur, etiam ipſos meus ſtylus celebrabit.]

7. Igitur quamuis ego nec inter doctos, nec inter Doctores ſedeo, quin potiùs ab eis ſemper auditurus ſto; adhuc tamen ad ipſius diſcurſus conſiderandos, vocari me ſuſpicor à D. Caramuele, cùm ampliſſimam ſphæram eius periodi recolo, *Si alij me ſuis litteris dignabuntur*. Meas ergo litteras qualeſquales,mea ſcripta ad eius genua prouoluo; vel proterenda, ſi lynceo eius aſpectu indigna;vel ſi quid merebuntur,aſpicienda.Ingenioſiſſimo enim viro non aduerſaturus, ſed ſuffragaturus adhæreo. Quid ſi concluſionibus eius ſententia mea ſuffragium non attulerit? Afferet ſanè votis. Puto enim, me ſuffragaturum illi, cuius vota complebo. Cùm ergo vota D. Caramuelis eò collimauerint, vt omnes, qui docti audiunt, circa ipſius vel opiniones, vel argumentationes iudicium proferant, & reſponſionem; ſuffragium meum

Digitized by Google

meum illi conferre exiſtimabo, ſi circa eius diſcurſus iudicium meum protulerim.

Eſt & alia ratio, quæ me impulit (& quæ in ipſius Authoris commendationem cedit vt circa diſcurſus D. Caramuelis meam criſim exerceam. Authores enim, qui hodie ſcribunt, eas ſibi pio ſcopo quæſtiones præfigunt, quas frequentiùs vident agitari in litterariis theatris: nam recenter natas adoleſcere potiùs cupiunt, quàm vetuſtate collabentes, aut antiquitate ſubſiſtentes reficere, vel promouere. Video autem hodie in Academiis, & Studiis generalibus non mediocrem eſſe controuerſiam circa opiniones D. Caramuelis, aliis ſuffragantibus, refragantibus aliis. Cedit ergo tempori Scriptor, qui huiuſmodi opiniones appendit ad trutinam; prodeſtque recentibus Theologis dum de ea materia ſcribit, quam ipſi ad priuatas pariter & publicas diſputationes deferre conſueſcunt. 8.

Doctiſſimorum item virorum veſtigiis inſiſto. Nam, vt omittam illuſtriſſimum D. Ludouicum Creſpinum Borgiam, Placentinum Epiſcopum, pro Catholica Majeſtate coram Sanctiſſimo Domino Alexandro VII. Oratorem legatum in cauſa Immaculatæ Conceptionis Deiparæ, qui Anti-Caramuelem ſcripſit; Antoninus Diana, ex voto D. Caramuelis (vt vidiſti ſuprà *n.* 5.) in parte 11. ſuarum Moralium Reſolutionum, per totum tractatum primum, circa plurimas D. Caramuelis opiniones ſuum iudicium protulit, illis vtique refragatus: quod æqui bonique conſulit D. Caramuel. Sed & Mag. Ioannes Martinez de Prado tomo 1. tractationem inſtituit appendicem, in qua multas Caramuelis opiniones deducit ad trutinam, eaſque maiori ex parte impugnat. Item P. Andreas Mendo in *ſtatera opinionum benignarum*, non paucas Caramuelis opiniones ad examen vocat, eaſque prudenti iudicio diſcutit abſque vllo ſtrepitu aut cenſura. Horum ergo grauium Theologorum veſtigia terens, & exempla ſecutus, D. Caramuelis opiniones ad criſim meam traho. 9.

Et quamuis opinionibus & argumentationibus plurimis D. Caramuelis aduerſo ſyllogiſmorum fragore repugno; mens tamen Caramuelis, vt ingenua eſt, non puto, cauſabitur ad mentale prælium. Mentes ingenuæ veritatem ambiunt: eam vbicumque inuenerint, aut vndecumque eruerint, ſibi ipſis gratulātur de drachma adquiſita Vel ergo argumentationes noſtræ veritatem expedient, vel non? Si expeditam oſtenderint veritatem, mens ingenua præ gaudio triumphabit. Si verò non oſtenderint, de firmitate opinionis aduerſæ præ triumpho gaudebit. Quantum autem ingenua ſit D. Caramuelis mens, ſatis ipſe declarat in epiſtola ad Antoninum Dianam, Theologiæ fundamentali præfixa, *num.* 8. illis verbis: [At ego, qui coram Deo ſcribo, cui mearum ſententiarum redditurus ſum rationem, ſemper dico, quod ſentio: & ſi hodie videro lapſum heſternum, non illum protervè defendam, ſed potiùs confidenter expungam.] Ex quibus verbis (illis enim magnam habeo fidem) ſpero, has lucubrationes meas D. Caramuelem haud ægrè laturum; quin potiùs ad trutinam ingenuæ mentis appenſas, impulſuras animum D. Caramuelis, vt multa vel explicet, vel reponat. 10.

Ne ergo exiſtimes, optime lector, me aduerſus opiniones D. Ioannis Caramuelis inflare claſſicum; aduerte animum. Putabis forſitan, me aduerſus illas fulminaturum cenſuras, quà improbabilitatis, quà temeritatis, 11.

é aliaſque

aliaſque huiuſmodi. Criſis Theologica, ad quam ex inſcriptione Voluminis obſtringor, vrgere videtur, vt declarem, quoties aſſertiones ad hanc Criſim diſcuſſæ à probabilitate deuient. Leges Dialecticæ cogere videntur, vt dum principiis certis aſſertionem euerto, profitear, eas, quas impugno, eſſe appellandas improbabiles. Scias ergo, à me nullam D. Caramuelis aſſertionem dici improbabilem, nullam notâ theologicâ inuri. Accipi ſolent hæ cenſuræ adinſtar conuitij. Non eſt propoſiti mei percutere, ſed ſuadere. Nec ſuadebis facilè ei, quem vulneraſti: dolor enim vulneris, aciem hebetat mentis: neque intentus adhibetur animus ad vim argumenti, quem eripit vis doloris.

12. Quare cenſurâ afficio dumtaxat aſſertiones meas. Nam vt latiùs dicam *diſp.2. cap.* 10. alias dico probabiles, alias probabiliores, alias omnino certas, ſiue à principiis intrinſecis, ſiue à dictamine reflexo certo; quod explico *diſput.* 10. *cap.* 3. *concluſ.* 3 & 4. Inde qui volet cenſuram cognoſcere doctrinæ oppoſitæ, facilè conſequetur Contradictionem namque implicat, aſſertionem meam eſſe certam à principiis intrinſecis & directis; & aſſertionem contradictoriè oppoſitam non eſſe improbabilem, & certò falſam. Implicat etiam, meam eſſe certam à principio reflexo (de quo ſuprà dixi remiſſiuè) & oppoſitam eſſe probabilem Implicat item, meam eſſe probabilem, & oppoſitam inter certas & euidentes connumerari. Laudo Leandrum à SS. Sacram. eiuſque veſtigiis inſiſto, qui omnes ſuas aſſertiones cenſurâ afficit, non aſſertiones aduerſa opinantium. Quod prius præſtiterat vt in plurimum P. Thomas Sanchez. Nullus autem aduerſæ ſententiæ Author cum Leandro expoſtulauit; nullus cum P. Thoma Sanchez, eo quòd iſti ſuam ſententiam certam dixerint; quamuis inde euidenter inferatur, ſententiam contradictoriè aduerſantem, eſſe poſitiuè improbabilem.

13. Et quidem nemo cauſatur, quòd alter ſuper affirmata ſe ſecum controuertens, dicat: *Quod ego affirmo, eſt verum.* Cauſatur tamen, ſi ſibi reſpondeat, *Falſum dicis.* Et tamen cùm in ea controuerſia aduerſantia dicant, implicat, quod alter verum dicat, & quod alter non dicat falſum. Fortè id ita euenit, quia in communi conuictu impræſcindibilia præſcindimus: ad affirmata attendimus, de illatione inde oriunda non curamus; quamuis antecedens, & conſequens nulla rationis ratiocinatæ diſtinctione ſecernantur; ſola diſtinctione rationis ratiocinantis, quæ importatur per communia vocabula, contenti. Hanc ergo ob cauſam de opprobrio expoſtulant Authores, ſi eorum opiniones de improbabilitate accuſentur; & non expoſtulant, ſi opiniones illis aduerſæ affirmentur certæ, nihil de illatione curantes.

14. Quare iterum moneo lectorem, me nullâ cenſurâ afficere, nullâ iniuriâ proſequi opiniones D. Ioannis Caramuelis. Si quam offenderis, quæ Virum Magnum vel leuiter offendat, parato calamo, precor, aut effuſo atramento oblittera. Eſt D. Ioannes Caramuel vir ſummâ veneratione dignus, vel quà Epiſcopali dignitate anteſtat, vel quà ſubtiliſſimo ingenio eminet, vel quà contra errores Ianſenianos pro Eccleſia ingentes labores exantlauit, vel quà de Societate noſtra eſt optimè meritus, vel quà humanitate ſuâ in omnium, & præcipuè noſtrorum, animos influit. Quare profiteor, me dum eius opiniones impugno, ſola ſpeculatione diſſidere, non animo. Nec mirandum eſt, animo pares, mentis ſpeculatione impares eſſe. Mentali prælio non cadunt animi, quin potiùs fœderantur ad veritatis

ambitum.

Digitized by Google

ambitum. In noſtra Societate Authores vinculum perfectionis charitatem nexu mutuo retinent, & tamen alij aliorum opiniones pacatiſſimis animis impugnant. Scias ergo, me non aliter eius Magni Viri opiniones impugnare, quàm ſi vnus eſſet è Societate noſtra, quem ſi non vt Societatis alumnum, certè vt Patronum colo.

Egregiè ſanè dixit D. Caramuel in epiſtola ad Antoninum Dianam, quæ Theologiæ Regulari præfigitur, in §. *Sed quoniam*, in hæc verba. [Contra homines de Eccleſia benemeritos impunè inuectiuas ſcribere, ſolis hæreticis conceſſum eſt.] Quibus equidem verbis ſubſcribo, & ſubiungo: [Contra homines de Societate noſtra benemeritos, noſtris ſcribere inuectiuas, conceſſum non eſt.] Scribunt enim contra magnos viros, qui eos opprobriis laceſſunt, qui nomen eorum inuiſum facere adnituntur, qui alienas ſententias odij causâ illis falsò imponunt, qui de eorum ingenio, iudicio, doctrinâ perperam & per inuectiuam loquuntur. Non tamen contra eos ſcribunt, qui calamum & Dialecticam acuunt contra obiecta ipſa opinionum; qui, iuſſis Authoribus in ſua dignitate retineri, hinc inde diſcurſibus & rationibus libratis pro veritate obtinenda, purâ, putâ ſpeculatione digladiantur. Hunc eſſe ſcopum meum, hunc ſtylum coram Doctorum omnium theatro profiteor, libenti & ſpontaneâ liturâ fœdaturus paginam, cui offenſionis macula obiiciatur. Igitur contra Caramuelem nihil ſcribo, qui ſola ſpeculatione armatus, obiectorum veritatem inquiro. 15.

Siquando legeris, argumenta à me obiecta nomine demonſtrationum inſigniri, ne credas, annuo, tales eſſe, niſi eorum vis fidem, aut aſſenſum extorſerit. Et ne vertas iactantiæ, quod lege Dialecticæ compulſus aſſumo: nam *in diſp.* 2. comperies, quatenus hac lege compellit me Dialectica ad demonſtrandum. Et vt oſtendam, me oneri legis ſatisfacere, non alia habeo vocabula, quibus id exprimam. Nec id certitudinis aut euidentiæ genus ingenio meo tribuo; ſed obiectis ipſis, quæ reuerà demonſtrabilia ſunt. Id tibi per me liceat, vt ſtomacheris, ſi videris certa vocari, quæ ſophiſtica; euidentia, quæ merè probabilia. 16.

Sed fortè D. Caramuel nobis obiiciet ea verba, quæ in comment. in Regulam, *num.* 51. obiecit: [Cùm non ſimus Angeli, ſed homines, vix quatuor rerum habemus euidentiam, & ideo tenemur ſecundùm probabiles ſententias operari. Vel ſi ſuperbus ſis, & contrarium teneas, examina, an ob rationem aliquam euidentem à communi omnium hominum opinione diſcedas. Qui ſe hominem eſſe meminerit, non erit ita væcors, vt euidentias, & demonſtrationes nundinetur, vbi viri Doctiſſimi ſe felices iudicant, ſi partem probabiliorem diſtinguunt à minùs probabili.] 17.

Sed vt hoc argumentum contra ipſum D. Caramuelem non reſiliat, qui quamplurimas aſſertiones à ſe demonſtratas affirmat, intelligendum eſt, illum loqui non abſolutè, ſed in materia merè topica. *Non abſolutè*, inquam: nam apud me compertum eſt, vix vllam eſſe in orbe litterario Facultatem, quæ tot demonſtrationibus abundet, quot Ethica Theologia. Si negaueris, precor, vt ad numerum redigas omnia genera, ſpecies, modos, circumſtantias peccatorum, in quæ homines labuntur; & ſtatim eadem ſupputatione cum ſubſcriptione D. Caramuelis, totidem tibi demonſtrationes oſtendam. Nam, vt vel ipſe Author docet, non eſt peccatum, niſi quod tale eſſe, morali ſaltem euidentiâ demonſtratur. De quo vide *diſp.*10. Item enume- 18.

ra leges, ſi potes, modò canonicas, modò ciuiles, ſaltem promulgatas, & acceptatas; & totidem demonſtrationes polliceor de obligatione ex illis reſultante. Quem diſcurſum per plurima alia facilè protrahes.

Sed numquid de ambitu nominis & famæ accuſabor, quòd ingenioſiſſimi
19. viri argumentationibus vel reſpondeam, vel repugnem? Id obiecit Franciſcus Verde Illuſtriſſimo D. Ludouico Creſpino à Borgia in reſponſione apologetica initio prooemij, vbi ait: [Vt notus ſit omnibus, ſe voluit viro opponere, quem tota Europa viuum ſuſpicit; quem poſt fata, cum ceſſabit inuidia, admirabitur, venerabiturque ſera poſteritas.] Quod idem fortè mihi obiiciet, vt ex oculo nequam totum voluminis corpus tenebroſum fiat.

20. Ego tamen ſemper nihili feci argumenta, quæ fiunt per antecedens, quod probari non poteſt. Fortè D Borgiæ (ſi vitium in dubio præſumitur) inanis gloriæ aura blandiebatur: fortè ex dictamine, ſacro perculſus zelo, gloriam Dei pariter & puritatem ſacræ doctrinæ ambiebat. Non dabit mihi Verde tot indicia ſpiratæ inanis auræ, quot argumenta ſpiritûs æmulantis puritatem & pietatem doctrinæ in cauſa Immaculatæ Conceptionis Deiparæ Roma vidit, & vniuerſus orbis gratulatus eſt.

21. Sed eſto, leiuſculam auram ſpirauerit Borgias; eſto, ſpiremus & omnes, qui Caramueli reſpondere, aut etiam repugnare audemus. Numquid ab extrinſeco fine languent argumenta? aut eorum, quæ obiicimus, vim infringit ea præſumptio? Si ita eſt, gaudeant theatra hac nouâ reſpondendi normâ: taceant in publicis diſputationibus ſubtilia argumenta, quorum efficaciam conterit ea inanis gloriæ præſumptio. Si tamen id falſum eſt, leuis eſſe conuincitur ſuſpicio, quæ apologiæ Franſciſci Verde fecit initium; quæ quidem à ſolidiori fundamento inchoari debuiſſet.

22. Numquid etiam mecum agent inuidiæ D. Caramuelis alumni? Egit cum Borgia Franciſcus Verde illis verbis proximè relatis: Cum *ceſſabit inuidia.* Sanè multa ſcribit Caramuel contra inuidos aduerſarios ſuos; multùm de inuidia expoſtulat cum aduerſatoribus Antonini Dianæ. Libellis illius expoſtulatoriis ſponte ſubſcribam, ſi vtriuſque aduerſatores, pro enthimematis ſcommata, pro ſyllogiſmis iniurias profuderunt. Vbi autem ſcommata & iniuriæ abſunt, & ſyllogiſtica dumtaxat tormenta eorum arcem arietant; inanis erit querimonia contra inuidiam, quæ inermis eſt: & præſtat aduerſantium robur infringere, quàm contra inermem hoſtem vociferari. Ego ſanè accuſari de inuidia non timeo, qui in litterario theatro non ludo affectibus, ſed diſcurſibus. Neque enim intellectus eas ſordes capit, quibus inficitur voluntas. Numquid inuidia afficit ſyllogiſmum? Si affirmas, terminos implicas, ſicut implicaret terminos, qui inuidiam exprobraret intellectui. Si negas, me abſoluis, qui in hoc volumine nihil præter diſcurſus, & ſyllogiſmos reperies.

23. Sed quid præſtat, quod vitio vertas, vel inanis gloriæ, vel inuidiæ? Numquid his terriculamentis deterrebor ab opere incepto? Cenſeo, multas à me firmatas aſſertiones omnino eſſe certas; neque conſcientiæ ſecuritati conſulere, qui ab eis diſcedunt. Si ita eſt, præcipitium amant, qui ab illis deuiant. Numquid mihi boni erit conſultum coram Supremo Iudice, quòd non moneam de periculo eos, qui per deuia ad decliuia currunt, & præcipitia?

24. Sed cur Dialectici, & ſyllogizantis partes aſſumo (interrogas primò) qui mores

mores informo , potiùs iudicio prudenti inſinuandos , quàm fragore dia-
lectico ? Sanè alij Doctores , vbi omnia pacata ſunt , Summam pacificè , &
abſque armorum ſtrepitu ſcribunt : vbi autem cenſemus , opinationem ſuos
topicos terminos prætergredi , & ad fines certitudinis temerandos accede-
re ; prælio diſputationis opus eſſe iudicamus. De victoria non mihi blan-
dior ; eam tamen , vt ſpero , belli probabit euentus.

Vtrum autem concluſiones benignas , an potiùs ſeueras eligam , inter- 25.
rogas ſecundò. Et reſpondeo , me quidquid practicè probabile,quantum-
uis benignum , libenti animo amplecti. Quod ſi maiori ex parte notaue-
ris in hoc volumine ſeueras , ne tribuas genio Authoris , ſed materiis ipſis,
quas elegit diſcutiendas : iſtæ enim ſunt , in quibus Authores aliqui contra
vim ineuitabilis conſequentiæ laxarunt habenas. Itaque non improbo opi-
niones benignas , quæ firmo, ſolidoque fundamento fulciuntur ; ab illis
abhorreo , quæ aut leui , aut ſophiſtica , aut æquiuoca ratione nituntur ; ab
illis etiam , quæ principiis certis omnino repugnant.

Quare autem multa , quæ certa ſunt , ſolidè confirmantur, iterum atque 26.
iterum ? (interrogas tertiò) quod aliquibus videbitur eſſe prolixæ operæ,
& fortaſſis ſuperfluæ. Et reſpondeo , id immeritò inter ſuperflua connu-
merari. Ita enim præſtare oportuit , ne quis ea velit in dubium vertere, quæ
indubia ; & ratione aliqua apparenti , vel ſophiſtica, certa cum incertis
confundere. Vtinam magni Theologi , qui certa potiùs ſupponere , quàm
roborare maluerunt , illis totum ſuum robur addidiſſent. Sic fieret , vt ſo-
phiſmata denuò adinuenta, faciliùs corruerent.

Quòd ſi interroges quartò , quare , vt & ipſa huius voluminis inſcriptio 27.
præfert, non modò opiniones , ſed & argumentationes D. Caramuelis vo-
centur ad Criſim ? Reſpondeo huius rei rationem *in diſp.2.cap.10.num.131.*
exhibendam eſſe.

CENSVRA

Digitized by Google

CENSVRA
COLLEGII CORDVBENSIS
SOCIETATIS IESV.

ATTENTA mentis acie, & accuratè perlegimus librum hunc, ſeu opus eximium doctiſſimi viri noſtri temporis R. P. Ioannis de Cardenas, in quo ad expoſtulationes, & vota Illuſtriſſimi D. Ioannis Caramuelis in ſua Morali Theologia, pollicetur reſponſa daturum. Arduum quidem opus, &, ſi fas eſt dicere, temerarium, tanto Doctori, tamque ingenioſo reſpondere, niſi à tanto, tamque ingenioſo Doctore reſponderetur. Ignoramus certè, vtri glorioſior futurus ſit iſte mentium conflictus, & cum magno antagoniſta congreſſus. Magnum quippe fuerit, orbi dare opus, cui totus reſpondeat orbis; ſed æquè magnum erit reſpondere, cui adhuc ſilet totus orbis. Poſuit olim Capito ſtatuam L. Syllano in Romano foro. Vidit Plinius Iunior, & dixit: Redditus eſt L. Syllano debitus honor, cuius memoriæ Capito proſpexit, pariter & ſuæ. Neque enim magis decorum, & inſigne eſt ſtatuam in foro populi Romani habere, quàm ponere. *Sic & in re noſtra dicere poſſumus: Redditus eſt Illuſtriſſimo D. Ioanni Caramueli debitus honor, cuius immortalitati Ioannes alter proſpexit, pariter & ſuæ. Neque enim magis decorum, & inſigne eſt orbi loqui, quàm pro orbe loqui.*

Plin. Iunior epiſt. 17. lib. 1.

Pro orbe ergo litterario loquitur, & reſpondet in his ſuis diſputationibus Doctiſſimo viro vir doctiſſimus. Reſtituit ſanè multa priſtinæ eorum certitudini P. Ioannes de Cardenas noua differendi ratione, de ſubtilis Dialecticæ, & ſolidioris Theologiæ penu deprompta. Quibus ſi annuerit D. Caramuel, ſuæ etiam gloriæ conſulet, veritatis amator, dum in ingenuos procedet veritatis amplexus. Si reſtiterit, tam noua ei cudenda ſunt eruendæ veritatis inſtrumenta, qualia nondum luſtrauit orbis litterarius. Si annuerit, ſtatuam ponet veritati in foro litterario, vtique manſuram vtriuſque Theologi munitam fœdere poſt bellum contracto. Si reſtiterit, non ſibi dumtaxat conſulet ad gloriam, ſed & Authori noſtro. Huius enim tela adeo videntur inconcuſſa, vt nullis cedere poſſint, niſi illis, quæ magnitudine ſua patefaciant robur aduerſarium, de quo illa dumtaxat poſſent reportare triumphum. Neque enim inglorium erit tanto belligerationis apparatu indigere, vt ſubeat repulſam.

In his ergo ſcriptis id maximè ſuſpicimus, quod in Rationali ſummi Sacerdotis; Veritatem *ſcilicet, &* doctrinam, *ſeu vt Philo ait,* veritatem, & declarationem. Quid enim, *inquit Philo,* æquè preſioſum, ac veritas? Quam Vates ſapiens ſcripſit loco ſacratiſſimo, ea parte veſtis Pontificiæ, vbi eſt principalis vis animæ. Veritati autem adiunxit cognatam virtutem, declarationem, vt vocant; vt eſſent imagines orationis, quæ vel animo concipitur, vel foras profertur: nam hac declaratione opus, per quam aperiatur aliis quidquid in mente latet. *Veritatem igitur cum doctrina, ſeu doctrinæ veritatem*

Phil. lib. de Iudice.

Digitized by Google

tem cum declaratione & perſpicuitate, apprimè coniungit in hoc ſuo Opere P. Ioannes de Cardenas; quod quàm ſit difficile in re Theologica perdifficili, nemo non nouit. Communia quædam nouiter tractat, nouaque alia communiter explicat. Planè vt id Philoſtrati ad Aſpaſiam conſilium, & ſuauiſſimum differendi temperamentum aſſequutus videatur: Faciliùs perſuadebimus, ſi planè, ac dilucidè explicabimus. Planè autem, ac dilucidè explicabimus, etiam extra tenuem, & vulgarem orationis modum, ſi de cogitatis communia nouiter; noua verò communiter dixerimus. *Philoſtrat. epiſtola ad Aſpaſiam.*

Plura dicere pro commendatione Operis, multis nominibus commendandi, modeſtia viri nobis perſpecta, doctrinæ pax, & litteraturæ non patitur. Ne autem cenſura nobis iniuncta in meras elogij voces habeat, ſincerè profitemur, Opus hoc omnibus numeris abſolutum, expoſtulationibus, & votis doctiſſimi Caramuelis, ipſiuſque ingenio, & acumini reſpondere; communique, & publico Doctorum plauſu, & ſubſellio excipiendum; denique Societate noſtra, noſtroque Doctore dignum; nihil in eo Fidei, aut morum regulæ diſſonum, quin imò multa multò adhuc clariora, & pro Fide, & pro moribus. Ita cenſemus, in hoc noſtro Collegio Diuæ Catharinæ Societatis IESV. Cordubæ die 1. Auguſti anni 1667.

MARTINVS DE ZVAZNABAR. olim Theologiæ Moralis, nunc Expoſitiuæ Profeſſor.

PETRVS DE LIEVANA, Primarius olim Theologiæ Profeſſor.

PETRVS DE TORRES. Primarius Theologiæ Profeſſor.

IOANNES DE LA FVENTE, Veſpertinus Theologiæ Profeſſor.

FLORENTIVS DE MEDINA, Tertius Theologiæ Profeſſor.

APPRO

Digitized by Google

APPROBATIO DOCTORVM
Sacræ Facultatis Pariſienſis.

NOS infraſcripti Almæ Facultatis Pariſienſis Doctores Theologi peruoluimus librum cui titulus eſt, *R. P. Ioannis de Cardenas è Societate IESV Criſis Theologicæ prima & altera Pars*. In quo nihil contra Fidem aut bonos mores reperimus: prælo igitur committatur. In quorum teſtimonium præſentibus ſubſcripſimus die 12. Iulij, anni milleſimi ſexcenteſimi ſeptuageſimi.

Fr. PAVLVS LOMBARD, Exprouincialis Carmelitarum, & Lugdunenſium Prior.
Fr. ELIAS VIAL, Carmelita.

CONSENSVS PROCVRATORIS REGII.

VISA approbatione DD. Facultatis Pariſienſis: Ego pro Rege aſſentior vt liber inſcriptus, *R. P. Ioannis de Cardenas è Societate Ieſu, Criſis Theologica Bipartita*, prælo mandetur à LAVRENTIO ARNAVD, & PETRO BORDE, Sociis Bibliopolis Lugdunenſibus, cum inhibitionibus conſuetis. Datum Lugduni die 16. Iulij 1670.

GALLIAT.

PERMISSIO.

FIAT iuxta Concluſiones Procuratoris Regij, die & anno ſupradictis.

DVLIEV.

SERIES

Digitized by Google

SERIES
TRACTATVVM, DISPVTATIONVM,
Capitum, & Articulorum,

Necnon omnium quæſtionum, & dubiorum quæ in hoc Volumine continentur.

TRACTATVS I.

De probabilitate opinionum. Vbi etiam præcipua capita nouæ Logicæ Moralis exauthorantur. pag. 1

Proœmium. ibid.

DISPVTATIO I.

Quid ſit opinio probabilis? Et quomodo differat à concluſione certa, & improbabili? p. 2

Cap. I. LOGICÆ nouæ primum vitium corripitur. ibid.

An definitiones rerum ſint aliquando obſcuriores definito, & ideo reiicienda? à num. 2. ibid.

Cap. II. Quid ſit opinio probabilis; & quomodo differat à concluſione certa, & improbabili? p. 3

An ad opinionem ab intrinſeco probabilem requiratur, quod vir doctus poſſit oppoſitam acriter impugnare? à num. 14. ibid.

An ad conceptum eſſentialem opinionis probabilis requiratur, quod ſatisfaciat argumentis oppoſitæ? à num. 17. ibid.

Quotupliciter dicatur improbabilis propoſitio aliqua? à num. 19. p. 4

DISPVTATIO II.

An aſſertiones Caramuelis, ſicut & aliorum Theologorum, ſint modales de modo Probabile. *Vbi, an ideo non niſi euidentibus impugnandæ ſint?* p. 4

Cap. I. QVid in hac quæſtione aſſerat Caramuel? ibid.

Cap. II. Quamplurimas Caramuelis aſſertiones non eſſe modales de modo *Probabile.* p. 5

Cap. III. Eſſe in Caramuele alterius duplicis ordinis propoſitiones modales de modo *Certum*; ideo probabilibus impugnandas. p. 7

Cap. IV. Nullo ſuffragante priuilegio Caramueli, eum impugnandum eſſe, ſicut ipſe impugnat. p. 8

Cap. V. Alio argumento conuincitur, aſſertiones Caramuelis non eſſe modales de modo *Probabile.* p. 9

Cap. VI. Aliis argumentis conuincitur, aſſertiones Authorum non eſſe modales de modo *Probabile*; ideoque neque aſſertiones Caramuelis. pag. 10

Cap. VII. Ex alia reſponſione Caramuelis conuincitur, aſſertiones Authorum non eſſe modales de modo *Probabile.* p. 12

Cap. VIII. Aſſertiones Authorum ad ſummum eſſe modales de modo *Probabilius*; ideoque non neceſſariò euidentibus impugnandas. ibid.

Cap. IX. Legitima Dialecticæ præcepta traduntur: & in quo ab illis deuiet Caramuelis Logica? pag. 14

An certitudo affirmata impugnetur probabilibus, an probabili ſolutione argumentorum eius partis quæ certa affirmatur? à num. 110. ibid.

An ad deſtruendam probabilitatem opinionis requiratur demonſtratio partis oppoſitæ? à n. 113. & præcipuè num. 122. p. 15

An aliquando liceat vti rationibus probabilibus ad deſtruendam probabilitatem opinionis? à n. 118. Vide etiam à num. 128. ibid. & p. 16

Cap. X. Concluditur tandem, quibus inſtrumentis Logicalibus agendum ſit contra aſſertiones Caramuelis. p. 15

DISPVTATIO III.

An ad impugnandam probabilitatem opinionis, requiratur euidens ſolutio argumentorum, ei probabilitati ſuffragantium? p. 17

Cap. I. CAramuelis Logica proponitur. ibid.

Cap. II. Demonſtratur, Logicam relatam eſſe illegitimam. ibid.

CAP. III. Quàm ſit noxia hæc pſeudoregula veritatibus Theologicis certiſſimis ! p.19

An ſit probabile, Diaconatum non eſſe Sacramentum ? a num.16. ibid.

DISPVTATIO IV.

An ſit certa conſequentia, quod ſi vna propoſitio eſt probabilis, oppoſita etiam debeat eſſe probabilis ? p.20

CAP. I. SEntentia Caram.& triplex notatio. ibid.

Opinio probabilis poſitiuè, graui nititur fundameo; probabilis negatiuè nec certa eſt, nec certò falſa. num.3. ibid.

Improbabilitas eſt etiam duplex, poſitiua & negatiua. num.5. ibid.

Si vna propoſitio eſt certa, oppoſita eſt certò falſa. num. 6. ibid.

Si vna propoſitio eſt improbabilis poſitiuè, contradictoria eius eſt certa. num.9. ibid.

CAP. II. Statuitur & demonſtratur prima concluſio. p.21

Poteſt propoſitio eſſe probabilis, quin eius contradictoria ſit probabilis. num.10. ibid.

Poſſum habere rationes probabiles de peccato commiſſo, & leues, vel nullas de non commiſſo. n.12. ibid.

Ex eo quod propoſitio nitatur ratione graui, non infertur, contradictoriam niti ratione graui. n.14. ibid.

Datur quandoque vnus teſtis pro homicidio, & nullus pro non homicidio. num.18. ibid.

Hæc eſt praua conſequentia : [Eſt probatio pro occiſione ; ergo & pro non occiſione.] n. 19. ibid.

Probabilis eſt annunciatio nominis Mariæ facta parẽtibus; non verò carẽtia annũciationis. n.21.p.22

In quæſtione noua quandoque pro vna parte eſt ratio grauis, non pro altera; diſcurſus enim humanus fit ſucceſſiuè. num.22. ibid.

Aſſerta B. Birgittæ ſunt probabilia; non verò oppoſita. num. 25. ibid.

Multæ hiſtoriæ ſunt probabiles; non verò oppoſitæ. num. 26. ibid.

Multæ interpretationes ſacræ Scripturæ ſunt probabiles; non autem oppoſitæ. num.27. ibid.

CAP. III. Proponitur ſecundum argumentum pro eadem concluſione. p.22

Qua ratione liceat tueri opinionem ſingularẽ contra cõmunem ? Et abſque alio fundamẽto, quàm quod deſumitur à probabilitate opinionis cõmunis. à n.28.ib.

CAP. IV. Ex probatione ſecundæ concluſionis, ampliùs demonſtratur prima. p.23

An ſi vna propoſitio eſt probabilis poſitiuè, oppoſita debeat eſſe probabilis negatiuè ? à n.32. ibid.

Quare valeat hæc conſequentia : [Contingens eſt, rem eſſe : ergo contingens eſt, rem non eſſe ?] à num.34. ibid.

Propoſitionis contingentis contradictoria nequit eſſe neceſſaria, aut impoſſibilis. num.35. ibid.

Propoſitionis incertæ contradictoria debet eſſe incerta. num. 36. ibid.

Diſcrimen inter incertum & probabile. n.37.p.24

A probabilitate vnius propoſitionis valet ad incertitudinem oppoſitæ. num.38. ibid.

Ex incertitudine vnius propoſitionis non infertur probabilitas oppoſitæ. num.43. ibid.

CAP. V. Ex euerſione alterius fundamenti oſtenditur inutilitas eius Logicæ. p.24

Quare valeat hæc conſequentia : [Dubium eſt, an Petrus currat : ergo dubium eſt, an non currat ?]

Et quare non valeat ſimilis conſequentia circa probabilitatem ? num. 46. ibid.

Idem eſt dubitare de curſu, & dubitare de non curſu. ibid.

Aſſenſus de curſu, & dubitatio de non curſu incompoſſibiles. num.47. p.25

Non eſt idem aſſenſus probabilis ad curſum, & aſſenſus probabilis ad non curſum. num.48. ibid.

CAP. VI. Ex tertij fundamenti extirpatione euertitur eadem conſequentia Logicæ moralis. p.25

An argumenta opinionis probabilis debeant habere ſolutionem probabilem fundatam in probabilitate partis aduerſæ ? a num.50.

Solutio probabilis, argumentis partis negatiuæ v.g. non debet naſci ex ratione probabili affirmatiua. num.52. ibid.

Topica ſolutio teſtimonij probabilis oritur ex fallibilitate teſtimonij. num.53. ibid.

Solutio probabilis quandoque oritur ex negata propoſitione vniuerſali. num.54. *Et quid inde inferatur pro noſtra concluſione ?* ibid.

Solutio probabilis exhibita argumento militanti contra concluſionem A, ſolum facit, quod concluſio A, non ſit certò falſa, non verò quod ſit probabilis. ibidem.

Ex eo quod non probetur, concluſionem A, eſſe falſam, male inferes, quod ſuadetur probabiliter, eſſe veram. num.60. p.26

Propoſitio negari poteſt defectu euidentiæ; qui defectus euidentiæ non facit oppoſitam probabilem. numero 62. ibid.

An detur argumentum probabile contra opinionem nixam fundamento leui ? Et quid inde pro noſtra concluſione ? num.63. ibid.

An cùm ſententia euidens reſpondet per ſolutionem probabilem, hæc poſſit fundari in probabilitate oppoſitæ ſententiæ ? num.67. p.27

An cùm concluſio euidens probatur ratione probabili; hæc poſſit ſolui innitendo in probabilitate concluſionis oppoſitæ ? num. 69. ibid.

CAP. VII. Eam Logicam moralem implicatoriam eſſe, triplici alio argumento demonſtratur. pag.27

An ſi ex probabilitate vnius partis argueretur probabilitas oppoſita, daretur opinio probabilis carens fundamento graui ? num.71. ibid.

An ſententia Caramuelis inferat duas contradictorias ſimul veras ? num.75. p.28

An inferat, non benè valere ab oppoſito contradictorio conſequentis, ad oppoſitum contradictorium antecedentis ? num.78. ibid.

An delicto ſemiplenè probato, per eam Logicam Caramuelis reus liberetur ab equuleo ? num.80. ibidem.

CAP. VIII. Eandem conſequentiam Logicæ moralis non valere, alia demonſtratione concluditur. p.28

An ex duabus contradictoriis vna poſſit habere fundamentum graue, & altera leue ? n.82. ibid.

An detur iudicium temerarium de re, cuius oppoſita eſt probabilis ? num.93. p.29

CAP. IX. Aliud argumentum pro eadem concluſione. p.29

An coniux probabiliter aſſentiens nullitati matrimonij, teneatur reddere, & non poſſit petere, ex definitione Innocentij III. num.95. ibid.

Et an id intelligatur in caſu, quo coniux habeat aſſenſum probabilem nullitatis, non verò valoris matrimonij ? ibid.

CAP. X. Quid poſſit ad hæc omnia reſpondere Caramuel?

Digitized by Google

ramuel ? & qua ratione reſponſio conuincatur apertè ? p.30

An quando pro vna parte ſunt rationes probabiles, & pro oppoſita leues, vel nullæ; pars fulcita probabilibus, eo ipſo euehatur ad certitudinem moralem? num. 96. ibid.

An aſſentiamur cum formidine rationi topicæ, quãuis ignoremus ratione partis oppoſitæ? n.102. ib.

An in quæſtione noua, ſi primò occurrat ratio topica, ea non tranſeat in certam? num. 105. ibid.

An ratio poſſit repræſentari vt topica, quamuis ignorentur rationes partis oppoſitæ? num.106. ibid.

An teſtimonium vnius regulariter non faciat certitudinem, etſi pro parte oppoſita nulla ſit probatio? num.107. p.31

Non ſunt certa omnia, quæ ſcribunt hiſtoriographi, etſi nullus contradicat. num. 110. ibid.

Non ſunt certæ omnes interpretationes ſacræ Scripturæ, etſi nihil probabile cõtrà obiiciatur, n.111. ib.

Aſſertiones S. Birgittæ, ſecundum Caramuelem, ſunt dumtaxat probabiles; & tamen multæ ſunt contra quas nihil probabile obiicitur. num.112. ibid.

An ea pars, quæ caret fundamento, cuius oppoſita non demonſtratur, ſit incerta? Et quid inde pro noſtra ſententia? num. 113. ibid.

CAP. XI. Occurritur obiectionibus. p.31

Probabile non eſt propriè medium inter certum & improbabile. num.116. ibid.

Incertum & probabile ſe habent tanquam ſuperius & inferius. num.117. ibid.

Incertum eſt mediũ inter certũ & improbabile. ib.

An concomitanter accidat vni propoſitioni, quod oppoſita ſit probabilis. num.120. p.32

An ex probabilitate vnius inferatur probabilitas oppoſitæ? & quare, num.123. ibid.

An ex probabilitate vnius inferatur, oppoſitam non eſſe improbabilem, & quare? num.126. ibid.

CAP. XII. An iſtæ propoſitiones, [*Probabile eſt, rem eſſe: Probabile eſt rem non eſſe,*] ſint æquipollentes? pag.32

Non ſunt æquipollentes, quando vna eſt vera, & altera falſa. num.131. p.33

Non æquipollent, quæ terminantur ad obiecta diuerſa. num.132. ibid.

Æquipollentia earum propoſitionum arguit manifeſtam contradictionem. n.134. ibid.

Non eſt quis moraliter certus de ea concluſione, quam ſcit defendere; etſi oppoſitam propugnare neſciat. num. 139. *& in quibus falſificetur ea aſſertio Caramuelis?* ibid.

DISPVTATIO V.

An argumenta, quæ militant pro vna concluſione probabili, ſint etiam in confirmationem concluſionis oppoſitæ? p.34

CAP. I. Refertur ſententia Caramuelis, & ſectatorum eius. ibid.

CAP. II. Oppoſita concluſio demonſtratur. ibid.

Implicat, quod rationes probabiles vnius concluſionis confirment probabilitatem oppoſitæ? n.6. ibid.

Inde fieret, quod vna concluſio eſſet probabilior, & minus probabilis, quam antea. ibid.

Noua ratio grauis accedens opinioni, eam reddit probabiliorem, quam antea. num.8. p.35

Quantò probabilior eſt concluſio, tantò minus probabilis eſt oppoſita. num.11. ibid.

Quantò probabilius ſit antecedens, tantò probabilius ſit conſequens. num.12. ibid.

Concluſio ſit probabilior ex maiori probabilitate antecedentis. num.13. ibid.

An Caramuel opiniones, quas impugnat, eo ipſo confirmet. num.15. ibid.

An aliqua opinio fiat probabilior ab abſurdo, quod militat contra ipſam? num.17. ibid.

CAP. III. Satisfit oppoſitionibus cap.1. propoſitis. pag.36

An demonſtratio Franciſci Verde contra Borgiam ſcateat quinque vitiis? num.28. ibid.

Non prouenit à rationum probabilitate, quod contra eas demonſtratio ſit impoſſibilis. n.30. ibid.

An probabilitas afferat formidinem de demonſtrabilitate partis oppoſitæ. num.31. p.37

Quomodo explicetur formido, quæ ineſt opinioni? num. 32. ibid.

An aliquæ opiniones olim probabiles tranſierint ad improbabilitatem? num.35. ibid.

Non ſuadetur concluſionis probabilitas ex eo quod oppoſita non demonſtretur. num.39. ibid.

CAP. IV. Difficilis obiectio enodatur. p.38

Quomodo in hac conſequentia, [Opinio A. eſt probabilior opinione B: ergo opinio B. eſt probabilis;] ſaluetur, quod ea, quæ confirmant antecedens, non confirmant conſequens? à num.45. ibid.

An relatio probabilioris ſit relatio prædicamentalis? ibid.

An relatio prædicamentalis conſiſtat in vtroque extremo ſimul? num.46. ibid.

Relatio duplo maioris explicatur per copulatiuam? num.47. ibid.

Vnum extremum relationis prædicamentalis non eſt relatiuum. num.48. ibid.

Non benè reſoluitur relatio excedentis, per propoſitionem, quæ explicat exceſſum. Et ad hoc laboramus inopiâ vocum. à n.49. *Ideo ad reſoluendam relationem excedentis, ſeu probabilioris, opus eſt fingere voces abſolutas.* num.51. ibid.

Quomodo reſoluitur relatio excedentis, ſeu Probabilioris, in extrema abſoluta? num.54. p.39

Argumentum, quod fit à comparatiuo ad poſitiuum, deſumitur à tota copulatiua ad vnam eius partem. num.55. ibid.

Quæ confirmant vnam partem copulatiuæ, non confirmant cæteras. num. 58. ibid.

DISPVTATIO VI.

Quid ſit dubium, & in quibus differat à probabilitate? p.40

CAP. I. Exponitur definitio dubij. ibid.

An tria requirantur ad conceptũ dubitationis: ſuſpẽſio aſſenſus in vtraque partem, cogitare de vtraq; & quod aſſenſus ſuſpẽſio accidat defectu motiui actualiter determinãtis ad alterã partem? à n.2. ib.

Quæ ſit recta definitio dubitationis. num.7. p.41

An dubitatio ſit actus mentis? num.10. ibid.

CAP. II. Quàm incongruè Caramuel explicet conceptum dubitationis? p.41

Propoſitionem leui ratione nitentem non eſſe dubitationem, contra Caramuelem oſtenditur. à n.15. ibid.

An qui habuit delectationem internam de actu ſodomitico cogitato, non ſit neceſſe, quod explicet in confeſſione commotionem ſpirituum, ſiue alterationem carnis? num.118. ibid.

An qui habuit delectationem internam de adulterio, inceſtu, &c. non teneatur eas circumſtantias aperire? num.119. ibid.

An qui habuit delectationem internam de actu ſodomitico, pollutiuo, &c. neceſſe ſit exprimere eas circumſtantias obiecti? num. 120. p.620

An qui habuit delectationem internam de fornicatione cogitata, ſufficiat confiteri, ſe habuiſſe delectationem internam veneream? num.121. ibid.

An idem dicendum, ſi delectatio interna ſit de adulterio, inceſtu, &c. num.122. ibid.

An qui confitetur pollutionem ortam ex delectatione interna vehementi de pollutione cogitata, non teneatur exprimere actum internum? numero 123. ibidem.

An ſi pollutio oriatur ex delectatione interna vehementi, quæ complaceat in actu ſodomitico, vel fornicario cogitatis, non ſufficiat exprimere ſolam pollutionem, ſed debeat etiam exprimi id obiectum? num.124. ibid.

An quando in viro commotio cœpit à tactu impudico fœminæ, & ſuperuenit delectatio interna de copula ſodomitica, non ſufficiat confiteri tactum? num.125. ibid.& ſeq.

An qui commotionem aſſumit vt medium ad pollutionem non ſubſecutam, debeat exprimere in confeſſione eum finem? numero 126. pag.623

Qui ex delectatione de ſodomia cogitata mouetur ad fornicationem, in hac debet explicare motiuum ſodomiæ. num. 127. ibid.

Qui ex delectatione de fornicatione cogitata mouetur ad actum coniugalem, non ſufficit, quod exprimat delectationem internam. num.128. ibid.

Cap. X. Reſoluitur caſus appendix, an qui furatus eſt propter mœchandum, & conſenſus eſt finem, ſufficienter ſe accuſet, dum fatetur furtum, & fornicationem dumtaxat? pag.623

Affirmat Caramuel citans Dianam. num. 129. ibidem.

Hic tamen non ſuffragatur. numero 130. ibidem.

An qui ita confiteretur, omitteret aliqua peccata numero diſtincta? à num.131. ibid.

Quid ſi ille ſemel furatus fuit propter mœchandum, & non fuit realiter mœchatus, an ſatisfaciat

faciat dicens, [ſemel furatus ſum, & ſemel mœchatus;] & quomodo confiteri debeat? n. 134. pag.624.

DISPVTATIO XLV.

An detur paruitas materiæ in re venerea? pag.624

Cap.I. An Authores Societatis Iesv poſſint addere probabilitatem in hac materia? p.624

Negat Caramuel poſſe Authores Societatis addere in hac materia probabilitatem; quia loquuntur præcepto conſtricti. num.2. ibid.

Videtur ſuadere Caramuel, non poſſe Ieſuitas licitè obtemperare præcepto. n. 3. ibid.

Et an inconſequenter? remiſſiuè. ibid.

Inſinuat, Ieſuitis à P. Claudio prohibitam doctrinam de paruitate materiæ, non praxim. num.4. ibidem.

An eneruare conetur authoritatem doctrinæ R.P. Claudij? num.5. p.625

An in eo ſenſu Ieſuitæ non poſſint addere probabilitatem in hac materia, quia maior purè humana ei accreſcere non poteſt? num.6. ibid.

An ideò non poſſint addere probabilitatem in hac materia, quia excedit metas probabilitatis? num.7. ibidem.

An Ieſuitæ, licèt præcepto obſtricti in hac materia, ſponte operentur? à num.8. ibid.

An obſtrictus præcepto, ſponte operetur, ſi plus dat, quam præcepto iniungis? num.9. p.625

An ij, qui ſcribunt pro Immaculata Conceptione, non obſtante præcepto, ſponte operentur? num. 10. remiſſiuè. ibid.

An implicet contradictionem non addere probabilitatem eum, qui addit rationes, & ſolutiones probabiles? num.11. p.626

An quamplurimi Doctores in Societate hanc ſententiam docuerint, nullo obſtricti præcepto? num.12. ibidem.

An qui ſcribunt doctrinam certam, nullo ſint præcepto coacti? Et an cogantur euidentiâ antecedenter ad præceptum? numero 13. remiſſiuè. ibidem.

Argumentum Caramuelis reſiliens in ipſum. à num.14. ibid.

Quare P. Claudius doctrinam interdixerit, non praxim? An quia non poſſunt imperari actus merè interni? à num.16. ibid.& ſeq.

Cap.II. Quæ ſit Caramuelis mens in hac quæſtione? p.627

Pluribus in locis ait ſolùm ſpeculatiuè dari paruitatem materiæ in re venerea; practicè autem ſemper eſſe culpam lethalem propter periculum adnexum. num.19. ibid.

Sed pluribus etiam in locis negat id periculum. à num.20. ibid.

In quo differat ſententia Caramuelis à ſententia Societatis? num.29. p.628

Cap.III. Tria maximè prænotanda ad intelligentiam decreti, quæſtionis, & Authorum? pag.628

An ſenſus quæſtionis ſit de paruitate materiæ in ipſa delectatione venerea deliberatè quæſita, vel acceptata? num.30. ibid.

An ſint aliqua actiones externæ pertinentes ad venerem, abſque vlla delectatione venerea, quæ ſint veniales? a num. 31. p.629

An ſententia Societatis concedat in coniugatis multas delectationes veniales? num.34. ibid.

Et quid in ſponſis de futuro? à numero 36. ibidem.

Cap.IV. Quinam Authores aduerſentur ſententiæ Societatis? p.629

Examinantur Miranda, Zanardus, Pater Salas, Villalobos, Malderus, Baſſæus, Sylvius, Nauarrus, Sayrus, Pater Vaſquez, Petrus Soto, & Caietanus. à numero 40. ibidem. & ſeq.

Cap.V. Examinatur mens S. Auguſtini, S. Thomæ, & aliorum Theologorum, quos opponit Caramuel. p.631

Examinatur S. Auguſt. S.Thom. P.Azor, Sylueſter, Albertus, Angelus, Roſella, Sotus, Caietanus, & Nauarrus. Item PP.Henriquez, Leſſius, Filliucius, Reginaldus, Layman; item & Diana. à num. 53. ibid.

Item Bonacina, Gerſon, Henricus de Haſſia, Petrus Marchantius, & cenſores cuiuſdam libri. à num.61. p.632

An cenſores libri faciant probabilitatem? n. 65. remiſſiuè. p.633

Cap.VI. Examinantur alij Authores relati in epiſtola ad Antoninum Dianam. p.633

Diſcutiuntur teſtimonia Dianæ, Patris Thomæ Sanchez, P. Gaſparis Hurt. P. Præpoſiti, Ochagauiæ, P.Suarij, P. Henriqui, P.Leſſij, P. Tanneri, & Villalobi. Item Vaſquij, P. Salæ, P.Filliucij, Bonacinæ, P. Granadi, Lublini, Nauarri, Caietani, & R. P. Claudij. Item Ioannis Antonij Sauræ. à num.67. ibid.

An poſſit dari opinio ſpeculatiuè probabilis, quæ non ſit practicè probabilis? num.80. p.635

An placitum ſuum damnet Caramuel in Saura? à num.81. ibid.

An Caramuel ſtet pro paruitate materiæ admittenda practicè in re venerea? numero 48. pag.636

Cap.VII. Concluſio ſupputationis Authorum. Et P.Thomas Sanchez à maxima calumnia vindicatus. p.636

Ex quadraginta nouem Authoribus adductis à Caramuele, quadraginta nullo modo ſuffragantur ſententiæ de paruitate materiæ. Ex reliquis nouem, quinque illam clarè propugnant, reliqui dubiè. n.87. ibidem.

Ex prædictis Authoribus adductis à Caramuele, duodecim ſtant pro noſtra ſententia. numero 88. ibidem.

Grauis impoſtura in P. Thomam Sanchez ex Beyerlinckio. à num.90. ibid. & ſeq.

Multis ex capitibus de falſitate conuincitur. à num.91. p.637

Cap.VIII. Primum argumentum pro ſententia negante paruitatem materiæ in delectatione venerea. p.637

An quærenti delectationem veneream, non ſit determinabilis menſura delectationis, vltra quam non ſit progreſſurus? à num. 98. ibid.

Et quid inde contra aſſertionem de delectatione leui? ibid.

An repugnet, quod quis velit conſeruare delectationem leuem, & quod impediat graue augmentum illius? num.101. p.638

An

Digitized by Google

An ſit ſub poteſtate hominis effundere vnam dumtaxat guttam ſeminis? Et an ſit ratio par de eo qui conatur ad delectationem dumtaxat leuem? à num. 102. ibid.

Diſparitas quoad materiam leuem inter cætera peccata & rem veneream. num. 106. ibid.

Cap. IX. Duo alia argumenta pro eadem ſententia. pag. 638

An qui delectationem leuem deliberatè quærit, exponatur manifeſto periculo augmenti eius delectationis, & quomodo? à num. 108. ibid.

An peccet lethaliter, qui operatur, practicè dubitans, vtrum materia, in qua operatur, ſit grauiter illicita, an leuiter? à num. 116. p. 639

An intendens delectationem leuem, ſit practicè dubius, vtrum illa euaſura ſit grauis? Ideoque lethaliter peccet? à num. eod. ibid.

An peccet mortaliter cæcus, qui dum vult furari vnum nummum æreum (paruitatem materiæ) dubitat, an nummus ſit æreus, an argenteus, an aureus? num. 118. ibid.

Et an ſit paritas in præſenti materia? ibid.

An peccet mortaliter ruſticus, qui neſciens in furto diſcernere inter materiam grauem & leuem, & ſic dubitans, furatur ſex aſſes æreos? num. 119. ibidem.

Et quanta ſit paritas ad materiam præſentem? ibidem.

An periculum, quod datur in quærente delectationem leuem, ſit de genere dubitantis practicè? num. 120. p. 639

An eadem argumenta, quæ militant contra delectationem leuem deliberatè quæſitam, militent contra deliberatè acceptatam? à num. 121. ibidem.

Cap. X. Duplex reſponſio præoccupata. p. 640

An poſſit homo quærere delectationem leuem cum firmo decreto non admittendi grauem? num. 123. ibidem.

Et an ſi tunc accidat delectatio grauis, ſit inuoluntaria? ibid.

Afferri in ea reſponſione actus incompoſſibiles, oſtenditur exemplo cæci ſuprà poſito. num. 124. ibidem.

Et inde reſoluitur caſus ſimilis à Caramuele propoſitus. à num. 125. ibid.

Et quid, ſi per errorem inuincibilem, certum putet, eam delectationem eſſe leuem? num. 127. ibidem.

Et an hic caſus egrediatur fines quæſtionis? ibidem.

An delectatio leuis ſit illa, quæ eſt minor octaua parte delectationis completæ? à numero 128. pag. 640

Et qua menſura ſit cognoſcibilis ea octaua pars? num. 129. ibid.

An contra hunc modum paruitatis materiæ retineant ſuam vim demonſtrationes propoſitæ? n. 132. ibid. & ſeq.

Cap. XI. Reiicitur alius modus determinandi materiam paruam in re venerea. Et P. Thomas Sanchez vindicatur à magna calumnia Ioannis Sancij. p. 641

Modicam eſſe delectationem, quæ eum affert periculum pollutionis, dictum eſſe à Patre Thoma Sanchez putauit Sancius. à numero 133. ibidem.

Sed de falſitate conuincitur. à numero 135. ibidem.

Quàm certò falſum ſit, eſſe leuem delectationem, in qua deficit periculum pollutionis? à num. 141. pag. 642

An etiam conuincatur de falſitate, ex oraculo Alexandri VII. num. 145. ibid.

Cap. XII. Alter modus determinandi menſuram delectationis paruæ ex eodem Sancio, apertè refellitur. p. 642

Ait Sancius, delectationem eſſe grauem, cùm ferè turbat rationem, & non permittit cogitare alia; & eſſe leuem, ſi hæc deficiunt. num. 146. ibidem.

Quàm certò falſa ſit ea aſſertio Sancij? à n. 147 ibidem.

Quomodo hæc aſſertio non minuat vim argumentorum, quæ propoſita ſunt? à numero 149. pag. 643

Cap. XIII. Aliud argumentum contra aſſertores paruitatis in delectatione venerea. pag. 643

An inferatur ex doctrina Caramuelis, delectationem internam de fornicatione, vel ſodomia, non eſſe lethalem? à num. 155. ibid.

Cap. XIV. Eneruantur duo argumenta Caramuelis contra decretum R. P. Claudij. p. 643

Praxis, quà ſe gerit confeſſarius Ieſuita cum eo qui ſe accuſat de delectatione leui. à num. 159. pag. 644

An confeſſarius ſequi debeat in praxi ſententiam pœnitentis, & qualem? numero 161. ibidem.

An in aliquibus caſibus poſſit confeſſarius permittere pœnitenti dictamen erroneum? Et quid in materia luxuriæ? num. 164. ibid.

Praua interpretatio verborum decreti R. P. Claudij. à num. 166. ibid.

Cap. XV. Diſſoluuntur duo alia argumenta pro paruitate materiæ in re venerea. p. 645

An requiratur diſparitas euidens contra opinionem, quæ aſſeritur eſſe certò falſa? num. 169. remiſſiue. ibid.

An inter delectationem leuem & grauem, ſit impoſſibile practicè diſcernere; in reliquis autem peccatis facile? à num. 170. ibid.

Et an inde oriatur euidens diſparitas? ibid.

An in pluribus materiis neganda ſit materiæ paruitas? num. 173. ibid.

An materia entitatiuè parua, fiat practicè magna, dum indiſcernibilis eſt parua à magna? à num. 175. pag. 646

Quo ſenſu dici poſſit, materiam entitatiuè paruam, quatenus cadit ſub praxim, fieri intrinſecè magnam? à num. 177. ibid.

An materia entitatiuè parua, poſſit ab extrinſeco eſſe magna? num. 180. ibid.

An detur commotio venerea inſenſibilis? Et quàm inſufficienter probetur, eam dari? num. 182. ibidem.

Quàm inefficaciter probetur, dolorem eſſe magis ſenſibilem, quàm luxuriem? numero 183. pag. 647

An falſum ſit, dari dolorem inſenſibilem? n. 184. ibidem.

Quamuis detur commotio inſenſibilis, & commotio grauis, non inde infertur, quod detur media inter vtramque. à num. 186. ibid.

Cap. XVI. Euertuntur alia argumenta eiuſdem de eodem. p. 647

An hæc duo ſint diuerſa, & quod cauſa leui-

ter influat in delectationem, & quod delectatio deliberatè admiſſa ſit leuis? à numero 190. ibidem.

Et an primum admittat noſtra ſententia? bidem.

An tractare verenda brutorum ſit veniale? num. eod. ibid.

Et an id ſit ratione delectationis paruæ deliberatè quæſita; an potius quia cauſa leuiter influit in delectationem? à num. eod. ibid.

Magna diſparitas inter eum, qui, quamvis polluatur, nullam admittit delectationem, & eum qui aliquam paruam quærit. numero 196. pag. 648

An pollutio fortiter reiecta minus afferat peccandi periculum, quàm delectatio leuis procurata? num. 197. ibid.

Quomodo liceant oſcula ſponſis de futuro? Et an abſque conſenſu in delectationem? à num. 201 ibidem.

TRACTATVS VI.

De Sacramento Pœnitentiæ. p.649

DISPVTATIO XLVI.

An peccata dubia ſint neceſſariò confeſſione ſacramentali exponenda? ibid.

Cap. I. Proponitvr ſententia negatiua Caramuelis. Et examinatur authoritas, quæ illi ſuffragatur. p.649

Quid ſit dubium? num. 1. remiſſiuè, *vbi multa alia de dubij eſſentia.* ibid.

Quid ſit dubium poſitiuum, & negatiuum? ibidem.

Quid ſit dubium probabile, & improbabile? à num. 2. ibid.

Duplex modus, quo peccatum poteſt eſſe dubium. num. 4. p.650

Affirmat Caramuel, peccata dubia confitendi nullam eſſe obligationem. num. 7. ibid.

Citat pro ea opinione viginti duos Authores. n. 8. ibidem.

P. Granado alienus eſt ab ea ſententia. à num. 9. ibidem.

Ex reliquis non docent abſolutè, & aliqui non ſunt ad rem. à num. 11. ibid. & ſeq.

Et nouem ſuffragantur. num. 15. p.651

Eam ſententiam non propugnat Caramuel vt probabilem, ſed vt certam & demonſtratam. num. 17. ibidem.

Cap. II. Criſis argumentorum, quibus vult Caramuel ſuam ſententiam eſſe demonſtratam. n. 17. pag. 651

Art. j. Criſis primi argumenti. ibid.

An probet aliquid analogia Tribunalis forenſis & interni? à numero 18. ibidem. & ſeq.

An id argumentum delinquat in Logicam? num. 19. p.652

An militet contra alias aſſertiones euidentes? num. 20. ibid.

An hæc ſit quæſtio de facto? Et an propterea malè aſſumatur argumentum à paritate? à num. 21. ibid.

Duplex diſparitas clariſſima. à num. 23. ibidem.

An eiſdem vitiis laboret confirmatio argumenti? à num. 25. ibid.

Duplex diſparitas ſimilis duplici præcedenti. ibid. & ſeq.

An quando homo ſponte confitetur peccatum dubium, poſſit ei imponi pœnitentia certa, & quomodo? Et an eadem ſit ratio de confitente ex obligatione? num. 28. p.623

Tertia alia diſparitas. num. 29. ibid.

Quomodo poſſit ſtatui analogia Tribunalis forenſis, & interni? num. 31. ibid.

Reſponſio ad confirmationem. à num. 32. ibidem.

Art. ij. Criſis ſecundi argumenti. p.653

An id argumentum pugnet contra obligationem euidentem ſuſcipiendi in aliquibus caſibus baptiſmum ſub conditione? à numero 41. pag. 654

An militet contra abſolutionem moribundo ſub conditione exhibendam? num. 43. ibidem.

Et an contra alias aſſertiones Caramuelis? num. 44. p.655

Quomodo detur obligatio ad diſiunctum abſolutionis vera, vel non vera; poſſibilis, vel impoſſibilis? à num. 47. ibid.

Et quàm clarè id pateat in abſolutione conditionali moribundi, & in baptiſmo dato ſub conditione? à num. 49. ibid.

An ſit probabile, peccato dubio debere adiungi materiam certam venialium? à n. 51. ibidem.

An detur caſus, in quo per accidens homo certò teneatur ad venialia confitenda? n. 52. pag. 656

An ſemper liceat dare abſolutionem ſub conditione, cùm quis non habet aliud peccatum, quod confiteatur, vltra peccatum dubium? num. 55. ibid.

An ſit irreuerentia abſoluere hominem ſub conditione, cùm nullam præbet materiam? num. eodem. ibid.

Art. iij. Criſis tertij argumenti. ibid.

An à ſcrupuloſis valeat argumentum ad dubitantes de peccato commiſſo? à num. 59. ibid. & ſeq.

Et an eodem argumento probetur, poſſe te omittere in confeſſione, quod putas certò commiſſum? à num. eod. ibid.

Art. iv. Criſis quarti argumenti. p.657

An id argumentum ſit merum ſophiſma, ex plurimis æquiuocis terminis compactum? num. 67. p.658

An peccata in confeſſione expoſita trahant & exigant abſolutionem? à num. 68. ibidem.

An ſi peccata exigunt abſolutionem, non exigant potiùs abſolutam, quàm conditionalem? à num. 70. ibid.

An abſurdum ſit dicere, peccata eſſe partes componentes Sacramentum Pœnitentiæ? à num. 72. p.658

An relatio obiecti, quæ includitur in peccato dubio, ſit nihil, quia eſt relatio rationis? num. 75. p.659

Et

Digitized by Google

Et an ideo non poſſit ingredi ad conſtitutionem entis realis, quale eſt Sacramentum Pœnitentiæ? ibid.

An ſit potior ratio in peccatis, ne componant Sacramentum, quàm in ea relatione rationis? à num.76. ibid.

An ea relatio obiecti dubij componatur ex partibus veris & realibus? numero 74. ibidem

Et an argumentum confundat relationem rationis compactam ex entibus realibus cum ente rationis chimærico? numero eodem. pag.659

Et an militet contra abſolutionem moribundo ſub conditione exhibendam? à numero 79. ibidem.

Art.v. Criſis quinti argumenti. p.660

An id argumentum militet contra alias concluſiones euidentes? à num. 84. ibid.

An probet, eſſe peccatum mortale confiteri ſola peccata dubia, etiamſi nulla ſint peccata mortalia certa? à num. 85. ibidem.

Et an inde inferatur, poſſe ſe exponere periculo damnationis æternæ? ibid.

Et an id argumentum conſtetur ex poſitionibus incompoſſibilibus? num. 87. ibid.

An ex eo inferatur peccare mortaliter eum qui confitetur peccata dubia ſimul cum certis? num.88. ibid.

Euidens diſparitas inter Pœnitentiam & reliqua Sacramenta, quoad materiam dubiam. à num.89. p.661

An Baptiſmus cum materia dubia exponatur periculo fruſtrationis, quando profertur forma ſub conditione? numero 91. ibidem.

Et quare non liceat baptizare ſub conditione, ſine cauſa iuſta? ibid.

Alia diſparitas inter Pœnitentiam & cætera Sacramenta, quoad miniſtrandum ea ſub conditione? num.93. ibid.

An liceat confiteri dumtaxat peccata dubia, quando nulla ſunt mortalia, etiam venialibus non confeſſis, & accipere abſolutionem ſub conditione, extra caſum neceſſitatis? n.95 ibidem.

In quot, & quantis exorbitet id argumentum Ianuarij? à num.97. p.662

An falſum ſit, eſſe ſententiam omnium catholicorum, quod neque per accidens eſſe poſſit obligatio confitendi venialia? à num. 101. ibidem.

An aqua roſacea ſit materia dubia Baptiſmi; an potiùs certiſſimè inepta? num.102. ibidem.

Reſponſio ad argumentum, & eius confirmationem. à num.103. ibid.

Art.vj. Criſis ſexti argumenti. p.662

Quare inter rationes vtrimque probabiles de commiſſione, & de non commiſſione peccati, liber maneas ab obligatione confitendi, non autem, quando es conſtitutus in dubio. num.108. p.663

An argumentum confundat aſſenſum probabilem cum motiuo probabili? à num. 109. ibid.

Et quomodo vtrumque diſtinxerit in hac quæſtione P. Suarez? num.111. ibid.

Quàm prauè aſſignetur in argumento æquipollentia propoſitionum? numero 112. ibidem.

An rationes, quæ ſunt leues ad aſſenſum alterutrius partis, ſint vrgentes ad dubitandum? Et quomodo hæc in argumento confundantur? num.113. ibid.

An in quæſtione facti rationes vtrimque æquè probabiles non operentur probabilitatem, ſed dubium? numero 114. remiſſiuè. pag.664

Et quid, ſi formauerit iudicium probabile probabilitate apparenti, de non commiſſione peccati? ibid.

Reſponſio ad argumentum, & ad demonſtrationem ſibinde promiſſam. à num. 115. ibidem.

Quomodo id argumentum militet contra aliam concluſionem certam? numero 121. ibidem.

Art.vij. Septimi argumenti diſcuſſio. p.664

An verum ſit, quod nunquam datur dubium de commiſſione peccati? à num. 122. ibidem.

An homines ruſtici attendant ad rationes probabiles deponendi dubium? numero 127. p.665

An iterum confundat aſſenſum probabilem cum motiuo probabili? numero 129. ibidem.

Et an poſſit ſtare vna præſumptio pro innocentia, & altera coniectura æqualis pro delicto? ibid.

An id axioma, quod [Quilibet præſumitur innocens,] ſit falſum, ſi intelligatur de actu ſpeculatiuo? num. 130. ibid.

An illud intelligatur de præſumptione practica in ordine ad aliquos effectus? à num.131 p.665

An teneamur actu ſpeculatiuo iudicare proximum innocentem? num. 132. *Imò nec practico quoad omnia.* ibid.

An propter diſpoſitionem iuris canonici debeat homo practicè præſumere ſe innocentem in ordine ad confeſſionem, vel an id ſit ſupra ſphæram iuris canonici? à numero 134. pag.666

An præſumere practicè, aliquem eſſe innocentem, ſit iuris naturalis; ideoque poſſit extendi ad confeſſionem? à numero 135. ibidem.

Quomodo ceſſet præſumptio innocentiæ, etiamſi non dentur rationes, quæ malum probent? à num. 138. ibid.

An præſumptio innocentiæ in aliquo genere intelligatur de eo, qui nunquam peccauit in eo genere? à num.139. ibid.

An qui ſemel mentitur, non præſumatur in alia occaſione verax? à numero 143. ibidem.

An falſum ſit, quod carentia rationum contra innocentiam ſit fortiſſima innocentiæ probatio? num.146. p.667

An eadem in poſſeſſione innocentiæ notanda ſint, quæ in præſumptione innocentiæ? n.147. ibidem.

An in re memoriæ non poſſit fieri argumentum ab eo, quod plerumque fieri conſueuit? num.150. remiſſiuè. ibid.

Quàm fallax argumentum deſumatur ex prioris propoſiti poſſeſſione ? à num. 151. ibidem.

Art. viij. Criſis argumenti deſumpti ex verbis Tridentini ? p.667

An conſcientia *ſignificet notitiam ſcientificam ?* à num.157. p.668

Quàm falſum ſit, quod procedere in cauſa dubia, ſit procedere incognitâ cauſâ ? num.159. ibid.

Confirmatio argumenti militat contra concluſiones euidentes. num.160. ibid.

Reſponſio ad confirmationem. numero 161. ibidem.

Incompoſſibilitas aſſertionum Caramuelis. num.163. ibid.

An confeſſio peccati dubij vt dubij ſit confeſſio aperta ? ibid.

An peccata dubia poſſint omitti ſcienter in confeſſione ? num.166. p.669

An circa dubia detur ſcientia ? num. 167. ibidem.

Cap. III. Argumenta Franciſci Verde pro eadem ſententia trahuntur ad criſim. p.669

An pœna certa ſupponat certam culpam ? Et ſit grauis iniuria, velle quod quis ſubeat certam pœnam pro delicto, quod fortè non commiſit ? à n.171. ibidem.

An potuerit Chriſtus inſtituere, vt fideles confiterentur peccata dubia ? Et an tunc Chriſtus irrogaret iniuriam ? num.172. & 174. ibid. & ſeq.

An proſternatur ea aſſertio ex eo caſu, quod quis voluntariè confitetur peccatum dubium, & ſubit pœnam certam pro eo ? à num.176. p.670

An ſatisfaciat Verde aſſerendo, eum qui ſponte confitetur peccatum dubium, cedere iure ſuo ? à num.178. ibid.

Quid in caſu, quo quis confiteatur peccatum dubium, & nolit acceptare pœnam ſatisfactoriam, nec cedere iure ſuo ? Et an inde repellatur ea reſponſio ? à num.178. ibid.

An ſit contra leges Cæſareas imponere pœnam certam pro culpa non certa ? Et quid inde contra ius ſacramentale, quod Cæſaribus non ſubditur ? à num.183. ibid.

Quomodo intelligenda ſit ea gloſſa, quod [nemo in dubio præſumitur obligatus, quia vnuſquiſque naſcitur liber ?] num.187. p.671

An idem ſit, quod peccatum in dubio non præſumatur, & quod in dubio præſumatur, non adeſſe peccatum ? Et quàm malè hæc duo confundantur ? à num.188. ibid.

An ignorans inuincibiliter peccatum, non teneatur illud confiteri, etiam ſub dubio ? à n. 196. ibidem.

An hæc forma abſoluendi conditionaliter, [Si peccatum eſt certum, te abſoluo,] *recta ſit ?* n.198 pag.672

Aſſertiones Franciſci Verde incompoſſibiles ? à num.201. ibid.

Cap. IV. Criſis fundamentorum pro ſententia affirmante obligationem confitendi peccata mortalia dubia. p.673

Art. j. Examinatur prius fundamentum huius ſententiæ. ibid.

An omnes Doctores veteres pro ſententia affirmatiua vtantur eo principio, quod [In dubiis tutior pars eligenda eſt ?] à num.206. ibidem.

Proponuntur teſtimonia D. Thomæ, Sylueſtri, Hadriani, S. Antonini, Angeli, Roſellæ, Richardi, Alenſis, Medinæ, Nauarri, P. Azor, P. Henriquij, & Graffij. à num.207. ibidem.

Quàm parum vrgeat id fundamentum ? à num.220. ibid. & ſeq.

Art. ij. Solidius aliud fundamentum huius ſententiæ proponitur. p.674

An praxis omnium fidelium confitendi mortalia dubia, cum perſuaſione de obligatione graui, probet ſufficienter hanc obligationem ? à num.222. ibid.

Quid reſpondeat Caramuel, & quid replicet in contrarium P. Arriaga ? à num.223. ibidem.

An conſuetudo negatiua non celebrandi feſtum Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ, ſit ad rem ? à num.214. ibid.

An ex negatione conſuetudinis inferatur prohibitio, ſicut ex conſuetudine quandoque infertur obligatio ? num. 225. ibid.

Art. iij. Maius robur ſuperadditur eidem argumento. p.674

An hæc ſit quæſtio de facto, nempe, an Chriſtus inſtituerit obligationem confitendi peccata dubia ? num. 226. ibid.

An fuerit praxis antiqua fidelium confitendi peccata dubia communiter reputata tanquam obligatoria, ſaltem à tempore S. Thomæ ? ibidem.

Vrgetur argumentum multis, ex ea praxi deſumptum. à num.227. ibid.

Art. iv. Criſis fundamenti propoſiti. p.675

Omnes Authores antiqui pro obligatione confitendi peccata dubia, ſolum nituntur in eo, quod tutior pars eligenda eſt. numero 235. ibidem.

Si ea praxis fidelium eſſet cum firma perſuaſione, quod Chriſtus ita inſtituiſſet, obligatio eſſet indubitabilis ? num.236. ibid.

Ea praxis fidelium non eſt cum firma perſuaſione de inſtitutione Chriſti. numero 237. ibidem.

Authores non atteſtantur talem perſuaſionem. ibid.

Hæc praxis fidelium nititur in eo, quod periculo peccandi ſe committit, qui non confitetur peccatum dubium. num.238. p.676

Hæc perſuaſio fidelium nititur, iure naturali probabiliter exiſtimato, non iure poſitiuo. num.239. ibid.

An communis perſuaſio omnium fidelium de obligatione iuris poſitiui, faciat euidentiam; non ſic, quando eſt de obligatione iuris naturalis ? à num.241. ibid.

Satisfit argumentis propoſitis articulo 3. à num. eod. ibid.

Art. v. Euertuntur alia fundamenta eiuſdem ſententiæ. p.677

An lex confeſſionis, quia fauorabilis, ſit amplianda; atque adeò extendenda ad peccata dubia ? à num.250. ibid.

An regula de amplianda lege fauorabili non extendatur ad ius diuinum ſacramentale? num. 251. ibid.

An periodus allegata ex Tridentino parum ſit ad rem ? num.253. ibid.

Quomodo intelligendum ſit, peccata detegenda

Digitized by Google

genda eſſe in confeſſione eo modo, quo ſunt in conſcientia? à num. 255. p.678

CAP.V. Probabilitas ſententiæ affirmantis, peccata dubia non eſſe ex neceſſitate præcepti confitenda. p.678

An probabilitatem opinionis non promoueat, ſed turbet ſyllogiſmus ſophiſticus? num. 258. ibid.

An ea ſolum peccata ſint ex præcepto confitenda quibus quis ſe offendiſſe Deum meminit? num.259. ibidem.

Et an id verificetur de peccatis dubiis? à n. eod. ibidem.

An in memoriam cadat dubitatio? à num. 262. ibidem.

An peccati dubij quis conſcientiam habeat? à num.264 p.679

An ex alio textu Concilij colligatur, nomine conſcientiæ intelligi cognitionem certam? à num. 266. ibidem.

Quomodo Concilium eam vocem, conſcius, *vſurpet?* à num.267. ibid.

An præceptum, vt obliget, debeat eſſe certum? n.273. ibid.

Et an ſit certum præceptum confitendi peccata dubia? à num. eod. ibid.

An hæc opinio opponatur ſententiæ omnium Theologorum? num.277. p.680

An olim reputata fuerit vt temeraria? Et quomodo tranſire potuerit in probabilem? num.278. ibid.

An non ſit reputanda communis ſententia, quæ plures habet Authores? num.279. ibid.

An ea opinio ita ſit limitanda, vt in rariſſimo caſu poſſit deduci ad praxim ab eo, qui non eſt doctus Theologus? num. 280. ibid.

CAP.VI. Extrema criſis huius quæſtionis. p. 680

An ſit probabilior opinio affirmans obligationem confitendi peccata dubia? à num. 281. ibid.

Vt ſuſcipias Euchariſtiam, debes formare iudicium probabile ſpeculatiuum, te eſſe in ſtatu gratiæ. num.282. ibid.

Qualiter, qui dubitat de commiſſione mortalis, non poſſit cum eo dubio componere iudicium probabile ſpeculatiuum, quo credat, ſe eſſe in ſtatu gratiæ? à num.283 p.681

Vt ille ſic dubitans formet prædictum iudicium, opus eſt vel contritione perfecta, vel confeſſione. num.290. ibid.

Homo obſtrictus ad adhibendum medium pro ſua iuſtificatione ante ſuſceptionem Euchariſtiæ, debet præmittere confeſſionem, nec ſatis eſt contritio. à num.291. ibid.

Confeſſio, quæ requiritur ad ſuſceptionem Euchariſtiæ, requiritur etiam ad Sacramentum Pœnitentiæ, & præceptum de illa. num.294. ibid.

An dubius de peccato mortali, ante ſumptionem Euchariſtiæ teneatur illud confiteri ſub dubio? à num.295. ibid.

An probabilem ſolutionem ſubeant ea tria argumenta poſita cap. 5. pro opinione negante obligationem confitendi peccata dubia? à n.298. ibid. & ſeq.

CAP. VII. De obligatione confitendi peccata probabiliter cognita. p.682

In quo differant dubium probabile de peccato, & peccatum probabiliter exiſtimatum? numero 304. ibidem.

Quantum ſit diſcrimen inter hoc, quod detur aſſenſus probabilis? num. 305. ibid.

Quotupliciter poſſint dari motiua probabilia circa exiſtentiam peccati mortalis? num.306. ibid.

An qui habet rationes vtrimque æquè probabiles pro exiſtentia, & pro non exiſtentia peccati, teneatur confiteri illud? à num. 307. ibid.

An rationes vtrimque æquè probabiles non faciant probabilitatem in quæſtione facti, ſed dubium? à num.eod. ibid.

An quando in quæſtione facti vna pars excedit probabilitate aliam, pars excedens maneat probabilis, non autem oppoſita? num. 312. remiſſiuè. pag.383

An cum datur motiuum probabile pro non exiſtentia peccati, nullum autem tale pro exiſtentia, liber ſit homo ab obligatione confitendi? numero 313. ibidem.

An ſi detur motiuum probabile pro exiſtentia peccati, non tamen aſſenſus, & nullum motiuum probabile pro non exiſtentia, poſſit homo ſe continere in dubio, & manere liber ab onere confitendi? num.314 ibidem.

Quid ſi expellat dubitationem, & aſſentiatur exiſtentiæ peccati ex motiuo probabili? num. 315. ibidem.

An impoſſibile ſit dubium circa commiſſionem peccati? num.316. ibid.

DISPVTATIO XLVII.

An certus de peccato mortali commiſſo, & dubius de illius confeſſione, teneatur illud confiteri? p.684

CAP.I. AN Caramuel ſit Author ſententiæ negantis? ibid.

Negat Caramuel, ſe eſſe Authorem illius ſententiæ. num.2. ibid.

Quantum fundamentum præbuerit, vt dicatur Author eius ſententiæ? num.3. ibid.

Affirmat, eam ſententiam eſſe probabilem. n.4. ibidem.

CAP.II. Reſponſio Caramuelis ad præſentem quæſtionem debellata. p.684

Negat Caramuel, caſum eſſe poſſibilem, in quo quis certus de peccato, dubitet de illius confeſſione. num.5. ibid.

Quo fundamento nitatur? num.6. ibid.

An ex ipſa Caramuelis doctrina colligantur plurimi caſus, in quibus ſit poſſibilis eiuſmodi dubitatio? à num.7. p.685

An malè definiat conſcientiam dubiam? Et an hæc dari ſoleat inter rationes probabiles? num. 9. remiſſiuè. ibid.

Intellectus regula, Inſpicimus, *de regulis iur. in 6.* num.11. ibid.

An non in omnibus materiis deſumatur argumentum ex eo, quod fieri conſueuit? à numero 12. ibidem.

An in iis, quæ pendent à cauſis fortuitò concurrentibus, infirmum ſit argumentum deſumptum ex eo, quod plerumque fieri conſueuit? à num.15. ibid. & ſeq.

An id argumentum mutet in re memoriæ? à n.16 p. 686

Atque adeò non valeat in confeſſione dubia? ibidem.

An res memoriæ pendeat à cauſis fortuitò concurrentibus? num.17. ibid.

Quàm multa alia conuincant, caſum eius dubi- tationis

Digitized by Google

tationis eſſe poſſibilem ? à num. 18. ibid.

Reſtorſio ad argumentum partis oppoſitæ, negando omnes eius propoſitiones. num. 29. p.687

Cap. III. Alia reſponſio Caramuelis ad eandem quæſtionem confutata. ibid.

Art. j. Reſponſio proponitur. ibid.

Aſſerit, certum de peccato, & dubium de confeſſione, teneri ad confitendum peccatum, ſed non ſtatim. à num. 30. ibid.

Item eum, qui certus eſt, ſe recepiſſe mutuos mille aureos, & dubius eſt de ſolutione, poſſe differre ſolutionem in articulum mortis. ibidem.

Artic. ij. Impugnatio exempli allati. p.688

Ingens abſurdum ex dilatione certi debiti dubiè ſoluti, vſque ad articulum mortis. à n. 33. ibidem.

An vbi dubium de ſolutione eſt inuincibile, poſſit ſolutio differri ? à num. 36. ibid.

Artic. iij. Triplex diſparitas inter dubitantem de ſolutione mutui, & dubitantem de confeſſione peccati. p.688

An dubius de ſolutione mutui certi, plus temporis requirat ad vincendum dubium, quàm dubius de confeſſione peccati certi ? num. 38. ibidem.

An dubius de ſolutione mutui certi, ſoluendo exponatur damno, cui non exponitur confitendo dubius confeſſione peccati certi ? num. 39. ibid.

An dubius de confeſſione, vnica actione debeat ſatisfacere præcepto; creditor autem dubius de ſolutione, non debeat vti vnica ſatisfactione ? num. 40. ibid.

Art. iv. Oſtenditur, peccatum dubiè confeſſum, ſtatim confitendum eſſe. p.689

An integritas confeſſionis poſtulet, quod ſub vnica abſolutione confiteatur pœnitens omnia peccata, quorum habet conſcientiam ? Et quid inde pro concluſione ? num. 41. ibid.

An dubius de confeſſione peccati certi habeat vrgentem cauſam omittendi, vel differendi peccati confeſſionem ? à num. 42. ibidem.

An vt taceatur peccatum, neceſſe ſit, ex confeſſione eius reſultare graue damnum, proprium, vel alienum ? à numero 43. ibidem.

An reſultet graue damnum pœnitenti ex eo, quod ſtatim confiteatur peccatum certum dubiè confeſſum ? à num. 44. p.689

An poſſit excuſari à confeſſione ex eo, quod id ſit graue onus ? à num. 48. ibid.

An dubitans de confeſſione peccati certi, ſit ſibi conſcius peccati ? Et an inde arguatur, non poſſe ſic accedere ad communionem Euchariſtiæ ? à num. 50. ibid.

Cap. IV. Sententia negans, peccatum certum dubiè confeſſum, eſſe confitendum, ex ipſius fundamento debellatur. p.690

Refert Caramuel tanquam probabilem theſim propugnantem, certum de peccato, & dubium de confeſſione, non teneri ad confeſſionem eius. num. 54. ibidem.

An doctor, qui præſidet actui literario in Academia, poſſit citari pro opinione, quam propugnat ? ibidem.

Quo fundamento nitatur illa theſis relata ? n. 56. ibidem.

An oppoſita ſententia ſit indubitabilis ? num. 57. ibidem.

Fundamentum illius theſis præcipuum licitas reddit innumeras actiones euidenter iniuſtas. à num. 58. ibidem.

Probat in ſimili forma, licere vxori negare debitum viro, quando dubitat, an ſit adulter ? à num. eodem. ibid.

Item licere patri exhæredare filium, quando dubitat, an iſte fuerit ingratus. num. 60. p.690

Item licere Patri, negare dotem filiæ, quando dubitat, an illa nupſerit ignominioſè. numero 61. ibidem.

Item licere mutuatario non ſoluere Petro mille aureos ſibi mutuatos, quia dubitat, an fuerint furtiui, & non Petri ? num. 62. ibid.

Referuntur plures aliæ ſimiles iniuriæ, quæ ſtante eo fundamento licerent ? num. 63. ibid.

Explicatur radix obligationis reddendi debitum in vxore, ne in eo dubio eſſet obligatio. Et ſic in cæteris exemplis. à num. 65. p.691

An radix obligationis confitendi peccatum ſit, quod peccatum non ſit realiter confeſſum; an potiùs quod non ſit certò, nec probabiliter confeſſum ? à n. 66. ibidem.

Reſponſio ad argumentum partis oppoſitæ. à n. 72. ibidem.

Cap. V. Eadem theſis aduerſa communibus argumentis deſtruitur. p.692

An certæ obligationi non ſatisfiat ſatisfactione dubia ? num. 74. ibid.

Quid reſpondeant aduerſarij, & quomodo refellantur ? à num. 75. ibid.

An obligationi certæ recitandi officium canonicum non ſatisfiat recitatione dubia ? à numero 78. ibidem.

Idem de voto, de obligatione audiendi Sacrum, &c. ibid.

Reſponſio in his exemplis clariùs refellitur. à n. 80. pag. 692

An in materia iuſtitiæ, debito certo non ſatisfiat ſolutione dubia ? à num. 81. ibid.

An ſi ſolus mutuatarius dubitet de ſolutione, detur certa obligatio ſoluendi ? num. 85. p.693

An ſi mutuatarius & mutuator dubitent, varient Authores in deciſione quæſtionis ? numero 86. ibidem.

Quomodo fundamentum obligationis ſoluendi ſit ipſa non ſolutio ? à num. 88. ibid.

An qui accipit mala fide rem Petri poſſeſſoris bonæ fidei, & incipit dubitare, vtrum res ſit ſua, vel Petri, & dubium ſit inuincibile, obligatio reſtituendi rem Petro ſit certiſſima ? numero 89. ibidem.

Nihil ſuffragatur Medina. num. 90. ibid.

Cap. VI. Cætera argumenta pro eadem theſi Vienenſi conuincuntur eſſe ſophiſtica. p.693

Hæc ſunt ea ipſa, quæ Caramuel propoſuit pro opinione, quæ negat, confitenda eſſe peccata dubia, quorum vis euanuit diſp. præcedenti. à numero 91. ibidem.

An conſcientia ſit iudicium ? à numero 100. pag. 694

An, & quomodo dubitans habeat iudicium, in quo conſiſtit conſcientia ? Et an in caſu præſenti dubitet de confeſſione, & habeat iudicium de peccato commiſſo ? à num. eod. ibid.

An ea theſis habeat aliquam probabilitatem extrinſecam ? à num. 101. ibid.

An

Digitized by Google

An à propugnatoribus doctis? An à præſide? An à propugnatore laureando: An à Reuiſore? An ab aſtantibus Theologis? à num. 102. ibid.

DISPVTATIO L.

An abſoluendus ſit ſub conditione moribundus, in quo nulla determinata ſigna contritionis apparuerunt? p.695

CAP. I. SEntentia Caramuelis affirmatiua, & negatiua aliorum referuntur, & propria ſtatuitur. ibid.

Aſſerit Caramuel eum eſſe ſub conditione abſoluendum. num. 1. ibid.

Triginta & ſeptem Authores ſuffragantur eidem aſſertioni. à num. 2. ibid.

Oppoſita ſententia eſt antiquioribus communis. num. 4. ibid.

Sententia Authoris tribus concluſionibus exponitur. num. 5. ibid.

CAP. II. Fundamenta Caramuelis vocantur ad criſim. p.696

Art. j. Diſcuſſio primi argumenti. ibid.

An Sacerdos repente moribundus, eo quod recitauerit in officio canonico orationem Dominicam, & in ea dixerit, dimitte nobis debita noſtra; *in illis poſtulauerit confeſſionem?* à num. 6. ibid.

An idem extendatur ad omnes Catholicos, eo quod frequenter recitant, Pater noſter; *item quia recitant ſalutationem Angelicam, in qua petimus bonum finem, atque adeò diſpoſitionem ad illum?* à num. 7. ibid.

An neceſſitate vrgente ad abſolutionem ſit neceſſaria ſimpliciter confeſſio peccatorum, ſaltem in genere? num. 9 ibid.

Et an hæc conſiſtat in aliquo ſigno externo? ibidem.

An hoc ſignum externum debeat eſſe cum relatione ad claues? num. 10. p.696

An ſi probabile ſit, hanc eſſe confeſſionem, abſolutio poſſit dari abſque conditione? à n. 11. ibidem.

In caſu autem quæſtionis non poſſe dari abſque conditione, concedit Caramuel? ibid.

Aliæ impugnationes eiuſdem fundamenti. à num. 13. p.697

An diſpoſitio hominis actualiter peccantis reputetur ſufficiens ad abſolutionem? num. 19. ibidem.

An confeſſio petat eſſentialiter, quod fiat Sacerdoti? Atque adeo non ſit confeſſio ea, quam aſſignat Caramuel? à numero 20. ibidem.

Reſponſio aduerſarij confunditur. à num. 22 ibidem.

Art. ij. Secundi argumenti diſcuſſio. p.698

An dicendus ſit petere extrinſecè confeſſionem, qui extrinſecè facit aliquid, quod non faceret, ſi confiteri nollet? à num. 28. ibid.

An qui carpens iter ad confeſſionem, repente cadit moribundus, abſoluendus ſit ſub conditione? à num. 31. p.699

Et quare? num. 32. remiſſiuè. ibid.

An auditio Sacri, &c. ſit ſignum externum, quo homo ſignificat, ſe peccaſſe? num. 33. ibidem.

Art. iij. Argumenti tertij diſcuſſio. p.699

An exercitium vitæ chriſtianæ ſit ſignum voluntatis confeſſionem deſiderantis? à num. 35. ibidem.

Art. iv. Diſcuſſio quarti argumenti. p.699

An qui dicit, Si eò venereo, vt caream ſenſu, volo abſolui, *poſſit abſolui, nullo alio ſigno dato?* à num. 39. ibid.

Et quid inde pro ſua concluſione? ibid.

An hæreticus moribundus, cuius filius teſtatur, Patrem poſtulaſſe confeſſionem, ſit abſoluendus? num. 42. p.700

Art. v. Quintum argumentum diſcutitur. pag. 700.

An ad confeſſionem ſufficiat accuſatio virtualis? Et an delictum ipſum accuſet? à n. 43 ibidem.

Vrgens impugnatio Patris Arriaga. n. 46. ibidem.

Reſponſio pro Caramuele. num. 47. ibid.

Impugnatur apertè. num. 48. ibid.

Artic. vj. Poſtremum argumentum diſcutitur. pag. 701

An à paritate Baptiſmi, & extremæ Vnctionis arguatur, non requiri ad abſolutionem determinatum ſignum poſtulantis confeſſionem? à num. 53. ibid.

CAP. III. Solidiori fundamento probatur affirmatiua ſententia. p.701

An poſſit abſolui ſub conditione moribundus, quoties eſt dubium, an ſit rectè diſpoſitus? à num. 56. ibidem.

An Sacramento nulla fiat iniuria, quoties abſolutio impenditur ſub conditione, ex iuſta cauſa? n. 57. ibid. & ſeq.

An contingat, dari in moribundo ſigna contritionis, ſine aduertentia confeſſarij? Et qualia? à num. 61. p.702

Quid, ſi moribundi crura fune torqueantur, & adhuc nullum edat ſignum contritionis externum? num. 65. p.703

An ob alia ſigna dubia admittant Authores, moribundum ſub conditione abſoluendum? à num. 66 ibidem.

An dentur caſus, in quibus certum ſit deeſſe diſpoſitionem neceſſariam? à num. 68. ibid.

An ſemper admittendum ſit tanquam eſſentialiter requiſitum, ſignum externum contritionis? num. 72. ibidem.

An his caſibus non ſolum poſſit, ſed etiam teneatur Sacerdos abſoluere ſub conditione? num. 73. ibidem.

Explicatur exemplo famelici extremè laborantis, cui dubium alimentum miniſtrari debet, ſi non adſit certum. num. 74. p.704

An in extrema neceſſitate conſtitutum baptizare teneatur cum materia dubia, ſi non adſit certa? num. 75. ibid.

Et an valeat paritas in confeſſione quoad hoc? ibidem.

An in eo caſu teneatur abſoluere Sacerdos, qui eſt opinionis contrariæ? num. 76. ibid.

CAP. IV. Aduerſantia argumenta ſoluuntur. p.704

Hanc ſententiam non opponi ſacris canonibus. à num. 77. ibid.

Incongrua expoſitio Caramuelis. numero 78. ibidem.

Refutatur num. 79. ibid.

An ſit baptizandus ſub conditione Mahometanus,

R.P. Ioan. de Cardenas Criſis Theol. ē ē *qui*

Digitized by Google

qui repente ſenſibus deſtituitur; quia dubitamus, an habeat voluntatem Baptiſmi? à numero 81. ibidem.

Et an ad id requiratur dubium prudens? ibid.

An per ſigna dubia non poſſint ſufficienter manifeſtari peccata ad abſolutionem? Et an ſignum dubium non ſit manifeſtatio? à num.83. p.705

An de euidentia poſſit dari dubium reflexum? n.84 ibidem.

An ſuſpirium ex intentione pœnitentis poſſit eſſe ſignum contritionis? num.85. ibid.

An actiones externæ indifferentes poſſint determinari vt ſint ſigna alicuius rei, ex intentione agentis, & circumſtantiis? ibid.

Et producuntur exempla. ibid.

An excommunicatus non toleratus poſſit abſolui ab excommunicatione propter ſigna merè dubia, in ordine ad ſepulturam, & ſuffragia? numero 89. pag.705

An hæc aſſertio ſit conformis doctrinæ, quæ ſemper traditur in ſcholis Societatis? à num. 90. pag.706

Cap.V. Hanc ſententiam ex dictamine reflexo fieri valde probabilem, imò in praxi moraliter certam. p.706

Vnde conſtet probabilitas huius ſententiæ? n. 92. ibidem.

An liceat ſequi tenuem probabilitatem, quando vrget maxima periculi vitandi neceſſitas? à num.93. ibidem.

An hæc opinio ex dictamine reflexo ſit certa ad praxim? num.96. ibid.

DISPVTATIO XLIX.

An in articulo mortis requiratur contritio perfecta cum Sacramento Pœnitentiæ, ita vt non ſufficiat attritio cognita? p.706

Cap.I. PRænotantur aliqua. ibid.

An poſt Tridentinum ſit certiſſimum, Sacramentum Pœnitentiæ poſſe conſiſtere cum ſola attritione? num.1. ibid.

Eſſe aliquorum opinionem, ad pœnitentiam requiri contritionem, ſaltem reputatam. numero 2. p.707

Eſſe ſententiam ferè omnibus Authoribus communem, attritionem cognitam vt talem ſufficere ad Sacramentum Pœnitentiæ. num. 3. ibid.

An conſulat ſecuritati ſalutis æternæ, qui in articulo mortis vtitur hac ſecunda ſententia, dum ſuſcipit Sacramentum Pœnitentiæ? numero 4. ibidem.

Cap.II. Quid ſenſerit Caramuel in hac quæſtione? pag.707

Attribuit Dianæ, quod liceat exponere ſe probabili periculo damnationis æternæ. numero 5. ibidem.

Sed per iniuriam attribuit. ibid.

Diana & Caramuel in his omnino conueniunt. num.6. ibid.

Imponit Caramuel Suario, quod primus Author fuerit ſententiæ aientis, ad ſecuritatem ſalutis æternæ non ſufficere attritionem cognitam. numero 7. ibidem.

Sententiam ei contradictoriam docet P. Suarez. ibidem.

Quinque notanda circa argumentum Caramuelis. à num.8. p.708

Docet tamen, moribundum conſulere ſecuritati ſalutis æternæ per attritionem cognitam, eo quod oppoſita opinio non aſcendat ad probabilitatem. n.12. ibidem.

An opinio de contritione reputata, requiſita ad Sacramentum, ſit probabilis, quam docent aliqui? num.13. ibid.

Et an ſufficiant quatuor Authores ad probabilitatem? ibid.

Quare dicat Caramuel, eam opinionem eſſe ferè improbabilem? num.16. p.709

An Sacramentorum Pœnitentia ſit priuilegium, & an ideò non requirat contritionem? ibid.

An ne tenuiter quidem ſit probabile, non ſufficere attritionem cognitam ad valorem Sacramenti? n.17. remiſſiuè. ibid.

Quàm tenuis ſit ratio, qua illam opinionem probat eſſe tenuiter probabilem? num.18. ibid.

Cap.III. Statuitur vera reſolutio huius difficultatis. p.709

An Theologi aientes, non ſufficere attritionem cognitam, aſſerant, non ſufficere, vt validè, an vt licitè ſuſcipiatur Sacramentum? à numero 19. ibidem.

Et quid interſit inter vtrumlibet? ibid.

Probabile eſt, requiri contritionem reputatam, vt licitè ſuſcipiatur Sacramentum. numero 20. ibidem.

Non eſt probabile, requiri contritionem reputatam, ad valorem Sacramenti. numero 21. ibid. & ſeq.

An hæc ſit mens Authorum requirentium contritionem reputatam? ibid.

An falſa exiſtimatio contritionis non poſſit eſſe requiſita ad valorem? num.22. p.710

An moribundo ſufficiat ad ſalutem attritio cognita, pro valore Sacramenti? num.23. ibid.

Cap.IV. Obiectionibus occurritur. Vbi, an ex alio titulo teneatur moribundus ad actum contritionis? p.710

Quomodo accuſatio debeat eſſe de offenſa Dei? à num.25. ibid.

Quomodo ad remiſſionem peccati requiratur auerſio à creatura, & conuerſio ad Deum? à num.26. ib.

Quomodo per Sacramentum Pœnitentiæ fiat homo de attrito contritus? à num.28. ibid. & ſeq.

An moribundus teneatur præcepto charitatis ad eliciendum actum eius virtutis? Idque tanquam certum tenendum ſit? num.29. p.711

An moribundus teneatur ad actum charitatis, vt ſecuriorem reddat ſuam ſalutem æternam? à n.30. ibidem.

Et an iſte actus charitatis debeat eſſe cum expreſſa deteſtatione peccatorum? num.37. ibid.

DISPVTATIO L.

An qui ex obliuione, vel inaduertentia non expoſuit peccatum mortale in confeſſione, liber maneat ab obligatione confitendi? p.711

Cap.I. QVid in hac quæſtione ſcripſerit Leander à Murcia? ibid.

An pars affirmatiua quæſtionis damnata ex parte fuerit ab Inquiſitione Hiſpanica? num. 1. ibid.

Vb-

Vbi de damnatione Alexandri V I I. remiſſiuè. ibidem.

Proponit Leander vt probabilem ſententiam, quæ negat obligationem confitendi peccata ſemel oblita in confeſſione. num.2. p.712

Adiungit illi octo argumenta, & ſubſcriptiones pluſquam duodecim Theologorum. ibid.

An ipſe ſtet pro ſententia oppoſita; & quomodo? num.4. p.712

Eam opinionem propoſitam eſſe à Murcia, ad eius probabilitatem promouendam, multa ſuadent. à num.6. ibid.

Cap. I I. Eſſe obligationem confitendi peccata ex obliuione omiſſa, cùm in alia confeſſione in memoriam venerint, omnes Doctores Catholici docent. p.713

An perſuaſio omnium fidelium in praxi Sacramentorum ſit regula certa ad cognoſcendam inſtitutionem Chriſti? num.14. ibid.

Et an id conſtet ex Tridentino? ibid.

An ſemper fuerit hæc fidelium perſuaſio de obligatione confitendi peccata oblita in confeſſione, cùm ad memoriam redierint? à num.15. ibid.

An perſuaſio omnium fidelium de præcepto diuino poſitiuo faciat euidentiam moralem de illo? n. 16. remiſſiue. p.714

Et an ideò hæc aſſertio habeat prædictam euidentiam? ibid.

An eiuſmodi perſuaſio reperiatur in omnibus fidelibus, quoties ea reperitur in omnibus Doctoribus Theologis? ibid.

An omnes vno ore Theologi tradant hanc obligationem ex inſtitutione Chriſti? numero 17. ibidem.

An praxis omnium fidelium, cuius non cognoſcitur initium, credatur deſcendere ex traditione Apoſtolica, ſecundum Auguſtinum? à n.18. ibid.

Quomodo praxis Eccleſiæ vniuerſalis ſit regula indubitabilis? num.20. ibid.

Quàm indubitanter tradant Theologi hanc obligationem? à num.22. ibid.

An hæc aſſertio ſit de fide, vel ſaltem concluſio Theologica? num. 24. ibid.& ſeq.

Cap. III. Eadem veritas oſtenditur ex pluribus inter ſe mutuò collatis textibus Concilij Tridentini. p.715

An qui in confeſſione oblitus eſt peccati, cùm poſtea recordatur, habeat conſcientiam illius? num.28. p.715.& num. 51. p.718

Et quomodo id ita eſſe inferatur ex Concilio? ibidem.

Sectarij affirmabant, in Eccleſia doceri obligationem confitendi peccata, etiam ea, quorum quis non recordatur. num.34. p.717

Inde ſenſus legitimus duodecimi textus. num.35. ibidem.

Dum Concilium excludit peccata, quorum quis non recordatur, euidens eſt, quod loquitur de illis, dum memoriam ſubterfugiunt. à numero 37. ibidem.

Quomodo peccata oblita in confeſſione, in illa intelligantur in vniuerſum *incluſa?* numero 42. pag.718

Cap. I V. Rationibus oſtenditur eadem veritas. pag.718

Qua ratione, qui oblitus eſt peccati in alia confeſſione, & in alia recordatur illius, ſciat, ſe non eſſe confeſſum eo modo, quo requirit Concilium? à n.45. ibidem.

Quomodo teneatur confeſſarius æquitatem ſeruare in pœnis iniungendis? à num.50. ibid.

An qui oblitus eſt peccati in confeſſione, illud maneat nondum ſubiectum clauibus? à n.53. p.719

An ſint duæ claues in Sacramento Pœnitentiæ, ad abſoluendum, & ad imponendam pœnam pro qualitate delicti? ibid.

An peccatum oblitum in vna confeſſione, nondum ſit delatum Sacerdoti vt Medico. numero 56. p.719

An Concilium ab obligatione generali confitendi mortalia ſolùm excipiat oblita, dum oblita ſunt? num.57. ibid.

Cap.V. Quatuor alia argumenta pro eadem veritate. p.720

An iuxta Tridentinum teneantur fideles confiteri ſingula peccata in ſpecie, dum non fuerit impoſſibile. num.58. ibid.

Et quid inde pro concluſione? ibid.

An ex impoſſibilitate confitendi, quam fingebant ſectarij, & excludit Concilium, arguatur obligatio confitendi peccata oblita, quæ ad memoriam redeunt? à num.59. ibid.

An quando duæ propoſitiones ſunt euidenter æquipollentes, ſi vna definitur à Concilio, definiatur etiam altera? num.62. ibid.

Quomodo concluſio tradita æquipolleat propoſitioni definitæ in Concilio? à num.63. ibid.

An iuxta Concilium non ſufficiat, peccata in confeſſione includi in vniuerſum, *ſed in ſpecie & ſingillatim?* num.69. p.721

Et an peccata oblita, in confeſſione dumtaxat in vniuerſum *includantur?* ibid.

Cap. V I. Recenſentur breuiter propoſitiones in Concilio definitæ, in quibus continetur noſtra concluſio. p.721

Cap. V I I. Soluuntur, & in Authorem reflectuntur duo priora argumenta Murciæ, & de dolo ſophiſtico accuſantur. p.722

Quot modis primum argumentum militet contra ſuum Authorem? à num.88. ibid.

Detegitur æquiuocatio eius argumenti. num. 89. pag.723

An ſyllogiſmus Murciæ ſcateat quatuor terminis? à num.90. ibid.

Quomodo in eo varientur proprietates terminorum? à num.93. ibid.

Et quomodo is terminus, Peccata oblita, *in minori ſumatur in ſenſu compoſito, & in concluſione in ſenſu diuiſo?* ibid.

Quot vitiis laboret ſecundum argumentum? à num. 96. p.724

An ſophiſticetur iiſdem modis, ac præcedens? à num.100. ibid.

Cap.V I I I. Conuelluntur eodem modo quinque alia argumenta Murciæ. p.725

Quomodo textus Concilij allatus pro ſe à Murcia, militet apertè contra ipſum? num. 103. ibid.

An non ſatis conſtet ex Concilio obligatio confitendi peccata oblita, quæ ad memoriam redeunt? à n.109. ibid.& ſeq.

Vel an id ſit dubium? num. 112. p.626

Et quid attenta perſuaſione omnium fidelium de prædicta obligatione? remiſſiuè. ibid.

An lex de confeſſione ſit pœnalis & odioſa? n.113. ibidem.

Cap. I X. Soluitur, & impugnatur octauum argumentum. p.726

In concluſione eius ſyllogiſmi ponitur termi-

mu, qui non fuerat in præmiſſis. num. 117. ibid.

Quare peccatum reſeruatum oblitum in confeſſione facta tempore Iubilæi, poſſit tranſacto tempore Iubilæi abſolui à confeſſario inferiori? num. 118. ibidem.

An falſum ſit, quod pœnitens tempore Iubilæi abſolutus fuerit directè à peccato reſeruato oblito? num. 119. p.727

Cap. X. Minor prædicti argumenti ſpecialiter impugnatur. p.727

An peccata oblita in confeſſione, eo ipſo maneant ſubiecta clauibus directè? à numero 120. ibidem.

Pro parte affirmante, quam tuetur Murcia, affert viginti & vnum Authores, ex quibus vnus duntaxat Iuriſperitus eam tenet. à numero 121. ibidem.

Relati Authores dicunt, tempore Iubilæi manere pœnitentem directè abſolutum ab excommunicatione & reſeruatione peccati etiam obliti. à num. eod. ibidem.

Qui bona fide confitetur reſeruata, & non reſeruata inferiori confeſſario, indirectè abſoluitur à reſeruatis. num. 124. p.728

Tunc pœnitens abſoluitur indirectè à peccato, quando abſoluitur ratione alterius, id eſt, ex connexione cum alio, & dependentia ab illo. num. 125. ibidem.

Idem eſt connexio rei cum aliquo, ac dependentia ab illo. num. 126. ibid.

Quando abſoluit Sacerdos ab vno peccato independenter ab alio, & non è conuerſo, à primo abſoluit directè, & à ſecundo indirectè. à num. 127. ibidem.

An Sacerdos abſoluat à peccatis oblitis dependenter ab abſolutione expreſſorum, & non è conuerſo? num. 130. p.728

Quomodo explicanda ſit dependentia, quæ conſtituit abſolutionem indirectam? à numero 132. ibidem.

An iudicium non procedat directè, niſi in cauſam cognitam? num. 136. p.729

Et an ideò nemo abſoluatur directè ab oblitis? ibidem.

An peccata oblita propriè non ſubiiciantur clauibus? num. 137. p.729

Cap. XI. Diſſoluuntur obiectiones aduerſus doctrinam capitis præcedentis. p.729

An licet Sacerdos intendat abſoluere ab oblitis, abſoluat ab illis indirectè, quia dependenter ab expreſſis? num. 141. ibid.

An hæc forma, Abſoluo te à peccatis confeſſis; & hæc, Abſoluo te ab omnibus peccatis, nihil differant quoad extenſionem abſolutionis, neque quoad modum directum & indirectum? num. 144. ibidem.

An ſit contra inſtitutionem Sacramenti dicere, Abſoluo te à peccatis confeſſis? Et id ſit in damnum pœnitentis? num. 145. p.730

Quomodo peccatum oblitum abſoluatur, non ratione ſui, ſed ratione alterius? numero 148. ibidem.

Quomodo priùs abſoluatur quis à peccato expreſſo, & poſtea ab oblito? numero 149. ibid.

An peccatum oblitum abſoluatur in ſe immediatè? num. 150. ibid.

Cap. XII. Nihil prodeſſe authoritatem extrinſecam pro oppoſita opinatione allatam. p.730

An ea opinatio ſit probabilis ex authoritate quatuordecim Theologorum ſubſcribentium? à num. 152. ibidem.

An contra propoſitionem ex principiis fidei certò illatam, non ſufficiat ingens Theologorum turba? num. 153. remiſſiuè. ibid.

An non ſufficiant plures Authores, quando concluſionem tradunt leui fundamento innixam? n. 154 remiſſiuè. p.731

An Theologi, quorum doctrina eſt nobis incognita, faciant apud nos probabilitatem? num. 155. remiſſiuè. ibid.

Et quid, ſi nec nomina nobis nota ſint? num. 156 ibidem.

Cap. XIII. Impugnatur oppoſita aſſertio, eo quod ex parte à ſacro Fidei Tribunali damnata fuerit, & in totum ab Alexandro VII. pag. 731

Tribunal fidei Hiſpanicum expunxit in Petro Cornejo propoſitionem, quæ aſſerit, non teneri quem confiteri peccatum oblitum in confeſſione præuia ad communionem. num. 157. ibid.

Reſponſio prima Murciæ cum enormi inconſequentia. à num. 158. ibid.

Ait ſecundò Murcia, cùm quis confeſſus eſt præuiè ad communionem, non teneri ad confitendum peccatum in ea confeſſione oblitum. num. 160. p.731

Pro ea opinatione citat octo Authores, cum magna iniuria veritatis. ibid.

Et hi tenent oppoſitam ſententiam. à num. 160. ibidem.

Diſcutiuntur teſtimonia prædictorum Theologorum. à num. 162. p.732

Illi ſolùm id docent in caſu, quo quis ſit in ſcamno communicantium, & tunc recordetur peccati obliti; eumque non teneri ſurgere ad confitendum, vel ratione ſcandali, aut infamia, vel ratione irreuerentiæ. à num. eod. ibid.

An qui poſt confeſſionem communioni præuiam recordatur peccati priùs obliti, habeat conſcientiam eius peccati? num. 171. p.733

An Eccleſiaſtica conſuetudo (de qua Concilium) declarans obligationem confitendi ante communionem, ſit de confitendo ante communionem omnia mortalia nondum confeſſa? num. 172. ibid.

An prohibitio Inquiſitionis reddat propoſitionem intrinſecè improbabilem? numero 173. ibidem.

An propoſitio maneat probabilis poſt damnationem Romani Pontificis? à num. 175. remiſſiuè. ibidem.

An ea propoſitio Petri Cornejo habeat contra ſe argumentum euidens, & id cognitum fuerit à Tribunali fidei? num. 176. p.734

Quid de prohibitione aſſertionis aientis B. Mariam conceptam in originali? numero 177. ibidem.

An reliquæ propoſitiones non expungantur, niſi ob paruitatem doctrinæ? numero 178. ibidem.

Ait Murcia, eam propoſitionem Petri Cornejo prohibitam eſſe, non ob falſitatem, ſed ob alia inconuenientia vitanda. ibid.

An ea inconuenientia aſſignata à Murcia, reddant eam propoſitionem improbabilem; num. 179. ibid.

An ſi licitum ſit tacere peccatum oblitum, ad memoriam rediens ante communionem; tacere illud, ſit contra reuerentiam Euchariſtiæ? num. 180. pag. 734

Examinatur

Digitized by Google

Examinatur aliud inconueniens, nempe ne cadat pius mos confitendi peccata oblita ante communionem. num. 182. ibid.

An ad retinendum pium morem non obligatorium, expungat Eccleſia propoſitionem, quæ ait non eſſe obligatorium? ibid.

Damnatio eius opinionis, in totum facta ab Alexandro VII. num. 183. ibid.

DISPVTATIO LI.

An ille, qui confeſſus eſt peccatum vt dubium, & poſtea certò recordatur illius, teneatur illud confiteri vt certum? p.734

Cap.I. STatus quæſtionis, & pars negatiua. ibidem.

Pœnitens, qui ſcienter peccatum certum confitetur vt dubium, peccat. a num.1. ibid.

Cap. II. Certam eſſe partem affirmatiuam. pag.735

Peccata ita confitenda, vt poſſit ſeruari æquitas in pœnis. a num.8. ibid.

Clauium Eccleſiæ vna ad abſoluendum conceſſa, altera ad ligandum. à num. 11. ibid.

An peccato certo, & dubio debeatur eadem pœna. à num.14. p.736

Peccatum mortale debet ſubiici vtrique claui. à à num.18. ibid.

Et hoc non facit, qui illud confitetur vt dubium. à num.20. ibid.

Cap. III. Alia argumenta pro certitudine eiuſdem concluſionis. p.736

Præmiſſæ obiectionis ſunt probabiles in ſenſu compoſito. a num.30. ibid.

Quomodo vitientur. à num.31. ibid.

Vnum vel duo peccata non variant iudicium quoad clauem ſecundam. à num.36. p.738

Cap. IV. Prima obiectio diſſoluitur, & debellatur. p.737

Cap. V. Secunda obiectio eneruatur, & conuincitur. p.738

Pœnitens non abſoluitur indirectè à peccato dubio. à num.46. p.739

Et abſolutus directè à dubio peccato, nondum illud ſubiecit ſecundæ claui. à num.48. p.739.

Confeſſarius inferior non abſoluit directè à reſeruato dubio. à num.53. ibid.& ſeq.

Refutatur paritas Caramuelis ab excommunicatione dubia. à num.54. p.540

Confeſſarius inferior non abſoluit ab excommunicatione reſeruata dubia. à num.56. ibid.

DISPVTATIO LII.

An elapſo termino Paſchali confeſſionis, & communionis annuæ eximantur fideles ab onere confitendi, & communicandi quamprimùm? pag.740

Cap.I. SEntentia affirmatiua plurimorum. ibid.

Proponitur opinio affirmatiua à paritate aliorum præceptorum. à num.3. ibid.

Sed oſtenditur diſparitas. num.5. p.741

Cap.II. Quàm ſit certa oppoſita ſententia? p.742

Paſtores licitè puniunt eos, qui tranſacto tempore Paſchali non communicant. à num.7. ibid.

Cap. III. Duo alia argumenta pro eadem concluſione. p.742

Leges obligant eo modo, quo vſu receptæ. à num.18. ibidem.

Conſuetudo accedens legi euidenter oſtendit obligationem. à num.21. ibid.

Cap. IV. Duo alia argumenta pro eadem concluſione. p.743

Oſtenditur prorogatio obligationis quam habent fideles communicandi vltra tempus Paſchale. à n.32. ibidem.

Cap.V. Satisfit argumento partis oppoſitæ. p.754

Præceptum communicandi in Paſchate in multis differt ab aliis præceptis. à num.34. ibid.

Et afferuntur diſparitates. à num.35. ibid.

Cap.VI. An oppoſita opinio fulciatur probabilitate extrinſeca? p.744

Duplex ſenſus quæſtionis exponitur, & oſtenditur certitudo opinionis Authoris. à num. 39. ibid.

Pars negans obligationem non loquitur attenta praxi. à num.45. p.745

DISPVTATIO LIII.

An omnia peccata luxuriæ contra naturam ſint eiuſdem ſpeciei infimæ? p.746

Cap.I. QVid ſenſerit Caramuel cum paucis aliis? ibidem.

Alexander VII. damnauit propoſitionem aſſerentem peccata contra naturam eſſe vnius ſpeciei infimæ. num.1. p.746

Cap. II. An Sanctus Thomas ſuffragium afferat ſententiæ affirmatiuæ relatæ? p.747

Caramuel malè intelligit mentem D. Thomæ, qui per diuerſos modos ponit diuerſitatem ſpecificam: ad quod varij afferuntur textus D. Thomæ. à num.8. & ſeqq. p.747. & 748. & num.22. p.749

S. Thomas ponit diuerſas ſpecies contra naturam. à num.18. p.748

Theologi incogniti non faciunt probabilitatem. num.20. p.749

Teſtes nihil proſunt contra oculorum experientiam. à num.21. ibid.

Cap. III. An aliqui ſcriptores negent eam diſtinctionem ſpecificam? p.749

Vindicantur varij Authores ab iniuria Caramuelis. à num.50. ibid.& ſeq.

An tota ratio malitiæ peccati contra naturam ſtet in negatione vaſis debiti. à num.55. p.752

An beſtialitas differat ſpecie à coitu cum dæmone. à num.57. p.753

Cap. IV. Omnes Theologi tuentur diuerſitatem ſpecificam voluptatum contra-naturalium. pag.755.

Cap. V. Præmittuntur aliqua de diuerſitate ſpecifica. p.756

Quanta diuerſitas requiratur vt ſit ſpecifica. Et an iudicium prudens ſit eius menſura. à num. 89. ibidem.

An dentur indicia diuerſitatis ſpecificæ. à n.94. Ibidem.

Digitized by Google

CAP. VI. Oſtenditur morali euidentia diuerſitas ſpecifica peccatorum contra-naturalium. p.757

An iudicium prudentum ſit menſura diuerſitatis ſpecificæ. à num.99.& 102. ibid.

Quando communis Doctorum faciat euidentiam moralem. à num.100. ibid.

An diuerſitas ſpecifica ſit maxima. num. 107. pag.758

CAP. VII. Roboratur concluſio tradita impugnatione oppoſitæ aſſertionis. p.758

An tota ratio malitiæ contra-naturalis in peccatis luxuriæ ſit effuſio ſeminis extra vas. à num. 111. pag.759

CAP. VIII. Inſtantiæ Caramuelis diſſoluuntur. pag.759.

An numerus Doctorum ſuffragantium alicui ſententiæ addat probabilitatem. à num.124. p.760

An omnes Doctores agnoſcant diuerſitatem ſpecificam in peccatis luxuriæ contra-naturalibus. à num.126. ibid.

CAP. IX. An ſi peccata contra-naturalia ſint eiuſdem ſpeciei infimæ, inferatur, circumſtantias eorum non eſſe confitendas? p.760

Quid in alia editione docuerit Caramuel. à n.133 p.761

An vt exponatur numerus peccatorum, ſint etiam confitendæ circumſtantiæ. num.135. ibid.

An circumſtantiæ pertineant ad differentiam numericam. num.136. ibid.

An ratio communis determinet ad differentiam numericam. à num.137. ibid.

CAP. X. Obiectiones Caramuelis diſſoluuntur. pag.762

Art. j. Duæ obiectiones ex primo Decalogi præcepto. ibid.

An pœnitens teneatur ſpeciales circumſtantias confiteri, quæ ſpeciem non variant, vt numerus peccatorum in confeſſione exponatur. à à num.140. ibid.

An numerus peccatorum poſſit explicari, non explicatis circumſtantiis. à numero 144. ibidem.

Art.ij. Tres aliæ obiectiones circa ſecundum, & tertium præceptum. p.763

An abſtinentia à carnibus differat ſpecie ab vnica comeſtione. num.149. ibid.

Auditio Miſſæ differt ſpecie à vacatione ſeruilium. num. 150. ibid.

An omittens in vna Miſſa oblationem, in alia conſecrationem, in alia communionem, committat tria peccata ſpecie diuerſa. à n.152 ibidem.

Art.iij. Aliæ duæ obiectiones circa quartum præceptum. p.764

An conſanguinitas differat ſpecie ab affinitate. à num.153. ibid.

An inceſtus primi gradus differat ſpecie ab inceſtu aliorum graduum. à numero 158. ibidem.

Art. iv. Altera obiectio circa ſextum præceptum. p.765

An copula conſummata ſit certò explicanda. à num.161. ibid.

An deciſio ſeminis, & actio in qua non deciditur, ſpecie differant. num.163. ibid.

An copula conſummata ſit explicanda ex inſtitutione Chriſti. num. 164. ibid.

An occiſio & vulneratio ſint explicanda diſtinctè. num.165. ibid.

Et quid ſi non differrent ſpecie. ibid.

Art.v. Obiectio alia circa idem præceptum ſextum. p.765

An ſolutus peccans cum coniugata, peccet in duplici ſpecie. à num.168. p.766

An operatio, & cooperatio ſint in confeſſione explicanda. à num.175. ibid.

An in adulterio duplicato ſint duæ operationes. num.177. ibid.

An in ſacrilegio duplicato vtriuſque votum ſit explicandum. à num.178. p.767

Art.vj. Aliæ obiectiones circa reliqua præcepta. p.767

An circumſtantiæ ſint exponendæ ad explicandam diuerſitatem numericam. à num.183. ibidem.

CAP. XI. An ſententia Caramuelis ſubeat damnationem Alexandri VII. p.767

An Caramuel admittat oppoſitam opinionem tanquam probabilem. à num.189. p.768

An opinio Caramuelis de vnitate ſpecifica peccatorum contra-naturalium ſit antiquata vi decreti Alexandri VII. à num.220. ibid.

DISPVTATIO LIV.

An actus ſit illicitus, qui ponit pro conditione excluſionem malitiæ? Vbi de deſiderio, quod actio non ſit illicita. p.769

CAP. I. QVæ ſit ſententia Caramuelis, quæ aliorum? ibid.

An conditio negans auferat malitiam negatam. à num.6. ibid.

An in deſiderio conditionato actus illiciti ſit aliquid peccaminoſum præter malitiam negatam. ibid.

An deſideria à Caramuele propoſita æquivaleant actibus conditionatis. num.9. ibid.

Caramuel paruipendit argumenta P. Th. Sanchez, diminutè propoſita. à num. 12. ibid.

Sed integra proponuntur. à num.17. p.771

CAP. II. Præmittuntur aliqua ad reſolutionem huius controuerſiæ. p.772

Actus ſpecificatur ab obiecto, prout proponitur intellectui, non vt eſt in ſe. num.28. ibid.

An ex quolibet impoſſibili inferatur vtraque pars contradictionis. num. 29. ibid.

Regula ad dignoſcendum quando infertur vtraque pars contradictionis; quando non. à num.30. p.773

CAP. III. Actus eiuſmodi conditionatos deſiderij plerumque eſſe licitos. p.773

Quomodo ex actu impoſſibili non inferatur vtraque pars contradictionis. à num.36. ibid.

CAP. IV. Eos actus, affectos conditione excludente malitiam, plerumque eſſe illicitos. p.774

An poſſit eſſe actus malus, qui nullam habeat malitiam ex parte obiecti. num.41. ibid.

An Deus poſſit prohibere actum, cuius conditio excludit malitiam. num.42. ibid.

An actus contemnens Deum, aut perſonam beatam ſub conditione excludente malitiam, ſit malus. à num.43. ibid.

An ſit malum velle occiſionem Petri ſub conditione ſi non eſſet malum. à num.45. ibid.

Quando ſit peccatum velle ſub conditione luxuriam. num.49. p.775

An

Digitized by Google

An ſit malum velle hæreſim ſub conditione quod non eſſet peccatum. num. 51. ibid.

An ſit malum velle periurium ſub eadem conditione. num. 52. ibid.

CAP. V. Actus deſiderantes, actionem, etiam iure naturæ vetitam, eſſe licitam, quandoque eſſe licitos, quandoque illicitos. p.775

CAP. VI. An eiuſmodi deſiderium requirat finem bonum, vt illud ſit illicitum? p.776

CAP. VII. Soluuntur argumenta ex P. Thoma Sanchez relata capite primo. p.777

Actus efficax conditionatus non fertur in totam ſubſtantiam actionis, qualis eſt in ſtatu abſoluto, ſed qualis eſt in ſtatu conditionato. num. 79. p.778

ADDITIONES.

Ad diſp. IV. *num.* 27.

QVi accedit ad Euchariſtiam, nullius culpa lethalis ſibi conſcius, habet probabilitatem de ſua iuſtificatione, & nullam habet probabilitatem de carentia iuſtificationis. num. 1. p.778

Ad diſp. IV. *num.* 60.

Non probatur ſufficienter concluſio per ſolam ſolutionem obiectionum partis aduerſæ. num. 2. ibid.

Et an ideò probabilis ſolutio obiectionum non neceſſariò naſcatur à probabilitate concluſionis? num. 4 ibidem.

Ad diſp. IV. *num.* 113.

Homo nullius culpa lethalis conſcius habet probabilitatem de ſua iuſtificatione, quin habeat probabilitatem de carentia iuſtificationis; nec tamen ideò eſt certus de ſua iuſtificatione. num. 5. p.778

Et an ideò carentia probabilitatis pro vna parte non faciat partem oppoſitam tranſire ad ſtatum certitudinis? ibid.

In aliquibus caſibus fundamentum duntaxat probabile, nullo ex oppoſita parte contradicente, tranſit in certum. num. 6. ibid.

Ad diſp. IV. *cap.* 10 *fin.*

Vnus teſtis omni exceptione maior, nullo contradicente, facit probationem plenam, ſi non agitur de de præiudicio tertij. num. 7. p.778

Vnus teſtis omni exceptione maior deponens de Baptiſmo alicuius, facit plenam fidem, nemine contradicente. ibid.

Nec propterea quidquid probabile tranſit in certitudinem, cùm nihil in oppoſitum obiicitur. ibid.

Ad diſp. VI. *num.* 269.

Pharmacopola non in qualicumque dubio poteſt negare venenum emptori, ſed ſolùm quando eſt periculum probabile. num. 8. p.779

Periculum probabile componitur cum dubitatione. ibidem.

Ad diſp. IX. *num.* 93.

An quando Pontifex loquens è cathedra, decernit, propoſitionem eſſe temerariam, ſcandaloſam, &c. ſit erroneum negare, illam propoſitionem eſſe talem? num. 9. p.779

Ad diſp. X. *num.* 80.

Quomodo hæc conſequentia, Probabile eſt, quod hoc non ſit peccatum: ergo certum eſt, quod ſi illud fecero, non peccabo, *valeat, quomodo non valeat?* à num. 10. p.779

Ad diſp. XI. *num.* 303.

An confeſſarius ſequi debeat opinionem pœnitentis? num. 14. ibid.

Confeſſarius nequit negare abſolutionem defectu propoſiti emendationis ei pœnitenti, qui habet propoſitum operandi id, quod eſt licitum. num. 16. ibid.

Qui habet propoſitum operandi ſecundum opinionem propriam probabilem, propoſitum habet operandi id quod eſt licitum. ibid.

Et quid inde pro noſtra concluſione? ibid.

An exemplum Caramuelis de puero ignorante inuincibiliter malitiam mollicici, non ſit ad rem? à num. 17. ibid.

Et an malè Baron ad illud reſpondeat? num. 19. pag. 780

An dari poſſit ingnorantia inuincibilis iuris naturalis, v.g. malitiæ delectationis moroſæ? ibid.

An ea aſſertio, quod [Confeſſarius debet ſequi opinionem pœnitentis, non ſuam,] ſit in ordine ad propoſitum emendationis? num. 22. ibid.

Qua ratione hic locum habeat, quod ægrotus arte Medici, non ſua curandus ſit? Numquid parêre debet arti in iis, quæ valetudini non nocent? n. 23. ibidem.

Ad diſp. XXXII. *num.* 46.

Teſtimonium de quodam aſſerto pio P. Suarij. n. 24. pag. 780

Ad diſp. XLVII. *cap.* 7. *in fine quartæ concluſionis.*

Motiuum probabile aliquando facit probationem plenam ex adiunctis coniecturis, & nullo fundamento ex oppoſita parte obiecto. num. 25. ibid.

Etſi ſit tale motiuum pro commiſſione peccati, homo erit moraliter certus, ideóque tenebitur illud confiteri. ibid.

Ad diſp. XII. *cap.* 5. *fin.*

CAP. VI. Qua ratione vera ſit ea Iuriſperitorum aſſertio, quod opinio communis habenda eſt pro lege? p.780

Sententia Iuriſprudentum, cui Recentiores Theologi reſiſtunt. num. 26. ibid.

Vera eſt ea aſſertio Iuriſprudentum rectè intellecta. num. 27. p.781

Sententia omnium, aut ferè omnium Authorum in materia legis humanæ, vt in plurimum habenda eſt pro lege. à num. 28. ibid.

Lex humana accipit euidentem interpretationem à conſuetudine. num. 31. ibid.

Certò dignoſcitur conſuetudo ex atteſtatione peritorum, qui faciunt euidentiam, vtpote in quæſtione facti. num. 32. & 33. ibid.

In quæſtionibus, quæ pendent à ſignificatione vocum, ſententia omnium, aut ferè omnium Authorum facit euidentiam. num. 34. ibid.

Aſſertiones in materia legis humanæ, vt in plurimum pendent à ſenſu verborum legis, & à ſenſu, in quo eam populus conſuetudine recepit. à num. 35. ibidem.

Et quid inde pro concluſione? ibid.

In ea quæſtione, [An ieiunium quatuor temporum ſit grauiter obligatorium;] ſententia ferè omnium Authorum facit euidentiam, tam ex ſenſu verborum, quàm ex atteſtatione conſuetudinis interpretantis legem. num. 37. p.781

Quam euidentiam eodem modo facit ſententia ferè omnium Authorum de obligatione Diaconi, & Subdiaconi de recitatione officij canonici. num. 38. ibidem.

Id ita eſſe intelligitur, quando ſententia omnium verſatur circa intelligentiam legis, non autem quando verſatur circa alias qualitates legis. num. 39. ibidem.

Sententia, quæ non eſt omnium Authorum non facit euidentiam, niſi numero & authoritate adeò excedant,

Digitized by Google

Series Tractat. Diſp. Capitum, & Artic.

excedant, vt hic exceſſus faciat plenam probationem. num. 40. ibid.

Ad numerum 23. harum additionum.

An confeſſarius teneatur accommodare ſe opinioni pœnitentis, verſantis circa poteſtatem abſoluendi hic & nunc? num. 41. p. 782

Si pœnitens nullum veniale confiteatur, nulli opinioni poteſt ſe accommodare confeſſarius ad abſoluendum, quia nunquam poteſt abſoluere cum ſola iuriſdictione probabili. num. 43. ibid.

Peccat lethaliter confeſſarius, qui decernens non abſoluere pœnitentem, adhuc audit peccata lethalia eius. num. 44. ibid.

Quod ſi audit aduertendo ad meram probabilitatem, quæ tunc adeſt, tenetur abſoluere, ſi probabiliter poteſt. ibid.

Id autem non prouenit ex eo quod debeat accommodare ſe opinioni pœnitentis. ibid.

Confeſſarius, ſi poſtquam incepit audire peccata pœnitentis, aduertit, adeſſe ſibi iuriſdictionem merè probabilem, cui non aſſentitur, & pro cuius aſſertione ſtat pœnitens, non tenetur cedere opinioni pœnitentis. à num. 45. ibid.

Ad diſp. VII. *cap. 1. num. 4.*

Caramuel præmiſſas dicit eſſe incomprobabiles, quæ non ab eodem Authore admittuntur. n. 48. p. 782

Et præmiſſæ ibi relatæ, quas dicit incomprobabiles, ab eodem, imò ab eiſdem Authoribus admittuntur. num. 49. ibid.

Quàm malè definiatur à Caramuele incompoſſibilitas opinionum? num. 50. ibid.

An detur incomprobabilitas extrinſeca? num. 51. ibidem.

Præmiſſas eſſe incomprobabiles, eſt quod improbabilis ſit connectio vtriuſque. num. 54. p. 783

A ſola authoritate nequeunt eſſe incomprobabiles, niſi raro, & in illis materiis, in quibus authoritas facit certitudinem. ibid.

Datur incomprobabilitas poſitiua & negatiua. Et quæ vtraque ſit? num. 60. ibid.

Ad diſp. XLVI. *num. 63.*

Quare ſcrupuloſo liceat non confiteri peccata dubia? num. 56. p. 783

Id eſt ratione magni detrimenti, quod illi imminet. ibidem.

Diſparitas quoad hoc inter ſcrupuloſum, & non ſcrupuloſum. num. 58. ibid.

Ad diſp. XVI. *num. 133.* p. 783

Ad diſp. IX. *num. 239.* ibid.

Ad diſp. XLIV. *cap. 10. fine.* p. 784

An qui furatus eſt ſub intentione mœchandi, rectè confiteatur dicendo: [Toties furatus ſum: toties mœchatus;] ſubticendo ordinem furti ad mœchiam, à num. 65. ibid.

TRACTA

Digitized by Google

TRACTATVS PRIMVS DE PROBABILITATE OPINIONVM:

VBI PRÆCIPVA ETIAM CAPITA NOVÆ Logicæ Moralis exauthorantur.

PROOEMIVM.

MATERIA hæc de probabilitate, nimis eſt ſubtilis,& metaphyſica:replicat enim ſæpius reflexionem, qua intellectus ſupra ſuos actus reflectitur; & quæ ideò ſubtili, & attenta mentis acie indiget. Hinc eſt, quod D. Ioannes Caramuel, vt eſt ingenij ſubtilitate præditus, quaſdam pro materiis, præcipuè Theologiæ moralis, dialecticas regulas ſtatuere conatus ſit, illas quidem maxima ex parte fundatas ſuper probabilitate actuum opinatiuorum; ſupra quam reflectens intellectus aliter diſcurrere debet, atque cùm directè diſcurrit circa obiecta eorumdem actuum.

Has regulas putat Caramuel eſſe euidentes, in quo quidem egregiè decipitur. Exiſtimo eas eſſe manifeſtè falſas; & quia plurimas in re morali conſequentias parturiunt, poſſe maximum præiudicium afferre ſinceritati veritatis theologicæ.Ideò decreui ante omnia de hac materia probabilitatis tractare: tum quia cenſeo, multaque de hac materia diſſerit ille Author,à veritate nimis exorbitare: tum præcipuè vt eas conſequentias compeſcam,quæ ex adulterinis Dialecticæ regulis ſcaturire poſſunt. Quæ autem hæ regulæ ſint, in ſingulis diſputationibus proportionatè ad harum materiam adnotabo.

Digitized by Google

DISPVTATIO I.

Quid ſit opinio probabilis, & quomodo differat à concluſione certa, & improbabili?

CAPVT I.

Logica noua primum vitium corripitur.

1. VT rerum omnium, ita litterarum quoque intemperantiâ laboramus, optimè dixit Seneca, & in æuum noſtrum potiùs conuenit: nunquam enim in vnoquoque ordine intemperantia maior, quàm cùm vitia corripienda laudantur, virtutes extollendæ corripiuntur. Hucvſque prima baſis omnium ſcientiarum, omnium concluſionum, & ſententiarum, quas Doctores tradiderant, erat definitio rei tractandæ: omneſque ſibi in animum induxerant, nihil ſtabile, nihil firmum concludi poſſe, niſi priùs definitio ſuis formalibus terminis librata conſiſteret. Laus doctrinæ cenſebatur, ſi primam ſcientiæ ſedem definitioni tribueremus.

Definitio baſis prima ſcientiarum.

2. Sed ecce Caramuel, quaſi nouam Dialecticam in Litterariam Rempublicam inuecturus, definitiones carpit, quaſi non modò inutiles, ſed & aliquando noxias, vtpote non bene explicantes eſſentiam rei, neque clariores ſuis definitis. Ita *in Theolog. fundament. num.* 859. *fund.* 36. in hæc verba. [Aliquando contingit, definitiones, quæ putantur clariores definito, ita eſſe obſcuras, vt illud ruſticus, hanc vix ſapiens intelligat. Notauit hoc Carteſius, noto & ego. Quod vt non ſolùm notem, ſed demonſtrem, pictorem in medio produco: illi coram te iubeo, vt qualitate viſibili viſus congregatiua tabulam pingat; & in ea, *qualitate viſibili viſus diſgregatiua delineet Alexandrum.* An me intelliget? minimè. Iubebo igitur, *vt in tabula nigra colore albo, Alexandrum efformet*: & ſtatim me intelligens oſtendet, ſæpe definitiones eſſe obſcuriores definitis, & errare Doctores, dum res claras, & vniuerſis notas volunt dilucidare.] Et idem tradit *num.* 1129.

Ait Caram. definitiones obſcuriores definito.

3. Non errant Doctores in definitionibus tradendis ad explicandas eſſentias rerum: ſed periodus proximè relata quadrupliciter errat. Primò, quia conatur euertere funditus eſſentiam definitionis logicæ. Nam vel eſt verum, quod Logica docet, nempe, quod definitio eſt, quæ explicat eſſentiam rei; vel id non eſt verum. Si primum dicas cum omnibus Dialecticis, infero: Ergo omnis definitio eſt clarior ſuo definito. Niſi velis concedere, definitionem eſſe explicatiorem ſuo definito, non verò clariorem, quod erit nugari terminis. Explicare eſt clarum facere, eſt transferre de minùs claro ad magis clarum: ergo ſi definitio explicat eſſentiam rei, transferr de minùs claro ad magis clarum. Quod qua ratione fieri poteſt, niſi per terminos magis claros? Ergo omnis definitio eſt magis clara, quàm definitum.

Eſſentiã definitionis negat, qui non concedit clariorem definito.

4. Præterea *explicare*, vel *declarare*, opponitur confuſo, & confuſioni. Et quia prædicata eſſentialia non diſtinguit intellectus inter ſe, & ab accidentalibus per hunc conceptum, *Homo*; ſed potiùs illa cognoſcit cognitione confuſa, vel potiùs cognitione quodammodo confundente eſſentialia & accidentalia; ideò hic conceptus, *Homo*, ſiue definitum, dicitur obſcurum, ſiue confuſum. At verò per hunc conceptum, *Animal rationale*, diſtinguit intellectus ea duo prædicata eſſentialia, & inter ſe, & ab accidentalibus: quare per iſtum conceptum non cognoſcit illa, confundendo ea, ſed potiùs diſtinguendo, & hoc eſt declarare, & explicare. Ecce ergo quomodo, & in quo ſenſu definitio eſt clarior ſuo definito.

Quod ſi ſecundum dicas, id eſt, negas, definitionem eſſe orationem explicantem eſſentiam rei; negas propoſitionem per ſe notam, primum principium dialecticum, nouas eſſentias rerum vis pro tuo libito confingere. Si negas definitionem eſſe orationem explicantem eſſentiam rei, duas contradictorias admittis, dum rem admittis ſine ſua eſſentia: nam res ſine ſua eſſentia, eſt, & non eſt: ſicut ſi negas, hominem eſſe animal rationale; cùm in homine, velis, nolis, includatur animal rationale: dum dicis hominem, admittis animal rationale, quod poſteà negas. Sic etiam nomine definitionis intelligunt omnes orationem explicantem eſſentiam rei: hæc prædicata ſunt imbibita in nomine, *Definitio*: quare dum dicis, *Definitio*, includis illa prædicata eſſentialia, quæ poſtea negas. Et ita hæc, quam ponis propoſitio, *Definitio non declarat ſuum definitum*: æquiualet huic, *Oratio explicans eſſentiam rei, non explicat ſuum definitum*: quæ includit duo condictoria, vt ex terminis patet. 5.

Rurſus, vel hæc definitio, *Albedo eſt qualitas viſibilis diſgregatiua viſus*, eſt omninò explicans eſſentiam rei, vel non. Si ſecundum dicas, colligo: Ergo illa eſt mala definitio; vel potiùs ſic: ergo illa non eſt definitio. Si verò primum dicas, infero: ergo illa explicat eſſentiam albedinis: ergo eſt conceptus diſtinguens prædicata eſſentialia albedinis inter ſe, & ab accidentalibus; quæ prædicata confusè clauduntur in hoc conceptu, *Albedo*: ergo eſt conceptus magis diſtinctè cognoſcens prædicata eſſentialia albedinis: ergo eſt conceptus magis clarus. 6.

Errat ſecundò prædicta periodus, quòd non calluit, quid ſit definitionem eſſe clariorem ſuo definito. Etenim nullus Dialecticus dixit, definitionem eſſe debere clariorem ſuo definito reſpectu hominis ignari, & non intelligentis terminos, qualis eſt ille pictor: ſic enim iſta etiam, definitio hominis, *Animal rationale*, neque explicaret eſſentiam rei, neque eſſet clarior ſuo definito. Apella, quæſo, hominem ruſticum, *animal rationale*: & forſitan clamoribus & pugnis refragabitur ad vocem *Animal*; putabit enim, ſe brutum appellari. Ne ergo claritatem definitionis libret dialecticus ad trutinam inſcitiæ hominis ignari, ſed potiùs hominis ſcientis, & penetrantis ſignificatum terminorum: & ſciat, claritatem definitionis non conſiſtere in eo, quod componatur ex faciliotibus Ambroſij Calepini vocabulis; ſed in eo, quod conceptus definitionis diſtinguit prædicata eſſentialia inter ſe, & ab accidentalibus, quæ non diſtinguit conceptus definiti; ideò iſte magis confuſus eſt, & ille magis clarus. 7.

Qua ratione definitio clarior definito.

Errat tertiò, quòd appellet demonſtrationem eam, quæ merè eſt æquiuocatio, & ſophiſma; cùm ex eo deſumatur, quod pictor, ignarus definitionum & terminorum, meliùs intelligat per 8.

Pro demõſtratione æquiuocatio.

vocem,

Digitized by Google

vocem, *Albedo*, quàm per eas voces, *Qualitas diſgregatiua viſus*. Eſt autem perfidiæ logicalis reus, qui cùm promittat demonſtrationes, ſola dat ſophiſmata, ſola verba.

9. *Omiſſio definitionis trahit in abſurda.*

Quartò errat periodus, quia præſcribit hoc dictamen, quo paruipendatur inſtrumentum logicale definitionis, aptiſſimum, imò neceſſarium ad indagandam veritatem. Cuius dictaminis error facit, optimum quemque cuiuſvis ſcientiæ Profeſſorem labi in plurima adſurda. Etenim dum non firmat definitiones rerum ſuis formalibus terminis libratas, à ſcopo aberrat. Et ita diſputationibus ſequentibus videbimus, quot & quantas patiantur aliqui Authores æquiuocationes ob hunc defectum.

10. *Definitio non vtilis niſi ad ſcientias.*

Et tandem ad clariorem eius argumenti ſolutionem, aduerte, definitionem logicam non eſſe inſtitutam ad colloquendum in humano conuictu, neque vtilem eſſe ad eas artes, quæ ſcientifico modo non procedunt. Neque enim vt pictor ornet coloribus tabulam, ſcire indiget, quid ſit color, quid ſit tabula coloribus imbuenda, quid nigredo, quid color viridis, aut ruber; non aliter, quàm vt homo comedat panem, aut carnes, inutile eſt ſcire diſtinctè prædicata eſſentialia panis, aut carnis. Aliter accidit in iis facultatibus, quæ ſcientifico modo procedunt; quibus valdè vtile eſt, vel potiùs neceſſarium definitiones ſui obiecti ſtatuere. Eſt enim definitio meta quædam, intra quam continetur obiectum ſuum, vltra cuius ſpherá obiectum non debet tranſilire. Si quis enim putet, hanc propoſitionem, *Turca dormit*; eſſe opinionem, ad definitionem opinionis recurritur: & cùm definitio opinionis excludat eos actus, qui abſque fundamento graui procedunt, concluditur, eam propoſitionem excludendam eſſe à conceptu opinionis, quia nullum fundamentum videt intellectus ad illam enunciandam, qualiter exigit definitio.

Definitio meta obiecti.

11. *Licet definitum ſit notũ, illud explicat definitio.*

Quod ſi aliquando res eſt notiſſima adeò, vt ad id, quod affirmatur, non ſit neceſſe recurrere ad definitionem; non propterea tollitur, quod definitio illa explicet, & clariùs exponat eſſentiam rei. Nam quamvis ad depingendam tabulam non ſit neceſſe, ſcire prædicata eſſentialia albedinis, & nigredinis; adhuc tamen, qui ſcit diſtinguere, quid ſit qualitas, quid qualitas viſibilis, quid diſgregatio viſus, multò clariùs, & diſtinctiùs cognoſcit eſſentiam albedinis, quàm qui ſolùm cognoſcit albedinem eo craſſo modo, quo repræſentatur per viſum.

CAPVT II.

Quid ſit opinio probabilis, & quomodo differat à concluſione certa, & improbabili?

12. *Praua definitio probabilitatis.*

CAramuel *Apolog. de probabilit. n.* 81. hanc tradit definitionem opinionis probabilis, vt abſtrahit à probabilitate intrinſeca, & extrinſeca; ſiue, quod idem eſt, à probabilitate authentica, & diſcurſiua. [Opinio probabilis abſtractim ſumpta dicitur, quæ pro ſe habet rationes fortes, nullam autem demonſtratiuam; quæ contra ſe habet rationes fortes, nullam autem demonſtratiuam.] Hæc definitio praua eſt, quia ſupponit, omnem opinionem probabilem habere contra ſe rationes fortes, eo quod propoſitio contradictoriè oppoſita ſemper ſit poſitiuè probabilis, atque adeò rationibus fortibus munita. Et ideò hæc definitio reiicienda, quia falſum ſupponit, vt manifeſtò conſtabit *diſp*.4.

Poſt pauca *num*. 91. aliam tradit definitionem in hæc verba: [Opinio probabilis vt ſic à rationali & authentica abſtracta, debet ſic definiri: *Vbi non datur certitudo (hoc eſt, vbi ignorantia inuincibili, non autem vincibili, quæ virtualiter ſcientia eſt, obnubilamur) opinio, quæ ratione graui fulcitur, eſt probabilis.*] Et vt omittam, quod de ignorantia dicit, quod modò non diſcutio, diſplicet, quod cùm eſſentia rei ſemper ſit eadem, abſurdum eſt tradere definitiones diuerſas eiuſdem definiti. Duæ autem relatæ diuerſæ ſunt, quia cùm prima tradat, opinionem probabilem habere contra ſe rationes fortes, id in hac definitione omittitur. 13.

In Theologia fundam. num. 437. *fund*. 11. explicaturus, quid ſit probabilitas opinionis, ſic ait. [Quid requiritur, vt opinio dicatur à ratione probabilis? Requiritur, vt non ſit euidenter falſa, & nihilominus ſit graui fundamento ſuffulta; quam poſſit vir doctus defendere, cui oppoſitam idem poſſit acriter impugnare.] Sed hæc definitio conuenit propoſitioni euidenti. Nam propoſitio euidens non eſt euidenter falſa; & nihilominus eſt graui fundamento ſuffulta: euidentem poteſt vir doctus defendere, & oppoſitam acriter impugnare, vtpote euidenter falſam. Et niſi ei termino *graui*, adiiciatur, *non certo*, non poteſt ea definitio ſubſiſtere. 14.

15. *Ad probabilitatem non requiritur, quod poſſit acriter impugnari concluſio oppoſita.*

Præterea ad rationem opinionis probabilis non requiritur, quod vir doctus poſſit oppoſitam grauiter impugnare argumentis: nam aliquando id potiùs pertinet ad prudens iudicium, quàm ad formam ſyllogiſticam. Nam qui aſſerit probabiliter, ſummum materiæ paruæ in materia furti eſſe quatuor regales, contra alium dicentem, eſſe quatuor regales cum dimidio, non poterit acres ſyllogiſmos contra hunc ſecundum producere, vbi vnuſquiſque eorum dicit, ſuam concluſionem menſurari cum prudentum iudicio.

16. *Recta definitio probabilitatis.*

Iuxta ſententiam communi Doctorum ſuffragio approbatam (quod in definitionibus neceſſarium eſt) hæc eſt definitio opinionis probabilis moralis. *Eſt concluſio incerta prudenti fundamento nixa.* Quod ſi opinionem cuiuſcumque materiæ, practicæ, ſeu ſpeculatiuæ definire velis, vno verbo immutato communem facies: *Concluſio incerta graui fundamento nixa.* Ea vox, *incerta*, ſignificat concluſionem, quæ neque certa eſt, neque certò falſa. Et per eam vocem, *incerta*, conuenit cum iudicio temerario; quod neque certum eſt, neque certò falſum: & per eandem differt à concluſione ſcientifica, & improbabili; & per reliqua verba differt ab aſſenſu temerè, & abſque graui fundamento elicito.

17. *Qualiter ad opinionẽ non requiritur, quod ſoluat argumenta partis oppoſitæ?*

Neque dicas, in ea deſiderari, quod ſatisfaciat argumentis oppoſitæ partis. Tum quia non ſemper pars oppoſita habet argumenta, quæ ſoluantur. Tum etiam quia ſi oppoſitæ partis argumenta ſunt certa, primæ ſententiæ fundamentum non poteſt eſſe prudens, neque graue: contra euidentiam enim, vel certitudinem nulla eſt prudentia, nulla ratio grauis æſtimanda eſt. Si verò oppoſitæ partis argumenta grauia etiam ſunt, ſed non certa, non tollunt, quominùs prima argumenta, quibus opponuntur, etiam

Digitized by Google

grauia ſint. Si autem oppoſitæ partis nulla ſint argumenta (vt quandoque contingere, clarè oſtendam *diſp.* 4.) non erit, quod ſoluatur.

18. *Opinio excludit triplicem certitudinem.* Et nota, cùm dicitur *concluſio incerta*, hi quālibet certitudinem excludi, phyſicam, metaphyſicam, & moralem; & quamlibet ex his certitudinem ſufficere concluſioni, vt à ratione opinionis probabilis extrahatur. Hinc fit, quod concluſio probabilis differt à concluſione certa: hæc enim nititur fundamento certo; illa verò fundamento graui, ſed non certo.

19. *Improbabilis poſitiuè, eſt certò falſa.* Differt etiam à concluſione improbabili. Sed notandum eſt, quod dupliciter dicitur improbabilis, ſcilicet poſitiuè, & negatiuè. Improbabilis poſitiuè eadem eſt, quæ certò falſa: id eſt, contra quam eſt fundamentum certum, vel quia falſitas eſt per ſe nota, vel quia falſitas certò infertur ex fundamento certo.

20. *Improbabilis negatiuè, nec certa eſt, nec certò falſa, nec probabilis.* Improbabilis negatiuè eadem eſt, quæ non probabilis: id eſt, quæ cùm non ſit certò falſa, tamen non eſt probabilis. Talis eſt hæc propoſitio, *Turca dormit*, quæ non eſt certò falſa; cùm tamen nullum habeamus fundamentum graue ad eam aſſerendam, ideò non eſt probabilis: qua ratione ſe habet omne iudicium temerarium. Differt ergo opinio probabilis à non probabili, quòd illa nititur fundamento graui, hæc autem illo caret.

21. *Improbabilis aliquando ſumitur negatiuè pro non probabili.* Et pro modo loquendi nota, quandoque concluſionem improbabilem, & non probabilem confundi; & ſub nomine *probabilis* vtramque comprehendi. Qui autem preſſiùs loquuntur, improbabilem dicunt eam, quæ eſt certò falſa, ſiue poſitiuè improbabilis: vocant autem non probabilem eam, quæ eſt negatiuè improbabilis, ſiue quæ fundamento caret, quamuis oppoſita non ſit certa.

22. *Authoritas eſt fundamentum graue ad probabilitatem.* Conuenit autem hæc definitio tam opinioni, quæ probabilis eſt à ratione, quàm quæ probabilis eſt ab authoritate. Etenim non ſolùm ratio grauis, ſed etiam authoritas ſufficiens ad probabilitatem, eſt fundamentum graue: & ideò qui operatur nitens tali authoritate, dicitur operari ex fundamento graui, & prudenti. Quot autem, & quales Authores ſufficiant ad probabilitatem opinionis in re morali, dicam *diſp.* 11. Alia ad hanc definitionem ſpectantia vide *diſp.* 15. *cap.* 7.

DISPVTATIO II.

An aſſertiones Caramuelis, ſicut & aliorum Theologorum, ſint modales de modo Probabile? *Vbi an ideò non niſi euidentibus impugnandæ ſint?*

CAPVT I.

Quid in hac quæſtione aſſerat. Caramuel.

1. *Propoſitio alia eſt abſoluta, & alia modalis.* Nota eſt diſtinctio propoſitionis abſolutæ, & modalis. Hæc enim prædicatum conuenire ſubiecto, cum modo aliquo enunciato, affirmat, vel negat, vt, *Petrum exiſtere eſt certum.* Illa autem abſque modo aliquo enunciato; vt, *Petrus exiſtit.* Et licet inter Dialecticos ſolùm agatur de illis modalibus, quæ habent eos quatuor modos, *Neceſſarium, Impoſſibile, Poſſibile*, & *Poſſibile non*; quia in his agnoſcunt ſpecialem difficultatem explicatione dignam quoad oppoſitionem, & æquipollentiam; non tamen excludunt modos alios, ex quibus aliæ modales conſtitui poſſunt. Tales ſunt *Certum*, *Improbabile*, *Probabile*, & *Probabile non.* Differunt ergo iſtæ duæ propoſitiones: *Petrus exiſtit*; &, *Petrum exiſtere, eſt probabile*; quòd prima eſt abſoluta, & ſecunda modalis. *Præter modos dialecticos, quatuor alij ſunt modalium mod.*

2. *Omnes ſuas concluſiones eſſe modales de modo* Probabile, *affirmat Caram.* Igitur Caramuel, vt præſcribat modum, quo ab aliis impugnandæ ſunt aſſertiones eius (de quo poſteà) affirmat, omnes illas, etiam quæ voce tenus ſunt abſolutæ, reuerà eſſe modales de modo *Probabile*. Vnde cùm affirmat v. g. paruitatem materiæ in toto morali eſſe id, quod eſt minus octaua parte, ſolùm affirmare, id eſſe probabile: & cum aſſerit, Pontificem diſpenſare poſſe in voto ſolemni ſuæ intentionis; eſſe ſtatuere hanc modalem [Probabile eſt, Pontificem diſpenſare poſſe in voto ſolemni:] ſed neque id in ipſo eſſe quid ſpeciale; omnes enim Theologos eodem modo loqui intelligendos eſſe.

3. *Omnes aſſertiones Authorum eſſe modales de modo* Probabile, *affirmat Caram.* Sic aſſerit *in Apologia de Probabilitate, n.* 219. hic verbis. [Theologi primæ tonſuræ, qui in dialecticis ceſpitant, & in philoſophicis adhuc cæcutiunt, ſe opponent, dicentque: *Hæ duæ propoſitiones*, Deipara eſt in peccato cōcepta, Deipara non eſt in peccato concepta, *ſunt contradictoriæ: at prior eſt D. Thomæ; Scoti verò, & omnium Nominalium poſterior: ergo D. Thomas, Scotuſque habent oppiniones oppoſitas.* Et reſpondeo propoſitiones alias proferri ſimpliciter quidem à Deo, qui vniuerſa comprehendit; ſimpliciter ab Angelo, qui naturales veritates intuetur: *at non niſi modaliter ab homine*, qui nullas comprehendit, paucas intuetur, & pleraſque omnes per diſcurſum aſſequitur. Ergo propoſitio habita per diſcurſum, eſt concluſio; & hæc modificatur à præmiſſis, ita vt ſi hæ graues quidem ſint, non tamen diuinitùs reuelatæ, aut per ſe notæ, inficiatur formidine: quam formidinem ortam à rationum grauitate ſignificat vox, *probabilitas*; quæ vel expreſſè ponitur, vel vt neceſſariò ſubintelligenda relinquitur.] Inde autem infert, S. Thomam non aſſerere abſolutam, *Deipara eſt in peccato concepta*, ſed modalem; *Probabile eſt, Deiparam eſſe in peccato conceptam.* Scotum verò non aſſerere abſolutè hanc, *Deipara eſt abſque peccato concepta*; ſed dumtaxat modaliter, *Probabile eſt, Deiparam eſſe abſque peccato conceptam.* Qua ratione non opponuntur eæ duæ propoſitiones modales. Addit autem *ibid.* [Stat igitur primò, propoſitiones ſimplices vix, aut ne vix quidem apud Authores reperiri. *S. Thomam, & Scotum loqui de Conceptione cum modo* Probabile.

4. Idem ſcribit *in eadem Apologia, num.* 306. in hæc verba: [Quæ probabiliter mente aſſeruntur, abſolutè ſolent, & poſſunt lingua proferri, ſtylo ſcribi, vt patet in Marianæ Conceptionis materià. Nam piæ Scotiſtarum opinioni probabilibus rationibus ductus (fallitur, dum dicit eſſe ſolùm probabilem ſententiam de Immaculata Conceptione, eſt enim certa. Vide *diſp.* 9. *c.* 18.) aſſentior: & tamē abſolutè dico, *Deipara ſine macula cōcepta fuit.* Nā illa propoſitio abſoluta, ſimplex de ineſſe, non negat probabilitatis modū, ſed ab illo præſcinditur; & ideò illi modali non opponitur, *Probabile eſt, Deiparam ſine macula conceptam fuiſſe.*

5. Ex quibus habes, Caramuelem non affirmare propoſitiones abſolutas, ſed modales de modo *Probabile*. S. Thomam, Scotum, & cæteros Theologos,

Digitized by Google

Theologos, licèt illi abſolutas propoſitiones proferant, ſub modo probabilitatis neceſſariò ſubintelligendæ accipiendos eſſe. Sed quorſum hæc?

6. *Caram. vt impugnetur, requirit rationes euidentes.*

Quia cùm probabilitas auferri non poſſit per argumenta probabilia, ſed neceſſariò confundi debeat per euidentia; cùm ipſe omnes ſuas aſſertiones aſſerat per modales de modo *Probabile*, vt ab illis probabilitas tollatur, euidentibus argumentis opus eſt. Ita *in Apolog. num.* 303. hanc legem tertiam Dialecticæ ſuis antagoniſtis proponit: [Nullam merè probabilem in reſponſione aſſertionem ponunto.] Et *n.* 304. [Si argumentari placeat, abſtinere à rationibus topicis; nam illæ prodeſſe iis non poterunt, qui probabilitatem impugnant.] Et *num.* 306. licet ſtrictiùs D. Fagnanum tertia lex, quàm D. Borgiam, & alios aduerſarios Caramuelis obſtringat; interim & hos etiam omninò obſtringit. Dicit Caramuel, [*Probabile eſt, ſummũ Pontificem poſſe in voto ſolemni diſpenſare.* Huic modali non opponitur ſimplex hæc, *Pontifex non poteſt diſpenſare.* Sed neque opponitur modalis hæc, *Probabilius eſt, Pontificem non poſſe diſpenſare.* Aſſertio enim, ſeu minùs, ſeu æquè, ſeu magis probabilis ſit, eſt probabilis. At primæ illi propoſitioni, *Probabile eſt, ſummum Pontificem poſſe diſpenſare*, opponitur modalis hæc, *Improbabile eſt, Pontificem poſſe diſpenſare.* Et hanc aio rationibus probabilibus perſuaderi non poſſe.] Itaque qui aſſertiones Caramuelis impugnaturus eſt, debet ſuadere improbabilitatem earum. Hanc autem niſi euidentibus inſtrumentis logicalibus nemo poterit perſuadere, cùm ad id rationes probabiles non ſufficiant.

7. *Qui impugnat aſſertiones Caramuelis, debet demonſtrare oppoſitas, ait ipſe.*

Sed quonam pacto procedere debent argumenta demonſtratiua contra eiuſmodi aſſertiones Caramuelis? Reſpondet *num.* 309. id fieri debere demonſtrando aſſertiones contradictoriè oppoſitas. (Et non aliter? mutila ergo eſt eius Dialectica.) Ecce eius verba. [Diuerſi moliminis eſt, demonſtrare, aſſertionem aliquam eſſe probabilem, & demonſtrare, eſſe improbabilem. Vbi probabiliter ſuadetur hæc ſimplex B, *Iſidorus eſt reus*; demonſtratiuè oſtenditur modalis hæc A, *Reum eſſe Iſidorum, eſt probabile.* Hic enim ſyllogiſmus inuincibilis eſt: *Concluſio quæ ex probabilibus infertur, eſt probabilis* Sic omnes. *Concluſio A, ex probabilibus infertur.* Sic ſupponitur. *Ergo Concluſio A, eſt probabilis.* Eſt indubitata conſequentia. Hoc vti non poſſunt aduerſarij. Debent hoc: *Concluſio, quæ opponitur propoſitioni certæ, indubitatæ, aut demonſtratæ, eſt improbabilis: ſed Concluſio B, contradictoriè opponitur propoſitioni C.* Sic ſupponamus; *Propoſitio C, eſt certa, & indubitata, quia aut eſt ab Eccleſia definita, aut naturali ratione demonſtratur.* Supponamus hoc etiam. *Ergo concluſio B, eſt improbabilis.*] Nota ea verba, *Debent hoc*: quia dum antagoniſtæ Caramuelis vſi non fuerint hoc modo impugnandi eum, nempe probãdo euidenter oppoſitam propoſitionẽ eſſe veram, non ſatisfaciunt debito. Et concludit: [Hæc eſt vera Dialectica. Si cui vti illa placeat, promerebitur laudem, libenterque ab Orbe Literario legetur.] Vide *t.* 4. *num.* 3312. *fin. in encomio Dianæ.*

8. *Idem affirmat Verde.*

Franciſcus Verde *in poſitionibus ſelectis*, quas aduerſus Anticaramuelem D. Ludouici Creſpini Borgiæ edidit, in procemio, §. *Tertiò*, ſtat pro Caramuele, aſſeritque, propoſitiones Caramuelis eſſe modales de modo *Probabile*; ideoque non aliter impugnari debere, quam ſyllogiſmis demonſtratiuis, qualem nullum productum fuiſſe à D. Ludouico Creſpino. Ita enim ait: [Seſe ille Caramulis ſententias impugnaturum pollicetur. At illas expugnat, aut impugnat? Minimè. Quid ergo? Nullam omninò tangit. Quod ipſum Solis luce clarius demonſtraturus ſum. Duodecim ſelectas quæſtiones proponit, & in nulla tangit Caramuelis doctrinam: impugnat enim propoſitionem ſimplicem, cùm deberet modalem. V. g. hæc aſſertio, *Peccata ideò ſunt mala theologicè, quia diuinitus ſunt interdicta*: differt toto cœlo ab hac, *Probabile eſt, peccata ideò eſſe mala theologicè, quia ſunt diuinitus interdicta.* Hanc modalem, & alias ipſi ſimiles tenetur impugnare Borgias, quod nunquam facit. Vt liberaret fidem, debuiſſet demonſtrare primò, illam ſimplicem propoſitionem, videlicet; *Peccata ideò ſunt mala, quia ſunt diuinitus interdicta*; neutram habere probabilitatem, hoc eſt, nec authenticam, nec rationalem. Vt rationalem probabilitam impugnaret, debuiſſet producere meras demonſtrationes; & tamen in libro, quantus eſt, ab initio ad finem, non audebit oſtendere vel vnicam demonſtrationem.] Quod idem proſequitur fusè §. *Multa.*

Attende ergo has quatuor propoſitiones à Caramuele affirmatas. Primam: Omnes eius aſſertiones eſſe modales de modo *Probabile.* Secundam: Tales etiam eſſe aſſertiones S. Thomæ, Scoti, & reliquorum Theologorum. Tertiam: Eas propoſitiones modales non niſi demonſtrationibus, ſeu ſyllogiſmis euidentibus impugnandas eſſe. Quartam: Non aliter procedendum contra prædictas aſſertiones modales, niſi probando concluſiones contradictoriè oppoſitas, & euidentes. Oportet ergo accuratè diſcutere, an hæc omnia ita ſint, qualiter Caramuel ſupponit. 9. *Quatuor aſſertiones Caramuelis in hac quæſtione.*

CAPVT II.

Quamplurimas Caramuelis aſſertiones non eſſe modales de modo Probabile.

Ecce iam primò oſtenditur, quàm immerito iure exigat Caramuel impugnationes euidentes aduerſùs aſſertiones ſuas. 10. Etenim tales impugnationes eo iure ſibi poſtulat, quatenus omnes ſuæ aſſertiones ſunt modales de modo *Probabile*; quæ ſi tales ſint, non niſi euidentibus impugnari poſſunt: atqui quamplurimæ eius aſſertiones non ſunt modales de modo *Probabile*: non ergo iure merito poſtulat impugnationes euidentes. Omnia patent præter minorem.

Hanc luce meridiana clariùs oſtẽdo. Etenim plurimas aſſertiones defẽdit, quas dicit eſſe certas, euidentes, demonſtratas: ergo hæ non sũt modales de modo *Probabile*, ſed potiùs de modo *Certũ*, & *Euidẽs*. 11. *Multæ Caramuelis aſſertiones modales de modo* Certum, & Euidens.

Antecedens ſi velim plena inductione probare, multas paginas implebo. Aliquas eiuſmodi aſſertiones oſtendam. *In Theolog. fund. n.* 377. *fund.* 10. aſſerit, in Legibus Eccleſiaſticis non eſſe ſtandum horologiis ſonantibus, etiam bene regulatis, ſed poſſe præceptũ impleri vno quadrante poſt horæ ſonitum; vel anteponi diem craſtinum vno quadrante ante ſonitũ cuiuſlibet horologij. Sed nunquid illam tradit per propoſitionem modalem de modo *Probabile*? Ait ibi, eam ſententiam eſſe *tam certam, tam claram; & tam demonſtratam*, &c. 12. *Tutius tanquam euidens, non eſſe ſtandum omnino horologiis.*

Item eſſe *euidenter veram*, & *futuram communem, & vnicam in ſcholis, ſi eius fundamenta legantur.* Vide infra *diſp.* 26. *cap.* 1. ergo illam non tradit per modalem de modo *Probabile*, ſed per modalem de modo *Certum*, & *Euidens.*

Tempora legum non computari de momento ad momentum.

13. Secundò, ibidem *num.* 397. tanquam certum & euidens propugnat, tempora in legibus Eccleſiaſticis præfixa, non eſſe computanda de momento ad momentum. Vide infrà *diſp.* 27. *c.* 1. *n.* 2.

Item peccata dubia non eſſe ex præcepto confitenda.

14. Tertiò, *in eadem Theolog. fundam. num.* 1996. *fund.* 66. propugnat tanquam certiſſimum, peccata dubia non eſſe ex præcepto confitenda. Ait enim: [Hucvſque, vt puto, certiſſimè oſtendi, peccata dubia non debere neceſſariò ſubiici clauibus Eccleſiæ.] Vide infrà *diſp.* 46. *cap.* 1. *num....*

Malè Verde poſtulat in omnibus demonſtrationes à Borgia.

Hinc fit, male Franciſcum Verde contendere contra D. Borgiam, debuiſſe ſemper producere demonſtrationes in omnibus ſuis quæſtionibus contra Caramuelem, cùm in hac quæſtione abundè impugnauerit, etiamſi rationes probabiles dumtaxat attulerit. Etenim Caramuel affirmat hanc modalem: *Certum eſt, peccata dubia non eſſe confitenda:* & D. Borgias, ſi ſolis rationibus probabilibus argumentatur, ponit hanc, *Probabile eſt, peccata dubia eſſe confitenda.* Hæc autem opponitur priori, & ambas non poteſt admittere Caramuel. Implicat enim contradictionem, vnam propoſitionem eſſe certam, & contradictoriè oppoſitam eſſe probabilem, vt conſtat *ex diſp.* 4. *n.* 6. An autem Borgias afferat aliqua argumenta demonſtratiua contra ſententiam Caramuelis, aut contra eius fundamenta, diſcernere non poſſum, qui librum Anticaramuelis diligenter quæſitum Hiſpali, Granatæ, Matriti, Valentiæ, adhuc ad eum venire non potui.

Item in quodam caſu tacere poſſe ordinem furti ad mœchiam.

15. Quartò *diſp.* 47. *in Regulam S. Bened. n.* 1050. §. 3. aſſerit, eum, qui furabatur, vt mœcharetur, & veniens ad confeſſionem dicebat, *Furatus ſum toties. toties mœchatus*; tacendo ordinem furti ad mœchiam, rectè eſſe confeſſum. Affirmatque, rationem eius concluſionis eſſe manifeſtam. Ratio autem manifeſta idem eſt, quod ratio euidens. Ita Caram. *in ſchol n* 401. Nā quæ ſunt incerta, qualia ſunt omnia dumtaxat probabilia, non ſunt manifeſta. Et contradictionem implicat, rationem concluſionis eſſe euidentem; concluſionem autem relinqui in inferiori gradu probabilitatis. Defendit ergo concluſionem per modalem de modo *Euidens*, ſiue *Manifeſtum.* Vide infra *diſp.* 44. *num....*

Item ſuaſorem non violare votum caſtitatis.

16. Quintò *diſp.* 66. *in Regul. num.* 986. aſſerit ita. [Monachus, qui perſuaſione, vel cooperatione concurrit ad hoc, vt alius, ſiue Monachus, ſiue ſecularis vadat ad concubinam, peccauit quidem mortaliter, ſed non contra votum ſuum caſtitatis. Demonſtratur,] &c. Vbi vides, eam concluſionem propugnari à Caramuele, non vt probabilem, ſed vt demonſtratam, & euidentem. Vide infrà *diſp.* 38. *num* 2.

Item fundum non poſſe fieri Eccleſiaſticū ſine licentia Regis.

17. Sextò, concluſionem, in qua propugnat, *comment. in Regul. diſp.* 57. *concluſ.* 2. *num* 828. ſtando Iuri Eccleſiaſtico, non poſſe fundum ſecularem fieri Eccleſiaſticum ſine licentia Regis, aſſerit patere. Idem autem eſt *Patet*, atque clariſſima euidentia conſtare. Vide *diſp.* 19. *cap.* 1. *n.* 5 & 6.

Item Prælatos præcipere in materia probabili.

18. Septimò, quod ſubditi ceſſerint iure non obediendi Prælatis præcipientibus in materia probabili, dicit ſe probare ratione quæ ſupra probabilioritatis aleam poſita eſt: qua phraſi intelligit rationem demonſtratiuam. Nulla enim ratio, quæ ſit pluſquam probabilior, eſſe poteſt dumtaxat probabilis. Vide infrà *in hoc tractatu diſp.* 16 *c.* 2.

Item opiniones benignas eſſe tutiores.

Octauò, *in comment. in Regul. diſp.* 6. *num.* 61. affirmat, [certum eſſe, benigniores ſententias, modò probabiles, tutiores, & ſecuriores eſſe.] præ opinionibus ſtrictis. Defendit ergo eam concluſionem non vt probabilem, ſed vt modalem de modo *Certum.* Vide infrà *in hoc tract. diſp.* 13. *c.* 2. 19.

Item licere eligere opinionem minùs probabilem.

Nonò, licitum eſſe cuilibet eligere opinionem minùs probabilem (numquid etiam Iudici, Aduocato, Medico?) defendit tanquam euidens, & à ſe demonſtratum *in comment. in Regul. n.* 59. vbi ait: [Notanter *demonſtro*, dixi; non enim aliter, quàm demonſtratiuè hanc veritatem me oſtenſurum polliceor.] Vide totum textum infrà *diſp.* 15 *cap.* 1. 20.

Item non poſſe verſari dubium inter rationes probabiles.

Decimò, inter rationes vtrimque probabiles non poſſe verſari dubitationem, defendit tanquam certiſſimum. Nam pluſquam centies repetit, Authores oppoſitum docentes, æquiuocationem paſſos, & confudiſſe probabilitatem cum dubio. In quo quantam ipſe paſſus fuerit æquiuocationem, conſtat *ex diſp.* 6. *cap.* 5. & 6. 21.

Item ex eo, quod vna ſit probabilis, inferri, oppoſitam eſſe probabilem.

Vndecimò, ex eo quod vna propoſitio ſit probabilis, deduci conſequentiam legitimam ad hoc, quod eius oppoſita contradictoriè ſit etiam probabilis, tanquam regulam ſuæ Logicæ moralis ſtatuit, & iuxta illam varios concludendi modos; quos referam *diſp.* 4. *cap.* 1. Qui autem proponit aliquam tanquam regulam Logicæ, non defendit illam, vt dumtaxat probabilem, ſed vt certam, & euidentem. 22.

Item mutuatori licere exigere vltra ſortem, &c.

Duodecimò, veram eſſe opinionem Petri de Ledeſma *part.* 2. *ſum. tract.* 8. *cap.* 35. *concluſ.* 4. quæ docet, licitum eſſe exigere aliquid vltra ſortem ei, qui mutuatur alteri nummos cum onere non repetendi intra tantum tempus; Caramuel *in Theol. fundam. à num.* 1732. *fund.* 60. defendit tanquam euidens, & à ſe demonſtratum. In cuius quæſtionis fine ſic ait: [Mihi tam euidens videtur hæc ſententia, vt nunquam crediturus ſim, Theologos, qui citantur, habuiſſe opinionem contrariam. Tam enim ſunt certa, quæ doceo, vt ſi dares Deum, Angelum, aut quemcumque infallibilem Iudicem, etiam capitalem ſententiam ſine vlla formidine pro defenſione huius veritatis appellarem.] 23.

Item Eucharistiam eſſe neceſſariam neceſſitate medij.

Tredecimò, opinionem Becani, quod Euchariſtia ſit neceſſaria neceſſitate medij, eſſe improbabilem, & oppoſitam à ſe demonſtrari, ait *in Theolog. fund. num.* 2005. *fund* 67. Aſſertio ergo Caramuelis non eſt modalis de modo *Probabile*, ſed de modo *Certum.* Et nota, eum non calluiſſe mentem Becani. 24.

Item ceſſante fine legis in particulari, ceſſare legem, &c.

Quartodecimò, ceſſante fine adæquato Legis in particulari, ceſſare legem in particulari, dicit à ſe demonſtrari. Ita *in Theolog. fundam. num.* 636. *fund.* 17. contra triginta Authores, quos citat ex Diana *part.* 1. *tract.* 10. *reſol.* 28. Et concluſionem ſtatuit his verbis: [Iterum dico, certum eſſe, legem ceſſare in particulari, quando finis adæquatus legis ceſſat in particulari.] Hinc patet, D. Borgiam, qui hanc ſententiam Caramuelis impugnauit *quæſt.* 8. iure merito potuiſſe impugnare inſtrumentis probabilibus. Aſſerenti enim, aliquid eſſe certum, optimè contradicitur, ſi conuincatur oppoſitum eſſe probabile: cùm implicet contradictionem, vnam propoſitionem eſſe certam, & contradictoriè oppoſitam eſſe probabilem. Quod ſi aduertiſſet Franciſcus Verde, non poſtulaſſet perennes demonſtrationes à D. Borgia. 25.

Quintode

Digitized by Google

26. Quintodecimò, *ibid. num.* 673. eodem modo requirit acceptationem ſubditorum ad valorem legis. Ait enim: [Sanè nullas Leges ante acceptationem obligare, certum eſt.]

Item requiri acceptationem ad legẽ.

27. Sextodecimò, *num.* 859. *fundam.* 36. affirmat, multas definitiones non eſſe clariores ſuo definito: quod à ſe demonſtratum affirmat; de quo vide ſuprà *diſp.* 1. *cap.* 1.

Item definitiones non eſſe clariores definito.

28. Septimodecimò, *num.* 568. *fund.* 12. affirmat, fornicationem, ſi à Deo non eſſet prohibita, [ſi alias (ait) eſſet vnicum medium neceſſarium ad vitam conſeruandam, fore bonam & obligatoriam ſub peccato mortali; eo nimirum modo, rigore, & ſenſu, quo alia vitæ conſeruandæ remedia, ſi quando dicuntur præcisè neceſſaria. *Quod ipſum non tam probari, quàm demonſtrari exiſtimo.*] Et nota in fauorem D. Borgiæ, hanc aſſertionem ab eo impugnatam, non eſſe modalem de modo *Probabile*, ſed de modo *Certum*. Quod idem de pollutione *ibid.* affirmat. Non ergo tenebatur D. Borgias euidentibus impugnare; cùm certitudo affirmata, per probabilitatem partis oppoſitæ impugnetur.

Item fornicationem fore obligatoriam, ſi non prohiberetur, & ſi eſſet medium, &c.

29. Duodeuigeſimò, omnes aſſertiones, quas aſſumit Caramuel in Apologia de probabilitate, ad impugnandum Fagnanum, ipſe profitetur eſſe euidentes, in proœmio eius Apologiæ; ideoque non modales de modo *Probabile*, ſed de modo *Certum*, & *Euident*.

30. Sed quid moror Lectorem meum? Nam & ille *in cenſura ſyntheſium* ait, pleraſque certas eſſe; & quamplurimæ aliæ ſunt quæſtiones, præcipuè in Theologia fundamẽtali, in quibus has demonſtrationes iactat. Solùm enim oſtendere contendo, quamplures eius aſſertiones non eſſe modales de modo *Probabile*, vt ipſe, & Franciſcus Verde teſtantur; ſed de modo *Euidens*, & *Certum*: atque adeò non neceſſariò demonſtrationibus impugnandum eſſe, ſed ſæpiùs poſſe probabilibus.

CAPVT III.

Eſſe in Caramuele alterius duplicis ordinis propoſitiones modales de modo Certum; *ideò probabilibus impugnandas.*

31. VT intelligas, quæ, & quales ſint propoſitiones illæ, nota, ſententiam eſſe Caramuelis, ab eo ſæpiùs inculcatam, vt quis probet aliquam actionem eſſe illicitam, debere id probare euidenter, ſaltem euidentia morali; nec ſufficere, ſi id probabilibus rationibus muniat. Ita *in Theolog. fund. num.* 453. *fund.* 11. in hæc verba. [Qui rem aſſerit eſſe illicitam, ad multa tenetur. Primò, enim debet oſtendere, rationes, quæ malitiam probant, eſſe demonſtratiuas, ſcilicet realiter, vel moraliter; adeoque tales, quibus ſecundũ prudentiã moralẽ probabilis reſponſio dari nequeat.]

Eum qui probat culpam, debere demonſtrare.

32. Hinc fit primò, vt cùm Caramuel aſſerit, aliquid eſſe illicitum, teneatur aſſerere id tanquam certum, & euidens, ſaltem moraliter: atque adeò cùm affirmat illicitam aliquam actionem, eius propoſitio non ſit modalis de modo *Probabile*, ſed de modo *Certum*. Fit ſecundò, cùm propoſitio modalis de modo *Certum*, poſſit impugnari probabilibus, vt euidenter conſtat ex dictis, eas prædicti ordinis aſſertiones poſſe probabilibus argumentis conuinci.

33. Quod autem plurimæ huius generis aſſertiones reperiantur apud Caramuelem, prolixa inductione conſtare poſſet. Dabo aliquas. Primam: Reſtrictiones mentales, quas admittit communis ſententia, cum P. Th. Sanch. *lib.* 3. *ſum. cap.* 6. *n.* 15. per quas vitatur mendacium; Caramuel *in Theol. fund. n.* 1804. *fund.* 62. aſſerit illicitas. Sed nunquid demonſtrauit? Sanè tenebatur. Quod non aduertit Franciſcus Verde, dum aſſeruit, debuiſſe D. Borgiam metas demonſtrationes in omnibus ſuis quæſtionibus producere. Numquid etiam *in quæſtione* 11. quæ eſt *de Reſtrictionibus mentalibus*, quæ apud Caramuelem eſſe debet propoſitio modalis de modo *Certum*.

Secundam: *ibid. n.* 1800. *fund.* 61. aſſerit, eſſe peccatũ mortale, ſi innocens ad vitãdos terribiles cruciatus equulei, imponat ſibi falsũ crimẽ. Quod vt ſecundum ſuam regulã demonſtrare debuit, ita & ea propoſitio æquiualet modali de modo *Certũ*. 34.

Tertiam: *num.* 1774. *fund.* 59. aſſerit, illum, qui caſu inuenit in via rem alienam, non comparente Domino, teneri reſtituere in opera pia; & retentionem eius rei eſſe grauiter illicitam: contra quamplures, quos refert, & ſequitur Diana *part.* 2. *tract.* 17. *reſol.* 5. 35.

Quartam: *num.* 1777. *eod. fund.* illicitum eſſe furi, quo caſu debet pauperibus reſtituere, applicare ſibi pauperrimo. 36.

Quintam: *num.* 1701. *fund.* 57. affirmat, eſſe illicitum, non confiteri cum diſtinctione differentias pollutionis, ſodomiæ, beſtialitatis; quas tamen non diſtingui affirmat diuerſitate ſpecifica. Hanc impugnat D. Borgias *quæſt.* 5. & adhuc vult Franciſcus Verde non niſi demonſtrationibus impugnandam; cùm tamen manifeſtum ſit, modales de modo *Probabile*, ſufficienter conuinci. 37.

Sextam: *num.* 1606. *fund.* 55. aſſerit illicitum caſtrare pueros, etiam conſentientes, ad vocis ſuauitatem conſeruandam. 38.

Septimam: *num.* 1630. *eod. fund.* 55. Non poſſe iudicem præcipere reo, vt ſe occidat, contra P. Tamburinum, & alios. 39.

Octauam: *ibid. num.* 1517. *fund.* 53. ait, peccare mortaliter eum, qui legit matutinum de Feria, & horas de Sancto. 40.

Nonam, *ibid. n.* 1022. affirmat illicitum Benedictinis, denuntiare Prælato, vt Patri, defectus Religioſorum, quin præcedat ordo correctionis fraternæ; cũ referat aliquos Authores aliter opinãtes. 41.

Decimam: illicitum eſſe, audire mediam partem Miſſæ ab vno Sacerdote, & mediam ab alio, affirmat *num.* 777. *fund.* 31. 42.

Vide etiam multas huiuſmodi *in commentario in Regulam, diſp.* 137. *concluſ.* 3. ait: Abbatem in capitulo [proclamare actionem grauiter ignominioſam, ſed ſecretam, eſt peccatum mortale.] Et idem ait de Abbate, qui in capitulo argueret vitium grauem leuis mendacij. Sed & quamplures alias aſſertiones habet, in quibus illicitas affirmat actiones, quæ apud alios Authores licitæ exiſtimantur: quas omnes cùm debuerit demonſtrare, patet, eas omnes eſſe modales de modo *Certum*; & probabilibus inſtrumentis poſſe debellari. 43.

Sed & alterius ordinis propoſitiones ſunt apud Caramuelem, quæ debent eſſe modales de modo *Certum*, & nullatenus de modo *Probabile*: nempe omnes regulæ nouæ Logicæ moralis. Non eſt enim Logica, niſi quæ ſcientificè præſcribit modum arguendi, & producendi conſequentias. Nam licèt demus, in Logica doceri illationes merè probabiles (quod non admitto quoad bonitatem illationis:) at dum docet elicere eas merè 44.

Digitized by Google

probabiles, debet euidenti præcepto eam illatio-
nis probabilitatem docere.

CAPVT IV.

Nullo ſuffragante priuilegio Caramueli, cum impugnandum eſſe ſicut ipſe
45. ### *impugnat.*

Caram. opinionis aliorum impugnat probabilibus.

TErtium argumentum, quo ea doctrina Cara-
muelis debellatur, eſt: Caramuel cæte-
ros Authores in materia topica impugnat in-
ſtrumentis merè probabilibus; & ad id præ-
ſtandum, nullum ſibi priuilegium conceſſum eſſe
oſtendit: ergo cæteris Authoribus licitum etiam
46. eſt ipſum impugnare inſtrumentis probabi-
libus.

Maiorem longa inductione comperies, ſi le-
geris quamplurimas quæſtiones in Theologia
fundamentali, in quibus acriter impugnat Car-
dinalem Lugo, Dianam, P. Ouiedo, P. Tambu-
rinum, & complures alios. Sed numquid eæ
impugnationes demonſtratiuæ ſunt? Lege, ſi
placet, & conſidera, an opiniones Cardinalis,
Dianæ, Ouiedo, & P. Tamburini, & reliquo-
47. rum, propter eius impugnationem maneant im-
probabiles?

Aliqua exempli causâ refero. Impugnat re-
ſtrictiones mentales, quibus vitatur mendacium,
loco ſuprà citato. Sed numquid ſententia P. Tho-
mæ Sanchez, & reliquorum Authorum poſt eas
impugnationes reddita eſt improbabilis, vel
manſit adhuc probabilis? Primum impoſſibile
eſt: nam antecedens quod aſſumit, eadem fa-
cilitate negatur, neque alia indiget reſponſione,
vt conſideranti patebit. Si manſit adhuc proba-
bilis ea ſententia; ergo ſolùm impugnauit illam
probabilibus, & non demonſtratiuis. Conſequen-
tia eſt euidens: nam contradictionem impli-
cat, aſſertionem ſyllogiſmis demonſtratiuis im-
48. pugnatam, manere probabilem: nam, quæ contra-
dicit propoſitioni demonſtratæ, eſt euidenter falſa.

Secundò: *num.* 700. *fund.* 24. improbabilem
aſſerit ſententiam, quam multi Authores ſe-
quuntur, affirmantem, Eccleſiam indirectè præ-
cipere attentionem in officio Canonico. Con-
uincitne id pluſquam probabilibus? Non pa-
tiar, quia non deeſt illis Authoribus alia vſurpa-
49. tio *indirecti*, ex probabili fundamento, diuerſa ab
ea, quam Caramuel ſtatuit.

Tertiò: *n.* 734. impugnat P. Tamburinum,
& Dianam, aſſerentes, eum qui ſucceſſiuè conti-
nuè in peccato mortali audit plures Confeſſiones,
committere vnum peccatum; plura verò, qui
ſæpius eadem nocte cum eadem fæmina mœcha-
50. tur. Et tamen non impugnat euidenter, dant enim
probabilem diſparitatem.

Quartò: *num.* 706. *fund.* 24. impugnat Dia-
nam, & alios aſſerentes, ideò Eccleſiam non
poſſe præcipere actus internos, quia de illis non
poteſt iudicare procedendo ad punitionem. Sed
eius argumentum non eſt tale, vt oppoſita
pars maneat improbabilis. Quod ſi probabilis
51. manet, euidens eſt, eius argumentum non fuiſſe
demonſtratiuum.

Quintò: *num.* 775. *fund.* 31. acriter impugnat
Dianam, & alios aſſerentes, licitum eſſe audire
mediam partem Miſſæ ab vno Sacerdote, &
aliam mediam ab alio; cùm tamen expreſsè di-
cat oppoſitam ſententiam eſſe probabilem.

Dices primò, eſſe magnum diſcrimen: nam pro- 52.
poſitiones Caramuelis ſunt modales de modo
Probabile; quia ſic ipſe interpretationem earum
dedit, quam non dederunt cæteri Authores. Mo-
dales autem de modo *Probabile*, non poſſunt niſi
probationibus certis impugnari.

Contrà eſt primò. Nam, vt conſtat ex duo- 53.
bus capitibus præcedentibus, Caramuel ſtatuit
innumeras aſſertiones modales de modo *Certum*:
falſum eſt ergo dicere, omnes eius aſſertiones eſſe
modales de modo *Probabile*.

Contrà eſt ſecundò. Nam omnes Authores 54.
loqui per aſſertiones de modo *Probabile*, ipſe Ca-
ramuel aſſerit. Relege ea verba, poſita *cap.* 1. *n.* 3.
[Propoſitiones alias proferri ſimpliciter quidem
à Deo, qui vniuerſa comprehendit; ſimpliciter
ab Angelo, qui naturales veritates intuetur: *at
non niſi modaliter ab homine*, qui nullas compre-
hendit, paucas intuetur,] &c. Ergo ſi propoſitio-
nes aliorum, quas ipſe impugnat, modales ſunt
de modo *Probabile*, debuit impugnare demon-
ſtratiuè; vel ſi illi impugnare probabilibus licuit,
cur non & cæteris licebit.

Dices ſecundò, aſſertiones, quas Caramuel 55.
impugnat probabilibus, eſſe eas, quæ ſtatuunt
aliquid illicitum; quæ cum debeant demonſtra-
tiuè procedere, rectè probabilibus impugnari
poſſunt. Non enim ſunt demonſtrata ea, quorum
contradictoria remanent probabilia.

Contrà eſt primò. Nam Caramuel impugnat 56.
multa, quæ dicuntur licita ab aliis Authoribus,
vt patet in exemplis ſuprà allatis: ergo falſum
eſt id, quod aſſumit ea reſponſio. Contrà eſt ſe-
cundò. Nam rationibus probabilibus poſſe con-
firmari aſſertiones, quæ ſtatuunt aliquam actio-
nem illicitam, ſi ſolùm attendatur dictamen di-
rectum, & non reflexum; oſtendam manifeſtè in-
frà *diſp.* 10. *cap.* 2.

Confirmantur primò omnia ſupradicta in 57.
hoc capite. Vel dicit Caramuel, eſſe euidentia in- Dilemma.
ſtrumenta, quibus impugnat aduerſarium, vel
eſſe probabilia. Si dicit eſſe euidentia; optimè
poteſt aduerſarius illum impugnare probabilibus,
exhibendo ſolutionem probabilem ex aſſertione
probabili. Patet. Nam, vt dixi, euidentiæ per
probabilem ſolutionem contradicitur, cùm im-
plicet contradictionem ea duo componi; & quòd
argumentum ſit euidens, & quòd habeat ſolutio-
nem probabilem.

Si verò dicat, quòd impugnat aduerſarium 58.
probabilibus; infero: ergo inepte arguit, & non ad
rem. Patet conſequentia. Aduerſarius enim non
niſi modaliter affirmat ſuam concluſionem, af-
firmando, eam eſſe probabilem. (Relege ea ver-
ba Caramuelis relata *n.* 54. *At non niſi modaliter
ab homine.*) Sed propoſitio modalis de modo
Probabile, ineptè impugnatur probabilibus; non
enim impugnari poteſt niſi euidentibus, vt ſæ-
pius clamat iſte Author: ergo ineptè arguit,
dum impugnat probabilibus: vel ſi diſerte ar-
guit, falſum eſt, quod aſſumit, propoſitiones
Authorum eſſe modales de modo *Probabile*.
Vnde ſi ipſi licet impugnare probabilibus aſſer-
tiones Authorum tanquam propoſitiones abſo-
lutas; etiam aduerſario licebit impugnare con-
cluſiones Caramuelis tanquam propoſitiones
abſolutas.

Confirmantur ſecundò. Nam apud Cara- 59.
muelem *in Theolog. fund. numero* 1630. *fund.* 55.

P. Tam

Digitized by Google

P. Tamburinus docet, poſſe reum eſſe miniſtrum publicum ſuæ necis de præcepto iudicis; & ibi eum impugnat Caramuel rationibus dumtaxat probabilibus: nam probabilis adhuc eſt ſententia P. Tamburini. Tum ſic. Interrogo, an Tamburinus defendat ſuam concluſionem per modalem de modo *Probabile*; an per propoſitionem abſolutam? Si primum, infero: ergo ineptè arguit Caramuel contra ipſum per media probabilia, cùm probabilitas vnius partis non tollat probabilitatem oppoſitæ. Si verò Tamburinus illam concluſionem defendat per propoſitionem abſolutam, infero: ergo etiam Caramuel ipſum impugnat per propoſitionem abſolutam. Patet conſequentia, quia ſi impugnaret per propoſitionem modalem affirmatiuam de modo *Probabile*, non eſſet ad rem; quia illam aduerſarius admittit. Si autem per negatiuam modalem de modo *Probabile*, affirmando ſententiam Tamburini non eſſe probabilem; ineptè probaret per media probabilia, quia improbabilitas non probatur, niſi per media certa. Si ergo ipſi licet impugnare concluſiones aduerſariorum per propoſitiones abſolutas, fit primò, quod liceat aduerſario impugnare ipſum per propoſitiones abſolutas, non impugnando probabilitatem. Fit ſecundò, quòd iam Caramuel docet per propoſitiones abſolutas, quæ propterea non neceſſariò debeant impugnari euidentibus.

Dilemma.

CAPVT V.

Alio argumento conuincitur, aſſertiones Caramuelis non eſſe modales de modo Probabile.

60. *Aliquas affirmat Caram. eſſe probabiles, & dicit ſe eas non tueri.*

QVartum argumentum eſt. Caramuel multas aſſertiones affirmat eſſe probabiles, & negat ſe defendere eas aſſertiones: ergo propoſitiones illius non ſunt modales de modo *Probabile*. Hæc conſequentia eſt euidens, præcipuè ex eius doctrina. Nam iuxta eius Logicam *diſp. ſequenti* referendam, qui dicit, *Probabile eſt rem eſſe*; dicit etiam, *Probabile eſt rem non eſſe*: ergo dum negat, ſe non defendere eam propoſitionem, non negat probabilitatem eius, ſed eſſe abſolutum illius. Sed non negatur eſſe abſolutum rei, niſi per propoſitionem abſolutam: ergo in ea materia docet Caramuel per propoſitionem abſolutam, & non modalem.

61. Antecedens verò eius enthimematis inductione conſtabit. Primò: affirmat enim eſſe probabilem ſententiam, de peccato certo, dubiè confeſſo non confitendo; & tamen negat, ſe illam ſententiam tueri. Nam *in Theolog. fund. n.* 1930. *fund. 66.* proponit theſes quaſdam propugnatas in Vniuerſitate Viennenſi, ſub præſidio P. Martini Balkovicxo, Soc. Ieſu; aitque, omnes eſſe *ſecuriſſimas*, & *probabiliſſimas*: quarum vna eſt ea, quam retuli de peccato certo, dubiè confeſſo non confitendo. Et cùm in ea theſi citetur Caramuel pro ea aſſertione, ipſe in margine negat, ſe illam tueri: quod idem negat *n.* 1975. & *n.* 1988. Quod ſic vrgeo. Nam dum defendit negatiuam, ſcilicet contradictoriè oppoſitam illi theſi, vel defendit negatiuam modalem, vel negatiuam abſolutam? Si primum: ergo defendit hanc, *Non eſt probabile id, quod aſſerit ea theſis.* Quod aſſerere non poteſt, qui aſſeruit, eam concluſionem eſſe probabiliſſimam. Si ſecundum, nempe ſe defendere negatiuam abſolutam, *Non eſt vera ea theſis*: ergo per propoſitiones abſolutas docet Caramuel, & non per modales.

Dilemma.

Secundò: *in Theolog. fund. n.* 1743. *fund.* 58. affirmat, in praxi paruitatem materiæ in re venerea eſſe probabilem; dum interrogatione quadam vrget Confeſſarium Ieſuitam, an abſoluet pœnitentem, qui ſe accuſat de tactu leui fœminæ, ex eo præcipuè, quod Confeſſarius tenetur ſequi opinionem pœnitentis. Et cùm ibi dicat, eſſe eam opinionem in praxi probabilem, at *n.* 1709. acriter expoſtulat cum quibuſdam Theologis, quòd illum citant pro paruitate materiæ in praxi admittenda, eo quod ipſe in praxi oppoſitam concluſionem tueatur. Ergo dicit, ſententiam de paruitate materiæ in re venereâ eſſe probabilem in praxi; & tamen ipſe non tuetur ſententiam de tali paruitate materiæ. Ergo dum negat illam ſententiam, vel negat per propoſitionem negatiuam modalem, vel per propoſitionem negatiuam abſolutam. Si primum: ergo dicit illam non eſſe probabilem practicè, cùm tamen argueret Ieſuitam, quòd deberet per illam abſoluere pœnitentem, tanquam per probabilem. Si ſecundum, nempe per propoſitionem negatiuam abſolutam: ergo non docet Caramuel per propoſitiones modales, ſed per abſolutas. Ergo malè poſtulat demonſtrationes ſemper exhibendas, vt eius aſſertiones impugnentur eo titulo, quòd eius aſſertiones ſemper ſunt modales de modo *Probabile*; cùm verè tradat illud per propoſitionem abſolutam. Id quod in multis aliis non difficilè inuenies. 62.

Dilemma.

Tertiò. Nam *fund* 24. *in Theologia fund.* aſſerit, probabilem eſſe ſententiam, quæ docet, Prælatum Eccleſiaſticum non poſſe præcipere actus internos, deinde multis impugnat eam ſententiam: ergo vel hæc argumenta, quibus eam impugnat, dicit eſſe euidentia, vel dicit eſſe probabilia. Si dicit euidentia, infero: ergo non eſt probabilis illa ſententia, quæ docet, non poſſe præcipi actus internos. Conſequentia liquet, quia nequit eſſe probabilis ſententia, quæ argumentis euidentibus debellatur. 63.

Dilemma.

Si verò dicat, ſe impugnare illam probabilibus, infero: ergo non impugnat probabilitatem illius, quæ ſolùm per demonſtrationes impugnatur: ergo ſolùm impugnat concluſionem abſolutam, & non modalem de modo *Probabile*. Inde autem hæ conſequentiæ inferuntur. Prima: Ergo ea concluſio impugnata non eſt modalis de modo *Probabile*, ſed abſoluta: falſum ergo eſt dicere aſſertiones Authorum eſſe modales de modo *Probabile*. Secunda: Ergo contradicit illi, non per modalem negatiuam de modo *Probabile*, ſed per affirmatiuam abſolutam, nempe, *Eccleſia poteſt præcipere actus internos.* Patet, quia non aliter contradicit, quàm impugnat: ſed non impugnat modalem de modo *Probabile*, ſed abſolutam: ergo illi contradicit per propoſitionem abſolutam. Ergo Caramuel loquitur per propoſitiones abſolutas, & non tantùm per modales de modo *Probabile*. Tertiâ conſequentia: ergo ſi ille per probabilia impugnat aſſertiones probabiles aliorum, ipſe poteſt per probabilia impugnari; cùm ab eo impugnationis genere ipſe nullo priuilegio protegatur. Et nota, cùm dico, ipſum docere per propoſitiones abſolutas, id diſiunctiuè intelligo, ſcilicet per abſolutas, aut per modales de modo *Probabilius*, vt *cap.* 7. clariùs explico. 64.

Confirmatur hoc argumentum. In prologo 65.

Theologiæ

Theologiæ fundamentis prope finem ita ſcribit. [Fortè alicui rigidior, & ſeuerior ero, quàm mea videbitur polliceri ſuauitas,& huius æui poſtulare neceſſitas: at hoc mihi imputari non debet, ſed Dialecticæ,quæ à volente nolente duriores interdum conſequentias extorquet.] Ideò in quæſtione, an liceant reſtrictiones mentales ad vitandum mendacium; an liceat audire ſimul duas Miſſæ medietates; an committat quatuor peccata, qui quatuor confeſſiones excepit indignè &c.ſtrictiorem partem ſequitur, cogente ad id Dialectica. Et quidem per argumenta merè probabilia; nullum enim ex his eſſe euidens,certò conſtabit;exhibetur enim eis argumentis ſolutio probabilis.

66. Tum ſic. Logica non cogit, vt per argumenta dumtaxat probabilia, vna tantùm pars dicatur probabilis: nam ſi argumenta ſunt ſolum probabilia, vtraque pars poteſt eſſe probabilis: ergo per prædicta argumenta probabilia ſolum cogit Logica ad eligendam vnam propoſitionem abſolutam: ergo Caramuel, dum ita vtitur probabilibus, permittit vnam partem probabilem, & eligit oppoſitam tanquam abſolutam: ergo non omnes propoſitiones Caramuelis ſunt modales de modo *Probabile*; atque adeò non omnes impugnandæ euidentibus.

CAPVT VI.

Aliis argumentis conuincitur, aſſertiones Authorum non eſſe modales de modo Probabile; *ideóque neque aſſertiones Caramuelis.*

67. CAuſam Caramuelis in hac lite eſſe communem cæteris Authoribus, ipſe fatetur verbis ſuprà citatis *num.* 3. Quare ſi conſtiterit, reliquos Authores non docere per propoſitiones de *Probabile*, idem de ſuis aſſertionibus admittere cogitur. Quod autem authores non doceant per propoſitiones modales de modo *Probabile*.

68. Oſtendo. Aſſertiones Scoti opponuntur aſſertionibus D.Thomæ;aſſertiones P. Vazquij aſſertionibus P. Suarij; opiniones Baſilij Legionenſis opinionibus P. Thomæ Sanchez. Sed aſſertiones modales de modo *Probabile*, non opponuntur; neque enim opponuntur iſtæ: *Probabile eſt, rem eſſe; Probabile eſt rem non eſſe*; ſicut neque iſtæ: *Probabile eſt, Deiparam eſſe conceptam abſque peccato: Probabile eſt Deiparam non eſſe conceptam abſque peccato.* Ergo prædicti Authores non docent per propoſitiones modales de modo *Probabile*. Minor, & conſequentia patent: Maior probatur. Scotus in ſuis aſſertionibus impugnat aſſertiones D. Thomæ: ſed nemo poteſt impugnare alterum,niſi in eo,in quo illi opponitur;non enim poteſt alter impugnare alterum in eo, in quo ambo conueniunt: ergo Scotus in ſuis aſſertionibus opponitur D.Thomæ quoad aſſertiones huius.

Alij alios impugnant in materia topica.

69. Reſpondet Caramuel *in Apolog. de probabilit. contra Fagnanum,num.* 119. aſſertiones Scoti, & aſſertiones D. Thomæ non opponi, etiam cùm alter dicit, *Deipara eſt concepta abſque peccato*; alter verò, *Deipara non eſt concepta abſque peccato.* Quia vtraque propoſitio eſt modalis de modo *Probabile*; qua ratione non opponuntur. Recole verba eius relata *cap.* 1. *num.* 3. ideò quoties in S. Thoma reperiuntur propoſitiones, quæ contradictoriæ videntur, tales non eſſe, quia ſunt modales de modo *Probabile*, quo pacto non opponuntur.

Sed argumentum adhuc retinet ſuam vim. Nam Scotus multis impugnat eam aſſertionem de Conceptione Deiparæ cum peccato: nemo autem impugnat, niſi circa illud, cui opponitur, & cui contradicit: ergo in materia Conceptionis immaculatæ aſſertio Scoti opponitur aſſertioni D. Thomæ: ſed illæ modales de modo *Probabile* non ſibi inuicem opponuntur: ergo aſſertiones vnius & alterius circa Conceptionem Deiparæ non ſunt modales de modo *Probabile*. 70.

Vnus Author non impugnat alium, niſi circa id, in quo ipſi opponitur.

Secundo. Scotus impugnat multas aſſertiones D. Thomæ (ſolus negabit,qui non legerit;) ergo vel impugnat euidentibus, vel probabilibus; ſi euidentibus: ergo aſſertiones D. Thomæ ſunt euidenter falſæ. Conſequentia eſt luce meridiana clarior, cùm tamen conſequens ſit falſum. Nam qui aſſertionem alterius ſeriò impugnat, illi contradicit; ex duabus autem propoſitionibus contradictoriis, ſi vna eſt euidens, altera eſt euidenter falſa. 71. Dilemma.

Si autem dicas, Scotum impugnare probabilibus, infero: ergo Scotus arguit ineptè, & non ad rem: ergo Scotus, ingeniorum ſtupor, fuit inſcius Logicæ. Ambæ conſequentiæ patent. Nam propoſitionem affirmatiuam modalem de modo *Probabile*, ineptè, & contra præſcriptum Logicæ impugnat, qui illam impugnat per media dumtaxat probabilia,vt clamat Caramuel,& ego ſæpiùs clamabo in re certa:ſed propoſitiones affirmatiuę D. Thomæ ſunt modales de modo *Probabile*:ergo ineptè,& contra præſcriptum Logicæ illas impugnat Scotus per media probabilia. Cùm ergo certum ſit, Scotum contradicere, & impugnare plurimas aſſertiones D.Thomæ per media probabilia, & certum ſit, Scotum non impugnare ineptè,aut contra præſcriptum Logicæ, certiſſimè tenendum eſt,aſſertiones D.Thomæ à Scoto impugnatas,non eſſe modales de modo *Probabile*. Et idem argumentum eadem forma poteris inſtruere circa multas aſſertiones, quas in materia topica impugnat S. Thomas per media probabilia. 72.

Tertiò. S. Thomas nunquam de opinione probabili alterius Authoris dixit, eam non eſſe probabilem,& tamen multas impugnat:ergo cenſuit, eas non eſſe impugnandas,aſſerendo,eas non eſſe probabiles, & poſſe impugnari aliter, quàm aſſerẽdo, eas non eſſe probabiles:ergo aſſertiones, quas impugnat, non ſunt propoſitiones modales de modo *Probabile*;atque adeò aſſertiones aliorum Authorũ,quibus contradicit,non ſunt modales de modo *Probabile*.Conſequentia eſt clariſſima, quia ſi eſſent modales de modo *Probabile*, non poſſent impugnari,niſi impugnando,& negando probabilitatem, quam, vt dixi, S. Thomas non negat, nec negare potuit in materia topica. 73.

S.Tho. impugnat opiniones aliorum, & non probabilitatem.

Quartò,ſi concluſio S. Thomæ in materia topica ſemper eſt propoſitio modalis de modo *Probabile*; & ſemper ita explicatur, *Probabile eſt, rem ita eſſe*; quare eligit vnam opinionem præ alia? Quare oppoſitæ partis ſoluit fundamenta, & non ſuæ? Niſi quia hanc vult abſolutè tenendam, vt fortioribus rationibus fundatam.Sciebat S. Thomas, ambas eſſe probabiles, ex quibus vnam ſolùm eligit: ergo ampliùs vult affirmare de illa, quàm quod ſit probabilis. Ergo planè falſum eſt, eas aſſertiones D. Thomæ eſſe modales de modo *Probabile*. 74.

Quintò.Nam vel hoc, quod dicit,[aſſertiones 75. Dilemma.

D.

Digitized by Google

D. Thomæ eſſe modales de modo *Probabile*,] eſt dumtaxat probabile, vel eſt euidens? Si primum: ergo cum promittat contra Fagnanum demonſtrationes, dat opiniones. Item: ergo cùm intendit debellare probabilitatem propoſitionis Fagnani, debellat illam per medium probabile: ergo probabilitas vnius concluſionis tollitur per probabilitatem alterius: ergo incidit in defectum Logicæ à ſe notatum.

76. Si verò dicat ſecundum, nempe id eſſe euidens; contrà eſt primò, quia oppoſitum manifeſtè conſtat ex dictis. Contrà eſt ſecundò: Ergo euidens eſt, quod Scotus impugnat aſſertiones D. Thomæ ineptè, & contra præſcriptum Logicæ, cùm per media probabilia impugnet modales de modo *Probabile*, quales eſſe dicuntur aſſertiones D. Thomæ. Sed conſequens eſt abſurdum: ergo & antecedens, vnde infertur.

77. Sextò. Si Authores loquerentur per propoſitiones modales de modo *Probabile*, non poſſent argui inconſequentiæ: ſed Caramuel arguit multos inconſequentiæ: ergo illi non loquuntur per propoſitiones modales de modo *Probabile*.

78. Minorem ſæpiùs inuenies confirmatam *in Theologia fundament.* Vide *num.* 521. *fund.* 11. Item *num.* 734. arguit inconſequentiæ Dianam ſic: [Eum, qui plures blaſphemias euomit, plures confeſſiones audit, vnum peccatum committere, inquit Diana; illum, qui plures copulas cum fœmina eadem nocte habuit, vnicum peccatum committere, negat Diana; cùm tamen Dialectica poſtulet, vt vel vtrobique vnicum peccatum admittat, vel vtrobique plura.] Deinde *num.* 1448. Dianam, & alios arguit inconſequentiæ, quòd dicant, obligatum ad horas canonicas, non poſſe ſuſcipere officium incompatibile cum recitatione; & obligatum ad ieiunium, poſſe ſuſcipere officium incompatibile cum ieiunio. Et ſic in ſexcentis aliis.

79. *Qui ſolum affirmant probabilitatem, non arguuntur inconſequentiæ.*

Quòd autem authores loquentes per propoſitiones de modo *Probabile*, non poſſint argui inconſequentiæ, quæ erat maior prioris ſyllogiſmi, oſtenditur primò. Nam, vt aſſerit Caramuel, Authores loquentes per propoſitiones de modo *Probabile*, non poſſunt argui de contradictione. Attende ea verba *ex Apolog. de probabilit. num.* 222. [Illam minorem, *Sed interdum ſcribit S. Thomas contradictoria*, nego: nam ille non docuit poſitiones ſimplices, & abſolutas, ſed modales affectas formidine, & modificatas expreſſo, aut tacito probabilitatis vocabulo: & certum eſt apud vniuerſos Dialecticos (corrige, *Theologos*; non enim eſt Dialectici hanc priorem partem examinare) has propoſitiones, *Probabile eſt, rem A, eſſe*; & *Improbabile eſt, rem A, eſſe*, in libris Angelici Doctoris non reperiri: & æquè certum etiam eſt, has, *Probabile eſt, rem eſſe*, & *Probabile eſt, rem non eſſe*, non opponi.] Quia ergo loquitur S. Thomas per propoſitiones modales de modo *Probabile*, non poteſt argui de contradictione; & cùm cæteri Authores eodem modo loquantur, neque illi de contradictione argui poſſunt.

80. Tunc ſic: ergo neque de Inconſequentia argui poſſunt. Hæc conſequentia patet. Primò, quia inconſequentia vel contradictionem includit, vel infert. Patet ſecundò. Nam magis repugnat contradictio, quàm inconſequentia, aut ſaltem non minùs. Contradictio enim eſt expreſſa affirmatio duplicis contradictorij; inconſequentia autem, affirmatio alicuius principij; vnde duplex extremum contradictorium infertur. Contradictio autem vitatur, ſi vtrique parti contradictoriæ adhibeatur modus *Probabile*: ergo inconſequentia vitatur eodem modo.

Patet tertiò conſequentia, quia à Caramuele arguuntur inconſequentiæ Authores, eo quod 81
dixerint, obligatum ad Horas Canonicas non poſſe ſuſcipere officium incompatibile; obligatum verò ad ieiunium poſſe ſuſcipere officium incompatibile: quæ aſſertiones, ſi ſunt modales de modo *Probabile*, reddunt hunc ſenſum; *Probabile eſt, obligatum ad Horas non poſſe ſuſcipere officium incompatibile; Probabile eſt, obligatum ad ieiunium poſſe ſuſcipere officium incompatibile.* Atqui dum reddunt hunc ſenſum, nulla eſt inconſequentia; ſi enim nulla contradictio, nullave inconſequentia datur, ſi duæ contradictoriæ admittantur vt probabiles; neque vlla contradictio, aut inconſequentia dabitur in eo, quod ſint probabiles aſſertiones, quæ non ſunt contradictoriæ.

Dices, illas duas, in quibus arguitur inconſequentia, non eſſe comprobabiles; & ideò argui in illis inconſequentiam. 82.

Contrà. Nullæ magis incomprobabiles, quàm duæ propoſitiones contradictoriæ; non enim eſt probabile, illas eſſe poſſe ſimul; & tamen modificatæ modo *Probabile*, non ſibi repugnant, neque vllam afferunt inconſequentiam: ergo neque aliæ propoſitiones, quæ contradictoriæ non ſunt. 83.

Septimò, Caramuel *in Theolog. fundam. num.* 312. *fund.* 5. *& num.* 113. *in regulis iuris ciuilis, reg.* 4. vt referam *diſp.* 9. *cap.* 12. *art.* 1. affirmat, neſciri poſſe, cuius opinionis ſint hodie Authores, qui ſcribunt, & docent pro Immaculata Conceptione Deiparæ. Nam Doctores, qui pro ea ſcribunt, & loquuntur, obſtringuntur præcepto Romani Pontificis, ad non tuendam negantem; vel etiam iuramento defendendi partem affirmantem, ad quod emittendum obligati ſunt qui ad gradum in celebri Vniuerſitate promoti ſunt. Vnde neſcitur, an cùm Immaculatam dicunt, loquantur ex dictamine proprio, an coacti imperio præcipientis, aut etiam iureiurando, quo fortè ſtatuta lege coacti, ſe obſtrinxerunt. Id quidem aſſertum Caramuelis falſum eſſe, demonſtro *diſp.* 9. *cap.* 18. *art.* 1. 84.

Inde tamen ſic argumentor. In quæſtione de Immaculata Conceptione, cuius opinionis ſint Doctores illam affirmantes, neſcimus: ſed in quæſtione de Conceptione immaculata, quæ reſoluitur per propoſitionem de modo *Probabile*, cuius ſint opinionis Doctores illam affirmantes, optimè ſcimus: ergo in quæſtione de Immaculata Conceptione Doctores illam affirmantes, non affirmant per modalem de modo *Probabile*. 85.

In quæſtione de Conceptione non loquuntur Authores per modalem de Probabile.

Conſequentia patet. Maior eſt Caramuelis. Minor ex eodem eſt manifeſta, qui affirmat, eſſe certiſſimam hanc propoſitionem modalem; *Probabile eſt, Deiparam eſſe conceptam abſque originali culpa*: & à nullo prudente negari poſſe. Scimus ergo, cuius opinionis ſint Doctores, in quæſtione de probabilitate ſententiæ piæ. Nam de iis, qui tradunt ſententiam certam, vel euidentem, non poteſt dubitari, cuius opinionis ſint. 86.

Confirmatur. De iis, qui ſcribunt propoſitionem certam, vel euidentem, non poteſt affirmari, quod ſcribunt imperio coacti: vbi enim 87.

Qui ſcribunt propoſitionem

ad

Digitized by Google

certam, non coguntur imperio, ſed demonſtratione

ad vnam aſſertionem concurrunt demonſtratio, & imperium, plus influit in intellectum demonſtratio, quàm imperium, vt ex terminorum apprehenſione notum eſt, cùm intellectus determinatus ſit ad aſſertionem vi demonſtrationis, antecedenter ad imperium Prælati. Atqui hæc propoſitio, *Probabile eſt, Conceptionem B. Virginis fuiſſe immaculatam*; eſt certa, & demonſtrata, vt fatetur Caramuel: ergo qui illam ſcribunt, vel loquuntur, non aſſerunt eam imperio, ſed demonſtratione coacti. Sed ſecundùm Caramuelem, de omnibus qui hodie ſcribunt pro immaculata Conceptione Deiparæ, dubitatur, an ſcribant, imperio præcipientis coacti: ergo euidens eſt, quod non loquuntur per modalem de modo *Probabile*; ſiquidem ad hanc modalem non imperio, ſed demonſtratione coguntur.

88. Tandem: nam S.Thomas *opuſc.72.initio*, regulam tradit, iuxta quam procedere debeat ille, cui viſum fuerit, ſe in operibus illius inueniſſe concluſiones oppoſitas. Ita enim ait: [Si verò non fuerit inuentum, quomodo vtrumque ſtare poſſit, alterum eligat, quod magis conſonum veritati indicauerit; alterum verò nos ipſi reuocaremus, ſi talis diſcordia nobis occurreret.] Sed cum hac regula ſtare non poteſt, quod docet Caramuel de aſſertionibus D. Thomæ, quod ſint tacitè modales de modo *Probabile*: ergo ea falſa eſt, & contra mentem Angelici Præceptoris. Minor patet. Nam ſi vtraque propoſitio eſſet modalis de modo *Probabile*, non eſſet opus alteram eligere, ſed de vtraque parte contradictionis aſſerendum eſſet, eſſe probabilem. Et qua ratione non eſſet inuentum, quomodo ſtare vtrumque poſſit, ſi modales de modo *Probabile*, & de dicto contradictorio optimè ſtare poſſunt. Deinde oppoſitum minùs conſonũ veritati S. Thomas reuocaret: ergo ea pars reuocanda non æquiualet huic; *Probabile eſt rem eſſe*; quia hæc reuocanda non eſt, cùm ſit in materia topica. Nam, vt ex teſtimonio Caramuelis patet, nunquam S. Thomas dixit aliquid improbabile, quod reuocatione egeat. Et prætereà, quod ibi agat S. Thomas de aſſertionibus in materiis probabilibus, ſatis colligitur ex iis verbis; *Quod magis conſonum veritati indicauerit*. Patet etiam ex materiis, quas poſteà ſubiicit concordandas.

CAPVT VII.

Ex alia reſponſione Caramuelis conuincitur, aſſertiones Authorum non eſſe modales de modo Probabile.

89.
Scotus nõ impugnat probabilitatem D. Thomæ, ſed probabilioritatem.

IN *Apolog. de probabilitate num.* 216. cùm ad reſponſionem ſibi finxiſſet hunc ſyllogiſmum contra doctrinam D. Thomæ: [Qui D. Thomam impugnant, ſunt de veritate ſuſpecti: ſed Scotiſtæ, Durandiſtæ, Nominales, &c. illum impugnant: ergo hi omnes ſunt de veritate ſuſpecti.] *num.* 220. reſpondet ſic: [Reſpondeo diſtinguendo maiorem: ſunt de veritate ſuſpecti, qui in Doctrina D. Thomæ impugnant probabilioritatem, nego; qui probabilitatem, concedo. A Scoto, Durando, Nominalibus impugnari probabilioritatem, concedo. impugnari probabilitatem, nego. Adeóque conſequenter nego, illos eſſe de veritate ſuſpectos.

90. Iam verò Caramuel ex hac parte latus aperuit, vnde comminùs ferietur, & illa eius doctrina impugnabitur. Sic ergo impugno. Hæc propoſitio D.Thomæ, *Deipara concepta eſt in peccato* (ſi eius eſt, quod non concedo) ſecundum Caramuelem æquiualet huic; *Probabile eſt, Deiparam conceptam eſſe in peccato.* Ergo vel impugnatur per iſtam, *Probabilius eſt, Deiparam non eſſe conceptam in peccato*; vel non impugnatur per iſtam? Quidquid dicat Caramuel, contra ſeipſum dicet: ergo inter anguſtias contradictionis deprehenditur, vt eam doctrinam propugnet de aſſertionibus tacitè modalibus de modo *Probabile*. Dilemma.

Si ſecundum dicat, nempe quòd non impugnatur per propoſitionem de modo *Probabilius*, vt etiam aſſeruit *in eadem Apologia num.* 306. illis verbis: [Sed neque opponitur modalis hæc; *Probabilius eſt, Pontificem non poſſe diſpenſare*: aſſertio enim, ſeu minùs, ſeu æquè, ſeu magis probabilis ſit, eſt probabilis:] infero: ergo cùm propoſitiones D.Thomæ, quæ ſecundùm Caramuelem ſunt probabiles de modo *Probabile*, impugnantur ab Scoto per propoſitiones de modo *Probabilius*; ineptè, atque contra Dialecticam impugnantur ab eo: ergo Scotus de inſcitia Logicæ arguendus eſt. Vide abſurditatem. 91.

Probabile non impugnatur per probabilius.

Si verò primum dicat, ſcilicet quòd *Probabile* impugnatur per *Probabilius*, infero: ergo ad ſuarum concluſionum impugnationem fruſtrà poſtulat argumenta euidentia. Conſequentia eſt ineuitabilis. Ideò enim poſtulat ad ſuarum concluſionum impugnationem argumenta euidentia, quia eæ concluſiones ſunt modales de modo *Probabile*: ſed modus *Probabile*, impugnatur per modum *Probabilius*; & ad aſſerendam probabilioritatem non requiruntur argumenta euidentia: ergo quamuis propoſitiones Caramuelis ſint modales de modo *Probabile*, ad earum impugnationem non requiruntur argumenta euidentia. 92.

Confirmatur primò. Concluſiones D.Thomæ ſunt modales de modo *Probabile*; & adhuc diſertè, doctè, & ingenioſè impugnantur à Scoto per propoſiones de modo *Probabilius*; atque adeò per argumenta probabilia, cùm ſecundùm Caramuelem Scotus ſolùm impugnet probabilioritatem: ergo quamuis propoſitiones Caramuelis ſint modales de modo *Probabile*, poſſunt impugnari per modum *Probabilius*, & per argumenta probabilia; vel oſtendat priuilegium, quod habet, D.Thomæ non conceſſum. 93.

Confirmatur ſecundò. Scotus non erat inſcius Logicæ; & quamuis propoſitiones D.Thomæ ſint modales de modo *Probabile*, ſecundùm Caramuelem *in Apol. num.* 219. (vt retuli *ſuprà num.* 3.) Scotus impugnat eas per propoſitiones modales de modo *Probabilius* (vt aſſerit ibid. *num* 216. vt retuli ſuprà *num.* 89.) ergo non eſt inſcius Logicæ, qui modales de modo *Probabile*, impugnat per modales de modo *Probabilius*. 94.

CAPVT VIII.

Aſſertiones Authorum ad ſummum eſſe modales de modo Probabilius; *ideóque non neceſſariò euidentibus impugnandas.*

COncluſiones Theologorum ad ſummum eſſe modales de modo *Probabilius* manifeſtè concluditur, 95.

Digitized by Google

cluditur, tum ex dictis à Caramuele, tum ex aliis principiis. Quo caſu, ſi impugnentur, non eſſe neceſſariò impugnandas euidentibus, euidens eſt. Nam ei, qui dicit, ſuam ſententiam eſſe probabiliorem, ſatis contradicit, qui aſſerit, & probat, oppoſitam eſſe probabiliorem; cùm ex duabus contradictoriis nequeat vtraque eſſe probabilior.

96. *Si Scotus impugnat in D. Thoma probabilioritatem, D. Thomas loquitur per modum* Probabilius.

Iam verò id aſſertum oſtenditur primò. Scotus cùm impugnat ſententiam D. Thomæ, non impugnat probabilitatem, ſed probabilioritatem: atqui Scotus non impugnat, quod, D. Thoma non aſſerit, ſed quod reuerà aſſerit: ergo ſi Scotus in ſententia, quam impugnat D. Thomæ, impugnat probabilioritatem, D. Thomas aſſerit illam probabilioritatem: ergo aſſertio D. Thomæ eſt modalis de modo *Probabilius*; non enim aliter poteſt affirmare probabilioritatem. Maior eſt Caramuelis: minor eſt omnium, qui ingenij Scotici præſtantiam nouerunt; & conſequentia eſt manifeſta.

97. *Vtiliter alij probabilia aliorum impugnant probabilibus.*

Oſtenditur ſecundò. Si aſſertiones Theologorum non eſſent propoſitiones abſolutæ, vel ad ſummum modales de modo *Probabilius*, ſed modales de modo *Probabile*, ſequeretur, quòd ferè omnia, quæ ſcripta ſunt à Theologis in materiis topicis, impugnando aliorum opiniones, inutilia eſſent. Nam cùm ea, quæ impugnant, ſint probabilia, & ſecundùm mentem Caramuelis affirmentur vt modificata modo *Probabile*; non deberent impugnari probabilibus, ſed euidentibus: quia eſſe probabile vnius partis, non tollitur per hoc, quod altera pars cõtradictoria ſit probabilis, ſed per hoc, quod oppoſita ſit certa. Atqui præter Aquinates, Scotos, & reliquos veteres, lege Suarios, Vazquios, Valentias, Herizios, Hurtados, Sancios, Lugos, Arriagas, & innumeros alios, & videbis quamplurima probabilia etiam probabilibus impugnari. Ergo vel damnandi ſunt omnes Theologi, vel falſum eſt, quod aſſumit Caramuel, omnes aſſertiones Theologorum eſſe modales de modo *Probabile*, & non potiùs, vel abſolutas, vel modales de modo *Probabilius*.

98. *Quilibet docet doctrinam probabiliorem.*

Oſtenditur tertiò. Nam quilibet Theologus intendit docere doctrinam præſtantiorem, & veriſimiliorem, firmioribuſque fundamentis ſubnixam: ergo ſi eius aſſertiones interpretandæ ſunt per modales, hæ tales eſſe debent, vt correſpondeant ei intentioni, quam ſemper habet Doctor Theologus; atque adeò interpretandæ ſunt per modales de modo *Probabilius*.

99. Oſtenditur quartò. Nam ſi aſſertiones Theologorum explicentur per modales de modo *Probabile*, nulla eſt ratio, cur in materia topica vnam partem potiùs, quàm aliam amplectantur, cùm vtraque pars eſt vere probabilis. Porrò cùm eligunt vnam partem præ alia, id efficiunt, quia meliores, & firmiores rationes, aut grauiores authoritates pro ea inueniunt; ideoque volunt eam partem eſſe probabiliorem. Quare cùm ita eligant vnam partem præ alia, vt meliùs munitam; potiùs per modalem de modo *Probabilius*, quàm per modalem de modo *Probabile* interpretandi ſunt.

100. *Dilemma.*

Si hæc non admittat Caramuel, pondere argumentorum, quæ in præcedentibus capitibus, obiecimus, eius Logica obruitur. Si admittat, admittere etiam debet ipſum poſſe impugnari per modales de modo *Probabilius*; ipſum poſſe probabilibus impugnari, nec neceſſariò euidentibus refellendum eſſe.

Dices pro Caramuele, vnicuique Authori liberum eſſe declarare ſuam mentem, & exponere, in quo ſenſu locutus ſit. Atqui Caramuel (quidquid ſit de mente aliorum Authorum) ipſe expoſuit concluſiones ſuas à ſe prolatas in ſenſu modalium de modo *Probabile*, & non in ſenſu modalium de modo *Probabilius*. 101.

Ego quidem facilè annuerem, ſi ita reſpondens pro Caramuele, non inducerer illum in barathrum inconſequentiæ. Nam præter aſſertiones eius, quæ ſunt modales de modo *Certum*, quas dicit à ſe demonſtratas, vel quæ, iuxta eius principia, non aliter, quàm demonſtratione probari poſſunt, vt patet *ex cap. 2. & 3.* ipſe in multis materiis probabilibus impugnat Cardinalem Lugo, Dianam, Leandrum à SS. Sacram. P. Tamburinum, & quamplurimos alios, vt comperies per totum volumen Theologiæ fundamentalis tertio quoque folio: atqui non poteſt impugnare eos per propoſitiones modales de modo *Probabile*: tum quia eas non negant Authores impugnari: tum quia ſi ipſi Authores loquerentur etiam per modales de modo *Probabile*, non eis contradiceretur per affirmationem probabilitatis partis oppoſitæ: ergo etiam Caramuel habet quamplurimas aſſertiones, quæ vel ſunt propoſitiones ſimplices abſolutæ, vel ad ſummum modales de modo *Probabilius*: ſibi ergo contrarius erit, ſi dicat, ſe ſemper loqui per propoſitiones de modo *Probabile*, & non per propoſitiones de modo *Probabilius*. 102.

Deinde trahitur in inconſequentiam, dum ipſe aſſerit, D. Thomam loquentem per propoſitiones de modo *Probabile*, diſertè impugnari à Scoto per probabilioritatem; ipſum autem loquentem eodem modo, & per eaſdem modales de modo *Probabile*, non impugnari diſertè, ſed contra Logicam, ab eis, qui per terminos probabilioritatis eum impugnant. 103.

Adhæc, ſicut quilibet Doctor Theologus in materia probabili intendit tradere præſtantiorem doctrinam, & firmioribus fundamentis ſubſtructam, & ita ſuas aſſertiones modificat per modum *Probabilius*; ita & Caramuel. Et ſicut quilibet Theologus vnam partem præ alia eligit, quia videt firmiùs fundatam, & ita explicatur loqui per modum *Probabilius*; eodem modo exponendus eſt Caramuel, cùm verum ſit, etiam illum eligere in topicis vnam partem præ alia, quia putat, eam firmiùs eſſe munitam. Præterea aliquando exprimit Caramuel, ſuas aſſertiones eſſe probabiliores: ergo ſunt modales de modo *Probabilius*. Ita *in Theolog. fundam num. 777. fund. 31.* in hæc verba. [Ideò probabilius iudico, debere Miſſam audiri ab eodem Sacerdote, nec ſatisfacere, qui audiat mediam partem ab vno, & mediam partem ab alio.] 104.

Itaque aliud eſt, aſſerentes improbabilitatem aſſertionum Caramuelis, teneri procedere per principia certa; & aliud longè diuerſum, aſſertiones eius, quia affectæ ſunt modo probabilitatis, non poſſe impugnari niſi euidentibus. Primum enim verum eſt, ſecundum verò falſum, & inconſequenter dictum, cùm conſtet ex præcedentibus, ipſum multas concluſiones aſſerere vt affectas modo probabilitatis maioris; quibus etiam per propoſitiones modales de modo *Probabilius*, contradici valet. 105.

Hinc patet, perperam, & inconſequenter dictum à Caramuele, has duas propoſitiones, *Deipara concepta eſt in peccato*; *Deipara non eſt* 106.

concepta in peccato,non eſſe propſitiones oppoſitas. Relege ea verba relata ſupra *n.*5.[Theologi primæ tonſuræ,qui in dialecticis ceſpitant, & in philoſophicis adhuc cæcutiunt, ſe opponent, dicentque; *Hæ duæ propoſitiones, Deipara eſt in peccato concepta: Deipara non eſt in peccato concepta, ſunt contradictoria. Prior eſt D. Thomæ; Scoti verò, & omnium Nominalium poſterior: ergo D.Thomas, Scotuſque habent opiniones oppoſitas*]

107. Sic arguo. Ad hanc claſſem Theologorum primæ tonſuræ pertinent, qui dicunt, eas propoſitiones eſſe oppoſitas: ſed iuxta doctrinam Caramuelis, velit nolit, illæ ſunt oppoſitæ: ergo ille ad eam claſſem Theologorum pertinet. Conſequens eſt abſurdum: ergo & antecedens, vnde infertur. Sed minorem debet admittere Caramuel: ergo maiorem reſpuere, & reuocare.

108. *Opponuntur aſſertiones vtriuſque ſcholæ de Conceptione.*

Minor ergo probatur. Nam Scotus, qui ponit negatiuam, impugnat affirmatiuam D. Thomæ per modalem de modo *Probabilius*, cùm ſecundùm Caramuelem Scotus impugnet probabilioritatem:& D.Thomas ponit affirmatiuam per modum *Probabilius*, cùm ponat id, quod impugnatur à Scoto. Atqui iſtæ duæ propoſitiones, *Probabilius eſt Deiparam eſſe conceptam in peccato*, *Probabilius eſt,Deiparam non eſſe conceptam in peccato*, oppoſitæ ſunt: ergo iuxta doctrinam Caramuelis aſſerentis, Scotum impugnare probabilioritatem aſſertionum D. Thomæ, illæ duæ propoſitiones, *Deipara concepta eſt in peccato.Deipara non eſt concepta in peccato*,in ſenſu à ſuis Authoribus intento, ſunt oppoſitæ. Conſequentia eſt manifeſta, maior ex aſſertione Caramuelis manifeſtè deducta.

109. Et minor clariſſimè patet: tum quia illæ duæ propoſitiones modales de modo *Probabilius*, ſunt contrariæ de lege. Recole inſtitutiones Dialecticas pro hoc genere contrariarum. Tum etiam, quia quælibet ex his propoſitionibus infert dialecticè contradictoriam alterius. Nam Scotica propoſitio, *Probabilius eſt, Deiparam non eſſe conceptam in peccato*; infert iſtam, *Non eſt probabilius, Deiparam eſſe conceptam in peccato.* Iſta autem eſt contradictoria propoſitionis Thomiſticæ: ergo Scotica infert contradictoriam propoſitionis Thomiſticæ. Deinde Thomiſtica propoſitio, *Probabilius eſt, Deiparam eſſe conceptam in peccato*, infert iſtam; *Non eſt probabilius, Deiparam non eſſe conceptam in peccato*; quæ eſt contradictoria propoſitionis Scoticæ: ergo propoſitio Thomiſtica infert contradictoriam propoſitionis Scoticæ. Vide ergo, qualiter eæ duæ propoſitiones ex mente Caramuelis oppoſitæ ſint; & quàm malè iudicium de oppoſitione earum tribuatur Theologis primæ tonſuræ. Ergo qui illas dicunt oppoſitas, minimè in Dialecticis ceſpitant, & neutiquam in philoſophicis cæcutiunt.

CAPVT IX.

Legitima Dialectica præcepta traduntur; & in quo ab illis deuiet Caramuelis Logica.

110. IAm verò explicemus oportet,quid præſcribant legitima Dialecticæ dictamina circa modum impugnandi concluſiones probabiles, certas, & improbabiles.Dico primò. Vt impugnetur certitudo, quæ aſſeritur in propoſitione, ſufficit exhibere ſolutionem probabilem omnibus eius argumentis. Patet: quia implicat contradictionem, argumentum eſſe, certum, ſiue certò concludere, & habere ſolutionem probabilem. Ex terminis enim notum eſt, quod argumentum non certò concludit, ſi ei probabilis ſolutio exhiberi poſſit.

Impugnatur certitudo per ſolutionem probabilem argumentorum.

Hinc infertur primò, certitudinem optimè impugnari probabilibus argumentis. Etenim optimè impugnatur certitudo argumenti, ſi ei exhibeatur ſolutio probabilis: ſed ex probabilibus argumentis poteſt deduci ſolutio probabilis:ergo certitudo argumenti optimè poteſt impugnari ex probabilibus argumentis. 111.

Certitudo impugnatur probabilibus.

Infertur ſecundò, probabilibus demonſtratiuè concludi contra certitudinem affirmatam. Solutio enim probabilis talis eſt reſpectu argumenti ſoluti, & demonſtratiua eſt contra certitudinem affirmatam. Hæc illatio ex terminorum penetratione patet. Eſt enim euidens, implicare contradictionem ſolutionem probabilem argumenti euidentis, vel certi: ergo euidens eſt, quod vel ſolutio eſt probabilis, vel argumentum non eſt euidens, nec certum. Ergo vbi conſtat ſolutionem eſſe probabilem, certum eſt, argumentum ſolutum, non eſſe euidens. Ergo ſolutio probabilis demonſtratiuè conuincit, argumentum ſolutum non eſſe certum, aut euidens. 112.

Probabilibus demonſtratiuè concluditur contra certitudinem.

Implicat ſolutio probabilis argumenti euidentis.

Dico ſecundò. Probabilitas poteſt impugnari duplici modo: vel probando, quod concluſio eſt poſitiuè improbabilis, id eſt, certò falſa; vel probando, quod eſt negatiuè improbabilis, id eſt, non probabilis. Vide horum terminorum expoſitionem *diſp. præced. cap.* 2. *num.* 19. Prima pars patet, quia ſi conſtet, eam eſſe certò falſam, ceſſat probabilitas eius.Patet etiam ſecunda pars; implicat enim contradictionem, quòd eadem concluſio ſit probabilis, & non probabilis: ſi ergo conſtat, eam non eſſe probabilem, ceſſat eius probabilitas. 113.

Duplici modo impugnatur probabilitas.

Et hinc etiam conſtat, impugnari probabilitatem, ſi conſtet, eam concluſionem carere fundamento graui. Tum quia concluſio non probabilis eſt, quæ caret fundamento graui, vt conſtat ex dictis. Tum præcipuè, quia de eſſentia opinionis probabilis eſt, quod nitatur fundamento graui: ergo dum conſtat, illam non niti fundamento graui, conſtat illam non eſſe probabilem. 114.

Impugnatur probabilitas, ſi probet, carere fundamento graui.

Dico tertiò. Probabilitas, vtrouis modo impugnetur, debet impugnari fundamento certo, certitudine ſaltem morali. Hanc concluſionem bene probat Caramuel, quia probabilitas vnius partis non tollitur per probabilitatem partis oppoſitæ; componuntur enim ambæ probabilitates propoſitionum contradictoriarum: ergo vt deſtruatur probabilitas vnius partis, deſtrui debet per hoc, quod altera pars ſit pluſquam probabilis. Sed aduerte hoc argumentum ſolùm conuincere,vt concluſio probabilis impugnetur priori modo, ſcilicet per verificationem partis oppoſitæ, hanc partem oppoſitam fundamento certo probandam eſſe. 115.

Probabilitas non impugnatur, niſi principio certo.

Si verò probabilitas, concluſionis impugnetur ſecundo modo, nempe probando, concluſionem non inniti fundamento graui, etiam neceſſe eſt, quod fundamento certo oſtendatur, illud fundamentum 116.

Digitized by Google

damentum non eſſe graue; vel quod verè conſtituatur in dubio, an illud fundamentum, quod impugnatur, ſit graue, vel leue. Hæc ſecunda pars eſt manifeſta, quia probabilitas dubia non eſt probabilitas; & in practicis id eſt manifeſtius, nam qui operatur dubius de probabilitate, operatur cũ dubio practico: ergo non operatur ex dictamine abſolutè probabili. Atqui probabilitas conſiſtit in fundamento graui: ergo vbi eſt dubium, an fundamentum ſit graue, non datur probabilitas.

Qui operatur dubius de probabilitate, operatur cum dubio practico.

117. Prima verò pars patet. Nam quamuis dentur rationes probabiles ſuadentes, fundamentum concluſionis impugnatæ eſſe leue; ſi tamen dentur rationes probabiles ſuadentes, fundamentum eiuſdem concluſionis eſſe graue, adhuc fundamentum concluſionis, & conſequenter concluſio illa, manent in gradu probabilitatis. Debet ergo certitudine ſaltem morali conſtare, illud fundamentum eſſe leue, aut ſaltem eſſe dubium quoad grauitatem, & leuitatem, iuxta proximè dicta.

118. Vbi notandum eſt primò, multiplicatis rationibus probabilibus poſſe aliquando certò ſuaderi improbabilitatem: nam multæ rationes probabiles coaceruatæ poſſunt aliquando conſtituere euidentiam moralem. Etenim exiſtere Romam, mihi eſt moraliter euidens: primum teſtimonium de eius exiſtentia, quod puer audiui prima vice, non fecit mihi rem moraliter euidentem; ſicut neque cætera omnia teſtimonia, quæ in vitæ decurſu audiui, ſi ſeorſum accipiantur, faciebant euidentiam moralem; ſed ſolùm faciebant fidem probabilem; at coaceruata moralem euidentiam conſtituunt. Sed hoc modo ſi impugnatur probabilitas, iam verificatur, quod impugnatur per certitudinem moralem.

Multæ rationes probabiles coaceruatæ poſſunt facere euidentiam moralem.

119. Notandum eſt ſecundò, cùm exigitur demonſtratio moralis ad impugnandam probabilitatem, non debere eſſe demonſtrationem Ariſtotelicam, ſcilicet ſyllogiſmum conſtantem præmiſſis euidentibus in forma ab Ariſtotele præſcripta; nam quamuis præmiſſæ non ſint euidentes, dummodo certæ, eam dicimus demonſtrationem. Deinde ſi ſit modus arguendi Dialecticus, quamuis non ſit in forma ſyllogiſtica (qualis eſt qui deſumitur à propoſitione cõditionali, & ſimiles,) vocari etiam demonſtrationem. Tandem quodlibet fundamentum certum, & certitudine morali inferens concluſiones, quamuis non diſpoſitum in formam ſyllogiſticam, dici demonſtrationem moralem.

Dantur demonſtrationes, extra formam Ariſtotelicam.

120. Dico quartò. Vt impugnetur concluſio, quæ dicitur probabilis, non eſt neceſſe, quod impugnetur ipſa probabilitas; ſed impugnari poteſt ipſa propoſitio abſoluta, vel maior eius probabilitas, quæ tacitè affirmatur à quolibet Theologo; ideoque ſufficienter impugnatur probabilibus. Hæc patet ex hucuſque dictis in hac diſputatione. Etenim aſſertiones Theologorum non ſunt modales de modo *Probabile*, vt ſatis, ſuperque oſtenſum eſt in capitibus præcedentibus; ideò optimè illis contradicitur, quamuis earum probabilitas non deſtruatur. Ad ſummum autem ſunt modales de modo *Probabilius*: his autem optimè contradicitur, ſuadendo, partem oppoſitam eſſe probabiliorem, quod fiet afferendo meliores rationes probabiles; atque adeò quod hoc rationibus probabilibus diſertè impugnatur.

Concluſio, quæ eſt probabilis, rectè impugnatur probabilibus.

121. Dico quintò. Concluſio improbabilis rectè impugnatur, oſtendendo, eam eſſe improbabilem poſitiuè, id eſt, certò falſam; vel oſtendendo, eam eſſe improbabilem negatiuè, hoc eſt carentem fundamento graui. Quo autem modo hoc vtrumque probandum ſit, patet ex concluſione tertia.

Improbabilis dupliciter impugnatur.

Ex dictis claré infertur, mutilam eſſe Logicam Caramuelis, qui contendit, ſuas propoſitiones modales de domo *Probabile*, impugnari non aliter debere, niſi demonſtrando partem oppoſitam. Vide *cap. 1. num. 7.* eius verba. Conſtat autem ex dictis, impugnari, & deſtrui probabilitatem concluſionis, quamuis non probem, partem oppoſitam eſſe certam; dummodo conuincam, hanc partem carere fundamento graui. Si enim oſtendero, concluſionem A, niti clara æquiuocatione, vel ſophiſmate, vel ſyllogiſmo ex quatuor terminis coaleſcente, vel ratione aliàs leui, vel ratione, de qua dubitatur, an ſit grauis; manifeſtè concludam, fundamentum concluſionis A, non eſſe fundamentum graue. Atqui deficiente fundamento graui, deficit probabilitas, cum in eo conſiſtat eſſentia probabilitatis, vt ex ipſa definitione conſtat: ergo dum oſtendero, deficere fundamentum graue, conſtabit, deficere probabilitatem concluſionis. 122.

Deficiens Logica Caramuelis.

Impugnatur probabilitas aliter, quàm demonſtrando oppoſitam eſſe certam.

CAPVT X.

Concluditur tandem quibus inſtrumentis Logicalibus agendum ſit contra aſſertiones Caramuelis.

Rarò cenſuram fero in aſſertiones aduerſariorum, vt notaui in proœmio huius voluminis: cenſuram in meas aſſertiones reſeruaui; quidquid ſit, an ex cenſura meæ aſſertionis reſultet etiam illatiuè cenſura in oppoſitam. Vide *num...* proœmij. Alias affirmo certas, alias probabiles, alias probabiliores. Certas affirmo dupliciter: vel quando aſſertiones oppoſitas cenſeo certò falſas, vel quando eas iudico omni prorſus graui fundamento deſtitui; in quo caſu meæ aſſertiones practicè euadunt certæ, nempe ex dictamine reflexo, quod non licet operari abſque fundamento prudenti, vt latiùs dicam *diſp. 10. n. 25.* Probabiles decerno meas aſſertiones, quando milito contra eos, qui dicunt, ſuas oppoſitas aſſertiones euidentes eſſe, certas, & demonſtratas; vel opiniones, quas tueor, eſſe improbabiles. Probabiliores autem affirmo aſſertiones meas, cum aduerſarij ſuas contradictoriè oppoſitas probabiliores eſſe contendunt. Aliquando autem abſtineo à cenſura meæ aſſertionis, præcipuè quando concluſio aduerſarij abſoluta eſt, & nullum modum certitudinis probabilitatis, vel improbabilitatis affirmat. 123.

Meas [illegible] aſſertiones cenſura aſſertio certitudinis, probabilitatis, probabilioritatis.

Igitur argumentis certis, & ſaltem moraliter demonſtratiuis vtendum mihi eſt contra aſſertionem oppoſitam aduerſariorum, quando meam affirmo certam primo modo, id eſt, directè, & ratione ſui, & ſecluſo quouis alio dictamine practico reflexo: certam (inquam) ſaltem moraliter. 124.

Cum tueor certam, demonſtratione utor contra oppoſitam.

Quando verò meam aſſertionem affirmo practicè certam indirectè, nempe ex præfato dictamine reflexo, id eſt, defectu fundamenti partis oppoſitæ; tunc neque vtor, neque vti debeo demonſtratione, quâ pars oppoſita oſtēdatur directè eſſe 125.

Cùm tueor certam indirectè, demonſtro defectum fundamenti in oppoſita.

R.P. Ioan. de Cardenas Criſis Theolog.

eſſe certò falſa; tamen vtendum mihi eſt in eo euentu inſtrumento ſaltem moraliter certo, ad oſtendendum, deficere parti oppoſitæ fundamentum graue requiſitum ad probabilitatem. Quod clariſſimè conſequar, ſi oſtendero defectum ſyllogiſmi, vel æquiuocationem, vel rationem ſophiſmatis, vel leuitatem fundamenti partis oppoſitæ. Quod morali ſaltem certitudine oſtendendum eſt, vt conſtet, deficere probabilitatem fundamenti parti aduerſæ.

126. *Rationes probabiles, in multis non reiiciendæ.*

Rationes probabiles (etſi omnes velit excludere Caramuel contra ſuas aſſertiones) in multis caſibus vſurpare licet, vt patet ex ſupradictis. Illis ergo vti potero in primis, quoties propoſitiones ſuas Caramuel dicit certas, & demonſtratas, ſiue quoties eas profert vt modales de modo *Certum*, & *Euidens*. Vide quæ dixi *cap.* 2. Deinde, quoties aliquam actionem dicit eſſe illicitam, cuius ea aſſertio ex eius principiis eſt modalis de modo *Certum*. Lege quæ dixi *cap.* 3.

127. *Vbi ipſe impugnat probabilibus, ibi & ego ipſum poſſum.*

Præterea, quoties impugnat aliorum aſſertiones in materia topica per media probabilia, licet etiam mihi impugnare ipſum probabilibus. Sicut enim ipſe tunc non impugnat propoſitionem modalem de modo *Probabile* (aliàs laberetur in vitium, quod ipſe carpit) ſed propoſitionem abſolutam, vel modalem de modo *Probabilius*; ita illi contradicit etiam vel per propoſitionem ſuam abſolutam, vel per modalem de modo *Probabilius*. Cùm ergo prædictæ aſſertiones Caramuelis ſint vel abſolutæ, vel modales de modo *Probabilius*, rectè impugnabuntur per media probabiliora. Vide, quæ de hoc argumento dixi in capitibus præcedentibus.

128. *Rationes probabiles, certis aſſociatæ, iuuant ad certitudinem.*

Quartò. Rationes probabiles, quæ certis aſſociantur, non debent reiici, licèt eum ſcopum reſpiciant, vt probent improbabilitatem poſitiuam aſſertionis oppoſitæ. Nam rationes probabiles, demonſtratiuis adiunctæ, ad harum claritatem maiorem deſeruiunt, & ad augendam in iudicio prudentum certitudinem. Nam oppoſitæ ſententiæ non mediocre affertur præiudicium, ſi conſtet, tam rationes certas, quàm probabiles contra ipſam militare; & contra eius cauſam teſtes maiores, & minores produci.

129. *In quæſtione facti, rationes probabiles multiplicatæ pariunt certitudinem.*

Quintò. Cùm aliquando plures rationes, præcipuè in quæſtione facti, producant certitudinem moralem, vt notaui *cap. præced. num.* 118. in tali caſu licebit etiam vti iis rationibus probabilibus multiplicatis, vt prædicta aſſertio facti ad certitudinem moralem perueniat, & oppoſitæ partis improbabilitatem adſtruat.

130. *Rationes, quæ an ſint plus quam probabiles, alij diſcutiant.*

Sextò. Aliquando etiam rationes, quæ videntur probabiles, certis adiunguntur, vt viri docti diſcutiant, an eæ quoque ad gradum certitudinis perueniant. Et ideò aliquando abſtineo ab affirmatione euidentiæ, vel probabilitatis, quia hanc cenſuram relinquo doctorum hominum iudicio.

131. *Amplector ſententiam eius, cuius argumenta refello.*

Notandum etiam eſt, me aliquando defendere probabilitatem ſententiæ Caramuelis, & ſimul diſſoluere & impugnare argumentationes eius. Id tamen præcipuè obſeruo, cùm cenſeo, eas argumentationes parturire poſſe noxias conſequentias in aliis materiis. In quo caſu etiam per media certa contra prædictas argumentationes procedendum eſt; modo tamen exponendo *diſp.* 10. *num.* 15.

132. *Non peccat in Logicam, qui rationem topicam putat demonſtratiuam.*

Sed nunquid inſcius Logicæ dicendus eſt, qui cùm ſciat, probabilitatē per media certa eſſe impugnandam, dat argumentationem, quam putat demonſtratiuam, ſi reuerà attentè conſiderata talis non eſt? Si affirmes, refellendus es. Multos enim Authores de eo defectu accuſabis, & præcipuè Caramuelem, & aſſeclas. Nam ſæpe Caramuel demonſtrationes affirmat etiam eas argumentationes, quæ mera æquiuocatione, vel ſophiſtico dolo nituntur. Lege diſputationes 34. 46. 47. & 48. Deinde quia ſtat optimè, aliquam putari demonſtrationem, quæ talis non eſt, quin vlla Dialecticæ regula violetur. Nam ſi exiſtimas, principium à te aſſumptum, eſſe per ſe notum, quod tamen probabile dumtaxat ſit, ſyllogiſmus non peccabit in Logicam, qui omnes eius regulas poteſt exactiſſimè obſeruare: excipe, ſi argumentum ſit ſophiſticum.

133. *Borgias non peccauit in Logicam.*

Ideò non parum miror, quòd Caramuel, & Verde, D. Borgiæ attribuant inſcitiam Logicæ, quia cùm in Anticaramuele pollicitus fuerit demonſtrationes, vt improbabilitatem aſſertionum Caramuelis adſtrueret, ſolùm dederit rationes, quæ eorum iudicio ſunt dumtaxat probabiles. Ita Caramuel *in Apolog. de probabilit. num.* 312. [Imitari videtur Illuſtriſſ. D. Borgiam, qui in libro contra Caramuelem edito, ſe Logicam ſcire diſſimulat.] Scilicet quia improbabilitatem impugnat per media probabilia. Si enim demus, rem ita eſſe, potuit fieri, vt dixi, ſine reatu in Logicam.

Et Verde *in poſitionibus ſelectis num.* 680. ſic ait: [Eſt enim error in primis Logicæ moralis fundamentis, credere, rationibus leuibus, aut etiam probabilibus poſſe alicuius doctrinæ probabilitatem oppugnari. Vale, Lector amice: valeat etiam Illuſtriſſ. Anticaramuel, & ſciat, quod niſi mutet Logicam, & in poſterum vtatur apodictica (hac enim vti debet) à nobis non erit impugnandus: oſtendiſſe enim, eum non ſcripſiſſe apodicticè, eſt redegiſſe in nihilum omnia, quæ congerit, vt apud vulgus gloriam habeat.] 134.

Quæ periodus in multis à veritate exorbitat. Primò. Non enim errauit in Logica Borgias, dum credens ſe dare demonſtrationes (eſto ita) dedit argumenta probabilia, vt conſtat ex dictis. Secundò, aliquas demonſtrationes ipſum dediſſe ſcio: nam qui dat ſolutionem probabilem argumento, planè demonſtrat, id argumentum non eſſe euidens, vt patet ex dictis ſuprà *num.* 112. Quòd autem multis argumentis, quæ Caramuel affirmat demonſtratiua, dederit ſolutiones probabiles, patet. Vide *num.* 25. & 28. An autem argumenta ab ipſo efformata demonſtratiua ſint, non poſſum decernere, quia Verde in iis referendis ita ſe exhibuit Laconicum, vt de eorum argumentorum efficacia non poſſit iudicium ferri.

Tertiò. Nam ex dictis abundè conſtat, multas Caramuelis aſſertiones à D. Borgia impugnatas, non eſſe neceſſariò euidentibus impugnandas, ſed optimè probabilibus impugnari: 135.
tum quia multæ ex illis ſunt propoſitiones modales de modo *Certum*, vt conſtat ex num. 12. 25. 28. 33. & 37. Tum etiam, quia multæ, quas, dicit Caramuel, eſſe modales de modo *Probabile*, tales non ſunt, vt ex decurſu huius diſputationis certiſſimum eſt.

Sciat ergo Verde, non eſſe neceſſarium mutare Logicam, & in poſterum vti apodictica, quando eius ordinis aſſertiones impugnandæ ſunt. 136.
Et ſciat, ideò perperam dictum, quod *oſtendiſſe, eum non ſcripſiſſe apodicticè, eſt redegiſſe in nihilum omnia, quæ congerit:* quia iuxta rectam Logicam potuit probabilibus certitudinem

Digitized by Google

dinem affirmatam impugnare. Ei autem, quod obiicit de gloria apud vulgus quæſita, ſatisfeci in proœmio huius libri.

137. Nec putet, hæc dicta, vt me ab onere demonſtrandi, quæ certa eſſe ſaſſeruero, reddam immunem. Agnoſco onus, & Deo dante, oneri ſatisfaciam. Si tamen principia certa, quæ aſſumo, incerta dixerit, non ſatis eſt dixiſſe. Pro quo virorum doctorum iudicium appello.

DISPVTATIO III.

An ad impugnandam probabilitatem opinionis, requiratur euidens ſolutio argumentorum, ei probabilitati ſuffragantium.

CAPVT I.

Caramuelis Logica proponitur.

1. *Affirmat Caramuel.* HVic quæſtioni affirmatiuè reſpondet quamplurimis in locis. Nam in primis *in Apol. de probabilit. n.* 303. præſcribens modum, quo impugnari debeat à ſuis antagoniſtis, ait: [Vt ſciatis, qualiter diſputare debeatis, vt has legatis, & obſeruetis leges, Dialectica moralis præcipit.] Harum legum tertia hæc eſt: [Nullam merè probabilem in reſponſione aſſertionem ponunto.] Itaque iuxta Caramuelis Logicam, in reſponſione, & ſolutione argumentorum, quidquid dixerit reſpondens, debet eſſe certum, & euidens; aliàs nullum afferent præiudicium probabilitati affirmatæ.

2. *Poſtulat Caram. diſparitatem euidentem.* Deinde in Theologia fundamentali tertio quoque folio, dum paritate impugnat, & vrget aduerſarios, poſtulat ſibi exhiberi diſparitatem euidentem; quam, niſi euidentem, non vult admittere. Et *num.* 453. *fund.* 11. exiſtimat, eum, qui aſſerit, aliquid eſſe illicitum, afferre debere rationes demonſtratiuas pro ea concluſione; recole verba eius relata *diſp. præced. num.* 31.

3. Et ſubdit. [Secundò, debet etiam oſtendere, rationes, quæ bonitatem ſuadent, ſecundùm moralem prudentiam conſideratas, ne quidem probabiles eſſe. Et id oſtendet, ſi omnibus ad vnam, dederit ſolutionem, quæ euidenter ſit vera: euidenter, inquam, realiter, aut moraliter.] Itaque qui affirmat aliquid illicitum, ſecundum eius Logicam moralem, non ſolùm debet probare euidenter, id eſſe illicitum, ſed etiam debet ſoluenere euidenter argumentationes, quæ militant pro parte oppoſita.

4. *Idem affirmat Verde.* Eandem Logicam tradit Franciſcus Verde *in poſitionibus ſelectis*, *n.* 476. Ait enim [Opinio probabilis ab intrinſeco, tunc tantùm euadit improbabilis, quando euidenter ſoluuntur rationes, in quibus fundatur.] Et *n.* 506. ait: [Concludamus igitur dicendo primò, Illuſtriſſimum Anticaramuelem debuiſſe, dum argumentaretur, puras demonſtrationes proferre: dum reſponderet, date ſolutiones euidentes & certas, tales ſcilicet, vt contrà nihil obiici poſſet probabile.] Eſt ergo Caramuelis Logica, quod vbi quis certitudinẽ vnius concluſionis probat, vel improbababilitatem, ſiue certitudinem falſitatis alterius, non ſufficit, concluſionem ſuam demonſtrare, ſed debet etiam euidenter ſoluere argumenta partis oppoſitæ.

CAPVT II.

Demonſtratur, Logicam relatam eſſe illegitimam.

5. *Argumenta contra libertatem ſoluuntur ſolutionibus probabilibus.* EAm Dialecticæ regulam falſam eſſe, adeóque non regulam, ſed dialecticum ſcandalum, demonſtratur primò. Libertatem humani arbitrij demonſtrat quilibet Theologus, tum demonſtratione naturali, tum demonſtratione theologica, contra Lutheranos libertatem humani arbitrij euertentes: obiectiones autem Lutheraniſmi deſumptas ex compoſitione libertatis cum diuina gratia auxiliante, alius Theologus ſoluit per ſententiam de futuritione conditionata; alius autem per ſententiam de præmotione phyſica. Vel ergo ſolutio tradita à Theologo Ieſuita per ſententiam de ſcientia futuritionis conditionatæ, eſt euidens, vel dumtaxat probabilis? *Dilemma.* Nam eſſe euidenter falſam, ſcio, non audebit aſſerere. Si dicat eſſe euidentem, retractet Caramuel quæ ſcripſit contra ſcientiam mediam *fund.* 1. *theſi* 6. *n.* 106. Si dicat, dumtaxat eſſe probabilem, rurſus inquiro, an ſententia Thomiſtica oppoſita ſit euidens, vel dumtaxat probabilis? Euidentem dicere non poteſt, quia id eſſet aſſerere, ſententiam Ieſuiticam eſſe euidenter falſam. Erit ergo ad ſummum probabilis. Vel ergo obiectionibus Lutheraniſmi ſatisfaciunt Theologi Catholici, vel non ſatisfaciunt? Hoc ſecundum affirmare, & impium eſſet, & ridiculum. Satisfaciunt ergo. Quinam? Ieſuitæ, an Thomiſtæ, an vtrique? Vtrilibet illi ſint, per ſolutiones probabiles ſatisfaciunt; alij per ſententiam de ſcientia conditionata, alij per oppoſitam; vtrique per vtramque. Stat ergo, demonſtrari optimè libertatem humani arbitrij contra Lutheraniſmum, & quòd huius obiectionibus per ſolutiones probabiles ſatisfiat.

6. *Obiectionibus contra cauſalitatem ſacramentis ſatisfit per probabilia.* Demonſtratur ſecundò. Theologus ex principiis fidei demonſtrat, Sacramenta nouæ legis cauſare gratiam. Inſurgat hæreticus, & impugnet hanc veritatem, ex eo quod hæc cauſalitas nec phyſica eſſe poſſit, neque dumtaxat moralis; & vtramque partem impugnet rationibus probabilibus; nam contra quamlibet partem ſeorſim argumenta probabilia formari poſſunt: vel ſi mauis, vtramque partem impugnet ſophiſticis. Theologi ſatisfaciunt obiectioni hæretici, ſed non ſatisfaciunt niſi per ſolutiones probabiles; alij deſumptas ex cauſalitate phyſica, alij deſumptas ex cauſalitate morali: ergo poteſt demonſtrari Sacramẽta nouæ legis cauſare gratiam, ſatisfaciendo ſolùm probabiliter obiectionibus in contrarium oppoſitis.

7. *Euidentia impugnari ſolet adiunctis, quæ ad varias opiniones trahunt.* Sic poteris per multa exempla diſcurrere. Contingit enim ſæpiſſimè veritatem aliquam eſſe certiſſimam, argumenta autem, aut ſophiſmata contra illam, deſumi ex variis circumſtantiis, ſiue adiunctis, ad quæ dum Theologi deſcendunt, abeunt in ſententias vtrimque probabiles: in quibus caſibus cùm nulla ſententia ſit euidens, ſolutio haurienda à tali ſententia non poteſt euadere euidens, ſed dumtaxat probabilis.

8. *Demonſtrata concluſione, oppoſita manet* Demonſtratur tertiò à priori. Cùm concluſionem euidenter oſtendo, & ſoluo probabiliter obiectiones partis oppoſitæ, pars oppoſita relinquitur euidenter falſa: ergo nulla Logica

certò falſa, quamuis huius argumenta probabiliter ſoluantur.

gica poſtulat, quod etiam ſoluam euidenter obiectiones partis oppoſitæ. Conſequentia eſt manifeſta; ad nullum enim alium finem poſtulatur euidens ſolutio obiectionum partis oppoſitæ, niſi vt pars oppoſita maneat improbabilis, & euidenter falſa: ſi ergo manet improbabilis, & euidenter falſa, quamuis ſolutio obiectionum ſit dumtaxat probabilis, in caſſum cecidit ambitio euidentis ſolutionis. Sed & primum antecedens euidens eſt. Nam implicat contradictionem, concluſionem A, probari euidenter, & quod non ſit euidenter vera: rurſus implicat contradictionum, illam eſſe euidenter veram, & quod contradictoriè oppoſita non ſit euidenter falſa, vt per ſe notum eſt, & demonſtro *diſp. ſeq. n. 6.* ergo per hoc præcisè, quod illa probatur euidenter, propoſitio contradictoriè oppoſita relinquitur euidenter falſa. Sed propoſitio A, probatur euidenter, quamuis ſolutio obiectionum oppoſitæ partis exhibita, ſit dumtaxat probabilis: ergo quamuis hæc ſolutio ſit dumtaxat probabilis, propoſitio contradictoriè oppoſita propoſitioni A, manet euidenter falſa.

9. *Qui conuincit, & non conuincitur, triumphat.*

Demonſtratur quartò: in concertationibus intellectualibus, in quibus lis eſt de aliqua concluſione, ille qui conuincit, & non conuincitur, triumphat de aduerſario; ſed qui probat euidenter, & ſoluit probabiliter; conuincit, & non conuincitur: ergo qui probat euidenter, & ſoluit probabiliter, triumphat de aduerſario. Triumphare autem me de aduerſario in hoc genere concertationis, quid eſt, niſi quod mea concluſio maneat euidens, & concluſio aduerſarij, illi contradictoriè oppoſita, maneat euidenter falſa?

10. Obiectio.

Sed ex iis, quæ in hoc puncto diſſerit Caramuel, poteſt nobis obiici hoc argumentum. Dum ſolutio argumenti eſt dumtaxat probabilis, non tollit probabilitatem ab argumento; componuntur enim optimè probabilitas ſolutionis, & probabilitas argumenti: at, dum argumentum eſt probabile, probabiliter infert concluſionem, atque adeò probabilem illam conſtituit: ergo dum ſolutio argumenti eſt dumtaxat probabilis, concluſio adhuc manet probabilis.

11. *Stante ſolutione probabili, aufertur probabilitas partis oppoſitæ, aliunde.*

Magna æquiuocatio latet in obiectione. Nam aliud eſt, quod ſolutio probabilis non tollat probabilitatem argumenti; & aliud eſt, quod ſtante ſolutione probabili, non tollatur aliunde probabilitas ab argumento. Primum enim eſt verum, & ſecundum falſum. Item aliud eſt, quod vi ſolutionis probabilis argumentum non fiat improbabile; & aliud eſt, quod ſtante ſolutione probabili, argumentum non fiat aliunde improbabile. Similiter enim primum eſt verum, & ſecundum falſum. Nam quamuis verum ſit, quod ſolutio probabilis non faciat illud argumentum improbabile reſpectu eius concluſionis, cui ſuffragatur: at demonſtratio, qua probaui meam concluſionem, reddidit concluſionem contradictoriè oppoſitam euidenter falſam, & conſequenter argumentum pro illa reddidit improbabile.

12. *Demonſtrata concluſione, antecedens, quod infert oppoſitam, manet euidenter falſum.*

Et quidem duplici modo poteſt argumentum conſiderari vt probabile reſpectu concluſionis: vel quia antecedens dicitur probabile, vel quia illatio dicitur probabilis. Si primo modo fiat, ita vt antecedens, quod putatur probabile, neceſſariò inferat concluſionem; quando ego demonſtro oppoſitam concluſionem, eo ipſo illud antecedens amittit probabilitatem, & fit improbabile. V. g. in hoc ſyllogiſmo, [Omnis homo, qui in omni materia theologica citiſſimè efformat argumentationes, eſt ingenioſus: Petrus ſic ſe habet: ergo Petrus eſt ingenioſus.] Si ego demonſtro aliunde, Petrum non eſſe ingenioſum, antecedens (id eſt, vna ſaltem præmiſſa) manet euidenter falſum. Patet. Nam bene valet ab oppoſito contradictorio conſequentis ad oppoſitum contradictorium antecedentis: ſed concluſio mea, quam demonſtro, eſt contradictoriè oppoſita tuo conſequenti, ſcilicet huic [Petrus eſt ingenioſus:] ergo à mea concluſione demonſtrata, quæ eſt contradictoria tui conſequentis, bene valet ad contradictorium tui antecedentis: ergo ſicut mea concluſio manet euidens, ita contradictorium tui antecedentis manet euidens; & conſequenter tuum antecedens manet euidenter falſum. Ergo quidquid ſit de ſolutione probabili, vel euidenti à me exhibita, ex præciſa demonſtratione, qua demonſtro concluſionem meam; & tua concluſio, & antecedens, vnde ea infertur, manent euidenter falſa.

13. *Demonſtrata concluſione, amittitur probabilitas antecedentis partis oppoſitæ.*

Si verò fiat ſecundo modo, ita vt argumentatio dicatur probabilis ratione illationis, quæ non eſt euidens, etiam admiſſo antecedente, v. g. authoritas viri ſapientis, ex qua probabiliter infertur concluſio; tunc ſi ego demonſtro concluſionem oppoſitam, iam ea illatio non eſt probabilis. Nam ex eo præcisè, quod concluſio fiat euidenter falſa, euidens eſt, deficere quidquid probabilitatis poteſt illi ſuffragari: atque adeò euidens eſt, nullam eſſe eam illationem, quæ antea reputabatur probabilis; & ideò fit euidens, vel authoritatem eſſe falſam in eo, quod dicit, vel falsò allegatam, vel in alio ſenſu accipiendam. Amittitur ergo ea probabilitas ex præciſa demonſtratione meæ concluſionis, ſiue ſolutio à me exhibita probabilis ſit, ſiue demonſtrabilis.

14. *Sophiſma, quamuis ſoluatur probabiliter, non eſt argumentum probabile.*

Quod ampliùs confirmatur. Nam poteſt contingere, quòd proponas mihi ſophiſma, & quod ego ſoluam illud ex principio probabili. In quo caſu ſolutio mea eſt dumtaxat probabilis. Numquid ſophiſma illud propterea manet argumentum probabile? Abſit. Sophiſma enim ſemper eſt improbabile: ergo ſtat, quòd aliquod argumentum ſit improbabile, & quod exhibeatur ei ſolutio probabilis: ergo ſtat, quod vi demonſtrationis elicitæ pro mea concluſione, argumentum partis oppoſitæ maneat improbabile, & quod ego exhibeam ſolutionem probabilem. In quo caſu ſophiſma illud non redditur improbabile per meam ſolutionem probabilem, ſed per demonſtrationem concluſionis, quæ contradictoriè opponitur concluſioni ſophiſmatis.

Quæ eſt ergo hæc neoterica Logica, quæ tam apertè de falſitate conuincitur? Videat ergo ſapiens lector, an immeritò dixerit Franciſcus Verde *num.* 495. [Ideò in Logicis exorbitat Illuſtriſſ. Anticaramuel, quòd Caramuelis Logicam ſolidiſſimè ſcriptam non legat. Nam Ariſtotelis, aliorumque veterum, aut ſeniorum Logicæ ſufficientes non ſunt, vt ſyllogiſmi morales conformentur, aut examinentur.] 15.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT III.

Quàm ſit noxia hac pſeudoregula veritatibus theologicis certiſſimis!

16. DEmonſtrationes hucvſque propoſitas maximè confirmabit, ſi attentè conſideret lector, quantum detrimentum afferre poſſit hæc pſeudologica concluſionibus theologicis certiſſimis. Quod exemplo exhibito oſtendam. Caramuel *in Theolog. fundam. num.* 2052. *fund.* 71. de Diaconatu ſic diſſerit. [Diaconatum eſſe Sacramentum, ſoli negant Durandus, & Caietanus, viri magni; qui ſimul cur non debeant facere opinionem probabilem, non video. Legatur ille *in* 4. *diſt.* 24. *quæſt.* 2. *art.* 1, iſte *tom.* 1. *opuſc. tract.* 11. Quorum rationes, qui euidenter diluat, erit magnus Apollo. Notet tamen lector, me, cùm dico, non videre, cur non ſit probabilis, non dicere, me videre, cur ſit probabilis: nam inter hæc duo magnam differentiam reperio.] Hucvſque Caramuel.

Quid aſſerat Caram. de ratione Sacramenti in Diaconatu?

17. Et vt ab extremis his verbis incipiam, licet neget, ſe dicere, eam ſententiam eſſe probabilem; at per verba antecedentia euidenter dicit, illam eſſe probabilem. Etenim probabilitas argumentorum (atque adeò concluſionis illis præmunitæ) non tollitur iuxta ſuam pſeudoregulam, niſi per euidentem ſolutionem eorum: atqui impoſſibile cenſet, argumenta Durandi, & Caietani euidenter ſolui: id enim denotant ea verba; *Quorum rationes qui euidenter diluat, erit magnus Apollo:* hoc enim Virgilij hemiſtichum aſſumimus adinſtar prouerbij, cùm ſignificare volumus difficultatem ſolutu, aut explicatu impoſſibilem: ergo nondum eſt ablata probabilitas argumentorum Durandi, & Caietani; atque adeò concluſio eorum circa Diaconatum probabilis adhuc perſeuerat. Itaque Caramuel per ea verba, *Non dicere, me videre, cur ſit probabilis*: negat ſe aſſerere probabilitatem eius ſententiæ. At per ea verba, *Quorum rationes qui euidenter diluat, erit magnus Apollo*; attenta eius pſeudologica, planè dicit, cur ea ſententia ſit probabilis.

An dicat Caram. eam aſſertionem de Diaconatu eſſe probabilem?

18. Itaque certiſſimum eſt, Diaconatum eſſe Sacramentum, adeò vt P. Vaſquez *tom.* 3. *in* 3. *part. diſp.* 238. *num.* 10. dicat, id eſſe definitum à Tridentino. Et quidem Concilium *ſeſſ.* 23. *can.* 6. definiuit, Diaconatum eſſe de iure diuino, & à Chriſto Domino inſtitutum, per ea verba: *Si quis dixerit in Eccleſia Catholica non eſſe hierarchiam diuina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris, anathema ſit.* Nomine enim Miniſtrorum intelliguntur Diaconi, & Subdiaconi; vel ſaltem proximiores Presbytero Diaconi. Ex eo autem quod id definiat Concilium in ordine ad explicandum Sacramentum Ordinis, & ex aliis multis vrgentiſſimis fundamentis, inferunt Theologi tanquam certum, Diaconatum formaliter pertinere ad Sacramentum Ordinis.

Certum eſt, Diaconatum eſſe Sacramentum.

19. Sed numquid adhuc ſunt probabiles rationes Durandi, & Caietani? Iuxta hanc Logicam requiritur euidens ſolutio illarum, vt iam non ſint probabiles: hanc euidentem ſolutionem ſolus ille dabit, qui fuerit magnus Apollo: Caramuel autem non inuenit hunc magnum Apollinem, ſed deſiderat; ergo adhuc probabiles ſunt rationes Durandi, & Caietani, & conſequenter eorum concluſio. Vel ergo concluſio Theologica de ratione Sacramenti in Diaconatu reperta, non eſt certa; vel certitudo illius componitur cum probabilitate ſententiæ oppoſitæ, quæ noua erit terminorum implicatio.

Si adhuc ſunt probabiles rationes Caietani, conclusio erit probabilis.

Vrgeo. Eſto non ſit expreſsè definitum, Diaconatum eſſe Sacramentum, da, quod in proximo futuro Concilio definiatur ab Eccleſia. Rogo iterum, an ſtante hac definitione maneant adhuc probabiles rationes Caietani, & Durandi? Et quidem definitio Concilij non oſtendit principium, ex quo euidenter ſoluantur rationes in oppoſitum militantes, ſed meram concluſionem ſtatuit. Ergo ſi modò non ſoluuntur euidenter illæ rationes, neque poſt concluſionem definitam ſoluentur euidenter. Sed vbi non ſoluuntur euidenter rationes, manent cum ſua probabilitate, iuxta hanc pſeudologicam: ergo rationes Durandi, & Caietani manebunt cum ſua probabilitate; atque adeò adhuc poſt definitionem manebit probabilis concluſio oppoſita illorum. Componentur ergo certitudo concluſionis definitæ, & probabilitas concluſionis oppoſitæ; quod eſt pluſquam chymæricum. 20.

Poſt definitionem, rationes oppoſitæ partis non erunt probabiles, licet ſoluantur probabiliter.

Itaque ſtante definitione poſſent ſolui probabiliter rationes oppoſitæ partis, & non euidenter, præcipuè ſi argumenta deſumerentur ex circumſtantiis non definitis: v. g. ſi fieret argumentum ab aliqua hiſtoria exordientis Eccleſiæ, quæ quidem poſſet probabiliter negari, vel poſſet probabiliter oſtendi non eſſe connexa cum eo quod Diaconatui deſit ratio Sacramenti. 21.

Pro cuius maiori claritate aduerte, eſſe valde diuerſas has duas propoſitiones: *Hac ratio probabiliter ſuadet, Diaconatum non eſſe Sacramentum: Hac ratio, quæ conatur, Diaconatum non eſſe Sacramentum, probabiliter ſoluitur.* Nam in eo caſu expreſſæ definitionis (imò & in caſu præſenti, in quo datur concluſio theologica de eodem obiecto) prima eſt falſa, & ſecunda poteſt eſſe vera. Prima quidem eſt falſa, quia contra certitudinem nulla eſt ratio probabilis, etſi ſolùm probabiliter ſoluatur; quia definitio facit euidens, quod illa ratio non conuincit concluſionem oppoſitam definitæ. 22.

Ratio ſoluitur probabiliter, quæ non ſuadet probabiliter.

Adhuc tamen non concludit, ſolutionem eſſe debere euidentem; quia ſi argumentum deſcendit ad circumſtantias non definitas, vel non certas, neceſſe eſt quod exhibeatur ſolutio per principia probabilia. Quod magis adhuc patet in exemplis *cap. præced.* propoſitis. 23.

Quod ſi hanc nouam Caramuelis Logicam velis admittere, tertio quoque gradu impinges in propoſitiones, vel erroneas, vel certò falſas; quarum probabilitati promouendæ multùm proderit prædicta Logica. Apud P. Suarium citandum *diſp.* 11. *num.* 158. inuenies decem Authores aſſerentes, Chriſtum non conſecraſſe verbis, ſed ſola voluntate, vel tactu. Quæ ſententia, vt affirmat Suarius, temeraria eſt. Quid ſi dicat Caramuel, argumenta eorum Authorum non eſſe euidenter ſoluta, & ideò perſeuerare adhuc probabilitatem illius ſententiæ? Apud eumdem Suarium citandum *ibid. num.* 159. inuenies vndecim Authores requirentes formalem actum contritionis ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, nec ſufficere actum attritionis: quæ ſententia, ex mente Suarij, eſt erronea. Numquid ad ferendum 24.

Hæc Logica fauet propoſitionibus certò falſis.

Quæ aſſerit Chriſtum non conſecraſſe verbis, temeraria eſt.

Quæ requirit ad confeſſionem, formalem actum contritionis, erronea eſt, iuxta Suar.

Digitized by Google

iudicium de hac cenſura, neceſſe eſt, quod inquiramus, an argumenta eorum Authorum ſint euidenter ſoluta? Minimè, quia ſtatim ac video, principium certum incompoſſibile cum aliqua concluſione, illam concluſionem dico certò falſam, licèt argumenta in oppoſitum probabiliter ſoluantur. Quæ argumenta licet non maneant improbabilia vi ſolutionis exhibitæ reſpectu concluſionis certæ, manent non probabilia ex vi illius principij certi, quod militat pro concluſione certa. Quem diſcurſum extendere potes per innumeras alias propoſitiones erroneas ab antiquis affirmatas, quarum falſitas iam certiſſimè conſtat.

DISPVTATIO IV.

An ſit certa conſequentia, quod ſi vna propoſitio eſt probabilis, oppoſita etiam debeat eſſe probabilis.

CAPVT I.

Sententia Caramuelis, & triplex notatio.

1. *Affirmatiuum partem tuetur Caram.* — CAramuel *in Apolog. de probabilit. num.* 82. ita aſſerit. [Repugnat, alteram contradictionis partem eſſe probabilem, & alteram non eſſe probabilem.] Et *in Theolog. fund. num.* 519. §. *Illa conſequentia, fund.* 11. ita ait. [Illa conſequentia ſubiuncta, *Probabile eſt, quod ſi adiero talem locum, faciam hoc: ergo probabile, quod etſi eumdem locum adiero, non faciam hoc:* eſt certa & euidens. Quia ſicut repugnat, alteram contradictionis partem eſſe dubiam, & alteram non eſſe dubiam; ſic etiam repugnat, alteram eſſe probabilem, & alteram non eſſe probabilem.] Quod etiam conſtat ex definitione opinionis probabilis, quam tradidit, & retuli ſuprà *diſp.* 1. *num.* 12. vbi ad eſſentiam opinionis probabilis requirit, quod habeat contra ſe rationes fortes, non demonſtratiuas; ſupponendo, propoſitionem, quæ contradicit opinioni probabili, habere etiam pro ſe fundamentum poſitiuum graue; atque adeò eſſe poſitiuè probabilem. Quod etiam repetit *in eadem Theolog. fundam. num.* 1939. *in nota marginali, fundam.* 66. vbi ait: [Repugnat, dari rationem probabilem pro vna tantùm parte.] Idem aſſerit *in Apolog. de probab. num.* 313 (qui per errorem Typographi eſt 143.) & paſſim alibi. Quod etiam aſſeruit Verde *in poſitionibus ſelectis contra Antikaramuelem, num.* 476. *in nota margin.*

2. *Hæc aſſertio innumeras parit conſequentias.* — Neque hoc aſſeruit Caramuel ad meram ſpeculationem, ſed potiùs pro Logica ſua morali; nempe vt principium vniuerſaliſſimum ſtatueret ad inferendum innumeras conſequentias in omnibus materiis moralibus. Et ita *in Theologia fund. num.* 520. *fund.* 11. ita proponit titulum. [Notanda pro Logica morali.] & ſubdit: [Hic obiter notandum eſt, cùm agitur de peccatis materialibus, & obiectiuis, eſſe bonas iſtas conſequentias. *Eſt probabile, quod hoc non ſit peccatum: ergo eſt probabile, quod hoc ſit peccatum. Eſt probabile, quod hoc non ſit peccatum: ergo eſt certum, quod ſi illud feceris, non peccabis. Eſt probabile, quod hoc ſit peccatum: ergo eſt certum, quod ſi illud feceris, non peccabis.* Primæ conſequentiæ bonitas naſcitur ex natura incertitudinis; quando enim altera pars contradictionis eſt incerta, etiam altera eſt incerta.]

Pro cuius rei claritate præmitto primò, aliam eſſe propoſitionem probabilem poſitiuè, & aliam probabilem negatiuè. Probabilis poſitiuè (quæ abſolutè vocatur *Probabilis*) eſt quam *diſp.* 1. *c.* 2. definiuimus; quæ ſcilicet, cùm incerta ſit, nititur fundamento graui. Probabilis negatiuè, ſiue non improbabilis, eſt quæ cùm certa non ſit, non tamen eſt certò falſa. Talis eſt hæc propoſitio, *Turca dormit:* quæ nec certa eſt, nec certò falſa reſpectu mei intellectus, qui de Turcæ ſomno nihil ſcio. 3. *Probabilis poſitiuè, graui nititur fundamento; probabilis negatiuè, nec certa eſt, nec certò falſa.*

Vbi etiam notabis, quòd propoſitio probabilis negatiuè, abſtrahit ab hoc, quod habeat fundamentum, vel careat illo. Et ita omnis propoſitio probabilis poſitiuè, eſt etiam probabilis negatiuè, id eſt, nec certa, nec certò falſa. Sed non omnis propoſitio probabilis negatiuè, eſt probabilis poſitiuè; hæc enim propoſitio, *Turca dormit* (ſicut & omne iudicium temerarium) eſt negatiuè probabilis, quia nec certa, nec certò falſa; & tamen non eſt poſitiuè probabilis, nec enim nititur fundamento graui. 4. *Probabilis negatiuè, abſtrahit ab hoc, quod polleat, vel careat fundamento.*

Vbi etiam memoriâ retinendum eſt, quod dixi *diſp.* 1. *cap.* 2. *num.* 19. de duplici vſurpatione *improbabilis*, nempe poſitiua, & negatiua. Nam primo modo idem eſt, quod certò falſa: ſecundo autem modo idem, quod non probabilis, ſiue carens fundamento graui. 5. *Improbabilitas duplex, poſitiua, & negatiua.*

Præmitto ſecundò, ſi vna propoſitio eſt certa, oppoſitam eſſe certò falſam. Probat hic ſyllogiſmus, à conditionali, & purificatione conditionis deductus. [Ex duabus propoſitionibus contradictoriis, ſi prima eſt vera, ſecunda eſt falſa: ſed prima eſt vera: ergo ſecunda eſt falſa.] Tum ſic: In legitimo arguendi modo, ſi præmiſſæ ſunt certæ, concluſio eſt certa: ſed ille modus arguendi præfati ſyllogiſmi, eſt legitimus; à conditionali enim & purificatione conditionis eſt legitimus arguendi modus apud Dialecticos; & præmiſſæ ambæ ſunt certæ: ergo concluſio eſt certa: ergo certum eſt, contradictoriam propoſitionis certæ eſſe falſam: ergo certò falſa eſt propoſitio contradictoria propoſitionis certæ. 6. *Si vna propoſitio eſt certa, contradictoria eſt certò falſa.*

Quod idem aliter demonſtratur. Iſta propoſitio; *Ex duabus contradictoriis ſi vna eſt vera, altera eſt falſa*; eſt propoſitio certa, & euidens: ergo poteſt reduci ad modalem de modo *Certum*, ſic: *Certum eſt, quod ſi vna propoſitio eſt vera, altera eſt falſa:* ergo dum certò ſupponimus, vnam eſſe veram, certum eſt, quod altera eſt falſa. 7.

Tertiò. Bene valet ab vna propoſitione ad eius contradictoriam negatam, ſic; *Petrus exiſtit: ergo non Petrus non exiſtit.* Sed ex antecedenti certo nequit inferri conſequens incertum; conſequens enim participat certitudinem ſui antecedentis: ergo ſupponendo, quod hæc propoſitio, *Petrus exiſtit*; eſt certa, iſta propoſitio, *non Petrus non exiſtit*; eſt propoſitio certa: ſed hæc æquiualet iſti, *Falſum eſt, quod Petrus non exiſtit:* ergo ſi hæc eſt certa, certò falſum eſt, quod Petrus non exiſtit: ergo iſta, *Petrus non exiſtit*, eſt certò falſa. 8.

Præmitto tertiò: Si vna propoſitio eſt improbabilis, oppoſitam eſſe certam. Patet. Propoſitio improbabilis eſt certò falſa: ſed vbi vna propoſitio eſt certò falſa, oppoſita eſt certò vera, vt patet 9. *Si vna propoſitio eſt improbabilis, contradictoria eſt certa.*

Digitized by Google

patet ex præmiſſo primo: ergo ſi vna eſt improbabilis, oppoſita eſt certò vera.

CAPVT II.

Statuitur, & demonſtratur prima concluſio.

10. *Poteſt propoſitio eſſe probabilis, quin contradictoria ſit probabilis.*

SIt prima concluſio. Ex duabus propoſitionibus contradictoriè oppoſitis; poteſt eſſe vna probabilis poſitiuè, ſine eo quòd altera ſit probabilis poſitiuè. Et cùm probabilis poſitiuè ſit idem, quod abſolutè probabilis, abſolutè dicendum eſt: Ex duabus propoſitionibus contradictoriis poteſt vna eſſe probabilis, ſine eo quod altera ſit probabilis. Quam concluſionem vt omninò certam propugno.

11. Th. Sanch.

Hæc concluſio eſt communis inter Authores. Ita P. Thom. Sanch. *lib. 2. de matrim. diſp. 44. num. 4.* vbi ita ait: [Si coniux habet probabilem aſſenſum impedimenti; habet enim probabilem opinionem vitæ prioris viri, & ſimiliter probabilem aſſenſum mortis, & ita valere matrimonium; poteſt reddere, & petere debitum: quia licitum eſt amplecti opinionem probabilem valoris matrimonij. Vnde dum dixi *num. præcedenti*, habentem opinionem nullitatis matrimonij, teneri reddere, non tamen poſſe petere; intelligendum eſt, quando non habet aſſenſum opinatiuum vtriuſque partis, ſed ſolùm nullitatis matrimonij cum dubio, & formidine valoris.]

12. Suarez.

Idem docet P. Suar. *tom. 4. in 3. part. diſp. 22. ſect. 9. num. 5.* vbi referens varios gradus dubij, ait: [Primus eſt, quando homo probabiliter iudicat vnam partem, & de alia non habet iudicium probabile, ſed ſuſpicionem aliquam, & timorem.] Quod idem tradit P. Coninck

Coninck.

diſp. 7. de pœnit. n. 67. qui explicans modos, quibus poteſt dubitari de peccatis omiſſis, ſubdit: [Quartum, quando ex vna parte habeo rationes vtcumque probabiles, me peccaſſe, aut confeſſum eſſe; pro altera verò nullas.] Idem docet P. Ferrantinus *de ſcandalo quaſt. 77. num. 31.* apud Caram. *in Theolog. fund. num. 1941. fund. 66.* quod notauit bis Caramuel *ibid.* in margine. Et eſt communis obſeruatio Theologorum, dum agunt de probabili cognitione peccati commiſſi, aut non commiſſi; vbi communiter affirmant, poſſe me habere pro vna parte rationes probabiles; & pro altera, vel nullas, vel leues.

Ferrantinus.

Poſſum habere rationes probabiles de peccato commiſſo, & leues, vel nullas de non commiſſo.

13. Vaſquez.

Stat etiam pro noſtra concluſione P. Vaſquez ſæpè, dum docens ſententiam ſuam probabilem, aſſerit, oppoſitam nullo fundamento niti. Quod idem eſt, ac dicere, ſuam eſſe probabilem, & oppoſitam non eſſe probabilem; cùm abſque fundamento nequeat eſſe probabilis. Vide illum *tom. 1. in 1. 2. diſp. 75. cap. 1.* vbi quandam Cani ſententiam referens, illam dicit, nullo probabilitatis fundamento munitam. *Cap.* autem 2. propriam ſententiam dumtaxat vocat opinionem.

14. *Ex eo quod propoſitio nitatur rationi graui, non infertur, contradictoriam niti rationi graui.*

Oſtenditur concluſio primò à priori. Ex eo quod vna propoſitio habeat argumentum graue non demonſtratiuum, non infertur, quod eius contradictoria habeat etiam pro ſe argumentum aliud graue non demonſtratiuum: ſed habere argumentum graue non demonſtratiuum, eſt eſſe probabilem poſitiuè: ergo ex eo quod vna propoſitio ſit probabilis poſitiuè, non infertur, quod oppoſita etiam ſit probabilis poſitiuè. Minor, & conſequentia patent. Nec minùs certa eſt maior. Quia vbi nulla eſt connexio, nulla eſſe poteſt conſequentia; nam conſequentia nihil aliud eſt, quàm connexio antecedentis cum conſequente: atqui ſicut exiſtentia rei, & negatio eius nullam inter ſe habent connexionem; ita fundamentum graue promouens exiſtentiam rei, nullam habet connexionem cum fundamento graui promouente negationem eius.

15. *Nulla eſt conſequentia à ratione graui vnius, ad rationem grauem contradictoriæ.*

Et quidem gratis, & abſque fundamento ſupponitur, quod valear conſequentia à fundamento graui vnius partis ad fundamentum graue partis oppoſitæ, vt manifeſtè conuincam *cap. 4. 5. & 6.* Sed conſequentia, quæ ponitur abſque fundamento, nulla eſt: nulla eſt ergo conſequentia à fundamento graui vnius partis, ad fundamentum graue partis oppoſitæ: ergo nulla eſt conſequentia à probabilitate vnius partis, ad probabilitatem oppoſitæ.

16. *Mors coniugis eſt probabilis, & non vita.*

Secundò. Fœmina coniugata habet vnum teſtem de morte ſui viri, quod eſt fundamentum probabile; & de vita ipſius nullum penitus habet fundamentum: nam præſumptio vitæ, quæ antea dabatur, ceſſat per depoſitionem huius teſtis: ergo habet opinionem probabilem de morte viri; de vita autem non habet opinionem probabilem: non ergo valet conſequentia à probabilitate vnius partis ad probabilitatem alterius.

17. *Occurrit ratio grauis pro non commiſſione culpæ, & leuis pro commiſſione.*

Tertiò. Dubitanti mihi, an tale peccatum commiſerim, occurrit ratio grauis pro non commiſſione peccati; & ratio leuiſſima pro commiſſione eius. In hoc caſu habeo opinionem probabilem de non commiſſione; & non habeo opinionem probabilem de commiſſione: ergo ex eo quod habeam opinionem probabilem de non commiſſione, non arguitur probabilitas partis oppoſitæ.

18. *Datur vnus teſtis pro occiſione, & nullus pro non occiſione.*

Quartò. In vrbe occiditur homo. Inquirente Prætore reum, vnus teſtis fide dignus deponit, Petrum occidiſſe: pro parte verò negatiua nullus teſtis eſt, nulla coniectura grauis. Ecce pars affirmatiua habet fundamentum graue non certum, cùm pars negatiua nullum tale habeat: ergo pars affirmatiua eſt probabilis, ſine eo quod pars negatiua ſit probabilis. Et propterea reus traditur equuleo, quia pro parte oppoſita non eſt fundamentum probabile.

19. *Praua eſt conſequentia!* Eſt probatio pro occiſione: ergo pro non occiſione.

Ergo monſtroſa eſt Logica, quæ ſic colligit: *Probabile eſt, Petrum occidiſſe: ergo probabile eſt, Petrum non occidiſſe.* Sicut etiam hæc erit adinſtar monſtri: *Probatio grauis eſt de Petro occidente: ergo probatio grauis eſt de Petro non occidente.* Nec dicas, pro parte negatiua eſſe innocentiam Petri præſumptam. Hæc enim præſumptio euaneſcit, vbi in oppoſitum eſt ſemiplena probatio, quam facit vnus teſtis fide dignus. Aliàs, ſi adhuc Petrus præſumeretur innocens, iniuſtè traderetur reus equuleo torquendus.

20. *Vnus teſtis pro relaxatione legis, nullus pro non relaxatione.*

Quintò. Audiui teſtem fide dignum, dicentem, legem quamdam, ſeu pragmaticam ſanctionem relaxatam fuiſſe in vrbe, quæ caput eſt Prouinciæ, vbi leges promulgantur; & ibi prædictam relaxationem coram ipſo promulgatam fuiſſe: qui teſtis non facit mihi fidem certam, ſed dumtaxat probabilem. Pro oppoſita verò parte, quod ea relaxatio facta non fuerit, nullus teſtis adeſt, nullum fundamentum, etiam coniecturale: ergo probabile mihi eſt, pragmaticam

Digitized by Google

ticam eſſe relaxatam, ſine eo quòd ſit probabilis pars negatiua, quod videlicet pragmatica relaxata non fuerit. Ergo fingit Logicam, qui hanc dicit valere conſequentiam: *Probabile eſt, relaxatam eſſe legem: ergo probabile eſt, legem non eſſe relaxatam.*

21. *Probabilis eſt Annuntiatio natiuitatis Mariæ, non verò carentia Annuntiationis.*

Sextò. Probabile eſt, Gabrielem annunciaſſe parentibus Ioachimo, & Annæ, Natiuitatem B. Mariæ futuram, eiuſque nomen ſacrum; tum propter Authores, qui aſſerunt; tum propter rationes veroſimiles; neque enim id eſt omninò certum. Pro parte verò negatiua nulla authoritas eſt, nulla ratio. Ergone erit Dialecticus, qui ſic argumentabitur: *Probabile eſt, Gabrielem annuntiaſſe Natiuitatem, & nomen Mariæ: ergo probabile eſt, Gabrielem non annuntiaſſe.*

22. *In quæſtione noua, pro vna parte eſt ratio grauis, non pro altera.*

Septimò. Da, eſſe quæſtionem moralem nouam, quam nemo hactenus verſauit, aliquando enim cœperunt tractari quæſtiones morales; & tunc occurrere rationem moralem primò diſputatori pro parte affirmatiua, ex principio merè topico, vt tali apud omnes recepto; pro parte verò negatiua nec illi, nec aliis occurrere aliquam rationem. Tum ſic: Vel pars negatiua eſt probabilis poſitiuè, vel non eſt poſitiuè probabilis? Si ſecundum dicas, infero: ergo poteſt vna concluſio eſſe probabilis poſitiuè, quin oppoſita ſit poſitiuè probabilis. Si primum dicas, contrà eſt. Vt opinio ſit probabilis poſitiuè, debet habere pro ſe rationes graues non demonſtratiuas: ſed, vt ſupponimus, pro parte negatiua nullæ occurrunt rationes graues: ergo pars negatiua non eſt poſitiuè probabilis, vel abſque fundamento graui poteſt aliqua opinio eſſe probabilis; quæ eſt manifeſta terminorum implicatio.

23. *Vnus teſtis pro indulgentia, nullus pro negatione eius.*

Octauò. Nam ſi inueniatur teſtimonium probabilem fidem faciens, & non certam, quod conceſſæ ſint tales indulgentiæ, non valet: *Probabile eſt, conceſſas eſſe indulgentias: ergo probabile eſt, non eſſe conceſſas.* Nam ad hoc ſecundum nulla ſuffragatur ratio grauis. Neque valet hæc: *Probabile eſt, me poſſe lucrari has indulgentias; ergo probabile eſt, me non poſſe lucrari eas.*

24. *Vnus teſtis pro licentia, nullus pro negatione eius.*

Nonò. Si teſtis fide dignus dicat Petro Regulari, Prælatum eius indulſiſſe, vt ſinguli Religioſi poſſint ex donatione accipere centenos argenteos ad vſus proprios, ſtatim incipit eſſe probabile Petro, quod habet facultatem eos accipiendi: nec Dialectica patitur hanc conſequentiam; *Probabile eſt, quod Petrus habet facultatem accipiendi centum argenteos: ergo probabile eſt, quod non habet facultatem illos accipiendi.* Quia ad primam partem Petrus habet fundamentum graue, at ad ſecundam nullum.

25. *Aſſerta B. Brigittæ ſunt probabilia, non verò oppoſita.*

Decimò. Ea, quæ continentur in reuelationibus Sanctæ Brigittæ, non eſſe demonſtrabilia, ſed duntaxat probabilia, & vt talia approbata eſſe à Gregorio XI. & ab Vrbano VI. affirmat Caramuel *in Apol. de probabilit. numero* 242. Tum ſic. Illæ ſunt probabiles, & oppoſitæ earum non ſunt probabiles: poteſt ergo vna opinio eſſe probabilis ſine eo quod oppoſita probabilis ſit. Antecedens multis exemplis oſtendi poteſt. Accipe pauca *ex lib.* 4. *Reuelationum, cap.* 70. vbi dicitur, quod Chriſtus ante flagellationem, *Ad terram ita trahitur, & impulſus proſternitur ita crudeliter, vt concuſſo capite dentes collidenrentur.* Et eodem tempore; *Ad collum, & maxillam percutitur ita fortiter, &c.* Deinde, *Columnam ſponte amplectens, rectè ligatur, & flagellis aculeatis, infixis aculeis, & extractis, non euellendo, ſed ſulcando, totum corpus eius laceratur.* Hæc quidem iuxta Caramuelem non approbantur à Pontificibus tanquam probabilia, & magno fundamento nitentia. Interrogo ergo, nunquid aliquod graue fundamentum eſt, ad hæc, quæ ex eo *cap.* 70. retulimus, neganda? Sed quia expectare non poſſum reſponſionem aduerſarij, aſſero, mihi meridiana luce clarius eſſe, quod mihi non occurrit fundamentum aliquod ad illa neganda, quæ de paſſione Domini ibi affirmat S. Brigitta. Ergo mihi ea probabilia ſunt, ſine eo quod oppoſitæ aſſertiones ſint mihi probabiles, cùm probabiles eſſe non poſſint abſque fundamento graui. Quod idem cuilibet euenturum eſſe certò ſcio, qui video, neminem producturum eſſe fundamentum graue ad ea neganda.

Vndecimò. Hiſtoriæ Authorum, qui diligenter ſcripſerunt, maiori ex parte non attingunt ad certitudinem, ſolùm merentur fidem probabilem; & tamen quamplurima ſunt in iis hiſtoriis probabilibus, quæ pro parte affirmatiua poſitiuum habent fundamentum graue, pro parte autem negatiua nullum. Thubalem nepotem Noë aduentaſſe Hiſpaniam, probabile eſt mihi, quia habeo graue fundamentum authoritatis; cui tamen cum formidine aſſentior. Sed pro negando eo aduentu nulla penitus mihi occurrit ratio, nullum fundamentum. Theudiſclum regnaſſe in Hiſpania anno Chriſti quingenteſimo quadrageſimo octauo, vt probabile mihi proponitur, habeo enim fundamentum authoritatis ſufficiens; cui tamen cum formidine aſſentior: ad id autem negandum ne minima quidem ratiuncula mihi occurrit. Prima ergo pars mihi probabilis eſt, ſine eo quod ſecunda illi oppoſita ſit probabilis. 26. *Probabiles ſunt multæ hiſtoriæ, non verò oppoſitæ.*

Duodecimò. Si volueris, quamplurima alia exempla inuenire, in quibus vna propoſitio habeat fundamentum probabile, & oppoſita nullum; copioſam ſegetem miniſtrabunt interpretationes multæ ſacræ Scripturæ, quas ſancti Eccleſiæ Patres probabiliter tradiderunt: quas quidem eſſe conformes ſenſui Scripturæ, probabiliſſimum eſt; non tamen eſt certum, eas continere ſenſum à Spiritu ſancto intentum: quia ſenſus Scripturæ certò intentus à Spiritu ſancto, eſt de fide; & nos loquimur ſolùm de ſenſibus, qui non ſunt de fide. Tum ſic: ea interpretatio, quam tribuit S. Auguſtinus tali textui Scripturæ ſacræ, eſt probabilis dumtaxat: nullum autem fundamentum datur, ad contradicendum in ea interpretatione Auguſtino: ergo pro interpretationis veritate eſt fundamentum, nullum autem eſt pro falſitate eius: eſt ergo vna pars probabilis, & non altera. Vide Addit. *num.* 1. 27. *Multæ interpretationes Scripturæ ſunt probabiles, quarum oppoſita non ſunt tales.*

Et huc vſque dicta pertinent ad vnam, eamdemque demonſtrationem per varia exempla, variaſque probationes explicaram.

CAPVT III.

Proponitur ſecundum argumentum pro eadem concluſione.

28. *An liceat tueri opinionem ſingularem contra communem.*

OStendo ſecundò. Inquirunt Theologi, an contra communem ſententiam liceat viro doctiſſimo opinionem oppoſitam ſingularem defendere. Et quidem alij negant, alij meliùs conceduntur,

cedunt, appoſita ea limitatione, *ſi Doctor firma ratione nitatur* (aut aliis *diſp.* 11. *cap.* 4. & 8. tradendis.) Ita enim aſſerit P. Vazq. *tom.* 1. *in* 1.2. *diſp.* 62. *num.* 12. Ioannes Sancius *diſp* 44. *num.* 6. vbi addit: [Dum tamen qui ſuſcitat opinionem, ſit vir doctus, & probabilibus rationibus incedat.] Villalobos *tom.* 1. *ſum. tract.* 1 *diff.* 4. *n.* 17. vbi etiam addit: [Puede muy bien vn hombre docto ſentir contra la comun, ſi tiene razon manifieſta y firme, en que ſe funde:] quod ſic latinè exponitur: [Poteſt optimè vir doctus opinari contra communem, ſi rationem habeat manifeſtam, & firmam, qua nitatur.] Eodem modo loquitur P. Thomas Sanch. *lib.* 1. *ſum. cap.* 9. *n.* 9. & cum eadem limitatione loquitur P. Caſtro Palao *tom.* 1. *tract.* 1. *diſp.* 2. *punct.* 1. *num.* 3. & Bonacina *tom.* 2. *diſp.* 2. *de peccatis, quaſt.* 4. *puncto.* 9. *n.* 11. vbi dixit ita opinari licet viro docto contra communem [Diligenter examinatis rationibus vtriuſque partis, fretus ſatis firmis & validis rationibus.] Et plures alij infra citandi *diſp.* 11. *cap.* 4. & 8.

29. *Ab opinione communi valeret ad ſingularem.* Atqui iuxta nouam iſtam Dialecticam Caramuelis, non ſolùm vir doctus firma ratione munitus, ſed etiam quilibet, etiam tenuiter doctus, nulla ratione ab intrinſeco petita, nullis aliis rationibus examinatis, non ſolùm poteſt, ſed debet dicere, concluſionem oppoſitam communi opinioni Doctorum omnium, neceſſariò eſſe probabilem, vtique ſine alio Authore, & ſine alia ratione, niſi hac noua Logica. Patet: nam apud ipſum hæc eſt legitima conſequentia: *Probabilis eſt communis opinio Doctorum: ergo probabilis eſt opinio oppoſita ſingularis, quam nullus aſſeruit.* Fruſtra ergo deſudant Theologi in quærendis rationibus ab intrinſeco ad ſtabiliendas opiniones ſingulares, dum hæc Logica miniſtrat rationem omnium certiſſimam, vtpote fundatam in conſequentia infallibiliter inferente; ſi talis eſt, qualem putat Caramuel.

30. Reſponſio. Dices, nos non bene argumentari. Nam communis omnium Doctorum ſententia reputatur certa, dum nihil in contrarium opponitur. Ab eo autem quòd concluſio ſit certa, malè arguetur, quod oppoſita ſit probabilis poſitiuè. Quare priùs probandum eſt, illam communem ſententiam eſſe dumtaxat probabilem; & ita bona erit conſequentia, quæ collegerit, oppoſitam etiam eſſe probabilem.

31. Refutatur. Infero: ergo per hoc ſolum, quod probetur, opinionem communem omnium Doctorum non eſſe demõſtratam, ſaltem demonſtratione morali, oppoſita pars manet probabilis; ex quo duas alias conſequentias elicio. Primã: Ergo fruſtra deſudant Theologi in quærendo ſuæ opinioni ſingulari, vel minus communi, argumenta ab intrinſeco; ſed ſolùm probent, argumenta communis opinionis non eſſe demonſtratiua: inde enim conſtabit, opinionem communem eſſe dumtaxat probabilem. Secundùm: Ergo quoties conſtiterit communes omnium Theologorum opiniones, non eſſe demonſtratas, poterit quilibet per oppoſitam concluſionem gubernare conſcientiam. Sanè ſi hæc omnia denotaueris, abſurdè diſcurres. Sed præterea ſcias, horum omnium falſitatem præcedentibus, & ſubſequentibus argumentis demonſtrari.

CAPVT IV.

Ex probatione ſecundæ concluſionis, ampliùs demonſtratur prima.

SEcunda concluſio ſit, eaque certiſſima. Ex duabus propoſitionibus contradictoriè oppoſitis, ſi vna eſt probabilis poſitiuè, altera debet eſſe probabilis negatiuè. Vnde hæc eſt recta conſequentia: *Probabile poſitiuè eſt, indulgentiam eſſe conceſſam* (in caſu ſupra poſito *num.* 23.) *ergo eſt propobabile negatiuè indulgentiam non eſſe conceſſam.* Poteſt quidem etiam propoſitio contradictoriè oppoſita eſſe probabilis poſitiuè, vt inductione conſtat; non tamen id infertur, vt ex argumentis huc vſque factis conſtat, & vlteriùs demonſtrabitur argumentis ſubſequentibus. 32 *Si vna eſt probabilis poſitiuè, contradictoria eſt probabilis negatiuè.*

Patet ergo hæc ſecunda concluſio. Probabilis negatiuè eſt, quæ neque eſt certa, nec certò falſa, vt patet *ex num.* 3. ſed propoſitio contradictoria concluſionis probabilis poſitiuè, non poteſt eſſe certa, nec certò falſa: ergo propoſitio contradictoria concluſionis probabilis poſitiuè, neceſſario eſt probabilis negatiuè: ergo legitimè infertur, quod ſi vna eſt probabilis poſitiuè, contradictoriè oppoſita eſt probabilis negatiuè. Maior, & conſequentia patent, & minor etiam eſt euidẽs: eſt enim implicatio terminorum, quòd propoſitio certa non habeat pro contradictoria propoſitionem certò falſam; & quòd propoſitio certò falſa non habeat pro contradictoria propoſitionem certam, vt conſtat *ex cap.* 1. *num.* 6. Ergo propoſitio contradictoria propoſitionis probabilis poſitiuè, nec poteſt eſſe certa, nec certò falſa; alioquin propoſitio certa, vel certò falſa poſſet contradicere probabili. 33. *Demonſtratur ſecunda concluſio.*

Hinc comperies euidenter, in quo ſteterit æquiuocatio Caramuelis pro ſua Logica morali ſtatuenda, eiuſque principio vniuerſaliſſimo, quòd bene valeat, *Probabile eſt rem eſſe; ergo probabile eſt, rem non eſſe.* Etenim conſtat, hanc eſſe bonam conſequentiam, *Contingens eſt, rem eſſe; ergo contingens eſt, rem non eſſe.* Item hanc; *Incertum eſt rem eſſe; ergo incertum eſt, rem non eſſe.* Paſſus eſt autem æquiuocationem Caramuel, exiſtimans, idem eſſe de modo *Probabile*, ac de modis, *Contingens*, & *Incertum.* Et ne in aliam nouam æquiuocationem incidamus, nota iterum id incertum dici, quod neque eſt certum, neque certò falſum. 34 *Bona conſequentia:* Cõtingens eſt, rem eſſe: ergo contingens eſt, rem non eſſe. *Idem in modo* Incertum.

Et quidem ratio, propter quam valet hæc conſequentia: *Contingens eſt Petrum currere: ergo contingens eſt, Petrum non currere*, hæc eſt: quia ſi ex duabus contradictoriis vna eſt contingens, ſecunda non poteſt eſſe neceſſaria, neque impoſſibilis: quia contradictoria neceſſariæ eſt impoſſibilis, & è conuerſo, vt euidens Dialecticorum Regula demonſtrat. Vnde fit neceſſariò, ſi ex duabus contradictoriis vna eſt contingens, & alteram eſſe contingentem; & bene valere à contingentia vnius ad contingentiam alterius. 35. *Si propoſitio eſt contingens, contradictoria nequit eſſe neceſſaria, aut impoſſibilis.*

Idem omninò contingit in propoſitionibus incertis: etenim omnis propoſitio eſſe debet, vel certa, vel certò falſa, vel incerta. Igitur ex duabus propoſitionibus contradictoriis ſi vna eſt incerta, altera debet eſſe incerta: quia cõtradictoria propoſitionis incertæ non poteſt eſſe certa neque, certò falſa: cõtradictoria enim propoſitionis certæ debet eſſe certò falſa, & è conuerſo, vt euidenter conſtat 36. *Propoſitionis incertæ contradictoria debet eſſe incerta.*

ex

ex n. 6. Vnde fit, vbi vna propoſitio eſt incerta, & alteram contradictoriam eſſe incertam,& bene valere ab incertitudine vnius ad incertitudinem alterius.

37. *Diſcrimen inter incertum, & probabile.*
Ecce ergo euidens diſcrimen inter incertum,& probabile.Nam cùm omnis propoſitio eſſe debeat vel certa,vel certò falſa,vel incerta;item cùm propoſitio contradictoria certæ debeat eſſe certò falſa, & propoſitio contradictoria certò falſæ debeat eſſe certa;relinquitur hoc prædicatum *Incerta*, vt ita dicam, quaſi prædicatum ſolitarium, in quo conſtitui, & contineri debeant ambæ contradictoriæ. Id autem non euenit in prædicato *Probabile poſitiuè*: quia ſi velis facere diuiſionem propoſitionis, in propoſitionem certam, certò falſam, & probabilem poſitiuè; non facis diuiſionem adæquatam. Nam hæc propoſitio, *Turca dormit*, neque eſt certa, neque certò falſa, neque probabilis poſitiuè, cùm ad id aſſerendum nullum detur fundamentum. Vnde fit, quod propoſitio abſolutè probabilis, ſiue probabilis poſitiuè, poſſit habere pro contradictoria vel probabilem poſitiuè,vel incertam, ſiue (quod idem eſt) probabilem negatiuè. Non ergo valet à probabilitate poſitiua vnius propoſitionis, ad poſitiuam probabilitatem contradictoriæ.

38. *A probabili vnius valet ad incertum oppoſita.*
Valet quidem à probabili ad incertam, vt dixi: v. g. *Probabile eſt nomen Mariæ fuiſſe annuntiatum à Gabriele*; *ergo incertum eſt* (vel probabile negatiuè) *illud non fuiſſe annuntiatum.* Ratio eſt, quia probabile vt tale, continet formaliter incertum: ſed bene valet ab incerto vnius propoſitionis, ad incertum oppoſitæ: ergo bene valet à probabili vnius, ad incertum oppoſitæ. Sed non inde colliges, bene valere à probabili vnius propoſitionis, ad probabile oppoſitæ. Etenim probabile dicit duo, & eſſe incertum, & conſtare fundamento graui: ex eo autem, quòd vna propoſitio ſit incerta, & conſtet fundamento graui, bene infertur oppoſitam eſſe incertam; non tamen infertur, oppoſitam conſtare fundamento graui, vt ex huc vſque dictis demonſtratum eſt.

39. *In quo ſteterit æquiuocatio Caram.*
Quod autem in non dignoſcendo hoc diſcrimine ſteterit æquiuocatio Caramuelis, ex verbis illius clarè conſtat: nempe illis, quæ retuli *n.* 2. [Primæ conſequentiæ bonitas naſcitur ex natura incertitudinis: quando enim altera contradictionis pars eſt incerta,etiam altera eſt incerta.] Quæ poſtrema propoſitio ex dictis euidens eſt, ſicut eſt etiam euidens, quàm malè inferat conſequentiam à probabili ad probabilem: ſicut eſt mala conſequentia, *Datur fundamentum graue, quod res eſt: ergo datur fundamentum graue, quod res non eſt.*

40. *Dilemma.*
Et præterea ex verbis Caramuelis ipſum vrgeo. Vel eſſe incertam propoſitionem idem eſt, ac eſſe probabilem; vel eſſe probabilem dicit eſſe incertam, & aliquid alìud? Si primum dicas, fit, quod iſta propoſitio, *Rex Turcarum nunc dormit* (pro cuius affirmatione nullum habemus fundamentum) erit probabilis, quia eſt incerta. Si verò dicas, quod eſſe probabilem, dicit eſſe incertam, & aliquid alìud, infero: ergo cùm à propoſitione probabili ſolùm ſit conſequentia ad eſſe incertam propoſitionem contradictoriè oppoſitam; *quia primæ conſequentiæ bonitas naſcitur ex natura incertitudinis*, non eſt conſequentia à probabilitate vnius ad eſſe probabile oppoſitæ; quia iam eſſet conſequentia ad eſſe pluſquam incertam.

41. Hinc demonſtratur tertiò inanitas huius nouæ Logicæ. Nam ſi propter aliquid valeret conſequentia à probabilitate vnius concluſionis ad probabilitatem oppoſitæ, maximè quia bene valet ab incertitudine vnius ad incertitudinem alterius contradictoriæ. Hæc ratio nullius momenti eſt: ergo non valet à probabilitate poſitiua vnius ad probabilitatem poſitiuam propoſitionis oppoſitæ.

Tertia demonſtratio.

Maior conſtat ex verbis relatis Caramuelis; 42.
vbi enim proponit iſtam primam conſequentiam: [Eſt probabile, quod hoc non ſit peccatum:ergo eſt probabile quod hoc ſit peccatum.] Subdit: [Primæ conſequentiæ bonitas naſcitur ex natura incertitudinis: quando enim altera contradictionis pars eſt incerta, etiam altera eſt incerta.] Quæ ratio continet hunc diſcurſum: [Ex incertitudine vnius propoſitionis infertur incertitudo oppoſitæ: ergo ex probabilitate vnius, infertur probabilitas oppoſitæ.] In quo diſcurſu ex incertitudine infert probabilitatem.

Hinc patet minor prioris ſyllogiſmi, quod videlicet ea ratio ſit nullius momenti. Etenim manifeſtum eſt, quod ex incertitudine non infertur probabilitas: nam in hac propoſitione, *Turca dormit*, & in omni iudicio temerario, reperitur incertitudo, & non reperitur probabilitas. Patet etiam ex omnibus, quæ in hoc capite dicta manent. 43.

Ex incertitudine vnius non infertur probabilitas oppoſita.

CAPVT V.

Ex euerſione alterius fundamenti oſtenditur inutilitas eius Logicæ.

Tribus fundamentis nititur ea Logica moralis, quam inuehere conatur Caramuel. Quorum primum, ex natura incertitudinis ortum, diſſipatum eſt cap. præcedenti. Alterum verò ex natura dubij deſumptum, in hoc capite venit funditus euertendum. Tertium autem in cap. ſequenti. Recole ea verba Caramuelis relata *num.*1. *ex Theol. fund. num.*519. [Illa conſequentia ſubiuncta, *Probabile eſt, quod ſi adiero talem locum, faciam hoc: ergo probabile eſt, quod ſi eundem locum adiero, non faciam hoc*: eſt certa & euidens. Quia ſicut repugnat, alteram contradictionis partem eſſe dubiam, & alteram non eſſe dubiam; ſic etiam repugnat, alteram eſſe probabilem, & alteram non eſſe probabilem.]Itaque ex eo quod valeat conſequentia in dubiis, contendit quod valeat etiam eadem conſequẽtia in probabilibus. 44.

A paritate dubij arguit Caramuel.

Et ante omnia nota, hoc Caramuelis argumentum eſſe diuerſum ab eo quod capite præcedenti relatum, & diſſipatum eſt. Nam eſſe incertum, & eſſe dubium, ſunt res valde diuerſæ. Etenim aſſenſus probabilis eſt incertus; cum nec ſit certus, nec certò falſus: non tamen eſt dubius, nec actus dubitationis; cùm dubitatio ſit ſuſpenſio intellectus in vtramque partem contradictionis. 45.

Non eſt idem eſſe dubium, & incertum.

Iam verò argumentum Caramuelis deſumptum à paritate dubij ad probabilitatem, diſparitatem habet meridiana luce clariorem. Etenim dubitatio eſſentialiter eſt ſuſpenſio intellectus in vtramque partem contradictionis, ſiue, quod idem eſt,ſuſpenſio intellectus ab aſſenſu vtriuſque partis contradictionis,vt latè expono *diſp.*6. *cap.*2. Eo autem ipſo implicat contradictionem, quod dubitem de non curſu Petri,& quod non dubitem de curſu eius. Etenim non poteſt eſſe dubitatio, niſi 46.

Diſparitas inter dubiũ, & probabilitatem.

Dubitatio ſuſpendit intellectum in vtramque partem.

Digitized by Google

niſi ab vtraque parte iudicium ſuſpendam, vt ab ipſa definitione, & notione nominis eſt euidens. Vnde idem formaliſſimè eſt dubitare de curſu Petri, atque dubitare de non curſu Petri. Quare ſi vtrumque eſt idem formaliſſimè, quid mirum, quod ſit legitima conſequentia ab vno prædicato ad ſeipſum?

Idem eſt dubitare de curſu, & dubitare de non curſu.

47. Quod etſi per ſe notum ſit, adhuc vlteriùs demonſtratur. Implicat enim contradictionem, me aſſentiri curſui Petri, & dubitare de non curſu; nam dum affirmo curſum, affirmo falſum eſſe non curſum; ergo dum affirmo curſum, implicat quod dubitem de non curſu. Conſequentia eſt euidens. Nam intellectus non capit hæc duo, nempe aſſenſum, per quem affirmo, falſum eſſe non curſum, & dubitationem de ipſo non curſu; quia non ſuſpenditur aſſenſus circa non curſum, cum dicitur eſſe falſus non curſus. Maneat ergo firmum, eſſe idem formaliſſimè dubitare de curſu, & dubitare de non curſu. Et has tres propoſitiones ſenſu eſſe vnicam: *Dubito de curſu Petri: Dubito de non curſu Petri. Dubito, an Petrus currat, an non curat.*

Aſſenſus de curſu, & dubitatio de non curſu incompoſſibiles.

48. Sed numquid idem eſt formaliſſimè, *Probabile eſt, quod Petrus currat; Probabile eſt, quod Petrus non currat?* Numquid implicat contradictionem, quod intellectui meo appareant rationes pro curſu Petri, illæ quidem graues, ſed quæ mihi formidinem relinquant; pro non curſu autem nullæ mihi occurrant? Sanè id tam longè abeſt ab implicatione, vt illud ſæpiſſimè experiamur, vt in exemplis hucuſque productis, & in cæteris mox ſubiiciendis clariſſimè conſpicitur. Valet ergo in dubio ea conſequentia, & in probabilitate non valet.

Non eſt idem aſſenſus probabilis ad curſum, & aſſenſus probabilis ad non curſum.

49. Hinc contra eam nouam regulam Logicæ moralis aperta efficitur demonſtratio quarta. Illa enim Logicæ regula falſa eſt, & inutilis, quæ omninò caret fundamento: talis eſt hæc: eſt ergo falſa, & inutilis. Patet minor; ſi enim aliquo niteretur fundamento, eo vel maximè, quod à Caramuele deſignatur, nempe eo, quod deſumitur ex natura dubij, & à paritate eius: hoc autem nullum penitus eſt; nam vt vidimus, habet euidentem diſparitatem: ergo hæc regula Logicæ moralis nullo penitus fundamento nititur.

Demonſtratio quarta ex euerſione fundamenti oppoſiti.

CAPVT VI.

Ex tertij fundamenti extirpatione euertitur eadem conſequentia Logicæ moralis.

50. CAramuel *in Apolog. de probabilit. numero* 82. ſic ponit, & firmat ſuam logicam conſequentiam. [Repugnat alteram contradictionis partem eſſe probabilem, & alteram non eſſe probabilem. Patet, quia vbi adeſt euidentia, abeſt probabilitas: & ratio grauis illa dicitur, quæ habet ſolutionem, non quidem euidentem, ſed grauem. Quæ autem ſolui non poteſt, quamdiu ſolui non poteſt, eſt demonſtratiua. Solutio grauis (nota hanc propoſitionem, in qua eſt tota æquiuocationis ratio) naſcitur à ratione graui ſententiæ oppoſitæ. Ergo repugnat, rationes huius ſententiæ bene & plauſibiliter ſolui, niſi opinio oppoſita habeat rationem plauſibilem, & bonam, ex qua illa bona, & plauſibilis ſolutio naſcatur.] Et *in Theolog. fundam. numero.* 1941. *fund.* 66. in notis R. P. Ioan. de Card. Criſis Theolog. marginalibus adiectis ad verba Ferrantini, ait: [Quia hic iterum ait Ferrantinus, poſſe dari rationes probabiles pro vna tantùm parte, pronuncio, rationem probabilem eſſe, quæ probabilem habet reſponſionem. Et quomodo, quæſo, reſponſio erit probabilis, niſi naſcatur ex fundamento, & ratione probabili.]

Alterum Caramuelis fundamentū laborat in æquiuoco.

Aſſerit itaque, repugnare, quod pro vna tantùm parte ſint rationes probabiles; quia rationes probabiles iſtius partis, eo ipſo quod ſint duntaxat probabiles, habent probabilem ſolutionem: ſolutio autem eo ipſo quod ſit probabilis, fundari debet in ratione probabili partis oppoſitæ. Itaque ſi ratio probabilis ſtat pro parte affirmatiua, ſolutio illius ſe tenet ex parte negatiua: fundatur ergo ea ſolutio, quæ ſe tenet ex parte negatiua, in aliquo fundamento, quod ſtat pro parte negatiua; ideoque etiam pro parte negatiua neceſſariò debet ſtare aliquod fundamentum probabile. Falſum ergo ſupponunt ferè omnia argumenta à nobis in hac diſputatione inſtructa, & inſtruenda, dum contendunt, poſſe pro vna parte contradictionis ſtare rationes probabiles, & pro oppoſita nullas. 51.

Et quidem prima facie videtur vrgere argumentum; ſi tamen attentè introſpiciatur, ingenti eſt æquiuocatione perplutum. Ergo ex aduerſo pronuncio, ſolutionem probabilem argumenti probabilis ſtantis pro parte v. g. affirmatiua, non debere naſci ex fundamento, aut ratione probabili partis negatiuæ. 52.

Solutio probabilis argumenti partis affirmatiuæ, non debet naſci ex ratione probabili negatiuæ.

Demonſtro primò. Cùm Berta habet vnum teſtem de morte ſui coniugis abſentis, habet fundamentum probabile de illius morte; & illud fundamentum probabile habet ſolutionem probabilem. Quæ ſolutio probabilis conſiſtit in eo, quod vnus teſtis eſt fundamentum valde fallibile, & probatio ſemiplena. Eſt autem luce meridiana clarius, hanc ſolutionem probabilem non naſci ex parte negatiua, ſcilicet quod coniux adhuc viuit; ſed ex ipſa fragilitate fundamenti. Quod in ſexcentis aliis exemplis clariſſimè conſpicies. 53.

Topica ſolutio teſtimonij probabilis oritur ex fallibilitate teſtimonij.

Demonſtro ſecundò. Da concluſionem probari (quod plerumque fit) ſyllogiſmo, cuius maior eſt vniuerſalis, & ad plures materias ſe extendens, & non ad ſolam materiam concluſionis; minorem verò eſſe particularem, & ſpecialiter pertinere ad materiam concluſionis. Da inſuper, ſolutionem eius argumenti ſyllogiſtici conſiſtere in eo, quod negare debeas maiorem. In hoc caſu contingere poteſt, quod ſolutio probabilis eius argumenti neque reddat probabilem concluſionem, neque connectatur cum principio reddente probabilem concluſionem. 54.

Solutio probabilis quandoque oritur ex negata propoſitione vniuerſali.

Negatio propoſitionis vniuerſalis non reddit probabilem particularem.

Exēplis res fiet dilucidior. Defendis concluſionem probabilem, quod ad recitationem officij Canonici non requiritur attentio ſub reatu culpæ grauis; & probas propoſitione vniuerſali topica: *Eccleſia non poteſt præcipere actus internos: ergo non præcipit attentionem.* Hoc argumentum habet ſolutionem probabilem. Illa ſtat in negatione antecedentis. Quare ſolutio probabilis eius argumenti eſt hæc propoſitio affirmatiua, *Eccleſia poteſt præcipere actus internos.* Numquid hæc propoſitio infert concluſionem oppoſitam primæ, aut eſt fundamentum probabile, ex quo talis concluſio probabiliter deducatur? Numquid valet hæc conſequentia? *Eccleſia præcipere* 55.

Exemplum de attentione officij Canonici.

 poteſt

poteſt actus internos ; ergo præcipit attentionem in officio canonico. Minime valet. Sed neque ea propoſitio vniuerſalis affirmatiua habet connexionem cum alio principio reddente probabilem hanc partem, *Eccleſia præcipit attentionem in officio.* Quia ſicut non valet à potentia ad actum; ita non valet à potentia ad aliquid connexum cum actu.Stat ergo,quòd ſolutio argumenti facti pro parte negatiua ſit probabilis ; & quod talis ſolutio probabilis non fundetur in probabilitate partis affirmatiuæ,ſed ſit probabilis antecedenter ad illam.

56. *Exemplū de taxa tritici.* Deinde pone has duas propoſitiones probabiles : *Lex de taxa tritici non obligat in conſcientia* ; *Lex de taxa tritici obligat in conſcientia.* Qui propugnat primam negatiuam,ſe tuetur hoc ſyllogiſmo : *Lex ciuilis pœnalis non obligat in conſcientia* ; *ſed lex de taxa tritici, eſt ciuilis pœnalis : ergo lex de taxa tritici non obligat in conſcientia.* Hoc argumentum habet probabilem ſolutionem per hanc propoſitionem : *De facto dantur aliquæ leges ciuiles pœnales,quæ obligant in conſcientia* ; quæ probabilis etiam eſt. Tum ſic : Hæc propoſitio ſoluit probabiliter illud argumentum factum pro concluſione negatiua; & non dat probabilitatem concluſioni affirmatiuæ : ergo poteſt dari ſolutio probabilis contra partem negatiuam,quæ non arguat fundamentū probabile pro parte affirmatiua.Maior,& conſequentia patent,minor oſtenditur.Nam ex hac propoſitione , *Dantur aliqua leges ciuiles pœnales, quæ obligant in conſcientia*, non colligitur hæc : *Ergo lex de taxa tritici obligat in conſcientia.* Nam ex particulari affirmatiua malè colliges ſingularem affirmatiuam. Et ideò hæc non valet, *Aliquis homo currit*, vel *Aliqui homines currunt*; *ergo Petrus currit.*

57. *Dubitans de propoſitione particulari, nego vniuerſalem.* Et confirmatur, quia dum ego dubius ſum de hac propoſitione , *Lex de taxatione tritici obligat in conſcientia* ; adeóque non habeo aſſenſum probabilem de obiecto eius , adhuc ſoluo argumentum oppoſitæ partis,negando illam Maiorem, *Lex ciuilis pœnalis non obligat in conſcientia* : ergo ſolutio data contra partem negatiuam, non eſt neceſſe,quod fundetur in aſſenſu probabili partis affirmatiuæ, neque in fundamento probabili eius ; quod ego nondum percipio, cùm nego illam propoſitionem vniuerſalem. Quod in millenis aliis exemplis reperies.

58. *Solutio probabilis ſolùm facit , quod mea concluſio non ſit certò falſa.* Demonſtro tertiò à priori. Solutio probabilis data contra partem affirmatiuam, ſolùm facit, quod pars negatiua non comperiatur eſſe falſa : ergo non facit, quod pars negatiua ſit probabilis. Conſequentia patet : quia aliud eſt quod propoſitio non comperiatur eſſe falſa : & aliud eſt quod ſit probabilis : nam hæc propoſitio, *Turca dormit*, non competitur eſſe falſa & tamen non eſt probabilis , quia nullum eſt fundamentum graue ad illam aſſerendam.

59. *Obiectio intēdit deſtruere concluſionem; ſolutio oſtendit, eam non eſſe deſtructā, non autem eſſe fulcitam.* Antecedens verò probatur. Argumentum dum militat pro parte affirmatiua , ſimul conatur deſtruere negatiuam contradictoriam illius : ſolutio autem argumenti dicit, eam partem negatiuam non eſſe deſtructam vi eius argumenti. Stat autem negatiuam non eſſe deſtructam vi eius argumenti, & adhuc non eſſe ſtabilitam, ſeu probatam. Si enim obiicis argumentum contra hanc propoſitionem, *Turca dormit* ; & ego ſoluo illud,mea ſolutio facit , quod non concludatur vi eius argumenti,illam eſſe falſam ; & adhuc non propterea illa propoſitio manet probata. Nam vi meæ ſolutionis dico ; *Iſta propoſitio*, Turca dormit ; *non eſt certò falſa* : nec tamen inde infertur , quod illa ſit vera, aut quod probata maneat. Ergo ſolutio argumenti ſolum requirit , quod non concludatur, hanc partem eſſe falſam : non autē requirit quod ea vera ſit, aut legitimè probata. Poteſt quidem fieri, quod ſolutio argumenti nitatur principio dante probabilitatem illi parti, quæ impugnatur ab argumento ; id tamen non requiritur ad ſolutionem probabilem argumenti.

Confirmatur,& explicatur ampliùs.Iſta conſequentia, *Non probatur, iſtam propoſitionem*, Turca dormit, *eſſe falſam* ; *ergo probatur eſſe veram* : illegitima eſt,quia poteſt fieri,quod non probetur eſſe falſam,nec probetur eſſe veram : atqui ſolutio argumenti virtualiter dicit idem , quod illa prima propoſitio negatiua , quæ aſſumitur pro antecedente; nam qui ſoluit argumentum , id contendit, nempe, quod non probetur (efficaciter, aut certò) illam partem eſſe falſam , contra argumentum , quod intendit probare, illam eſſe falſam : ergo ſolutio probabilis contra partem affirmatiuam data,non probat partem negatiuam eſſe veram. Vide in additionibus *num.*1. 60. *Ex eo quod non probetur, eſſe falſam, malè inferes, quod probatur, eſſe verā.*

Quartò. Multi Authores defendentes partem v. g. affirmatiuam quæſtionis, ſoluunt probabiliter, aut probabiliùs argumenta facta pro eadem parte affirmatiua , quibus alij Authores prædictam partem affirmatiuam probant ; & tamen non ſoluunt prædicta argumenta ſolutione , quæ fundetur in parte negatiua quæſtionis, cùm illam falſam reputent, & impugnent ; imò & ab ea abhorreant,ita enim ſæpè procedit P.Vazq.& Card. Lugo,imò & ipſe Caramuel in multis quæſtionibus Theologiæ fundamentalis,& multi alij : ergo poteſt exhiberi ſolutio argumento militanti concontra partem affirmatiuam , quamvis non naſcatur ex parte negatiua , neque fundetur in illa. 61. *Multi ſoluūt argumēta militantia pro ſua concluſione : quæ ſolutio nititur in parte oppoſita, à qua abhorrent.*

Quintò. Vt pars aliqua ſit probabilis, ſolùm requiritur , quod eius fundamentum ſit conforme prudenti iudicio , nec tamen habeat pro ſe rationem euidentem , quæ demonſtretur : ſed ad hoc non requiritur,quod habeat ſolutionem fundatam in probabilitate partis oppoſitæ : ergo vt aliqua propoſitio ſit probabilis, non requiritur, quod habeat ſolutionem fundatam in probabilitate partis oppoſitæ. Maior, & conſequentia patent,minor oſtenditur, quia, vt clarè conſpicitur in exemplis ſuprà allatis, & in multis aliis, ſolutio probabilis exhibetur negando, verbi gratia, maiorem, quia cùm non ſit euidens , prudenter negari poteſt : ergo quia non eſt euidens , negari poteſt : ergo quia non eſt euidens , ſolui poteſt id argumentum : ergo ex eo præcisè, quod caret euidentia , ſoluitur argumentum , quin ea ſolutio debeat in aliquo alio fundari : ergo vt ſoluatur, non requiritur , quod recurratur ad probabilitatem partis oppoſitæ , cùm ex ipſo defectu euidentiæ habeat , in quo fundetur reſponſio. 62. *Propoſitio negari poteſt defectu euidentiæ : qui defectus euidētiæ non facit oppoſitam probabilem.*

Sextò. Contingit aliquando , concluſionem v.g.affirmatiuam eſſe probabilem,propter fundamentum graue,& oppoſitam negatiuam niti fundamento leui, vt ex ipſo Caramuele, & aliis Doctoribus oſtendam *cap.*8. Tum ſic,in hoc caſu pars affirmatiua habet pro ſe argumentum probabile ; & tamen id argumentum non habet ſolutionem probabilem fundatam in rationibus partis negatiuæ ; ergo poteſt dari argumentum probabile 63. *Datur argumentum probabile contra opinionem nixam fundamento leui.*

vnius

Digitized by Google

vnius partis, ſine eo, quod habeat ſolutionem probabilem fundatam in rationibus partis oppoſitæ.

64. Maior, & conſequentia conſtant. Minor etiam patet, quia non poteſt eſſe probabilis ſolutio, quæ fundetur in ratione leui, vt ex terminis notum eſt: atqui in prædicto caſu rationes partis negatiuæ leues ſunt: ergo in illis non poteſt fundari probabilis ſolutio argumenti ſtantis pro parte affirmatiua.

65. Quod clariùs conſpicies, ſi hoc argumentum efformaueris in ipſis caſibus, in quibus Caramuel aſſerit, concluſionem oppoſitam niti ratione leui. Argumentum enim, quod inſtruit Caramuel pro ſua concluſione in prædictis quæſtionibus, probabile eſt, atque adeò habet ſolutionem probabilem; non quidem fundatam in ratione concluſionis oppoſitæ, quæ ſecundùm Caramuelem leuis eſt; alioqui probabilitas ſolutionis fundaretur in ratione leui, quæ eſt terminorum implicatio; cùm probabilitas eſſentialiter excludat leuitatem rationis.

66. Septimò. Solutio argumenti plerumque non nititur in probabilitate, aut certitudine concluſionis, cui ſuffragatur ſolutio: ergo probabilis ſolutio argumenti militantis pro parte affirmatiua, non debet fundari neceſſariò in probabilitate partis negatiuæ: ergo probabile argumentum partis affirmatiuæ non debet neceſſariò habere ſolutionem fundatam in probabilitate partis negatiuæ. Ambæ conſequentiæ patent ex antecedente.

67. *Cùm ſententia euidens reſpondet per ſolutionē probabilem, hæc non fundatur in probabilitate ſententia.*

Id autem oſtenditur. Nam vt demonſtraui. *diſp.* 3. contingit quandoque, concluſionem eſſe euidentem, & non poſſe ſatisfacere argumento aduerſanti, niſi per ſolutionem probabilem: ſi autē ſolutio argumenti aduerſantis fundaretur in concluſione ipſa euidenti, aut in eius fundamento euidenti, talis ſolutio eſſet euidens: ergo, cùm in eo euentu ſolutio non poſſit eſſe euidens, non eſt neceſſe, quod ea fundetur in ipſa concluſione, neque in argumento, quod ipſam euidentiam concluſionis promouet.

68. Confirmatur. In caſu, quo ſententia euidens affirmatiua reſpondet per ſolutionem probabilē, ſolutio quidem eſt probabilis, & eius probabilitas non naſcitur ex probabilitate concluſionis affirmatiuæ, neque fundatur in illa: ergo poteſt dari ſolutio probabilis, quæ non naſcatur ex ipſa concluſione probabili, cui ſuffragatur. Conſequentia valet, quia eſt ab actu ad potentiam. Et maior eſt per ſe nota, quia identica. Et minor etiam patet, quia non poteſt naſci ex probabilitate concluſionis, quando concluſio non eſt probabilis (quid euidentius?) ſed in eo caſu concluſio non eſt probabilis, quia ſupponimus, concluſionem eſſe euidentem: ergo tunc ſolutio probabilis non naſcitur ex probabilitate concluſionis.

69. *Cùm concluſio euidēs probatur ratione probabili, huius ſolutio nō poteſt niti in concluſione oppoſita.*

Octauò. Concluſio euidens aliquando probatur ab Authoribus ratione probabili, vt paſſim videmus, & fatetur ipſe Caramuel in Theologia fundamentali *num.* 1891. *fund.* 66. dum admittit, vnicam, & eandem concluſionem poſſe ſimul haberi ex motiuo euidenti, & probabili. Tum ſic: Ratio probabilis militans pro concluſione euidenti, habet ſolutionem probabilem, cùm omnis ratio probabilis ſit probabiliter ſolubilis; & tamen probabilitas ſolutionis in eo caſu non naſcitur ex probabilitate concluſionis oppoſitæ, neque fundatur in ea: ergo poteſt dari ſolutio probabilis cuius probabilitas non naſcatur ex probabilitate concluſionis, neque fundetur in ea. Hæc conſequentia patet etiam, quia eſt ab actu ad potentiā. Et maior eſt notiſſima, & à Caramuele aſſerta. Minor etiam patet, quia concluſio oppoſita euidenti, non eſt probabilis, cùm ſit certò falſa: ergo tunc non naſcitur ex probabilitate concluſionis oppoſitæ actui euidenti.

Hinc inſtruitur quinta demonſtratio contra prædictam conſequentiam Logicæ moralis. Si valeret hæc conſequentia à probabilitate vnius concluſionis ad probabilitatem oppoſitæ, maximè quia probabilis ſolutio argumenti ſtantis pro prima concluſione, naſcitur ex probabilitate oppoſitæ concluſionis; id autem falſum omninò eſt: ergo prædicta conſequentia non valet. Maior eſt Caramuelis; minor toto hoc capite demonſtrata eſt: & conſequentia tenet. 70. *Quinta demonſtratio pro concluſione præcipua.*

CAPVT VII.

Eam Logicam moralem, implicatoriam eſſe; triplici alio argumento demonſtratur.

Demonſtratur ſextò. Implicat contradictionem eſſe probabile, quod caret fundamento graui: ſed ſi vera eſſet ea Logica moralis, daretur aliquid probabile, carens fundamento graui: ergo ea Logica moralis contradictionis implicationem infert. Conſequentia eſt euidens. Maior eſt per ſe nota, & certa ex apprehenſione terminorum; implicat enim contradictionem, rem eſſe ſine ſua eſſentia. Cùm ergo definitio, & eſſentia probabilitatis ſit, niti fundamento graui, implicat contradictionem, quod ſit probabilitas, & quod deſit illi fundamentum graue. 71. *Si vera eſſet pars oppoſita, aliquid eſſet probabile abſque fundamento graui.*

Minor etiam eſt demonſtrabilis. Nam ſecundùm eam Logicam moralem, hæc conſequentia valet: *Probabile eſt, nomen Mariæ annunciatū fuiſſe parentibus à Gabriele: ergo probabile eſt, nomen Mariæ non fuiſſe annunciatum parentibus à Gabriele.* Vnde infertur euidenter, hanc ſecundam partem negatiuam, eſſe probabilem. Arqui certum eſt, nullum Authorem ſtare pro hac parte negatiua, nullam rationem pro ea allegari: ergo datur aliquid probabile ſine vllo fundamento, quod à ratione, vel ab Authore petatur. Et idem argumentum poteſt fieri in omnibus illis, quæ poſita ſunt ſuprà cap. ſecundo. 72.

Nec valet, ſi dicas, rationes primæ partis, quia probabiles ſunt, habere ſolutionem probabilem, quæ debeat fundari in rationibus partis oppoſitæ. 73. *Reſponſio.*

Nam, vt conſtat ex capite præcedenti, falſum eſt, quod aſſumitur, ſolutionem probabilem debere fundari in rationibus probabilibus partis oppoſitæ; cùm ſufficienter poſſit fundari ſolutio in ipſa carentia euidentiæ, quæ eſt in propoſitionibus argumenti, quod ſpecialiùs patet in propoſitionibus huius argumenti. Nam pars affirmatiua nititur hoc ſyllogiſmo: *Quidquid aliis Sanctis conceſſum eſt, B. Virgini eſt concedendum: ſed eiuſmodi annunciatio Angeli aliis eſt conceſſa: ergo ea B. Virgini eſt concedenda.* Et pro maiori vide quæ dixi *in Gemino Sydere, diſp.* 2. *cap.* 22. & præcipuè ſanctum Epiphanium, S. Bonauenturam, Guillielmum, & Patres Salmeronem, Suarium, Ponte, & Morales; & item Benzonium. Hic autem ſyllogiſmus eſt probabilis, & habet ſolutionem probabilem, quia maior caret euidentiā; non quia deeſt aliquod fundamentum poſitiuum pro parte 74. *Conuincitur.*

Digitized by Google

negante, in quo fundetur ſolutio; cùm reverà tale fundamentum graue non detur.

75. Demonſtratur ſeptimò. Ex Logica morali præfata inferuntur duæ contradictoriæ propoſitiones ſimul veræ: ergo illa implicatoria eſt. Antecedens demonſtro. Hæc eſt recta Logica moralis apud eum Authorem: *Probabile eſt, obiiſſe coniugem Bertæ* (in caſu ſupra poſito, in quo vnus teſtis eſt pro morte, & nullus pro vita:) *ergo probabile eſt, non obiiſſe coniugem Bertæ* Deinde contradictoria huius ſecundæ hæc eſt: *Non eſt probabile, non obiiſſe coniugem Bertæ.*

Ex Logica infert duas contradictorias ſimul veras.

76. Tum ſic. Iſtæ duæ propoſitiones contradictoriæ ſunt ſimul veræ: ergo ex Logica morali Caramuelis inferuntur duæ propoſitiones contradictoriæ ſimul veræ. Antecedens oſtendo. Nam iſta propoſitio, *Probabile eſt, non obiiſſe coniugem Bertæ*, ſecundùm Caramuelem infertur ex prima vera. Ex vero autem non niſi verum, vt clamat Ariſtot. & Dialectici omnes. Ergo ea propoſitio ſecundum Caramuelem debet eſſe vera. Sed etiam eius contradictoria eſt manifeſtè vera; etenim nullum datur fundamentum graue ad aſſerendum, viuere coniugem Bertæ, vt ſupponit caſus: ſed quod non detur graue fundamentũ, eſt, quod non ſit probabile: ergo verificatur, quod id non eſt probabile.

77. Demonſtratur octauò, eam conſequentiam non eſſe legitimam in eiſdem propoſitionibus: *Probabile eſt obiiſſe coniugem Bertæ: ergo probabile eſt, non obiiſſe coniugem Bertæ*; & in eodem caſu.

78. In legitima conſequentia benè valet ab oppoſito contradictorio conſequentis ad oppoſitum contradictorium antecedentis: ſed loquendo de duabus proximis propoſitionibus, non benè valet ab oppoſito contradictorio conſequentis, ad oppoſitum contradictorium antecedentis: ergo ea conſequentia non eſt legitima. Maior, & conſequentia per ſe patent.

Ex Logica infert, non benè valere à contradictorio conſequentis ad contradictoriũ antecedentis.

79. Minor oſtenditur; in his enim oppoſitionibus ita argumentaberis ab oppoſito contradictorio conſequentis ad oppoſitum contradictorium antecedentis: *Non eſt probabile, non obiiſſe* (ſiue viuere) *coniugem Bertæ: ergo non eſt probabile obiiſſe illum.* Hæc autem conſequentia non valet, aliàs ex vero ſequeretur falſum; prima enim ex his negatiuis vera eſt in caſu ſupra poſito, quia æquiualet huic: *Non datur fundamentum ad aſſerendum viuere coniugem Bertæ.* Id autem veriſſimum eſt, iuxta propoſitionem caſus. Secunda verò eſt euidenter falſa, quia æquiualet huic: *Non datur fundamentum graue ad aſſerendum obiiſſe coniugem Bertæ:* cùm tamen detur vnus teſtis fide dignus, qui conſtituit fundamentum graue: ergo non valet ea conſequentia, aliàs in legitima conſequentia ex vero ſequeretur falſum.

80. Et quidem hæc noua Logica dat Titio modum, quo ſe defendat ab equuleo, cui ex ſententia Iudicis traditur; quia vnus teſtis depoſuit, Titiũ commiſiſſe homicidiũ. Etenim tunc vera eſt hæc propoſitio, *Probabile eſt, Titium commiſiſſe homicidium*; & ſecundum nouam hanc Logicam valet: *Ergo probabile eſt, Titium non commiſiſſe homicidiũ.* Dicat ergo Titius, vt ſe defendat à ſententia equulei: [Benè valet ab oppoſito contradictorio conſequentis ad oppoſitũ contradictoriũ antecedentis: ergo bona eſt hæc conſequentia; *Non eſt probabile me non commiſiſſe homicidium: ergo non eſt probabile me commiſiſſe.* Atqui prima negatiua eſt vera, quia reddit hunc ſenſum. *Nulla probatio eſt pro commiſſione homicidij:* ergo verum eſt conſequens illatum ex illa, ſcilicet. *Non eſt probabile me commiſiſſe illud: ſiue, Nulla probatio eſt de commiſſione homicidij.* Si ergo nulla eſt probatio, quoi ure trador equuleo torquendus?] Et attende, precor, quo vultu accipiat Iudex hunc libellum ſupplicem? &, ſi Dialecticus ſit, quanti faciat hanc Logicam?

Delicti ſemiplenè probato, reus, per eam Logicam, liberatur ab equuleo.

Et hinc etiam colliges, an neceſſe ſit, ad hoc, vt fundamentum partis affirmatiuæ ſit probabile, quod habeat ſolutionem probabilem fundatam in probabilitate partis negatiuæ. Nam in hoc caſu Titij rei de homicidio ſemiplenè probato, fundamentum partis affirmatiuæ eſt probabile; & tamen non habet ſolutionem probabilem fundatam in probabilitate partis negatiuæ, nempe non commiſſionis homicidij, cùm nulla probatio ſit pro parte negatiua, vt conſtat ex relatione caſus: ergo poteſt fundamentum partis affirmatiuæ eſſe probabile, quamvis non habeat ſolutionem fundatam in probabilitate partis negatiuæ. 81.

Caſus, in quo ſolutio probabilis non fundatur in probabilitate partis oppoſita argumento.

CAPVT VIII.

Eandem conſequentiam Logicæ moralis non valere, alia demonſtratione concluditur.

DEmonſtratur nonò. Non repugnat, quod ex duabus propoſitionibus contradictoriis vna habeat pro ſe graue fundamentum, & oppoſita habeat leue fundamentum: ſed habere graue fundamentum, eſt eſſe probabilem; & habere leue fundamentum, eſt non eſſe probabilem: ergo non repugnat, quod vna ſit probabilis, & quod altera non ſit probabilis. Conſequentia eſt euidens, minor continet definitiones concluſionis probabilis, & concluſionis non probabilis. Maior ex eo demonſtrabilis eſt, quod nullum repugnantiæ caput poteſt oſtendi. 82.

Ex duabus contradictoriis vna poteſt habere fundamentum graue, & altera leue.

Sed, vt maiores vires demonſtrationis videas, de poſſibili tranſeamus ad actum. Et ſic inſtauro ſyllogiſmum. De facto contingit, quod ex duabus concluſionibus contradictoriis vna habet graue fundamentum, & altera leue: quæ habet graue, eſt probabilis; & quæ habet leue, non eſt probabilis: ergo de facto contingit, quod vna concluſio ſit probabilis, & eius contradictoria non ſit probabilis. 83.

Idem de facto contingit.

Sola maior eget probatione, & probatur primò ex ipſo Caramuele. Ille enim quandoque impugnans in materia non euidenti oppoſitam concluſionem, affirmat hanc leuiſſimo fundamento duci: ergo contingit, ſecundum Caramuelem, alteram concluſionem graui fundamento duci, & alteram eius oppoſitam duci fundamento leuiſſimo. Antecedens multa inductione comperies. Nam *in commentario in Regulam, diſp.* 57. *num.* 820. refert opinionem Nauarri *comment.ar.2. de Regular. num.3. & 34. & in Apolog. quæſt.1. monito* 24. & Maioris *in* 4. *diſt.* 24. *quæſt.* 6. aſſerentium, dominium bonorum Eccleſiaſticorum, non eſſe propriè penes Communitates, ſed propriè ad Chriſtum pertinere. De hac opinione ſic ait ibi Caramuel. *Miror in re tam graui Authores tam doctos definire ex motiuo tam leui.* 84.

Id admittit Caramuel in multis quæſtionibus.

Ait Caram. opinionẽ Nauarri duci fũdamento leui, cùm oppoſita ſit ſolùm probabilis.

Tum ſic. Opinio probabilis eſt, quod Communitates Religioſæ habent propriè dominium bonorum Eccleſiaſticorum, non tamen eſt euidens, neque euidens vocatur a Caramuele. Habet ergo pro ſe fundamentum graue, non demonſtratiuum. Atqui, iuxta Caramuelem, oppoſita opinio 85.

opinio Nauarri nititur fundamento leui; illis verbis; *Ex motiuo tam leui:* ergo ſecundum Caramuelem datur opinio probabilis, cuius oppoſita dumtaxat nititur fundamento leui. Atqui quæ nititur fundamento leui, non eſt probabilis: ergo ſecundum ipſum datur opinio probabilis, cuius oppoſita non ſit probabilis, ſaltem ab intrinſeco.

86. *Fundamentū leue eſt id, quod eſt malè perpenſum à ſuis Authoribus, &c.*

Quod pueri caſtrari poſſunt, nititur fundamento leui, oppoſita graui, iuxta Caramuelem.

Secundò. Illa opinio, cuius fundamentum malè perpenſum eſt à ſuis Authorib. aut vitio cõtra Dialecticam laborat, habet fundamentum leue, & inſufficiens ad probabilitatem, vt ex terminorum comprehenſione conſtat. Sed opinio, quæ docet, pueros caſtrari poſſe propter vocis ſuauitatem conſeruandam, taliter ſe habet, ſecundum Caram. ergo ea nititur fundamento leui. Sed oppoſitam opinionem defendit Caramuel tanquam probabilem, adeóque tanquam fundamento graui ſubſiſtentem: ergo iuxta eius mentem, in prædicta quæſtione opinio negatiua ducitur fundamento graui, & opinio affirmatiua ducitur fundamento leui: ergo ſecundum ipſum negatiua eſt probabilis ab intrinſeco, & affirmatiua non eſt probabilis ab intrinſeco.

87. Omnia patent præter minorem. Hæc autem manifeſtè conſtat ex Theologia fundam. *n.* 1608. *fund.* 55. vbi loquens de Authoribus opinionis affirmatiuæ, ait: [Qui videntur, aut non benè illa (fundamenta) perpendiſſe, aut Dialectico aliquo occulto morbo laborare.]

88. *Ratio leuis eſt, quæ inefficax.*

Tertiò. Ratio leuis eſt ad probabilitatem, quæ inefficax, & quæ inefficaciter probat concluſionẽ. Patet. Nam qui dicit, rationem aliquam eſſe efficacem, non dicit, eſſe demonſtratiuã; efficacia enim rationis ſtat in probabilitate argumenti, atque adeò ſi inefficax eſt, non dicitur talis, quia non demonſtrat concluſionem, ſed quia neque illi probabilitatem tribuit. Atqui iuxta Caramuelem datur quæſtio, in qua pars affirmatiua eſt probabilis, & pars negatiua nititur ratione inefficaci: ergo ſecundùm ipſum datur quæſtio, in qua vna pars habet fundamentum graue, & altera oppoſita habet fundamentum leue: ergo poteſt vna pars eſſe probabilis, cuius oppoſita non ſit probabilis.

Ex duabus contradictoriis vna ducitur ratione graui, altera inefficaci, iuxta Caram.

89. *Quod res inuenta non ſit reſtituenda, inefficaciter probatur, iuxta Caram.*

Minor patet ex Theolog. fundam. *n.* 1775. *fund.* 59. in ea quæſtione, an inuentor rei alienæ, non comparente domino, teneatur reſtituere in opera pia? Nam partem affirmatiuam ipſe defendit vt probabilem dumtaxat, non vt euidentem. De parte autem negatiua, ait eius fundamentum, quod vnicum refert, eſſe inefficax. Ecce eius verba: [Ego quidem hanc rationem inefficacẽ iudico.]

90. Multa his ſimilia reperies apud Caramuelem, præcipuè in Theologia fundamentali, vbi alios Authores impugnat. Extra Caramuelem autem plurima apud reliquos Authores comperies.

91. *Quod B. Virgini fuerit vſus rationis à primo inſtanti, probatur grauiter, oppoſitum leuiter.*

Quartò ergo quæſtionem tractant Theologi, an B. Virgini conceſſus fuerit vſus rationis à primo inſtanti Conceptionis. Et eſt probabiliſſima opinio, quæ affirmat; habet enim hæc opinio pro ſe Authores, & rationes graues, de quo vide P. Suar. *tom.* 2. *in* 3. *part. diſp.* 4. *ſect.* 7. qui Doctor pro oppoſita concluſione nullum nominatim Authorem citat, ſed ſuppreſſo nomine, eſſe nonnullos aſſerit, qui contradixerint veræ ſententiæ, hoc fundamento ducti, quod vſus rationis ab initio ſuæ exiſtentiæ, non pertineat ad lineam ſanctitatis; in quo eos hallucinatos eſſe, benè probat ibi P. Suar. quia ad lineam ſanctitatis pertinet, quod toto tempore vitæ ſuæ exercuerit ſe B. Virgo in actibus merendi, ad quod neceſſariò requirebatur vſus rationis:

eſt ergo id fundamentum leuiſſimum; & proptereà P. Suarez dixit, eam concluſionem non eſſe probabilem. Ecce ex duabus propoſitionibus contradictoriis prima habet fundamentum graue, & ſecunda fundamentum leue: vnde fit, quod vna eſt probabilis, & altera non eſt probabilis. Vide etiam in ſimili P. Vazquium citatum ſuprà *c.* 2. *num...*

Quintò. Petrus prudentis iudicij vir, Theologiæ tamen ignarus, audiuit ancillam dicentem, in die ieiunij licitè ſumi collatiunculam manè, & nocte cœnari: quod cùm ipſe ignoraret, & teſtimonium ancillæ leue fundamentum reputaret, interrogauit Confeſſarium, quem ex fama nouerat doctum, an id eſſet peccatum mortale? Confeſſarius reſpondit, eſſe peccatum mortale. Credidit Petrus, & ex hoc dictamine gubernauit conſcientiam ſuam. In quo caſu aſſertio Confeſſarij fuit Petro fundamentum graue ad credendum, id eſſe peccatum. Ecce ex duabus propoſitionibus contradictoriis, vna habet fundamentum graue, ſcilicet dictum Confeſſarij; altera fundamentum leue, ſcilicet dictum ancillæ: Ergo de facto contingit, quod ex duabus propoſitionibus cõtradictoriis vna habeat graue fundamentum, & altera leue: ergo contingit, quod ex duabus propoſitionibus contradictoriis vna ſit Petro probabilis, & altera non ſit ei probabilis. 92.

Caſus, in quo vna pars habet fundamẽtum graue, oppoſita leue.

Sextò. Poteſt dari iudicium temerarium de re aliqua, cuius oppoſitum contradictorium ſit probabile: ergo poteſt dari vna propoſitio, quæ habeat fundamentum graue, cuius oppoſita nitatur fundamento leui. Conſequentia patet, cùm iudicium temerarium nitatur fundamento leui, & probabile graui. Antecedens verò oſtenditur: Nam iudicium temerarium erit iudicare ex leui coniectura de Clerico bonæ famæ, quod eſt luxurioſus: quod autem ſit obſeruator caſtitatis, eſt mihi dumtaxat probabile, nempe ex fama, quæ non facit euidentiam moralem, ſed ſolam probabilitatem. 93.

Datur iudicium temerarium de re, cuius oppoſitum eſt probabilis.

Sed ſi decimam demonſtrationem videre cupis, qua pleniùs adhuc euertitur hæc noua Logica, vide illam *diſp.* 5. *cap.* 2. vbi apertam in illa contradictionis implicationem inuenies, ex eo quod eadem propoſitio fiat probabilior, & minùs probabilis, quàm oppoſita. 94.

Decima demonſtratio; remiſſiuè.

CAPVT IX.

Aliud argumentum pro eadem concluſione.

VNdecima demonſtratio eſt. Innocentius III. *in cap. Inquiſitioni, de ſent. excommun.* definit, coniugem, qui habet conſcientiam probabilem, & diſcretam de impedimento dirimente matrimonium, non autem euidentem, & manifeſtam, teneri ad reddendum debitum alteri coniugi, non autem poſſe exigere debitum coniugale. De quo vide *diſput.* 16. *cap.* 7. *art.* 5. *num...* 95.

Coniux probabiliter aſſentiens nullitati, tenetur reddere, & non poteſt petere debitum.

Eſt autem manifeſtum, quod Pontifex loquitur in caſu, in quo coniux, qui habet conſcientiam probabilem impedimenti, non habet conſcientiam probabilem valoris matrimonij. Nam ſi haberet etiam conſcientiam probabilem valoris matrimonij, eſt certiſſimum, quod poſſet petere debitum, nempe ex probabilitate valoris matrimonij. Cùm ergo definiat Pontifex, quod non poteſt petere debitum, patet, eum loqui de caſu, in quo non habet probabilitatem de valore matrimonij,

Id intelligitur caſu, quo habet aſſenſum probabilẽ nullitatis, non verò valoris matrimonij.

Digitized by Google

trimonij, quamvis habeat probabilitatem de impedimento prædicti matrimonij: ergo poteſt quis habere probabilitatem de vna parte, quin habeat probabilitatem de oppoſita.

CAPVT X.

Quid poſſit ad hæc omnia reſpondere Caramuel? & qua ratione conuincatur apertè.

96. CAramuel, licèt non in hac quæſtione, aſſertionem protulit, ex qua videbitur alicui reſpondere poſſe argumentis factis. Nam *in Theologia fundam. num.* 1883. *fundam.* 66. ſic aſſerit. [Probabilem (conſcientiam) dicimus eam, quæ grauibus fundamentis ſubſtituitur; qualem haberet, qui ob rationes fortes, ſe peccaſſe, & propter alias etiam fortes, ſe non peccaſſe exiſtimaret. Conſultò vtrobique *fortes*, poſui; ille enim, qui haberet vel fortes contra leues, vel contra nullas, non eſſet dicendus habere conſcientiam probabilem, ſed certam: probabilitas enim in moralem certitudinem euadit per accidens, quando rationes contrariæ ignorantur.]

Qui pro vna parte habet rationes probabiles, contra leues, vel nullas, habet certitudinẽ, iuxta Caram.

97. Hinc autem reſponderi poteſt, quando pro vna parte contradictionis eſt fundamentum graue, & pro altera leue, vel nullum, deficere quidem illam conſequentiam. *Hæc pars eſt probabilis: ergo oppoſita eſt probabilis:* non quia poſſit vna pars eſſe probabilis, ſine eo, quod oppoſita ſit probabilis; ſed quia ea pars, quæ habet fundamentum graue, eſt certa per accidens, & non iam probabilis.

98. Ego tamen non capio, quomodo hæc componantur cum iis, quæ poſteà aſſerit *in eadem Theologia fund. num.* 1939. *fund. eodem, in notis marginalibus, ad verba Ferrantini*, vbi ait: [Repugnat dari rationem probabilem pro vna tantùm parte.] Et *in eiſdem notis num.* 1942. ait: [Quia hîc iterum ait Ferrantinus, poſſe dari rationes probabiles pro vna tantùm parte, pronuncio, rationem probabilem eſſe, quæ probabilem habet reſponſionem. Et quomodo, quæſo, reſponſio erit probabilis, niſi naſcatur ex fundamento, & ratione probabili?] In priori enim textu relato initio huius capitis affirmat, poſſe dari pro vna parte rationes probabiles, quin dentur pro oppoſita, ibi: *Quando rationes contrariæ ignorantur.* Quo caſu eam partem ratione probabili firmatam, dicit euadere per accidens in moraliter certam. In duobus autem textibus poſterioribus negat, fieri poſſe, quod pro vna tantùm parte occurrat ratio probabilis.

99. Sed ne in æquiuocationis ſalebra hæreamus, tribus modis poteſt in bonum ſenſum verti ea propoſitio, quod probabilitas poſſit euadere per accidens in moralem certitudinem. Primò, quatenus ratio probabilis poteſt repræſentari intellectui vt certa, vi cuius intellectus omninò excludat formidinem in oppoſitum. Et de hoc non eſt dubium; ſi tamen velis, ſemper id contingere, quoties pro parte oppoſita leue, vel nullum apparet fundamentum, præterquam quod ſine fundamento dicitur, ex mox ſubiiciendis de falſitate conuincetur.

Triplex ſenſus, in quo poteſt admitti ea propoſitio Caramuelis.

100. Secundò, quatenus poſita ratione probabili, ſolet quandoque intellectus intrepidè aſſentiri. Nam ſicut aliquando intrepidè aſſentitur obiecto per iudicium temerarium, à fortiori poterit intrepidè aſſentiri, quando habet probabile motiuum pro aſſenſu, & pro parte oppoſita leue, vel nullum. In quo caſu poteſt dici, aſſenſum illum eſſe quaſi certum, aut ſe habere ad inſtar certi, quia nec dubitat, nec habet actualiter formidinem in oppoſitum. Hoc tamen non eſt ad rem Caramuelis; tum quia id non eſt eſſe abſolutè certum; tum quia id non ſemper contingit, vt ex mox ſubiiciendis clariùs conſtabit.

Intellectus quandoque cũ ratione probabili intrepidè aſſentitur.

101. Tertiò poteſt probabilitas tranſire in certitudinem moralem ex nouo dicta mine practico certo, quod certò præſcribit poſſe me vti hac opinione probabili. Et hoc non eſt ad rem, quia certitudo illa non aduenit ex defectu rationum partis oppoſitæ, ſed ex adiuncto dictamine certo: & certitudo denuò adueniens, non eſt in aſſenſu probabili, ſed in dictamine practico certo.

Probabilitas tranſit in certitudinem, ex dictamine reflexo.

102. His ita expoſitis, clarè oſtendam, falſum eſſe, rationem probabilem euadere per accidens in moralem certitudinem, quando rationes contrariæ ignorantur. Illud ita conuinco, primò. Dubito modò, v. g. quid mihi faciendum ſit in hoc caſu A: & vt mentes humanæ exiguæ ſunt, nulla mihi ratio occurrit pro affirmatiua, nulla pro negatiua parte, donec vincere dubium deſideranti, ideoque diutiùs cogitanti occurrit principium vniuerſale topicum, quod ſcio, & aduerto eſſe merè topicum, vi cuius aſſentior parti affirmatiuæ quæſtionis. Tum ſic: Principium merè topicum, & cui propterea cum formidine aſſentiui, non poteſt elicere concluſionem certam, & abſque formidine (quamtumvis eam dicas certam per accidens:) atqui in eo caſu, quamuis ignorem fundamenta partis negatiuæ, aſſentior ei principio vt merè topico, & cum formidine: ergo quamuis ignorem fundamenta partis negatiuæ, aſſentior parti affirmatiuæ vt merè topicæ, & cum formidine.

Probabilitas non tranſit in certitudinem, eo quod ratio oppoſita ignoretur.

Aſſentior cũ formidine rationi topicæ, quamuis ignorem rationẽ partis oppoſitæ.

103. Maior eſt euidens, concluſio enim non poteſt habere maiorem certitudinem, quàm eſt certitudo antecedentis: nam hîc præcipuè habet locum id Ariſtotelicum principium, *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis tale.* Quare cùm concluſio ſit certa propter antecedens, iſtud debet eſſe magis certum, vel ſaltem non minùs, quàm concluſio.

104. Minor autem eius ſyllogiſmi ex ipſa caſus ſuppoſitione patet: nam dum expreſsè cognoſco principium vt merè topicum, & vt formidoloſè affirmandum, repugnat, quod ei aliter aſſentiar. Conſequentia autem eius ſyllogiſmi manifeſta eſt.

105. Quæ ratio clariùs conuincit in eo caſu propoſito ſuprà *num.* 22. de eo, qui quæſtionem nouam verſat, in qua pro parte affirmatiua occurrit ratio merè topica, vt talis clarè cognita, vt talis ab omnibus recepta; & pro parte oppoſita nondum occurrit ratio aliqua: nam rationes, quæ occurrunt, ſucceſſiuè occurrunt, & non omnes ſimul. In quo caſu, qui propter rationem illam, vt topicam, aſſentitur parti affirmatiuæ, implicat quod eliciat concluſionem certam, vt ex dictis clariſſimè conſtat.

In quæſtione noua, ſi primò occurrit ratio topica, non tranſit in certam.

106. Confirmatur. Nam ſicut ratio probabilis poteſt repræſentari mihi vt certa, à fortiori eadem ratio probabilis poteſt repræſentari vt merè topica, etiamſi ignorentur rationes partis oppoſitæ: quia quod ignorentur rationes partis oppoſitæ, non cogit intellectum, vt erret cognoſcendo

Ratio poteſt repræſentari vt topica, etſi ignorentur rationes partis oppoſitæ.

cognoſcendo rationem topicam aliter ac ipſa eſt: dum ergo intellectus aduertit, antecedens eſſe topicum, non poteſt elicere concluſionem pluſquam topicam.

Vnus teſtis de morte coniugis non facit certitudinem; etſi pro vita ſit nullus.

107. Conuincitur ſecundò. Berta (in caſu propoſito ſuprà *num.* 16.) quæ de morte ſui coniugis abſentis habet vnum teſtem fide dignum, qui fidem facit dumtaxat probabilem; & de vita eius nullum teſtem, nullamve coniecturam habet, non habet certitudinem de morte ſui coniugis, quantumvis per accidens; ideóque iudex Eccleſiaſticus non concedit illi facultatem, vt transeat ad ſecundas nuptias, donec res magis conſtet: ergo quando pro vna parte ſunt rationes probabiles, etiam ignoratis rationibus probabilibus oppoſitæ, res non peruenit, etiam per accidens, ad moralem certitudinem. Id quod etiam patet in aliis caſibus propoſitis *cap.*2. aliiſque ſimilibus. Numquid ego certus moraliter ſum de aduentu Petri in Hiſpalim, quia vnus dumtaxat teſtis aſſeruit, eo quod nullus oppoſitum mihi dixerit? Sanè ſi propterea certus moraliter ſum, quantus mendaciorum numerus veneranda certitudinis adyta penetrabit.

In iudicio vnus teſtis non facit certitudinē, etſi pro parte oppoſita nullus ſit.

108. Conuincitur tertiò. Si rationes probabiles facerent certitudinem moralem, quando nullæ apparent in contrarium, fieret, quod iudex fieret certus de delicto Petri per depoſitionem vnius teſtis fide digni, quando pro innocentia Petri nulla eſt ratio probabilis, quæ ei ſuffragetur: atqui id eſt manifeſtè falſum; aliàs ex dicto vnius poſſet declarare reum conuictum, & punire illum tanquam certò reum: ergo rationes probabiles vnius partis, etiam non apparentibus rationibus pro parte oppoſita, nullam inducunt moralem certitudinem.

Nulla ratio eſt certa, niſi demōſtretur.

109. Conuincitur quartò. Nulla propoſitio habet certitudinem moralem, niſi quæ ſit per ſe nota, vel demonſtrata, ſaltem demonſtratione morali: ſed ratio merè topica non eſt demonſtratiua, etiam per accidens: ergo ratio merè topica non poteſt etiam per accidens inducere certitudinem moralem. Minor patet. Ratio demonſtratiua eſt illa, quæ non relinquit locum formidini: ſed ratio merè topica, cognita vt in ſe eſt, relinquit locum formidini: ergo ratio merè topica, cognita vt in ſe eſt, nullo modo eſt demonſtratiua.

Non ſunt certa omnia, quæ ſcribunt Hiſtoriographi, etſi nullus cōtradicat.

110. Conuincitur quintò. Quia ſi id eſſet verum, dicenda eſſent certa moraliter, quæcumque ſcribunt Hiſtoriographi, quando nullus alius eſt, qui illis contradicat: & id eſt falſum; ſunt enim quamplurimæ hiſtoriæ eiuſmodi, quibus cum formidine aſſentimur.

Non ſunt certa omnes interpretationes Scripturæ, etſi nihil probabile contra obiiciatur.

111. Conuincitur ſextò. Interpretationes ſacræ Scripturæ probabiles, quas tradunt Sancti Patres, non eſt certum, quod continent ſenſum à Spiritu ſancto intentum; ſi enim id eſſet certum, illæ interpretationes eſſent de fide Catholica, vt dixi ſuprà *n.* 27. & tamen pro parte oppoſita nullum eſt fundamentum graue, nulla ratio probabilis, quæ probet, eas eſſe falſas: ergo rationes probabiles vnius partis non inducunt certitudinem, quamuis in contrarium nullæ rationes probabiles appareant.

Aſſertiones S. Birgittæ ſunt probabiles, etſi nihil probabile contra opponatur.

112. Conuincitur ſeptimò. Illæ aſſertiones, quæ continentur in reuelationibus ſanctæ Birgittæ, ſecundum Caramuelem, citatum ſuprà *num.* 25. dumtaxat ſunt probabiles, illæ præcipuè, quas retuli eo numero; & tamen in contrarium nullum eſt fundamentum graue, quo probetur, eas eſſe falſas. Ergo quamuis non appareant rationes probabiles in contrarium, non extrahunt aſſertiones probabiles à ſuâ probabilitate, neque illis conferunt per accidens certitudinem moralem.

Ea pars, quæ caret fundamento, cuius oppoſita non demonſtratur, eſt incerta.

Conuincitur octauò. Ea pars contradictionis, pro qua nullum eſt fundamentum in prædictis caſibus, eſt incerta: ergo altera pars, pro qua eſt fundamentum probabile, non poteſt eſſe certa. 113. Conſequentia eſt euidens: nam propoſitio contradictoria propoſitionis incertæ non poteſt eſſe certa, vt patet ex dictis *cap.* 1. Antecedens verò probatur: illa enim propoſitio eſt incerta (id eſt nec certa, nec certò falſa) quæ nullo nititur fundamento, & quæ contra ſe nullam habet demonſtrationem: ſic ſe habet ea propoſitio, cùm contra ſe ſolum habeat rationem topicam, & formidoloſam, cognitam vt talem: ergo incerta eſt. Vide addit. *num.* 5. & 7.

CAPVT XI.

Occurritur obiectionibus.

Præcipua argumenta, quibus nititur Caramuel ad hanc Logicam conſequentiam inducendam, ſoluta manent in præcedentibus. Nam quod deſumitur ex natura incertitudinis, abundè ſolutum manet *cap.* 4. Et quod à paritate dubij, diſſolutum eſt per manifeſtam diſparitatem, datam *cap.* 5. Quod autem obiicit ex eo, quod ſolutio probabilis vnius partis debet fundari in probabilitate partis oppoſitæ, euerſum manet *cap.*6. quare paucæ aliquæ obiectiones in hoc capite ſoluendæ veniunt. 114.

Obiicies primò. Ex duabus propoſitionibus contradictoriis, ſi vna eſt contingens, altera debet eſſe contingens: ergo ex duabus propoſitionibus contradictoriis, ſi vna eſt probabilis poſitiuè, altera etiam debet eſſe poſitiuè probabilis. 115. Probatur conſequentia: nam certum, improbabile, & probabile in moralibus ſe habent, ſicut neceſſarium, impoſſibile, & contingens in phyſicis; nam certum idem eſt, ac neceſſarium quoad nos, ſiue quoad noſtrum intellectum: improbabile idem eſt, ac impoſſibile quoad nos; & probabile idem eſt, ac contingens quoad nos. Nam quod eſt probabile, quantum eſt ex parte noſtri intellectus, & rationum eius, poteſt eſſe verum, & poteſt eſſe falſum. Et certum non poteſt non eſſe verum, & improbabile non poteſt eſſe verum.

Probabile non eſt propriè medium inter certum & improbabile.

Reſpondetur, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam. 116. Et ratio conſtat ex *cap.* 4. Nam inter certum, & improbabile non eſt medium probabile poſitiuè (ſicut contingens eſt medium inter neceſſarium, & impoſſibile:) ſed probabile negatiuè, ſiue incertum. Quare ſi non eſt certum, neque improbabile, infertur eſſe probabile negatiuè. Quæ aſſertio indubitata eſt, quia hæc propoſitio, *Rex Turcarum dormit*, neque eſt certa, nec improbabilis, nec probabilis poſitiuè, cùm ad id aſſerendum, nullum detur graue fundamentum. Ergo probabile poſitiuè non eſt medium inter certum, & improbabile. Illa ergo propoſitio de ſomno Turcæ eſt probabilis negatiuè, id eſt, nec certa, nec certò falſa.

Incertum, &

Et nota, propoſitionem incertam, & probabilem ſe habere tanquam ſuperius, & inferius; 117.

Digitized by Google

probabile ſe habent tanquam ſuperius, & inferius.

omnis enim propoſitio probabilis eſt incerta, cùm nec certa ſit, nec certò falſa; non verò omnis propoſitio incerta eſt probabilis, vt patet in hac, *Turca dormit*: quæ incerta eſt, non tamen probabilis. Quando ergo dicimus, probabile poſitiuè non eſſe medium inter certum, & improbabile, ſiue inter certum, & certò falſum (improbabile poſitiuè, idem eſt, ac certò falſum) intellige de probabili ſecundum totum, quod dicit; nam ſi conſideretur præcisè ſecundum rationem incertitudinis, hoc modo eſt medium inter certum, & improbabile.

Incertum eſt medium inter certum, & improbabile.

118. Ad argumentum ergo reſpondeo, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam. Ad probationem nego, probabile in moralibus ſe habere ſicut contingens in phyſicis, ſi ſumatur probabile ſecundum totum quod dicit; bene tamen ſi ſumatur præcisè ſecundum rationem incertitudinis; & ſecundum hanc præciſionem probabile eſt idem ac contingens quoad nos, non verò alio modo.

119. Obiicies ſecundò. In pluribus materiis inſeparabilis eſt probabilitas vnius opinionis à probabilitate oppoſitæ, vt patet in omnibus, aut ferè omnibus quæſtionibus moralibus verſantibus in materia probabili, in quibus pro quauis parte contradictionis inuenies Authores, & rationes: ergo ſaltem vt in plurimum valebit hæc conſequentia: *Probabile eſt, rem eſſe: ergo probabile eſt, rem non eſſe.*

120. Si ita diſcurreret Caramuel, non deberet illam vocare Logicam moralem, quæ non vi conſequentiæ argueret, oppoſitam eſſe probabilem, ſed vi cuiuſdam accidentalis concomitantiæ, quæ frequenter accidere ſolet. Itaque ſæpe diximus, ex eo quod pro vna parte detur fundamentum graue, non inferri neceſſariò, quod pro oppoſita detur etiam fundamentum graue; vnde in hoc nulla eſt conſequentia logica. Quod autem communiter ſolet accidere in quæſtionibus materiæ probabilis communiter tractatis, non eſt vi conſequentiæ; nam ſi eſſet vi conſequentiæ, ſtante eadem forma Dialectica, eadem conſequentia elicienda eſſet, quamuis mutaretur materia. Id autem non ita contingere, demonſtratum eſt præcipuè *cap.2.* in multis exemplis propoſitionis probabilis, in quibus ea conſequentia non valet. Vnde diſtinguendum eſt antecedens: In pluribus materiis inſeparabilis eſt probabilitas vnius opinionis à probabilitate oppoſitæ; vi conſequentiæ, nego; ratione concomitantiæ accidentalis, quæ frequens eſt, concedo.

Concomitanter accidit vni propoſitioni, quod oppoſita ſit probabilis.

121. Itaque non valet vi conſequentiæ, ex eo quod vna ſit probabilis, quod etiam oppoſita ſit probabilis poſitiuè. Cæterùm, ſi diſponatur illatio in hanc formam, valebit: *In talibus materiis coniunguntur probabilitas vnius propoſitionis, & probabilitas oppoſita: ſed in vna earum materiarum, probabile eſt, rem eſſe: ergo in eadem materia, probabile eſt, rem non eſſe.* Valet autem hæc conſequentia, quatenus valet à propoſitione copulatiua, & affirmatione vnius partis, ad affirmationem alterius; non verò, quia vna pars inferat aliam, v.g. *Coniunguntur in veritate affirmatio de curſu Petri, & affirmatio de curſu Pauli: ſed Petrus currit: ergo Paulus currit.* Quæ conſequentia non eſt, quia curſus Petri inferat curſum Pauli, ſed quia concomitantia vtriuſque infert curſum alterius.

122. Obiicies tertiò. Bene valet; *Hæc opinio eſt probabilior oppoſitâ: ergo talis oppoſita eſt probabilis.* Ergo ſimiliter valebit: *Iſta eſt probabilis: ergo oppoſita eſt probabilis.* Antecedens probatur. Hæc enim eſt bona conſequentia: *Concluſio A, eſt probabilior concluſione B: ergo concluſio B, eſt minùs probabilis.* Sed non poteſt eſſe minùs probabilis, niſi ſit probabilis: ergo benè infertur, quod concluſio B, eſt probabilis.

Reſpondetur, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam. Ratio eſt, quia eſſe probabiliorem, præter eſſe probabile, quod includit, dicit relationem exceſſus in genere probabilis; quod genus debet reperiri in excedente, & exceſſo. Et ideò non eſt toleranda hæc propoſitio: *S. Franciſcus eſt ſanctior dæmone:* quia cùm dæmon non ſit ſanctus, non eſt locus comparationi. Neque in re adeò clara eſt ampliùs immorandum. 123.

Ex probabilioritate vnius infertur probabilitas oppoſita.

Obiicies quartò. Quando aliquis Author propugnat ſuam concluſionem tanquam probabilem, alij Authores ſolent citare illum pro oppoſitæ concluſionis probabilitate: ergo ex probabilitate vnius inferunt probabilitatem oppoſitæ. 124.

Pro ſolutione noto primò, cùm Author aſſerens, ſuam opinionem eſſe probabilem, citatur pro oppoſitæ probabilitate, id contingit, quando eſt quæſtio de probabilitate, vel improbabilitate concluſionis: v.g. cùm verſatur quæſtio, an moribundus, qui nulla ſigna contritionis oſtendit, poſſit abſolui? Cùm ergo ille Author dicit probabile, quod non poteſt abſolui, tunc citatur pro partis affirmatiuæ probabilitate. 125.

Noto ſecundò, ex eo quod vna concluſio ſit probabilis, rectè infertur, quod oppoſita non ſit improbabilis, vt conſtat ex capite 4. quia implicat, quod propoſitio incerta, qualis eſt probabilis, habeat pro contradictoria propoſitionem certò falſam. Hinc patet, in quo ſenſu Author, qui aſſerit eſſe probabile, quod ille moribundus nequit abſolui, citari poſſit in fauorem partis oppoſitæ, quæ affirmat, illum abſolui poſſe. Nam qui dicit probabilem concluſionem negatiuam, ſentit euidenter, affirmatiuam non eſſe improbabilem. Hoc ergo, & non ampliùs probat id argumentum. 126.

Probabilitas vnius partis infert, oppoſitam non eſſe improbabilem.

CAPVT XII.

An iſtæ propoſitiones, Probabile eſt, rem eſſe: Probabile eſt, rem non eſſe, *ſint æquipollentes.*

VT fortiùs ſtabiliat Caramuel ſuam Logicam moralem, vt ab vna ex præiactis propoſitionibus valeat ad alteram, & è conuerſo, ſtatuit, eas duas propoſitiones eſſe æquipollentes. Ita *in Theologia fundam. in indice ſcholaſt. ſect.2.n.7.* ponens exemplum in his duabus: *Probabile eſt, materiam primam habere partes: Probabile eſt materiam primam non habere partes.* Et *in Apol. de Probabilitate, num.* 314. (qui per errorem eſt 143.) in iudicio Dominici Plati, approbato ab ipſo Caramuele *num.* 312. 127.

In hoc poſteriori textu probatur primò his verbis. Idem eſt dubitare, an Turca ſedeat; ac dubitare, an Turca non ſedeat: ergo idem eſt dicere; *Probabile eſt, rem eſſe*, ac; *Probabile eſt, rem non eſſe.* Secundò probatur. Hæc aſſertio, *Probabile* 128.

bile eſt, rem eſſe; æquiualet huic; *Hæc propoſitio,* Res eſt, *habet pro, & contra, rationes fortes*; *non autem pro, aut contra, vllam demonſtratiuam.* Ergo ſi eſt probabile, rem eſſe, erit etiam probabile, rem non eſſe.

129. *Hæ duæ propoſitiones non ſunt æquipollentes.*

Hanc æquipollentiam falſam eſſe, & implicatoriam, conſtat apertiſſimè ex iis omnibus, quæ hucuſque produximus ad negandam eam conſequentiam nouæ Logicæ moralis. Sed prætereà demonſtro primò, Implicatoria eſt æquipollentia duarum propoſitionum, quarum vna eſt vera, & altera falſa: ſic ſe habent duæ propoſitiones aſſignatæ: ergo implicatoria eſt æquipollentia, quæ ponitur inter illas.

130. Conſequentia ſyllogiſmi eſt euidens, maior eſt indubitata: nam, vt clamant Dialectici, æquipollentia eſt, *Plurium propoſitionum verbis differentium eadem vis, & ſenſus.* Vnde duæ propoſitiones æquipollentes, quoad ſenſum, & ſignificationem, ſunt vna, & eadem propoſitio. Atqui vnam, & eamdem propoſitionem reſpectu eiuſdem indiuiſibilis obiecti eſſe ſimul veram, & falſam, euidens eſt contradictionis implicatio.

131. *Hæ propoſitiones non æquipollent, quia vna eſt vera, & altera falſa.*

Minor eſt demonſtrabilis in omnibus illis propoſitionibus allatis *cap.* 2. Conſidera has duas: *Probabile eſt* (ex vno teſte) *obiiſſe coniugem Bertæ: Probabile eſt* (nullus eſt teſtis.) *non obiiſſe coniugem Bertæ.* Ad primam habet fundamentum Berta, ad ſecundam nullum. Prima ergo eſt vera, & ſecunda falſa. Item has: *Probabile eſt nomen Mariæ annunciatum eſſe à Gabriele: Probabile eſt, illud non fuiſſe annunciatum ab eo.* Prima, cùm habeat fundamentum graue authoritatis, & rationis, eſt vera: ſecunda, quæ affirmat probabilitatem, vbi nullum eſt fundamentum, falſa eſt: ergo in eiuſmodi propoſitionibus vna eſt vera, & altera falſa.

132. *Non æquipollent, quæ terminantur ad obiecta diuerſa.*

Demonſtratur ſecundò. Quoties duæ propoſitiones ſunt æquipollentes, vna debet enunciare idem, quod altera enunciat: ſed in his duabus vna non enunciat idem, quod altera: ergo non ſunt æquipollentes. De bonitate conſequentiæ dubitari non poteſt. Maior tam certa eſt, quàm definitio æquipollentiæ ſuprà propoſita *num.* 130.

133. *Non terminantur ad idē obiectum, quæ reſpiciunt cū modo* Probabile, *obiecta contradictoria.*

Minor eſt demonſtrabilis. Nam in iſtis propoſitionibus; *Probabile eſt, dari talem indulgentiam: Probabile eſt, non dari talem indulgentiam:* prima affirmat dari fundamentum graue pro exiſtentia indulgentiæ, non verò affirmat dari fundamentum graue pro non exiſtentia illius. Secunda affirmat, dari fundamentum graue pro non exiſtentia indulgentiæ, non verò affirmat, dari fundamentum graue pro exiſtentia illius: ergo vna enunciat aliquid, quod altera non enunciat. Et ad maiorem rei euidentiam memineris caſum propoſitum ſuprà *num.* 23. in quo habeo vnum teſtem aſſerentem ſe audiuiſſe conceſſionem indulgentiæ, nullum verò teſtem pro non conceſſione illius: ſic enim faciliùs percipies, quàm diuerſum ſit illud, quod vna enunciat, ab eo, quod altera.

134. *Æquipollentia enim propoſitionū arguit contradictionem.*

Demonſtratur tertiò. Si illæ duæ propoſitiones eſſent æquipollentes, darentur duæ contradictoriæ ſimul veræ, & duæ ſimul falſæ: ergo æquipollentia earum propoſitionum contradictionem implicat. Antecedens oſtenditur: v. g. in his duabus; *Probabile eſt, obiiſſe coniugem Bertæ* (cùm habet vnum teſtem pro morte coniugis, pro vita nullum:) *Probabile eſt non obiiſſe coniugem Bertæ.* Tum ſic: Quando duæ propoſitiones ſunt æquipollentes, quæcumque contradicit vni, contradicit alteri, quod ex definitione æquipollentiæ ab omnibus recepta euidens eſt, cùm quoad ſignificationem, & ſenſum ſit vna, & eadem propoſitio. Si ergo velis aſſignare contradictionem primæ, dices hanc; *Non eſt probabile, obiiſſe coniugem Bertæ.* Et cùm illæ duæ propoſitiones ſint æquipollentes, etiam iſta, vt eſt contradictoria primæ; erit contradictoria ſecundæ: ſed iſta propoſitio eſt falſa, & ex illis duabus primis etiam ſecunda eſt falſa: dantur ergo duæ contradictoriæ ſimul falſæ.

Quod iſta negatiua ſit falſa, patet: affirmat enim, non eſſe fundamentum graue ad credendum, obiiſſe coniugem Bertæ, cùm vnus teſtis fide dignus id affirmat. Quod verò ſit falſa illa ſecunda, nempe; *Probabile eſt, non obiiſſe coniugem Bertæ,* patet, cùm affirmet dari fundamentum graue ad credendum, viuere coniugem Bertæ: quod fundamentum reuerà non datur, cùm nullus teſtis, nulla coniectura probabilis detur pro vita illius. 135.

Deinde aſſignatis eiſdem duabus propoſitionibus, quæ æquipollentes dicuntur ſecùndum Logicam moralem Caramuelis, ſi velis aſſignare contradictoriam ſecundæ, hanc elicies: *Non eſt probabile, non obiiſſe coniugem Bertæ.* Et cùm illæ duæ primæ propoſitiones ſint æquipollentes, etiam iſta, ſicut eſt contradictoria ſecundæ, erit contradictoria primæ. Sed iſta propoſitio negatiua, eſt vera; & illa prima ex duabus ſuprapoſitis, eſt vera: dantur ergo duæ contradictoriæ ſimul veræ. 136.

Quod iſta negatiua ſit vera, patet, quia ſenſus eius eſt. *Non datur graue fundamentum ad credendum, viuere coniugem Bertæ*: quod ex dictis patet veriſſimum eſſe. Prima autem ex illis duabus propoſitio etiam eſt vera, quia ſenſus eius eſt; *Datur fundamentum graue ad credendum, obiiſſe coniugem Bertæ.* Datur enim vnus teſtis fide dignus, qui id affirmat, facitque ſemiplenam probationem. 137.

Argumenta autem aduerſarij *num.* 128. propoſita, nullius momenti ſunt. Ad primum patet *ex cap.* 5. Ad ſecundum argumentum ex tota hac diſputatione conſtat, hanc propoſitionem, *Probabile eſt, rem eſſe:* non æquiualere huic, *Hæc propoſitio*, Res eſt, *habet pro, & contra, rationes fortes*; *non autem pro, aut contra, vllam demonſtratiuam.* Nam, vt pluribus demonſtratum eſt in decurſu huius diſputationis, non requiritur ad probabilitatem opinionis, quod habeat contra ſe rationes fortes; ſed potiùs dari opiniones, quæ habeant contra ſe rationes leues, imò & nullas. 138.

139. *Non eſt quis moraliter certus de ea concluſione, quā ſcit defendere, etſi oppoſitam neſciat.*

Ex dictis inferes, falſam eſſe concluſionem, quam, vt certam ſtatuit Caram. *fundamento* 11. *num.* 445. ſic: [Dico ſecundò: ille, qui ex duabus contradictoriis alteram ſcit defendere, & alteram neſcit, ſi ſit vir bene doctus, poterit dicere, illam quam ſcit defendere, ſibi eſſe moraliter certam; & illam, quam neſcit defendere, improbabilem.] Falſificatur enim in hac propoſitione, *Natiuitas B. Mariæ parentibus ab Angelo prænunciata fuit.* Hanc enim ſcio defendere, quia ſcio rationes, quibus nititur; & oppoſitam defendere neſcio, quia nullum pro ea probabile fundamentum video, & tamen cognoſco, eam propoſitionem eſſe probabilem dumtaxat, nec oppoſitam improbabilem poſitiuè.

DISPV

DISPVTATIO V.

An argumenta, quæ militant pro vna concluſione probabili, ſint etiam in confirmationem concluſionis oppoſitæ.

CAPVT I.

Refertur ſententia Caramuelis & ſectatorum eius.

1. VT nouam ſuam conſeqnentiam Logicæ moralis, quam diſputatione præced. funditus euertimus, ampliùs promoueat, affirmat Caramuel, non ſolùm ex probabilitate vnius partis, argui probabilitatem oppoſitæ, ſed etiam argumenta, quæ militant pro vna concluſione probabili, militare etiam pro concluſione oppoſita. Vnde infert, omnes, qui impugnant probabilibus argumentis aſſertiones Caramuelis, potiùs propugnare, & confirmare illas. Ita affirmat Dominicus Platus (annuente, & approbante Caramuele) in iudicio ſecundo de probabilitate; vt habes apud ipſum Caramuelem *in Apolog. de Probabilitate, num.* 314. (qui per errorem eſt 143.) vbi ita ait: [Si eſt probabile, rem eſſe, erit etiam probabile, rem non eſſe: ergo ſi hanc ſecundam probabilem eſſe perſuadet, hoc eſt, eſſe veram probabiliter ſuadet, illius primæ probabilitatem non impugnat, ſed reponit, & firmat.] Idem habetur apud Caramuelem *in eadem Apolog. num.* 313. (qui per errorem eſt 315.) in primo iudicio de probabilitate, quod fert Chryſoſtomus de Aecuntiis, Iuriſperitus, in hæc verba: [Demonſtratque mira Illuſtriſſimum Anticaramuelem inaduertentia, omnium aſſertionum, quarum probabilitatem impugnandam ſuſceperat, probabilitatem affirmate.] Vtrumque autem iudicium Dominici, & Chryſoſtomi approbat Caramuel *ibid. num.* 312.

Affirmat Caramuel.

Platus.

Aecuntius.

2. Sed & Franciſcus Verde *in poſitionibus ſelectis contra Anticaramuelem, in procæmio, §. Sanè*, ita ait: [Dum Borgiæ argumentationes attentiùs meditor, reperio duo: alterum, eumdem Borgiam, cùm ſe maximè putat contra Caramuelem arguere, Caramuelis ſententias, neſcientem, nolentemque, clariſſimè, & euidenter demonſtrare. Et hoc ipſum euidenter oſtendo. Dicit Caramuel, exempli causâ, *Probabilis eſt talis ſententia.* Inſurgit, & argumentatur Borgias Et ego ab ipſo Borgia inquiro, an ipſius argumentatio ſit apodictica, & demonſtratiua, an verò topica, & probabilis? Si primum dicat, erimus feliciſſimi; habebimus enim à Borgia ſyllogiſmos in forma legitima, quorum præmiſſæ ſint euidentes, per ſe notæ, & concluſiones contradictoriè opponantur Caramuelis aſſertis. At tales ſyllogiſmi in libro edito non repetiuntur. Oſtendo igitur hinc, totum Borgiæ librum, quantus eſt, demonſtrare Caramuelis ſententias: & vt hoc citò expediam, ſequentem demonſtrationem exaro. *Illa doctrina eſt probabilis, quæ tam fortibus rationibus munitur, vt contrà non poſſit aliqua ratio demonſtratiua opponi; poſſit tamen merè probabilis: ſed tales ſunt Caramuelis ſententiæ, quas Borgias impugnandas aſſumpſit: illæ ergo Caramuelis ſententiæ ſunt probabiles.* Probatur clariſſimè minor, quia Borgias ingenio nobiliſſimo præditus, omnem adhibuit diligentiam, vt impugnaret Caramuelem; & tamen multas obiicit rationes improbabiles, multas leues, aliquas graues, & probabiles; non tamen vel vnicam demonſtratiuam.] Ecce Borgias dum probabilibus impugnauit Caramuelis aſſertiones, non modò non impugnauit, ſed ſecundum iudicium Franciſci Verde, confirmauit, imò & demonſtrauit.

Verde.

Itaque ex eo, quod ſit legitima conſequentia à probabilitate vnius concluſionis ad probabilitatem oppoſitæ, inde inferunt, quod qui probabilibus impugnant concluſionem probabilem, illam magis confirmant: nam quo magis impugnant probabilibus, eo magis probant ſuam partem eſſe probabilem, & ex conſequentia Logicæ moralis nouæ eo magis probant oppoſitam partem eſſe probabilem. 3.

Quæ ratiocinatio ad hanc formam ſyllogiſticam reducitur. Ea quæ confirmant antecedens, confirmant conſequens: ſed ex hoc antecedente, *Probabile eſt, hoc eſſe peccatum*; infertur hoc conſequens, *Probabile eſt, hoc non eſſe peccatum*: ergo ea, quæ confirmant probabilitatem concluſionis aſſerentis, hoc eſſe peccatum, confirmant etiam probabilitatem concluſionis aſſerentis, hoc non eſſe peccatum. 4.

CAPVT II.

Oppoſita concluſio demonſtratur.

EX dictis tota diſputatione præcedenti, infirmata manet hæc aſſertio Caramuelis, & ſectatorum eius, cùm omninò nitatur in valore eius conſequentiæ, quam omnino euanuiſſe, ex ea diſputatione clariſſimè conſtat. Nouo tamen argumento hæc noua aſſertio euertenda eſt, quod erit noua demonſtratio contra eam nouam conſequentiam Logicæ moralis Caramuelis. 5.

Aſſero ergo implicare contradictionem, quod argumenta probabilia, quæ confirmant vnam partem contradictionis, confirment etiam oppoſitam concluſionem, & probabilitatem eius. Quam aſſertionem ita demonſtro. Hæc aſſertio Caramuelis, & ſectatorum eius infert, eamdem concluſionem eſſe ſimul probabiliorem, vt minùs probabilem, quàm anteà: ſed hoc inuoluit contradictionem: ergo hæc aſſertio Caramuelis, & ſectatorum eius implicatoria eſt. 6.

Implicat, quod rationes probabiles cõcluſionis confirment probabilitatem oppoſitæ.

Vna concluſio eſſet probabilior, & minùs probabilis, quàm antea.

De bonitate conſequentiæ huius ſyllogiſmi dubitari non poteſt. Minor etiam eſt indubitabilis: nam eſſe ſimul probabiliorem, & minùs probabilem, quàm anteà, dicit, eſſe probabiliorem, & non eſſe probabiliorem: item dicit, eſſe minùs probabilem, & non eſſe minùs probabilem. Sicut hominem eſſe ſimul doctiorem, & minùs doctum, quàm anteà, includit eamdem contradictionem: nam dicit eſſe doctiorem, & non eſſe doctiorem: item eſſe minùs doctum, & non eſſe minùs doctum. 7.

Maior verò eius ſyllogiſmi clarè oſtenditur. Demus enim, exempli gratiâ, eſſe æquè probabiles 8.

Digitized by Google

biles has duas concluſiones; *Fideles tenentur ad confitenda peccata dubia: Fideles non tenentur ad confitenda peccata dubia.* Tum ſic: Quando duo argumenta efficacia accidunt denuò vni opinioni, illa fit probabilior, quàm anteà: ſed per Caramuelem acceſſerunt opinioni negatiuæ duo argumenta efficacia (demus id verum eſſe:) ergo facta fuit probabilior, quàm antea. De maiori non poteſt dubitari, cùm maior probabilitas conſiſtat in augmento probabilitatis, & hoc fiat per additionem motiuorum efficacium.

Noua ratio grauis accedens opinioni, eam reddit probabiliorem, quàm anteà.

9. Hoc ergo totum certum eſt, & procedo vlteriùs. Quando duo argumenta efficacia accedunt denuò in confirmationem vnius opinionis, fit probabilior, quàm anteà: ſed quando per Caramuelem acceſſerunt denuò ei opinioni negatiuæ duo argumenta efficacia, etiam probabilitati opinionis affirmatiuæ acceſſerunt eadem duo argumenta efficacia: ergo non ſolùm opinio negatiua, ſed etiam opinio affirmatiua facta fuit probabilior, quàm anteà. Minor patet in ſententia Caramuelis, iuxta quam argumenta, quæ militant pro opinione negatiua, confirmant probabilitatem opinionis affirmatiuæ.

10. Procedo vlteriùs. Opinio affirmatiua fit probabilior, quàm antea; & ſimul etiam fit minùs probabilis, quàm anteà: ergo probabilior, & minùs probabilis, quàm antea. Conſequentia conſtat, quia eſt repetitio, vel copulatio vtriuſque præmiſſæ. Maior patet ex præcedenti proximo ſyllogiſmo.

11. Minor verò, quod pars affirmatiua ſimul etiam fiat minùs probabilis, quàm anteà, facilè oſtenditur. Quantò probabilior eſt concluſio, tantò minus probabilis eſt eius contradictoria (vel dicant aduerſarij, quo alio modo fiat vna minùs probabilis quàm alia, niſi quatenus ex augmento motiuorum oppoſita fit probabilior:) ſed per illa duo argumenta efficacia denuò aduenientia opinioni negatiuæ, facta eſt probabilior opinio negatiua, cùm anteà eſſet æquè probabilis, atque oppoſita, vt ſuppoſuimus: ergo facta eſt minùs probabilis opinio affirmatiua: ergo ſimul magis, & minùs probabilis.

Quo probabilior eſt concluſio, eo minus probabilis eſt oppoſita.

12. Confirmatur primò. Quantò probabilius fit antecedens, tanto probabilius fit conſequens: ſed probabilitas aſſerta in hoc antecedente, *Probabile eſt, peccata dubia non eſſe confitenda*, creſcit (ita enim ſupponimus argumenti gratiâ) per illa duo argumenta Caramuelis: ergo probabilitas aſſerta in hoc conſequente, *Ergo probabile eſt, peccata dubia eſſe confitenda*, creſcit in eodem gradu, ſiue in eadem proportione. Sed illud antecedens fit probabilius, quàm antea, vi duplicis argumenti denuò reperti: ergo conſequens fit probabilius, quàm antea. Sed non poteſt creſcere probabilitas vnius partis niſi per exceſſum, in quo ſuperet probabilitatem dicti oppoſiti (in modali propoſitione diſtinguimus dictum à modo:) ergo probabilitas aſſerta in prima propoſitione, fit maior, quàm probabilitas aſſerta in ſecunda. Item non poteſt creſcere probabilitas antecedentis ſine eo, quod creſcat probabilitas conſequentis: ergo non poteſt creſcere probabilitas primæ propoſitionis, quin creſcat probabilitas ſecundæ: ergo vtraque propoſitio euadit probabilior, quæ eſt aperta terminorum implicatio; ſic enim vtralibet fiet probabilior, & minùs probabilis, quàm altera.

Quantò probabilius fit antecedens, tanto probabilius fit conſequens.

13. Hæc omnia patent ex maiori ſyllogiſmi; ea autem manifeſta eſt: certum eſt enim concluſiones per diſcurſum deductas, alias eſſe probabiliores aliis, alias certiores aliis; neque aliunde habere id incrementum, quàm ex maiore certitudine, vel probabilitate antecedentis. Atque adeò certum manet, quantò certius, aut probabilius eſt antecedens, tantò certiorem, aut probabiliorem fieri concluſionem.

Concluſio fit probabilior ex maiori probabilitate antecedentis.

Confirmatur ſecundò. Sententia, quæ aſſerit, non poſſe licitè audiri in die feſto duas medias Miſſas, eſt probabilior, quàm oppoſita, teſte Caramuele *in Theolog. fund. num. 777. fund 31.* Sed quare probabilior? Sane quia argumenta, quæ ibi ipſe ponderat, probabiliora, & efficaciora ſibi viſa ſunt: ergo non poſſunt argumenta vnius partis probabiliora eſſe, niſi ea pars probabilior euadat, quàm altera. Tum ſic: Quanto probabiliora ſunt argumenta, tanto probabilior fit concluſio ex illis illata: ſed ex illis infertur, ſecundùm Caramuelem, iſta concluſio, *Probabile eſt, quod licèt audire duas medietates Miſſæ in die feſto*: cùm inferatur ex illa, quam ipſe dicit probabiliorem: ergo probabilitas aſſerta in iſta fit etiam maior, ergo vtraque probabilitas fit maior, & vtraque propoſitio fit probabilior: & ſi primam dicit probabiliorem ſecunda, debet etiam dicere ſecundam probabiliorem prima. 14.

Confirmatur tertiò. Dum D. Borgias impugnat Caramuelis aſſertiones, confirmat, & demonſtrat illas, quia eas impugnat probabilibus: ſed Caramuel impugnat multas aſſertiones aliorum Authorum inſtrumentis probabilibus, vt patet in ferè tota Theologia fundamentali: ergo Caramuel confirmat, & demonſtrat aſſertiones aliorum Authorum, quas impugnandas ſuſcepit: ergo quas Caramuel conatur deſtruere, cõfirmat. 15.

Numquid opiniones, quas Caramuel impugnat, confirmat?

Nec valet, ſi dicat, ſuas aſſertiones eſſe modales de modo *Probabile*, & ideò euidentibus impugnandas. Nam hæc reſponſio multis conuicta eſt *diſp. 2.* Tum quia dicit, aſſertiones aliorum Authorum eſſe modales de modo *Probabile*; & tamen eas impugnat probabilibus. Tum propter multas alias demonſtrationes *in tota ea diſp. 2.* propoſitas. Tum præcipuè quia multa probabilia probabilibus impugnat. 16.

Confirmatur quartò. Nam *in Theolog. fund. num. 1836. fundam. 62.* impugnat opinionem P. Thomæ Sanchez de reſtrictionibus mentalibus vſurpatis ad fugiendum mendacium. Impugnat, inquam, ex eo capite abſurdo, quod per illas reſtrictiones mentales tolleretur humana ſocietas. Et inquiro, an hoc abſurdum augeat probabilitatem ſententię P. Thomæ Sanchez de reſtrictionibus mentalibus? & negas. Et ex ſententia Caramuelis probo, id non eſſe negandum, ſed indubitanter concedendum. Nam per id abſurdum fit probabilius antecedens, nempe, *Probabile eſt, non poſſe admitti reſtrictiones mentales*: ergo fit probabilius conſequens, ſcilicet, *Ergo probabile eſt, poſſe admitti reſtrictiones mentales.* Vide ergo ad quid cogat hæc noua Logica, vt ab illo aſurdo, quod militat contra ſententiam, ea ſententia reddatur probabilior: & quia probabilius eſt, quod reſtrictiones mentales tollunt humanam ſocietatem, fit probabilius, ſecundum hanc Logicam,, quod ſunt licitæ prædictæ reſtrictiones mentales. 17.

Opinio de reſtrictionibus mentalibus fieret probabilior ab abſurdo.

Confirmatur quintò. Et redeo ad opinionem de duabus Miſſæ medietatibus, quam Caramuel conatur ad abſurditatem reducere: ergo quantò magis 18.

Opinio de duabus Miſſæ

Digitized by Google

medietatibus fieret probabilior ab abſurdis.

magis laborat Caramuel in reducendo illam ad abſurditatem, tantò magis confirmat probabilitatem illius. Deinde repugnantia eſt in ipſis terminis, quod confirmetur probabilitas opinionis de duabus Miſſæ medietatibus audiendis, ex eo, quod ſit abſurda: in ſententia autem Caramuelis hæc Logica valet:[Probabilis eſt opinio de duabus Miſſæ medietatibus non audiendis: ergo probabilis eſt opinio de duabus Miſſæ medietatibus audiendis.]

19. Ergo etiam valet: [Probabilis eſt opinio de duabus Miſſæ medietatibus non audiendis, ex abſurditatibus, quæ ex oppoſita inferuntur: ergo probabilis eſt opinio de duabus Miſſæ medietatibus audiendis, ex abſurditatibus, quæ ex iſta inferuntur.]

20. Vel ſic.[Ex abſurditatibus, quæ inferuntur ex ſententia de duabus medietatibus Miſſæ audiendis, probabilis eſt ſententia de duabus medietatibus non audiendis: ex eo, quod ſit probabilis ſententia de duabus medietatibus non audiendis, infertur, eſſe probabilem ſententiam de duabus medietatibus audiendis: ergo ex abſurditatibus, quæ inferuntur ex ſententia de duabus medietatibus audiendis, infertur, eſſe probabilem ſententiam de duabus medietatibus audiendis.]

21. Vel ſic. [Magnæ abſurditates inferuntur ex ſentẽtia de duabus Miſſæ medietatibus audiendis: ergo probabilis eſt ſententia de duabus Miſſæ medietatibus non audiendis: ergo probabilis eſt ſententia (iuxta Logicam Caramuelis) de duabus Miſſæ medietatibus audiendis: ergo de primo ad vltimum ex abſurditatibus affirmatiuæ ſententiæ infertur probabilitas ipſius.] Nam antecedens, quod infert hominem, infert riſibile illatum ex homine.

22. Nec ſatisfacis, ſi dicas, non inferri probabilitatem ſententiæ affirmatiuæ, ex abſurditatibus ex ſe, ſed ex abſurditatibus, quatenus probabiliter inferentibus, & reflexè cognitis ſecundùm rationem probabilitatis: qua ratione dicunt ſolutionem probabilem partis oppoſitæ. Nam præterquàm quod id eſt manifeſtè refutatum *diſp.præcedenti, cap.* 6.

23. Specialiùs pro re præſenti,de falſitate conuincitur. Etenim argumenta, quæ confirmant antecedens, confirmant conſequens: ſed abſurditates illæ, etſi non cognoſcantur reflexè vt probabiles, ſed directè vt abſurditates, confirmant illud antecedens de probabilitate ſententiæ de duabus medietatibus Miſſæ non audiendis: ergo eodem modo confirmant conſequens de probabilitate ſententiæ de duabus medietatibus audiendis.

24. *Numquid Theologi confirmant opiniones aliorum, quas impugnant?*

Confirmatur ſextò; hinc enim infertur, in caſſum laboraſſe Scotum, Durandum, Nominales, Suarium, Vazquiũ, & innumeros alios Theologos, dum aliorum ſententias impugnant. Patet ex dictis: nam fundamenta probabilia eorum conuincunt probabilitatem concluſionum oppoſitarum. Nam probabilitas concluſionum earum eſt antecedens inferens probabilitatem concluſionum oppoſitarum, iuxta hanc nouam Logicam; & quantò antecedens eſt probabilius, tantò probabilius euadere conſequens, ex dictis manifeſtum eſt. Vide ergo ad quas anguſtias redigat ſuos Authores hæc noua Logica.

CAPVT III.

Satisfit oppoſitionibus capite primo oppoſitis.

PRimum argumentum, quod ibi refertur, quóque nituntur Dominicus, & Chryſoſtomus, 25.
eſt quod deſumitur à bonitate eius conſequentiæ huc vſque impugnatæ, à probabilitate vnius concluſionis ad probabilitatem oppoſitæ. Ideoque ſoluitur illam negando.

Secundum argumentum eſt ea demonſtratio, 26.
qua Franciſcus Verde aſſerit, ſe euidenter oſtendere, D. Borgiam, dum impugnat Caramuelis ſententias, confirmare, & demonſtrare illas. Quæ demonſtratio attenta mentis acie conſideranda venit. Interrogat Verde, an argumentationes Borgiæ ſint demonſtratiuæ, an probabiles? Et reſpondeo, dando, eas eſſe duntaxat probabiles. Quid inde?

Reſpondet, inde ſe demonſtrare, quod Ca- 27.
ramuelis aſſertiones manent confirmatæ, & demonſtratæ argumentationibus Borgiæ. Oportet demonſtrationem Franciſci Verde recolere. Ecce: [Illa doctrina eſt probabilis, quæ tam fortibus rationibus munitur, vt cõtrà non poſſit vlla demonſtratiua opponi; poſſit tamen merè probabilis: ſed tales ſunt Caramuelis ſententiæ, quas Borgias impugnandas aſſumpſit: illæ ergo Caramuelis ſententiæ ſunt probabiles.] Minorem probat, quia Borgias ingenio potens ne vnam quidem demõſtrationem inuenire potuit cõtra illas.

Demonſtratio Franc. Verde contra Borgiam.

Huius demonſtrationis maior eſt falſa; minor 28.
& eſt falſa, & duplici ex capite improbata manet. Et tandem ab ſcopo aberrauit Author demonſtrationis.

Quinque vitia eius demonſtrationis.

Vt maioris falſitatem clarè deprehendas, attende ea verba: *Quæ tam fortibus rationibus munitur, vt contrà non poſſit vlla demonſtratiua opponi.* 29.
Nam ex particulæ *tam*, & *vt*, denotant, à rationibus probabilibus prouenire, quod non poſſit in contrarium efformari demonſtratio. Nam ſi dicam, *Petrus eſt tam doctus, vt à nullo ſapiente poſſit conuinci*; denoto, à doctrina eius prouenire, quod non poſſit conuinci. Et ſi dicam, *Petrus eſt tam robuſtus, vt poſſit pugno leonem occidere*; ſignifico, à robore eius procedere eam potentiam occidendi leonem.

Aſſerit ergo, à fortitudine rationum probabi- 30.
lium Caramuelis procedere, quod contra illas non poſſit demonſtratio efformari, quod eſſe omninò falſum, clarè oſtendo. Rationes probabiles, & concluſio ex illis deriuata, afferunt formidinem: ergo ea concluſio fortè eſt vera, & fortè eſt falſa. Si in ſe falſa eſt, in ſe habet obiectiuè demonſtrationem, quamuis à nobis incognitam; id eſt, in ſe talis eſt; vt ſi cognoſcatur comprehenſiuè, poſſit eius falſitas demonſtrari: ergo quod non poſſit demonſtrari, ex defectu cognitionis noſtræ oritur, & non ex magnitudine rationum probabilium, quæ ſicut relinquunt locum formidinis, ita relinquunt locum demonſtrationi partis oppoſitæ. Ita multa, quæ fuerunt probabilia, dum non apparuit ratio certa in contrarium, modò ſunt certa, quia iam ratio certa affulſit. Numquid dum erant probabilia, potuit affirmari, tam fortes eſſe eius rationes, vt non potuerit contra illam decurſu temporis, & diſcurſu hominis prodire

A rationum probabilitate non prouenit, quod contra eas demonſtratio ſit impoſſibilis.

Digitized by Google

dire demonſtratio? Minimè; nam experientia oppoſitum nos docuit. Ergo nulla eſt ratio tam probabilis, quæ poſſit expellere hanc formidinem; *Fortè oppoſita eſt demonſtrabilis, quamuis ea demonſtratio me lateat.*

31. *Probabilitas affert formidinem de demonſtrabilitate partis oppoſitæ.*

Confirmant primò. Certitudo excludit formidinem, non ſolùm de veritate partis oppoſitæ, ſed & de demonſtrabilitate illius: ſed probabilitas admittit formidinem, quam excludit certitudo; in eo enim maximè differt probabilitas à certitudine: ergo probabilitas admittit formidinem de veritate, & de demonſtrabilitate partis oppoſitæ. Ergo rationes probabiles, quamuis nimium probabiles ſint, non tollunt, quominus poſſit dici, *Fortè pars oppoſita eſt demonſtrabilis.* Ergo non habent eam vim, vt reddere poſſint impoſſibilem demonſtrationem partis oppoſitæ, vt contendit Verde: ſi enim illam redderent impoſſibilem, haberent vim excludendi formidinem de demonſtrabilitate partis oppoſitæ.

32. *Quomodo explicetur formido, qua conſtat opinio?*

Confirmatur ſecundò. Formido, quam affert opinio probabilis, ſic explicatur, *Fortè oppoſita pars eſt vera.* Sed quid eſt illud *Fortè*, in intellectu, aut quomodo explicatur? Sanè, vt communiter tradunt Doctores, per hanc propoſitionem; *Contingens eſt, quod oppoſita pars ſit vera.* Sed numquid affirmat tunc intellectus, eſſe id realiter contingens, quaſi certus ſit intellectus, quod poſſit ita reipſa cõtingere? Minimè, ſed æquiualet huic: *Reſpectu meæ cognitionis contingens eſt, quod oppoſita pars ſit vera.* Siue, quod idem eſt; *Nullum principium certum eſt in meo intellectu, quod vetet eſſe contingẽs, quod oppoſita pars ſit vera.*

33. *Formido excludit principium certũ, quod vetet contingentiã certitudinis partis oppoſitæ.*

Tum ſic: Eodem modo eſt verũ, quod qui habet actũ opinionis probabilis, non habet in intellectu principium certũ, quod vetet eſſe contingẽs, quod oppoſita pars demonſtretur: ergo qui habet actũ opinionis probabilis poterit habere hunc actum; *Non eſt principium certũ in meo intellectu, quod vetet eſſe contingens, quod oppoſita pars demonſtretur:* qui quidem ſimiliter eſt actus formidinis. Ergo qui habet in intellectu opinionẽ probabilem, habere poteſt iſtum actum formidinis de demonſtrabilitate partis oppoſitæ; atque adeò nõ poteſt eſſe certus, quod oppoſita pars non ſit demonſtrabilis.

34. Illud verò primum antecedens proximæ periodi fundatur in eo, quod hæc non eſt bona conſequentia: *Non apparet mihi demonſtratio partis oppoſitæ: ergo non poteſt dari demonſtratio partis oppoſitæ:* fortè enim illa poteſt dari, quamuis ea mihi non occurrat, vt in multis contingit. Cùm ergò habens actum opinionis probabilis, ſolùm habeat illum primum actum; *Non apparet mihi demonſtratio partis oppoſitæ:* manifeſtum fit quod tunc non habet in intellectu principium certum, quod vetet, eſſe contingens, quod oppoſita pars demonſtretur, atque adeò manifeſtum fit, quod poteſt habere actum formidinis de demonſtrabilitate partis oppoſitæ.

35. *Aliquæ opiniones tranſierunt ad improbabilitatem.*

Confirmatur tertiò. Multis aſſertionibus contingit, quod amiſſa probabilitate, in qua verſabantur, tranſierint ad improbabilitatem, vt notum eſt. & conſtabit *ex diſputat. 9 cap. 4.* vel ergo aliquibus aſſertionibus Caramuelis idem poteſt contingere, vel non poteſt? Si primum dicas, habeo intentum: poterit ergo fieri, quod affulgente denuò demonſtratione, fiant improbabiles: falſum ergo eſt, quod ait Verde, opiniones Caramuelis tã fortibus rationibus muniri, vt contra non poſſit vlla demonſtratio opponi.

Dilemma.

Si verò ſecundum dicas, contrà eſt. Nihil enim habent opiniones Caramuelis, quod illæ priores, etiã antiquatæ opiniones non habuerint: vel aſſigna, quid habeant priuilegij opiniones Caramuelis, præ illis prioribus; illæ enim tunc nullam habebant contra ſe demonſtrationem; nam, vt ſupponimus, poſteà affulſit, & rationibus fortibus muniebantur: nec aliquid maius in opinionibus Caramuelis inuenies. 36.

Minor quoque demonſtrationis eſt falſa ex eodẽ morbo, quo afficitur maior. Et præterea cùm illa maior dicat duo, quæ debuiſſet probare Verde, nempe, nullam demõſtrationem poſſe elici contra aſſertiones Caramuelis, & eas eſſe munitas fortibus rationibus; in vtriuſque probatione deficit. 37.

Aſſertiones Caramuelis tales eſſe, vt contra eas nulla poſſit ratio demonſtratiua opponi, probat ex eo, quod Borgias ingenio nobiliſſimo præditus nullam oppoſuerit. Sed numquid quia Borgias nullam oppoſuit, infertur inde, quod reliqui omnes in toto orbe litterario nullam poterunt inuenire? Si hanc Franciſcus Verde vocaſſet argumentationem topicam, vel coniecturalem, admitti poſſet ea probatio tanquam coniecturalis, ſcilicet [Demonſtrationem, quam Borgias non inuenit, nullus inueniet.] Quod autem velit obtrudere nobis tanquam demonſtratiuam eam rationem, quam vix debilis coniectura promonet, criſis noſtra non patitur. 38.

39. *Non probatur concluſionis probabilitas ex eo, quod oppoſita non demonſtretur.*

Sed quomodo probat alteram partem, quod fortibus rationibus nitantur aſſertiones Caramuelis Scilicet, quia à Borgia oppoſitæ aſſertiones non fuerunt demonſtratæ. Et do etiam, quod à nemine mortalium demonſtratæ fuerint. Numquid inde infertur, quod ipſæ aſſertiones nitantur rationibus probabilibus? Etenim hæc duo bene componuntur, & quod concluſio careat rationibus probabilibus, & quod oppoſita concluſio non poſſit à nobis demonſtrari. Nam hæc propoſitio, *Turca dormit*; caret rationibus probabilibus, & tamen eius contradictoria non poteſt à nobis demonſtrari. Quare malè probabis, hanc propoſitionem, *Turca dormit*, habere rationes probabiles, quia oppoſita demonſtrari non poteſt. Malè ergo probat Verde, aſſertiones Caramuelis eſſe rationibus probabilibus fulcitas, ex eo quod oppoſitæ aſſertiones nõ potuerint à Borgia, & à reliquis mundi Doctoribus demonſtrari.

40. *Conſequentia à ſcopo aberrauit.*

Tandem ſi illi gratis demus conſequentiam, quid probat? Caramuelis ſententias eſſe probabiles. Et quid aſſumpſit probandum? Borgiam Caramuelis ſententias, neſcientem, nolentemque, clariſſimè, & euidenter demõſtrare. Sed poteſt ſtare primũ illud abſque hoc ſecundo: ergo licèt illud primum probauiſſet Verde, tamen hoc ſecundum nõ tetigit: à ſcopo ergo, in quẽ collimabat, deflexit.

Sunto probabiles Caramuelis aſſertiones, illas non demonſtrat Borgias, ex eo quod non demonſtret oppoſitas. Nam, vt dixi, ego non poſſum demonſtrare oppoſitam huius, *Turca dormit*; & tamen non propterea eius probabilitatem ſuadeo, nedum demonſtro. 41.

Vide ergo quantum parturierit mons ille demõſtrationis, qualiter pepererit. Nota clamores demonſtrationis parturientis verbis relatis *cap. 1. n. 2.* [Borgiam cùm ſe maximè putat contra Caramuelem arguere, Caramuelis ſentẽtias, neſcientem, nolentemque, clariſſimè, & euidenter demonſtrare. Et hoc ipſum euidenter oſtendo. [Clamat iterum *ibidem.* [Oſtendo igitur hinc, totum Borgiæ 42.

Digitized by Google

librum, quantus eſt, demonſtrare Caramuelis ſententias; & vt hoc cito expediã, ſequentem demonſtrationem exaro.] Clamat tertiò in margine *ibid.* [Breuiſſima, & demonſtratiua reſponſio ad totum Anticaramuelem.] Hanc etiam demonſtrationem vnicam reſpiciebat Accontius citatus *cap.* 1. dum dixit : [Demonſtratque (Verde) mira Illuſtriſſimum Anticaramuelem inaduertentia, omnium aſſertionum, quarum probabilitatem impugnandam ſuſceperat, probabilitatem affirmare.] Hanc etiam reſpiciebat Platus demonſtrationem, dum in iudicio de libro Franciſci Verde (apud Caramuelem *Apolog. de probabil. n.* 315.) ait: [Euidenter demonſtrat (Verde) nihil ab Anticaramuele demonſtrari; adeóque Caramuelis doctrinam non expugnari, non tangi, non oppeti : imò, quod mirabilius, demonſtratiuè confirmari.] Quæ vtriuſque iudicia magnopere commendat Caram. *in Apolog. de probabil. n.* 312.

43. Hæccine ergo eſt demonſtratio tot clamoribus promiſſa, tot præconiis celebrata, tanto approbationis plauſu firmata; cuius ambæ præmiſſæ apertè falſæ ſunt; cuius minor, quia continet duas partes, altera omittitur, & altera adeò tenuiter probatur; cuius conſequens à ſcopo promiſſo deuiauit.

CAPVT IV.

Difficilis obiectio enodatur.

44. OBiicies, idem argumentum, quod nos inſtruximus contra aduerſarios, retorqueri poſſe contra noſtram doctrinam, qui admittimus hanc conſequentiam : *Opinio negatiua eſt probabilior : ergo opinio affirmatiua eſt probabilis.* Supponamus ergo, argumenti causâ, opinionem negatiuam eſſe probabiliorem, & poſteà acceſſiſſe illi duo argumenta efficacia. Tum ſic: Ex hac argumentatione infertur opinionem affirmatiuam eſſe ſimul probabiliorem, & minùs probabilem, quàm anteà. Quod ſit probabilior, oſtenditur; etenim quando duo argumenta efficacia accedunt denuò in confirmationem vnius opinionis, fit probabilior, quàm antea : ſed iſta duo argumenta, quæ acceſſerunt denuò opinioni negatiuæ probabiliori, ſunt etiam in confirmationem affirmatiuæ oppoſitæ : ergo etiam opinio affirmatiua fit probabilior. Minor probatur. Argumenta, quæ confirmant antecedens, confirmant conſequens : ſed illa duo argumenta confirmant antecedens, nempe quod opinio negatiua ſit probabilior: ergo illa duo argumenta confirmant cõſequens, nempe quod opinio affirmatiua ſit probabilis. Sed opinio confirmata denuò duobus argumentis efficacibus fit probabilior, quàm antea: ergo opinio illa affirmatiua fit probabilior, quàm anteà. Quod verò etiam fiat minùs probabilis, patet: nã quantò probabilior fit concluſio, tantò minùs probabilis redditur eius contradictoria.

45. *Comparatio excedentis & exceſſi eſt relatio prædicamentalis.* Pro enodatione obiectionis nota primò, quamlibet comparationem excedentis, & exceſſi eſſe relationem prædicamentalem in qua cùm eſt denominatio maioris, melioris, probabilioris, habet vicem termini id, quod dicitur minus, peius, aut minùs probabile. Cũ verò denominatio eſt minoris, peioris, aut minùs probabilis, munus gerit termini id, quod dicitur maius, melius, aut probabilius. Aſſertio eſt certiſſima. Quare enim erit relatio prædicamentalis, quod vnum ſit æquale alteri; & non erit eiuſdem generis relatio, quod vnum ſit maius alio?

46. *Relatio prædicamentalis conſiſtit in vtroque extremo ſimul.* Nota ſecundò, relationem prædicamentalem nihil aliud eſſe, quàm coniunctum reſultans ex vtroque extremo, vt oſtendi *in diſp.* 39. *Logicæ.* Itaque quod Petrus, & Paulus ſint ſimiles in albedine, nihil aliud eſt, niſi hoc coniunctum, *Petrus eſt albus, & Ioannes eſt albus.* Et quod Petrus ſit Pater Ioannis, ad leges relationis prædicamentalis, nihil aliud eſt, niſi quod Petrus exiſtat, & Ioannes exiſtat, & Petrus genuerit Ioannem.

47. *Relatio duplò maioris explicatur per quamdam copulatiuam.* Nota tertiò, hanc relationem duplò maioris, quam habet vlna reſpectu ſemiulnæ, ſic poſſe explicari : *Datur ſemiulna A, & datur ſemiulna B: ſed ſemiulna A, habet ſemiulnam ſibi ſuperadditam* (ecce duplum exceſſum) *& ſemiulna B, nihil habet ſibi ſuperadditum.* Quæ aſſertio per ſe patet ex attenta comprehenſione terminorum. Similiter relationem duplò intenſioris, quam habet ſubiectum calidum vt duo reſpectu ſubiecti calidi vt vnum, ſic rectè poteris explicare : *Subiectum A, habet primum gradum caloris. & ſubiectum B, habet primum gradum caloris ; ſed ſubiectum A, habet etiam ſecundum gradum caloris, & ſubiectum B, nihil aliud habet caloris præter primum gradum.* *Et relatio duplò intenſioris.*

48. *Vnum extremum relationis prædicamentalis non eſt relatiuũ.* Nota quartò, quando relatio prædicamentalis reſoluitur in extrema, ex quibus componitur, quodlibet eorum ſeorſim non eſſe relatiuum prædicamentaliter. Aſſertio eſt manifeſta, quia ſi relatio prædicamentalis eſſentialiter componitur ex duplici extremo, dum vnum dumtaxat concipitur, neque relatio, neque relatiuum intelligitur; cùm rem ſine ſua eſſentia intelligi, chimæricum ſit: ita, quod Petrus ſit albus, non dicit relationem ſimilitudinis. Quod ſi relationem ſimilitudinis adſtruere velis, vtrumque ſubiectum album componere debes.

49. *Non benè reſoluitur relatio excedentis, per propoſitionẽ, quæ explicat exceſſum.* Hinc fit, non bene reſolui in extrema, ex quibus componitur, relationem prædicamentalem maioris. V.g. hæc relatio: *Paulus Apoſtolus eſt ſanctior Paulo Eremita*; non bene reſoluitur in ſua extrema per has propoſitiones: *Paulus Apoſtolus eſt ſanctus, & Paulus Eremita eſt ſanctus; & Paulus Apoſtolus habet exceſſum ſanctitatis ſupra Paulum Eremitam :* quia iſta tertia propoſitio inuoluit iterum comparationem, atque adeò totam relationem prædicamentalem ; conſequenterque inuoluit vtrumque extremum allatum per duas propoſitiones categoricas antecedentes.

50. *Ob inopiam vocum, quæ ſint abſoluta, & non relatiua.* Iſtud itaque contingit ob inopiam vocum. Si daretur vox, quæ ſignificaret illud ſuperadditum, quod eſt in Paulo Apoſtolo, abſolutè, & non relatiuè, non incurreretur illud vitium in reſolutione eius relationis prædicamentalis, ſicut non incurritur in exemplo ſuperiùs poſito ; nempe *Tabula vlnaris eſt duplò maior tabulâ ſemiulnari.* Quæ relatio in ſua extrema, ſeu partes reſoluitur, ſine eo quod vna pars includat aliam, neque vna pars includat totam relationem. Sic enim poteſt reſolui: [Datur tabula ſemiulnaris A, & datur tabula ſemiulnaris B : & tabula ſemiulnaris A, hãbet ſibi continuatam aliam ſemiulnarem ; & tabula ſemiulnaris B, nihil aliud habet ſibi continuatum. Sic (enim reſoluitur cõparatio, vt nulla pars ſeorſim ſit comparatiua : & relatio duplò maioris reſoluitur, ita vt nulla pars ſeorſim ſit relatiua.

51. Cùm ergo ex vna parte circumueniamur inopia vocum ; ex alia verò parte neceſſarium ſit

Digitized by Google

Ad reſoluendam hanc relationem excedentis, & exceſſi, opus eſt fingere voces abſolutas.

ſit ad rectam reſolutionem faciendam, quod quælibet partium, ex quibus componitur relatio prædicamentalis, ſit abſoluta, & non relatiua; & communia vocabula inepta ſint ad has ſeorſim partes non relatiuas ſignificandas, vt in illo exemplo D. Pauli ſuprà allato clarè conſpicitur; non alia nobis reſtat via, niſi componere, vel ſupponere aliqua vocabula, quibus mentem noſtram ſignificamus.

52. *Id in quo excedit ſanctior, voca gratiam B.*

Itaque vt hanc relationem prædicamentalem, *Paulus Apoſtolus eſt ſanctior Paulo Eremita*, reſoluamus in partes, quarum quælibet ſeorſim non ſit relatiua prædicamentaliter, illud ſuperadditum gratiæ, in quo excedit, appella gratiam B; & ita facilè reſolues eam relationem prædicamentalem in partes abſolutas, ſeu non relatiuas, ſic: *Paulus Apoſtolus eſt ſanctus, & Paulus Eremita eſt ſanctus; & Paulus Apoſtolus habet gratiam B, & Paulus Eremita nihil habet gratia B.*

53. *Id in quo excedit opinio probabilior aliam, voca gradum probabilitatis B.*

Ex his intelliges, quomodo reſoluere debes hanc relationem prædicamentalem, *Prima propoſitio eſt probabilior ſecunda*: ita vt in nulla partium, ex quibus componitur, inuoluatur iterum relatio prædicamentalis. Finge ergo, illud augmentum, in quo ſuperat prima propoſitio ſecundam, vocari gradum probabilitatis B, & ſic reſolue: *Prima propoſitio eſt probabilis, & ſecunda propoſitio eſt probabilis; & prima propoſitio habet gradum probabilitatis B, & ſecunda propoſitio nihil habet de gradu probabilitatis B.*

54. *Quomodo reſoluitur relatio excedentis in extrema abſoluta.*

His ita compoſitis, quæ certa ſunt, & extra controuerſiam, facile eſt explicare, quomodo poſitiuum inferatur ex comparatiuo; & quomodo ex eo, quod prima propoſitio ſit probabilior ſecunda, inferatur ſecundam eſſe probabilem. Quod nullo alio meliori modo intelligetur, quam reſoluendo comparationem, ſiue relationem prædicamentalem in partes, ex quibus componitur. Itaque benè valet: *Paulus Apoſtolus eſt ſanctior Paulo Eremita; ergo Paulus Eremita eſt ſanctus.* Si reſoluas, hæc erit argumentatio eadem: *Paulus Apoſtolus eſt ſanctus, & Paulus Eremita eſt ſanctus; & Paulus Apoſtolus habet gratiam B, & Paulus Eremita nihil habet de gratia B: ergo Paulus Eremita eſt ſanctus.*

55. *Argumentū à comparatiuo ad poſitiuum, deſumitur à tota copulatina ad vnam eius partem.*

Vbi vides, hanc conſequentiam, *Paulus Apoſtolus eſt ſanctior Paulo Eremitâ; ergo Paulus Eremita eſt ſanctus*; eſſe argumentationem à toto affirmato ad partem affirmatam, eſſeque argumentationem ſimilis formæ, ac iſtam; *Datur materia, forma, & vnio; ergo datur materia.* Et eiuſdem formæ, ac iſtam: *Petrus, & Paulus ſunt ſimiles in albedine; ergo Petrus eſt albus.* Quæ argumentatio ſic reſoluitur: *Petrus eſt albus, & Paulus eſt albus: ergo Petrus eſt albus*: ſcilicet à copulatina affirmata ad partem affirmatam.

56. *Relatio probabilioris reſoluitur per copulatiuam in extrema abſoluta.*

Cùm ergo dicis, *Prima opinio probabilior eſt ſecundâ: ergo prima eſt probabilis*; ſi vis intelligere, qualis ſit hæc conſequentia, reſolue relationem prædicamentalem, & eius conſequentiam ſic: *Prima opinio eſt probabilis, & ſecunda eſt probabilis; & prima habet gradum probabilitatis B, & ſecunda nihil habet de gradu probabilitatis B: ergo ſecunda opinio eſt probabilis.* Et ita cognoſces, hanc conſequentiam non eſſe aliam, niſi quæ valet ab exiſtentia omnium partiū ad exiſtentiam vnius partis.

57. Vltimò nota, quomodo intelligendum ſit illud, quod aſſumitur in obiectione; nempe, ea, quæ confirmant antecedens, confirmant conſequens. Nam ſi antecedens eſt vnica propoſitio non copulatiua, ſed ſimplex, omnia, quæ confirmant illam, confirmant conſequens. V. g. in iſta argumentatione; *Petrus eſt homo: ergo eſt riſibilis.* Vel in iſta; *Certum eſt, Petrum eſſe hominem: ergo certum eſt, eſſe riſibilem*; quæ confirmant antecedens, confirmant etiam conſequens.

58. *Quæ confirmant vnam partem copulatiuæ, non confirmant cæterās.*

At verò ſi antecedens non ſit vna ſimplex propoſitio, ſed copulatiua ex duplici, vel multiplici propoſitione coaleſcens; quæ confirmant vnam harum partium, non neceſſariò confirmant conſequens. Quod euidens eſt in ſyllogiſmo, cuius maior eſt probabilis, & minor euidens: quantumuis enim creſcat euidentia minoris, conſequens non extrahitur à probabilitate. V. g. in hoc ſyllogiſmo: *Omne animal habet ſanguinem informatum animâ: ſed omnis homo eſt animal: ergo omnis homo habet ſanguinem informatum animâ.* Quantumvis enim creſcat euidentia minoris, nihil creſcit probabilitas conſequentis.

Quod ſi id ita contingit, quando ambæ partes antecedentis influunt in conſequens, qualiter influunt præmiſſæ ſyllogiſmi in legitima forma; à fortiori continget, quando aliqua pars antecedentis per ſe, & ratione ſui non influit in conſequens. Iraque quando arguitur à coniunctione partium ad vnam partem, v. g. à cumulo lapidum compoſito ex primo, ſecundo, & tertio lapide, ad exiſtentiam tertij lapidis; ea, quæ confirmant exiſtentiam primi lapidis, non confirmant illud conſequens; quia exiſtentia primi lapidis non influit in exiſtentiam tertij. Et quando arguitur à copulatiua ad partem, v. g. *In veritate coniunguntur curſus Petri, & curſus Pauli; ergo Paulus currit*; ea, quæ confirmant curſum Petri, non confirmant conſequens, quia curſus Petri per ſe non influit in conſequens. 59.

60. Solutio obiectionis.

Hinc facillimè reſpondebis obiectioni, quæ aliàs prolixè poſſet mentem fatigare. Admitto itaque hanc conſequentiam, *Opinio negatiua eſt probabilior affirmatiuâ: ergo opinio affirmatiua eſt probabilis.* Ad id, quod additur, ſi opinioni negatiuæ accedant duo argumenta efficacia, inferri, hanc concluſionem eſſe probabiliorem, & minùs probabilem, quàm anteà; reſpondeo, id negando. Ad probationem concedo maiorem, & nego minorem. Ad cuius probationem diſtinguo maiorem: argumenta, quæ confirmant antecedens, confirmant conſequens, ſi antecedens ſit propoſitio ſimplex, & non copulatiua, concedò; ſi ſit propoſitio copulatiua, ſubdiſtinguo: ſi ſit copulatiua, & argumenta confirmant ſolùm eam partem, quæ per ſe non influit in concluſionem, nego; ſi confirment eam partem quæ per ſe influit in concluſionem, tranſeat. Dixi *tranſeat*, & non *concedo*, propter exemplum præmiſſarum ſuprà poſitum, *n.* 58. Minorem etiam diſtinguo: iſta duo argumenta confirmant antecedens, quoad eam partem quæ non influit in concluſionem, concedo; quoad eam partem, quæ per ſe influit in concluſionem, nego.

61. Itaque hæc argumentatio, *Opinio negatiua eſt probabilior opinione affirmatiuâ: ergo affirmatiua eſt probabilis*; iuxta dicta reſoluitur ſic: *Opinio negatiua eſt probabilis, & opinio affirmatiua eſt probabilis; & opinio negatiua habet probabilitatem B, & opinio affirmatiua nihil habet de probabilitate B: ergo opinio affirma-*

Digitized by Google

tiua eſt probabilis. Et ex hac reſolutione eius comparationis aduertes, argumenta, quæ probant, opinionem negatiuam eſſe probabiliorem, ſolùm probare, quod detur, vel augeatur in negatiua ea probabilitas B, quæ eſt augmentum illud, in quo negatiua ſuperat affirmatiuam. Sed quod detur, vel augeatur in negatiua ea probabilitas B, non influit in eam concluſionem: *Ergo affirmatiua eſt probabilis*; hæc enim ſolùm infertur tanquam pars in illo toto, non verò infertur ex alia parte non relatiuâ, ſcilicet ex probabilitate B, pro qua ſtant ea duo argumenta denuò aduenientia.

62. Quod clarè videbis in aliis exemplis ſuprà poſitis: ſic enim quando dicis, *Paulus Apoſtolus eſt ſanctior Paulo Eremita: ergo Paulus Eremita eſt ſanctus*; iſtud conſequens non infertur ex gratia B, quæ eſt illud ſuperadditum, in quo Paulus ſuperat Paulum; vt patet, ſi reſoluas comparationem modo ſupradicto: *Paulus Apoſtolus eſt ſanctus, & Paulus Eremita eſt ſanctus*; *& Paulus Apoſtolus habet gratiam B, & Paulus Eremita nihil habet de gratia B: ergo Paulus Eremita eſt ſanctus*. Ex coniuncto enim partium componentium relationem prædicamentalem Pauli ſanctioris Paulo, infertur ſanctitas Pauli Eremitæ. Itaque gratia B, in qua Paulus Apoſtolus ſuperat Eremitam, per ſe non eſt antecedens, vnde inferatur, Paulum Eremitam eſſe ſanctum; neque ea gratia B, reperta in Paulo Apoſtolo, influit in eam concluſionem, quod Paulus Eremita eſt ſanctus. Vnde ea argumenta, quæ confirmant gratiam B, repertam in Paulo Apoſtolo, non confirmant eam concluſionem, quod Paulus Eremita eſt ſanctus.

63. Hinc apertè vides ingens diſcrimen, quod intercedit inter has duas conſequentias: *Opinio negatiua eſt probabilis: ergo affirmatiua eſt probabilis*. Item, *Opinio negatiua eſt probabilior opinione affirmatiua: ergo opinio affirmatiua eſt probabilis*. Cùm enim antecedens huius ſecundæ argumentationis ſit relatio prædicamentalis, coniunctum videlicet plurium extremorum, & in ea non aliter inferatur, niſi qua valet à coniuncto partium ad vnam partem earum; fit, ea, quæ confirmant vnam partem, non confirmare alteram adæquatè diuerſam. At verò in prima argumentatione, cùm antecedens ſit propoſitio ſimplex, & non copulatiua, & vt talis inferat concluſionem; neceſſe eſt, quod ea, quæ confirmant id antecedens indiuiſibile, confirment etiam concluſionem, vt ex dictis patet.

64. Inſtantia. Dices, etiam hanc propoſitionem, *Opinio negatiua eſt probabilis*; poſſe reſolui in copulatiuam, ſic: *Opinio negatiua habet pro ſe rationes probabiles, & rationes probabiles habent ſolutionem probabilem, & ſolutio probabilis fundatur in rationibus probabilibus opinionis affirmatiuæ*. Quo pacto infertur: *Ergo opinio affirmatiua eſt probabilis*. Quo pacto ea, quæ confirmant probabilitatem opinionis negatiuæ, ſolùm confirmant primam partem: quæ prima pars non infert eam concluſionem, ſed ſolùm tertia categorica. Ergo eodem modo ſoluitur id argumentum in hac conſequentia, ac in præcedenti per comparatiuum producta.

65. Soluitur. Ex hac autem inſtantia clariùs cernitur diſcrimen quod datur inter vtramque conſequentiã. Nam quantumvis eam copulatiuam efformes, ea quidem componitur ex tribus propoſitionibus, quarum prima determinatè infert ſecundam, & ſecunda tertiam, ſcilicet iuxta doctrinam Caramuelis ſupra traditam. Nam quod opinio negatiua habeat rationes probabiles, connectitur neceſſariò cum eo, quod illæ habeant ſolutionem probabilem; & quod illæ habeant ſolutionem probabilem, connectitur cum eo, quod ſolutio probabilis naſcatur ex probabilitate opinionis affirmatiuæ, atque adeò cum eo quod opinio affirmatiua probabilis ſit: vnde de primo ad vltimum prima connectitur cum poſtrema, & prima infert determinatè poſtremam. Vnde fit, quod ea, quæ confirmant primam, confirmant poſtremam; quia quæ confirmant antecedens aliquod ſimplex, & indiuiſibile, inferens determinatè concluſionem, confirmant ipſam concluſionem. Quod aliter euenit in priori conſequentia deſumpta ex comparatione probabilioris, vt manifeſtè patet ex dictis.

DISPVTATIO VI.

Quid ſit dubium, & in quibus differat à probabilitate?

CAPVT I.

Exponitur definitio dubij.

SI aliquando nocuit Caramueli defectus definitionis ſuis formalibus terminis libratæ, maximè in hac materia de dubio, vt condiſtinguitur à probabilitate: de illo enim aſſerit multa falſa, vt in hac diſputatione oſtendam. 1.

Igitur ne in idem barathrum incidam, ante omnia ſtatuenda mihi eſt definitio dubij ab omnibus recepta. Pro cuius claritate notandum eſt, tria ad dubitationem requiri. Primum eſt, quod intellectus ſuſpendat aſſenſum in vtramque partem contradictionis, v. g. in hoc dubio, *An Turca dormiat*, requiritur, quod intellectus neutri parti contradictoriæ aſſentiatur; nec dicat, *Turca dormit*; nec dicat, *Turca non dormit*. Quod non negat, imò admittit expreſſè Caram. *in Reg. num.* 52. *C.* his verbis: [Differt à dubio, & ſuſpicione temeritas, quod temerarius iudex, non iam ex leuibus coniecturis dubia grauia infert, ſed determinatum, & deliberatum aſſenſum.] Iuxta quæ iudicium temerarium conuenit cum dubio, in eo quod vtrumque ducitur rationibus leuibus, aut nullis. Differt verò, quòd iudicium temerarium eſt aſſenſus determinatus, dubitatio verò non eſt aſſenſus determinatus. 2. *Tria ad conceptum dubitationis requiſita. Primum, ſuſpenſio aſſenſus in vtrumque.*

Sed hoc non ſufficit ad conſtituendam dubitationem, quia quando intellectus nihil omninò cogitaret, non diceretur dubitare; quamuis verum ſit, quod in eo caſu neutri parti contradictoriæ de dormitatione Turcæ aſſentiretur. 3.

Secundum, quod requiritur ad dubitationem, eſt, quod intellectus cogitet de vtroque extremo cõtradictionis, dormitatione, & non dormitatione Turcæ; quod cùm non fiat per aſſenſum, neceſſariò fieri debet per ſimplicem apprehenſionem: quidquid ſit, an ea apprehenſio debeat eſſe complexa, vel ſufficiat incomplexa? Sed nota poſſe proponi ea extrema per propoſitionem hoc pacto, 4. *Secundum, cogitare de vtroque.*

Digitized by Google

pacto, vel ſimili: *Somnus Turcæ eſt dubitabilis* Sed cùm extremum ſit ſolum ſubiectum propoſitionis, iſtud etiam latè, & impropriè ſolet vocari apprehenſio; & ita intelligi, quod proponi debet per apprehenſionem.

5. *Tertium, quod ſuſpenſio aſſenſus ſit defectu motiui actualiter determinantis ad alteram partem.*

Tertium, quòd illa ſuſpenſio aſſensûs in vtramque partem contradictionis non fiat ratione diſtractionis intellectus ad alia obiecta, ſed defectu motiui actualiter mouentis ad aſſenſum vnius partis. Nam ſi poſita apprehenſione de extremis contradictoriis intellectus diſtrahatur ad alia obiecta cogitanda, non dubitat de illis extremis. Dubitat ergo intellectus, quando propoſitis ſibi illis extremis contradictoriis, neutri aſſentitur intellectus, non ratione diſtractionis ad alia, ſed quia deeſt intellectui motiuum actualiter mouens ad aſſenſum alterius partis.

6. Hinc colligitur, non obſtare his, quod ait Caramuel *lib. 3. Theolog. Intention. in proœm. §. Conſcientia certa*: [Poſitis, inquit, fundamentis certis, poſſe hominem cohibere, & ſuſpendere aſſenſum, non videtur impoſſibile, quidquid ſucclament alij.] Nam in eo caſu homo non cogitat de obiecto concluſionis: nam habens præmiſſas certas, & cogitans de obiecto concluſionis, impoſſibile eſt, quod non aſſentiatur concluſioni. Deinde, quia ſolùm eſt dubitatio, quando ea ſuſpenſio aſſensûs eſt defectu fundamenti determinantis ad aſſenſum.

7. *Definitio dubitationis ex Vaſq. cum communi ſententia. Ex Thoma Sanch.*

Dubitationem ergo ſic definit P. Vazq. 1. 2. *diſp.* 62. *num.* 26. ex communi omnium Doctorum conſenſu. Dubitatio eſt, *Pendere intellectum in vtramque partem contradictionis, & neutri aſſenſum præſtare.* Eodem recidit definitio tradita à P. Thom. Sanch. *lib.* 1. *ſum. c.* 9. *n.* 2. *Quando intellectus pendet in æquilibrio, in neutram partem potiùs inclinans.* Et amplius explicat *cap.* 10. Quam definitionem dubitationis à P. Thom. Sanch. traditam, admiſit Caram. *in Theol. fund. n.* 1888. infrà citandus *num.* 15. In quam definitionem conueniunt ea tria, quæ requiruntur ad conceptum dubitationis. Primum enim, quod intellectus neutri parti contradictionis aſſentiatur, continetur in poſtrema parte definitionis.

8. Secundum, ſcilicet quod intellectus cogitet de vtroque extremo contradictionis, benè exponitur per ea verba, *Pendere in vtramque partem contradictionis*; intellectus enim non alio modo pendet, quàm cogitando. Tertium, ſcilicet quod ea ſuſpenſio aſſensûs ad vtramlibet partem contradictionis, non procedat à diſtractione ad alia, ſed à defectu motiui; ſatis explicatur per verbum *pendere*; ſicut enim rei materialiter pendenti deeſt adhuc firmitas ſtationis, vbi conſiſtat; ita pendere intellectualiter eſt carere motiuo dante actualiter quamdam firmitatem aſſenſui.

9. Dubium aliud eſt poſitiuum, aliud negatiuum. Definitiones vtriuſque vide infra *cap.* 7. *num.* 115. & 116.

10. *An dubitatio ſit actus mentis poſitiuus?*

Denique aduerte, Caramuelem *lib. 3. Theol. Intention. in proœm. §. Conſcientia certa*, dixiſſe: [Suſpendere animum non eſt dubitare; nam ſuſpenſio eſt non actus; & dubitare eſt actus mentis poſitiuus.] Cuius aſſerti nullam rationem producit. Et ego quidem aſſentior, ſi ſolùm intendat, quod dubitatio non conſiſtat ſolùm in ſuſpenſione actûs; id enim iam ſupra probaui; ſicut etiam, quod dubitatio includit actus poſitiuos apprehendentes ſimpliciter vtramque partem contradictionis.

Dubitatio conſtituitur per aliquid poſitiuum.

11. *Dubitatio non eſt ſuſpenſio poſitiua.*

Si verò contendat, dubitationem adæquatè conſiſtere in quodam actu poſitiuo, qui ſit poſitiua ſuſpenſio, & quaſi hæſitantia circa vtramque partem contradictionis, id quidem fruſtra aſſerit. Fruſtra, inquam, quia ſine fundamento, & ſine neceſſitate. Sine fundamento, quia nullum adducit. Sine neceſſitate, quia poſitis iis tribus, quæ diximus ad dubitationem requiri, ſufficienter intelligitur dubitatio. Ad quid ergo neceſſe eſt ponere eum actum poſitiuum.

12. Conſideret tamen Lector, quomodo iſte actus poſitiuus dubitationis ſtet cum iis quæ paulò ante dixerat §. *Dixi dubia.* [Lignum accedente alterutra qualitate (caloris, vel frigoris) nil poſitiuum, ſed ſolam priuationem perdit: accedente ſcientia, aut errore, nil poſitiuum intellectus dubius, ſed ſolum certitudinis, aut erroris priuationem amittit.] Si cùm tollitur dubium, nihil poſitiuum amittitur, quomodo cùm ponitur dubium, aliquid poſitiuum ponitur?

CAPVT II.

Quàm incongruè Caramuel explicet conceptum dubitationis.

13. QVintuplicem textum inuenio in Caramuele exponentem conceptũ dubitationis. Primus eſt *in Theol. fund. n.* 1888 *fund.* 63. vbi ait: [Dubiã conſcientiã dico, quæ non innititur rationi graui.] Secundus eſt *n.* 1889. *fund.* 66. [Dubiam conſcientiam definiuimus ratione graui deſtitutam.] Tertius eſt *n.* 1894. *eod fund.* [Si dubium, (hoc eſt, ratio leuis) ſequatur, aut comitetur certitudinem commiſſionis peccati grauis, aut certitudinem nõ confeſſionis, teneris confiteri.] Vbi vides, dubium dici rationem leuem. Quartus eſt *in Regulam, n.* 52. [Dubitas negatiuè, cùm ratione omni cares, & ſolùm conſideras duas oppoſitas propoſitiones; poſitiuè autem, cùm habes rationes, inſufficientes tamen, vt propugnes concluſionem.] Quintus eſt *in Apolog. de probabilitate, n.* 81.] Adnotato, propoſitionem, quæ non eſt per ſe nota, ſuaderi ratione, vel nulla, vel leui, vel graui, vel demonſtratiua. Si nulla, dicitur dubia negatiuè, ſi leui, dubia poſitiuè; ſi graui, probabilis; ſi demonſtratiuâ, indubitata, & certa.]

14. Hæc omnes definitiones, ſiue expoſitiones dubitationis, quia non ſunt ad trutinam definitionis libratæ, & continent multa à veritate deuiantia, æquiuocationes multas pepererunt Authori, vt in decurſu huius diſputationis demonſtrabimus. Et primùm quidem, quod contineant multa falſa, iam oſtendo.

15. *Propoſitio leui ratione nitens, non eſt dubitatio.*

Et incipiens ab vltimo textu, abſurdum eſt dicere, propoſitionem ratione leui ductam, eſſe dubiam poſitiuè; & nulla ratione ductam, eſſe dubiam negatiuè. Demonſtratur. Vbi eſt aſſenſus ad vnam partem, non eſt dubium: ſed propoſitio ducta ratione leui, eſt aſſenſus ad vnam partem quãuis ex ratione leui: ergo ibi non eſt dubium. Conſequentia eſt legitima. Minor eſt propoſitio per ſe nota, quæ ex ſola apprehenſione terminorum euidens eſt; cùm idem ſit propoſitio mentalis, & aſſenſus intellectualis. Maior verò eſt euidens ex definitione dubitationis, ab omnibus, imò & ab ipſo Caramuele admiſsâ. Nam *in Theol. fund. numero.* 1888. *fund.* 66. ait: [Notari volo, bene dubium à probabilitate diſtingui à Sanchez

Digitized by Google

lib.1. in Precept. c. 10.] Et quidem P. Thom. Sanch. citatus ſuprà *n.* 7. dixit, dubium eſſe, *Quando intellectus pendet in æquilibrio, in neutram partem potius inclinans.* Quæ inclinatio nihil aliud eſt, quàm aſſenſus, quem formaliter explicuit in ſua definitione P. Vazq. *ibid.* cit. & ipſe Thom. Sanch. abundè explicat. Imò clariùs admittitur à Caram. *in Reg. n.* 52. *C.* vt retulimus ſuprà *n.* 1.

16. Quam demonſtrationem aliter efformare poteris ſic: [Qui dubius eſt, in neutram partem contradictionis præſtat aſſenſum: qui elicit propoſitionem, quamuis leui ratione ductam, in alteram partem contradictionis præſtat aſſenſum; propoſitio enim eſt aſſenſus: ergo qui elicit propoſitionem, quamuis leui ratione ductam, non dubitat: ergo talis propoſitio non eſt dubia.] Cuius ſyllogiſmi propoſitiones omnes euidentes ſunt euidentiâ metaphyſica; conſequentia eſt euidens, cùm ſyllogiſmus ſit in primo modo ſecundæ figuræ: maior continetur in definitione dubitationis ab omnibus admiſſâ, minorem eſſe euidentem tam certum eſt, quàm eſt certum, propoſitionem mentis, & aſſenſum intellectualem idem eſſe.

17. Vel ſic: [Nullum iudicium temerè elicitum, eſt dubitatio (cùm dubitatio non ſit iudicium, ſed ſuſpenſio iudicij in vtramque partem contradictionis:) ſed omnis propoſitio, ex leui, vel ex nulla ratione ducta, eſt iudicium temerè elicitum: ergo nulla propoſitio, ex leui, vel ex nulla ratione ducta, eſt dubitatio.] Quæ ex his propoſitionibus non eſt euidens? Conſequentia eſt ſyllogiſmi in ſecundo modo primæ figuræ ſyllogiſticæ: maior tam euidens eſt, quàm eſt euidens, dubitationem non eſſe iudicium, ſed ſuſpenſionem iudicij: minor eſt ferè identica, ſi penetrentur termini; idem enim eſt propoſitio mentalis, & iudicium; idem eſt, *temerè*, ac, *ſine graui ratione*: ergo omnis propoſitio mentalis, ex leui, vel ex nulla ratione ducta, eſt iudicium temerè elicitum.

18. Quartus textus Caramuelis in eo peccat, quod ad dubium poſitiuum ſolùm admittat rationes leues; dubium enim poſitiuum poſſe verſari inter rationes vtrimque probabiles, demonſtratur *capite* 5.

19. Primus, & ſecundus textus, qui in idem recidunt, incidunt ambo in abſurda, in quæ inciderunt quartus, & quintus. Etenim, *Conſcientia, quæ non innititur rationi graui*: vel, *Conſcientia, quæ ratione graui deſtituitur*; eſt definitio, quæ conuenit propoſitioni mentali deſtitutæ ratione graui, ſiue iudicio temerario: atqui implicat contradictionem, propoſitionem, quantumcumque ratione graui deſtituatur, eſſe dubitationem, ſicut implicat, quod aliqua ſit propoſitio ſimul & ſuſpenſio propoſitionis; quod aliquis ſit aſſenſus, & ſuſpenſio aſſensûs; quod aliquod ſit iudicium, & ſuſpenſio iudicij. Dubitatio enim eſt ſuſpenſio aſſensûs in vtramque partem contradictionis; propoſitio autem mentalis eſt aſſenſus in alteram partem.

Definitio dubij data à Caram. conuenit iudicio temerario.

20. Deinde cùm dubium verſari poſſit inter rationes vtrimque probabiles, vt demonſtratur *cap.* 5. perperam dicitur, conſcientiam dubiam eſſe, quæ ratione graui deſtituitur, cùm aliquando conſcientia maneat dubia, licèt probabili ratione ſuffulta.

21. Tertius textus, in quo Caramuel affirmat *Dubium eſſe rationem leuem*, quia explicat dubium ſine formalitate terminorum definitionis, magnas peperit Authori ſuo æquiuocationes. Ex quibus primò ortum eſt monſtrum capite ſequenti debellandum, vt inde conſtabit. Deinde ortæ ſunt aliæ aſſertiones ſubſequentibus capitibus amputandæ: etenim aliud eſt, dubium oriri ſæpe à ratione leui; & aliud, quod dubium ſit ipſa ratio leuis.

Malè definitur dubium per hoc quod ſit ratio leuis.

Dices pro Caramuele, quando aſſerit, dubium eſſe rationem leuem, non loqui formaliter, ſed illatiuè: non intendere ipſam rationem leuem eſſe formaliter dubitationem, ſed iſtam à ratione leui oriri, ſeu inferri. Sed id non eleuat vim argumenti. Primò quia, vt ex eius contextu patet, ita aſſerit, dubium eſſe rationem leuem (ſiue intelligatur formaliter, ſiue illatiuè) vt quoties adeſt ratio leuis in intellectu, adſit etiam dubium: quod non eſſe minùs falſum, quàm, dubitationem eſſe rationem leuem, demonſtrabile eſt. Secundò, quia ex eo, quod ratio leuis ſit dubitatio, infert, in eodem intellectu eſſe poſſe ſimul de eodem indiuiſibili obiecto ſcientiam, opinionem, & dubitationem. Ex hoc autem, & ex argumentis, quibus hoc proba. , manifeſtè, infertur, vel rationem leuem eſſe formaliter dubitationem, vel eſſe principium, ex quo neceſſariò infertur dubitatio. Quod vtrumque quàm falſum ſit, ex proximè dicendis conſtabit. 22.

CAPVT III.

An ſcientia, opinio, & dubitatio de eodem obiecto indiuiſibili, poſſint eſſe ſimul in eodem intellectu?

PRædictus Author *in Theol. fund. num.* 1891. *fund.* 66. tenet affirmatiuam partem quæſtionis, ſic enim aſſerit: [Poſſe eumdem hominem ſimul habere certitudinem, probabilitatem, & dubium de eodem indiuiſibili obiecto, nimirum ex diuerſis præmiſſis. Nam ſi eadem concluſio probaretur tribus rationibus, vna euidenti, alia forti, & alia leui, cognoſceretur ſimul certò, probabiliter, & dubiè] 23.

Affirmat Caramuel.

Et vt videas, quomodo confundat dubitationem cum aſſenſu, & quàm malè intelligat conceptum dubitationis, propono clauſulam immediatè ſubſeqentem. [Inquiris, an in caſu propoſito, nimirum quando homo habet ſimul certitudinem, probabilitatem, & dubium, habeat de facto tres in intellectu concluſiones, an potiùs vnicam, quæ ſimul ſit ſcientifica, opinatiua, & dubia? Reſpondeo, huius quæſtionis diſſolutionem non conceтmere mores, & ideò non eſſe explicandam vberiùs. Et hanc ob rem breuiter dico, videri facilem, & probabilem eorum opinionem, qui docent, vnum, & eumdem actum in hoc caſu, prout deducitur à præmiſſis certis, & euidentibus, eſſe ſcientificum; prout à probabilibus, opinatiuum; & tandem prout à leuibus, dubium. 24.

Eumdem actum eſſe poſſe euidentem, probabilem, & dubium, affirmat Caram.

Vbi notabis primò iuxta hanc doctrinam, dubitationem ſtare in actu aſſenſus, & iudicij. Secundò, ita ſe habere rationem leuem ad dubitationem, ſicut ſe habent præmiſſæ euidentes ad ſcientiam: vnde ſicut exiſtentibus præmiſſis euidentibus non poteſt non dari concluſio ſcientifica, niſi fortè per diſtractionem intellectûs; ita exiſtente 25.

Digitized by Google

exiſtente ratione leui, non poteſt non dari dubium.

26. Et vt videas, hanc aſſertionem de exiſtentia ſimultanea ſcientiæ, opinionis, & dubij, non eſſe purè ſpeculatiuam, ſed ordinari ad praxim, hanc tertiam reſolutionem ſtatuit *n. 1894. fund. eodem.* [Tertia, ſi dubium, hoc eſt ratio leuis, ſequatur, aut comitetur certitudinem commiſſionis peccati grauis, aut certitudinem non confeſſionis, teneris confiteri.]

27. Concluſio certiſſima eſt, non poſſe in eodem intellectu conſiſtere ſimul dubitationem cum certitudine, vel aſſenſu probabili de eodem indiuiſibili obiecto. Demonſtratur primò. Aſſertio Caramuelis ſupponit, propoſitionem, & iudicium eſſe dubitationem (ſcilicet quatenus deducitur ex ratione leui:) implicat contradictionem, quod dubitatio ſit propoſitio, & iudicium: ergo ea aſſertio implicat contradictionem. Maior continetur expreſsè in clauſulis relatis Caramuelis: minor tribus demonſtrationibus probata eſt capite præcedenti, & conſequentia tenet.

Implicat in eodem intellectu dubitatio ſimul cum certudine, vel aſſenſu probabili de eodem obiecto.

28. Confirmatur. Ea eſt enim doctrina, quam hîc tradit Caramuel, vt ipſe oppoſitam tradiderit. Admittit enim aſſenſum determinatum, & deliberatum (qualis eſt concluſio ſupradicta) eſſe dubitationem, vt vidiſti *num. 23.* Admittit etiam aſſenſum determinatum, & deliberatum non poſſe eſſe dubitationem. Ecce habet hanc ſecundam contradictoriam *in Regul. Benedict. num. 52. C. Differt à dubio, & ſuſpicione temeritas, quod temerarius iudex non iam ex leuibus coniecturis dubia grauia infert, ſed determinatum, & deliberatum aſſenſum.* Conuenit ergo iudicium temerarium cum dubio, quòd vtrumque procedit ex leuibus coniecturis (dubium plerumque procedit ex leuibus, non ſemper:) differt verò à dubio, quòd iudicium temerarium ſit determinatus, & deliberatus aſſenſus; dubitatio verò non ſit determinatus, & deliberatus aſſenſus. Sed & oppoſitum tradidit in Theologia Intentionali. Nam *lib. 3. diſp. 3. n. 1406.* [Dubitat (centies dixi) qui habet rationem leuem, nullámve; probabiliter iudicat, qui grauem; & iudicat certò, qui certam. *Ergo dubium probabilitas, & certitudo non poſſunt coincidere.*]

29. Demonſtratur ſecundò. Si componerentur ſimul certitudo, probabilitas, & dubium de eodem obiecto, fieret, quod vir Catholicus credens firmiter myſteria almæ fidei, ſimul dubitaret de illis; hoc eſt abſurdum: ergo abſurda quoque eſt aſſertio, ex qua id infertur. Probatur maior. Sæpe Theologus probat myſteria almæ fidei ſimul rationibus certis, argumentis topicis, & congruentiis leuibus: v. g. probat myſterium Trinitatis argumento deſumpto ab authoritate reuelantis, quod eſt certiſſimum: probat etiam ex eo quod infinita perfectio poſtulat infinitã fœcunditatem, videlicet per principia phyſica, quæ ad hoc myſterium merè topica ſunt. Deinde probat aliquibus congruentiis leuibus: v. g. Sol producit lucem; & lux cum ſole producit radiũ reflexionis: ergo ſimiliter Pater Filium, & Filius cum Patre Spiritũ Sanctum. Ergo Theologus iſte dubitat circa myſterium Trinitatis. Probatur conſequentia primò. Nam iuxta Caramuelem, qui habet rationem certam, probabilem, & leuem de eodem obiecto, habet certitudinem, probabilitatem, & dubitationem: ſed iſte Theologus habet circa myſterium Trinitatis, rationem certam, probabilem, & leuem: ergo habet certitudinem, probabilitatem, & dubitationem: ergo verè dubitat de myſterio Trinitatis. Probatur ſecundò eadem conſequentia. Dubium, iuxta eum Authorem, eſt ratio leuis, ſiue concluſio deducta ex ratione leui: ſed ille Theologus pro myſterio Trinitatis vtitur ratione leui, & concluſione deducta ex illa ratione leui: ergo habet dubium circa myſterium Trinitatis. Quod ſi diceres, illum habere dubium, ſed non dubitare; & nugas ageres, ludendo terminis; & dicere deberes, illum habere etiam certitudinem de myſterio, ſed non eſſe certum de illo: quod quàm abſurdum ſit, nemo non videt.

Probans veritatem Fidei ratione certa, & leui, non dubitat in Fide.

Demonſtratur tertiò. Qui habet dubitationem, pendet in vtramque partem contradictionis, 30. & neutri præſtat aſſenſum: ſed qui elicit concluſionem affirmatiuam ex præmiſſis certis, probabilibus, & leuibus, non pendet in vtramque partem contradictionis, ſed alteri, nempe affirmatiuæ, præſtat aſſenſum: ergo qui elicit concluſionem affirmatiuam ex præmiſſis certis, probabilibus, & leuibus, non habet dubitationem. Conſequentia eſt euidens, vtpotè ſyllogiſmi in ſecundo modo ſecundæ figuræ. Maior eſt definitio dubitationis ab omnibus recepta, etiam à Caramuele, vt ſuprà retulimus. Minor tam euidens eſt, quàm eſt euidens, concluſionem affirmatiuam eſſe aſſenſum ad alteram partem contradictionis.

Demonſtratur quartò, oſtendendo eam aſſertionem, 31. quæ admittit ſimul in eodem intellectu de obiecto eodem dubium, & ſcientiam, vel opinionem, inuoluere duo prædicata contradictoria. Tunc datur dubium, quando intellectus pendet in vtramque partem contradictionis, & neutri parti præſtat aſſenſum; & tunc datur actus ſcientiæ, quando alteri parti præſtat aſſenſum ſcientificum: ſed quod neutri parti earum præſtet aſſenſum, & quod præſtet aſſenſum alteri parti, ſunt prædicata contradictoria: ergo qui admittit ſimul dubium, & ſcientiam de eodem obiecto, admittit duo contradictoria. Maior quoad priorem partem eſt definitio dubij, & quoad ſecundam tam certa, quàm eſt certum, actum ſcientiæ eſſe aſſenſum ſcientificum, non vtriuſque contradictoriæ (is enim eſt impoſſibilis) ſed alterius. Minor proponit duas propoſitiones contradictorias diſpoſitas ad regulas Dialecticæ, quo nihil euidentius eſt. Et conſequentia tenet.

Simultas dubitationis, & ſcientia inuoluunt prædicata contradictoria.

Reſpondebis fortaſſe, ea non eſſe contradictoria, 32. quia non verificatur abſolutè, quod neutri parti præſtet aſſenſum, ſed quod neutri parti præſtet aſſenſum, quantum eſt ex vi rationis leuis: at præſtare aſſenſum abſolutè (quod conuenit concluſioni, quatenus ſcientificæ) & non præſtare aſſenſum ex vi rationis leuis (quod conuenit concluſioni, quatenus dubiæ) non ſunt contradictoria.

Reſponſio.

Inde tamen non effugies vim demonſtrationis, 33. vt conuincitur hoc ſyllogiſmo. Quatenus eſt aſſenſus ad vnam partem, non eſt dubitatio: ſed concluſio illa ſcientifica, quatenus ducitur ex ratione leui, eſt aſſenſus ad vnam partem: ergo concluſio illa ſcientifica, quatenus ducitur ex ratione leui, non eſt dubitatio. Conſequentia eſt euidens, vtpotè efformata ad normam quarti modi primæ figuræ. Maior eſt euidens ex definitione, ſicut ex definitione hominis infertur hæc euidenter, *Quatenus res iſta eſt animal irrationale, non eſt homo*; ſiue, *Quatenus eſt animal irrationale, excludit conceptum hominis.* Minor etiam tantùm habet certitudinis, quantùm iſta; *Propoſitio quatenus ducitur*

Conuincitur primò.

Digitized by Google

ducitur ratione leni, retinet conceptum, & eſſentiam propoſitionis; cùm idem ſit propoſitio mentalis, & aſſenſus mentis.

34. *Conuincitur ſecundò.* Contra eſt ſecundò. Quod intellectus neutri parti contradictionis præſtet aſſenſum, eſt carentia realis aſſenſûs ad vtramlibet partem contradictionis: & quod intellectus neutri parti contradictionis præſtet aſſenſum, quantum eſt ex vi rationis leuis, non eſt carentia realis aſſenſûs, ſed carentia influentiæ rationis leuis in aſſenſum. Atqui non poteſt conſiſtere dubitatio in carentia influentiæ rationis leuis in aſſenſum, ſed debet conſiſtere in carentia aſſenſûs ad vtramlibet partem. Nam præterquam quod eſt per ſe notum, qui aſſentitur vni obiecto, non dubitare de illo; illud quidem ex definitione ab omnibus recepta conuincitur. Definitio enim cùm abſolutè adſtruat, quod intellectus neutri parti præſtet aſſenſum; non adſtruit carentiam influentiæ rationis leuis in aſſenſum, ſed carentiam aſſenſûs; quod ampliùs conuincit demonſtratio ſequens.

Dubitatio formaliter conſiſtit in carentia reali aſſenſus, non in carentia influentiæ, &c.

35. *Iudicium temerarium nititur ratione leui & tamen non eſt dubitatio.* Demonſtratur quintò. Nullum iudicium temerarium eſt dubitatio: omnis aſſenſus ex leuibus dumtaxat coniecturis eſt iudicium temerarium: ergo nullus aſſenſus ex leuibus dumtaxat coniecturis eſt dubitatio. Conſequentia eſt legitima, quia hic ſyllogiſmus eſt in ſecundo modo primæ figuræ. Et maior, & minor ſunt Caramuelis. Repeto verba Caram. relata *n.* 28. *Differt à dubio, & ſuſpicione temeritas* (ecce maior ſyllogiſmi, quòd iudicium temerarium non ſit dubitatio, cùm differat ab illa) *quòd temerarius index non iam ex leuibus coniecturis dubia grauia infert, ſed determinatum & deliberatum aſſenſum.* Ecce minorem, quòd determinatus aſſenſus ex leuibus coniecturis ſit iudicium temerarium, & per hoc differt à dubitatione. Tum ſic: ergo ſi aſſenſus ex leuibus dumtaxat coniecturis nequit eſſe dubitatio, à fortiori, quando is aſſenſus procedit ex leuibus, & certis rationibus, nequit eſſe dubitatio; quamtumuis reduplicatio fiat ſupra rationes leues, aut quamuis præciſio fiat à rationibus certis. Nam quamuis præſcinderes rationes omnes certas, & probabiles, non ſolùm formaliter, ſed etiam realiter, ita vt realiter manerent dumtaxat rationes leues; non maneret aſſenſus dubius, ſed iudicium temerarium, vt hac demonſtratione proximè factâ clariſſimè oſtenſum eſt.

36. *Magis pugnat actus certus cum dubitatione, quàm cum formidine.* Demonſtratur ſextò. Plus repugnat actus certus cum dubitatione, quàm cum formidine: ſed actus certus excludit formidinem: ergo actus certus excludit dubitationem. Non ergo componuntur concluſio certa, & dubitatio de eodem obiecto. Conſequentia tenet, non à paritate, ſed à maioritate rationis. Minorem nemo negat, omnes ſupponunt, euidentia rei teſtatur. Ideò certum eſt, aſſenſum almæ fidei expellere formidinem. Certitudo eſt firma adhæſio intellectus ad veritatem; vel, vt formaliùs loquar, eſt firmitas aſſenſûs; formido eſt infirmitas aſſenſûs. Sicut ergo firmitas, & infirmitas ſe mutuò excludunt, ita certitudo, & formido.

37. Maior etiam eſt euidens; nam vel ſumitur formido, ſecundum Caiet. & Nauarr. apud P. Vazq. 1. 2. *quæſt.* 62. *num.* 26. pro dubitatione; & hoc modo fortiùs vrget argumentum: quare, cùm apud omnes certum ſit, actum fidei Catholicæ excludere formidinem, certum etiam erit, excludere dubitationem, ſi formido eſt dubitatio. Vel ſumitur formido ſecundum communem acceptionem pro actu reflexo, quo quis aſſerit poſſe fieri, vt res aliter ſe habeat, ac repræſentatur per actum. Et in hac acceptione maior eſt indubitabilis. Nam formido ita opponitur actui certo, vt non opponatur illi, quà aſſenſus eſt, ſed quà certus eſt. Componitur enim formido cum aſſenſu, vt patet in actu probabili. At verò dubitatio opponitur actui certo, non ſolùm ratione certitudinis, ſed ratione aſſenſûs. Nam, vt patet ex definitione dubitationis, etiam à Caramuele admiſſa, dubitatio neutri parti contradictionis præſtat aſſenſum; atque adeò excludit aſſenſum vtriuſlibet partis.

Formido eſt actus reflexus, aſſerens, eſſe contingens, quod res aliter ſit.

Vt confirmem, rogo aduerſarium; certitudini huius actûs, *Verbum aſſumpſit naturam humanam*; vter ex his duobus actibus magis opponitur: *Verbum aſſumpſit naturam humanam; ſed poteſt fieri, quod id non ita ſit.* Item, *Dubium eſt an Verbum aſſumpſerit naturam humanam.* Quis dubitet, hanc ſecundam magis opponi? cùm prima præſtet aſſenſum, quamvis debilem; ſecunda autem excludat aſſenſum. 38.

CAPVT IV.

Roboratur vlteriùs concluſio, ex eo quod, ſtante ratione leui, deficit dubitatio.

HVcuſque oſtendimus, falſas eſſe aſſertiones Caramuelis, ſiue quà docet, ſcientiam, opinionem, & dubium de eodem obiecto componi poſſe; ſiue quà docet, concluſionem ductam ratione leui, eſſe dubitationem. Modò amplius arguendum eſt contra eam aſſertionem, demonſtrando, fundamentum eius eſſe nullum. Cùm ergo nitatur eo fundamento, quod ratio leuis eſt dubitatio, ſiue intelligatur formaliter dubitatio, ſiue intelligatur illatiuè dubitatio, quatenus eſt antecedens, vnde infertur dubitatio; hoc fundamentum penitus euertitur, ſi oſtenderimus, ſtante ratione leui, deficere ſæpiſſimè dubitationem, neque hanc inferri ex illa. 39.

Igitur rationem leuem non eſſe antecedens ad inferendam dubitationem, demonſtro primò. Quando intellectus illuſtratur hoc actu ſacræ fidei certiſſimo, *Deus eſt trinus, & vnus*; & pro oppoſita parte occurrit ratio leuis, tunc non datur dubitatio: ergo ratio leuis non infert dubitationem. Conſequentia patet: cùm enim iſtud ſæpiſſimè contingat, quòd ſtante actu certo, occurrat pro parte oppoſita ratio leuis; ſi tunc non datur dubitatio, manifeſtum eſt, quod ratio leuis non eſt antecedens, nec phyſicum, nec morale, vnde inferatur dubitatio; cùm antecedens ſtare non poſſit ſine conſequente. 40.

Ratio leuis nō eſt antecedens inferens dubitationem.

Antecedens verò manifeſtè conuincitur: nam præterquam quod ratio leuis nihil præualet contra euidentiam, aut certitudinem, id vlteriùs roboratur hoc dilemmate. Nam in illo caſu, & in illo intellectu ſic illuſtrato, vel eſt dubium, an Deus non ſit trinus, & vnus; vel non eſt dubium? Si primum dicas, infero: ergo illi intellectui, qui certò cognoſcit, Deum eſſe trinum, & vnum, dubium eſt, an Deus ſit trinus, & vnus. Conſequentia patet: nam iuxta doctrinam Caramuelis *in Apol. de probabilit. num.* 314. quæ veriſſima eſt, iſtæ ſunt æquiualentes, *Dubium eſt, an Deus non ſit trinus, & vnus: Dubium eſt, an Deus ſit trinus, & vnus.* 41.

Digitized by Google

vnus.Ergo ſi in illo caſu intellectus eſt dubius,an Deus non ſit trinus, & vnus; dubius etiam erit, an Deus ſit trinus,& vnus.

42. Si verò dicas ſecundum,quod non eſt dubium, infero: ergo tunc non datur dubitatio, ſtante ratione leui. Subinfero: ergo poſitis in intellectu præmiſſis leuibus, poteſt non inferri concluſio, in qua Caramuel dubitationem conſtituit. Quæ conſequentia rectè infertur ex præcedenti. Infero tertiò: ergo ratio leuis non eſt dubium, neque formaliter,neque illatiuè; cùm poſſit ſtare ratio leuis ſine dubitatione.

43. *Ratio leuis non producit dubium quà ratio,ſed quà leuis.* Demonſtratur ſecundò. Licet ratio leuis producat dubium, non producit illud, quà ratio eſt, ſed quà leuis eſt.Pro cuius explicatione ſuppono, quodlibet dubium eſſe inter duas partes contradictionis, quarum neutri intellectus præſtat aſſenſum: v. g. *Dubito, vtrum anno præterito viderim Regem?* duæ partes contradictionis ſunt, *Vidi Regem: Non vidi Regem.* Inter has duas hæret intellectus dubitans, neutri aſſentiens: & id declarat dictio *Vtrum*, quæ ſignificat alterum è duobus. Itaque dubitanti mihi,an præterito anno viderim Regem,ea occurrit ratio leuis, ſcilicet, quod anno præterito extiti Matriti, vbi commoratur Rex. Tum ſic: Iſta ratio, quod anno præterito extiti Matriti, fauet illi parti affirmatiuæ, *Vidi Regem*; non verò fauet parti oppoſitæ: item, neque fauet dubio, niſi quà leuis eſt, & non bene inferens viſionem Regis. Itaque quà argumentum eſt, eò tendit, vt mihi perſuadeat partem affirmatiuam; ſed quà patitur infirmitatem conſequentiæ, cùm mihi non perſuadeat illam partem affirmatiuam, relinquit hærentem, & vacillantem meum intellectum.Hunc tamen effectum relinquendi me dubium,non præſtat adæquatè ratio leuis,etiam quà leuis eſt. Nam cùm ſint duæ partes contradictionis,inter quas verſatur dubium, poteſt dari illa ratio leuis pro parte affirmatiua, *Vidi Regem*; & ratio euidens pro parte negatiua, *Non vidi Regem*.Quo caſu licèt detur ratio leuis pro parte affirmatiua, nullum datur dubium; cùm intellectus hæreat inter duas partes contradictionis, quando habet euidentem aſſenſum pro parte negatiua.

44. Hinc formatur ſyllogiſmus demonſtratiuus. Illa ratio eſt antecedens inferens dubitationem, quæ eſt adæquata ratio inferendi illam: ſed ratio leuis non eſt adæquata ratio inferendi dubitationem: ergo ratio leuis non eſt antecedens inferens dubitationem. Conſequentia tenet,quia ſyllogiſmus eſt quartus modus primæ figuræ ſyllogiſticæ, terminis maioris tantum localiter mutatis. Minor conſtat ex proximè dictis. Maior, ſi penetrentur termini, eſt per ſe nota: & ideò iſta propoſitio, *Petrus ruſticus dixit, Deum non eſſe trinum, & vnum*, non infert,Deum non eſſe trinum,& vnum, niſi adiungatur altera præmiſſa: *Quidquid Petrus ruſticus dicit, eſt verum:* quia illa prima præmiſſa non eſt adæquata ratio inferendi.

45. *Percipiens rationes leues Lutheri, non ideò dubitat in Fide.* Demonſtratur tertiò. Si ratio leuis eſſet dubium formaliter, vel illatiuè, vir Catholicus audiens friuola argumenta Lutheri, cum veritate diceretur dubitare in fide Catholica: atqui hoc abſurdũ eſt, & euidenter falſum: ergo & id,vnde infertur.Conſequentia eſt euidens, quia à propoſitione conditionali, & negatione conſequentis eſt legitima conſequentia ad negationem conditionis, ſiue antecedentis. Et minor eſt indubitabilis, alioqui Caramuel cùm audit, vel legit rationes friuolas Ianſenij, cum veritate diceretur dubitare in fide Catholica, & in veritatibus definitis contra Ianſenium.

46. Sed & maior nõ eſt minùs certa; nam Catholicus haberet in mente rationes friuolas Lutheri,imò & aſſentiretur illis; quandoque enim præmiſſæ ab illo aſſumptæ ſunt veræ,& certæ; & ſolùm ſunt adulterinæ, & leuiſſimæ quoad bonitatem illationis: ergo ſi illæ rationes leues conſtituerent formaliter dubium, vir Catholicus eſſet dubius de veritate, contra quam militant.Ergo ſi illæ rationes leues eſſent antecedens inferens dubium, Catholicus,qui illas in mente haberet,eodem modo dubitaret in veritate, cui opponuntur.

47. *Dantur aliquando rationes leues abſque dubitatione.* Demonſtratur quartò. Aliquando contingit, dari in intellectu rationes leues pro vtraque, vel altera parte, ſine vllo alio motiuo certo,vel probabili; & tamen non dari dubium: ergo rationes leues non ſunt dubium, neque ſunt antecedens ad inferendum dubium.Conſequentia eſt euidens, cùm antecedens non poſſit eſſe ſine conſequenti. Antecedens verò patet in eo,qui iudicat temerè: v. g. qui ex ratione leuiſſima iudicat,Petrum eſſe adulterum,Ioannem furem, &c. tunc autem non datur dubium, cùm iudicium temerarium non ſit dubitatio, vt ex doctrina Caramuelis *cit.cap.præcedenti*, certum ſit: dantur ergo in intellectu rationes leues,ſine eo,quod detur dubium.

48. *Soluitur obiectio Caramuelis.* Hinc patet ad argumentum Caramuelis propoſitum initio capitis præcedentis, ex eo deſumptum,quod ſicut concluſio, vt deducitur ex præmiſſis euidentibus, eſt ſcientifica, & vt deducitur ex præmiſſis probabilibus, eſt opinatiua; ita eadem concluſio, vt procedit ex præmiſſis leuibus, eſt dubia. Neganda eſt enim hæc conſequentia; nam, vt euidenter conſtat ex dictis, aſſenſus non eſt dubitatio, & potiùs dicendum eſſet, eſſe iudicium temerarium, vt procedit ex præmiſſis leuibus, quàm dubitatio,quæ repugnat aſſenſui. Illa ergo concluſio, vt procedit ex præmiſſis certis, eſſet ſcientia; vt procedit ex probabilibus, opinatiua; & vt procedit ex leuibus, eſſet leuiter tacta ab intellectu.

49. *Datur certitudo apparens, &c.* Et tandem pro huius rei maiore claritate notabis, eſſe etiam certitudinem apparentem, probabilitatem apparentem, & rationem leuem apparentem. Certitudo apparens datur, quando motiuum eſt probabile, vel leue; & tamen repræſentatur vt certum, atque adeò intellectus aſſentitur firmiter concluſioni propter illud. Probabilitas apparens datur, quando repræſentatur motiuum vt probabile, quamvis reuerà ſit certum, aut leue. Ratio apparenter leuis eſt,quando ratio certa,aut probabilis repræſentatur intellectui vt leuis. Itaque dubium ſæpè contingit, quando intellectus pro vtraque, vel altera parte contradictionis habet rationes probabiles, eo quod illæ ſibi repræſentantur vt leues. Aliquando etiam habet intellectus rationes certas, quæ ſibi repræſentantur vt leues; & tunc etiam dari ſolet dubium in intellectu.

***

Digitized by Google

CAPVT V.

An inter rationes vtrimque probabiles verſetur quandoque dubitatio.

50. CAramuel *in Theologia fundamentali, n.*1888. *fund. 66.* ait, malè explicari dubium poſitiuum à Cardin. Lugo *de Pœnit. diſput.*16.*ſect.*2. §.3. eo quod dubium poſitiuum cum probabilitate confundat. Et eodem modo carpit P. Ioannem Præpoſitum *quæſt.*5. *de integrit. Confeſſionis, dubit.* 3. eo quod ſic aſſeruerit: [Interdum verò contingit (dubium) quia vtrimque apparent rationes probabiles.] Quibus Præpoſiti verbis hæc alia addit Caramuel. [Diſplicet illud verbum vltimum, quia ſi vtrimque probabiles rationes ſuppetant, non eſt dicendus habere conſcientiam dubiam, ſed probabilem.] Idem aſſerit *in Prologo, num.*3. his verbis: [Hîc attentè nota, apud Authores, etiam doctos, voces has, *Dubium,* & *Probabilitas,* frequenter, & inconſideratè confundi.] Et *in Apolog. de probabilit. n.*81. [Caueat lector, ne dubium cum probabilitate confundat.] Quod idem millies repetit in ſuis operibus, tum variis in locis, tum præcipuè *lib.*3. *Theol. intention. diſp.*3. *per totam.*

51. In quo maximam æquiuocationem paſſus eſt Caramuel. Aliud enim eſt, quod aſſenſus probabilis neque eſt dubitatio, neque componitur cum dubitatione; & aliud, quod motiuum probabile non componatur cum dubitatione. Primum namque verum eſt, vt conſtat ex dictis *cap.*3. & 4. ſecundum verò eſt falſum, vt in præſenti probabimus. Et ideò malè aſſerit, Authores dubium cum probabilitate confundere; cùm potiùs ipſe confundat aſſenſum probabilem cum motiuo probabili.

Æquiuocatio Caramuelis. Vt tollatur, diſtingue aſſenſum probabilē à motiuo probabili.

52. Dicendum itaque eſt, Inter rationes vtrimque probabiles, ſcilicet propoſitas pro duabus partibus contradictionis, verſari dubium: imò etiam inter duas partes contradictionis, quarum vni ſuffragatur ratio probabilis, alteri verò ratio leuis: quæ concluſio certiſſima eſt. Demonſtratur primò. Coram iudice ſiſtitur Petrus, accuſaturque homicidij, eo quod heri hora noctis nona hominem interfecit: adſuntque coram iudice duo teſtes oculares conteſtes, viri nobiles, qui interfectionem perpetratam à Petro cum iuramento affirmant. Adſunt deinde duo teſtes oculares conteſtes, viri nobiles, qui iurati dicunt, Petrum extitiſſe illa hora noctis in loco, vbi impoſſibile phyſicè erat, Petrum interfeciſſe; & iudex vir prudens hæret dubius. Ecce pro vtraque parte contradictionis, *Interfecit Non interfecit*, ſunt fundamenta probabilia; & tamen intellectus hæret dubius. Ergo propoſitis pro vtraque parte rationibus probabilibus, poteſt intellectus manere dubius.

Dubiū verſatur inter rationes vtrimque probabiles.

Inter pares probationes iudex hæret dubius.

53. Nec ſatisfacies, ſi dicas primò, iudicem in eo euentu non præſtare aſſenſum illis teſtimoniis, quin potiùs de veritate illorum dubitare. Contrà enim eſt: nam licèt iudex non præſtet aſſenſum alterutri parti, ſcilicet, quod interfecit, vel quod non interfecit, in hoc enim eſt dubius; præſtat tamen aſſenſum antecedenti, ſcilicet; *Datur teſtimonium duorum hominum nobilium, &c.* quod eſt motiuum, & antecedens per ſe, & ſeorſim graue ad colligendam eam partem, pro qua ſtat vnumquodque teſtimonium.

54. Nec ſatisfacies, ſi dixeris ſecundò, teſtimonium duorum teſtium affirmantium interfectionem, non conſtituere motiuum probabile, quando adſunt alij duo teſtes oppoſitum aſſerentes. Conuinceris enim primò: quia quæſtio præſens eſt, an inter motiua, quæ ex ſe, & ſeorſim ſunt probabilia, poſſit intercedere dubium: & nunquam eſt argumentum ex ſe leue teſtificatio duorum teſtium ocularium, nobilium, conteſtium, præcipuè ſi contra eos non inuenitur ratio exceptionis; imò propterea hæret dubius iudex, quia videt, grauia eſſe fundamenta pro vtraque parte contradictionis, cùm videt eſſe impoſſibile, vtramque partem contradictionis accidiſſe. Quod intelligitur iuxta *n.* 90. & 105. Conuinceris ſecundò, quia idem poteris dicere in intellectu, in quo verſantur rationes repræſentatæ vt æquè probabiles vtrimque; ſcilicet rationes vnius partis non eſſe probabiles, quando pro oppoſita parte adſunt rationes æquè probabiles. Quod in quæſtione facti verum eſt, vt dicam *cap.*6.

55. Demonſtratur ſecundò. Idem, quod iudici prædicto, contingit ſæpiſſimè Profeſſori Theologiæ, qui ſcribens ea, quæ diſcipulos ſuos edocturus eſt, incidit in eam quæſtionē, v.g. an Sacramenta nouę legis producant phyſicè gratiam? Inueniensque rationes vrgentes pro parte affirmante, & pro parte negante rationes alias ſatis efficaces, diu hæret ambiguus, quam partem ſequetur; cui concluſioni, affirmatiuæne, an negatiuæ aſſentietur? ergo propoſitis rationibus probabilibus pro vtraque parte, poteſt intellectus manere dubius: non ergo dubium ſemper oritur ex ratione leui. Imò potius è conuerſo contingit, quod ſi pro parte affirmante inueniat rationem probabilem, & pro negante rationem leuem, citò excludit dubium intellectus, & parti affirmanti aſſentitur. Cùm verò vtrimque adſunt rationes probabiles, cùm videat, concluſionem affirmantem, & concluſionem negantem æqua lance librari, quaſi rectus iudex protrahit tempus, & aſſenſum alterius partis procraſtinat.

Inter rationes probabiles dubitat Theologus, quam partem eligat.

56. Demonſtratur tertiò. Nam licèt certi ſimus, opiniones Theologicas grauibus fundamentis innixas, eſſe veroſimiles; at verò in ſingulis, quæ pars ſit vera, affirmatiuane, an negatiua, tam ſæpe dubitamus, vt luci euidentis experientiæ velit oculos claudere, qui negabit. Vel ſi negat Caramuel, decidat mihi in omnibus quæſtionibus topicis, quæ pars ſit vera, & erit mihi magnus Apollo. Neque dicat, ſe deciſurum probabiliter: maiorem enim vim habet interrogatio mea. Poſtulo enim, vt in omnibus, & ſingulis decidat, quæ pars ſit vera, taliter vt ampliùs non dubitem, quæ pars ſit vera. Si ergo propoſitis vtrimque rationibus probabilibus pro vna opinione, & pro oppoſita; dubitamus, quænam ex iis pars ſit realiter vera, fit manifeſtum, quod ſtantibus vtrimque rationibus probabilibus, poteſt conſiſtere dubitatio.

In probabilibus quæ pars ſit à parte rei vera, dubitamus.

57. Confirmatur primò ad hominem. Nam ſecundùm Caramuelem, omnes Authores in materiis topicis non loquuntur per propoſitiones abſolutas, ſed per modales de modo *Probabile.* (Vide *diſp.* 2.) Vel ergo Authores cùm ita loquuntur per propoſitiones modales, dubitant de veritatibus obiectiuis abſolutis, vel non dubitant? Si hoc ſecundum dicas, Authores aſſentiuntur veritatibus

Quare loquuntur Authores per propoſitiones de modo Probabile, niſi quia dubitant de veritate abſoluta?

Digitized by Google

ratibus abſolutis abſque dubitatione; ſtolidè ergo procedunt, dum ea, quæ mente affirmant abſolutè abſque dubitatione, non exprimunt niſi modaliter. Si verò dicas primum, nempe quod Authores dubitant de veritatibus abſolutis, infero: ergo inter motiua vtrimque probabilia dubitant. Conſequentia patet: loquimur enim de materiis topicis, in quibus Authores vident vtrimque fundamenta probabilia.

58. *Non eſt indubitabile, niſi quod certum.*

Confirmatur ſecundò. Indubitabile idem eſt ac certum: ſed opinio merè probabilis non eſt certa: ergo non eſt indubitabilis. Ergo opinio probabilis dubitabilis eſt; atque adeò ſtante motiuo probabili, poteſt exoriri dubium.

59. *An Christus in 1. an in 2. veſpera lunæ 14. celebrauerit Paſcha, dubitatur: quia vtrinque partis rationes probabiliſſimæ.*

Confirmatur tertiò. Legi olim argumenta, quibus Ludouicus Legionenſis, vir doctiſſimus, probat, Chriſtum Cœnam celebraſſe in prima veſpera lunæ decimæquartæ, & putabam, ea rem concludere; ideò aſſentiebar eius doctrinæ. Legi deinde argumenta, quibus P. Vazq. *tom. 3. in 3. p. diſp. 172. c. 6.* probat, Chriſtum celebraſſe non in prima, ſed in ſecunda veſpera decimæquartæ lunæ, & depoſui aſſenſum pro prima veſpera, nec potui tam citò peruenire ad aſſenſum pro ſecunda veſpera; ſed inter grauiſſima vtriuſque egregij commilitonis argumenta diu dubius hæſi. Quod, exiſtimo, accidit multis viris doctis: & tamen vtraque argumenta ſunt probabiliſſima. Ergo inter argumenta probabilia poteſt verſari dubium. Certum mihi fuit, vtramque opinionem eſſe valdè veroſimilem; quæ autem realiter vera ſit, diu dubitaui.

60. *Habet ſe intellectus ad inſtar iudicis.*

Confirmatur quartò. Solet contingere, quod Iudex, qui audit Aduocatum patrocinantem cauſæ vnius partis, ponderantemque rationes vrgentes pro iure eius, iam in corde ſuo ferè tulit ſententiam pro cauſa eius partis: ſed cùm audit Aduocatum alium pro altera parte producentem rationes ſimiliter vrgentes, hæſitat, fluctuatque, & diuturno tempore dubitat, pro qua parte ferat ſententiam, poſitus inter rationes vtrimque vrgentes. Et ratio eſt, quia quamvis rationes vnius partis ſint valde probabiles; at cùm ſimile pondus rationum ex altera parte impetat, inclinationem ad vnam partem pondus alterius partis cohibet. Ergo ſimiliter intellectus, cùm inſtar iudicis audit rationes vtrimque vrgentes, poterit hæſitare, donec accedat aliquid aliud, quod eum ad vnam partem flectat.

61. *Habet ſe intellectus ad inſtar Principis attendentis merita ad collationem dignitatis.*

Confirmatur quintò. Nam intellectus in conſideratione ſpeculatiua rerum etiam practicabilium, ſæpe habet ſe ad inſtar Principis, qui dignitatem, aut præmium largiturus eſt digniori. Nam cùm audit merita excellentia vnius, & res benè geſtas, inclinat, vt largiatur illi dignitatem; cùm autem proponitur alter, de quo ſimilia merita, ſimiles res geſtæ ei narrantur, fluctuat, hæſitatque dubius, quemnam ex illis eo præmio dignabitur, quouſque beneuolus affectus in alterum eorum inclinat. Sic intellectus veritatis magnus indagator quaſi deſiderat ſtare pro meritis maioris veriſimilitudinis: ergo cùm ſimilem, & eiuſdem meriti veriſimilitudinem inuenit in rationibus vtriuſque partis, poterit hæſitare dubius, quouſque noua ratio adueniat practica, vel ſpeculatiua, vel affectio voluntatis, quæ ad aſſenſum alterius partis inclinet.

62. *Licet vti opinione probabili, ex dictamine reflexo.*

Ante quartam demonſtrationem præmitto, ideò in praxi poſſe vti nos opinione probabili, quia præcedit hoc dictamen practicum certum, *Licitum eſt in praxi vti opinione probabili.* Quo dictamine deficiente, ſiue per ignorantiam, ſiue per inaduertentiam, peccabit homo, niſi eligat partem tutiorem. Patet aſſertum: Conſcientia enim non eſt ſecura, dum non cognoſcit dictamine practico, ſibi eſſe licitum, hoc, vel illo modo operari. Quo poſito.

63. *Homo eſt practicè dubius inter rationes probabiles, dum caret illo dictamine reflexo.*

Demonſtratur quartò concluſio. In hac quæſtione, an poſſit quis ſine peccato mortali furari tres argenteos cum dimidio, da Petrum habere rationes probabiles pro parte affirmatiua, per inaduertentiam tamen carere illo dictamine practico ſupra dicto. Tum ſic: In hoc caſu Petrus habet rationes probabiles pro parte affirmatiua; & tamen eſt practicè dubius, an poſſit ſequi partem affirmatiuam, necne: ergo poſitis rationibus probabilibus poteſt conſiſtere dubium. Minor oſtenditur. Illud practicum dubium non poteſt excludi, niſi per dictamen practicum, quod doceat, ſecurum procedere hominem vtendo illa opinione, quam videt probabilem: ſed ſupponimus, hoc dictamen deficere: ergo nihil eſt, quod excludat illud practicum dubium; conſequenterque in illo caſu homo erit practicè dubius.

64. Reſponſio.

Dices, Petrum in illo caſu non eſſe practicè dubium, ſed potiùs certum, quod non poteſt vti ea opinione; cùm certum ſit in eo caſu, debere Petrum ſequi partem tutiorem, ſcilicet negatiuam.

65. Refutatur.

Duplex dictamen diſtinguendum eſt, directum, & reflexum.

Sed hæc reſponſio ſophiſtica eſt; confundit enim duas cognitiones practicas, directam, & reflexam. Ideò enim certum eſt, quod tenetur ſequi partem tutiorem, quia in dubiis practicis tutior pars ſequenda eſt: ergo datur cognitio practica certa, & cognitio practica dubia. Quas vt diſtinguas, propone tibi hos duos ſyllogiſmos. Primus eſt: *Quoties materia eſt parua, non eſt mortale furari: tres argentei cum dimidio ſunt materia parua: ergo non eſt mortale eos furari.* Quam concluſionem licet Petrus videat eſſe probabilem, quia tamen Petrus deſtitutus eſt eo dictamine practico, quod licitum eſt vti opinione probabili, non audet eam ad praxim reducere, ſed hæret practicè dubius. Secundus ſyllogiſmus eſt: *Quoties eſt dubium, an liceat vti aliqua opinione, vel praxi, tutior pars ſequenda eſt: ſed modò eſt dubium, an liceat ſine mortali, vti ea opinione, quam producit primus ſyllogiſmus: ergo in hoc caſu tutior pars ſequenda eſt.* Itaque ex primo ſyllogiſmo, cuius vim conſiderat Petrus, licet non aſſentiatur concluſioni, nec minori, ex defectu illius prioris dictaminis practici, Petrus manet practicè dubius, an poſſit ſequi eam partem affirmatiuam, necne. Virtute autem ſecundi ſyllogiſmi manet certus, quod non poteſt in praxi partem affirmatiuam amplecti.

66.

Hinc conficitur argumentum. Tunc conſcientia eſt practicè dubia, quando non eſt practicè ſecura: ſed deficiente dictamine practico, quod licitum eſt vti opinione probabili, non eſt practicè ſecura (quia ſolùm redditur practicè ſecura per id dictamen practicum:) ergo deficiente eo dictamine practico, conſcientia eſt practicè dubia. Et tamen rationibus probabilibus fulcitur ad partem affirmatiuam probandam: ergo licèt adſint rationes probabiles, poteſt intellectus manere dubius.

67. *Motiuū probabile non co-*

Argumentum quintum eſt. Motiuum probabile non cogit intellectum ad aſſenſum: ergo poſito motiuo probabili in intellectu, poteſt intel-

lectus

Sit intellectum ad aſſenſum. Ideò inter motiua probabilia poteſt dubitare.

lectus ſuſpendere aſſenſum. Conſequentia patet, quia dum intellectus non determinatur ad aſſenſum, expeditus manet ad non aſſentiendum, ſiue ad ſuſpendendum aſſenſum; vel, quod idem eſt, ad dubitandum. Antecedens verò probatur primò. In hoc enim differt motiuum probabile à motiuo certo,& euidenti,quòd motiuum certum, & euidens cogit,& determinat intellectum ad aſſenſum; non enim permittit,intellectum dubitare, aut aſſentiri parti oppoſitæ; quod eſt determinare intellectum quoad ſpecificationem,quamuis non determinet, ſecundùm multorum ſententiam, quoad exercitium. Motiuum autem probabile,vt non cogit intellectum ad ſui aſſenſum, ita neque ad aſſenſum concluſionis.

68. *Vtraque ratio vtrimque oppoſita eſt probabilis: & tamen vtraque non cogit ad aſſenſum.*

Probatur ſecundò idem antecedens. Si ex vtraque parte contradictionis (vt ſolet) ſint rationes probabiles, non cogit vtraque ratio probabilis ad aſſenſum; alioqui cogeretur intellectus ad duos aſſenſus contradictorios: ergo ſtat, quod detur in intellectu ratio probabilis ab intrinſeco attentè conſiderata, & quod intellectus non cogatur ad aſſenſum.

69. *Antecedens admittitur à Caramuele.*

Et nota, illud antecedens admitti à Caramuele,qui *diſp.* 70. *in Regul.num* 1056. ait: [Rationes euidentes aſſenſum prædeterminant: ſi ſint merè probabiles,mentem non cogunt.]

70. *Formido facilè vertitur in dubitationem.*

Argumentum ſextum. Motiuum probabile relinquit locum formidini: ſed formido facilè vertitur in dubitationem: ergo dat locum dubitationi: ergo componitur dubitatio cum motiuo probabili. Maior eſt Caramuelis, & omnium, vt conſtat ex diſp.præcedenti. In eo enim motiuum probabile differt à certo,quòd iſtud excludit omnem formidinem; probabile non item. Minor eſt ita experimento comperta, vt luci claudat oculos,qui neget. Quoties dixi; *Sacramenta nouæ legis producunt phyſicè gratiam, & poteſt contingere quod res aliter ſe habeat*: & inſiſtens formidini, cogitanſque hanc ſecundam partem propoſitionis, dubitaui, & ſuſpendi aſſenſum? Quod in aliis mille caſibus frequenter occurrit.

71. *Dubitatio ſtat cum motiuo probabili.*

Et ne ſubeas æquiuocationē,iterum nota,cum motiuo probabili ſtare dubitationem, non verò cum aſſenſu probabili; quia ſicut dubitatio excludit aſſenſum, ita aſſenſus dubitationem; cùm hæc neutri parti contradictionis præſtet aſſenſum; formido autem componitur cum aſſenſu. Quando ergo dicimus, quod formido facilè vertitur in dubitationem,ne exiſtimes,quod ſi ſtante aſſenſu concluſionis, datur formido, perſiſtente eodem aſſenſu formido vertatur in dubitationem; vertitur enim in dubitationem deficiente aſſenſu,propter dicta.

72. *Mentes quorundam incredulæ, non ſinunt ſe moueri probabilibus, ad aſſenſum.*

Et id quidem in quorundam hominum mentibus frequentiùs contingit, quæ ſunt (vt ita dicam) quaſi incredulæ; & vbi non cogit certitudo motiui, renuunt aſſenſum ſuum præſtare: quare probabilibus rationibus non obligantur, inter formidines conſtitutæ,ſed hærent,& ſuſpendunt aſſenſum.

73. *Motiuū probabile ſtat cum iudicio temerario de parte oppoſita.*

Demonſtratur ſeptimò. Motiuum probabile compoſſibile eſt cum iudicio temerario de parte oppoſita: (non dixi, *aſſenſus probabilis* ſed *motiuum probabile.*) Ergo motiuum probabile compoſſibile eſt cum dubitatione.

74. Antecedens probatur: nam iuxta aſſertum Caramuelis, quod centies repetit,poſſeſſio bonæ famæ, ſiue præſumptio innocentiæ, eſt motiuum probabile pro bonitate Petri; & hoc non obſtante multi iudicant temerè, eum eſſe prauum. Temerarij enim iudices, vbi eos non cogit euidentia partis oppoſitæ,audacter procedunt ad temeritatem iudicij; quod quotidiana experientia compertum eſt.

Conſequentia verò prioris enthymematis patet à maioritate rationis; difficilius enim eſt, 75.
cùm Petrus poſſidet innocentiam ſuam, procedere ad iudicandum, eum eſſe prauum, quàm dubitare,an ſit prauus. Vide aliud argumentum, *num.* 183.

Dices: ergo ſtantibus præmiſſis probabilibus, 76. *Obiectio.*
non neceſſitatur intellectus ad concluſionem eliciendam, maximè ſi euidens ſit bonitas conſequentiæ.Conſequentia patet: nam ſtantibus præmiſſis probabilibus, poteſt dari dubitatio; cum dubitatione autem non componitur aſſenſus concluſionis. Illud autem conſequens verum non eſſe,probatur; nam præmiſſæ habent neceſſariam connexionem cum conſequente: ergo ſi intellectus aſſentitur præmiſſis, & videt eas neceſſariò connecti cum conſequente, neceſſariò aſſentietur conſequenti, ſaltem neceſſitate quoad ſpecificationem, ita vt non poſſit aſſentiri parti oppoſitæ,neque circa illam dubitare.

Pro ſolutione aduerte, dupliciter poſſe ſe habere antecedens probabile reſpectu concluſionis. 77. *Aliquando bonitas conſequentiæ eſt euidens in antecedente probabili; & aliquando probabilis.*
Primò, ita vt bonitas conſequentiæ ſit euidens; id tamen, quod enunciat antecedens, ſit probabile. Secundò,ita vt bonitas conſequentiæ ſit dumtaxat probabilis; enunciatio autem antecedentis ſit probabilis,vel certa. Argumentum itaque non loquitur hoc ſecundo modo; nam hoc modo ſtantibus in intellectu præmiſſis, adhuc poteſt intellectus dubitare de concluſione, cùm bonitas conſequentiæ dumtaxat probabilis, non cogat intellectum ad aſſenſum. Primo ergo modo,ſi intellectus aſſentitur præmiſſis,cùm cognitio bonitatis illationis ſit euidens,neceſſitatur intellectus, ſaltem quoad ſpecificationem, ad aſſentiendum concluſioni, atque adeò circa illam dubitare non poteſt, niſi dubitando de præmiſſis. Cùm ergo dicimus,inter rationes probabiles verſari poſſe dubium, etiam habet locum in illo primo modo, cognita ſcilicet euidenter bonitate illationis; quia circa præmiſſas ipſas probabiles poteſt intellectus dubitare, nec ipſis aſſentiri, quin potiùs diſſentiri, obiecto earum intellectui propoſito: quando verò cognitio bonitatis illationis eſt probabilis, etſi illis præmiſſis aſſentiatur intellectus, poteſt vtique dubitare propter dicta.

Tandem cogitet Lector,quomodo componere 78. *Dubitari poteſt de obiecto probabili, Immaculata Conceptionis B. M. iuxta Caram.*
poſſit hanc aſſertionem [quod inter rationes probabiles non poteſt verſari dubitatio;] cum ea, quam tradit *in Apolog.de Probabilit. num.* 156 § *Et hic obiter.* Cùm enim dixiſſet, ſententiam de Immaculata Conceptione Diuæ Virginis, eſſe probabilem; admittit poſſe intellectum dubitare de illa. Ecce eius verba: [Huius actus, *Virgo eſt concepta ſine macula*; obiectum incertum eſt; de illo opinari, aut etiam dubitare quis poteſt. Fortè in Deiparæ Conceptione peccatum fuit.] Ergóne in ſolo myſterio Conceptionis potuit dubitari inter rationes probabiles?

Ex dictis inferes, Authores aſſerentes, inter rationes 79. *Authores non confundunt dubium cum probabilitate.*
vtrimque probabiles verſari quandoque dubium, non confundere dubium cum probabilitate, ſed hanc ab illo optimè diſtinguere. Nam ſi nomine probabilitatis intelligantur præmiſſæ probabiles,

Digitized by Google

probabiles, iſtæ quidem, licèt magis inclinent ad concluſionem probabilem, quàm ad dubium; tamen quia debiliter, & cum formidine adhærent obiecto, indifferentes ſunt etiam ad cauſandum dubium, præcipuè cùm ex vtraque parte dantur, & repræſentantur vt æquè probabiles; vt ſatis, ſuperque demonſtratum eſt. Si tamen nomine probabilitatis intelligatur ipſa concluſio probabilis (quo pacto frequenter ſolet intelligi) hæc toto cælo diſtat à dubitatione; cùm opinio ſit aſſenſus ex motiuo probabili; & dubitatio ſit ſuſpenſio aſſenſûs, vt conſtat euidenter ex dictis.

CAPVT VI.

An in quæſtione de facto, motiua vtrimque æqualiter probabilia dent probabilitatem cuilibet parti?

ARTICVLVS I.

Statuitur, & probatur concluſio.

80. *In quæſtione facti motiua vtrimque æquè probabilia producunt dubium.*

SIt concluſio. In quæſtione de facto motiua vtrimque æqualiter probabilia relinquunt quæſtionem omninò ſub dubio, atque adeò non dant probabilitatem cuilibet parti. Scio, communiter Authores oppoſitum aſſerere. Apud me autem concluſio tradita eſt veriſſima.

81. *Ex probationibus facti æqualibus reſultat dubiũ in iudicio.*

Probatur primò concluſio in caſu iudicij propoſito ſuprà *n.* 52. Nam dum habet Iudex pro vtraque parte, affirmatiua, & negatiua delicti, æquale pondus authoritatis teſtium, dubius omninò hæret, nec poteſt ſine temeritate alteri parti aſſentiri. Ergo in quęſtione de facto motiua vtrimque æquè probabilia relinquunt intellectum prudentem in ſtatu dubij; & ſi vni parti aſſentiatur ex tali motiuo, intellectus temerè iudicabit.

82. *Idè cernitur in iudicio Salomonis.*

Id quod clarè cernitur in iudicio Salomonis, apud quem ſecum mutuò agebant illæ duæ meretrices, de infante viuo ſibi adiudicando, cùm ab altera earum filius infans noctu ſuffocatus fuiſſet, & filius alterius furtiuè ſubreptus. 3. *Reg.* 3. Nam altera earum coram Rege clamabat: *Filius tuus mortuus eſt, meus autem viuit.* E contrario illa dicebat: *Mentiris, Filius quippe meus viuit, & filius tuus mortuus eſt.* Atque in hunc modum cõtendebant coram Rege. Vbi perpendendũ eſt, ſi vna earum, nulla alia contradicente, diceret, *Hic eſt filius meus*; quilibet ei fidem adhiberet: eſt enim magni ponderis fundamentum ad filiationem credendam, teſtimonium ipſius, qui, vel quæ dicit ſe eſſe parentem illius. Cùm autem ei teſtimonio contradicebat teſtimonium alterius, Salomon hæſit dubius, vt denotant ea verba: *Hæc dicit; Filius meus viuit, & filius tuus mortuus eſt. Et iſta reſpondet; Non, ſed filius tuus mortuus eſt, meus autem viuit. Dixit ergo Rex; Afferte mihi gladium.* Quia ergo vtrimque erant motiua æqualis probabilitatis, dubius manſit: & vt à dubio tranſiret ad certitudinem, vſus eſt illa coniectura moraliter euidenti, ex qua morali euidentia collegit veritatem facti.

83. *Pares probationes de morte, & vita tamque pariunt dubiũ.*

Secundò. Nam fœmina coniugata, quæ habet tres teſtes affirmantes mortem viri ſui, & tres alios eiuſdem fidei teſtantes vitam eius, tranſire non poteſt ad ſecundas nuptias, quas Iudex Eccleſiaſticus prohibebit; non alia de cauſa, niſi quia in quæſtione de facto eſt æquale pondus probabilitatis pro vtraque parte; vel potiùs, quia ſtante æquali pondere authoritatis pro vtraque parte, factum remanet in ſtatu dubij; & iudex diſcernere nequit, qui teſtes ex illis dicant verum. Quod idem euenit in intellectu fœminæ pro foro conſcientiæ.

84. *Paria teſtimonia de ſolutione, & non ſolutione pariunt dubium.*

Tertiò. Da caſum, in quo acceperim à Petro mutuos centum aureos, ego autem dubito de ſolutione illi à me facta. Accedunt duo domeſtici, qui dicunt, me ſoluiſſe centum aureos Petro tali die, & hora: accedunt duo alij æqualis fidei, qui teſtantur aliquid incompoſſibile phyſicè, vel cum ſolutione, vel cum tempore ſolutionis. Ego quidẽ debeo iudicare in foro conſcientiæ ſicut iudicaret de hac ſolutione Iudex Reipubl. in foro externo; vnuſquiſque enim in foro conſcientiæ eſt Iudex ſuæ cauſæ, & debet ſe gerere in cauſa eodẽ modo, ac Iudex Reipublicæ, quando ille non innititur legi pertinenti ad ſolum forum externum. Atqui Iudex Reipublicæ in hac quæſtione facti quando habetet duos teſtes pro facto ſolutionis, & alios duos æqualis fidei pro facto arguente non ſolutionem, verè dubius manet de facto, & tanquam verè dubius iudicat. Si enim actor probat, me non ſoluiſſe, & ego ęquali pondere probo, me ſoluiſſe, tam dubius manet Iudex de vna parte, quàm de altera; nec poteſt ſe accommodare probabilitati partis meæ ſine iniuria Petri. Ergo ego ſimiliter dubius maneo in foro conſcientiæ. Si enim in illo caſu manet Iudex verè dubius, cùm caſus, & eius circumſtantiæ ſint eædem, in eodem dubio ego collocatus ſum, & eadem dubitandi ratio me tenet. Nec propterea intelligas, quod ſicut Iudex pro me ſententiam ferret, ita ego pro me poſſim in eo caſu ferre ſententiam: nam quoad hoc ſunt circumſtantiæ diuerſæ.

85. *Hinc extonia tur, quare cùm multi dicant, poſſe iudicem ſequi partẽ minùs probabilem in quæſtione iuris, nullus id dicat in quæſtione facti.*

Quartò: quia hinc redditur ratio, quare cùm multi Authores dicant, poſſe Iudicem in quæſtione iuris ex duabus opinionibus æquè probabilibus alterant pro libito eligere; item multi alij, ex duabus opinionibus inæqualis probabilitatis poſſe Iudicem eligere opinionem minùs probabilem; quare, inquam, cum id ita aſſerant, nullus tamen aſſeruit, ſed omnes tanquam certum ſupponunt, & meritò, in quæſtione de facto non poſſe Iudicem ſequi minorem probabilitatem, imo neque æqualem pro vna parte; ſed ſemper ſtare debere pro maiore probabilitate.

86. Ratio autem ex noſtra hac aſſertione patet. Quia ſi æquales pro vtraque parte ſunt probationes, res manet in ſtatu dubij. In dubio autem non poteſt Iudex in vnam partem inclinare tanquam veram; neque affirmare vt verum id, quod eſt verè dubiũ. Quod ſi probationes vnius partis minores ſunt, hæc pars reperitur conſtituta in inferiori gradu, quàm in gradu dubij. Nam ſi quando pars affirmatiua eſt in gradu æquali probationis ac negatiua, ea eſt conſtituta in ſtatu dubitationis; quando pars affirmatiua habet minores probationes, habet inferiorem gradum, atque quando habet æquales; atque adeò habet inferiorem gradum, atque quando eſt in ſtatu dubij. Vide vigentem huius confirmationem *diſput.* 24. *cap* 6 *n....*

87. *Conſtat ex iuribus, cùm probationes facti ſunt omninò pares, rem eſſe dubiam Cap. Ex litteris.*

Probatur quintò. Conſtat enim ex multis iuribus, cauſam remanere ſub dubio, vbi hinc inde in quæſtione facti probationes ſunt omninò æquales in numero, & qualitate teſtium. Ita in *cap. Ex litteris, de probationibus*, ibi: *Quod ſi amarum partium teſtes ſint æquè idonei, poſſeſſoris teſtes præferuntur: cùm promptiora ſint iura ad ab-*

Gloſſa. *ſoluendum, quàm ad condemnandum.* Vbi Gloſſa *verbo Promptiora*, ait: *Quod hic dicitur, & in ſimilibus, locum habet in dubiis, & obſcuris.* Patet ergo, rem eſſe dubiam, vbi teſtes facti ſunt æqualis Curtius. Bartolus. fidei. Et ideò Curtius Sen. *conſil.* 24. & Bartol. *in lege 1. ff. vti poſſid.* apud Thuſc. *litt. P. concluſ.* 798. aiunt: *Quando probationes ſunt pares, fauetur reo; quia in dubio pro reo pronunciandum.* Et idem Thuſcus. Thuſc. *litt. P. concluſ.* 766. *num.* 33. ait: *Probatio dicitur dubia, quando ſunt teſtes contrarij pro actore, & reo, æquales numero, & qualitate.* Pro quo allegat Romanus. Romanum *conſil.* 166. *num.* 2. *verſ. Tertiò præmitto.* Probationes ergo vtrimque æquales, ſcilicet in quæſtione de facto, dubium producunt. Decianus. Idem omninò tradit Tiberius Decianus *volum. 2. reſponſ.* 52. *num.* 21. & 25. *ex cap. Ex litteris, de probat.* & apud ipſum Baldus. Romanus. Baldus *in leg. data opera, Cod. qui accuſ. non poſ.* Romanus *in leg. 1. §. vlt. & in leg. illa ff. de verbor. oblig.* Decius *in leg. qui accuſare Cod. de edendo.* Abbas. Et expreſſit Abbas *in cap. Licet, §. in tertio, & §. gloſſa ponit, & § tertia opinio, de probationibus.*

88. *In paribus probationibus fauetur reo, quia in dubio pro reo ſtandum eſt.*

Confirmatur primò. Quando probationes numero, & qualitatibus teſtium ſunt pares tam ex parte actoris, quàm ex parte rei, fauendum eſt reo, vt patet ex relato cap. *Ex litteris, de probation.* Ergo in eo caſu probatio facta pro actore nullam habet probabilitatem: & ſimiliter probatio facta pro reo, antequam attendatur eſſe reus, nullam etiam habet probabilitatem. Conſequentia patet. Tum quia ſi probatio facta pro actore ſuam retineret probabilitatem, poſſet ferri ſententia pro actore, cùm pro ſe haberet ſuffragium probabilitatis. Tum etiam, quia ideò in eo euentu fauetur reo, quia in dubio cauſa eius fauorabilior eſt.

89. *Pares probationes in cauſa matrimonij cauſant dubium.*

Confirmatur ſecundò. Nam ſi Berta nupſit Petro, & Ioanni, & ambo poſtulent vxorem, & Petrus producat tres teſtes affirmantes, matrimonium cum Petro initum fuiſſe priùs; & tres alij eiuſdem fidei aſſerant, matrimonium cum Ioanne initum fuiſſe priùs; quis erit iudex, qui cenſeat, cuinam viro ſit adiudicanda vxor, niſi aliæ coniecturæ, aut præſumptiones robur addant alteri parti? Quis non dubitabit de legitimo huius vxoris viro?

90. *In quæſtione facti probatio fortior deſtruit probationem debiliorem.*

Probatur ſextò. Si in quæſtione facti motiua vtrimque æquè probabilia retinerent ſuam probabilitatem, ita vt vtralibet maneret probabilis, vna probatio fortior non deſtrueret aliam debiliorem oppoſitam: atqui probatio fortior deſtruit probabilitatem debiliorem oppoſitam: ergo motiua vtrimque æquè probabilia, in quæſtione facti mutuò collata, non retinent ſuam probabilitatem.

91. Maior patet: nam ſi motiua vtrimque æquè probabilia retinere deberent ſuam probabilitatem; etiam motiuum minùs probabile retineret ſuam probabilitatem collatum cum probabiliori, vt contingit in quæſtionibus iuris, in quibus, quamvis vna pars habeat rationes probabiliores, iſtæ non deſtruunt probabilitatem alterius partis minùs probabilis.

92. Minorem tradunt omnes iuris Interpretes: ita Maſcardus. Maſcardus *de probationib. volum. 1. concluſ.* 225. *n.* 15. Decianus. Tiberius Decianus *volum. 1. reſponſ.* 12. *n.* 20. Baldus. & apud ipſum Baldus *leg. cùm qui probabilem, Cod. de Epiſcopis, & Cler.* Bartolus. Bartol. *in leg. admonendi, ff. de iureiur.* Alexander. Alexand. *volum. 1. conſil.* 103. *n.* 7. *verſ. Præterea*, & *conſil.* 77. *col. vlt.* & *volum.* 7. *conſil.* 88. *col.* 3. Decius. Decius *conſil* 470. *n.* 10. Aitque Decianus, ita tradere omnes *in l. ſi qui adulterij Cod. de adulter. & in leg. ſiue poſſidetis, Cod. de probation. & in leg. admonendi, Cod de iureiur.* *Et eſt ſententia omnium Iuriſperitorũ.*

93. *Præſumptio dat probabilitatem.*

Confirmatur. Præſumptio iuris dat probabilitatem vni parti in quæſtione facti: & tamen ea præſumptio euaneſcit adueniente alia præſumptione fortiori: ergo in quæſtione facti amittitur probabilitas vnius partis, quando eſt vrgentior probatio pro oppoſita. *Præſumptio fortior deſtruit debiliorem.* Si ergo ſtat, quod in quæſtione facti probabilitas vnius partis deficiat ex collatione cum probabilitate alterius, ſtabit etiam quod in quæſtione facti motiuum probabile amittat ſuam probabilitatem, collatum cum altero æquali; quia non eſt maior ratio ſtandi pro vno, quàm pro altero. Minor patet; ſic enim tradunt omnes iuris Interpretes, de quo vide *diſp. 11. cap. 11. concluſ. 2.*

94. Reſponſio.

Dices. Probatio fortior tollit debiliorem, quia ea probatio fortior, vtpote plena, reputatur certa; motiuum autem certum deſtruit probabilitatem.

95. Refellitur.

Sed contrà eſt: quia præſumptio, vt in plurimum, non facit certitudinem; & tamen præſumptio fortior deſtruit probabilitatem præſumptionis debilioris: ergo motiuum probabile deſtruitur in quæſtione facti per aliud non certum, ſed probabilius.

96. *Vbi ſunt pares probationes facti, non retinet vnaquæque ſuam probabilitatem.*

Probatur ſeptimò. Ponamus tres teſtes pro vna parte in quæſtione facti, & tres alios æqualis fidei per omnia ex altera parte. Si vtraque pars in eo caſu verè manet probabilis, & æquè probabilis pro foro conſcientiæ, poterit iudex ferre ſententiam pro qualibet parte, quam ipſe maluerit; nec tenebitur ſuffragari reo; iſti enim ſolùm tenetur ſuffragari, vel quando ſunt meliores probationes pro eo, vel quando cauſa eſt dubia: imò quando vterque litigans eſt actor, vt contingere poteſt (de quo vide Abbatem Panormit. *in cap licet, de probat. n.* 36.) poſſet ſuffragari ei, cui ipſe mallet.

97. Reſponſio.

Dices. Sicut, cùm eſt æqualis probabilitas iuris, debet iudex rem diuidere inter vtrumque; ita in eo caſu deberet rem diuidere, præcipuè in caſu, in quo vterque eſſet actor.

98. Reiicitur.

Contrà eſt. Nam probatio trium teſtium per ſe, & ſeorſim ſumpta, eſt plena: ergo ſi etiam collata cum probatione partis oppoſitæ, retinet totam ſuam probabilitatem, vtraque manebit plena probatio, & vterque dicetur plenè probaſſe; atque adeò poterit iudex eligere, quem maluerit, vtpote fulcitum plena probatione. Cùm ergo hoc apertè repugnet, dicendum eſt, probationem trium teſtium amittere ſuam vim per oppoſitam probationem æqualem; atque adeò quæſtionem facti manere dubiam per æquales probationes. Hæc omnia confirmantur ex dictis *n.* 52. 59. & 60.

ARTICVLVS II.

Occurritur obiectionibus.

99. OBiicies primò. In quæſtione de facto rationes vtrimque æquè probabiles producunt dubitationem: ergo etiam in quæſtione iuris idem debet eſſe, cùm non ſit maior ratio vnius, quàm alterius: vel aſſignetur diſparitas.

100. *Quare in quæſtione iuris, rationes vtrimque æquè probabiles, dent cuique parti pro-*

Reſpondeo, in quæſtione de facto, in qua concluſio probatur ab experientia, non teneri me maiorem diſparitatem dare, quàm ipſam experientiam. Cùm ergo experiamur, intellectum in quæſtione de facto hærere dubium, quoties pro vtraque parte videt fundamenta æquè probabilia, id quod non experimur in quæſtione iuris, in qua intellectus

Digitized by Google

babilitatem, non in quæſtione facti? Sufficiens diſcrimen ſumitur ab experientia.

tellectus plerumque vni parti aſſentitur, quamvis rationes ſibi proponantur vt vtrumque æquè probabiles (fortè propter aliud dictamen practicum præſcribens non quod à parte rei eſt verum, quod plerumque incertum eſt; ſed quod prudenter eſt factibile) inde ſufficiens deſumo diſparitatis argumentum. Vide *diſp.* 15. *cap.* 4. *art.* 8.

101. Obiicies ſecundò. Multæ ſunt quæſtiones iuris, quæ dependent à facto: ergo etiam in quæſtionibus iuris quandoque fundamenta æqualiter probabilia intellectum prudentem redigent ad ſtatum dubitandi. Antecedens patet: nam multæ quæſtiones iuris pendent ab ea quæſtione, an impoſita ſit talis, vel talis lex: & obligatio confitendi peccatum, quæ ſpectat ad quæſtionem iuris, dependet à quæſtione facti, an peccatum commiſſum fuerit, necne?

102. *In quæſtione iuris, quæ hac dependet à facto, pares probationes pariunt dubium.*

Reſpondeo, idem dicendum eſſe in quæſtionibus iuris quæ dependent a facto, quoties in facto illo ſunt fundamenta vtrimque æque probabilia; illud enim factum reputandum eſt pro dubio vt verè eſt. Et ideò *diſp.* 46. *cap.* 6. dicam, illum, qui diſcutiens conſcientiam ad confitenda peccata, habet pro peccati commiſſione, & pro non commiſſione rationes æqualis ponderis, eſſe verè dubium, nec teneri confiteri, ſi peccata dubia non ſunt confitenda ex neceſſitate præcepti. Et nota in eo, quod dicitur, eſſe quæſtionem de facto, an talis lex impoſita fuerit, id intelligendum de lege poſitiua, non autem de lege naturali, cuius exiſtentia, vel non exiſtentia comprobatur ex diſſonantia actionis, vel conformitate illius cum natura rationali; quæ conformitas, vel diſſonantia non pendet à facto.

103. Obiicies tertiò. Quando in quæſtione facti vna pars eſt probabilior alterâ, habet enim probationes firmiores præ altera, nemo cogitur ſtare pro parte probabiliore, ſed poteſt ſequi partem minùs probabilem. Ita multi Doctores cenſent, eum, qui probabiliter iudicat, ſe non commiſiſſe peccatum lethale facti, etſi probabilius iudicet, ſe commiſiſſe, non teneri ad confeſſionem talis peccati; quia poteſt accommodare ſe iudicio minùs probabili. Id autem non componitur cum doctrina huius capitis, nam inde fieret, quod plus meriti eſſet in parte minùs probabili, quàm in parte æquè probabili, ad dandum propoſitioni probabilitatem. Implicat autem contradictionem, quod id, quod eſt minus in aliquo genere, in eodem genere præſtet ampliorem effectũ, quàm illud, quod eſt plus intra illud genus: ſed pars minùs probabilis in genere probabilitatis eſt minus quàm pars æquè probabilis: ergo implicat, quod pars minùs probabilis det probabilitatem, & quod pars æquè probabilis, quæ in ſuo genere plus eſt, non det probabilitatem. Ergo implicat quod poſſimus ſequi in quæſtione facti partem minùs probabilem, & quod non poſſimus ſequi æquè probabilem. Si ergo poſſimus ſequi partem æquè probabilem, hæc non cauſabit dubium, ſed probabilitatem.

104. *Vbi probationes ſunt inæquales, per exceſſũ vnius diſcernit Iudex qua pars, & qualiter ſit probata.*

Vt ſolutionem facilè percipias vide quid præſtent in intellectu Iudicis inquirentis de facto, probationes firmiores, & probationes minùs firmæ. Conſiderat enim exceſſum illarum, & per talem exceſſum iudicat de plena, vel ſemiplena probatione facti. V.g. pro exiſtẽtia delicti habet vnũ teſtem; pro non exiſtentia delicti habet alterum æqualis fidei poſitiuè contradicentem. Hucuſque dubius manet. Inuenit deinde pro exiſtentia delicti vnam coniecturam probabilem æquiualentẽ vni teſti. Iam in hoc caſu eſt ſemiplena probatio delicti. Vnde non exiſtentia delicti abſolutè nullam habet probabilitatem; quia teſtimonium illud poſitiuum, quod eſt pro non exiſtentia delicti, compenſatur cum altero teſtimonio contradicente. Item delictum non manet plenè probatum, ſed ſemiplenè; & (loquendo Theologico modo) non certum, ſed probabile: quia exceſſus probationum delicti ſtat in noua coniecturâ probabili quæ ſolùm dat probabilitatem; & dumtaxat conſtituit ſemiplenam probationem. Itaque delictum eſt probabile, & carentia delicti nihil habet probabilitatis. Id tamen intelligendum eſt, niſi teſtis & coniectura probabilis ita confundant teſtimonium teſtis oppoſiti, vt conuincant, illud eſſe planè falſum, quod aliquando contingit. Tunc enim amiſſa probabilitate vnius partis, remanet oppoſita plenè probata.

In quæſtione facti pars minus probabilis nullam retinet probabilitatem.

Ad argumentum ergo reſpondebis, negando antecedens, quia in quæſtione facti pars minùs probabilis impropriè talis dicitur; nam reuerà nullo modo eſt probabilis. Ideò autem vocatur minùs probabilis, vel probabilis, quia fundamentum, quod ex parte illius datur, per ſe eſt probabile, quamvis eo collato cum probationibus partis oppoſitæ, eius probabilitas euaneſcat. Ad id, quod additur de eo, qui habet rationes minùs probabiles pro non commiſſione peccati; & probabiliores pro commiſſione peccati, quod ſcilicet poſſit ſe accommodare parti minùs probabili, & ita non confiteri peccatum; negandum omninò eſt, & dicendum in quæſtione de facto, partem minùs probabilem abſolutè non eſſe probabilẽ, quia eius probabilitas deſtruitur per probationes firmiores. Et ita dicam *diſp.* 46. *cap.* 6. *concluſ.* 2. 105.

Et quod ſubiungitur in argumento, rectè probat, vbi ſunt infirmiores probationes ex vna parte, nullam eſſe poſſe probabilitatem ex ea parte. Quia implicat, quod augeatur probabilitas, dum decreſcit fundamentum probabilitatis: atqui quando eſt vnus teſtis pro delicto, & alter teſtis poſitiuus æquæ fidei pro non delicto, carentia delicti non eſt probabilis, quia res eſt dubia; & quando delicto accedit ſecundus teſtis, fundamentum pro carentia delicti decreſcit; ideò enim iam carentia delicti dicitur minùs probabilis: ergo implicat, quod ſic augeatur probabilitas carentiæ delicti. 106.

Vide ſolutionem alterius argumenti *in diſp.* 46. *cit. cap.* 7 *concluſione* 1. non enim æquum eſt eadem ſæpius ſine neceſſitate repetere. 107.

Sed pro foro conſcientiæ nota, inclinationem voluntatis ſolere quandoque auferre dubiũ, quod procedit ex rationibus æqualiter probabilibus. Primò, quatenus facit, quod intellectus magis attendat, magiſque ponderet rationes eius partis, in quam inclinat; quo pacto facit inclinatio voluntatis, vt hæ rationes repræſententur vt firmiores, & efficaciores. Secundò quatenus facit, vt intellectus attendat ad nouas alias probationes quærendas, quæ ſuperent alterius partis probabilitatem. 108.

Inclinatio voluntatis dupliciter aufert dubium.

Denique aduerte, dumtaxat in eo caſu poſſe vtramque partem eſſe probabilem in quæſtione facti, quando hæc admiſcetur quæſtione iuris reflectente ſupra probationes facti. Nam ſi ſit duplex opinio probabilis circa valorem probationum, quia illius probationes valori probabiliter ſuffragantur, aut probabiliter refragantur leges; vtraque pars valoris, & nullitatis probationis erit probabilis. 109.

Cùm quæſtio facti admiſcetur quæſtione iuris, æquales probationes non cauſant dubium.

Digitized by Google

ARTICVLVS III.

Qui Authores ſuffragentur huic ſententiæ?

110. Sancius. HAnc videtur voluiſſe tradere Ioann. Sancius *in ſelectis*, in cuius indice, quem vocat compendium libri, ait *in verbo Opinio, prope finem*; *Opinio facti eſt verè dubium*: *diſp.* 43 *n.* 50. Et *in eo loco citato*, ait: [Virtute autem illius opinionis facti, nec dubium ſpeculatiuum, nec practicum excluditur. Non, inquam, ſpeculatiuum, quia de ratione cuiuſcumque opinionis, etiam quæ verſatur circa ius, eſt, dubium ſpeculatiuum includere; dubium autem practicum nec etiam excluditur: nam ſolùm opinio, quæ verſatur circa ius, vires habet illud excludendi, cùm tutam reddat conſcientiam operantis, vt diximus *n.* 48. At opinionis, quæ verſatur circa factum, non eſt munus conſcientiam tutam reddere, ſed ſolùm oſtendere, quod illud factum ſit, vel non, vel taliter factum, vel minùs.] Et ideò aſſerit, fœminam non poſſe tranſire ad ſecundas nuptias, ſi virum teſtentur aliqui fide digni, mortuum iam eſſe, aliis fide dignis oppoſitum affirmantibus.

111. *Repugnat, quod opinio ſit dubitatio.* Etenim in eo quod dicit, opinionem facti eſſe verè dubium, & eſſe de ratione cuiuſcumque opinionis includere dubium ſpeculatiuum, contradictionem inuoluit propter duo. Primum, quia opinio eſt aſſenſus probabilis; implicat autem ex ſupradictis, aſſenſum inuoluere dubium, imò & compoſſibilem eſſe cum dubio; dubium enim eſt ſuſpendere aſſenſum, & manere in æquilibrio ad vtramque partem. Quod ſi nomine opinionis intelligit motiuum probabile, & nomine dubij obiectum dubitabile, inuertit terminos, & ſignificationem eorum. Secundum, quia quando eſt opinio facti, ita vt detur motiuum probabile pro parte affirmatiua, & nullum motiuum tale pro parte negatiua, licèt obiectum adhuc ſit dubitabile, tamē poteſt intellectus aſſentiri probabiliter: & talis aſſenſus eſt opinio facti, cum quo aſſenſu eſt incompoſſibilis dubitatio, cùm hæc conſiſtat in ſuſpenſione aſſensûs. Quod ſi nomine opinionis intelligat motiuum probabile, & nomine dubij obiectum dubitabile, inuertit terminos, & ſignificationem eorum.

112. Quid autem dicere intenderit, patet ex illatione, quam colligit; nempe quando de morte coniugis ſunt teſtes fide digni, & alij eiuſdem fidei de vita ipſius, rem manere in ſtatu dubij; quæ eſt concluſio noſtra, ſcilicet in quæſtione de facto, quando ſunt vtrimque motiua æquè probabilia, neutram partem perſuaderi, & pro neutra parte elici poſſe aſſenſum probabilem, ſed neceſſariò manere debere intellectum in dubitatione; vel ſi præſtat aſſenſum, iſte erit temerarius. Eiuſdem ſententiæ eſt Merolla citandus *diſp.* 26. *cap.* 6. *n.* 88. & Garcia *tr.* 2. *de benef. p.* 1. *c* 5. *n.* 362.

Merolla. Garcia.

113. Card. Lugo. Hanc eandem concluſionem repeti apud Lugo Cardinalem *tom.* 1. *de iuſt. diſp* 16 *ſect* 5 *n.* 100. vbi ſic ait: [Vnde apparet diſcrimen huius probabilitatis verſantis circa ius, ab illa, quæ verſatur merè circa factum. Nam quando factum non plenè probatur, non eſt probabile, quod reus poſſit cōdemnari, cùm leges nunquam permittant reum condemnari, niſi delictum, vel debitum plenè probetur: non probatur autem plenè, & ſufficienter ad ſententiam, quando licèt duo, vel tres teſtes id teſtificentur, alij tamen teſtes contrarium teſtantur: per hos enim eliditur, vel minuitur illorum teſtificatio; atque ideò non manet probatio ſufficiens requiſita ad probationem plenam, & ad condemnationem. At verò quando probabilitas verſatur circa ius, iam manet probabile, leges actori fauere.]

Vbi obſeruo primò, Cardinalem conſtituere diſcrimen inter probabilitatē, quæ verſatur circa ius, & probabilitatem, quæ verſatur circa factum. 114. Secundò, in probabilitate facti probationes vnius partis elidi, vel minui per probationes partis oppoſitæ; non ſic in probabilitate iuris. Tertiò, ex rationibus vtrinq; probabilibus in quæſtione iuris, vtramque partem manere ſufficienter probatā; in quæſtione autem facti, ſi probationes, aliàs plenæ, fiant vtrimque probabiles, neutram partem manere plenè probatam. Quod manifeſtè deducitur, quia ſi aliæ probationes alias elidunt, vel minuūt, quando probationes ſunt vtrinq; æquè probabiles, manent vtrimque æqualiter eliſæ, vel diminutæ; ideóque neutra pars manet probata, ſiue probabilis; atque adeò in ſtatu dubij manet.

CAPVT VII.

An dubium poſitiuum ſit virtualiter negatiuum?

DVbium diuiditur à Theologis in poſitiuum, & negatiuum. Dubium negatiuum eſt, quo quis dubitat, nulla occurrente ratione pro alterutra parte contradictionis. Dubium poſitiuum eſt, quo quis dubitat, occurrentibus rationibus pro vtraque, vel pro altera parte contradictionis. Caramuel, qui putat, inter rationes probabiles non poſſe verſari dubitationem, ait dubium poſitiuum eſſe, cùm pro vtraque, vel altera parte occurrunt rationes. Sed ex dictis conſtat, prauam eſſe eam additionem, cum tam clarè conſtet *ex cap.* 5. etiam verſari ſolere inter probabiles. 115. *Quid ſit dubium poſitiuum, quid negatiuum?*

Nota, aliter explicare Authores alios hanc diuiſionem. Nomine enim dubij poſitiui intelligunt illud, quod verſatur inter rationes probabiles: dubij autem negatiui illud, quod verſatur inter rationes leues, vel nullas. Ita P. Conink *diſp.* 7. *de pœnit. n.* 67 his verbis: [Tertium dubium eſt negatiuum pro vtraque parte, quando pro neutra occurrunt ſufficientes rationes, vt poſſim de ea probabile iudicium ferre.] Sed vt quæſtio eſt de nomine, loquendum eſt cum pluribus. 116. *Alij aliter explicant dubiū poſitiuū, & negatiuū.*

Caramuel *in Theologia fund. n.* 1901 *fund.* 66. ſic reſpondet quæſtioni: [Subiungo, dubium poſitiuum eſſe virtualiter negatiuum, quia in regimine morum rationes leues ita ſe habent, ac ſi verè eſſent nullæ.] Quod prius, & latiùs tradiderat *in prologo Theol. fund. n.* 2. § *dubium*, his verbis: [Hîc attentè volo audiri. Conſcientiæ regimen eſt res magni momenti: ergo conſcientiæ gubernandæ regula non poteſt eſſe ratio leuis: ergo ratio leuis in ordine ad dirigendam conſcientiam ita ſe habet, ac ſi eſſet nulla: ergo virtualiter eſt nulla. Ergo dubiū poſitiuū, tametſi realiter ſit poſitiuū, virtualiter, & moraliter coincidit cum negatiuo.] 117.

Sed attende quod ſubdit poſt periodum illam priori loco relatam *ex num.* 1901. Nam ſine vllo verbo interpoſito, ſtatim incipit *num.* 1902. ſic. [Cæterum ſi agamus de regimine propriæ conſcientiæ, dico, non dari dubia negatiua: ſemper enim ſuccurrunt rationes aliquæ leues, aut graues, iuxta quas actiones, & reſolutiones noſtras gubernare poſſimus.] Et poſteà ſubdit quaſdam regulas iuris, quæ proſunt pro dubiis pellendis. 118.

Sed

Digitized by Google

119. Sed iſtæ breues clauſulæ multa falſa continent, quæ à recta Theologia exulare oportet. Et primò vide, an poſſis componere poſteriorem periodum cum duplici priori. Nota attentè has duas propoſitiones: primã, *In regimine morum rationes leues ita ſe habent ac ſi verè eſſent nullæ:* quæ continetur in prima, & ſecunda periodo. Secundam, *Semper ſuccurrunt rationes aliquæ leues, vel graues, iuxta quas actiones & reſolutiones noſtras gubernare poſſimus.* Si verum eſt, quod in regimine morum rationes leues ita ſe habent, ac ſi verè eſſent nullæ, quomodo verum eſt, quod ſuccurrunt rationes aliquæ leues, iuxta quas actiones, & reſolutiones noſtras gubernare poſſimus? Ergo actiones noſtras gubernare poſſumus iuxta rationes, quæ in regimine morum nullæ ſunt? Ergo rationes illæ nullæ ſunt in regimine actionum, & morum, iuxta quas gubernamus actiones, & mores? Sed is fortè fuit lapſus calami.

120. Deueniendo ergo ad punctum præcipuum quæſtionis, aſſero vt omninò certum, falſam eſſe illam poſitionem, quam in vtraque priori periodo aſſumit, nempe [Dubium poſitiuum virtualiter eſſe negatiuum, quia in regimine morum rationes leues ita ſe habent, ac ſi verè eſſent nullæ.]

Dubium poſitiuum non eſt virtualiter negatiuum.

121. Probatur primò. Dubium poſitiuum non ſolùm procedit inter rationes leues, ſed etiam inter rationes probabiles, vt *cap.* 5. demonſtratum eſt: ergo falſo nititur fundamento ea poſitio, quod dubium poſitiuum ſolùm procedat ex leuibus rationibus deriuatum; quæ rationes leues ita ſe habere dicuntur, ac ſi nullæ eſſent.

122. Probatur ſecundò. Rationes leues pro vtraque parte occurrentes, etſi ſint leues ad extorquendũ aſſenſum vtriuſlibet partis, affirmatiuæ ſcilicet, aut negatiuæ; at eo ipſo ſunt rationes fortes ad retinendum dubium: ergo reſpectu dubij non ſunt leues; & conſequenter per ordinem ad dubium non poſſunt reputari, ac ſi nullæ eſſent. Antecedens probatur: (nam conſequentia patet.) Tunc datur ratio fortis, ſiue vrgens ad dubitandum, ſiue ad retinendum formaliter dubium, quando eſt leuis ratio ad aſſentiendum cuilibet parti contradictionis. Etenim nihil fortius, nihil vrgentius eſt ad retinendum dubium, quàm cum intellectus habet rationes adeò debiles, vt virtute illarum non poſſit ſe determinare ad aſſenſum alterius partis. Conſiſtit dubium in eo quod intellectus non ſe determinet ad aſſenſum affirmatiuum, nec ad negatiuum: quantò ergo rationes ſunt leuiores pro vtraque parte, tantò aptiores ſunt, vt intellectus non ſe determinet ad alterius partis aſſenſum: ergo tantò aptiores ſunt, vt intellectus hæreat dubius: nihil ergo vrgentius eſt ad retinendum dubium, quàm leuitas rationum pro vtraque parte.

Rationes, quæ ſunt leues ad aſſenſum vtriuſlibet partis, ſunt graues ad retinendum dubium.

123. Verum quidem eſt, rationes leues contemnendas eſſe; ſed id eſt verum reſpectu eius partis, pro qua ſtat ratio leuis. Non debes credere, Regem profectum fuiſſe ad bellum, eo quod vnus ruſticus, in villa diu commoratus, illud tibi dixit: nam teſtimonium ruſtici eſt ratio leuis reſpectu eius aſſerti de profectione Regis ad bellum. At ſi ſint duo teſtimonia leuia de profectione, & de non profectione Regis; neque pro alterutra parte aliud ſit motiuum determinans ad aſſenſum, vel diſſenſum; quantò leuiora ſunt fundamenta ad aſſentiendum, vel diſſentiendum, tantò vrgentiùs hæret intellectus in biuio. Et ideò ratio, quæ contemnenda eſt ad aſſerendam profe-

Ratio leuis eſt contemnenda reſpectu eius partis, pro qua ſtat.

Non verò pro menſurando dubio.

ctionem Regis, fortis eſt ad conſtituendum dubium de illa. Cùm ergo id dubium poſitiuum procedat inter duas rationes leues, quæ leues ſunt reſpectu alterutrius partis, & vrgentes reſpectu dubij, modo explicato; illud quidem non eſt reputandum dubium negatiuum.

Confirmatur primò. Nam quia rationes leues contemnendæ ſunt, ideò intellectus fortiùs hæret in dubio. Pro quo relege quæ dixi ſupra *cap.* 4. *demonſtratione* 2. ſcilicet, rationem leuem producere dubitationem, non quà ratio eſt, ſed quà leuis eſt. Nam quia ratio pro parte affirmatiua eſt leuis, ideò illi parti affirmatiuæ non præſtat intellectus aſſenſum: & quia ratio pro parte negatiua eſt leuis, ideò neque parti negatiuæ præſtat aſſenſum. Itaque efficacitas rationum leuium ad retinendum dubium, conſiſtit in ipſa earum leuitate: ergo quamvis leues ſint ad vtramlibet partem aſſenſus determinandam, efficaces ſunt ad dubium retinendum. Ergo quamvis in regimine conſcientiæ non attendantur rationes leues, vt intellectus aſſentiatur vni parti determinatæ, attendi maximè debent ad dignoſcendam quantitatem dubij. 124.

Confirmatur ſecundò. Dubitatio exiſtens in intellectu, non expellitur formaliter, niſi per aſſenſum alterutrius partis: ergo rationes, quæ ſunt efficaces ad præſtandum aſſenſum alterutri parti, non habent efficaciam ad retinendum dubium; & quæ debiles ſunt, & debiliter mouent intellectum, vt præſtet aſſenſum alicui parti contradictionis, efficaces ſunt ad retinendum dubium. Sunt ergo rationes leues valde efficaces reſpectu ipſius dubij: non ergo contemnendæ in ordine ad dubium dignoſcendum. 125.

Ex dictis infero, dubium negatiuum ex ſe eſſe fortius dubium, quàm poſitiuum. Probatur. Tantò fortius eſt dubium, quantò minus fundamentum habet intellectus ad aſſenſum, vel ad diſſenſum partium contradictionis, inter quas verſatur dubium: ſed in dubio negatiuo minus fundamentum habet intellectus ad aſſenſum, & ad diſſenſum, quàm in dubio poſitiuo: ergo maius dubium eſt negatiuum, quàm poſitiuum. Maior patet. Quia tantò fortius eſt dubium, quantò difficilius vinci poteſt: atqui illud vinci poteſt, quando adeſt fundamentum ad aſſenſum, vel diſſenſum ad alteram partem; vnde tantò difficiliùs vinci poteſt, quantò minus fundamentum habet intellectus ad aſſentiendum alteri parti. Patet etiam minor eius ſyllogiſmi, cùm in dubio poſitiuo habeat intellectus aliquas rationes ad aſſenſum, vel diſſenſum; in dubio autem negatiuo nullas. 126.

Fortius dubium eſt negatiuum, quàm poſitiuum.

Hinc fit, non benè Caramuelem intendere, quod dubium poſitiuum tranſeat in negatiuum, fauore conſcientiarum, & vt benigniùs cum illis agatur. Etenim duriùs agitur cum conſcientia, dum illa de dubio minori, quale eſt poſitiuum, trahitur ad dubium maius, & quod difficiliùs vincitur, quale eſt ex ſe negatiuum. Ergo vt in plurimum peius eſt conſcientiæ dubium negatiuum, quàm poſitiuum. Cur ergo in fauorem conſcientiæ intenditur dubium poſitiuum commutari in negatiuum. 127.

Non eſt fauor conſcientiæ, quod dicatur dubium poſitiuum verti in negatiuũ.

Et quidem ſi per hoc contenderet ille Author, v.g. quod dum Petrus hodie confitetur, & ſecurus manet de bona confeſſione; & cras ex leuiſſima ratione inſinuante obliuionẽ vnius peccati mortalis, dubius manet de bona confeſſione, nihil pendat eam leuem rationem, ſed in poſſeſſione 128.

Leuis ratio, ob quam quis putat, ſe non confeſſum, contemnenda.

ducitur ratione leui, retinet conceptum, & eſſentiam propoſitionis; cùm idem ſit propoſitio mentalis, & aſſenſus mentis.

34. *Conuincitur ſecundò.*

Contra eſt ſecundò. Quod intellectus neutri parti contradictionis præſtet aſſenſum, eſt carentia realis aſſensûs ad vtramlibet partem contradictionis: & quod intellectus neutri parti contradictionis præſtet aſſenſum, quantum eſt ex vi rationis leuis, non eſt carentia realis aſſensûs, ſed carentia influentiæ rationis leuis in aſſenſum. Atqui non poteſt conſiſtere dubitatio in carentia influentiæ rationis leuis in aſſenſum, ſed debet conſiſtere in carentia aſſensûs ad vtramlibet partem. Nam præterquam quod eſt per ſe notum, qui aſſentitur vni obiecto, non dubitare de illo; illud quidem ex definitione ab omnibus recepta conuincitur. Definitio enim cùm abſolutè adſtruat, quod intellectus neutri parti præſtet aſſenſum; non adſtruit carentiam influentiæ rationis leuis in aſſenſum, ſed carentiam aſſensûs; quod ampliùs conuincit demonſtratio ſequens.

Dubitatio formaliter conſiſtit in carentia realis aſſensûs, non in carentia influentia, &c.

35. *Iudicium temerarium nititur ratione leui, & tamen non eſt dubitatio.*

Demonſtratur quintò. Nullum iudicium temerarium eſt dubitatio: omnis aſſenſus ex leuibus dumtaxat coniecturis eſt iudicium temerarium: ergo nullus aſſenſus ex leuibus dumtaxat coniecturis eſt dubitatio. Conſequentia eſt legitima, quia hic ſyllogiſmus eſt in ſecundo modo primæ figuræ. Et maior, & minor ſunt Caramuelis. Repeto verba Caram. relata *n.* 28. *Differt à dubio, & ſuſpicione temeritas* (ecce maior ſyllogiſmi, quòd iudicium temerarium non ſit dubitatio, cùm differat ab illa) *quòd temerarius iudex non iam ex leuibus coniecturis dubia grauia infert, ſed determinatum, & deliberatum aſſenſum.* Ecce minorem, quòd determinatus aſſenſus ex leuibus coniecturis ſit iudicium temerarium, & per hoc differt à dubitatione. Tum ſic: ergo ſi aſſenſus ex leuibus dumtaxat coniecturis nequit eſſe dubitatio, à fortiori, quando is aſſenſus procedit ex leuibus, & certis rationibus, nequit eſſe dubitatio; quamtumvis reduplicatio fiat ſupra rationes leues, aut quamvis præciſio fiat à rationibus certis. Nam quamvis præſcinderes rationes omnes certas, & probabiles, non ſolùm formaliter, ſed etiam realiter, ita vt realiter manerent dumtaxat rationes leues; non maneret aſſenſus dubius, ſed iudicium temerarium, vt hac demonſtratione proximè factâ clariſſimè oſtenſum eſt.

36. *Magis pugnat actus certus cum dubitatione, quàm cum formidine.*

Demonſtratur ſextò. Plus repugnat actus certus cum dubitatione, quàm cum formidine: ſed actus certus excludit formidinem: ergo actus certus excludit dubitationem. Non ergo componuntur concluſio certa, & dubitatio de eodem obiecto. Conſequentia tenet, non à paritate, ſed à maioritate rationis. Minorem nemo negat, omnes ſupponunt, euidentia rei teſtatur. Ideò certum eſt, aſſenſum almæ fidei expellere formidinem. Certitudo eſt firma adhæſio intellectus ad veritatem; vel, vt formaliùs loquar, eſt firmitas aſſensûs; formido eſt infirmitas aſſensûs. Sicut ergo firmitas, & infirmitas ſe mutuò excludunt, ita certitudo, & formido.

37. Maior etiam eſt euidens; nam vel ſumitur formido, ſecundum Caiet. & Nauarr. apud P. Vazq. 1. 2. *quæſt.* 62. *num.* 26. pro dubitatione; & hoc modo fortiùs vrget argumentum: quare, cùm apud omnes certum ſit, actum fidei Catholicæ excludere formidinem, certum etiam erit, excludere dubitationem, ſi formido eſt dubitatio. Vel ſumitur formido ſecundum communem acceptionem pro actu reflexo, quo quis aſſerit poſſe fieri, vt res aliter ſe habeat, ac repræſentatur per actum. Et in hac acceptione maior eſt indubitabilis. Nam formido ita opponitur actui certo, vt non opponatur illi, quà aſſenſus eſt, ſed quà certus eſt. Componitur enim formido cum aſſenſu, vt patet in actu probabili. At verò dubitatio opponitur actui certo, non ſolùm ratione certitudinis, ſed ratione aſſensûs. Nam, vt patet ex definitione dubitationis, etiam à Caramuele admiſſa, dubitatio neutri parti contradictionis præſtat aſſenſum; atque adeò excludit aſſenſum vtriuſlibet partis.

Formido eſt actus reflexus, aſſerens eſſe contingens, quod res aliter ſit.

Vt confirmem, rogo aduerſarium; certitudini huius actûs, *Verbum aſſumpſit naturam humanam*; vter ex his duobus actibus magis opponitur: *Verbum aſſumpſit naturam humanam; ſed poteſt fieri, quod id non ita ſit.* Item, *Dubium eſt an Verbum aſſumpſerit naturam humanam.* Quis dubitet, hanc ſecundam magis opponi? cùm prima præſtet aſſenſum, quamvis debilem; ſecunda autem excludat aſſenſum. 38.

CAPVT IV.

Roboratur vlteriùs concluſio, ex eo quod, ſtante ratione leui, deficit dubitatio.

Hucuſque oſtendimus, falſas eſſe aſſertiones Caramuelis, ſiue quà docet, ſcientiam, opinionem, & dubium de eodem obiecto componi poſſe; ſiue quà docet, concluſionem ductam ratione leui, eſſe dubitationem. Modò amplius arguendum eſt contra eam aſſertionem, demonſtrando, fundamentum eius eſſe nullum. Cùm ergo nitatur eo fundamento, quod ratio leuis eſt dubitatio, ſiue intelligatur formaliter dubitatio, ſiue intelligatur illatiuè dubitatio, quatenus eſt antecedens, vnde infertur dubitatio; hoc fundamentum penitus euertitur, ſi oſtenderimus, ſtante ratione leui, deficere ſæpiſſimè dubitationem, neque hanc inferri ex illa. 39.

Igitur rationem leuem non eſſe antecedens ad inferendam dubitationem, demonſtro primò. Quando intellectus illuſtratur hoc actu ſacræ fidei certiſſimo, *Deus eſt trinus, & vnus*; & pro oppoſita parte occurrit ratio leuis, tunc non datur dubitatio: ergo ratio leuis non infert dubitationem. Conſequentia patet: cùm enim iſtud ſæpiſſimè contingat, quòd ſtante actu certo, occurrat pro parte oppoſita ratio leuis; ſi tunc non datur dubitatio, manifeſtum eſt, quod ratio leuis non eſt antecedens, nec phyſicum, nec morale, vnde inferatur dubitatio; cùm antecedens ſtare non poſſit ſine conſequente. 40.

Ratio leuis nō eſt antecedens inferens dubitationem.

Antecedens verò manifeſtè conuincitur: nam præterquam quod ratio leuis nihil præualet contra euidentiam, aut certitudinem, id vlteriùs roboratur hoc dilemmate. Nam in illo caſu, & in illo intellectu ſic illuſtrato, vel eſt dubium, an Deus non ſit trinus, & vnus; vel non eſt dubium? Si primum dicas, infero: ergo illi intellectui, qui certò cognoſcit, Deum eſſe trinum, & vnum, dubium eſt, an Deus ſit trinus, & vnus. Conſequentia patet: nam iuxta doctrinam Caramuelis *in Apol. de probabilit. num.* 314. quæ veriſſima eſt, iſtæ ſunt æquiualentes, *Dubium eſt, an Deus non ſit trinus, & vnus: Dubium eſt, an Deus ſit trinus, & vnus.* 41.

Digitized by Google

vnus. Ergo ſi in illo caſu intellectus eſt dubius, an Deus non ſit trinus, & vnus; dubius etiam erit, an Deus ſit trinus, & vnus.

42. Si verò dicas ſecundum, quod non eſt dubium, infero: ergo tunc non datur dubitatio, ſtante ratione leui. Subinfero: ergo poſitis in intellectu præmiſſis leuibus, poteſt non inferri concluſio, in qua Caramuel dubitationem conſtituit. Quæ conſequentia rectè infertur ex præcedenti. Infero tertiò: ergo ratio leuis non eſt dubium, neque formaliter, neque illatiuè; cùm poſſit ſtare ratio leuis ſine dubitatione.

43. *Ratio leuis non producit dubium quà ratio, ſed quà leuis.* Demonſtratur ſecundò. Licet ratio leuis producat dubium, non producit illud, quà ratio eſt, ſed quà leuis eſt. Pro cuius explicatione ſuppono, quodlibet dubium eſſe inter duas partes contradictionis, quarum neutri intellectus præſtat aſſenſum: v. g. *Dubito, vtrum anno præterito viderim Regem?* duæ partes contradictionis ſunt, *Vidi Regem: Non vidi Regem.* Inter has duas hæret intellectus dubitans, neutri aſſentiens: & id declarat dictio *Vtrum*, quæ ſignificat alterum è duobus. Itaque dubitanti mihi, an præterito anno viderim Regem, ea occurrit ratio leuis, ſcilicet, quod anno præterito extiti Matriti, vbi commoratur Rex. Tum ſic: Iſta ratio, quod anno præterito extiti Matriti, fauet illi parti affirmatiuæ, *Vidi Regem*; non verò fauet parti oppoſitæ: item, neque fauet dubio, niſi quà leuis eſt, & non bene inferens viſionem Regis. Itaque quà argumentum eſt, eò tendit, vt mihi perſuadeat partem affirmatiuam; ſed quà patitur infirmitatem conſequentiæ, cùm mihi non perſuadeat illam partem affirmatiuam, relinquit hærentem, & vacillantem meum intellectum. Hunc tamen effectum relinquendi me dubium, non præſtat adæquatè ratio leuis, etiam quà leuis eſt. Nam cùm ſint duæ partes contradictionis, inter quas verſatur dubium, poteſt dari illa ratio leuis pro parte affirmatiua, *Vidi Regem*; & ratio euidens pro parte negatiua, *Non vidi Regem.* Quo caſu licèt detur ratio leuis pro parte affirmatiua, nullum datur dubium; cùm intellectus hæreat inter duas partes contradictionis, quando habet euidentem aſſenſum pro parte negatiua.

44. Hinc formatur ſyllogiſmus demonſtratiuus. Illa ratio eſt antecedens inferens dubitationem, quæ eſt adæquata ratio inferendi illam: ſed ratio leuis non eſt adæquata ratio inferendi dubitationem: ergo ratio leuis non eſt antecedens inferens dubitationem. Conſequentia tenet, quia ſyllogiſmus eſt quartus modus primæ figuræ ſyllogiſticæ, terminis maioris tantum localiter mutatis. Minor conſtat ex proximè dictis. Maior, ſi penetrentur termini, eſt per ſe nota: & ideò iſta propoſitio, *Petrus ruſticus dixit, Deum non eſſe trinum, & vnum*, non infert, Deum non eſſe trinum, & vnum, niſi adiungatur altera præmiſſa: *Quidquid Petrus ruſticus dicit, eſt verum:* quia illa prima præmiſſa non eſt adæquata ratio inferendi.

45. *Percipiens rationes leues Lutheri, non ideò dubitat in Fide.* Demonſtratur tertiò. Si ratio leuis eſſet dubium formaliter, vel illatiuè, vir Catholicus audiens friuola argumenta Lutheri, cum veritate diceretur dubitare in fide Catholica: atqui hoc abſurdū eſt, & euidenter falſum: ergo & id, vnde infertur. Conſequentia eſt euidens, quia à propoſitione conditionali, & negatione conſequentis eſt legitima conſequentia ad negationem conditionis, ſiue antecedentis. Et minor eſt indubitabilis, alioqui Caramuel cùm audit, vel legit rationes friuolas Ianſenij, cum veritate diceretur dubitare in fide Catholica, & in veritatibus definitis contra Ianſenium.

Sed & maior nō eſt minùs certa; nam Catholicus haberet in mente rationes friuolas Lutheri, imò & aſſentiretur illis; quandoque enim præmiſſæ ab illo aſſumptæ ſunt veræ, & certæ; & ſolùm ſunt adulterinæ, & leuiſſimæ quoad bonitatem illationis: ergo ſi illæ rationes leues conſtituerent formaliter dubium, vir Catholicus eſſet dubius de veritate, contra quam militant. Ergo ſi illæ rationes leues eſſent antecedens inferens dubium, Catholicus, qui illas in mente haberet, eodem modo dubitaret in veritate, cui opponuntur. 46.

Demonſtratur quartò. Aliquando contingit, dari in intellectu rationes leues pro vtraque, vel altera parte, ſine vllo alio motiuo certo, vel probabili; & tamen non dari dubium: ergo rationes leues non ſunt dubium, neque ſunt antecedens ad inferendum dubium. Conſequentia eſt euidens, cùm antecedens non poſſit eſſe ſine conſequenti. Antecedens verò patet in eo, qui iudicat temerè: v. g. qui ex ratione leuiſſima iudicat, Petrum eſſe adulterum, Ioannem furem, &c. tunc autem non datur dubium, cùm iudicium temerarium non ſit dubitatio, vt ex doctrina Caramuelis *cit. cap. præcedenti*, certum fit: dantur ergo in intellectu rationes leues, ſine eo, quod detur dubium. 47. *Dantur aliquando rationes leues abſque dubitatione.*

Hinc patet ad argumentum Caramuelis propoſitum initio capitis præcedentis, ex eo deſumptum, quod ſicut concluſio, vt deducitur ex præmiſſis euidentibus, eſt ſcientifica, & vt deducitur ex præmiſſis probabilibus, eſt opinatiua; ita eadem concluſio, vt procedit ex præmiſſis leuibus, eſt dubia. Neganda eſt enim hæc conſequentia; nam, vt euidenter conſtat ex dictis, aſſenſus non eſt dubitatio, & potiùs dicendum eſſet, eſſe iudicium temerarium, vt procedit ex præmiſſis leuibus, quàm dubitatio, quæ repugnat aſſenſui. Illa ergo concluſio, vt procedit ex præmiſſis certis, eſſet ſcientia; vt procedit ex probabilibus, opinatiua; & vt procedit ex leuibus, eſſet leuiter tacta ab intellectu. 48. *Soluitur obiectio Caramuelis.*

Et tandem pro huius rei maiore claritate notabis, eſſe etiam certitudinem apparentem, probabilitatem apparentem, & rationem leuem apparentem. Certitudo apparens datur, quando motiuum eſt probabile, vel leue; & tamen repræſentatur vt certum, atque adeò intellectus aſſentitur firmiter concluſioni propter illud. Probabilitas apparens datur, quando repræſentatur motiuum vt probabile, quamvis reuerà ſit certum, aut leue. Ratio apparenter leuis eſt, quando ratio certa, aut probabilis repræſentatur intellectui vt leuis. Itaque dubium ſæpè contingit, quando intellectus pro vtraque, vel altera parte contradictionis habet rationes probabiles, eo quod illæ ſibi repræſentantur vt leues. Aliquando etiam habet intellectus rationes certas, quæ ſibi repræſentantur vt leues; & tunc etiam dari ſolet dubium in intellectu. 49. *Datur certitudo apparens, &c.*

***

CAP. V.

Digitized by Google

CAPVT V.

An inter rationes vtrimque probabiles verſetur quandoque dubitatio.

CAramuel *in Theologia fundamentali, n.* 1888.
50. *fund.* 66. ait, malè explicari dubium poſitiuum à Cardin. Lugo *de Pœnit. diſput.* 16. *ſect.* 2. §. 3. eo quod dubium poſitiuum cum probabilitate confundat. Et eodem modo carpit P. Ioannem Præpoſitum *quæſt.* 5. *de integrit. Confeſſionis, dubit.* 3. eo quod ſic aſſeruerit: [Interdum verò contingit (dubium) quia vtrimque apparent rationes probabiles.] Quibus Præpoſiti verbis hæc alia addit Caramuel. [Diſplicet illud verbum vltimum, quia ſi vtrimque probabiles rationiones ſuppetant, non eſt dicendus habere conſcientiam dubiam, ſed probabilem.] Idem aſſerit *in Prologo, num.* 3. his verbis: [Hìc attentè nota, apud Authores, etiam doctos, voces has, *Dubium*, & *Probabilitas*, frequenter, & inconſideratè confundi.] Et *in Apolog. de probabilit. n.* 81. [Caueat lector, ne dubium cum probabilitate confundat.] Quod idem millies repetit in ſuis operibus, tum variis in locis, tum præcipuè *lib.* 3. *Theol. intention. diſp.* 3. *per totam.*

51. In quo maximam æquiuocationem paſſus eſt Caramuel. Aliud enim eſt, quod aſſenſus probabilis neque eſt dubitatio, neque componitur cum dubitatione; & aliud, quod motiuum probabile non componatur cum dubitatione. Primum namque verum eſt, vt conſtat ex dictis *cap.* 3. & 4. ſecundum verò eſt falſum, vt in præſenti probabimus. Et ideò malè aſſerit, Authores dubium cum probabilitate confundere; cùm potiùs ipſe confundat aſſenſum probabilem cum motiuo probabili.

Æquiuocatio Caramuelis. Vt tollatur, diſtingue aſſenſum probabilē à motiuo probabili.

52. Dicendum itaque eſt, inter rationes vtrimque probabiles, ſcilicet propoſitas pro duabus partibus contradictionis, verſari dubium: imò etiam inter duas partes contradictionis, quarum vni ſuffragatur ratio probabilis, alteri verò ratio leuis: quæ concluſio certiſſima eſt. Demonſtratur primò. Coram iudice ſiſtitur Petrus, accuſaturque homicidij, eo quod heri hora noctis nona hominem interfecit: adſuntque coram iudice duo teſtes oculares conteſtes, viri nobiles, qui interfectionem perpetratam à Petro cum iuramento affirmant. Adſunt deinde duo teſtes oculares conteſtes, viri nobiles, qui iurati dicunt, Petrum extitiſſe illa hora noctis in loco, vbi impoſſibile phyſicè erat, Petrum interfeciſſe; & iudex vir prudens hæret dubius. Ecce pro vtraque parte contradictionis, *Interfecit Non interfecit*, ſunt fundamenta probabilia; & tamen intellectus hæret dubius. Ergo propoſitis pro vtraque parte rationibus probabilibus, poteſt intellectus manere dubius.

Dubiũ verſatur inter rationes vtrimque probabiles.

Inter pares probationes iudex hæret dubius.

53. Nec ſatisfacies, ſi dicas primò, iudicem in eo euentu non præſtare aſſenſum illis teſtimoniis, quin potiùs de veritate illorum dubitare. Contrà enim eſt: nam licèt iudex non præſtet aſſenſum alterutri parti, ſcilicet, quod interfecit, vel quod non interfecit, in hoc enim eſt dubius; præſtat tamen aſſenſum antecedenti, ſcilicet; *Datur teſtimonium duorum hominum nobilium, &c.* quod eſt motiuum, & antecedens per ſe, & ſeorſim graue ad colligendam eam partem, pro qua ſtat vnumquodque teſtimonium.

Nec ſatisfacies, ſi dixeris ſecundò, teſtimonium duorum teſtium affirmantium interfectionem, 54.
non conſtituere motiuum probabile, quando adſunt alij duo teſtes oppoſitum aſſerentes. Conuinceris enim primò: quia quæſtio præſens eſt, an inter motiua, quæ ex ſe, & ſeorſim ſunt probabilia, poſſit intercedere dubium: & nunquam eſt argumentum ex ſe leue teſtificatio duorum teſtium ocularium, nobilium, conteſtium, præcipuè ſi contra eos non inuenitur ratio exceptionis; imò propterea hæret dubius iudex, quia videt, grauia eſſe fundamenta pro vtraque parte contradictionis, cùm videt eſſe impoſſibile, vtramque partem contradictionis accidiſſe. Quod intelligitur iuxta *n.* 90. & 105. Conuinceris ſecundò, quia idem poteris dicere in intellectu, in quo verſantur rationes repræſentatæ vt æquè probabiles vtrimque; ſcilicet rationes vnius partis non eſſe probabiles, quando pro oppoſita parte adſunt rationes æquè probabiles. Quod in quæſtione facti verum eſt, vt dicam *cap.* 6.

Demonſtratur ſecundò. Idem, quod iudici prædicto, contingit ſæpiſſimè Profeſſori Theologiæ, 55.
qui ſcribens ea, quæ diſcipulos ſuos edocturus eſt, incidit in eam quæſtioné, v.g. an Sacramenta nouę legis producant phyſicè gratiam? Inueniensque rationes vrgentes pro parte affirmante, & pro parte negante rationes alias ſatis efficaces, diu hæret ambiguus, quam partem ſequetur; cui concluſioni, affirmatiuæne, an negatiuæ aſſentietur? ergo propoſitis rationibus probabilibus pro vtraque parte, poteſt intellectus manere dubius: non ergo dubium ſemper oritur ex ratione leui. Imò potius è conuerſo contingit, quod ſi pro parte affirmante inueniat rationem probabilem, & pro negante rationem leuem, citò excludit dubium intellectus, & parti affirmanti aſſentitur. Cùm verò vtrimque adſunt rationes probabiles, cùm videat, concluſionem affirmantem, & concluſionem negantem æqua lance librari, quaſi rectus iudex protrahit tempus, & aſſenſum alterius partis procraſtinat.

Inter rationes probabiles dubitat Theologus, quam partem eligat.

Demonſtratur tertiò. Nam licèt certi ſimus, 56.
opiniones Theologicas grauibus fundamentis innixas, eſſe veroſimiles; at verò in ſingulis, quæ pars ſit vera, affirmatiuane, an negatiua, tam ſæpe dubitamus, vt luci euidentis experientiæ velit oculos claudere, qui negabit. Vel ſi negat Caramuel, decidat mihi in omnibus quæſtionibus topicis, quæ pars ſit vera, & erit mihi magnus Apollo. Neque dicat, ſe deciſurum probabiliter: maiorem enim vim habet interrogatio mea. Poſtulo enim, vt in omnibus, & ſingulis decidat, quæ pars ſit vera, taliter vt ampliùs non dubitem, quæ pars ſit vera. Si ergo propoſitis vtrimque rationibus probabilibus pro vna opinione, & pro oppoſita; dubitamus, quænam ex iis pars ſit realiter vera, fit manifeſtum, quod ſtantibus vtrimque rationibus probabilibus, poteſt conſiſtere dubitatio.

In probabilibus quæ pars ſit à parte rei vera, dubitamus.

Confirmatur primò ad hominem. Nam ſecun- 57.
dùm Caramuelem, omnes Authores in materiis topicis non loquuntur per propoſitiones abſolutas, ſed per modales de modo *Probabile.* (Vide *diſp.* 2.) Vel ergo Authores cùm ita loquuntur per propoſitiones modales, dubitant de veritatibus obiectiuis abſolutis, vel non dubitant? Si hoc ſecundum dicas, Authores aſſentiuntur veritatibus

Quare loquuntur Authores per propoſitiones de modo Probabile, niſi quia dubitant de veritate abſoluta?

Digitized by Google

tatibus abſolutis abſque dubitatione: ſtolidè ergo procedunt, dum ea, quæ mente affirmant abſolutè abſque dubitatione, non exprimunt niſi modaliter. Si verò dicas primum, nempe quod Authores dubitant de veritatibus abſolutis, infero: ergo inter motiua vtrimque probabilia dubitant. Conſequentia patet: loquimur enim de materiis topicis, in quibus Authores vident vtrimque fundamenta probabilia.

58. *Non eſt indubitabile, niſi quod certum.*

Confirmatur ſecundò. Indubitabile idem eſt ac certum: ſed opinio merè probabilis non eſt certa: ergo non eſt indubitabilis. Ergo opinio probabilis dubitabilis eſt; atque adeò ſtante motiuo probabili, poteſt exoriri dubium.

59. *An Chriſtus in 1. an in 2. veſpera lunæ 14. celebrauerit Paſcha, dubitaui: quia vtriuſque partis rationes probabiliſſimæ.*

Confirmatur tertiò. Legi olim argumenta, quibus Ludouicus Legionenſis, vir doctiſſimus, probat, Chriſtum Cœnam celebraſſe in prima veſpera lunæ decimæquartæ, & putabam, ea rem concludere; ideò aſſentiebar eius doctrinæ. Legi deinde argumenta, quibus P. Vazq. *tom. 3. in 3. p. diſp. 172. c. 6.* probat, Chriſtum celebraſſe non in prima, ſed in ſecunda veſpera decimæquartæ lunæ, & depoſui aſſenſum pro prima veſpera, nec potui tam citò peruenire ad aſſenſum pro ſecunda veſpera; ſed inter grauiſſima vtriuſque egregij commilitonis argumenta diu dubius hæſi. Quod, exiſtimo, accidit multis viris doctis: & tamen vtraque argumenta ſunt probabiliſſima. Ergo inter argumenta probabilia poteſt verſari dubium. Certum mihi fuit, vtramque opinionem eſſe valdè veroſimilem; quæ autem realiter vera ſit, diu dubitaui.

60. *Habet ſe intellectus ad inſtar iudicis.*

Confirmatur quartò. Solet contingere, quod Iudex, qui audit Aduocatum patrocinantem cauſæ vnius partis, ponderantemque rationes vrgentes pro iure eius, iam in corde ſuo ferè tulit ſententiam pro cauſa eius partis: ſed cùm audit Aduocatum alium pro altera parte producentem rationes ſimiliter vrgentes, hæſitat, fluctuatque, & diuturno tempore dubitat, pro qua parte ferat ſententiam, poſitus inter rationes vtrimque vrgentes. Et ratio eſt, quia quamuis rationes vnius partis ſint valde probabiles; at cùm ſimile pondus rationum ex altera parte impetat, inclinationem ad vnam partem pondus alterius partis cohibet. Ergo ſimiliter intellectus, cùm inſtar iudicis audit rationes vtrimque vrgentes, poterit hæſitare, donec accedat aliquid aliud, quod eum ad vnam partem flectat.

61. *Habet ſe intellectus ad inſtar Principis attendentis merita ad collationem dignitatis.*

Confirmatur quintò. Nam intellectus in conſideratione ſpeculatiua rerum etiam practicabilium, ſæpe habet ſe ad inſtar Principis, qui dignitatem, aut præmium largiturus eſt digniori. Nam cùm audit merita excellentia vnius, & res benè geſtas, inclinat, vt largiatur illi dignitatem; cùm autem proponitur alter, de quo ſimilia merita, ſimiles res geſtæ ei narrantur, fluctuat, hæſitatque dubius, quemnam ex illis eo præmio dignabitur, quouſque beneuolus affectus in alterum eorum inclinat. Sic intellectus veritatis magnus indagator quaſi deſiderat ſtare pro meritis maioris veriſimilitudinis: ergo cùm ſimilem, & eiuſdem meriti veriſimilitudinem inuenit in rationibus vtriuſque partis, poterit hæſitare dubius, quouſque noua ratio adueniat practica, vel ſpeculatiua, vel affectio voluntatis, quæ ad aſſenſum alterius partis inclinet.

62. *Licet vti opinione probabili, ex dictamine reflexo.*

Ante quartam demonſtrationem præmitto, ideò in praxi poſſe vti nos opinione probabili, quia præcedit hoc dictamen practicum certum, *Licitum eſt in praxi vti opinione probabili.* Quo dictamine deficiente, ſiue per ignorantiam, ſiue per inaduertentiam, peccabit homo, niſi eligat partem tutiorem. Patet aſſertum: Conſcientia enim non eſt ſecura, dum non cognoſcit dictamine practico, ſibi eſſe licitum, hoc, vel illo modo operari. Quo poſito.

63. *Homo eſt practicè dubius inter rationes probabiles, dũ caret illo dictamine reflexo.*

Demonſtratur quartò concluſio. In hac quæſtione, an poſſit quis ſine peccato mortali furari tres argenteos cum dimidio, da Petrum habere rationes probabiles pro parte affirmatiua, per inaduertentiam tamen carere illo dictamine practico ſupra dicto. Tum ſic: In hoc caſu Petrus habet rationes probabiles pro parte affirmatiua; & tamen eſt practicè dubius, an poſſit ſequi partem affirmatiuam, necne: ergo poſitis rationibus probabilibus poteſt conſiſtere dubium. Minor oſtenditur. Illud practicum dubium non poteſt excludi, niſi per dictamen practicum, quod doceat, ſecurum procedere hominem vtendo illa opinione, quam videt probabilem: ſed ſupponimus, hoc dictamen deficere: ergo nihil eſt, quod excludat illud practicum dubium; conſequenterque in illo caſu homo erit practicè dubius.

64. *Reſponſio.*

Dices, Petrum in illo caſu non eſſe practicè dubium, ſed potiùs certum, quod non poteſt vti ea opinione; cùm certum ſit in eo caſu, debere Petrum ſequi partem tutiorem, ſcilicet negatiuam.

65. *Refutatur.* *Duplex dictamen diſtinguendum eſt, directum, & reflexum.*

Sed hæc reſponſio ſophiſtica eſt; confundit enim duas cognitiones practicas, directam, & reflexam. Ideò enim certum eſt, quod tenetur ſequi partem tutiorem, quia in dubiis practicis tutior pars ſequenda eſt: ergo datur cognitio practica certa, & cognitio practica dubia. Quas vt diſtinguas, propone tibi hos duos ſyllogiſmos. Primus eſt: *Quoties materia eſt parua, non eſt mortale furari: tres argentei cum dimidio ſunt materia parua: ergo non eſt mortale eos furari.* Quam concluſionem licet Petrus videat eſſe probabilem, quia tamen Petrus deſtitutus eſt eo dictamine practico, quod licitum eſt vti opinione probabili, non audet eam ad praxim reducere, ſed hæret practicè dubius. Secundus ſyllogiſmus eſt: *Quoties eſt dubium, an liceat vti aliqua opinione, vel praxi, tutior pars ſequenda eſt: ſed modò eſt dubium, an liceat ſine mortali, vti ea opinione, quam producit primus ſyllogiſmus: ergo in hoc caſu tutior pars ſequenda eſt.* Itaque ex primo ſyllogiſmo, cuius vim conſiderat Petrus, licet non aſſentiatur concluſioni, nec minori, ex defectu illius prioris dictaminis practici, Petrus manet practicè dubius, an poſſit ſequi eam partem affirmatiuam, necne. Virtute autem ſecundi ſyllogiſmi manet certus, quod non poteſt in praxi partem affirmatiuam amplecti.

66.

Hinc conficitur argumentum. Tunc conſcientia eſt practicè dubia, quando non eſt practicè ſecura: ſed deficiente dictamine practico, quod licitum eſt vti opinione probabili, non eſt practicè ſecura (quia ſolùm redditur practicè ſecura per id dictamen practicum:) ergo deficiente eo dictamine practico, conſcientia eſt practicè dubia. Et tamen rationibus probabilibus fulcitur ad partem affirmatiuam probandam: ergo licèt adſint rationes probabiles, poteſt intellectus manere dubius.

67. *Motiuũ probabile non co-*

Argumentum quintum eſt. Motiuum probabile non cogit intellectum ad aſſenſum: ergo poſito motiuo probabili in intellectu, poteſt intellectus

Digitized by Google

Sit intellectum ad aſſenſum. Ideò inter motiua probabilia poteſt dubitare.

lectus ſuſpendere aſſenſum. Conſequentia patet, quia dum intellectus non determinatur ad aſſenſum, expeditus manet ad non aſſentiendum, ſiue ad ſuſpendendum aſſenſum; vel, quod idem eſt, ad dubitandum. Antecedens verò probatur primò. In hoc enim differt motiuum probabile à motiuo certo, & euidenti, quòd motiuum certum, & euidens cogit, & determinat intellectum ad aſſenſum: non enim permittit, intellectum dubitare, aut aſſentiri parti oppoſitæ; quod eſt determinare intellectum quoad ſpecificationem, quamvis non determinet, ſecundùm multorum ſententiam, quoad exercitium. Motiuum autem probabile, vt non cogit intellectum ad ſui aſſenſum, ita neque ad aſſenſum concluſionis.

68. *Vtraque ratio vtrinque, tametſi oppoſita eſt probabilis: & tamen vtraque non cogit ad aſſenſum.*

Probatur ſecundò idem antecedens. Si ex vtraque parte contradictionis (vt ſolet) ſint rationes probabiles, non cogit vtraque ratio probabilis ad aſſenſum; alioqui cogeretur intellectus ad duos aſſenſus contradictorios: ergo ſtat, quod detur in intellectu ratio probabilis ab intrinſeco attentè conſiderata, & quod intellectus non cogatur ad aſſenſum.

69. *Antecedens admittitur à Caramuele.*

Et nota, illud antecedens admitti à Caramuele, qui *diſp. 70. in Regul. num* 1056. ait: [Rationes euidentes aſſenſum prædeterminant: ſi ſint merè probabiles, mentem non cogunt.]

70. *Formido facilè vertitur in dubitationem.*

Argumentum ſextum. Motiuum probabile relinquit locum formidini: ſed formido facilè vertitur in dubitationem: ergo dat locum dubitationi: ergo componitur dubitatio cum motiuo probabili. Maior eſt Caramuelis, & omnium, vt conſtat ex diſp. præcedenti. In eo enim motiuum probabile differt à certo, quòd iſtud excludit omnem formidinem; probabile non item. Minor eſt ita experimento comperta, vt luci claudat oculos, qui neget. Quoties dixi; *Sacramenta nouæ legis producunt phyſicè gratiam, & poteſt contingere quod res aliter ſe habeat*: & inſiſtens formidini, cogitauſque hanc ſecundam partem propoſitionis, dubitaui, & ſuſpendi aſſenſum? Quod in aliis mille caſibus frequenter occurrit.

71. *Dubitatio ſtat cum motiuo probabili.*

Et ne ſubeas æquiuocationē, iterum nota, cum motiuo probabili ſtare dubitationem, non verò cum aſſenſu probabili; quia ſicut dubitatio excludit aſſenſum, ita aſſenſus dubitationem; cùm hæc neutri parti contradictionis præſtet aſſenſum; formido autem componitur cum aſſenſu. Quando ergo dicimus, quod formido facilè vertitur in dubitationem, ne exiſtimes, quod ſi ſtante aſſenſu concluſionis, datur formido, perſiſtente eodem aſſenſu formido vertatur in dubitationem; vertitur enim in dubitationem deficiente aſſenſu, propter dicta.

72. *Mentes quorundam incredulæ, non ſinunt ſe moueri probabilibus, ad aſſenſum.*

Et id quidem in quorundam hominum mentibus frequentiùs contingit, quæ ſunt (vt ita dicam) quaſi incredulæ; & vbi non cogit certitudo motiui, renuunt aſſenſum ſuum præſtare: quare probabilibus rationibus non obligantur, inter formidines conſtitutæ, ſed hærent, & ſuſpendunt aſſenſum.

73. *Motiuũ probabile ſtat cũ iudicio temerario de parte oppoſita.*

Demonſtratur ſeptimò. Motiuum probabile compoſſibile eſt cum iudicio temerario de parte oppoſita: (non dixi, *aſſenſus probabilis*, ſed *motiuum probabile.*) Ergo motiuum probabile compoſſibile eſt cum dubitatione.

74. Antecedens probatur: nam iuxta aſſertum Caramuelis, quod centies repetit, poſſeſſio bonæ famæ, ſiue præſumptio innocentiæ, eſt motiuum probabile pro bonitate Petri; & hoc non obſtante multi iudicant temerè, eum eſſe prauum. Temerarij enim iudices, vbi eos non cogit euidentia partis oppoſitæ, audacter procedunt ad temeritatem iudicij; quod quotidiana experientia compertum eſt.

Conſequentia verò prioris enthymematis patet à maioritate rationis; difficilius enim eſt, 75.
cùm Petrus poſſidet innocentiam ſuam, procedere ad iudicandum, eum eſſe prauum, quàm dubitare, an ſit prauus. Vide aliud argumentum, *num.* 183.

Dices: ergo ſtantibus præmiſſis probabilibus, 76.
non neceſſitatur intellectus ad concluſionem eli- *Obiectio.*
ciendam, maximè ſi euidens ſit bonitas conſequentiæ. Conſequentia patet: nam ſtantibus præmiſſis probabilibus, poteſt dari dubitatio; cum dubitatione autem non componitur aſſenſus concluſionis. Illud autem conſequens verum non eſſe, probatur; nam præmiſſæ habent neceſſariam connexionem cum conſequente: ergo ſi intellectus aſſentitur præmiſſis, & videt eas neceſſariò connecti cum conſequente, neceſſariò aſſentietur conſequenti, ſaltem neceſſitate quoad ſpecificationem, ita vt non poſſit aſſentiri parti oppoſitæ, neque circa illam dubitare.

Pro ſolutione aduerte, dupliciter poſſe ſe habere antecedens probabile reſpectu concluſio- 77.
nis. Primò, ita vt bonitas conſequentiæ ſit euidens; id tamen, quod enunciat antecedens, ſit probabile. Secundò, ita vt bonitas conſequentiæ ſit dumtaxat probabilis; enunciatio autem antecedentis ſit probabilis, vel certa. Argumentum itaque non loquitur hoc ſecundo modo; nam hoc modo ſtantibus in intellectu præmiſſis, adhuc poteſt intellectus dubitare de concluſione, cùm bonitas conſequentiæ dumtaxat probabilis, non cogat intellectum ad aſſenſum. Primo ergo modo, ſi intellectus aſſentitur præmiſſis, cùm cognitio bonitatis illationis ſit euidens, neceſſitatur intellectus, ſaltem quoad ſpecificationem, ad aſſentiendum concluſioni, atque adeò circa illam dubitare non poteſt, niſi dubitando de præmiſſis. Cùm ergo dicimus, inter rationes probabiles verſari poſſe dubium, etiam habet locum in illo primo modo, cognita ſcilicet euidenter bonitate illationis; quia circa præmiſſas ipſas probabiles poteſt intellectus dubitare, nec ipſis aſſentiri, quin potiùs diſſentiri, obiecto earum intellectui propoſito: quando verò cognitio bonitatis illationis eſt probabilis, etſi illis præmiſſis aſſentiatur intellectus, poteſt vtique dubitare propter dicta.

Aliquando bonitas conſequentiæ eſt euidens in antecedente probabili; & aliquando probabilis.

Tandem cogitet Lector, quomodo componere 78.
poſſit hanc aſſertionem [quod inter rationes probabiles non poteſt verſari dubitatio;] cum ea, quam tradit *in Apolog. de Probabilit. num.* 156 § *Et hic obiter.* Cùm enim dixiſſet, ſententiam de Immaculata Conceptione Diuæ Virginis, eſſe probabilem; admittit poſſe intellectum dubitare de illa. Ecce eius verba: [Huius actus, *Virgo eſt concepta ſine macula*; obiectum incertum eſt; de illo opinari, aut etiam dubitare quis poteſt. Fortè in Deiparæ Conceptione peccatum fuit.] Ergóne in ſolo myſterio Conceptionis potuit dubitari inter rationes probabiles?

Dubitari poteſt de obiecto probabili Immaculatæ Conceptionis B. M. iuxta Caram.

Ex dictis inferes, Authores aſſerentes, inter ra- 79.
tiones vtrimque probabiles verſari quandoque dubium, non confundere dubium cum probabilitate, ſed hanc ab illo optimè diſtinguere. Nam ſi nomine probabilitatis intelligantur præmiſſæ probabiles,

Authores non confundunt dubium cum probabilitate.

Digitized by Google

probabiles, iſtæ quidem, licèt magis inclinent ad concluſionem probabilem, quàm ad dubium; tamen quia debiliter, & cum formidine adhærent obiecto, indifferentes ſunt etiam ad cauſandum dubium, præcipuè cùm ex vtraque parte dantur, & repræſentantur vt æquè probabiles; vt ſatis, ſuperque demonſtratum eſt. Si tamen nomine probabilitatis intelligatur ipſa concluſio probabilis (quo pacto frequenter ſolet intelligi) hæc toto cælo diſtat à dubitatione; cùm opinio ſit aſſenſus ex motiuo probabili; & dubitatio ſit ſuſpenſio aſſenſûs, vt conſtat euidenter ex dictis.

CAPVT VI.

An in quæſtione de facto, motiua vtrimque æqualiter probabilia dent probabilitatem cuilibet parti?

ARTICVLVS I.

Statuitur, & probatur concluſio.

80. *In quæſtione facti motiua vtrimque æquè probabilia producunt dubium.*

SIt concluſio. In quæſtione de facto motiua vtrimque æqualiter probabilia relinquunt quæſtionem omninò ſub dubio, atque adeò non dant probabilitatem cuilibet parti. Scio, communiter Authores oppoſitum aſſerere. Apud me autem concluſio tradita eſt veriſſima.

81. *Ex probationibus facti æqualibus reſultat dubiũ in iudicio.*

Probatur primò concluſio in caſu iudicij propoſito ſuprà *n.* 52. Nam dum habet Iudex pro vtraque parte, affirmatiua, & negatiua delicti, æquale pondus authoritatis teſtium, dubius omninò hæret, nec poteſt ſine temeritate alteri parti aſſentiri. Ergo in quęſtione de facto motiua vtrimque æquè probabilia relinquunt intellectum prudentem in ſtatu dubij; & ſi vni parti aſſentiatur ex tali motiuo, intellectus temerè iudicabit.

82. *Idẽ cernitur in iudicio Salomonis.*

Id quod clarè cernitur in iudicio Salomonis, apud quem ſecum mutuò agebant illæ duæ meretrices, de infante viuo ſibi adiudicando, cùm ab altera earum filius infans noctu ſuffocatus fuiſſet, & filius alterius furtiuè ſubreptus. 3. *Reg.* 3. Nam altera earum coram Rege clamabat: *Filius tuus mortuus eſt, meus autem viuit.* E contrario illa dicebat: *Mentiris, Filius quippe meus viuit, & filius tuus mortuus eſt.* Atque in hunc modum cõtendebant coram Rege. Vbi perpendendũ eſt, ſi vna earum, nulla alia contradicente, diceret, *Hic eſt filius meus*; quilibet ei fidem adhiberet: eſt enim magni ponderis fundamentum ad filiationem credendam, teſtimonium ipſius, qui, vel quæ dicit ſe eſſe parentem illius. Cùm autem ei teſtimonio contradicebat teſtimonium alterius, Salomon hæſit dubius, vt denotant ea verba: *Hæc dicit; Filius meus viuit, & filius tuus mortuus eſt. Et iſta reſpondet; Non, ſed filius tuus mortuus eſt, meus autem viuit. Dixit ergo Rex; Afferte mihi gladium.* Quia ergo vtrimque erant motiua æqualis probabilitatis, dubius manſit: & vt à dubio tranſiret ad certitudinem, vſus eſt illa coniectura moraliter euidenti, ex qua morali euidentia collegit veritatem facti.

83. *Pares probationes de morte, & vita coniugis pariunt dubiũ.*

Secundò. Nam fœmina coniugata, quæ habet tres teſtes affirmantes mortem viri ſui, & tres alios eiuſdem fidei teſtantes vitam eius, tranſire non poteſt ad ſecundas nuptias, quas Iudex Eccleſiaſticus prohibebit; non alia de cauſa, niſi quia in quæſtione de facto eſt æquale pondus probabilitatis pro vtraque parte; vel potiùs, quia ſtante æquali pondere authoritatis pro vtraque parte, factum remanet in ſtatu dubij; & iudex diſcernere nequit, qui teſtes ex illis dicant verum. Quod idem euenit in intellectu fœminæ pro foro conſcientiæ.

84. *Paria teſtimonia de ſolutione, & non ſolutione pariunt dubium.*

Tertiò. Da caſum, in quo acceperim à Petro mutuos centum aureos, ego autem dubito de ſolutione illi à me facta. Accedunt duo domeſtici, qui dicunt, me ſoluiſſe centum aureos Petro tali die, & hora: accedunt duo alij æqualis fidei, qui teſtantur aliquid incompoſſibile phyſicè, vel cum ſolutione, vel cum tempore ſolutionis. Ego quidẽ debeo iudicare in foro conſcientiæ ſicut iudicaret de hac ſolutione Iudex Reipubl. in foro externo: vnuſquiſque enim in foro conſcientiæ eſt iudex ſuæ cauſæ, & debet ſe gerere in cauſa eodẽ modo, ac Iudex Reipublicæ, quando iſte non innititur legi pertinenti ad ſolum forum externum. Atqui Iudex Reipublicæ in hac quæſtione facti quando haberet duos teſtes pro facto ſolutionis, & alios duos æqualis fidei pro facto arguente non ſolutionem, verè dubius manet de facto, & tanquam verè dubius iudicat. Si enim actor probat, me non ſoluiſſe, & ego ęquali pondere probo, me ſoluiſſe, tam dubius manet Iudex de vna parte, quàm de altera; nec poteſt ſe accommodare probabilitati partis meæ ſine iniuria Petri. Ergo ego ſimiliter dubius maneo in foro conſcientiæ. Si enim in illo caſu manet Iudex verè dubius, cùm caſus, & eius circumſtantiæ ſint eædem, in eodem dubio ego collocatus ſum, & eadem dubitandi ratio me tenet. Nec proptereà intelligas, quod ſicut Iudex pro me ſententiam ferret, ita ego pro me poſſim in eo caſu ferre ſententiam: nam quoad hoc ſunt circumſtantiæ diuerſæ.

85. *Hinc extenditur, quare cùm multi dicant, poſſe iudicem ſequi partẽ minùs probabilem in quæſtione iuris, nullus id dicat in quæſtione facti.*

Quartò: quia hinc redditur ratio, quare cùm multi Authores dicant, poſſe Iudicem in quæſtione iuris ex duabus opinionibus æquè probabilibus alteram pro libito eligere; item multi alij, ex duabus opinionibus inæqualis probabilitatis poſſe Iudicem eligere opinionem minùs probabilem; quare, inquam, cum id ita aſſerant, nullus tamen aſſeruit, ſed omnes tanquam certum ſupponunt, & meritò, in quæſtione de facto non poſſe Iudicem ſequi minorem probabilitatem, imo neque æqualem pro vna parte; ſed ſemper ſtare debere pro maiore probabilitate.

86. Ratio autem ex noſtra hac aſſertione patet. Quia ſi æquales pro vtraque parte ſunt probationes, res manet in ſtatu dubij. In dubio autem non poteſt Iudex in vnam partem inclinare tanquam veram; neque affirmare vt verum id, quod eſt verè dubiũ. Quod ſi probationes vnius partis minores ſunt, hæc pars reperitur conſtituta in inferiori gradu, quàm in gradu dubij. Nam ſi quando pars affirmatiua eſt in gradu æquali probationis ac negatiua, ea eſt conſtituta in ſtatu dubitationis; quando pars affirmatiua habet minores probationes, habet inferiorem gradum, atque quando habet æquales; atque adeò habet inferiorem gradum, atque quando eſt in ſtatu dubij. Vide vrgentem huius confirmationem *diſput.* 24. *cap* 6 *n....*

87. *Cõſtat ex iure, cùm probationes facti ſunt omninò pares, rem eſſe dubiam* Cap. Ex litteris.

Probatur quintò. Conſtat enim ex multis iuribus, cauſam remanere ſub dubio, vbi hinc inde in quæſtione facti probationes ſunt omninò æquales in numero, & qualitate teſtium. Ita *in cap. Ex litteris, de probationibus*, ibi: *Quod ſi ambarum partium teſtes ſint æquè idonei, poſſeſſoris teſtes præſumentur: cùm promptiora ſint iura ad abſoluendum,*

Gloſſa. Curtius. Bartolus. Thuſcus. Romanus. Decianus. Baldus. Romanus. Abbas.

ſoluendum, quàm ad condemnandum. Vbi Gloſſa verbo *Promptiora*, ait: *Quod hic dicitur, & in ſimilibus, locum habet in dubiis, & obſcuris.* Patet ergo, rem eſſe dubiam, vbi teſtes facti ſunt æqualis fidei. Et ideò Curtius Sen. *conſil.* 24. & Bartol. *in lege* 1. *ff. vti poſſid.* apud Thuſc. *litt. P. concluſ.* 798. aiunt: *Quando probationes ſunt pares, fauetur reo; quia in dubio pro reo pronunciandum.* Et idem Thuſc. *litt. P. concluſ.* 766. *num.* 33. ait: *Probatio dicitur dubia, quando ſunt teſtes contrarij pro actore, & reo, æquales numero, & qualitate.* Pro quo allegat Romanum *conſil.* 166. *num.* 2. *verſ. Tertiò præmitto.* Probationes ergo vtrimque æquales, ſcilicet in quæſtione de facto, dubium producunt. Idem omninò tradit Tiberius Decianus *volum.* 2. *reſponſ.* 52. *num.* 21. & 25. *ex cap. Ex litteris, de probat.* & apud ipſum Baldus *in leg. data opera, Cod. qui accuſ. non poſ.* Romanus *in leg.* 1. §. *vlt.* & *in leg. illa ff. de verbor. oblig.* Decius *in leg. qui accuſare Cod. de edendo.* Et expreſſit Abbas *in cap. Licet, §. in tertio, & § gloſſa ponit, & § tertia opinio, de probationibus.*

88. *In paribus probationibus fauetur reo, quia in dubio pro reo ſtandum eſt.*

Confirmatur primò. Quando probationes numero, & qualitatibus teſtium ſunt pares tam ex parte actoris, quàm ex parte rei, fauendum eſt reo, vt patet ex relato cap. *Ex litteris, de probation.* Ergo in eo caſu probatio facta pro actore nullam habet probabilitatem: & ſimiliter probatio facta pro reo, antequam attendatur eſſe reus, nullam etiam habet probabilitatem. Conſequentia patet. Tum quia ſi probatio facta pro actore ſuam retineret probabilitatem, poſſet ferri ſententia pro actore, cùm pro ſe haberet ſuffragium probabilitatis. Tum etiam, quia ideò in eo euentu fauetur reo, quia in dubio cauſa eius fauorabilior eſt.

89. *Pares probationes in cauſa matrimonij cauſant dubium.*

Confirmatur ſecundò. Nam ſi Berta nupſit Petro, & Ioanni, & ambo poſtulent vxorem, & Petrus producat tres teſtes affirmantes, matrimonium cum Petro initum fuiſſe priùs; & tres alij eiuſdem fidei aſſerant, matrimonium cum Ioanne initum fuiſſe priùs; quis erit iudex, qui cenſeat, cuinam viro ſit adiudicanda vxor, niſi aliæ coniecturæ, aut præſumptiones robur addant alteri parti? Quis non dubitabit de legitimo huius vxoris viro?

90. *In quæſtione facti probatio fortior deſtruit probationem debiliorem.*

Probatur ſextò. Si in quæſtione facti motiua vtrimque æquè probabilia retinerent ſuam probabilitatem, ita vt vtralibet maneret probabilis, vna probatio fortior non deſtrueret aliam debiliorem oppoſitam: atqui probatio fortior deſtruit probabilitatem debiliorem oppoſitam: ergo motiua vtrimque æquè probabilia, in quæſtione facti mutuò collata, non retinent ſuam probabilitatem.

91. Maior patet: nam ſi motiua vtrimque æquè probabilia retinere deberent ſuam probabilitatem; etiam motiuum minùs probabile retineret ſuam probabilitatem collatum cum probabiliori, vt contingit in quæſtionibus iuris, in quibus, quamvis vna pars habeat rationes probabiliores, iſtæ non deſtruunt probabilitatem alterius partis minùs probabilis.

92. Maſcardus. Decianus. Baldus. Bartolus. Alexander. Decius.

Minorem tradunt omnes iuris Interpretes: ita Maſcardus *de probationib. volum.* 1. *concluſ.* 225. *n.* 15. Tiberius Decianus *volum.* 1 *reſponſ.* 12 *n.* 20. & apud ipſum Baldus *leg. cùm qui probabilem, Cod. de Epiſcopis, & Cler.* Bartol. *in leg. admonendi, ff. de iureiur.* Alexand. *volum.* 1. *conſil.* 103. *n.* 7. *verſ. Præterea*, & *conſil.* 77. *col. vlt.* & *volum.* 7. *conſil.* 88. *col.* 3. Decius *conſil* 470. *n.* 10. Atque Decianus ita tradere omnes *in l. ſi qui adulterij Cod. de adulter.* & *in leg. ſiue poſſidetis, Cod. de probation.* & *in leg. admonendi, Cod de iureiur.*

Et eſt ſententia omnium Iuriſperitorū.

93. *Præſumptio dat probabilitatem.* *Præſumptio fortior deſtruit debiliorem.*

Confirmatur. Præſumptio iuris dat probabilitatem vni parti in quæſtione facti; & tamen ea præſumptio euaneſcit adueniente alia præſumptione fortiori: ergo in quæſtione facti amittitur probabilitas vnius partis, quando eſt vrgentior probatio pro oppoſita. Si ergo ſtat, quod in quæſtione facti probabilitas vnius partis deficiat ex collatione cum probabilitate alterius, ſtabit etiam quod in quæſtione facti motiuum probabile amittat ſuam probabilitatem, collatum cum altero æquali; quia non eſt maior ratio ſtandi pro vno, quàm pro altero. Minor patet; ſic enim tradunt omnes iuris Interpretes, de quo vide *diſp.* 11. *cap.* 11. *concluſ.* 2.

94. Reſponſio.

Dices. Probatio fortior tollit debiliorem, quia ea probatio fortior, vtpote plena, reputatur certa; motiuum autem certum deſtruit probabilitatem.

95. Refellitur.

Sed contrà eſt: quia præſumptio, vt in plurimum, non facit certitudinem; & tamen præſumptio fortior deſtruit probabilitatem præſumptionis debilioris: ergo motiuum probabile deſtruitur in quæſtione facti per aliud non certum, ſed probabilius.

96. *Vbi ſunt pares probationes facti, non retinet vnaquæque ſuam probabilitatem.*

Probatur ſeptimò. Ponamus tres teſtes pro vna parte in quæſtione facti, & tres alios æqualis fidei per omnia ex altera parte. Si vtraque pars in eo caſu verè manet probabilis, & æquè probabilis pro foro conſcientiæ, poterit iudex ferre ſententiam pro qualibet parte, quam ipſe maluerit; nec tenebitur ſuffragari reo; iſti enim ſolùm tenetur ſuffragari, vel quando ſunt meliores probationes pro eo, vel quando cauſa eſt dubia: imò quando vterque litigans eſt actor, vt contingere poteſt (de quo vide Abbatem Panormit. *in cap licet, de probat. n.* 36.) poſſet ſuffragari ei, cui ipſe mallet.

97. Reſponſio.

Dices. Sicut, cùm eſt æqualis probabilitas iuris, debet iudex rem diuidere inter vtrumque; ita in eo caſu deberet rem diuidere, præcipuè in caſu, in quo vterque eſſet actor.

98. Reiicitur.

Contrà eſt. Nam probatio trium teſtium per ſe, & ſeorſim ſumpta, eſt plena: ergo ſi etiam collata cum probatione partis oppoſitæ, retinet totam ſuam probabilitatem, vtraque manebit plena probatio, & vterque dicetur plenè probaſſe; atque adeò poterit iudex eligere, quem maluerit, vtpote fulcitum plena probatione. Cùm ergo hoc apertè repugnet, dicendum eſt, probationem trium teſtium amittere ſuam vim per oppoſitam probationem æqualem; atque adeò quæſtionem facti manere dubiam per æquales probationes. Hæc omnia confirmantur ex dictis *n.* 52. 59. & 60.

ARTICVLVS II.

Occurritur obiectionibus.

99. Obiicies primò. In quæſtione de facto rationes vtrimque æquè probabiles producunt dubitationem: ergo etiam in quæſtione iuris idem debet eſſe, cùm non ſit maior ratio vnius, quàm alterius: vel aſſignetur diſparitas.

100. *Quare in quæſtione iuris, rationes vtrimque æquè probabiles, dent cuique parti pro-*

Reſpondeo, in quæſtione de facto, in qua concluſio probatur ab experientia, non teneri me maiorem diſparitatem dare, quàm ipſam experientiam. Cùm ergo experiamur, intellectum in quæſtione de facto hærere dubium, quoties pro vtraque parte videt fundamenta æquè probabilia, id quod non experimur in quæſtione iuris, in qua in-

tellectus

Digitized by Google

babilitatem, non in quæſtione facti? Sufficiens diſcrimen ſumitur ab experientia.

tellectus plerumque vni parti aſſentitur, quamvis rationes ſibi proponantur vt vtrimque æquè probabiles (fortè propter aliud dictamen practicum præſcribens non quod à parte rei eſt verum, quod plerumque incertum eſt; ſed quod prudenter eſt factibile) inde ſufficiens deſumo diſparitatis argumentum. Vide *diſp. 15. cap. 4. art. 8.*

101. Obiicies ſecundò. Multæ ſunt quæſtiones iuris, quæ dependent à facto: ergo etiam in quæſtionibus iuris quandoque fundamenta æqualiter probabilia intellectum prudentem redigent ad ſtatum dubitandi. Antecedens patet: nam multæ quæſtiones iuris pendent ab ea quæſtione, an impoſita ſit talis, vel talis lex: & obligatio confitendi peccatum, quæ ſpectat ad quæſtionem iuris, dependet à quæſtione facti, an peccatum commiſſum fuerit, necne?

102. *In quæſtione iuris, quæ hæc dependet à facto, pares probationes pariunt dubium.*

Reſpondeo, idem dicendum eſſe in quæſtionibus iuris quæ dependent à facto, quoties in facto illo ſunt fundamenta vtrimque æquè probabilia; illud enim factum reputandum eſt pro dubio, vt verè eſt. Et ideò *d. diſp. 46. cap. 6.* dicam, illum, qui diſcutiens conſcientiam ad confitenda peccata, habet pro peccati commiſſione, & pro non commiſſione rationes æqualis ponderis, eſſe verè dubium, nec teneri confiteri, ſi peccata dubia non ſunt confitenda ex neceſſitate præcepti. Et nota in eo, quod dicitur, eſſe quæſtionem de facto, an talis lex impoſita fuerit, id intelligendum de lege poſitiua, non autem de lege naturali, cuius exiſtentia, vel non exiſtentia comprobatur ex diſſonantia actionis, vel conformitate illius cum natura rationali; quæ conformitas, vel diſſonantia non pendet à facto.

103. Obiicies tertiò. Quando in quæſtione facti vna pars eſt probabilior altera, habet enim probationes firmiores præ altera, nemo cogitur ſtare pro parte probabiliore, ſed poteſt ſequi partem minùs probabilem. Ita multi Doctores cenſent, eum, qui probabiliter iudicat, ſe non commiſiſſe peccatum lethale furti, etſi probabilius iudicet, ſe commiſiſſe, non teneri ad confeſſionem talis peccati; quia poteſt accommodare ſe iudicio minùs probabili. Id autem non componitur cum doctrina huius capitis, nam inde fieret, quod plus meriti eſſet in parte minùs probabili, quàm in parte æquè probabili, ad dandum propoſitioni probabilitatem. Implicat autem contradictionem, quod id, quod eſt minus in aliquo genere, in eodem genere præſtet ampliorem effectũ, quàm illud, quod eſt plus intra illud genus: ſed pars minùs probabilis in genere probabilitatis eſt minùs quàm pars æquè probabilis: ergo implicat, quod pars minùs probabilis det probabilitatem, & quod pars æquè probabilis, quæ in ſuo genere plus eſt, non det probabilitatem. Ergo implicat quod poſſimus ſequi in quæſtione facti partem minùs probabilem, & quod non poſſimus ſequi æquè probabilem. Si ergo poſſimus ſequi partem æquè probabilem, hæc non cauſabit dubium, ſed probabilitatem.

104. *Vbi probationes ſunt inæquales, per exceſſũ vnius diſcernit Iudex, qua pars, & qualiter ſit probata.*

Vt ſolutionem facilè percipias vide quid præſtent in intellectu Iudicis inquirentis de facto, probationes firmiores, & probationes minùs firmæ. Conſiderat enim exceſſum illarum, & per talem exceſſum iudicat de plena, vel ſemiplena probatione facti. V.g. pro exiſtẽtia delicti habet vnũ teſtem; pro non exiſtentia delicti habet alterum æqualis fidei poſitiuè contradicentem. Hucuſque dubius manet. Inuenit deinde pro exiſtentia delicti vnam coniecturam probabilem æquiualentẽ vni teſti. Iam in hoc caſu eſt ſemiplena probatio delicti. Vnde non exiſtentia delicti abſolutè nullam habet probabilitatem; quia teſtimonium illud poſitiuum, quod eſt pro non exiſtentia delicti, compenſatur cum altero teſtimonio contradicente. Item delictum non manet plenè probatum, ſed ſemiplenè; & (loquendo Theologico modo) non certum, ſed probabile: quia exceſſus probationum delicti ſtat in noua coniecturâ probabili quæ ſolùm dat probabilitatem; & dumtaxat conſtituit ſemiplenam probationem. Itaque delictum eſt probabile, & carentia delicti nihil habet probabilitatis. Id tamen intelligendum eſt, niſi teſtis & coniectura probabilis ita confundant teſtimonium teſtis oppoſiti, vt conuincant, illud eſſe planè falſum, quod aliquando contingit. Tunc enim amiſſa probabilitate vnius partis, remanet oppoſita plenè probata.

In quæſtione facti pars minus probabilis nullam retinet probabilitatem.

Ad argumentum ergo reſpondebis, negando antecedens, quia in quæſtione facti pars minùs probabilis impropriè talis dicitur; nam reuerâ nullo modo eſt probabilis. Ideò autem vocatur minùs probabilis, vel probabilis, quia fundamentum, quod ex parte illius datur, per ſe eſt probabile, quamvis eo collato cum probationibus partis oppoſitæ, eius probabilitas euaneſcat. Ad id, quod additur de eo, qui habet rationes minùs probabiles pro non commiſſione peccati; & probabiliores pro commiſſione peccati, quod ſcilicet poſſit ſe accommodare parti minùs probabili, & ita non confiteri peccatum; negandum omninò eſt, & dicendum in quæſtione de facto, partem minùs probabilem abſolutè non eſſe probabilẽ, quia eius probabilitas deſtruitur per probationes firmiores. Et ita dicam *diſp. 46. cap. 6. concluſ. 2.* 105.

Et quod ſubiungitur in argumento, rectè probat, vbi ſunt infirmiores probationes ex vna parte, nullam eſſe poſſe probabilitatem ex ea parte. Quia implicat, quod augeatur probabilitas, dum decreſcit fundamentum probabilitatis: atqui quando eſt vnus teſtis pro delicto, & alter teſtis poſitiuus æquæ fidei pro non delicto, carentia delicti non eſt probabilis, quia res eſt dubia; & quando delicto accedit ſecundus teſtis, fundamentum pro carentia delicti decreſcit; ideò enim iam carentia delicti dicitur minùs probabilis: ergo implicat, quod ſic augeatur probabilitas carentiæ delicti. 106.

Vide ſolutionem alterius argumenti *in diſp. 46. cit. cap. 7. concluſione 1.* non enim æquum eſt eadem ſæpius ſine neceſſitate repetere. 107.

Sed pro foro conſcientiæ nota, inclinationem voluntatis ſolere quandoque auferre dubiũ, quod procedit ex rationibus æqualiter probabilibus. Primò, quatenus facit, quod intellectus magis attendat, magiſque ponderet rationes eius partis, in quam inclinat; quo pacto facit inclinatio voluntatis, vt hæ rationes repræſentrentur vt firmiores, & efficaciores. Secundò, quatenus facit, vt intellectus attendat ad nouas alias probationes quærendas, quæ ſuperent alterius partis probabilitatem. 108.

Inclinatio voluntatis dupliciter auferet dubium.

Denique aduerte, dumtaxat in eo caſu poſſe vtramque partem eſſe probabilem in quæſtione facti, quando hæc admiſcetur quæſtione iuris reflectente ſupra probationes facti. Nam ſi ſit duplex opinio probabilis circa valorem probationum, quia illius probationes valori probabiliter ſuffragantur, aut probabiliter refragantur leges; vtraque pars valoris, & nullitatis probationis erit probabilis. 109.

Cùm quæſtio facti admiſcetur quæſtione iuris, æquales probationes non cauſant dubium.

Articvlvs III.

Qui Authores ſuffragentur huic ſententiæ?

110. Sancius. HAnc videtur voluiſſe tradere Ioann. Sancius *in ſelectis*, in cuius indice, quem vocat compendium libri, ait *in verbo Opinio, prope finem*; *Opinio facti eſt verè dubium: diſp. 43. n. 50.* Et *in eo loco citato*, ait: [Virtute autem illius opinionis facti, nec dubium ſpeculatiuum, nec practicum excluditur. Non, inquam, ſpeculatiuum, quia de ratione cuiuſcumque opinionis, etiam quæ verſatur circa ius, eſt, dubium ſpeculatiuum includere; dubium autem practicum nec etiam excluditur: nam ſolùm opinio, quæ verſatur circa ius, vices habet illud excludendi, cùm tutam reddat conſcientiam operantis, vt diximus *n.* 48. At opinionis, quæ verſatur circa factum, non eſt munus conſcientiam tutam reddere, ſed ſolùm oſtendere, quod illud factum ſit, vel non, vel taliter factum, vel minùs.] Et ideò aſſerit, fœminam non poſſe tranſire ad ſecundas nuptias, ſi virum teſtentur aliqui fide digni, mortuum iam eſſe, aliis fide dignis oppoſitum affirmantibus.

111. *Repugnat, quod opinio ſit dubitatio.* Etenim in eo quod dicit, opinionem facti eſſe verè dubium, & eſſe de ratione cuiuſcumque opinionis includere dubium ſpeculatiuum, contradictionem inuoluit propter duo. Primum, quia opinio eſt aſſenſus probabilis; implicat autem ex ſupradictis, aſſenſum inuoluere dubium, imò & compoſſibilem eſſe cum dubio; dubium enim eſt ſuſpendere aſſenſum, & manere in æquilibrio ad vtramque partem. Quod ſi nomine opinionis intelligit motiuum probabile, & nomine dubij obiectum dubitabile, inuertit terminos, & ſignificationem eorum. Secundum, quia quando eſt opinio facti, ita vt detur motiuum probabile pro parte affirmatiua, & nullum motiuum tale pro parte negatiua, licèt obiectum adhuc ſit dubitabile, tamẽ poteſt intellectus aſſentiri probabiliter: & talis aſſenſus eſt opinio facti, cum quo aſſenſu eſt incompoſſibilis dubitatio, cùm hæc conſiſtat in ſuſpenſione aſſenſûs. Quod ſi nomine opinionis intelligat motiuum probabile, & nomine dubij obiectum dubitabile, inuertit terminos, & ſignificationem eorum.

112. Quid autem dicere intenderit, patet ex illatione, quam colligit; nempe quando de morte coniugis ſunt teſtes fide digni, & alij eiuſdem fidei de vita ipſius, eum manere in ſtatu dubij; quæ eſt concluſio noſtra, ſcilicet in quæſtione de facto, quando ſunt vtrimque motiua æquè probabilia, neutram partem perſuaderi, & pro neutra parte elici poſſe aſſenſum probabilem, ſed neceſſariò manere debere intellectum in dubitatione; vel ſi præſtat aſſenſum, iſte erit temerarius. Eiuſdem ſententiæ eſt Merolla citandus *diſp. 26. cap. 6. n.* 88. & Garcia *tr. 2. de benef. p. 1. c. 5. n. 362.* Merolla. Garcia.

113. Card. Lugo. Hanc eandem concluſionem reperi apud Lugo Cardinalem *tom. 1. de iuſt. diſp. 16. ſect. 5. n.* 100. vbi ſic ait: [Vnde apparet diſcrimen huius probabilitatis verſantis circa ius, ab illa, quæ verſatur merè circa factum. Nam quando factum non plenè probatur, non eſt probabile, quod reus poſſit cõdemnari, cùm leges nunquam permittant reum condemnari, niſi delictum, vel debitum plenè probetur: non probatur autem plenè, & ſufficienter ad ſententiam, quando licèt duo, vel tres teſtes id teſtificentur, alij tamen teſtes contrarium teſtantur: per hos enim eliditur, vel minuitur illorum teſtificatio; atque ideò non manet probatio ſufficiens requiſita ad probationem plenam, & ad condemnationem. At verò quando probabilitas verſatur circa ius, iam manet probabile, leges actori fauere.]

Vbi obſeruo primò, Cardinalem conſtituere diſcrimen inter probabilitatẽ, quæ verſatur circa ius, & probabilitatem, quæ verſatur circa factum. Secundò, in probabilitate facti probationes vnius partis elidi, vel minui per probationes partis oppoſitæ; non ſic in probabilitate iuris. Tertiò, ex rationibus vtrinq; probabilibus in quæſtione iuris, vtramque partem manere ſufficienter probatã; in quæſtione autem facti, ſi probationes, aliàs plenæ, fiant vtrimque probabiles, neutram partem manere plenè probatam. Quod manifeſtè deducitur, quia ſi aliæ probationes alias elidunt, vel minuũt, quando probationes ſunt vtrimq; æquè probabiles, manent vtrimque æqualiter eliſæ, vel diminutæ; ideóque neutra pars manet probata, ſiue probabilis; atque adeò in ſtatu dubij manet. 114.

Capvt VII.

An dubium poſitiuum ſit virtualiter negatiuum?

DVbium diuiditur à Theologis in poſitiuum, & negatiuum. Dubium negatiuum eſt, quo quis dubitat, nulla occurrente ratione pro alterutra parte contradictionis. Dubium poſitiuum eſt, quo quis dubitat, occurrentibus rationibus pro vtraque, vel pro altera parte contradictionis. Caramuel, qui putat, inter rationes probabiles non poſſe verſari dubitationem, ait dubium poſitiuum eſſe, cùm pro vtraque, vel altera parte occurrunt rationes. Sed ex dictis conſtat, prauam eſſe eam additionem, cum tam clarè conſtet *ex cap. 5.* etiam verſari ſolere inter probabiles. 115. *Quid ſit dubium poſitiuum, quid negatiuum?*

Nota, aliter explicare Authores alios hanc diuiſionem. Nomine enim dubij poſitiui intelligunt illud, quod verſatur inter rationes probabiles: dubij autem negatiui illud, quod verſatur inter rationes leues, vel nullas. Ita P. Conink *diſp. 7. de pænit. n. 67.* his verbis: [Tertium dubium eſt negatiuum pro vtraque parte, quando pro neutra occurrunt ſufficientes rationes, vt poſſim de ea probabile iudicium ferre.] Sed vt quæſtio eſt de nomine, loquendum eſt cum pluribus. 116. *Alij aliter explicant dubiũ poſitiuũ, & negatiuũ.*

Caramuel *in Theologia fund. n.* 1901 *fund. 66.* ſic reſpondet quæſtioni: [Subiungo, dubium poſitiuum eſſe virtualiter negatiuum, quia in regimine morum rationes leues ita ſe habent, ac ſi verè eſſent nullæ.] Quod priùs, & latiùs tradiderat *in prologo Theol. fund. n. 2. § dubium*, his verbis: [Hîc attentè volo audiri. Conſcientiæ regimen eſt res magni momenti: ergo conſcientiæ gubernandæ regula non poteſt eſſe ratio leuis: ergo ratio leuis in ordine ad dirigendam conſcientiam ita ſe habet, ac ſi eſſet nulla: ergo virtualiter eſt nulla. Ergo dubiũ poſitiuũ, tametſi realiter ſit poſitiuũ, virtualiter, & moraliter coincidit cum negatiuo.] 117.

Sed attende quod ſubdit poſt periodum illam priori loco relatam *ex num.* 1901. Nam ſine vllo verbo interpoſito, ſtatim incipit *num.* 1902. ſic. [Cæterum ſi agamus de regimine propriæ conſcientiæ, dico, non dari dubia negatiua: ſemper enim ſuccurrunt rationes aliquæ leues, aut graues, iuxta quas actiones, & reſolutiones noſtras gubernare poſſimus.] Et poſteà ſubdit quaſdam regulas iuris, quæ proſunt pro dubiis pellendis. 118.

Sed

Digitized by Google

119. Sed iſtæ breues clauſulæ multa falſa continent, quæ à recta Theologia exulare oportet. Et primò vide, an poſſis componere poſteriorem periodum cum duplici priori. Nota attentè has duas propoſitiones: primâ, *In regimine morum rationes leues ita ſe habent, ac ſi verè eſſent nulla:* quæ continetur in prima, & ſecunda periodo. Secundam, *Semper ſuccurrunt rationes aliqua leues, vel graues, iuxta quas actiones & reſolutiones noſtras gubernare poſſimus.* Si verum eſt, quod in regimine morum rationes leues ita ſe habent, ac ſi verè eſſent nullæ, quomodo verum eſt, quod ſuccurrunt rationes aliquæ leues, iuxta quas actiones, & reſolutiones noſtras gubernare poſſimus? Ergo actiones noſtras gubernare poſſumus iuxta rationes, quæ in regimine morum nullæ ſunt? Ergo rationes illæ nullæ ſunt in regimine actionum, & morum, iuxta quas gubernamu s actiones, & mores? Sed is fortè fuit lapſus calami.

120.
Dubium poſitiuum non eſt virtualiter negatiuum.

Deueniendo ergo ad punctum præcipuum quæſtionis, aſſero vt omninò certum, falſam eſſe illam poſitionem, quam in vtraque priori periodo aſſumit, nempe [Dubium poſitiuum virtualiter eſſe negatiuum, quia in regimine morum rationes leues ita ſe habent, ac ſi verè eſſent nullæ.]

121. Probatur primò. Dubium poſitiuum non ſolùm procedit inter rationes leues, ſed etiam inter rationes probabiles, vt *cap.* 5. demonſtratum eſt: ergo falſo nititur fundamento ea poſitio, quod dubium poſitiuum ſolùm procedat ex leuibus rationibus deriuatum; quæ rationes leues ita ſe habere dicuntur, ac ſi nullæ eſſent.

122.
Rationes, quæ ſunt leues ad aſſenſum vtriuſlibet partis, ſunt graues ad retinendum dubium.

Probatur ſecundò. Rationes leues pro vtraque parte occurrentes, etſi ſint leues ad extorquendũ aſſenſum vtriuſlibet partis, affirmatiuæ ſcilicet, aut negatiuæ; at eo ipſo ſunt rationes fortes ad retinendum dubium: ergo reſpectu dubij non ſunt leues; & conſequenter per ordinem ad dubium non poſſunt reputari, ac ſi nullæ eſſent. Antecedens probatur: (nam conſequentia patet.) Tunc datur ratio fortis, ſiue vrgens ad dubitandum, ſiue ad retinendum formaliter dubium, quando eſt leuis ratio ad aſſentiendum cuilibet parti contradictionis. Etenim nihil fortius, nihil vrgentius eſt ad retinendum dubium, quàm cum intellectus habet rationes adeò debiles, vt virtute illarum non poſſit ſe determinare ad aſſenſum alterius partis. Conſiſtit dubium in eo quod intellectus non ſe determinet ad aſſenſum affirmatiuum, nec ad negatiuum: quantò ergo rationes ſunt leuiores pro vtraque parte, tantò aptiores ſunt, vt intellectus non ſe determinet ad alterius partis aſſenſum: ergo tantò aptiores ſunt, vt intellectus hæreat dubius: nihil ergo vrgentius eſt ad retinendum dubium, quàm leuitas rationum pro vtraque parte.

123.
Ratio leuis eſt contemnenda reſpectu eius partis, pro qua ſtat.

Non verò pro menſurando dubio.

Verum quidem eſt, rationes leues contemnendas eſſe; ſed id eſt verum reſpectu eius partis, pro qua ſtat ratio leuis. Non debes credere, Regem profectum fuiſſe ad bellum, eo quod vnus ruſticus, in villa diu commoratus, illud tibi dixit: nam teſtimonium ruſtici eſt ratio leuis reſpectu eius aſſerti de profectione Regis ad bellum. At ſi ſint duo teſtimonia leuia de profectione, & de non profectione Regis; neque pro alterutra parte aliud ſit motiuum determinans ad aſſenſum, vel diſſenſum; quantò leuiora ſunt fundamenta ad aſſentiendum, vel diſſentiendum, tantò vrgentiùs hæret intellectus in biuio. Et ideò ratio, quæ contemnenda eſt ad aſſerendam profectionem Regis, fortis eſt ad conſtituendum dubium de illa. Cùm ergo id dubium poſitiuum procedat inter duas rationes leues, quæ leues ſunt reſpectu alterutrius partis, & vrgentes reſpectu dubij, modo explicato; illud quidem non eſt reputandum dubium negatiuum.

124. Confirmatur primò. Nam quia rationes leues contemnendæ ſunt, ideò intellectus fortiùs hæret in dubio. Pro quo relege quæ dixi ſupra *cap* 4. *demonſtratione* 2. ſcilicet, rationem leuem producere dubitationem, non quà ratio eſt, ſed quà leuis eſt. Nam quia ratio pro parte affirmatiua eſt leuis, ideò illi parti affirmatiuæ non præſtat intellectus aſſenſum: & quia ratio pro parte negatiua eſt leuis, ideò neque parti negatiuæ præſtat aſſenſum. Itaque efficacitas rationum leuium ad retinendum dubium, conſiſtit in ipſa earum leuitate: ergo quamvis leues ſint ad vtramlibet partem aſſenſus determinandam, efficaces ſunt ad dubium retinendum. Ergo quamvis in regimine conſcientiæ non attendantur rationes leues, vt intellectus aſſentiatur vni parti determinatæ, attendi maximè debent ad dignoſcendam quantitatem dubij.

125. Confirmatur ſecundò. Dubitatio exiſtens in intellectu, non expellitur formaliter, niſi per aſſenſum alterutrius partis: ergo rationes, quæ ſunt efficaces ad præſtandum aſſenſum alterutri parti, non habent efficaciam ad retinendum dubium; & quæ debiles ſunt, & debiliter mouent intellectum, vt præſtet aſſenſum alicui parti contradictionis, efficaces ſunt ad retinendum dubium. Sunt ergo rationes leues valde efficaces reſpectu ipſius dubij: non ergo contemnendæ in ordine ad dubium dignoſcendum.

126.
Fortius dubium eſt negatiuum, quàm poſitiuum.

Ex dictis infero, dubium negatiuum ex ſe eſſe fortius dubium, quàm poſitiuum. Probatur. Tantò fortius eſt dubium, quantò minus fundamentum habet intellectus ad aſſenſum, vel ad diſſenſum partium contradictionis, inter quas verſatur dubium: ſed in dubio negatiuo minus fundamentum habet intellectus ad aſſenſum, & ad diſſenſum, quàm in dubio poſitiuo: ergo maius dubium eſt negatiuum, quàm poſitiuum. Maior patet. Quia tantò fortius eſt dubium, quantò difficilius vinci poteſt: atqui illud vinci poteſt, quando adeſt fundamentum ad aſſenſum, vel diſſenſum ad alteram partem; vnde tantò difficiliùs vinci poteſt quantò minus fundamentum habet intellectus ad aſſentiendum alteri parti. Patet etiam minor eius ſyllogiſmi, cùm in dubio poſitiuo habeat intellectus aliquas rationes ad aſſenſum, vel diſſenſum; in dubio autem negatiuo nullas.

127.
Non eſt fauor conſcientiæ, quod dicatur dubium poſitiuum verti in negatiuũ.

Hinc fit, non benè Caramuelem intendere, quod dubium poſitiuum tranſeat in negatiuum, fauore conſcientiarum, & vt benigniùs cum illis agatur. Etenim duriùs agitur cum conſcientia, dum illa de dubio minori, quale eſt poſitiuum, trahitur ad dubium maius, & quod difficiliùs vincitur, quale eſt ex ſe negatiuum. Ergo vt in plurimum peius eſt conſcientiæ dubium negatiuum, quàm poſitiuum. Cur ergo in fauorem conſcientiæ intenditur dubium poſitiuum commutari in negatiuum.

128.
Leuis ratio, ob quam quis putat, ſe non confeſſum, cõtemnenda.

Et quidem ſi per hoc contenderet ille Author, v.g. quod dum Petrus hodie confitetur, & ſecurus manet de bona confeſſione; & cras ex leuiſſima ratione inſinuante obliuioné vnius peccati mortalis, dubius manet de bona confeſſione, nihil pendat eam leuem rationem, ſed in poſſeſſione

Articvlvs III.

Qui Authores ſuffragentur huic ſententiæ?

110. Sancius. HAnc videtur voluiſſe tradere Ioann. Sancius *in ſelectu*, in cuius indice, quem vocat compendium libri, ait *in verbo Opinio, prope finem; Opinio facti eſt verè dubium: diſp.43 n.50.* Et *in eo loco citato*, ait: [Virtute autem illius opinionis facti, nec dubium ſpeculatiuum, nec practicum excluditur. Non, inquam, ſpeculatiuum, quia de ratione cuiuſcumque opinionis, etiam quæ verſatur circa ius, eſt, dubium ſpeculatiuum includere; dubium autem practicum nec etiam excluditur: nam ſolùm opinio, quæ verſatur circa ius, vires habet illud excludendi, cùm tutam reddat conſcientiam operantis, vt diximus *n.* 48. At opinionis, quæ verſatur circa factum, non eſt munus conſcientiam tutam reddere, ſed ſolùm oſtendere, quod illud factum ſit, vel non, vel taliter factum, vel minùs.] Et ideò aſſerit, fœminam non poſſe tranſire ad ſecundas nuptias, ſi virum teſtentur aliqui fide digni, mortuum iam eſſe, aliis fide dignis oppoſitum affirmantibus.

111. *Repugnat, quod opinio ſit dubitatio.* Etenim in eo quod dicit, opinionem facti eſſe verè dubium, & eſſe de ratione cuiuſcumque opinionis includere dubium ſpeculatiuum, contradictionem inuoluit propter duo. Primum, quia opinio eſt aſſenſus probabilis; implicat autem ex ſupradictis, aſſenſum inuoluere dubium, imò & compoſſibilem eſſe cum dubio; dubium enim eſt ſuſpendere aſſenſum, & manere in æquilibrio ad vtramque partem. Quod ſi nomine opinionis intelligit motiuum probabile, & nomine dubij obiectum dubitabile, inuertit terminos, & ſignificationem eorum. Secundum, quia quando eſt opinio facti, ita vt detur motiuum probabile pro parte affirmatiua, & nullum motiuum tale pro parte negatiua, licèt obiectum adhuc ſit dubitabile, tamẽ poteſt intellectus aſſentiri probabiliter: & talis aſſenſus eſt opinio facti, cum quo aſſenſu eſt incompoſſibilis dubitatio, cùm hæc conſiſtat in ſuſpenſione aſſenſûs. Quod ſi nomine opinionis intelligat motiuum probabile, & nomine dubij obiectum dubitabile, inuertit terminos, & ſignificationem eorum.

112. Quid autem dicere intenderit, patet ex illatione, quam colligit; nempe quando de morte coniugis ſunt teſtes fide digni, & alij eiuſdem fidei de vita ipſius, rem manere in ſtatu dubij; quæ eſt concluſio noſtra, ſcilicet in quæſtione de facto, quando ſunt vtrimque motiua æquè probabilia, neutram partem perſuaderi, & pro neutra parte elici poſſe aſſenſum probabilem, ſed neceſſariò manere debere intellectum in dubitatione; vel ſi præſtat aſſenſum, iſte erit temerarius. Eiuſdem ſententiæ eſt Merolla citandus *diſp.26. cap.6. n.* 88. & Garcia *tr.2. de benef. p.1. c.5. n.362.* Merolla. Garcia.

113. Card. Lugo. Hanc eandem concluſionem reperi apud Lugo Cardinalem *tom.1. de iuſt. diſp. 16 ſect. 5 n.*100. vbi ſic ait: [Vnde apparet diſcrimen huius probabilitatis verſantis circa ius, ab illa, quæ verſatur merè circa factum. Nam quando factum non plenè probatur, non eſt probabile, quod reus poſſit cõdemnari, cùm leges nunquam permittant reum condemnari, niſi delictum, vel debitum plenè probetur: non probatur autem plenè, & ſufficienter ad ſententiam, quando licèt duo, vel tres teſtes id teſtificentur, alij tamen teſtes contrarium teſtantur: per hos enim eliditur, vel minuitur illorum teſtificatio; atque ideò non manet probatio ſufficiens requiſita ad probationem plenam, & ad condemnationem. At verò quando probabilitas verſatur circa ius, iam manet probabile, leges actori fauere.]

Vbi obſeruo primò, Cardinalem conſtituere diſcrimen inter probabilitatẽ, quæ verſatur circa ius, & probabilitatem, quæ verſatur circa factum. 114. Secundò, in probabilitate facti probationes vnius partis elidi, vel minui per probationes partis oppoſitæ; non ſic in probabilitate iuris. Tertiò, ex rationibus vtrimq; probabilibus in quæſtione iuris, vtramque partem manere ſufficienter probatã; in quæſtione autem facti, ſi probationes, aliàs plenæ, fiant vtrimque probabiles, neutram partem manere plenè probatam. Quod manifeſtè deducitur, quia ſi aliæ probationes alias elidunt, vel minuũt, quando probationes ſunt vtrimq; æquè probabiles, manent vtrimque æqualiter eliſæ, vel diminutæ; ideóque neutra pars manet probata, ſiue probabilis; atque adeò in ſtatu dubij manet.

CAPVT VII.

An dubium poſitiuum ſit virtualiter negatiuum?

DVbium diuiditur à Theologis in poſitiuum, & negatiuum. Dubium negatiuum eſt, quo quis dubitat, nulla occurrente ratione pro alterutra parte contradictionis. Dubium poſitiuum eſt, quo quis dubitat, occurrentibus rationibus pro vtraque, vel pro altera parte contradictionis. Caramuel, qui putat, inter rationes probabiles non poſſe verſari dubitationem, ait dubium poſitiuum eſſe, cùm pro vtraque, vel altera parte occurrunt rationes. Sed ex dictis conſtat, prauam eſſe eam additionem, cum tam clarè conſtet *ex cap.5.* etiam verſari ſolere inter probabiles. 115. *Quid ſit dubium poſitiuum, quid negatiuum?*

Nota, aliter explicare Authores alios hanc diuiſionem. Nomine enim dubij poſitiui intelligunt illud, quod verſatur inter rationes probabiles: dubij autem negatiui illud, quod verſatur inter rationes leues, vel nullas. Ita P. Conink *diſp.7. de pœnit. n.67.* his verbis: [Tertium dubium eſt negatiuum pro vtraque parte, quando pro neutra occurrunt ſufficientes rationes, vt poſſim de ea probabile iudicium ferre.] Sed vt quæſtio eſt de nomine, loquendum eſt cum pluribus. 116. *Alij aliter explicant dubiũ poſitiuũ, & negatiuũ.*

Caramuel *in Theologia fund. n.*1901 *fund.66.* ſic reſpondet quæſtioni: [Subiungo, dubium poſitiuum eſſe virtualiter negatiuum, quia in regimine morum rationes leues ita ſe habent, ac ſi verè eſſent nullæ.] Quod priùs, & latiùs tradiderat *in prologo Theol. fund. n.2.§ dubium*, his verbis: [Hîc attentè volo audiri. Conſcientiæ regimen eſt res magni momenti: ergo conſcientiæ gubernandæ regula non poteſt eſſe ratio leuis: ergo ratio leuis in ordine ad dirigendam conſcientiam ita ſe habet, ac ſi eſſet nulla: ergo virtualiter eſt nulla. Ergo dubiũ poſitiuũ, tametſi realiter ſit poſitiuũ, virtualiter, & moraliter coincidit cum negatiuo.] 117.

Sed attende quod ſubdit poſt periodum illam priori loco relatam *ex num.* 1901. Nam ſine vllo verbo interpoſito, ſtatim incipit *num.* 1902. ſic. [Cæterum ſi agamus de regimine propriæ conſcientiæ, dico, non dari dubia negatiua: ſemper enim ſuccurrunt rationes aliquæ leues, aut graues, iuxta quas actiones, & reſolutiones noſtras gubernare poſſimus.] Et poſteà ſubdit quaſdam regulas iuris, quæ proſunt pro dubiis pellendis. 118.

Sed

119. Sed iſtæ breues clauſulæ multa falſa continent, quæ à recta Theologia exulare oportet. Et primò vide, an poſſis componere poſteriorem periodum cum duplici priori. Nota attentè has duas propoſitiones: primã, *In regimine morum rationes leues ita ſe habent, ac ſi verè eſſent nullæ:* quæ continetur in prima, & ſecunda periodo. Secundam, *Semper ſuccurrunt rationes aliquæ leues, vel graues, iuxta quas actiones, & reſolutiones noſtras gubernare poſſimus.* Si verum eſt, quod in regimine morum rationes leues ita ſe habent, ac ſi verè eſſent nullæ, quomodo verum eſt, quod ſuccurrunt rationes aliquæ leues, iuxta quas actiones, & reſolutiones noſtras gubernare poſſimus? Ergo actiones noſtras gubernare poſſumus iuxta rationes, quæ in regimine morum nullæ ſunt? Ergo rationes illæ nullæ ſunt in regimine actionum, & morum, iuxta quas gubernamu sactiones, & mores? Sed is fortè fuit lapſus calami.

120. *Dubium poſitiuum non eſt virtualiter negatiuum.* Deueniendo ergo ad punctum præcipuum quæſtionis, aſſero vt omninò certum, falſam eſſe illam poſitionem, quam in vtraque priori periodo aſſumit, nempe [Dubium poſitiuum virtualiter eſſe negatiuum, quia in regimine morum rationes leues ita ſe habent, ac ſi verè eſſent nullæ.]

121. Probatur primò. Dubium poſitiuum non ſolùm procedit inter rationes leues, ſed etiam inter rationes probabiles, vt *cap.* 5. demonſtratum eſt: ergo falſo nititur fundamento ea poſitio, quod dubium poſitiuum ſolùm procedat ex leuibus rationibus deriuatum; quæ rationes leues ita ſe hab. re dicuntur, ac ſi nullæ eſſent.

122. *Rationes, quæ ſunt leues ad aſſenſum vtriuſlibet partis, ſunt graues ad retinendum dubium.* Probatur ſecundò. Rationes leues pro vtraque parte occurrentes, etſi ſint leues ad extorquendũ aſſenſum vtriuſlibet partis, affirmatiuæ ſcilicet, aut negatiuæ; at eo ipſo ſunt rationes fortes ad retinendum dubium: ergo reſpectu dubij non ſunt leues; & conſequenter per ordinem ad dubium non poſſunt reputari, ac ſi nullæ eſſent. Antecedens probatur: (nam conſequentia patet.) Tunc datur ratio fortis, ſiue vrgens ad dubitandum, ſiue ad retinendum formaliter dubium, quando eſt leuis ratio ad aſſentiendum cuilibet parti contradictionis. Etenim nihil fortius, nihil vrgentius eſt ad retinendum dubium, quàm cum intellectus habet rationes adeò debiles, vt virtute illarum non poſſit ſe determinare ad aſſenſum alterius partis. Conſiſtit dubium in eo quod intellectus non ſe determinet ad aſſenſum affirmatiuum, nec ad negatiuum: quantò ergo rationes ſunt leuiores pro vtraque parte, tantò aptiores ſunt, vt intellectus non ſe determinet ad alterius partis aſſenſum: ergo tantò aptiores ſunt, vt intellectus hæreat dubius: nihil ergo vrgentius eſt ad retinendum dubium, quàm leuitas rationum pro vtraque parte.

123. *Ratio leuis eſt contemnenda reſpectu eius partis, pro qua ſtat.* Verum quidem eſt, rationes leues contemnendas eſſe; ſed id eſt verum reſpectu eius partis, pro qua ſtat ratio leuis. Non debes credere, Regem profectum fuiſſe ad bellum, eo quod vnus ruſticus, in villa diu commoratus, illud tibi dixit: nam teſtimonium ruſtici eſt ratio leuis reſpectu eius aſſerti de profectione Regis ad bellum. *Non verò pro menſurando dubio.* At ſi ſint duo teſtimonia leuia de profectione, & de non profectione Regis; neque pro alterutra parte aliud ſit motiuum determinans ad aſſenſum, vel diſſenſum; quantò leuiora ſunt fundamenta ad aſſentiendum, vel diſſentiendum, tantò vrgentiùs hæret intellectus in biuio. Et ideò ratio, quæ contemnenda eſt ad aſſerendam profectionem Regis, fortis eſt ad conſtituendum dubium de illa. Cùm ergo id dubium poſitiuum procedat inter duas rationes leues, quæ leues ſunt reſpectu alterutrius partis, & vrgentes reſpectu dubii, modo explicato; illud quidem non eſt reputandum dubium negatiuum.

124. Confirmatur primò. Nam quia rationes leues contemnendæ ſunt, ideò intellectus fortiùs hæret in dubio. Pro quo relege quæ dixi ſupra *cap.* 4. *demonſtratione* 2. ſcilicet, rationem leuem producere dubitationem, non quà ratio eſt, ſed quà leuis eſt. Nam quia ratio pro parte affirmatiua eſt leuis, ideò illi parti affirmatiuæ non præſtat intellectus aſſenſum: & quia ratio pro parte negatiua eſt leuis, ideò neque parti negatiuæ præſtat aſſenſum. Itaque efficacitas rationum leuium ad retinendum dubium, conſiſtit in ipſa earum leuitate: ergo quamvis leues ſint ad vtramlibet partem aſſenſus determinandam, efficaces ſunt ad dubium retinendum. Ergo quamvis in regimine conſcientiæ non attendantur rationes leues, vt intellectus aſſentiatur vni parti determinatæ, attendi maximè debent ad dignoſcendam quantitatem dubij.

125. Confirmatur ſecundò. Dubitatio exiſtens in intellectu, non expellitur formaliter, niſi per aſſenſum alterutrius partis: ergo rationes, quæ ſunt efficaces ad præſtandum aſſenſum alterutri parti, non habent efficaciam ad retinendum dubium; & quæ debiles ſunt, & debiliter mouent intellectum, vt præſtet aſſenſum alicui parti contradictionis, efficaces ſunt ad retinendum dubium. Sunt ergo rationes leues valde efficaces reſpectu ipſius dubij: non ergo contemnendæ in ordine ad dubium dignoſcendum.

126. *Fortius dubium eſt negatiuum, quàm poſitiuum.* Ex dictis infero, dubium negatiuum ex ſe eſſe fortius dubium, quàm poſitiuum. Probatur. Tantò fortius eſt dubium, quantò minus fundamentum habet intellectus ad aſſenſum, vel ad diſſenſum partium contradictionis, inter quas verſatur dubium: ſed in dubio negatiuo minus fundamentum habet intellectus ad aſſenſum, & ad diſſenſum, quàm in dubio poſitiuo: ergo maius dubium eſt negatiuum, quàm poſitiuum. Maior patet. Quia tantò fortius eſt dubium, quantò difficilius vinci poteſt: atqui illud vinci poteſt, quando adeſt fundamentum ad aſſenſum, vel diſſenſum ad alteram partem; vnde tantò difficiliùs vinci poteſt quantò minus fundamentum habet intellectus ad aſſentiendum alteri parti. Patet etiam minor eius ſyllogiſmi, cùm in dubio poſitiuo habeat intellectus aliquas rationes ad aſſenſum, vel diſſenſum; in dubio autem negatiuo nullas.

127. *Non eſt fauor conſcientiæ, quod dicatur dubium poſitiuum verti in negatiuũ.* Hinc fit, non benè Caramuelem intendere, quod dubium poſitiuum tranſeat in negatiuum, fauore conſcientiarum, & vt benigniùs cum illis agatur. Etenim duriùs agitur cum conſcientia, dum illa de dubio minori, quale eſt poſitiuum, trahitur ad dubium maius, & quod difficiliùs vincitur, quale eſt ex ſe negatiuum. Ergo vt in plurimum peius eſt conſcientiæ dubium negatiuum, quàm poſitiuum. Cur ergo in fauorem conſcientiæ intenditur dubium poſitiuum commutari in negatiuum.

128. *Leuis ratio, ob quam quis putat, ſe non confeſſum, eſt contemnenda.* Et quidem ſi per hoc contenderet ille Author, v. g. quod dum Petrus hodie confitetur, & ſecurus manet de bona confeſſione; & cras ex leuiſſima ratione inſinuante obliuionẽ vnius peccati mortalis, dubius manet de bona confeſſione, nihil pendat eam leuem rationem, ſed in poſſeſſione ſua

Digitized by Google

ſuæ ſecuritatis maneat, libenter annuam: ſed id non eſt, quod dubium poſitiuum tranſeat in negatiuum; ſed quod dubium poſitiuum ſuperueniens tranſeat in non dubium, propter poſſeſſionem ſecuritatis antecedentem, quæ ex leuiuſcula ratione turbari non debet.

CAPVT VIII.

An in regimine conſcientiæ propriæ non dentur dubia negatiua, nec poſitiua?

129. CIrca primam partem quæſtionis in titulo propoſitæ, Caramuel *in Theolog. fund. num.* 1901. vt retuli ſupra *cap.* 7. *num.* 118. ſic ait: [Cæterùm ſi agamus de regimine propriæ conſcientiæ, dico, non dari dubia negatiua: ſemper enim ſuccurrunt rationes aliquæ leues, aut graues, iuxta quas, actiones, & reſolutiones noſtras gubernare poſſimus.]

130. Hæc aſſertio falſa eſt, & contra ipſam experientiam. Et ſi quidem loqueretur de hominibus doctis, & ingenioſis, aſſuetis in qualibet materia diſcurrere, faciliùs aſſentirer. At verò loquendo de rudibus, & indoctis, quibus in qualibet materia eſt maxima inopia diſcursûs, & conſequentiæ, vnde iſti inuenient rationes in omni materia morali? Præterea communiſſimum eſt, etiam ingenioſis, & diſcurſiuis, obliuionis causâ dubitare ſine vlla prorſus ratione pro parte affirmatiua, aut negatiua. Item communiſſimum eſt rudibus dubitare ex ſola iuris ignorantia. Dubitat Petrus homo rudis, an peccet hîc, & nunc, ex ſola inſcitia, qua neſcit, an ſit præceptum, necne.

Quoad regimen conſcientiæ, ſæpe dantur dubia negatiua.

131. Ad ſecundam quæſtionis partem reſpondet eodem *num.* 1901. [Addo, purum dubium poſitiuum vix dari; hoc eſt, vix eſſe caſum, in quo homo habeat aliquas rationes leues; nec tamen concomitanter aliquam certam, & probabilem, ſaltem ex prioris propoſiti poſſeſſione deſumptam. Licet enim interdum ſint aliquæ rationes leues, ſemper aliæ graues, & probabiles concomitantur.]

Dubia poſitiua dantur ſæpiſſimè.

132. Id aſſertum eſſe falſum, conſtat primò. Eſt enim demonſtratum *cap.* 5. dari dubium poſitiuum, fluctuante intellectu inter rationes probabiles, quæ ex vtraque parte repræſentantur vt æquè probabiles: ergo quamvis dentur rationes leues, & graues ſimul, poteſt dari, & ſolet, dubium poſitiuum. Conſtat ſecundò, quia licet in hominibus indoctis, & rudibus dentur rationes graues, & probabiles, ſæpius repræſentantur vt leues; quia quamvis occurrant eis rationes, quæ homines doctos conuincerent; illis tamen, qui vim conſequentiæ neſciunt, taliter repræſentantur, vt ad nullam cõtradictionis partem ſe determinent. Homines rudes, & indocti ne quidem intelligunt, quid ſit poſſeſſio prioris propoſiti; quomodo diiudicabunt, quando tali poſſeſſioni fidere poſſint? Vide quæ in ſimili latiùs proſequor *diſp.* 47. *cap.* 2. Argumenta autem quæ obiicit Caramuel, ſoluenda, & debellanda ſunt *diſp.* 46 *cap.* 2. *art.* 7. vbi latiùs de hac materia diſſerendum eſt.

CAPVT IX.

De caſibus, quos Doctores alij dubios, Caramuel dubij incapaces iudicat.

ARTICVLVS I.

Baſis noui diſcurſus examinatur.

HVnc eumdem titulum habet Caramuel *lib.* 3. *Theologiæ intentionalis*, præfixum diſputationi tertiæ, *num.* 1406. Scopum tituli exponit in procemio præfatæ diſputationis ſic: [Multa quidem in dubium ſcriptores vertere conantur quotidie, quæ extra dubij aleam poſita, aut ad certitudinem, aut ad probabilitatem ſpectant. Dubitat (centies dixi) qui habet rationem leuem, nullamve; probabiliter iudicat, qui grauem; & iudicat certò, qui certam. Ergo dubium, probabilitas, & certitudo non poſſunt coincidere. Si rem benè conſideres, multa hîc ab Authoribus, & valde miſerè confuſa ſunt.] 133.

Sanè valde miſerè confundit ille motiuum probabile, & aſſenſum probabilem. Hunc enim incompoſſibilem eſſe cum dubitatione, ex dictis euidens eſt; ſicut & motiuum probabile cum dubitatione poſſe componi. Putabat Caramuel, non poſſe aſſignari ſufficiens diſcrimen inter probabilitatem, & dubium, niſi eos fines ita ſibi præſcribant probabilitas, & dubium, vt iſtud inter rationes leues, vel nullas; illa autem inter rationes graues contineatur. Conſtat autem *ex cap.* 5. *&* 6. licèt aſſenſus probabilis, & dubitatio ſint etiam metaphyſicè incompoſſibiles; at motiuum probabile non ita rapere intellectum ad aſſenſum, vt iſtum neceſſariò extorqueat, quin potius ſtante motiuo probabili poſſe intellectum in biuio hærere. Quoties accidit, vt vnius teſtimonio (motiuo probabili) non credamus, quia etſi graue motiuum ſit, grauiterque moueat, non tamen conuincit? Quæ ſuper hac æquiuocatione tanquam baſi potiſſima nituntur, quid mirum, quod facillimè corruant? 134.

Aſſenſus probabilis non ſtat cum dubitatione; ſtat tamen motiuum probabile.

Titulos ergo eius diſputationis tertiæ relegamus. Primus titulus eſt, vt ipſe ait, *Securiſſima quæſtionum reſoluendarum baſis.* Et nota quæſtiones de dubio, quas ibi proponit, eſſe vigintiquinque; & eam baſim ſolùm habere locum in ſex quæſtionibus, nempe, 1. 4. 5. 6. 7. & 15. 135.

Igitur hanc baſim ſtatuit: [Impoſſibile eſt, dari dubium, timorem, aut ſcrupulum, vbi ſuccurrit probabilitas, aut certitudo. Ex his ſemper ſuccurrit altera, vbi interuenit ſuperioris prudentis mandatum.] Sed quid eſt ſuperiorem eſſe prudentẽ? Subdit immediatè: [Prudentem omnem toleratum exiſtimo; non enim video ſtultos ad officia promoueri, (tranſeat) aut ſemel promotos tolerari; (tranſeat) aliud enim eſt, ſuperiorem eſſe minùs prudentem, aliud, & omnino diuerſum, eum eſſe imprudentem, hoc eſt, talem, cuius mandata debeant neceſſariò iniqua, & inconſiderata præſumi.] Sed qualis erit ille, cuius mandata, etſi non debeant neceſſariò, poſſint tamen cum fundamento, ſi non iniqua, inconſiderata præſumi? Sed tranſeat etiam hoc, & veniat ille ſub nomine prudentis. 136.

Probat ſuam baſin hoc ſyllogiſmo. [Impoſſibile eſt, dari dubium negatiuum, timorem, aut ſcrupulum, 137.

ſcrupulum, ſeu dubium poſitiuum, vbi grauis ratio, aut grauis authoritas ſtat pro vna contradictionis parte: atqui prudentis ſuperioris authoritas, & reſolutio grauis eſt: ergo eſt impoſſibile dari dubium, timorem, ſcrupulum, vbi interuenit mandatum prudentis ſuperioris.] Additque immediatè: [Hanc euidentiſſimam doctrinam poſui vt baſin; quæſtiones plurimas, quæ hucuſque viſæ difficiles, reſoluturus.]

138. *Stat dubium cum ratione graui.* Sed primò neganda eſt maior ſyllogiſmi, quam eſſe falſam, *cap.* 5. demonſtratum eſt; cùm motiuum graue non certum nullatenus cogat intellectum ad aſſenſum, ſed permittat in illo ſuſpenſionem aſſenſûs.

139. *Ratio probabilis poteſt proponi Petro vt leuis.* Secundò. Quid ſi ipſum motiuum in ſe graue, proponatur Petro vt leue? nonne poterit dubitare? Motiua credibilitatis Fidei Diuinæ ſunt euidentia; & tamen cùm talia ſint, proponuntur multis vt incerta, nempe illis, qui myſteria Fidei vel non credunt, vel dubitant: ergo quamvis illud motiuum graue ſit, poterit ſubdito proponi vt leue.

140. *Rudis nõ diſcernit inter grauem, & leuem.* Tertiò. Quid ſi ratione ſuæ inſcitiæ, vel ſtoliditatis, neſciat diſcernere inter motiuum graue, & leue? Numquid mens ſic diſpoſita dubitare non poterit?

141. *Ratio grauis poteſt non occurrere: ideò tunc poteſt dubitari.* Quartò. Quandoque enim pro aliqua concluſione dantur rationes optimæ, non modò probabiles, ſed & euidentes; quæ tamen mihi non occurrunt, præcipuè in caſibus ſubitò contingentibus. Quando autem illæ non occurrunt, reſpectu mentis meæ idem eſt, ac ſi nuſquam ſint. Ergo ſi illa ratio mihi non occurrat, potero dubitare. Quomodo ergo caſus dubitationis dicitur impoſſibilis? tunc enim poſſibilis eſt dubitatio, quando poteſt fieri, quod non occurrat ratio, quæ intellectum determinet ad aſſenſum: atqui poteſt fieri, quod ea ratio non occurrat: ergo poſſibilis eſt caſus dubitationis. Videamus ergo cæteras quæſtiones ſuper hac baſi innitentes.

ARTICVLVS II.

Quatuor eius ordinis quæſtiones diſcuſſæ.

142. *An dubitans de iuſtitia belli, poſſit bellare?* NVm. 1407. ſic quæſtionem proponit. [An miles dubitans de iuſtitia belli, poſſit bellare?] circa quam tres ſententias proponit, affirmatiuam, negatiuam, & diſtinguentem inter militem ſubditum, & non ſubditum. Additque *num.* 1408. [At ego nego, caſum eſſe poſſibilem, quia totius Reipublicæ & Conſilij ſupremi authoritas grauis eſt, qua cum, vt vidimus, nec dubium, nec timor, nec ſcrupulus componi poſſunt. *Negat dubij poſſibilitatem.*

143. *Hoc dubium multis modis eſt poſſibile. Ratio grauis non cogit ad aſſenſum. Vbi doctiores dubitant, à fortiori indocti.* Aſſero vt certiſſimum, caſum dubitantis militis multis modis eſſe poſſibilem. Primò. Quia ea authoritas non cogit intellectum ad aſſenſum, cum non ſit ratio euidens. Secundò. Nam doctiores ſunt Authores proponentes dubium, aut tuentes negatiuam ſententiam, quàm milites bellantes: ſed prædictis Authoribus non occurrit ea ratio, vel non propoſita eſt illis tanquam probabilis: ergo poterit non occurrere militibus bellantibus, aut non apparere probabilis.

144. *Antequàm illa ratio occurrat, neceſſariò dubitatur.* Tertiò. Quia ea ratio probabilis non naſcitur cum intellectu, ſed ſucceſſiuè aduenit: ergo antequam illa ratio adueniat intellectui, poterit intellectus militis dubitare. Conſequentia paret: nam ſi ea vnica ratio eſt, quæ amouet dubitationem, antequam illa adueniat intellectui militis, nulla penitus ratio erit, quæ dubitationem amoueat.

145. *Miles rudis rationem grauem putat leuem.* Quartò. Quia miles, homo rudis, poterit putare, eam rationem eſſe leuem. Nonne cadit hoc in hominem rudem, qui certa cum incertis confundit, nedum probabilia cum leuibus?

146. Sed ſubdit immediatè: [Addo, hoc ipſum Authores vniuerſos ſentire, tametſi videantur verbis laborare. Nam Diana pro prima ſententia hanc rationem adducit. Dum de iniuſtitia belli non conſtat, ſemper eſt præſumendum, quod bellum indicens, iuſtè procedat. Infero: ergo hæc præſumptio grauis eſt. Et quia grauiſſima, ex cauſa leui (bellum) geri non poteſt. Ergo Authores primæ ſententiæ, cùm reſoluunt, tollunt caſum, & nobis apertè ſubſcribunt.]

147. Sed in primis vacillare videtur ea conſequentia: *Diana id dicit: ergo ita ſentiunt vniuerſi.* Sed eſtò firma ſit, quia Diana putetur cum vniuerſis ſentire, aut loqui.

148. Secundò. Non tollunt caſum, qui poſt dubitationem adiiciunt conſultationem, & in conſultatione inueniunt rationem, per quam ipſa extinguatur dubitatio; alioqui nunquam dicerentur dubitauiſſe, qui in ſuis dubiis conſuluerunt viros doctos, à quibus acceperunt fundamenta probabilia, in quibus conſulentium animus quieuit. Ratio Caramuelis ad ſummum probat, poſſe in militibus extingui dubitationem ratione prudenti. Non probat, innaſcibilem eſſe dubitationem ante aduentum eius rationis prudentis. *Extinguibilis eſt dubitatio militis, non innaſcibilis.*

149. *Authoritas Principis eſt motiuum fallibile; ideò cum ea ſtat dubitatio.* Tertiò. Quia præſumptio grauis, ſi producat aſſenſum illum probabilem, excludit dubitationem, quia aſſenſus, & dubitatio non ſunt compoſſibiles. Cæterùm cum non cogat intellectum ad aſſenſum, poteſt intellectus adhuc illa ſtante ſuſpendere aſſenſum, & dubitare, eo quod videat motiuum eſſe fallibile.

150. Eodem modo vult trahere ad negandum poſſibilitatem dubitationis, rationem pro ſecunda ſententia allatam à Diana. Ideò eiſdem impugnationibus id aſſertum eſt debellandum. Alia ibi tangit in ea quæſtione 1. quæ non ſunt ad rem huius diſputationis.

151. Quæſtio ſecunda, & tertia non tractant de dubio, ſed de aliis ad milites pertinentibus; ideò hîc omittendæ fuerunt.

152. *An Miniſtri dubitantes de iuſtitia ſententiæ, poſſint, aut debeant exequi? Negat poſſibilitatem huius dubitationis.* Quæſtio quarta eſt *in num.* 1418. [An Miniſtri Principum, ſi dubitent de iuſtitia ſententiæ, poſſint, aut teneantur eam exequi?] Additque concluſionem: [Sed ego præmiſſis principiis inſiſtens, nego caſûs poſſibilitatem. Vbi enim eſt Principis authoritas, ibi grauis ratio, ſaltem ab extrinſeco, reperitur. Et vbi ratio, aut authoritas grauis, ibi nec dubium, nec timor, nec ſcrupulus.]

153. *Certum eſt, hoc dubium eſſe poſſibile.* Aſſero, certam eſſe ex dictis caſûs poſſibilitatem. Primò, quia ratio grauis non certa, vt non cogit intellectum, ita poteſt componi cum dubitatione. Secundò; nam vt poteſt ratio grauis componi cum iudicio temerario de parte oppoſita, ita à fortiori cum dubitatione. Vide *num.* 73. Tertiò, quia poteſt ratio grauis proponi vt leuis. Quartò, quia poteſt non occurrere menti. Quintò. Nam poteſt naſci dubitatio, antequam adueniat ratio grauis, & per rationem grauem deponi.

154. Quæſtio quinta, quam proponit *num.* 1419. hæc eſt: [An ſubditus dubius de legitima Prælati

 poteſtate,

Digitized by Google

ſuæ ſecuritatis maneat, libenter annuam: ſed id non eſt, quod dubium poſitiuum tranſeat in negatiuum; ſed quod dubium poſitiuum ſuperueniens tranſeat in non dubium, propter poſſeſſionem ſecuritatis antecedentem, quæ ex leuiuſcula ratione turbari non debet.

CAPUT VIII.

An in regimine conſcientiæ propriæ non dentur dubia negatiua, nec poſitiua?

129. Circa primam partem quæſtionis in titulo propoſitæ, Caramuel *in Theolog. fund. num.* 1902. vt retuli ſupra *cap.* 7. *num.* 118. ſic ait: [Cæterùm ſi agamus de regimine propriæ conſcientiæ, dico, non dari dubia negatiua: ſemper enim ſuccurrunt rationes aliquæ leues, aut graues, iuxta quas, actiones, & reſolutiones noſtras gubernare poſſimus.]

130. *Quoad regimen conſcientiæ, ſæpe dantur dubia negatiua.* Hæc aſſertio falſa eſt, & contra ipſam experientiam. Et ſi quidem loqueretur de hominibus doctis, & ingenioſis, aſſuetis in qualibet materia diſcurrere, faciliùs aſſentirer. At verò loquendo de rudibus, & indoctis, quibus in qualibet materia eſt maxima inopia diſcurſûs, & conſequentiæ, vnde iſti inuenient rationes in omni materia morali? Prætereà communiſſimum eſt, etiam ingenioſis, & diſcurſiuis, obliuionis cauſâ dubitare ſine vlla prorſus ratione pro parte affirmatiua, aut negatiua. Item communiſſimum eſt rudibus dubitare ex ſola iuris ignorantia. Dubitat Petrus homo rudis, an peccet hîc, & nunc, ex ſola inſcitia, qua neſcit, an ſit præceptum, necne.

131. *Dubia poſitiua dantur ſæpiſſimè.* Ad ſecundam quæſtionis partem reſpondet eodem *num.* 1902. [Addo, purum dubium poſitiuum vix dari; hoc eſt, vix eſſe caſum, in quo homo habeat aliquas rationes leues; nec tamen concomitanter aliquam certam, & probabilem, ſaltem ex prioris propoſiti poſſeſſione deſumptam. Licet enim interdum ſint aliquæ rationes leues, ſemper aliæ graues, & probabiles concomitantur.]

132. Id aſſertum eſſe falſum, conſtat primò. Eſt enim demonſtratum *cap.* 5. dari dubium poſitiuum, fluctuante intellectu inter rationes probabiles, quæ ex vtraque parte repræſentantur vt æquè probabiles: ergo quamvis dentur rationes leues, & graues ſimul, poteſt dari, & ſolet dubium poſitiuum. Conſtat ſecundò, quia licet in hominibus indoctis, & rudibus dentur rationes graues, & probabiles, ſæpiùs repræſentantur vt leues; quia quamvis occurrant eis rationes, quæ homines doctos conuincerent; illis tamen, qui vim conſequentiæ neſciunt, taliter repræſentantur, vt ad nullam cõtradictionis partem ſe determinent. Homines rudes, & indocti ne quidem intelligunt, quid ſit poſſeſſio prioris propoſiti; quomodo diiudicabunt, quando tali poſſeſſioni fidere poſſint? Vide quæ in ſimili latiùs proſequor *diſp.* 47. *cap.* 2. Argumenta autem quæ obiicit Caramuel, ſoluenda, & debellanda ſunt *diſp.* 46 *cap.* 2. *art.* 7. vbi latiùs de hac materia diſſerendum eſt.

CAPUT IX.

De caſibus, quos Doctores alij dubios, Caramuel dubij incapaces iudicat.

ARTICULUS I.

Baſis noui diſcurſus examinatur.

HVnc eumdem titulum habet Caramuel *lib.* 133.
3. *Theologiæ intentionalis*, præfixum diſputationi tertiæ, *num.* 1406. Scopum tituli exponit in proœmio præfatæ diſputationis ſic: [Multa quidem in dubium ſcriptores vertere conantur quotidie, quæ extra dubij aleam poſita, aut ad certitudinem, aut ad probabilitatem ſpectant. Dubitat (centies dixi) qui habet rationem leuem, nullamve; probabiliter iudicat, qui grauem; & iudicat certò, qui certam. Ergo dubium, probabilitas, & certitudo non poſſunt coincidere. Si rem benè conſideres, multa hîc ab Authoribus, & valde miſerè confuſa ſunt.]

Sanè valde miſerè confundit ille motiuum 134. *Aſſenſus probabilis non ſtat cum dubitatione, ſtat tamen motiuum probabile.*
probabile, & aſſenſum probabilem. Hunc enim incompoſſibilem eſſe cum dubitatione, ex dictis euidens eſt; ſicut & motiuum probabile cum dubitatione poſſe componi. Putabat Caramuel, non poſſe aſſignari ſufficiens diſcrimen inter probabilitatem, & dubium, niſi eos fines ita ſibi præſcribant probabilitas, & dubium, vt iſtud inter rationes leues, vel nullas; illa autem inter rationes graues contineatur. Conſtat autem *ex cap.* 5. *&* 6. licèt aſſenſus probabilis, & dubitatio ſint etiam metaphyſicè incompoſſibiles; at motiuum probabile non ita rapere intellectum ad aſſenſum, vt iſtum neceſſariò extorqueat, quin potius ſtante motiuo probabili poſſe intellectum in biuio hærere. Quoties accidit, vt vnius teſtimonio (motiuo probabili) non credamus, quia etſi graue motiuum ſit, grauiterque moueat, non tamen conuincit? Quæ ſuper hac æquiuocatione tanquam baſi potiſſima nituntur, quid mirum, quod facillimè corruant?

Titulos ergo eius diſputationis tertiæ relega- 135.
mus. Primus titulus eſt, vt ipſe ait, *Securiſſima quæſtionum reſoluendarum baſis.* Et nota quæſtiones de dubio, quas ibi proponit, eſſe vigintiquinque; & eam baſim ſolùm habere locum in ſex quæſtionibus, nempe, 1. 4. 5. 6. 7. & 15.

Igitur hanc baſim ſtatuit: [Impoſſibile eſt, 136.
dari dubium, timorem, aut ſcrupulum, vbi ſuccurrit probabilitas, aut certitudo. Ex his ſemper ſuccurrit altera, vbi interuenit ſuperioris prudentis mandatum.] Sed quid eſt ſuperiorem eſſe prudentẽ? Subdit immediatè: [Prudentem omnem toleratum exiſtimo; non enim video ſtultos ad officia promoueri, (tranſeat) aut ſemel promotos tolerari; (tranſeat) aliud enim eſt, ſuperiorem eſſe minùs prudentem, aliud, & omnino diuerſum, eum eſſe imprudentem, hoc eſt, talem, cuius mandata debeant neceſſariò iniqua, & inconſiderata præſumi.] Sed qualis erit ille, cuius mandata, etſi non debeant neceſſariò, poſſint tamen cum fundamento, ſi non iniqua, inconſiderata præſumi? Sed tranſeat etiam hoc, & veniat ille ſub nomine prudentis.

Probat ſuam baſin hoc ſyllogiſmo. [Impoſſi- 137.
bile eſt, dari dubium negatiuum, timorem, aut ſcrupulum,

Digitized by Google

ſcrupulum, ſeu dubium poſitiuum, vbi grauis ratio, aut grauis authoritas ſtat pro vna contradictionis parte: atqui prudentis ſuperioris authoritas, & reſolutio grauis eſt: ergo eſt impoſſibile dari dubium, timorem, ſcrupulum, vbi interuenit mandatum prudentis ſuperioris.] Additque immediatè: [Hanc euidentiſſimam doctrinam poſui vt baſin; quæſtiones plurimas, quæ hucuſque viſæ difficiles, reſoluturus.]

138. *Stat dubium cum ratione graui.* Sed primò neganda eſt maior ſyllogiſmi, quam eſſe falſam, *cap. 5.* demonſtratum eſt; cùm motiuum graue non certum nullatenus cogat intellectum ad aſſenſum, ſed permittat in illo ſuſpenſionem aſſenſûs.

139. *Ratio probabilis poteſt proponi Petro vt leuis.* Secundò. Quid ſi ipſum motiuum in ſe graue, proponatur Petro vt leue? nonne poterit dubitate? Motiua credibilitatis Fidei Diuinæ ſunt euidentia; & tamen cùm talia ſint, proponuntur multis vt incerta, nempe illis, qui myſteria Fidei vel non credunt, vel dubitant: ergo quamvis illud motiuum graue ſit, poterit ſubdito proponi vt leue.

140. *Rudis nõ diſcernit inter grauem, & leuem.* Tertiò. Quid ſi ratione ſuæ inſcitiæ, vel ſtoliditatis, neſciat diſcernere inter motiuum graue, & leue? Numquid mens ſic diſpoſita dubitare non poterit?

141. *Ratio grauis poteſt non occurrere: ideò tunc poteſt dubitari.* Quartò. Quandoque enim pro aliqua concluſione dantur rationes optimæ, non modò probabiles, ſed & euidentes; quæ tamen mihi non occurrunt, præcipuè in caſibus ſubitò contingentibus. Quando autem illæ non occurrunt, reſpectu mentis meæ idem eſt, ac ſi nuſquam ſint. Ergo ſi illa ratio mihi non occurrat, potero dubitare. Quomodo ergo caſus dubitationis dicitur impoſſibilis? tunc enim poſſibilis eſt dubitatio, quando poteſt fieri, quod non occurrat ratio, quæ intellectum determinet ad aſſenſum: atqui poteſt fieri, quod ea ratio non occurrat: ergo poſſibilis eſt caſus dubitationis. Videamus ergo cæteras quæſtiones ſuper hac baſi innitentes.

Articvlvs II.

Quatuor eius ordinis quæſtiones diſcuſſæ.

142. *An dubitans de iuſtitia belli, poſſit bellare?* *Negat dubij poſſibilitatem.* NVm. 1407. ſic quæſtionem proponit. [An miles dubitans de iuſtitia belli, poſſit bellare?] circa quam tres ſententias proponit, affirmatiuam, negatiuam, & diſtinguentem inter militem ſubditum, & non ſubditum. Additque *num.* 1408. [At ego nego, caſum eſſe poſſibilem, quia totius Reipublicæ & Conſilij ſupremi authoritas grauis eſt, qua cum, vt vidimus, nec dubium, nec timor, nec ſcrupulus componi poſſunt.

143. *Hoc dubium multis modis eſt poſſibile. Ratio grauis non cogit ad aſſenſum. Vbi doctiores dubitant, à fortiori indocti.* Aſſero vt certiſſimum, caſum dubitantis militis multis modis eſſe poſſibilem. Primò. Quia ea authoritas non cogit intellectum ad aſſenſum, cum non ſit ratio euidens. Secundò. Nam doctiores ſunt Authores proponentes dubium, aut tuentes negatiuam ſententiam, quàm milites bellantes: ſed prædictis Authoribus non occurrit ea ratio, vel non propoſita eſt illis tanquam probabilis: ergo poterit non occurrere militibus bellantibus, aut non apparere probabilis.

144. *Antequàm illa ratio occurrat, neceſſariò dubitatur.* Tertiò. Quia ea ratio probabilis non naſcitur cum intellectu, ſed ſucceſſiuè aduenit: ergo antequam illa ratio adueniat intellectui, poterit intellectus militis dubitare. Conſequentia patet: nam ſi ea vnica ratio eſt, quæ amouet dubitationem, antequam illa adueniat intellectui militis, nulla penitus ratio erit, quæ dubitationem amoueat.

Quartò. Quia miles, homo rudis, poterit putare, eam rationem eſſe leuem. Nonne cadit hoc in hominem rudem, qui certa cum incertis confundit, nedum probabilia cum leuibus? 145. *Miles rudis rationem grauem putat leuem.*

Sed ſubdit immediatè: [Addo, hoc ipſum Authores vniuerſos ſentire, tametſi videantur verbis laborare. Nam Diana pro prima ſententia hanc rationem adducit. Dum de iniuſtitia belli non conſtat, ſemper eſt præſumendum, quod bellum indicens, iuſtè procedat. Infero: ergo hæc præſumptio grauis eſt. Et quia grauiſſima, ex cauſa leui (bellum) geri non poteſt. Ergo Authores primæ ſententiæ, cùm reſoluunt, tollunt caſum, & nobis apertè ſubſcribunt.] 146.

Sed in primis vacillare videtur ea conſequentia: *Diana id dicit: ergo ita ſentiunt vniuerſi.* Sed eſtò firma ſit, quia Diana putetur cum vniuerſis ſentire, aut loqui. 147.

Secundò. Non tollunt caſum, qui poſt dubitationem adiiciunt conſultationem, & in conſultatione inueniunt rationem, per quam reipſa extinguatur dubitatio; alioqui nunquam dicerentur dubitauiſſe, qui in ſuis dubiis conſuluerunt viros doctos, à quibus acceperunt fundamenta probabilia, in quibus conſulentium animus quieuit. Ratio Caramuelis ad ſummum probat, poſſe in militibus extingui dubitationem ratione prudenti. Non probat, innaſcibilem eſſe dubitationem ante aduentum eius rationis prudentis. 148. *Extinguibilis eſt dubitatio militis, non innaſcibilis.*

Tertiò. Quia præſumptio grauis, ſi producat aſſenſum illum probabilem, excludit dubitationem, quia aſſenſus, & dubitatio non ſunt compoſſibiles. Cæterùm cum non cogat intellectum ad aſſenſum, poteſt intellectus adhuc illa ſtante ſuſpendere aſſenſum, & dubitare, eo quod videat motiuum eſſe fallibile. 149. *Authoritas Principis eſt motiuum fallibile; ideò cum ea ſtat dubitatio.*

Eodem modo vult trahere ad negandum poſſibilitatem dubitationis, rationem pro ſecunda ſententia allatam à Diana. Ideò eiſdem impugnationibus id aſſertum eſt debellandum. Alia ibi tangit in ea quæſtione 1. quæ non ſunt ad rem huius diſputationis. 150.

Quæſtio ſecunda, & tertia non tractant de dubio, ſed de aliis ad milites pertinentibus; ideò hîc omittendæ fuerunt. 151.

Quæſtio quarta eſt *in num.* 1418. [An Miniſtri Principum, ſi dubitent de iuſtitia ſententiæ, poſſint, aut teneantur eam exequi?] Additque concluſionem: [Sed ego præmiſſis principiis inſiſtens, nego caſûs poſſibilitatem. Vbi enim eſt Principis authoritas, ibi grauis ratio, ſaltem ab extrinſeco, reperitur. Et vbi ratio, aut authoritas grauis, ibi nec dubium, nec timor, nec ſcrupulus.] 152. *An Miniſtri dubitantes de iuſtitia ſententiæ, poſſint, aut debeant exequi? Negat poſſibilitatem huius dubitationis.*

Aſſero, certam eſſe ex dictis caſûs poſſibilitatem. Primò, quia ratio grauis non certa, vt non cogit intellectum, ita poteſt componi cum dubitatione. Secundò; nam vt poteſt ratio grauis componi cum iudicio temerario de parte oppoſita, ita à fortiori cum dubitatione. Vide *num.* 73. Tertiò, quia poteſt ratio grauis proponi vt leuis. Quartò, quia poteſt non occurrere menti. Quintò. Nam poteſt naſci dubitatio, antequam adueniat ratio grauis, & per rationem grauem deponi. 153. *Certum eſt, hoc dubium eſſe poſſibile.*

Quæſtio quinta, quam proponit *num.* 1419. hæc eſt: [An ſubditus dubius de legitima Prælati 154.

Digitized by Google

An ſubditus dubius de poteſtate Prælati poſſit non obedire? Negat poſſibilitatem dubij.

poteſtate, poſſit non obedire?] Cui ſic ſatisfacit: [Reſpondeo negando, caſum eſſe poſſibilem, quia ſi ille eſt in poſſeſſione, & toleratur, habet pro ſua authoritate, & iuriſdictione grauem, & probabiliſſimum titulum, qui omne dubium excludat.

155. *Hoc dubium eſt poſſibile.*

Sed ea concluſio eodem tramite incedit, ac præcedens; ideò eiſdem inſtrumentis conuincenda.

156. *Subditus dubius, an liceat res præcepta, debeatne obedire? Negat dubium. Sed admittendum.*

Quæſtio ſexta eſt, quam proponit *num.* 1421. [Vtrum ſubditus, ſi dubitet, an res præcepta ſit licita, teneatur obedire?] Negat dubitationem eſſe poſſibilem, ob eandem rationem, ac in præcedentibus. Sed euidens eſt, dubitationem eſſe poſſibilem, propter eaſdem rationes, ac in præcedentibus.

Articvlvs III.

Criſis quæſtionis ſeptimæ.

157. *An debeat ſubditus obedire, cùm ſuperior dubitat?*

QVæſtio ſeptima, quam proponit *n.* 1423. eſt: [An teneatur obedire ſubditus cùm ipſemet ſuperior dubitat?] Pro parte affirmatiua citat P. Caſtro Paulum *tom.* 1. *tract.* 1. *diſp.* 3. *punct.* 13. *num.* 13. contra alios oppoſitum ſentientes. Sed P. Caſtro Palao diſtinguit. Nam vbi propoſuit *num* 11. quæſtionem hanc, [An caſu, quo ſuperior dubitet de re præcepta, ſitne licita, vel excedens limites ſuæ poteſtatis, teneatur ſubditus, ſciens talem dubitationem ei obedire?] Duas concluſiones proponit. Primam his verbis: [Si hoc dubium perſeuerat poſt factam diligentiam à Prælato de veritate inueſtiganda, verius eſſe debet, teneri ſubditum obedire.] Secundam, poſtquam propoſuit caſum *num.* 12. ſic: [Si nulla facta diligentia Prælatus dubius de honeſtate rei præceptæ, vel de exceſſu ſuæ iuriſdictionis, imperet;] *num.* 13. ſic ſtatuit: [Verius exiſtimo, in hoc caſu ſubditum non eſſe obligatum obedire, imò neque poſſe, ſi ipſe ſubditus etiam dubitet.

158. *Si vterque dubitat, an res liceat, & ſcit ſubditus dubitationem Prælati, vterque peccat.*

Sed acquieſcere non poſſum præiactis concluſionibus, & aliter diſtinguendum firmiter teneo. Dico primò, ſi Prælatus dubitet, an id, quod præcipit ſit licitum, an illicitum; & eodem dubio afficitur ſubditus, ſciens etiam ſui Prælati dubitationem, Prælatus iniquè præcipit, & ſubditus peccat obediendo; ſiue ante, ſiue poſt factam diligentiam ad deponendum dubium. Et ſuppono, neutri occurrere rationem probabilem ad deponendum dubium: v. g. dubitat Prælatus, an licitum ſit accipere duplicatum ſtipendium pro vno ſacrificio, an potiùs ſit mortaliter illicitum: & hoc dubio affectus, & ſuum dubium ſubdito inſinuans etiam dubitanti, imperat vt accipiat duplicatum ſtipendium pro vno ſacrificio; peccat lethaliter Prælatus imperando, & ſubditus obediendo.

159. *Operatur cū dubio practico Prælatus, qui dubius, an hoc ſit peccatum, id imperat.*

Probatur. Prælatus peccat mortaliter, ſi ipſe recipiat illud duplicatum ſtipendium, dubitans an ſit mortale, propterea quod operatur cum dubio practico: ergo in his circunſtantiis eſt peccatum mortale certum, illud ſtipendium duplicatum recipere. Sed in Prælato Eccleſiaſtico nulla eſt iuriſdictio præcipiendi peccatum mortale certum: ergo iniquè præcipit in eo caſu.

160. *Prælatus caret poteſtate præcipiendi, vt quis operetur cùm dubio practico.*

Confirmatur. Prælatus non habet iuriſdictionem præcipiendi ſubdito, vt operetur cum dubio practico: ſed in iis circunſtantiis præcipit ſubdito, vt operetur cum dubio practico: ergo nullam ad id iuriſdictonem habet. Probatur minor: nam ſubditus pro ſe habet dubium practicum; dubitat enim, an id ſit grauiter illicitum: nec poteſt deponere dubium ex imperio, quod aſſociari videt cum eodem dubio practico.

161. *Si vterque dubitat de iuriſdictione, ſubditus debet obedire, iuxta communem ſententiam.*

Dico ſecundò. Si Prælatus dubitat, an res præcepta excedat limites ſuæ iuriſdictionis, & ſubditus dubitet etiam, ſciens Prælati dubitationem, iuxta communem ſententiam iſte obedire tenetur. Abſtrahit concluſio à circunſtantiis, in quibus res præcepta ſit in damnum ſubditi, vel alterius tertij. Probatur: nam ob ſolum dubium ſpeculatiuum ſpoliari nequit Prælatus poſſeſſione præcipiendi.

162. Hinc conſtat, falſum eſſe, quod ibi aſſerit Caramuel his verbis: [Si ipſe ſuperior dubitet de æquitate materiæ, aut de iuriſdictione ſua circa talem materiam, & aliæ rationes non ſuppetant, poterit legitimè illam præcipere: ipſe enim eſt in poſſeſſione iubendi, nec debet ab illa ante certam limitationem excidere. Sed & ſubditus eſt in ſuæ libertatis poſſeſſione, qua non niſi certa poteſt obligatione priuari.]

163. *Aſſertio Caramuelis falſa.*

Conſtat, inquam, id eſſe falſum, ſi dubium ſit de æquitate materiæ; id enim eſt dubium practicum. Neque ipſe eſt in poſſeſſione iubendi, vt ſubditus operetur cum dubio practico. Si autem dubium ſit de exceſſu iuriſdictionis, non vacat modò vtramque eius concluſionem diſcutere, ſiue ex parte ſubditi, ſiue ex parte Prælati. Vide *diſp.* 16.

164. *Non poſſe dubitare ſuperiorem de ſua poteſtate, ſi ſit toleratus, ait Caram.*

Vt ergo ad ſcopum huius capitis accedam, aſſerit Caramuel, [Repugnare, ipſummet ſuperiorem, ſi toleretur, de ſua iuriſdictione dubitare. Quia poſſeſſio, & toleratio ſunt graues tituli, qui poſſunt conſtituere probabilitatem, quamdiu nec in euidentiam, nec in fidem impingant.] Sed de qua iuriſdictione non poteſt dubitare? Sanè de ea, de qua immediatè ſubdit: [Secundò, ſi ipſe ſuperior dubitet de æquitate materiæ, aut de iuriſdictione ſua circa talem materiam,] &c.

165. *Dubitans ſuperior de æquitate materiæ, certus eſt de carentia iuriſdictionis ad illam.*

Sanè cùm dubitat de æquitate materiæ, nempe, an illa ſit lethaliter illicita; ſi dubitare non poteſt de ſua iuriſdictione, id eſt, quia manifeſtè impingit in euidentiam de non iuriſdione. Nam, vt conſtat ex dictis, non habet iuriſdictionem ad præcipiendam operationem ſub dubio practico exercendam, quia id eſſet habere iuriſdictionem ad ea, quæ ſunt certò illicita, imperanda.

166. Secundò adhuc dubitare poteſt de iuriſdictione ad illud ita imperandum; nempe ante quàm menti eius occurrat prædicta euidentia.

167. *Dubitare poteſt Superior de ſua iuriſdictione.*

Tertiò dubitare poteſt, an ſuæ iuriſdictionis ſphæra protendatur ad talem ſingularem materiam: quia ratio probabilis componitur cum dubitatione, vt conſtat ex dictis. Quartò, quia ea dubitatio poteſt occurrere ante aduentum eius rationis probabilis. Quintò, quia ratio probabilis poteſt eius intellectui proponi vt leuis. Quæ ex dictis manifeſtè conſtant.

Articvlvs IV.

Quæſtio octaua ad criſim vocatur, circa eum, qui dubitat de valore matrimonij bona fide contracti.

168. HAnc propoſuit ibid. *n.* 1424. [An qui bona fide matrimonium contraxit, & poſteà dubitat de contractûs valore, poſſit reddere, & petere

Digitized by Google

Negat dubitationis poſſibilitatem.

petere debitum ?] Et poſtquam retulit ſententias, & Authores, ait : [At nos plus rationi, quàm authoritati deferendo, ſtamus noſtris principiis, & casûs poſſibilitatem negamus.

Infero : Ergo hucuſque inauditum eſt in or-
169. be terrarum, quod aliquis coniux pro ſecuritate conſcientiæ conſuluerit Theologos ſuper hac re. Nam vel aliquis coniux vnquam dubitauit ſuper hac materia, vel nullus dubitauit ? Si ſecundum dicas, ſi nullus dubitauit, nullus indiguit conſultatione pro ſecuritate conſcientiæ: qui non enim non dubitat, non timet periculum; & qui timet periculum, non proſpicit ſecuritati. Mentiuntur ergo omnes Theologi, qui dicunt, ſe à coniugibus conſultos pro horum conſcientiæ ſecuritate. Mentior & ego mihi ipſi, dum ſcio, quemdam Hiſpalenſem ciuem conſuluiſſe me pro ſecuritate ſuæ conſcientiæ, dum dubitaret de valore ſui matrimonij, quod bona fide contraxit Si verò primum dicas, nempe aliquos coniuges ſuper hac re dubitaſſe : ergo negat Caramuel poſſibilitatem casûs qui contingere ſolet: ergo caſus iſte eſt ſimul impoſſibilis, & contingens.

Experientia facit euidentiam huius dubitationis poſſibilis.

170. Nec ſatisfacies, ſi interpreteris mentem Caramuelis, dicendo, eum negare poſſibilitatem dubitationis prudentis.

Reſponſio.

171. Nam ſiue dubium oriatur prudenter, ſiue imprudenter, Authores reſoluunt, quid faciendum in eo dubio, qualecumque illud ſit. Tum quia homines rudes neſciunt diſtinguere, an ſua dubitatio ſit prudens, an imprudens. Tum etiam quia etſi imprudenter oriatur dubitatio de valore matrimonij, Authores reſoluunt, qualiter poſſit coniux petere, aut debeat reddere debitum. Malè ergo Caramuel arguit Authores, quòd cùm hos caſus dubitationum poſſibiles admittunt, multa ab illis valde miſerè confundantur: cùm potiùs tota hæc lis ab eo cum magnis Authoribus inita, nitatur omninò in eo, quod ille confundat rationem probabilem cum aſſenſu probabili; & velit, quod ſicut aſſenſus probabilis repugnat cum dubitatione, ita & cum hac repugnet motiuum probabile: cuius oppoſitum clariſſimè oſtenſum eſt *cap.* 5.

Reiicitur.

172. Dat rationem impoſſibilitatis caſus, & dubitationis *num.* 1425. ſic : [Ille dubitat negatiuè, inquam, qui nullam habet rationem aſſerendi, nullam negandi : ille poſitiuè, qui habet aliquam, leuem tamen. (O quantum graſſatur vniuerſalis poſitio æquiuocatione ſubnitens.) Atqui coniux, qui contraxit bona fide, habet rationem grauem aſſerendi, matrimonium eſſe validum : igitur nec poſitiuè, nec negatiuè poterit dubitare.] Sed quid, ſi neſciat diſcernere, an ratio ſit leuis, an potiùs grauis ? Quid, ſi ignoret, poſſeſſionem matrimonij bona fide contracti eſſe rationem grauem, vt probabiliter iudicet, fuiſſe validum ? Quid, ſi occurrente ratione dubitandi de valore matrimonij, tam poſſeſſio matrimonij, quàm ratio dubitandi contra matrimonij valorem, ſibi proponantur vt leues; ita vt ex neutro latere rationem inueniat ſua exiſtimatione grauem, qua poſſit à dubitatione euadere ? Nonne in his omnibus caſibus poſſibile eſt, quod dubitet.

Multis modis poteſt dubitari de valore matrimonij bona fide initi.

173. Sed audiamus vlteriorem diſcurſum, quem immediatè ſubiicit; eget enim magno examine. Nullo enim modo meliùs comperiemus falſitatem eius poſitionis vniuerſalis, quàm ſi ea cogat Authorem ſuum ad aliqua ſecum mutuò pugnantia adſtruenda. Sic procedit vlterius: [Quamdiu igitur non conſtet euidenter, matrimonium fuiſſe inualidum, prudenter credet validum, [& inualidum diceret imprudenter. Cùm igitur ſciat, ſe bona fide proceſſiſſe, cenſendus eſt, eſſe in poſſeſſione legitima, & poſſe vti ſuo iure, nempe petendi, & reddendi debitum (hi termini *ſuo iure*, & *reddendi debitum*, mutuò repugnant : nemo coniux habet ius reddendi, ſed debitum) quouſque conſtet euidenter contrarium. Si contra quietam poſſeſſionem rationes leues occurrant, vt ſcrupuli reiiciendæ ſunt ; nam inquiſitio in materia graui res grauis eſt, nec ex leui cauſa inſtituenda.]

Ait, matrimonium bona fide initum dum non eſt euidens nullitas, credendum validũ, & improbabiliter dici inualidum.

Itaque aſſerit, poſſeſſionem matrimonij bona fide initi eſſe motiuum graue pro valore matrimonij aſſerendo; ideóque dum non conſtat euidenter de nullitate matrimonij, prudenter credere debere coniugem, eſſe validum, foreque imprudentem, ſi credat nullum. 174.

Infero : ergo ſi ſtante poſſeſſione matrimonij 175.
bona fide initi, contra valorem matrimonij occurrat ratio grauis, & æquè probabilis, aut ferè, ac poſſeſſio, non poteſt ſe accommodare iſti ſecundæ rationi probabili, ſed contra iſtam ſecundam rationem probabilem præualebit probabilitas poſſeſſionis. Ergo vbi ſunt pro vtraquè parte rationes æquè probabiles, aut ferè æquè, non adeſt libertas electionis, ſed vna earum libertatem conſtringit : quod eſt contra id, quod de probabilitate centies repetit Caramuel. Vtraque conſequentia eſt euidens ex ea periodo. Nam *quamdiu non conſtet euidenter, matrimonium fuiſſe inualidum, prudenter credet validum, & inualidum diceret imprudenter.* Sed quamdiu ſunt rationes dumtaxat probabiles pro nullitate matrimonij, non conſtat euidenter, matrimonium fuiſſe inualidum : ergo quamdiu ſunt rationes dumtaxat probabiles pro nullitate matrimonij, prudenter credendum eſt eſſe validum ; & imprudenter credetur eſſe inualidum. Atqui implicat contradictionem, eſſe rationes probabiles (quæ prudentes ſunt) pro nullitate matrimonij, & imprudenter credi nullitatem : ergo manifeſtè implicat terminos illa periodus, cùm dicit imprudenter credi nullitatem, dum non conſtat euidenter de nullitate : nam ſi conſtet probabiliter nullitas, non credetur imprudenter nullitas, ſed prudenter.

Nunquid poſſeſſio matrimonij præualet contra omnem rationem probabilem oppoſitam ?

Ad hominem.

Vrgeo. Nemo poteſt dicere imprudenter, ma- 176.
trimonium eſſe inualidum, niſi ſit improbabile, illud eſſe inualidum : ſed dum eſt probabilitas nullitatis, non eſt improbabile, eſſe inualidum: ergo dum eſt probabilitas nullitatis, non dicitur imprudenter, eſſe inualidum. Sed vbi non conſtat euidenter, matrimonium fuiſſe inualidum, poteſt dari probabilitas nullitatis : ergo vbi non conſtat euidenter matrimonium fuiſſe inualidum, poteſt fieri, quod non dicatur imprudenter, eſſe inualidum. Vide ergo, quo iure dixerit Caramuel: [*Quamdiu non conſtet euidenter matrimonium fuiſſe inualidum, prudenter credet validum, & inualidum diceret imprudenter.*] Et nota, me non loqui hîc in dubio facti, in quo vnum fundamentum deſtruitur per alterum, ſi tamen vtrumque ſit æquè probabile, vt conſtat ex ſuprà dictis, *cap.* 6. & *ex diſp.* 26. *cap.* 6.

Secundò, quia paulò poſt, ſcilicet *num.* 1432. 177.
concluſione 3. ſic aſſerit : [Si occurrat ratio fortis (contra valorem matrimonij) non tamen euidens,

Digitized by Google

euidens, tunc erit probabile matrimonium: & quia probabilitas neminem neceſſitat, poterit ſequi alterutram partem, ſtando foro merè interno, & abſtrahendo ab omni lege humana. Conſultò humanæ legis memini, quia in Republica, vbi datur lex, vt nemo, antequam conuincatur per ſententiam iudicis, à poſſeſſione detrudi poſſit; qui in tali Republica habitant, videntur compromittere, & legem acceptare; adeóque in tali caſu coniux non poterit coniugem à domo dimittere ob meram probabilitatem.]

178. *Numquid cõponuntur illæ duæ periodi Caramuelis?*

Sed numquid componuntur hæc cum eo, quod ſtante poſſeſſione matrimonij, quamdiu non conſtet euidenter nullitas, imprudens erit, qui credat nullitatem matrimonij. Etenim dum dicitur, imprudenter credi nullitatem matrimonij, ni conſtet euidenter nullitas, ſimul dicitur, imprudenter credi nullitatem matrimonij, ſi adſit ratio probabilis contra valorem matrimonij. Et dum dicitur, ſi occurrat ratio probabilis contra valorem matrimonij, matrimonium manere probabile pro vtraque parte, & poſſe coniugem liberè ſequi alterutram partem; dicitur, poſſe ſtare probabiliter, & prudenter pro nullitate, etſi non conſtet euidenter de nullitate. Videtur ergo deprehendi in iis duabus periodis manifeſta contradictionis implicatio.

179. Tertiò: nam paulò poſt, ideſt *num.* 1440. ſic ait: [Hæc poſitio, *In probabilibus ſtandum neceſſariò pro poſſeſſione*; falſa eſt Ratio eſt, quia non tenemur facere meliora, ſed bona: & tametſi etiam in probabilibus melior ſit conditio poſſidentis, poſſumus, ni lege obligatoria impediamur, ſtare pro non poſſidente, cuius conditio, tametſi non ſit melior, eſt tamen bona.] Infero: ergo ſi pro valore matrimonij ſit poſſeſſio, & contra valorem matrimonij ſit ratio probabilis, non eſt neceſſariò ſtandum pro poſſeſſione: ſed quando eſt ratio probabilis contra valorem matrimonij, non conſtat euidenter de inualiditate matrimonij: ergo non eſt neceſſariò ſtandum pro poſſeſſione matrimonij, dum non conſtat euidenter de inualiditate matrimonij.

180. Ratio, quam in ea periodo adducit, videtur pugnare contra principium certiſſimum de poſſeſſione. Nam in pari cauſa ſtandum eſſe pro conditione poſſidentis, certiſſimum eſt. Sed quare, niſi quia iura clamant in pari cauſa meliorem eſſe conditionem poſſidentis? Si ergo non tenemur ſequi meliora, ſed bona, poterimus dicere, in pari cauſa meliorem eſſe conditionem poſſidentis; adhuc tamen non ſtandum eſſe in dubio pro poſſidente, quia non tenemur facere meliora, ſed bona. Vnde ex eo textu, quod *in pari cauſa melior eſt conditio poſſidentis*; nihil probabitur pro iure poſſeſſionis in dubio.

181. Quando autem dicitur, quod *in probabilibus melior eſt conditio poſſidentis*; ſi probabile eſt, quod non obſtante poſſeſſione, ille, qui non poſſidet, habet ius ad illam rem; reſpondendum eſt, eſſe probabile, quod tunc non eſt melior conditio poſſidentis.

Quo ſenſu dicatur melior conditio poſſidentis?

Quando enim iura dicunt, meliorem eſſe conditionem poſſidentis, non intelligunt *melius*, pro eo quod eſt perfectius, ſed pro eo quod eſt ſuperius, ſiue ſuperans reipſa actionem alterius.

182. Alia aſſertio Caramuelis.

Procedit immediatè *eo num.* 1425. ſic: [Si occurrant graues (contra valorem matrimonij) non derogabunt iuri adquiſito bona fide, ſed inducent obligationem inquirendi veritatem, ſi inuenibilis certò credatur. Nam ſi res obſcura ſit, nec maior claritas haberi poſſit, nihil inquirendum eſt: nam qui luce caret, quamdiu ſcit, ſe eſſe in altis tenebris conſtitutum, & videre non poſſe, non tenetur oculos aperire. Si adſit certa inueniendæ veritatis ſpes, tenebitur diſquiſitionem facere.

183. Debellatur.

In qua periodo duo continentur clariſſimè repugnantia. Primum, quod ſi exiſtat ratio grauis pro valore matrimonij, & ratio grauis pro nullitate matrimonij, adeſt obligatio inquirendi veritatem. Infero: ergo inter rationes vtrimque graues pro nullitate, & pro valore matrimonij datur dubitatio. Patet conſequentia. Etenim non eſt obligatio inquirendi veritatem, vbi non eſt dubitatio, aut dubitabilitas: ſed inter rationes vtrimque graues, & vtrimque probabiles datur obligatio inquirendi veritatem: ergo inter rationes vtrimque graues, & vtrimque probabiles datur dubitatio, ſiue dubitabilitas. Ergo ex ipſius principiis cadit ea vniuerſaliſſima poſitio, quod vbi adſunt rationes graues, exulat omne dubium. Adiunge hoc argumentum propoſitis *cap.* 5.

184. Deinde: nemo tenetur quærere euidentiam, vbi habet veram, & practicam probabilitatem: ſed qui habet in eo caſu eas rationes vtrimque probabiles, ſecundum Caramuelem habet probabilitatem pro valore matrimonij: ergo non tenetur inquirere euidentiam de nullitate. Atqui euidens eſt, quod ille, qui habet vnum teſtem fide dignum de coniugum conſanguinitate v. g. in ſecundo gradu, tenetur inquirere veritatem eius conſanguinitatis: ergo illud conſequens illatum eſt falſum: ergo peccat antecedens in aliquo principio, cùm conſequentia rectè inferatur.

185. Secundum repugnantiæ caput contentum in illa periodo eſt, quod continetur in ea clauſula: [Inducent obligationem inquirendi veritatem, ſi inuenibilis certò credatur.] Et, [Si adſit certa inueniendæ veritatis ſpes.] Vnde fit, quod illæ rationes graues pro nullitate, non inducent obligationem inquirendi veritatem, ſi probabiliter credatur, eam inueniendam eſſe, & ſi ſit ſpes, non certa, ſed dumtaxat probabilis inueniendi illam. Atque adeò qui ab vno fide digno accepit, ſe eſſe conſanguineum ſuæ coniugis in ſecundo gradu, ſi probabiliter ſperet, & non certè, inuenire veritatem, non tenebitur inquirere, donec iudicium certum formet, ſe deprehenſurum eſſe veritatem. Quod, præter falſitatem, quam continet, eſt contra id, quod ipſe aſſerit *num.* 1445. [Poſſeſſor bonæ fidei, ſi occurrant motiua grauia, debet examinare, an fortè res illa ad alium pertineat, ſi putet, ſe poſſe veritatem aſſequi.] Putare autem apud ipſum, & apud omnes, non eſt certò credere, ſed probabiliter.

186. *An ſit ad rẽ exemplum tenebrarum?*

Sed videamus, quantum ſit ad rem exemplum tenebrarum. *Qui luce*, inquit, *caret*, *quamdiu ſcit, ſe eſſe in altis tenebris conſtitutum, & videre non poſſe, non tenetur oculos aperire.* Etenim vel ille, qui dumtaxat probabiliter credit, inueniendam eſſe veritatem, ſcit ſe eſſe in altis tenebris, vel non ſcit? Si primum dicas, implicas terminos: nam qui probabiliter cognoſcit, ſe viſurum, non ſcit, ſe eſſe in altis tenebris, & videre non poſſe, quia non componuntur probabilitas rei videndæ, & certitudo non videndæ. Si verò dicas ſecundum, nempe, quod ille, qui probabiliter credit, ſe viſurum veritatem, non ſcit ſe eſſe in altis tenebris pro veritate videnda, manifeſtum eſt,

quod

Digitized by Google

quod exemplum tenebrarum non eſt ad rem. Eſſet autem ad rem, ſi diceret, quod ille, qui probabiliter credit, ſe eſſe in luce, non tenetur oculos aperire, niſi ſciat, ſe eſſe in luce; ſicut aſſerit, quod qui probabiliter credit, ſe inuenturum veritatem, non tenetur inquirere, donec certò credat ſe inuenturum.

ARTICVLVS V.

Quid dicendum circa hoc genus dubij de valore matrimonij.

187. EX dictis articulo præcedenti patet, non ſibi conſtare eam doctrinam, quæ negat poſſibilitatem dubitationis in eo, qui bona fide matrimonium contraxit. Quare operæpretium eſt, aliquas poſitiones ſtatuere, & ex illis illationes deducere, quæ iuxta principia ſolida, & certa huic materiæ lucem afferant, & oppoſitas ratiocinationes infirment.

188. *Poteſt dari cauſa grauis dubitandi, etſi non detur ratio aſſerendi alterutrum.*

Prima. Poteſt dari cauſa grauis dubitandi, quamuis nulla detur ratio probabilis aſſerendi alterutram partem contradictionis. Oſtendo. Datur cauſa grauis dubitandi in eo, qui ſemel in dubio conſtitutus, non inuenit motiuum probabile, aut certum, quo in alteram partem præſtet aſſenſum. Nulla enim maior cauſa dubitandi, quàm impoſſibilitas vincendi dubium, quod præſupponitur mentem occupans. V. g. dubito, an Turca dormiat, an non dormiat; & ad id habeo magnam cauſam dubitandi, quia eo ipſo, quod pro neutra parte contradictionis inuenio rationem probabilem, non eſt modus euadendi dubium; idque eſt in cauſa, quare non poſſim non dubitare.

189. *Cũ pro vtraque parte ſunt rationes leues, eſt ingens cauſa dubitandi.*

Et ideò quoties vtrimque ſunt rationes leues, illæ quidem leues ſunt ad eliciendum aſſenſum in alterutram partem, ſunt tamen graues, & grauiſſimæ ad dubium retinendum, vt oſtendi *cap. 7. num.* 122. Ideóque quoties vtrimque ſunt rationes dumtaxat leues, eſt magna cauſa dubitandi. Et idem eſt, ſi vtrimque nullæ rationes appareant.

190. *Dupliciter poſſeſſio eſt ratio grauis pro valore actûs.*

Secunda. Cùm dicitur, poſſeſſionem bonæ fidei eſſe rationem grauem, & probabilem pro valore actûs, dupliciter poteſt intelligi. Primò, ita vt ea poſſeſſio ſit coniectura probabilis, ex qua colligatur, actum fuiſſe validum. Secundò, ita vt ea poſſeſſio probet, hominem non debere ſpoliare ſeipſum re poſſeſſa, donec conſtet de nullitate actus. Et idem eſt de poſſeſſione rei materialis, veſtis, domûs, equi, &c. Nam poſſeſſio bonæ fidei eſt coniectura probabiliter ſuadens, veſtem eſſe ſuam propriam poſſidentis. Deinde eſt ratio grauis (ni dicas euidentem) quod non tenetur poſſidens ſpoliare ſe veſte poſſeſſa, donec conſtet, eam eſſe alienam, ſcilicet præmiſſa debita diligentia.

191. *Poſſeſſio eſt coiectura probabilis pro valore actus.*

Ea præſumptio eſt conditionalis.

Primo ergo modo poſſeſſio matrimonij bona fide initi eſt coniectura probabiliter ſuadens valorem matrimonij, quatenus fundat præſumptionem pro valore eius. Hæc tamen præſumptio eſt quaſi conditionalis, nempe ſub ea conditione [ſi non adſit probatio grauis in contrarium.] Et quidem fœmina, quæ bona fide nupſit fratri illius, cum quo carnaliter copulata fuit, ſi audiat à fide digno, inualidum eſſe matrimonium cum affine ex copula illicita, cuius teſtimonio cum formidine credidit; iam non præſumit, ſuum matrimonium eſſe validum. Tum quia vna præſumptio tollitur per aliam, vt dicam *diſp.* 11. *num.* 282. Tum etiam quia teſtimonium vnius fide digni facit ſemiplenam probationem. Semiplena autem probatio vincit, & deſtruit præſumptionem in oppoſitum. Si enim fortior præſumptio vincit, & tollit præſumptionem debiliorem (vt tradunt communiter iuris Interpretes, *ex leg. Dinus, ff de reſtit. in integr.* & aliis iuribus; de quo videndi ſunt Baldus *conſil.* 398. *num.* 4. *lib.* 5. Petrus Surdus *conſil.* 80. *num.* 21. Tiraquel. *in leg. ſi vnquam. Cod de reuocatione donat. num.* 156. & plures alij apud Thuſcum *litt. P. concluſ.* 613.) à fortiori ſemiplena probatio vincit, & tollit præſumptionem; cùm ordinariè vna præſumptio non ſufficiat ad ſemiplenam probationem, ſed requirantur duæ, vt tradit Romanus *conſil.* 117. *col* 2 *verſ. aut enim fama.* quem refert, & ſequitur Thuſcus *litt. P. concluſ* 611. *Fortior præſumptio vincit debiliorem.*

Eſt autem ſimilis hæc præſumptio illi, qua homo præſumitur innocens. Etenim ſicut homo præſumitur innocens, niſi probetur oppoſitum; ita contractus matrimonij præſumitur validus, niſi probetur inualidus. Ea autem probatio, quæ tollit præſumptionem innocentiæ, non debet eſſe plena; ſatis enim eſt, quod ſit ſemiplena. Nam ſi ſtante ſemiplena probatione, v. g. teſtimonio vnius fide digni, adhuc ſtaret in ſuo robore præſumptio innocentiæ; poſito teſtimonio vnius fide digni, nec daretur ſemiplena probatio, nec poſſet reus tradi equuleo. Sicut ſi pro innocentia ſtaret vnus teſtis, & pro delicto alter æqualis fidei, cauſa eſſet dubia, nec ſemiplenè probata; ita ſi pro innocentia ſtaret præſumptio, & pro delicto vnus teſtis, qui, licèt probabiliter fide dignus, non minueret præſumptionem, cauſa remaneret omninò dubia, cum illa præſumptio ad ſummum remaneret ad inſtar vnius teſtis. Dixi, *ad ſummum*: nam, vt dixi ex mente Iuriſprudentium, duæ præſumptiones communiter requiruntur ad ſemiplenam probationem, nec ordinariè ſufficit vna. 192. *Præſumptio innocentiæ amittitur per ſemiplenam probationem contrariam.*

Tertia. In his quæſtionibus de dubio circa nullitatem, ſeu valorem matrimonij, poteſt intercedere dubium facti, vel dubium iuris. Dubium facti eſt, vt cùm quis dubitat, an ſit conſanguineus ſuæ coniugis. Dubium iuris eſt, vt cùm fœmina, quæ bona fide nupſit cum fratre ſui mœchi, dubitat, an valeat id matrimonium. 193. *Dubium de nullitate poteſt eſſe iuris vel facti.*

Quarta. Etſi præſumptio ſtans pro valore matrimonij bona fide initi non ſit quaſi conditionalis, nec minuatur (dato, & non conceſſo) per ſemiplenam probationem de nullitate, modo explicato; ſed perſeueret in toto ſuo robore, dicaturque eſſe æqualis virtutis ad probandum, ac ſemiplena probatio deſumpta ex teſtimonio fide digni; adhuc in quæſtione facti, ſtante ſemiplena probatione de nullitate, cauſa manet in ſtatu dubij. Ratio eſt, quia, vt patet ex *capite* 6. in quæſtione facti, quando ſunt motiua æquè probabilia pro vtraque parte, factum manet dubium. 194. Prænotatiò conditionalis.

Infero primò, dari poſſe veram dubitationem de valore matrimonij ex motiuis leuibus vtrimque concurrentibus. Caſus eſt, in quo coniugi occurrit ratio leuis pro nullitate, & ratio deſumpta à poſſeſſione matrimonij, vel ei, vtpote ignaro, non occurrit; vel ſi occurrit, intellectui eius proponitur vt valde leuis. Et idem eſt, quando impetitur dubitatione, antequam occurrat ei ratio à poſſeſſione deſumpta, vel aliqua alia grauis. Patet ex prima poſitione. Ille enim magnam habet cauſam dubitandi, qui non habet modum euadendi dubitationem, cum non poſſit illam euadere, 195. *Datur dubiũ de nullitate matrimonij ex motiuis vtrimque leuibus.*

dere, niſi præſtando aſſenſum alterutri parti. Cùm ergo vtrimque habeat rationes leues, & iſtæ inſufficientes ſint ad aſſenſum alterutrius partis, patet, eum non habere modum, quo à dubitatione egrediatur, dum illæ circũſtantiæ perſeuerant.

196. *Datur dubiũ de nullitate, inter rationes probabiles, cũ quæſtio eſt facti.*

Infero ſecundò: in quæſtione facti de valore matrimonij, v. g. cùm quis dubitat, an ſit conſanguineus ſuæ coniugis in ſecundo gradu, dari poſſe caſum dubitationis, etſi pro valore ſtet in ſuo robore præſumptio, & pro nullitate ſtet ratio æquè probabilis. Patet illatio ex quarta poſitione.

197. *Datur dubiũ de nullitate, inter rationes probabiles, etiam cùm quæſtio eſt iuris.*

Infero tertiò: in quæſtione iuris de valore matrimonij, v. g. cùm fœmina nupſit bona fide fratri ſui mœchi, aut ſui prioris coniugis, poteſt coniux dubitare de valore matrimonij, ſi audiens teſtimonium viri fide digni, illud teſtimonium accipiat vt motiuum graue, fallibile tamen, perſuadens nullitatem cum ſpe, vel timore comperiendi nullitatem. Ratio eſt, quia præſumptio valoris fundata in poſſeſſione tollitur in eo caſu, vt patet expoſitione ſecunda; & ideò in eo caſu non habet probabilitatem de valore. Ex parte verò nullitatis, etſi poſſit habere probabilem aſſenſum de nullitate, cùm tamen motiuum ſit fallibile, non cogitur intellectus ad aſſenſum; & ideò poteſt ſe continere in dubio, dum maius motiuum non accedit.

In hoc dubio tenetur inquirere.

198. *Alius caſus dubij de nullitate, inter rationes probabiles.*

Infero quartò: ſi coniux putet, præſumptionem fundatam in poſſeſſione matrimonij eſſe rationem grauem, & talem perſiſtere, & contra valorem matrimonij occurrat ratio grauis, quæ proponatur vt æquè probabilis, etiamſi ille valor pertineat ad quæſtionem iuris, poteſt dubitare de valore. Ratio eſt, quia vt probatum manet *cap. 5.* Poteſt intellectus dubitare inter rationes vtrimque probabiles.

199. *Alius caſus dubij de nullitate.*

Infero quintò: ſi coniux cognoſcat, eam præſumptionem, quam fundat poſſeſſio matrimonij, eſſe motiuum graue, & ei occurrat ratio leuis, hæc non eſt reputanda. Si tamen ob eam rationem dubitet, id erit, quia ea ratio denuò occurrens ſibi videtur ſufficiens ad dubitandum, atque adeo quia ſibi repræſentatur vt gravis; & ideo teneretur inquirere veritatem valoris, aut nullitatis, ſi haberet ſpem, vel timorem probabilem comperiendæ veritatis.

200. Ecce quot modis poſſibilis eſt caſus dubitationis, quem Caramuel putat impoſſibilem. In qua quæſtione multa proponit de ea quæſtione; An dubius de valore matrimonij poſſit petere, & reddere debitum: quæ quidem magno examine indigent. Quia tamen excedunt ſphæram huius diſputationis, ea in præſenti omitto, de quibus latè diſputo in volumine ſecundo; & ex parte in hoc, *diſp. 16 cap. 7.*

Articvlvs VI.

Tres aliæ quæſtiones de horologiis, de poſſeſſore bona fidei, & de poſſeſſore dubia fidei.

201. *An qui ex diſſonantibus horologiis dubitat de media nocte, poſſit, &c.*

NOnam quæſtionem ſic proponit *num.* 1434. [Si ſint duo, aut plura horologia, in quorũ vno inſonuerit duodecima noctis, at in altero nondum; inquiritur, an qui dubitat, vtrum melius regulatum ſit, poſſit comedere adhuc carnes die Iouis,] &c. Cui quæſtioni primariò reſpondet ſic: [Sentio, caſum eſſe impoſſibilem, ſi de horologiis bene gubernatis agatur; quia talia inducunt horam probabiliter: & quia graues cauſæ illis reguntur, creduntur habere grauem authoritatem: & vbi authoritas, aut ratio grauis exiſtit, dubium exulat.] *Negat dubiũ poſſibile.*

202. *Cùm diſſonãt horologia, poteſt dubitari de hora.*

Dico primò. Quando ex duobus horologiis bene regulatis vnum ſonat duodecimam, & alterum duodecimam cum dimidia, poſſumus dubitare, an ſit hora duodecima, àn duodecima dimidiata. Patet ex *c. 5.* Quia vbicumque ſunt rationes æquè probabiles pro vtraque parte, poteſt intellectus dubitare; quamvis non poſſit dubitare, quando habet aſſenſum probabilem ad alterutram partem: quia dubitatio cum aſſenſu non componitur, bene tamen cum motiuo probabili.

203. *Hora, in qua differunt horologia recta, non eſt probabilis, ſed dubia.*

Dico ſecundò. Cùm horologia ſunt æquè benè gubernata, in ea hora, in qua differunt, non poſſunt cauſare opinionem probabilem, ſed dubium. Patet *ex cap. 6.* & *ex diſp. 24. cap. 6.* eo quod motiua æquè probabilia in quæſtione facti non producunt probabilitatem, ſed dubium.

204. *Interueniente authoritate, datur dubiũ.*

Sed ſpecialiter notanda veniunt ea verba Caramuelis: [Creduntur habere grauem authoritatem; & vbi authoritas, aut ratio grauis exiſtit, dubium exulat.] Et inſtauro in iudicio Salomonis circa illas duas meretrices coram ipſo contendentes. Nam authoritas matris affirmantis, hunc eſſe filium ſuum, grauis eſt: ergo non erat dubius Salomon, ſed probabiliter poterat filium, cui mallet, adiudicare, ſi vbi authoritas, aut ratio grauis exiſtit, dubium exulat. Quod argumentum etiam inſtauro in quolibet iudicio, in quo Iudex habet vnum teſtem pro innocentia, & alterum æquæ fidei pro delicto: in quo caſu euidens eſt, Iudicem eſſe dubium, atque adeò non exulare dubium. Et ratio ex dictis *cap. 6.* eſt, quia in quæſtione facti probabilitas vnius partis minuit probabilitatem oppoſitæ.

Cætera, quæ in ea quæſtione 9. tangit Caramuel, ex profeſſo tractantur *diſp. 24.* 205.

206. *An poſſeſſor bonæ fidei, dubius, poſſit retinere rem? Negat dubij poſſibilitatem.*

Decimam quæſtionem proponit *num.* 1444. ſic: [Vtrum facta ſufficienti diligentia, an res ſit ſua, poſſit poſſeſſor bonæ fidei adhuc dubius illam retinere, & alienare?] Et ita primariò reſpondet: [At ego demonſtrabo, caſum eſſe impoſſibilem, ſi de vero dubio agatur: ratio enim, quæ à poſſeſſione, & bona fide ſumitur, grauis eſt; & grauis ratio nequit cum dubio (negatiuum, aut poſitiuum ſit) componi.] Sed quantum decipiatur Caramuel, putans demonſtrationem eam, quæ mera æquiuocatione ſubſiſtit, ex proximè dictis, & ex *cap. 5. & 6.* manifeſtè patet. In qua materia quid tenendum ſit, conſtat ex articulo præcedenti; ambæ enim materiæ ſunt omninò ſimiles.

207. *Poſſeſſor bonæ fidei ex rationibus vtrimque leuibus poteſt dubitare.*

Dicendum ergo eſt primò, poſſeſſorem bonæ fidei rationibus leuibus vtrimque circumuentum, neceſſariò dubitare debere; ſcilicet caſu quo poſſeſſionem reputet rationem leuem ad aſſerendum, rem eſſe ſuam vero titulo proprietatis; & alia ratio leuis occurrat leuiter ſuadens eſſe alienam. Patet ex art. præced. illatione prima.

208. *Idem dubitat, inter motiua probabilia, ſi quæſtio eſt facti.*

Dicendum eſt ſecundò, ſi ſit quæſtio facti, an res ſua ſit, accedente æquè probabili motiuo, ſuadente, rem eſſe alienam, poſſeſſor ille neceſſariò manet dubius de proprietate. Patet *ex art. præced. illat. 2.* quia in quæſtione facti, inter duas rationes æquè probabiles intellectus manet dubius: nam ſe ad inuicem decreſcere faciunt.

Dicendum

Digitized by Google

209. Dicendum eſt tertiò, ſi ſit quæſtio iuris, an res ſit ſua; v. g. quia pendet ex ea quæſtione, an qui ſibi donauerit rem, potuerit validè donare; accedente motiuo ſaltem probabiliori, quod ſuadeat, rem eſſe alienam; & nullo alio, præter poſſeſſionem, ſuadente, rem eſſe ſuam, poteſt elicere aſſenſum probabilem, quo credat, rem non eſſe ſuam; & poteſt etiam manere intellectus in dubio. Et hoc ſecundum ideò verum eſt, quia motiuũ dũtaxat probabile non cogit ad aſſenſum; & ideò illo motiuo ſtante, ſuſpendi poteſt aſſenſus. Ex alia verò parte ceſſat præſumptio fundata in poſſeſſione. Nemo enim præſumit, rem eſſe ſuam, dum datur fortius motiuum ad credendum, eſſe alienam. Vide quæ dixi *art. præced. illat.* 3.

Idem in quæſtione iuris poteſt etiam dubitare.

210. Dices. Si non poſſit inueniri certò veritas, ſed illud motiuum, quod ſuadet, rem eſſe alienam, non prætergreditur terminos probabilitatis, non tenetur poſſeſſor bonæ fidei ſpoliare ſe poſſeſſione: ergo ſtante eo motiuo probabili pro parte oppoſita, perſeuerat probabilitas præſumptionis, quæ dabatur pro poſſeſſore. Confirmabis: nam certa poſſeſſio eſt ratio, quæ præponderat reliquis rationibus non conuincentibus, vt tradit Diana 4. *part. tract.* 3. *reſol.* 26. ex pluribus Authoribus. Quod principium videtur etiam tradidiſſe P. Th. Sanch. *lib.* 1. *ſum. c.* 10. *n.* 9. Ergo falsò ſupponit proxima cõcluſio tertia, quod poſſit dari motiuũ probabilius poſſeſſione, quod ſuadeat, rẽ eſſe alienã.

211. Reſpondetur conceſſo antecedenti, negando conſequentiam: nam quod non teneatur ſpoliare ſe poſſeſſione, non procedit ex eo, quod perſeueret præſumptio, ſed ex eo, quod omnia iura fauẽt poſſeſſori bonæ fidei, etſi ea præſumptione deſtituto. Pone, poſſeſſori nullam occurrere rationẽ probabilem, quæ ſuadeat, rem eſſe ſuam. Adhuc non tenetur ſpoliare ſe ea poſſeſſione, etiamſi rationẽ probabilem inueniat, ſuadentem probabiliter rem eſſe alienam: quia quamvis non habeat rationem probabilem, quæ ſuadeat, rem eſſe ſuam, habet tamen rationem certam, quæ euidenter ſuadet, ſe eſſe poſſeſſorem bonæ fidei; quæ ſufficit, vt non teneatur ſeipſum ſpoliare re poſſeſſa.

Poſſeſſio eſt ratio certa, ne poſſeſſor ſpoliet ſe.

212. Ad confirmationem patet ex dictis *art. præced. in poſitione* 2. *n.* 190. Poſſeſſio enim & præſumptiuè probat proprietatem, & eſt ratio practicè probans, hominẽ non teneri, ad ſpoliandũ ſeipſum re poſſeſſa. Et quidẽ quà præſumptiuè probat proprietatem, ſcilicet ſuadendo, rem eſſe propriã poſſeſſoris, non præualet reliquis probationibus non conuincẽtibus, nec in eo ſenſu loquuntur Authores, cùm vna præſumptio per alteram fortiorem minuatur. Loquuntur autem Authores in ſecundo ſenſu, & ille quidem verus eſt, quod poſſeſſor præfertur omnibus rationibus non conuincentibus in ordine ad probandum, quod poſſeſſor bonæ fidei non tenetur ſpoliare ſeipſum poſſeſſione rei, donec conſtet, rem non eſſe ſuam.

Quomodo poſſeſſio præponderet rationibus cæteris non conuincentibus?

213. Dicendum eſt quartò: ſi poſſeſſor bonæ fidei rationes inueniat æquè probabiles pro vtraque parte, etiamſi ſit quæſtio iuris, poteſt dubitare, an res ſit ſua. Quia, vt conſtat ex *cap.* 5. inter rationes probabiles poteſt verſari dubium. Vide illationem 4. articuli præcedentis. Vide etiam illationem 5. quæ huic rei poteſt etiam accommodari.

Idem in quæſtione iuris inter rationes probabiles poteſt dubitare.

214. Dicendum eſt denique, homines dumtaxat doctos poſſe diſcernere inter rationes leues, & probabiles. Vnde etſi inter rationes probabiles non poſſet verſari dubitatio, dicendũ eſſet, poſſeſſores bonæ fidei quamplurimas habere occaſiones dubitandi, & re ipſa dubitare; cùm non omnes poſſeſſores bonæ fidei ſint viri docti, qui poſſint diſcernere inter rationes probabiles, & leues.

Soli docti diſcernunt inter rationes leues, & probabiles.

215. Cætera, quæ docet de obligatione poſſeſſoris bonæ fidei, qui dubitat, an res ſit ſua, quia metas huius diſputationis tranſiliunt, omittenda modò ſunt, & in volumen ſecundum remittenda.

216. Vndecimam quæſtionem proponit Caramuel *n.* 1452. his verbis: [An poſſeſſor dubiæ fidei teneatur reſtituere, antequam certò ſciat, rem eſſe alienam?] Subditque immediatè: Reſpondeo, non poſſe dari talem hominem.] Et poſtea probat, non eſſe dubiæ fidei poſſeſſorem, qui incepit bona fide poſſidere, ſiue poſtea occurrant in contrarium rationes leues, ſiue graues.

An poſſeſſor dubiæ fidei teneatur reſtituere, &c. Negat eſſe poſſibilem dubiam fidem.

217. Poſtea propiùs ad quæſtionem accedens, inquirit ſic: [An dubiæ fidei poſſeſſor diceretur ille, qui emeret, aut quomodocumque reciperet à malæ fidei poſſeſſore; ſi tamen de eius fide dubitaret?] Cui quæſtioni ſic ſatisfacit: [Reſpondeo, caſum eſſe impoſſibilem. Et clariſſimè probo, non poſſe dari emptorem, aut donatarium dubiæ fidei Quia vel nullæ rationes dantur, ob quas inclinet in eam partem, quæ aſſerit, venditorem, aut donatorem eſſe poſſeſſorem iniquum; vel dantur leues, vel dantur purè probabiles, vel conuincentes: nihil vtiliter aſſeri poterit: ergo. Minorem probo, quia ſi nullæ dentur, aut leues, non erit emptor, aut donatarius dubiæ fidei; ſed erit iudex temerarius, & venditori, aut donatori iniurius: omnis enim poſſeſſor legitimus præſumendus, quamdiu non probetur contrarium, *leg. meritò, ff. pro ſocio.* Si dentur probabiles (puta ſi ex modo vendendi, aut cautela adhibita in commutatione, rem eſſe furtiuam colligatur) non iam dubiæ, ſed probabilis fidei emptor, aut donatarius nominandus. Si conuincentes, iam erit poſſeſſor malæ fidei.]

An ſit dubiæ fidei, qui emit [illegible] e mala fide venditore?

Ait, dubium eſſe impoſſibile.

218. Hunc tamen diſcurſum eſſe fallaciſſimum, clariſſimè probo. Et primò in eo, qui dum accedit venditor rem alienaturus, impetitur dubitatione, an res ſit furtiua. Et quia emptor homo rudis eſt, & imprudens, nulla occurrit ratio grauis, quæ ſuadeat, venditorem eſſe iuſtum poſſeſſorem: nulla item grauis, quæ ſuadeat, illum eſſe iniquum. Et idem eſt, ſi rationes leues vtrimque occurrant. In quo caſu dubitationem euadere non valet; quia eam euadere non poteſt, niſi per aſſenſum ad alteram partem; & ad neutram aſſentiri poteſt prudenter, quia pro neutra eſt ratio grauis. Si ergo ſic dubius emit rem illam, quis dubitet, eſſe emptorem dubiæ fidei? Illum autem ex rationibus leuibus magnam habere cauſam dubitandi, conſtat *ex num.* 188. & 189.

Ex rationibus vtrimque leuibus poteſt dubitare de mala fide venditoris.

219. Secundò. In quæſtione facti ſi motiua ſint vtrimque æquè probabilia, neceſſariò produci dubitationem, non autem opinionem, conſtat ex dictis in art. proximo, & in cap. 6. Quare ſi emptor habeat rationes vtrimque æquè probabiles, ſiue quæ vt æquè probabiles ſibi repræſententur, quarum aliæ ſuadeant, venditorem eſſe iniquum poſſeſſorem, aliæ verò iuſtum; cùm hæc ſit quæſtio facti, ille emptor neceſſariò hærebit dubitabundus.

Ex rationibus vtrimque probabilibus neceſſariò dubitatur de mala fide venditoris in quæſtione facti.

220. Quod autem in eo diſcurſu additur, omnem poſſeſſorem præſumendum eſſe legitimum ſiue bonæ fidei, quamdiu non probetur contrarium; ſi de probatione plena ſit ſermo, pluſquam falſum eſt. Qui enim aliàs ſolet vendere furtiua, hîc, & nunc præſumitur ſimiliter vendere, quamvis non ſit

Præſumptio pro poſſeſſore deficit per probationem plenam oppoſitam.

ſit plena probatio pro eo, quod hæc merx furtiua ſit. Et ita ſtare præſumptionem contra ſolitos delinquere, tenent communiter Iuriſprudentes. Vide Cardinalem Thuſcum *litt. P. concluſ.* 618. & apud ipſum, Federicum Senenſem *conſil.* 153. Gemmian. *conſil.* 16. *num.* 2. Calderin. *conſil.* 508. aliàs 10. *de vſur. in princip.* & alios. Et qui laborat famâ vendentis furtiua, non præſumitur bonæ fidei poſſeſſor; quamuis fama ſolum faciat ſemiplenam probationem, neque afferat certitudinem, ſed dumtaxat probabilitatem. Solùm ergo eſt verum, præſumi legitimum poſſeſſorem eum, contra quem non eſt alia fortior præſumptio, aut probatio.

Stat præſũptio contra ſolitos delinquere.

221. Textus autem ille *ex leg. meritò ff. pro ſocio*, non eſt ad rem; ibi enim ſolùm dicitur, non præſumi furtum, quando res eſt communis duorum, & vnus eorum illa vtitur. *Et ſanè*, inquit lex *plerumque credendum eſt, eum, qui partis dominus eſt, iure potiùs ſuo re vti, quàm furti conſilium inire.*

222. Tertiò: ſi probabilis coniectura tibi ſuadeat, mercem eſſe furtiuam, & nullum tibi occurrat fundamentum probabile ſuadens, illum eſſe iuſtum poſſeſſorem (nam per illam probabilem coniecturam ceſſat in venditore præſumptio innocentiæ, vt conſtat ex dictis *art. præced.*) tunc nulla probabilitas relinquitur, quæ ſuffragetur venditori apud te. Quia tamen coniectura illa probabilis non cogit ad aſſenſum, poteris dubitare, iuxta dicta *cap. 5. num.* 67. Quare ſi in illo caſu mercem emeris ab illo venditore, diei poteris poſſeſſor dubiæ fidei; vel etiam malæ, ſi aſſenſum præbuiſti coniecturæ probabili, vel furtum eſſe veroſimile credidiſti. Quod ex præiactis principiis clarè patet. Nec tunc eſſe poteris bonæ, aut probabilis fidei, cùm nullum detur fundamentum graue pro bona fide venditoris, vt caſus ſupponit. Et poſſe dari probabilitatem pro vna parte, & non pro alia, conſtat manifeſtè ex tota diſp. 4.

223. Sed notandum eſt, quod in impugnatione Caſtri Palao exorbitat longiſſimè Caramuel. Etenim *à num.* 1459. *vſque ad* 1461. illi magnam calumniam imponit, illum vehementer obiurgat: quem ſi legiſſet, nihil tale cogitaſſet Caramuel. Ait enim: [Ergo vides, quod Caſtrus Palaus cùm rationes moraliter conuincentes requirat, dubias proſcribat; malè loquatur, certitudinem cum dubio confundendo; & tamen neque admiſſo barbariſmo, poſſe eius ſententiam ſtare: nam vbi dantur rationes moraliter conuincentes, non media pars, ſed res integra reſtitui debet: vel doceat nos, an in moralibus ſit aliud, habere certitudinem, quàm habere rationes moraliter conuincentes?]

Vindicatur à calumnia P. Caſtro Palao.

224. Sanè P. Caſtro Palao *tom.* 1 *tract.* 1. *diſp.* 3. *punct.* 3. proponit duos caſus toto cœlo diuerſos; aliũ *num.* 2. de eo, qui dubitat, an res ſit furtiua; alium *num.* 5. de eo quod requiritur, vt quis dicatur bonæ fidei poſſeſſor. In primo ſtatuit, rem diuidendam, in ſecundo requirit certitudinem. Et Caramuel confundit primum cum ſecundo, quaſi dixerit certitudinem in viſceribus dubij reperiri poſſe. Huius rei euidentiam deprehendes, ſi illud punctum tertium legeris.

225. Nec ſatisfaciet, ſi dicat, ſe ita citatum inueniſſe Caſtrum Palao apud Dianam 4. *part. tract.* 3. *reſol.* 27. non enim citat ea verba Caſtri Palao ex ipſius opere, ſed ex loco relato Dianæ. Etenim Diana vtrumque caſum etiam diſtinctè proponit, primum initio reſolutionis, vbi citat Caſtrum Palao *in eo n.* 2. & ſecundum caſum proponit in medio reſolutionis, §. *Notandum eſt*: in quo deinde citat Caſtrum Palao *eo n.* 5.

Verum quidem eſt, quod Diana in coniunctione ſententiæ P. Caſtri Palao cum antecedentibus, anſam dedit dubirandi. Sed quia Caramuel nullum vult admittere caſum dubium, videtur maluiſſe Caſtrum Palao condemnare, quàm de alicuius Authoris mente dubitare, & in praxi caſum dubitationis admittere poſſibilem. 226.

ARTICVLVS VII.

Quatuor aliæ quæſtiones circa dubitantem de effectu conſilij iniuſti, de Solutione debiti, de voto ingrediendi Religionem, & de iuſtitia gabellæ.

DVodecimam quæſtionem *n.* 1463. ſic proponit: [An conſulens homicidium, furtum, aut quidpiam ſimile; dubitans tamen, an ex tali conſilio motus alter fuerit ad faciendum, teneatur ad reſtitutionẽ?] Cui ſic ſatisfacit: [Reſpondeo, nos agere de vero dubio, adeóque negare caſûs poſſibilitatẽ: in tali enim caſu, dubio negatiuo nõ eſt locus; quia datur ratio præſumendi affirmatiuã partem, & dubium negatiuum omnem rationẽ excludit. Et poſitiuum non poterit admitti; quia id naſcitur ex motiuo leui, & conſiliũ eſt res grauis, & grauiter ſolet influere in humanas actiones.] 227.

An conſulens iniuriam, dubius de influxu conſilij, debeat reſtituere?

Negat poſſibilitatem dubij.

Addit primò, & bene: [Si Petrus non volebat Paulum occidere; & tamen, te conſulente, occidit, moraliter certum eſt, conſilium tuum illum prædeterminaſſe.] 228.

Influxus conſilij certus.

Addit ſecundò, & optimè: [Si Petrus volebat Paulum occidere, & tamen illum animaſti; ni adſint nouæ rationes in contrarium, certum eſt, illud conſilium in homicidium influxiſſe.] 229.

Alius caſus influxûs certi.

Itaque ſi adſint rationes probabiles, quæ ſuadeant, Petrum nullatenus præmotum fuiſſe conſilio tuo; & aliæ æquè probabiles, quæ ſuadeant præmotum, neceſſariò ſequitur dubitatio: nam, vt conſtat *ex c.* 6. inter rationes vtrimque æquè probabiles in quæſtione facti, neceſſariò intercedit dubitatio, nec poteſt intercedere aſſenſus probabilis ad vnam partem. 230.

Inter rationes æquè probabiles circa influxum, & non influxum conſilij, neceſſe eſt dubitari.

Si tamen, datis vtrimque rationibus probabilibus, pro altera parte ſit motiuum notabiliter probabilius, adhuc poteris dubitare; cùm motiuum merè probabile non cogat ad aſſenſum, niſi fortè exceſſus probabilitatis pro vna parte tantus ſit, vt in ea quæſtione facti verè faciat probationẽ plenam: quæ quidem abſorbet, & diſſoluit probabilitatem partis oppoſitæ. Quo pacto ea probatio exuit rationem probabilitatis, & induit rationem certitudinis. Nam probatio plena in quæſtione facti certitudinem moralem producit; & certitudo moralis vnius partis, abſoluit probabilitatem, & contingentiam partis oppoſitæ. 231.

Motiuũ probabilius non cogit ad aſſenſum de influxu.

Niſi exceſſus probationis perueniat ad plenitudinẽ.

In hoc autẽ caſu non poteſt dari pro vna dũtaxat parte probabilitas. Nam ſi nulla detur probabilitas pro ea parte, quæ ait, conſilium caruiſſe influxu in homicidium; influxus in homicidium manet certus. Eſt enim certum moraliter, conſiliũ influxiſſe in homicidiũ, quoties non ſunt rationes probabiles in contrarium. Pro ea autem parte, quæ ait, conſilium influxiſſe in homicidium, ſemper eſt ratio probabilis ſuadens influxum, quoties in oppoſitum eſt etiam ratio probabilis. 232.

Circa influxũ conſilij non datur pro vna ſolùm parte probabilitas.

Tredecimam quæſtionem ſic proponit *num.* 1465. [An debitor, ſi certus ſit de debito, & dubius 233.

An certus de debito, dubius de ſolutione, debeat ſoluere petenti?

dubius de ſolutione, teneatur ſoluere creditori petenti? Et ſubdit: [Reſpondeo, caſum eſſe impoſſibilem.] Et remittit rationem deciſionis ad Corollarium 30. quod propoſuit *n.* 1371. Sed ſanè obliuionem paſſus eſt. Nam eo numero 1371. admittit caſum poſſibilem, ſi ambo dubitent, tam debitor, quàm creditor. In quo caſu debitorem ad ſolutionem teneri affirmat.

Ait dubium eſſe impoſſibile.

234. Numero tamen ſequenti addit: [Eſt impoſſibile, quod vnus ſolus dubitet. Quia quando non recordatis, an ſolueris, ſi creditor, te non ſoluiſſe dicat, ſolutio non eſt dubia, ſed certa, aut probabilis: datur enim grauis authoritas pro parte negatiua. Et quod ſit grauis, euidenter probatur: nam ſi creditor aſſereret, ſe recepiſſe debitum, ab omni obligatione eſſes liber.]

Ait impoſſibile, quod vnus ſolus dubitet, quia alterius aſſertio tollit dubium.

235. In quo procedere videtur conſequenter ad ſuum principium falſum: quod non poteſt dari dubitatio interueniente ratione probabili. Sed cùm oppoſitum demonſtratum ſit *cap. 5. & 6.* corruit eius concluſio.

236. Sed prætereà notandum, maius motiuum credibilitatis eſſe, ſi creditor dicat, ſe recepiſſe debitum, quàm ſi dicat, ſe non recepiſſe. Nam ſi dicat, ſe non recepiſſe, poteſt tribui auaritiæ, præcipuè ſi in eo genere laboret infamiâ. Si autem dicat, ſe recepiſſe, non poteſt præſumi contra eum, quod fallere velit: nemo enim vult in metum præiudicium ſuum fallere alterum. Itaque creditor non præſumitur innocens, ſi laboret infamia auaritiæ; quia hæc infamia abſorbuit eam præſumptionem. Sed neque tunc eſt motiuum probabile, quod ſuadeat, illud eſſe ſolutum; ad ſummum enim illud probat, quod etiam dubitans de ſolutione, hanc poſtulat.

237. Hinc fit, malè procedere argumentum, dum ex eo, quod ſit grauis authoritas creditoris aſſerentis, debitum eſſe ſolutum, colligit, eſſe grauem authoritatem creditoris aſſerentis, debitum non eſſe ſolutum, propter manifeſtam diſparitatem proximè declaratam.

Clauditur argumentum.

238. Quartamdecimam quæſtionem proponit *eodem num.* 1465. in hæc verba: [An qui dubitat, an ſolum promiſerit ingredi Religionem, an etiam profiteri; teneatur profiteri, an ſufficiat ſolummodo ingredi?] Et pro deciſione ſubdit: [Mihi caſus eſt omninò impoſſibilis. Nam in commentario meo in Regulam Benedictinam, *num.* 460. aſſerui, melius eſſe non ingredi, quàm ingredi cum egrediendi animo. Nemo enim vir prudens alicui honeſtæ conuerſationis iuueni conſuleret, vt ſollicitaret habitum apud Ciſtercienſes v. g. & adeptum, poſt hebdomadam, aut menſem dimitteret. Dicas, an cum animo egrediendi auderes ſollicitare habitum alicuius Religionis, quin te multis mendaciis neceſſariò implicares: & ego non credam, te poſſe voto obſtringi ad actum, in quo neceſſariò mentiturus es.]

Dubius, an promiſerit profeſſionem, vel ingreſſum, teneturne profiteri?

Negat poſſibilitatem dubij.

239. Hæc ratio impoſſibilitatis non ſpectat ad materiam huius diſputationis. Adhuc tamen breuiter dico, caſum dubitationis eſſe certiſſimè poſſibilé. Pro quo nota, aliud eſſe ingredi Religionem cum animo egrediendi; & aliud eſſe ingredi cum animo experiendi labores Religionis, vt experientia duce aſſumat, ſi ſuæ inclinationi non repugnauerint. Quamuis ergo non ſit melius, nec bonum, ingredi cum animo egrediendi; at optimum eſt ingredi ad experiendum, num ſibi conueniat Religio: ea enim eſt quædam diſpoſitio ad amplectendam Religionem. Neque ad id requiritur mentiri; multi enim ſic ingrediuntur, quin teſtet mentiendi neceſſitas. In hoc ergo caſu, qui vouit Religionem, poteſt dubitare, an vouerit ingredi ad perſeuerandum, an ad experiendum?

Hæc dubitatio eſt certiſſimè poſſibilis.

240. Deinde poſſibilis eſt caſus, in quo quis ingrediatur cum animo egrediendi; in quo magnum Deo præſtet obſequium. Petrus valdè pronus eſt ad virtutem, Religioſum ſtatum deſiderat: & quia opinatur, vires non ſibi ſufficere, timet ſe in eo ſtatu permanere non poſſe. Decernit ergo ingredi eam virtutis ſcholam, vt per ſex, vel octo menſes addiſcat virtutis exercitia, quibus aſſuetus poſtea ſimilem modum viuendi teneat, quantum ſecularis vita permiſerit. Nonne Deo magnum præſtabit obſequium? Ergo ſi Petrus dubitet, an emiſerit votum permanendi in Religione, an potius ingrediendi ad addiſcendum virtutis exercitia, quæ poſteà in vita ſeculari teneat, caſus dubitationis ſubſiſtit.

Alius caſus dubitationis.

241. Quintamdecimam inſtituit *num.* 1466. ſic: [An ſubditus dubitans de iuſtitia tributi, teneatur illud ſoluere?] Negat caſum eſſe poſſibilem; quia tributa non imponuntur ſine illuſtrium virorum conſilio, quod ſufficit ad probabilitatem. Vbi autem adeſt probabilitas, exulat dubium.

An dubius de iuſtitia tributi, teneatur ſoluere? Negat caſus poſſibilitatem.

242. Sed cùm in his confundat motiuum probabile cum aſſenſu probabili, contendens, quod dubitatio, quia repugnat cum aſſenſu probabili, repugnet etiam cum motiuo probabili, cuius oppoſitum conuicimus; ideò ea etiam deciſio funditus cadit. Contra eam ergo rationem probabilem, deſumptam ab authoritate conſulentium gabellam, poſſunt etiam eſſe aliæ rationes probabiles ſuadentes iniuſtitiam gabellæ: & ita inter eas rationes vtrimque probabiles poterit intellectus neutri parti præſtare aſſenſum, ſed inter vtramque hærere.

Caſus poſſibilitas eſt euidens.

Articvlvs VIII.

Quatuor aliæ quæſtiones de Iudice, & Aduocato in lite dubia; item de diſpenſatione dubij valoris, & de poteſtate diſpenſandi in dubiis.

243. Qvæſtionem decimamſextam his terminis proponit *num.* 1467. [Quid iudex debeat, aut poſſit facere in lite ciuili dubia?] Et ſic reſoluit: [Reſpondeo, caſum eſſe impoſſibilem, ſi detur bonæ fidei poſſeſſor: nam in tali caſu *grauis authoritas* ſtat pro poſſidente.]

Quid decernere debeat Iudex in lite ciuili dubia? Negat caſum dubij.

244. Ea breuis periodus duplici vitio laborat. Primò quia dicit, caſum eſſe impoſſibilem, cùm dicere deberet, eum non eſſe caſum in titulo propoſitum. Etenim cauſa, in qua dubitatur de proprietate, & certò conſtat de poſſeſſione, non eſt cauſa dubia, ſed certa, cùm habeat principium certum, ex quo indubitanter decidenda ſit. Secundò, quia aſſerit, quod *grauis authoritas* ſtat pro poſſidente; cùm deberet aſſerere, ius certiſſimum ſtare pro illo, cùm cauſa proprietatis eſt dubia. Vide *diſp. 16. num.* 123.

Refellitur dupliciter.

245. Subdit Caramuel: [At ſi neuter poſſideat, & certum ſit, ad alterum rem pertinere, & nequeat ſciri ad vtrum de facto pertineat; ſuadet æquitas, & vſus, vt pro qualitate dubij diuidatur, ſi res diuiſibilis ſit; & ſorte conferatur, ſi ſit indiuiſibilis. Sic Ledeſma, Sanchez, & alij. Sed videre deſidero

Quid, ſi certũ ſit, ad alterutrum pertinere, & dubium ſit, ad quem?

Digitized by Google

Negat caſum dubij. deſidero caſum, in quo certum ſit, equum v. g. vel domum ad vnum è duobus pertinere, & dubium ad vtrum pertineat. Nam, vt puto, ex prima certitudine rationes aliquæ graues deduci poterant, quæ ad probabilitatem peruenirent.] Quibus verbis etiam negat caſum poſſibilem.

246. *Oſtenditur poſſibilitas dubij.* Sed ecce caſus eius dubij poſſibilis eſt. Primò: nam ſi ſint rationes vtrimque æquè probabiles in quæſtione facti, producunt dubium, vt conſtat *ex cap.* 6. Secundò. Miniſtri Reipublicæ apprehenderunt duos latrones, à quibus eripuerunt equum, quem fuerant furati ex proximo oppido. Et poſt multam præconizationem comparent duo actores, quorum quilibet aſſerit, equum eſſe ſuum. Vnus producit tres teſtes aſſerentes, equum eſſe huius; ſecundus tres alios æquæ fidei, aſſerentes eſſe huius ſecundi. Plures deinde teſtes ſunt qui affirmant, eum equum eſſe ſub dominio incolarum eius oppidi, neſcientes tamen cuius. Hinc primò conſtat iudici, cum equum quoad dominium, vel ſaltem quoad poſſeſſionem eſſe incolarum eius oppidi. Conſtat ſecundò, non eſſe alterius ab illis duobus actoribus, cùm poſt multam præconizationem nemo alius poſtulet. Et cùm vnuſquiſque actor pro ſe habeat æquales probationes, neuter vincit, & cauſa vtriuſque eſt dubia.

247. *An dubius de valore diſpenſationis, poſſit ea vti? Negat caſum, niſi, &c.* Decima ſeptima quæſtio eſt, quam ſic inſcribit *num.* 1468. [An dubitans, vtrum diſpenſatio obtenta ſit valida, poſſit ea vti?] Subditque: [Nego caſum, ſi illa nec ſubreptitia ſit, nec per dubia verba conceſſa.]

248. *Caſus huius dubitationis.* Sed ſi diſpenſatio emanauerit à Delegato, & habeas rationes probabiles ſuadentes, ei talem facultatem diſpenſandi non eſſe conceſſam; & alias æquè probabiles ſuadentes, eſſe conceſſam, cùm quæſtio ſit facti, & probationes ſint æquales, cauſa eſt dubia, vt patet *ex c.6.* & ex hucuſque dictis. Cui multi alij caſus ſimiles reperiri poſſunt.

249. *Alij caſus huius dubij.* Sed quid, ſi dubites, an diſpenſatio ſubreptitia ſit? Quid ſi dubites, an narratio falſa circa ſubſtantialia interuenerit? Quid ſi detur opinio dicentium, errorem eſſe in accidentalibus; & ſit dubium inter Doctores, tuque cum illis dubites, an error ſit ſubſtantialis, vel accidentalis?

250. *An poſſit Epiſcopus diſpenſare in caſu de indigentia dubia diſpenſationis? Negat caſum.* Decimaoctaua quæſtio eſt, quam verſat *numero* 1469. in hæc verba: [An quando dubitatur, vtrum caſus indigeat diſpenſatione, poſſit Epiſcopus in lege Pontificis, Iudex inferior in ſuperioris lege diſpenſare?] Subditque deciſionem quæſtionis ſic: [Reſpondeo, negando caſum. Quia diſpenſatio peteretur aut propter inhibitionem, aut propter impedimentum dubium. Atqui quando dubium eſt, an detur lex inhibens hunc actum, vel aliquod impedimentum apponens, non dubitatur, an caſus indigeat diſpenſatione. Ergo caſus, qui proponitur, eſt impoſſibilis. Minorem probo; quia in tali caſu certum eſt, diſpenſationem non requiri: non igitur eſt dubium, an illa requiratur. Probatur antecedens; quia certum eſt, in omni dubio ſtandum pro poſſeſſione, quæ erat ante illud: ergo cùm actus, & operans ſint in ſuæ poteſtatis poſſeſſione, nec ille eſt credendus inhibitus, nec iſte lege obſtrictus, quamdiu clariſſimè non conſtet.]

251. *Caſum dubij eſſe poſſibilem, oſtenditur.* Sed certum exiſtimo, caſum eſſe poſſibilem. Primò. Quia quamvis ratio à Caram. allata dubitationem euacuet, poteſt fieri, quod ea petenti diſpenſationem, & diſpenſaturo non occurrat: imò nec duobus, aut tribus Theologis ſuper hac re conſultis.

252. Secundò. Validum eſſe votum caſtitatis eius, cui vtilius eſt ad vitandos carnis lapſus matrimonium inire, quàm cœlibatum; communis ſententia tenet: illud eſſe inualidum cenſent nonnulli Neotherici. Et tù, qui vim rationum vtriuſque partis non penetras, dubitas, an prima ſententia certa ſit, an potiùs ſecunda probabilis. Nec te vrget authoritas ſecundæ ſententiæ: nam ſicut contra rationes certas nulla vrget authoritas; ita dum dubitas, an rationes primæ ſententiæ certæ ſint, ſimul dubitas, an authoritas illis aduerſa afferat ſufficientem probabilitatem. In hoc caſu dubitas, an votum illud caſtitatis indigeat diſpenſatione Romani Pontificis.

253. *Reſponſio.* Dices, in præſenti quæſtione non agi de dubitatione, quam quis ratione ſuæ inſcitiæ habere poteſt; ſed de re, quæ ſit dubitabilis à quolibet docto. Id autem non eſt dubitabile à quolibet docto; quia certum eſt, id votum eſſe validum. Vel ſi fortè ſentis cum Neothericis ſecundæ ſententiæ, dices, id non eſſe dubitabile à quolibet docto, quia probabile eſt, votum eſſe inualidum.

254. *Refellitur.* Sed quid, ſi etiam ponderatis rationibus vtriuſque partis in conſultatione grauium Theologorum, iſti maneant dubij de certitudine primæ, & de probabilitate ſecundæ? Dubium autem de probabilitate practica, eſt dubium practicum, in quo non poteſt dici ceſſare obligationem voti, ſed partem tutiorem quoad valorem voti neceſſariò ſequendam. Et cùm hodie de multis opinionibus ſit controuerſia, an illæ ſint practicè probabiles, necne, in multis caſibus poteſt reperiri hic caſus dubitationis, quem Caramuel putat impoſſibilem. An autem in dubio practico de valore voti, poſſit inferior Prælatus diſpenſare, non eſt huius loci decidere.

255. Ad argumentum Caramuelis propoſitum *numero* 250. Reſpondeo, admiſſa maiore, diſtinguendo minorem: quando dubium practicum eſt, an detur lex, &c. non dubitatur, an caſus indigeat diſpenſatione, nego; quando dubium eſt ſpeculatiuum, concedo. Quæ diſtinctio patet ex dictis.

256. *An aduocatus in cauſa dubia poſſit agere contra reum? Negat caſum. Sed admittendus eſt.* Quæſtio decimanona *ex num.* 1470. eſt hæc: [An aduocatus poſſit patrocinari contra reum, ſi cauſa ſit dubia?] Cui ſic reſpondet: [Ego, re benè conſiderata, propoſitum caſum non admitto. Actor, qui dignus audiri (ſed quid, ſi dubium eſt, an ſit dignus audiri?) grauis authoritatis eſt, & dubium tollit, probabilitatem inducit.] Si dubium eſt, an ſit dignus audiri, nec dubium tollit, nec probabilitatem inducit.

257. *Non eſt in poſſeſſione innocentiæ ille, cui fama delicti obeſt.* Pergit Caramuel. [Et reus (cauſa ſit criminalis, ciuilis) eſt in ſuæ innocentiæ, & ſuorum bonorũ poſſeſſione, quæ eſt omni probabilitate potentior.] Sed quid, ſi laboret infamia? in quo caſu ceſſat præſumptio, ſiue poſſeſſio innocentiæ, vt conſtat *ex art.6. num.* 220. Ex quo loco etiam patet, æquiuocum eſſe id, quod dicitur, poſſeſſionem innocentiæ eſſe omni probabilitate potentiorem. *Qua ratione poſſeſſio innocentiæ ſit omni probabilitate potẽtior?* Nam dum ea poſſeſſio, ſiue præſumptio durat, admitto, eam eſſe omni probabilitate potentiorem; ſed re vera ea præſumptio innocentiæ non durat, vbi aduenit probabilitas in oppoſitum.

Quis

Digitized by Google

Quis enim præſumet, Petrum eſſe bonum, cùm audit à fama, illum eſſe malum? quæ quidem fama ſolam probabilitatem inducit.

ARTICVLVS IX.

Reliqua ſex quæſtiones diſcuſſa.

258. *Hunc caſum omiſit.*

VIgeſimam proponit *num.* 1471. [An dubitans, vtrum ante quinquennium ratificauerit profeſſionem inualidè emiſſam, maneat obligatus?] caſum dicit impoſſibilem, eo quod dubitari non poſſit. Sed quia ad eius deciſionem neceſſe eſt implicare principia, huius diſputationis metam excedentia, ab illo in præſenti ſuperſedeo.

259. *An in dubio vſus rationis, præſumatur puer peccaſſe, &c.* *Negat caſum dubij.*

Num. 1473. proponit quæſtionem vigeſimam primam: [An in dubio accelerationis vſûs rationis, præſumendum ſit, puerum peccauiſſe mortaliter, ſi ante ſeptimum ætatis annum aut Miſſam omiſerit die feſto, aut die Veneris comederit carnes?] Et reſpondet: [At non admitto caſum, quia ſupponit falſum, nimirum præcepta poſitiua Eccleſiæ omnes pueros doli capaces obligare.]

260. *Non bene negas.*

Diſplicet tamen, quia is caſus procedit iuxta ſententiam aſſerentium, præcepta Eccleſiæ obligare ſtatim ab exordio vſûs rationis, etiam ante ſeptimum ætatis annum. Et quando caſus procedit iuxta vnam ſententiam probabilem, caſus non eſt ideò negandus, quia non habet locum in oppoſita ſententia. Deinde opinionem, quæ adſtruit vniuerſaliſſimè, nullum Eccleſiæ præceptum obſtringere pueros doli capaces ante ſeptimum ætatis annum, eſſe improbabilem, & certò falſam, conſtat *ex diſp.* 8. *cap.* 2.

261. *An dubius de egeſtate pa- ... tis Re- ... ionem in- ... di?* *... non eſſe pe... ... dubium.*

Quæſtionem vigeſimamſecundam proponit *num.* 1474. [An dubitans, vtrum Pater ſit in graui neceſſitate, ingredi Religionem poſſit?] Et immediatè ſubdit: [Non video caſûs poſſibilitatem. Nam ipſe in domo paterna educatus vidit propriis oculis ſubſtantiæ quantitatem, & formauit iudicium, quod manere debet, ſi nouæ inſtructiones non accedant: ergo dubio negatiuo non eſt locus. Sed neque poſitiuo, quia dictamen illud certum, quod eſt in poſſeſſione, verbis leuibus, & nullius Authoritatis proſcribi non poteſt; & vbi prudentia operatur, dubia exulant.]

262. *Experientia demonſtrat poſſibilitatem eius dubij.*

Sed hæc pugnant contra euidentiam experientiæ. Primò, quia non omnes filij educantur in domibus paternis, imò nec in propriis natiuis oppidis: hi ergo, qui non vident propriis oculis ſubſtantiæ quantitatem, poterunt dubitare. Sed & qui propriis oculis vident, parentes ex ſolo labore manuum victitare ſufficienter, neſciunt diſcernere, quid erit proximè in poſterum. Præterea ſi rationes vtrimque æquè probabiles inueniunt, neceſſariò dubitabunt, cùm rationes vtrimque æquè probabiles in quæſtione facti neceſſariò animum in dubitationem inducant.

263. *An poſſit venena vendere dubius de abuſu emptoris?* *Negat caſum caſum dubij.*

Quæſtionem vigeſimamtertiam ſic proponit *num.* 1475.] An pharmacopola, cùm dubitat, an emptor abuſurus ſit, poſſit venena vendere?] Subditque pro deciſione quæſtionis: [Reſpondeo, non eſſe poſſibilem caſum, qui ponitur. Nam vel dantur rationes dubitandi, vel non: & ſi dantur, leues, vel graues. Quicumque ſine ratione, aut ſine graui, ſuſpicatur contra proximi innocentiam, temerarius eſt iudex: emptor autem innocens erat, & debet præſumi innocens, & in ſua innocentia manuteneri, quouſque probetur reus. Si dentur graues rationes, non tamen cõuincentes, erit probabilitas, & ſtando iuri naturæ, non ſcio, cur non poſſet in tali caſu ſua venena vendere, aut non vendere: probabilia enim electioni liberæ relinquuntur: at ſtando iuri humano, omnes Reſpublicæ benè gubernatæ cauent tales venditiones, emptionesque: & quando ſeruus veneno ſuum dominum abſtulit, ſtatim vnde habuerit, inquiritur. Vnde illa ipſa, quibus contra mures, & ſordidas beſtiolas aliàs vtimur, ſemper pharmacopæi cautè, & prouidè vendunt, nec dabunt perſonæ non notæ. Hinc patet, quî debeas de aliis rebus minùs periculoſis philoſophari.]

Sed in his dubitare Pharmacopolas certiſſimum eſt. Primò, ſi emptore venenum poſtulante, mens Pharmacopolæ dubitatione præoccupetur, neque ei occurrat ratio aliqua grauis ex parte innocentiæ emptoris, neque contra eius innocentiam. In quo caſu non habet modum euadendi dubium, vt diximus *num.* 188. & ſæpè *in hoc cap.* 264. *Ex rationibus vtrimque leuibus dubitat Pharmacopola.*

Secundò. Si rationes æquè probabiles vtrimque occurrant, cùm ſit quæſtio facti, neceſſariò in dubitationem incidet; inuincibilem illam quidem, dum rationes illæ in eo gradu perſtiterint, ex dictis *cap.* 6. 265. *Item ex rationibus vtrimque probabilibus in quæſtione facti.*

Tertiò. Demus, eas rationes vtrimque æquè probabiles, non dubitationem, ſed probabilitatem inducere. Miror, Caramuelem in ea verba erupiſſe: *Stando iuri naturæ, non ſcio, cur non poſſet in tali caſu ſua venena vendere, aut non vendere: probabilia enim electioni liberæ relinquuntur.* Etenim periculum agnouit Caramuel in poſtremis verbis eius periodi: *De aliis rebus minùs periculoſis philoſophari.* Ergo cùm eſt probabile, emptorem abuſurum eſſe veneno, adeſt periculum probabile. Videtur ergo oblitus eſſe Caramuel eius optimæ doctrinæ, quam ſtatuit *in Theolog. fundam. à num.* 496. *fund.* 11. nempe periculum probabile eſſe malum de præſenti certum: & quamvis periculum ſit probabile, eſſe improbabile, quod liceat nos exponere eiuſmodi periculo. De quo vide *diſp.* 18. *à num*... Quando ergo probabile fuerit, emptorem abuſurum eſſe veneno, peccabit mortaliter pharmacopola vendendo; quia tenetur vitare periculum probabile occiſionis proximi. 266. *Inter rationes vtrimque probabiles de damno futuro, non licet vendere venenum.* *Periculũ probabile eſt malum præſens certum.* *Tenetur vitare periculum probabile occiſionis.*

Deinde. Nam Reſpublicæ benè gubernatæ cauent tales venditiones, propter periculum imminens. Et Caramuel eius eſt ſententiæ, vt ceſſante fine adæquato legis humanæ, ceſſet lex. Vnde ſit, quod, iuxta hanc ſententiam, leges humanæ nihil addant ſupra ius naturale. Nam vel ceſſat periculum, vel non ceſſat. Si ceſſat, non ligat lex humana, quia ceſſat finis eius adæquatus. Si periculum non ceſſat, iure naturali tenetur pharmacopola illud periculum vitare. Praua eſt ergo diſtinctio poſita inter ius naturæ, & legem humanam, cùm eadem debeat eſſe reſolutio ex iure naturæ, quàm ex lege humana. 267. *In hac materia lex humana nihil addit ſupra ius naturæ.*

Quartò. Id, quod dicitur, emptorem præſumi debere innocentem, fallit in hac materia. Nam ad vitandum peccatum, vel damnum proximi, non ſolùm homo non præſumitur innocens, ſed & delictum præſumitur, vt notant Iuriſprudentes. Ita Cardinalis Thuſcus *litt. P. concluſ.* 617. hanc ſtatuit: *Peccatum in dubio præſumitur, vt tollatur.* 268. *Emptor veneni non præſumitur innocens.* *Delictum præſumitur...*

Digitized by Google

vitandum damnis tertij.

Thuſcus. Anchatan.

Barboſa. Surdus.

Marſilius. Franc Mol. Alciatus.

Et concluſ. 193. ait: *In dubio licet non præſumatur delictum, neque inducatur pœna, tamen ſecus eſt ad obuiandum peccato, & periculo animæ.* Pro quo citat Anchar. *conſil.* 24 *fine*. Et probat *ex cap Iuuenis, de ſponſalibus*, vbi in dubio præſumitur delictum iuuenis, vt vitetur matrimonium inualidum poſteà ſubſequutum. Et delictum præſumi in fauorem animæ, hoc eſt, ad vitandum periculum animæ, defendunt Auguſtinus Barboſa *in collectaneis iuris ad cap. Iuuenis, de ſponſalibus. num.* 8. Surdus *conſil.* 25. *num.* 27. Marſilius *ſingular.* 151. Franciſcus Molin. *de ritu nuptiarum lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 13. Alciatus *de præſumptionibus reg.* 4. *præſumpt.* 1.

269. *Venditor veneni præſumit in homine ignoto intentionem nocendi.*

Ex quo fit, quod ſi ſeruus, vel homo ignotus poſtulet toxicum à pharmacopola, iſte debet præſumere intentionem nocendi, quantum ſufficit ad damnum tollendum: quæ præſumptio non tam producit aſſenſum de iniquitate emptoris, quàm dubitationem: ſiue, quod idem eſt, licet non credat, emptorem eſſe iniquum; tamen prudenter dubitat, an ſit iniquus, attenta magnitudine periculi. Itàque licet venditor non habeat probabilem rationem, quæ cogat ad aſſenſum de iniquitate emptoris; habet tamen rationem probabilem dubitandi. Nam quando ſeruus, vel homo ignotus poſtulat toxicum, non habet pharmacopola rationem probabilem, qua expellat dubium. Si enim aliquam haberet, maximè præſumptionem innocentiæ emptoris: hanc autem non debet præſumere in his circumſtantiis; id enim eſſet in damnum tertij. Numquid ſalubre eſſet conſilium, ſi vides hominem in alto noctis ſilentio ingredi domum tuam, non parare defenſionem, ne præſumas, hominem eſſe iniquum, antequam probes. Imò præſumendum tibi eſt, illum eſſe iniquum, quantum requiritur ad ſecuritatem tuam. Vide add. *n.* 8.

270. *Omitto hunc caſum.*

Quæſtio vigeſimaquarta eſt, quam proponit *num.* 1476. [An qui dubitat, verum conſilium ſuum concluſerit rem iniuſtam, teneatur ad reſtitutionem?] Caſum dubitationis huius cenſet etiam impoſſibilem, eo quod omnes ſuffragatores certò concurrant ad damnum datum. Quia tamen hoc fines huius diſputationis prætergreditur, ab hac quæſtione modò abſtineo.

271. *An contractus ſit validus, cùm dubitatur, an contrahens ſit minor?*

Negat eſſe locum dubio poſt initum contractum.

Quæſtio vigeſimaquinta, & vltima, eſt, quam proponit *num.* 1477. [An contractus factus ab eo, quem minorem eſſe dubitamus, ſit validus?] Et ſic reſpondet: [Contractus publicus, magnæ authoritatis argumentum eſt, adeóque puto primò, ſi ante contractum dubitetur de ætate minoris, ſtandum potiùs pro minori, quàm pro maiori ætate: quia cùm potiùs fuerit minor, quàm maior, non eſt aſſerendus ætatem minorem exceſſiſſe, quamdiu non conſtat; ſtat enim in poſſeſſione ætas minor. Puto ſecundò poſt initum contractum bona fide, ſi is, vt validus ſit, ætatem maiorem requirat, non eſſe locum vero dubio; datur enim motiuum forte (nimirum ipſe contractus ex quo oriri poteſt probabilitas, vel fortè certitudo moralis, ſi contra illud motiuum nullæ rationes fortes ſuppetant.) Quamobrem, qui contra valorem contractûs ætatem debitâ minorem obiiciat, hoc debebit probare.]

272. *Refutatur geminâ ratione.*

Sed hæc diſplicent propter duas rationes. Primam. Quia cùm in ſecundo caſu concurrant duæ præſumptiones inuicem oppoſitæ, quia contractus in dubio præſumitur validus, & ætas in dubio præſumitur minor; debuit probare, præſumptionem, quæ ſtat pro valore actûs, eſſe fortiorem præſumptione, quæ ſtat pro minore ætate. Nam ſi præſumptiones illæ ſint æqualis energiæ, non erit potior ratio, quare ſtemus pro valore actûs, quàm pro ætate minori.

Secundam. Quia ſi rationes ſint vtrimque æquè probabiles, id eſt, ſi præſumptio, quæ ſtat pro valore actûs, impugnetur alia præſumptione, aut argumento æqualis probabilitatis, adhuc eſt locus vero dubio. Nam ſi rationes procedant pro valore actûs, & contra illum, in quæſtione iuris, adhuc inter rationes probabiles dubitare poſſumus, vt conſtat *ex cap.* 5. Si autem procedant in quæſtione facti, non poſſumus non dubitare, vt patet *ex cap.* 6. & ex ſæpiùs repetitis in hoc capite. 273.

Conclvsio Capitis.

Tandem Caramuel *num.* 1478. hanc concluſionem deducit: *Igitur ſtat* (planè cecidit vi demonſtratæ veritatis) *primaria reſolutio; nempe multos caſus ab Authoribus vocari dubios, in quibus dubium reperiri repugnat.* (Iudicet lector, quàm id ſit falſum, ex diſcurſu huius capitis.) *Vt plurimum enim aut probabiles, aut certi ſunt.* (Nulli certi, præter duos, à quibus ſuperſedi, & de quibus modò non iudico: inter probabiles autem rationes verſari poſſe dubitationem, ſatis conſtat.) *Præcipuos eligentes, & explicantes, viam aperuimus* (non aperit viam, ſed occludit per principium æquiuocatione ſubnixum,) *vt multis dubiis adulterinis, imò nugis ſemotis* (ſi hæc ſincerè legat, puto non vocabit nugas) *verum* (imò planè falſum) *de ſingulis hypotheſibus, & caſibus iudicium formaremus, præiremuſque ſolidæ veritatis ſtudioſis,* (non præibit, ſi nemo ſequatur: nullus ſequetur, qui terminos penetrauerit) *ne cum morum detrimento, & iactura dubium negatiuum cum poſitiuo, néve alterutrum cum probabilitate confundant.* Ex dictis in tota diſputatione abundè conſtat, confudiſſe Caramuelem aſſenſum probabilem cum motiuo probabili: & quia dubitatio cum aſſenſu probabili non componitur, contra rei euidentiam conatus eſt, dubitationem cum motiuo probabili non componi. Potiùs igitur timenda eſt morum iactura ex principio vniuerſaliſſimo tantæ æquiuocationi ſubnixo. 274.

DISPVTATIO VII.

An opiniones probabiles debeant eſſe comprobabiles; & in ordine ad quos effectus.

CAPVT I.

Quid ſit, propoſitiones eſſe incomprobabiles; & quot quæſtiones ſub iis terminis inuoluantur?

Gloriatvr Caramuel, quod nullus ante ipſum notauerit, opiniones probabiles debere eſſe comprobabiles. Ita *in Theol. fund. num.* 1125. *fund.* 45. [Sed cur syntheſes voco, quod vulgus theſes? Quia theſes à ſyntheſibus differunt, quod ante me à nemine, 1. *An Caramuel ſit Author comprobabilitatis opinionum.*

nemine, quem ſciam, fuit obſeruatum. Dicebat Ariſtoteles: *Dialecticus ſyllogiſmus eſt, qui ex probabilibus eſt ſyllogizatus.* Deleo illud *Probabilibus*, & repono *comprobabilibus*] Quod idem repetit *fund.* 51. *num.* 1595. in hæc verba: [Hinc patet (& volo auditi attentè; dicturus enim ſum, quæ in alio ſcriptore non leges) non bene ab Ariſtotele, non bene ab eius diſcipulis definiti ſyllogiſmum topicum, ſeu probabilem: non enim ſemper concluſio erit probabilis, vbi præmiſſæ ſunt probabiles: ſed debere hac definitione illuſtrari. *Syllogiſmus topicus, ſeu probabilis, ille eſt, cuius forma eſt legitima, & altera, aut vtraque præmiſſa comprobabilis.* Multa enim ſeorſim ſunt probabilia, quæ comprobabilia non ſunt.]

2. Quod etiam attribuit Verde Caramueli tanquam primo inuentori. Nam in ſelectis contra Anticaramuelem, *quæſtione nona, num.* 502. *in margine*, de quodam ſyllogiſmo præmiſſarum incomprobabilium ait: [Hunc ſyllogiſmum tueri Borgias non poterit, niſi extra Peripatum (Thomiſtas, Scotiſtas, Nominales) ad Logicam Caramuelis recurrat.]

3. *Doctrina de comprobabilitate eſt antiqua.*

Præmiſſa contingentes incompoſſibiles producunt cõſequens impoſſibile.

Hæc tamen doctrina, & diſcriminatio antiqua eſt. Nam ex præmiſſis contingentibus poſſe deduci conſequens impoſſibile, quando tamen præmiſſæ ſunt incompoſſibiles inter ſe; atque adeò vt præmiſſæ contingentes inferant concluſionem contingentem, eas eſſe debere inter ſe compoſſibiles, docui anno 1641. *in lib.* 7. *Inſtitutionum Dialecticarum, cap.* 6. Nec primus fui, qui obſeruaui; id enim ab aliis præceptoribus Societatis noſtræ didici. Atqui idem prorſus eſt, ſub nomine comprobabilium, aut ſub nomine contingentium compoſſibilium hanc materiam tractari; probabile enim eſt contingens quoad nos, & quoad ſcientiam noſtram.

4. *Quid ſit, propoſitiones eſſe comprobabiles, non bene explicat Caram.*

Sed quid eſt, propoſitiones eſſe comprobabiles? Reſpondet Caramuel *in eodem num.* 1125. [Comprobabiles, quæ videlicet ab vno, & eodem Theologo defendi poſſunt.] Sed numquid duæ iſtæ ſunt comprobabiles: *Omnes leges ciuiles indigent acceptatione*: *Non omnes leges ciuiles indigent acceptatione.* Admitti debere à Caramuele tanquam comprobabiles, ſic probo impugnationis gratiâ. Nullæ propoſitiones magis repugnant ad comprobabilitatem, quàm duæ propoſitiones contradictoriæ: hæ autem, iuxta principia Caramuelis, ſunt comprobabiles: ergo nullæ non ſunt comprobabiles. Probatur minor. Illæ ſunt comprobabiles, *quæ ab vno & eodem Theologo defendi poſſunt*: ſed duæ contradictoriæ, iuxta modum Caramuelis, ab vno, & eodem Theologo defendi poſſunt: ergo duæ contradictoriæ ſunt comprobabiles. Minor oſtenditur. Theologus enim non defendit propoſitiones abſolutas, ſed modales de modo *probabile*, vt multis conatur ſuadere Caramuel *cit. diſp.* 2. *cap.* 1. Atqui ſub modo *probabile*, poſſe defendi duo aſſerta contradictoria, nullus eſt qui ambigat. Nam tanquam probabile defendo, omnes leges ciuiles indigere acceptatione; & etiam tanquam probabile defendo, non omnes leges ciuiles indigere acceptatione. Vide *in additionibus n.* 52.

5. Inſto. Si aliquæ eſſent comprobabiles, maximè hæ duæ, *Leges ciuiles indigent acceptatione*; *Duo argentei ſunt materia parua furti.* Sed hæ non ſunt comprobabiles: ergo nullæ. Probatur minor. Etenim neque ſunt comprobabiles, ſi aſſerantur vt modales de modo *Probabile*, neque ſi aſſerantur vt propoſitiones abſolutæ. Primùm, quia iſtæ duæ modales; *Probabile eſt, leges ciuiles indigere acceptatione*: *Probabile eſt, duos argenteos eſſe materiam paruam furti*; ſunt euidentes, cùm euidens ſit id eſſe probabile: atque adeò non ſunt probabiles, & conſequenter neque comprobabiles. Secundum etiam patet, quod ſcilicet non ſint comprobabiles vt propoſitiones abſolutæ. Illæ enim ſunt comprobabiles, quæ ab vno, & eodem Theologo defenduntur: ſed vt propoſitiones abſolutæ à nullo Theologo defenduntur; nullus enim Theologus defendit propoſitiones abſolutas: ergo vt abſolutæ non ſunt comprobabiles. Minor eſt Caramuelis *cit. diſp.* 2. *cap.* 1. præcipuè illis verbis: [Reſpondeo, propoſitiones alias proferri ſimpliciter quidem à Deo, qui vniuerſa comprehendit; ſimpliciter ab Angelo, qui naturales veritates intuetur: *At non niſi modaliter ab homine.*] Conſtat ergo, malè definitas eſſe, malè explicatas propoſitiones comprobabiles.

Eſt ergo prima difficultas, quomodo exponenda eſt comprobabilitas propoſitionum? Nam ſi dicas, comprobabiles eſſe, quæ ſunt ſimul probabiles, obiicio: nam duæ contradictoriæ incomprobabiles ſunt; & tamen ſimul, & eodem tempore ſunt probabiles. Itaque cùm dicitur, eſſe ſimul probabiles, illa ſimultaneitas non debet ſe tenere ex parte probabilitatis, ſed eſſe obiectum huius. Conſidera duas has propoſitiones. Primam: *Probabile eſt, duos argenteos eſſe materiam paruam; & probabile eſt, duos argenteos non eſſe materiam paruam.* Secundam: *Probabile eſt, hæc duo componi poſſe, & duos argenteos eſſe materiam paruam, & non eſſe materiam paruam.* Ex quibus prima propoſitio non explicat comprobabilitatem duplicis extremi contradictorij, quia loquitur de probabilitate vniuſcuiuſque extremi ſeorſim; ſecunda verò adſtruit comprobabilitatem, quia exprimit compoſſibilitatem vtriuſque. 6.

7. *Exponitur; quid ſit comprobabilitas, & incomprobabilitas.*

Itaque faciliùs expones propoſitiones comprobabiles, & incomprobabiles, ſi dicas, eas eſſe comprobabiles, quæ ita probabiles ſunt, vt ſint inter ſe compoſſibiles: illæ verò incomprobabiles, quæ ita probabiles ſunt, vt inter ſe ſint incompoſſibiles. Quod intellige, ſiue ſint incompoſſibiles ratione ſui, ſiue ſint incompoſſibiles alterius tertiæ veritatis euidentis, aut certæ. Et breuius expones ſic; *Quarum copulatio eſt improbabilis.* Vide additiones *n* 59. Quare ſi non dicas cum Caramuele, omnes propoſitiones aſſertas à Theologo eſſe modales de modo *Probabile*, ſed eſſe abſolutas; vt reliqui aſſerimus; poterit ſuſtineri illa deſcriptio Caramuelis, ſcilicet comprobabiles eſſe, *quæ ab vno, & eodem Theologo defendi poſſunt.* Nam illæ, quæ nullam afferunt inter ſe incompoſſibilitatem, ab vno, & eodem poſſunt defendi.

8. *In ordine ad quos effectus debeant eſſe cõprobabiles.*

Eſt ergo ſecunda difficultas, in ordine ad quos effectus ſit iſta comprobabilitas, vel incomprobabilitas propoſitionum? Quod idem eſt, ac inquirere, quid præſtent propoſitiones comprobabiles, quod præſtare non poſſunt incomprobabiles? Et de duobus poteſt eſſe difficultas. Primò, an præmiſſæ probabiles debeant eſſe comprobabiles, vt concluſio probabilis euadat. Secundò, an poſſit quis ſimul operari ex dictamine duarum propoſitionum incomprobabilium, ſaltem in ordine ad diuerſos actus? Et ideò hæ duæ quæſtiones ſeorſim explicandæ ſunt.

CAPVT II.

Propoſitiones debere eſſe comprobabiles, vt concluſio euadat probabilis, tanquam certum ſupponitur, & exponitur.

Syllogiſmus conſtans præmiſſis contingentibus, & concluſione impoſſibili.

9. EX contingentibus præmiſſis deduci concluſionem impoſſibilem, quando præmiſſæ contingentes ſunt incompoſſibiles, oſtendi *loco cit. Inſtitutionum Dialecticarum*, & repeto ſyllogiſmum ibi propoſitum. *Omne album eſt homo: aliquis equus eſt albus: ergo aliquis equus eſt homo.* Qui ſyllogiſmus rectè concludit, & concluſio eſt impoſſibilis, cùm maior, & minor ſint contingentes: quia tamen ſunt compoſſibiles inter ſe, rectè inferunt concluſionem impoſſibilem. Vnde ſemper ſtat illa Dialecticorum Regula, quod ex antecedenti contingenti non poteſt inferri conſequens impoſſibile: nam duæ præmiſſæ contingentes, quia incompoſſibiles ſunt inter ſe, reddunt vnum antecedens impoſſibile. Sic enim, licèt hæc propoſitio, *Petrus currit*; ſit contingens, & etiam ſit contingens hæc, *Petrus non currit*; tamen ſi in vnam propoſitionem compoſitam coaleſcant, tota propoſitio redditur impoſſibilis, quia impoſſibile eſt, Petrum ſimul currere, & non currere.

Vt concluſio ſit probabilis, præmiſſæ debent eſſe comprobabiles.

10. Eodem ergo modo, licèt ex præmiſſis probabilibus, quando comprobabiles ſunt, & non incompoſſibiles inter ſe, neceſſariò inferatur concluſio probabilis; at quando ſunt incomprobabiles, non debent producere concluſionem probabilem, ſed poſſunt improbabilem efficere. Ideóque non infertur, concluſionem eſſe probabilem, ex eo, quod præmiſſæ ſint ſeorſim probabiles, ſi re ipſa ſunt incomprobabiles, ſiue incompoſſibiles inter ſe.

Syllogiſmus ex præmiſſis incomprobabilibus rectè concludit.

11. Vbi maximè aduertendum eſt, ſyllogiſmum compoſitum ex præmiſſis incomprobabilibus, rectè concludere, ſi alio defectu non laboret. Et ita rectè concludit iſte: *Omne animal habet ſanguinem informatum animâ: nullus homo habet ſanguinem informatum animâ: ergo nullus homo eſt animal:* qui eſt in ſecundo modo ſecundæ figuræ. Ex eo enim, quod ambæ præmiſſæ ſint ſimul veræ, rectè infertur, nullum hominem eſſe animal.

12. Quod poſſit procedere concluſio improbabilis, imò & impoſſibilis, ex præmiſſis probabilibus, quæ ſint incomprobabiles, probat Caramuel *cit. eo n.* 1115. hoc ſyllogiſmo: *Quotieſcumque vnum concipitur ſine altero inter id, quod concipitur, & id, quod non concipitur, datur diſtinctio realis: in Deo concipitur Diuinitas ſine relatione: ergo inter Diuinitatem, & relationem datur realis diſtinctio.* Sed iſte ſyllogiſmus nihil probat propter duo.

Infirma probatio Caramuelis.

13. Primum, quia maior, intellecta etiam de diuinis, eſt certò falſa, & à nemine admittitur: & minor eſt certò vera, & ab omnibus admiſſa. Maior quidem eſt certò falſa: nam qui admittunt præciſiones obiectiuas, illam admittere nequeunt, vt per ſe patet. Ex illis, qui negant præciſiones obiectiuas, alij cum Scoto admittũt diſtinctionem mediam, quæ non eſt diſtinctio realis: alij diſtinctionem virtualem, vel eminentialem, quæ non eſt diſtinctio realis, quamvis ſit in ordine ad prædicata contradictoria, qualia ſunt

In diuinis nō diſtinguuntur realiter ea, quorum vnū concipitur ſine alio.

cognoſci, & *non cognoſci*. Nemo enim negat, cùm dico, *Eſſentia diuina eſt communicabilis*, ex parte ſubiecti non ſe tenere relationem Paternitatis; conſequenterque nemo negat, ex parte ſubiecti cognoſci eſſentiam non cognita Paternitate. Et ideò minorem nullus negat, quod ſcilicet in Diuinis eſſentia cognoſcatur non cognita Paternitate.

Certum eſt, eſſentiam cognoſci abſque relatione.

Secundum, quia ſyllogiſmus ille non rectè 14.
concludit. Nam quoties datur terminus aliqua ratione communis, niſi diſtribuatur, non rectè concluditur. Defectu cuius claudicat conſequentia huius ſyllogiſmi: *Eſſentia diuina eſt Pater: Filius eſt eſſentia diuina: ergo Filius eſt Pater.* Nam vt rectè procedat conſequentia, terminus *Eſſentia diuina*, qui eſt communis tribus perſonis, debet diſtribui ſic: *Omne, quod eſt eſſentia diuina, eſt Pater: Filius eſt eſſentia diuina; ergo Filius eſt Pater.*

Terminus aliqua ratione communis, debet diſtribui in præmiſſis.

Eodem ergo modo debet inſtrui ſyllogiſmus 15.
ille primus, vt legitima ſit conſequentia. *Quotieſcumque vnum concipitur ſine altero, datur diſtinctio realis inter illa: ſed omne, quod eſt Diuinitas* (vel, *aliquid, quod eſt Diuinitas*) *concipitur ſine relatione: ergo datur diſtinctio realis inter omne, quod eſt Diuinitas* (vel, *inter aliquid, quod eſt Diuinitas*) *& relationem.* Vbi conſtat, minorem eſſe falſam. Nam ſi dicas, omne, quod eſt eſſentia diuina, concipi ſine relatione, infertur, Patrem, qui identificatur cum eſſentia diuina, concipi ſine relatione. Et ſi dicas, aliquid, quod eſt eſſentia diuina, concipi ſine relatione, id non poteſt verificari in ipſamet eſſentia diuina: nam cùm hæc ſit terminus communis, ſiue communicabilis, per illud *aliquid*, determinatur ad aliquod ſingulare, & quaſi indiuiduum eius termini communis; verificarique debet in aliquo ſingulari eiuſmodi. Vnde æquiualet huic, *Aliquod ſingulare eſſentia diuina* (ſcilicet, cui communis eſt Eſſentia diuina) *concipitur ſine relatione.* Quod quàm falſum ſit, & quam diſtans à probabilitate, manifeſtò conſtat.

Quare omiſſo eo ſyllogiſmo, exemplum aptum 16.
huius rei eſt ſyllogiſmus ſupra poſitus *num.* 11. ſicut & ille alius, quem dat Caramuel *num.* 490. [Omne corpus ſublunare habet partes à quantitate: Corpus Chriſti non habet partes à quantitate: ergo corpus Chriſti non eſt ſublunare: ergò eſt cœleſte.] In quo exorbitat à Fide conſequens, quia licet duæ præmiſſæ ſeorſim ſint probabiles, ſimul tamen repugnant inter ſe. Quibus ſimiles ſunt ſexcenti alij, qui in materiis probabilibus efformari poſſunt, etiam in materiis moralibus, vt cernitur in hoc: *Omnis Religioſus tenetur obedire Prælato in materia probabiliter impoſſibili: nullus Minorita tenetur obedire Prælato in materia probabiliter impoſſibili: ergo nullus Minorita eſt Religioſus.* In quo conſequens eſt improbabile, & erroneum: maior autem eſt probabilis ex communi ſententia docente, poſſe Prælatum legitimè præcipere ſecundùm opinionem probabilem. Minor autem etiam probabilis eſt, ſaltem ab extrinſeco, ex opinione oppoſita, de qua dicemus *diſp.* 16. Sunt autem incomprobabiles maior, & minor, quia oppoſitæ ſunt, & repugnant in veritate.

Syllogiſmus ex incōprobabilibus præmiſſis.

Alius eiuſdem ordinis.

Huius autem rei ratio eſt hæc. Etenim conſe- 17.
quentia improbabilis non poteſt procedere ab antecedenti probabili: nam cùm conſequentia improbabilis ſit certò falſa, & antecedens probabile

Quare conſequentia improbabilis non

Digitized by Google

poſſet procedere à præmiſſis comprobabilibus?

babile poſſit eſſe verum, iam ex vero poſſet ſequi falſum: quod eſt contra euidentiſſimas Dialecticæ regulas. Atqui duæ præmiſſæ probabiles incomprobabiles, reddunt vnum antecedens improbabile, & ideò non eſt inconueniens, quod ex eo ſequatur conſequens improbabile. Quod euenit iuxta regulas datas in Dialectica circa præmiſſas contingentes incompoſſibiles, ex quibus reſultat conſequens impoſſibile, vt patet in exemplo dato *n. 9.*

18. *An concluſio probabilis poſſit procedere à præmiſſis incomprobabilibus?*

Diximus ex antecedenti probabili, ſiue ex præmiſſis comprobabilibus, non poſſe procedere conſequentiam improbabilem. Et rogabis, an poſſit fieri è conuerſo? ſcilicet, an conſequentia probabilis poſſit procedere ex antecedenti improbabili, ſiue ex præmiſſis incomprobabilibus? Hæc autem quæſtio duplicem poteſt habere ſenſum, alium reduplicatiuum, & alium ſpecificatiuum.

Duplex ſenſus quæſtionis.

Primus eſt, an conſequentia vt procedit ex his præmiſſis incomprobabilibus, aut ex hoc antecedente improbabili, ſit probabilis? Secundus eſt, an ex his præmiſſis incomprobabilibus, vel ex antecedente improbabili poſſit procedere conſequentia, quæ in ſe probabilis ſit.

19. *Cõcluſio probabilis non poteſt naſci ab antecedẽte improbabili reduplicatiuè.*

Et in primo quidem ſenſu certum eſt, non poſſe conſequentiam probabilem procedere ex antecedenti improbabili; probabilitas enim conſequentis conſiſtit in probabilitate motiui, quo nititur; ſiue antecedentis, in quo fundatur. Vnde licet conſequens vt illatum ex alio antecedenti probabili, mutuetur ex illo probabilitatem, at nullam poteſt ſibi comparare ex antecedenti improbabili, quin potiùs conſequens vt procedens ex antecedenti improbabili, neceſſariò eſt improbabile.

20. *Quæ probabilis eſt ex aliis præmiſſis, poteſt oriri ab antecedente improbabili.*

In ſecundo autem ſenſu non repugnat, quod ex antecedenti improbabili deriuetur conſequens, quod in ſe, & virtute aliarum præmiſſarum ſit probabile. Sic enim non repugnat, quod ex antecedenti impoſſibili inferatur conſequens contingens, vt hoc exemplo patet: *Omnis Angelus eſt albus: Petrus eſt Angelus: ergo Petrus eſt albus.* Vbi ambæ præmiſſæ ſunt impoſſibiles, & concluſio eſt contingens. Ita etiam in hoc exemplo videbis ex antecedenti impoſſibili conſequens probabile: *Omne accidens ſubſiſtit per ſubſiſtentiam realiter diſtinctam: ſed omnis homo eſt accidens: ergo omnis homo ſubſiſtit per ſubſiſtentiam realiter diſtinctam.* Ecce conſequens probabile ex antecedenti improbabili. Quod idem non repugnat, licèt antecedens ſit improbabile, eo quod compoſitum ex præmiſſis incomprobabilibus. Vnde malè colliges, concluſionem eſſe probabilem, ex eo quod inferatur ex præmiſſis ſeorſim probabilibus; ſi tamen ſint incomprobabiles, atque adeò conſtituant antecedens improbabile.

CAPVT III.

An poſſit quis reducere ad praxim ſimul duas opiniones incomprobabiles? Et proponitur ſententia Caramuelis.

21. PRædictus Author *in Theolog. fundam. n.* 670. *fund.* 18. peruenit ad eam quæſtionem; an quando ſunt opiniones probabiles oppoſitæ, quod Prælatus habet iuriſdictionem, & quod non habet illam; Vicarius, ſiue Delegatus talis Prælati teneatur certa obligatione parendi præceptis eius? Et in loco citato ita reſpondet: [Puto, Miniſtros, & Officiales omnes, quamdiu in dignitatibus collatis maneant, obedire probabiliter legitimo Superiori debere; aliàs haberent ſimul duas opiniones oppoſitas. Ordinariam enim Superioris authoritatem confitetur, qui delegatam recipit, & in aliquo officio agit Superioris Vicarium. At cæterorum ſubditorum vulgus debere obedire Superiori probabili, crediturus non ſum.] Quod idem repetit *in Reg. diſp.* 125. *numero* 1582. [Religioſus cùm admittit *Prioris* officium ab Abbate probabiliter intruſo, ſubſcribit ſententiæ aſſerenti, eum eſſe legitimum Antiſtitem; quia ipſummet admittere officium, eſt confiteri Superioris legitimam authoritatem. *Prior* igitur, quia prudenter ſentit, Abbatem ſuum eſſe legitimum, non poteſt non obtemperare, nec poteſt ſubſcribere opinioni contrariæ, quamdiu officium retinet, & vtitur authoritate delegata.]

Nega Caramuel.

22. Propoſitionem autem vniuerſalem, quod non poſſimus vti in praxi duabus opinionibus incomprobabilibus; licet quælibet ſeorſim probabilis ſit, explicuit *in eo loco Theolog. fundam. num.* 671. vbi ait: [Ratio fundamentalis eſt, quia tametſi poſſim habere quamcumque opinionem probabilem, ſeorſim, non coniunctim; nam vt ſimul duas habeam ſententias, eſſe illæ debebunt comprobabiles, & conſiſtentes, aut aliàs in ſumma præcipitia perducunt.]

23. Ad cuius ſententiæ criſim duo prænoto. Primum, in ea deſiderare me conſequentiam doctrinæ. Secundum, ſi oſtendero, probabilem eſſe oppoſitam doctrinam, manifeſtò concludi contra eam ſententiam Caramuelis.

24. *Iuxta Caramuelem qui rem dicit illicitam, debet demonſtrare.*

Quod ad primum attinet, meminerit is Author eius aſſerti, quod proponit *in Theolog. fundam. n.* 453. *fund.* 11. (de quo vide *diſp.* 10. *n.* 1.) ſcilicet: [Qui rem aſſerit eſſe illicitam, ad multa tenetur: primò enim debet oſtendere, rationes, quæ malitiam probant, eſſe demonſtratiuas.] Itaque dum contendit Caramuel, peccare Vicarium, qui non obedit præcepto Abbatis probabiliter intruſi, rationem euidentem debet oſtendere, qua conuincatur tale peccatum. Eam autem, quam retulimus, non eſſe euidentem, ex dilucida eius ſolutione patebit. Et obiter nota, non eſſe probabilem iuriſdictionem, ſed certam, quam dat error communis ex lege *Barbarius.*

25. Quod attinet ad ſecundum, id infertur ex primo. Cùm enim incumbat Caramueli id probare ratione euidenti, & euidentia argumenti diſſoluatur oſtendendo ſolutionem eius probabilem; inde eſt, quod dum oſtendero probabilem eius argumenti ſolutionem, concluſum eſſe contra eius ſententiam, oſtenſum erit. Quod verò euidentia argumenti diſſoluatur per probabilem illius ſolutionem, conſtat ex dictis *diſp.* 3. Neque enim componuntur argumenti euidentia, & probabilis ſolutio eius; repugnat namque, eſſe euidentem ratiocinationem, cuius vis probabili reſponſione diſſolui poteſt.

26. Sed quamvis hæc ita ſint, non contendo ſolùm oſtendere id probabiliter, ſed & demonſtratiuè; tum ex principiis rei intrinſecis, tum ad hominem ex principiis Caramuelis. Quod iam præſto.

CAP. IV.

CAPVT IV.

Poſſe reduci ſimul ad praxim duas opiniones incomprobabiles.

27. *Non poſſunt ſimul reduci ad praxim duæ opiniones incomprobabiles in ordine ad eundem actum.*

PRæmitto tanquam certum, duas opiniones incomprobabiles non poſſe reduci ſimul ad praxim in ordine ad vnum, & eumdem actum. Et quidem incomprobabiles ſunt duæ opiniones contradictoriæ: v. g. *Licitum eſt variare officium feriale: Non eſt licitum variare officium feriale.* Quia improbabile eſt, quod eſt licitum, & non licitum variare illud: ſicut eſt improbabile, quod poſſit dari coniunctio duplicis extremi contradictorij; quod ſaltem reſpectu eiuſdem actus recitationis intelligi debet. Quod idem de quibuſvis aliis incomprobabilibus manifeſtum erit, ſi fiat per omnes alias inductio.

28. *Poſſunt tamē in ordine ad diuerſos.*

Reſtat ergo intelligere concluſionem propoſitam in titulo capitis in ordine ad diuerſos actus, ita quod poſſimus reducere ad praxim ſimul tempore, ſiue in eodem inſtanti indiuiſibili temporis duas opiniones incomprobabiles. Et primò quidem in hoc capite loquemur in caſu propoſito à Caramuele relato capite præcedenti; deinde capite ſequenti loquemur in generali de quolibet caſu. Aſſerimus itaque Delegatum Prælati probabiliter intruſi, & probabiliter legitimi (cui non faueat error communis) poſſe non obtemperare præcepto eius.

29. *Delegatus à Prælato probabiliter intruſo, poteſt ei non obedire ex alia ratione probabili.*

Vt opereris ex opinione probabili non requiritur dictamen abſolutum, ſufficit modale.

Probatur aſſertio. Vt aliquis accipiat officium delegatum à Prælato probabiliter intruſo, & probabiliter legitimo, non eſt neceſſe, quod fateatur eius iuriſdictionem per propoſitionem abſolutam, ſed ſufficit, ſi fateatur per propoſitionem modalem de modo *Probabile*: non eſt neceſſe, quod dicat, *Iſte eſt legitimus Prælatus*; ſed ſufficit, ſi dicat, *Probabile eſt, quod iſte eſt legitimus Prælatus.* Item vt non obtemperet eius præcepto, non eſt neceſſe, quod dicat, *Iſte non eſt legitimus Prælatus*; ſed ſufficit, quod cum veritate dicat, *Probabile eſt, quod iſte non eſt legitimus Prælatus.* Atqui iſtæ duæ modales non ſunt incompatibiles inter ſe: ergo actus admittendi officium delegatum, & actus non obtemperandi in alia materia, non ſunt incompatibiles. Vel potiùs iſtæ duæ modales optimè componuntur inter ſe: ergo iſti duo actus optimè componuntur inter ſe.

30. Conſequentia patet, quia ſecundum Caramuelem non aliam ob cauſam repugnat eſſe ſimul licitos eos duos actus, niſi quia repugnat, eſſe aſſenſum, & diſſenſum ſimul de authoritate Prælati; cùm ex eo aſſenſu, & diſſenſu illi duo actus procedant. Quod verò illæ duæ modales propoſitiones bene componantur inter ſe, meridiana luce clarius eſt, cùm in ſententia Caramuelis ſint conuertibiles, imò æquipollentes, vt retuli *diſp.* 4. *cap.* 11.

31. Iam verò poſſe te admittere à Prælato probabiliter legitimo officium delegatum, ex hoc iudicio, *Probabile eſt, quod iſte eſt legitimus Prælatus*; non habet maiorem difficultatem, quàm quod poſſis admittere officium delegatum à Prælato probabiliter legitimo. Etenim hæc eſt legitima conſequentia: *Prælatus probabiliter legitimus poteſt delegare hoc officium Petro: ergo Petrus poteſt accipere à Prælato hoc officium delegatum ex eo, quod ſit Prælatus probabiliter legitimus.* Sed hoc conſequens nihil differt ab ea propoſitione, *Petrus poteſt accipere à Prælato hoc officium delegatum, iudicans probabiliter, Prælatum eſſe legitimum*; vel, *iudicans, eſſe probabile, quod Prælatus eſt legitimus*: ergo ſicut verificatur primum conſequens, ita verificatur ſubiuncta propoſitio, quæ aſſerit, poſſe Petrum accipere officium delegatum à Prælato, ex hoc iudicio modali, *Probabile eſt, hunc eſſe legitimum Prælatum*; nec requiri iudicium abſolutum, quo aſſeratur omninò abſolutè, *Hic eſt legitimus Prælatus.*

Id quod adhuc in ſententia Caramuelis maiorem vim habet, aſſerentis, à nemine dici pro- 32.
poſitiones abſolutas in materia probabili; ſed ſemper proferri propoſitiones formaliter, aut virtualiter modales de modo *Probabile*, vt retuli *diſp.* 2. *cap.* 1. ergo Petrus cùm accipit officium delegatum, & fatetur iuriſdictionem Prælati probabiliter legitimi, eam fatetur per propoſitionem modalem de modo *Probabile*: ergo hæc eſt ſufficiens, vt Petrus admittat prædictum officium delegatum.

Quod autem ſufficiat hæc propoſitio moda- 33.
lis, *Probabile eſt, hunc non eſſe legitimum Prælatum*, vt poſſit eius præcepto non obtemperare, patet ex dicendis *diſp.* 16. & ex Caramuele cit. ſuprà *cap.* 3. illis verbis: [At cæterorum ſubditorum vulgus debere obedire Superiori probabili, crediturus non ſum.] Quare, niſi quia probabile eſt, eum non eſſe Superiorem?

Confirmatur. Quando Prælatus eſt probabili- 34.
ter intruſus, & probabiliter legitimus, & præcipit duo, non eſt illicitum, quod ſubditus obtemperet in vno, & renuat in alio: ergo poteſt ſubditus recognoſcere authoritatem Prælati in ordine ad vnum, & non recognoſcere in ordine ad aliud. Ergo Delegatus Prælati poteſt recognoſcere authoritatem eius in acceptione officij, & non recognoſcere in obtemperatione præcepti. Ambæ conſequentiæ optimè deducuntur ex eo antecedenti; nam qui obtemperat in vno, & non obtemperat in alio, recognoſcit authoritatem eius in vno, & non recognoſcit in alio. Antecedens verò probatur. Nam dum obtemperat in vno, non aufert à ſe libertatem, quam dat illi opinio probabilis dictans, quod liceat non obtemperare Prælato probabiliter intruſo.

Nec modò inquiro, an aliquando ſit illicitum 35.
admittere officium delegatum à ſuperiore dumtaxat probabili; ſicut etiam, an fuerit illicitum, quod Prælatus acceptauerit ſuam iuriſdictionem cum ſola probabilitate? Fortaſſe enim ſunt multi caſus, in quibus grauiſſimè peccant eiuſmodi Prælati, præcipuè cùm acceptatio eius iuriſdictionis vergit in damnum tertij, vel communitatis: putà cùm ex ea acceptatione ſequitur, poſſe intentari nullitates actuum, quæ magna ſcandala afferre ſolent, qualia in aliquibus communitatibus experimur. Et in huius confirmationem conſidera, qualia ſcandala paſſa eſt Eccleſia Catholica, cùm tres ſimul Pontifices Romani conabantur ſuſtinere dignitatem ſuam ex rationibus probabilibus, quibus electionem ſuam vnuſquiſque conabatur fulcire. Procedunt ergo, quæ in hoc capite diximus, de iis caſibus, in quibus nulla timeri poteſt ſcandalorum occaſio.

Peccant ſæpe Prælati, admittentes iuriſdictionem merè probabilem. Item ſubditi accipientes ab eis officia delegata.

Sed quæ ad argumentum factum poteſt reſ- 36.
pondere Caramuel, ex dicendis capite ſequenti facilè refutabuntur.

Ad

Digitized by Google

37. Ad argumentum Caramuelis *cap.* 3. productum reſpondeo, falſam eſſe illam propoſitionem, quod eiuſmodi delegatus haberet opiniones oppoſitas formaliter, cùm ambæ eſſent propoſitiones modales de modo *Probabile*, quæ non opponuntur, vt dictum eſt. Et ſubiunctam propoſitionem, quod ordinariam Superioris authoritatem fatetur, qui delegatam recipit, diſtingue: [fatetur per propoſitionem abſolutam, nega; fatetur per propoſitionem modalem de modo *Probabile*, concede.] Quo pacto non opponitur alteri iudicio de probabilitate intruſionis Prælati, ratione cuius tenuit obtemperare. Similiter diſtinguenda eſt altera propoſitio in ſecundo textu. [Subſcribit per propoſitionem abſolutam, ſententiæ aſſerenti, eum eſſe legitimum Prælatum, nego; ſubſcribit per propoſitionem modalem de modo *Probabile*, concedo.]

CAPVT V.

Secunda pars eiuſdem concluſionis vniuerſalior roboratur.

38. *Poſſum ſimul accommodare meas actiones vnam opinionem, & alteram conſilio.*

RESTAT modò probare vniuerſaliter, non obſtare, quod duæ opiniones ſint incomprobabiles, quominùs poſſimus eas ad praxim reducere per actus diuerſos ſimul, & in eodem inſtanti. Probatur primò. Incomprobabiles ſunt iſtæ duæ propoſitiones, vtpote contradictoriæ: *Licet comedere ante meridiem in die ieiunij: Non licet comedere ante meridiem in die ieiunij*: & tamen poſſum ſimul tempore reducere eas ad praxim comedendo ante meridiem virtute prioris opinionis, & ſimul conſulendo alteri, ne comedat ante meridiem virtute poſterioris opinionis. Quis enim arguet me de peccato lethali, eo quod hæc ita faciam? Ergo licet ſimul tempore vti duabus opinionibus incõprobabilibus in ordine ad diuerſos actus. Et quidem nemo damnauit peccati mortalis eos Theologos, qui aliter operantur, & aliter conſulunt; qui operantur ſecundum opinionem laxiorem, & conſulunt ſecundum ſtrictiorem, dummodo vtraque opinio probabilis ſit. Quoties Theologus conſulit aliis reſtitutionem probabiliter debitam, cùm ipſe in ſimili caſu non reſtituat propter opinionem fauorabilem? Nec ſimultas temporis operandi, & conſulendi contraria, aliquam maiorem difficultatem affert, quàm quod id fiat ſucceſſione temporis. Idem fieri poteſt iuxta has duas opiniones: *Licet variare Officium Canonicum diei*: *Non licet variare Officium Canonicum diei*: quæ, vtpotè contradictoriæ, incomprobabiles ſunt. Quod in ſexcentis aliis exemplis proponi poteſt.

39. *Propoſitiones non ſunt cõtradictoria in ordine ad diuerſos actus.*

Probatur ſecundò. Duæ propoſitiones contradictoriæ probabiles (quibus nullas magis incõprobabiles reperies) non ſunt incõprobabiles in ordine ad diuerſos actus: ergo poſſunt ſimul reduci ad praxim in ordine ad diuerſos actus, cùm non aliunde id eſſet illicitum, quàm ex incomprobabilitate earum opinionum. Antecedens probatur. Tota incomprobabilitas earum opinionum prouenit ex eo, quod ſint contradictoriæ, & inuicem repugnantes: ſed in ordine ad diuerſos actus non ſunt contradictoriæ: ergo in ordine ad diuerſos actus non ſunt incomprobabiles. Maior, & conſequentia patent; & minor non minùs: eſt enim prima regula Dialecticæ, propoſitiones contradictorias eſſe debere eiuſdem de eodem: vnde ſi ſumantur in ordine ad diuerſa ſubiecta, in ordine ad diuerſa obiecta, &c. rationem contradictionis amittunt.

Probatur tertiò. Vt duæ propoſitiones ſint incomprobabiles, neceſſe eſt, quod ambæ ſimul, ſive coniunctio illarum contineatur ſub vno termino modali, *Improbabile*: v. g. *Improbabile eſt, quod poſſint coniungi hæc duo ſimul, quod liceat variare, & quod non liceat variare Officium Canonicum diei*: ſed in ordine ad diuerſos actus non ita contingit: ergo duæ opiniones non ſunt incomprobabiles in ordine ad diuerſos actus. Probatur minor. Nam hæc propoſitio; *Improbabile eſt, quod poſſint coniungi hæc duo ſimul, quod poſſit quis variare Officium, ratione affirmatiuæ opinionis quoad vnum actum, & quod poſſit conſulere ne varietur, ratione negatiuæ, quoad alterum actum*: falſa omninò eſt, nec aliquo ſolido fundamento poteſt firmari: ergo in ordine ad diuerſos actus eæ opiniones non ſunt incomprobabiles. 40.

Obiicies ex Caramuele *fund.* 11. *num.* 490. Cùm quis tenetur audire Miſſam, ſi duæ tantùm Miſſæ celebrandæ ſint, poteſt fieri hoc argumentum; *Non teneor ad audiendam primam, non teneor ad audiendam ſecundam; ergo ad nullam teneor.* Similiter hoc: *Licet omittere primam Miſſam, licet omittere ſecundam; ergo licet omittere vtramque.* Quæ duæ conſequentiæ non valent. Huius ſecundæ ratio eſt, quia quamvis omittere alteram earum ſit licitum; tamen non ſunt ambæ propoſitiones conlicitæ. Et nullitatis primæ conſequentiæ ratio eſt, quia illæ duæ præmiſſæ non conuerificantur; & tamen ſunt in ordine ad diuerſos actus: ergo opiniones incomprobabiles non poſſunt ſimul teneri, etiam in ordine ad diuerſos actus. 41. *Obiectio.*

42. *Primus ſyllogiſmus mutat ſuppoſitionẽ.*

Reſpondetur primò, præmiſſas prioris ſyllogiſmi non eſſe incomprobabiles, neque incompoſſibiles, ſed vtramque in veritate componi, quia ſenſus earum eſt, me non teneri ad primam determinatè, & me non teneri ad ſecundam determinatè, quod veriſſimum eſt; habeo enim libertatem ad neutram determinatè audiendam, ſolùm obſtringor ad vnam earum indeterminatè. Et ideò ſi conſequens loquatur in ſenſu præmiſſarum, verum eſt; quia ad neutram determinatè teneor. Quod ſi conſequens intelligatur in eo ſenſu, quod nullam, ſiue determinatè, ſiue indeterminatè audire teneor, malè concludit, quia mutat ſuppoſitionem determinatam in confuſam.

43. *Poſſunt concluſiones eſſe incõpoſſibiles ratione præcepti disiunctiui.*

Propoſitiones ſecundi ſyllogiſmi incompoſſibiles quidem ſunt: & licèt poſſit eodem modo reſponderi, reſpondetur tamen ſecundò, à me non negari, poſſe opiniones eſſe incomprobabiles in ordine ad diuerſos actus, ratione ſpecialis circumſtantiæ, qualis eſt votum, vel præceptum disiunctiuum. Itaque vbi duæ tantùm Miſſæ celebrantur, præceptum audiendi Miſſam præcipit duas illas ſub disiunctione, vel primam, vel ſecundam. Tunc ſeorſim licet omittere primam, & ſeorſim licet omittere ſecundam, ſed non licet omittere ambas. Itaque præceptum, quod disiunctiuè præcipit duas Miſſas, prohibet vtique quod dentur ambæ ſimul omiſſiones earum. Quare vi præcepti disiunctiui fiunt eæ duæ omiſſiones incompatibiles; quia qui omittit vnam, tenetur determinatè ad alteram, eo quod coniunctionem illarum

Digitized by Google

illarum omiſſionum prohibet votum diſiunctiuum. Vbi ergo inueneris præceptum diſiunctiuum, quod compoſitionem duarum omiſſionum, vel operationum inhibeat, tunc incompatibiles, vel incomprobabiles erunt propoſitiones in ordine ad eas duas omiſſiones, aut operationes; deficiente verò eo præcepto, nihil eſt, quod faciat, opiniones incomprobabiles non poſſe reduci ad praxim in ordine ad diuerſos actus, in ordine ad quos non erunt incomprobabiles.

DISPVTATIO VIII.

An quoties præmiſſæ ſunt probabiles, & comprobabiles, producant neceſſariò concluſionem probabilem?

CAPVT I.

Statuitur limitatio communis ſententiæ valdè notanda.

1. VIDEBITVR in hoc nullum poſſe interuenire dubium; id ita indiſcriminatim admittitur, ita ſæpius clamat Caramuel, idem ego aſſero, ſed cum explicatione magnoperè notanda; quæ quidem magni momenti eſt, ne intellectus ruat in plures concluſiones improbabiles.

2. *Præmiſſæ, quæ ſumantur probabiles, redduntur improbabiles, ex concluſione improbabili.*

Aſſero, præmiſſas, vt inferant concluſionem probabilem, eſſe debere probabiles in ſenſu compoſito cum concluſione. Hæc concluſio omninò practica eſt; præſcribit enim modum, quem tenere debent Theologi, dum ex præmiſſis, quæ modò ſunt probabiles, eliciunt concluſionem ad amuſſim Dialecticæ illatam, ne propterea aſſerant ſtatim, eam concluſionem eſſe probabilem; ſed examinent priùs, an ea concluſio ex aliquo principio certo ſit improbabilis: quæ ſi talis ſit, ea concluſio non fiet probabilis ex præmiſſis probabilibus, ſed præmiſſæ anteà probabiles, ex concluſione improbabili denuò apparente, fient in poſterum improbabiles.

3. *Propoſitio poteſt tranſire de probabili in improbabile.*

Pro cuius claritate præmitto id, quod latiùs oſtendam *diſp.9.cap.4.* vnam propoſitionem poſſe tranſire de probabili in improbabilem, & è conuerſo. Propoſitio enim, quæ prudentibus fulcitur rationibus, probabilis eſt, dum nullum apparet intellectui argumentum certum, aut euidens pro parte oppoſita. At vbi hoc apparet intellectui, illa prior probabilitatem amittit. Ita enim accidit multis opinionibus, quæ quidem probabiles fuerunt, dum nullum apparuit caput falſitatis earum, ſaltem moraliter certum. Probabilis fortè fuit opinio de abſolutione in abſentia ante decretum Clementis VIII. poſt ipſum verò eam opinionem eſſe prorſus improbabilem, conſtat ex citata *diſp.9. cap...* Probabiles fuerunt opiniones nonnullæ in materia Sacramentorum ante Concilia Florentinum, & Tridentinum, quæ accedente certitudine definitionis Conciliorum, redditæ fuerunt improbabiles. Id quod continget in aliquibus, quæ modò ſunt probabiles, vbi affulſerit aliquod argumentum certum, quod modò non apparet.

4. *Apparente denuò improbabilitate concluſionis, præmiſſæ fiunt improbabiles.*

Hinc fit, ſi fortè contingat, quod ex præmiſſis modò probabilibus animaduertatur denuò, inferri conſequentiam improbabilem, & certò falſam, præmiſſas, quæ hucvſque probabiles erant, dum ea conſequentia non apparuit, ea iam apparente euaſuras eſſe improbabiles. Patet ex dictis. Nam conſequentia improbabilis eſt argumentum euidens probabilitatis præmiſſarum, id eſt, vnius ex præmiſſis: cùm bene valeat ab oppoſito contradictorio conſequentis, ad oppoſitum contradictorium antecedentis.

5. Hinc patet, notatione dignam eſſe aſſertionem propoſitam: & quemmodum debeat tenere Theologus in elicienda noua conſequentia ex præmiſſis, quæ modò ſunt, & cenſentur probabiles. Neque enim præproperè currendum eſt ad aſſerendam quamlibet concluſionem, quæ denuò conſpicitur inferri ex præmiſſis probabilibus; ſed attendendum priùs eſt, an ex aliquo principio certo illa concluſio reddatur certò falſa. Nam ſi hoc contingat, potiùs vna ex præmiſſis certò falſa conſtituitur. Itaque cùm eiuſmodi concluſio ex præmiſſis modò probabilibus elicitur, vnum è duobus infertur; vel quod præmiſſæ probabiles reddant concluſionem probabilem; vel quod concluſio improbabilis reddat vnam ex præmiſſis improbabilem. Cùm ergo vtrumque fieri reipſa poſſit, æqua lance libret, & perpendat Theologus vtrumque: & quamvis videat, concluſionem inferri ex probabilibus, ne dicat concluſionem eſſe probabilem, donec videat, nihil eſſe, quod concluſionem reddat improbabilem, & certò falſam.

CAPVT II.

Exemplis aſſertio fit illuſtrior.

6. *Pueros doli capaces non teneri legibus Eccleſiaſticis ante ſeptennium, docent multi.*

HVius rei nonnulla dabo exempla, alia aſſerendo, alia Theologorum criſi committendo. Hæc aſſertio hodie reputatur probabilis: *Pueri ante ſeptennium non tenentur legibus Eccleſiaſticis, quamvis fruantur vſu rationis.* Hanc tenent Ioannes Sancius *in Selectis diſp.51.num.31.* Diana *part.4. tract.3. reſol.52.* P. Caſtro Palao *tom.1.tract.3.diſp.1.punct.24.num.3.* Attende ergo hunc ſyllogiſmum, qui artis ſyllogiſticæ præcepta exactè ſeruat: [Nulla lex Eccleſiaſtica obligat pueros ante ſeptennium, etiam rationis capaces: ſed hæc lex, quod nemo non ieiunus accipiat Euchariſtiam, eſt lex eccleſiaſtica: ergo hæc lex, quod nemo non ieiunus accipiat Euchariſtiam, non obligat pueros ante ſeptennium, etiam rationis capaces. Ergo pueris ante ſeptennium rationis capacibus licet accipere Euchariſtiam non ieiunis.] Hæc vtraque conſequentia improbabilis eſt ex ipſo ſenſu Eccleſiæ; cùm tamen minor ſit euidens, & maior reputetur probabilis.

7. *Si id vniuerſaliter accipiatur, eſt improbabile.*

Quid ergo dicendum? Aſſero, Authores, qui illam maiorem docent, non aduertiſſe ad hanc conſequentiam, quam certò excepiſſent. Interpretandi ergo ſunt, non loquutos eſſe in ſenſu vniuerſaliſſimo, ita vt comprehendant ſub ea vniuerſalitate hanc legem de non miniſtranda Euchariſtia, niſi ieiunis. Itaque poſtquam animaduertitur hæc conſequentia, ea maior in ſenſu

vniuerſa

Digitized by Google

vniuerſaliſſimo manet improbabilis. Et ad ſummum erit probabilis in ſenſu minùs vniuerſali, putà, ſi intelligatur de legibus onerosis, non de illis, quæ in reuerentiam Sacramentorum, & præcipue Euchariſtiæ, impoſitæ ſunt.

8. Idem iudicium ferendum eſt de hoc ſyllogiſmo: [Nulla lex Eccleſiaſtica obligat pueros ante ſeptennium, etiam rationis capaces: ſed hæc lex, quod nemo peccati mortalis ſibi conſcius accipiat Euchariſtiam abſque præuia confeſſione, etiamſi ſit perfectè contritus, eſt lex Eccleſiaſtica: ergo hæc lex, quod nemo peccati mortalis ſibi conſcius accipiat Euchariſtiam abſque præuia confeſſione, etiamſi ſit perfectè contritus, non obligat pueros ante ſeptennium, etiam rationis capaces. Poſſunt ergo eiuſmodi pueri peccatorum mortalium ſibi conſcij accedere ad Euchariſtiam abſque præuia confeſſione, ſola contritione contenti.] Hæc conſequentia eſt improbabilis. Minor probabilis eſt, quæ traditur à Nauarro, Medina, Palacios, Ricardo, Paludano, Adriano, & aliis apud Leandrum à SS. Sacram. *part. 2. de Sacram. tract. 7. diſp. 7. quæſt. 12.* Maior quoque, vt dixi, reputatur probabilis. Eodem ergo modo dicendum eſt, eam maiorem in tota ſua vniuerſalitate intellectam fieri improbabilem ex hac conſequentia, & ad ſummum eſſe probabilem in ſenſu minùs vniuerſali, quem expoſui.

Pueros ante ſeptennium poſſe communicare abſque præuia confeſſione, eſt improbabile.

9. Tertiò Lis eſt inter Neothericos, an ſit improbabilis opinio, quæ indulget, quodlibet officium nouem lectionum, vel feriale, poſſe commutari abſque reatu culpæ mortalis in officium de Reſurrectione, vel aliquoties, vel frequenter, vel ſemper? Quam litem modò non dirimo, ſed ſolùm, quod ad rem præſentem attinet, Theologis cenſendum committo (deciſurus quæſtionem *diſp. 31. cap. 36.*) an ea concluſio ex probabilitate antecedentis maneat probabilis; an potiùs antecedens ex improbabilitate concluſionis maneat improbabile? Qui credunt, concluſionem eſſe probabilem, nituntur hoc ſyllogiſmo: [Præceptum de Officio Canonico iniungit grauiter ſubſtantiam præcepti, non modum: ſed quod recitetur de Reſurrectione, de Natiuitate, vel de Dominica, non eſt ſubſtantia præcepti, ſed modus: ergo præceptum de Officio Canonico non iniungit grauiter, quod ſit de Dominica, aut de Natiuitate, potiùs quàm de Reſurrectione.] Si ergo inueneris præceptum certum, per quod excludatur Officium de Reſurrectione, non obſtare debet id aſſertum, quo dicis, vtramque præmiſſam eſſe probabilem: nam ſtatim atque incipit concluſio eſſe certò falſa, incipit etiam vna præmiſſarum eſſe certò falſa, quantumuis pro hac ſint multi Authores: qui quia non viderunt conſequentiam improbabilem ex illis præmiſſis deriuatam, ambas illas vt probabiles firmauerunt.

Quomodo diſcurrendum in quæſtione de ſubſtituendo Officio Reſurrectionis pro alio?

10. Ex quibus omnibus, & multis aliis ſimilibus, quæ poſſunt proponi, agnoſcitur, oportere Theologos, cùm nouas conſequentias eliciunt ex præmiſſis antea probabilibus, ne nimium fidant eo argumento, quòd illæ præmiſſæ ſunt, & reputantur probabiles; cùm poſſit fieri, vt ex ipſa conſequentia, quam eliciunt, vna ſaltem earum præmiſſarum reddatur improbabilis propter improbabilitatem nouæ conſequentiæ, quam denuò eliciunt; quam inferri ex illis præmiſſis, nondum erat animaduerſum.

11. Ex hac obſeruatione Logica, quam Caramuel omiſit, multa ſolui poſſunt, quæ in opere ſuo interrogatorio (ſic vocat ſuam Theologiam fundamentalem) proponit contra aſſertiones certiſſimas. Vnum pro re præſenti do exemplum, quamvis plura poſſem.

Certa, & indubitata concluſio eſt, votum ſolemne caſtitatis valere, etſi poſt illud emiſſum, denuò occurrat difficultas ſe continendi, quæ ſi fuiſſet præuiſa, non voueretur. Ita conſtat ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. can. 9. de Sacramento Matrimonij. Si quis dixerit Clericos in ſacris Ordinibus conſtitutos, vel Regulares caſtitatem ſolemniter profeſſos poſſe matrimonium contrahere, &c. poſſeque omnes contrahere matrimonium, qui non ſentiunt ſe caſtitatis, etiamſi eam vouerint, habere donum, anathema ſit: cùm Deus id rectè petentibus non deneget, nec patiatur nos ſupra id, quod poſſumus, tentari.* 12.

Votum caſtitatis certò valet, etſi poſteà occurrat difficultas nõ præuiſa.

Adhuc tamen contra eam certiſſimam aſſertionem Caramuel *in Theolog. fundam. num. 1401. fund. 50.* nomine cuiuſdam Religioſi ſecularem vitam ambientis, hoc proponit argumentum. [Si quidem eiuſdem ſpeciei infimæ votum ſimplex, ſolemneque, nemini ero iniurius, ſi eodem modo de vtroque philoſopher. Experior eſſe ſupra vires meas caſtitatem ſeruare, adhibui ieiunia ſeuera, diſciplinas, cilicia, & ago vitam miſerrimam, vt compatiantur mihi, etiam qui malè affecti; interim nec ideò caſtè viuo. Per viam ſtrictam, & aſperam ad infernum præcipitor. Et inquiro, an non ſit melius nubere, quàm vri. Nolo rogari, an ſi hæc præuidiſſem, adhuc caſtitatem vouiſſem; certò enim ſcio, me ideò vota emiſiſſe, quia volebam tranquillè, & ſanctè viuere; & nunquam emiſſurum ea fuiſſe, ſi præuidiſſem, me nec ſanctè, nec tranquillè victurum. Nec volo audire, me peccare, quia volo; id enim fateor: addo tamen, me nunquam emiſſurum fuiſſe caſtitatis votum, ſi tam eſſe difficilem, & arduam eius obſeruantiam præuidiſſem. Ergo non teneor voto; quia ſi hoc præuidiſſem, non vouiſſem.] Aliaque adiungit in huius confirmationem. 13.

Obiectio Caramuelis contra valorem certum veti ſolemnis.

Quod argumentum ad hanc breuiorem formam redigi poteſt. Tunc votum emiſſum non valet, quando occurrit grauis difficultas, quæ ſi præuideretur, votum non emitteretur: ſed ſi præuideretur à tali Religioſo ea difficultas ſe continendi, quam modo experitur, votum non emiſiſſet: ergo tunc votum non valet. Ergo licèt illi tranſire ad nuptias. Maior videtur probabilis, quam tenent aliqui Authores. Minor eſt facti, in qua videtur fides adhibenda atteſtanti. Et conſequentia tenet. Omitto Caramuelis reſponſionem, quæ multis impugnationibus obnoxia eſt. 14.

Ex hac ergo Logicæ obſeruatione reſpondeo, ſuppoſito quod conſequentia eſt improbabilis, antecedens quoque euadere improbabile: & ſi hoc eſt improbabile, & in illo minor, quia facti eſt, cenſeatur vera, aut probabilis, maiorem eo ipſo reddi improbabilem in tota illa latitudine aſſumptam, ſolúmque poſſe eſſe probabilem, ſi cum aliqua limitatione diſponatur, vt non comprehendat votum ſolemne caſtitatis. De quo alibi fuſiùs dicturus ſum. Vide aliud exemplum *diſp. 23. num. 214.* 15.

Ex conſequentia eius obiectionis improbabili, antecedens fit improbabile.

Digitized by Google

DISPVTATIO IX.

An detur in mundo viſibili authoritas condemnandi opiniones probabiles.

CAPVT I.

Quàm plenus ſophiſtica æquiuocatione ſit titulus.

1. *Æquiuocatio latens ſub titulo.*

TITVLVM huius diſputationis eiſdem omninò verbis reperies in Theologia fundamentali Caramuelis *numero* 311. *fund.* 11. in editione Lugdunenſi anni 1657. (hac editione Theologiæ fundamentalis ſemper vtor.) Et vt ſtatim ab exordio quæſtionis videas, quantam patiatur æquiuocationem ſophiſticam hic titulus, aduerte, eam quæſtionem eſſe ſimilem huic: *An omnipotentia facere poſſit, quod cæcus videat?* Quæ quidem quæſtio duplicem ſenſum habere poteſt; & ſenſum compoſitum, & ſenſum diuiſum. Senſus compoſitus inquirit, an omnipotentia facere poſſit, quod cæcitas, ſiue priuatio viſionis componatur cum viſione? Senſus diuiſus inquirit, an omnipotentia facere poſſit, quod cæcus amittat cæcitatem, & ita videat? Et ſi quidem à primo ſenſu arguis ad ſecundum; & quia non poſſunt componi cæcitas & viſus, arguis ad improbandum Chriſti miracula, quibus factum eſt, vt cæci viderent, ſophiſticè arguis, & ſophiſtica æquiuocatione vis certiſſimam veritatem confundere.

Diſtinguendus ſenſus compoſitus, & diuiſus.

2. Eumdem duplicem ſenſum habet titulus huius quæſtionis, compoſitum, & diuiſum. Compoſitus inquirit, an propoſitio probabilis, manens probabilis, ſit condemnabilis? ſiue, an hæc duo poſſint componi; quod propoſitio ſimul ſit & probabilis, & condemnabilis? Senſus autem diuiſus inquirit, an propoſitio priùs probabilis poſſit, amiſſa probabilitate, fieri condemnabilis? ſiue, an propoſitio probabilis poſſit amittere probabilitatem, ita vt reddatur condemnabilis?

3. *Implicat quòd propoſitio probabilis in ſenſu compoſito, ſit damnabilis.*

Et quidem implicat contradictionem, quod propoſitio probabilis in ſenſu compoſito, ſit condemnabilis; quia implicat contradictionem, componi probabilitatem cum condemnabilitate. Si autem inde progrederis; & ex hoc, quod propoſitio probabilis in ſenſu compoſito nequit eſſe condemnabilis, arguis, & infers, non poſſe Romanum Pontificem damnare illam propoſitionem, & auferre probabilitatem ab illa, & reddere illam improbabilem, doloſè arguis, & ſophiſticè; ſiquidem à ſenſu compoſito arguis ad diuiſum. Maximè cùm probabilitas propoſitionis ſit perfectio extrinſeca, & amiſſibilis, vt conſtabit *ex cap.* 4. Eritque id argumentum ſimile huic: *Implicat, cæcum videre: ergo nulla poteſtas facere poteſt, quod cæcus videat.* Sophiſticè enim procedit, dum aſſumit antecedens in ſenſu compoſito, & conſequens in ſenſu diuiſo.

4. Titulus ergo vt prudenter, vtiliter, & abſque æquiuocatione proponeretur, ſic proponi debuit: *An detur authoritas condemnandi vt improbabiles eas propoſitiones, quæ priùs erant, vel quæ priùs videbantur probabiles?* Vel ſic: *An opinio probabilis amittere poſſit probabilitatem, & reddi improbabilis vi condemnationis Pontificiæ?* Sic enim vitaretur confuſio orta ex æquiuocatione ſophiſtica, propoſita quæſtione (qualis illa eſt, & eſſe debet) in ſenſu diuiſo.

CAPVT II.

Sententia Caramuelis, & ſectatorum eius explicatur.

IN qua quæſtione multa dixit Caramuel, & multa verborum inuolucris obnubilauit, vt aſperitatem ſententiæ temperaret. Audi Amadæum Guimenium *tract. de opinione probab. propoſ.* 1. *num.* 4. cuius hæc ſunt verba: [Sed quid, ſi de mandato Sanctæ Inquiſitionis expuncta ſit? Reſpondet Caramuel *in Theolog. fundam. part.* 1. *fol.* 17. *in epiſtola dedicatoria ad Innocentium X.* (in editione Francofurtenſi) *Scio, communi Theologorum iudicio, has inhibitiones habere tantùm vim opinionis probabilis, aut probabilioris vt plurimùm.* Et 2. *part. Theolog fundam. fol.* 5. *num.* 12. *Quando liber*, inquit, *vel ſententia interdicitur, non aſſeritur eſſe improbabilis, ſed iuſſa manere in gradu probabilitatis, in qua antea erat, ob bonum publicum, vel priuatum; nec dictari, nec defendi præcipitur.* Et audaciùs 1. *part. Theolog. fundam. num.* 82. & 259 & 285. totis viribus ſuadere conatur, quod *non datur in mundo viſibili authoritas condemnandi opiniones probabiles.* Verùm eiuſmodi poſitiones non bene audiunt apud Theologos.] Huc vſque Amadæus. 5.

Affirmat, non dari in mundo viſibili authoritatē dānandi opiniones probabiles.

Ex præcitatis autem textibus Caramuelis primus non inuenitur in editione Lugdunenſi an. 1657. caret enim hæc editio epiſtola ad Innocentium X. ſed reperitur, vt notaui, in editione Francofurtenſi. Secundus verò reperitur in ea editione Lugdunenſi *num.* 260. *fund.* 5. & tertius *eod. fund. num.* 311. 316. & 317. Vbi notabis, ex ſententia Amadæi non eſſe probabilem eam doctrinam: nam opiniones verè probabiles bene audiunt apud Theologos: quod ſi non benè audit, ſignum eſt, eam à gremio Theologiæ probabilis expellendam eſſe. 6.

Sed diſtinguit Caramuel inter *interdicere*, & *condemnare* propoſitionem. Cùm interdicitur, manere in ſuo gradu probabilitatis, affirmat: ſic enim Biblia ſacra idiomate vulgari tranſlata interdicuntur; cùm tamen contineant doctrinam de Fide. Quod verum eſt, quando non ſignificatur interdici ratione prauitatis doctrinæ, nec cenſura Theologica notatur. Nam ſi ita interdicatur, ea non eſt dumtaxat interdictio, ſed condemnatio. Sed videamus, quod genus condemnationis admittat Caramuel, quod poſſit procedere à Romano Pontifice, vel Inquiſitione. 7.

Diſtinguit inter interdicere, & condēnare.

Num. 315. *fin.* ait: [Hæ duæ propoſitiones, videlicet, *Opinio probabilis condemnari poteſt*: & *Opinio probabilis condemnari non poteſt*; licèt videantur contradictoriæ, veræ ſunt.] Videamus quomodo. Nam præſtat magna attentione id inueſtigare. 8.

Progreditur immediatè *num.* 315. ad eius quaſi magiſterij expoſitionem, & ita ait: [Porrò prima vera eſt: nam quotidie videmus opiniones *verè probabiles* condemnari. Ego primam ita admitto, vt exiſtimem, opiniones verè probabiles ſpeculatiuè, condemnari practicè: nam poſſibile eſt, opinionem 9.

Ait, propoſitiones ſpeculatiuè probabiles, poſſe damnari practicè.

opinionem probabilem ſpeculatiuè, habere practicè aliquam circumſtantiam adnexam, quæ probabiliter excuſari non poſſit. Hoc ſenſu aliqui dicunt, hanc propoſitionem, *In re venerea datur materiæ paruitas*, eſſe ſpeculatiuè probabilem; at practicè improbabilem, & in multis communitatibus condemnatam; & ab Eccleſia aliquando, non obſtante ſua ſpeculatiua probabilitate, practicè condemnandam, aut minimùm interdicendam: nam ſpeculatiuè præſcindit a circumſtantia periculi, à qua practicè præſcindere nequit.]

10. Vides igitur, ſecundùm Caramuelem, eas ſolùm opiniones condemnabiles eſſe, quæ dumtaxat ſunt ſpeculatiuè probabiles, practicè autem improbabiles; atque adeò, quæ practicè probabiles ſunt, vel fuerunt, non poſſe vi condemnationis Pontificiæ amittere ſuam probabilitatem. Id quidem aſſerit de prima propoſitione, nempe *Opinio probabilis condemnari poteſt.*

11. *Quo ſenſu affirmet, opinionem probabilem damnari non poſſe.*

Quomodo autem verificetur ſecunda propoſitio, ſcilicet, *Opinio probabilis condemnari non poteſt*, ſic explicat *num.* 317. [Porrò ſecunda etiam eſt vera: cùm quia opinio probabilis practicè condemnari *non ſolet*. Quid ſi condemnaretur? Darent Deo rationem condemnantes.] Siſte Lector, & attentè conſidera, quid his verbis ſignificet Caramuel. Numquid hæc eſt legitima conſequentia? *Opinio probabilis condemnari non ſolet: ergo condemnari non poteſt.* Numquid hæc conſequentia digna eſt Caramuele, ingenioſo Dialectico, conſequentiarum ſtudioſo inueſtigatore? Vel eo verbo, *Non ſolet*, aliquid aliud intendit, quod clarè affirmare non audet? Intendit ſanè, & ſatis mentem explicuit primò, dum interrogationi factæ per verbum *Non poteſt*, reſpondet per verbum *Non ſolet*. Secundò verbis immediatè ſubſequentibus: *Quid, ſi condemnaretur? Darent Deo rationem condemnantes.* Id eſt, ſi condemnaretur, iniuſtè condemnaretur: de qua iniuſtitia Deo redderent rationem iniuſti condemnatores. Iniuſtus ergo erit condemnator, quicumque opinionē probabilem damnauerit. Ex quo fit, opinionem probabilem iniuſtè poſſe, iuſtè non poſſe condēnari. Id quidem in ſenſu compoſito certiſſimum; neque enim poteſt ſimul eſſe probabilis, & damnabilis. Sed quæ priùs probabilis, numquid poterit in ſenſu diuiſo deinceps condemnari?

12. Progreditur Caramuel immediatè poſt verba proximè relata. [Cæterùm ſemel condemnata, non eſſet ampliùs probabilis practicè, quovſque cenſura tolleretur.] Ecce ſemel condemnata ea propoſitio non manet probabilis practicè, bene tamen ſpeculatiuè. Sed quid eſt, non eſſe probabilem practicè? Et quid eſt, eſſe probabilem ſpeculatiuè?

13. *Quid ſit, propoſitionē dānatā non eſſe probabilē practicè? Ait, ita eſſe pro foro externo.*

Procedit, & ſic explicat. [Hanc veritatem exemplo clariſſimo expono. Aio, duplicem eſſe honeſtatem, alteram ſpeculatiuam, alteram practicam: illa ad forum internum pertinet, hæc ad externum. Eſt honeſtus quoad ſe, & in foro interno, qui nullum crimen commiſit: & qui commiſit, occultè tamen, eſt inhoneſtus in foro interiori; at in foro exteriori, & quoad nos, eſt honeſtus. Si quis autem per ſententiam Iudicis declaratur infamis, & ſit innocens; ſpeculatiuè, hoc eſt, quoad ſe, quoad Deum, permanebit honeſtus: at practicè, hoc eſt, quoad homines, erit infamis, quovſque ſententia illa prior ſecundâ ſententiâ damnetur. Idem dicito de propoſitionum probabilitate; quæ enim damnantur iuſtè, aut iniuſtè dicuntur verè damnatæ; & hac ignominia carere non poterunt, quovſque condemnatio tollatur.] Hucvſque Caramuel.

14. Iuxta quæ, ſi Sanctiſſ. D. N. Alexander VII. damnauerit vt ſcandaloſam, & temerariam opinionem, quam Caramuel dixerit probabilem in praxi, illa quidem damnata manebit practicè, id eſt, in foro exteriori, quovſque Alexander VII. reuocet ſuam damnatoriam ſententiam. At verò ſpeculatiuè, id eſt, in foro interiori, & coram Deo, & pro interna conſcientiæ ſecuritate, illa propoſitio manebit probabilis. Et ita non eſt in mundo viſibili authoritas condemnandi ſpeculatiuè, & pro foro interno opinionem, quæ erat probabilis in praxi.

15. Hinc comperies, eum non ſibi contradicere, cùm *in eodem fund. 5. num.* 304. aſſeruit: [Quando Cardinales aliquam ſententiam condemnant, auferunt omnē eius practicam authoritatem, & & illam reddunt, nòn iam minùs probabilem, ſed improbabilem.] In quibus verbis licet videatur ſibi ipſi contradicere, non tamen contradicit, ſed amphibologicè loquitur. Nam ſi ea verba conferas cum explicatione proximè relata, inuenies, ſenſum eſſe, eam propoſitionem non manere probabilem practicè, hoc eſt, in foro externo; bene tamen ſpeculatiuè, id eſt, pro foro interno.

16. Sed in ordine ad quem finem aſſerit Caramuel, non eſſe in mundo viſibili authoritatem damnandi pro foro interno opiniones probabiles? Numquid in eum finem, vt ſi quando Caramuelis, vel alterius priuati Doctoris iudicio aliqua opinio fuerit in ſe probabilis, & à Romano Pontifice declaretur improbabilis, non ſtare debeant Fideles iudicio Magiſtri communis, ſed iudicio potiùs Doctoris priuati?

17. Ad eum finem pergere hanc doctrinam Caramuelis, patet: nam planè aſſirmat, quod ſi re ipſa damnatur opinio probabilis (caue à ſenſu compoſito) iniuſtè damnatur: quandoquidem pro foro interno, ſecundùm Caramuelem, manet adhuc probabilis. Iuxta quem hic diſcurſus videtur legitimus: [Hæc opinio, meo iudicio, eſt probabilis; & iudicio Romani Pontificis eſt improbabilis: ſed opinio, quæ probabilis eſt, non poteſt eſſe pro foro interno improbabilis, neque damnabilis: ergo quamvis iudicio Romani Pontificis ſit improbabilis, adhuc probabilis remanet pro foro interno.]

18. Et ſtatim ab ipſo limine diſputationis aduerte, eum diſcurſum eſſe ſimilem huic: [Hæc propoſitio, meo iudicio eſt Catholica, & iudicio Romani Pontificis eſt hæretica: ſed propoſitio Catholica nequit eſſe hæretica: ergo quamvis iudicio Romani Pontificis ſit hæretica, adhuc pro foro interno manet Catholica.]

19. Et inter vtrumque diſcurſum ea ratio diſcriminis intendi poteſt ab aduerſariis, quòd dicant, iudicium Romani Pontificis de propoſitione hæretica, vel Catholica eſſe infallibile; iudicium autem Romani Pontificis de probabilitate, vel improbabilitate, non eſſe regulam infallibilem, ſed id iudicium eſſe expoſitum deceptioni.

20. *An iudicium Pontificis de probabilitate, & improbabilitate in materia morum, ſit regula infallibilis.*

Hinc naſcitur ea quæſtio, an iudicium Romani Pontificis de probabilitate, vel improbabilitate in materia morum, pro foro interno ſit regula infallibilis? Et ita ad vitandam omnem ſophiſticam æquiuocationem, & amphibologiam, oportuiſſet potiùs quæſtionem his terminis propoſuiſſe.

21. Quare priùs inquiram de priori quæſtione, ſcilicet, an detur in mundo viſibili, nempe in Romano Pontifice, authoritas condemnandi pro foro interno opiniones priùs probabiles? Deinde dato, quod pars negatiua eius quæſtionis admittatur, an inde inferatur, quod facta damnatione opinionis, non ſtandum ſit, pro foro interno, iudicio Romani Pontificis? Et cùm audis, nos loqui de propoſitione priùs probabili, aduerte, eam dictionem *Prius*, denotare, eam propoſitionem eſſe probabilem ante iudicium condemnatorium illius.

22. *Declarationes Cardinalium lata, & promulgata nomine Pontificis, ſunt ſicut cætera ges Pontificia.*

Nota etiam, quod quamvis ibi maiori ex parte loquatur Caramuel de condemnatione facta à Congregatione Cardinalium; agnoſcit tamen diuerſitatem declarationum, & deciſionum, quas ipſi exhibent vt priuati Iudices; & declarationum, quæ de ſpeciali mandato Romani Pontificis, ipſius nomine feruntur, & promulgantur. In quo ſecundo caſu ipſæ non ſunt propriè declarationes Cardinalium, ſed declarationes Romani Pontificis de conſilio Cardinalium. Et ideò Caramuel *in Theolog. fundam numero* 255. ait: [Non enim ipſi, ſi in rigore loqui velimus, ſunt, qui illas interpretantur; ſed ſunt, quibus Pontifex vtitur, vt eas interpretetur. Et hanc ob rem eorum declaratio, & interpretatio eſt authentica, & obſtringit conſcientias.] Ex quibus fit, cùm Caramuel negat in mundo viſibili authoritatem condemnandi pro foro interno propoſitiones probabiles, loqui etiam de condemnatione, quam fecerit Romanus Pontifex de conſilio Cardinalium; quamvis ſeorſim loquatur etiam de Congregatione Cardinalium Inquiſitorum per ſe, & de Tribunali Inquiſitionis Hiſpanicæ.

23. *Prado.* Incidit in hanc ſententiam Caramuelis Martinez de Prado *tom. 2. cap. 33. in append. contra Caramuel. quæſt. 2. §. 2. num. 22.* & ex parte conſentit Caramueli his verbis: [Si ergo opinio ſit intrinſecè probabilis, ſicut nulla humana authoritate fieri poteſt, quod bonum ſit malum, & quod lux ſint tenebræ; ita nec fieri poteſt, quod probabile ſit improbabile. Quando autem probabilitas eſt extrinſeca, & apparens, quamvis per accidens deſeruire poſſit, vt operantes, & errantes inuincibiliter excuſentur à peccato; tamen per ſe loquendo, ad Papam primariò, & authoritatiuè, & Dominos Cardinales, & ſupremos Fidei Iudices pertinet declarare, quid tenendum ad Fidei, & morum integritatem & quid operandum. Et hac via videmus innumeras propoſitiones antiquitus exiſtimatas probabiles, hodie declaratas improbabiles.]

24. Vbi vides, quia Prado non diſtinxit ſenſum compoſitum & diuiſum, ideò eum non admittere, opinionem olim ab intrinſeco probabilem, poſſe deinceps humana authoritate condemnari. Patitur ergo communem cum Caramuele æquiuocationem; & ex eo quod in ſenſu compoſito bonum non poſſit eſſe malum, nec probabile in eodem ſenſu poſſit eſſe improbabile, vult opinionem intrinſecè probabilem nullo modo poſſe fieri damnabilem. Sed neque in legitimo ſenſu verſat quæſtionem, ſcilicet, an damnatio Pontificia ſit legitimum argumentum ad colligendam improbabilitatem intrinſecam opinionis?

25. *Murcia.* Eandem ſententiam defendit Leander à Murcia *lib. 2. diſquiſit. moral. diſp. 4. reſol. 25. num. 17.* vbi ait: [Et ad id, quod obiicitur, quod hæc opinio prohibita ſit à Fidei Cenſoribus, & mandata expungi; reſpondetur, quod eſſe prohibitam aliquam opinionem, non ſolùm à Fidei Quæſitoribus, ſed etiam à Summo Pontifice, non reddit illam intrinſecè improbabilem.] Quamvis poſteà dicat in quæſtione principali, ſe amplecti oppoſitam ſententiam. Sed videtur hanc ſententiam, ſaltem vt probabilem admittere; & ita ſicut neque cætera argumenta pro opinione, quam ibi conatur promouere, diſſoluit; ita neque hanc obiectionem de probabilitate opinionis prohibitæ.

CAPVT III.

Argumenta pro ſententia Caramuelis.

26. PRimum argumentum eſt id, quod affert Prado proximè citatus, quodque ſparſim in ſuo diſcurſu ſæpe tangit Caramuel, præcipuè illis verbis *ex numero* 317. relatis ſuprà *num.* 13. Nulla authoritas facere poteſt, quod bonum ſit malum, quod innocens ſit reus, quod lux ſint tenebræ: propoſitio autem probabilis bona eſt, innocens eſt, & lux inter tenebras: ergo nulla authoritate fieri poteſt, quod ſit improbabilis, aut damnabilis.

27. Confirmatur. Si innocens damnetur vt reus, licèt in foro externo maneat noxius, in foro tamen interno innocens permanet: ergo ſimiliter ſi opinio probabilis damnetur vt improbabilis, in foro externo reputabitur improbabilis; at in foro interno probabilitatem ſuam retinebit.

28. *An delatores, & cenſores ſint quandoque ignari.* Secundum eſt, quod proponit *num.* 311. deſumptum ex eo, quod quandoque Delatores, & Cenſores, aut ignari, aut parum docti ſint. [Ponendi, inquit, ob oculos Patres Carmelitani Diſcalceati in Hiſpania, qui ante annos viginti, Ordinis Prophetici *mirabilem* hiſtoriam euulgarunt, quæ varias ſubiit Theologorum cenſuras. Traductus fuit ab ignorantibus liber, & accuſatus.] Et *numero* 314. [Cenſores fuiſſe *puros* Theologos, *paruæ, aut nullius eruditionis*; & qui non poterant de hiſtoria iudicare. Et vt rem ego fatear, cognoſco nonnullos Cenſores doctiſſimos; cognoſco & alios, paucos tamen, & raros. Et video humana omnia in mundo tractari humanitus,] &c. Ex quibus omnibus in eum ſcopum collimat, vt cenſura Inquiſitionis expoſita ſit errori, nec ſit ſufficiens tollere probabilitatem opinionibus.

29. Et nota, quàm immeritò *mirabilem* vocat hiſtoriam, quam Tribunal Fidei damnabilem cenſuit, ſcilicet quoad aliquas propoſitiones. Item quàm iniquè ignorantes dicat Delatores, cùm ipſe fateatur ſe non habere de ea re ſufficientem cognitionem. Nam poſtquam multa dixit pro defenſione eius libri, ait: [Ab eorundem cauſa ſuperſedeo; non enim illam propoſui, vt illos defenderem, aut impugnarem: alterutrum enim vellem, maiori indigerem notitia, quàm habeo.]

30. Tertium eſt, quod proponit pro illis propoſitionibus Patrum Carmelitarum Diſcalceatorum *num.* 311. & 312. in hæc verba: [Vt priorem (librum) tueantur, edunt alterum Patres, quem olim

olim libenter legi, ex quo nunc potiſſimas poſitiones aſſumo. Prima erat: *Alterius eſt dare Eccleſiæ articulos Fidei, & definire, quænam propoſitiones ſint hæreticæ; & alterius eſt hæreticas, ſeu perſonas, ſeu propoſitiones comburere. Cæterùm quos Eccleſia hæreticos dixerit, ſeu articulos, ſeu homines, poterit inquiſitio vltimâ ſententiâ condemnare.* Ex hac doctrina *ſolidiſſimè* inferebant PP. Carmelitani, non ſpectare ad Hiſpanos, condere articulos Fidei, ſed iuxta datos ab Eccleſia Romana, iudicare. Cùm igitur in toto illo libro (ſic dicebant) nihil eſſet, quod in articulos Fidei impingeret, non eſſe, cur illum Hiſpani condemnarent, niſi innocentem vellent; quod de illis præſumendum non erat.]

31. Itaque ſecundum hanc *ſolidiſſimam* doctrinam Carmelitani libri, & Caramuelis, Tribunal Fidei Hiſpanum condemnare non poteſt, niſi eas propoſitiones, quas hæreticas declarauerit Romanus Pontifex: at quando Tribunal prædictum damnat aliquas propoſitiones, quæ reputabantur probabiles, nondum Romanus Pontifex eas vt hæreticas declarauit; de his enim loquimur in præſenti: ergo Tribunal Fidei Hiſpanum eas condemnare non poteſt.

An Tribunal Fidei damnare non poſſit, niſi propoſitiones hæreticas?

32. Videant Lectores, quàm leui fundamento ducatur hic Author, dum non vult condemnari ab Inquiſitione niſi propoſitiones formaliter hæreticas. Numquid ergo cæteræ propoſitiones Theologica cenſura dignæ, impunè graſſabuntur? Graſſabuntur vtique cum periculo impingendi in propoſitiones hæreticas.

33. Quartum eſt, quod proponit *num.* 315. Poteſt interdici liber, vel opinio, ſine eo quod eius doctrina condemnetur: ergo quamvis interdicatur opinio, poteſt manere in ſtatu probabilitatis. Probat antecedens. Nam Biblia ſacra ad vulgare idioma tranſlata, interdicuntur; cùm tamen contineant doctrinam de Fide.

An poſſit interdici liber, quin doctrina damnetur?

34. Quintum eſt, quod proponit *numero* 301. vbi cùm retuliſſet quaſdam propoſitiones circa celebrationem Miſſarum inhibitas in decreto Vrbani VIII. facto de conſilio Congregationis Cardinalium; & retuliſſet ex Diana, eas propoſitiones eſſe damnatas ab eiuſmodi Congregatione, hæc addit Caramuel: [Quales igitur erunt modò? Improbabiles, an tantummodò minùs probabiles? Si improbabiles, cur? An ob nudam reprobationem? An ob demonſtrationem, quam hodie habemus, cuius veteres non habuerunt notitiam?] Quam obiectionem inſolutam relinquit: vnde argumentum ſic poteſt efformari. Vt aliqua propoſitio ſit improbabilis, debet dari argumentum moraliter euidens, quod probabilitatem excludat: ſed nuda reprobatio non eſt argumentum moraliter euidens, quod probabilitatem excludat; neque datur aliquod aliud euidens contra illas propoſitiones: ergo per eam condemnationem illæ non remanent improbabiles.

35. Sextum eſt, quod proponit Leander à Murcia *eo n.*17. deſumptum ex Caramuele; ſic enim arguit: [*Multoties* Summus Pontifex ob iuſtiſſimas cauſas prohibet docere aliquam opinionem, vel eam publicè, aut priuatim defendere propter grauia inconuenientia; cùm tamen per illam prohibitionem non intendat eius probabilitati derogare. vt patet in opinione aſſerente, B. Virginem in peccato originali conceptam fuiſſe: quæ opinio non ſolùm publicè, ſed etiam priuatim do-

R. P. Ioan. de Carden. Criſis Theolog.

ceri, vel defendi prohibita eſt à Summis Pontificibus Paulo V. & Gregorio XV. & nouiſſimè à D. N. Alexandro VII. non ſolùm eodem modo prohibita, ſed expungi, & deleri iuſſa, cum præcepto denunciandi Fidei Cenſoribus, non ſolùm eam publicè docentes, ſed eam in priuatis colloquiis defendentes; & tamen eiuſdem probabilitati derogare non intendiſſe, vel intendere, iidem Pontifices declarant, ſub præcepto prohibentes, quod nullus eandem opinionem alicuius cenſuræ, videlicet improbabilitatis, temeritatis, erroris, hæreſis, vel alterius notæ inurat, eandem pro foro conſcientiæ, ſeu interno, cuilibet permittentes.]

Ex quibus verbis hoc efformatur argumentum. Sæpe Romanus Pontifex prohibet defendi aliquam opinionem propter grauia inconuenientia, quin intendat derogare probabilitati eius: ergo eſſe prohibitam aliquam opinionem à Romano Pontifice, non reddit illam improbabilem. Antecedens probatur. Romani Pontifices prohibuerunt defendi opinionem, quod B. Virgo concepta ſit in peccato Originali; & tamen eius probabilitati non intenderunt derogare: ergo *multoties* Romanus Pontifex prohibet defendi aliquam opinionem, quin intendat eius probabilitati derogare. Probat minorem. Romani Pontifices prohibent cenſura notare eam opinionem: ergo declarant, ſe non intendiſſe eius probabilitati derogare. 36.

CAPVT IV.

Præmittitur, vnam propoſitionem poſſe tranſire de probabili ab intrinſeco, in improbabilem, aut certam.

PRopoſitionem in titulo præfixam admittit Caramuel *in Theolog. fundament. num.* 447. *fund.*11. eam confirmans ab experientia, eo quod dari Antipodes, tempore S. Auguſtini non erat probabile; nullum enim tunc fundamentum poſitiuum dabatur ad illud aſſerendum; id tamen iam tranſiit in euidentiam. Et quia multæ opiniones olim cenſebantur probabiles, quas improbabiles eſſe, iam eſt compertum. 37.

Id affirmat Caramuel, & meritò.

Ita aſſerit ibi quinta concluſio: [Propoſitio, quæ hodie nec eſt probabilis, nec improbabilis, cras eſſe poterit probabilis, & perendie aut euidenter vera, aut euidenter falſa.] Et *in Theolog. Intention. lib.*4. *part.*4. *præcept.* 8. *num.*1975. ſic ait: [Multa enim priores noſtri probabiliter tenuerunt, quæ hodie certa: multa hodie probabiliter tenemus, quæ olim conſtabunt. Et tamen probabiliter iudicare, nihil eſt aliud, quàm veritatem inuincibiliter, adeóque inculpabiliter ignorare.] Quæ poſtrema verba, ſcilicet, *nihil eſt aliud*, &c. benignè interpretanda ſunt, vt ſubſiſtant. Eſt enim quid aliud in opinione probabili, videlicet fundamentum graue, cuius robore opinio firmatur. Nec propriè dicitur ignorans, qui probabiliter opinatur: magis propriè dices, in eo ſcientiam deficere. 38.

Concluſionem oſtendo primò ex ipſa definitione probabilitatis. Opinio probabilis ab intrinſeco illa eſt, quæ nititur graui fundamento rationis, licet non certo: ſed quæ modò nititur graui fundamento rationis, mox poteſt illo de- 39.

Contra propoſitionem, quæ modo incerta eſt, poteſt de-

ſtitui,

ſtitui,& habere contra ſe argumentum euidens: ergo probabilis ab intrinſeco poteſt tranſire in improbabilem. Maior, & conſequentia patent. Minor oſtenditur. Nam argumenta euidentia, quæ modò ſunt pro aliqua veritate, non ſtatim apparuerunt ab initio mundi, neque ab initio naſcentis ſcholaſticæ Theologiæ, ſed decurſu temporis inuenta ſunt: ergo antequam apparuiſſent mentibus Doctorum ea argumenta euidentia, potuit oppoſita concluſio fulciri ratione graui,& probabili. Ergo potuit oppoſita concluſio eſſe probabilis, antequam apparuiſſent ea argumenta euidentia. Sed poſtquam apparuerunt, neceſſariò eſt improbabilis, vtpotè quæ iam habeat contra ſe argumenta euidentia: ergo potuit concluſio tranſire de probabili ab intrinſeco,in improbabilem.

n:ò apparere argumentum euidens.

40. *Apparente principio certo,euaneſcit probabilitas.*

Oſtendo ſecundò. Defectus certitudinis conſtituit partialiter probabilitatem, vt ex ipſa definitione propoſita *diſp.*1 *cap.*2. patet; in qua exigitur ad probabilitatem, quod propoſitio nec certa ſit,nec certò falſa: ſed defectus certitudinis in concluſione, aut in eius oppoſita tamdiu durat,quamdiu non apparet principium certum pro concluſione,vel pro oppoſita propoſitione: ergo ſi hæc propoſitio modò eſt probabilis ob defectum certitudinis, & poſteà apparet principium certum,quod antea latebat,euaneſcit probabilitas, & aduenit denuò certitudo: ergo propoſitio mutari poteſt de probabili in certam, vel in certò falſam.

41. Itaque quod aliqua propoſitio ſit probabilis, improbabilis,vel euidens, non eſt aliquid natum cum ipſo obiecto, aut aliquid eſſentiam obiecti inſeparabiliter comitans; ſed potiùs aliquid extra illius entitatem, & eſſentiam. Etenim probabilitas eſt motiuum probabile; hoc enim formaliter dat probabilitatem concluſioni. Vnde quod concluſio ſit probabilis, nihil aliud eſt, niſi quod deducatur tantùm ex præmiſſis probabilibus, vel ſaltem quarum altera ſit probabilis: breuiùs dices, quod deducatur ex antecedente probabili; & antecedens manet probabile, dum non apparet principium certum in oppoſitum.

42. Si ergo loquamur de concluſione, & antecedenti formalibus,quamvis actus concluſionis attingere poſſit obiectum præmiſſarum, ita quod totus ſyllogiſmus ſit vnus actus indiuiſibilis, & tunc antecedens formale ſit intrinſecum actui concluſionis; at id non eſt neceſſe,cùm præmiſſæ formales realiter diſtinctę poſſint determinare ad actum concluſionis,qui ab illis realiter diſtinguitur. Loquendo verò de præmiſſis obiectiuis, & concluſione obiectiua, iſti illæ extrinſecæ ſunt. Patet in hoc ſyllogiſmo: *Omnis homo eſt animal, Petrus eſt homo: ergo Petrus eſt animal.* Petro enim extrinſecum eſt, quod omnis homo ſit animal, alioqui vniuerſa hominum multitudo eſſet intrinſeca Petro.

43. *Quo ſenſu appelletur probabilitas intrinſeca?*

Neque ab hac doctrina te deterreat, quod in præſenti loquimur de probabilitate intrinſeca: ſi ergo intrinſeca eſt, quomodo dicimus,eſſe extrinſecam? Et ſi intrinſeca eſt, quomodo poteſt deficere à concluſione,cui eſt intrinſeca?

44. Etenim probabilitas intrinſeca appellatur,non quia antecedens formale, vel obiectiuum ſit intrinſecum concluſioni formali,vel obiectiuæ; ſed quia motiuum fundatur in prædicatis intrinſecis concluſionis obiectiuæ,ſiue in ipſa rei natura, ad diſtinctionem probabilitatis extrinſecæ, quæ deſumitur à iudicio prudentum, quod de tali obiectiua concluſione habetur.

Et nota, multò minorem vim ineſſe ei vltimæ conſequentiæ,ſcilicet; ſi intrinſeca eſt probabilitas concluſioni, quomodo poteſt à concluſione deficere? Albedo enim intrinſeca eſt ſubiecto, cum quo intrinſecè vnitur; & tamen poteſt albedo ſubiecto deeſſe,& ſubiectum poteſt de albo in non album conuerti. 45.

CAPVT V.

Eſſe in mundo viſibili authoritatem damnandi opiniones olim probabiles ab intrinſeco, nempè in Romano Pontifice, prima aſſertio declarat.

ITerum præmoneo, memoria retinendum eſſe, non eſſe quæſtionis ſenſum,an poſſit condemnari propoſitio in ſenſu compoſito,quod ſit probabilis; itavt probabilis manens, ſit damnabilis? Nam hoc modo eſſet idem, quod inquirere, an detur authoritas in Eccleſia ad verificandas ſimul duas contradictorias, quod vna propoſitio ſit damnabilis,& non damnabilis? Eſſet enim ſimilis quæſtioni illi, quæ inquireret, an detur authoritas puniendi innocentem, ſupponendo quod ſit innocens? Similis etiam illi,quæ inquireret,an ratione ſummæ poteſtatis, quam habet in definiendis rebus Fidei,poſſit Romanus Pontifex declarare vt hæreticas propoſitiones catholicas, vel è conuerſo? 46. *Diſtinguẽdus eſt ſenſus cōpoſitus, & diuiſus.*

Vt ergo quæſtio non ſit chimærica,& ridicula, non debemus ſupponere, ſtante condemnatione propoſitionis,illam adhuc ab intrinſeco remanere probabilem.Nam ſi hoc ſupponamus, ſupponimus quod inquirimus. Senſus ergo quæſtionis eſt, an quando legitimus Iudex damnat propoſitionem, declarando illam improbabilem, vel certò falſam, eo ipſo propoſitio amittat probabilitatem, vel quæ antea exiſtimabatur eſſe, vel quam re ipſa habebat ab intrinſeco? Siue (quod idem eſt) an propoſitio, quæ à multis exiſtimabatur probabilis ab intrinſeco, vel reipſa talis erat,poſſit per condemnationem legitimi iudicis reddi improbabilis,& certò falſa? 47. *Senſus legitimus quæſtionis.*

Prima concluſio. In Romano Pontifice reſidet authoritas condemnandi propoſitiones in materia morum, quæ ante talem condemnationem,vel erant probabiles ab intrinſeco, vel tales à pluribus exiſtimabantur. 48. Prima concluſio.

CAPVT VI.

Prima demonſtratio pro concluſione.

ARTICVLVS I.

Romanum Pontificem errare non poſſe in materia morum, certum eſt inter Doctores.

ANte primam demonſtrationem præmitto, eſſe certiſſimum inter Catholicos Doctores, Romanum Pontificem errare non poſſe in materia morum. Abſtraho autem ab ea quæſtione, 49.

an

Digitized by Google

Suarez.

an hæc propoſitio præmiſſa, ſit de Fide: nam pro re præſenti ſolùm contendo, id eſſe certiſſimum, & indubitabile. Ita P. Suarez *diſp. 5. de Fide, ſect. 8. num. 7.* Attentione digna ſunt eius verba. *Approbare autem turpia pro honeſtis, & è conuerſo, damnare honeſta tanquam iniqua, repugnat veritati, & ſanctitati Eccleſiæ; & ideò in his etiam non poteſt errare Pontifex.* Quod dixit eſſe de Fide *Antoninus 3. part. tit. 12. cap. 8. §. 2.* pro quo citat alios Doctores. Idem docet *tom. 3. de Religione, lib. 2. cap. 17. num. 19.*

50. *Sanctitas Eccleſiæ infert, non poſſe errare Pontificem in materia morum.*

Ex quibus verbis hæc reſultat demonſtratio. Certiſſimum eſt ex Fide, Eccleſiam eſſe ſanctam: ſed approbare turpia pro honeſtis, & damnare honeſta tanquam iniqua, repugnat ſanctitati Eccleſiæ: ergo repugnat principio certiſſimo. Sed quod repugnat principio certiſſimo, eſt certiſſimè falſum; ergo certiſſimè falſum eſt, quod Eccleſia poſſit approbare turpia pro honeſtis, & damnare honeſta tanquam iniqua. Sed quod Romanus Pontifex docet Eccleſiam, Eccleſia approbat (hoc enim nomine intelligimus Eccleſiam cum ſuo Capite:) & quod Pontifex docet damnandum, Eccleſia damnat: ergo ſi Romanus Pontifex poſſet approbare turpia pro honeſtis, & damnare honeſta tanquam iniqua, illa approbaret, & hæc damnaret Eccleſia.

51. Bellarm.

Idem tanquam certiſſimum tenet Card. Bellarminus *lib. 4. de Romano Pontifice, cap. 1.* vbi pollicetur, ſe demonſtraturum, iudicium Romani Pontificis eſſe infallibile in materia Fidei, & morum. Et circa materiam morum id præſtat *capit. 5.* in cuius fine habet hæc verba: *Quod autem non poſſit Pontifex errare in moribus per ſe bonis, vel malis, probatur. Nam tunc Eccleſia non poſſet verè dici ſancta: vt in ſymbolo Apoſtolorum vocatur. Nam ſancta dicitur potiſſimum ob ſanctam profeſſionem, vt alibi oſtendimus; quia nimirum legem, & profeſſionem ſanctam profitetur, quæ nihil docet falſum, nihil præcipit malum. Secundò, quia tunc neceſſariò erraret circa Fidem. Nam Fides Catholica docet, omnem virtutem eſſe bonam, omne vitium eſſe malum: ſi autem Papa erraret præcipiendo vitia, vel prohibendo virtutes, teneretur Eccleſia credere, vitia eſſe bona, & virtutes malas.*

52. Canus.

Idem docet Canus *lib. 5. de locis, cap. 5. concluſ. 2. §. Deinde*, vbi ita ait: *Si enim Eccleſia vel expreſſo iudicio, vel lege lata turpia probaret, aut reprobaret honeſta, hic iam mirum error non ſolùm Fidelibus peſtem, ac perniciem afferret, ſed Fidei etiam quodammodo aduerſaretur, quæ omnem virtutem probat, vniuerſa vitia condemnat.* Vbi notanda ſunt ea verba, *Vel expreſſo iudicio, vel lege lata:* vtroque enim modo repugnare ſanctitati Eccleſiæ, & veritati Fidei, affirmat Canus. Et mox: *Ita ſi errat illa, Chriſtus nobis erroris Author eſt. Quod qui videat, non modò indoctè, ſed etiam impiè faciat, ſi Eccleſiam in morum doctrina errare contendat.*

53. Et licet Canus videatur priùs limitaſſe concluſionem, dicendo, Eccleſiam non poſſe errare in materia morū, qui neceſſarij ſunt ad ſalutem, quaſi ſint alij mores non neceſſarij ad ſalutem, in quibus poſſit errare; cæterùm in duabus periodis proximè relatis ſatis declarauit, honeſtatem cuiuſlibet moris vt proſecutione dignam, & turpitudinem cuiuſlibet moris vt fugiendam, eſſe mores neceſſarios ad ſalutem, in quorum approbatione, aut reprobatione errare Eccleſia non poſſit. Nam doctrina de honeſtate, vel turpitudine cuiuſlibet actionis moralis eſt neceſſaria ad ſalutem; pendet enim ſalus animarum ex eo quod dignoſcatur, quidquid turpe, & quidquid honeſtum occurrerit.

Idem tradit Syluester *verb. Fides, num. 2.* vbi ſic ait: *Ad Fidem pertinet inhærere determinationi Pontificis ſummi in his, quæ ſunt Fidei; imò etiam in his, quæ ſpectant ad bonos mores; quia in huiuſmodi etiam Eccleſia errare non poteſt, & conſequenter nec caput eius, in quantum caput, ſiue in quantum Pontifex.* 54. Syluest.

P. Caſtro Palao *tom. 1. tract. 4. diſp. 1. punct. 5. §. 3. num. 4.* docet, eſſe de Fide, non poſſe Romanum Pontificem errare, ſtatuendo aliquid à tota Eccleſia obſeruandum, quod legi diuinæ, vel naturali contrarium ſit. Et tenet etiam, id eſſe de Fide, loquendo de lege, ſeu conſtitutione lata pro vna Prouincia, cum Mag. Bañez *2. 2. quæſt. 1. art. 10. dub. 6. concluſ. 4.* 55. Caſtro Palao.

Idem latè docet Diana *part. 11. tract. 2. de infallibilitate decretorum Pontificis, in appendice reſol. 13.* & apud ipſum P. Valentia *2. 2. diſp. 1. de de obiecto Fidei, quæſt. 1. punct. 7. §. 40.* Malderus *2. 2. quæſt. 1. dub. 6.* Turrianus *diſp. 16. dub. 2.* Syluius *lib. 4. de controu. quæſt. 2. art. 13.* & al j. Tenet etiam P. Petrus Hurtado *2. 2. diſp. 163. §. 139.* & apud ipſum Aragon *2. 2. quæſt. 1. art. 10.* P. Valentia *tom. 3. diſp. 3. quæſt. 10. punct. 5. §. Quare maneat.* P. Coninck, & P. Gretſerus. Idem docet P. Granado *2. 2. controu. 1. tract. 7. diſp. 2. ſect. 2. num. 11.* & P. Arriaga *tom. 5. diſp. 9. num. 26.* 56. Diana. Valentia. Malderus. Turrian. Pet. Hurt. Aragon. Coninck. Gretſerus. Granado. Arriaga.

Ob hanc rationem certum omninò eſſe, quod Romanus Pontifex errare non poſſit in approbatione Religionum, quantum ad conſtitutiones, & leges earum, quoad honeſtatem, & bonitatem moralem earum, affirmat S. Thomas *opuſcul. 19. cap. 4.* & Bañez *2. 2. quæſt. 1. art. 10. dub. 8. concluſ. 4.* & oppoſitam concluſionem dicit eſſe hæreticam. Et Ioannes à S. Thoma *2. 2. diſp. 9. art. 2.* ad minùs dicit eſſe temerariam, ſcandaloſam, & errori proximam. Idem dicit eſſe de Fide P. Caſtro Palao *cit. §. 6. num. 1.* Et communiter Doctores affirmant, id eſſe vel de Fide, vel certò inferri ex principiis Fidei. Quod etiam docuerunt P. Suarez ſuprà cit. P. Hurtado *cit. §. 137.* P. Granado *cit. diſp. 5.* P. Arriaga *num. 36.* & cæteri Authores ſuprà relati. Præſertim Diana *cit. reſol. 25.* & apud ipſum P. Amicus *tom. 4. diſp. 7. ſect. 3. num. 79.* & Franciſc. del Caſtillo *tom. 2. in 3. ſent. diſp. 16. quæſt. 9. num. 8.* qui tres dicunt, id eſſe de Fide. 57. *Ideò errare non poteſt Pontifex in approbatione Religionum.* S. Th. Bañez. Ioan. à S. Th. Caſtro Pal. Suarez. Petr. Hurt. Arriaga. Diana. Amicus. Caſtillo.

Vbi notabis primò, dum Authores dicunt, Pontificem errare non poſſe in materia Fidei, & morum, condiſtinguere materiam morum à materia Fidei; & ideò non ſolùm errare non poſſe in materia morum, quando hanc materiam tradit, definiendo eſſe de Fide; ſed etiam quando materiam morum docet, etiam abſque definitione articuli Fidei. 58. *Aiunt, non poſſe errare, etiam extra definitionem articuli Fidei.*

Hinc patet, pro hac aſſertione ſtare Caramuelem *in Theolog. fundam. num. 161 fund. 3.* Nam cùm *num. 160.* pro fundamento ſtatuiſſet hanc propoſitionem: *Vera Eccleſia in ſubſtantialibus articulis errare non poteſt: prædicto num. 161.* declarat, quinam ſint ſubſtantiales articuli: aitque accidentales eos eſſe, *qui nec mores, nec Fidem concernerent.* Ex quo patet, ſubſtantiales, in quibus errare non poteſt, eſſe non ſolùm articulos Fidei, ſed etiam morum, abſque definitione Fidei traditos. 59. Caramuel.

Digitized by Google

60. Notabis ſecundò, prædictos Authores non ſolùm pro certo affirmare, non poſſe errare Pontificem Romanum in iis, quæ præcipit, nempe præcipiendo turpia, vel prohibendo honeſta; ſed etiam neque errare poſſe, dum expreſſo iudicio approbat, vel reprobat mores, ita vt approbet vitia, vel actus virtutum condemnet. Quod poſteà amplius confirmabitur.

Articvlvs II.

Rationibus demonſtratur eadem aſſertio.

61. *Repugnat ſanctitati Eccleſiæ approbare turpia, vel reprobare honeſta.*

DEmonſtratur primò, inſtaurando rationem factam *num.* 50. quam in fine verborum P. Suarij ibi produximus. Oportet autem primam minorem, quæ erat Suarij, à ratione oſtendere. Itaque repugnat ſanctitati Eccleſiæ approbare turpia, & reprobare honeſta. Vt enim loquitur Card. Bellarminus verbis relatis *num.* 51. *Sancta dicitur potiſſimùm ob ſanctam profeſſionem; quia nimirum profeſſionem, & legem ſanctam profitetur, quæ nihil docet falſum, nihil præcipit malum.*

62. Quare ſic inſtauratur demonſtratio. Si Eccleſia approbaret turpia, vel reprobaret honeſta, lex, & profeſſio morum Eccleſiæ non eſſet ſancta. Patet. Illa enim profeſſio morum non eſt ſancta, quæ profitetur mores turpes, & damnat honeſtos; cùm ſanctitas eius profeſſionis conſiſtat in eo, quod ita mores ſanctos profiteatur, vt nullum turpem admittat, nullum honeſtum damnet.

63. Deinde ſi Romanus Pontifex approbaret turpia, & reprobaret honeſta, Eccleſia eodem modo admitteret, & reſpueret. Tum quia Eccleſia audit, & recipit doctrinam morum à Magiſtro ſuo, qui eo firmiſſimo ſecuritatis fundamento ſubnititur, quod *portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Tum quia non eſt maior ſecuritas non errandi in materia morum in reliquo Eccleſiæ corpore, quàm in ſuo Capite, ſed potiùs è conuerſo: etenim ne erraret Eccleſia promiſſio facta eſt Magiſtro, & Capiti. Vnde hæc ſecuritas non errandi priùs reſidet in Magiſtro, & ex illius ſecuritate reſultat ſecuritas in Eccleſiam. Ideóque *Matth.* 16. dicitur: *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Id eſt, firmitas Eccleſiæ in ipſa firmitate Petræ innitetur. Et ideò optimè dixit Canus *lib.* 6. *de locis, cap.* 3. §. *Prætereà.* [In Petro, & ſucceſſoribus *primùm* firmam, certamque doctrinam aſſeremus; *mox* verò in Eccleſia Romana, cuius Petrus cum ſucceſſoribus & Caput, & fundamentum eſt.] Si ergo Pontifex approbaret turpia, vel reprobaret honeſta, fieret, quod vacillante Capite, vacillaret Eccleſia, cuius firmitas à firmitate Capitis omninò pendet; conſequenterque exponeret Eccleſiam periculo errandi in eadem materia, atque adeò exponeret periculo non habendi profeſſionem, & doctrinam ſanctam. Non ergo eſſet certiſſimè, & ſecuriſſimè ſancta.

Si Pontifex approbaret turpia, Eccleſia quoque approbaret.

Eccleſia ideò firma, quia in huius Petræ firmitate ſolidabitur.

64. *Si Pontifex erraret in materia morum, Eccleſia non eſſet ſancta.*

Ex his reſultat hic ſyllogiſmus [Si Pontifex docens Eccleſiam, erraret in materia morum, Eccleſia non eſſet Sancta: ſed repugnat, Eccleſiam non eſſe ſanctam: ergo repugnat Pontificem, dum docet Eccleſiam, errare in materia morum.] Qui ſyllogiſmus demonſtratiuus eſt. Maior enim patet euidenter ex dictis. Minor eſt de Fide, vtpote expreſſa in ſymbolo Fidei. Et conſequentia obligat, quia in propoſitione conditionali, à negatione partis illatæ, ad negationem prioris partis, eſt euidens Dialecticorum conſequentia, quia valet à negatione conſequentis ad negationem antecedentis.

Confirmatur. Sanctitas doctrinæ eſt argumentum euidens veritatis Fidei Eccleſiæ Romanæ; quo argumento ad ſcopum vtuntur Sancti Patres, & Doctores ſcholaſtici: doctrina autem eius ſancta non eſſet, ſi doceret Eccleſia turpia, vel damnaret honeſta; non enim eſſet doctrina ſancta, quæ aliquid non ſanctum admitteret: ergo ſi doceret turpia, vel damnaret honeſta, ceſſaret prædictum argumentum veritatis Fidei Eccleſiæ Romanæ. Quæ confirmatio ex dictis robur accipit. 65.

Sanctitas doctrinæ demonſtrat veritatem Fidei.

P. Arriaga *tom.* 5. *diſp.* 9. *de Fide, num.* 16. argumentum deſumptum ex ſanctitate Eccleſiæ ſic proponit: [Quia id eſſet contra ſanctitatem Eccleſiæ; ſi enim ei obediret, iam tota erraret; ſi non obediret, videretur ſuo Capiti manifeſtè opponi; id quod eſſet graue in Eccleſia ſcandalum.] Additque immediatè hæc verba: [Hæc tamen ſecunda ratio non videtur admodum efficax. Nam poſſe Pontificem iniuſtam aliquam legem condere, hoc eſt, non neceſſariam, & nimis grauem, aut indiſcretam, expreſsè tradit Bellarminus *lib.* 4. *de Romano Pontif. cap.* 5. & Suarez poſt ipſum *ſect.* 8. *num.* 7. In talibus autem legibus fortè non tenerentur ſubditi obedire.] 66.

Hoc argumentum non benè proponitur à P. Arriaga.

In quo aſſero, eam rationem, niſi plus roboris ei ſuperaddatur, vt nos ei ſuperaddidimus, inefficacem eſſe. Efficacia enim huius argumenti (vt conſtat *ex num.* 62. conſiſtit in eo, quod Eccleſia exponeretur errori, ſi Caput erraret; ſecuritas enim non errandi, Eccleſiæ promiſſa, in materia morum (in qua conſiſtit ſanctitas profeſſionis eius) fundatur, & ſolidatur in Petræ firmitate, id eſt in ſecuritate non errandi, quam habet Caput Eccleſiæ: & hac (per impoſſibile) deficienti, deficeret fundamentum ſecuritatis Eccleſiæ in doctrina morum: quare ſi Romanus Pontifex poſſet errare in doctrina morum, in eadem poſſet quoque errare Eccleſia. 67.

Demonſtratur ſecundò eadem aſſertio ex verbis ſuprà citatis Bellarmini, & Cani. Pontifex dum docet Eccleſiam, ex ſecura Spiritus Sancti aſſiſtentia habet, quod non poſſit docere propoſitionem erroneam: ſed ſi approbaret turpia, vel damnaret honeſta, doceret propoſitionem erroneam: ergo Pontifex, dum docet Eccleſiam, non poteſt approbare turpia, vel damnare honeſta. 68.

Pontifex docere non poteſt propoſitionem erroneam.

Conſequentia eſt ineuitabilis ex legitima arguendi forma à Dialecticis inducta in propoſitione conditionali. Minor etiam patet: illa enim eſt propoſitio erronea, quæ opponitur concluſioni Theologicæ: ſed ſi approbaret turpia, vel damnaret honeſta, opponeretur concluſioni Theologicæ: ergo doceret propoſitionem erroneam. Minor huius ſyllogiſmi etiam patet; hæc enim eſt concluſio Theologica: [Nullus actus honeſtus eſt damnabilis: hic actus eſt honeſtus: ergo hic actus non eſt damnabilis.] Cuius ſyllogiſmi maior eſt de Fide, & minor vt certa ſupponitur. 69.

Si Pontifex approbaret turpia, doceret propoſitionem erroneam.

Maior verò prioris, & præcipui ſyllogiſmi etiam eſt certiſſima, nempe quod Pontifex, dum docet Eccleſiam, non poſſit docere propoſitionem erroneam. Etenim Pontifex, dum docet Eccleſiam, non poteſt deficere in Fide, iuxta promiſſionem Chriſti Petro, & eius ſucceſſoribus factam *Luc.* 22. *Ego rogaui pro te, Petre, vt non deficiat fides tua.* Atqui admittens propoſitionem erroneam, 70.

Digitized by Google

erroneam, peccat contra Fidem,& in illa nutat: cùm teneatur negare vel præmiſſam de Fide, vel præmiſſam euidentem, quibus nititur concluſio Theologica. Et cùm intellectus cogatur euidentia, vtique determinatur ad negandam præmiſſam de Fide.

71. *De Fide eſt, non poſſe errare Pontificem in paſcendis ouibus.* Demonſtratur tertiò ex verbis Caſtro Palao citati ſuprà *numero.* 55. (à quo formalia verba tranſcripſit Diana relatus.) *De Fide eſt, Pontificem errare non poſſe in paſcendis ouibus*(nempe quoad paſcua præcipua & ſubſtantialia :) *ſed oues non ſolùm doctrina Fidei, ſed morum inſtitutis paſcuntur* (tanquam præcipuis, & ſubſtantialibus paſcuis :) *ergo de Fide eſt, in his inſtitutis errare non poſſe.*

72. Maior enim eſt euidens ex verbis Chriſti ad Petrum, *Paſce oues meas :* id eſt, poteſtatem tibi trado paſcendi oues meas, & media ſecuriſſima, & certiſſima ad illas paſcendas; circa quæ media ob Diuini Spiritus aſſiſtentiam errare non poſſis. Quæ verba, attentis etiam aliis, quæ Chriſtus Petro dixit in Euangelio, ex communi Eccleſiæ ſenſu, & traditione ſenſum præfatum continent pro Petro, & ſucceſſoribus eius, vt notauit P. Suarez citatus *ea diſp.* 5. *de Fide, ſect.*8. Minor verò ex eodem ſenſu Eccleſiæ certiſſima eſt. Concluſio autem vel tanquam *de Fide*, vt in ipſa exprimitur, vel ſaltem, ablata ea voce *de Fide*, tanquam concluſio Theologica legitimè infertur.

73. *Infallibilitas Magiſtri in materia morum neceſſaria eſt Eccleſiæ.* Demonſtratur quartò ex verbis Melchioris Cani relati *num.*52. Etenim Inſtitutori Reipublicæ verteretur vitio,ſi non miniſtraſſet omnia media neceſſaria ad eius conſeruationem,præcipuè cùm nullum medium lateret ſapientiam eius.Sed ad conſeruationem Reipublicæ Chriſtianæ, attento fine ſanctitatis, ad quem ordinatur, eſt medium neceſſarium infallibilitas Magiſtri communis in materia morum : ergo Chriſto verteretur vitio, ſi non dediſſet hanc infallibilitatem Magiſtro communi in materia morùm. Hæc proxima minor probatur. Nam ad conſeruationem Reipublicæ Chriſtianæ, attento fine ſanctitatis, ad quem ordinatur, eſt medium neceſſarium illud,quod requiritur ad hoc,quod Reſpublica Chriſtiana non ſit expoſita periculo errandi in materia ſanctitatis. & morum : ad hoc autem requiritur infallibilitas Magiſtri communis in prædicta doctrina ſanctitatis, & morum, vt patet ex dictis.

74. Ad hoc, & ad cætera argumenta reſpondebit fortaſſe aliquis, hanc infallibilem aſſiſtentiam Spiritus ſancti ſolùm eſſe promiſſam, dum Pontifex intendit definire articulos Fidei, & non aliter.

75. *Etiam extra definitionem articuli Fidei.* Contrà tamen eſt, quia id quod aſſumitur,eſt manifeſtè falſum. Nam etiamſi Pontifex non intendat definire articulum Fidei, ſed ſolùm docere Eccleſiam cum præuia matura deliberatione, certiſſimum eſt, quod non poteſt docere hæreſim, vel errorem, vt & ipſi relati Doctores teſtantur. Alioqui fruſtraretur promiſſio Chriſti, *Luc.*22. *Ego rogaui pro te, Petre, vt non deficiat fides tua.* Tum quia non eſſet minus periculum errandi in Eccleſia, ſi quando Pontifex illam docet in materia morum, erraret, quàm eſſet, ſi erraret intendens definire articulum Fidei. Tum etiam, quia eſt contra ſanctitatem Eccleſiæ doceri doctrinam oppoſitam veræ ſanctitati, vt patet ex demonſtratione prima. Tum prætereà, quia, vt conſtat ex demõſtratione 2. Pontifex in eo caſu loquens è Cathedra, admittenſque doctrinam erroneam, exponeret Eccleſiam periculo errandi in Fide : nam doctrina erronea, quæ militat contra concluſionem Theologicam, cogit ad negandam præmiſſam de Fide;cùm vna præmiſſarum neganda ſit(ab eo qui negat concluſionem;) & præmiſſa euidens extorqueat aſſenſum ab intellectu.

Tum denique, quia Eccleſia non ſolùm audit Magiſtrum ſuum definientem articulos Fidei, ſed etiam tradentem præcepta morum : quem cùm ſic præcipientem audit, vtique audit tanquam Pontificem, & Caput Eccleſiæ. Si ergo tradens præcepta morum erraret, approbando (iudicio tacito, vel expreſſo) turpia, vel reprobaret ea, quæ in ſenſu compoſito eſſent honeſta, Eccleſia audiens Præceptorem ſuum exponeretur periculo errandi, quia firmitas Eccleſiæ ſtat in ſui Capitis firmitate, iuxta dicta *numero* 62. & 67. 76.

Hinc inferes primò,cùm prædictæ demonſtrationes, & ſenſus communis Theologorum conuincant, certum infallibiliter eſſe, non poſſe errare Pontificem in materia morum, præcipiendo turpia,aut prohibendo actus virtutum, quia ea eſſet quædam tacita approbatio vitij, & reprobatio virtutis; ea multò fortius probare, non poſſe errare Pontificem expreſſo iudicio reprobando honeſta, & approbando turpia. Etenim magis errat, qui expreſsè dicit errorem, quàm qui dicit illud, vnde per diſcurſum infertur error. 77. *Nequit errare, ſiue in præcipiendo turpia,ſiue in approbando.*

Inferes ſecundò, non ſolùm errare non poſſe Pontificem ſummum in materia iuris naturalis, aut diuini poſitiui, approbando aliquid iuri diuino, aut naturali contrarium; ſed etiam eadem certitudine tenendum eſt, illum errare non poſſe in materia morum, approbando aliquid quod iure canonico, aut ciuili eſt moraliter malum, aut è conuerſo. Ita cùm declarat, talem actionem eſſe in ſe ſacrilegam, vel ſimoniacam, ex præſuppoſitis præceptis canonicis, vel violationem ieiunij eſſe culpam lethalem, aut ſimilia, errare non poteſt. Sed ad hæc omnia habet infallibilem ſancti Spiritus aſſiſtentiam, ne erret. 78. *Neque in approbando id, quod iure canonico, & ciuili eſt malum.*

Patet hæc illatio ex dictis. Tum quia Eccleſia non haberet profeſſionem ſanctam, ſi approbaret ſacrilegium, quamvis iure humano inductum: tum propter argumenta in hoc articulo inſtructa. Poſſet quidem relaxare ius illud canonicum, vi cuius actio violatrix illius iuris redditur ſacrilega; & ſic relaxato iure, iam non eſſet ſacrilega. At retento eo iure, non poteſt approbare tanquam bonam, & honeſtam violationem illius: ſic enim approbaret formalem inobedientiam reſpectu præcepti grauiter obſtringentis conſcientiam; & ſaltem mediatè opponeretur quarto Decalogi præcepto. 79.

Articvlvs III.

Prima demonſtratio pro concluſione præcipua propoſita capite quinto.

Ex dictis articulo præcedenti ſic inſtruitur demonſtratio. Si Romanus Pontifex docens Eccleſiam, dum aſſerit, propoſitionem in materia morum eſſe temerariam, ſcandaloſam, aut improbabilem, 80. *Si damnata maneret probabilis,erraret*

Digitized by Google

Pontifex in materia morum.

improbabilem, non aufferret illi probabilitatem, Pontifex docens Eccleſiam, erraret in materia morum: ſed Pontifex loquens Eccleſiæ, errare non poteſt in materia morum: ergo dum aſſerit propoſitionem in materia morum eſſe temerariam, ſcandaloſam, ſiue improbabilem, non poteſt non aufferre illi probabilitatem.

81. Relege ſingulas eius ſyllogiſmi propoſitiones, & conſtabit tibi, eſſe certiſſimas. Nam in primis conſequentia eſt inſuperabilis. Eſt enim ſyllogiſmus ex illis, in quibus arguitur à propoſitione conditionali, & eius ſecundâ parte negata, ad negationem prioris partis: is enim modus arguendi eſt à negatione conſequentis ad negationem antecedentis, ſiue ab oppoſito contradictorio conſequentis ad oppoſitum contradictorium antecedentis. Minor verò conſtat ex articulis antecedentibus.

82. Maior autem clarè oſtenditur. Errat, qui dicit, eſſe certò falſam, vel improbabilem illam propoſitionem, quæ verè eſt practicè probabilis; & ſi propoſitio verſatur in materia morum, errat ille in materia morum. (Patet. Nam ſi actio verè eſt practicè probabilis, verè eſt licita, & honeſta, dum in ſua probabilitate perſiſtit: & ſi dicas illam propoſitionem practicam eſſe certò falſam vel improbabilem, dicis, illam actionem, quæ eſt obiectum eius propoſitionis practicæ, eſſe illicitam, & turpem: erras ergo in materia morum.)

83. Sed dum Romanus Pontifex illam dicit temerariam, ſcandaloſam, aut improbabilem, dicit eſſe certò falſam, aut ſaltem non eſſe probabilem. (Patet etiam: nam implicat contradictionem, propoſitionem eſſe ſimul probabilem, & temerariam; ſimul probabilem, & ſcandaloſam; ſimul probabilem, & improbabilem: quare in illis cenſuris continetur eſſentialiter defectus probabilitatis.)

84. Errat ergo Pontifex in materia morum, ſi in ea materia propoſitionem verè, & practicè probabilem, & à qua non aufert probabilitatem, declarat eſſe temerariam, ſcandaloſam, aut improbabilem.

85. Vbi notandum eſt primò, cùm Romanus Pontifex aliquam propoſitionem affirmat eſſe non probabilem, ſimul affirmare, eam eſſe poſitiuè improbabilem, & certò falſam. Quod latiùs oſtendo *cap.* 20. *art.* 8.

Si Pontifex dicit, eſſe non probabilem, vel ſcandaloſam, declarat certò falſam.

86. Notandum eſt ſecundò, quod quando Pontifex loquens Eccleſiæ, expreſſo iudicio declarat, propoſitionem in materia morum eſſe ſcandaloſam, virtualiter dicit, eſſe improbabilem, & certò falſam. Vide *caput* 20. *art.* 8. *concluſ.* 2.

Si declarat eſſe falſam, manet improbabilis.

Notandum eſt tertiò, cùm Pontifex declarat, propoſitionem eſſe falſam, ſimul affirmare eſſe improbabilem poſitiuè. Etenim propoſitio improbabilis eſt idem, ac certò falſa: ſed cùm expreſſo iudicio affirmat eſſe falſam, id affirmat tanquam certum, cùm iudicium eius in materia morum certum omninò ſit, vt patet ex dictis: ergo illam affirmat eſſe certò falſam, atque adeò (quod idem eſt) poſitiuè improbabilem.

87. Notandum eſt quartò, quando Pontifex expreſſo iudicio declarat, propoſitionem eſſe temerariam, ſimul affirmare, eam non eſſe probabilem. Nam propoſitio temeraria eſt illa, & quæ eſt contra ſententiam omnium Doctorum, oppoſitam pro certa affirmantium; & quæ caret prudenti fundamento, vt notarunt P. Vaſquez 1. 2. *diſp.* 62. P. Thom. Sanch. *lib.* 1. *ſummæ, cap.* 9. & P. Ludouicus Turrianus *de Fide diſp.* 55. *dub.* 3. & communiter Doctores. Deinde ex notatis *numero.* 85. quam Pontifex dicit temerariam, virtualiter affirmat etiam improbabilem, ſiue certò falſam.

Si declarat temerariam, dicit non eſſe probabilem.

Demonſtratio in hoc articulo inſtructa confirmatur iis omnibus, quibus articulo præcedenti oſtenſum eſt, Pontificem Eccleſiæ loquentem, errare non poſſe in materia morum. Specialiter autem 88.

Confirmatur primò. Nam ſi actum aliquem virtutis damnaret tanquam actum ſcandaloſum, vel tanquam obiectum propoſitionis ſcandaloſæ communis Magiſter Eccleſiæ illam docens, doctrina Eccleſiæ, quam accipit à Magiſtro communi, non eſſet ſancta, atque adeò neque Eccleſia eſſet ſancta, qualem ex Apoſtolorum ſymbolo firmiter credimus. Tum ſic. Alexander VII. in decreto, quod *in cap.* 20. refertur, damnat vt ſcandaloſam hanc propoſitionem: *Qui beneficium curatum habent, poſſunt ſibi eligere in confeſſarium ſimplicem Sacerdotem non approbatũ ab Ordinario.* Quæ propoſitio, ſi adhuc manet probabilis, Parochus, qui coram tali Sacerdote confitetur, actum virtutis exercet: ſed talem actum damnat Pontifex tanquam obiectum propoſitionis ſcandaloſæ: damnat ergo actum virtutis vt obiectum propoſitionis ſcandaloſæ. Sed doctrina, quæ damnat actum virtutis tanquam ſcandaloſum, ſiue tanquam obiectum propoſitionis ſcandaloſæ, non eſt ſancta: ergo doctrina Eccleſiæ non eſt ſancta. 89.

Si damnata manet probabilis, damnat Pontifex actum virtutis.

Hinc inferes, vel ex hoc ſolo capite erroneum eſſe affirmare, eam propoſitionem damnatam à Romano Pontifice tanquam ſcandaloſam, adhuc manere probabilem. Patet: illa enim aſſertio eſt erronea, quæ opponitur concluſioni Theologicæ, nempe deductæ ex vna propoſitione de Fide, & altera euidenti: ſed qui aſſerit, adhuc manere probabilem illam propoſitionem proximè relatam, damnatam ab Alexandro VII. tanquam ſcandaloſam, refragatur concluſioni Theologicæ: ergo talis aſſertio erronea eſt. Maior, & conſequentia ſunt euidentes. 90.

Hæc eſt erronea: Propoſitio damnata à Pontifice vt ſcandaloſa, manet probabilis.

Et minor non minùs patet. Attende hunc ſyllogiſmum, & concluſionem eius Theologicam. [Illa doctrina, quæ actum illicitum dicit eſſe actum virtutis, non eſt ſancta: ſed doctrina, quæ aſſerit, confeſſionem Parochi factam coram ſimplici Sacerdote non approbato ab Epiſcopo, eſſe licitam, & validam, actum illicitum dicit eſſe actum virtutis: ergo ea doctrina non eſt ſancta.] Hæc concluſio eſt Theologica, eamque eſſe legitimè deductam ex præmiſſis, manifeſtum eſt, cùm ſyllogiſmus ſit in quarto modo primæ figuræ. Deinde maior eſt propoſitio de Fide: minor autem eſt euidens. Nam illam concluſionem eſſe illicitam, & inualidam, poſt damnationem Alexandri VII. conſtat euidenter ex decreto, & damnatione eius, iuxta dicta articulo præcedenti; & vberiùs conſtabit ex dicendis *toto cap.* 20. Eum autem, qui exercet actum confeſſionis Sacramentalis ex opinione practicè probabili, exercere actum virtutis, euidens eſt. Actum ergo euidenter illicitum dicit eſſe actum virtutis. 91.

Iam verò eum, qui aſſerit, illam propoſitionem damnatam ab Alexandro VII. tanquam ſcandaloſam, adhuc manere probabilem, refragati 92.

Digitized by Google

gari illi concluſioni Theologicæ, eſt certum. Nam hæc duo non componuntur: & quod ea doctrina damnata, ſit probabilis, atque adeò quod eius obiectum, euidenter illicitum, ſit actus virtutis; & quod ea doctrina ſit ſancta, vt ex dictis eſt manifeſtum.

93. *Si damnata manet probabilis, Pontifex tradit errorem.*

Confirmatur ſecundò. Si illa propoſitio relata, quæ damnata eſt à Romano Pontifice tanquam ſcandaloſa, adhuc manet probabilis, Pontifex dixit propoſitionem erroneam: atqui hæreticum eſt dicere, Romanum Pontificem loquentem Eccleſiæ, poſſe dicere propoſitionem erroneam: ergo illa propoſitio damnata à Romano Pontifice tanquam ſcandaloſa, non manet adhuc probabilis. Conſequentia patet ex dictis *num.*... De minori nemo dubitare poteſt propter dicta *in art. præced. in demonſtratione* 2. Maior etiam patet ex dictis ibidem. Tum etiam, quia ſi illa propoſitio damnata, manet probabilis practicè, illa confeſſio eſt actus virtutis: docere autem de actu virtutis tanquam certum, illum eſſe illicitum, erroneum eſt. Vide additiones *num.* 9.

ARTICVLVS IV.

Confirmatio eiuſdem argumenti ex ea quæſtione; An detur regula infallibilis ad decidendas quæſtiones de probabilitate, in materia morum?

94. *Datur Regula infallibilis in materia morum.*

DAri in Eccleſia Catholica Regulam infallibilem ad decidendas quæſtiones in materia morum, manifeſtè conſtat ex dictis *art.* 1. *&* 2. illa enim eſt regula infallibilis, quæ errare non poteſt: ſed in Eccleſiâ Catholica datur regula, quæ in materia morum errare non poteſt, nempe Romana Cathedra, vt ex ibidem dictis conſtat: ergo datur regula infallibilis in materia morum.

95. *Etiam extra definitionem articuli Fidei.*

Quod autem ſit regula infallibilis in materia morum, etiam extra definitionem articuli Fidei, eſt extra omne dubium. Etenim non definitur vt articulus Fidei, niſi quod eſt immediatè reuelatum à Deo, vel in ſacra Scriptura, vel per traditionem Eccleſiæ; & ad omnia, quæ pertinent ad mores, nempe ad eorum honeſtatem, vel turpitudinem, eſt regula infallibilis Romana Cathedra, vt conſtat *ex art.* 1. *&* 2. ergo Romana Cathedra eſt Regula infallibilis ad iudicandam turpitudinem, vel honeſtatem morum, etiam extra definitionem articuli Fidei. Maior, & conſequentia patent; & minor quoad poſteriorem partem conſtat ex loco ibi citato.

96. Quoad priorem verò partem etiam conſtat: multa enim definiuit Eccleſia in materia morum, quæ non ſunt in ſacra Scriptura; neque ex aliqua traditione conſtat, ea eſſe immediatè reuelata. Sic enim Leo. X. in Concilio Lateranenſi *ſeſſ.* 10. definiuit Montes Pietatis eſſe licitos, & honeſtos, illis verbis: *Declaramus, & definimus, Montes Pietatis, nec mali ſpeciem præferre, nec vllo pacto improbari.* Sic etiam dum Romanus Pontifex approbat Religiones, & earum inſtituta, & conſtitutiones eſſe pia, & laudabilia definit, & digna, quæ à Chriſti Fidelibus admittantur, & conformia Euangelicæ perfectioni; cùm tamen ea inſtituta, vel conſtitutiones non ſint à Deo immediatè reuelatæ, neque Pontifex ea approbet, affirmando (expreſsè, vel tacitè) eam actualem approbationem eſſe articulum Fidei.

97. *Datur regula infallibilis circa probabilitatem, & improbabilitatem in materia morum.*

Hinc oritur quæſtio in titulo huius articuli propoſita, ſcilicet: [An detur in Eccleſia Catholica Regula infallibilis (nempe in Romana Cathedra) ad decidendas quæſtiones de probabilitate, & improbabilitate opinionum in materia morum, extra definitionem articuli Fidei?] In qua affirmo, partem affirmatiuam eſſe certiſſimam.

98. Probatur. Certiſſimum eſt, Romanam Cathedram eſſe regulam infallibilem in quæſtionibus de doctrina morum, etiam extra definitionem articuli Fidei: ſed quæſtiones de probabilitate, & improbabilitate opinionum in materia morum, ſunt quæſtiones de doctrina morum: ergo certiſſimum eſt, in iſtis Romanam Cathedram eſſe Regulam infallibilem, etiam extra definitionem articuli Fidei.

99. Quæ ex his tribus propoſitionibus non eſt certiſſima? Conſequentia enim eſt dilucida, concludit enim ſyllogiſmus, ſicut iſte: [Petrus eſt honeſtus omninò quoad mores: ſed verba ſunt mores: ergo eſt honeſtus quoad verba.] Maior conſtat *ex num.* 75. *&* 76. 95. *&* 96. Minor autem eſt euidens; deuiat enim à rectis moribus, qui opiniones improbabiles in praxi ſequitur; & qui opinionibus practicè probabilibus conſcientiam dirigit, mores componit: ergo quæſtiones de probabilitate, & improbabilitate in materia morum, vtique verſantur immediatè in materia morum.

In materia morum verſantur quæſtiones de probabilitate.

100. *Quam regula infallibilis declarat falsã, vel ſcandaloſam, implicat quod ſit probabilis.*

Hinc oritur euidens confirmatio argumenti pro præcipua concluſione inſtructi. Iudicium Romanæ Cathedræ de probabilitate practica, vel improbabilitate opinionum in materia morum, etiam extra definitionem articuli Fidei, eſt Regula infallibilis: ſed implicat, quod Regula infallibilis aſſerat, opinionem in materia morum eſſe improbabilem, falſam, aut ſcandaloſam; & quod opinio non maneat talis à parte rei, & pro foro interno; alioqui regula infallibilis falleret: ergo dum iudicium Romanæ Cathedræ aſſerit, opinionem in materia morum eſſe improbabilem, ea opinio talis manet à parte rei, & pro foro interno. Sed Romana Cathedra multas opiniones in materia morum ita damnauit (quæ priùs erant, vel exiſtimabantur probabiles) vt conſtat ex dictis, & ex decurſu huius diſputationis ampliùs patebit: ergo damnatæ manent pro foro interno, atque adeò omnino improbabiles.

CAPVT VII.

Quinque aliæ demonſtrationes.

101. *Quæ poſſunt reddi improbabiles, eas Pontifex poteſt declarare tales.*

DEmonſtratur ſecundò concluſio. Propoſitiones in materia morum, quæ ab intrinſeco erant probabiles, poſſunt reddi ab intrinſeco improbabiles: ergo poteſt Romanus Pontifex declarare illas improbabiles. Conſequentia eſt euidens. Nam in materia morum poteſt Romanus Pontifex declarare id, quod verè eſt: ſed verum eſt, quod in materia morum opiniones ab intrinſeco probabiles poſſunt tranſire in improbabiles: ergo id ita poteſt Romanus Pontifex declarare in materia morum; præcipuè cùm declaratio honeſtatis, & turpitudinis morum ſpectet ad Romanam Cathedram.

Primum

102. Primum verò antecedens, præter quam conſtat *ex cap.* 4. certum eſt. Nam quæ habebant pro ſe rationes probabiles, poſſunt denuò habere contra ſe rationes demonſtratiuas: quæ dum latebant, illæ propoſitiones erant probabiles, at poſtquam rationes demonſtratiuæ repertæ ſunt, propoſitiones amiſerunt probabilitatem. Quod etiam diuturna experientiâ compertum eſt: multa enim fuerunt probabilia apud veteres Theologos, quæ modò non ſunt probabilia, eo quod tunc non apparebant veteribus rationes moraliter certæ, aut etiam metaphyſicè euidentes, quas Theologi Recentiores repererunt, vt etiam conſtat *ex diſp. praced. cap.* 2.

103. Demonſtratur tertiò. Aliquæ propoſitiones fuerunt olim probabiles ante definitiones Conciliorum Generalium, quæ accedente in Conciliis examine veritatis, repertæ ſunt hæreticæ, & ideò à Romano Pontifice in Concilio damnatæ: ergo datur in mundo viſibili authoritas damnandi opiniones priùs probabiles. Conſequentia eſt luce meridiana clarior, quia eſt ab actu ad potentiam.

Opiniones olim probabiles, damnatæ ſunt in Conciliis.

104. Confirmatur primò. Nam ſi fidem habemus Petro Soto, olim fuit probabile, matrimonium in lege gratiæ non conferre gratiam iuſtificantem: apud Leandrum a SS. Sacr. *part.* 2. *de ſacram. tract.* 9. *diſp.* 4. *quaſt.* 2. his verbis: [Petrus Soto *lect.* 2. *de matrim.* quatenus dixit, ſuo tempore fuiſſe probabile, ſacramento matrimonij non conferri gratiam gratum facientem] Præter ſeptem alios Authores Catholicos, quos ibi refert Leander, qui olim dixerunt, matrimonium non eſſe verum ſacramentum. Atqui Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 24. *canon.* 1. eam ſententiam damnat: ergo in Eccleſia eſt authoritas damnandi opiniones, quæ priùs fuerunt probabiles.

Opinio negans, matrimonium conferre gratiam.

Damnata à Tridentino.

105. Confirmatur ſecundò. Olim fuit probabilis ſententia, quæ ait, ſimplicem Sacerdotem vi ſuæ ordinationis accepiſſe integram poteſtatem abſoluendi, quin requiratur aliqua alia iuriſdictio ad validè abſoluendum à peccatis. Eam enim propugnarunt Armacanus *lib.* 11. *quaſt. Armen. a cap.* 1. *ad* 6. Almainus *in* 4. *diſt.* 18. *quaſt. vnic.* Durandus *in* 4. *diſt.* 19. *quaſt.* 2. & Cronſers *in Regulam S. Franciſci cap.* 7. *lect.* 3. Atqui iam illa damnata eſt in Concilio Tridentino, & oppoſita aſſertio definita, nempe *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. *de Sacram. Pænit. & canon.* 11. Et ideò hanc ſententiam eſſe de Fide aſſerunt P. Valentia *tom.* 4. *diſp.* 7. *quaſt.* 10. *punct.* 2. P. Vaſquez. *tom* 4. *in* 3. *part. quaſt.* 93. *art.* 1. *dub.* 2. & *quaſt.* 91. *art.* 3. *dub.* 1. Lugo Card. *tom. de Pænit diſp.* 20. *ſect.* 1. *num.* 1. Petrus de Ochagauia *tract.* 2. *de confeſſ. quaſt.* 19. *num.* 2. P. Tannerus *tom.* 4. *diſp.* 6. *quaſt* 9. *dub.* 3. *aſſert.* 2. Alexander Peſantius *in addit. ad D. Thom. quaſt.* 10. *diſp.* 2. & ſententiam Armacani eſſe erroneam, affirmant P. Suarez. *tom.* 4. *in* 3. *part. diſp.* 24. *ſect.* 2. *num.* 3. & P. Fagundez *lib.* 7. *in ſecundum Eccleſia precept. cap.* 1. *numero.* 10. Et illam eſſe euidenter aduerſam Tridentino, affirmant P. Coninck. *tom.* 2. *de ſacrament. diſp.* 8. *dub.* 2. & Petrus de Ledeſma *part.* 1. *de ſacram. Pænit. cap.* 12. *concluſ.* 2. Ergo poteſtas eſt in Eccleſia damnandi illas opiniones, quæ fuerunt ſaltem ab extrinſeco probabiles ante condemnationem.

Opinio Armacani, non requiri iuriſdictionem ad abſoluendum.

Damnata à Tridentino.

106. Confirmatur tertiò. Nam, vt loquitur Saytus *lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 6. [Satis communis opinio fuit olim, habenti mortale nondum confeſſum, ſufficere contritionem, nec neceſſariam eſſe confeſſionem actualem ad Euchariſtiam ſuſcipiendam, etiam habita copia confeſſoris, licet id conſilium ſalutare ſit, provt Panormitanus *in cap. De homine, de celebratione Miſſarum. num. vlt.* Ricardus *in* 4. *diſt.* 17. *art.* 3. *quaſt.* 6. Adrianus *tract. de confeſſ. quaſt.* 3. Ioannes Medina *Cod. de confeſſ. quaſt.* 14. *dub.* 2. & Caietanus *in ſumm. verb. communio, & in* 1. *Corinth.* 11. & *in part.* 3. *quaſt.* 80. *art.* 4. *in antiquis impreſſionibus*, docuerunt. Quorum tamen opinio nunc nullo modo ſequenda, aut tenenda eſt poſt Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 13. *cap.* 7. & *can.* 21.] Ergo hanc opinionem olim probabilem potuit Eccleſia improbabilem reddere, qualis nunc eſt. Et quidem non tantùm præcepto nouo, ſed etiam declaratione antiqui, in ipſa conſuetudine, & traditione Eccleſiæ contenti, vt patet illis verbis: *Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat,* &c.

Opinio docens, poſſe communicari abſque prauia confeſſione.

Eſt certò falſa poſt Tridentinum.

Dices, in exemplis ſuprà poſitis eſſe diuerſitatem, quia cognita in Concilio euidenti illatione ex veritate reuelata, aut euidenter cognita reuelatione falſa in ſcripturis, quæ antea à priuatis Doctoribus non ita clarè conſpiciebantur, potuerunt per definitionem Romani Pontificis amittere probabilitatem, & de facto amiſerant. At cùm hîc ſupponamus, non adeſſe euidentem reuelationem, neque euidentem illationem ex veritate reuelata, non videtur eſſe vnde iuſtificari poſſit condemnatio propoſitionis quæ antea erat ab intrinſeco probabilis. 107.

Sed reſponſio impugnatur apertè. Sicut ſe habet euidens illatio ex veritate reuelata ad damnandam tanquam erroneam propoſitionem, quæ antea erat probabilis; ita eadem proportione ſe habet motiuum certum de falſitate propoſitionis antea probabilis (concurrente ſancti Spiritus aſſiſtentia, quæ in materia morum eſt infallibilis) ad damnandam illam tanquam improbabilem, & certò falſam: ſed potuit denuò cognoſci euidenter à Romano Pontifice illatio ex veritate reuelata, quamvis oppoſita priùs eſſet probabilis, & ita condemnari vt erronea: ergo poterit denuò cognoſci à Romano Pontifice motiuum certum de falſitate propoſitionis, quæ antea erat probabilis; & ita damnari vt improbabilis, & certò falſa, maximè accedente ſancti Spiritus aſſiſtentia, ne erret Eccleſia in re tam graui, qualis eſt materia morum. 108.

Demonſtratur quartò. Probabile fuit (ſaltem ab extrinſeco, & initio naſcentis quæſtionis) obiectum feſtiuitatis Conceptionis Deiparæ, eſſe ſanctificationem eius in ſecundo inſtanti, quam vocabant Conceptionem ſpiritualem: atqui per Bullam Alexandri VII. Iam ea propoſitio eſt improbabilis, & certò falſa, cùm oppoſita ex definitione Alexandri VII. Sit certiſſima: ergo datur authoritas in Eccleſia, vt propoſitio priùs probabilis tranſeat ad ſtatum improbabilitatis, & falſitatis certò cognitæ. 109.

Opinio docens, obiectum feſtiuitatis eſſe ſanctificationem Deiparæ in 2. inſtanti.

Poſt Alexandrum VII. eſt improbabilis.

Maior, & conſequentia patent. Minor conſtat euidenter ex Bulla, vbi definit Alexander VII. Feſtum, quod celebrat Eccleſia Romana, eſſe de præſeruatione B. Virginis Mariæ ab originali peccato in ipſa creatione animæ, illis verbis: [Edita in fauorem ſententiæ aſſerentis, animam B. Mariæ Virginis *in ſui creatione*, & in corpus infuſione, Spiritus Sancti *gratia* donatam, & à peccato originali *præſeruatam* fuiſſe; necnon & 110.

ni

in fauorem feſti, & cultus Conceptionis eiuſdem Virginis Deiparæ *ſecundum piam iſtam ſententiam*, vt præfertur, exhibiti.] Et illis verbis: [Volenteſque laudabili huic pietati, & deuotioni, & *feſto*, ac cultui *ſecundum illam* exhibito, in Eccleſia Romana poſt ipſius cultus inſtitutionem nunquam immutato fauere, necnon tueri pietatem, & deuotionem hanc *colendi*, & *celebrandi Beatiſſimam Virginem, præueniente ſcilicet Spiritus ſancti gratia, à peccato originali præſeruatam.*]

111. Quod autem Romanus Pontifex errare non potuerit in hoc declarando, patet *ex cap. 6. art. 1. & 2.* ſi enim ex ibi dictis certiſſimum eſt Romanam Cathedram errare non poſſe in materia morum, à fortiori id tenendum eſt in eo genere morum, quod ſpectat ad Religionem, & cultum diuinum, quale eſt offerre ſacrificium Deo in honorem præſeruationis B. Virginis. De quo vide infrà *cap.* 18.

112. *Opinio affert formidinem de demõſtrabilitate partis oppoſitæ.*

Demonſtratur quintò. Quælibet opinio probabilis, ſicut affert formidinem de veritate partis oppoſitæ, ita & de demonſtrabilitate partis oppoſitæ, vt oſtendi *diſp. 5. cap. 3.* ergo poſita quacumque opinione probabili, poteſt intellectus dicere, [Fortè oppoſita vera eſt, fortè oppoſita demonſtrabilis eſt; quamvis me lateat demonſtratio, ſiue principium certum, cum quo mea opinio ſit incompatibilis: fortè quod aliis opinionibus contingit, poterit & meæ contingere, quod affulgeat principium certum, cum quo illa ſit incompatibilis, quod nunc latet.] Conſequentia patet: ſic enim explicatur prædicta formido.

113. *Apparente principio certo contra opinionem, poteſt id declarare Pontifex.*

Tum ſic. Si forſan appareret principium certum, cum quo mea opinio ſit incompoſſibilis, in tali caſu poterit Romana Cathedra definite (ſaltem extra definitionem articuli Fidei) oppoſitam ſententiam, & illam primam opinionem damnare tanquam certò falſam: atqui eam contingentiam habet prædicta opinio probabilis, cùm talis contingentia contineatur in ea formidine: ergo contingens eſt caſus, in quo appareat eiuſmodi principium certum, cum quo ſit impoſſibilis ea concluſio, & in quo poſſit ea concluſio à Romana Cathedra condemnari tanquam certò falſa: ergo datur in mundo viſibili poteſtas illam damnandi.

114. Confirmatur, ſi non daretur authoritas in Romana Cathedra ad damnandum opinionem probabilem, non aliunde proueniret, niſi quia non eſt contingens caſus, in quo appareat demonſtratio partis oppoſitæ, ſiue principium certum, cum quo ſit incompatibilis ea opinio: ſed prædictus caſus eſt contingens; quæ contingentia continetur in formidine quæ datur in opinione probabili: ergo non eſt, cur denegetur Romanæ Cathedræ authoritas damnandi eam opinionẽ probabilem.

115. *Tollis probabilitatem opinionis, dum declarat, obiectum eius non fuiſſe præceptum.*

Demonſtratur ſextò. Si eſſet opinio probabilis Doctorum, quod aliquid eſſet ab Eccleſia præceptum, & Romanus Pontifex declararet, id non fuiſſe ab Eccleſia præceptum, opinio illa maneret improbabilis: ſed poteſt Romanus Pontifex declarare, id non eſſe præceptum, imò id de facto declarauit: ergo opinionem probabilem poteſt reddere improbabilem, & de facto reddidit.

116. Maior patet. Eſt enim certò falſa propoſitio, quæ aſſerit, aliquid eſſe præceptum, cùm legiſlator declarat mentem ſuam, aſſerens, id non eſſe præceptum. Sicut enim habet authoritatem præcipiendi, ita & poteſt authenticè declarare, quid præceperit, aut non præceperit. Eſſet ergo certò falſa propoſitio affirmans præceptum, ſi legiſlator declaret, illud non dari.

117. *Opinio docẽs, occidentem cum moderamine, eſſe irregularem.*

Minor autem, loquendo de potentia id declarandi, euidens eſt, & de facto etiam conſtat. Nam, vt loquitur Sayrus *lib. 1. cap. 4. num. 6.* [Communis apud antiquos opinio erat, quod licèt non peccaret irregularis, tamen erat, qui occideret, vel mutilaret inuaſorem cum moderamine inculpatæ tutelæ, ad vitam propriam ſaluandam, prout olim Alexander. Quæ tamen opinio iam quoad irregularitatem falſa, & antiquata eſt, vt habetur *in Clement. Si furioſus, de homicidio.*] In quo Clemens V. non condidit nouum ius, ſed antiquum declarauit; & per eam declarationem ea antiqua opinio reddita eſt certiſſimè falſa.

Declaratione Clementis V. eſt certò falſa.

118. Quod argumentum adhuc magis vrget, ſi ſupponamus id, quod fieri poteſt, nempe eſſe eumdem numero Pontificem, cuius extare præceptum aſſeruiſſent Doctores; & qui declarauit, ſe non intendiſſe imponere tale præceptum.

CAPVT VIII.

Eadem concluſio roboratur ex condemnatione opinionis de abſolutione inter abſentes.

119. Demonſtratur ſeptimò eadem concluſio. Olim erat probabilis opinio, quæ docebat, impendi poſſe abſolutionem in abſentia; adeò vt P. Suarez *tom. 4. in 3. part. diſp. 19. ſect. 3. num. 2.* referat pro ea ſententia viginti Doctores. Hoc non obſtante Clemens VIII. eam ſententiam condemnauit his verbis, quæ refert P. Suarez *ibid. num. 15. Re maturè, ac diligenter conſiderata, hanc propoſitionem, ſcilicet licere per litteras, ſeu internuncium confeſſario abſenti peccata ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſenti abſolutionem obtinere, ad minùs vti falſam, temerariam, & ſcandaloſam damnauit ac prohibuit: præcepitque, ne deinceps iſta propoſitio publicis, priuatiſve lectionibus, concionibus, & congreſſibus doceatur, néve vnquam tanquam aliquo caſu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quovis modo deducatur.* Adiungitque excommunicationem ipſo facto incurrendam ſibi reſeruatam contra violantes decretum.

120. *Si adhuc mãſit probabilis, Pontifex prohibuit actum virtutis.*

Tum ſic. Si illa opinio poſt condemnationem manſit probabilis, infertur, quod Romanus Pontifex propoſuit Eccleſiæ tanquam ſcandaloſum id, quod eſt licitum, laude dignum, & actus virtutis. Patet, quia eo ipſo, quod ea confeſſio, & abſolutio data inter abſentes, ſit practicè probabilis, eſt licita; & eo ipſo, quod eſt confeſſio, & abſolutio, eſt laude digna, & actus virtutis.

121. *Erroneum eſt dicere, propoſitum eſſe Eccleſiæ vt ſcãdalum actum virtutis.*

Atqui erroneum eſt dicere, quod Summus Pontifex proponat toti Eccleſiæ tanquam peccatum ſcandaloſum rem licitam, laude dignam, & actum virtutis. (Eſt enim ex principiis Fidei certiſſimum, quod Pontifex docens Eccleſiam non poteſt errare in materia morum, vt conſtat *ex cap. 6. art. 1. & 2.*) Vide etiam *art. 3.*

122. Ergo abſurdum eſt dicere, quod illa opinio poſt condemnationem maneat probabilis. Ergo datur in mundo viſibili authoritas condemnandi propoſitiones priùs probabiles, ita vt reipſa amittant probabilitatem, quam antea habebant.

Digitized by Google

123. *Hæc damnatio facta eſt ex matura deliberatione.*

Et vt rem faciliùs calleas, aduerte, ea priora verba decreti, *Re maturè, ac diligenter conſiderata*; & inde colliges, hanc, & ſimiles condemnationes fieri cum matura, ac diligenti cauſæ cognitione: ex qua reſultat certa moraliter cognitio de falſitate propoſitionis damnandæ, accedente præcipuè Spiritus ſancti aſſiſtentia, ne erret Pontifex: quam adeſſe, quoties Pontifex in materia Fidei, & morum docturus eſt Eccleſiam, certiſſimum eſt. Hinc facilè intelligitur, quomodo propoſitio, quæ probabilis erat ab intrinſeco propter fundamenta grauia, quibus nitebatur, per condemnationem Romani Pontificis fiat improbabilis. Nam per *maturam, ac diligentem* conſiderationem cauſæ reperiuntur denuò motiua certa, ſaltem moraliter, & cognitio certitudinis eorum: qua certitudine accedente, ceſſat probabilitas oppoſitæ partis.

124. *Duo capita certitudinis.* *Motiuum certum.* *Aſſiſtentia Spiritus S. ne erret.*

In quo duo capita certitudinis reperiuntur. Primum, quod reſultat ex *matura, ac diligenti præuia conſideratione* cauſæ; per quam reperitur principium certum incompatibile cum probabilitate oppoſitæ aſſertionis. Secundum eſt aſſiſtentia Spiritus ſancti, promiſſa Vicario Chriſti, quoties (ſaltem matura deliberatione præmiſſa) docet Eccleſiam in materia morum, vt conſtat *ex cap.6.*

125. *Motiuū, quod vni videtur probabile, ab altero comperitur certum.*

Et quidem ſæpe contingit, aliqua eſſe argumenta certa, & ſaltem moraliter euidentia, quæ Doctori priuato non proponuntur vt talia, ſed vt merè probabilia: & dum ita proponuntur, concluſio remanet in ſtatu probabilis. Contingit etiam Doctorem alium priuatum, dum ad eadem argumenta accedit, reperire in illis vrgentiorem vim, eorumque efficaciam profundiùs conſideratam in omnimodam certitudinem deſinere. Si ergo Doctor priuatus ob profundiorem conſiderationem rationum poteſt opinionem priùs probabilem in improbabilem conuertere, quantò magis id poterit præſtare Romanus Pontifex, cui certò promiſſa eſt Spiritus ſancti aſſiſtentia, ne docturus Eccleſiam erret in materia morum.

A fortiori Pontifex comperire poteſt eam certitudinem.

126. *Independenter à damnatione, ea opinio eſt practicè improbabilis.*

Et quidem independenter ab ea condemnatione Clementis VIII. licèt darem, eam opinionem eſſe ſpeculatiuè probabilem, cæterùm eam eſſe practicè probabilem, acerrimè negarem, propugnarémque, eam in praxi eſſe certò falſam, & ſcandaloſam. Etenim in materia Sacramentorum, quoties datur opinio, quæ Fideles exponat fruſtrationi ſacramenti, ea quidem eſt in perniciem animarum, & non eſt practicè probabilis. Ita licet probabile ſit, validum eſſe Baptiſmum factum lixiuio, vel iure cocto, improbabile eſt, quod extra caſum extremæ neceſſitatis conferri poſſit talis Baptiſmus. Atqui opinio de abſolutione data in abſentia, exponebat Fideles ſic abſolutos fruſtrationi ſacramenti in perniciem animarum ſuarum: non ergo erat practicè probabilis. Et ſi erat ea fruſtratio in perniciem animarum, vtique erat ſcandaloſa. Vide *diſp. 15. num. 341.*

Opinio, quæ ſacramentum exponit fruſtrationi, non eſt practicè probabilis.

Dices primò. Ergo ante condemnationem Clementis VIII. erat improbabilis: cur ergo diximus, eam de probabili tranſiiſſe in improbabilem.

127. Reſpondeo, eos viginti Authores, qui aſſeruerunt eam opinionem, non aduertiſſe ad hoc principium certum de fruſtratione ſacramenti, & pernicie animarum, cui exponebantur Fideles, maximè ex frequenti vſu, & in articulo mortis: ideóque dum hoc principium eos latebat, non erat improbabilis opinio. Nobis autem, qui id principium certum aduertimus, ea improbabilis eſt, etiam antecedenter ad decretum Clementis VIII.

Id quidem ita eſt, ſi fortè dixerunt, eam eſſe practicè probabilem. Nam qui dixiſſent ante decretum Clementis VIII. eam eſſe ſpeculatiuè probabilem, non tamen practicè, ob nouam circumſtantiam periculi animarum, quæ reperitur in praxi, non dixiſſent aliquid tunc improbabile; quamvis id etiam modo ſit improbabile poſt decretum Clementis, vt poſteà dicam. 128.

Fortè Authores intenderunt, eam eſſe ſolùm ſpeculatiuè probabilem.

Dices ſecundò. Idem contingit de facto in ſacramento Pœnitentiæ, quoties eſt opinio probabilis de iuriſdictione confeſſarij. Nam ſi confeſſarius verè, & à parte rei non habet eam iuriſdictionem, quam putat opinio probabilis, nulla erit abſolutio, exponunturque Fideles fruſtrationi, in perniciem animarum ſuarum. Id autem non ſufficit, vt ea opinio dicatur practicè improbabilis: ergo neque id ſufficiet in opinione de abſolutione inter abſentes. 129.

Eſt tamen inter vtrumque certiſſima ratio diſcriminis. Nam quæ ad iuriſdictionem confeſſarij ſpectant, poteſt ſupplere Eccleſia, & de facto ſupplet, eo quod iuriſdictio confeſſarij eſt materia ſibi ſubiecta: eaque contingentia tollitur de facto per confeſſionem venialium, in quæ quilibet confeſſarius iuriſdictionem habet; item per errorem communem contentum in opinione probabili, ſi reipſa falſa eſt, cùm error communis ex ipſius Eccleſiæ diſpoſitione iuriſdictionem conferat, ſi certum eſt, hanc valere pro foro pænitentiæ. Hæc autem locum non habent in opinione de abſolutione inter abſentes; valor enim huius abſolutionis dependet à iure diuino, & ab ea quæſtione, an Chriſtus D. contulerit Sacerdotibus poteſtatem abſoluendi in abſentia? Ius autem diuinum in materia Sacramentorum Eccleſia immutare, aut ſupplere non poteſt. Vnde ea abſolutio in abſentia, maneret expoſita fruſtrationi; & ita eſſet in ingentem perniciem animarum. Ita ſi probabile tantùm ſit, Sacerdotem eſſe validè ordinatum, propter defectum, quem eſſe eſſentialem, probabilis opinio defendit, peccabit mortaliter abſoluendo, propter contingentiam, cui exponit Fidelium conſcientias: quem defectum ordinis Eccleſia ſupplere non poteſt. 130.

Per iuriſdictionem certam in venialia, tollitur periculū fruſtrationis. *Item per errorem communem.* *Valorem, qui pendet à iure diuino Eccleſia nequit ſupplere.* *Qui haberet Sacerdotium probabile, peccaret mortaliter abſoluendo.*

Et forſitan hæc ratio, inter alias, impulit Romanum Pontificem ad eam condemnationem. Fortè ob eandem rationem dixit Pontifex in ſuo decreto, damnare ſe eam propoſitionem, *Licere per litteras, aut internuncium*, &c. Non autem dixit, damnare ſe propoſitionem, quæ aſſerit, *validam eſſe abſolutionem, quæ per litteras*, &c. quia præcipuè damnare intendebat practicabilitatem eius opinionis, fortè propter fruſtrationem, cui exponebantur conſcientiæ Fidelium. 131.

An hæc ratiò impulerit ad damnationem opinionis?

Sed hinc oritur quæſtio, an non obſtante decreto Clementis, poſſit moribundo in caſu extremæ neceſſitatis conferri in abſentia abſolutio ſub conditione? Petrus repentè confoſſus eſt pugione, & lethali vulnere oppreſſus inclamauit confeſſionem. Teſtis, qui audiuit, cucurrit ad Sacerdotem, & narrauit periculum moribundi, & vocem ſupremam, confeſſionem poſtulantis: & quia iter Sacerdotis ad moribundum non eſt breue, & inſtat contingentia mortis ſubitæ ſine ſacramento 132.

An in caſu neceſſitatis poſſit impendi abſolutio moribundo, in abſentia?

Digitized by Google

mento, dubitat, an ſtatim atque teſtis nunciauit periculum & deſiderium moribundi, ipſe in abſentia poſſit dicere: *Valet abſolutio in abſentia, & ſi es rectè diſpoſitus, ego te abſoluo.* Scilicet cum animo eundi illuc, & iterum abſoluendi in præſentia ſub conditione, ſi ſuperſtitem inueniat.

133. Affirmatiuæ parti aliqua fauere videntur. Primum, quia Clemens VIII. non damnauit expreſsè abſolutionem ſub conditione datam: abſolutio enim conditionalis, deficiente conditione, non eſt abſolutio. Secundum, quia Pontifex non damnauit expreſſis, & formalibus verbis valorem ſpeculatiuum abſolutionis in abſentia, ſed hanc propoſitionem, ſcilicet, *Licere per litteras, ſeu internuncium*, &c. Vnde illa conditio ſuprà poſita, *Si valet abſolutio in abſentia*, non videtur expreſsè damnata. Tertium, quia in extrema neceſſitate tenuis probabilitas ſufficit ad opinionem amplectendam; imò probabilitas apparens præualet opinioni probabiliſſimæ pro vrgenti neceſſitate, vt docet P. Thomas Sanch. *lib. 2. de matrim. diſp.* 36. *numero.* 8. *& lib.* 1. *ſum. cap.* 9. *numero.* 25. & apud ipſum Nauarrus *cap. inter verba, numero* 135. *fin.* Sotus, *de ſecreto memb.* 3. *quæſt.* 2. *concluſ.* 3. Quod ſi ita licet in magno periculo, multò potiùs in periculo damnationis æternæ.

In extrema neceſſitate ſufficit tenuis probabilitas.

134. Dicendum tamen eſt vt certiſſimum, neutiquam id licere: nam in verbis citatis declarat Pontifex, eam non eſſe probabilem in aliquo caſu; quæ negatiua vniuerſaliſſima eſt. Et quamuis videatur Pontifex non damnaſſe expreſsè eam propoſitionem, qua parte aſſerit, abſolutionem in abſentia eſſe validam, ſed ſolùm qua parte aſſerit eſſe licitam; tamen ex circumſtantiis, & illatione, etiam damnauit qua parte dicit validam. Si enim eſſet valida probabiliter, non poſſet eſſe illicita in caſu extremæ neceſſitatis, quando non poteſt dari moribundo in præſentia: atqui Pontifex dicit illicitam in omni caſu, & in nullo licitam: ergo euidens eſt, quod nunquam, & in nullo caſu eſt valida.

Non licet abſolutio conditionalis in abſentia, etiã in extrema neceſſitate.

135. Vnde patet, quid reſpondendum ſit ad argumenta propoſita *num.* 133. Ad primum. Quamuis Pontifex non damnauerit expreſsè abſolutionem conditionalem; at ea conditio, *Si valet abſolutio in abſentia*, trahit in dubium valorem abſolutionis inter abſentes abſolutè prolatæ; cùm tamen certiſſimum ſit, eam eſſe inualidam, vt conſtat ex dictis. Ad ſecundum ſimiliter dicendum eſt. propoſitionem de valore eius abſolutionis damnatam eſſe ex conſequenti. Ad tertium dic, nec tenuem eſſe probabilitatem eius propoſitionis, propter dicta.

CAPVT IX.

Quid reſpondeat Caramuel circa damnationem propoſitionis de abſolutione inter abſentes?

136. Et vt ad Caramuelem redeamus, ille *in Theolog. fundam. num.* 295. *fund.* 5. accedit ad hoc decretum Clementis VIII. condemnatorium propoſitionis quæ aſſerit, licere abſolutionem in abſentia: & poſtquam prolixam texuit hiſto-

riam de Monialibus, quæ defectu Confeſſarij Catholici per litteras confitebantur cuidam Monacho abſenti, & ab eo accipiebant abſolutionem in abſentia, ſcilicet ante decretum Clementis VIII. mox *num.* 300. ſubdit hæc verba: [Clemens VIII. tales confeſſiones, & abſolutiones *aut interdixit, aut damnauit.* Et *nihilominus* R. P. Ludouicus Connæus, Sacræ Theologiæ Profeſſor Pragæ, necnon ſtudij Prouincialis Director, aſſertionibus Theologicis, quas defendendas ſuſcepit die 13. Decemb. an. 1650. interrogationes ſeptem addidit, quarum quinta erat hæc, nimirum, Validáne ſit abſolutio directa ad abſentem poſt Clementis VIII. declarationem? Reſpondeo eſſe *ſtandum omninò* Summi Pontificis declarationi.]

In quibus verbis Caramuelis multa ſunt notatione digna. Primum, ſubdolè appoſitam videri eam diſiunctiuam, *Aut interdixit, aut damnauit:* conſtituerat enim diſcrimen inter ea duo, vt retuli *num.* 7. ſcilicet, eas propoſitiones, quæ interdicuntur, manere in eodem gradu probabilitatis, quem ante interdictionem habebant: quare videtur eo fine vſum eſſe ea voce *interdixit*: cùm tamen in decreto Clementis VIII. dicatur, *Ad minus vti falſam, temerariam, & ſcandaloſam damnauit.* 137.

Item cùm dixerit, eas propoſitiones, quæ damnantur, damnari ſolùm quoad forum externum, non quoad internum; in hoc planè Clementi, & eius decreto refragatur. Nam ſi ea propoſitio *falſa, temeraria, & ſcandaloſa* eſſe declaratur, quomodo manebit probabilis quoad forum internum. Eſt enim improbabile, quod liceat in praxi vti opinione falſa, temeraria, & ſcandaloſa, & quam in materia morum talem eſſe declarauit Romana Cathedra. 138.

Non manet probabilis pro foro interno, quæ certo oraculo declaratur falſa.

Nota etiam verbum *Nihilominus*, & eam interrogationem P. Connæi; quæ propoſita videntur quaſi aliquod præiudicium afferant condemnationi, & declarationi Clementis VIII. Et ego quidem miror, Caramuelem ſciuiſſe eam interrogationem Connæi, & ſciuiſſe, quid ad eam interrogationem, ſiue quæſtionem reſponderit. In re enim tam noua, & tanti præiudicij quis credat, Caramuelem non interrogaſſe deciſionem quæſtionis ſub dubio propoſitæ, ſi fortè in eo actu litterario non datus eſt locus ſatisfaciendi ei dubio? Quod ſi interrogauit, & didicit à P. Connæo reſponſionem eius dubij, quare etiam ibi Caramuel eam reſponſionem non propoſuit? Numquid quia talis erat, vt nihil afferret præiudicij declarationi Clementis VIII. Aſſerere enim de praxi eius opinionis, vel de valore abſolutionis datæ abſenti, manere in ſtatu probabilitatis, aut ſolùm damnatam eſſe quoad forum externum, nullus auſus eſt Doctor Catholicus: quare credo, neque Connæum. 139.

Notanda etiam ſunt poſteriora verba eius periodi Caramuelis: *Reſpondeo, eſſe ſtandum omninò Summi Pontificis declarationi.* Ex quo infero: ergo euidens eſt, propoſitionem, quæ priùs fuerat probabilis, manere improbabilem poſt declarationem Pontificis. Etenim improbabilis eſt propoſitio, quæ certò falſa eſt: atqui (ſi ſtandum eſt omninò declarationi Pontificis) ex ea declaratione certum eſt, propoſitionem eſſe *falſam, temerariam, & ſandaloſam*: ergo ex ea declaratione Pontificis manet verè improbabilis. 140.

Si ſtandum eſt declarationi, opinio manet certo falſa.

141. *An Caram. contradicat decreto Clementis?* Ex quo etiam ſit, doctrinam Caramuelis decreto Pontificio contradicere, & ſibi. Decreto Pontificio, quatenus aſſeritur, propoſitionem damnatam non manere damnatam quoad forum internum, ſed in ſuo probabilitatis gradu remanere. Etenim non componuntur hæc duo: & quod propoſitio ſit falſa, temeraria, ſcandaloſa, quod declarat Pontifex, cuius *declarationi eſt ſtandum omninò*: & quod maneat in ſuo gradu probabilitatis; quod in doctrina generali relata aſſerit Caramuel.

142. *An ſibi contradicat?* Sibi contradicit, dum ait, omnem propoſitionem, quæ ante damnationem erat probabilis, manere in ſuo gradu probabilitatis; & ſimul ſtandum eſſe omninò declarationi Pontificis, quæ propoſitionem aſſerit falſam, temerariam, &c.

143. Dices, Caramuelem non ſibi contradicere. Nam quando ait, *Reſpondeo, ſtandum eſſe omninò ſummi Pontificis declarationi*; ea verba intelligenda ſunt eodem modo, ac illa, quæ *num.* 304. in quibus aſſerit, ſtandum eſſe declarationi Cardinalium factæ & promulgatæ iuſſu Vrbani VIII. & vtraque intelligenda iuxta *num.* 317. vbi ait, omnes eas condemnationes eſſe ſolùm in foro externo, non verò in interno.

144. *Si non ſibi contradicit, clarius adverſatur decreto.* Sed ſi non ſibi contradicit, & hæc aſſerit, clariùs pugnat contra decretum Clementis. Nam cùm Clemens VIII. declaret, eam propoſitionem eſſe *falſam, temerariam, & ſcandaloſam*; opus eſt, quod explicet Caramuel, quid eſt propoſitionem eſſe falſam in foro externo, & non in interno: vel quid eſt, propoſitionem eſſe ſcandaloſam, non in interno, ſed in externo foro; niſi quod opinio probabiliter vera, declaretur tanquam certò falſa; & quod opinio ſecura condemnetur tanquam ſcandaloſa, & innocens tanquam rea; & quod decipiatur Pontifex in materia morum, ſicut decipitur iudex, cuius ſententiam condemnatoriam innocentis extorquent falſi teſtes. Quod (vt omittam demonſtrationes huc vſque efformatas) Romanæ Cathedræ iniurium eſſet, aſſerere.

CAPVT X.

Eadem concluſio demonſtratur ad hominem, ex eo quod Caramuel multis opinionibus, ſuo iudicio, auferat probabilitatem.

145. Demonſtratur octauò concluſio. Caramuel multas opiniones probabiles ſuo priuato iudicio damnat de improbabilitate: ergo Romanus Pontifex poteſt opiniones anteà probabiles damnare de improbabilitate, & illis damnatione ſua probabilitatem auferre. Antecedens probatur. Caramuel multas opiniones ſuas (aliorum Doctorum opinionibus aduerſas) dicit eſſe euidentes: ſed qui dicit, propoſitionem eſſe euidentem, dicit oppoſitam eſſe certò falſam: ergo multas propoſitiones, ſeu opiniones oppoſitas ſuis dicit eſſe certò falſas. Sed tales oppoſitæ ſuis, ſunt opiniones probabiles, & quæ in poſſeſſione probabilitatis perſtiterunt vſque ad demonſtrationes (vt ipſe putat) quas contra prædictas opiniones efformat: ergo ad ſtatum improbabilitatis reduxit, ſuo iudicio, multas opiniones antea probabiles.

146. *Opiniones circa horologia, vt ſuarum demonſtrationum cenſet improbabiles.* Minorem eius ſyllogiſmi longa inductione poteris demonſtrare. Sententia probabilis fuit (imò & omninò certa) & omnium Doctorum, nemine diſcrepante, calculo firmata, vſque ad Caramuelem, vbi eſt vnicum horologium bene regulatum, ſtatim atque ſonuit hora duodecima noctis, ſi quis ſtatim comedat, violare ieiunium naturale, nec poſſe die ſubingredienti communicare ſacram ſynaxim: item violare ieiunium Eccleſiaſticum, ſi die ſubſequenti inſtet præceptum ieiunij, & ſic in ſimilibus. Et vbi plura ſunt horologia bene regulata, ſaltem vſque ad ſonitum vltimi expectati poſſe; & qui immediatè poſt illum comederit, incurrere in eandem violationem vtriuſque ieiunij. Et tamen Caramuel docens, vſque ad duodecimam, & vnum quadrantem protrahi poſſe comeſtionem, ita vt neutrum ieiunium diei ſubingredientis violetur, docet, hanc ſuam ſententiam eſſe euidentem, & oppoſitam eſſe certò falſam, imò & manifeſtum errorem.

147. Notatione digna ſunt verba Caramuelis *in Theolog. fundam. num.* 377. *fund.* 10. vbi ſic ait: [Sed quid hîc Caramuel dicet, facietve, vniuerſis oppoſitus? An recantabit palinodiam, ne vnus opponi vniuerſis dicatur? An ſe tuebitur nomine Paſqualigi viri doctiſſimi, qui *deciſ.* 248. *num.* 6. *& ſeq.* ſuam ſententiam propugnat? Minimè. Sed ſuam dicet *tam claram, & tam demonſtratam*, vt nec Paſqualigi, nec alterius authoritate indigeat, ſi ſinceritas adſit. Sed ſingularis eſt Caramuelis ſententia, ais; ſiquidem, teſte Diana, vniuerſis oppoſita. Sed quid inde? Non dicit Caramuel, eam non eſſe ſingularem, ſed eſſe *euidenter veram*, & futuram communem, & vnicam in ſcholis, ſi eius fundamenta legantur.

148. Et *num.* 341. loquens de opinione, quæ aſſerit ſtandum eſſe primo horologio, ſubdit: [Incipiam ab illa ſententia (ſi hoc nomine honoranda eſt aſſertio, quæ eſt *clarus, & manifeſtus error*:) ab illa, inquam, quæ docet, primo horologio eſſe ſtandum.] Et loquens tam de illa, quàm de ea, quæ expectat ſonitum vltimi horologij, eodem *num.* 341. ait: [Acturo de opinionibus communibus, quæ vulgò iudicantur probabiles, quæ tamen *mera indoctorum ignorantia* ſubſiſtunt, primò ſuccurrit, quæ horologia tuetur, qua *nulla falſior eſt*, & indignior.]

149. Iam verò hîc inſtauro titulum quæſtionis, & inquiro; *An detur in mundo viſibili authoritas priuata ad damnandum priuatim opinionem probabilem?* Affirmatiuam partem neceſſariò tuebitur quicumque veras iudicauerit eas Caramuelis periodos relatas, & aſſeret in Caramuele reſidere authoritatem priuatam ad damnandum priuatim opiniones, quæ ante talem damnationem probabiles erant. Nam decidit, aliam ſententiam eſſe *clarum, & manifeſtum errorem*; aliam eſſe *mera indoctorum ignorantia ſubſiſtentem*; *falſiſſimam omnium, & indigniſſimam*; oppoſitam verò eſſe *demonſtratam, claram, certam, euidenter veram.*

150. Ergo ſolus Caramuel in mundo viſibili poteſt, examinata cauſa probabilitatis, reperire certitudinem de falſitate vnius propoſitionis, & ita illam damnare vt *clarum & manifeſtum errorem*; item vt *falſiſſimam, & mera indoctorum ignorantia ſubſiſtentem.* At verò homines doctiſſimi, licèt ex toto orbe ſelecti fuerint Romani Pontificis authoritate ad examinandam cauſam probabilitatis

Digitized by Google

probabilitatis vnius propoſitionis, non poſſunt reperire certitudinem moralem de falſitate illius: ergo id eſt priuilegium Caramuelis ſupra omnes mortales.

151. Confirmatur primò. Demus, Romanum Pontificem audiuiſſe, negare Caramuelem obligationem ſtandi horologiis ſonantibus, & velle cauſam vtriuſque propoſitionis oppoſitæ in hac materia examinare, vt ſi quam inuenerit certò falſam, condemnet. Vocat Caramuelem, vt eum conſulat, & ſententiam eius audiat. Et rogo, quid conſulet Caramuel circa hanc cauſam? Numquid vt damnet ſententiam, quæ negat, præciſè ſtandum eſſe horologiis ſonantibus; an eam, quæ affirmat? Si dicat, neutram damnatione dignam eſſe, infero: ergo neutra eſt certò falſa: ergo palinodiam recantat.

152. Dicet ergo, damnari oportere communem, & quæ aſſerit, attendendum eſſe præciſè horologiis ſonantibus, quia ipſe inuenit contra illam certitudinem, & euidentiam. Et tamen iſta opinio ante Caramuelem erat probabilis ab intrinſeco, quia quæ iam faciunt illam improbabilem, ſunt argumenta demonſtratiua denuò reperta à Caramuele: ergo ex conſilio Caramuelis damnaretur opinio, quæ fuit probabilis ab intrinſeco ante condemnationem. Ergo dummodò audiatur conſilium Caramuelis, & cognoſcatur certitudo falſitatis propoſitionis per Caramuelis demonſtrationes, iam eſt in mundo viſibili authoritas damnandi opiniones probabiles.

153. Confirmatur ſecundò. Da, non vocari Caramuelem ad cognitionem eius cauſæ, ad examenque prædictæ probabilitatis ſententiarum inter ſe oppoſitarum de horologiis præciſè attendendis, vel non attendendis; ſed vocari viros aliàs doctiſſimos: & do, eſſe veras demonſtrationes, quas

Dilemma. tales appellat Caramuel. Tum ſic. Vel alij viri docti poſſunt peruenire ad certitudinem repertis demonſtrationibus, quas Caramuel reperit; vel non poſſunt: Si hoc ſecundum dicas, mirabile erit priuilegium ingenij Caramuelis inter mortales omnes. Si primum, infero: ergo & in hac, & in aliis materiis ex conſultatione doctiſſimorum virorum poteſt perueniri ad certitudinem de falſitate vnius propoſitionis in examine cauſæ de probabilitate illius: ergo authoritas eſt in Romano Pontifice, vt examinata cauſa condemnet propoſitionem, quæ ante condemnationem erat probabilis.

154. Confirmatur tertiò, inſtaurando contra Caramuelem argumentum quintum propoſitum *cap.* 3. *num.* 34. quod ipſe inſtituit, vt probet, non eſſe damnabiles propoſitiones, quas Diana dicit damnatas à Congregatione Cardinalium. Opinio communis de horologiis ſonantibus præciſè attendendis, numquid poſt diſputationem Caramuelis *manet improbabilis, an tantummodò minùs probabilis? Si improbabilis, cur? An ob nudam reprobationem* Caramuelis? *An ob demõſtrationem, quam hodie habemus, cuius veteres non habuerunt notitiam*? Reſpondebit, eſſe quidem improbabilem, cùm ipſe oppoſitam probet euidentem; ſed non ob nudam reprobationem Caramuelis, ſed propter nouam *demonſtrationem, quam hodie habemus, cuius veteres non habuerunt notitiam.* Ergo quando virorum doctorum conuentus ad examen probabilitatis conſpirat, iudicatur impoſſibile, quod aliquam demonſtrationem repererint, *cuius veteres non habuerunt notitiam*: interueniente autem Caramuelis ingenio, id non eſt impoſſibile.

Deinde pluſquaam centies in Theologia fundamentali affirmat, ſe demonſtrare, & euidenter oſtendere propoſitiones totidem, quas ibi ſtatuit contra alios Authores. Ergo ſolus Caramuel pluſquàm centum demonſtrationes reperire valuit, vi quarum oppoſitæ aſſertiones maneant improbabiles, & certò falſæ: cæteri autem Doctores, etſi magna diligentia quæſiti, & ad bonum publicum Eccleſiæ vocati, ne vnam quidem paruulam demonſtratiunculam reperire poſſunt, nec *hodie habere* demonſtrationem, *cuius veteres non habuerunt notitiam.* 155.

Quòd ſi eam inductionem inchoatam *n.* 146. continuare velis, ſecundo loco adſcribe opinionem communiſſimam, & vſque ad Thomam Sanchez à nemine dubitatam de obligatione confitendi peccata dubia: quam opinionem vult Caramuel eſſe certò falſam, dum oppoſitam vult eſſe certiſſimam, & à ſe demonſtratam. Vide ſupra *diſp.* 2. *num.* 14. & infrà *diſp.* 46. *cap.* 2. 156.

Vult eſſe certò falſam opinionem de confeſſione peccati dubij.

Tertiò. Opinio probabilis multorum fuit, in materia eligendi opiniones probabiles teneri hominem ad probabiliorem eligendam: hanc autem eſſe falſam, probat, ſuo iudicio, euidenter. Et ita ſemel, & iterum, & tertiò aſſerit, *in Regulam num.* 59. vbi ait: [Notanter *demonſtro*, dixi: non enim aliter, quàm demonſtratiuè hanc veritatem me oſtenſurum polliceor.] *Et fund.* 11. *numero* 443. *& numero.* 502. vbi ait: [Concludo, *improbabile* eſſe, peccare eum qui ſequitur opinionem minùs probabilem.] 157.

Dicit certò falſam opinionem, quæ obligat ad probabiliorem.

Quartò ipſe *in Regul. diſp.* 70. *num.* 1056. docuerat tanquam verè probabilem ſententiam, quæ aſſerit licitum eſſe exponere ſe probabili periculo peccandi ſine vlla neceſſitate. Cuius Authoritate ductus eamdem ſententiam ſecutus eſt Leander à Murcia *lib.* 2. *diſquiſit. diſp.* 1. *reſol.* 16. de quo vide, quæ dicemus *diſp.* 18. Et tamen poſteà in Theologia fundamentali *n.* 406. *fund.* 11. retractauit eam ſententiam, docens, eam eſſe improbabilem. Ibi enim cùm primùm diſcurrendi modum in hac quæſtione propoſuiſſe his verbis: [Licere homini ſe exponere probabili peccandi periculo, etiamſi nulla ſubſit neceſſitas, & nulla ſuccurrat vtilitas;] ſubdit ibidem: [Ego aſſero, primum modum eſſe improbabilem.] Et per totam quæſtionem aſſerit, & meritò, id à ſe demonſtrari: ergo ſententia, quam ipſe iudicauit probabilem, ſuo iudicio reddidit improbabilem. 158.

Aſſerit improbabile, quod liceat exponere ſe periculo probabili peccandi.

Quintò. Opinionem Ledeſmæ, quod non ſit vſuræ reus, qui mutuans alteri pecunias, accipit aliquid vltra ſortem, ex eo capite, quod ſe obligat ad non repetendum intra tantum tempus; in Theologia fundam. *num.* 1781 *fund* 60. affirmat contra quamplures (ferè omnes) Authores, eſſe euidentem, conſequenterque oppoſitam eſſe improbabilem. Et concludit in hæc verba: [Illos ſine formidine, errauiſſe pronuncio: tam enim ſunt certa, quæ doceo, vt ſi dares Deum, Angelos, aut quemcumque infallibilem iudicem, etiam capitalem ſententiam ſine vlla formidine pro defenſione huius veritatis appellarem. Contraria enim, quidquid de authoritate, & æquiuocatione ſit (his enim fulcris ſuccollatur) ſtando Deo, & rationi, videtur *omninò improbabilis.*] 159.

Improbabile dicit, quod ſit reus vſuræ, qui in mutuo accipit vltra ſortem, &c.

Ergo opinionem communem PP. Leſſij, Molinæ, 160.

Lugo, Laymanni, Turriani, Salas, imò & ferè omnium Doctorum, potuit Caramuel reddere improbabilem; Romanus autem Pontifex nullam opinionem priùs probabilem poteſt improbabilem reddere. Ergo Caramuel potuit inuenire demonſtrationem, qua ea opinio redderetur improbabilis; conſultatio autem doctiſſimorum virorum à Romano Pontifice aſſumpta poteſt inuenire demonſtrationem, qua opinio aliqua improbabilis reddatur. Quo quid abſurdius excogitari poteſt?

161. Siſte gradum, Lector, & ſcias oportet, eam opinionem relatam Ledeſmæ, & Caramuelis, fuiſſe nouiſſimè damnatam vt ſcandaloſam ab Alexandro VII. eſt enim quadrageſimaſecunda ex damnatis ab eodem in ſecundo decreto, vt videbis *cap.* 10. *art.* 1. Cuius propoſitionis ſic damnatæ hæc ſunt verba formalia: *Licitum eſt mutuanti, aliquid vltra ſortem exigere, ſi ſe obliget ad non repetendam ſortem vſque ad certum tempus.*

162. *Dilemma.* Compara ergo vtramque propoſitionem contradictoriam, & vtriuſque probabilitatem, vel euidentiam. Nam vel ea opinio poſt damnationem Alexandri manet in ſuo gradu probabilitatis, aut euidentiæ, quam habebat ante damnationem; vel non manet in eodem gradu, ſed redacta eſt ad improbabilitatem. Si hoc ſecundum dicatur, euidens fit, eſſe in Romano Pontifice authoritatem ad damnandum pro foro interno opiniones, quas Caramuel cenſet euidentes, nedum probabiles.

163. *Cuiuſnam cenſura præferenda, Caramuelis, an Pontificis?* Si verò primum dicatur, fit, potuiſſe Caramuelem redigere ad improbabilitatem opinionem communem Doctorum, & non potuiſſe Romanum Pontificem loquentem (vide *cap.* 20. *art.* 3.) è Cathedra in materia morum, redigere ad improbabilitatem opinionem Caramuelis. Fit vlteriùs, iudicium Caramuelis præferendum eſſe Romanæ Cathedræ in materia morum: ſiquidem poſt iudicium Caramuelis remanſit euidens eius opinio, & oppoſita improbabilis; & poſt iudicium Romanæ Cathedræ non potuit ea opinio damnata non manere in eodem gradu probabilitatis, vel euidentiæ pro foro interno. Quæ omnia tam abſurda ſunt, vt facilè demonſtrent, falſam eſſe Caramuelis ſententiam, quæ negat authoritatem in Romano Pontifice ad damnandas pro foro interno opiniones priùs probabiles; & quæ affirmat, propoſitiones ſic damnatas manere in ſuo gradu probabilitatis quoad forum internum.

164. *Ait Caram. certò falſam, quæ docet, ceſſante fine legis in particulari, non ceſſare legem.* Sextò. In Theolog. fund. *num.* 636. refert triginta Authores pro ea opinione, quod ceſſante fine legis humanæ in particulari, non ceſſat in eo caſu obligatio legis: PP. Suarium, Vaſquium, Salas, Laymannum, Molinam, Thomam Sanch. Rebellum, Coninxum, Becanum; item Villalobos, Mirandam, Sotum, Lorcam, Aragonium, Medinam, Anguianum, Salonium, Felicianum, Sarmientum, Couarruuiam, Malderum, Sayrum, Naldum, Baſilium Pontium, Pitigianum, Portellium, Monetam, Vegam, Verricellium, & Bonacinam. Et adhuc Caramuel ſuam oppoſitam ſententiam ſemel, & iterum affirmat certam, & demonſtratam, conſequenterque priorem relatam eſſe certò falſam. Hæc ſunt eius verba: [Sed ais, me temerè vocare *demonſtratam* ſententiam, quam tot illuſtres Scriptores reiiciunt.] Et poſtquam illos omnes retulit, addit: [His tamen non obſtantibus iterum dico, *certum eſſe*, legem ceſſare in particulari, quando finis adæquatus legis ceſſat in illo particulari.] Ergo Caramuel poteſt ſententiam triginta illuſtrium Scriptorum reddere improbabilem, & Romanus Pontifex non poteſt pauciorum, & ignobiliorum aſſertionem improbabilem reddere? Quibus omnibus quid abſurdius audire lector ſperat?

165. Et ne prolixior, adeóque moleſtior euadat inductio, à cæteris opinionibus à Caramuele, vt ipſe putat, demonſtratis abſtineo; quarum longam ſeriem texet, qui opera eius euoluerit. Interim vide quas enumeraui *diſp.* 1. *cap.* 1.

CAPVT XI.

Duo alia argumenta pro concluſione efformantur.

166. *Vel Caramuel errat, vel errant Pontifices in materia morum.* Demonſtratur nonò concluſio. In deciſione huius quæſtionis vel Caramuel decipitur, vel errant grauiter Romani Pontifices in materia morum: (hæc propoſitio habet ſenſum disiunctiuæ propriæ, id eſt, vnum tantùm horum eſt verum:) ſed Romani Pontifices non errant in materia morum: ergo decipitur Caramuel in deciſione huius quæſtionis. Conſequentia eſt euidens à disiunctiua propria affirmatiua, & vna eius parte negata, ad alteram eius partem affirmatam, vt Dialectici euidenter oſtendunt. Minor etiam eſt manifeſta ex dictis *cap.* 6. *art.* 1. & 2.

167. Maior etiam patet. Nam Caramuel affirmat, eas propoſitiones eſſe probabiles pro foro interno, quantumvis damnatæ ſint: & Romani Pontifices eas damnantes affirmant, non eſſe probabiles pro foro interno, ſcilicet dum affirmant, eas propoſitiones eſſe ſcandaloſas, temerarias, aut falſas, vt conſtabit *ex cap.* 20. *art.* 8. & illæ quidem verſantur in materia morum: ergo in hac materia morum contradicit Caramuel Romanis Pontificibus: ergo vel decipitur Caramuel, vel Romani Pontifices errant in materia morum. Ergo cùm hoc vltimum ſit impoſſibile, primum erit neceſſarium.

168. *An iuxta Caram. poſſit Pontifex dãnare opiniones probabiles in materia ſigilli?* Denique ad hominem demonſtro decimò concluſionem. Pontifex Romanus habet authoritatem damnandi opiniones probabiles laxas in materia ſigilli pœnitentiæ: ergo eſt in mundo viſibili authoritas damnandi aliquas propoſitiones probabiles.

169. Antecedens eſt Caramuelis *in Theol. fundam. num.* 1840. *fund.* 66. Nam cùm retuliſſet ex Diana aliquas opiniones probabiles laxas in materia ſigilli confeſſionis, aſſerit oportere, quod Eccleſia eas damnaret per definitionem. Ita enim ait: [Quæro primò, an non ſit neceſſarium, vt Eccleſia omnes laxas opiniones condemnet, quæ reddunt odioſum Sacramentum? Et dubito, an qualiſcumque condemnatio ſufficiat? Nam interdictio non eſt diffinitio; & contra diffinitionem Eccleſiæ non datur exceptio apud Catholicos; & contra Eccleſiæ præcepta multæ dantur.] Ergo datur authoritas in Eccleſia Romana ad condemnandum tanquam hæreticas, aut erroneas opiniones, quæ modò ſunt probabiles. Datur ergo in mundo viſibili authoritas damnandi opiniones probabiles. Deinde in iis propoſitionibus, quas poteſt Pontifex per definitionem declarare erroneas, vel hæreticas, poteſt temperare cenſuram, & declarare eas falſas, improbabiles, aut ſcanda

Digitized by Google

ſcandaloſas: ergo opiniones priùs probabiles poteſt declarare certiſſimo oraculo eſſe falſas, improbabiles, & ſcandaloſas: ergo ad illas ita declarandas datur authoritas in Romana Cathedra.

CAPVT XII.

Oppoſita ſententia arguitur de prauitate conſequentiæ.

170. SEd demus Caramueli, veram eſſe eius ſententiam, cuius falſitatem tot, tantiſque demonſtrationibus oſtendimus. Eſtò non ſit in mundo viſibili, atque adeò neque in Romano Pontifice authoritas damnandi pro foro interno opiniones probabiles. Quid inde? Reſpondet Caramuel relatus *ſuprà num.* 11. *Quid, ſi condemnaretur? Darent Deo rationem condemnantes.* Et poſteà ſubdit, vt retuli *num.* 13. quod ſi condemnaretur propoſitio probabilis, damnata maneret quoad forum externum, non verò quoad internum. Itaque hæc apud Caramuelem eſt legitima conſequentia: [Non datur in Romano Pontifice authoritas damnandi opiniones probabiles: ergo ſi damnet, adhuc manent probabiles pro foro interno.]

Praua conſequentia.

171. Ego autem ex illo antecedente oppoſitam conſequentiam eliciendam eſſe cenſeo, ſic: [Non datur in Romano Pontifice poteſtas damnandi opinionem probabilem: ergo ſi reipſa damnet, illa opinio non erat probabilis.]

Solùm infertur, illam non fuiſſe probabilem.

172. Eius conſequentiæ bonitatem ſic oſtendo. Romanus Pontifex non habet poteſtatem damnandi opinionem practicè probabilem, nec poteſt errare in damnatione opinionis practicè probabilis: ſed de facto damnauit opinionem A, declarando improbabilem, nempè ſub hac voce, vel ſub æquiualenti: ergo opinio A, non erat probabilis.

173. Conſequentia eſt manifeſta (quamvis ſyllogiſmus non ſit in forma Ariſtotelica;) eſt enim ſyllogiſmus eiuſdem formæ, ac iſte: [Romanus Pontifex non habet poteſtatem damnandi concluſionem Theologicam, nec poteſt errare in damnatione concluſionis Theologicæ (alioqui poſſet docere Eccleſiam propoſitiones erroneas, cùm ſit propoſitio erronea illa, quæ opponitur concluſioni Theologicæ:) ſed damnauit concluſionem A: ergo concluſio A, non eſt concluſio Theologica.]

174. Sed & ille prior ſyllogiſmus poteſt ſic reduci in formam Ariſtotelicam ad quartum modum primæ figuræ. [Illa opinio, quam damnat Pontifex abſque periculo errandi, non eſt probabilis: ſed opinio A, ea eſt, quam damnat Pontifex abſque periculo errandi: ergo opinio A, non eſt probabilis.] Hæc de conſequentia eius prioris ſyllogiſmi.

175. Minor verò eſt euidens in illis propoſitionibus, quas Romanus Pontifex expreſſo iudicio damnauit vt improbabiles, vt falſas, vt ſcandaloſas, &c.

176. Maior autem prioris ſyllogiſmi habet duas partes. Prima, ſcilicet in Romano Pontifice non eſſe poteſtatem damnandi opiniones probabiles, eſt Caramuelis, quam arguendi cauſâ illi damus. Secunda verò, quod Romanus Pontifex errare non poſſit in damnatione opinionis practicè probabilis, quia verſatur in materia morum, clariſſimè conſtat *ex toto cap.* 6.

Dices. Si ſupponamus, quod antecedenter ad decretum condemnatorium illa opinio erat probabilis) & quod in Romano Pontifice non eſt poteſtas damnandi opiniones probabiles, non poteſt ſtare, quod vi decreti condemnatorij illa opinio maneat improbabilis. 177.

Supponuntur incompoſſibilia.

Inſto & ego in ſyllogiſmo efformato *num.* 173. circa concluſionem Theologicam. Nam ſi ſupponamus concluſionem A, eſſe concluſionem Theologicam, & adhuc à Romano Pontifice eſſe damnatam, incompoſſibilia ſupponimus; quia etiam eſt certum, Romanum Pontificem non poſſe errare damnando concluſionem Theologicam. Cùm ergo certum etiam ſit *ex cap.* 6. Romanum Pontificem errare non poſſe in damnatione opinionis probabilis in materia morum) incompoſſibilia ſupponimus, ſi velimus ſupponere hæc duo; & quod opinio damnata, ſit antecedenter ad decretum probabilis; & quod non ſit poteſtas in Romano Pontifice ad damnandum opiniones, quæ ante decretum condemnatorium ſint probabiles. 178.

Quare ſi negas in Romano Pontifice poteſtatem damnandi opiniones, quæ ſint antecedenter ad decretum probabiles, negare debes, opinionem ſic damnatam fuiſſe probabilem ante decretum, ob infallibilitatem decreti Pontificij in materia morum. Quod ſi affirmes, eam opinionem antecedenter ad decretum condemnatorium fuiſſe probabilem, concedere debes authoritatem Romanæ Cathedræ ad damnandas opiniones priùs probabiles in materia morum, ob eandem rationem. 179.

Deinde cùm ſupponere vis, propoſitionem immediatè ante decretum eſſe probabilem, & ideò poſt decretum manere in ſuo gradu probabilitatis pro foro interno; vrgeo interrogando, cuiuſnam iudicio probabilis eſt ea opinio? Et reſpondes, iudicio Caramuelis, aut alterius Doctoris priuati. Tum ſic. Iudicium Doctoris priuati in materia morum eſt fallibile, & iudicium Romani Pontificis in materia morum eſt infallibile, vt conſtat *ex cap.* 6. præcipuè *art.* 4. ſed iudicium fallibile non poteſt præualere contra iudicium infallibile: ergo neque iudicium Doctoris priuati in materia morum contra iudicium Romani Pontificis. 180.

Iudicium priuati non poteſt præualere contra iudicium Pontificis in materia morum.

CAPVT XIII.

Aliæ duæ aſſertiones de propoſitionibus ab Inquiſitionis Tribunali damnatis.

PRæmitto primò, infallibilem Spiritus Sancti aſſiſtentiam in materia Fidei, vel morum, ſoli Romano Pontifici, & Concilio Generali legitimè congregato promiſſam eſſe, adeóque illam non adeſſe cuilibet alteri Tribunali, quantumvis ſacro; & per conſequens neque Tribunali Inquiſitionis ab Eccleſia deſtinato contra hæreticam prauitatem. Quod quia indubitabile eſt, ab eius probatione ſuperſedeo. 181.

Soli Pontifici, & Concilio Gen. adeſt infallibilitas.

Præmitto ſecundò, ſi quatuor Theologi magnæ doctrinæ conueniant in aſſerendo, aliquam concluſionem in materia morum eſſe improbabilem, contra vnum, vel alterum Theologum aliter opinantem, adeò magnum eſſe fundamentum, ad hoc 182.

Iudicium quatuor Theologorum de improbabilitate;

Digitized by Google

quanti habendum, & quare?

vt illa iudicetur certò falſa, vt, niſi in contrarium proferatur argumentum valde vrgens, quilibet prudens Theologus cenſere debeat, eam concluſionem eſſe improbabilem, præcipuè ſi illi Theologi diuturno tempore perſiſtant in eadem cenſura. Ratio eſt, quia magni Theologi non afficiunt cenſurâ improbabilitatis concluſionem, niſi applicando principium certum, cui talis concluſio repugnet. Licet ergo illi Theologi non conferant certitudinem vi ſuæ authoritatis, conferunt tamen illam vi applicationis principij certi, cum quo pugnat ea concluſio. Et cùm diuturno tempore tranſacto nihil illis propoſitum ſit, quod eos à ſua cenſura auertat, nec ſit aliquid valde vrgens in contrarium, temerè credam, principium ab eis applicatum non eſſe certum.

183. *Damnata ab Inquiſitione, non manent improbabiles præſciſè ex vi iudicij.*

Iam verò ſit ſecunda concluſio. Propoſitiones damnatæ à ſacro Fidei Tribunali, ex vi præciſa eius iudicij non manent improbabiles. Patet. Nam iudicium purè humanum non affert infallibilem certitudinem (excipe in materiis, de quibus dicetur *diſp.* 12. ex prænotato primo.

184. *Manent improbabiles, quia cenſores applicãt principium certũ.*

Sit tertia concluſio. Propoſitiones damnatæ à Sacro Fidei Tribunali in Indice expurgatorio Hiſpano, præcipuè ſi in ea damnatione perennent, & præſertim in materia morum, fiunt omninò improbabiles, etiam pro foro interno, eo quod cenſores applicant principium certum, cum quo illæ propoſitiones repugnant.

185. Probatur primò Omnes propoſitiones, quæ in materia morum ſunt damnatæ in Indice expurgatorio, verè ſunt improbabiles à principiis intrinſecis, vt longa earum inductione probare poſſem; neque vna dumtaxat eſt, cuius falſitas non poſſit demonſtrari, ſaltem certitudine morali: ergo cenſores reipſa applicarunt principia certa, quibus illæ propoſitiones repugnant: ergo iſtæ remanſerunt improbabiles, non quidem præſciſè ex eo iudicio purè humano, ſed quia illæ propoſitiones militant contra principia certa à cenſoribus applicata.

186. Probatur ſecundò ex prænotat. 2. Nam quæ quatuor magni Theologi ſapientes conſtanter affirmant eſſe improbabilia, quilibet prudens talia iudicat, dum non habet vrgentem rationem in oppoſitum: ſed propoſitiones damnatas in Indice pluſquàm quatuor Theologi ſapientes affirmant improbabiles; nam ad hanc cenſuram conſuluntur plures, & magni: imò omnes Theologi communiter eas damnant; hi enim cenſores non notant cenſura, niſi quas propoſitiones communis Theologorum damnat: ergo propoſitiones damnatas in Indice quilibet prudens debet damnare vt improbabiles, dum non habuerit vrgentem rationem in oppoſitum, quæ quoad damnatas de facto non datur.

187. Dices primò. Iudicium fallibile poteſt reipſa falli: ergo poteſt contingere, quod iudicium Inquiſitionis, vtpote fallibile, damnet vt improbabilem propoſitionem, quæ reuerà in ſenſu compoſito maneat probabilis Reſpondeo diſtinguendo antecedens: poteſt re ipſa falli [dum applicat principium certum,] nego; [ſi non applicet principium certum,] concedo. Ideò autem circa ea, quæ damnat in Indice, non fallitur, quia applicat principia certa.

188. Inſtabis. Etiam poteſt falli, putando eſſe principium certum, quod non eſt tale. Sed concedo, poſſe falli; nego tamen de facto eſſe deceptum in Indice, vt inductione conſtat.

Dices, has duas aſſertiones non eſſe ad rem; quia in his caſibus non damnat Inquiſitio opiniones probabiles, ſed opiniones improbabiles, & certò falſas. Quæſtio autem præſens eſt, an Inquiſitio habeat authoritatem damnandi opiniones probabiles, ſaltem in ſenſu diuiſo, id eſt, quæ eſſent probabiles ante decretum condemnatorium. 189.

An Inquiſitio damnet opiniones probabiles, an improbabiles?

Reſpondeo, cùm probabilitas ſubſiſtat, dum non apparet fundamentum certum ad falſitatem propoſitionis conuincendam, fieri poteſt, vt quæ reputantur probabilia, quia non apparuit principium certum contradicens, Doctor priuatus denuò reperiens principium certum, ea conuincat eſſe improbabilia. Quod ſæpe accidit circa multas opiniones veterum, quæ iam obſoletæ ſunt. 190.

Probabilis dicitur, quæ reputatur talis, dum non apparet principium certum.

Idem ergo poteſt contingere Tribunali, à fortiori ratione; quia cum maiori attentione à multis viris doctis examinantur eiuſmodi cauſæ. Poteſt ergo ſententia iuſta damnare propoſitionem anteà probabilem, nempe ex principio certo, quod aliis Doctoribus minùs attentè rem conſiderantibus non apparebat. Quod ſi potuit Caramuel multas opiniones Authorum, ſuo iudicio, reddere improbabiles, quo iure negabit, cenſores doctiſſimos non poſſe ad inueniendam ſimiliter veritatem peruenire? Vide caput 10. 191.

Quo ſenſu Inquiſitio damnat probabiles?

Caramuel, licet in cauſa hiſtoriæ Carmelitanæ perperam loquatur de cenſoribus Inquiſitionis, vt patet *ex cap* 3. & ad damnandas propoſitiones priùs probabiles, nullam valit eſſe in mundo viſibili authoritatem; tamen fortè ſibi contrarius, benè condemnatam ab Inquiſitione admittit propoſitionem, qua Hieronymus de Llamas aſſeruit, non peccare contra votum caſtitatis Religioſum, qui ſæcularem tactibus impudicis polluit. Ait enim *in Theol. fundam. n.* 1409. *fund.* 51. [Hæc verba, niſi limitentur, *intolerabilia* ſunt: & ideò, eadem *meritò* ex huius Theologi ſumma expunxit Sancta Inquiſitio Hiſpanica in Indice expurgatorio anni 1632.] 192.

Fatetur Caram. quamdam opinionẽ meritò damnatam.

Sed dices, in hoc caſu expunxiſſe, non ſententiam, quæ antea erat probabilis, ſed quæ antea erat improbabilis, vt denotat ea vox, *intolerabilia*. 193.

Sed numquid Caramuel eam opinionem adhuc cenſebat probabilem? Attende eius verba *ibid. num.* 1411. [Quia *part.* 9 *tract.* S. *reſol.* 65. (Diana) allegatis pro ea P. Llamas Ciſtercienſi, Nicolao Moſcicenſi Dominicano, Ioanne Caramuele Ciſtercienſi, Iacobo de Graffis Benedictino, Geſualdo Capuccino, necnon etiam D. Tamburino, ait, *Hanc eſſe prorſus reiiciendam ſententiam.* Et citatam reſolutionem claudit his amariſſimis verbis: *Cautè legendi ſunt Tamburinus, Geſualdus, Graffius, Moſcicenſis, Caramuel* (Llamas non ponit, quia dixerat eſſe ab Inquiſitionis ſancto Tribunali correctum.) *Et caueant in poſterum Authores hanc ſententiam in ſuis operibus ampliùs imprimere.* Doceri volo duo: alterum, quot ſint Authores ſufficientes, vt opinio aliqua cenſeatur probabilis? Hæret enim hîc animus, cùm videt, ſex Authores citati, & nihilominus eorumdem hîc expungi, & damnari ſententiam.] 194.

Numquid adhuc cenſebat probabilem?

Vbi notabis primò, Caramuelem expoſtulare cùm Diana, quia ſententiam ſex Authorum non vult eſſe probabilem, in caſu, quo Diana ipſe aſſerit, eam ſententiam à Tribunali Fidei eſſe damnatam. Cui reſpondendum eſt, non ſufficere ſex 195.

Non faciunt probabilitatẽ ſex Authores, ſi reſiſtant principio certo.

Digitized by Google

ſex Authores ad probabilitatem, cùm Tribunal Inquiſitionis damnauit opinionem: quia opinioni, quæ aliàs ex eo numero Authorum poſſet dici probabilis, iudicium Inquiſitionis tollit probabilitatem, eo quod in cauſæ cognitione applicat principium certum, vnde probabilitas opinionis aufertur.

196. Secundò. Miror ego admirationem Caramuelis. Dixerat, eam opinionem, quia *intolerabilem*, expunctam *meritò* eſſe ab Inquiſitione Hiſpanica. Expungere eam *meritò* non potuit, niſi præcedente certitudine de eius falſitate, & improbabilitate. Vbi adeſt certitudo, ceſſat omninò probabilitas partis oppoſitæ, vt & ipſe Caramuel ſæpiùs repetit, etiam contra millenos Authores. Erat quidem probabilis ea opinio iudicio Hieronymi de Llamas, & iudicio aliorum, qui eam tradiderunt apud Dianam. Sed poſt iudicium Inquiſitionis manet omninò improbabilis, cuius cenſores applicuerunt principium certum, vnde oritur eius improbabilitas. In quo caſu non damnarunt cenſores opinionem probabilem, ſed quæ iudicio aliquorum exiſtimabatur probabilis.

197. *Opinionem 30. Authorum, certò falſam dicit Caram.*

Tertiò. Miratur Caramuel, quod poſt ſex Authores citatos, adhuc Diana cenſeat, eam opinionem improbabilem, & certò falſam. Et non miratur, ſe ipſum iudicare certò falſam ſententiam triginta Authorum aſſerentium, quòd ceſſante fine legis in particulari, non ceſſat obligatio legis in eo caſu particulari, vt retuli ſuprà *num.* 164. Nam ſimiliter interrogo Caramuelem, quot ſint Authores ſufficientes, vt opinio aliqua cenſeatur probabilis, ſi triginta non ſufficiunt, ſi opinio triginta nobiliſſimorum Scriptorum iudicatur certò falſa.

CAPVT XIV.

Quid tandem reſponderi poſſit pro Caramuelis ſententia?

198. *An Caram. loquatur in ſenſu compoſito.*

QVæ huc vſque diximus adeò ſunt manifeſta, vt nulla videantur poſſe tergiuerſatione eludi. Ne tamen vlla ſcrupulo relinquatur rimula, cuidam extremæ reſponſioni via præcludenda eſt. Dicet ergo aliquis, ſenſum, in quo loquitur Caramuel, eſſe compoſitum, dum dicit, nullam eſſe authoritatem in mundo viſibili ad damnandas opiniones probabiles, ſcilicet ad eas opiniones, quæ ſtante damnatione manent probabiles; ſecus ad illas, quæ accedente certitudine morali fiunt improbabiles. Siue ergo cenſus iſte ſit ſtolidus, ſiue diſertus, in hoc ſenſu Caramuelem reſpondere quæſtioni.

199. *Stante damnatione Pontificis non manet probabilitas.*

Sed hac reſponſione nihil eleuantur difficultates propoſitæ. Primò: nam hæc reſponſio ſupponit, poſſe fieri, quod ſtante damnatione Romani Pontificis in materia morum, opinio ſic damnata maneat probabilis, ſcilicet pro foro interno. Quod eſſe penitus impoſſibile, conſtat ex dictis.

200. *Dilemma.*

Secundò. Nam ſi in materia morum Romanus Pontifex propoſitionem priùs probabilem declarat falſam, ſcandaloſam, temerariam, &c. numquid hæc damnatio ſufficit ad negandam pro foro interno probabilitatem? Si neges, infero: ergo errat Pontifex, dum ſic damnat, in materia morum. Relege dicta *cap.* 6. ſi concedas ſufficere ad auferendam probabilitatem: ergo ſtante ea damnatione opinio non manet probabilis. Implicat ergo, quod in ſenſu compoſito ſit probabilis opinio damnata. Idem ergo erit dicere, quod in eo ſenſu non poteſt damnare opinionem probabilem, ac dicere, quod non poteſt producere chimæram.

201. *Alia reſponſio.*

Dicet deinde alius, verificari, quod Romanus Pontifex nequit damnare opinionem probabilem; quia quoties damnat, ſemper eſt antecedenter improbabilis.

202. *Conuincitur.*

Sed vtinam hæc eſſet reſponſio Caramuelis; à qua quidem longiſſimè abeſt. Primò. Ait enim, propoſitiones quæ ſunt probabiles ante damnationem, damnari pro foro externo, non verò pro interno; atque adeò pro foro interno manere in ſuo gradu probabilitatis. Vide ſuprà *n.* 13.

203. *Damnatio Pontificis infert improbabilitatem.*

Secundò. De ſeptem propoſitionibus, quas refert damnatas (vt retuli *num.* 34.) non agnoſcit, damnationem eſſe ſufficientem ad inferendam improbabilitatem earum, neque ad inferendum, quod reperta ſit aliqua certa, & demonſtratiua ratio de falſitate earum. Imò multus eſt in proponendo argumenta, quæ probant (& quæ non diluit) propoſitiones in eodem ſtatu probabilitatis relinqui. Non ergo loquitur Caramuel in eo ſenſu, qui adſtruat, propoſitiones damnatas ſemper eſſe improbabiles pro foro interno.

CAPVT XV.

Satisfacit primo argumento ex propoſitis capite tertio.

204. *Retorquetur in ſuos Authores.*

PRimum argumentum reuertitur contra ſuos Authores ſic. Humana authoritas facere poteſt, quod bonum (quod tale erat extrinſecè) per inquiſitionem cauſæ, & probationes legitimas, reperiatur eſſe malum; & quod innocens (qui talis erat extrinſecè) per inquiſitionem, & probationem delicti reperiatur eſſe reus. (Quilibet eſt bonus extrinſecè, dum non probatur eſſe malus; & innocens, dum non probatur eſſe reus.) Ergo ſimiliter poteſt contingere circa propoſitionem priùs probabilem, quod facto diligenti examine probabilitatis, inueniatur certitudo partis oppoſitæ, adeòque reperiatur illa prior eſſe improbabilis. Ergo authoritas humana facere poteſt, medio examine probabilitatis, quod propoſitio priùs probabilis reddatur improbabilis.

Innocens inquiſitione delicti fit reus.

205. *Quod cenſetur bonum, inquiſitione veritatis fit malum.*

Ad argumentum ergo reſpondeo diſtinguendo maiorem. Nulla authoritas humana facere poteſt, quod bonum ſit malum [in ſenſu compoſito,] concedo; [in ſenſu diuiſo, & loquendo de bonitate extrinſeca,] nego. Nam qui erat innocens extrinſecè, comprobata malitia, & in ſenſu diuiſo eſt nocens. Similiter diſtinguo minorem: propoſitio probabilis bona eſt [in ſenſu compoſito,] concedo; [in ſenſu diuiſo, & reperta certitudine de falſitate eius,] nego. Cùm autem inde proceditur ad arguendum à ſenſu compoſito ad diuiſum, perperam fit, vt latiùs notaui *cap.* 1.

Probabile inquiſitione veritatis fit improbabile.

206. *Diſparitas.*

Ad id, quod additur, reſpondeo, innocentem iniuſtè damnatum, manere quidem noxium in foro externo, & quantum attinet ad notitiam hominum; in foro tamen interno perſeuerare innocentem. Et nego idem euenire in propoſitione priùs probabili, & quæ verſatur in materia morum,

Digitized by Google

Damnatio Pontificis eſt principium certum de falſitate propoſitionis damnatæ.

morum, & quam Romanus Pontifex loquens Eccleſiæ damnat vt falſam, vt ſcandaloſam, vel vt temerariam. Et interpono euidentem diſparitatem. Etenim propoſitio manet probabilis, etiam pro foro interno, donec apparet principium certum in oppoſitum: atqui prædicta condemnatio Romani Pontificis in materia morum eſt principium omninò certum & incompatibile cum probabilitate prædictæ opinionis, etiam pro foro interno, vt planè conſtat *ex cap.* 6. ergo potuit propoſitio fuiſſe probabilis pro foro interno ante ante condemnationem, & virtute illius condemnationis manſiſſe improbabilis, etiam pro foro interno.

207. Non contingit idem in innocente, qui in foro externo iuſtè damnatur vt noxius, & pro interno manet innocens. Nam innocentia talis non eſt homini extrinſeca, aut à principio extrinſeco auferibilis: & ideò dum ab ipſo homine non procedit culpabilis operatio, inſeparabilis ab illo eſt innocentia. Probabilitas autem opinionis partim conſiſtit in eo, quod non appareat argumentum euidens in contrarium: quod omninò extrinſecum eſt propoſitioni, quæ dicitur opinatiua; & eſt quid defectibile in ipſa, vt reuerà deficit, quoties apparet argumentum certum in oppoſitum. Quod intellige iuxta dicta ſuprà *cap.* 4. *num.* 42.

208. Dices. Vt Pontifex procedat ad damnationem opinionis in materia morum, debet procedere ex prænia matura deliberatione; ita vt ante damnationem videat, eam opinionem eſſe improbabilem, vel ſcandaloſam &c. ergo immediatè ante damnationem erat improbabilis: ergo falsò diximus, dum aſſeruimus, quod propoſitio potuit eſſe probabilis ante damnationem, & improbabilis poſt damnationem.

209. Reſpondeo primò, negando cum P. Suarez, & aliis, ita debere procedere Pontificem ex matura deliberatione, vt ſi hæc deficeret, exponeretur periculo errandi. Vide quæ dicam *cap.* 20. *art.* 4. Iuxta quam ſententiam, etſi propoſitio eſſet probabilis vſque ad tempus immediatum condemnationi, quia nondum apparuerat principium certum in oppoſitum; tamen poſita damnatione redditur improbabilis, quia iam apparuit eiuſmodi principium certum, nempe oraculum Romani Pontificis, quod in materia morum eſt infallibile.

Damnatio Pontificis eſt infallibilis, etiam deficiête deliberatione.

210. Reſpondeo ſecundò, omittendo, quod neceſſaria ſit ea præuia matura deliberatio, vt vitet Pontifex periculum errandi, cui aliàs exponeretur; adhuc fieri poteſt, ea motiua, quæ Romano Pontifici in ea deliberatione proponuntur, proponi ſibi vt certa, quæ ex aſſiſtentia Sancti Spiritus ad certitudinem omnimodam firmantur: quæ motiua antecedentia damnationem ſi proponerentur aliis Theologis, fortè non viderentur certa. Quare non eſt opus, quod præuia matura deliberatio Pontificis includat motiua, quæ iudicio omnium Theologorum ſint certa: nam quamvis iudicio multorum ſint probabilia, procedit Pontifex ad infallibilem deciſionem; quia Spiritus Sanctus impedit, ne erret docens Eccleſiam in materia morum.

Quæ probabilis erat ante damnationē, poteſt effici improbabilis poſt illam.

211. Patet hæc reſclariùs in Conciliis, dum procedunt ad decidendas materias, quæ anteà erant dubiæ, & controuerſæ. Nam dum materia controuertitur in Concilio, ſunt pro vna parte ſuffragia Patrum, ſunt & pro alia: quo tempore dici poteſt, eam materiam pro vtraque parte adhuc eſſe probabilem. Cùm autem Concilium ex maiori Patrum ſuffragio definit vnam partem, tunc primùm ea incipit eſſe certa, quæ immediatè anteà erat probabilis; iamque omnes Patres indubitanter illam affirmant.

In Conciliis incipit eſſe certa, quæ immediatè ante definitionem erat probabilis.

Reſpondeo tertiò, omittendo, quod Pontifex debeat cognoſcere improbabilitatem opinionis immediatè ante damnationem; & dando conſequentiam, quòd ſcilicet illa propoſitio immediatè ante damnationem ſit improbabilis. Nam vt verificetur, quod opinio probabilis in ſenſu diuiſo ſit damnatione improbabilis; ſufficit quod immediatè ante cognitionem cauſæ (imò non immediatè, ſed multò retro tempore) dicatur fuiſſe probabilis. 212.

CAPVT XVI.

Tribus aliis obiectionibus praiactis occurritur.

AD ſecundum argumentum propoſitum *c.* 3. reſpondeo primò, ad rem Inquiſitionis, & damnationem opinionis faciendam, nihil nocere *delatores* hiſtoriæ Carmelitanæ fuiſſe *ignorantes*: nam inſcitiam delatorum corrigit ſapientia cenſorum. Sed hanc etiam negat Caramuel, addens: *Et cenſores parua, aut nullius eruditionis.* Quod non niſi per meram calumniam dictum videtur, quia ſiue ignari, ſiue indocti dicuntur ſine probatione. Etenim nemo præſumitur malus, niſi probetur. Cenſores autem Inquiſitionis, ſi ignari ſunt, mali ſunt, quia cùm grauiter obligati ſint ad ſcientiam, ſi ignari ſunt, non ſatisfaciunt obligationi ſuæ. Ergo cenſores Inquiſitionis ſine probatione non præſumuntur ignari. 213.

An delatores vel cenſores Inquiſitionis ignari?

Per calumniã tales dicuntur.

Deinde Tribunal Inquiſitionis non condemnat niſi cum diligenti cognitione cauſæ, & audita parte: Caramuel condemnat, ſcilicet delatores, & cenſores, ſine cognitione cauſæ, vt ipſe fatetur loco ibi citato *num.* 29. illis verbis, *Maiori indigerem notitia, quàm habeo*; & inaudita parte. Vtri ergo maiorem fidem adhibebimus; Tribunali Inquiſitionis condemnanti propoſitiones hiſtoriæ Carmelitanæ, an Caramueli condemnanti tanquam ignaros, & ineruditos delatores, & cenſores? 214.

Dicet, rectè probari ignaros, & ineruditos cenſores, & delatores, ſi concurrerunt ad damnationem propoſitionum probabilium, quæ ſic damnatæ perſtiterunt in ſuo gradu probabilitatis. Sed vbi, aut vnde probat, eas propoſitiones ſic damnatas manſiſſe in ſuo gradu probabilitatis? Nam eſtò fuerint olim probabiles, ex dictis hucvſque conſtat, id non ſufficere, vt poſt damnationem perſiſtant in eodem gradu probabilitatis. 215.

Sed lepidum mihi eſt, quod dicat cum Apologiſta Carmelitano, *Cenſores fuiſſe puros Theologos, & qui non poterant de hiſtoria iudicare.* Numquid Tribunal Inquiſitionis damnat propoſitiones repertas in hiſtoria, quia leges hiſtoriæ non ſeruat, an quia propoſitiones ſunt nota Theologica inurendæ? Tribunal Fidei non damnat hiſtoriam præciſè, quà hiſtoria eſt, ſed quà Theologiæ aduerſatur, aut nocet. Ergo purus Theologus poteſt iudicare de hiſtoria, quæ continet Theologiam non puram. Ergo Theologus, qui non ſit hiſtoriæ peritus, poterit iudicare de hiſtoria, 216.

An puri Theologi poſſint de hiſtoria iudicare in iis, quæ peccãt contra Theologiam?

Digitized by Google

hiſtoria,non quà peccat in leges hiſtoriæ,ſed quà peccat in Theologiam.

217. Res patet exemplo perſpicuo. Sutor vendidit emptori calceos ex corio toſto breuiſſimè rumpendo. Adit confeſſarium conſcientiæ ſuæ iudicem, purum Theologum, ſutoriæ artis inſcium. Numquid purus Theologus non poterit iudicare de reſtitutione facienda à ſutore, quia ſutoriæ inſcius eſt? Vtique poterit,quia hoc iudicium non eſt artis ſutoriæ, licet verſetur in materia eius; ſed Theologiæ contra cuius leges peccauit Artifex. Sic purus Theologus hiſtoriæ inſcius corripere poteſt, quæ peccauit hiſtoria contra Theologiam.

218. *Inſanit Medicus, ſi iudicat de Theologicis.* Nec prodeſt exemplum,quod affert Caramuel *num.* 311.de Medico, qui nolebat admittere iuramentum Academiæ pro Immaculata Deiparæ Conceptione.Si enim Medicus iudicat de Theologicis,inſanit.Poteſt quidem Medicus in materia Theologica iudicare, etſi purus Medicus ſit, nec Theologię limina ſalutauerit.Nam ſi conſulatur, an phtiſicus in ſecunda ſpecie debeat ieiunare in die præcepti Eccleſiaſtici, poterit decernere, quantum damnum inferre poſſit ieiunium Theologicis legibus indictum.

219. *Ad Inquiſitores non ſpectat ſolùm iudicare de hæreſi.* Ad tertium argumentum ſufficienter ibi in fine reſponſum eſt. Vnde colliges, illud non eſſe ad rem. Eſt enim certiſſimum, ad ſolum Romanum Pontificem ſpectare, condere articulos Fidei; & ad Inquiſitores,expungere propoſitiones hæreticas; ſed non ſolas, ſed etiam omnes illas propoſitiones, quæ cenſura Theologica dignæ ſint,licet Romanus Pontifex eas tales non declarauerit.Ita enim conſtat ex Bulla Clementis VIII. data ann.1595.pro Indice expurgatorio.

220. Et magnoperè mirandum eſt, Caramuelem aſſerere, eam eſſe *ſolidiſſimam* doctrinam; ſcilicet,ſolas propoſitiones hæreticas ad Inquiſitionis Tribunal ſpectare; & propoſitiones hiſtoriæ Carmelitanæ ab Inquiſitione damnatas,non pertinere ad Inquiſitionis Tribunal, eo quod non fuerint à Romano Pontifice declaratæ hæreticæ. Quomodo enim dicitur ſolidiſſima doctrina,quæ euidenter eſt falſa? Cùm conſtet ex Bulla relata Clementis VIII. ad illud Tribunal pertinere etiam propoſitiones erroneas,temerarias, ſcandaloſas, morum corruptiuas, & alias ſimili nota inurendas; quarum plurimæ tales ſunt, quamuis Romana Cathedra eas tales non declarauerit.

221. *Quando interdicto libro damnetur doctrina?* Ad quartum argumentum reſpondetur, poſſe interdici librum ob alium finem,quàm prauitatis doctrinæ vitandæ. Quod ex ipſo prohibitionis tenore clarè colligitur.Quando enim interdicitur liber in vulgari idiomate, ex ipſo tenore prohibitionis conſtat, non prohiberi doctrinam ob eius prauitatem: quæ doctrina ſi praua eſſet, etiam Latino idiomati mandata praua eſſet. Quando autem ex modo prohibitionis conſtat interdici ob prauitatem doctrinæ, ea quæ ſic interdicitur, damnatur; adeóque non manet in ſtatu probabilitatis, vt dictum eſt.

***

CAPVT XVII.

Quintæ obiectioni ſatisfit circa decretum de celebratione Miſſarum.

AD quintum reſpondetur primò, perperam dici,eas ſeptem propoſitiones circa celebrationem Miſſarum eſſe damnatas in illo priori decreto Vrbani VIII. de celebratione Miſſarum. Nam dum Pontifex prohibet v.g. oratoria priuata per Ordinarios,aut Legatos Apoſtolicos indulgeri, perperam loquetur, qui dixerit, Pontificem damnaſſe hanc propoſitionem, *Licet Legato Apoſtolico indulgere oratoria priuata.* Hic enim loquendi modus denotat, antecedenter ad eam prohibitionem fuiſſe illicitum Legato indulgere talia oratoria,conſequenterque damnabilem fuiſſe propoſitionem, quæ aſſereret,id pro tunc fuiſſe licitum. Dum ergo prohibet Vrbanus in eo decreto,ne Generales Ordinum reuocent ad minorem numerum Miſſas,ad quas Monaſteria tenentur, reuocando priuilegia ſuper hoc à Sede Apoſtolica conceſſa, non damnauit eam propoſitionem, quæ diceret,id licitum fuiſſe Generalibus; quia iſte modus loquendi denotat, id antecedenter eſſe prohibitum Generalibus, quod falſum eſt, ſi fortè antea non extabat aliud antecedens decretum priuilegij reuocatorium. 222. *Decretum de celebratione Miſſarum nõ eſt condemnatorium, ſed prohibitoriũ.*

Secundò. Perperam Caramuel attribuit Dianæ,quod dixerat,eas propoſitiones fuiſſe damnatas, qui nihil tale dixit, vt patet *ex part.* 2. *tract.* 14.*reſol.* 1.2.6.7.8.*&* 9 citatis ab ipſo Caramuele. Poſtremam dumtaxat dixit damnatam à Clemente VIII. tanquam periculoſam,& Fidelium ſcandalis obnoxiam; ſcilicet quòd poſſit Sacerdos applicare Miſſam pro daturo ſtipendium Miſſæ; ita enim dixit Diana *reſol.* 15. 223.

Tertiò reſpondeo, propoſitiones à Pontifice Romano damnatas (vel à Congregatione Cardinalium, iubente Pontifice, id decretum ſuo nomine promulgari) manere quidem improbabiles. Ad id, quod interrogat, an ob nudam reprobationem? Reſpondeo primò, dici poſſe manere improbabiles ob nudam reprobationem Romani Pontificis.Nam in materia morum damnatio doctrinæ facta à Romano Pontifice, eſt principium certum, & infallibile, adeóque incompatibile cum probabilitate doctrinæ damnatæ, vt conſtat *ex cap.* 6. 224. *Nuda reprobatione Pontificis manet opinio improbabilis.*

Si verò ea interrogatio fiat de decretis Congregationis Cardinalium Inquiſitorum, ad quorum ſanctionem non concurrit immediatè Pontifex; Reſpondeo ſecundò, propoſitiones ab ea Congregatione ſic damnatas manere improbabiles, non ob nudam reprobationem, ſed ob reprobationem factam vi examinis præuij, & ob certitudinem moralem de falſitate, & damnabilitate propoſitionum ex illo conſecutam. Quam certitudinem moralem ſi Caramuel reperit in quamplurimis propoſitionibus per demonſtrationes, quarum veteres non habuerunt notitiam, cur vnicum principium certum non poterit à doctiſſimis viris reperiri? cuius licet veteres habuerunt notitiam, non tamen intimam, aut profundam. Vide quæ dixi *cap.* 10. 225. *Nuda reprobatione Inquiſitionis nõ manet propoſitio improbabilis.* *Sed ex applicatione principij certi.*

Et nota, poſt id argumentum proximè ſolutum, iterum 226.

Digitized by Google

iterum procedere Caramuelem ad dubitandum, num illud decretum (ſiue, vt vocat, declarationes) Congregationis Cardinalium circa celebrationem Miſſarum, habeant vim legis, vel potiùs opinionis probabilis, aut probabilioris; nixum communi ſententia, quod declarationes Cardinalium non habent vim legis, apud Dianam *part. 1. tract. 10. reſol. 19.* Si ergo non tenemur ſequi opinionem probabiliorem, quomodo ait Diana, teneri nos ad eas Cardinalium declarationes amplectendas: Quomodo ait, ſententias oppoſitas corruere? Et quomodo Auſonius Dianæ compendiator ait, quod *Cardinalium reſponſis ceruicem flectere neceſſe eſt.* Et ideò Amadæus Guimenius *tract. de ſacrif. Miſſæ propoſ. 2. num. 3.* ait: [An ſi verum eſt, maiorem vim non habere, quàm reliquas Eminentiſſimorum Cardinalium declarationes, vt docet Caramuel *in Theolog. fundam. à num.* 187. quas putat ibidem probabilitatem non excedere, & *in Theolog. moral. à num.* 172. Quem ſequitur Magiſter Acacius de Velaſco *vbi ſuprà*, loquens de eiuſmodi declaratione Cardinalium iuſſu Vrbani edita circa Miſſarum ſtipendia.]

Decretum de celebratione Miſſarum nō eſt mera declaratio Cardinalium, ſed lex Vrbani.

227. Sed in impreſſione Lugdunenſi 1657. Caramuel abſolutè aſſeruit eas declarationes de celebratione Miſſarum eſſe veras leges obligantes in conſcientia. Nam *num.* 304. diſtinguit declarationes Cardinalium à legibus ipſorum, quas ex authoritate Summi Pontificis ferunt. Et addit: [Ergo poterit de his omnibus Pontifex ſancire ſalutares leges, quæ obligent ſub mortali. At iſtam authoritatem ſuam commiſit DD. Cardinalibus: ergo eorumdem leges obligant ſub mortali. Ergo in tali caſu (ſcilicet celebrationis Miſſarum) vt benè dicebat Auſonius, *ceruicem flectere neceſſe eſt.*]

228. Vbi duo maximè notanda ſunt. Primum eſt, Quantum præiudicium illatum eſt Theologiæ morali, dum in veteribus impreſſionibus Caramuel argumenta propoſuit contra veras, & certas ſententias in re morali. Stat enim fixa quædam præſumptio inter Authores, quando aliquis ſcriptor argumenta proponit pro vna ſententia, nec diſſoluit, Authorem ſtare pro ea ſententia, cui argumenta ſuffragantur. Et ita quamvis Caramuel initio operis dixerit, ſe illa argumenta proponere dubitanter, & non aſſertiuè; & illud opus à ſe editum, eſſe opus interrogatorium; nihilominus Authores proſpicientes, quàm acriter argumentetur pro tali ſententia, eum pro illa allegant, imò & pro illa allegatum Caramuelem ſequuntur. Hinc eſt, quod Amadæus citatus allegat Caramuelem pro ea propoſitione, quod decretum Congregationis Cardinalium de celebratione Miſſarum, & ſtipendiis earum, iuſſu Vrbani VIII. promulgatum, eandem vim habet, ac cæteræ declarationes Cardinalium, & quòd terminos probabilitatis non excedit. Imò (vt refert Amadæus citatus) deceptus etiam fuit authoritate Caramuelis Mag. Acacius de Velaſco, qui putans fuiſſe Caramuelem in ea ſententia, ſtat pro eadem. Et ita factum fuit, vt in re omninò certa hallucinati fuerint Authores. Quam etiam æquiuocationem paſſus fuit Petrus de Tapia *lib. 4. de legib. quæſt. 8. art. 8. num* 5. dicens, id eſſe probabile apud Amadæum *tract. de ſacrif. Miſſæ, propoſ. 2. num.* 10.

Authores aliqui decepti circa decreta Cardinaliũ, nomine Pontificum promulgata.

229. Secundum eſt, licèt prædictus Acacius de Velaſco aſſeruerit, & Caramuel putetur aſſeruiſſe, illud decretum de celebratione Miſſarum, & cætera decreta Congregationis Cardinalium promulgata iuſſu, & nomine Romani Pontificis, eandem vim habere, ac reliquas Cardinalium declarationes non authenticas; id quidem eſt improbabile, & oppoſitum omninò certum. Nam quid intereſt, quod legem ſcripſerint Cardinales, vel immediatè ipſe Romanus Pontifex, ſi ipſe per ſe immediatè iuſſit legem ſtatui, & nomine ſuo promulgari eadem ſolemnitate, qua cæteræ leges Pontificiæ promulgantur? Vnde fit, neque prædictum Acacium, neque Tapiam contra doctrinam omninò certam, & indubitabilem vllum poſſe præiudicium attuliſſe.

Improbabile eſſe ita decreta non eſſe veras leges.

230. Quæ quidem doctrina euidentior fit ex decreto SS. D. Alexandri VII. referendo infrà *c. 20. art. 1.* Ex quo euidenter conſtat, id decretum Cardinalium iuſſu Vrbani VIII. editum circa celebrationem, & ſtipendia Miſſarum, obligare in conſcientia, ſicut cæteræ leges Canonicæ obſtringentes conſcientias. Nam vna ex propoſitionibus in eo decreto damnatis tanquam ſcandaloſis, nempe propoſitio octaua, hæc eſt. [Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa licitè accipere, applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus ipſimet celebranti correſpondentem; idque *poſt decretum Vrbani VIII.*] Et propoſitio nona in eodem decreto damnata, ita aſſerit: [*Poſt decretum Vrbani VIII.* poteſt Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere, collato illi minori ſtipendio, alia parte ſtipendij ſibi retenta.]

Ex decreto eſſe veras leges, conſtat ex damnatione Alexand. VII.

231. Atqui ſi id decretum Vrbani VIII. non eſſet obligatorium conſcientiæ, ſed ſolùm haberet vim opinionis probabilioris, non eſſet propoſitio ſcandaloſa, nec improbabilis, quæ aſſereret, illud eſſe licitum poſt tale decretum. Implicat enim contradictionem, quod ex duobus extremis contradictoriis vnũ non ſit probabile. Si ergo ſcandaloſum, & improbabile eſt dicere, quod poſt decretum Vrbani licet Sacerdoti accipere duplicatum ſtipendium, non poteſt eſſe dumtaxat probabilius, ſed potiùs omninò certum, & indubitabile, id non licere Sacerdoti. Vnde fit decretum illud Vrbani de celebratione Miſſarum, certiſſimè conſcientias obſtringere.

CAPVT XVIII.

Soluitur vltimum argumentum deſumptum à ſententia Immaculatæ Conceptionis.

ARTICVLVS I.

Quàm incongruè cenſuerit Caramuel de ſententia Immaculatæ Conceptionis.

232. VT prædictum argumentum ſolidè diſſoluamus, neceſſe eſt aliqua breuiter præmittere circa ſententiã de Immaculata Conceptione. De qua multa dixit Caramuel digna examine. Et primò quidem *in Theolog. fundam. num.* 312. *fund.* 5. ſic ait: [Quæritur hodie, an Regina Angelorum caruerit peccato Originali? Hæc controuerſia videtur non fuiſſe facta à Patribus ante *quingentos* annos. *Multi* videntur tenuiſſe opinionem ſeueram. Hodie *cuius ſint Doctores, neſcimus.* Nam ſi qui contrariam tenent, præcipiuntur tacere, aut loqui

Digitized by Google

loqui *nobiſcum*, qui piam defendimus. Quod ipſum notatum volo *contra Pozam*, qui frequ. ntiſſimè aſſerit, illam, quæ pia vocatur, eſſe hoc æuo omnium Catholicorum opinionem. Nam ego quam opinionem habeam, ſcio: quam habeas, neſcio; *nec ex verbis* eam colligere poſſum: nam ſi fortè ſeueram teneas, nec licitè, nec impunè illam prodes: &, ſi prudens ſis, malles in materia probabili (dānare enim hæreſeos piam ſententiā, delirare eſt) te accōmodare Superiorū dictamini, quàm coram Deo in conſcientia, coram mundo in honore, & cōmoditate pati iacturas, & cenſuras.]

An veteres PP. tenuerint ſententiam piam?

233. Hæc periodus multa continet certò falſa. Primum illis verbis. *Videtur non fuiſſe tacta à Patribus ante quingentos annos.* Ex Apologia enim P. Petri de Hojeda, & ex P. Nierembergio *in tractatu de obiecto Feſti Conceptionis*, & ex P. Granado *tract. de Concept.* & ex multis aliis ſatis clarè conſtat, ferè ab initio naſcentis Eccleſiæ, non controuerſiam, ſed pacificam aſſertionem in ſinu veterum Patrum natam eſſe. Et ex eruditiſſimo viro Petro de Alua comperies, & falſa eſſe ea verba, *Multi videntur tenuiſſe opinionem ſeueram*; & per ſummam iniuriam eam opinionem prædictis veteribus Patribus attribui.

234. Maiorem tamen mihi admirationem prouocant ea verba: *Hodie cuius ſint Doctores neſcimus*, Et ea: *Quod ipſum notatum volo contra Pozam.* Sed cur contra Pozam, & non contra Ægidium Luſitanum, qui *lib. 3. de Concept. quæſt. 6. art. 3.* ait, hunc eſſe communem Fidelium conſenſum? Cur non contra P. Granadum, idem loco referendo aſſerentem? Cur non contra cæteros huius ſententiæ patronos, qui ita paſſim affirmant? Potiùs contra Bullam Alexandri VII. non quidem formaliter, quia tunc nondum Bulla è ſacro Romanę Cathedrę Oraculo emiſſa fuerat, ſed materialiter; quod ſufficit, vt videas, quàm longè Caramuel in iis verbis à veritate aberrauerit.

Sententia pia eſt ferè omnium Catholicorum.

235. Ecce verba Alexand. VII. *Ita vt accedentibus quoque pleriſque celebrioribus Academiis ad hanc ſententiā iam ferè omnes Catholici eam amplectātur.* Atqui iuxta modum diſcurrendi Caramuelis *in Theolog fundam, num..* propoſitio, quæ ferè omnia ſingularia complectitur, moraliter ſumpta, æquiualet vniuerſali, & ea vniuerſaliter affirmari poteſt. Eſt ergo verum moraliter, quòd omnes Catholici hanc ſententiam amplectuntur. Concinunt alia verba eiuſdem Bullæ, in quibus dicitur, hanc ſententiam, & cultum ſecundùm illam exhibitum, pacificam quaſi poſſeſſionem in Eccleſia habere. *Imò Eccleſiam Romanam huic ſententiæ, & cultui iuxta illam B. Virgini exhibito fauere negant, pios Chriſti Fideles è ſua pacifica quaſi poſſeſſione deturbare conando.* Vide an bene id notatū velit contra Pozam? Imò potiùs cōtra ipſum Caramuel. qui alibi fatetur, quod hîc negat. Vide infrà *num...*

An neſciamus, cuius opinionis ſint hodie Doctores?

236. Pergit Caramuel. *Hodie cuius ſint Doctores, neſcimus.* Addit & ſequentia: *Nam ego, quam opinionē habeam, ſcio; quā habeas neſcio, neque ex verbis eam colligere poſſum.* Nūquid omnes, qui negant incurriſſe B. Virginē debitum culpę originalis, neſcimus, cuius opinionis ſint in actuali contractione eius originariæ culpæ? Nam præter Scriptores, qui debitū negant, in omnibus Academiis, & ſtudiorū Collegiis ea eſt, quæ freqnētiùs propugnatur. Nūquid neſcimus, cuius opinionis ſint illi Doctores, qui propugnant, verum Martyrem eſſe, qui pro tuenda Conceptione Immaculata ſanguinē fuderit? Quam ſententiam quidam viri doctiſſimi in Academia Salmanticenſi publicè propugnarunt de licentia ſacri Fidei Tribunalis in iudicio contradictorio; quam hodie quamplurimi propugnant, præter Scriptores Ægidium Luſitanū *lib. 3. de Concept. quæſt. 3. art. vnic § 4.* P. Granado *in 3. part. controu. 2. tract. 1. diſp. 3. ſect. 3 1.* Aluarum Pizaño *diſcurſ. 2. de Immacul. Concept. punct. 2.*

An ſit martyr, qui pro tuenda Immaculata Conceptione B. M. ſanguinē fuderit?

Ægid. Luſ. Granado. Pizaño.

237. Vix in tanta denuò exorientiū librorum copia, qua hoc in ſæculo fruimur, aliquis Scriptor librū edit de quauis materia, in quo myſteriū Conceptionis Immaculatæ non profiteatur; & neſcit Caramuel, cuius opinionis ſint Scriptores? Vix Concionator aliquis vnum verbulum protulit contra hoc myſterium, aut ſilentio preſſit ſolitam profeſſionē piiſſimi myſterij in Hiſpania, cùm tota ciuitas, & totum Regnum turbatur, ſapientes & inſipientes clamant; & neſcimus, cuius opinionis ſint, qui ita clamant? Vix vlla contradictionis occaſio occurrit, cùm in vulgus emittuntur quamplurimæ tractationes pro Immaculata Conceptione; & neſcimus, cuius opinionis ſint earum Authores?

238. Teſte Caramuele, qui pro oppoſita concluſione loquuntur, *coram mundo in honore & commoditate patiuntur iacturas:* ergo maxima pars mūdi (ſcilicet mundi Catholici) eſt quæ propugnat ſententiam piam; quando eorum ita timetur in ordine ad iacturam honoris, & commoditatis.

An qui ſcribunt pro ſententia ita loquantur ex imperio, & ideò non liberè.

239. Inſiſtit Caramuel, vt probet, neſciendum eſſe, pro qua parte citandi ſint Authores, qui expreſsè loquuntur pro opinione pia. Et *in Theolog. fundam. in Regul. iuris Ciuil. n. 1130.* id probat ex illa regula Vlpiani: *Velle non creditur, qui obſequitur imperio patris, vel domini.* Vbi poſtquam notauit, particulam, *non*, cadere ſupra *creditur*, & non ſupra *velle*, & ideò idem eſſe, *Non creditur*, & *Non ſcitur*; hæc verba habet: [Hinc patet, poſito præcepto, aut iuriſiurandi ſtatuto, non poſſe Doctores pro Immaculata Conceptione citari, non poſſe contrà. Errarem enim, ſi dicerem, *Scio, eos loqui ex dictamine*: errarem, ſi dicerem, *Scio, eos loqui contra dictamen.* Et ne me exponam errandi periculo, dicam: *Quamdiu illi liberè nequeunt loqui, quid ſentiant, aut non ſentiant, non ſcio.*]

An citari nō poſſint pro, aut contrà.

Qui ſcribunt pro ſententia pia, non loquuntur ex imperio.

240. Inſiſto & ego, & eam regulam non eſſe ad rem demonſtro primò. Ea regula non comprehendit eos, qui operantur, non ex imperio, ſed omnino liberè: ſed qui ſcribunt pro Immaculata Conceptione, non ſcribunt ex imperio, ſed omninò liberum eſt illis ea ſcribere, & ea omittere: ergo qui ſcribunt prò Immaculata Conceptione, ea regula non comprehenduntur.

Neque imperio coguntur ad quærendas nouas demonſtrationes.

Rurſus, qui ſcribunt pro ſententia pia, nullo imperio coguntur ad quærendum, & inueniendum alias, & alias, vel probationes, vel demonſtrationes, quæ quotidie in honorem Deiparæ augentur; ſiue ad aſſerendum, B. Virginem immunem fuiſſe à debito culpæ originalis; ſiue ad aſſerendum, fore verum Martyrem, qui pro hac immunitate tuenda ſanguinem funderet; ſiue ad aſſerendum, ſententiam piam plena gaudere certitudine, iuxta dicenda *art. 2.* Propugno ego, in Matre Dei formaliter implicare contradictionem peccatum originale. (Eſt vnum ex ſyderibus Mariani Diadematis, quod citò videbit lucem.) Ad id autem aſſerēdum, nullius imperio coactus ſum. Ergo manifeſtam mihi iniuriam irrogabit, quiſquis volet dubitare, an contra dictamen loquar.

An Petrus de Alua non ſit

241. Præterea vel Petrus de Alua (eruditionis prodigium) citari poteſt pro Immaculata Conceptione, vel non. Si hoc ſecundum dicas, præ gaudio

Digitized by Google

iterum procedere Caramuelem ad dubitandum, num illud decretum (ſiue, vt vocat, declarationes) Congregationis Cardinalium circa celebrationem Miſſarum, habeant vim legis, vel potiùs opinionis probabilis, aut probabilioris; nixum communi ſententia, quod declarationes Cardinalium non habent vim legis, apud Dianam *part. 1 tract. 10. reſol. 29.* Si ergo non tenemur ſequi opinionem probabiliorem, quomodo ait Diana, teneri nos ad eas Cardinalium declarationes amplectendas: Quomodo ait, ſententias oppoſitas corruere? Et quomodo Auſonius Dianæ compendiator ait, quod *Cardinalium reſponſis ceruicem flectere neceſſe eſt.* Et ideò Amadæus Guimenius *tract. de ſacrif. Miſſæ propoſ. 2. num. 3.* ait: [Aut ſi verum eſt, maiorem vim non habere, quàm reliquas Eminentiſſimorum Cardinalium declarationes, vt docet Caramuel *in Theolog. fundam. à num.* 187. quas putat ibidem probabilitatem non excedere; & *in Theolog. moral. à num.* 172. Quem ſequitur Magiſter Acacius de Velaſco *vbi ſuprà*, loquens de eiuſmodi declaratione Cardinalium iuſſu Vrbani edita circa Miſſarum ſtipendia.]

227. *Decretum de celebratione Miſſarum nõ eſt mera declaratio Cardinalium, ſed lex Vrbani.*

Sed in impreſſione Lugdunenſi 1657. Caramuel abſolutè aſſeruit eas declarationes de celebratione Miſſarum eſſe veras leges obligantes in conſcientia. Nam *num.* 304. diſtinguit declarationes Cardinalium à legibus ipſorum, quas ex authoritate Summi Pontificis ferunt. Et addit: [Ergo poterit de his omnibus Pontifex ſancire ſalutares leges, quæ obligent ſub mortali. At iſtam authoritatem ſuam commiſit DD. Cardinalibus: ergo eorumdem leges obligant ſub mortali. Ergo in tali caſu (ſcilicet celebrationis Miſſarum) vt benè dicebat Auſonius, *ceruicem flectere neceſſe eſt.*]

228. Vbi duo maximè notanda ſunt. Primum eſt, Quantum præiudicium illatum eſt Theologiæ morali, dum in veteribus impreſſionibus Caramuel argumenta propoſuit contra veras, & certas ſententias in re morali. Stat enim fixa quædam præſumptio inter Authores, quando aliquis ſcriptor argumenta proponit pro vna ſententia, nec diſſoluit, Authorem ſtare pro ea ſententia, cui argumenta ſuffragantur. Et ita quamvis Caramuel initio operis dixerit, ſe illa argumenta proponere dubitanter, & non aſſertiuè; & illud opus à ſe editum, eſſe opus interrogatorium; nihilominus Authores proſpicientes, quàm acriter argumentetur pro tali ſententia, eum pro illa allegant, imò & pro illa allegatum Caramuelem ſequuntur. Hinc eſt, quod Amadæus citatus allegat Caramuelem pro ea propoſitione, quod decretum Congregationis Cardinalium de celebratione Miſſarum, & ſtipendiis earum, iuſſu Vrbani VIII. promulgatum, eandem vim habet, ac cæteræ declarationes Cardinalium, & quòd terminos probabilitatis non excedit. Imò (vt refert Amadæus citatus) deceptus etiam fuit authoritate Caramuelis Mag. Acacius de Velaſco, qui putans fuiſſe Caramuelem in ea ſententia, ſtat pro eadem. Et ita factum fuit, vt in re omninò certa hallucinati fuerint Authores. Quam etiam æquiuocationem paſſus fuit Petrus de Tapia *lib. 4. de legib. quaſt 8. art. 8. num. 5.* dicens, id eſſe probabile apud Amadæum *tract. de ſacrif. Miſſæ, propoſ. 2. num. 10.*

Authores aliqui decepti circa decreta Cardinaliũ, nomine Pontificum promulgata.

229. *Improbabile eſſe ea decreta non eſſe veras leges.*

Secundum eſt, licèt prædictus Acacius de Velaſco aſſeruerit, & Caramuel putetur aſſeruiſſe, illud decretum de celebratione Miſſarum, & cætera decreta Congregationis Cardinalium promulgata iuſſu, & nomine Romani Pontificis, eandem vim habere, ac reliquas Cardinalium declarationes non authenticas; id quidem eſt improbabile, & oppoſitum omninò certum. Nam quid intereſt, quod legem ſcripſerint Cardinales, vel immediatè ipſe Romanus Pontifex, ſi ipſe per ſe immediatè iuſſit legem ſtatui, & nomine ſuo promulgari eadem ſolemnitate, qua cæteræ leges Pontificiæ promulgantur? Vnde fit, neque prædictum Acacium, neque Tapiam contra doctrinam omninò certam, & indubitabilem vllum poſſe præiudicium attuliſſe.

230. *Ea decreta eſſe veras leges, conſtat ex damnatione Alexand. VII*

Quæ quidem doctrina euidentior fit ex decreto SS. D. Alexandri VII. referendo infrà *c. 20. art. 3.* Ex quo euidenter conſtat, id decretum Cardinalium iuſſu Vrbani VIII. editum circa celebrationem, & ſtipendia Miſſarum, obligare in conſcientia, ſicut cæteræ leges Canonicæ obſtringentes conſcientias. Nam vna ex propoſitionibus in eo decreto damnatis tanquam ſcandaloſis, nempe propoſitio octaua, hæc eſt. [Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa licitè accipere, applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus ipſimet celebranti correſpondentem; idque *poſt decretum Vrbani VIII.*] Et propoſitio nona in eodem decreto damnata, ita aſſerit: [*Poſt decretum Vrbani VIII.* poteſt Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere, collato illi minori ſtipendio, alia parte ſtipendij ſibi retenta.]

231. Atqui ſi id decretum Vrbani VIII. non eſſet obligatorium conſcientiæ, ſed ſolùm haberet vim opinionis probabilioris, non eſſet propoſitio ſcandaloſa, nec improbabilis, quæ aſſereret, illud eſſe licitum poſt tale decretum. Implicat enim contradictionem, quod ex duobus extremis contradictoriis vnũ non ſit probabile. Si ergo ſcandaloſum, & improbabile eſt dicere, quod poſt decretum Vrbani licet Sacerdoti accipere duplicatum ſtipendium, non poteſt eſſe dumtaxat probabilius, ſed potiùs omninò certum, & indubitabile, id non licere Sacerdoti. Vnde fit decretum illud Vrbani de celebratione Miſſarum, certiſſimè conſcientias obſtringere.

CAPVT XVIII.

Soluitur vltimum argumentum deſumptum à ſententia Immaculatæ Conceptionis.

ARTICVLVS I.

Quàm incongruè cenſuerit Caramuel de ſententia Immaculatæ Conceptionis.

232. VT prædictum argumentum ſolidè diſſoluamus, neceſſe eſt aliqua breuiter præmittere circa ſententiã de Immaculata Conceptione. De qua multa dixit Caramuel digna examine. Et primò quidem *in Theolog. fundam. num. 312. fund. 5.* ſic ait: [Quæritur hodie, an Regina Angelorum caruerit peccato Originali? Hæc controuerſia videtur non fuiſſe facta à Patribus ante *quingentos* annos. *Multi* videntur tenuiſſe opinionem ſeueram. Hodie *enim ſint Doctores, neſcimus.* Nam ſi qui contrariam tenent, præcipiuntur tacere, aut loqui

Digitized by Google

loqui *nobiſcum*, qui pium defendimus. Quod ipſum notatum volo *contra Pozam*, qui frequentiſſimè aſſerit, illam, quæ pia vocatur, eſſe hoc æuo omnium Catholicorum opinionem. Nam ego quam opinionem habeam, ſcio: quam habeas, neſcio; *nec ex verbis* eam colligere poſſum: nam ſi fortè ſeueram teneas, nec licitè, nec impunè illam prodes: &, ſi prudens ſis, malles in materia probabili (dānare enim hæreſeos piam ſententiā, delirare eſt) te accōmodare Superiorū dictamini, quàm coram Deo in conſcientia, coram mundo in honore, & cōmoditate pati iacturas, & cenſuras.]

233. *An veteres PP. tenuerint ſententiam piam?*
Hæc periodus multa continet certò falſa. Primum illis verbis. *Videtur non fuiſſe tacta à Patribus ante quingentos annos.* Ex Apologia enim P. Petri de Hojeda, & ex P. Nierembergio *in tractatu de obiecto Feſti Conceptionis*, & ex P. Granado *tract. de Concept.* & ex multis aliis ſatis clarè conſtat, ferè ab initio naſcentis Eccleſiæ, non controuerſiam, ſed pacificam aſſertionem in ſinu veterum Patrum natam eſſe. Et ex eruditiſſimo viro Petro de Alua comperies, & falſa eſſe ea verba, *Multi videntur tenuiſſe opinionem ſeueram*; & per ſummam iniuriam eam opinionem prædictis veteribus Patribus attribui.

234. Maiorem tamen mihi admirationem prouocant ea verba: *Hodie cuius ſint Doctores, neſcimus.* Et ea: *Quod ipſum notatum volo contra Pozam.* Sed cur contra Pozam, & non contra Ægidium Luſitanum, qui *lib. 3. de Concept. quæſt. 6. art. 3.* ait, hunc eſſe communem Fidelium conſenſum? Cur non contra P. Granadum, idem loco referendo aſſerentem? Cur non contra cæteros huius ſententiæ patronos, qui ita paſſim affirmant? Potiùs contra Bullam Alexandri VII. non quidem formaliter, quia tunc nondum Bulla è ſacro Romanę Cathedrę Oraculo emiſſa fuerat, ſed materialiter; quod ſufficit, vt videas, quàm longè Caramuel in iis verbis à veritate aberrauerit.

235. *Sententia pia eſt ferè omnium Catholicorum.*
Ecce verba Alexand. VII. *Ita vt accedentibus quoque pleriſque celebrioribus Academiis ad hanc ſententiā iam ferè omnes Catholici eam amplectātur.* Atqui iuxta modum diſcurrendi Caramuelis *in Theolog fundam. num..* propoſitio, quæ ferè omnia ſingularia complectitur, moraliter ſumpta, æquiualet vniuerſali, & ea vniuerſaliter affirmari poteſt. Eſt ergo verum moraliter, quòd omnes Catholici hanc ſententiam amplectuntur. Concinunt alia verba eiuſdem Bullæ, in quibus dicitur, hanc ſententiam, & cultum ſecundùm illam exhibitum, pacificam quaſi poſſeſſionem in Eccleſia habere. *Imò Eccleſiam Romanam huic ſententia, & cultui iuxta illam B. Virgini exhibito fauere negant, pios Chriſti Fideles è ſua pacifica quaſi poſſeſſione deturbare conando* Vide an bene id notatū velit contra Pozam? Imò potiùs cōtra ipſum Caramuel. qui alibi fatetur, quod hîc negat. Vide infrà *num...*

236. *An neſcimus, cuius opinionis ſint hodie Doctores?*
Pergit Caramuel. *Hodie cuius ſint Doctores, neſcimus.* Addit & ſequentia: *Nam ego, quam opinionē habeam, ſcio; quā habeas neſcio, neque ex verbis eam colligere poſſum.* Nūquid omnes, qui negant incurriſſe B. Virginē debitum culpę originalis, neſcimus, cuius opinionis ſunt in actuali contractione eius originariæ culpæ? Nam præter Scriptores, qui debitū negant, in omnibus Academiis, & ſtudiorū Collegiis ea eſt, quæ freqnētiùs propugnatur. Nūquid neſcimus, cuius opinionis ſunt illi Doctores, qui propugnant, verum Martyrem eſſe, qui pro tuenda Conceptione Immaculata ſanguinē fuderit? Quam ſententiam quidam viri doctiſſimi in

An ſit martyr, qui pro tuenda Immaculata Conceptione B. M. ſanguinē fuderit?

Academia Salmanticenſi publicè propugnarunt de licentia ſacri Fidei Tribunalis in iudicio contradictorio; quam hodie quamplurimi propugnant, præter Scriptores Ægidium Luſitanū *lib. 3. de Concept. quæſt. 3. art vnic § 4.* P. Granado *in 3. part. controu. 2. tract. 1. diſp. 3. ſect. 3 1.* Aluarum Pizaño *diſcurſ. 2. de Immacul. Concept. punct. 2.*

Ægid. Luſ. Granado. Pizaño.

237. Vix in tanta denuò exorientiū librorum copia, qua hoc in ſæculo fruimur, aliquis Scriptor librū edit de quauis materia, in quo myſteriū Conceptionis Immaculatæ non profiteatur; & neſcit Caramuel, cuius opinionis ſint Scriptores? Vix Concionator aliquis vnum verbulum protulit contra hoc myſterium, aut ſilentio preſſit ſolitam profeſſionē piiſſimi myſterij in Hiſpania, cùm tota ciuitas, & totum Regnum turbatur, ſapientes & inſipientes clamant; & neſcimus, cuius opinionis ſint, qui ita clamant? Vix vlla contradictionis occaſio occurrit, cùm in vulgus emittuntur quamplurimæ tractationes pro Immaculata Conceptione; & neſcimus, cuius opinionis ſint earum Authores?

238. Teſte Caramuele, qui pro oppoſita concluſione loquuntur, *coram mundo in honore & commoditate patiuntur iacturas:* ergo maxima pars mūdi (ſcilicet mundi Catholici) eſt quæ propugnat ſententiam piam; quando eorum ita timetur in ordine ad iacturam honoris, & commoditatis.

239. *An qui ſcribunt pro ſententia pia loquantur ex imperio, & ideò non liberè.*
Inſiſtit Caramuel, vt probet, neſciendum eſſe, pro qua parte citandi ſunt Authores, qui expreſsè loquuntur pro opinione pia. Et *in Theolog. fundam. in Regul. iuris Ciuil. n. 1130.* id probat ex illa regula Vlpiani: *Velle non creditur, qui obſequitur imperio patris, vel domini.* Vbi poſtquam notauit, particulam, *non*, cadere ſupra *creditur*, & non ſupra *velle*, & ideò idem eſſe, *Non creditur*, & *Non ſcitur*; hæc verba habet: [Hinc patet, poſito præcepto, aut iuriſiurandi ſtatuto, non poſſe Doctores pro Immaculata Conceptione citari, non poſſe contrà. Errarem enim, ſi dicerem, *Scio, eos loqui ex dictamine*: errarem, ſi dicerem, *Scio, eos loqui contra dictamen.* Et ne me exponam errandi periculo, dicam: *Quamdiu illi liberè nequeunt loqui, quid ſentiant, aut non ſentiant non ſcio.*]

An citari nō poſſint pro, aut contrà.

240. *Qui ſcribunt pro ſententia pia, non loquuntur ex imperio.*
Inſiſto & ego, & eam regulam non eſſe ad rem demonſtro primò. Ea regula non comprehendit eos, qui operantur, non ex imperio, ſed omninò liberè: ſed qui ſcribunt pro Immaculata Conceptione, non ſcribunt ex imperio, ſed omninò liberum eſt illis ea ſcribere, & ea omittere: ergo qui ſcribunt prò Immaculata Conceptione, ea regula non comprehenduntur.

Neque imperio coguntur ad quærendas nouas demonſtrationes.

Rurſus, qui ſcribunt pro ſententia pia, nullo imperio coguntur ad quærendum, & inueniendum alias, & alias, vel probationes, vel demonſtrationes, quæ quotidie in honorem Deiparæ augentur; ſiue ad aſſerendum, B. Virginem immunem fuiſſe à debito culpæ originalis; ſiue ad aſſerendum, fore verum Martyrem, qui pro hac immunitate tuenda ſanguinem funderet; ſiue ad aſſerendum, ſententiam piam plena gaudere certitudine, iuxta dicenda *art.* 2. Propugno ego, in Matre Dei formaliter implicare contradictionem peccatum originale. (Eſt vnum ex ſyderibus Mariani Diadematis, quod citò videbit lucem.) Ad id autem aſſerēdum, nullius imperio coactus ſum. Ergo manifeſtam mihi iniuriam irrogabit, quiſquis volet dubitare, an contra dictamen loquar.

241. *An Petrus de Alua non ſit*
Prætereà vel Petrus de Alua (eruditionis prodigium) citari poteſt pro Immaculata Conceptione, vel non. Si hoc ſecundum dicas, præ gaudio

citandus pro ſententia pia?

triumphabo, quòd ad negandam matutinam lucem, imò & meridianam cogaris. Dic ergo, hominem, qui animum, mentem, vires, & ſe totum impendit pro hac immunitate B. Virginis promouenda, nullum penitus dediſſe ſignum, ex quo eius ſententia circa hanc immunitatem colligatur. Quòd ſi primum dicas, illum quidem pro Immaculata Conceptione citandum eſſe; contra eſt. Nam, vt alumnus eſt Franciſcanæ familiæ, ita & obſtrictus propugnare hanc immunitatem; & hac obligatione non obſtante, citatur pro hac immunitate: ergo prædicta obligatio propugnandi hanc immunitatem non obſtat, quominus citetur Author pro illa.

242 *Præceptũ non obligat ad ſcribendum pro ſent. pia; ſed ad non ſcribendum contrà.*

Tertiò. Præceptum, quod imponitur pro tuenda hac B. Virginis immunitate, ſolùm eſt non negandi hanc immunitatem; non verò poſitiuè ſcribendi, vel loquendi pro illa. Hoc enim præceptum duntaxat violatur, cùm quis affirmat, B. Virginem in peccato conceptam; & non violatur tacendo, niſi quando taciturnitas ex circumſtantiis adiunctis credatur eſſe affirmatio peccati originalis in Conceptione contracti. Ergo qui egreditur fines præcepti, & conſtituitur in libertate loquendi, & non loquendi; ſcribendi, & non ſcribendi de hac immunitate, & ita loquitur, & ſcribit pro hac B. Virginis immunitate, manifeſtè declarat, ſe libertate ſua vti: ergo non poteſt dubitari, an coactus pro ea ſcribat; cùm certum ſit, libertate ſua vti.

243. Quartò. Filiofamilias alterutra veſtis occurrit emenda, ſerica, & lanea. Pater imperat, ne emat laneam; ſi alterutram velit emere, ſericam emat. Habet autem filius veſtes alias, quibus pro ſtatu ſuo decenter ornetur. Filius ſericam emit. Numquid de inuoluntario filiifamilias aliquis dubitabit? Minimè. Numquid ex regula Vlpiani relelata non credetur filius voluiſſe, quaſi obſecutus imperio patris; cùm pater non imperauerit abſolutè emptionem? Ergo neque dici poterit, iuxta prædictam regulam, quòd non creditur Author voluiſſe ſuffragari ſententiæ piæ, quaſi obſecutus Supremi Patris imperio; cùm Supremus Pater non præſcripſerit, quòd Author ſcribat pro ſententia pia; ſed quòd, ſi velit ſcribere, pro illa ſcribat, non contra illam.

244. Itaque cùm aliquis interrogatur, vel loqui cogitur de Immaculata Conceptione, tunc quidem vtrimque determinatur, & ex neceſſitate loquendi, & ex neceſſitate præcepti inhibentis partem negatiuam. Et tunc habet locum dubitatio Caramuelis, an loquatur vi dictaminis, vel vi præcepti. Quando autem liberum eſt loqui, & ipſe Author vtitur libertate ſua, cùm non adigatur præcepto loquendi, aſſertio eius non poteſt attribui neceſſitati præcepti, quæ in eo euētu nulla eſt ad loquendũ, vel ſcribendum pro ea immunitate.

245. *Sponte operatur, qui agit multò plus, quàm præceptum iubet*

Quintò. Ille cenſetur ſponte operari, & non ex neceſſitate præcepti, qui operatur multò plus, quã præceptum iniungit. Præcipit Hiſpanis Romanus Pontifex, vt myſteriũ Immaculatæ Conceptionis feſtiua ſolemnitate celebrent. Obſequuntur Hiſpani. Sed quomodo? Maximo Templorum, & Altarium ornatu, omnigeno Muſicorum concentu, & centuplis aliis publicæ lætitiæ ſignis. Numquid qui ita obſequuntur, operari credentur ex mera præcepti neceſſitate, an potiùs ex inſita animis, & medullis, atque vltronea propenſione? Atqui illi, qui pro Immaculata Conceptione ſcribunt, & quamplurima argumenta, Patrumque teſtimonia congerunt, multò plus operantur, quàm præceptum iniungit: ergo cenſentur ſponte operari, & non ex neceſſitate præcepti: ergo citandi ſunt pro Immaculato Virginis conceptu, tanquã ex ſpontaneo dictamine loquentes.

Sextò. Qui ſcribunt propoſitionem euidentem, non ſcribunt præcepto coacti: ſed qui ſcribunt pro Immaculata Conceptione, ſcribūt propoſitionem euidentē: ergo non ſcribūt præcepto coacti. 246.

Vbi adeſt euidentia, nequit lex cogere ad aſſenſum.

Conſequentia ligat, vtpote ſyllogiſmi in ſecundo modo primæ figuræ. Minor conſtabit *ex art.* 2. Maior etiam patet. Nam vbi ad vnam aſſertionem concurrũt demonſtratio, & præceptum, plus influit in intellectũ euidentia demonſtrationis, quàm præceptũ. Etenim intellectus antecedēter ad præceptũ determinatus eſt vi demõſtrationis, & euidentiæ ad affirmandam concluſionem. 247.

Reſpondebit Caramuel, negando minorem; quia tenaciter affirmat, ſententiam piam eſſe ſolùm probabilem. 248.

Sed præterquam quod illa patet *ex art.* 2. adhuc aliter reſponſionem conuinco primò. Quia negare non poteſt, eos omnes Authores, qui affirmant, ſententiam piam eſſe certam, & demonſtratam, ex dictamine loqui, cùm nullum ſit præceptum eos obſtringens ad affirmandã certitudinem ſententiæ piæ: ſed hodie omnes, qui ſcribunt, & qui proximo ſeculo ſcripſerunt, hanc certitudinē affirmant, vt videbis infrà *n.* 264. ergo omnes ex dictamine loquūtur, & non vi præcepti. 249.

Qui aiunt, concluſionem eſſe certam, id aiunt ex dictamine, nõ ex imperio.

Conuinco ſecundò. Quia negare non poteſt, illis Authoribus, qui affirmant certitudinem ſententiæ piæ, proponi tanquam certam ſententiam piam: ergo antecedenter ad præceptum determinantur ad aſſerendam ſententiam piam. Patet conſequentia. Nam intellectus æquè determinatur ad aſſertionem vi euidentiæ apparentis, atque vi euidentiæ veræ, & realis: ergo ſi illi, qui habent euidentiam veram, & realem, determinantur ad aſſertionem antecedenter ad præceptum, etiam illi, qui habent euidentiam apparentem determinantur ad aſſertionem antecedenter ad præceptum. Ergo iſti Authores non vi præcepti, ſed vi euidentiæ determinantur. 250.

Qui putant, concluſionem eſſe euidentem, non coguntur præcepto ad aſſenſum.

Tandem SS. D. Alexander VII. in Bulla citat pro ſententia pia *pleraſque celebriores Academias, & ferè omnes Catholicos*, non obſtante præcepto Romanæ Cathedræ, & non obſtantibus decretis Academiarum de iureiurando. Quare autem eos citat, niſi quia, quamuis præcepto, & iureiurando obſtringantur ad non negandam hanc immunitatem; nullo tamen præcepto, nulla neceſſitate adiguntur ad ea ſpecialiſſima ſigna edenda, quibus mentem ſuam demonſtrant, ſcribendo, plaudendo, celebrando, & aduerſæ parti ſtomachando. Ergo non obſtante præcepto, aut iureiurando, manifeſtò ſcimus, quæ ſit mens Authorum pro Deiparæ immunitate ſcribentium. 251.

Ex Bulla Alexandri VII. ſcimus, pro qua ſententia ſint hodie Doctores.

Vide etiam, an poſſis componere hoc aſſertum Caramuelis cum iis, quæ aſſerit *in Theolog. fundam. n.* 1897. *fund.* 66. Nam cùm circa ea verba Concilij Tridentini *ſeſſ.* 13. *cap.* 5. quibus ait, peccata venialia in Confeſſione *taceri citra culpam* poſſe, impugnaret ſententiam aſſerentem, poſſe eſſe obligationem per accidēs confitendi venialia; vrget ex eo, quod locutionem vniuerſalem Concilij nemini licet limitare. Vbi hanc ſibi obiectionem opponit, & in hæc verba: [Dices. Ipſa Sacræ Scripturæ teſtimonia, tametſi vniuerſaliter dicta, ſolent ſæpe reſtringi, & aliquas 252.

Digitized by Google

quas exceptiones pati. Omnes enim habere, peccatum originale, multæ canonicæ periodi inſinuant; & tamen plenè, & laudabiliter Dei Genitricem excipimus Ergo ſimiliter.tametſi verba Cōcilij videātur aſſerere,poſſe ſemper omitti peccata venialia, poterit intelligi aliqua exceptio.]

253. *An iuxta Caram. ſit ſummus Fidelium conſenſus in ſent. piam?* Cui obiectioni ſic ſatisfacit. [Et reſpondeo, nemini priuato homini conceſſum,vt vniuerſales poſitiones dictatas,& reuelatas ab Spiritu Sancto reſtringat : illæ enim , quæ hodie reſtringuntur, *ſummo totius Eccleſiæ conſenſu* , *& conſilio reſtringuntur*; & hoc propter rationes fortiſſimas , quæ in præſenti locum non habent.] Vbi vides , quàm clarè aſſerat , locutiones vniuerſales de incurſione peccati originalis, quæ in multis Canonicis periodis inſinuantur , *ſummo totius Eccleſiæ conſenſu reſtringi* in Deiparæ Conceptione Immaculata , in quo verum dicit : nam quod à ferè omnibus Eccleſiæ Fidelibus affirmatur,moraliter cenſetur ab omnibus affirmatum.

254. Ergóne, cùm ſummus Fidelium conſenſus reſtringit locutiones vniuerſales ſcripturæ ſacræ,vt non comprehendant B.Virginem,*cuius hodie opinionis ſint Fideles,neſcimus* ? Neſcimus, cuius opinionis ſint in quæſtione de Immaculata Conceptione,& ſcimus,ſummum omnium conſenſum ſtare pro ſententia pia ? Reprehenditúrne iure merito P.Poza,quòd dixerit,ſententiam piam eſſe hoc æuo omnium Catholicorum opinionem, ab eo , qui fatetur ſummum omnium Fidelium conſenſum in ea adſtruenda ?

255. Sed clariùs adhuc , & ideò peiùs, loquitur *in Apolog.de Probabilit.contra Fagnan. num.*219. vbi hanc ſcripſit periodum. [Porrò huic propoſitioni,*Probabile eſt, Deiparam eſſe in peccato conceptam*; non opponitur hæc , *Deipara non eſt in peccato concepta* ; quæ ſimpliciter ſumitur, & *nullius eſt* : non hæc, *Probabile eſt* , *Deiparam non eſſe in peccato conceptam* ; quæ *Scoti* , & hodie plurimorum eſt: ſed hæc, *Improbabile eſt, Deiparam eſſe in peccato conceptam.* Quam poſt alios Pontifices ſatis clarè *condemnat* SS.D.N.At hæc nec Scoti,*nec vllius* hominis *prudentis eſt.*] Vbi nota, *Improbabile*, ibi ſumi debere à Caramuele,non poſitiuè pro aſſertione certò falſa,ſed negatiuè, id eſt,*non probabile* : quia ſic opponitur contradictoriè termino *Probabile.*

In primis aſſerit,quod hæc propoſitio ſimplex,

256. *An propoſitio ſimplex de Immaculata Conceptione, nullius Authoris ſit?* *Deipara non eſt in peccato concepta*, nullius eſt.Vbi miror licentiam Caramuelis , qua coram innumeris ſapientibus eam propoſitionem ſimplicem propugnantibus,imò tanquam certam tuentibus, audet illis ipſis ſuadere,eos non ſentire,quod ſentiunt, eos non propugnare, quod aſſerunt. Ergo dum vniuerſæ Academiæ Catholicæ,dum omnia ſtudiorum generalium Collegia,dum ferè omnes Religioſæ familiæ , dum ferè omnes ſapientiura hominum ordines ſacro ſe iureiurando obſtrinxerunt defendēdi ſanctam Mariæ immunitatem, nihil aliud defendere iurauerunt (ô res miranda !) niſi aſſertionem ipſam Thomiſtis communem.Etenim,vt fatetur Caramuel,Thomiſtæ pleno ore aſſerunt , probabilem eſſe ſententiam de immunitate Deiparæ : hoc idem iurant Academiæ,Collegia, Religiones, & ordines omnes doctorum hominum : iurarunt ergo defendere,quod Thomiſtis etiam eſt commune , & ſuper quo, ſecundum Caramuelem,nulla eſt controuerſia.Sed ita dicendum erat , vt dictorum falſitas euidentiùs deprehenderetur.

257. Sed ſi Caramuel ſincerè vult inquirere , an hæc propoſitio ſimplex , *Deipara concepta eſt ſine peccato originali* ; ſit *nullius* , legat Militiam Immaculatæ Conceptionis , ab eruditiſſimo viro Petro de Alua compoſitam , vbi ſex millia Authorum inueniet , qui eam propoſitionem ſimplicem aſſeruerunt.

258. Quod autem dicit , Scotum , & Scotiſtas nihil aliud contendere, niſi quòd *Probabile eſt, Deiparam non eſſe in peccato conceptam* ; id quidem pluſquàm falſum eſſe, cæci vident, & ſurdi audiunt : eſt enim meridiana luce clarius , & formidabilibus tonitruis clamoroſius. Quot lites , quantoque fragore ſonantes vidit Orbis ſuper hoc articulo inter Scotiſtas , & Thomiſtas ! Et omnes nos cæcos, ſurdos , ſtolidos vult Caramuel , dum contendit,controuerſiam eſſe de aſſertione vtriuſque partis propugnatoribus communi.Quis crederet, Hiſpanos , Galloſque ſe acerrimè vſque ad ſummam internecionem debellare eo fine , vt communi conſilio Luteria Pariſiorum ſuo Regi ſubdita permaneret ? Niſi qui crediderit , Scotiſtas,& Thomiſtas acerrimè pugnare pro iure probabilitatis, quam communi conſilio ab vtriuſque partis militibus propugnari , aſſerit iſte Author, *Vna Euruſque, Notuſque ruunt, creberque procellis Africus ; & vaſtos voluunt ad ſidera fluctus.* Et credemus Caramueli aſſerenti, nullibi tempeſtatem eſſe,ſed omnia pacata.

259. Sed cùm poſteriorem proximè relatæ periodi partem relego, quinque propoſitiones noto, articulo tertio reprobandas. Prima eſt,hanc propoſitionem,*Non eſt probabile, Deiparam eſſe in peccato conceptam* , condemnatam eſſe ab Alexandro VII. Secunda,illam condemnatam eſſe ab eo ſatis clarè. Tertia, condemnatam eſſe ab aliis Pontificibus. Quarta , eam propoſitionem non eſſe Scoti. Quinta , eam propoſitionem non eſſe vllius hominis prudentis. Quo autem ſenſu illam aſſerat Scotus,& plurimi homines prudentes, explico *art.*3.præcipuè *n.* 190.

260. *Interdicitur liber, in quo dubitatur de Conceptione Immaculata B. M.* Prætereà *in eadem Apologia, num.*156.§.*Et hic obiter*,ſic ait : [Huius actus,*Virgo eſt concepta ſine macula*, obiectum incertum eſt : de illo opinari, aut etiam dubitare quis poteſt. Fortè in Deiparæ conceptione peccatum fuit.] In quibus verbis,& Bullæ Alexandri VII. & ſibi ipſi contrarius eſt. Bullæ quidem in illis verbis , quæ paulò ante iſte Author retulerat, nempe : *Libros,in quibus præfata ſententia, Feſtum , ſeu cultus ſecundum illam , in dubium reuocatur, prohibemus, & ipſo facto abſque alia declaratione pro expreſſè prohibitis haberi volumus,& mandamus.* Itaque Pontifex prohibet libros, in quibus præfata ſententia de Immaculata Conceptione *in dubium reuocatur* : ſed in hoc libro verbis relatis (*Fortè in Deipara Conceptione peccatum fuit*) in dubium reuocatur præfata ſententia de Immaculata Conceptione : eſt ergo liber prohibitus , & relata verba peccant contra Bullæ præceptum.

261. *In ſola ſententia pia Caram. dubium cum probabilitate confundit.* Sibi etiam contrarius eſt. Etenim ſæpe expoſtulat cum aliis Anthoribus , quòd confundant dubium cum probabilitate , dum aſſerunt , eſſe dubia, quæ ſunt probabilia ; de quo vide *diſp.*6. *cap.*5. In his autem verbis proximè relatis (cùm dixerit,ſententiam piam eſſe probabilem) adhuc vult eſſe dubiam : & quod in aliis opinionibus negat (vide eadem *diſp.*6.*cap.*9.pluſquàm viginti quæſtiones,in quibus negat caſus eſſe dubios,quia ſunt probabiles) in hac ſola de Conceptione

Immaculata dubium cum probabilitate confundit.

262. *Si dubitare liset de ſententia pia, iuxta Caram ea non eſt probabilis.* Accedit, quod ipſe docet, & ſæpiùs inculcat, dubium nihil eſſe aliud, quàm rationem leuem, vt conſtat ex dictis ea *diſp.6.cap.5.* Si ergo ſecundum Caramuelem dubitari poteſt de ſententia pia, infertur apertè ſecundùm eius doctrinam, rationes ſententiæ piæ eſſe leues. Vnde vlteriùs infertur, eam non eſſe probabilem: opinio enim, quæ rationibus leuibus nititur, probabilis non eſt; cùm opinio probabilis ſit illa, quæ graui ratione fulcitur, ſecundùm definitionem ab omnibus, etiam ab ipſo Caramuele, admiſſam.

Articvlvs II.

Sententiam piam à ſtatu probabilitatis ad triplicem gradum certitudinis tranſiſſe.

263. Non eſt inſtituti mei hanc aſſertionem ex profeſſo tractare, ſed ſolùm reſtricto calamo adnotare de hac materia, quæ pro ſolutione eius vltimi argumenti, & impugnatione Caramuelis neceſſaria ſunt. *An ſententia pia ſit ſolùm probabilis?* Igitur Caramuel millies repetit variis in locis, hanc ſententiam piam non tranſiliiſſe limites probabilitatis; ſed præcipuè *in Apolog. de Probabilit. contra Fagnanum, epiſt. 4. reſol. 12. n. 151.* latè contendit, poſt Bullam Alexandri VII. in ſolo gradu probabilitatis conſiſtere. Inde autem arguere ſe putat euidenter contra Fagnanũ, in materia Fidei, & morum ſufficere ad conſcientiæ ſecuritatem opinionem probabilem, quòd cùm ſententia pia merè probabilis ſit, adhuc ea probabilitate innixus præcipiat Alexander, ſecundum eam exhiberi publicum cultum B. Virgini, & oppoſitam opinionem perpetuo ſilentio grauari. Imò exiſtimat, declaratum eſſe ab Alexandro VII. in ea Bulla, opinionem oppoſitam eſſe probabilem; ait enim ab Alexandro eſſe damnatam hanc propoſitionem. *Non eſt probabile, Deiparam eſſe conceptam in peccato originali.* Vide verba Caramuelis relata ſuprà *n. 255.* Hæc autem omnia tam longè abſunt ab euidentia, vt oppoſitum demonſtrandum ſit.

264. *Eam eſſe certam, docent communiter Theologi.* Itaque Theologi, præcipuè Hiſpani, iamdiu oſtendunt, etiam ante Bullam Alexandri VII. hanc ſententiam non eſſe in gradu probabilitatis, ſed aſcendiſſe ad omnimodam certitudinem, non Fidei, ſed moralem, phyſicam, & metaphyſicam: poſt Bullam autem Alexandri VII. ſententiam piam eſſe multò euidentiorem. Et quidem eam eſſe omninò certam, optimè oſtendit Ægidius Luſitanus *lib. 3. de Concept. quæſt. 6. art. 1.* præcipuè *§. 3. & §. 9.* pro qua aſſertione certitudinis citat P. Suarium *tom. 2. in 3. part. diſp. 3. ſect. 2. §. ſecundum fundamentum*; & P. Petrum Morales *lib. 3. de Chriſto, & Virgine, tract. 1.* Bellarmin. *lib. 3. de cultu Sanctor. cap. 16.* P. Vincentium Iuſtin. *tract. de Concept. §. 3.* & Cordubenſ. *lib. 1. quæſt. 44.* Eandem certitudinem aſſerunt P. Nierembergius *opuſc. de obiecto Feſti Conceptionis, toto cap. 29.* P. Quirinus de Salazar *de Concept. cap. 43.* præcipuè *§. 6.* Doct. Antonius Calderon. *lib. de tuendo titulo Immaculatæ Conceptionis, cap. 4. num. 22. & cap. 5. n. 85. 93. 111.* P. Granado *3. part. controu. 2. tract. 1. diſp. 3. ſect. 30.* Idem tenent omnes, qui dicunt, ſententiam piam eſſe in ſtatu proximæ definibilitatis. Ita idem P. Salazar cit. & apud ipſum P. Suarez, P. Vaſquez, P. Granado, P. Ioannes de Pineda, P. Petrus de Ojeda, Ægidius Luſitanus, Souza, & Gundiſaluus Luzero. Idem tenent omnes, qui docent, fore verum Martyrem, qui pro defenſione piæ ſententiæ ſanguinem fuderit. Ita Ægidius Luſit. *lib. 3. de Concept. quæſt. 8. art. vnic. §. 4.* P. Granado *cit. ſect. 31.* & Pizaño *diſcurſ. 2. de Concept.*

(Ægid. Luſ. — Suarez. — Morales. — Bellarm. — Vinc. Iuſtin. — Cordub. — Nierẽberg. — Salazar. — Calderon. — Granado. — Vaſquez. — Pineda. — Ojeda. — Souza. — Luzero. — Pizaño.)

Poſt Bullam verò Alexandri VII. quotquot de Conceptione ſcripſerunt (præter Caramuelem, & Murciam) affirmant ſententiam piam eſſe in ſtatu certitudinis, non Fidei, vt iam notaui, ſed moralis, phyſicæ, & metaphyſicæ. Ita P. Ioannes Euerardus Nidhardus pro Regnis Hiſpaniæ Inquiſitor Generalis *in Examine Theologico part. 1. §. 8. & part. 2. §. 8.* & *in reſponſione apologet. ad libellum Ioannis Martinez de Prado, part. 1. §. 3. & part. 3. §. 2.* Ioannes Sendin. *in epitome ſacra, punct. 1.* & D. Ioannes Calderon. *in reſponſ. apolog. ad eumdem libellum, §. 3. n. 4.* 265.

(Nidhardus. — Sendin. — Ioan. Calder.)

266. *Sanctitati falſæ nequit Eccleſia cultum publicum exhibere.* Ergo ſententiam piam veram eſſe, demonſtratur ſic. Eccleſia non poteſt exhibere cultum publicum ſacrificij, & officij Canonici ſanctitati falſæ, & quæ propterea cultu, & laudatione indigna eſt: ſed Eccleſia exhibet cultum publicum ſacrificij, & officij Canonici ſanctitati Conceptionis B. Virginis in primo inſtanti ſui eſſe: ergo ſanctitas Conceptionis B. Virginis in primo inſtanti ſui eſſe non poteſt eſſe falſa. Minor conſtat ex Bulla Alexandri VII. & conſequentia tenet.

267. *Ea propoſitio eſt indubitata.* Maior autem eſt indubitata; ideò enim S. Bernardus *epiſt. 174.* aſſerit, indubitatum eſſe, B. Virginem in natiuitate fuiſſe ſanctam, quia Eccleſia colit eius natiuitatem. *Quia ortum Virginis didici in Eccleſia indubitanter haberi feſtiuum, firmiſſimè cum Eccleſia ſentio, in vtero accepiſſe, quod ſancta prodiret.* Et S. Ildephonſus *lib. de parturit. Virg. Quia eius Natiuitas ſolemniter colitur, conſtat ex authoritate Eccleſiæ, quod nullis, quando nata eſt, ſubiacuit delictis.* Et S. Thomas *3. part. quæſt. 27. art. 1. in Sed contra*, ait: *Eccleſia celebrat Natiuitatem Virginis; non autem celebratur feſtum, niſi pro Sancto.* Et S. Bonauentura *in 3. diſt. 3. quæſt. 3. art. 1. Pro indubitanti hoc habet Eccleſia, videlicet, quod B. Virgo fuerit ſanctificata; & illud ex hoc patet, quòd eius Natiuitatem Eccleſia celebrat, quod non faceret, niſi ſanctificata eſſet.* Id omnes ab Auguſtino didicerunt, qui *epiſt. 113.* ait: *Ideò Eccleſia obitus, non natales Sanctorum celebrat, quia obitus ſunt ſancti, non natales.*

(S. Bernardus. — S. Ildephonſ. — S. Thomas. — S. Bonauent. — S. Auguſtin.)

Hoc argumentum inſtructum eſt à Libellatoribus Romanis ann. 1644. vt probarent, titulum *Immaculatæ* Conceptionis, delendum eſſe ab eius Officio: quia ſi conſtaret, Eccleſiam Romanam celebrare feſtum Conceptionis Immaculatæ, ſanctitas huius indubitata relinqueretur. Nam *in libello ſecundo, num. 23.* inter alia multa ſimilia, hæc verba habentur. [Sed Eccleſiæ ſanctæ fixa eſt, & perpetua conſuetudo non colendi niſi certam, & indubitatam ſanctitatem. Quod pro comperto habent S. Bernardus, S. Ildephonſus, S. Thomas, qui hac vnica ratione Natiuitatem Virginis fuiſſe ſanctam tradunt.] 268.

Huic argumento varias ſolutiones excogitarunt aduerſarij. Id tamen habet præcipuum, & certitudini ſententiæ piæ ſummè fauorabile Bulla Alexandri VII. quòd omnes eiuſmodi reſponſiones penitus amputauit. 269.

270. *Reſpondebant, non coli ſanctitatem primi, ſed ſecundi inſtantis.* Quidam reſpondebant, cultum exhiberi, non conceptioni materiali factæ in primo inſtanti ſui eſſe, ſed conceptioni ſpirituali, id eſt, ſanctificationi factæ in ſecundo inſtanti, aut alio poſteriori. Id falſum eſſe, conſtat ex verbis Bullæ: [Nos

Conuincitur euidenter ex Bulla Alexandri VII.

[Nos conſiderantes, quod ſancta Romana Eccleſia de intemeratæ, ſemperque Virginis Mariæ Conceptione feſtum ſolemniter celebrat, & ſpeciale, ac proprium ſuper hoc Officium olim ordinauit, iuxta piam, deuotam, & laudabilem inſtitutionem, quæ à Sixto IV. prædeceſſore noſtro tunc emanauit; volenteſque laudabili huic pietati, & deuotioni, & feſto, ac cultui *ſecundum illam exhibito*, in Eccleſia Romana poſt ipſius cultus inſtitutionem *nunquam immutato*, Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum exemplo fauere, necnon tueri pietatem, & deuotionem hanc colendi, & celebrandi Beatiſſimam Virginem, *praueniente ſcilicet Spiritus Sancti gratia à peccato præſeruatam*,] &c. Et paulò inferiùs: [Conſtitutiones, & decreta a Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris & præcipuè à Sixto IV. Paulo V. & Gregorio XV. edita in fauorem ſententiæ aſſerentis, animam B. Mariæ Virginis *in ſui creatione, & in corpus infuſione, Spiritus Sancti gratia donatam, & à peccato Originali præſeruatam fuiſſe*; necnon & in fauorem feſti, & cultus Conceptionis eiuſdem Virginis Deiparæ *ſecundum piam iſtam ſententiam*, vt præfertur *exhibiti*, innouamus,] &c. Ex quibus maniſeſte patet, hoc feſtum Eccleſiæ Romanæ eſſe de præſeruatione Deiparæ à peccato Originali, eiuſque ſanctificatione in primo inſtanti ſuæ creationis.

271. Secundam reſponſionem eorum, qui dicebant, Eccleſiam Romanam celebrare feſtum Conceptionis, non quia ſancta in primo eo inſtanti, ſed propter ſanctitatem mox futuram: & tertiam aliorum dicentium non celebrari feſtum de ſanctitate Conceptionis, ſed in gratiarum actionem Conceptionis naturalis, quæ fuit initium noſtræ reparationis; ex Bulla Alexandri conſtat euidenter eſſe falſas, cùm aſſerat Pontifex, feſtum fieri, & cultum exhiberi ab Eccleſia Romana ſecundùm piam iſtam ſententiam de præſeruatione Virginis ab originali peccato.

Duæ aliæ reſponſiones reprobantur euidenter ex Bulla Alexandri.

272. Quod autem dicit Caramuel, ſufficere probabilitatem opinionis, vt exhibeatur cultus, & celebretur feſtiuitas Conceptionis, euidenter refellitur. Eſt enim maxima certitudine firmum, B. Virginem in Natiuitate fuiſſe ſanctam, quin relinquatur locus probabilitati; vbi tota ratio certitudinis eſt, quòd Eccleſia celebrat feſtum Natiuitatis, vt conſtat ex Bernardo, Bonauentura, Ildephonſo, Thoma, & Auguſtino: ſed Eccleſia celebrat feſtum Conceptionis, & præſeruationis B. Virginis ab originali: ergo ſimili certudine firmum eſſe debet, quin relinquatur locus probabilitati.

Non ſufficit probabilitas ſanctitatis, vt Eccleſia exhibeat cultũ.

273. Secundò. Non relinquitur locus probabilitati in eo, quod Eccleſia celebret feſtum indignum laude, quale eſt falſum: ſed inde colligitur euidenter, Conceptionem in primo inſtanti fuiſſe ſanctam: ergo non relinquitur locus probabilitati in eo, quòd Conceptio in primo inſtanti non fuerit ſancta.

Eſt certum, Eccleſiã non celebrare feſtum falſum.

274. Tertiò. Non relinquitur locus probabilitati in eo, quod Eccleſia agat Deo gratias pro beneficio falſo, & fictitio: ſed Eccleſia agit Deo gratias in ſacrificio Miſſæ, quòd B. Virginem præſeruauerit à culpa originali, quod eſt euidens ex Bulla Alexandri: ergo non relinquitur locus probabilitati in hoc, quod B. Virgo præſeruata non fuerit.

Certũ eſt, Eccleſiam non agere Deo gratias pro beneficio falſo.

275. Quartò. Non relinquitur locus probabilitati ad hoc, vt non ſit verum illud, quòd Eccleſia affirmat, celebrando id ſacro cultu: ſed Eccleſia affirmat, B. Virginem præſeruatam fuiſſe à culpa originali; cùm id, quod profert Sacerdos in ſacrificio Miſſæ, dicat nomine Eccleſiæ Catholicæ, vt publicus Miniſter, & Legatus illius in Curia Diuina: ergo non relinquitur locus probabilitati ad hoc, vt non ſit verum, quòd B. Virgo fuerit præſeruata à culpa originali.

Vide alias vigintiquatuor demonſtrationes, alias morales, alias phyſicas, metaphyſicas alias apud cit. P. Ioan. Euerardum *in Exam. Theolog.* præcipuè *part.* 2. §. 8. & multas in aliis Authoribus ſuprà citatis: nam hæc ſufficiunt pro meo inſtituto. 276.

Sed contrà oppones. Si ſententia pia certa eſt, oppoſita erit certò falſa: hoc autem aſſerere non poſſumus: non ergo dicere poſſumus, ſententiam piam eſſe certam. Maior patet, & probatur minor. Nam defendere ſententiam certò falſam in re tam graui, eſſet peccatum mortale: atqui veramur aſſerere, id eſſe peccatum mortale: ergo non licet nobis aſſerere, oppoſitam eſſe certò falſam. 277.

Obiectio.

Hoc tamen argumentum ſoluo infrà *art.* 3. *num.*... vbi conſtabit, in quo ſenſu oppoſita opinio dicatur probabilis, quamvis noſtra pia ſententia ſit omnino certa. 278.

Soluitur remiſſiuè.

ARTICVLVS III.

Qua ratione probet Caramuel, ſententiam piam eſſe adhuc in ſtatu meræ probabilitatis.

IN verbis relatis *art.* 1. *num.* 255. hoc continetur argumentum. Alexander VII. condemnat hanc propoſitionem, *Non eſt probabile, Virginem conceptam eſſe in peccato*: ergo ſi illa eſt certò falſa, hæc erit certò vera, *Probabile eſt, Virginem conceptam eſſe in peccato.* Et *in eadem Apolog. n.* 157. refert Caramuel clauſulam prohibitionis aſſerendi, eam propoſitionem eſſe peccatum mortale, vel hæreſim, & idem inde colligit. Et *num.* 86. ait: [Neutrum aſſenſum, quamdiu purè mentalis ſit, eſſe peccatum mortale, definierunt Pontifices, & clariſſimè Sanctiſſimus D.N. in Bulla vltima, oppoſitum aſſerentes condemnans.] Itaque hæc conſequentia apud Caramuelem eſt legitima: Alexander VII. damnat aſſerentes, eſſe hæreſim, aut peccatum mortale propoſitionem de peccato originali B. Virginis: ergo definit, eſſe licitum, internè aſſentiri ei propoſitioni aſſerenti eam, concluſionem de Conceptione Deiparæ in originali: licitum, inquam, ideſt, non mortaliter illicitum. 279.

Et vt veritas pateſiat, notanda ſunt verba Alexandri VII. [Vetamus autem, Sixti IV. conſtitutionibus inhærentes, quempiam *aſſerere*, quod propter *hoc* contrariam opinionem tenentes, videlicet glorioſam Virginem Mariam cum originali peccato fuiſſe conceptam, hæreſis crimen, aut mortale peccatum incurrant; cùm à Romana Eccleſia, & ab Apoſtolica Sede nondum fuerit *hoc* deciſum.] 280.

Videamus ergo, quàm malè inde inferat Caramuel, Alexandrum VII. *clariſſimè definiſſe*, licitum eſſe aſſenſum internum ad propoſitionem de Cõceptione B. Virginis cum macula originali. Id autem oſtenditur primò. Qui prohibet aſſerere, quod ſit peccatum mortale ea propoſitio de Con- 281.

An Alexander VII. definierit licitum eſſe aſſenſum internum ad opinionẽ inimicam piæ?

Digitized by Google

ſolutè appellandam eſſe opinionem, ſed ſententiam, & placitum aliquorum: nec noſtra ſententia appellanda eſt opinio, ſed ſententia vera.] Huc vſque P. Granado, qui pro eodem placito allegat Emmanuelem Rodriguez *tom. 1. quaeſt. Regular. q. 57. art. 2.* Et licet Alexander VII. in Bulla appellet opinionem, id non ſecundo, ſed primo modo accipiendum eſt Nam etiam in duobus decretis infra referendis *cap. 20. art. 1.* in quibus idem Pontifex damnauit quadtagintaquinque propoſitiones in materia morum, eas vocat opiniones, quantumvis damnet vt ſcandaloſas, atque adeò vt improbabiles. Et etiam notandum eſt, quod in tota Bulla, quam Alexander VII. edidit in fauorem Immaculatæ Conceptionis, nec ſemel quidem ſententiam piam vocauit opinionem, ſed eam ſemper appellat *ſententiam.*

Opiniones vocantur ab Alexandro VII etiam quæ ſcandaloſa. Alexander VII. aſſertionem piam nõ vocat opinionem, ſed ſententiam.

193. *Quomodo non attribuimus aduerſariis peccatũ mortale.*

Hinc obiectionem ſolues propoſitam *n. 277.* Etenim illi, quibus argumenta ſententiæ piæ non proponuntur vt certa, & euidentia, non peccant mortaliter, tenendo eam concluſionem, & illi aſſentiendo internè, quia illa ſibi proponitur vt probabilis. Et ita licèt dicamus, ſententiam piam eſſe certam, & euidentem; & oppoſitam eſſe certò falſam, non attribuimus aduerſariis, quod committant peccatum mortale, dum eam concluſionem tuentur internè, quia adhuc fatemur probabilem primo modo.

294. *Sententia minus pia nititur fundamento leuiſſimo.*

Et primo quidem non contraueniet Bullæ, qui dixerit, opinionem minùs piam non eſſe probabilem ſecundo modo. Etenim vt manifeſtè conſtat ex definitione probabilitatis, illa opinio non eſt probabilis abſolutè, quæ leui nititur fundamento: ſed fundamentum oppoſitæ partis iam eſt leuiſſimum: ergo ea abſolutè non eſt probabilis.

295. Granado.

Circa minorem huius ſyllogiſmi audiendus eſt iterum P. Granado *loco citato, num. 344.* [Si quis libero, & vacuo animo expendat omnia, quæ à ſect. 4. huius diſputationis vſque ad 20. adducta ſunt, planè comperiet, immenſam quodammodo eſſe magnitudinem, & maximam multitudinem, motiuorum efficacium pro Immaculata Conceptione hiſce noſtris temporibus; & aliunde, quæ obiiciuntur, ita perſpicuè ſoluta eſſe à ſect. 23. ad 29. vt exigui momenti reputari debeant, ſi cum motiuis conferantur, vt à prædicta veritate quempiam arcere poſſint. Et quamquam authoritas doctiſſimorum Theologorum, qui olim oppoſitum docuerunt, magna ſit; & qui modò idem docent, ſint religione, & doctrina clariſſimi; nihilominus in tanta veritatis luce, quæ nunc in Eccleſia Immaculatam Conceptionem celebrante clareſcit, *exigua ſcintilla ſunt* Primò. Quia illi antiqui aſſeruerũt, B. Mariam incurriſſe originale, quando Eccleſia Romana oppoſitam ſententiam non probabat, quando feſtum Immaculatæ Conceptionis non celebrabat, quando non cernebatur communis populi Chriſtiani plauſus, qui modò cernitur, & quando inuenta non erant, nec debito modo expenſa tot Patrum illuſtriſſima teſtimonia pro Immaculata Conceptione.] Huc vſque præfatus Author.

296. Sed quid diceret P. Granado, ſi vidiſſet Bullam Alexandri VII. ex qua declarantur eſſe falſæ omnes illæ tergiuerſationes, quas contra cultum publicum Præſeruationis B. Virginis ab originali meditati fuerant aduerſarij, vt ſuprà notaui *art. 2. num. 269.* Quare non eſt cur vereamur aſſerere, ſententiam minùs piam non eſſe probabilem ſecundo modo, & abſolutè, vt ex hucuſque dictis ſatis conſtat.

His accedit, quod *Improbabile* non eſt cenſura Theologica, vt notauit P. Hurtado *2. 2. diſp. 81. §. 46.* addens *§. 41.* *temerariam* eſſe leuiſſimum genus cenſuræ Theologicæ. Et in Indice expurgatorio Inquiſitionis Hiſpanicæ in regulis generalibus *reg. 16.* ponuntur omnes cenſuræ Theologicæ, ob quas expunguntur propoſitiones; & non fit mentio propoſitionis improbabilis. Et quidem in materia morum aliquæ ſunt opiniones ſtrictæ improbabiles, quæ tamen, quia non ſcandalum generant, ſicut laxæ improbabiles, ideò non damnantur ab Inquiſitione. 297.

Improbabile non eſt cenſura Theologica.

ARTICVLVS IV.

Soluitur argumentum vltimum propoſitum capite tertio.

EX dictis facile eſt ſoluere vltimum argumentum, contendens, opiniones probabiles, poſtquàm damnatæ ſunt, ſuam adhuc probabilitatem retinere. Quod argumentum in multis peccat, tum contra veritatem, tum contra Logicam. Et in primis cùm hoc antecedens proponit, videlicet, *multoties* Summum Pontificem prohibere, quod doceatur opinio propter grauia inconuenientia, quin propterea intendat derogare probabilitati; expectabam ad probationem illius antecedentis, quòd id *multoties* accidere affirmat, allaturum ſuum Authorem quatuor, aut quinque caſus ſingulares, qui id multoties accidere comprobarent. Et video, ſolo ſingulari caſu de prohibitione ſententiæ minùs piæ id probati. Quare peccat primò in Logicam, dum ex vno caſu ſingulari infert conſequentiam de multitudine. 298.

Secundò. Cùm ex dictis *art. 2. & 3.* conſtet, ſententiam piam iam egreſſam eſſe à ſtatu probabilitatis, & ad ſublimem certitudinis gradum euectam; item ſententiam minùs piam non eſſe probabilem ſecundo modo, & abſolutè, vis argumenti omninò euaneſcit, dum contendit, opinionem minùs piam prohibitam eſſe, & adhuc manere probabilem. Quando autem probat cum Caramuele, ſententiam minùs piam manere probabilem ex eo, quòd declarant Pontifices, eam eſſe probabilem, quia prohibent aſſerere, eam eſſe hæreſim, vel peccatum mortale, vel impietatem, falſum aſſumitur. Nam, vt conſtat *ex art. preced.* dum prohibent, ea triplici cenſura notari, non declarant, eam manere probabilem: quia ſtat, eam non eſſe probabilem abſolutè, & ſecundo modo; & tamen neque eſſe hæreſim, neque peccatum mortale, neque impietatem. 299.

Non declarãt Pontifices, opinionem minùs piam eſſe probabilem.

Sed vt formaliùs reſpondeamus, notanda ſunt verba formalia arguentis: [Cùm tamen per illam prohibitionem non intendat eius probabilitati derogare.] Omitto enim, quod id Pontifex non intendat: nam quamvis ipſe id non intendat, poteſt ex adiunctis motiuis reſultare ea carentia probabilitatis, qualem reſultare, affirmant Authores citati *art. 2. & 3.* in ſenſu ibi explicato. 300.

Quamvis nõ intendant derogare probabilitati, poteſt illi derogari realiter.

Quando autem addit: [Et tamen eiuſmodi probabilitati derogare non intendiſſe, vel intende- 301.

dere, iidem Pontifices declarant, ſub præcepto prohibentes, quod nullus eandem opinionem alicuius cenſuræ nota inurat, eandem pro foro conſcientiæ, ſeu interno cuilibet permittentes.] Reſpondeo primò omittendo, quod Pontifices declarent, ſe non intendere. Aliud eſt, quod ipſi eum finem non intendant; & aliud eſt, quòd ex aliis motiuis reſultet probabilitatis derogatio, & diminutio. Et quando Pontifices ita declararent, intelligendi eſſent declarare, non eſſe intentionis ſuæ derogare probabilitati, niſi quantum derogatur realiter ipſo reali feſto, cultu, plauſu communi Fidelium, Eccleſiæ aſſeueratione facta in Miſſa, & officio, &c.

302. *Nec declarãt Pont. ſe non intendere derogare probabilitati.*

Reſpondeo ſecundò, nihil tale declaraſſe Pontifices, nec video, quomodo valeat hæc conſequentia: [Pontifices prohibent, ne quis aſſerat dignam nota Theologica ſententiam minùs piam; ergo declarant per hoc, ſententiam minùs piam eſſe probabilem.] Nam, vt diximus *art.*3. Pontifices prohibent aſſerere, & non prohibent ſentire opinionem minùs piam: ergo quamvis prohibeant aſſerere cenſuram, non propterea prohibent ſentire, quod talis opinio contraria digna ſit ea cenſura.

303. *Tres tantùm Cenſuras prohibent aſſeri contra opinionem minus piam.*

Deinde interrogo Leandrum, vbi reperit catalogum earum cenſurarum, quas dicit eſſe prohibitas à Pontificibus? Nempe in iis verbis? [Prohibentes, quod nullus eandem opinionem alicuius cenſuræ, videlicet improbabilitatis, temeritatis, erroris, hæreſis, vel alterius nota inurat.] Tum quia improbabilitas non eſt cenſura Theologica, vt ſuprà dixi *num.* 297. Tum præcipuè, quia nulla Bulla, neque omnes Bullæ ſimul à Romana Cathedra emanatæ talem cenſuratum catalogum contexunt; ſolumque prohibent aſſerere, opinionem minùs piam eſſe hæreſim, peccatum mortale, vel impietatem.

304. *Diſparitas inter opinionem minùs piam & alias prohibitas, ne iſta maneant probabiles.*

Sed demus liberaliter impugnatori, ſententiam de Conceptione Virginis cum macula prohibitam eſſe, & remanere adhuc cum ſua probabilitate in omni ſenſu; & videbimus, quàm praua ſit conſequentia in reliquis, & quàm euidens diſparitas. Id ſic oſtendo. Sententiam de Conceptione Virginis cum macula prohibuerunt Pontifices, & declararunt, illam manere (ſecundùm Leandrum) in ſua probabilitate: ſententiam, quam ibi meminit Leander, prohibuit Inquiſitio, & non declarauit, illam manere in ſua probabilitate, nec declarauit, non eſſe ſuæ intentionis derogare probabilitati eius: ergo perperam fit argumentum ab vna ad aliam. Patet conſequentia. Nam vbi eſt diuerſa ratio deciſionis, non valet paritas.

305. Vel ſic. Sententiam de Conceptione Virginis cum macula prohibuerunt Pontifices, & præceperunt, ne cenſura Theologica inureretur: ſententiam, quam ibi meminit Leander, prohibuit Inquiſitio, & non prohibuit, eam cenſura Theologica inuri; imò ideò prohibuit, quia cenſura Theologica inuſta fuit: ergo licet in prima ſit ratio, ob quam maneat probabilis, non tamen in ſecunda.

306. *Cæteras opiniones prohibet Inquiſitio, quia digna cenſura.*

Et quidem Inquiſitio in cauſis damnabilium propoſitionum, præter quam in cauſa Conceptionis, non procedit ad prohibitionem earum, donec præcedat cenſura doctrinæ, & conſtet, tales propoſitiones eſſe vel temeratias, vel ſcandaloſas, vel morum corruptiuas, &c. Et vbi conſtiterit, doctrinam eſſe prauam, tunc prohibet. Sed hæc prohibitio, præſuppoſita certitudine morali de prauitate doctrinæ, tollit probabilitatem, cùm talis prohibitio nitatur in eo, quod propoſitio ſit certò falſa: tollit ergo probabilitatem iuſta prohibitio Tribunalis ſacri.

Sed quia Caramuel ſæpe inculcat hoc argumentum: [Opinio de Conceptione Deiparæ in originali prohibetur ab Eccleſia, & tamen manet probabilis, cùm Alexander VII. declaret eam probabilem: ergo opiniones, quæ interdicuntur, manent adhuc probabiles:] operæ pretium eſt, vt in examine huius conſequentiæ aliquantò amplius immoremur. Et do Caramueli gratis, quod antecedens ſit verum. 307.

308. *Diſparitas inter opiniones de Conceptione cum macula, & de abſolutione in abſentia.*

Et vt videas conſequentiæ vim, compone opinionem de Conceptione Deiparæ in originali, cum opinione de abſolutione data in abſentia pœnitentis. Et ſic arguo primò. Ideò opinio de Conceptione Deiparæ in originali poſt interdictionem manet probabilis, quia Pontifex (ita atteſtante Caramuele) declarat illam probabilem: ſed ſententiam de abſolutione data in abſentia declarat Pontifex falſam, temerariam, & ſcandaloſam; quæ verba cum probabilitate ſtare non poſſunt. (Vide quæ de hoc dixi *cap... n...* & dicam *cap.*20. *art...*) ergo nulla paritas eſt ab vna ad alteram, ſed diſparitas meridiana luce clarior, cùm primam declaret Pontifex probabilem, & ſecundam declaret improbabilem.

Arguo ſecundò. Opinionem de Conceptione minùs piam interdicit Eccleſia ad vitanda ſcandala, quæ oriuntur ex eius locutione, ſiue auditione; & opinionem de abſolutione inter abſentes interdicit Pontifex ob eius improbabilitatem: ſed dum interdicit opinionem ob ſcandala ex eius locutione profecta, non damnat concluſionem ipſam propter ſe, ſed propter effectus externæ affirmationis; & dum interdicit opinionem ob eius improbabilitatem, damnat ipſammet concluſionem propter ipſam: ergo ſtat, quod prima non remaneat in ſeipſa damnabilis, & quòd ſecunda damnata in ſeipſa remaneat: ergo ex eo quod prima non remaneat in ſeipſa, & propter ſeipſam damnata, peſſimè arguitur ad hoc, quod ſecunda non remaneat in ſeipſa, & propter ſeipſam damnata. 309.

CAPVT XIX.

Alia inſtantia Caramuelis conuellitur.

QVamvis hucvſque dicta ad rei euidentiam abundè ſufficiant, ne quis ſcrupulus alicui relinquatur, placuit proponere ea, quæ Caramuel obiicit cuidam Titio *inuido, ignaro*, qui ſyntheſes eius variis cenſuris notauerat, contra quem acriter inſurgit *in Comment. in Regul. in epiſt. præuia ad Franciſcum Penneman.* In penultima 310.

An ſyntheſes Caramuelis non poſſint probabilitate ſpoliari, ni oppoſita tranſeant in articulos Fidei.

enim periodo eius epiſtolæ ſic ait: [Nulla ex prædictis ſyntheſibus aliter poteſt ſua probabilitate priuari, quàm ſi contradictoria tranſeat in articulum Fidei. Patet. Quia opinio probabilis eſt, quæ à magnis, & multis defenditur: & tamen humanitus non poteſt fieri, quòd illi Doctores, qui ſubſcribunt, multi, aut magni non ſint. Vel finge quemcumque caſum poſſibilem, præter definitionem Eccleſiæ. Congregentur vniuerſi Europæi, docti, indocti; magni, parui;

non

Digitized by Google

non tamen poterunt facere, aut verè definire, viginti non eſſe viginti; aut viros eximios, & ſummarum Academiarum lumina, non eſſe magnos.

311. Sed ſi Caramuel meminiſſet eorum, quæ aliàs ſcripſit, in tam immanem diffinitionem non proſiliiſſet. Meminerit primò eius periodi, quam ſcripſit *in Theolog. fundam. num.* 447. *fund.* 11. [in Theologia morali multæ ſunt hodie opiniones probabiles, quæ heri tales non viſæ; & multæ heri iudicatæ probabiles, quæ, re hodie meliùs examinata, tranſiuerunt in certas, videlicet, aut certò falſas, aut certò veras.] Meminerit ſecundò illiùs periodi, quam ſcripſit ibidem *num.* 537. [Illam enim, quam video non poſſe ſine contradictione defendi, tametſi centum Authorum ſit, liberè vocabo improbabilem.]

Iuxta Carамuel. opinio centum Authorum poteſt eſſe improbabilis.

312. Et his poſitis, inquiro, an ſit excogitabilis caſus, præter definitionem Eccleſiæ, in quo opinio probabilis Caramuelis tranſeat in improbabilem? Ruſus interrogo, an ſit poſſibile, quòd alicui magno ingenio occurrat aliqua demonſtratio contra aliquam ex prædictis ſyntheſibus, quæ non occurrit Caramueli? Si neget; admirandum eſt, illum ſibi tantum priuilegium arrogare. Si concedat: ergo concedit caſum, in quo aliqua ex prædictis ſyntheſibus poſſit ſua probabilitate priuari, præter definitionem Eccleſiæ; cùm in caſu repertæ demonſtrationis contra ſyntheſin, ea maneat improbabilis. In quo caſu *tametſi* prædicta ſyntheſis *centum Authorum ſit, liberè vocabo improbabilem.* Relege quæ dixi *cap.* 10.

Si reperiatur demonſtratio contra ſyntheſin, fiet improbabilis.

313. Memineris & tu lector, optime, eius, quod retuli *cap.* 10. *num.* 164. nempe contra triginta illuſtriſſimos ſcriptores, Suarium, Vaſquium, Thomam Sanch. Baſilium Legionenſem, Sotum, & reliquos ibi numeratos, dixiſſe Caramuelem, certam & demonſtratam eſſe ſententiam, quod ceſſante fine legis in caſu particulari, etiam lex ceſſat in tali caſu; conſequenterque ſententiam eorum triginta Authorum eſſe improbabilem. Tum ſic contra ipſum ſua ipſius verba obiicio: [Opinio probabilis eſt, quæ à magnis, & multis defenditur; & tamen humanitus fieri non poteſt, quòd illi triginta Doctores multi, aut magni non ſint. Vel finge quemcumque caſum poſſibilem, præter definitionem Eccleſiæ. Congregentur vniuerſi Europæi, docti, indocti; magni, parui; non tamen poterunt facere, aut verè definire, triginta non eſſe triginta; aut Suarium, Vaſquium, Thomam Sanch. Baſilium, &c. non eſſe magnos.]

Retorquetur argumētum contra ſuum Authorem.

314. Nec ſatisfaciet, ſi dicat, eſſe ſolùm probabilem ab extrinſeco ſententiam triginta Authorum. Nam idem ego reſpondebo de ſuis opinionibus, etiamſi verum ſit, quod ſubſcriptæ ſint à viginti (quod nego. De quo vide *diſp.* 11. *num.* 357.) illas eſſe dumtaxat probabiles ab extrinſeco; & apparente denuò principio certo, cum quo ſint incompatibiles, poſſe fieri abſolutè improbabiles: ergo caſus eſt, præter definitionem Eccleſia, in quo eius opiniones fieri poſſint improbabiles.

315. Memini & ego, me dixiſſe, & oſtendiſſe *diſp.* 5. *cap.* 3. opinionem probabilem afferre formidinem tam de veritate, quàm de demonſtrabilitate partis oppoſitæ: ergo fortè eſt vera, & fortè eſt falſa; item: ergo fortè veritas eius eſt demonſtrabilis, & fortè falſitas eius eſt demonſtrabilis. Ergo opiniones probabiles Caramuelis afferunt eandem formidinem: ergo fortè falſitas earum eſt demonſtrabilis, quamvis eæ demonſtrationes adhuc nos lateant. Quæ conſequentia patet ex dictis. Atqui cum hac conſequentia incompatibilis eſt ea propoſitio ſuprà relata Caramuelis, nempe in quocumque caſu poſſibili, præter definitionem Eccleſiæ, non poſſe concluſiones eius reddi improbabiles: ergo apertè falſa eſt hæc propoſitio, quæ prædictam formidinem excludit ab opinionibus probabilibus Caramuelis: ergo fortè poterit eſſe caſus (præter definitionem Eccleſiæ) in quo aliqua eius opinio poſſit, noua demonſtratione affulgente, fieri improbabilis.

Opiniones Caramuelis (ſicut reliquorum) afferunt formidinem de demonſtrabilitate oppoſitarum.

316. Et hinc etiam affulget alia demonſtratio ad hominem pro priori concluſione. Etenim, vt conſtat ex proximè dictis, ſecundùm Caramuelem propoſitio probabilis definitione Eccleſiæ poteſt reddi certò falſa: ſed poteſtas definitiua Eccleſiæ eſt in hoc mundo viſibili: ergo in hoc mundo viſibili datur poteſtas reddendi certò falſas propoſitiones, quæ priùs fuerint probabiles.

Iuxta Caramuel. poteſtas definitiua poteſt priuare opinionem probabilitate.

317. Prætereà hæc propoſitio, *Si liber ſit alicuius Iunioris, & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtet, reiectam eſſe Sede Apoſtolica tanquam improbabilem*; habet pro ſe viginti Authores, vt teſtatur Caramuel relatus *diſp.* 11. *num.* 9. & tamen damnata eſt tanquam ſcandaloſa ab Alexandro VII. in priori decreto ex referendis *cap.* 20. & quod ſit ſcandaloſa, includit in ſe improbabilitatem, vt dixi *cap.* 6. *num* 85. & oſtendam *cap.* 2. *art.* 8. ergo licèt opiniones Caramuelis habeant pro ſe viginti Authores, hoc non obſtat, quominùs extra caſum definitionis articuli Fidei poſſint amittere probabilitatem. Et quidem *diſp.* 11. *cap.* 3. oſtendam eam opinionem ferè nullius eſſe Authoris claſſici; quia tamen Caramuel refert pro ea viginti Authores, ideò ad hominem id ita argumentum inſtruxi.

Opinio, quā Caram. dicit 20. Authorum, damnata eſt ab Alexandro VII.

318. Deinde aliquæ opiniones Caramuelis probabilitate omninò ſpoliatæ ſunt, quamvis oppoſitæ non tranſierint in articulos Fidei: ergo idem ſyntheſibus contingere poteſt, quibus non maiora inſunt firmitatis præſidia, quàm reliquis Caramuelis aſſertionibus. Probatur antecedens. Nam olim fuit Caramuelis hæc propoſitio: *Vnico Officio poteſt quis ſatisfacere duplici præcepto pro die præſenti, & craſtino*; vt conſtat *ex diſp.* 32. *c.* 1. Hæc autem propoſitio iam probabilitate caret: eſt enim ſcandaloſa, ita atteſtante, & definiente Alexandro VII. in ſecundo decreto ex referendis *cap.* 20. Illa enim propoſitio eſt trigeſima quinta ex damnatis ab Alexandro.

Aliqua opiniones Caramuelis ſunt probabilitate ſpoliata ab Alexandro VII.

Opinio Caramuelis damnata.

319. Eandem damnationem incurriſſe videtur hæc propoſitio Caramuelis: *Homines liberi, quibus minùs neceſſaria iubentur, non tenentur acceptare præcepta.* Quæ propoſitio videtur eſſe eadem cum propoſitione vigeſimaoctaua ex damnatis ab Alexandro. De quo vide infrà *diſp.* 27. *cap.* 4. *art.* 1. *&* 2.

Alia damnata.

320. Item in ſecundo decreto Alexandi VII. continetur inter damnatas vt ſcandaloſas hæc propoſitio, inter quas eſt quadrageſimaſecunda: *Licitum eſt mutuanti, aliquid vltra ſortem exigere, ſi ſe obliget ad non repetendam ſortem vſque ad certum tempus.* Quam docuit Caramuel *in Theolog. fund. numero* 1798. *fund.* 60. Omnes autem propoſitiones ab Alexandro damnatas, omninò

Alia damnata.

Digitized by Google

ninò amiſiſſe probabilitatem, conſtabit *capit.* 20.

321. Denique nos, qui in Hiſpaniæ finibus commoramur, vnde ſciemus, eos viginti Authores eſſe *eximios*, eſſe *Academiarum lumina*, vt ita Caramuelis ſyntheſibus conferant eam probabilitatem perpetuam? Non ex ſcriptis, quæ in communem lucem prodierint, cùm opera ſua typis non dederint, non ex doctrinæ fama, quæ ad hos fines non peruenit. Numquid ex teſtimonio Caramuelis? Ego vtique fidem habebo; non habebunt omnes in iudicio, in quo proprium teſtimonium in cauſa propria non admittitur. Quod ſi de iis, qui in lucem publicam ſcripta ediderunt, & ex aliis tranſcripſerunt, ait Caramuel, eos numerum addere, non probabilitatem, cur de illis, qui nihil ſcripſerunt in lucem publicam, qui ſi ſcriberent, neſcimus, an tranſcriberent: dicendum eſt, eos addere probabilitatem, & non ſolum numerum? Vide hæc latiùs expenſa *diſp.* 11. *cap.* 15.

Qui non ediderunt ſcripta, nec cognoſcuntur, non conferunt probabilitatem.

CAPVT XX.

Ad vlteriorem confirmationem doctrinæ traditæ exponuntur duo nouiſſima decreta Alexandri VII.

ARTICVLVS I.

Proponitur vtrumque decretum Alexandri VII.

322. PRodierunt nouiſſimè poſt hoc volumen ferè abſolutum duo decreta SS. D. Alexandi VII. damnantis quadraginta quinque opiniones in materia morum. Quorum primum eſt tenoris ſequentis.

Primum decretum Sanctiſſimi S. D. N. Alexandri VII.

Feria 5. die 14. Septembris 1665. in Congregatione generali Sanctæ Romanæ, & vniuerſalis Inquiſitionis, habita in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis coram SS. D. N. D. Alexandro, diuina prouidentia Papa VII. ab Eminentiſſimis, & Reuerendiſſimis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana aduerſus hæreticam prauitatem Generalibus Inquiſitoribus à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

323. Sanctiſſimus Dominus noſter audiuit, non ſine magno animi ſui mœrore, complures opiniones chriſtianæ diſciplinæ relaxatiuas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterum ſuſcitari, partim nouiter prodire; & ſummam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excreſcere, per quam in rebus ad conſcientiam pertinentibus modus opinandi irrepſit alienus omninò ab Euangelica ſimplicitate, ſanctorumque Patrum doctrina; & quem ſi pro recta regula Fideles in praxi ſequerentur, ingens eruptura eſſet Chriſtinæ vitæ corruptela. Quare ne vnquam temporis viam ſalutis, quam ſuprema veritas Deus, cuius verba in æternum permanent, arctam eſſe definiuit in, animarum perniciem dilatari, ſeu veriùs, peruerti contingeret, idem Sanctiſſimus D. N. vt oues ſibi creditas ab eiuſmodi ſpatioſa, lataque, per quam itur ad perditionem, via, pro paſtorali ſollicitudine in arctam ſemitam euocaret, earumdem opinionum examen pluribus in ſancta Theologia Magiſtris, & deinde Eminentiſſimis, & Reuerendiſſimis Dominis Cardinalibus contra hæreticam prauitatem generalibus Inquiſitoribus ſeriò commiſit. Qui tantum negotium ſtrenuè aggreſſi, eique ſedulò incumbentes, & maturè diſcuſſis vſque ad hanc diem infraſcriptis propoſitionibus, ſuper vnaquaque ipſarum ſuffragia ſua ſanctitati ſuæ ſingillatim expoſuerunt.

Homo nullo vnquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis, ex vi præceptorum diuinorum, ad eas virtutes pertinentium. I.

Vir equeſtris ad duellum prouocatus poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat. II.

Sententia aſſerens, Bullam Cœnæ ſolùm prohibere abſolutionem hæreſis, & aliorum criminum, quando publica ſunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus ſermo eſt, anno 1629. die 18. Iulij in Conſiſtorio Sacræ Congregationis Eminentiſſimorum Cardinalium viſa, & tolerata eſt. III.

Prælati Regulares poſſunt in foro conſcientiæ abſoluere quoſcumque ſæculares ab hæreſi occulta, & ab excommunicatione propter eam incurſa. IV.

Quamvis euidenter tibi conſtet, Petrum eſſe hæreticum, non teneris denunciare, ſi probare non poſſis. V.

Confeſſarius, qui in Sacramentali confeſſione tribuit pœnitenti chartam poſteà legendam, in qua ad venerem incitat, non cenſetur ſollicitare in confeſſione, ac proinde non eſt denunciandus. VI.

Modus euadendi obligationem denunciandæ ſollicitationis, eſt ſi ſollicitatus confiteatur cum ſollicitante; hic poteſt illum abſoluere ab obligatione denunciandi. VII.

Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa licitè accipere, applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus ipſimet celebranti correſpondentem; idque poſt decretum Vrbani VIII. VIII.

Poſt decretum Vrbani VIII. poteſt Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere, collato illi minori ſtipendio, alia parte ſtipendij ſibi retenta. IX.

Non eſt contra iuſtitiam pro pluribus ſacrificiis ſtipendium accipere, & ſacrificium vnum offerre; neque etiam eſt contra fidelitatem, etiamſi promittam promiſſione etiam iuramento firmata, danti ſtipendium, quod pro nullo alio offeram. X.

Peccata in confeſſione omiſſa, ſeu oblita, ob inſtans periculum vitæ, aut ob aliam cauſam, non tenemur in ſequenti confeſſione exprimere. XI.

Mendicantes poſſunt abſoluere à caſibus Epiſcopis reſeruatis, non obtenta ad id Epiſcoporum facultate. XII.

Satisfacit præcepto annuæ confeſſionis, qui confitetur Regulari Epiſcopo præſentato, ſed ab eo iniuſtè reprobato. XIII.

Qui facit confeſſionem voluntariè nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ. XIV.

Pœnitens

Digitized by Google

XV. Pœnitens propria authoritate ſubſtituere ſibi alium poteſt, qui loco ipſius pœnitentiam adimpleat.

XVI. Qui beneficium curatum habent, poſſunt ſibi eligere in confeſſarium ſimplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

XVII. Eſt licitum Religioſo, vel Clerico, calumniatorem grauia crimina de ſe, vel de ſua Religione ſpargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non ſuppetit; vti ſuppetere non videtur, ſi calumniator ſit paratus vel ipſi Religioſo, vel eius Religioni publicè, & coram grauiſſimis viris prædicta impingere, niſi occidatur.

XVIII. Licet interficere falſum accuſatorem, falſos teſtes, ac etiam iudicem, à quo iniqua certò imminear ſententia, ſi alia via non poteſt innocens damnum euitare.

XIX. Non peccat maritus occidens propria authoritate vxorem in adulterio deprehenſam.

XX. Reſtitutio à Pio V. impoſita beneficiatis non recitantibus, non debetur in conſcientia ante ſententiam declaratoriam Iudicis, eo quod ſit pœna.

XXI. Habens Capellaniam collatiuam, aut quoduis aliud beneficium Eccleſiaſticum, ſi ſtudio litterarum vacet, ſatisfecit ſuæ obligationi.

XXII. Non eſt contra iuſtitiam beneficia Eccleſiaſtica non conferre gratis; quia collator conferens illa beneficia Eccleſiaſtica pecunia interueniente, non exigit illam pro collatione beneficij, ſed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

XXIII. Frangens ieiunium Eccleſiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, niſi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, putà quia non vult ſe ſubiicere præcepto.

XXIV. Mollities, ſodomia, & beſtialitas ſunt peccata eiuſdem ſpeciei infimæ, ideoque ſufficit dicere in confeſſione, ſe procuraſſe pollutionem.

XXV. Qui habuit copulam cum ſoluta, ſatisfacit præcepto confeſſionis dicens, [Commiſi cum ſoluta graue peccatum contra caſtitatem, non explicando copulam.

XXVI. Quando litigantes habent pro ſe opiniones æquè probabiles, poteſt Iudex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in fauorem vnius præ alio.

XXVII. Si liber ſit alicuius iunioris, & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtat, reiectam eſſe à Sede Apoſtolica tanquam improbabilem.

XXVIII. Populus non peccat, etiamſi abſque vlla cauſa non recipiat legem à Principe promulgatam.

Quibus peractis; dum ſimilium propoſitionum examini cura, & ſtudium impenditur, interea idem Sanctiſſimus, re maturè conſiderata, ſtatuit, & decreuit prædictas propoſitiones, & vnamquamque ipſarum, vtminimùm tanquam ſcandaloſas eſſe damnandas, & prohibendas, ſicut eas damnat, ac prohibet; ita vt quicumque illas aut coniunctim, aut diuiſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de iis etiam diſputatiuè, publicè, aut priuatim tractauerit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, à qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolui.

Inſuper diſtrictè in virtute ſanctæ obedientiæ & ſub interminatione diuini iudicij prohibet, omnibus Chriſti Fidelibus, cuiuſcumque conditionis, dignitatis, ac ſtatus, etiam ſpeciali, ac ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

IOAN. LVPVS, Sanctæ R. & vniuerſalis Inquiſitionis Notarius, &c.

Anno à Natiuitate Domini N. Ieſu Chriſti M. D C. L X V. indictione tertia, die verò ſecundò menſis Octobris, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris D. N. D. Alexandri diuina prouidentia Papæ VII. anno vndecimo, ſupradictum decretum affixum, & publicatum fuit ad valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Cancellariæ Apoſtolicæ, ac in acie campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Vrbis, per me Carolum Melanum, eiuſdem Sanctiſſimi D. N. Papæ, & Sanctiſſimæ Inquiſitionis curſorem.

Alterum decretum Sanctiſſimi D. N. Alexandi VII.

Feria 5. die 18. Martij 1666. in Congregatione generali Sanctæ Romanæ, & vniuerſalis Inquiſitionis, habita in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis coram Sanctiſſimo D. N. Alexandro diuina prouidentia Papa VII. ac Eminentiſſimis, & Reuerendiſſimis Dominis S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana aduerſus hæreticam prauitatem generalibus Inquiſitoribus à ſancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

Sanctiſſimus D. N. poſt latum decretum die 21. Septembris proximè elapſi, quo vigintiocto propoſitiones damnatæ fuerunt, examinatis ſedulò, & accuratè vſque ad hanc diem infraſcriptis aliis quadrageſimumquintum numerum implentibus, per plures in ſacra Theologia Magiſtros, ac per Eminentiſſimos, & Reuerendiſſimos Dominos Cardinales aduerſus hæreticam prauitatem generales Inquiſitores, eorum ſuffragia ſingillatim ſuper vnaquaque ipſarum audiuit.

In die ieiunij, qui ſæpius modicum quid comedit, etſi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit ieiunium. XXIX.

Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, ſunt excuſati ab obligatione ieiunij, nec debent ſe certificare, an labor ſit compatibilis cum ieiunio. XXX.

Excuſantur abſolutè à præcepto ieiunij omnes illi, qui iter agunt equitando, vtcumque iter agunt, etiamſi iter neceſſarium non ſit, & etiamſi iter vnius diei conficiant. XXXI.

Non eſt euidens, quod conſuetudo non comedendi oua, & lacticinia in Quadrageſima, obliget. XXXII.

Reſtitutio fructuum ob omiſſionem horarum ſuppleri poteſt per quaſcumque eleemoſynas, quas anteà beneficiarius de fructibus ſui beneficij fecerit. XXXIII.

In die Palmarum recitans officium Paſchale, ſatisfacit præcepto. XXXIV.

Vnico officio poteſt quis ſatisfacere duplici præcepto, pro die præſenti, & craſtino. XXXV.

Regulares poſſunt in foro conſcientiæ vti priuilegiis ſuis, quæ ſunt expreſsè reuocata per Concilium Tridentinum. XXXVI.

Indulgentiæ

Digitized by Google

ninò amiſiſſe probabilitatem, conſtabit *capit. 20.*

321. *Qui non ediderunt ſcripta, nec cognoſcuntur, non conferunt probabilitatem.* Denique nos, qui in Hiſpaniæ finibus commoramur, vnde ſciemus, eos viginti Authores eſſe *eximios*, eſſe *Academiarum lumina*, vt ita Caramuelis ſyntheſibus conferant eam probabilitatem perpetuam? Non ex ſcriptis, quæ in communem lucem prodierint, cùm opera ſua typis non dederint, non ex doctrinæ fama, quæ ad hos fines non peruenit. Numquid ex teſtimonio Caramuelis? Ego vtique fidem habebo; non habebunt omnes in iudicio, in quo proprium teſtimonium in cauſa propria non admittitur. Quod ſi de iis, qui in lucem publicam ſcripta ediderunt, & ex aliis tranſcripſerunt, ait Caramuel, eos numerum addere, non probabilitatem, cur de illis, qui nihil ſcripſerunt in lucem publicam, qui ſi ſcriberent, neſcimus, an tranſcriberent: dicendum eſt, eos addere probabilitatem, & non ſolum numerum? Vide hæc latiùs expenſa *diſp. 11. cap. 15.*

CAPVT XX.

Ad vlteriorem confirmationem doctrinæ traditæ exponuntur duo nouiſſima decreta Alexandri VII.

ARTICVLVS I.

Proponitur vtrumque decretum Alexandri VII.

322. PRodierunt nouiſſimè poſt hoc volumen ferè abſolutum duo decreta SS. D. Alexandi VII. damnantis quadraginta quinque opiniones in materia morum. Quorum primum eſt tenoris ſequentis.

Primum decretum Sanctiſſimi S. D. N. Alexandri VII.

Feria 5. die 14. Septembris 1665. in Congregatione generali Sanctæ Romanæ, & vniuerſalis Inquiſitionis, habita in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis coram SS. D. N. D. Alexandro, diuina prouidentia Papa VII. ab Eminentiſſimis, & Reuerendiſſimis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana aduerſus hæreticam prauitatem Generalibus Inquiſitoribus à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

323. Sanctiſſimus Dominus noſter audiuit, non ſine magno animi ſui mœrore, complures opiniones chriſtianæ diſciplinæ relaxatiuas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterum ſuſcitari, partim nouiter prodire; & ſummam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excreſcere, per quam in rebus ad conſcientiam pertinentibus modus opinandi irrepſit alienus omninò ab Euangelica ſimplicitate, ſanctorumque Patrum doctrina; & quem ſi pro recta regula Fideles in praxi ſequerentur, ingens eruptura eſſet Chriſtinæ vitæ corruptela. Quare ne vnquam temporis viam ſalutis, quam ſuprema veritas Deus, cuius verba in æternum permanent, arctam eſſe definiuit in, animarum perniciem dilatari, ſeu verius, peruerti contingeret, idem Sanctiſſimus D. N. vt oues ſibi creditas ab eiuſmodi ſpatioſa, lataque, per quam itur ad perditionem, via, pro paſtorali ſollicitudine in arctam ſemitam euocaret, earumdem opinionum examen pluribus in ſancta Theologia Magiſtris, & deinde Eminentiſſimis, & Reuerendiſſimis Dominis Cardinalibus contra hæreticam prauitatem generalibus Inquiſitoribus ſeriò commiſit. Qui tantum negotium ſtrenuè aggreſſi, eique ſedulò incumbentes, & maturè diſcuſſis vſque ad hanc diem infraſcriptis propoſitionibus, ſuper vnaquaque ipſarum ſuffragia ſua ſanctitati ſuæ ſingillatim expoſuerunt.

Homo nullo vnquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis, ex vi præceptorum diuinorum, ad eas virtutes pertinentium. I.

Vir equeſtris ad duellum prouocatus poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat. II.

Sententia aſſerens, Bullam Cœnæ ſolùm prohibere abſolutionem hæreſis, & aliorum criminum, quando publica ſunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus ſermo eſt, anno 1629. die 18. Iulij in Conſiſtorio Sacræ Congregationis Eminentiſſimorum Cardinalium viſa, & tolerata eſt. III.

Prælati Regulares poſſunt in foro conſcientiæ abſoluere quoſcumque ſæculares ab hæreſi occulta, & ab excommunicatione propter eam incurſa. IV.

Quamvis euidenter tibi conſtet, Petrum eſſe hæreticum, non teneris denunciare, ſi probare non poſſis. V.

Confeſſarius, qui in Sacramentali confeſſione tribuit pœnitenti chartam poſteà legendam, in qua ad venerem incitat, non cenſetur ſollicitare in confeſſione, ac proinde non eſt denunciandus. VI.

Modus euadendi obligationem denunciandæ ſollicitationis, eſt ſi ſollicitatus confiteatur cum ſollicitante; hic poteſt illum abſoluere ab obligatione denunciandi. VII.

Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa licitè accipere, applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus ipſimet celebranti correſpondentem; idque poſt decretum Vrbani VIII. VIII.

Poſt decretum Vrbani VIII. poteſt Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere, collato illi minori ſtipendio, alia parte ſtipendij ſibi retenta. IX.

Non eſt contra iuſtitiam pro pluribus ſacrificiis ſtipendium accipere, & ſacrificium vnum offerre; neque etiam eſt contra fidelitatem, etiamſi promittam promiſſione etiam iuramento firmata, danti ſtipendium, quod pro nullo alio offeram. X.

Peccata in confeſſione omiſſa, ſeu oblita, ob inſtans periculum vitæ, aut ob aliam cauſam, non tenemur in ſequenti confeſſione exprimere. XI.

Mendicantes poſſunt abſoluere à caſibus Epiſcopis reſeruatis, non obtenta ad id Epiſcoporum facultate. XII.

Satisfacit præcepto annuæ confeſſionis, qui confitetur Regulari Epiſcopo præſentato, ſed ab eo iniuſtè reprobato. XIII.

Qui facit confeſſionem voluntariè nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ. XIV.

Pœnitens

Digitized by Google

XV. Pœnitens propria authoritate ſubſtituere ſibi alium poteſt, qui loco ipſius pœnitentiam adimpleat.

XVI. Qui beneficium curatum habent, poſſunt ſibi eligere in confeſſarium ſimplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

XVII. Eſt licitum Religioſo, vel Clerico, calumniatorem grauia crimina de ſe, vel de ſua Religione ſpargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non ſuppetit; vti ſuppetere non videtur, ſi calumniator ſit paratus vel ipſi Religioſo, vel eius Religioni publicè, & coram grauiſſimis viris prædicta impingere, niſi occidatur.

XVIII. Licet interficere falſum accuſatorem, falſos teſtes, ac etiam iudicem, à quo iniqua certò immineat ſententia, ſi alia via non poteſt innocens damnum euitare.

XIX. Non peccat maritus occidens propria authoritate vxorem in adulterio deprehenſam.

XX. Reſtitutio à Pio V. impoſita beneficiatis non recitantibus, non debetur in conſcientia ante ſententiam declaratoriam Iudicis, eo quod ſit pœna.

XXI. Habens Capellaniam collatiuam, aut quoduis aliud beneficium Eccleſiaſticum, ſi ſtudio litterarum vacet, ſatisfecit ſuæ obligationi.

XXII. Non eſt contra iuſtitiam beneficia Eccleſiaſtica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Eccleſiaſtica pecunia interueniente, non exigit illam pro collatione beneficij, ſed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

XXIII. Frangens ieiunium Eccleſiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, niſi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, putà quia non vult ſe ſubiicere præcepto.

XXIV. Mollities, ſodomia, & beſtialitas ſunt peccata eiuſdem ſpeciei infimæ, ideoque ſufficit dicere in confeſſione, ſe procuraſſe pollutionem.

XXV. Qui habuit copulam cum ſoluta, ſatisfacit præcepto confeſſionis dicens, [Commiſi cum ſoluta graue peccatum contra caſtitatem, non explicando copulam.

XXVI. Quando litigantes habent pro ſe opiniones æquè probabiles, poteſt Iudex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in fauorem vnius præ alio.

XXVII. Si liber ſit alicuius iunioris, & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtat, reiectam eſſe à Sede Apoſtolica tanquam improbabilem.

XXVIII. Populus non peccat, etiamſi abſque vlla cauſa non recipiat legem à Principe promulgatam.

Quibus peractis; dum ſimilium propoſitionum examini cura, & ſtudium impenditur, interea idem Sanctiſſimus, re maturè conſiderata, ſtatuit, & decreuit prædictas propoſitiones, & vnamquamque ipſarum, vt minimùm tanquam ſcandaloſas eſſe damnandas, & prohibendas, ſicut eas damnat, ac prohibet; ita vt quicumque illas aut coniunctim, aut diuiſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de iis etiam diſputatiuè, publicè, aut priuatim tractauerit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, à qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolui.

Inſuper diſtrictè in virtute ſanctæ obedientiæ & ſub interminatione diuini iudicij prohibet, omnibus Chriſti Fidelibus, cuiuſcumque conditionis, dignitatis, ac ſtatus, etiam ſpeciali, ac ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

IOAN. LVPVS, Sanctæ R. & vniuerſalis Inquiſitionis Notarius, &c.

Anno à Natiuitate Domini N. Ieſu Chriſti M. DC. LXV. indictione tertia, die verò ſecundò menſis Octobris, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris D.N.D. Alexandri diuina prouidentia Papæ VII. anno vndecimo, ſupradictum decretum affixum, & publicatum fuit ad valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Cancellariæ Apoſtolicæ, ac in acie campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Vrbis, per me Carolum Melanum, eiuſdem Sanctiſſimi D.N. Papæ, & Sanctiſſimæ Inquiſitionis curſorem.

Alterum decretum Sanctiſſimi D. N. Alexandi VII.

Feria 5. die 18. Martij 1666. in Congregatione generali Sanctæ Romanæ, & vniuerſalis Inquiſitionis, habita in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis coram Sanctiſſimo D. N. Alexandro diuina prouidentia Papa VII. ac Eminentiſſimis, & Reuerendiſſimis Dominis S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana aduerſus hæreticam prauitatem generalibus Inquiſitoribus à ſancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

Sanctiſſimus D.N. poſt latum decretum die 21. Septembris proximè elapſi, quo vigintiocto propoſitiones damnatæ fuerunt, examinatis ſedulò, & accuratè vſque ad hanc diem infraſcriptis aliis quadrageſimumquintum numerum implentibus, per plures in ſacra Theologia Magiſtros, ac per Eminentiſſimos, & Reuerendiſſimos Dominos Cardinales aduerſus hæreticam prauitatem generales Inquiſitores, eorum ſuffragia ſingillatim ſuper vnaquaque ipſarum audiuit.

In die ieiunij, qui ſæpius modicum quid comedit, etſi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit ieiunium. XXIX.

Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, ſunt excuſati ab obligatione ieiunij, nec debent ſe certificare, an labor ſit compatibilis cum ieiunio. XXX.

Excuſantur abſolutè à præcepto ieiunij omnes illi, qui iter agunt equitando, vtcumque iter agunt, etiamſi iter neceſſarium non ſit, & etiamſi iter vnius diei conficiant. XXXI.

Non eſt euidens, quod conſuetudo non comedendi oua, & lacticinia in Quadrageſima, obliget. XXXII.

Reſtitutio fructuum ob omiſſionem horarum ſuppleri poteſt per quaſcumque eleemoſynas, quas anteà beneficiarius de fructibus ſui beneficij fecerit. XXXIII.

In die Palmarum recitans officium Paſchale, ſatisfacit præcepto. XXXIV.

Vnico officio poteſt quis ſatisfacere duplici præcepto, pro die præſenti, & craſtino. XXXV.

Regulares poſſunt in foro conſcientiæ vti priuilegiis ſuis, quæ ſunt expreſsè reuocata per Concilium Tridentinum. XXXVI.

Indulgentiæ

Digitized by Google

XXXVII. Indulgentiæ conceſſæ Regularibus, & reuocatæ à Paulo V. hodie ſunt reualidatæ.

XXXVIII. Mandatum Tridentini factum Sacerdoti ſacrificanti ex neceſſitate cum peccato mortali, confitendi quamprimùm, eſt conſilium, non præceptum.

XXXIX. Illa particula, *Quam primùm*, intelligitur cùm Sacerdos ſuo tempore confitetur.

XL. Eſt probabilis opinio, quæ dicit, eſſe tantùm veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem, & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus vlterioris, & pollutionis.

XLI. Non eſt obligandus concubinarius ad eiiciendam concubinam, ſi hæc nimis vtilis eſſet ad oblectamentum concubinarij, vulgo *Regalo*, dum deficiente illo, nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficilè inueniretur.

XLII. Licitum eſt mutuanti, aliquid vltra ſortem exigere, ſi ſe obligat ad non repetendam ſortem vſque ad certum tempus.

XLIII. Annuum legatum pro anima relictum non durat pluſquam per decem annos.

XLIV. Quoad forum conſcientiæ reo correcto, eiuſque contumacia ceſſante, ceſſant cenſuræ.

XLV. Libri prohibiti donec expurgentur, poſſunt retineri vſque dum adhibita diligentia corrigantur.

Quibus maturè penſatis idem Sanctiſſimus ſtatuit, ac decreuit, prædictas propoſitiones, & vnamquamque ipſarum, vtminimùm tanquam ſcandaloſas eſſe damnandas, & prohibendas, ſicut eas damnat, & prohibet; ita vt quicumque illas, aut coniunctim, aut diuiſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de iis, etiam diſputatiuè, publicè, aut priuatim tractauerit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, à qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice, abſolui.

Inſuper diſtrictè in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione diuini iudicij prohibet omnibus Chriſti Fidelibus cuiuſcumque conditionis, dignitatis, ac ſtatus, etiam ſpecialis, & ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

IOAN. LVPVS, Sanctæ R. & vniuerſalis Inquiſitionis Notarius, &c.

Anno à Natiuitate D. N. Ieſu Chriſti 1666. Indictione 4. die verò 23. menſis Martij, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris D. N. D. Alexandri diuina prouidentia Papæ VII. anno vndecimo, ſupradictum decretum affixum, & publicatum fuit ad valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Cancellariæ Apoſtolicæ, ac in acie campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Vrbis, per me Carolum Melanum, eiuſdem Sanctiſſimi D. N. Papæ, & Sanctæ Inquiſitionis Curſorem.

***

ARTICVLVS II.

An hæc decreta prodierint immediatè ab Alexandro VII?

QVi decepti ſunt, putantes, decretum de celebratione Miſſarum, & ſtipendiis duplicatis non accipiendis, & aliis ad hunc ſcopum ſpectantibus, non fuiſſe immediatè editum ab Vrbano VIII. ſed ſolùm fuiſſe declarationem Cardinalium, & ideò ſolùm habuiſſe vim opinionis probabilis, eidem deceptioni expoſiti ſunt quoad hoc decretum. Eam æquiuocationem circa decretum Vrbani paſſi ſunt, quia illud in Congregatione Cardinalium fuit expoſitum conſultationi: ſed quia, cùm prædicti Cardinales eam conſultationem retuliſſent Vrbano VIII. ipſe Romanus Pontifex approbauit, & præcepit, vt ſuo nomine tanquam lex vniuerſalis Pontificia proponeretur toti Eccleſiæ, & more ſolito promulgaretur, & ita propoſitum, & promulgatum fuit, certiſſimè conſtat, eam legem immediatè prodiiſſe ab Vrbano VIII. 325. *Decretum de celebratione Miſſarum eſt lex Vrbani VIII. In quo ſteterit æquiuocatio?*

Ea deceptione circa decretum Vrbani VIII. laborauit Acacius March. de Velaſco, putans, eſſe ſententiam Caramuelis; & Petrus de Tapia, vt conſtat *ex cap.* 17. vbi etiam oſtendi, id eſſe certiſſimè falſum: quia in hoc decreto Alexandri VII. damnatur ea propoſitio, quòd ſcilicet poſt decretum Vrbani VIII. licet adhuc duplicatum ſtipendium accipere pro celebratione vnius Miſſæ. Quæ propoſitio damnari non poſſet, ſi decretum Vrbani ſolùm haberet vim opinionis probabilis, aut probabilioris. Remaneret enim probabilis propoſitio oppoſita, neque capax condemnationis, vt ex ibidem dictis euidenter conſtat. 326.

Dicendum ergo eſt, tanquam certiſſimum, quamvis conſultatio de damnabilitate earum quadragintaquinque propoſitionum facta fuerit in Congregatione Inquiſitionis generalis Romanæ; decretum tamen immediatè prodiiſſe ab Alexandro VII. Patet ex tenore decreti. Nam in primis ex proœmio conſtat, ipſum Alexandrum VII. per ſeipſum immediatè commiſiſſe Theologis, & Cardinalibus examen prædictarum propoſitionum, quorum ſententiam ipſe Alexander ab eiſdem ſingillatim audiuit. Ita enim habetur in proœmio primi decreti. [Earumdem opinionum examen pluribus in ſancta Theologia Magiſtris, & deinde Eminentiſſimis, & Reuerendiſſimis Dominis Cardinalibus contra hæreticam prauitatem generalibus Inquiſitoribus *ſeriò commiſit*. Qui tantùm negotij ſtrenuè aggreſſi, eique ſedulò incumbentes, & maturè diſcuſſis vſque ad hanc diem infraſcriptis propoſitionibus, ſuper vnaquaque ipſarum ſuffragia ſua *ſanctitati ſuæ* ſingillatim expoſuerunt.] Et eadem ferè verba habentur in proœmio ſecundi decreti. 327. *Vtrùmque hoc decretum prodiit immediatè ab Alexandro VII.*

Et poſt eas vigintiocto propoſitiones relatas in primo decreto, dicitur Alexander VII. eas damnauiſſe, & prohibuiſſe. Notanda ſunt verba decreti: [*Idem Sanctiſſimus*, re maturè conſiderata, *ſtatuit & decreuit*, prædictas propoſitiones, & vnamquamque ipſarum, vtminimùm tanquam ſcandaloſas eſſe damnandas, & prohibendas, ſicut eas *damnat, ac prohibet.*] Quod idem aſſeritur 328.

in

in ſecundo decreto. Vbi vides, in hoc negotio Cardinales ſolùm egiſſe conſultationem, & ipſum Romanum Pontificem ediſſe decretum. Ex cuius tenore authentico patet etiam, hoc decretum promulgatum eſſe nomine Alexand. VII. ſicut cæteræ leges Romani Pontificis promulgari ſolent. Quare ne minimum quidem veſtigium remanet, vnde oriri poſſit dubitatio, quominùs hoc decretum immediatè à Romano Pontifice prodierit.

ARTICVLVS III.

An hæc decreta ſint Romani Pontificis loquentis ex Cathedra?

329. *Quatuor ſynonima.*

ROmanum Pontificem loqui ex Cathedra, docere Eccleſiam, loqui Eccleſię, & loqui vt Caput Eccleſiæ, quatuor ſunt omninò ſynonima, & eiuſdem prorſus ſignificationis, vt patet ex communi modo loquendi doctorum omnium, à quibus in ſignificatione vocum recedere, errare eſt.

330. *Quid ſit Põtificem loqui ex Cathedra?*

Sed quid eſt, Pontificem loqui ex Cathedra, & vt caput Eccleſiæ? Optimè explicuit P. Valentia 2. 2. *quæſt.* 1. *punct.* 7. §. 39. inquiens: [Tunc verò definite (ſummum Pontificem) vt Eccleſiæ Caput, quando decretum ederet pro vniuerſa Eccleſia, quodque vellet à Fidelibus indubitanter admitti.] Quod idem tradidit P. Suarez contra Regem Angliæ *lib.* 1. *cap.* 6. *num* 15. *&* 16. & P. Granado 2. 2. *controu.* 1. *tract.* 7. *diſp.* 2. *ſect.* 1. *numero* 1. & communiter Doctores.

331. *Hæc decreta ſunt Pontificis loquentis ex Cathedra.*

Hinc manifeſtè patet, hoc decretum eſſe Alexandri VII. loquentis ex Cathedra, docentis Eccleſiam, & vt Capitis Eccleſiæ. Primò. Quia præcepit hoc decretum publicari ſuo nomine, ſicut cæteræ leges vniuerſales promulgantur.

332. Secundò. Tunc enim decernit Romanus Pontifex vt Caput Eccleſiæ, quando decretum edit pro vniuerſa Eccleſia, illudque vult ab omnibus Fidelibus indubitanter admitti: atqui ſic edidit decretum hoc: ergo in eo loquitur è Cathedra, & vt Caput Eccleſiæ. Minor patet. Nam in vltima periodo dicitur: *In virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione diuini iudicij prohibet omnibus Chriſti Fidelibus cuiuſcumque conditionis, dignitatis, ac ſtatus, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima nota dignis*, &c. Item conſtat ex proœmio, vbi dicitur, perniciem ex prædictis propoſitionibus eſſe vniuerſalem, ibi: *Ingens eruptura eſſet Chriſtianæ vitæ corruptela.* Et requiri etiam remedium vniuerſale pro omnibus ouibus ſibi commiſſis, illis verbis: *Vt oues ſibi creditas ab eiuſmodi ſpatioſa, lataque, per quam itur ad perditionem, via pro paſtorali ſollicitudine in rectam ſemitam euocaret.*

333. *Quæ tradit obiter, non docet ex Cathedra.*

Quando autem obiter, & per tranſennam Pontifex aliquid decernit, etiam in materia Fidei, & morum, tunc non loquitur è Cathedra, neque decernit vt Caput Eccleſiæ. Patet. Quia id, quod ita loquitur Pontifex, non intendit à Fidelibus indubitanter admitti. Ideò cùm Nicolaus 1. *cap. A quodam Iudæo, de conſecratione diſt.* 4. dixit, Baptiſmum in nomine Chriſti collatum valere; id quidem non dixit vt Caput Eccleſiæ, quia id dixit obiter, & per tranſennam, cùm ſolùm aſſumpſiſſet definiendum, an Baptiſmus à Iudæo collatus ſit validus.

ARTICVLVS IV.

An hæc decreta ſtatuta ſint ex matura deliberatione?

PRo deciſione quæſtionis ſciendum eſt, eſſe ſententiam aliquorum Doctorum, ſi Romanus Pontifex abſque matura deliberatione decerneret in materia Fidei, & morum, exponi periculo errandi; aut ſaltem non eſſe certum, quod hoc modo haberet infallibilem Diuini Spiritus aſſiſtentiam, eo quòd hæc promiſſa eſt à Chriſto Romanis Pontificibus, dum ad decreta Fidei, & morum prudenti modo procederent. Ita Grauina *in controuerſ. tom.* 2. *part.* 2. *art.* 9. & Arauzo 2. 2. *quæſt.* 1. *art.* 10 *dub.* 5. *num.* 14. & Bordonus *in Tribun. cap.* 5. *quæſt.* 25. *num.* 110. apud Dianam *part.* 11. *tract.* 2. *de Romano Pontifice, reſol.* 5. 334. *An poſſet errare, ſi decerneret abſque matura deliberatione?*

Oppoſitam ſententiam ſuſtinent P. Valentia 2. 2. *quæſt.* 1. *punct.* 7. §. 40. P. Caſtro Palao *tom.* 1. *tract.* 4. *diſp.* 1. *punct.* 5. §. 2. *num.* 12. Bañez 2. 2. *quæſt.* 1. *art.* 10. §. *ad quartum*, & plures alij. 335.

Sed meliùs negant caſus poſſibilitatem P. Suarez *diſp.* 5. *de Fide, ſect.* 8. *num.* 11. P. Granado *tractat.* 7. *de Fide, diſp.* 2. *ſect.* 2. *num.* 13. P. Amicus *tom.* 5. *diſp.* 7. *ſect.* 1. *num.* 30. & tradidit Canus *lib.* 5. *de locis, cap.* 5. *ad* 2. Et P. Tannerus *tom.* 3 *diſp.* 4. *quæſt.* 4. *dub.* 6. *num.* 158. vbi maximè notanda ſunt verba P. Suarij citati: [Solet autem quæri, quid ſit futurum, ſi Pontifex ſine præmiſſa diligentia definiat? Aliqui dicunt, poſſe tunc Pontificem errare, & Eccleſiam poſſe tunc non aſſentiri. Sed hoc periculoſum eſt, quia Eccleſiæ non poterit conſtare, an Pontifex adhibuerit ſufficientem diligentiam, necne; vel relinquetur ſingulorum arbitrio, vt iudicent, an diligentia ſufficiens fuerit. Et ideò meliùs, vt exiſtimo, reſpondetur, non admittendo caſum. Nam Spiritus Sanctus, qui regit Eccleſiam, non permittet Pontificem tam imprudenter definire; & ideò quoties abſolutè definit, credendum eſt ſufficientem diligentiam præmiſiſſe. 336. *Impoſſibile eſt, quod Pontifex decernat abſque deliberatione circa Fidem, vel mores.*

Et hanc ſententiam certiſſimam cenſeo. Etenim articulus A, definitus eſt à Romano Pontifice; & tamen neque ex tenore articuli, neque alio capite (præterquam ex infallibili aſſiſtentia Diuini Spiritus) conſtat, proceſſiſſe Pontificem ex matura deliberatione ad eum definiendum: ergo non conſtat, aſtitiſſe Diuinum Spiritum, ſi hic non aſſiſtit, vbi non eſt matura deliberatio in Pontifice. Ergo non conſtat Eccleſiæ certitudo articuli definiti. Conſequens eſt certiſſimè falſum: ergo & antecedens. Quare, vt optimè notauit P. Tannerus *tom.* 3. *diſp.* 1. *quæſt.* 4. *dub.* 6. *num.* 158. certiſſima adeſt Diuini Spiritus aſſiſtentia ad vnum è duobus: vel ne Pontifex in materia Fidei, & morum aliquid decernat abſque matura deliberatione; vel ne erret, ſi abſque matura deliberatione decreuerit. 337.

Et multò magis reiicienda procul eſt ſententia eorum, qui dicunt, poſſe errare Pontificem in decretis Fidei, & morum, ſi non audiat conſilia Cardinalium, & Theologorum. Nam ſi Pontifex legat in libris Doctorum quidquid Cardinales, & Theologi conſulere poſſunt; ex quo capite fiet maturior deliberatio per hoc, quòd doctrinam Cardinalium, & Theologorum audiat? 338. *Nec poteſt errare, licèt nõ audiat conſilia Cardinalium, vel Theologorum.*

Digitized by Google

339. *Hæc decreta euidéter ſunt ex matura deliberatione.*

Sed ad præſentis deciſionem quæſtionis damus (non concedimus) quòd vera ſit prima ſententia ita vt poſſit errare Pontifex, ſi abſque matura deliberatione decernat: & dicimus manifeſtè conſtare in his decretis, maturiſſima deliberatione vſum. Cùm ex illis conſtet, ſeriò commiſiſſe id examen illarum propoſitionum pluribus in ſanctæ Theologiæ Magiſtris, & Cardinalibus Inquiſitoribus Generalibus; ipſoſque Theologos, & Cardinales id negotium ſtrenue aggreſſos eſſe, eique ſedulò incubuiſſe, & maturè eas propoſitiones diſcuſſiſſe; & ſuper vnaquaque ipſarum ſuffragia ſua Sanctitati ſuæ ſingillatim expoſuiſſe, vt conſtat ex tenore vtriuſque proœmij. Et poſt enumeratas propoſitiones, dicitur in primo decreto: *Idem Sanctiſſimus re maturè conſiderata, ſtatuit, & decreuit, &c.* & ferè eiſdem terminis in ſecundò; ſuper quo articulo nullum dubitationi veſtigium relinquitur.

Articvlvs V.

An hæc decreta ſint declaratoria ſimul, & prohibitoria?

340. *Hæc decreta prohibitoria ſunt.*

Hæc decreta eſſe prohibitoria, ex ipſis terminis patet. Vtitur enim verbo prohibendi. Prohibetq; primò, ne quis prædictas propoſitiones doceat, defendat, edat, aut de iis diſputatiuè publicè, aut priuatim, niſi impugnationis cauſâ, tractet: idque prohibet ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, Romano Pontifici reſeruatæ. Prohibet ſecundò omnibus Chriſti Fidelibus, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

341. *Vtrumque decre tũ obſtringit conſcientias.*

Hanc prohibitionem obſtringere conſcientias, manifeſtum eſt. Nam prohibitio, quæ proponitur ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, qualis eſt prima pars prohibitionis relatæ, ad conſcientiam dirigitur. Item prohibitio, quæ fit *in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione diuini iudicij*; euidenter indicat obligationem conſcientiæ, vt omnes Doctores, nemine diſcrepante, fatentur. Deinde ea decreta reſpicere conſcientiam, patet ex illis verbis proœmij: *In rebus ad conſcientiam pertinentibus modus opinandi irrepſit alienus omninò ab Euangelica ſimplicitate.*

342. *Obſtringit grauiter conſcientias.*

Eam autem obſtringere conſcientias grauiter, non poteſt eſſe dubium, cùm conſtet, materiam omnium earum propoſitionum eſſe grauem, vt per ſingulas diſcurrenti patebit. Et quia conſtat ex prædicto decreto, eas eſſe ſcandaloſas: non autem ſunt abſolutè ſcandaloſæ, nec tales appellantur, quæ in re leui ſcandalum leue afferunt.

343. *Eſt declaratorium.*

Conſtat etiam, hoc decretum eſſe declaratorium. Declaratio enim nihil aliud eſt, quàm manifeſtatio alicuius veritatis, quæ ab aliquibus ignorari, aut in dubium verti poſſet: hæc autem decreta manifeſtant, eas quadragintaquinque opiniones eſſe ſcandaloſas de quo quis dubitare poſſet propter aliquos Theologos aliter cenſentes. Et quidem decreta expreſſo iudicio damnant eas opiniones vt ſcandaloſas: non poteſt autem id fieri, niſi aſſerendo, & manifeſtando, eas eſſe ſcandaloſas: ſicut ſententia, quæ damnat aliquem vt furem, eſt vera ſententia declaratoria criminis.

Expreſſo iudicio damnat eas opiniones.

344. Sed & in alio ſenſu hæc decreta declaratoria ſunt, id eſt, declarationes aliarum legum canonicarum. Damnant enim hæc decreta multas propoſitiones, quæ verſantur in materia iuris canonici: quæ propoſitiones ab aliquibus putabantur probabiles; quia aliter intelligebant leges illas canonicas, aut putabant, illas non obligare. Pontifex ergo, dum damnat eas propoſitiones, manifeſtè declarat, quo ſenſu eiuſmodi leges accipiendæ, & intelligendæ ſint.

Declarat alias leges canonicas.

A plurimis putabatur probabile, Bullam Cœnæ Domini non prohibere abſolutionem à caſibus occultis, nec derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus ſermo eſt. Dum ergo eam opinionem damnat Alexander VII. in eo decreto, expreſsè declarat, Bullam Cœnæ Domini prohibere abſolutionem à caſibus occultis, derogando ei facultati ſynodi Tridentinæ. 345.

Declarat, Bullã Cœnæ prohibere abſolutionem à caſibus occultis.

Eodem modo dum damnat octauam, & nonam propoſitionem, declarat expreſsè, quomodo intelligendum ſit decretum Vrbani VIII. de duplici ſtipendio pro eadem Miſſa nullatenus accipiendo. Nam dum affirmat, falſam eſſe opinionem, quæ aſſerit licitam eſſe acceptionem duplicis ſtipendij poſt decretum Vrbani VIII. ſimul affirmat, & declarat, id decretum Vrbani ad litteram intelligi debere, illudque conſcientiam obſtringere. 346.

Declarat legem Vrbani VIII. de duplici ſtipendio pro vna Miſſa non accipiendo.

Similiter dum damnat propoſitionem duodecimam, aſſerentem, Mendicantes poſſe abſoluere à caſibus Epiſcopo reſeruatis, illam ita damnat, quia ex decretis Pauli V. & Vrbani VIII. (referuntur à P. Pellizario *in Manual. Regul. lib. 6. cap. 2. ſect. 1. num. 4.*) prohibiti ſunt Regulares ab eis abſoluere. Declarat ergo, ea decreta Pauli, & Vrbani ſuam vim retinere, & conſcientias obſtringere, ſaltem quoad hoc punctum. 347.

Declarat decreta circa poteſtate Regularium abſoluendi à caſibus reſeruatis Epiſcopo.

Eodem modo dum damnat tredecimam propoſitionem, aſſerentem, quòd [ſatisfacit Eccleſiæ præcepto annuæ confeſſionis, qui confitetur Regulari Epiſcopo præſentato, ſed ab eo iniuſtè reprobato;] affirmat, prohibitionem Eccleſiæ, quæ vetat, Regulares audire confeſſiones ſæcularium, niſi approbati ſint ab Ordinario, comprehendere hunc caſum iniuſtæ reprobationis: quia qui vnam partem damnat vt falſam, oppoſitam eſſe veram affirmat. Declarat ergo, eam prohibitionem Eccleſiæ ad eum caſum ſe extendere. 348.

Declarat legem, circa approbationem Regularium ad Confeſſiones.

Idem prorſus notabis circa propoſitionem decimamquartam, decimamquintam, vigeſimam, vigeſimamprimam, & vigeſimamtertiam. 349.

Articvlvs VI.

An hæc decreta ſint definitiones Pontificiæ?

Hæc vox *definitio*, quod attinet ad præſens inſtitutũ, dupliciter vſurpatur. Primò pro deciſione, ſeu declaratione articuli Fidei. Et in hoc ſenſu ea decreta non eſſe definitiones, patet. Nam Pontifex in iis decretis non declarat, aliquid eorum eſſe articulum Fidei. Et quidem ſi id declararet tanquam articulum Fidei, verificaretur, credendum eſſe tanquam articulum Fidei, eas propoſitiones eſſe falſas, vnde hæreticus eſſet, qui eas propoſitiones veras aſſereret: atque adeò eæ propoſitiones eſſent hæreticæ. Quis autem audebit aſſerere, eas propoſitiones eſſe hæreticas vi eius decreti, in quo Pontifex dumtaxat illas damnat vt ſcandaloſas? quamvis non dicat, eſſe ſcandaloſas dumtaxat, ſed vtminimùm. 350.

Dupliciter vſurpatur definitio.

Primò pro declaratione articuli Fidei.

Secundò

Digitized by Google

351. *Secundò, quæ declarat aliquid vt certum.*

Secundò vſurpatur ea vox *definitio*, pro qualibet declaratione Pontificis, quam tradit vt omninò certam, & indubitabilem. Itaque cùm Pontifex Summus aliquid in materia doctrinæ decidit vt certum, & abſque periculo errandi, dicitur id definire. Nam *definire, & pro certo decidere*, idem ſunt. Et reuerà eſſe alias definitiones Romanorum Pontificum, præter eas, quæ ſunt declarationes articulorum Fidei, patet ex communi Doctorum ſenſu, penes quos eſt, à quibus deſumenda eſt vſurpatio, & ſignificatio nominum, vt patet *ex diſp.* 12. *num.* 65.

352. *Suarez.* Sic loquitur P. Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. diſp.* 19. *ſect.* 3. *num.* 16. vbi agens de damnatione Clementis VIII. opinionis de abſolutione inter abſentes, ait: [Eſt igitur iam dicta ſententia certa in gradu à Pontifice *definito.*] Et P. *Vaſquez.* Vaſquez *tom.* 4. *in* 3. *part. quæſt.* 91. *art.* 4. *dub.* 2. *num.* 1. de eodem argumento tractans, ait: [Antequam Clemens VIII *definiiſſet*, ac determinaſſet opinandi licentiam circa præſentem controuerſiam,] &c. Et P. Arriaga *tom* 8. *diſp.* 50. *n.* 20. agens de eodem decreto Clement. VIII. ait: [Poſt *deciſionem* Clementis VIII.] &c. *Decidere* autem, & *definire* ſunt termini æquipollẽtes. Et P. Coninck *de Pœnitentia diſp.* 4. *n.* 61. ait: [Iam verò cautiùs hac de re argendum eſt poſt *definitionem* Clementis VIII.] Qui Author *lib* 1. *de actib. ſupernatural. diſp* 6. *n.* 7. agens de decreto Concilij Viennenſis, affirmante, probabiliorem eſſe ſententiam, quòd paruulis in Baptiſmo infundantur habitus ſupernaturales, ait: [Etſi Concilium non definiat eſſe omninò certum, paruulis in Baptiſmo virtutes infundi; tamen *definit*, id eſſe probabilius.] Eodem modo loquitur P. Ripalda *lib.* 6. *de Ente ſupernatur. diſp.* 120. *ſect.* 1. *n.* 3. & P. Caſtro Palao *tom.* 4. *tract.* 23. *punct.* 5. *n.* 7. Deinde definitum eſſe à Romano Pontifice, ſententiam piam de Immaculata Conceptione eſſe magis probabilem, & magis piam, aſſerit P. Ferdinandus de Salazar *tom. de Conceptione, cap.* 43. §. 1. & 4.

Arriaga. Coninck. Ripalda. Caſtro Pal. Salazar.

353. Itaque dum Romanus Pontifex docet Eccleſiam aliquid, in quo errare non poteſt, id quidem docet tanquam omninò certum, vt ex terminis notum eſt. Quod autem docet vt omninò certum, id expreſſe definit, etſi non definiat tanquam articulum Fidei: definire enim, vel decidere, eſt rem tanquam omninò certam declarare. Sunt enim multa omninò certa, in quibus Pontifex errare non poſſit, quamvis non perueniant ad certitudinem articuli Fidei.

354. *Hoc vtrumque decretum eſt definitio Pontificia ſecundo modo.*

His poſitis dicendum eſt, hæc decreta eſſe definitiones Pontificias ſecundo modo. Conſtat. Illud enim Pontifex definit ſecundo modo, quando aliquid declarat, vel affirmat pro certo in materia, in qua errare non poteſt: ſed Alexander VII. affirmat pro certo, eas propoſitiones eſſe ſcandaloſas in materia, in qua errare non poteſt: ergo in illo decreto Pontifex verè definit.

355. Conſequentia eſt legitima. Maior conſtat ex dictis *num.* 351. Minor etiam patet, quia affirmat, eas propoſitiones eſſe ſcandaloſas, cùm tamen illæ verſentur in materia morum: in qua Romanum Pontificem Eccleſiæ loquentem, errare non poſſe, conſtat *ex cap.* 6.

356. Confirmatur. Nam, vt conſtat ex *num.* 352. decretum Clementis VIII. quo affirmauit, opinionem de abſolutione inter abſentes eſſe falſam, temerariam, & ſcandaloſam, fuit definitio Romanæ Cathedræ, quia illud pro certo decidit: ergo cùm Alexander VII. pro certo decidat, eas propoſitiones à ſe damnatas, eſſe ſcandaloſas, dicendum eſt, eam eſſe definitionem.

Nec valet, ſi dicas, ad definitionem formalem requiri, quòd Pontifex dicat, *Definimus, decidimus, declaramus*, vel quid ſimile. Nam 357. verbum *Damnamus*, in materia doctrinæ, in qua Pontifex errare non poteſt, eſt verbum ſimile, & æquiualens. Nam hoc, quòd eſt damnare doctrinam tanquam certò ſcandaloſam, idem eſt, quòd decidere, & declarare, eam ſcandaloſam eſſe.

Articvlvs VII.

Quid ſit propoſitionem eſſe ſcandaloſam.

358. *Quid ſit propoſitio ſcandaloſa.*

PRopoſitio ſcandaloſa in materia doctrinæ illa eſt, *quæ docet aliquid quod præbet aliis occaſionem ruinæ*. Ita ex voce ſcandali ea expoſitio nota eſt, & tradunt expreſsè Mag. Canus *lib.* 12. *de locis capit.* 11. §. *Propoſitionem.* P. Suarez *diſp.* 19. *de Fide*, *ſect.* 2. *numero* 19. P. Granado *tract.* 15. *de Fide*, *diſp.* 4. *numero* 8. P. Petrus Hurtado *diſp.* 81. *de Fide*, §. 50. & 51. P. Caſtro Palao *tom.* 1. *tract.* 4. *diſp.* 3. *punct.* 1. *num.* 8.

359. Seuerior eſt explicatio propoſitionis ſcandaloſæ apud P. Arriaga *diſp.* 20. *de Fide*, *num.* 23. aſſerentis: [Eſt ſcandaloſa, quæ dat occaſionem in materia Fidei errandi, vel malè ſuſpicandi de fide dicentis.] Iuxta quem dicendi modum, dum Pontifex eas quadragintaquinque propoſitiones declarat eſſe ſcandaloſas, declarat, vel eas dare occaſionem errandi in Fide, vel malè ſuſpicandi de fide Authorum, qui eas docuerunt.

360. *Non ſumitur pro ſcandalo paſſiuo, ſed actiuo.*

Sed ſtando mitiori, & communiori expoſitionis propoſitionis ſcandaloſæ ſupra traditæ, notandum eſt, ibi *ſcandalum* non ſumi pro ſcandalo paſſiuo, ſed pro actiuo. Quamvis enim ex Bibliis ſacris vulgari lingua ſcriptis oriatur ſcandalum ignaris; non tamen propterea eorum propoſitiones ſunt ſcandaloſæ: quia ſcandalũ illud eſt paſſiuum ortum ex malignitate, vel ignorantia legẽtium. Quod etiam notauit Canus *lib.* 12. *de locis, cap.* 11. §. *Propoſitionem.* Ait enim: [Non enim hîc ſcandalum more vulgi vſurpamus pro eo, quod aures offendit, quodve fidelis populus horret; ſed pro eo, quod infirmis cauſam ruinæ præſtat, & quod ante Fidelium pedes poſitum, eos facit in illud incurrere, irruere, offendere.]

361. *Quâ ratione ſint ſcandaloſa illa opiniones damnata.*

Hinc patet, in quo ſenſu ſint ſcandaloſæ illæ quadragintaquinque opiniones, quas vt tales damnat, & quas tales eſſe affirmat Sanctiſſimus D. Alexander VII. Sunt enim ſcandaloſæ, quatenus per ſe afferunt cauſam ruinæ Fidelibus. Quod magis patet ex proœmio primi decreti, illis verbis: *Complures opiniones Chriſtianæ diſciplinæ relaxatiuas, & animarum perniciem inferentes.* Conſtat enim, eam doctrinam eſſe per ſe ſcandaloſam, quæ Chriſtianam diſciplinam relaxat, & infert animarum perniciem. Item ex illis verbis: *Quem ſi pro recta regula Fideles in praxi ſequerentur, ingens eruptura eſſet chriſtianæ vitæ corruptela.* Illa enim doctrina includit ſcandalum actiuum, quæ talis eſt, vt ex ea ad praxim deducta erumpat Chriſtianæ vitæ corruptę

Digitized by Google

corruptela. Idem ſignificant ſubſequentia verba: *Ne vnquam temporis viam ſalutis, quam ſuprema veritas Deus, cuius verba in æternum permanent, arctam eſſe definiuit, in animarum pernicem dilatari, ſeu verius peruerti contingeret.* Item & ſubſequentia alia: *Ab eiuſmodi ſpatioſa, lataque, per quam itur ad perditionem, via.* Quæ deſumpta ſunt ex Euangelio Matth. *cap.7. 13. Lata porta, & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem.* Quæ omnia apertè declarant, doctrinam earum propoſitionum talem eſſe, vt ducant ad perditionem. Quo nullum ſcandalum actiuum maius.

362. *Omnis opinio improbabilis, laxa in materia morum, eſt ſcandaloſa.* Pro cuius explicatione maiori ſciendum eſt, omnem opinionem improbabilem poſitiuè, id eſt, certò falſam; & omnem opinionem non probabilem, id eſt, graui fundamento carentem, ſi laxa ſit, id eſt, affirmans partem minùs tutam, & fauentem libertati, eſſe ſcandaloſam, dummodo procedat in materia graui pertinente ad mores. Patet. Peccat enim grauiter, quiſquis in materia graui dirigit conſcientiam ſuam ex opinione certò falſa, aut abſque prudenti, & graui fundamento: ſed doctrina improbabilis poſitiuè, aut negatiuè, ſuadet hominibus dirigere conſcientiam ex ſeipſa, quæ aut certò falſa eſt, aut graui fundamento deſtituta: ergo doctrina improbabilis poſitiuè, aut negatiuè in materia graui pertinente ad mores, ſuadet hominibus id, quod eſt peccatum graue. Hoc eſt, doctrinam eſſe ſcandaloſam: ergo eiuſmodi doctrina ſcandaloſa eſt. Et ne æquiuocationem patiaris, nota, in qualibet quæſtione illam dici opinionem laxam, quæ fauet libertati; illam verò ſtrictam, ſeu ſeueram, quæ fauet obligationi, & præcepto.

363. *Quare nota improbabilitatis non ſit cenſura Theologica?* Hinc colliges, quare verum ſit id, quod notauit P. Petrus Hurt. *diſp.*81.*de Fide*, §.46. nempe quod nota improbabilitatis nõ ſit cenſura Theologica vt etiam notaui *n.*297. Neque enim in vllo Indice Expurgatorio Inquiſitionis ea nota inuenitur. Etenim propoſitio improbabilis, etiam in materia morum, indifferens eſt ad propoſitionem laxam, & ſtrictam. Et quamvis propoſitio improbabilis laxa in materia morum ſcandaloſa ſit, vtpote inducens ad peccatum; tamen improbabilis ſtricta poteſt non eſſe ſcandaloſa, & poteſt contingere, quod non mereatur aliam ex cenſuris Theologicis. Ita ſi quis aſſereret, furtum duorum aſſium vulgaris monetæ æreæ Hiſpanicæ (vulgò *dos quartos*) eſſe peccatum mortale; ea opinio meritò cenſeretur improbabilis, ſaltem negatiuè; tamen ſcandaloſa non eſſet, quia ea non inducit ad peccatum; & fortè non erit digna ea propoſitio cenſura alia Theologica.

Articvlvs VIII.

An hæc cenſura propoſitionis ſcandaloſæ *contineat notam improbalitatis?*

364. *Propoſitiones veræ poſſunt eſſe ſcandaloſæ in quæſtione facti.* PRæmitto primò, poſſe eſſe propoſitiones veras, quæ ſint ſcandaloſæ, nempe in quæſtione facti. Quod notauit Canus *lib.* 12. *de locis, capit.* 11. §. *Propoſitionem*, vbi ait: [Non ſolùm error, ſed ipſa etiam iſthæc veritas, qualiſcumque illa ſit, quæ fortè in his dictis inueniri poteſt, ſcandalum affert idiotis, & infirmis. Non enim ſolùm falſa ſcandalum, faciunt, ſed aliquando etiam vera. [Et paulò ante exempla attulerat, dicens: [Tales illæ ſunt, ſiue commentitiæ fabulæ, ſiue narrationes etiam veræ, quibus monachorum occulta vitia, vel finguntur, vel deteguntur. Id quod ſine dubio ſine imbecillium offendiculo fieri non poteſt.] Et paulò inferiùs: [Sic Eccleſiæ Romanæ abuſus plebi rudi obiicere, atque in vulgus edere, ſcandalum eſt.] Quod idem latè tradit, & probat Saura *in Voto Platonis tract. de Examine doctrinarum, cap.6.* §. *Propoſitio ſcandaloſa.*

Præmitto ſecundò, propoſitionem eſſe poſſe ſcandaloſam, eo quòd æquiuoca ſit: ſi enim duplicem habeat ſenſum, primum quidem ſanum & verum, & à ſuo Authore intentum; alterum verò, vel hæreticum, vel erroneum, vel alio modo damnabilem, quamvis à ſuo Authore non intentum, ſic poterit ſcandalum generare. Tales ſunt propoſitiones aliquæ, quæ in exemplum afferuntur à Cano *loco citato*. 365. *Propoſitio poteſt eſſe ſcandaloſa ratione æquiuocationis.*

Præmitto tertiò, vt conſtat ex *artic. præced. num.* 361. omnes propoſitiones poſitiuè, vel negatiuè improbabiles, laxas in materia morum, eſſe ſcandaloſas. 366.

Quæritur ergo in præſenti, an omnes propoſitiones ſcandaloſæ verſantes in doctrina morum, ſint improbabiles poſitiuè, id eſt, certò falſæ; aut non probabiles, id eſt, graui deſtitutæ fundamento? Et an quoad improbabilitatem aliquid habeant præcipuum, dum à Romano Pontifice docente Eccleſiam damnantur tanquam ſcandaloſæ? 367. *Senſus quæſtionis.*

Dico primò. Omnis propoſitio ſcandaloſa verſans in doctrina morum, eſt non probabilis, atque adeò graui fundamento deſtituta, & conſequenter peccat mortaliter, qui ea vtitur in directione conſcientiæ ſuæ. Et loquor de propoſitione, quæ non ſit æquiuoca, ſed quæ clarè, & cum diſtinctione doctrinam tradit, iuxta ea, quæ dixi *num.* 365. 368. *Opinio ſcandaloſa in materia morum eſt non probabilis.*

Probatur clariſſimè concluſio. Implicat contradictionem, doctrinam eſſe probabilem, prudentique fundamento nitentem; & eam ſimul in ratione doctrinæ moralis ſcandalum, & animæ perniciem generare. Etenim eo ipſo, quod in ratione doctrinæ moralis ſit Scandalizans, non eſt doctrina prudens. Nam doctrina prudens in materia morum eſt illa, quæ mores ſeruat incorruptos: quæ autem ſcandalizat, & animæ perniciem infert, non aliter infert, niſi quatenus mores corrumpit, & ad peccatum inclinat. Ergo eo ipſo, quòd ſcandaloſa ſit, neceſſariò eſt non probabilis. 369.

Maior difficultas eſt, an propoſitio, quæ ſcandaloſa eſt, quatenus verſatur in materia morum, debeat eſſe improbabilis poſitiuè, id eſt certò falſa. Videtur enim ex præciſa ratione *ſcandaloſæ*, non debere eſſe improbabilem poſitiuè. Etenim eo ipſo quod propoſitio laxa verſans in materia morum careat fundamento graui, atque adeò ſit non probabilis, ad peccatum ducit; cùm ſit peccatum mortale dirigere conſcientiam in materia graui ex opinione non probabili, ſiue abſque prudenti fundamento. Ergo ſaluatur, quod ſit ſcandaloſa in hoc, quòd ſit non probabilis: ergo vt ſit ſcandaloſa, non requiritur, quod ſit certò falſa, ſiue poſitiuè improbabilis. 370. *Opinio poteſt eſſe ſcandaloſa, abſque eo quod ſit improbabilis poſitiuè.*

Et confirmatur. Quia propoſitio non probabilis

371. *Propoſitio nō probabilis poteſt eſſe à parte rei vera.*

probabilis poteſt eſſe vera. Nam propoſitio vera, dum later nos fundamentum graue ad illius veritatem promouendam, eſt non probabilis: ergo propoſitio vera, dum later nos fundamentum eius probabile, poteſt eſſe ſcandaloſa, cùm conetur dirigere conſcientiam abſque fundamento probabili. Sed propoſitio vera nunquam poteſt eſſe certò falſa: ergo poteſt dari propoſitio ſcandaloſa, quæ non ſit certò falſa; atque adeò non eſt neceſſe, quòd propoſitio ſcandaloſa ſit improbabilis poſitiuè. Nihilominus.

372. *Quas declarat Pontifex ſcandaloſas, affirmat falſas, & improbabiles.*

Dico ſecundò. Cùm Romanus Pontifex docens Eccleſiam in materia morum, affirmat, doctrinam eſſe ſcandaloſam, conſequenter affirmat, eſſe falſam, & improbabilem poſitiuè. Pro cuius concluſionis intelligentia, nota primò, magnum diſcrimen intercedere inter eam propoſitionem, quæ in materia morum expreſſo iudicio Romani Pontificis loquentis ex Cathedra aſſeritur ſcandaloſa; & inter eam, quæ in ſimili materia cenſetur ſcandaloſa iudicio priuati Doctoris. Etenim id expreſſum iudicium Romani Pontificis habet duo, quibus caret priuati Doctoris iudicium: nempe certitudinem, & perpetuitatem. Certitudinem, quia Romanum Pontificem loquentem Eccleſiæ, errare non poſſe in doctrina morum, certum eſt, vt conſtat *ex cap. 6.* quæ certitudo deficit in iudicio priuati Doctoris.

Cenſura Pontificis habet certitudinem, & perpetuitatem.

373. Item perpetuitatem: nam reliqui Doctores priuati per hanc propoſitionem, *Hæc aſſertio non eſt probabilis*; ſignificant, non adeſſe de præſenti fundamentum graue pro ea aſſertione: & ideò apud illos æquiualet illi; *Hæc eſt aſſertio non habet fundamentum graue dum non apparet aliud fundamentum præter ea, quæ de præſenti afferuntur pro ea.* Et ideò ſic relinquitur locus, vt ſi poſteà apparuerit fundamentum graue, tranſeat aſſertio de non probabili in probabilem. Quod ita de facto contigiſſe, certum eſt: cùm multæ propoſitiones, quæ olim non erant probabiles, iam apparente denuò fundamento graui ſint probabiles. Pontifex verò cum è Cathedra loquitur, & negat probabilitatem opinionis, aut affirmat, eam eſſe ſcandaloſam, id docet, & declarat Eccleſiæ in perpetuum tanquam doctrinam omni tempore ſuſtinendam. Et ideò non dicit ſolùm, quod de præſenti nullum apparet pro ea fundamentum graue, ſed quod nec vnquam apparebit, & quod ſemper pro ſcandaloſa reputanda eſt. Quare relinquis omnimodam deſperationem de probabilitate eius, aut de ablatione ſcandali, quod ſecum importat propoſitio.

Cùm certum eſt in perpetuum, opinionem carere fundamento, ea neceſſariò eſt falſa.

374. *Vbi quis abſque periculo errandi docet, propoſitionem eſſe falſam, illa eſt certò falſa.*

Nota ſecundò, vbi aliquis abſque periculo errandi tradit, propoſitionem eſſe falſam, illa eſt certò falſa. Patet. Nam immunitas à periculo errandi inuoluit certitudinem: vbi enim eſt certitudo, non eſt contingentia errandi: & vbi eſt contingentia errandi, non eſt certitudo. Item vbi excluditur contingentia errandi, adeſt certitudo; & vbi excluditur certitudo, adſtruitur contingentia errandi.

375. *Dupliciter conſideratur propoſitio ſcādaloſa.*

Nota tertiò, dupliciter conſiderari poſſe propoſitionem ſcandaloſam, vel quà ſcandaloſam à parte rei, & ante quamlibet exiſtimationem hominum; vel quà ſcandaloſam, præſuppoſita exiſtimatione hominum. Contingit aliquando, opinionem à parte rei eſſe veram; ſed quia homines ignorant fundamentum graue eius veritatis, fit, quod ea propoſitio non ſit probabilis, cùm abſque fundamento graui nequeat eſſe probabilis. In quo caſu à parte rei non eſt ſcandaloſa, cùm contineat doctrinam à parte rei veram, & licitam, & innoxiam: tamen ſuppoſita hominum exiſtimatione, quæ ad fundamentum veritatis non pertingit, eſt ſcandaloſa, cùm ſuadeat dirigere conſcientiam abſque fundamento graui.

376. *Quam damnat Pontifex vt ſcandaloſam, damnat vt falſam.*

Hinc apertè probatur ſecunda concluſio duplici ex capite. Primò. Cùm Romanus Pontifex loquens ex Cathedra damnat in materia morum expreſſo iudicio propoſitionem aliquam vt ſcandaloſam, damnat illam vt falſam; ſed id iudicium Romani Pontificis in materia morum eſt certum: ergo talis propoſitio euadit certò falſa. Conſequentia eſt euidens, quia quoties iudicium de falſitate propoſitionis eſt certum, propoſitio euadit certò falſa. Quod ampliùs conſtat *ex numero.* 374. Minor verò patet *ex cap. 6.*

377. Maior autem clarè oſtenditur. Nam propoſitio, quam Romana Cathedra in materia morum damnat vt ſcandaloſam à parte rei, non poteſt eſſe vera. Quia ſi à parte rei eſſet vera, à parte rei eſſet licitum eius obiectum, & ſolùm ob ignorantiam eſſet illicitum: ergo Romana Cathedra erraret in materia morum, ſi obiectum à parte rei licitum damnaret vt illicitum. Sed Romana Cathedra errare non poteſt in materia morum: ergo obiectum à parte rei licitum non poteſt damnare vt illicitum. Ergo Romana Cathedra eo ipſo quòd damnet propoſitionem in materia morum vt ſcandaloſam, illa non poteſt eſſe vera à parte rei: ergo eo ipſo quòd damnet illam vt ſcandaloſam, damnat vt falſam.

378. *Quam priuatus Doctor meritò cenſet ſcandaloſam, poteſt eſſe vera.*

Aliud eſt, quando priuatus Doctor cenſet propoſitionem ſcandaloſam: nam ad hoc priuatum iudicium ſufficit, quod pro illa propoſitione ſic notata non appareat vllum graue fundamentum: nam priuatus Doctor capax eſt ignorantiæ (vſurpo latè nomen ignorantiæ pro quolibet defectu ſcientiæ) de eo quod eſt à parte rei. Cùm autem Romana Cathedra non ſit capax ignorantiæ in iudicio expreſſo, quod format in materia morum, ob infallibilem aſſiſtentiam diuini Spiritus in re tam graui; inde eſt, quod dum propoſitionem in materia morum affirmat ſcandaloſam, illa à parte rei non poſſit eſſe vera.

Non quam Pontifex.

379. Confirmatur. Cùm Romana Cathedra damnat propoſitionem vt ſcandaloſam in materia morum, non damnat illam tanquam ſcandaloſam ex præſuppoſita ignorantia hominum, ſed tanquam verè, & à parte rei ſcandaloſam; aliàs erraret in materia morum, ſi obiectum à parte rei licitum, & honeſtum reprobaret vt ſcandaloſum: ſed doctrina, quæ à parte rei eſt ſcandaloſa, non poteſt à parte rei eſſe vera: ergo à parte rei ea doctrina damnata non poteſt eſſe vera. Et cùm id iudicium Romanæ Cathedræ ſit certum, ea propoſitio manet certò falſa.

380. *Quæ certò, & in perpetuum eſt non probabilis, manet certò falſa.*

Secundò. Dum Romanus Pontifex docens Eccleſiam in materia morum, definit, propoſitionem eſſe ſcandaloſam, vi eius oraculi manet certò, & in perpetuũ non probabilis, manet certò, & in perpetuum deſtituta fundamento graui, & cum certa, & omnimoda deſperatione de probabilitate eius: ſed propoſitio, quæ manet certò, & in perpetuum non probabilis, & cùm certa, & omnimoda deſperatione de propobabilitate eius, manet certò falſa, atque adeò improbabilis poſitiuè: ergo propoſitio, quam Romanus Pontifex docens Eccleſiam in materia morum, definit

eſſe ſcandaloſam, manet certò falſa, & improbabilis poſitiuè. Conſequentia patet. Maior conſtat *ex num.* 373.

381. Minor probatur. Nam quando propoſitio à parte rei eſt vera, nullum principium certum obſtat, quominus aliquando aliquod fundamentum graue appareat ad prædictam veritatem promouendam: nam contra veritatem, aut contra fundamentum eius nullum principium certum exiſtere poteſt, quod reuerà certum ſit: ergo quando eſt principium certum contra fundamentum alicuius propoſitionis, talis propoſitio non poteſt eſſe vera: ergo eſt certò falſa. Sed cùm Romanus Pontifex in materia morum iudicio expreſſo affirmat in perpetuum, propoſitionem non eſſe probabilem, id principium certum excludit in perpetuum quodlibet fundamentum graue eius propoſitionis: ergo in eo caſu propoſitio ſic damnata non poteſt eſſe vera: ergo neceſſariò, & certiſſimè eſt falſa.

382. *Quam priuatus Author meritò dicit improbabilem, non poteſt eſſe vera.*

Vbi etiam notandum eſt, cùm Author priuatus dicit, propoſitionem eſſe poſitiuè improbabilem, ſi verum dicit, omninò tollit ſpem, aut formidinem futuræ probabilitatis; atque de improbabili non poſſe propoſitionem tranſire in probabilem. Etenim id aſſerere non poteſt, niſi ex principio certo, cùm improbabile poſitiuè idem ſit, quod certò falſum: principium autem certum, quod cogit ad aſſerendam falſitatem propoſitionis, nullam relinquit formidinem de oppoſito.

383. Rationi autem dubitandi, ante ſecundam concluſionem propoſitæ, reſpondeo ex dictis, quod propoſitio in materia morum ſit ſcandaloſa, ſaluari in hoc præſciſè, quod non ſit probabilis, ſiue in eo, quod careat fundamento graui in exiſtimatione hominum, cùm dirigat conſcientiam ad operandum in materia morum abſque fundamento graui, idque licet ea ſit vera à parte rei. Sed cùm id proueniat ex ignorantia, vel potiùs ex defectu ſcientiæ in materia morum, & ea ignorantia non poſſit cadere in Romanam Cathedram in tali materia, inde eſt, quòd non poſſit Romana Cathedra docere, eam opinionem eſſe ſcandaloſam, quæ à parte rei eſt vera. Et prætereà quoties Romana Cathedra in materia morum affirmat, propoſitionem non eſſe probabilem, virtualiter, ſiue æquiualenter affirmat, eſſe poſitiuè improbabilem, vt conſtat ex dictis. Et ita quamvis dicens ſcandaloſam, ſimul dicat, eam non eſſe probabilem, eo ipſo affirmat, eſſe poſitiuè improbabilem.

384. Ad confirmationem diſtinguo antecedens: propoſitio non probabilis, [quæ talis eſt iudicio Romanæ Cathedræ in materia morum,] poteſt eſſe vera, nego; [quæ talis eſt iudicio priuato,] concedo. Quod patet ex dictis *num.* 372. Diſtinguo etiam conſequens: ergo propoſitio vera dum latet nos fundamentum eius probabile, poteſt eſſe ſcandaloſa [à parte rei,] nego; poteſt eſſe ſcandaloſa, [præſuppoſita exiſtimatione falſa hominum,] concedo. Quando autem Romana Cathedra propoſitionem de doctrina morum damnat vt ſcandaloſam, non nititur in falſa hominum exiſtimatione, ſed in ipſa veritate rei, ex ſecuritate aſſiſtentiæ Spiritus Sancti.

ARTICVLVS IX.

Quotuplici ex capite maneant improbabiles illæ propoſitiones damnatæ in his decretis.

Dico primò. Illæ quadragintaquinque propoſitiones ſunt improbabiles primò ex principiis certis antecedentibus ad decretum Alexandri VII. cum quibus principiis illæ ſunt incompoſſibiles. Probatur. Ideò damnantur vt ſcandaloſæ ab Alexandro VII. quia erant ſcandaloſæ: ergo prius quàm quidquam decerneret Alexander VII. circa illas, eæ erant ſcandaloſæ, atque adeò improbabiles. Sed non poterant eſſe ſcandaloſæ, & improbabiles, niſi opponerentur principiis certis: ergo ante id decretum opponebantur principiis: ſunt ergo improbabiles ex incompoſſibilitate cum principiis certis, antecedenter ad tale decretum. 385. *Illæ opiniones dãnatæ, ſunt improbabiles à principiis certis antecedentibus ad decretum.*

Confirmatur ex initio proœmij decreti prioris, vbi dicitur: *Sanctiſſimus D. N. audiuit, non ſine magno animi ſui mœrore, complures opiniones Chriſtianæ vitæ relaxatiuas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterum ſuſcitari, partim nouiter prodire.* Itaque antecedenter ad decretum id audiuit, & poſteà ita eſſe clarè comperit: ergo antecedenter ad decretum inuenit principia certa, cum quibus prædictæ propoſitiones erant, & ſunt incompoſſibiles. Procedit autem argumentum, ſupponendo, iudicium Romanæ Cathedræ in materia morum eſſe infallibile, vt conſtat ex dictis. 386.

Vberiorem probationem huius aſſertionis daremus, ſi oſtenderemus principia certa, cum quibus prædictæ opiniones damnatæ ſunt incompoſſibiles, quod præſtare non eſſet difficile. Studens tamen breuitati, ab ea tractatione modò abſtineo. Circa aliquas tamen earum id conſtabit ex aliquibus huius voluminis diſputationibus. Circa propoſitionem XI. vide *diſp.* 48. *per totam.* Circa XXIII. propoſitionem vide *diſp.* 21. *cap.* 6. Circa propoſitionem XXVII. vide *diſput.* 11. Circa XXVIII. vide *diſp.* 27. *cap.* 4. Circa trigeſimamſecundam vide *diſp.* 21. *cap.* 5. *art.* 10. Circa trigeſimamquartam vide *diſp.* 31. *cap.* 6. Circa trigeſimamquintam vide *diſp.* 32. *per totam.* Circa quadrageſimamprimam vide *diſp.* 18. *cap.* 12. 387.

Dico ſecundò. Illæ propoſitiones manent improbabiles ſecundò ex præſciſa damnatione Romani Pontificis. Patet ex dictis. Nam ſi non manerent improbabiles ex præſciſa damnatione Romani Pontificis, Romanus Pontifex erraret in doctrina morum: ſed, vt patet *ex cap.* 6. Romanus Pontifex errare non poteſt in doctrina morum: ergo manet improbabilis ex præſciſa damnatione Romani Pontificis. Minor, & conſequentia patent; & maior non minùs conſtat. Nam ſi dum Pontifex declarat, propoſitionem in materia morum eſſe ſcandaloſam, ea reuerà non eſſet ſcandaloſa, damnaret, vtique quod honeſtum eſt, atque adeò in doctrina morum erraret. Rurſus doctrina ſcandaloſa in materia morum includit improbabilitatem, vt conſtat *ex art. præced.* ergo ſi dum doctrinam morum declarat eſſe improbabilem, ea non eſſet improbabilis, erraret in doctrina morum. 388. *Manent etiã improbabiles ex præſciſa damnatione Pontificis.*

Et

Digitized by Google

389. Et hinc iterum ſatisfit ei interrogationi, quam proponit Caramuel verbis relatis ſupra *num.* 34. de quibuſdam propoſitionibus damnatis, vt ipſe ait, à Sacra Cardinalium Congregatione, ex decreto Vrbani VIII. Ait enim: [Si improbabiles, cur? An ob nudam reprobationem? an ob demonſtrationem, quam hodie habemus,] &c. Aio enim (quantum attinet ad rem præſentem) eſſe improbabiles primò ob demonſtrationem, id eſt, ob principium certum, cum quo ſunt incompatibiles. Quod quidem potuit non proponi veteribus vt certum, quamvis reuerà certum ſit. Quod plerumque contigit in multis opinionibus, quas veteres putauerunt probabiles, & hodie improbabiles ſunt. Aio, eſſe improbabiles ſecundò ob nudam reprobationem. Nam reprobatio doctrinæ in materia morum facta à Romano Pontifice loquente Eccleſiæ, eſt principium certiſſimum falſitatis doctrinæ; vnde iſta euadit certiſſimè falſa, vt conſtat ex dictis.

390. *Manent etiā improbabiles ex prohibitione Pontificis.* Dico tertiò. Illæ quadragintaquinque opiniones manent improbabiles tertiò ex prohibitione vſus illarum; quæ improbabilitas eſt conſequens ad decretum: ſicut poſita qualibet lege obſtringente grauiter conſcientiam, conſequenter ad talem legem eſt improbabile, quod liceat exercere actionem prohibitam per talem legem.

391. Concluſio eſt certiſſima ex verbis decreti vtriuſque, in fine: *Diſtrictè in virtute ſanctæ obedientiæ & ſub interminatione diuini iudicij prohibet omnibus Chriſti Fidelibus cuiuſcumque conditionis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.* Ex quibus verbis conſtat primò, illas ita eſſe prohibitas, ac ſi quælibet earum in ſua ſingulari materia prohiberetur. Conſtat ſecundò, prohibitionem eſſe grauiter obligatoriam conſcientiæ, vt patet ex illis verbis: *In virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione diuini iudicij.*

392. Hinc conficitur argumentum. Quoties lex eſt iuſta, obſtringens conſcientias, & in materia graui, improbabile eſt, quod liceat exercere actionem prohibitam per talem legem: ſed leges in his decretis contentæ (plures leges dico æquiualenter, quia ad plures materias terminatur hæc prohibitio) iuſtæ ſunt, & in materia graui, & obſtringunt conſcientias: ergo improbabile eſt, quod liceat exercere actiones prohibitas per tales leges.

393. Probatur minor. Et quod ſint iuſtæ, & in materia graui, clarè conſtat, tum ex eo, quod opiniones oppoſitæ damnantur vt ſcandaloſæ certo Alexandri VII. oraculo: tum etiam, quia diſcurrenti per ſingulas materias earum propoſitionum manifeſtè patebit. Quod autem conſcientias obſtringant, conſtat ex proximè dictis.

394. *Etiamſi eſſent probabiles ante decretum, vi decreti manent improbabiles.* Dico quartò. Etiamſi eſſent probabiles prædictæ opiniones antecedenter ad decretum, virtute huius manent improbabiles. Explico, ſimul & probo concluſionem. Potuit fieri, quòd communi iudicio iuniorum Theologorum non appareret principium certum, cum quo opinio damnata incompoſſibilis eſſet; vel ſaltem quod Theologis id principium cognoſcentibus, illud non proponeretur vt certum; in quo caſu ea opinio eſſet probabilis communi iudicio iuniorum Theologorum. Accedente autem iudicio Romanæ Cathedræ de certitudine illius principij, cùm iudicium in materia morum ſit infallibile, fit, quod iam denuò detur principium certum, quod antea non dabatur, cum quo ſit incompoſſibilis ea opinio. Atqui accedente, & apparente denuò principio certo, cum quo ſit incompoſſibilis opinio, talis opinio manet certò falſa, & poſitiuè improbabilis: ergo licet opinio antecedenter ad decretum eſſet probabilis, vi decreti manet improbabilis.

Nec ſatisfacis, ſi dicas, eſſe probabilem ſententiam, quæ docet, Prælatum non poſſe præcipere in materia probabili: ſi ergo ſupponamus, eas propoſitiones eſſe antecedenter probabiles, non poterit Pontifex eas prohibere. 395. *Euaſio.*

Nam ex duplici capite clariſſimè conuincitur ea reſponſio. Primò. Eſt enim improbabile, quod Prælatus non poſſit prohibere id, quod eſt probabiliter licitum: & alius diuerſus eſt ſenſus ſententiæ affirmantis, non poſſe Prælatum præcipere in materia probabili. Vtrumque enim conſtabit *ex diſp.* 16. 396. *Præcluditur.*

Secundò. Nam aliud eſt, non poſſe præcipere in materia probabili; & aliud eſt, non poſſe tollere probabilitatem opinionis, inueniendo principium certum improbabilitatis. Nam licèt primum verum ſit, non tamen ſecundum; quia hoc inuoluit contradictionem manifeſtam. Et iam oſtendimus, damnationem in his decretis contentam eſſe principium certum improbabilitatis earum opinionum. 397.

ARTICVLVS X.

An ex his decretis colligatur, recentiores Doctores, plus quàm veteres, relaxaſſe conſcientiam?

HVnc articulum inſtituo propter Caramuelem, qui *in Apolog. de Probabilit.* in ipſo operis argumento ait: [Demonſtratur tandem, Theologos ita centum annis vltimis conſtrinxiſſe conſcientias, vt ſi aliis centum eodem impetu pergere permittatur, reddetur difficillima Infidelium conuerſio, & apud ipſos Orthodoxos inconuenientia maxima certiſſimè timeri poterunt.] Idem repetit *in eadem Apolog. num.* 75 *&* 76. & latiùs *à num.* 265. vbi ait: [Dico, Iuniores conſtrinxiſſe conſcientias, & Ethicam ſeueriorem reddidiſſe; & hoc non potero meliùs probare, quam Iuniorum, & Veterum opiniones inter ſe conferendo.] Quod latè proſequitur vſque ad *num.* 278. 398. *Ait Caramuel, iuniores, pluſquam veteres, conſtrinxiſſe conſcientias.*

Idem tradit *in Theologia Intention. n.* 1. *litt. E.* vbi ſic ait: [Peccant in hiſtoriam clariſſimè. Nam opiniones, quæ hodie, aut benignæ, aut laxæ ab illis nominantur, ſunt ſtrictiſſimæ, ſi cum doctrina, quæ ante annos centum erat in Eccleſia, & ſchola, conferantur. Hæ poſitiones: *Diebus ieiunij in collatione octo vnciæ ſumi poſſunt. Eiſdem diebus extra Quadrageſimam oua comedi poſſunt. Diebus Feſtis laborare vna, aut altera hora non eſt mortale. Qui audit vnam Miſſam ab eleuatione ad finem, aliamque ab initio ad eleuationem, præcepto ſatisfacit:* & aliæ ſimiles, quas eſſe probabiles, aſſerunt multi Recentiores, illi qui volunt ſanctiores videri, laxas nominant, & nouitatis appellant. Fatebor eſſe nouas, nam veteres aliter philoſophabantur. Et quid dicebant illi? *Leges omnes Eccleſiæ, niſi per contemptum violentur, non obligare ad peccatum mortale.* Ita ergo opinione veterum, qui die ieiunij cœnaret, carnes etiam in Quadra- 399.

 geſima

geſima comederet, diebus feſtis operaretur tota die, nunquam audiret Miſſam, & hoc abſque contemptu, non peccaret mortaliter. Expreſsè S. Bernardus *lib. de præcepto*] Hucuſque Caramuel, qui alios ſex Authores refert pro ea ſententia, præter quatuor alios, quos citat *in Apolog. de Probabilit. num.* 169. (Bernardum longiſſimè abeſſe ab ea ſententia, alibi oſtendam.)

400. Sed ſi Caramuel hoc diſcurrendi modo demonſtrat, Veteres relaxaſſe, & Recentiores conſtrinxiſſe conſcientias; ego eodem diſcurrendi modo demonſtro propoſitionem oppoſitam, nempe Veteres conſtrinxiſſe, Recentiores relaxaſſe conſcientias; & ſi ipſe demonſtrat, Veteres magis relaxaſſe conſcientias, quàm Recentiores, ſimili arguendi forma demonſtro, Recentiores magis relaxaſſe conſcientias, quàm veteres.

Eodem argumento conuincitur, iuniores plus relaxaſſe.

401. Etenim ſeptem Authores antiqui, Guilielmus Pariſienſis, Angelus, Alenſis, Bonauentura, Raynerius, Innocentius, & Archidiaconus dixerunt, hominem ſtatim ac peccat mortaliter, teneri ad confeſſionem. Ita apud Leandrum à SS. Sacram. *part.* 1. *tract.* 5. *diſp.* 3. *quæſt.* 14. Quæ opinio ſtrictiſſima eſt, quam nullus ex Recentioribus admittit. Imò multò magis ſtricta, & magis ad ſui adimpletionem difficilis, quàm quæ concedit obligationem grauem in omnibus Eccleſiæ præceptis. E contrario verò Authores opinionis tredecimæ damnatæ in priori decreto Alexandri VII. (qui Recentiores ſunt, vt conſtat ex verbis decreti) affirmant, cùm inſtat obligatio confeſſionis annuæ, ſatisfieri præcepto per confeſſionem inualidam. Quæ opinio laxa eſt, libertati fauens.

402. Item vigintiquatuor Authores antiqui, quos refert P. Thomas Sanch. *lib.* 7. *de matrim. diſp.* 52. *num.* 5. aſſerunt, matrimonium eſſe iure naturæ illicitum, & irritum, ſi fiat in gradibus prohibitis *cap.* 18. *Leuitici*. Vide *diſp.* 11. *cap.* 8. *art.* 1. *n.* 153. Quam ſtrictiſſimam ſententiam nullus Recentiorum admittit: ergo Veteres magis conſtringunt conſcientias, quàm Recentiores.

403. Præterea omnes antiqui dixerunt, peccata mortalia dubia, eſſe ex obligatione graui confitenda. Quadraginta Authores refert P. Thomas Sanch. *lib.* 1. *ſum. cap.* 10. *num.* 66. Et tamen non pauci Recentiores dicunt, ea non eſſe ex obligatione confitenda; quos referam *diſp.* 44. *num.* 15. ergo ſtrictiùs opinantur veteres, quàm Recentiores.

404. Deinde ſex Authores Recentiores, quos refert Leander à SS. Sacr. *part.* 1. *tract.* 5. *diſp.* 8. *quæſt.* 33. affirmant, eum qui ſe polluit tactibus profeſſi, non debere explicare in confeſſione circumſtantiam voti. Quod nullus Veterum aſſeruit.

405. Sed quid moror Lectorem, referendo opiniones ſtrictas Veterum, & laxas Recentiorum? Præcipuè cùm multas poſſem implere paginas, ſi id aſſumptum implere vellem. Legat, qui volet, Amadæum Guimenium, apud quem inueniet plurimas opiniones laxiores Recentiorum, quas Veteres non admiſerunt. Notet etiam, opiniones damnatas in his decretis Alexandri VII. maiori ex parte eſſe dumtaxat Recentiorum, vt ex prædicto Amadæo ſatis clarè colligere poterit. Ergo ſi valet diſcurſus Caramuelis, opiniones traditæ à Recentioribus laxiſſimæ ſunt, *ſi cum doctrina, quæ ante annos centum erat in Eccleſia, & ſchola, conferantur.*

406. Sed neque Caramuel demonſtrat aſſumptum, neque ego demonſtraui: peccamus enim ambo in logicam. Etenim olim fuerunt opiniones laxæ, & opiniones ſtrictiſſimæ: & hodie ſunt opiniones laxæ, & opiniones ſtrictiſſimæ. Et ſi conferamus opiniones laxas Veterum cum ſtrictis Recentiorum, videntur Veteres ſuperare modernos in laxitate. Quod ſi opiniones ſtrictas Veterum cum laxis Recentiorum componamus, videntur recentiores in laxitate ſuperare vetuſtas.

His non probatur, iuniores plus relaxaſſe, quàm veteres, neque è conuerſo.

Sed cùm Logica interdicat argumentum affirmatiuum à particulari ad vniuerſale, fit, prauam eſſe conſequentiam, quæ ab aliquibus opinionibus laxis veterum arguit ad hoc, quod ſemper, vel plerumque, aut maiori ex parte illæ ſint laxæ: ſicut etiam praua eſt, cùm contendo ex aliquibus laxis Recentiorum arguere ad hoc, quòd ſemper, vel plerumque, aut maiori ex parte opiniones Recentiorum ſint laxæ. 407.

Nec valet, ſi dicas, plures eſſe opiniones laxas in Veteribus, quàm in Recentioribus. 408.

Primò, Quia argumentum Caramuelis non procedit ſic, ſed ex tribus, aut quatuor laxis opinionibus Veterum comparatis cum ſtrictis Recentiorum, probat laxiores fuiſſe Veteres in opinando, quàm Recentiores; cùm ad id ſit neceſſe probare, fuiſſe plures laxas in Veteribus, quàm in Recentioribus. Secundò. Nam ea reſponſio poſtulat computationem opinionum, quæ diuturno tempore fieri non poterit. Ad hoc enim neceſſe eſt, vt quatuor catalogos facias opinionum, & in primo conſtituas omnes ad vnam laxas opiniones Veterum, in ſecundo omnes opiniones ſtrictas Veterum, in tertio omnes opiniones laxas Recentiorum, in quarto denique omnes opiniones ſtrictas Recentiorum, vt poſteà conferendo binas cum binis, videas vbi maior numerus ſtrictarum, vel maior intenſio reſtrictionis; vbi maior numerus laxarum, vel maior intenſio laxitatis reperiatur. Quod præterquam quod eſt inutile, difficillimum eſt. 409.

Ex his ergo decretis Alexandri VII. ſolùm colligitur (remota comparatione Veterum, & Recentiorum) Authores Recentiores nimium relaxaſſe conſcientias. Tum quia, vt dixi, ferè omnes opiniones in hoc decreto damnatæ, Recentiorum ſunt, neque à Veteribus admiſſæ. Tum etiam quia initio proœmij decreti prioris ſic affirmatur: *Complures opiniones Chriſtianæ diſciplinæ relaxatiuas & animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterum ſuſcitari* (paucæ aliquæ ſunt ex antiquatis) *partim nouiter prodire, & ſummam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excreſcere.* Attende hæc vltima verba, quæ denotant, creſcere in dies laxitatem opinandi. 410.

Sed quia Caramueli oppoſuerunt multi, ipſum docuiſſe opiniones conſcientiæ relaxatiuas, ideò aliquoties cum eis accuſatoribus expoſtulat: & præcipuè *diſp.* 55. *in Regulam S. Bened. reſol.* 7. *numero* 883. his verbis: [Quid intelligatur nomine opinionis laxæ, deberent explicare, facilioris reſponſionis gratiâ. Quia vel opinio laxa nimis eſt idem ac parum probabilis, aut idem ac certa, aut ſummè probabilis, latiſſimos tamen campos aperiens, & ſcrupulos innumeros tollens. Si hoc ſecundum intelligant nomine opinionis laxæ, gaudeo, meam hanc opinionem laxam eſſe. Dummodo enim opinio aut certa ſit, aut probabilis, de benignitate non eſt accuſanda, niſi ſolùm in eorum ſententia, quibus odioſa veritas. Si nomine 411.

Digitized by Google

nomine opinionis laxæ intelligant opinionem improbabilem, eſt aliud,] &c.

412. *Quid ſit opinio relaxatiua conſcientiæ.*

Et reſpondeo, opinionem *nimis laxam*, ſiue *relaxatiuam conſcientiæ*, eſſe illam, quæ cùm ſit improbabilis, vel fundamento careat, vel æquiuocatione, aut ſophiſmate nitatur, vel dubiæ ſit probabilitatis, libertati fauet. Nam ſi ſolido, prudentique probabilitatis fundamento nitatur, non debet dici *nimis laxa*, nec *relaxatiua conſcientiæ*. Sed dolendum eſt, quod multi ſacrum probabilitatis nomen corrumpunt, & ad fundamenta æquiuoca, ſophiſtica, & dubia transferunt; & quidquid luxuriantes ingenij proponunt, volunt dici probabile. An autem inter opiniones Caramuelis aliquæ repetiantur nimis laxæ, non eſt meum definire, ſed potiùs id iudicandum relinquo doctis Lectoribus huius voluminis, qui hanc criſim Theologicam attenta mentis acie perlegerint. Interim vide ſupra *à num.* 318.

ARTICVLVS XI.

An vi decreti antiquetur opinio aſſerentium, leges Pontificias non obligare, niſi poſt promulgationem factam in Diœceſibus?

413. *Probabile fuit, non videre leges Pontificias, donec promulgentur in prouinciis.*

SVppono, fuiſſe probabilem ſententiam, quæ docuit, leges Romani Pontificis non obligare conſcientias extra prouinciam Romanam, niſi in prouinciis, vel diœceſibus, in quibus promulgatæ fuerint. Ita docuerunt Sotus *lib.* 1. *de Iuſt. quæſt.* 1. *art.* 4. Angelus *verb.* lex, *num.* 13. Medina 1. 2. *quæſt.* 90. *art.* 4. *concluſ.* 2. *&* 5. Caietanus *ibid. art.* 4. Carbo *de legib. lib.* 3. *diſp.* 9. Conradus 1. 2. *quæſt.* 90. *art.* 4. *ad* 2. P. Setarius *in Opuſc tom.* 2. *diſp. de legibus, n.* 56. P. Molina *de Iuſt. diſp.* 395. P. Becanus tanquam probabilem 1. 2. *tract.* 3. *cap.* 6. *quæſt.* 6. *num.* 5. P. Layman *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 3. *num.* 6. P. Sà *verb. Lex, num.* 8. & P. Baldellus vt probabilem *lib.* 5 *diſp.* 17. *num.* 5. Homobonus *in Exam. part.* 2. *tract.* 12. *cap.* 3. *quæſt.* 10. *fin.* Solerus *de poteſtate Confeſſoris cap.* 9. *quæſt.* 5. Miranda *in Manuali Prælatorum tom.* 2. *quæſt.* 25. *art* 4. *concluſ.* 5. Victorellus *in notis ad Manuale Nauarri cap.* 25. *num.* 40. Trullench vt probabilem *lib.* 1. *expoſitionis Cruciatæ* §. 7. *cap.* 1. *dub.* 9. vbi præter citatos refert Card. Toletum *cap.* 9. *quæſt.* 5. item apud Dianam *part.* 5. *tract.* 14. *reſol.* 25. Cœleſtinus, Duuallius, Marchantius, & Ioannes Vvigers.

414. Addunt aliqui ex prædictis Authoribus, eam promulgationem in prouinciis, vel diœceſibus requiri, dummodo Pontifex oppoſitum non decernat. Et ita P. Sà *loc. cit.* ait: [Lex Papæ, & Imperatoris, *niſi aliud dicant*, non obligant, niſi poſt duos menſes à publicatione in prouincia, in qua quis eſt.] Et Sotus *cit.* §. *At non de ſummo*, ait: [Crediderim tamen, *niſi Papa aliter ſua lege expreſſerit*, nunquam intendere obligare, niſi à tempore promulgationis in prouincia.] Idem expreſſit Ioannes Vvigers apud Dianam proximè citatum, & alij ex citatis.

415. *Nihil detrahitur authoritati doctorum, ſi opinio antiquetur noua lege.*

Suppono ſecundò, nihil detrahi authoritati Doctorum, ſi aliqua opinio antiquetur ob nouam legem, vel declarationem Principis potentis eam condere. Quia ſi propriè loquendum ſit, addita noua lege, aut declaratione authentica, mutantur circumſtantiæ, in quibus non loquebantur illi Authores: non enim loquebantur de circumſtantia, in qua daretur nouum ius in oppoſitum, ſed potiùs de circumſtantia, in qua illud non daretur. Quod adhuc maiorem vim habet in illis Authoribus, qui illam conditionem expreſſerunt, *Niſi Papa aliter in ſua lege expreſſerit*. Nam ſicut iſtæ duæ propoſitiones non ſibi contradicunt, *Petrus, ſi currit, mouetur: Petrus non mouetur*: ita neque iſtæ; *Leges Pontificiæ non obligant, dum non publicantur in prouincia, niſi Pontifex oppoſitum ſtatuerit: Leges Pontificiæ obligant, etiam non publicatæ in prouincia, ex ſpeciali decreto, ſeu declaratione Pontificis.*

His poſitis (in materia à nemine tacta, & ſaluo doctiorum iudicio) dicendum videtur, vi decreti prioris illam opinionem manere antiquatam, atque adeò iam non eſſe probabile, leges Pontificias amittere vim obligandi, niſi promulgentur in Prouincia, in qua quis eſt. Probatur. Illud eſt improbabile, quod eſt incompatibile cum principio certo: ſed ea opinio incompatibilis eſt cum hoc nouo decreto Alexandri VII. in quo continetur eiuſmodi principium certum: ergo iam ea opinio eſt improbabilis. Maior patet ex ſæpius repetitis. Quidquid enim repugnat principio certo, eſt certò falſum. 416.

Illa opinio vi huius decreti manet antiquata.

Ea opinio incompatibilis eſt cum iudicio Alexandri VII.

Minor oſtenditur. Nam in eo decreto damnatur tanquam ſcandaloſa, & conſequenter tanquam certò falſa hæc propoſitio, quæ eſt octaua: *Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa licitè accipere, applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus ipſimet celebranti correſpondentem: idque poſt decretum Vrbani VIII.* Item nona propoſitio: *Poſt decretũ Vrbani VIII. poteſt Sacerdos, cui Miſſa celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere, collato illi minore ſtipendio, alia parte ſtipendij ſibi retenta.* Item duodecima propoſitio: *Mendicantes poſſunt abſoluere à caſibus Epiſcopis reſeruatis, non obtenta ad id Epiſcoporum facultate.* Quæ propoſitio ideò damnatur, quia oppoſita pars præcepta eſt à Paulo V. & ab Vrbano VIII. in decretis Romæ more ſolito promulgatis: quorum tenorem reperies apud P. Pellizarium *in Manual. Regul. tom.* 1. *tract.* 6. *cap.* 1. *num.* 6. *&* 7. Conſtat autem, eiuſmodi decreta, quibus contrariantur eæ tres opiniones, non eſſe promulgata in ſingulis prouinciis, vel diœceſibus; & Pontificem ad damnationem earum trium opinionum non inquiſiuiſſe, an in omnibus diœceſibus orbis illa decreta fuiſſent promulgata. 417.

Iam verò inde conſtat, eam opinionem, quod lex Pontificia non obligat, donec promulgetur in prouinciis, incompatibilem eſſe cum damnatione prædicta earum opinionum. Etenim damnatio earum propoſitionum ponit tanquam certum, eas leges Pontificias obligare omnes Chriſti Fideles; illa autem opinio ponit, eas leges Pontificias non obligare omnes Chriſti Fideles, vtpote non promulgatas in omnibus prouinciis: ergo ea damnatio incompatibilis eſt cum prædicta opinione. Quod autem prædicta damnatio ſit principium certum, & infallibile, ſatis conſtat ex huc vſque dictis, cùm ſit declaratio Romanæ Cathedræ in materia morum. 418.

Et quidem Authores, qui poſt decretum Vrbani VIII. aſſeruerunt, adhuc licere accipere duplicata ſtipendia, eo nitebantur fundamento, quòd non eſſet decretum in prouinciis extra Romanam promulgatum. Ita Serar. 3. *part. quæſt.* 83. *art.* 1. *dub.* 4. *ad* 6. (apud Amadæum *tract. de ſacrif. Miſſ. propoſ.* 2. *num.* 3.) dicens: [De qua prohibitione 419.

hibitione mihi non conſtat, & multò minùs de publicatione ſufficienti,ad omnes prouincias adſtringendas.]

420. Confirmatur. Nullus Author dixit,nec dicere potuit, leges Pontificias requirere iure naturæ promulgationem in ſingulis prouinciis,ſed ſolùm dicunt Authores,eam eſſe prudentem interpretationem mentis Pontificis, vt clariùs expreſſerunt Authores *num.* 414. citati. Ex quo planè infertur,illas habere vim in ipſis prouinciis, etiamſi in illis non promulgentur authenticè, quando Romanus Pontifex ita conſtituerit. Atqui per hanc damnationem earum trium opinionum,ſatis clarè id conſtituit, declarátque mentem ſuam circa obligationem earum legum,quæ non ſunt in prouinciis promulgatæ: conſtat ergo certò, leges Pontificias obligare in Prouinciis independenter ab eo,quod ſolemniter in Prouinciis promulgentur.

421. Obiectio. Dices. Multa incommoda oriuntur ex eo,quod leges Pontificiæ non promulgentur in prouinciis, quæ enumerant P.Serarius, & P. Molina relati. Quæ quidem probare videntur, quod ſicut promulgatio eſt eſſentialiter requiſita ad obligationem legis, ita etiam promulgatio in ſingulis Prouinciis,vt in ſingulis obliget. Vnde fortè dicet aliquis,id eſſe iure naturæ requiſitum, atque adeò non poſſe Romanum Pontificem oppoſitam concluſionem conſtituere.

422. Solutio prima. Reſpondeo primò: cùm ea incommoda omnia conſiſtant in ipſa ignoratione legis,omnia ea vitari dicendo,legem non obligare in prouinciis, donec certitudine morali ſciatur in prædictis prouinciis promulgatio Romana eius legis. Promulgationem autem legum Pontificiarum ſciri certò in prouinciis,quotidiana experientia compertum eſt,etiamſi in eiſdem prouinciis promulgatio facta non fuerit. Præcipuè cùm certum ſit, eas leges, dum ignorantur,non obligare.

423. Solutio ſecunda. Reſpondeo ſecundò. Cùm ea damnatio illarum trium propoſitionum ſit Regula infallibilis, vtpote verſans in materia morum, vt ex hucuſque dictis manifeſtè conſtat, non licet contra illam rationes probabiles obiicere. Cum non ſint probabiles illæ rationes,quæ militant contra principium certum.

424. *Aliter reſpõdendum cuidam obiectioni,quàm reſpondet Caramuel.* Hinc colliges,quàm aliter iam reſpondendum ſit obiectioni propoſitæ à Caramuele, ac ipſe reſpondet. Nam *in Theolog. fundam. num.* 689. (qui typographi errore eſt 684.) *fund.*23. poſtquam retulit opinionem Dianæ, nempe eſſe probabile, quòd leges Romæ publicatæ, vbique obligent, ſic obiectionem proponit: [Et tu ex harum duarum periodorum doctrina hoc argumentum formas. Probabile eſt, Pontificias leges non aliter obligare, quàm ſi in ſingulis prouinciis, & diœceſibus euulgentur: probabile etiam, eaſdem non incipere obligare, niſi poſt duos menſes à promulgatione numerandos: atqui Curia Romana punit eos, qui prætextu harum opinionum leges Romæ tantùm promulgatas, alibi temerant, etſi nondum illi duo menſes ſint elapſi: ergo puniri poteſt, qui ſequitur opinionem probabilem. Omnia admittet Diana. At quia mihi videtur iniuſtum concedere, talem eſſe Curiam Romanam, quæ certò innocentes puniat (illos enim, qui ſecuti ſunt opinionem probabilem, eſſe probabiliter reos, improbabile eſt) ne ſtylum damnem, aut corrigendum dicam, aliam viam ineo,& facillimè me ab obiectione expedio. Dico igitur primò, leges Pontificias, quæ publicantur Romæ, obligare omnes, ad quorum notitiam illæ venerint, nec requiri, vt in Prouinciis publicentur.Et hæc ſit noſtra theſis. At ex hypotheſi,quod Dianæ opinio ſit probabilis, aio, non videri impoſſibile, eandem rem interdici probabiliter ſub culpa, & certò ſub pœna.Et hoc poſito, dico ſecundò, leges Pontificias, vt primùm promulgantur Romæ, omnes Chriſtianos, ad quorum notitiam venerint, obligare pœnaliter (qui ſi illas violent,caueant, vt ait Diana, pœnas à Iudicibus infligendas:) ſed tamen moraliter,& in foro interiori re non obligaturas, niſi ſint in tua diœceſi iam promulgatæ,& duo integri menſes à promulgatione tranſiuerint. Qua reſolutione,vt vides,& ſtylus Curiæ,& doctrina de probabilitate, & innocentia, quæ negari non poteſt, conciliantur.] Huc vſque Caramuel.

Sed licet pro eo tempore non improbabiliter ita eſſe, exiſtimatum ſit; ſtante tamen hac damnatione earum trium propoſitionum, quas retuli ſuprà *num.* 417. iam id non habet locum. Ex ea enim conſtat, eas leges Vrbani VIII. & Pauli V. obligare in conſcientia; quæ tamen in prouinciis non ſunt authenticè publicatæ. 425.

Quoad id verò,quod additur de duobus menſibus interpoſitis ante obligationem legis, nihil apparet in hoc decreto Alexandri VII. quod ei opinioni contradicat: quidquid ſit, an illa ſit vera, vel falſa. 426.

ARTICVLVS XII.

An virtute decreti antiquata maneat opinio negans,Eccleſiam poſſe præcipere actus internos, etiam mixtos?

COmmuniſſima eſt inter Authores opinio, quæ negat poteſtatem Eccleſiæ ad præcipiendum, vel prohibendum actus internos. Ex quibus multi docent, id intelligendum eſſe de actibus purè internis: nam mixtos ex internis, & externis, quando actus interni ſunt neceſſarij ad aliquod eſſe morale,quod legiſlator poteſt intendere,cadere ſub poteſtatem Eccleſiæ, imò & Reipublicæ ſæcularis, tenent multi Theologi cum P.Suarez *lib.* 4. *de Legib. cap.* 13. *num.* 6. quam ſententiam dicit videri communem Theologorum. Ponit exemplum in lege, quæ præcipit facere contractum validum,ad cuius eſſe morale requiritur intentio ſe obligandi,quæ eſt actus internus, licèt prædicta intentio non requiratur ad extrinſecam prolationem verborum. 427. *Communis opinio negat Eccleſiæ poteſtatẽ in actus internos. Excipiunt multi actus mixtos.*

Hoc tamen non obſtante ſunt Theologi non pauci, qui cenſuerunt, in Eccleſia non eſſe poteſtatem præcipiendi actus internos,niſi ſolùm indirectè, quatenus requiruntur ad præciſam, & abſolutam poſitionem actuum externorum.Ideóque omninò negarunt, poſſe Eccleſiam præcipere actus internos, etiam vt coniunctos per ſe cum actibus externis.Ita D.Thomas,Syluester,Durandus,Ioannes de Medina,Angelus,& Roſella,quos refert, & ſequitur P.Ægidius de Coninck 3. *part. quæſt.*83. *à num.*191. 428.

Dicendum ergo eſt, virtute eius decreti antiquatam manere hanc opinionem, atque adeò iam non eſſe probabilem ſententiam, quæ docet, Eccleſiam carere poteſtate præcipiendi, aut vetandi actus internos, etiam mixtos, & per ſe requiſitos 429. *Opinio, quæ negat poteſtati in actus internos mix.*

Digitized by Google

tos, manet antiquata vi decreti.

quiſitos ad eſſe morale actionum, quod componitur ex internis, & externis.

430. *Non eſt probabile, quae eſt incompoſſibilis cum principio certo.*

Patet eodem modo, atque concluſio præcedentis articuli. Ea enim opinio non manet probabilis, quæ incompoſſibilis eſt cum aliquo principio certo: hæc ita ſe habet virtute huius decreti: ergo eius virtute hæc opinio non manet probabilis. Minor oſtenditur. Nam in hoc decreto damnatur tanquam ſcandaloſa (atque adeò tanquam certò falſa, vt patet *ex art.*8.) propoſitio octaua, nempe: *Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa licitè accipere, applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus, ipſimet celebranti correſpondentem; idque poſt decretum Vrbani VIII.* Atqui cum hac damnatione, quæ ex dictis in hoc capite, eſt regula certiſſima, incompoſſibilis eſt ſententia, quæ negat Eccleſiæ poteſtatem ſupra actus internos mixtos ſupra explicatos: ergo ea eſt incompoſſibilis cum principio certo.

Ea opinio manet antiquata ex damnatione opinionis VIII.

431. Minor probatur primò. Nam ex hac damnatione patet, per decretum Vrbani validè prohiberi, ne quis accipiat duplicatum ſtipendium, *applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus*: in obiecto autem huius prohibitionis euidenter inuoluitur actus internus, cùm applicatio partis ſpecialiſſimæ ſola intentione fiat.

432. *Prohibitio duplicati ſtipēdij pro vna Miſſa, inuoluit prohibitionem actus interni.*

Secundò. Nam prohibitio recipiendi duplicatum ſtipendium, etſi nihil aliud attendatur, manifeſtè inuoluit prohibitionem actus interni. Non enim intelligitur ſtipendium duplicatum, niſi vt ſimul correſpondens vni Miſſæ: nec intelligitur correſpondens vni Miſſæ niſi ex applicatione interna, & intentione Sacerdotis. Itaque ſi à duobus accipias duo ſtipendia, & vnum ſacrificium pro vtroque celebres, duplicatum accipis ſtipendium; & illud ſtipendium eſſe duplicatum, conſiſtit in eo, quod vnum ſacrificium applicetur pro vtroque dante: quod ſine actu interno applicationis inintelligibile eſt.

433. Tertiò. Nam in verbis decreti Vrbani VIII. idem actus internus inuoluitur. Verba decreti ſunt: *Vt abſolutè tot Miſſæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemoſynæ præſcriptæ fuerint.* Et interrogo, an ſi recipias centum ſtipendia à Petro, vt totidem Sacrificia celebres pro eius animæ ſalute, & poſteà celebres centum Miſſas pro anima patris tui, ſatisfeceris decreto Vrbani VIII. Et luce meridiana clarius eſt, te non ſatisfeciſſe: quia cùm decretum iubet, celebrari totidem Miſſas, intelligitur iubere dicendas, non pro qualibet intentione, vt tibi libuerit, ſed determinatè pro intentione donantis ea ſtipendia. Si autem iuberis dicere totidem Miſſas pro intentione donantis, id euidenter continet actum internum applicationis, ſine quo inintelligibile eſt, te celebrare Miſſas pro intentione donantis. Quod adeò clarè conſtat, vt non opus ſit vlterioris probationis, aut explicationis.

434. Vnde fit, quod licet intentio celebrandi pro Petro centum Miſſas, non ſit abſolutè neceſſaria ad ipſa ſacrificia celebranda; eſt tamen neceſſaria ad eſſe morale illius contractus, ſiue quaſi contractus cum Petro iuiti de totidem Miſſis dicendis, quot ſunt ſtipendia. Atque adeò vi huius decreti Alexandri VII. certum manere, quod Eccleſia poteſt præcipere actus internos, ſaltem quando iſti neceſſarij ſunt ad eſſe morale externorum.

435. Quartò. Nam interrogo, an ſatisfaceret ei præcepto Vrbani VIII. qui eas Miſſas celebraret quoad omnem externum actum illarum, ſine intentione conſecrandi? Et euidens eſt, non ſatisfacere: nam qui ſic diceret, nullam Miſſam celebraret. Ergo præcipitur etiam intentio conſecrandi. Sed hæc eſt actus internus: ergo præcipitur actus internus. Atqui ex definitione Alexandri VII. conſtat, decretum Vrbani VIII. eſſe obligatorium conſcientiæ: ergo conſtat poſſe Eccleſiam obſtringere conſcientiam, præcipiendo actum internum, ſaltem quando iſte eſt neceſſarius ad eſſe morale actus externi.

Sed & antiquata manet eadem opinio ex damnatione propoſitionis decimæquartæ, nempe: *Qui facit confeſſionem voluntariè nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ.* Hanc propoſitionem docuerunt multi. Ita Syluester *verb. Confeſſio* 4. *num.* 2. Alenſis 4. *part. quæſt* 77. *memb.* 5. *art.* 7. Gabriel *in* 4. *diſt.* 17. *quæſt.* 1. *art.* 3. *dub. vlt.* Paludanus *ibidem quæſtione* 7. Canus *relect. de pœnit. parte* 5. *fine*, Ledeſma *quæſtione* 8. *art.* 2. Victoria *in ſumma num.* 163. apud Fagundez *lib.* 1. *de ſecundo Eccleſiæ præcepto cap.* 4. *num.* 4. & præter eos Ludouicus de S. Iuan, & Zerolla apud Leandr. à SS. Sacram. *tract.* 5. *de Pœnit. diſp.* 3. *quæſt* 53. & vt probabilem docet Diana *part.* 3. *tract* 4. *reſol.* 120. Eo præcipuè fundamento nixi, quod Eccleſia non poteſt præcipere actum internum: atque adeò præcepto Eccleſiæ ſatisfacit, qui implet quidquid externum eſt in confeſſione, etſi voluntariè omittat actum contritionis, aut propoſitum non peccandi, qui ſunt actus interni. 436. *Manet etiam antiquata ex damnatione opinionis XIV.*

Cùm ergo Alexander VII. damnet eam propoſitionem, manet omninò certum, non ſatisfacere præcepto Eccleſiæ eum, qui facit confeſſionem voluntariè nullam. Cùm hoc autem principio certo non componitur ea opinio negans omninò Eccleſiæ poteſtatem præcipiendi actus internos. Nam iſtæ duæ propoſitiones incompoſſibiles ſunt. Prima: *Eccleſia præcipit confeſſionem validam.* Secunda: *Eccleſia non præcipit confeſſionem cum contritione*, ſiue cum actibus internis. Cùm ergo prima doceatur ex Cathedra ab Alexandro VII. ſecunda, quæ incompoſſibilis eſt cum prima, antiquata manet. 437.

Nec ſatisfacies, ſi dicas, Eccleſiam non imponere præceptum confeſſionis, quod quidem iure diuino inſtitutum eſt: ſed dumtaxat præcipere tempus, quo implendum eſt præceptum diuinum. 438. *Euaſio.*

Nam contrà eſt primò. Vel ſatisfacit præcepto Eccleſiæ, qui facit confeſſionem voluntariè nullam, ſcilicet ſine contritione; vel non ſatisfacit. Si primum, refragaris definitioni Alexandri VII. Si ſecundum: ergo omiſſio contritionis eſt violatio præcepti eccleſiaſtici: ergo præceptum eccleſiaſticum interdicit omiſſionem contritionis, cùm nemo violet præceptum per omiſſionem, niſi omiſſio prohibeatur per præceptum, vel niſi omittendo illud, quod præceptum iubet. 439. *Præcluditur.*

Contrà eſt ſecundò. Nam vel Eccleſia præcipit dumtaxat, quod in hoc tempore facias confeſſionem externam, vel præcipit, quod in hoc tempore facias confeſſionem validam cum omnibus requiſitis internis? Si primum; ergo non violat præceptum Eccleſiæ, qui dumtaxat facit confeſſionem externam, quamvis inualidam: cuius oppoſitum definit Alexander VII. Si ſecundum: ergo præcipit tempus in ordine ad actus internos eliciendos ſimul cum externa confeſſione. 440.

Contrà

441. Contrà eſt tertiò. Nam rempus per ſe non eſt materia præcepti quia tempus præſciſè ſumptum neque eſt operatio hominis,nec cadit ſub eius liberam poteſtatem: ſed materia talis præcepti eſt operatio hominis ſub tali tempore exercenda: ergo dum præcipit tempus confeſſionis validæ, exercendæ cum contritione, præcipit & confeſſionem externam, & ſimul contritionem in tali tempore exercendam: ergo Eccleſia poteſt præcipere actus internos in tali tempore exercendos ſimul cum externis.

CAPVT XXI.

Colligitur ex prædictis decretis vlterior confirmatio doctrinæ traditæ.

442. IN decurſu huius diſputationis clariſſimè oſtendimus contra Caramuelem hæc duo præcipuè: & opiniones à Romana Cathedra damnatas vt ſcandaloſas,vt falſas,&c. manere pro foro interno improbabiles: & eſſe authoritatem in mundo viſibili,nempe in Romana Cathedra,ad ſic damnandum opiniones, quæ olim fuerint probabiles,& quæ tales fuerint reputatæ.

443. *Opiniones ex damnatione Pontificis manere improbabiles, conſtat ex decretis Alexand. VII.*

Iam verò ex his decretis Alexandri VII. denuò confirmatur pars prior. Primò. Tunc opiniones in materia morum manent pro foro interno damnatæ vt certò falſæ,& improbabiles, quando Romanus Pontifex loquens è Cathedra, & ex matura deliberatione, definit, eas opiniones eſſe ſcandaloſas, etiam extra definitionem articuli Fidei: ſed in his decretis Alexander VII. damnat eas opiniones vt ſcandaloſas immediatè per ſeipſum,vt conſtat ex capite præcedenti,*art* 2.& loquens è Cathedra, vt conſtat *ex art* 3. & ex matura deliberatione, vt patet *ex art.* 4. idque definiendo (quamvis extra definitionem articuli Fidei) vt conſtat *ex art.6* ergo prædictæ opiniones manent pro foro interno damnatæ vt certò falſæ,& improbabiles. Ergo certiſſimè falſum eſt, quod non maneant damnatæ pro foro interno.

444. Conſequentia eſt legitima. Minor patet ex locis ibi citatis. Maior autem, qua parte tradit, opiniones, verſantes in materia morum damnatas definitione Pontificis vt ſcandaloſas,manere certò falſas, & improbabiles, ſatis conſtat *ex art.*7. & 8. Qua autem parte tradit, Pontificem Romanum definire quæſtiones in materia morum, etiam extra definitionem articuli Fidei, conſtat apertè *ex cap.6 art.*4.

445. *Cenſura Pōtificis de improbabilitate in materia morum, eſt regula infallibilis.*

Confirmatur ſecundò. Iudicium Romanæ Cathedræ de improbabilitate opinionum in materia morum, eſt regula infallibilis: ſed hoc vtrumque decretum Alexandri VII. eſt iudicium Romanæ Cathedræ de ſcandalo opinionum verſantium in materia morum, atque adeò de improbabilitate earum: ergo hoc vtrumque decretum Alexandri VII. eſt regula infallibilis. Sed ſi illæ opiniones ſic damnatæ in vtroque decreto, manerent adhuc probabiles pro foro interno, id vtrumque decretum non eſſet regula infallibilis; damnatæ enim vt ſcandaloſæ, à parte rei tales non eſſent: ergo illæ opiniones in vtroque decreto damnatæ non manent probabiles pro foro interno.

446. Maior patet *ex cap.6.art.*4. Minor quoad priorem partem patet *ex cap.præced. art.*2.3. & 4. Et quoad poſteriorem de improbabilitate euidenter incluſa in cenſura *ſcandaloſa* in materia morum, patet *ex art.*8. Conſequentia etiam eſt legitima,& duæ aliæ propoſitiones ſubſequutæ, fiunt ex dictis indubitabiles.

Confirmatur tertiò. Si hæ opiniones ſic damnatæ, manent adhuc probabiles, fallit nos Alexander VII. fallit & Chriſtus, qui Romanæ Cathedræ promiſit ſecuritatem non errandi in materia morum. Nam cùm implicet contradictionem, opiniones in materia morum eſſe practicè probabiles pro foro interno, & ſimul ſcandaloſas, & animarum perniciem inferentes; ſi Alexander VII. monet Eccleſiam, eas eſſe ſcandaloſas, & animarum perniciem inferentes, & adhuc ipſæ manent practicè probabiles pro foro interno, vtique fallimur Fideles in materia morum. Cùm ergo impium ſit dicere, fallere Romanam Cathedram in materia morum, fallere Chriſtum, certiſſimè tenendum eſt, eas opiniones non manere pro foro interno practicè probabiles. Vim huius argumenti vide *cap.6.art.*2. 447.

Romana Cathedra nequit fallere in materia morum.

Ideo illæ opiniones damnatæ non manent probabiles.

Confirmatur quartò. Si adhuc pro foro interno,& directione conſcientiæ manet probabilis opinio tertia, quod liceat Epiſcopo abſoluere ab hæreſi occulta, & à caſibus Bullæ Cœnæ occultis,dum illam damnat Alexander VII. vt ſcandaloſam, propoſitionem, quæ docet actum virtutis, damnat vt ſcandaloſam; eſt enim actus virtutis exercere actum pœnitentiæ Sacramentalis ex dictamine hìc & nunc practicè probabili: eſt autem erroneum dicere, quod poteſt Romana Cathedra proſcribere vt ſcandaloſam propoſitionem, quæ docet actum virtutis: ergo illa opinio tertia non manet probabilis pro foro interno, & directione conſcientiæ. Et idem argumentum efformare licet circa opinionem quartam, duodecimam,tredecimam,decimamſextam,& alias eiuſmodi. Vide vberiorem huius argumenti diſcuſſionem *cap.6.art.*3. *in confirmat.*1. item *cap.8.in demonſtratione* 7. 448.

Neque Pontifex damnare vt ſcandaloſum actum virtutis.

Confirmatur quintò. Inde enim vlteriùs infertur,ſi Alexander VII. damnat vt ſcandaloſam propoſitionem, quæ docet actum virtutis, illum tradere errorem Eccleſiæ. Eſt enim error in Fide affirmare,propoſitionem,quæ docet actum virtutis, eſſe ſcandaloſam. Eam autem conſequentiam concedere, quàm impium ſit, quis non videat? Vim huius argumenti videbis *cap.* 6. *art.* 3. *in ſecunda confirmatione.* 449.

Neque docere errorem in Eccleſia.

Poſterior autem pars noſtræ doctrinæ, ſcilicet propoſitiones olim probabiles, damnatione Romanæ Cathedræ amittere probabilitatem, etiam ex hoc decreto planè confirmatur primò. Fuit enim probabilis opinio,quæ docuit, non reuocari in Bulla Cœnæ poteſtatem abſoluendi à caſibus occultis, quam Tridentina Synodus conceſſit Epiſcopis; illam enim docent viginti Authores magni nominis apud P. Thomam Sanch. *lib.* 2. *ſum.cap.*11. *num.*27. vbi pro ea proponit rationes non vulgares: & tamen Alexander VII. definit, illam eſſe ſcandaloſam, & non toleratam à Sacra Congregatione Cardinalium; & conſequenter cùm implicet contradictionem, propoſitionem practicè probabilem pro foro interno, eſſe ſcandaloſam; illa quidem amittit probabilitatem: ergo opiniones olim probabiles,damnatione Romanæ Cathedræ poſſunt amittere probabilitatem pro foro interno. 450.

Opiniones olim probabiles poſſe reddi improbabiles damnatione Pontificis, patet ex hoc decreto.

Fuit probabile, Epiſcopos abſoluere à caſibus occultis Bullæ Cœnæ.

Secundò. Probabilis fuit opinio, quæ docuit, Leges Pontificias non obligare conſcientiam in prouinciis, 451.

Digitized by Google

prouinciis, in quibus non ſunt authenticè promulgatæ, vt conſtat *ex cap. præced. art.* 11. vbi pro ea retuli vigintiduos Authores magni nominis: ea autem vi huius decreti videtur antiquata eſſe, & amiſiſſe probabilitatem, vt dixi *eodem art.* 11. ergo datur authoritas in Romana Cathedra ad tollendam probabilitatem opinionibus olim probabilibus. Et idem eſt de opinione, quam antiquatam eſſe oſtendi *art.* 12.

452. Tertiò. Nam in quæſtionibus iuris humani, interpretationi legis priùs probabili aufert probabilitatem Princeps, dum authenticè declarat, mentem ſuam eſſe longè diuerſam, & tali interpretationi contrariam, vt oſtendi *cap.* 7. *in demonſtratione* 6. Sed in multis opinionibus verſantibus in iure humano ita contingit, quas ideò damnat Alexander VII. quia aliqui putabant, aliquas leges Pontificias ita interpretandas, vt non ligarent conſcientiam; conſequenterque declarat, prædictas leges ita intelligi, vt conſcientias ligent: ergo opinionibus, quæ ab aliquibus putabantur probabiles, Romana Cathedra poteſt auferre probabilitatem. Vide etiam quæ dixi *cap. præced. art.* 5. *à numero* 344.

453. Denique quia dum Alexander VII. in fine vtriuſque decreti prohibet vſum, & praxim earum opinionum, prædicta prohibitione ſtante non eſt probabile, quod illæ poſſint licitè reduci ad praxim: ergo virtute eius prohibitionis amiſerunt probabilitatem.

454. Quod ſi dicas, id quod eſt probabiliter licitum, prohiberi non poſſe, quia Prælatus præcipere non poteſt in materia probabili; eam eſſe manifeſtam æquiuocationem, *diſp.* 16. clariſſimè contra Caramuelem demonſtro.

DISPVTATIO X.

An aliquid eſſe peccatum, probetur ſufficienter probabilibus præmiſſis, an potiùs requirantur euidentes.

CAPVT I.

Sententia Caramuelis, vt ab ipſo proponitur, quam confuſionem pariat? Inde multis impugnationibus impetita.

1. IN *Theologia fundam. n.* 453. *fund.* 11. in præſenti quæſtione ſic aſſerit. [Et quid eſt demonſtrare, rem eſſe illicitam? Demonſtrare, eandem non eſſe probabilem. Olim dum de hac materia diſputarem, ſic dixi. Qui rem aſſerit eſſe illicitam, ad multa tenetur. Primò enim debet oſtendere, rationes, quæ malitiam probant, eſſe demonſtratiuas, ſcilicet realiter, vel moraliter; adeóque tales, quibus ſecundum prudentiam moralem probabilis reſponſio dari nequeat. Secundò debet etiam oſtendere, rationes, quæ bonitatem ſuadeant, ſecundùm moralem prudentiam conſideratas, nequidem probabiles eſſe.]

Aſſerit igitur, vt aliquid dicatur eſſe peccatum, non ſufficere, quod ſit probabilitas de malitia morali operationis, ſed requiri, vt detur certitudo ſaltem moralis de prauitate operis. Fundamentum huius eſt. Nam, vt aliquid ſit peccatum, opus eſt, vt oppoſita pars non ſit probabilis. V. g. vt ſit peccatum quodlibet iuramentum ſub æquiuocatione emiſſum, opus eſt, vt non ſit probabilis ea pars, quæ admittit illud iuramentum vt licitum: ſi enim hæc pars eſt probabilis, licita eſt, cùm omne probabile ſit licitum. Atqui vt oppoſita pars non ſit probabilis, ſcilicet quod illud iuramentum eſt licitum, debet oppoſitum demonſtratiuè probari: probabilitas enim non tollitur per probabilitatem, ſed per certitudinem oppoſiti. Nam ſi quis dicat, *Probabile eſt, iuramentum ſub æquiuocatione emiſſum eſſe licitum:* non contradicitur illi, nec tollitur probabilitas aſſerta in ea propoſitione, ſi alter dicat: *Probabile eſt iuramentum ſub æquiuocatione emiſſum eſſe illicitum.* 2.

Vt aliquid dicatur eſſe peccatum, ait, nõ ſufficere probabilitatem de malitia.

Sed requiri certitudinem ſaltem moralem.

Iuxta quem dicendi modum hoc diſcrimen interiicitur inter licitum, & illicitum. Nam vt oſtendatur aliquid eſſe licitum, ſufficit oſtendere, id eſſe opinionem probabilem: quidquid enim eſt practicè probabile, licitè reducitur ad actum. At verò vt oſtendatur aliquid eſſe illicitum, opus eſt, quod oppoſitum non ſit probabile, atque adeò quod oppoſitum de falſitate certò conuincatur. 3.

Et vt ſit licitum, ſufficere probabilitatem.

Sed niſi hæc ſententia ampliùs explicetur, ea eſt maximæ confuſionis plena. Et ideò illam impugno primò. Probabile eſt, quod non licet abſque mortali variare officium Canonicum, commutando officium feriale in officium nouem lectionum: ergo probabile eſt, quod illud eſt mortaliter illicitum: ergo illicitum rectè probatur rationibus probabilibus: ergo ad probandum aliquid eſſe illicitum non requiruntur rationes euidentes. Omnes conſequentiæ patent, & antecedens probatur. Tum quia quamplurimi Authores ita docent. Tum quia non eſt euidens, quod ſit mortale variare officium, cùm oppoſitum ſit probabile. Tum etiam, quia omne illud eſt probabile, quod ſuadetur rationibus probabilibus: ſed ſunt rationes probabiles, quæ ſuadent eſſe mortaliter illicitam eam variationem officij: ergo probabile eſt, eſſe mortaliter illicitam eam variationem officij. 4.

Impugnatio 1.

Impugno ſecundò, ſupponendo id, quod non poteſt negari, & conſtat ex impugnatione proximè facta, aliquando probabile eſſe, quod aliquid ſit peccatum; alioqui propè infinitas Scriptorum opiniones probabiles reiiceremus tanquam improbabiles. Tum ſic. Si ea doctrina eſſet vera, ſequeretur, quod quando eſt probabile, aliquid eſſe peccatum, illud eſſet ſimul improbabile: implicat, quod ſit ſimul probabile, & improbabile: ergo implicat, quod illicitum debeat eſſe euidenter illicitum. Minor, & conſequentia ſunt euidentes. Probatur maior. Quando probabile eſt, aliquid eſſe peccatum, certum eſt, quod ſi fiat, non committitur peccatum: ergo eſt certò falſum, quod committitur peccatum. Sed certò falſum idem eſt, quod improbabile: ergo quando probabile eſt, quod eſt peccatum, eſt ſimul improbabile, quod eſt peccatum. 5.

Impugnatio 2.

Impugno tertiò. Probabile eſt, quod eſt peccatum, non ieiunare ſutores: ſed non eſt peccatum 6.

Impugnatio 3.

tum (iuxta eam ſententiam) niſi ſit euidenter illicitum: ergo probabile eſt,quod eſt euidenter illicitum. Sed quod probabile eſt, abſolutè dicitur à viro prudente: ergo poteſt abſolutè dici, quod eſt euidenter illicitum,non ieiunare furores: ergo poteſt abſolutè dici,quod eſt improbabile, quod ſit licitum. Hæc conſequentia patet: nam ***certò illicitum***, ***& improbabiliter licitum***, ſunt termini æquipollentes.

7. *Impugnatio 4.* Impugno quartò. Ergo qui probabilius putat, eſſe peccatum mortale variationem officij Canonici,& probabiliori ratione ſuadet,rem improbabilem dicit. Probatur conſequentia. Vt ſit mortale peccatum, iuxta prædictam ſententiam, debet eſſe euidenter mortale: ſed improbabile eſt, quod probabilius mortale ſit euidenter mortale: ergo improbabile eſt, quod probabilius mortale ſit mortale: ergo rem improbabilem dicit, qui dicit eſſe mortale id, quod ſuadet probabiliori ratione eſſe mortale.

8. *Impugnatio 5.* Impugno quintò. Non eſt euidens, variationem officij Canonici eſſe peccatum mortale: ergo, iuxta eam ſententiam, neque eſt probabile, eam variationem eſſe peccatum mortale. Probatur conſequentia. Non eſt probabile, aliquid eſſe peccatum, deficiente aliquo requiſito eſſentiali ad peccatum: ſed, iuxta hanc ſententiam,euidentia,ſiue certitudo moralis eſt requiſitum eſſentiale ad peccatum, & hoc deficit: ergo iuxta hanc ſententiam non eſt probabile, eam variationem eſſe peccatum mortale.

9. *Impugnatio 6.* Impugno ſextò. Non eſt euidens, eſſe peccatum mortale variationem officij Canonici: ergo certum eſt, quod non peccat mortaliter Clericus variando; nam iuxta hanc ſententiam, certum eſt, quod nemo peccat, niſi ſit certum, & euidens peccatum. Ergo non eſt probabile, quod peccet variando officium. Probatur hæc conſequentia. Iſtæ ſunt oppoſitæ: ***Probabile eſt,quod peccat: Certum eſt,quod non peccat***: adeóque nec ſimul veræ eſſe poſſunt. Ergo ſi certum eſt, quod non peccat variando officium, non eſt probabile, quod peccat: vel ſi eſt probabile, quod peccat variando officium, non eſt certum, quod non peccat, qui variat illud.

10. *Impugnatio 7.* Impugno ſeptimò. Ex duabus propoſitionibus contradictoriis, ſi vna eſt certa, altera eſt certò falſa: ſed hæ ſunt contradictoriæ; ***Nullus varians officium Canonicum peccat mortaliter: Aliquis varians officium Canonicum peccat mortaliter***: & prima eſt certa: ergo ſecunda eſt certò falſa. Ergo opinio, quæ aſſerit, eſſe peccatum mortale, variare officium, eſt certò falſa: ergo non eſt probabilis. Quod verò prima illa propoſitio certa ſit, iuxta hanc ſententiam, quam impugnamus, tam eſt manifeſtum, quàm conſtat, nullum peccare, qui ſequitur opinionem probabilem.

⁂

CAPVT II.

Diſtinctione actus directi, & reflexi tollitur præfata concluſio, & ſtatuuntur duæ concluſiones pro vera ſententia.

PRo rei claritate,& præfatæ confuſionis ablatione præmittenda eſt diſtinctio actus directi, 11.
& reflexi, non cuiuſcumque, ſed eius qui verſatur in materia probabilitatis in omnibus opinionibus practicè probabilibus. Verbi gratia in opinione,quæ aſſerit,licitum eſſe abſque mortali variare officium Canonicum, mutando officium feriale in quodlibet officium nouem lectionum,iſte actus: ***Licitum eſt abſque mortali,variare officium Canonicum***,dum procedit ex principiis condiſtinctis à probabilitate, eſt actus directus. Iſtud verò eſt dictamen reflexum, ***Licita eſt abſque mortali variatio officij Canonici, eo quod ſit opinio probabilis***: vel; ***Licitum eſt vti hac opinione probabili variationis officij Canonici***. Primus actus directus eſt probabilis, procedit enim ex principiis probabilibus: ſecundus autem reflexus eſt certus, quia certum eſt,quod poſſumus vti qualibet opinione practicè probabili. Quod quidem intelligendum eſt modo inferiùs explicando.

Actus directus procedit ex principiis condiſtinctis à probabilitate.

Reflexus reſpicit probabilitatem.

Actus directus eſt probabilis, & reflexus eſt certus.

Vt hæc, & dicenda faciliùs percipias, pone 12.
duos intellectus. Primum, qui nullum habeat eiuſmodi actum reflexum,ſed dumtaxat directum in materia prædicta: v. g. ***Licita eſt abſque mortali variatio officij Canonici.*** Secundum, qui actum reflexum habeat de actus directi probabilitate, & dicat; ***Licitum eſt vti quauis opinione probabili***: & in materia ſingulari dicat; ***Licitum eſt vti opinione probabili de variatione officij Canonici.*** Reſpectu primi intellectus nulla eſt certitudo, cùm hæc tota ſit in eo dictamine reflexo; benè tamen reſpectu ſecundi.

Igitur dicendum eſt primò. Actus directus, 13.
qui ex principiis intrinſecis probabilibus affirmat, & probat, aliquid eſſe peccatum, eſt actus prudens, nec repugnans eſſentiæ, aut proprietatibus peccati, etiamſi nihil certitudinis de peccati malitia habeat; atque adeò Theologus poteſt aſſerere, rem eſſe illicitam, quamvis ſolùm afferat rationes probabiles. Hæc concluſio videtur eſſe contra Caram. qui *loco citato* vniuerſaliſſimè, & ſine diſtinctione aſſeruit; ***Qui rem aſſerit eſſe illicitam, debet oſtendere rationes, quæ malitiam probant, eſſe demonſtratiuas.*** Et hanc concluſionem manifeſtè probat prima impugnatio propoſita ***cap. 1.*** quæ demonſtratiua eſt, quam ſic inſtauro. Omne illud poteſt aſſerere homo prudens, quod ſuadet rationibus probabilibus: ſed variationem officij Canonici eſſe peccatum mortale ſuadet rationibus probabilibus: ergo ille poteſt aſſerere, variationem officij Canonici eſſe peccatum mortale; & tamen illud aſſerit ſine ratione demonſtratiua: ergo poteſt quis aſſerere, rem eſſe illicitam ſine ratione demonſtratiua.

Poteſt affirmari peccatum actu directo, ex rationibus tantùm probabilibus.

Imò ipſe Caramuel, quamvis *loco cit.* demon- 14.
ſtrationes petat, ad aſſerendum, rem eſſe illicitam, ipſe tamen ſæpe rationibus probabilibus militat, vt probet, aliquid eſſe peccatum. Reſtrictiones

Digitized by Google

ctiones mentales in æquiuocatione ad vitandum peccatum, illicitas eſſe, probat *fund.* 61. *n.* 1805. idque probat ratione vix probabili, de quo aliàs. Eſſe illicitum audire duas ſimul medietates Miſſæ, dicit eſſe probabilius, & multis probat contra Dianam; & non poteſt eſſe probabilius, niſi ſuadeatur rationibus probabilibus: ergo rationibus probabilibus probat, id eſſe peccatum. Ita *fund.* 31. *num.* 774. & ſic in multis aliis, quæ in eius operibus paſſim reperies.

15. *Poteſt homo peccare, habens cognitionem probabilem malitiæ.*

Imò reipſa poteſt homo peccare, quamvis ſolùm probabiliter cognoſcat malitiam peccati. Primò, ille homo, qui non habet dictamen practicum, quod licet vti opinione probabili (quo dictamine frequentiùs carent homines ignari, qui nec nomen quidem opinionis probabilis intelligunt) & hi qui cum prudenti ratione ſibi perſuadent, aliquid eſſe illicitum, & contra id dictamen operantur, peccant, ſi pro parte oppoſita non occurrat illis fundamentum graue. Secundò, peccat etiam homo probabiliter iudicans, aliquid eſſe peccatum, cùm habet dictamen erroneum, quod non licet vti opinione probabili, vel illicitum eſſe operari contra opinionem probabilem de malitia peccati.

16. *Praua conſequentia.*

Hinc colliges, eam eſſe prauam conſequentiam: *Petrus peccauit: ergo Petrus erat certus de malitia illius peccati*; cùm in prædictis duobus caſibus id conſequens falſificetur.

17. *Cùm vtrimque ſunt rationes probabiles, dictamen reflexum certum demonſtrat non peccari.*

Dicendum eſt ſecundò. Cùm malitia alicuius actionis ſuadetur rationibus probabilibus, & etiam honeſtas moralis eius actionis ſuadetur argumento probabili; tunc accedente dictamine reflexo certo, quod [licitum eſt vti quavis opinione practicè probabili,] ex ſuppoſitione, quod illud ſit probabile, ſit omninò certum, quod non committitur re ipſa peccatum exequendo talem operationem. Et idem eſt, etiamſi nullum detur fundamentum probabile pro malitia talis operationis.

18. Probatur hoc ſyllogiſmo. [Licitum eſt vti quavis opinione, quæ ſupponitur eſſe practicè probabilis: ſed hæc ſupponitur eſſe practicè probabilis: ergo licitum eſt illa vti.] Quæ conſequentia certa eſt, cùm maior, & minor certæ ſint. Nam licèt non ſit certum, hanc opinionem eſſe probabilem; poteſt enim eſſe probabiliter (non euidenter) probabilis: eſt tamen certum, iuxta relationem caſus, quod ſupponitur eſſe probabilis.

19. *Quidquid proponitur vt probabile, eſt hîc, & nunc euidenter probabile.*

Circa quod aduertendum eſt primò, non quidquid practicè probabile eſt, eſſe certò, & euidenter licitum; tamen quidquid ſupponitur, vel proponitur vt practicè probabile, eſt certò, & euidenter licitum. De quo vide infrà *cap.* 7. *art.* 1.

20. *Dummodo proponatur vt practicè probabile.*

Aduertendum eſt ſecundò, cùm dicimus, id quod ſupponitur probabiliter licitum, ex dictamine reflexo eſſe certò, & euidenter licitum; id intelligendum eſſe, dummodò ſupponatur eſſe verum, talem opinionem eſſe probabilem practicè. Primò enim id non intelligitur de ea opinione, quæ dumtaxat ſpeculatiuè eſt probabilis, iuxta dicenda *diſp.* 14. Secundò intelligendum eſt de ea opinione, quæ abſque dubio eſt probabilis: ſunt enim multæ opiniones inter Authores, de quarum probabilitate dubitatur; & quas eſſe improbabiles, multi Doctores affirmant. V.g. poſſe concubinarium abſolui ter, vel quater, non eiecta concubina, cùm poſſit eam eiicere, docuit Ioannes Sancius *in ſelect. diſp.* 10. *n.* 6. Quam ſententiam P. Caſtro Palao citandus infra *diſp.* 18. *cap.* 9. vocat audaciam. Aliàs opiniones fauore concubinatij docet *ibid.* Ioan. Sancius, quas P. Arriaga, Thom. Hurtado, & Prado ibidem citandi aſſerunt improbabiles, & ſcandaloſas. Item multæ opiniones Iuriſtarum circumferuntur in materia immunitatis eccleſiaſticæ, quæ ab omnibus Theologis reprobantur. Quæ propterea opiniones vel improbabiles ſunt, vel (quod idem eſt quoad praxim) dubiæ probabilitatis: nam probabilitas dubia idem eſt, quod dubium practicum, in quo tutiorem partem ſequendam eſſe, apud omnes conſtat.

Sunt opiniones, de quarum probabilitate dubitatur.

Probabilitas dubia in re morali eſt dubium practicum.

21. *Si ſit probabilitas de bonitate actionis, niſi hæc certò excludatur, non ſit peccatum.*

Ex hac ſecunda concluſione inferes, ex ſuppoſitione, quod detur ſententia probabilis de honeſtate operationis, vt aſſeratur actionem eſſe illicitam hîc & nunc, neceſſe eſſe, quod conſtet, eſſe certò, & euidenter illicitam. Quod intellige extra caſum dictaminis erronei, vel defectum dictaminis reflexi, quem propoſui ſuprà *num* 15. Et in hoc corollario conuenio cum Caramuele. Ratio eſt. Nam ſuppoſito quod ſit ſententia probabilis de honeſtate operationis, non poteſt eſſe peccatum, dum homo illi ſententiæ probabili ſe conformat: ergo vt hîc & nunc ſit peccatum, opus eſt, quod illa ſententia non ſit probabilis. Probabilitas autem non tollitur, niſi per argumentum certum, vel euidens: atque adeò in tali caſu non ſit reipſa peccatum, niſi certò conſtet eſſe peccatum. Et hoc prouenit ex hoc dictamine certo, quod licitum eſt accommodare ſe cuilibet opinioni practicè probabili.

CAPVT III.

Duæ aliæ concluſiones firmantur.

22. *Si ſit probabilitas de malitia, non verò de bonitate, ſit peccatum.*

Dicendum eſt tertiò. Vt actio hîc & nunc euadat à parte rei illicita, ſufficit ſi ſint rationes probabiles, quæ ſuadeant malitiam moralem, dummodo nulla ratio probabilis ſit, quæ ſuadeat bonitatem moralem actionis.

23. *Poteſt malitia eſſe probabilis, quin ſit probabilis bonitas actionis.*

Hæc concluſio ſupponit ex *diſp.* 4. poſſe vnam propoſitionem eſſe probabilem, quin oppoſita ſit probabilis. Quare ſupponit, poſſe dumtaxat eſſe probabilem malitiam, & bonitatem moralē eiuſdem actionis eſſe non probabilem, ſiue carere fundamento graui. Quod denuò in materia præſenti facilè oſtendo. Petrus Theologiæ ignarus, ſed bono ingenio præditus, dubitat, an ſit licita actio, quæ ſibi pro hodierna die inſtat. Vt conſcientiæ ſuæ conſulat, Parochum ſuum conſulit, ex fama mediocriter doctum; neque enim de præſenti habet alium, quem conſulat. Parochus aſſeruit, eam operationem eſſe illicitam. Itaque Petrus pro parte affirmante, actionem eſſe illicitam, habet authoritatem ſui Parochi, quam etſi graue fundamentum iudicet, videt tamen eſſe fallibile; & ideò cum formidine aſſentitur ei parti affirmanti. Pro parte autem negante, actionem eſſe illicitam, nullum penitus ei occurrit fundamentum, vtpote homini non Theologo. Ecce in hoc caſu probabiliter iudicat, actionem eſſe illicitam. Pars autem oppoſita non eſt illi probabilis, cùm abſque fundamento graui non poſſit aliquid eſſe probabile.

24. *Non licet regere conſcientiam*

Quod autem Petrus in eo caſu peccet, ſi talem actionem operetur, patet. Etenim ſemper eſt illicitum dirigere conſcientiam ſecundum dicta-

tiam, niſi ſaltem ex dictamine probabili de bonitate actionis.

men, quod non ſit ſaltem probabile de bonitate morali actionis; ſiue ſecundum dictamen, quod careat graui, & prudenti fundamento: ſed in eo caſu non datur dictamen probabile de bonitate morali actionis, cùm nullum detur in Petro fundamentum graue ad illam aſſerendam, vt caſus ipſe ſupponit: ergo in eo caſu illicitum eſt Petro dirigere conſcientiam ex dictamine affirmante bonitatem moralem actionis; atque adeò illicitum eſt Petro talem actionem exercere.

25. Dicendum eſt quartò. In caſu, quo moralis malitia huius actionis ſuadetur probabili ratione, honeſtas autem moralis nullum pro ſe habet fundamentum probabile, ea malitia moralis fit omninò certa, & demonſtrabilis ex hoc dictamine reflexo certo, nempe: [Non licet dirigere conſcientiam per hanc ſententiam non probabilem de bonitate morali actionis.] Itaque ſecluſo hoc dictamine, moralis malitia actionis ſuadetur probabilibus; at eo poſito, ſuadetur argumento certiſſimo.

Cùm datur probabilitas de malitia, non autem de bonitate, malitia fit certa ex dictamine reflexo.

26. Oſtenditur primò concluſio. Etenim duo ſunt modi probandi, aliquam actionem eſſe illicitam. Primus directè, & à principiis intrinſecis. V. g. quando ratione demonſtratiua probo, quamlibet delectationem veneream deliberatè quæſitam, eſſe peccatum mortale, nempe ob periculum labendi in delectationem grauem, practicè inſeparabile à delectatione parua deliberatè quæſita. Secundus reflexè, cùm oſtendo, opinionem de veniali paruitate materiæ in re venerea nullo penitus fundamento niti. Quam fundamenti carentiam demonſtrabo, ſi oſtendero, omnia argumenta, quæ pro ea parte militant, eſſe merè ſophiſtica, aut leuiſſima.

Cùm opinio deſtituitur fundamento graui, peccatum eſt certū.

27. In quo ſecundo caſu euidenter inferri, eiuſmodi paruam delectationem eſſe peccatum mortale, ſic oſtendo. Vt licitè opereris, neceſſe eſt, ad ſecuritatem conſcientiæ, quod opereris vel ſecundum dictamen certum, vel ſecundum opinionem probabilem: ergo ſi operaris ſine dictamine certo, & ſine opinione probabili, quæ dictet, eſſe liberam à mortali eam paruam delectationem, non operaris cum ſecuritate conſcientiæ. Sed ſi demonſtrauero, eam opinionem, ſecundum quam operaris, nullo fundamento niti, demonſtrabo, eam non eſſe probabilem: ergo ſi demonſtrauero, eam opinionem, ſecundum quam operaris, nullo fundamento niti, demonſtrabo, te operari abſque ſecuritate conſcientiæ, & conſequenter te operari illicitè. Demonſtratur ergo ſufficienter, eam delectationem paruam in praxi eſſe peccatum mortale, per hoc quod oſtendatur, opinionem de ea paruitate venialiter illicita, nullo penitus fundamento duci.

28. Itaque certum eſt, quod peccabis, quando non fuerit ſaltem opinio probabilis de honeſtate operationis: ſed ſi demonſtratur, opinionem de honeſtate operationis nullo fundamento niti, demonſtratur vtique, eam non eſſe probabilem: ergo ſi demonſtratur, eam opinionem de honeſtate operationis nullo fundamento niti, vtique demonſtratur, & certum relinquitur, quod peccabis. Et nota (ad vitandam æquiuocationem) nos in præſenti loqui de malitia, & bonitate contradictoriis, qualiter ſignificantur per has propoſitiones; *Iſta actio eſt mala: Iſta actio non eſt mala:* non verò de bonitate, & malitia contrariis, inter quas mediat actus indifferens.

Oſtenditur ſecundò concluſio. Ille actus eſt certò malus, à quo tollitur probabilitas bonitatis contradictoriæ: ſed in caſu, quo malitia ſuadetur rationibus probabilibus (imò leuibus, vel nullis) & bonitas illi contradictoria caret fundamento probabili, à tali bonitate tollitur probabilitas: ergo in eo caſu talis actus eſt certò malus. Maior patet, quia vbi tollitur probabilitas bonitatis, tollitur dictamen probabile, quod requiritur neceſſariò ad directionem conſcientiæ, vbi etiam dictamen certum abeſſe ſupponitur. Vbi autem quis operatur abſque dictamine ſaltem probabili, certò peccat. 29.

Peccatum eſt certum, vbi tollitur probabilitas bonitatis.

Minor autem probatur. Nam probabilitas non tollitur ſolùm per euidentiam, aut certitudinem partis oppoſitæ, ſed etiam tollitur per defectum fundamenti grauis; cùm implicet contradictionem, aliquam concluſionem eſſe probabilem, & eam carere fundamento graui: ergo ſi bonitas actionis oſtenditur carere fundamento, vtique aufertur illi probabilitas. 30.

Non tollitur ſolùm probabilitas per certitudinē partis oppoſitæ.

Sed etiam per defectum fundamenti grauis.

Itaque in materia ſpeculatiua, quamuis ex duabus partibus contradictoriis vna maneat non probabilis, non propterea oppoſita manet certa, aut euidens. Patet. Iſta enim propoſitio, *Crines Adami fuerunt rubri*; non eſt probabilis, quia non habet graue fundamentum: & tamen oppoſita, *Crines Adami non fuerunt rubri*, non eſt euidens, nec certa. In materia autem practica ad ad conſcientiam ſpectante, ſi non ſit probabile, quod actio eſt licita, ſit certum, quod eſt illicita: non quidem directè; nam ſic eodem modo ſe habet ſicut materia ſpeculatiua: ſed ex dictamine reflexo certo, nempe: [Illicitum eſt dirigere conſcientiam abſque dictamine certo, aut probabili;] vel, [Illicitum eſt exercere hanc actionem abſque dictamine ſaltem probabili, præſcribente actionem eſſe licitam.] 31.

In materia ſpeculatiua, pars non probabilis non manet certò falſa.

Bene tamen in materia practica, ex dictamine reflexo.

Et nota, hoc idem contingere in dubio practico. Verbi gratia an hîc, & nunc ſit licitum emere hoc pallium à Petro. Ideò enim tutior pars eſt eligenda, quia in eo dubio practico non occurrit mihi dictamen practicum, ſaltem probabile, præſcribens eſſe licitam emptionem. 32.

In dubio practico peccatū eſt certum ex dictamine reflexo.

Hinc infertur pro multis quæſtionibus moralibus, quomodo indirectè, ſeu reflexè demonſtretur concluſio, quamuis ea non probetur euidenter à principiis intrinſecis directis. *Diſput.* 45. oſtendo apertè, falſam eſſe ſententiam, quæ docet, certum de peccato mortali, & dubium de confeſſione eius, teneri obligatione graui ad illud confitendum. Oſtendo item, fundamenta partis oppoſitæ ſophiſtica eſſe, & leuiſſima. Et ex hoc ſecundo capite demonſtratur reflexè falſitas partis oppoſitæ. Quia ſi nullum graue fundamentum ſuffragatur parti aſſerenti, eſſe licitam omiſſionem eius confeſſionis, illa non eſt probabilis. Et ex concluſione quarta patet, ſi non eſt probabile, licitam eſſe omiſſionem eius confeſſionis, manere certum, & demonſtratum, quod ſit grauiter illicita omiſſio eius confeſſionis. 33.

Peccatum fit certum, quāuis non demonſtretur principiis directis.

Sed etiam *diſp.* 31. oſtendo, nullo fundamento niti ſententiam Caramuelis, quæ docet, materiam paruam eſſe eam, quæ eſt minor octaua parte. Hinc demonſtratur pars negatiua, quod [Materia parua non eſt ea, quæ eſt minor octaua parte;] quia ſi nullo fundamento ducitur pars affirmatiua, illa non eſt probabilis: & ſi non eſt probabile, 34.

Digitized by Google

bile, quod ſit licitum vti ea ſententia, deficiente dictamine probabili ad eam exercendam, manet certiſſimum, quod peccat, qui ea vtitur. Et ſic in multis aliis quæſtionibus, quas in decurſu huius voluminis reperies.

CAPVT IV.

Colliguntur aliqua pro faciliori argumentorum ſolutione.

35. *Opinio poteſt eſſe probabilis vi actus directi, & certa vi reflexi.*

COlligitur primò, poſſe aliquam propoſitionem eſſe probabilem ex vi actus directi, & ex vi actus reflexi eſſe certam. Nam cùm actus concluſionis ex diuerſis motiuis poſſit eſſe probabilis, & certus; probabilis ex motiuo probabili, & certus ex motiuo certo; & actus directus poſſit habere motiuum probabile, & reflexus motiuum certum; non eſt in hoc ſpecialis difficultas. Adhuc tamen id explicandum eſt iuxta dicenda infra *num...*

36. *Opinio poteſt eſſe probabilis vi actus directi, & improbabilis vi reflexi.*

Colligitur ſecundò, poſſe aliquam propoſitionem eſſe probabilem ratione actus directi, & eſſe improbabilem ratione dictaminis reflexi. V. g. hæc propoſitio; *Illicitum eſt variare Officium Canonicum*, probabilis eſt, quia ſunt rationes graues, quæ ſuadent id eſſe peccatum mortale. Deinde improbabilis eſt, quatenus eſt improbabile, quod non licet vti opinione probabili in variatione Officij Canonici; cùm ſit certum, quod licet vti opinione probabili in quauis materia.

37. Dices. Probabile, & improbabile ſunt contraria, adeoque non poſſunt componi in eadem propoſitione, etiam ratione diuerſorum motiuorum. Omnes enim admittunt, quod eadem concluſio poſſit eſſe certa, & probabilis ratione diuerſorum motiuorum: at quod vna concluſio ſit probabilis, & certò falſa, ſiue improbabilis, etiam ratione diuerſorum motiuorum, & nemo admittit, & contradictionem inuoluit.

38. *Quomodo vna propoſitio poſſit eſſe probabilis, & improbabilis, ſub actu directo, & reflexo?*

Pro cuius elucidatione aduerte, quamvis illa videatur eſſe vna propoſitio, non eſt vnica, ſed duplex valde diuerſa; vna enim eſt actus directus, & altera actus reflexus. Etenim actus directus, & reflexus non reſpiciunt idem obiectum: & licèt vna propoſitio hypothetica copulatiua poſſit reſpicere duo obiecta diuerſa; eas tamen pro re præſenti duas propoſitiones categoricas dicimus: vel non eſſe inconueniens, quod vna copulatiua ratione vnius obiecti ſit vera, & certa, & ratione alterius ſit falſa, & improbabilis.

39. Itaque iſta propoſitio, *Illicitum eſt mortaliter variare officium Canonicum*; vt actus directus eſt, reſpicit ipſam variationem officij Canonici in ſe immediatè vt illicitam. At verò vt actus reflexus eſt, reſpicit probabilitatem variationis officij reflexè, & reddit hunc ſenſum: *Non eſt licita abſque mortali variatio officij Canonici, etiam vt probabilibus rationibus fulta.* Quo pacto eſt improbabilis, quia improbabile eſt, non eſſe licitum ſequi opinionem probabilem, cùm certum ſit hoc dictamen reflexum, quod liceat ſequi quamuis opinionem probabilem.

40. Quod ſimiliter reperies in iſta propoſitione; *Licitum eſt abſque mortali variare officium Canonicum.* Nam vt eſt actus directus reſpicit variationem Officij vt licitam abſque mortali, propter rationes graues condiſtinctas à probabilitate reflexè cognita. Et vt actus reflexus, reſpicit variationem Officij vt fulcitam formaliter probabilitate affirmata. Et ita primo modo eſt probabilis, & ſecundo modo poteſt eſſe certa, ſcilicet vt procedens à dictamine reflexo, quod licet quæuis opinio probabilis. Quod intellige iuxta ſupradicta *num.* 19. & infra *cap.* 7. *art.* 1.

CAPVT V.

Soluuntur argumenta propoſita capite primo.

AD primum argumentum reſpondetur diſtinguendo antecedens. Probabile eſt, quod *non licet variare officium Canonicum*, [vt eſt dictamen directum,] concedo; [vt eſt dictamen reflexum,] nego. Nam, vt conſtat *ex num* 38. *&* 39. iſte actus, vt innixus ſuis rationibus intrinſecis condiſtinctis à probabilitate, eſt actus directus, & ſic probabilis. At verò vt aſſerens non licere vti opinione probabili variationis officij eſt reflexus, & ſic non eſt probabilis. Et eadem diſtinctione admittendæ, & reſpuendæ ſunt omnes conſequentiæ ſubſumptæ. 41. *Probabile ratione actus directi eſt certum ratione reflexi.*

Ad ſecundum diſtinguo Maiorem: ſequetetur, quod quando eſt probabile, aliquid eſſe peccatum, [ratione dictaminis directi,] eſſet ſimul improbabile [ratione dictaminis directi,] nego; quod quando eſt probabile, aliquid eſſe peccatum [ratione dictaminis directi,] eſſet ſimul improbabile, [ratione dictaminis reflexi,] concedo. Nam, vt conſtat *ex cap* 4. *corollario ſecundo*, non repugnat, vnam propoſitionem eſſe probabilem, quà actus directus eſt, & improbabilem, quà actus reflexus. Vnde etiam conſtat, non eſſe vnam, ſed duas propoſitiones diuerſas. Ad probationem maioris ſimiliter diſtingue antecedens. Quando probabile eſt, aliquid eſſe peccatum, certum eſt [ratione dictaminis directi] quod ſi fiat, non committetur peccatum, nega; certum eſt [ratione dictaminis reflexi] quod ſi fiat, non committetur peccatum, concede. Et ſimili diſtinctione negandum, & concedendum eſt conſequens. Quod patet ex dictis. 42. *Probabile ratione actus directi, eſt improbabile ratione reflexi.*

Ad tertium concedo maiorem, ſcilicet, probabile eſſe, quod eſt peccatum, non ieiunare ſutores, intellectum ex vi dictaminis directi. Minorem diſtinguo. Sed non eſt peccatum [ex vi dictaminis directi,] niſi ſit euidenter illicitum, nego: non eſt peccatum [ex vi dictaminis reflexi,] niſi ſit euidenter illicitum, concedo. Itaque ex vi dictaminis directi, & ex principiis intrinſecis probabile eſt, quod eſt peccatum, non ieiunare ſutores. At cùm ſit dictamen reflexum certum, neminem peccare, qui ſequitur opinionem ſibi propoſitam vt practicè probabilem; ſequitur ex hoc dictamine, certum eſſe non peccare ſutores, qui non ieiunant, dum ſibi vt probabile proponitur, deficere obligationem ieiunandi; quamvis non ieiunium directè ſit probabiliter peccatum. Si autem non eſſet probabilis opinio, quod ſutores non peccant omittendo ieiunium, ex dictamine reflexo certo, quod non licet regere conſcientiam niſi ſecundum opinionem ſaltem practicè probabilem, inferretur fore euidenter illicitum, quod ſutores ieiunium omitterent. 43. *Vi actus directi eſt peccatum, quod non eſt euidenter illicitum.*

44. Ad quartum nego conſequentiam, quod qui probabilius putat, eſſe peccatum mortale variationem Officij Canonici, rem improbabilem dicat. Ad probationem eodem modo diſtinguo maiorem: vt ſit mortale peccatum [ex vi dictaminis directi,] debet eſſe euidenter mortale, nego; vt ſit peccatum mortale [ex vi eius dictaminis reflexi certi,] debet eſſe euidenter mortale, concedo. Similiter diſtinguo minorem: Improbabile eſt, quod probabilius mortale, [ex vi dictaminis directi,] ſit euidenter mortale, [ex vi dictaminis reflexi,] nego; improbabile eſt, quod probabilius mortale, [ex vi dictaminis directi] ſit euidenter mortale [ex vi eiuſdem dictaminis directi;] concedo.

45. *Non eſt requiſitum eſſentiale ad peccatũ, quod ſit euidenter illicitum.*

Ad quintum, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam. Ad probationem concedo maiorem, ſcilicet non eſſe probabile, aliquid eſſe peccatum, deficiente aliquo requiſito eſſentiali ad peccatum. Sed nego minorem, quod ſit requiſitum eſſentiale ad peccatum, eſſe euidenter illicitum. Cùm enim vi dictaminis directi, & ex principiis intrinſecis optimè intelligatur aliquid eſſe peccatum, ſine eo quod ſit euidenter illicitum, dicendum eſt, eam certitudinem non eſſe requiſitum eſſentiale ad peccatum.

46. *Vi actus reflexi eſt certum, quod non peccat mortaliter qui variat officium.*

Ad ſextum, concedo antecedens, nempe quod non ſit euidens, eſſe peccatum mortale variationem Officij Canonici. Et diſtinguo conſequens: ergo certum eſt [ex vi dictaminis directi,] quod non peccat mortaliter Clericus variando Officium, nego: ergo certum eſt [ex vi dictaminis reflexi,] quod non peccat mortaliter Clericus variando Officium, concedo. Et ſimiliter diſtinguenda eſt propoſitio ſubiuncta, & ſubſequutum conſequens. Ad probationem conſequentiæ dic, iſtas propoſitiones, *Probabile eſt quod peccat mortaliter: Certum eſt, quod non peccat mortaliter*; non eſſe oppoſitas, ſi prima loquatur de probabilitate habita ex vi dictaminis directi, & ſecunda de certitudine habita ex vi dictaminis reflexi: quo pacto ambas tanquam veras concedimus.

47. Ad ſeptimum concedo maiorem, videlicet ex duabus propoſitionibus contradictoriis, ſi vna eſt certa, altera eſt certò falſa. Concedo etiam minorem, nempe has propoſitiones, *Nullus varians Officium Canonicum peccat mortaliter: Aliquis varians Officium Canonicum peccat mortaliter*; eſſe contradictorias, ſi loquantur ambæ de peccato ex vi eiuſdem dictaminis directi, vel ex vi eiuſdem dictaminis reflexi. Et quidem ſi loquantur ambæ ex vi dictaminis directi, vtraque eſt probabilis. Iuxta ſententiam, quæ admittit, licere variationem Officij Canonici, iuxta quam prima eſt probabiliter vera, & ſecunda probabiliter falſa: & iuxta ſententiam, quæ aſſerit illicitam eam variationem Officij Canonici, prima eſt probabiliter falſa, & ſecunda probabiliter vera. Si verò vtraque propoſitio loquatur de peccato ex vi dictaminis reflexi certi, quod licet amplecti opinionem probabilem, prima eſt vera & certa, & ſecunda eſt certò falſa; eſt enim certò falſum, quod peccat, qui ſequitur opinionem verè probabilem. Denique ſi prima loquatur de peccato ex vi dictaminis reflexi, & ſecunda ex vi dictaminis directi, prima quidem eſt certa, & ſecunda probabilis; ſed hoc modo non ſunt contradictoriæ.

CAPVT VI.

Solutione aliarum obiectionum explicatur ampliùs doctrina tradita.

PRima obiectio. Vt aliquid ſit peccatum, ideò debet eſſe certum, quod tale eſt, quia oritur ex hoc dictamine certo, quod licet vti quavis opinione probabili, aut alio ſimili: ſed hoc dictamen non eſt certum: ergo neque certum debet eſſe peccatum, vt re ipſa tale ſit. Minor patet: Probabile eſt, quod non licet vti opinione minùs probabili: ergo probabile eſt, quod non licet vti qualibet opinione probabili: ergo non eſt certum, quod licet vti qualibet opinione probabili. 48.

Reſpondetur, conceſſa maiori negando minorem. Ad probationem diſtinguo antecedens: Eſt probabile, quod non licet vti opinione minùs probabili, [ſtando in ratione directa cuiuſlibet opinionis minùs probabilis in particulari,] concedo; [ſtando in ratione reflexa, quæ reſpicit generaliter praxim opinionis minùs probabilis,] nego. Itaque probabile eſt, quod non licet variare Officium Canonicum abſque peccato mortali, ſtando in ratione directa huius opinionis: hoc autem dictamen reflexum, quod [Non licet vti opinione minùs probabili;] atque adeò quod non licet accommodare ſe ei opinioni minùs probabili, cenſeo eſſe certò falſum. Et caue, ne id intelligas in quæſtione reflexa, quaſi reſolui poſſit per opinionem minùs probabilem reſpondentem quæſtioni directæ. De quo vide *diſp.* 15. 42.

Itaque hoc dictamen reflexum, nempe [licitum eſſe vti opinione minùs probabili [cenſeo omninò certum, & hac ſyllogiſtica demonſtratione firmari. Implicat contradictionem, quod quis operetur prudenter, & quod in ea operatione peccet: ſed qui vtitur opinione minùs probabili, operatur prudenter: ergo implicat contradictionem, quod is qui vtitur opinione minùs probabili, peccet. Quod ſi malis ſyllogiſmum efformare magis conformatum ad amuſſim Dialecticam, nempe in ſecundo modo primæ figuræ, ſic illum potes diſponere. Omnis, qui operatur prudenter, non peccat: ſed omnis, qui vtitur opinione minùs probabili, operatur prudenter: ergo omnis, qui vtitur opinione minùs probabili, non peccat. 50.

Certum eſt, licere vti opinione minùs probabili.

Cuius omnes propoſitiones euidentes ſunt. Conſequentia quidem, cùm ſyllogiſmus ſit in ſecundo modo primæ figuræ. Maior ex terminis eſt euidens; implicat enim terminos, qui dicit, operationem illicitam eſſe prudentem, aut operationem prudenter elicitam, eſſe peccatum. Minor etiam eſt manifeſta; nam opinio, quæ eſt minùs probabilis, verè eſt probabilis; quia ſi non eſt probabilis, non poteſt eſſe minùs probabilis. Quod ſi practicè probabilis eſt, ea nititur ratione prudenti, atque adeò qui vtitur ea opinione minùs probabili, vtique prudenter operatur, cùm operetur prudenti rationi eius opinionis innixus. Vide *diſp.* 15. 51.

Deinde idem oſtenditur. Etenim illa opinio non eſt ab intrinſeco probabilis, quæ æquiuocatione nititur: ſed opinio, quæ aſſerit, opinionem probabiliorem eligendam eſſe, & non poſſe eligi minùs 52.

minùs probabilem, mera æquiuocatione nititur: ergo ea non eſt ab intrinſeco probabilis. Minor oſtenditur. Nititur enim ea opinio in eo, quod in dubio tutior pars eſt eligenda: at hæc eſt manifeſta æquiuocatio, quia confundunt motiuum probabile cum dubio, quaſi idem ſit pro re præſenti, rem eſſe merè probabilem, & eſſe dubiam. Hoc autem eſſe totum fundamentum eius opinionis, patet ex P. Thoma Sanch. *lib.* 1. *Sum. cap.* 9. *num.* 13. Vide infrà *diſp.* 15.

53. *Inſtantia.* Dices. Iudex tenetur in iudicando ſequi probabiliorem partem; eſt tenim lex, quæ illum ad id obligat: & non poteſt dici, quod in iudice ſit pars probabilior, quod poteſt ſequi partem minùs probabilem: ergo ſaltem in iudice non habet locum ſolutio tradita.

54. *Soluitur.* Reſpondetur, ſi certum eſt, quod lege naturali, vel humana arctatur iudex ad probabiliorem partem in iudicio amplectendam, non eſt opinio, ſed ſententia certa, quod tenetur iudicare ſecundum ius probabilius; & erit improbabile, quod in hoc caſu poſſit ſequi partem minùs probabilem. Vnde caſus iſte egreditur fines noſtræ quæſtionis, quæ loquitur, quando hic, & nunc eſt opinio probabilis, quod licet ita operari. Quando autem iudex lege certa coarctatur ad iudicandum ſecundùm ius probabilius, non eſt opinio probabilis, quod licet illi aliter iudicare, quàm ſecundum ius probabilius.

55. Si verò ſint opiniones probabiles, quarum altera dicat, dari legem, altera non dari legem, qua iudex conſtringatur ad ferendam ſententiam ſecundum ius probabilius, tunc datur electio iudici; & certum eſt, iudicem non peccare, quamlibet earum opinionum ſequendo: & hoc modo idem, quod de cæteris, de iudice dicendum eſt. Vide *diſp.* 15.

56. Secunda obiectio. Qui practicè dubitat, an poſſit variare officium Canonicum, peccat, ſi variat illud, cùm in caſu dubij practici teneatur ad partem ſecuriorem: ſed tunc peccatum variationis officij non eſt certum, cùm ſit dubium, & à dubio oriatur: ergo poteſt eſſe peccatum, quin ſit certum.

57. *In dubio practico certum eſt peccatum vi actus reflexi.* Reſpondetur conceſſa maiori, diſtinguendo minorem: ſed tunc peccatum variationis officij canonici non eſt certum [reſpectu actus directi dubitantis,] concedo; [reſpectu actus reflexi cognoſcentis, in dubio practico eſſe peccatum, niſi adhæreatur parti ſecuriori, nego. Nam iſte actus reflexus certus eſt; eſt enim indubitabile, eſſe peccatum, ſi quis in dubio practico non amplectatur partem ſecuriorem, id eſt, remotiorem à peccato. Idque, quia certum eſt, nemini licere, dirigere conſcientiam ſuam, niſi ſecundum dictamen ſaltem probabile.

58. Tertia obiectio. Aliquæ opiniones circumferuntur inter Doctores, præcipuè neothericos, quarum probabilitas dubia eſt; non enim ſatis conſtat de fundamento graui. Tum ſic: qui ita dubitans, talem opinionem ad praxim reducit, peccat: ſed tale peccatum eſt dubium: ergo non eſt neceſſe, quod peccatum ſit certum, vt peccatum ſit.

59. *Dubium de probabilitate eſt dubiũ practicum.* Reſpondetur, dubium de probabilitate opinionis eſſe dubium practicum; atque adeò idem prorſus dicendum eſt, ac diximus in ſolutione præcedentis obiectionis.

CAPVT VII.

Plurima notanda aduerſus nouam Logicam moralem.

ARTICVLVS I.

Præmittitur, an quidquid eſt probabiliter licitum, ſit euidenter licitum?

CAramuel *in Apolog. de Probabilit. num.* 309. dum antagoniſtas ſuos docet Logicam, qua ipſum impugnare debent, ſic ait: [Diuerſi moliminis eſt, demonſtrare, aſſertionem aliquam eſſe probabilem, & demonſtrare, eſſe improbabilem. Vbi probabiliter ſuadetur hæc ſimplex A, *Iſidorus eſt reus*, demonſtratiuè oſtenditur modalis hæc B, *Reum eſſe Iſidorum, eſt probabile.* Hic enim ſyllogiſmus inuincibilis eſt. *Concluſio, quæ ex probabilibus infertur, eſt propabilis:* (ſic omnes) *concluſio A, ex probabilibus infertur:* (ſic ſupponitur) *ergo concluſio A, eſt probabilis.* Eſt indubitata conſequentia.] 60.

Sed inſigniter deuiat hic diſcurſus. Nam dum in minori dicit, quod *concluſio A, ex probabilibus infertur*; interrogo, an inferatur ex euidenter probabilibus, an ex probabiliter probabilibus? 61.

Si primum dicat, ſuo ipſe enſe ſe iugulat. Nam *in Theolog. fundam. num.* 483. *fund.* 11. ſic ait: [Et hîc obiter noto, hanc propoſitionem, *Probabile eſt, aſſertionem N, eſſe veram*, non ſemper eſſe euidenter certam, vel euidenter falſam: datur enim de probabilitate (imò de euidentia) probabilitas. Quod clariſſimè oſtendo. Hæc poſitio; *Probabile eſt, dari phyſicas prædeterminationes*: item hæc; *Probabile eſt, dari ſcientiam mediam*, ante annos aliquot erat merè probabilis: multi enim negabant primam, multi ſecundam: at iam vtramque certam eſſe ſupponimus, & præcepto Pontificio tenemur, neutram ſententiam cenſurare. Demus aliud exemplum. *Eſſe probabile quod poſſit moribundus ſub conditione abſolui, ſi catholicè vixerit: licèt nullum ſignum pœnitentiæ ediderit*, docet Vienneuſis Vniuerſitas, negat Pragenſis: Authores ſunt diuiſi hinc inde: ergo probabile eſt, illud eſſe probabile.] 62.

Itaque ſecundum Caramuelem propoſitio modalis de modo *Probabile*, ſolet eſſe euidens, & ſolet eſſe probabilis. Tum ſic: ergo cùm dicitur, quod *concluſio A, ex probabilibus infertur*, poteſt fieri, quod illa non inferatur ex euidenter probabilibus, ſed dumtaxat ex probabiliter probabilibus: ergo falſa eſt illa propoſitio vniuerſalis, quod quoties infertur ex probabilibus, debet inferri ex euidenter probabilibus, iuxta priorem partem dilemmatis. 63. *Propoſitionem eſſe probabilem, poteſt nõ eſſe euidens.*

Si verò dicat ſecundum, nempe fieri poſſe, quod propoſitio ſimplex A, inferatur ex probabiliter probabilibus, fit quod hæc propoſitio, *Concluſio A, ex probabilibus infertur*; non debeat eſſe euidens, ſed poſſit eſſe probabilis. Patet. Nam ſi eſt dumtaxat probabile, quod motiua concluſionis A, ſunt probabilia, non poteſt eſſe euidens, quod illa ex probabilibus inferatur. 64.

Digitized by Google

65. *Cùm minor ſit probabilis, non poteſt cõcluſio eſſe euidens.*

Iam verò ſi minor eſt dumtaxar probabilis, quomodo concluſio erit euidens, cùm non oriatur concluſio euidens niſi ex ambabus præmiſſis euidentibus? Ergo illa concluſio ſyllogiſmi à Caramuele in illo textu propoſiti, non eſt indubitata, & euidens, ſed dumtaxat probabilis.

66. *Falſum eſt, quod vbi propoſitio ſimplex eſt probabilis, ibi modalis ſit euidens.*

Quod clariſſimè cernitur in exemplo Caramuelis relato ſupra *num.62.* Affirmat enim, hanc modalem propoſitionem, *Probabile eſt, dari phyſicas prædeterminationes*, olim fuiſſe dumtaxat probabilem. Attende ergo hunc ſyllogiſmum, cuius minor loquitur pro eo tempore, quo ea modalis erat ſolùm probabilis: *Concluſio, quæ ex probabilibus infertur, eſt probabilis: ſed aſſertio adſtruens phyſicas prædeterminationes, eſt concluſio, quæ ex probabilibus infertur: ergo aſſertio adſtruens phyſicas prædeterminationes eſt probabilis.* Qui ſyllogiſmus eſt in tertio modo primæ figuræ Ariſtotelicæ; cuius quidem concluſio eſt dumtaxat probabilis, quia pro eo tempore, in quo loquimur, minor eſt dumtaxat probabilis. Ergo falſa eſt illa vniuerſalis, quam obtrudere nobis vult Caramuel, quod vbi probabiliter ſuadetur propoſitio ſimplex, demonſtratiuè oſtenditur propropoſitio modalis de modo *Probabile*, illi propoſitioni ſimplici correſpondens.

67. Nec ſatisfacit, dum dicit, quod *ſic ſupponitur*; nempe illam propoſitionem ſimplicem eſſe probabilem. Nam ad attendendum qualitatem concluſionis, an ea euidens ſit, an probabilis, ſolùm attenduntur ea, quæ ipſæ præmiſſæ affirmant, & an in iis, quæ affirmant, præmiſſæ ſint certæ, vel probabiles. Cùm ergo illa minor poſſit eſſe dumtaxat probabilis, in tali hypotheſi non poteſt ex illa oriri concluſio euidens.

68. Si verum eſſet, quod docet Caramuel, [Vbi probabilibus ſuadetur propoſitio ſimplex, demonſtratiuè oſtendi modalem de modo *Probabile*,] rectè inferretur, quidquid eſt probabiliter licitum eſſe euidenter licitum. Nam vbi probabilibus ſuadetur aliquid eſſe licitum, demonſtratiuè oſtenderetur, illud eſſe probabile; atque adeò demonſtratiuè oſtenderetur eſſe licitum. Sed quia id principium Dialecticum, quod aſſumit, eſt maniſeſtè falſum, res hæc altiori indagine diſcutienda eſt.

69. *Quidquid honeſtatis eſt euidēter probabile, eſt euidenter licitum.*

Dico primò. Quidquid affirmatum in materia morum eſt euidenter probabile, eſt euidenter licitum. Patet ex hoc ſyllogiſmo. [Licitum eſt exercere operationem, pro cuius honeſtate ſtat opinio practicè probabilis: ſed opinio A, talis eſt, vt pro eius honeſtate ſtet opinio practicè probabilis: ergo licitum eſt exercere operationem A.] Suppono enim, Maiorem eſſe euidentem, vt oſtendi *cap. 6. num.* 50. Si autem opinio relata in minori ſit euidenter probabilis, minor, quæ affirmat illam opinionem eſſe probabilem, eſt euidens: cùm ergo ambæ præmiſſæ ſint euidentes, concluſio, quæ affirmat, id eſſe licitum, neceſſariò euadit euidens. Et memento, à nobis dici euidens, quod pollet ſaltem morali euidentia.

70. *Non quidquid eſt probabile, eſt euidenter licitum.*

Dicò ſecundò. Non omne, quod eſt probabile, eſt euidenter licitum. Patet etiam hæc concluſio ex præcedenti ſyllogiſmo, & ex dictis ſuprà *num.* 61. Nam ſi illa opinio contenta in minori non ſit euidenter probabilis, illa minor quæ dicit, opinionem eſſe probabilem, non eſt euidens. Quod ſi illa minor non eſt euidens, neque concluſio poteſt eſſe euidens. Nam ex vna præmiſſa euidenti, & altera probabili, non poſſe inferri concluſionem euidentem, demonſtrant Dialectici.

71. *Quidquid proponitur vt practicè probabile, eſt euidenter licitum.*

Dico tertiò. Quoties opinio proponitur vt probabilis, quidquid ſic probabile eſt, eſt euidenter licitum. Patet hoc ſyllogiſmo. [Licitum eſt exercere operationem, pro cuius honeſtate proponitur intellectui opinio vt practicè probabilis: ſed pro abſolutione moribundi, in quo nullum apparet ſignum pœnitentiæ, proponitur meo intellectui opinio vt practicè probabilis: ergo mihi licitum eſt exercere abſolutionem moribundi, in quo nullum ſignum pœnitentiæ apparet.

72. In quo ſyllogiſmo maior eſt dictamen practicum euidens, vt conſtat ex ſuprà dictis. Minor etiam eſt euidens, quia licèt non ſit euidens, eam opinionem eſſe probabilem; eſt tamen mihi euidens, quod ea opinio proponitur mihi vt probabilis. Cùm ergo conſequentia rectè deducatur ex præmiſſis, & præmiſſæ ſint euidentes, concluſio neceſſariò euadit euidens, atque adeò euidens eſt, eam abſolutionem hîc, & nunc eſſe mihi licitam. Et attentè nota, hanc concluſionem, & eius rationem; continet enim doctrinam, quæ ad multa alia prodeſſe poterit.

73. *An vt quis licitè operetur, requiratur iudicium vectum de honeſtate, vel ſufficiat probabile.*

Et ex hac concluſione decides facilè eam quæſtionem, in qua acriter digladiantur Theologi t. 2. *quæſt.* 13. *art.* 3. An vt hîc & nunc licitè opereris, requiratur iudicium certum de honeſtate operationis, quam hîc & nunc operaris; an potiùs ſufficiat iudicium probabile? Multi enim contendunt, hoc ſecundum ſufficere, alij verò exigunt priùs iudicium certum; qui ex hac doctrina facilè conciliari videntur. Nam qui dicunt, ſufficere iudicium probabile, loquuntur de actu directo probabili ſuffragante huic operationi: qui autem poſtulant iudicium certum, loquuntur de actu reflexo, qualis eſt in ſyllogiſmo proximè deſignato, cuius concluſio eſt euidens.

Conciliantur Authores diſtinctione actus directi, & reflexi.

74. Dices. Ille homo, qui illud dictamen reflexum poſitum pro maiori eius ſyllogiſmi, putet eſſe dumtaxat probabile, non eliciet concluſionem euidentem; atque adeò habebit iudicium dumtaxat probabile de honeſtate operationis hîc & nunc eliciendæ: ſed id ſufficit, vt operetur licitè: ergo non requiritur prædictum iudicium certum dehoneſtate operationis, vt homo hîc & nunc licitè operetur.

75. *Qui non putat certum dictamen reflexum, exponit ſe periculo peccandi.*

Reſpondeo, ſi homo dicat, *Probabile eſt, quod re ipſa peccabo*; vel, *Dumtaxat probabile eſt, quod re ipſa non peccabo*, manifeſtè ſe exponit periculo probabili peccandi, atque adeò peccat lethaliter non reddendo ſe ſecurum à peccato mortali, vt clarè conſtabit *diſp.* 18. Vel ergo aduertere debet, illud dictamen reflexum eſſe certum, vel tenetur ſequi tutiorem partem.

ARTI

Digitized by Google

ARTICVLVS II.

Criſis dialectica triplicis conſequentiæ.

76. *DIſputatione* 4. *cap.* 1. retulimus ex Caramuele aliquas ſuæ Logicæ moralis conſequentias; quæ quia à præſenti quæſtione pendebant, ideò huc diſcutiendas remiſimus.

77. Praua conſequentia 1. Dicendum ergo eſt primò, prauam eſſe illam priorem conſequentiam: *Probabile eſt, quod hoc non ſit peccatum: ergo probabile eſt, quod hoc ſit peccatum.* Et falſificatur primò in eo, qui audiuit à viro ex vulgari fama docto, illud eſſe licitum, cui cum formidine aſſentitur, eo quod authoritas eius viri docti ei non videtur tanta, quæ ſibi certitudinem afferre poſſit. Pro parte verò negante id eſſe licitum, nullum ei fundamentum occurrit, vtpote homini in materia Theologica nunquam verſato. Falſificatur deinde in caſu quinto, & nono ex propoſitis *diſp.* 4. *cap.* 2. *num.* 20. & 14.

78. Patet etiam hæc concluſio ex tota diſputatione quarta, in qua apertè demonſtratum eſt, non valere conſequentiam à probabilitate vnius partis ad probabilitatem oppoſitæ. Neque eſt aliquod aliud principium, vnde id conſequens inferatur. Optima cõſequentia. Hæc autem conſequentia, *Probabile eſt, quod hoc non ſit peccatum: ergo probabile negatiuè* (incertum) *eſt, quod hoc eſt peccatum*; optima eſt, vt notaui *ea diſp.* 4. *cap.* 4. Nam ex eo quod vna pars ſit probabilis, infertur, quod oppoſita ſit nec certò, nec certò falſa.

79. Praua conſequentia 2. Dicendum eſt ſecundò, non valere conſequentiam ſecundam ibidem à Caramuele propoſitam, ſcilicet, *Probabile eſt, quod hoc non ſit pecatum: ergo certum eſt, quod ſi illud fecero, non peccabo.* Optima cõſequentia. Valere tamen hanc: *Vt probabile mihi proponitur, quòd hoc non ſit peccatum: ergo certum eſt, quod ſi illud fecero, non peccabo.*

80. Ratio prioris eſt. Nam quod eſt euidenter probabile, eſt euidenter licitum, & quod eſt dumtaxat probabiliter probabile, eſt probabiliter licitum, & non certò. *Probabile* autem abſolutè dictum abſtrahit ab eo, quod ſit probabiliter licitum, & ab eo quod ſit certò licitum. Vide ſuprà *art.* 1. *num.* 62. Ratio poſterioris eſt, quæ traditur *art. præced. concluſione tertia.* Contra hæc vide *in addit. num.* 10.

81. Praua conſequentia 3. Dicendum eſt tertiò, prauam eſſe illam tertiam conſequentiam ibidem relatam: nempe, *Probabile eſt, hoc eſſe peccatum: ergo certum eſt, quod ſi illud feceris, non peccabis.* Quæ conſequentia falſificatur in eo caſu relato *cap.* 3. *concluſione tertia, num.* 22. de eo, qui ex authoritate ſui Parochi, cum formidine tamen, cenſet aliquam operationem eſſe illicitam; cùm tamen nullum penitus fundamentum habeat pro bonitate morali operationis. Tunc enim Petro probabile eſt, eam actionem eſſe illicitam; nec tamen eſt certus, quod ſi fecerit, non peccabit, quin potius è conuerſo certus eſſe debet, quod ſi fecerit eam actionem, peccabit: quia certum eſt, quod peccat ille, qui non habens dictamen practicum probabile, præſcribens eam actionem eſſe licitam, talem actionem exequitur, vt patet ex iis, quæ diximus in prædicta concluſione tertia.

ARTICVLVS III.

Diſcuſſio dialectica alterius triplicis conſequentiæ.

DIcendum eſt quartò, hanc conſequentiam non valere, *Probabile eſt, quod hoc eſt peccatum: ergo probabile eſt, quod hoc non eſt peccatum.* 82. Praua conſequentia 4. Bene tamen hanc, *Probabile eſt, quod hoc eſt peccatum: ergo vel eſt certum, hoc eſſe licitum; vel eſt certum, hoc eſſe illicitum.* Optima conſequentia. Prima quidem non valet, quia, vt ſæpe diximus, à probabilitate vnius ad probabilitatem oppoſitæ partis nulla eſt conſequentia. Secunda valet, quia dum eſt probabile, hoc eſſe illicitum, vnum è duobus neceſſariò eſſe debet: vel quod oppoſita pars ſit probabilis, vel quod oppoſita pars non ſit probabilis, defectu fundamenti grauis. Si primum, iam caſus ipſe admittit quod vtraque pars contradictoria probabilis eſt, atque adeò quod illa actio eſt probabiliter illicita, & quod illa actio eſt probabiliter licita.

Si autem ſecundum membrum eius dilemmatis accidat, quod non ſit probabilis bonitas moralis actionis, quia pro ea nullum occurrit fundamentum probabile, inde fit, eſſe certum, quod qui talem actionem fecerit, peccabit, propter dictamen reflexum certum, quod qui operatur abſque dictamine ſaltem probabili de bonitate actionis, peccat, iuxta capite 3. dicta, *concluſ.* 4. 83.

Dicendum eſt quintò, hanc non eſſe bonam conſequentiam, *Probabilius eſt, hoc eſſe peccatum: ergo certum eſt, quod ſi illud feceris, non peccabis.* 84. Praua conſequentia 5. Valere tamen hanc, *Vt probabilius tibi proponitur, hoc eſſe peccatum: ergo certum eſt, quod ſi illud feceris, non peccabis.* Optima conſequentia. Fundatur autem vis ſecundæ conſequentiæ in hoc diſcurſu. Certum eſt, quod qui ſequitur opinionem, quæ ſibi proponitur vt probabilis de bonitate morali, non peccat: ſed quando proponitur vt probabilius, aliquam actionem eſſe peccatum, proponitur etiam vt probabile, talem actionem eſſe licitam, quia probabilius refertur ad minùs probabile, atque adeò ad probabile: ergo quando proponitur vt probabilius, aliquam actionem eſſe illicitam, certum eſt, quod qui eam fecerit, non peccabit. Excipe, quando eſt obligatio ſequendi opinionem probabiliorem, ex lege aliqua reflectente ſupra probabilitatem: de quo dicendum eſt *diſp.* 15. Ratio autem, quare prior conſequentia non valeat, eadem eſt, quam tradidi *art. præced. concluſ.* 2.

Dicendum eſt ſextò. In communi modo loquendi Authorum, quo aliquam opinionem dicunt eſſe tutiorem, hanc non eſſe bonam conſequentiam, *Hæc opinio eſt tutior: ergo oppoſita eſt tuta.* 85. Praua conſequentia 6. Quod notauerim propter Caramuelem, qui ea conſequentia ſæpe vtitur. Ratio eſt, quia quamvis ea vox *Tutior*, ſit grammaticaliter comparatiua; tamen vel in ipſa Grammatica nomina comparatiua vſurpantur quandoque pro ſuis poſitiuis, cuius millena exempla reperies in Authoribus claſſicis. Quando ergo Authores affirmant communiter, ſuam concluſionem eſſe tutiorem, intendunt affirmare ſuam eſſe tutam, & oppoſitam non eſſe tutam. Vtuntur autem eo termino comparatiuo, vt modeſtiùs loquantur, &

ne

Digitized by Google

ne videantur damnare opiniones aliorum. Sed ſi attentè inſpicias, ea, quam dixi, eſt mens prædictorum Authorum. Et idem intendunt, cùm dicunt, *Hac ſententia eſt probabilior*, *& tutior*, coniungendo eos duos terminos. Tunc enim terminum *Probabilior*, vſurpant in eadem acceptatione ac terminum *Tutior*; id eſt, probabilis, & tuta: quod de oppoſita non audent affirmare, quamvis non expreſsè id negent.

86. Optima cõſequentia.

Aſſentior autem maximè Caramueli, hanc eſſe optimam conſequentiam: *Probabile eſt, quod ſi talem actionem fecero, reipſa peccabo: ergo certum eſt, quod ſi illam fecero, reipſa peccabo.* Quia certum eſt, quod non licet exponere me periculo probabili peccandi. De quo latè dicam *diſputatione* 18.

CAPVT VIII.

Conſectarium contra eandem Logicam moralem.

87. *An qui negat, actionem eſſe licitam, teneatur demonſtrare partem oppoſitam?*

FRequens eſt Caramueli modus arguendi, in quo ab aduerſariis poſtulat rationem demonſtratiuam à principiis intrinſecis obiecti, vel à lege aliqua obligante, qua conuincant, aliquam actionem eſſe illicitam: quaſi ſua concluſio maneat ſufficienter confirmata ex eo, quod pro oppoſita parte non exhibeatur prædicta demonſtratio. Quia tamen ſæpe fallit hic arguendi modus, præcipuè propter dicta *cap.* 2. *concluſ.* 1. *& cap.* 3. *concluſ* 4. vnum exemplar dabo, in quo id clarè conſpiciatur, & ſit inſtar regulæ pro ſimilibus argumendi modis.

88. *An pro vna nocte debeat Prælatus prouidere confeſſarium pro reſeruatis?*

Igitur *in Theolog. fundam. num.* 1836. *fund.* 66. citat P. Petrum Hurtado, qui 2. 2. *diſp.* 84. §. 190. dubitanter, & non aſſertiuè ait, vnam noctem videri tempus ſufficiens, vt teneatur Prælatus prouidere confeſſarium, qui poſſit abſoluere à reſeruatis; eo quod peccator, qui nocte vadit cubitum, velit ire reconciliatus Deo per confeſſionem, ne ſibi accidat, quod multis, vt à ſomno temporaneo ad æternum repentè tranſeat.

89. Impugnatio Dianæ.

Incidit Diana in hanc ſententiam Patris Hurtado (teſtante Caramuele *num.* 1837.) & illam impugnat ex eo, quod ratio Patris Hurtado non ſubſiſtat. [Nam ſi ſpatio (inquit) vnius noctis poteſt quis repentina morte perire, etiam ſpatio vnius horæ, aut etiam vnius momenti poteſt: ergo ex hoc capite ſemper quis poſſet confiteri cum quolibet confeſſario, ſi non haberet copiam alterius habentis authoritatem abſoluendi à reſeruatis.]

90. *Poſtulat à Diana rationem euidentem, vt illa opinio non ſit probabilis.*

Inſurgit Caramuel contra hanc rationem Dianæ; & quamvis nihil circa hunc caſum reſoluat, contra Authorem eius argumenti ſic arguit. [Inquiro primò, in quam legem euidentem euidenter impingeret ille, qui diceret, debere ſemper Superiores dare confeſſarios peccatoribus, vt ad Deum conuertantur, quos ne vna quidem hora negare poſſent? Eccleſiamque ſupplere defectum, caſu quo Superioris negligentia, aut tyrannide aliquis confeſſarium non habeat.]

91. Hîc deſidero Logicam moralem Caramuelis. Nam dum negat Diana, Superiorem peccare, ſi per vnam horam non prouideat confeſſarium potentem abſoluere à reſeruatis; poſtulat à Diana legem euidentem, quæ euidenter probet, prædictum Superiorem non eſſe ad id obligatum. Ex principiis autem ſuæ Logicæ ſic ipſum laceſſo.

92. *Illi, qui dicit illicitum, incumbit probare euidenter, iuxta Caram.*

Ille, cui incumbit probare, aliquem reipſa peccare, debet demonſtrare id eſſe peccatum, vt decreuit Caramuel: ergo dum iſte Author non oſtendit rationem euidentem, qua id peccatum probetur, per hoc ſolùm (iuxta eius Logicam) poterit negare Diana, eum Superiorem peccare. Quare ergo poſtulat ab illo rationem euidentem, cùm ipſi incumbat eam exhibere contra Dianæ aſſertionem?

93. Hinc conſtat, malè arguere Caramuelem, poſtulando legem euidentem, quæ probet euidenter non peccare illum Superiorem in eo caſu; cùm Superiori ſufficiat probabile dictamen, vt ſuæ obligationi ſatisfaciat.

94. *Vt ſubditus dicatur peccare, requirit Caram. euidentiam.*

Reſpondebit, ſe non poſtulare legem euidentem, vt probetur, Superiorem non peccare; ſed vt probetur, peccare ſubditum adeundo alium confeſſarium in ea breui abſentia Superioris: nam ſic incumbit Dianæ, qui negat peccatum ſubditi, probare euidenter, id eſſe illicitum; & ideò Caramuelem poſtulare ab illo legem euidentem, in quam euidenter impingat ſubditus.

95. *Dupliciter poteſt probari euidenter peccatum.*

Vt punctum difficultatis penetres, reuoca in memoriam ex dictis. *cap.* 3. *concluſ.* 4. eam probationem euidentem peccati eius ſubditi dupliciter præſtari poſſe. Primò directè, ſiue à principiis intrinſecis obiecti: ſecundò reflexè, ſiue ex eo principio reflexo, quod peccat ille, qui in operatione ſua non innititur ſaltem opinioni probabili, cùm euidens ſit hoc dictamen reflexum.

Peccatũ probatur euidẽter, ſi conuincatur, opinionem carere fundamento graui.

Et hoc ſecundo modo pro Diana reſpondeo Caramueli, etſi à principiis intrinſecis non probetur euidenter, peccare ſubditum in eo caſu; poſſe tamen probari ex eo dictamine reflexo; quia in eo caſu operatur ſubditus ſine opinione probabili, eo quod nullum habet fundamentum ſententia, quæ dicat, abſentiam Prælati per vnam horam eſſe ſufficientem, vt ſubditus poſſit adire alium confeſſarium pro reſeruatis; atque adeò illa non eſt probabilis.

96. Et hinc patet, quomodo peccet in Logicam Caramuel, cùm petit legem euidentem, in quam euidenter impingat ille ſubditus, vt probetur, eum peccare. Sic enim ſupponit, nullo alio modo poſſe peccatum eius probari euidenter, niſi directè, & à principiis intrinſecis obiecti: cùm certum ſit, quod in hoc caſu, & in multis aliis ſimilibus poſſit probari euidenter peccatum ex dictamine reflexo certo, quod qui gubernat conſcientiam ſuam ſine opinione probabili, ſiue, quod idem eſt, ex dictamine, quod leui, vel nullo fundamento nitatur, peccat.

97. *Quod illa opinio careat fundamento graui, eſt manifeſtum.*

Quod verò ſententia, quæ diceret, illum ſubditum in eo caſu non peccare, careat fundamento probabili, manifeſtè oſtenditur. Totum enim fundamentum eius ſententiæ eſt, quod in illa hora abſentiæ Prælati, poteſt ſubditus repentè mori. Hoc autem pro re præſenti nullius ponderis eſt. Nam ex vna parte pro repentino caſu præueniendo prouidit nobis Chriſtus remedium contritionis charitate formatæ, quod reuerà facile eſt: ex alia verò parte exorbitat ſententia, quæ vult res morales non fieri, niſi ſecundum modum practicum, & humanæ conuerſationi poſſibilem. Nam ſi dicas, Prælatum ſemper, & omni

horâ

Digitized by Google

horâ debere habere paratum confeſſarium pro reſeruatis, tertio quoque gradu in impoſſibilia incides. Non poterit Prælatus Regularis mittere Sacerdotes omnes ad ſupplicationem publicam, non ad villam recreationis causâ, non ad exequias viri nobilis, aut benefactoris ſui; imò neque ad chorum quotidianum: quia in iis euentibus Regulares conuerſi non habebunt confeſſarium pro reſeruatis in omni hora; imò extra chorum, extra exequias, extra recreationem, extra ſupplicationem debebit retinere duos Sacerdotes, vnum pro Regularibus non Sacerdotibus, alium pro eo Sacerdote, cui authoritas abſoluendi eos non Sacerdotes committitur, qui ſe ipſum abſoluere non poteſt, & indiget alio abſoluente. Quæ omnia cùm ſint contra humanum conuictum, & aliunde prouiſum ſit ſufficienter à Chriſto D. pro præueniendo caſu ſubito, dicendum eſt, id fundamentum nullius ponderis eſſe, atque adeò ſententiam, quæ tam leui ratione nititur, non eſſe probabilem.

98. *Circa eum caſum nihil reſoluit Caram.* Et tandem nota, in hoc caſu, licèt ita argumentetur Caramuel, nihil tamen reſoluere; imò pro parte oppoſita arguit dupliciter contra Dianam *num.* 1838. Primò ex eo, quod non valeat argumentum ab vna horâ ad vnicum diem. Secundò, quod non valeat argumentum à tempore nocturno ad diurnum, eo quod tempus dormiendi periculoſius eſt, quàm vigilandi; rarò enim humores vigilantem ſuffocant, at frequenter dormientem.

DISPVTATIO XI.

Quid requiratur ad probabilitatem extrinſecam, ſiue authenticam?

CAPVT I.

Quot Authores ſufficiant ad probabilitatem. Expenduntur duo aſſerta Caramuelis.

1. *Illam ab extrinſeco eſſe improbabilẽ, cuius oppoſita habet pluſquã octuplã authoritatem.* IN Regulam S. Benedicti *n.* 56. hanc habet ſecundam concluſionem: [Sententia quæ habet maiorem authoritatem, eſt probabilior. Illa ab extrinſeco cenſenda eſt improbabilis, cuius oppoſita habet pluſquam octuplam authoritatem. Vnde ſi habes vnum Authorem pro tua parte contra ſeptem alios eiuſdem qualitatis, aſſere, tuam partem adhuc eſſe probabilem; contra nouem non aſſeras, quia nona pars non eſt materia magna, nec grauis: vnde in præſenti cùm authoritas vnius ſententiæ ſit nona pars alterius, non eſt grauis authoritas, quæ requiritur ad probabilitatem: quæ enim leuiter dicis, probabiliter defendere non potes.] Et poſt pauca addit: [Quod ſi arithmeticè rem decidere velis; puta, vnum Authorem maximæ dignitatis æquiualere quinque Authoribus nominis magni. Verùm iſtæ non ſunt ſupputationes metaphyſicæ, ſed merè morales, ſufficientes tamen ad ſecuritatem conſcientiæ. Inter Authores maximos, & magnos poſſemus claſſes intermedias addere ſecundùm vniuſcuiuſque æſtimationem: ſed facilioris iudicij gratiâ præter paucos, quos recénſui *n.* 53. & recolo loco miraculi, omnes Doctores cenſeo moraliter æquales eſſe; ac ideò qui pondus rationum non percallent, poſſunt ſecuriſſimè confidere numero Authorum.] Illi autem pauci, quos recenſuiſſe dicit *num.* 53. ſunt Petrus Lorca, P. Vazquez, P. Suarez, Baſilius, Pont. Angelus, Manriquez, P. Leſſius, P. Thom. Sanch. Ioannes Sanch. & *precipuè Diana, & ſi quos alios æquales ipſis videris.*

Ratio autem, quare ad probabilitatem extrinſecam vnius opinionis petat, quod oppoſita non habeat pluſquam octuplam authoritatem, ideoque vnum Authorem ſecundæ claſſis non facere opinionem probabilem contra nouem eiuſdem ordinis, eſt quia tanquam principium generale ſtatuit *num.* 47. illam eſſe paruitatem, quæ minor eſt octaua parte: vnde infert, illam eſſe paruam authoritatem, quæ minor eſt octupla. Ideò autem minor quantitate octupla eſt paruitas, quia magnitudo, & paruitas deſumitur penes numerum graduum primarum qualitatum, quas in octo gradus intenſiónis diuiſerunt Philoſophi. Vnde minor octaua parte non eſt pars, ſed pars partis, atque adeò paruitas. 2.

Hoc autem principium, quod ipſe aſſumit, omninò carere fundamento conſtat *ex diſp.* 29. Quod autem attinet ad rem præſentem, mirandum eſt, quod tantùm valeat diuiſio caloris in octo gradus. Itaque quia Philoſophi diuiſerunt calorem in octo gradus, concluſio, quæ pro ſe habet vnum Authorem contra nouem, non eſt probabilis. Si verò Philoſophi, vt potuerunt, diuiſiſſent calorem in duodecim partes æquales, ſiue gradus, ſententia quæ haberet vnum Authorem contra nouem, probabilis eſſet, cùm non eſſet minor duodecima parte: ergo probabilitas opinionum extrinſeca, à qua adeò dependet ſecuritas conſcientiæ, Eccleſiæ gubernatio, tribunalium iudicia, & tota humana Reſpublica, vtique dependet ex maiori vel minori diuiſione graduum caloris. O vtinam poſſemus Philoſophos omnes ad concilium vocare per capita, vel per compromiſſionem; libellum offerremus ſupplicem, vt calorem in duodecim, vel ſexdecim gradus communi conſenſu diſtribuerent, vt ita opinio, que habet vnum Authorem, v. g. Dianam, contra nouem eiuſdem dignitatis, euaderet probabilis. Admiror etiam, quod quatuor Authores contra triginta duos eiuſdem qualitatis conſtituant opinionem probabilem; contra triginta tres non conſtituant. 3. *Impugnatur is dicendi modus.*

Confirmatur. Vel fuit liberum Philoſophis diſtribuere calorem in octo gradus, vel fuit illis neceſſarium. Si hoc ſecundum dicas, oſtende radicem huius connexionis, & neceſſitatis: ſic enim oſtendes mihi, quod nullus hucvſque Philoſophus oſtendit. Si verò dicas primum, quod id Philoſophis liberum fuit, infero: ergo hæc opinio vnius Authoris contra nouem potuit eſſe probabilis; & de facto probabilis eſſet, ſi gradus caloris aliter (quod liberum fuit Philoſophis) diſtribuiſſent. Ergo probabilitas opinionum in materia Theologica dependet tum à mero libito Philoſophorum, tum à diſtributione graduum caloris, omninò diſparatè ſe habente ad probabilitatem. 4.

Quod

Digitized by Google

5. Quod ſi velis demonſtrationem conficere in forma ſyllogiſtica, vide, qua ratione conficiatur *in ea diſp.* 29. *num.* 7. ad euertendum illud principium generale de paruitate materiæ.

6. Si autem hac demonſtratione generali contentus non fueris, accipe aliam ſpecialem pro re præſenti. Oſtendo itaque, perperam agere Caramuelem, & peccare in ſuam Logicam, dum probat, opinionem vnius Authoris contra nouem non eſſe probabilem.

7. *Probabilitas non excluditur, niſi per euidentiam.*

Ille, qui negat probabilitatem propoſitionis, & non per argumentum euidens, peccat contra Logicam: ſed Caramuel negat probabilitatem eius propoſitionis vnius Authoris contra nouem, & non per argumentum euidens: ergo Caramuel peccat contra Logicam.

8. Conſequentia eſt euidens, vt ſyllogiſmi in tertio modo primæ figuræ, quem *vulgò dari*, dicimus. Maior, & minor ſunt Caramuelis. Maior quidem: nam ſæpius ille contra argumenta probabilia, ipſius aſſertiones impugnantia, ea propoſitione maiori ſe protegit. Vide *diſp.* 2. Minor autem neceſſariò conceditur à Caramuele, qui ſolùm docet, eſſe probabile illud principium de paruitate materiæ: & ſi aliud conaretur, ſola poſtulatione ſyllogiſmi demonſtratiui conatus euaneſceret: imò & probabilitatem eius euanuiſſe, videbis *diſp.* 29. *citata*.

9. Alterum aſſertum Caramuelis circa numerum Authorum ad probabilitatem requiſitum, eſt quod tradidit *in Theologia fundam. num.* 438. illud quidem ad ſpeciem ænigmatis compoſitum, his verbis. [Et quid, vt ſit probabilis ab authoritate? Vt defendatur à probis, doctiſque. Sed à quot? Si dicantur requiri ſedecim, hæc poſitio, *Sedecim ad probabilitatem requiruntur*; non eſt probabilis. Si requirantur ſedecim, non requiruntur ſedecim: ſi ſufficiunt ſedecim, ſufficiunt quatuor: ſi ſufficiunt ſedecim, ſufficit vnus.] Ænigma aperuit *num.* 448. nam dum aſſerit, eſſe communem ſententiam, quæ ad probabilitatem poſtulat quatuor Authores, addit: [Sed contrà ego hanc rationem efformo, quæ ſolutione hucvſque caruit. Quidquid teſtantur quatuor Authores, eſt probabile: ſed ad probabilitatem non requiri quatuor Authores, ſed vnum omninò ſufficere, quatuor teſtantur Authores, imò viginti, aut plures: ergo opinio vnius Authoris eſt probabilis.] Quam argumentationem repetit *in Regulam numero* 53.

Ænigma Caramuelis.

Affirmat inſolubile.

10. *Soluitur primò.*

Sed hoc argumentum non eſt tam difficile, vt ſolutione careat. Primò enim qui aſſeruerit, non ſufficere vnum quemlibet Authorem, idque demonſtrauerit (vt *cap.* 7. fiet) facilè reſpondebit diſtinguendo maiorem: eſt enim probabile quidquid teſtantur quatuor Authores, ſi non ſit contra argumentum moraliter certum; contra illud enim nihil eſt probabile, licèt milleni teſtentur.

11. *Soluitur ſecundò.*

Secundò. Qui aſſerit, ad probabilitatem ſufficere quatuor Authores, & non ſufficere vnum; virtualiter affirmat hanc propoſitionem: *Quidquid dicunt quatuor Authores, eſt probabile, præterquam ſi dicant, ſufficere vnum ad probabilitatem.* Vnde qui admittit ſufficere quatuor Authores, non tamen vnum, ſemper excludit iſtum vnum. Ideò diſtingue maiorem: Probabile eſt, quidquid teſtantur Authores, [præterquam quod teſtantur de ſufficientia vnius Authoris,] concede; [non excluſa ſufficientia vnius Authoris,] nega. Itaque qui dicunt, quatuor Authores ſufficere ad probabilitatem, non verò vnicum; virtualiter dicunt, quidquid quatuor Athores dicunt, eſſe probabile, excepto quando loquuntur de ſufficiencia vnius: nam ex iis quatuor Authoribus ſufficientia vnius non habet probabilitatem.

Tertiò. Minor eius ſyllogiſmi inſolubilis eſt falſa. Quod vt capias, aduerte, hæc duo eſſe diuerſa, *Vnus Author ſufficit ad probabilitatem: Vnus Author firma ratione munitus ſufficit ad probabilitatem.* Primam enim non tenent prædicti viginti Authores, ſed ſecundam. Et qui negant, ſufficere vnum Authorem, ſolùm negant quemlibet, non verò negant ſufficere vnum firma ratione munitum. 12.

Soluitur tertiò.

Quartò. Alexander VII. damnauit vt ſcandaloſam hanc propoſitionem, quæ eſt vigeſima-ſeptima ex damnatis in eo decreto: *Si liber ſit alicuius iunioris, & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtet, reiectam eſſe à Sede Apoſtolica tanquam improbabilem.* Vide infra *cap.* 12. Qua damnatione ſuppoſita, maior eius ſyllogiſmi falſa eſt: non enim eſt probabile quidquid dicunt quatuor, aut etiam viginti Authores contra deciſionem Romani Pontificis in materia morum. 13.

Soluitur quartò.

CAPVT II.

Quæ argumenta militent contra probabilitatem extrinſecam, quam firmant vnus, duo, tres, vel quatuor Authores?

ARTICVLVS I.

Proponuntur argumenta difficilia contra ſententias communes de numero Authorum ſufficienti ad probabilitatem.

Aliqui ſunt Authores, qui docent vnum Authorem doctum, & probum ſufficere ad extrinſecam probabilitatem opinionis: quod idem eſt ac dicere, teſtimonium vnius eſſe argumentum graue extrinſecum ad colligendum, opinionem eſſe probabilem. Pro hac citantur Authores, quorum mentem capite ſequenti diſcutiemus. Alij requirunt ad probabilitatem extrinſecam quatuor Authores: & hanc eſſe communem ſententiam, teſtatur Caramuel *in Theolog. fundam. num.* 448. 14

Sed contra hæc aſſerta, licèt communia, difficultates militant non communes. Quod non ſufficiat vnus Author, ſic probatur. Quidquid vnus Author dicit, eſt probabile (ita creduntur affirmare pluſquam triginta Authores proximo capite referendi:) ſed Corduba dicit, delectationem moroſam non eſſe peccatum mortale (*lib.* 1. *quæſt.* 23. *dub.* 11. apud Amadæum Guimenium *tract. de Matrimonio, propoſit.* 8. *num.* 2.) & eſt vir doctus: ergo probabile eſt, delectationem moroſam non eſſe peccatum mortale. Deinde benè valet ab oppoſito contradictorio conſequentis ad oppoſitum contradictorium antecedentis: ergo bene valet; *Non eſt probabile, delectationem moroſam* 15.

Quibus argumentis probatur, non ſufficere vnũ Authorem ad probabilitatem?

Delectationẽ moroſam venereã non eſſe peccatum mortale.

Damnata ab Inquiſitione. *moroſam veneream non eſſe mortale peccatum*: (ea propoſitio Cordubæ damnata fuit à ſacro Fidei Tribunali Hiſpaniæ in Indice expurgatorio anni 1612. & an. 1640.) *ergo non quidquid vnus Author dicit, eſt probabile.* Sed iſta propoſitio, *Non quidquid vnus Author dicit, eſt probabile*, æquiualet iſti, *Non ſufficit vnus Author ad probabilitatem*, aut ſaltem iſta infertur ex illa: ergo dicendum eſt, non ſufficere vnum Authorem ad probabilitatem.

16. *Neque ſufficere tres.* Secundò. Id argumentum ſimiliter efformari poteſt, vt probetur tres Authores non ſufficere ad probabilitatem. Nam præter Cordubam aſſerentem, id eſſe probabile, etiam Tabiena *Verbo cogitatio moroſa*, *num.* 2. ſentit eſſe probabile, dum refert aliquos dixiſſe eſſe veniale, & ipſe dicit eſſe veroſimilius, quod ſit mortale. Et abſolutè affirmauit Martinus de Magiſtris *tract. de temper. quæſt.* 3. *de Luxuria.* Vnde ſic argumentari licet. Quidquid dicunt tres, eſt probabile: ergo probabile eſt, delectationem moroſam non eſſe mortale. Deinde: Non eſt probabile, delectationem moroſam non eſſe mortale: ergo non quidquid dicunt tres, eſt probabile: ergo non ſufficiunt tres Authores ad probabilitatem.

17. *Neque ſufficere quatuor.* Tertiò. Quatuor Authores aſſerunt, ſi Religioſus prouocet tactibus impudicis ſæcularem vſque ad pollutionem eius, ſine pollutione propria, non peccare contra votum caſtitatis. Ita *Si Religioſus prouocet ſæcularem tactibus ad pollutionem, non eſſe reum voti. Damnata.* Nicolaus Moſcicenſis *in Tyrocinio artis pœnitentiariæ, part.* 2. §. *de luxuria*, *num.* 10. Geſualdus Capuccinus *in Theol moral. tom.* 1. *tract.* 27. *cap.* 10. *num.* 16. *Graffis de caſib. reſeru. lib.* 3. *cap.* 8. *n.* 39. & Hieronymus de Llamas (apud Amadæum Guimenium *tract. de Matrim. prop.* 13. *num* 2.) quæ ſententia damnata fuit, vt pote improbabilis, & certò falſa, in Sacro Fidei Tribunali Hiſpaniæ in Indice expurgatorio anni 1640. Hinc autem ſimile argumentum conficies, vt probes non ſufficere quatuor Authores ad probabilitatem.

18. Quidquid dicunt quatuor, eſt probabile: ergo probabile eſt, non peccare contra votum illum, qui tangit, &c. Deinde: Non eſt probabile, quod non peccat contra votum, ille, qui tangit, &c. Ergo non quidquid dicunt quatuor, eſt probabile: ergo quatuor non ſufficiunt ad probabilitatem. Vel ſic: Si ſufficerent quatuor ad probabilitatem, ſententia illa improbabilis de Religioſo tangente impudicè, eſſet probabilis: repugnat, quod ſententia illa ſit probabilis: ergo quatuor non ſufficiunt ad probabilitatem.

19. *Neque ſufficere quinque. Iuriſdictionē non requiri, vt Sacerdos abſoluat.* Quartò. Simplicem Sacerdotem vi ſuæ ordinationis accepiſſe integram poteſtatem abſoluendi, quin requiratur aliqua alia iuriſdictio ad validè abſoluendum à peccatis, quinque Authores defendunt. Armacanus *lib.* 11. *quæſt. Armen.* à *cap.* 1. *vſque ad ſextum.* Durand. *in quart. diſt.* 19. *quæſt.* 2. Almainus *in* 4 *diſt.* 18. *quæſt. vn.* & ex Recentioribus Crouſers *in Regul. S. Franciſci cap.* 7. *lect.* 3. & Machado *tom* 1. *lib.* 1. *part.* 1. *tract.* 1. *docum.* 2. *num.* 2. quatenus cùm dicit, quæſtionem eſſe controuerſam, partem negantem dicit communiorem, & magis receptam à maiori parte Theologorum, qui etiam diſcurſu præuio profitetur, ſe relaturum eſſe ſolùm opiniones, *Erronea, & contra definitionem Tridentini.* quæ ſint probabiles. Quæ tamen ſententia erronea eſt, vtpote quæ expreſsè aduerſatur Concilio Tridentino *ſeſſione* 14. *cap.* 7. *de Sacram. Pœnitentiæ*, & *can.* 11. & Florentino *in decreto Eugenij.* Vnde etiam poteris arguere: [Propugnatur à quinque Authoribus, & tamen eſt improbabilis, & erronea: ergo propugnari à quinque, non infert, quod ſit probabilis.]

Quintò. Quamplurimæ ſententiæ ſunt in materia immunitatis Eccleſiæ, pro quibus ſtant 20. *Neque ſufficere duodecim.* decem, aut duodecim Authores Iuriſperiti; quas tamen omnes, aut ferè omnes Theologi reprobant: ergo omnes, aut ferè omnes Theologi cenſent eas eſſe improbabiles. Patet conſequentia. Nam ſi eſſent probabiles, reprobari non poſſent; eſt enim contra conceptum, & eſſentiam opinionis, quæ eſt practicè probabilis, quod ſit reprobabilis; cùm enim ſunt duæ opiniones oppoſitæ practicè probabiles, eſt libertas amplectendi, quam quiſque maluerit, & ideò ambæ ſunt practicabiles. Implicat autem, quod propoſitiones ſimul ſint practicabiles, & reprobabiles. Iam verò ſi ferè omnes Theologi affirmant, eſſe improbabiles opiniones, quæ habent pro ſe decem, aut duodecim Authores Iuriſperitos, manifeſtè infertur, quod decem, vel duodecim Authores non ſufficiunt ad probabilitatem. Quas argumentationes vberiùs promouere poteris ex dicendis *cap.* 8. per omnes eius articulos.

ARTICVLVS II.

Idem argumentum efformatur contra Authores veteres, qui docent ſententias antiquatas.

SExtò. Non poſſunt reddere ſententiam probabilem illi Authores, qui docent ſenten- 21. *Authores veteres, qui docent improbabilia.* tias improbabiles, & certò falſas: ſed multi ex antiquis docent ſententias improbabiles, & certò falſas, quas vocant antiquatas, eas ſcilicet, quæ iam inuenta denuò ratione moraliter euidenti, ab omnibus iudicantur certò falſæ, & reipſa tales ſunt: ergo hi Authores, quamvis numero plures, non reddunt ſententiam probabilem.

Et hinc videtur efformari poſſe argumentum, 22. vt probetur, plures Authores eſſe, quorum authoritas non valet ad opinionem probabilem conſtituendam. Etenim authoritas, quæ valet ad conſtituendam opinionem probabilem, eſt quæ ſignificatur per hanc propoſitionem; *Quidquid docet Titius, eſt probabile*; vel quæ ſignificatur per hanc, *Aliqua, quæ docet Titius, ſunt probabilia.* Si primum, ea propoſitio falſificatur in iis veteribus, qui docuerunt improbabilia: ergo non habent authoritatem ſufficientem ad conſtituendam propoſitionem probabilem. Si ſecundum, ex illa propoſitione particulari, quod doceat Titius aliqua probabilia, non infertur, quod hæc concluſio ab illo tradita ſit probabilis, cùm à particulari ad ſingulare nulla ſit conſequentia. Et confirmatur; quia teſtis, qui in iudicio ſemel mentitur, fidem amittit pro reliquis teſtificationibus: ergo Authores veteres, qui aliqua improbabilia tradiderunt, amiſerunt fidem probabilitatis.

Dices, prædictam authoritatem explicari per 23. *Reſponſio.* eam propoſitionem vniuerſalem; *Quidquid docet Ioannes, eſt probabile.* Cæterùm illam eſſe debere vniuerſalem, non logicè, vel metaphyſicè,

ſed moraliter, hoc eſt, vt in plurimum, vel frequentiùs. Et ita quamvis defecerit in vna, vel altera propoſitione improbabili, non propterea tollitur veritas propoſitionis moraliter vniuerſalis; & conſequenter non minuitur eius authoritas.

24. *Impugnatur.* Sed refutatur reſponſio. Nam ſi diceres mihi, Petrum veracem eſſe vt in plurimum, & frequentiùs, & ferè ſemper; non omnino fiderem verbis eius: & in ea dictione *Ferè*, includeretur ratio, ob quam cauerem ab aliquo eius mendacio: ergo ſi dicas, aliquem Authorem ferè ſemper affirmare probabilia, timendum eſſet ab aliqua propoſitione improbabili eius: hic autem timor minueret eius authoritatem: non ergo habet ille plenam, & integram authoritatem.

25. Caietanus. *Valere Baptiſmum abſque expreſſione Trinitatis. Erronea.* Et quidem in Caietani operibus multæ propoſitiones improbabiles, imò & erroneæ reperiuntur. 3. *p. quaſt.* 66. *art.* 6. ait, valere Baptiſmum ſine expreſſione Trinitatis: quam propoſitionem eſſe erroneam, meritò dixit Spina *opuſc. de forma Bapt. num.* 5. & cuius oppoſitum definitum eſt à Zacharia Papa *in cap. In ſynodo, de conſecrat. diſt.* 4. Item apud Sotum *in* 4. *diſt.* 5. *quaſt. vnica*, *art.* 2. §. *Grauiùs autem*, paruulos abſque Baptiſmo, dum applicari non poteſt, ab originali liberari, etiam morientes in vtero matris. *Paruulos abſque Baptiſmo ab originali liberari. Erronea.* Quam erroneam eſſe, ait Sotus *ibi, & art.* 11. Quem eſſe errorem Pelagianorum, aſſerit Auguſtinus, vt patet ex eodem Soto *art.* 2. Et cum Caietano ſentit ex parte Margarita Confeſſorum. Item apud eundem Sotum *in* 4. *diſt.* 17. *quaſt.* 2. *art.* 5. attritionem poſſe iuſtificare ſine Sacramento, contra Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. *Attritionem iuſtificare ſine Sacramento. Contra Trid.* *& in Summ. verb. ieiunium*, ait, iſtud non obligare ſub mortali. *Præcepta Eccleſiæ non obligare ſub mortali. Improbabilis.* Quod idem docet de omnibus præceptis Eccleſiaſticis *verb. Clericus*, quam ſaltem eſſe improbabilem, & certò falſam, omnes tenent. Et *verb. Communio*, non eſſe ex obligatione præmittendam confeſſionem communioni, etiam quando adeſt conſcientia peccati mortalis, contra Tridentinum *ſeſſ.* 13. *cap.* 7. *& can.* 11. *Poſſe communicari ſine præuia confeſſione. Contra Trid.*

26. Syluester. Syluester habet etiam aliquas propoſitiones improbabiles, ſiue certò falſas. Verbo *Ieiunium*, refert opinionem Caietani, quod non obligat ſub mortali, nec reprobat. Et *verb. Confeſſio* 5. *quaſt.* 5. poſſe confeſſarium reuelare delictum ſibi expoſitum, quando pœnitens manet cum propoſito perpetrandi: *Poſſe reuelari delictum à Confeſſario, quando, &c. Erronea.* quam dicit erroneam D. Thom. *in* 4. *diſt* 21. *quaſt.* 3. *art.* 1. & Sotus *in* 4. *diſtinct.* 18. *quaſt.* 4. *art.* 5. *ad* 2. quam etiam tenet Alexander apud Ioan. de la Cruz *in direct.* 2. *part. de Pœnit. quaſt.* 6. *dub.* 1. *concluſ.* 2. item tenet ſententiam Caietani, ſine præuia confeſſione poſſe accedere ad Euchariſtiam eum, qui culpæ mortalis conſcius eſt, apud Ledeſmam *de Euch. cap.* 11. vbi etiam Paludanus, & Armilla idem propugnant.

27. Paludanus. *Validum eſſe Baptiſmum ſine intentione Miniſtri.* Paludanus, præter hanc propoſitionem de acceſſu ad Euchariſtiam ſine confeſſione præuia, alias propoſitiones improbabiles docet. Talis eſt, quæ propugnat, ſine intentione miniſtri validum eſſe Baptiſmum, ſupplente Deo defectum intentionis in paruulo, in adulto verò ſupplente deuotione ipſius. Ita Syluest. *verb. Baptiſmus* 4. *quaſt.* 11. Eamdem propoſitionem tenet Durandus apud Sotum *in* 4. *diſt.* 5. *quaſt. vn. artic.* 1. §. *Grauiùs autem.* *Contra Trid.* Opposita autem propoſitio definita eſt in Trid. *ſeſſ.* 7. *can.* 11. Tenet etiam Paludanus apud eundem Sotum *diſt.* 3. *art.* 6. *Quod ſi baptizans non tangat aqua illum, quem baptizat, Deus ſupplebit, & gratiam conferet.* Et dicit probabilem ſententiam Durandi mox citandam circa matrimonium.

Durandus, præter eam propoſitionem de defectu intentionis in Miniſtro baptizante, proximè relatam, docuit Sacramentum Matrimonij non eſſe propriè Sacramentum, nec conferre gratiam, vt refert P. Thom. Sanch. *lib.* 2. *de Matrim. diſp.* 10. *num.* 1. quæ propoſitio eſt contra definitionem Concilij Trid. *ſeſſ.* 7. *can.* 7. *&* 8. *& ſeſſ.* 24. *can.* 1. item docuit, non eſſe præceptum annuæ confeſſionis fidelibus impoſitum. Ita *in* 4. *diſt.* 17. *quaſt.* 14. apud Fagundez *præcept.* 2. *lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 1. 28. Durandus *Matrimoniũ nõ eſſe Sacramentum. Contra definitionẽ Trid.*

Angelus *verb. Ieiunium, num.* 15. ait, ieiunium non obligare ſub mortali. Et *verb. Inobedientia*, vniuerſaliter docet idem de omni lege Eccleſiaſtica. Pro qua doctrina citat Angelus Richardum, Archidiaconum, & Geminianum. Item Angelus ſpecialiter idem tenet de lege audiendi ſacrum diebus feſtis; quod ſcilicet non obligat ſub mortali, apud Machado *tom.* 1. *lib.* 2. *part.* 4. *tract.* 1. *docum.* 1. Quam propoſitionem propugnant etiam Tabiena, Turrecremata, Ricardus, & Roſella apud eundem Machado. Quas propoſitiones eſſe falſas, certiſſimè conſtat, vt ſuprà dictum eſt. 29. Angelus. *Leges Eccleſiæ non obligare ſub mortali.* *Improbabilis, vtminimùm.*

Altiſſiodorenſis docuit (apud Sotum *in* 4. *diſt.* 5. *quaſt. vnic. art.* 2.) quod ſi baptizans non proferat integram formam, ſcilicet tres diuinas Perſonas, validum eſſe Baptiſmum, ſupplente Deo defectum. Quam propoſitionem erroneam eſſe, ex ſuprà dictis conſtat. 30. Altiſſiodor. *Valere Baptiſmum ſine integra forma. Erronea.*

Margarita Confeſſorum, præter eam propoſitionem de iuſtificatione pueri abſque Baptiſmo ſuprà relatam, propugnat etiam, licitum eſſe accedere ad Euchariſtiam ſine confeſſione præuia, etiamſi ſit conſcius peccati mortalis: apud Amadæum *tract. de Euchar. propoſit.* 3. *num.* 6. 31. Margar. Cõf.

Ioannes Pariſienſis (apud Syluestrum *Euchariſtia* 3. *num.* 6.) propugnat, non impedire ſumptionem Euchariſtiæ cibum, vel potum, qui ſumitur per modum medicinæ, eo quod iſti non aduerſentur ieiunio naturali. Quam propoſitionem & eſſe certò falſam, per ſe conſtat; & eſſe erroneam, aſſerit P. Suar. *tom.* 3. *in* 3. *part. diſp.* 68. *ſect.* 4. Quam propoſitionem tenuit etiam Gothfredus apud eumdem P. Suarez. 32. Ioan. Paris. *Cibo medicinali non impediri communionem. Erronea.* Gothfredus.

Ioannes Gerſon *lib. de poteſtate Eccleſiæ* (apud Bellarminum *lib.* 4. *de Romano Pontifice*, *capit.* 2.) propugnat, poſſe errare Pontificem in definitionibus ad Fidem pertinentibus, ſi abſque generali Concilio definiat. Quam propoſitionem dicit ibi Bellarminus eſſe erroneam, & hæreſi proximam. Et eamdem propoſitionem tuentur Almainus, & Alphonſus de Caſtro apud Bellarminum citatum. 33. Gerſon. *Poſſe errare Pontificẽ extra Conciliũ.* *Erronea, & hæreſi proxima.* Almainus. Caſtro.

ARTI

Digitized by Google

ARTICVLVS III.

Inſtauratur argumentum circa Iuniores Theologos, qui docent ſententias improbabiles.

34. ETſi dicatur, quod antiquiorum authoritas minuitur, eo quod aliquas propoſitiones dixerunt erroneas, vel improbabiles, quamvis illas tales dixerint eo tempore, quo multæ veritates Thologicæ non ſubierant adeò diligens examen, quali iam ſubiectæ ſunt; multò magis minui videbitur Recentiorum authoritas qui (poſt diligentiſſimum veritatum Theologicarum examen, quod noſtro ſæculo ſubierunt) in propoſitiones improbabiles, & certò falſas lapſi ſunt. Contra quos fortiùs militat argumentum. Ad reddendam concluſioni probabilitatem non eſt ſufficiens authoritas eius, qui docuit improbabilia, ſiue qui docuit propoſitiones, quarum oppoſitæ ſunt moraliter certæ, vt conſtare videtur ex argumento articuli præcedentis *numero* 21. ſed multi ſunt Authores, qui talia docuerunt: ergo non ſufficit eorum authoritas ad reddendam concluſioni probabilitatem. Cuius argumenti minor inductione conſtare poteſt. Sed quia inductio hæc odioſa eſt, ideò nominibus Authorum ſilentio, vt in plurimum, compreſſis, inductio fiet per ipſas opiniones certò falſas, & improbabiles.

35. *Variæ opiniones improbabiles propugnata à Iunioribus.*

Eſt qui propugnauerit, matrimonium Fidelium ſine ſacris cæremoniis, & ſine Eccleſiæ miniſtro contractum (etſi validum ſit) non eſſe ſacramentum. Quod eſt expreſsè contra definitionem Concilij ſupra relati *numero* 28. Item poſſe errare Romanum Pontificem in approbatione Religionum: quam propoſitionem omnes graui cenſura damnant, & eam eſſe errori proximam docent graues Theologi. Sicut etiam poſſe errare Pontificem in Cononizatione Sanctorum: quæ propoſitio ſecundùm alios Theologos hæretica eſt, ſecundum alios erronea, aut errori proxima.

36. *Aliqua improbabiles circa ieiuniũ naturale, & Eccleſiaſticum.*

Quidam Theologus docet, eum, qui comedit poſt punctum mediæ noctis horologiis indicatum, dummodo non ſit poſt aliam horam integram, poſſe eo die ſacram Euchariſtiam accipere. Quam improbabilem eſſe, affirmat Ludouicus à Conceptione *tom.* 1. *Examinis, tract.* 2. *de reſtitutione, caſ.* 45. *numero* 36. & conſtabit ex dicendis *diſputatione* 25. Item docet, non violari ieiunium, quod ſubſequitur, ſi quis ad tres quadrantes poſt mediam noctem comedat. Item docet, quando eſt dies ieiunij, qui antecedit diem non ieiunij, & in primo comeditur per tres quadrantes ante mediam noctem, non violari ieiunium. Item docet, in vltima die Bacchanalium, vulgò *Carneſtolendas*, licitum eſſe differre cœnam ad tres horas poſt mediam noctem, & cœnare poſt tres illas horas, quæ re ipſa pertinent ad feriam quartam Cinerum, & per hoc non violari ieiunium eius feriæ quartæ. Quarum propoſitionum improbabilitas conſtabit *ex eadem diſputatione* 25. Item docet idem Author, comeſtione vuarum non violari ieiunium; quaſi non ſit certum, ſumptionem vuarum eſſe comeſtionem, & non potum; & quaſi non ſit certum, quamlibet comeſtionem (præter eam, quæ requiritur ad medicinam) temerare ieiunium, ſi ſit vltra vnicam comeſtionem ab Eccleſia conſuetam.

Comeſtione vuarum non violari ieiunium, improbabile.

37. *Alia improbabiles in materia caſtitatis.*

Quidam alius docet, poſſe fœminam coniugatam licitè ſe polluere, & abſente viro ſeminare; & alias ſimiles propoſitiones illi cohærentes: quamuis propoſitis fundamentis pro parte affirmatiua, dicat poſteà, ſe non defendere eas tanquam probabiles, & tutas, ſed doctorum examini ſubiicere. Sed etiamſi hanc addat limitationem, improbabilia docet: eſt enim improbabile, propoſitiones moraliter certas in materia morum poſſe inter dubias reponi.

38. *Aſſertio de vſura vt licita, attributa P. Molinæ eo loco, vbi dicit erroneam.*

Quidam Author Summæ Hiſpano idiomate ſcriptæ *in capite de vſura* ait, P. Molinam docuiſſe, vſuram eſſe licitam: additque prædictus ſummiſta, eam Molinæ propoſitionem eſſe erroneam. Sciendum autem eſt, P. Molinam in ea ipſa diſputatione, quam ille citat, aſſerere, vſuram eſſe illicitam, & oppoſitam propoſitionem eſſe erroneam. Id autem magnam præbet occaſionem errandi Lectoribus. Nam Lectores, qui non fuerint valde docti, & inciderint in eum locum prædictæ Summæ, credent, eam fuiſſe opinionem P. Molinæ, & cùm longè maioris authoritatis ſit P. Molina, quàm ille Summiſta, fortaſſe putabunt, eam propoſitionem eſſe probabilem, in magnum præiudicium Theologicæ veritatis. Quod videtur minuere authoritatem eius Summiſtæ ad probabilitatem, quòd in re tam graui, tam enormiter, & inconſideratè proceſſerit; ex quo maius fortè nocumentum inferre poterit, quàm ſi ipſe aſſertiuè docuiſſet, ob rationem dictam. Quo vitio laborat etiam alius, qui P. Thomæ Sanchez attribuit, quod dixerit, licitam eſſe pollutionem ſanitatis cauſâ. De quo vide *diſputat.* 45. *cap.* 7. contra quos ſic videtur poſſe inſtrui argumentum ad rem præſentem. Non ſufficit ad probabilitatem opinionis, qui dat fundamentum probabilitatis errori: ſed illi duo Scriptores, dum authoritatem magnam PP. Molinæ, & Thomæ Sanchez adhibent illis erroribus, dant fundamentum probabilitatis erroribus (id eſt, quod aliàs poſſet eſſe fundamentum probabilitatis, ſi ſententiæ non eſſent erroneæ:) ergo illi Scriptores non ſufficiunt ad probabilitatem opinionis, eorumque authoritas ex hac parte minuitur.

Aſſertio de pollutione vt licita, attributa P. Thomæ Sanch.

39. Machado. *In numerum probabilium refert aliquas improbabiles.*

Ioannes Machado (quem oportuit nominare, nam plurimorum manibus teritur, vt caueant ab opinionibus improbabilibus infra referendis) aliquas ſententias improbabiles, imò & erroneas in numero probabilium reponit. Et quidem *tom.* 1. *in diſcurſu præuio, colum.* 4. ſic ait: [Con todo eſſo proteſto, que no es mi intento, dar mas probabilidad, aplauſo, o autoridad à vnas opiniones, que à otras; ſino referir llanamente las que hallàre eſcritas por vna, y otra parte, *como ſi tengan probabilidad, y no la ayan perdido,* por

por eſtar cenſuradas por las perſonas, à cuyo cargo eſtà, ò por eſtar derogadas por contrarias diſpoſiciones de los derechos, ò impugnadas generalmente por todos los Doctores, y como tales no admitidas en vſo.] Quæ verba in commune omnibus idoma ſic verto. [Teſtor tamen, non eſſe mentis meæ tribuere maiorem probabilitatem, plauſum, vel authoritatem aliis opinionibus præ aliis, ſed ſimpliciter referre eas, quas ſcriptas repereto pro hac parte, & pro oppoſita, *dummodo hodie probabilitate conſtent, nec illam amiſerint*, eo quod incurrerint cenſuram eorum, ad quos pertinet de illis iudicare; vel eo quod derogatæ ſint contrariis iuris deciſionibus, vel generaliter impugnatæ ab omnibus Doctoribus, & vt tales nullatenus vſu receptæ.] Profitetur itaque Machado, non referre niſi opiniones, quæ verè ſunt actualiter probabiles: atque adeò omnes, quas refert, vt de facto probabiles proponit.

40. Et hoc non obſtante, plurimas refert non improbans, quæ apud omnes ſunt improbabiles, & certò falſæ. Vide ſupra *numero* 19. propoſitionem erroneam, quam refert, nec improbat, quod Sacerdos vi ordinationis ſuæ validè abſoluit independenter ab alia iuriſdictione. Item *tom.* 1. *lib.* 2. *part.* 4. *tract.* 3. *docum.* 1. *numero* 9 refert propoſitionem Angeli, & aliorum (relatam ſuprà *numero* 29.) quod præceptum ieiunij non obligat ſub mortali; nec improbat. Item *tractatu* 1. *docum.* 1. *numero* 3. refert ſententiam Angeli, Roſellæ, Aſtenſis, Tabienæ, Riccardi, Turrecrematæ, aſſerentium, præceptum audiendi Miſſam, ſecluſo contemptu, non obligare ſub mortali. Quam non modò improbabilem, ſed & erroneam eſſe, conſtat ex *diſputatione* 21. *capit...* Idem Machado *tom.* 1. *lib.* 7. *part.* 2. *tractatu* 3. *docum.* 3. *numero* 3. inter ſententias probabiles refert ſententiam Tabienæ, quod licet abſoluere concubinarium, etſi iſte nolit expellere concubinam. Quæ ab omnibus tanquam improbabilis indubitanter reiicitur. Item *tom.* 1. *lib.* 1. *part.* 1. *tractatu* 1. *docum.* 3. *numero* 4. dicit eſſe probabile, quod ſimplex Sacerdos poteſt abſoluere à peccatis oblitis in alia confeſſione: pro qua citat Valerum. De quo vide infrà *diſputatione* 50. *numero...*

41. Victoria. Franciſcus Victoria *in Summa Sacramentorum, de Extrema vnctione, numero* 216. dixit: [Ideò probabiliter credo, quod non eſt de neceſſitate Sacramenti, quod oleum ſit benedictum ab Epiſcopo.] Quod tamen eſt expreſsè contra Tridentinum *ſeſſ.* 14. *capit.* 1. *de Extrema vnctione: Intellexit enim Eccleſia materiam eſſe oleum ab Epiſcopo benedictum.* Et contra Florentinum in Decreto Eugenij. Et ideò tribunal Hiſpanicæ Inquiſitionis in Expurgatorio anni 1640. eam Victoriæ propoſitionem damnauit, & expunxit.

42. Cornejo. Petrus Cornejo *tom.* 2. *in* 3. *part. quaſtione* 80. *tractatu* 4. *diſputatione vnic. dub.* 3. affirmauit, eum, qui in confeſſione oblitus eſt peccati mortalis, ſi recordetur ante communionem Euchariſtiæ, poſſe communicarè abſque præuia confeſſione illius peccati obliti. Quæ propoſitio apertè repugnat Tridentino *ſeſſ.* 13. *capit.* 7. Et ideò meritò eam opinionem damnauit Inquiſitio Hiſpanica in Indice expurgatorio anni 1640. *in Appendice, verb. Fr. Petrus Cornejo.*

Quas ſententias improbabiles docuerint Corduba, & Hieronymus de Llamas, & alij, illas quidem à Sacro Fidei tribunali Hiſpanico damnatas, conſtat ex ſuprà dictis *numero* 15. & 17. Neque premenda ſilentio fuerunt nomina eorum, quorum doctrinæ refragati ſunt Sacræ Inquiſitionis Iudices, cùm illa in Indice expurgatorio palam legantur. 43. Corduba. Llamas.

Ex quibus colligi alicui fortaſſe videbitur, non ſufficere ad conferendam probabilitatem opinionibus eos omnes Authores, qui prædicta improbabilia docuerunt; atque adeò non eſſe generaliter verum, quod vnuſquiſlibet Author ſufficiat ad probabilitatem, & ſecuritatem conſcientiæ. 44.

ARTICVLVS IV.

Idem argumentum conficitur circa Summiſtas, alioſque Authores materiam ſine diſcuſſione rationum tractantes.

Pater Thom. Sanch. *lib.* 3. *de Matrim. diſputation.* 44. *numero* 3. & *lib.* 1. *ſumm. capit.* 6. explicans, quæ dicenda ſit communis opinio, aſſerit, ſolos eos Authores, qui quæſtiones ex profeſſo tractant, rationibus hinc inde ponderatis, intelligendos eſſe conſtituere communem opinionem. Ecce eius verba *eo numero* 9. [Non dicitur autem communis ex Authorum numero, qui priorum veſtigia inſtar auium ſequentes, nulla diſcuſſione præmiſſa eam affirmant: ſed communis dicetur, ſi pauciores Doctores habeat, qui vtriuſque partis rationibus diſcuſſis, & perpenſis, illam affirment.] Quam cenſuram, & criſim multi alij, tam Theologi, quàm Iuriſprudentes expreſſerunt. 45. Th. Sanch. *Non eſt communis, quam tradunt plures ſine diſcuſſione rationum.*

Quod adeò verum exiſtimauit Nauarrus *Summ. Lat. capit.* 27. *numero* 289. vt dixerit, communiorem exiſtimari opinionem approbatam à ſex Doctoribus, ex profeſſo rem tractantibus, quàm à quinquaginta, ſola ferè priorum authoritate ductis. Vnde fit, quod octo huius generis Scriptores non æquiualeant vni Doctori prioris claſſis. 46. Nauarrus. *Communior reputanda opinio ſex Authorum cum diſcuſſione rationum, quàm quinquaginta ſine illa.*

Et Sotus *lib. de Iuſtitia quaſtione* 6. *fine*, ait: [Parum ad rem refert, quàm ſit numeroſa citatio, vbi ratio non adhibetur noua.] Idem affirmat P. Arriaga *tom.* 1. *in* 1. 2. *diſp.* 24. *num.* 12. 47. Sotus. Arriaga.

Et P. Petrus Hurtado *diſp.* 81. §. 44. vbi inter alia ſic ſcribit: [Authores autem iurati, qui profitentur, ſe nec latum diſceſſuros vnguem ab vnius Authoris placito, vix in ea aſſertione, quam ex Authore hauſerunt, valent aliquid, præter authoris authoritatem eiuſdem. 48. *Non addunt probabilitatem, qui ex alio tranſcribunt.* Petr. Hurt.

Et P. Caſtro Palao *tom.* 1. *tract.* 1. *diſp.* 2. *punct.* 1. *numero* 10. vbi ſic ait: [Si perfunctoriè ſolùm de illa (opinione) tractent, etiamſi plures 49. Caſtro Pal.

Plures perfunctoriè tractantes, non æquiualent paucis ex profeſſo diſcutientibus.

plures ſint, non æquiualent paucis eam ex profeſſo diſputantibus. Debent tamen ij Doctores ex profeſſo quæſtionem diſputantes, certi doctoris doctrinæ non eſſe ita addicti, vt eum tanquam oues, & volucres vnam præeuntem ſequantur.] Quod etiam apud ipſum tradunt Menochius *de præſumption. lib. 2. præſumpt. 71. numero 39.* & Alciatus *de præſump-tion. Regula 1. præſumpt. 51. numero 2.* & Ioannes Sancius *diſp. 29. numero 7. & diſp. 44. numero 68.* & P. Azor *lib. 2. inſtitut. cap. 13. circa finem.*

Menoch. Alciatus. Ioan. Sanc. Azor.

50. Bonacina. *Authores claſſici ſunt, qui rationes perpendunt.*

Idem tradidit Bonacina *tom. 2. diſputatione 2. de peccatis, quæſt. 4. punct. 9. numero. 12.* aſſerens, illos eſſe [Authores claſſicos, qui ritè perpenſis vtriuſque partis rationibus, eam opinionem ſequuntur.] Vocat autem *numero 11.* Authores non claſſicos eos, qui quod à prioribus traditum eſt, ſequuntur, nulla diſcuſſione præmiſſa, inſtar auium, & ouium, quæ alias ſequi conſueuerunt. Iuxta quem, qui ſine diſcuſſione rationum docent, non ſunt connumerandi inter Authores claſſicos, qui opinionibus præſtant probabilitatem extrinſecam.

51. Caramuel. *Qui exſcribunt, numerum non addunt.*

Quod etiam docuit Caramuel *in Theologia fundam, numero. 449. fund. 11.* vbi ait: [Sunt enim Authores, qui numerum non addunt, vel quòd exſcribunt potiùs quàm ſcribunt, & cum cæteris ſaltant; quod non rarò contingit.] Per quæ verba meri Summiſtæ, ſeu Compilatores, & tranſcriptores excluduntur.

52. *Qui ſola alterius authoritate nititur, ferè nullam confert probabilitatem.*

Ea autem criſis apud me certa eſt. Etenim qui ſola aliorum authoritate ductus aliquam concluſionem aſſerit, tandem reducitur ad authoritatem illorum, à quibus hauſit: ergo ipſe per ſe, & ratione ſuæ doctrinæ, & proprij diſcurſûs ferè nullam dat opinioni authoritatem.

53. *Qui ſine diſcuſſione rationum docent, per ſe nõ conferunt probabilitatem.*

Hinc elicio quatuor conſequentias. Primam. Ergo Authores, qui rationes concluſionum non diſcutiunt, & priorum ſolùm authoritate nituntur, non faciunt per ſe opinionem probabilem. Secundam. Ergo omnes meri Summiſtæ, & meri Compilatores excludendi ſunt à numero eorum, qui per ſe dant opinionibus probabilitatem extrinſecam. Tertiam. Ergo quamplurimi Authores, etiam præter Summiſtas, excludendi ſunt ab hoc numero. Quartam. Ergo etiam quatuor Authores, vel etiam plures, qui pertinent ad hanc claſſem. non conſtituunt probabilitatem extrinſecam opinionis.

54. Prima conſequentia probatur. Probabilitas enim extrinſeca nihil aliud eſt quàm authoritas aſſerentis: ſed tota authoritas eius, qui ſola priorum authoritate nititur, ex prioribus eſt mutuata: ergo per ſe, & ratione ſui non habent ſufficientem authoritatem ad extrinſecam probabilitatem conſtituendam.

55. *Meri Summiſtæ, & Compilatores non conferũt probabilitatem.*

Secundam conſequentiam probo. Illi, qui ſine diſcuſſione rationum, & ſequendo priores alios, concluſiones ſtatuunt, non dant per ſe probabilitatem doctrinæ: ſic ſe habent omnes meri Summiſtæ, & meri Compilatores: ergo hi excludendi ſunt à numero eorum, qui per ſe faciunt opinionem probabilem.

56. *Non omnes, qui ſummam conſcribunt, ſunt meri Summiſtæ.*

Dixi *meri Summiſtæ, & meri Compilatores.* Quia Nauarrus verbi gratia Summam fecit, & tamen non eſt merus Summiſta, quia ex aliis eius ſcriptis conſtat, eſſe virum ſapientiſſimum, & prudentiſſimum. Deinde ille Author, qui ex profeſſo, & cum ſolida diſcuſſione rationum quæſtiones tractat, etiamſi vnam, vel alteram non tradat cum diſcuſſione rationum, dum tamen hanc reſolutoriè tradit, illi dat probabilitatem extrinſecam, ſi aliud illi non obſtat. Quia ex cæteris eius reſolutionibus colligitur, eſſe Authorem, qui ſcit optimè ponderare rationes vtriuſque partis. Prætereà non ſunt dicendi meri Summiſtæ, qui breui methodo rationes concluſionum tradunt, & obiectionibus ſatisfaciunt, omnia argumenta vtrimque ponderantes, quamvis ſtylo Laconico.

57. *Multi Authores, præter meros Summiſtas, non dant probabilitatem.*

Tertiam conſequentiam probo. Nam præter Summiſtas ſunt etiam alij Authores, meri Compilatores, & tranſcriptores eorum, quæ reperiuntur in libris aliorum; & qui nihil rationis, vel ponderationis ſuperaddunt ad id, quod in aliis Authoribus repererunt. Vnde iſti non videntur habere plus authoritatis circa doctrinam, quàm eſt ea, quam ex aliis hauſerunt.

58. *Quis dicendus ſit tranſcriptor.*

Aduertendum tamen eſt, non dicendum tranſcriptorem, qui nouam rationem addit, vel nouum rationis robur, ſiue ponderationem ſpecialem, nouamque viam argumenta ſoluendi expedit. Deinde non dicendum tranſcriptorem, qui cùm in cæteris quæſtionibus deciſiones ex ſuo ingenio augeat, in vna, vel altera repetit, quæ ſunt ab aliis tradita: iſte enim ex cæteris quæſtionibus arguitur habere ſufficientem doctrinam ad librandas vtriuſque partis rationes. Quod ſi in hac, vel illa nihil de nouo præſtat, id eſt ob ſterilitatem ipſius materiæ, & quia aliqua præſupponenda ſunt ex aliis Authoribus ad nouas conſequentias producendas.

59. *Quatuor Authores, vel plures huius claſſis non dant probabilitatem.*

Quarta conſequentia ex præcedentibus manifeſtè deducitur. Nam ſi ipſi per ſe non habent authoritatem ad probabilitatem conſtituendam, etſi coniungantur quatuor, vel plures, ratione ſui, & per ſe eadem authoritate carebunt.

60. *Qui alios more auium ſequuntur, non addunt probabilitatem.*

Et confirmatur. Illi Authores, qui alios more pecudum ſequuntur, nulla addita de nouo ratione, aut rationis noua ponderatione, numerum augent, non probabilitatem: ergo qui pro aliqua opinione inueniunt quatuor Authores, non propterea inueniunt opinionem probabilem. Probatur conſequentia. Nam ſi vnus ſit Author eius opinionis, & tres alij ſupradicto modo pecudum illum ſequuntur, non addunt authoritatem, nec probabilitatem: ergo ea opinio ſolum habet eam probabilitatem, quæ ei aduenit ex primo Authore: ergo ea opinio ſolùm habet authoritatem vnius: ergo in ſententia communi, quæ requirit ad probabilitatem quatuor Authores, ea opinio non eſt probabilis, donec innoteſcat, eos non eſſe ex illis, qui more pecudum alium ſequuntur.

61. Et hinc vlteriùs deducitur, quamvis Scriptores recentiores, qui plus operæ impendunt in compilando ſententias Authorum, quàm in arguendo à ratione, opus vtile præſtent; longè tamen vtiliùs ſcribere eos, qui argumentis diſcutiendis inſiſtunt. Nam per argumenta vltro, citroque diſcuſſa, multa, quæ priùs reputabantur certa, inueniuntur dumtaxat probabilia;

bilia; multa, quæ probabilia videbantur, reperiuntur certò falſa. Per ſolas enim citationes Authorum (qui, quaſi omnes eiuſdem claſſis ſint, & authoritatis, coaceruantur) non examinatis ad trutinam rationis argumentis, quaſi in ſola fide parentum manent aſſertiones morales.

62. Et hucuſque dicta in toto hoc capite propoſita ſunt dumtaxat vt rationes dubitandi; quarum ſolutionem, quatenus concluſioni noſtræ officere poſſunt, dabimus in ſequentibus.

CAPVT III.

An ſententia paucorum, aut etiam vnius Authoris conſtituat opinionem probabilem?

ARTICVLVS I.

Qui Authores referantur pro parte affirmante vniuerſaliter, & abſolutè prolata?

63. *Errant, qui abſque limitatione aiūt vnum Authorem (vel plures) ſufficere ad probabilitatem.* ERrant grauiter neothorici, qui ſine vlla limitatione expreſſa, vel tacita proferunt abſolutè hanc propoſitionem; [Sententia vnius Authoris (duorum, vel trium) facit opinionem probabilem.] Quæ propoſitio ſic abſolutè, & ſine limitatione dicta traxit multos in licentiam opinandi ex leuiſſimis fundamentis, & aſſerendi propoſitiones conſcientiæ noxias. Putant enim, ſe firmare probabilitatem hoc ſyllogiſmo. [Sententia vnius Authoris eſt probabilis: hæc, quam modò doceo, eſt vnius Authoris: ergo hæc eſt probabilis.] Et multò magis ſibi videntur vrgêre, ſi alter, vel tertius Author adiungatur. Maiorem ſyllogiſmi probant authoritate pluſquàm viginti Authorum, vel etiam triginta, qui dicuntur ſtare pro ea propoſitione. Minor eſt euidens, quia ipſe, qui ita docet, eſt vnus Author. Et conſequentia eſt optima.

64. *Nullus ferè Author ſtat pro ea propoſitione illimitata.* Circa quam propoſitionem duo præſtabo in hoc, & proximis capitibus. Primum, ei propoſitioni abſque limitatione dictæ, nullatenus ſuffragari Authores, qui pro ea citantur. Secundum, quot, & quales limitationes ei propoſitioni adhibendæ ſint, exponam.

65. *Caram. refert ſexdecim Authores pro ea propoſitione illimitata.* Caramuel *diſp. 6. in Regul. num.* 53. pro ea propoſitione abſolutè prolata citat ſexdecim Authores: nam licèt ipſe cum aliquibus limitationibus admittat, tamen eos Authores citat pro ea propoſitione illimitata. Ait enim: [Ecce non ſolùm quatuor, ſed ſedecim, aut plures aſſerentes, *vnius nobilis Authoris opinionem* eſſe ſatis probabilem.] Eos autem ſic allegat: [Angelus *verb. Opinio, num.* 2. Nauarrus *Sum. Lat. cap.* 27. *num.* 288. *&* *tom.* 3. *de Conſcientia, cap.* 7. *num.* 286. *&* 287. Valentia 1. 2. *diſp.* 2. *quæſt.* 12. (corrige *quæſt.* 14.) *punct.* 4. *quæſtiunc.* 4. Sà *verb. dubium, num.* 13. (corrige *num.* 3.) quos citat, & ſequitur Sanchez *in ſumm. tom* 1. (corrige *lib.* 1.) *cap.* 9. *num.* 7. *Eandem ſententiam* habent Merolla *tom.* 1. *diſp.* 3. *cap.* 4. *dub.* 1. *num.* 4. Fillincius *tom.* 2. *tract.* 21. *cap.* 4. *num.* 134. Villalobos *in Sum. tom.* 1. (*tract* 1.) *difficult.* 4. *n.* 16. *& difficult.* 7. *num.* 3. Baſſæus in Antuerpienſi editione *verb. conſcientia, num.* 8. §. *Vt opinio, pagina* 199. *difficult.* 7. *num.* 3. Caſtrus Palaus *in opere morali tom.* 1. (*tract.* 1.) *diſp.* 2. *punct.* 1. *num.* 12. (corrige *num.* 3.) Sylueſt. *verb. opinio, quæſt.* 2. Vaſquez 1. 2. *tom.* 1. *diſp.* 62. *cap.* 4. *num.* 12. Azorius *tom* 1. *cap.* 7. *quæſt.* 6. (corrige *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 17. *quæſt.* 6.) Sayrus *Claui Regia lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 8. Torres *de Fide diſp.* 55. *dub.* 3. Sanchez in Selectis *diſp.* 44. *num.* 61.

Leander à SS. Sacram. *part.* 6. *tract.* 8. *diſp.* 4. 66. *Lean. à SS. Sacr. pro eadem illimitata refert plures alios.*
quæſt. 109. vt oſtendat, eſſe probabilem (contra Ioannem Martinez de Prado, qui dicit eam improbabilem) ſuam ſententiam, qua tuetur, ſatisfacere præcepto eum, qui paulò ante duodecimam horam noctis incipit recitare Officium canonicum, vt illud finiat continuatè poſt mediam noctam (de quo vide infrà *diſp.* 33.) eam propoſitionem abſolutè, & abſque limitatione prolatam, nempe vnicum grauem Doctorem facere opinionem probabilem, dicit eſſe ferè omnium Doctorum. Et præter ſuprà allegatos addit Gloſſam, & Abbatem, & Doctores *in cap. Capellanus, de Feriis.* P. Henriquez *lib.* 4. *cap.* 18. *num.* 13. Dianam *part.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 30. P. Reginaldum *lib.* 13. *num.* 93. Molfeſium *tract.* 8. *cap.* 9. *num.* 8. Paſqualigum *deciſione* 2. Corraſium *de communibus opinionibus lib.* 2. *tit.* 8. *num.* 6. Cephalum *conſil.* 718. *num.* 37. *lib.* 5. Rolandum *conſ.* 100. *n.* 49. *volum.* 2. Decium *conſil.* 499. *n.* 12. *& conſ.* 258. *n.* 1. Solorzano *tract. de Indiarum iure lib.* 3. *cap.* 2. *n.* 38. Soto Maior *de tertiis cap.* 12. *num.* 39. Verricellium *in quæſtionib. moral. tract.* 2. *ſingular. opin. quæſt.* 5. P. Tannerum 1. 2. *diſp.* 2. *quæſt.* 4. *dub* 3. *num.* 33. (corrige, *quæſt.* 6. *dub.* 3. *num.* 34.) Marcum Serra 1. 2. *quæſt.* 19. *art.* 6. & Amadæum Guimenium *tract. de opinione probabili, propoſ.* 1. Ecce ſeptemdecim alij Scriptores pro eadem propoſitione. Præter quos alios etiam inuenies citatos pro ea propoſitione abſolutè dicta.

Et vt planè comperias, hos Authores non ſtare pro ea propoſitione abſolutè, & abſque limitatione dicta, nota, has duas propoſitiones eſſe toto cœlo diuerſas, vt dixi *num.* 12. *Vnus Author facit opinionem probabilem: Vnus Author firma ratione munitus facit opinionem probabilem.* Et quidem ſecundam tradunt præcitati Doctores, vel aliam ſimilem; non primam in tota ſua vniuerſalitate. Quod inductione patebit, diſcutiendo ſingulorum ſententias. 67.

Et antequam vlteriùs progrediar, iam planè conſpicies, malè probari ſententiam aliquam eſſe probabilem eo ſyllogiſmo propoſito initio huius capitis. Nam cùm dicant Authores citati, vt mox oſtendam, vnum Authorem firma ratione munitum (vel cum alia ſimili limitatione) conſtituere opinionem probabilem, non ſatis eſt oſtendere, eam opinionem ab vno tradi, ſed illum Authorem firma ratione muniri; vel ſimilem aliam limitationem verificari in hac aſſertione, quam probabilem eſſe contendunt. Quod clariùs ex dicendis conſtabit. 68.

ARTI

Digitized by Google

ARTICVLVS II.

Expenditur ſententia Angeli, & Nauarri.

69. *Angelus loquitur de opinione improbabili, quam quis ſequitur de conſilio Magiſtri.* IGitur ad criſim eorum Authorum deuenienilo, in primis citatio Angeli non eſt ad rem. Nam ea quæſtio ſecunda, quæ citatur, hæc eſt: [Vtrum ſequens opinionem Doctoris non ſubtiliter inueſtigatam, quæ poſtmodùm apparet falſa, excuſetur à peccato?] Quod eſt idem, ac inquirere, an qui ex conſilio ſui Doctoris ſequitur opinionem improbabilem, excuſetur à peccato? Subdit autem Angelus: [Reſpondet Panormitanus *in cap. Capellanus, de feriis*, quod ſic, quamdiu non apparuerit falſa.] Et huius rationem tradit Angelus: [Quia probabiliter quis ſequitur opinionem ſui Doctoris.]

70. Aſſerit itaque Angelus, diſcipulum non imprudenter operari, ſed probabiliter, dum ſequitur opinionem improbabilem ſui Doctoris reputatam vt probabilem; quia cùm diſcipulus agat diligentiam prudentem pro inquirenda veritate, non peccat quamvis erret, quia errat materialiter. Numquid inde bene colliges, opinionem improbabilem, quia docetur ab illo præceptore, eſſe probabilem? Minimè. Colliges tamen diſcipulum adhibuiſſe debitam diligentiam, dum conſuluit Doctorem ſuum, quem idoneum reputat, vt ſibi ſatisfaciat; & dum non occurrit ſibi ratio dubitandi, an Doctor ſuus erret.

71. Itaque hîc confunduntur duæ quæſtiones valde diuerſæ. Prima, an ex dicto vnius viri docti opinio euadat probabilis? Secunda, an ſequens conſilium vnius viri docti, probabiliter operetur? Hæc ſecunda differt à prima, quia qui adhibuit in conſultatione prudentem, & debitam diligentiam, conſulendo virum, qui communiter reputatur idoneus ad præbendum conſilium, probabiliter operatur, quamvis opinio in ſe ſit improbabilis. At opinio ipſa, ſi ſit improbabilis, & certò falſa, non redditur probabilis ex authoritate vnius, vel plurium. Itaque in prædicto caſu iſta propoſitio eſt falſa, *Hæc opinio eſt probabilis ex dicto vnius viri docti*; & hæc eſt vera: *Hic operatus eſt probabiliter, ſequendo conſilium vnius viri docti, illud quidem in ſe improbabile*, licèt non cognitum vt tale ab operante.

72. Quia hæ duæ quæſtiones confunduntur, ideò pro prima aſſertione citantur Authores aliqui, qui ſolùm in ſecunda quæſtione loquuntur.

73. *Sub eiſdem terminis loquitur Nauarr.* Nauarrus ſuprà citatus loquitur in terminis ſecundæ quæſtionis, nempe *in Sum. Lat. cap. 27. num. 288.* Cuius hæc ſunt verba: [In foro tamen conſcientiæ ad effectum non peccandi, ſufficit eligere pro vera eius opinionem, quem meritò cenſemus, eſſe virum idonea ad id ſcientia, & conſcientia præditum.] Vbi agit de conſulente virum ex fama doctum, & probum; ille enim probabiliter procedit, etſi Doctor erret, & doceat ſententiam improbabilem.

74. *Iuxta Nauarr. octo Authores ſine diſcuſſione rationum non æquiualent vni ex profeſſo tractãti.* Sed quamvis Nauarrus loqueretur in terminis primæ quæſtionis, adhuc inferiùs eam limitat. Nam *num. 289.* aſſerit, octo Authores, qui ſine diſcuſſione rationum procedunt, & ſola alicuius prioris authoritate ducti, non æquiualere vni, qui ex profeſſo, & perpenſo vtrimque rationum pondere quæſtionem tractat. Non ergo affirmat Nauarrus abſolutè, & ſine limitatione, vnumquemlibet Authorem dare probabilitatem opinioni. Prætereà dum ibi Nauarrus ſummatim ſcribit, non explicat, quis ſit *præditus idonea ad id ſcientia, & conſcientia*. In quo verbo, *idonea ad id*, non modica continetur limitatio inferiùs ſubiicienda *num*...

ARTICVLVS III.

Sententia PP. Thomæ Sanchez, & Gabrielis Vaſquez.

PAter Thomas Sanchez *lib. 1. Sum. cap. 9.* multas affert limitationes eius propoſitionis inferiùs ſubiiciendas. Ideò malè citatur pro ea propoſitione abſolutè, & vniuerſaliſſimè dicta. Sed quod magis ad rem præſentem eſt, tradit *num. 9. fine*, his verbis: [Cum Vaſquez (1.2 *diſp. 62.*) *eodem cap 4. n.* 17. quando opinio ſingularis alicuius Doctoris ex propriis illius fundamentis conſiderata, alicui non probatur, ſed oppoſita, communiſque, & ſolùm videt aliam Doctoris illius authoritate inniti, non eſt apud illum ſufficienter probabilis, vt illam conſulere, aut ſequi poſſit, & iuxta eam prudenter operari. Quia id debile fundamentum prudenter reputatur, tot in in contrarium præponderantibus.] 75. *Thom Sanch non ſtat pro opinione de vno Authore qualicũque.* *Authoritas vnius contra communem, eſt fundamẽtum debile, iuxta Th. Sanch. & Vaſq.*

Itaque ſecundum Thomam Sanchez, & Vaſquium, quando fundamenta vnius opinionis ſingularis leuia eſſe comperiuntur, authoritas illius ſingulariter opinantis non dat probabilitatem ſententiæ; quia tunc ea authoritas eſt leue fundamentum contra communem ſententiam. Vnde fit, ſecundum hos duos magnos Doctores, non eſſe vniuerſaliſſimè verum, quod vnuſquiſlibet Author dat probabilitatem, abſolutè, & ſine limitatione prolatum; ſed potiùs cum ea limitatione, quod quando nullum aliud fundamentum graue eſt, quàm eius authoritas, tunc iſta cenſenda eſt leue fundamentum, & ideò inſufficiens ad conferendum probabilitatem opinioni. 76.

Hinc colliges, quid reſponderi debeat ei argumento, quod quidam efformant, dum ex authoritate vnius volunt eſſe probabilem ſententiam, quam aliis argumentis leuibus confirmant. Nempe [opinio probabilis eſt, quæ nititur fundamento graui: ſed authoritas vnius viri Docti eſt fundamentum graue: ergo hæc opinio, quæ nititur tali authoritati, probabilis eſt.] 77.

Nam ſecundum Sancium, & Vaſquium diſtinguenda eſt minor: authoritas vnius viri docti eſt fundamentum graue, [quando conſtat, eius rationes eſſe leues,] nego; [quando rationes non eſſe leues, aut eſſe graues agnoſcuntur,] concedo. *Quia id debile fundamentum reputatur*, &c. 78.

Vnde etiam conſtat P. Vaſquez non eſſe citandum pro ea propoſitione abſolutè, & ſine limitatione prolata. Et prætereà *eadem diſp. 62. cap. 4. num.* 13. ait: [contra quos (cæteros Doctores, qui ipſum præceſſerunt) deinde alius Doctor *magnæ authoritatis* opinionem aliquam maturè excogitatam in ſcholas introducere *poteſt*.] Vbi notabis primò, ſecundum Vaſquium, non ſufficere quemlibet doctum, ſed requiri Doctorem *magnæ authoritatis*. Secundò, P. Vaſquium non dixiſſe, Doctorem dare probabilitatem, ſed *poſſe*. In quo eſt magna diuerſitas Diſtant enim magno interuallo iſtæ duæ propoſitiones: *Vnus Doctor dat probabilitatem opinioni: vnus Doctor poteſt dare probabilitatem opinioni.* Secunda enim propoſitio 79. *Neque Vaſq. ſtat pro ea opinione.* *Debet eſſe Author magnæ authoritatis.*

Digitized by Google

poſitio capacior eſt limitationis: potentia enim, vel poſſibilitas admittit actum ponendum ſub conditione, ſi dentur aliqua requiſita. Dum ergo ait P. Vaſquez, vnum Doctorem poſſe conferre probabilitatem opinioni, aut opinionem probabilem introducere in ſcholas, intelligendum eſt poſſe eſſe caſus, & circumſtantias, in quibus det probabilitatem.

Articvlvs IV.

Quinque alij Authores in eadem formula limitationis conuenientes.

80. Azor. *Sufficere ait vnum cum ratione manifeſta, & firma.*

PAter Azor *loco cit.* eam propoſitionem habet cum maxima limitatione. Sic enim ait: [Sextò quæritur, quid ſit dicendum, quando vir bonus, & doctus contra communem opinionem nullum claſſicum, & probatum Authorem habet; nihilominùs tamen habet rationem manifeſtam, & firmam: an probabiliter ſentire dicetur, ſi contra communem opinionem ſenſerit, vrgenti aliqua, & firma ratione permotus? Reſpondeo, in foro conſcientiæ non eſſe cur temerè, & imprudenter agere videatur, ſiquidem probabilem, ac iuſtam rationem, & cauſam ſequitur.] Itaque P. Azor non dicit vniuerſaliter, vnum virum doctum facere opinionem probabilem contra communem ſententiam, ſed vnum virum doctum, *ratione manifeſta, firma, & vrgenti permotum.* Qui ergo ex P. Azotio probat, ſuam opinionem ſingularem probabilem eſſe ex authoritate vnius, debet probare, Authorem permoueri ratione *manifeſta, firma, & vrgenti.*

81. Villalob. *Eodem modo atque Azor.*

Villalobos *cit. difficult.* 4. *num.* 17. ſic limitat eam propoſitionem vniuerſalem. [Puede mui bien vn ombre docto ſentir contra la comun, ſi tiene razon manifeſta, y firme, en que la funde.] Quod Latinè ſic vertes: [Poteſt optimè vir doctus opinari contra communem, ſi habet rationem manifeſtam, firmamque, cui nitatur.] Itaque ſecundum hunc Authorem, non vnuſquiſlibet Author facit opinionem probabilem contra communem ſententiam, ſed Author *manifeſta, firmaque* ratione munitus. Malè ergo citatur pro ea vniuerſaliſſima, & illimitata propoſitione: & ex hoc Authore malè probas, concluſionem A, eſſe probabilem, eo quod habeat prædicta concluſio A, vnum Authorem doctum; cùm ſimul debeas probare, illum procedere firma ratione munitum.

82. Ioan. Sanc. *Sufficere vnũ Authorem cũ rationibus probabilibus.*

Ioannes Sancius *ea diſp.* 44. *cit. num.* 61. affirmat, vnum virum doctum poſſe ſuſcitare nouam ſententiam contra communem; [Dum tamen (ait) qui ſuſcitat opinionem, ſit vir doctus, & probabilibus rationibus incedat.] Quam limitationem reperit *num.* 62. Non ergo affirmat, hanc vniuerſalem; *Vnuſquiſlibet Author ſufficit ad opinionem probabilem*; ſed hanc, *Vnus vir doctus probabili rationi innixus ſufficit ad opinionem probabilem.*

83. Caſtr. Palao. *Vnum Authorem firma ratione munitum.*

P. Caſtro Palao citatus, eodem modo loquitur *num.* 3. ait enim: [Vnius Doctoris grauis dictum, *ſi firma ratione muniatur*, ſufficere ad probabilem opinionem aſſerendam aduerſus communem.] Et adhuc ſub hac limitatione addit, id rarò contingere: [Potiùs enim (inquit) talis Doctor credere debet, ſe errare, quàm aliorum iudicio præponi: timere enim debet, ne lumen, quod ſibi eſſe videtur, tenebræ ſint.] Cui conſilio vtinam obſequuti eſſent nonnulli Neotherici, qui primo rationis fulgure coruſcante probabilitatem inclamant; & illam ſibi vrgenter confirmare videntur, eo quod vnus Author (id eſt, ipſe, qui nouam ſuſcitat opinionem) ſufficit ad probabilitatem; cùm potiùs vires argumenti eò dirigere deberent, vt oſtenderent, Authorem firma ratione muniri.

84. Torres. *Vnum Authorem cum magni momenti argumentis.*

P. Torres citatus, eodem modo, & ſub eadem limitatione loquitur. Ait enim: [Mihi ſanè placet, vnius Doctoris opinionem poſſe eſſe (nota id verbum *Poſſe*, quod denotat non eo ipſo eſſe) probabilem: quia fieri poteſt, vt habeat magni momenti argumenta ex authoritate deducta, & ex aliis principiis communiter receptis.] Qui, vt vides, non aſſerit, opinionem ſingularem vnius Authoris eo ipſo eſſe probabilem; ſed poſſe eſſe probabilem, quia *poteſt fieri, vt habeat magni momenti argumenta.* Et ideò iuxta ſententiam huius Authoris tunc opinio vnius viri docti eſt probabilis, quando habet *magni momenti argumenta*: malè ergo citatur pro ea opinione vniuerſali, & illimitata, quod opinio vnius Authoris eo ipſo eſt probabilis.

Articvlvs V.

Sententia P. Filliucij, & Gregorij Sayri.

85. Filliucius limitat vniuerſalem.

PAter Filliucius citatus, quamvis *eo num.* 134. videatur tradere vniuerſaliter eam propoſitionem, nempe [Vnius viri probi, & docti authoritatem, opinionem reddere probabilem:] poſteà *num.* 136. ſic limitat: [Infertur quartò, ad opinionem probabilem requiri, vt communiter reputetur non continere errorem,] &c. nomine autem erroris non intelligit hæreſim, vel errorem contra Fidem, ſed vt error contrariè opponitur certitudini. Cenſet ergo, ſententiam vnius probi, & docti ſufficere ad probabilitatem, dummodo talis ſententia non cenſeatur communiter improbabilis, aut eius oppoſita certa. Qui ergo iuxta mentem Filliucij probare contendit, aliquam opinionem eſſe extrinſecè probabilem ex authoritate vnius, debet ſimul probare, eam non cenſeri communiter improbabilem, ſiue non refragari certitudini morali.

86. Sayrus malè citatus.

Gregorius Sayrus malè citatur pro ea propoſitione, quod ſufficit vnus Author ad probabilitatem etiam contra communem ſententiam. Nam *in loco citato* ſic ait: [Etiamſi in oppoſitum ſint reliqui Doctores, non tamen omnes; & ipſe etiam ſit vir doctus, & peritus in ea arte, qui rationes aliorum ponderare ſciat, poſt adhibitam debitam diligentiam, propriam opinionem in parte minùs tuta ſequi poterit.] Aſſerit ergo, vnum virum doctum, qui rationes aliorum ponderare ſciat, poſſe ſequi ſuam opinionem contra reliquos, dummodo non ſit contra omnes: ex quo manifeſtè fit, vnum contra omnes non poſſe. Et poſteà vlteriùs limitat, nempe aſſerens, ſi Author contra omnes *leui aliquo argumento ductus* procedat, temerè procedere: atque adeò eius authoritatem in eo caſu non eſſe ſufficientem.

Digitized by Google

ARTICVLVS VI.

Tres Authores ſummatim, & per tranſennam docentes.

87. ALij Authores, qui vel per tranſennam, vel ſummatim aſſerunt, ſufficere vnum Authorem ad probabilitatem, non ſatis declarant, ſub qua limitatione id ſit intelligendum, vel loquuntur de eo, qui conſulit virum doctum, aut ſcriptorem doctum, vt hîc, & nunc operetur; qui ſi adhibeat debitam diligentiam, licèt ſequatur opinionem improbabilem reputatam probabilem, non peccat.

88. *Valentia.* Inter quos P. Valentia *loco citato*, breuiter reſoluit ſic: [Quod attinet ad forum conſcientiæ rectè idem (Nauarrus) notat, ſatis eſſe eligere aliquam opinionem probabilem, qualis eſſet illa, quam aliquis doctus, & probus, vt ait Nauarrus, putaret eſſe veram, eamque ſuaderet.] Vbi tria notabis. Primum, id verbum, *ſuadere*, denotare rationem grauem; & ideò, ſi ait Valentia, ſufficere ad probabilitatem vnum virum doctum, & probum, eſſe ſub ea conditione, ſi ſuadeat talem opinionem, id eſt, ſi firma ratione ducatur ad illam aſſerendam: quam ſi non ſuadeat, hoc eſt, ſi non graui ratione fulciat, eius authoritas non ſufficit. Secundum, non tam loqui Valentiam de probabilitate, quam comparat opinio ex authoritate vnius viri docti, quàm de vſu probabili eligentis opinionem. Nam iſte vſus componitur cum eo, quod poſt debitam diligentiam conſultationis, eligatur opinio improbabilis, reputata probabilis, vt dixi. Tertium, in hoc ſenſu etiam loquutum Nauarrum, vt P. Valentia exponit.

Sufficere vnum, qui ſuadeat.

89. *Sà.* P. Emmanuel Sà *loco citato* dixit: [Poteſt quis facere, quod probabili ratione, vel authoritate putat licere.] Sed quid ſit probabilis authoritas, videtur exponere dum ſubdit: [Sufficit autem opinio alicuius grauis Doctoris.] Sed pro ſua breuitate non exponit, quis ſit *grauis*. Fortè grauem cenſuit eum, qui non leuibus rationibus mouetur ad aſſertionem tuendam; & ideò ſub hac limitatione intelligendus, quod ſit probabilis opinio vnius, dum non leui ratione ducatur.

90. *Syluester nihil fauet ei vniuerſali.* Syluester parum fauet ei aſſertioni de vnoquolibet Authore ſufficiente ad probabilitatem. Nam *loco citato* ait: [Communis opinio ſequenda eſt, niſi vera & certa ratio contraria aſſignetur.] Ergo non ſufficit vnus Author contra communem, *niſi vera & certa ratio contraria aſſignetur.* Deinde ſubdit: [Quando cum opinione Gloſſæ eſt aliquis ſolemnis Doctor, & bonæ conſcientiæ, poteſt illum Iudex ſequi.] Ergo ſecundum Syluestrum non ſufficit ſolemnis Doctor ſine opinione Gloſſæ: ergo non ſufficit vnus.

91. Baſſæum, & Metollam videre non potui, & non credo, eos aliter loqui, quàm cæteri loquuntur. Hæc de Authoribus à Caramuele citatis. Deueniendo autem ad eos, quos citat Leander à SS. Sacram. ſequatur.

ARTICVLVS VII.

Expenduntur Gloſſa, Abbas, & alij Iuriſprudentes.

92. IN primis Gloſſa *in cap. Capellanus, de Feriis,* non eſt ad rem. Ecce verba Gloſſæ: [Nota, quod illa ſententia ſemper debet obſeruari, quæ meliori ratione, & ſubtiliori iuuatur.] Neque aliquid aliud habet Gloſſa circa rem præſentem. Quæ quidem Gloſſa conſtringit nos (fortè loquitur de Iudice, & Aduocato) ad opinionem; quæ probabiliori ratione nititur. Et ſi affirmaret, vnum Doctorem ſufficere, id eſſet ſub ea limitatione, ſi *meliori ratione, & ſubtiliori iuuatur.*

Gloſſa non eſt ad rem.

Et quidem Iuriſperiti hanc Gloſſam citant 93.
pro ea ſententia, quod Iudex poteſt ſequi in Iudicio opinionem paucorum, vel etiam vnius. Eſt enim inter Iuriſperitos controuerſia, an Iudex debeat iudicare ſecundum opinionem communem, aut in iudicio ſequi poſſit opinionem paucorum, vel etiam vnius? Et cùm ea Gloſſa dixerit, eam ſententiam ſemper obſeruari debere, *quæ meliori ratione, & ſubtiliori iuuatur*; & non ſemper contingat, communem ſententiam, aliquando autem ſententiam vnius meliori ratione, & ſubtiliori iuuari; ideò Iuriſperiti pro deciſione eius controuerſiæ afferunt hanc Gloſſam, vtpote ex qua infertur, poſſe admitti ſententiam vnius contra communem; quia poteſt fieri, quod ſententia vnius contra communem, meliori, ac ſubtiliori ratione iuuetur. Ex quo non infertur, quod ſequi poſſumus vnumquemlibet; bene tamen, quod vnum, dummodo meliori ratione fulciatur.

Sufficere vnum, ſi meliori, & ſubtiliori ratione iuuatur.

Neque Abbas Panormitanus eſt ad rem, qui 94.
ſic ait *in loco citato*: [Nota, quod inter plures opiniones illa ſequenda eſt, quæ nititur meliori, & ſubtiliori ratione: quod nota benè. Non ergo debet haberi reſpectus ad qualitatem perſonæ illam opinionem fouentis, ſed ad illam rationem, quod facit contra illos, qui dicunt in diſceptatione opinionum ſequendam ſemper eſſe opinionem Gloſſæ: quod mihi non placet. Et pro hoc eſt textus notandus valde *in leg. 1. Cod. de veteri iure enucl.* dum dicit, quod ſæpe vnius forſan, & deterioris ſententia poteſt & multos, & maiores in aliqua parte ſuperare. Et ſic dico, non conſiderandam multitudinem ſequentium vnam opinionem.]

Nec Panormit. eſt ad rem.

In quibus verbis nota primò, ex mente Abba- 95.
tis illam opinionem ſequendam, quæ meliori ratione nititur: ex quo fit euidens, non ſequendam eſſe opinionem vnius, niſi meliori ratione nitatur. Et pro hoc ſenſu affert eam legem primam: vnde quando ex eo textu dicit, quod ſententia vnius poteſt multos, & maiores ſuperare, per id verbum *Poteſt*, declaratur, non eo ipſo quod ſit vnius, ſequendam eſſe; ſed poſſe fieri, quod meliori ratione ducatur, in quo caſu vnus ille ſequendus eſt. Nota ſecundò, ea verba; *Non ergo debet haberi reſpectus ad qualitatem perſonæ illam opinionem fouentis*: id eſt, non deſumi probabilitatem præciſè à qualitate perſonæ, ſed à meliori, & ſubtiliori ratione.

Quod attinet ad cæteros Iuriſperitos ibi al- 96.
legatos, & plures alios, qui inferri poſſunt, omnes illi quoad hoc nihil aliud dicunt, niſi quod dicitur *illa lege 1. cit. Cod. de veter. iur. enucl.* nempe, quod ſæpe vnius forſan, & deterioris ſententia poteſt & multos, & maiores in aliqua parte ſuperare; atque adeò quod ſufficit vnus, ſi rationis ſoliditate reliquos ſuperet: vnde malè infertur, quod ſufficiat ad probabilitatem ſententia vniuſcuiuſlibet docti.

ARTI

Digitized by Google

ARTICVLVS VIII.

Expenditur placitum Dianæ, & aliorum, quos citat.

97. Diana. ANtoninus Diana *loco cit.* tradit eam aſſertionem non ſine limitatione. Ait enim *in ea reſol.* 30. [Illa eſt opinio probabilis, quæ non leui innititur fundamento : ſed authoritas viri docti, & pij non eſt leue fundamentum, maximè ſi adducat aliquam rationem probabilem,& eius opinio non ſit contra communem : ergo, &c.] Non ergo admittit Diana abſolutè hanc propoſitionem, *Authoritas vnius docti, & pij ſufficit ad probabilitatem* ; niſi ſub hac limitatione, *Si adducat rationem probabilem, & eius opinio non ſit contra communem.* Nam id auderbium *Maximè*, non eſt ad ſuperabundantiam, ſed explicationis causâ poſitum.

98. Id patet ex ipſo Diana *part.7 tract.1 reſol.23. num.11.* vbi probans,non poſſe Principes Laicos ſtatuere impedimenta matrimonium dirimentia ; cùm ſibi obiecisset authoritatem Petri Soto oppoſitum aſſerentis, & ſententiam vnius viri docti facere opinionem probabilem,pro quo citat Caſtrum Palaum, Merollam, Filliucium, Moſcicenſem,Leonem, Villalobos, & alios,quos refert, & ſequitur P.Thomas Sanchez, & Petrus à S. Ioſeph,ſubdit : [Reſpondeo,quod tunc authoritas vnius viri docti, & pij facit opinionem probabilem, quando caſus eſt nouus, nunquam ab aliis diſputatus ; ſecus in caſu à multis aliis ventilato, & pluribus Doctoribus, & rationibus munito.] Et *num.* 12. addit : [Vel reſpondeo ſecundò, & meliùs, quod licèt aliqui aſſerant, dictum vnius Doctoris facere opinionem probabilem contra communem ; hoc tamen procedit,vt rectè obſeruat Nauarrus *in Manuali cap.*27. *num.* 285. Angelus Maria Sermarinus *in confutatione duorum tractatuum, propoſitione quinta, fol.* 133. & alij, quando ratio,quam ipſe adducit,eſt manifeſta,& ideò ab aliis ſoluta non fuerit ſufficienter.] Ecce affirmat Diana, non ſufficere ad probabilitatem ſententiam vnius Doctoris, niſi vel in caſu nouo ab aliis non diſputato, vel niſi ille ſingularis Doctor afferat rationem manifeſtam,& ab aliis non ſufficienter ſolutam.

99. Citat Diana pro ſua ſententia Ioannem Antonium Sauta *in voto Platonis, præludio* 9.§. *Quod intelligendum.* Cuius verba ad hanc rem ſunt notatione digna. [Quod intelligendum eſt de ſententia negatiuè ſingulari Doctoris, cui cæteri non contradicunt, nec aſſentiuntur, quia de ea re non egerunt. Si autem ſit ſingularis contrariè, *Sola authoritas vnius cõtra omnes,eſt leue fundamentum.* quam cæteri omnes reiiciunt,*parum probabilitatis affert ex vi ſolius authoritatis,niſi efficaci fulciatur ratione* : quæ ſi deſit, probabile argumentum non erit, quod vni placeat, ſi à cæterorum ſententia abhorreat.] Iuxta cuius mentem leue fundamentum eſt authoritas vnius contra omnes, niſi vnu. ille efficaci ratione fulcitus eſſe conſpiciatur : ergo ad eius mentem ſine ea limitatione falſa eſt vniuerſalis propoſitio, quod ſufficiat ad probabilitatem ſententia vnius docti.

ARTICVLVS IX.

Sententia Serræ, Guimenij, & Acacij.

IOannes Serra *in loco citato*, cum eadem limitatione docet prædictam propoſitionem. Nam 100.
(apud Guimenium *tract. de opinione probabili propoſ.1 num.3.*) ita ait : [Quamvis vnus ſolus ſit talis opinionis Author, ſi tamen ſapiens maximè cognitus, & probatus ſit, ſufficit ad illam probabilem efficiendam, *niſi aliàs conſtet ab omnibus improbari.*] Vides limitationem Ioannis Serræ.

Amadæus Guimenius id non, niſi cum limitatione, affirmat, quatenus pro ſua ſententia affert 101.
Doctores eam propoſitionem affirmantes cum aliquibus limitationibus. Præcipuè quia immediatè pro ſua concluſione affert Acacium de Velaſco limitantem. Ecce verba Guimenij. [Et tradit nouiſſimè M. Acacius de Velaſco *tom.2. reſol. moral. verb. Opinio, reſol.*316 *num.*3. dicens : *Muchos Doctores abſolutamente, y ſin excepcion ninguna defienden, que ſolo vn Doctor, que aya impreſo, es baſtante para hazer opinion probable, con tal que la tal opinion no eſtè abrogada por alguna ley, ò canon, ò tenga algun error, ni notada por los Superiores, à cuyo cargo eſtà ; ni el Doctor padeſca alguna nota en el buen nombre.* (Hæc verba formaliſſima inuenies in Machado *tom.1 in tract. prævio de Probabilit. art.2. §.1 n.5.*) *y yo ſiento lo miſmo con Silueſtro, y otros.*] Quæ verba Acacij oportet Latino reddere ſermoni ſic : [Multi Doctores abſolutè, & ſine exceptione vlla tuentur, vnicum Doctorem,qui typis mandauerit,ſufficere ad conſtituendam opinionem probabilem, dummodò ea opinio non ſit abrogata lege,vel Canone, neque contineat errorem, nec damnata ſit à ſuperioribus,ad quos ſpectat ; nec Doctor patiatur notam aduerſus bonum nomen.Et idem ſentio cum Sylueſtro, & aliis.] Vide quot limitationes apponat, & omnes quidem neceſſarias. Quare probanti,opinionem A,ex dicto vnius eſſe probabilem,incumbit probare,eam opinionem, & eius Doctorem nulli ex iis limitationibus ſubiici.

ARTICVLVS X.

Expenditur ſententia PP. Henriquij, Reginaldi, & Tanneri.

PAter Henriquez in loco vbi citatur à Leandro nihil penitus aſſerit de hoc puncto. *In libro* autem 12. *cap.6. num.6.* agit, quando [Conſcientia de ſe dubia determinatur ad alteram partem :] nam poſt debitam diligentiam determinatur ſufficienter,id eſt, ſine peccato, per opinionem improbabilem reputatam probabilem. In quo caſu dicit, conſcientiam dubiam determinari [Per authoritatem, & opinionem inſignium Scriptorum,quos legit,vel per vnius probati Doctoris,aut Confeſſarij conſilium, & ſententiam.] Non ergo eſt ad rem citatio P. Henrici. 102. *Citatio Henriquij non eſt ad rem.*

P. Reginaldus in loco ſuprà citato tradit eam propoſitionem cum magna limitatione. Ait enim, 103.
tunc vnum Authorem conferre poſſe probabilitatem opinioni ſingulari contra communem, *ſi nitatur ſatis validis rationibus.* Cui alias addit limitationes. Vide infrà *cap.8. art.5.* Et nota verbum *Poſſe* : non enim dixit, vnum Authorem eo ipſo dare propoſitioni probabilitatem extrinſecam,

Digitized by Google

ſecam, ſed *poſſe*; id eſt, poſſe concurrere circumſtantias, & qualitates, ſub quibus det opinioni probabilitatem: ergo non eſt vniuerſaliter verum, quod vnuſquiſlibet Author eo ipſo dat opinioni ſuæ probabilitatem.

104. P. Tannerus ibidem relatus eodem modo, & in eodem ſenſu loquitur. Nam cùm retuliſſet aſſertionem P. Vaſquij *ex* 1. 2. *diſp.*62.*num.*17. non eſſe ſatis ſententiam ſingularem vnius Doctoris, quam vir doctus à principiis intrinſecis falſam reputat; *eo num.* 34. aſſerit, eam limitationem ita vniuerſim præſcriptam non eſſe veram. Cenſet ergo, neceſſariam eſſe limitationem, licèt non ita vniuerſim præſcriptam; quia ſcilicet poſſunt concurrere circumſtantiæ, in quibus ſufficiat vnus Author ad probabilitatem, non tamen ſemper ſufficere vnum Authorem: atque adeò ſub aliqua limitatione admittendum eſſe, quod vnus Author ſingularis ſufficiat ad probabilitatem contra opinionem communem.

105. Ex quibus omnibus patet, eam propoſitionem vniuerſalem, quod [ſententia vnius Doctoris ſemper conſtituit opinionem probabilem,] abſolutè, & ſine vlla limitatione expreſſa, vel ſubintellecta prolatam, nullius Authoris eſſe; & conſequẽter malè procedere eos neothericos, qui ex prædictis Authorum teſtimoniis eam propoſitionem vniuerſalem producunt, vt inde probent, concluſionem A, probabilem eſſe contra communem, eo præſciſè quod vnus Doctor eam tradat. Nam, vt dixi, neceſſe eſt, vt probent, eas limitationes à prædictis Authoribus traditas non habere locum in tali concluſione A, nec in eius Authore vnico. Quod vberiùs oſtendam *cap.*10.

CAPVT IV.

Quot, & quales limitationes ſubeat ea propoſitio, quod vnus Author (vel plures) ſufficiat ad probabilitatem?

106. AD quatuor capita reuoco limitationes, ſub quibus vnus Author doctus, & probus (vel plures) ſufficit ad probabilitatem conſtituendam. Primum eſt *Certitudo partis oppoſitæ.* Itaque nulla authoritas extrinſeca præualet ad probabilitatem, vbi fundamentum partis oppoſitæ eſt certum, ſaltem moraliter. Hæc propoſitio eſt indubitabilis, quia contra euidentiam moralem nulla eſt probabilitas. Deinde quia in quæſtione iuris, Authorum numerus (excipe in caſibus proponendis *diſp. ſequenti*) etſi magnus ſit, ſolùm dat probabilitatem: atqui contra certitudinem eſſe non poſſe opinionem probabilem, inde manifeſtè conſtat, quia vbi vna propoſitio eſt certa, oppoſita neceſſariò debet eſſe certò falſa, vt patet *ex diſp.*4. *cap.*1. *num.*6. ergo ſi propoſitio oppoſita concluſioni A, eſt certa, concluſio A, debet eſſe certò falſa. Sed repugnat, concluſionem A, eſſe certò falſam, & ſimul probabilem: ergo contra concluſionem certam concluſio A, non poteſt eſſe probabilis, quantumvis multi ei Authores ſuffragentur.

Contra certitudinem nulla præualet authoritas.

107. Confirmatur primò ex P. Arriaga referendo infrà *num.*110. Etenim Authores, qui concluſionem propugnant contra principium certum, illud inuincibiliter ignorant: atqui Author in eo, quod ignorat, non dat probabilitatem: ergo contra principium certum non dat probabilitatem.

Author non dat probabilitatem circa id, quod ignorat.

Confirmatur ſecundò ex definitione opinionis probabilis tradita *diſp.*1.*cap.*2. iuxta quam opinio debet eſſe incerta, id eſt, nec certa, nec certò falſa: ergo quæ eſt certò falſa, quantumuis plurium ſit, non poteſt eſſe probabilis: ergo non poteſt authoritas præualere Doctoris, vbi eius concluſio eſt certò falſa. 108.

Dices, non implicare, quod vna concluſio ſit certò falſa ab intrinſeco, & probabilis ab extrinſeco, ſcilicet ex numero Authorum: ſed hæc reſponſio conuincitur infrà *cap.*9. 109.

Et ita hanc limitationem tradidit P. Arriaga *tom.*2.*in* 1.2.*diſp.*24. *n.*13. & Caramuel *in Apolog. de Probabilit. num.*90. & ſæpe aliàs. Et ex Authoribus relatis *cap.*3. eam expreſſerunt P. Filliucius *cit. n.*85. & Acacius de Velaſco *cit. num.*101. ibi, *neque contineat errorem.* 110.

Arriaga. Caramuel. Filliucius. Acacius.

P. Thomas Sanchez *lib.*1.*ſum.cap.*9.*num.*11. vbi ait: [Vt opinio cenſeatur probabilis, oportet vt communiter reputetur, *non continere errorem*, & ne ſit antiquata. Quippe euenire ſolet, vt aliqui ſcribentes non attenderint rationem aliquam, legem, ſeu decretum vim maximam contra eorum opinionem habere; at neothericos iis conuictos iam contrarium aſſerere: & tunc non debet cenſeri probabilis antiquorum Doctorum ſententia, vt liceat ſecundum illam operari.] Et *num.* 6. ait: [Opinio probabilis eſt, quæ rationi alicuius momenti innititur; ita tamen, vt pro oppoſita parte nil conuincens ſit.] Iuxta quæ, ſi pro oppoſita parte aliquid ſit conuincens, nulla ſufficit authoritas Doctorum ad probabilitatem. 111.

Th. Sanch.

Quod etiam notauit Machado *tom.* 1. *in tractatu prævio de Probabilit. art.*2.§.1.*num.*5. & eodem tenore verborum Acacius de Velaſco ſupra relati *cap. præced. art.* 9. *num.* 101. P. Vaſquez citandus infrà *cap* 8 *art.*3. P. Granado referendus *eodem cap.*8.*art.*4. P. Tamburinus citandus *ibidem art* 5. illis verbis; *Nec apparet contra ipſum aliquid conuincens.* Sayrus referendus ibidem, Bonacina ibidem referendus. Stant etiam pro hac limitatione omnes illi, qui ſententias aliquas à pluribus Authoribus aſſertas damnant de improbabilitate, eo quod certò falſæ ſint; quos referam *cap* 8. Item illi, qui docent, ad probabilitatem requiri Authorem firma ratione munitum. De quo vide infrà *cap.*8. *art.*7. *num.*154. 112.

Machado. Vaſquez. Granado. Tamburin. Bonacina.

Hinc fit, quod quantumvis plures Authores aſſerant, eſſe poſſe paruitatem materiæ in delectatione venerea (quadraginta nouem citat Caramuel; malè tamen, quia vix quinque Authores ei ſuffragantur, vt conſtabit *ex diſp.* 43.) non cogunt me aſſerere probabilitatem eius, quin potiùs aſſero, eam doctrinam eſſe improbabilem, & certò falſam. Habeo enim certitudinem moralem de periculo proximo (quod ineſt cuilibet delectationi libidinoſæ, etiam leui, deliberatè quæſitæ, vel admiſſæ) declinandi in delectationem grauem, vt ea *diſp.*43. oſtendam. Vnde cùm arguis: [Illud eſt probabile, quod quinque Authores affirmant: paruitatem in delectatione venerea quinque Authores affirmant: ergo paruitas in delectatione venerea probabilis eſt.] Reſpondeo diſtinguendo maiorem: illud eſt probabile, quod quinque Authores affirmant, [ſi oppoſita pars non ſit moraliter certa,] omitto; [ſi oppoſita pars ſit moraliter certa,] nego. 113.

Secundum caput limitationis eſt *Leuitas, vel nullitas* 114.

Digitized by Google

Non ſufficit ad probabilitatem multitudo Authorum, qui leui ratione nituntur. Th. Sanch. Vaſquez.

nullitas fundamenti ſtantis pro concluſione, cui ſuffragantur Authores. Itaque nulla authoritas extrinſeca ſufficit ad probabilitatem concluſionis, vbi clarè conſtat, fundamentum eius concluſionis eſſe leue, vel nullum. Hanc limitationem tradunt ex Authoribus citatis *cap.* 3. P. Thom. Sanch. & P. Vazquez *cit. num.* 75. quando vnicus Author contra reliquos aliquam opinionem defendit; aiunt enim authoritatem vnius eſſe leue fundamentum, cùm *ſolùm videt aliam* (concluſionem ſingularem) *Doctoris illius authoritati inniti*. Id autem generaliter tradit P. Th. Sanch. de authoritate plurium Doctorum, citandus *cap.* 8. *num.* 149. dum docet, ſententiam octo Authorum non eſſe probabilem defectu fundamenti. *Nec eſt credendum*, inquit, *Doctoribus, quantumcumque doctrina polleant, dum carent fundamento.* P. Suar citandus *num.* 156. quatenus aſſerit, non eſſe probabilem, defectu fundamenti, quamdam ſententiam, quam tuentur decem Authores. Notanda ſunt eius verba: *Neque ſufficit multitudo Authorum, ſine ratione, aut fundamento probabili.* Et P. Pellizarius *tom.* 2. *tract.* 10. *cap.* 6. *num.* 14. ait: [Vt ſententia aliqua dicatur practicè probabilis, non ſufficit multitudo Authorum ſine ratione, aut fundamento probabili.] Et Nauarrus *in cap. ſi quis, de pœnit. diſtinct.* 7. *num* 50. 51. & 52. (apud P. Vaſquez 1. 2. *diſp.* 62. *num.* 13.) peccare Doctorem, qui ex leui ratione operatur, vel conſulit contra cæterorum ſententiam.

Non eſt credendum Doctoribus, dum carent fundamento. Suarez.

Non ſufficit multitudo Authorum ſine fundamento probabili. Pellizarius. Nauarrus.

115. Corduba.

Idem cenſet Corduba (apud eumdem) *lib.* 1. *queſt.* 17. §. 13. dum aſſerit, non eſſe temerariam opinionem, quæ communi ſenſui Doctorum contraria eſt, ſed quæ abſque ſufficienti fundamento excogitata eſt. Et P. Granado citandus infrà *cap.* 8. *art.* 4. P. Arriaga ibidem referendus *in fine art.* 4. P. Tamburinus referendus ibidem *art.* 5. Sayrus, & Bonacina *ibid.* referendi. Item omnes illi, qui docent, vnum Authorem ſufficere ad probabilitatem, dummodo firma, ſiue valida ratione nitatur; inde enim fit, quod ſi infirma, vel leui nitatur ratione, illum ad probabilitatem non ſufficere: ita enim expreſsè aſſerunt viginti Doctores referendi *cap.* 8. *art.* 7 *num.* 254.

Granado. Arriaga. Tamburin. Sayrus. Bonacina.

116. Patet aſſertum. Eatenus enim authoritas vnius, vel plurium ſapientum dat probabilitatem, quatenus præſumitur, concluſionem ab illo, vel ab illis aſſertam habere magnum fundamentum: at vbi clarè conſtat, fundamentum eſſe leue, vel nullum, ceſſat præſumptio, quæ in tantum ſubſiſtit, in quantum non conſtat oppoſitum eius, quod præſumitur: ergo vbi clarè conſtat, fundamentum eſſe leue, vel nullum pro concluſione, ceſſat probabilitas extrinſeca.

117. Confirmatur primò ex definitione opinionis probabilis. Ea enim eſt, quæ graui fundamento nititur: ergo quæ leui, vel nullo fundamento nititur, non eſt probabilis.

118. *Leuis eſt authoritas eorum, qui leui ratione nituntur.* Confirmatur ſecundò. Quia in hac determinata quæſtione A, non eſt grauis authoritas (licet in aliis ſit grauis) eorum, qui illam decidunt ex fundamento leuiſſimo, ſi tale eſſe conſtat; quia hîc & nunc eſt inſcitia quæſtionem decidere, & conſcientiam dirigere ex fundamento leuiſſimo: ergo vbi conſtat, fundamentum à ratione eſſe leue, authoritas eorum circa hoc punctum etiam eſt leuis. Sed ex authoritate leui non conciliatur probabilitas concluſionis, cùm probabilitas eſſentialiter conſiſtat in fundamento graui: ergo cùm conſtat, concluſionem procedere ex fundamento leui, authoritas non dat probabilitatem, etiam extrinſecam.

Confirmatur tertiò. Author, qui ex fundamento leui quæſtionem decidit in re graui, qualis eſt materia ad conſcientiam ſpectans, inuincibiliter ignorat leuitatem fundamenti; non enim eſt credibile, quod vir doctus ſcienter reſoluat quæſtionem, quæ ſpectat ad conſcientiam, ex fundamento leui; ſed in eo, quod ignorat, non dat probabilitatem: ergo quando reſoluit ex fundamento leui, non dat probabilitatem. 119.

Author, qui reſoluit ex ratione leui, ignorat leuitatem rationis.

Et hinc etiam infertur, ſi conſtet, argumentum à ratione eſſe ſophiſticum, vel æquiuocatione nixum, quamvis habeat pro ſe plures Authores aliqua concluſio, illam non eſſe probabilem. Patet, quia nullum leuius argumentum eſſe poteſt, quàm argumentum ſophiſticum, vel in æquiuocatione fundatum. 120.

Non dant probabilitatẽ, qui ſophiſmatis, vel æquiuocatione nituntur.

Tertium limitationis caput eſt, *quod Author docuerit improbabilia*, quæ certò, & abſque controuerſia talia ſunt. Quam limitationem certam eſſe debere, conſtat ex dictis *cap.* 2. *art.* 2. & 3. cùm enim authoritas Doctoris ad probabilitatem conſtituendam conſiſtat in verificatione huius propoſitionis, *Quidquid docet Titius, eſt probabile*; ſi Doctor aliqua improbabilia tradidit, non poteſt verificari ea propoſitio vniuerſalis; atque adeò deficit in eo authoritas requiſita ad conſtituendam probabilitatem extrinſecam. Id quod etiam benè notauit P. Granado infrà citandus *cap.* 8. *art.* 4. dicens: [Meritò enim timere poſſem, num illa opinio, quam lego, ſit vna ex improbabilibus.] Et Bonacina citandus *cap.* 8. *art.* 5. vide hoc argumentum fuſiùs propoſitum *cap.* 2. *art.* 2. & reſponſionem ei exhibitam, & conuictam. 121.

Non dat probabilitatem, qui docuit varia improbabilia.

Limitanda tamen eſt hæc limitatio, ita vt ſi Doctor *vnam, vel alteram ſpecialem concluſionem improbabilem tradidit*, & conſtet inter Authores, nullam aliam apud eum reperiri improbabilem, ſic in cæteris poterit conſtituere probabilitatem extrinſecam. Nam in eo caſu verificatur hæc propoſitio, *Quidquid docet Titius, præter concluſiones A, & B, eſt probabile*: ex qua apertè colligitur, cæteras concluſiones eſſe probabiles. 122.

Dixi, *vnam, vel alteram*. Nam ſi plurimæ ſint concluſiones improbabiles, non erit facilè habere notatas eas, & omnes alias, quæ cum illis connectuntur. Vnde ex hac parte Doctoris authoritas maximè imbecillis remanet. 123.

Dixi etiam, *ſpecialem concluſionem improbabilem*. Nam ſi tradat is Doctor aliquod principium generale improbabile, quod in multis materiis plurimas conſequentias parturire poſſit, plurimùm detrahitur eius authoritati; quia tradidiſſe illud principiũ generale, æquè periculoſum eſt, ac tradidiſſe plurimas concluſiones improbabiles. 124.

Quartum limitationis caput eſt, quod Author affirmet concluſionem, *ſine eo quod diligenter examinet rationes, & fundamenta vtriuſque partis*. Vnde meri Summiſtæ, & Compilatores modicam opinioni afferunt probabilitatem; ſicut etiam qui alios more auium ſequuntur, vel qui omninò tranſcribunt ex aliis. Hæc aſſertio patet ex toto articulo quarto capitis ſecundi, iuxta cuius tenorem, & explicationem ea intelligenda eſt. 125.

Non dant probabilitatẽ, qui ſine diſcuſſione rationum tractãt. Excluduntur meri Summiſtæ, & compilatores, &c.

CAPVT

CAPVT V.

Examinantur limitationes aliæ ab aliis Authoribus traditæ.

126. Villalobos.
Non dat probabilitatem vir ingenij præcipitis.

PRimò Villalobos *tom.1.tract.1. difficult.4.numero* 17. vt vnus Author poſſit contra communem ſententiam conferre opinioni probabilitatem ,aliam in eo qualitatem requirit his verbis: [Como el no ſea ombre arrojadizo , que eſtos ſuelen muchas vezes errar por ſu capricho.] Id eſt , [Dummodo non ſit vir ingenij præcipitis : hi enim ſæpe ſolent errare confiſi ſingulari ſuo cerebro.]

127. Quare ſecundum Henricum de Villalobos, Author ingenij præcipitis non eſt numerandus inter eos , quorum authoritas ſufficit ad probabilitatem. Sed vnde colligemus , Authorem eſſe ingenij præcipitis ? Sanè , ſi vel ſophiſmatis , vel rationibus leuibus moueatur ad ſingularia tradenda : vel etiam , ſi improbabilia , & certò falſa doceat.Quare hæc limitatio tradita à Villalobos videtur reduci poſſe ad ſecundum , & tertium caput limitationis aſſertum capite præcedenti.

128. Vaſquez.

Secundò, P. Vaſquez 1o2. *diſp.*62. *num.*12. ad hoc vt vir doctus poſſit nouam opinionem producere contra communem ſententiam, poſtulat, vt ille *Polleat ingenij acumine , & maturitate conſilij.* Vnde cùm ex ſcriptis alicuius colligitur , has qualitates deeſſe ; vel ingenij acumen, vt in iis, qui ex aliis ferè omnia tranſcribunt ; vel maturitatem conſilij, vt in iis, qui ex leuiſſimis, aut ſophiſticis grauia inferunt,vel præcipiti conſilio ad improbabilia labuntur , meritò hæc exceptio illi obiicienda eſt , ne computetur inter Authores claſſicos , qui probabilitatem opinioni conferre poſſunt. Hæc autem limitatio videtur reduci poſſe ad ſecundum , tertium , & quartum caput limitationis, quæ propoſui capite præcedenti , vt ex proximè facta explicatione colligi videtur.

129. *An addant probabilitatem , qui iuſſi opinionem tuentur.*

Tertiò. Caramuel *in Theologia fundam. numero* 449.*fund.*11. hanc ponit limitationem : [Sunt enim Authores , qui numerum non addunt , vel quòd iuſſi hanc vel illam opinionem tuentur : & tunc conſideranda eſt iubentis doctrina,& authoritas , vt de probabilitate ſententiæ iudicemus.] Itaque quando iubentur ſcriptores vnam opinionem ſectari, non addunt numerum Authorum,quia tota probabilitas doctrinæ reducitur ad authoritatem iubentis. Et ſi iubens polleat magnitudine doctrinæ , ea ſolùm authoritate valebit opinio. Quod ſi non ſit ita magna doctrina iubentis , multùm detrahetur probabilitati opinionis ; neque illi , qui iuſſi eam docent, probabilitatem augebunt.

130. *An Ieſuitæ addant probabilitatem circa paruitatem in re venerea ? An qui hodie ſcribunt pro Immaculata Conceptione , non poſſint citari pro illa, quia iuſſi ?*

Hinc *numero* 1743.*fund.* ſ8. conatur ſuadere, Ieſuitas non addere probabilitatem in quæſtione de paruitate materiæ in re venerea , quia præcepto R. P. Claudij Aquauiua coguntur negatiuam partem defendere. Et *numero* 312.*fund.* 5. aſſerit, Authores,qui hodie ſcribunt pro Immaculata Conceptione Deiparæ , non poſſe pro illa citari,quia iuſſi ſcribunt , coguntutque præcepto Romani Pontificis vel tacere , vel loqui pro ſententia pia.

131. Quæ quidem limitatio audiri poterit , ſi Author nullam denuò rationem addat , nullam rationis ponderationem , neque vllam nouam ſolutionem : quia Author ſic ſcribens erit merus compilator, iuxta dicta *cap.præced.* circa quartum genus limitationis, & *in artic.*4. *capitis ſecundi.*

Si verò Author,etſi iuſſus, nouas afferat rationes ſeu argumentorum ſolutiones, implicat contradictionem , quod non ſuperaddat probabilitatem. Patet. Probabilitas conſiſtit in fundamento graui : ergo implicat , quod addat fundamentum graue,& quod non addat probabilitatem. 132.
Si Author afferat rationes nouas,etſi iuſſus, addit probabilitatem.

Quàm autem falſa ſint, quæ docet Caramuel, ſiue quà negat, Ieſuitas addere probabilitatem in quæſtione de paruitate materiæ in re venerea ; ſiue quà negat , Scriptores addere authoritatem, dum ſcribunt pro Immaculata Conceptione, latè demonſtraui *diſp.*9. *cap.*12. *art.* 1. & iterum demonſtrabo *diſp.*43. *cap.*1. conſule ibi dicta, & dicenda. 133.

CAPVT VI.

Præmittuntur quædam alia ad præcipua deciſionem quæſtionis.

PRæmittendum eſt primò,ſufficere ad probabilitatem vnumquemlibet Authorem , ſi ſit firma , & graui ratione munitus , etiam contra communem ſententiam omnium Scriptorum. Ita P.Azor,P.Caſtro Palao,P.Turrianus,P.Filliucius, P.Valentia, Villalobos, Ioan. Sancius, Gloſſa *in cap.Capellanus, de Feriis* , Abbas , & Diana citati *cap.*3.& tradidit P.Thom.Sanchez *lib.*1.*ſum. cap.* 9. *num.* 9. & Bonacina *tom.*2. *diſp.* 2. *de peccatis, quæſt.*4.*punct.*9.*num.*11. cum decem aliis referendis *cap.* 8. *art.* 7. *num.*254. neque negare poſſunt omnes illi , qui affirmant, poſſe vnum Authorem facere opinionem probabilem,etiam contra communem ſententiam. 134.
Sufficit vnus Author, ſi ſit firma ratione munitus.

Patet aſſertio ex ipſa definitione opinionis probabilis.Illa enim eſt opinio probabilis,quæ graui, & firmo nititur fundamento : ſed hæc (de qua loquimur , & quam ſupponimus talem eſſe) etſi vnius ſit,& contra communem ſententiam procedat, graui ,& firmo nititur fundamento ; ergo etſi vnius Doctoris ſit,& contra communem ſententiam procedat , vtique opinio probabilis eſt, Deinde,quia nulla ex præfatis limitationibus propoſitis *cap.* 4. poteſt opponi ei, qui firma ratione nititur ad ſuam conclusionem propugnandam , vt explico infrà *cap.*8.*art.*7. 135.

Cæterùm contra communem ſententiam omnium Scriptorum , in fundamento graui iudicando vir doctus non debet facilè ſibi fidere , vt conſulebat P.Caſtro Palao *cit.cap.* 3. ex P.Thom. Sanchez *lib.*1.*ſum.cap.*9.*num.*9.ſed vti debet matura, & prudenti rei meditatione , vel etiam Doctorum virorum conſultatione ; ſicut enim quando illi occurrit argumentum , quod ſibi videtur (quamuis cum formidine) inſolubile , & euidens , dum non cogit intellectum euidentia rei poteſt deponere iudicium ſuum , & ſtare iudicio aliorum,credendo,illud habere ſolutionem, modo exponendo *in cap.* 12. ita etiam poteſt ſimiliter ſe ſubiicere aliorum iudicio in iudicando,fundamentum eſſe graue contra communem ſententiam,vbi rei euidentiâ non cogitur. 136.

Prænotandum eſt ſecundò , per id aſſertum proximè 137.

Digitized by Google

proximè propoſitum, ſiue per id prænotatum primum, non directè reſponderi quæſtioni, in qua inquirimus, an vnus Author (duo, vel plures) ſufficiat ad opinionem probabilem, vel det probabilitatem extrinſecam opinioni? Nam hæc quæſtio inſtituitur circa authoritatem Doctoris, non circa vim rationis firmæ, & grauis; & illud aſſertum proximum non firmat vim ſuam in authoritate Doctoris, ſed in efficacia rationis. Non inquirimus de probabilitate intrinſeca, ſed de probabilitate extrinſeca; & illud aſſertum potiùs recurrit ad probabilitatem intrinſecam, quæ deſumitur à ratione firma, quàm ad extrinſecam. Præcipua itaque quæſtio eſt, an Doctoris Authoritas talis ſit, vt *cuiuis prudenti* bona ſit hæc conſequentia: *Hic Doctor propugnat hanc concluſionem: ergo hæc concluſio probabilis eſt.*

138. *Rudi ſufficit conſilium viri ex fama docti.* Dixi, *cuiuis prudenti*. Nam homini ignaro dictum ſui confeſſarij ex fama docti, bona eſt hæc conſequentia: *Iſte confeſſarius affirmat; ergo mihi probabile eſt, quod ita poſſum operari.* Quamvis aliquando contingat, quod confeſſarius doceat rem improbabilem. Debet ergo eſſe bona ea conſequentia cuiuis prudenti, vt inde colligamus, hanc concluſionem eſſe abſolutè probabilem.

CAPVT VII.

Deciditur præcipuus quæſtionis ſcopus, an, & qualiter vnus Author (vel plures) ſufficiant ad probabilitatem?

139. *Ad probabilitatem ſufficit vnus Author omni exceptione maior.* Sit concluſio. Vnus Author omni exceptione maior ſufficit ad probabilitatem, non tres, non quatuor, vel plures, ſi non ſint omni exceptione maiores. Duas partes habet concluſio, primam affirmatiuam, & ſecundam negatiuam. Pro explicatione primæ partis affirmatiuæ nota primò, quatuor exceptiones opponi poſſe, quæ detrahant authoritati Scriptoris, quas *cap.* 4. enumerauimus, vel quod concluſionem doceat certò falſam: vel quod leui fundamento nitatur, vel quod aliàs varia improbabilia docuerit, vel quod ſit merus Summiſta, Compilator, vel tranſcriptor. *Quis ſit omni exceptione maior?* Relege dicta *eo cap.* 4. Ille itaque dicendus eſt omni exceptione maior, cui nulla ex prædictis exceptionibus opponi poteſt.

140. Nota ſecundò, quod Author dicitur *omni exceptione maior*, ad proportionem teſtis teſtimonium ſuum in iudicio ferentis. Sicut enim teſtis dicitur omni exceptione maior, cuius authoritas in dicendo nulla exceptione infirmari poteſt: ita Author dicitur omni exceptione maior, cui nulla ex præfatis exceptionibus obiici poteſt; adeóque neque doctrinæ eius authoritas minui, aut infirmari poteſt.

141. Ei priori parti concluſionis ſuffragantur omnes illi Doctores, qui ad probabilitatem extrinſecam vnico Authore contenti ſunt, quorum plurimi relati ſunt *cap.* 3. nam ſaltem loquuntur de eo, cuius authoritas nullo ex capite infirmari poteſt. Deinde argumenta propoſita *cap.* 2. per quatuor articulos, quæ magnam vim habere videbantur contra eos, qui ad probabilitatem ſufficere dicunt vnum, vel duos, vel tres Authores, &c. ea, inquam, argumenta contra hanc concluſionem non militant. Illis enim argumentis probatur, excludendos eſſe à numero conferentium probabilitatem extrinſecam eos, qui exceptiones ibi relatas patiuntur: vnde nullam vim habent contra authoritatem eius, qui omni ea exceptione maior eſt.

Et hæc concluſio vera eſt, etiamſi opinio vnius Authoris ſit contra communem omnium Theologorum ſententiam in materia topica, ſiue probabili. Quia cùm materia ipſa ſit opinabilis, & non certa, opinio communis non excludit graue fundamentum, quod pro oppoſita poſſit militare, quale eſt authoritas viri valde docti, quæ ex nullo capite valeat infirmari, cùm optimè componatur probabilitas opinionis communis cum probabilitate oppoſitæ. 142.

CAPVT VIII.

Secundam partem concluſionis eſſe communem Theologorum ſententiam.

Ad probabilitatem extrinſecam non ſufficere non modò vnum Authorem, ſed neque plures, ſi non ſint omni exceptione maiores, exiſtimo eſſe ſententiam communem Theologorum: quod hoc diſcurſu facilè ſuadetur. 143. *Non ſufficiunt quatuor, vel plures, qui non ſunt omni exceptione maiores.*

Vt Authores conferant probabilitatem extrinſecam, ſecundùm communem Theologorum ſententiam tales eſſe debent, vt eorum authoritas nullo ex capite infirmetur: ſed hoc eſt, Authores eſſe omni exceptione maiores: ergo ſecundum communem Theologorum ſententiam, vt Authores conferant probabilitatem extrinſecam, debent eſſe omni exceptione maiores. Minor, & conſequentia patent. 144.

Maior oſtenditur. Multæ concluſiones ſunt, illæ quidem propugnatæ à quatuor, ab octo, à duodecim, imò & à viginti, & eo ampliùs Authoribus; quas tamen communis Theologorum ſententia affirmat improbabiles. Item alias Authorum opiniones communis Theologorum ſententia affirmat ex Doctorum authoritate eſſe probabiles: ergo in aliis caſibus communis ſententia authoritatem illorum reputat infirmam, & firmam in aliis, ad probabilitatem extrinſecam conferendam. Ergo ex communi ſententia, vt probabilitatem extrinſecam conferant Authores, debet authoritas eorum non infirmari; & vbi hæc infirmatur, non ſufficit ad conferendam eiuſmodi probabilitatem extrinſecam, iuxta communem ſententiam. 145.

Quod autem communis Theologorum ſententia admittat, multas eſſe opiniones improbabiles, licet illæ à quatuor, ab octo, vel à viginti Authoribus propugnentur, inductione facta per ſingulos ex præcipuis Doctoribus, conſtabit. In quibus ſingillatim notabuntur ea, quæ ſpecialiter roborant hanc concluſionem. 146.

Art. I.

Digitized by Google

Articvlvs I.

Examinatur mens P. Thomæ Sanchez in hac quæſtione.

147. PAter Thomas Sanchez *lib. 1. ſum. cap 9. numero* 7. affirmat ad probabilitatem extrinſecam ſufficere vnum Authorem probum, & doctum. Et variis in locis affirmat, opiniones ſeptem Authorum (imò & multò plurium) eſſe improbabiles, atque adeò horum Doctorum authoritatem non ſufficere ad conferendum illis opinionibus probabilitatem extrinſecam: ergo cenſet, authoritatem horum ſeptem Doctorum infirmam eſſe ad probabilitatem; atque adeò cùm dicit, ſufficere authoritatem vnius, id intelligit de vno, cuius authoritas ex nullo capite infirmetur.

Opiniones ſeptem Authorum improbabiles recenſet Thom. Sanch.

148. Deinde ſic arguo. P. Thomas Sanchez hæc duo dicit: & quod vnus Doctor ſufficit ad probabilitatem; & quod ſententiæ plurium Doctorum ſunt improbabiles: ergo vel ſibi contradicit, vel primum aſſertum cum limitatione profert. Conſequentia patet, quia ſi primum aſſertum ſine limitatione proferatur, incompoſſibile eſt cum ſecundo, ſicut incompoſſibiles ſunt iſtæ duæ propoſitiones: *Vnuſquiſlibet Doctor ſufficit ad probabilitatem: ſeptem Authores non ſufficiunt ad probabilitatem:* hæc enim ſecunda propoſitio continetur in ſecundo aſſerto. Ergo cùm certum ſit, eum non ſibi contradicere, aſſerendum eſt, illud primum aſſertum proferri ab illo cum limitatione, maximè cùm ipſe tradat ferè omnes exceptiones à nobis appoſitas; atque adeò loquitur de Authoribus, qui ſunt omni exceptione maiores, ſiue contra quos nulla exceptio poteſt opponi. Et precor Lectorem, vt in vnoquoque ex Authoribus in hoc capite ſubiiciendis hoc argumentum inſtauret.

149. Iam verò in ſententia P. Thomæ Sanchez dari opinionem ſeptem Authorum, quæ non ſit probabilis, patet *ex lib 1. de matrimonio diſp.* 44. vbi cùm *num.* 2. retuliſſet ſeptem Authores, Guidonem, Beroium, Dueñas, Cephalum, Antonium Cucum, Menochium, & Antonium Gabrielem, aſſerentes, matrimonium clandeſtinum validum non legitimare prolem anteà ſuſceptam; *numero* 3. addit. [Sed miror profectò, tot, tamque graues Authores *leuibus* innitentes *fundamentis* hoc aſtruere. Quare *ab illis omninò recedendum eſt.* Nam, vt dicitur *leg.* 1. *§. ſed neque, Cod. de veteri iur. enucl.* non ex multitudine Authorum, quod melius, & æquius eſt, iudicari debet. Quibus adde Ioannem Lupum *cap. per veſtras, de donat. inter virum & vxorem, notab.* 3. §. 10. *num.* 12. dicentem, *non eſſe credendum Doctoribus*, quantumcumque doctrina polleant, *dum carent fundamento*]

Matrimonio clandeſtino valido non legitimari prolem, aiunt ſeptem.

Non eſt credendum Authoribus, cum carent fundamento.

150. Circa quæ verba notabis primò, dum ait, *non eſſe credendum Doctoribus*, eorum authoritatem infirmam in hoc caſu reputari. Deinde opinionem *niti leuibus fundamentis*, & *carere fundamento*, idem prorſus eſſe, ac opinionem non eſſe probabilem, vt patet ex ipſa definitione opinionis probabilis. Quod etiam indicauit P. Thomas Sanchez illis verbis: *Ab illis omninò recedendum eſt.* Tum quia nunquam ſic loquitur de opinione practicè probabili. Tum etiam quia ſi opinio eſſet

probabilis, poſſet reipſa ad praxim reduci: quare ergo ab illa eſſet recedendum?

Idem *lib. 7. de Matrimonio, diſp.* 17. *num.* 20. referens ſententiam Gerſonis, ſupplementi Gabrielis, & Tabienæ, quod fornicatio Sacerdotis, aut 151.
Monachi non addat circumſtantiam ſpecie diuerſam à fornicatione ſimplici; ait ex Alphonſo de Caſtro, eam ſententiam eſſe erroneam, Et *numero* 19. dixerat, oppoſitam eſſe certam: implicat autem contradictionem, ex duabus propoſitionibus oppoſitis vnam eſſe probabilem, & alteram certam, vt conſtat *in diſput.* 4. *capite* 1. & addit*: quare reiicienda prorſus eſt ea ſententia.* Quo dicendi modo nunquam vtitur P. Thom. Sanchez circa propoſitiones verè probabiles.

Fornicationē Sacerdotis, vel Monachi non addere ſpeciem.

Erronea.

Certò falſa.

Et *numero* 21. refert decem Authores, Cardinalem, Imolam, Felinum, Decium, Bermondum, 152.
Paulum Grillanum, Iulium Clarum, Boſſium, Velaſquez, & Gutierrez, aſſerentes, concubitum Clerici ſacris initiati eſſe ſimplicem fornicationem. Et ſubdit: *At ſententia hæc confunditur* (id eſt, apertè conuincitur) *ex dictis num.* 19. Vbi, vt ſuprà retuli, oppoſitam dixerat, & probauerat eſſe certam. Cenſet ergo, decem Authores (imò & tredecim; nam tres antea citati cum his decem conueniunt) non ſufficere ad probabilitatem extrinſecam conferendam ſententiæ; atque adeò quoad talem ſententiam exceptionem dari contra eorum authoritatem.

Opinio decem Authorum.

Concubitum Cleri in ſacris, eſſe ſimplicem fornicationem.

Improbabilis.

Non ſufficiūt hi tredecim ad probabilitatem.

Idem *lib. 7. diſp.* 52. *num.* 5. refert vigintiquatuor Authores, D. Thomam, D. Bonauenturam, 153.
Richardum, Durandum, Maiorem, Paludanum. D. Antoninum, Vvaldenſem, Altiſſiodorenſem, Petrum de Soto, Viguerium, Gloſſam, Abbatem, Anchatanum, Alexandrum de Neuo, Imolam, Bermondum, Aſtenſem, Gozadinum, Pariſium, Turrecrematam, Roſellam, Angelum, Sylueſtrum, & Tabienam, aſſerentes, omnes gradus conſanguinitatis, & affinitatis, *Leuitici* 18. prohibitos eſſe de iure naturali irritante matrimonium in illis initum. Et *num.* 6. cum P Valentia ait, *omnes orthodoxos iam in hoc conuenire, & nullo modo eſſe tolerandum contrarium errorem, quem olim Catholici Authores num. præced. allegati ſenſere.* Ergo cùm certum ſit, aliàs viginti, quatuor Authores eſſe maximæ authoritatis ad conſtituendam opinionem probabilem, cenſet, ad huius probabilitatem non ſufficere, quia quoad hanc ſententiam patiuntur exceptionem, & quoad illam hæc exceptio infirmat authoritatem illorum.

Opinio vigintiquatuor.

Omnes gradus Leuit. 18. irritare matrimonium iure naturæ.

Error.

Non ſufficiūt hi vigintiquatuor ad probabilitatē huius opinionis.

Idem *lib. 7. diſp.* 92. *num.* 15. *&* 16. refert viginti octo Authores, Gloſſam, Ancharanum, Al- 154.
ciatum, Barth. Socinum, Cepolam, Corraſium, Angelum, Tabienam, Armillam, Gutierrium, Hugolinum, Metinam, Palacios, Philiarcum, Alexandrum de Neuo, Paludanum, D. Antoninum, Connanum, Sylueſtrum, Veracruz, Turrecrematam, Bartholomæum à Ledeſma, Angles, Gaëtam, Matienzum, Lopezium, Ouandum, & Barboſam, aſſerentes, eunuchos totales validè contrahere matrimonium. Et *numero* 17. poſtquam retulit motum proprium Sixti V. ait: [Quare hodie *dubitari nequit*, hos eunuchos eſſe incapaces veri matrimonij, quamvis fœmina eius defectus conſcia velit iure ſuo cedere. Quippe iam id in hoc etiam euentu deciſum eſt in eo motu proprio.] Et priùs dixerat, *Indubitata ſententia eſt*, &c. Eſt ergo certò falſa ſententia viginti-

Opinio vigintiocto.

Eunuchos totales validè contrahere.

Certò falſa.

Non ſufficiūt 28. ad probabilitatem eius opinionis.

N 2 octo

octo Authorum, quorum authoritas imbecillis eſt ad conferendum illi probabilitatem extrinſecam.

155. Quibus multa alia ſimilia apud ipſum reperies. Et ex his fit, ſecundùm mentem Sancij, vt plures Authores ſi conferāt probabilitatem opinioni, nullam exceptionem paſſuros eſſe quoad talem opinionem; atque adeò iuxta eius mentem, eſſe debere omni exceptione maiores. In tribus enim proximè præcedentibus ſententiis eam exceptionem patiuntur omnes ij Authores, quod pro parte oppoſita ſit fundamentum certiſſimum, & indubitatum, contra quod nulla authoritas præualet. In prima autem ſententia illi ſeptem Authores eam exceptionem patiuntur, quod abſque fundamento eam doceant, ideóque non ſunt quoad eam omni exceptione maiores.

Articvlvs II.

Eamdem eſſe mentem P. Suarij.

156. Opinio 10. Authorum. *Aduenas nō teneri legibus loci, niſi perpetuò habitaturos.* Doctor eximius *tom.1. de Relig lib.2. de diebus feſt. capite* 14. *numero* 2. refert decem Authores, Gloſſam *in cap illa, diſt* 12. Archidiaconum, Hoſtienſem, Paludanum, Palacios, Ledeſmam, Syluestrum, Roſellam, Medinam, Turrecrematam, aſſerentes, aduenas non teneri legibus loci, in quo morantur, niſi perpetuò habitaturi illuc accedant, etiamſi per maiorem anni partem ſint ibi commoraturi. Subdit autem P. Suarez: *Hæc verò ſententia non poteſt conuenienti ratione defendi & ideò, non cenſeo illam practicè probabilem. Nec enim ſufficit multitudo Authorum ſine ratione, aut fundamento probabili, maximè in re, quæ multùm poteſt vergere contra bonos mores.* Non probabilis. *Non ſufficit multitudo Authorum ſine ratione probabili.*

157. In quibus verbis admitit, Authores conuenienti ratione, ſiue fundamento probabili nixos, ſufficere ad probabilitatem opinionum; multitudinem autem Authorum abſque conuenienti ratione, aut fundamento probabili negat ſufficere ad probabilitatem. Ergo cenſet P. Suarez, authoritatem Doctorum non prodeſſe ad probabilitatem practicam, quoties hæc exceptio illis opponitur, quod ſine fundamento probabili procedant. Et eadem eſt ratio de quauis alia exceptione, quæ eorum authoritatem infirmet. Ergo iuxta mentem P. Suarij Authores debent eſſe omni exceptione maiores, vt conferant opinionibus practicam probabilitatem extrinſecam. Quod ſi iuxta mentem Doctoris eximij decem Authores non ſufficiunt ad probabilitatem eius opinionis, quia hæc exceptio illis opponitur, multò minùs vnus Author ſufficiet, niſi ſit omni exceptione maior.

158. Opinio 10. Authorum. *Chriſtum non conſecraſſe verbis, &c.* Idem *tom.3. in 3. part. diſp.58 ſect.1.* refert decem Authores, Innocentium, Archidiaconum, Guillielmum, Durand. Gothfredum, Mayronium, Eraſmum, Catherinum, Gabrielem, Armachanum, & . liacenſem, aſſerentes, Chriſtum non conſecraſſe verbis, ſed ſola voluntate, & tactu, vel alio ſigno externo. Statuens autem oppoſitam concluſionem, ait: *Hæc ita certa eſt, meo iudicio, vt contraria non poſſit abſque temeritate defendi*; Quid ergo prodeſt authoritas decem Doctorum? Temeraria. Sauè vbi hæc infirmatur, nihil ad probabilitatem prodeſt. In iis in quibus authoritas remanet omni exceptione maior, multùm prodeſt ad probabilitatem.

Idem *tom.4. in 3 partem, diſp.20. ſect.1. num.3.* refert vndecim Authores, Magiſtrum, Hugonem, & Richardum Victorinos, Alenſem, Bonauenturam, Gabrielem, Maiorem, Authorem ſupplementi Gabrielis, Medinam, Adrianum, & Petrum de Soto, affirmantes, ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ requiri formalem actum contritionis, nec ſufficere attritionis. Ipſe autem *numero* 10. dum ſtatuit ad valorem Sacramenti ſufficere actum attritionis, ait: *Hanc concluſionem exiſtimo hoc tempore adeò certam, vt non poſſit abſque errore negari.* Non ergo ſufficit authoritas vndecim Doctorum ad illius probabilitatem. 159. Opinio 11. Authorum. *Ad valorem Pœnitentiæ non ſufficere attritionem.* Error.

Et *diſp.33. ſect.3. num.3.* refert ſex Authores, Alenſem, Angelum, Syluestrum, Adrianum, Abbatem, & Decium, affirmantes, peccatum, quod confeſſarius ex propria pœnitentis Confeſſione nouit futurum, non cadere ſub ſigillum, & licitè poſſe à confeſſario reuelari. Et non obſtante ſex Doctorum authoritate, ait: *Tamen non videtur opinio probabilis, niſi fortaſſe differant à nobis in verbis.* 160. Opinio 6. Authorum. *Non cadere ſub ſigillum, quæ ex confeſſione nouit futura.* Improbabilis.

Et *ibid. ſect.1. num.16.* refert, multos Canoniſtas affirmaſſe, ſi mortuus ſit pœnitens, & neceſſarium ſit aperire crimen eius, ad impediendum aliquod matrimonium, quod erit nullum, niſi crimen aperiatur; licere confeſſario illud crimen reuelare. Et non obſtante eorum multorum Canoniſtarum authoritate, ait: *Erronea eſt illorum Canoniſtarum ſententia, vt reliqui Doctores docent.* 161. *Poſt mortem reuelari poſſe crimen à confeſſario, in caſu, quo, &c.* Erronea.

Idem 2.2. *diſp.7. de Charit. ſect.3. num.1.* cum retuliſſet ſex Authores, Alenſem, Gerſonem, Panormitanum, Turrecrematam, Gabrielem, & Ioannem de Medina pro ea opinione, quæ ait, præceptum eleemoſynæ erogandæ ex ſuperfluis, extra neceſſitatem extremam, ſolùm obligare ſub veniali, *num.* 6. addit: *Ex his verò colligo, primam opinionem practicè eſſe omninò improbabilem, nec ſecuram in conſcientia, quia contraria ferè euidenter demonſtratur ex ſcriptura, Patribus, & ipſa nullum habet fundamentum.* Vide de hac materia infra *diſp.* 20. 162. Opinio 6. Authorum. *Eleemoſynam obligare ſub veniali extra neceſſitatem extremam.* Improbabilis.

His ſimilia multa inuenies in Doctore eximio. Ex quibus omnibus manifeſtum fit, non quamcumque authoritatem ſufficere ad conferendam probabilitatem; ſed requiri authoritatem, quæ nulla exceptione infirmetur. In priori caſu infirmatur authoritas illorum decem Doctorum ex defectu fundamenti probabilis; in reliquis verò vſque ad proximum ex certitudine partis oppoſitæ: in hoc autem poſtremo proximo, ex vtroque, nempe ex defectu fundamenti, & ex certitudine partis oppoſitæ. 163.

Articvlvs III.

Eiuſdem mentis eſſe P. Vaſquez.

Vidimus *cap.* 3. *art.* 3. *numero* 75. aſſeruiſſe P. Vaſquez, authoritatem vnius Doctoris eſſe leue fundamentum pro opinione aliqua, ſi hæc nullo alio fundamento graui nitatur, niſi authoritate eius Doctoris, id eſt, ſi non habeat aliquod graue fundamentum rationis. Vnde ex hoc capite Doctoris authoritas exceptionem manifeſtè patitur. Notauimus etiam ibidem ex eodem, 164.

Digitized by Google

dem, Doctorem eſſe debere *magnæ authoritatis* ad conferendam probabilitatem opinioni. Cuius authoritas non eſt magna, ſi ex aliquo capite infirmatur, ſcilicet iuxta limitationes, & exceptiones ab ipſo propoſitas. Eſt ergo magnæ authoritatis, ſi nullas exceptiones patiatur, ſiue ſi ſit omni exceptione maior.

165. *Quatuor exceptiones traditas docet Vaſq.*

Sed & *in ea diſp.62. num.12.* hanc noſtram aſſertionem clariùs tradidit. Agens enim de qualitatibus, quibus pollere debet Doctor, vt poſſit probabilem reddere opinionem ſuam ſingularem contra opinionem cæterorum; ferè omnes exceptiones, ſiue limitationes tradit, quas propoſuimus *cap.* 4. Ait enim, debere eſſe in materia non certa, ſed opinabili; quæ eſt prima noſtra exceptio: item non debere duci leui fundamento; quod poſuimus in ſecunda exceptione: item debere optimè expendere omnia fundamenta vtrimque militantia; quod ad quartam exceptionem attinet. Tertia autem exceptio, quod non tradiderit Doctor plura improbabilia, videtur contineri in eo, quod poſtulat maturitatem iudicij. Ecce eius verba: [Si aliquis pollet ingenij acumine, & maturitate conſilij, & *rationes omnes contrariæ partis diligenter vidit, & expendit*, eaſque indicauit minus ſufficientes, non videtur imprudenter operari ſecundum ſuam opinionem, qui in rebus moralibus, quæ *certa non ſunt, ſed ſub opinione*, ipſe etiam *maturè* indicat. Quod ſi quis *leui aliqua ratione*, nec maturè conſiderata, amplectatur opinionem minus tutam contra cæteros Doctores, peccabit ſanè; non quia contra conſcientiam operatur, ſed quia *leuiter, & temerè* de re illa iudicauit. Nec enim cenſeri debet temeraria opinio vnius Doctoris contra reliquos *in re obſcura, & opinabili*; ſi maturo fundamento excogitata ſit.] In quibus verbis, ſi attentè relegas, inuenies eas quatuor qualitates ſupra à nobis adnotatas: quarum defectus limitant, & infirmant authoritatem Doctoris in ordine ad probabilitatem opinioni conferendam.

166. Ideò P. Vazquez non grauatur authoritate Doctorum, quominus opiniones aliquas ab illis aſſertas affirmet improbabiles: ſciens, authoritatem Doctorum ſolùm præponderare, dum aſſociatur qualitatibus requiſitis; ſiue dum defectus earum qualitatum contra eorum authoritatem non obiicitur.

167. Ita *tom.1. in 1.2. diſp.75. cap.1. num.1.* refert quamdam ſententiam Caui, quam etiam dicit *plauſibilem multorum ſententiam.* Quorum authoritate non obſtante, dicit eam *nullo probabilitatis fundamento munitam.* Negat ergo probabilitatem opinionis, quantumvis illi authoritas Doctorum ſuffragetur; ſi tamen graui fundamento deſtituatur: atque adeò eiuſmodi Authoritas exceptionem patitur, dum deficit graue à ratione fundamentum.

168. *Opinio tredecim Authorum.* Ita etiam *tom.1. in 3. part. diſp.240. num.18 & 19.* affert tredecim Doctores, Sotum, Turrecrematam, S. Thomam, Richardum, Capreolum, Albertum, S. Bonauenturam, Scotum, Argentinatem, Abulenſem, Syluestrum, Ferrarienſem, & Couarruuiam, pro ſententia aſſerente, Epiſcopatum non eſſe ordinem ſacramentum. Ipſe autem Vaſquez *num.35.* ait, oppoſitam ſententiam adeo eſſe veram, vt *ſine graui nota hoc tempore negari non poſſit.*

Epiſcopatum non eſſe Ordinem.

Digna graui nota.

169. Et *diſp.218. num.1.* refert Durandum, & Caietanum pro ea ſententia, quæ ait, Diaconatum non eſſe Sacramentum. Et quia Sotus, & aliqui Recentiores dixerunt, nihil de hac re eſſe in Eccleſia definitum, *num.10.* ait: [Ego tamen valde miror, viros non vulgariter doctos, aut decretum Concilij Tridentini *ſeſſ.23. cap.6.* non legiſſe, aut planè non intellexiſſe.] Vbi planè affirmat, id conſtare ex definitione Tridentini.

Diaconatum non eſſe Sacramentum.

Oppoſita conſtat ex Trid.

Et *eadem diſp.35.* ſic aſſerit: [Communis tamen ſententia eſt, ſolam traditionem libri Euangeliorum materiam eſſe huius Sacramenti (Diaconatus) & ſola verba, quibus traditur, eſſe formam. Quam quidem ita veram exiſtimo, vt oppoſitam non ſolum nota temeritatis, ſed erroris etiam inurendam eſſe cenſeam.] Id aſſerit non obſtante authoritate Michaëlis de Medina, Durandi, Hoſij, & Roffenſis, qui variis modis ei communi ſententiæ refragantur. 170.

171. *Improbabile, poſſe ſolum panem conſecrari.*

Et *diſp.211. num.64.* improbabilem eſſe ſententiam aſſerentem, [poſſe Sacerdotem ſolum panem conſecrare, & ad ægrotum deferre, etiamſi ipſe de illo non communicet;] non obſtante, quod ea ſententia tradatur à Ioanne Maiore.

172. *Ad communionem non requiri ieiunium naturale, improbabile eſt.*

Et *ibid num.16.* refert opinionem Gothfredi, & Ioannis Pariſienſis, ad ſumptionem Euchariſtiæ ſufficere ieiunium Eccleſiaſticum, nec requiri naturale. Et *num 17.* ait: [Hanc tamen opinionem nullo probabilitatis fundamento nixam eſſe, omnes iam Scholaſtici meritò arbitrantur.]

173. Opinio 11. Authorum.

Per Sacramentum Pœnitentiæ ſolùm remitti reatum pœnæ.

Et *tom.4. in 3. part. quæſt 84. art. 1. dub. 2. num.6.* refert vndecim Authores, Magiſtrum, Bonauenturam, Gabrielem, Marſilium, Maiorem, Ockamum, Antiſiodorenſem, Alexandrum, Argentinatem, Abulenſem, & vtrumque Victorinum Hugonem, & Riccardum, pro ſententia aſſerente, per contritionem antecedentem ad Sacramentum Pœnitentiæ remitti peccatum, & ſolum reatum pœnæ remitti per Sacramentum. Quorum authoritate non obſtante, *num.9.* ait: [Hæc ſententia primò, quod attinet ad remiſſionem culpæ & peccati, mihi videtur *erronea.*]

Erronea.

174. *Ad Sacramentum Pœnit. non requiri dolorem de peccatis; erroneum.*

Et *quæſt.92. art.1. dub.1. num.2.* erroneam eſſe ait ſententiam Angeli, & Roſellæ, affirmantium, ad Sacramentum pœnitentiæ non requiri dolorem de peccatis, ſed ſolam voluntatem ſuſcipiendi Sacramentum, dummodo non detur complacentia de peccato.

175. *Licere reuelare confeſſionem ob vitandum damnum Reip.*

Et *quæſt.93. art 4. dub.10. num 6.* contra Antiſiodorenſem, & Gabrielem, affirmat, eſſe erroneam ſententiam, quæ aſſerit, licitum eſſe reuelare Confeſſionem propter vitandum damnum graue Reipublicæ, vel aliud magnum malum.

176. Vide in quot, & quantis P. Vaſquez, qui dixit, ſufficere vnum Authorem ad probabilitatem, ab hac arceat ſententias plurium Authorum. Quare? Niſi quia ea propoſitio vniuerſalis intelligitur ab ipſo cum aliquibus exceptionibus: & authoritas nullatenus præualet, vbi contra ipſam opponitur aliqua exceptio authoritatem debilitans. Et in caſibus prædictis maiori ex parte debilitatur, quia non verſatur in materia opinabili: quæ eſt vna ex limitationibus à Vaſquio, & à nobis tradita.

Digitized by Google

Articvlvs IV.

PP. Valentia, Granado, & Arriaga.

177. *Valentia excludit à probabilitate 24. Authores.*

PAter Gregorius de Valentia vnus eſt ex illis, qui citantur pro ea ſententia, quod vnus Doctor ſufficiat ad opinionis probabilitatem, vt patet *ex cap* 3.*num.*88. vbi etiam oſtenſum eſt, quod cum limitatione id dixerit, quamvis breuiter, & per tranſennam de ea materia ibi ageret. In eo tamen habet magnam vim argumenntum propoſitum *num.* 148. Cum enim dicat, vnum Authorem ſufficere, deueniens ad ſententiam viginti quatuor Authorum, aſſerentium, eos gradus propoſitos *Leuit.* 18. iure naturali irritare matrimonium, affirmat, non obſtante eorum authoritate, eam ſententiam eſſe erroneam. Relege verba P. Thomæ Sanchez citati ſupra *num.* 153. qui eum citans ait: [Valentia 4.*p.diſp* 10 *quæſt.*5.*punct.*3. vbi de impedimento cognationis, §. *In aliis autem grad.bus*: additque, omnes Orthodoxos iam in hoc conuenire, & nullo modo eſſe tolerandum contrarium errorem, quem olim Catholici Authores *num præced.* allegati ſenſere.] Ergo vel Valentia ſibi contradicit, vel primum aſſertum cum limitatione profert. Cum hæc duo non poſſint componi, & quod vnus ſufficiat, & quod vigintiquatuor non ſufficiant. Cenſet ergo Pater Valentia, concurrere circumſtantias, in quibus plures Authores non ſufficiant; ſcilicet cùm tales concurrunt, quæ hîc & nunc debilitent authoritatem, & exceptionem faciant.

Circa gradus iure naturæ irritantes matrimonium.

178. *Granado.* P. Granado tenet expreſsè noſtram ſententiam 1. 2. *controuerſia* 2. *tract.* 12. *diſp.* 4. Primò enim *num* 4. inquirens, an ſufficiat ad probabilitatem vnius Doctoris authoritas, ait: [Agimus autem de rebus, quæ alioqui videntur obſcuræ, & incertæ. Nam cũ pro vna parte foret certa authoritas, aut omninò firma (id eſt, certa) ratio; non poſſet ſufficere vlla authoritas, vt alteram partem contrariam reddat probabilem.] Ecce primam limitationem, quam propoſuimus *cap.* 4. quam etiam repetit *num.* 6. in probatione minoris. Et *num* 7. ait: [Hæc ſententia, adhibitis nonnullis *limitationibus*, vera eſt.] Et *num.* 11. has limitationes apponit. [Si ſcirem, illum eſſe ſingularem (*id eſt, ſingularitatum amatorem, nempe pro oſtentatione ingenij*) aut præcipitem in opinando, aut amplecti ſententias planè improbabiles, non poſſem tuta conſcientia illius opinionem reputare probabilem, ſine maiori examine, aut conſilio, maximè in re graui: meritò enim timere poſſem, num illa opinio, quam lego, ſit vna ex improbabilibus.]

179. Quæ tres limitationes videntur coincidere cum iis tribus poſtremis à me traditis *cap.* 5. Nam ſingularitatum amator ſæpe ex leuibus, vel ſophiſticis fundamentis reſoluit. Quare hæc ad ſecundum limitationis caput ſpectat. Non debere eſſe præcipitem in opinando Authorem, dixit: quod nos diximus in quarta limitatione, debere maturè expendere vtrimque rationes vtriuſque partis. Tertiam autem limitationem à nobis propoſitam, quod non ſoleat docere improbabilia, expreſſis terminis propoſuit.

180. Itaque ex mente P. Granado, vt vnus Author ſufficiat ad probabilitatem, ea quatuor debent concurrere. Vnde fit, quod tunc proderit ad probabilitatem opinionis, quando nulla exceptio, ſeu limitatio ex prædictis ei meritò obiici poteſt. Debet ergo eſſe Author omni exceptione maior, vt poſſit opinioni practicæ probabilitatem conferre.

Ideò quandoque aliquas ſententias plurium Authorum vt certò falſas reiicit, non obſtante eorum authoritate, quæ per aliquam ex illis exceptionibus debilitatur. Et ita 2. 2. *controu.* 3 *tract.* 11. *diſp.* 2. cùm *numero* 7. retuliſſet ſex Authores, Alexandrum, Gabrielem, S. Antoninum, Roſellam, Gerſonem, & Durandum aſſerentes, extra caſum extremæ neceſſitatis non teneri diuitem ſub culpa mortali ſuccurrere pauperi; deinde *num.* 18, cum propugnaſſet oppoſitam ſententiam, ſubdit, eam eſſe ita certam, vt nemo poſſit tuta conſcientia oppoſitam conſulere, aut ad praxim deducere, vt propoſitis eius verbis notabo aliàs. Non ergo ſufficiunt Patri Granado illi ſex Authores, eo quod contra eorum authoritatem militant argumenta certa. 181.

182. *Eſſe in Eucharistia materiam 1.*

Sic non illi obſtat authoritas Durandi, quominus affirmet ſententiam, quæ aſſerit, in Euchariſtia manere materiam primam, eſſe erroneam, imò & hæreticam. Ita *tom.* 2. *in* 3. *part. controu.* 6. *tract.* 3. *diſp.* 2. *num.* 7.

183. *Manere in Euchariſtia exiſtentiam ſubſtantialem panis.* Cõtra Trid.

Sic etiam cùm *ibid. num.* 10. retuliſſet ſententiam Dominici Bannez quod in Euchariſtia perſeuerat exiſtentia ſubſtantialis panis & vini, eo quod accidentia exiſtant per exiſtentiam ſubſtantiæ; affirmat, modeſtè tamen, eam eſſe certò falſam, quia opponitur definitioni Tridentini Concilij, ait enim: [Vnde ſi quis in Philoſophia opinatur, accidentia exiſtere per exiſtentiam ſubſtantialem ſubſtantiæ, creditur eſt, ſuam opinionem à Tridentino fuiſſe reiectam.] Cenſet ergo, nullius ponderis eſſe authoritatem Doctoris contra aſſertionem certam, ſed ſolùm, vt ſuprà dixit, *in rebus, quæ alioqui videntur obſcuræ, & incertæ*: ſcilicet ſeruatis cæteris limitationibus.

184. *Arriaga.* P. Arriaga *tom.* 1. *in* 1. 2. *diſp.* 24. *ſect.* 3. videtur omnes prædictas quatuor limitationes admittere; atque adeò vt vnus Doctor faciat opinionem probabilem, requiri, quod nulla exceptio ex illis contra eius authoritatem iure poſſit opponi. Quod idem eſt ac dicere; Authorem non conferre opinioni probabilitatem, niſi ſit maior omni exceptione. Itaque ſic refert *num* 11. verba ſuprà poſita Patris Vaſquez: [Contra quos alius Doctor deinde *magnæ authoritatis* opinionem aliquam *maturè* excogitatam inducit in ſcholas.] Et immediatè ſubdit: [Quam doctrinam omninò ego etiam iudico veram.] Et *num.* 12. [Cenſeo, etiam vnius Doctoris ingenioſi, prudentis, & qui *examinatis omnibus*, quæ afferuntur in contrarium, nihilominus iudicat, hanc partem eſſe probabilem; ſufficere, vt quis tutò poſſit illi ſe accommodare.]

Qui contra certitudinem reſoluit, ignorat inuincibiliter.

Et *num.* 13. addit: [Aduerte, me dixiſſe, talem hominem debere conſiderare omnia, quæ poſſunt in contrarium afferri: nam ſi ille Doctor, qui eam ſententiam tenet, *inuincibiliter ignoraret* aliquem textum, vel Canonem (*adde, vel principium certum, nam eadem eſt ratio*) quo ipſius ſententia clarè reiiceretur, & mihi de illo fundamento conſtaret, tunc non poſſem illius opinionem tutò ſequi; quia iam agnoſco in eo Doctore ignorantiam inuincibilem præcipui fundamenti in contrarium. Vnde hîc, & nunc ille Doctor vt ignorans reputatur; ignorans autem non facit opinionem probabilem.]

Nec habet authoritatem in eo, quod ignorat.

Vbi

Digitized by Google

185. Vbi vides, clarè contineri quatuor limitationes ſupra poſitas. Primam in hac vltima periodo. Cuius rationem optimam tradit; nam ſi ex aliquo principio certo conſtat falſitas opinionis, iam ille Doctor ignorat illud inuincibiliter: quæ ignorantia debilitat eius authoritatem, cùm ignorans non faciat opinionem probabilem. Secunda autem exceptio, quod opinio non procedat ex leui fundamento, continetur in iis verbis, *Opinionem maturè excogitatam.* Quod ampliùs expreſſit loco infra citando *num.* 188. ex *tom.* 2. *in* 3. *part. diſp.* 44. *num.* 5. Tertia, quod Author non doceat varia improbabilia, videtur contineri, licèt non adeò expreſsè, in eo quod ille ſit *magnæ authoritatis.* Quarta, quod procedat cum diſcuſſione rationum pro vtraque parte militantium, continetur in illis verbis, *Examinatis omnibus*, &c. ſecundum quam doctrinam ille Doctor non habet ſufficientem authoritatem ad probabilitatem, contra quam aliqua ex prædictis exceptionibus meritò obiiciatur.

186. *Ait, non eſſe probabilem, quæ negat, peccata dubia confitenda.*

Ideò *tom.* 2. *in* 3. *part. diſp.* 31. *num.* 28. affirmat, non eſſe abſolutè probabilem ſententiam, quæ negat peccata dubia eſſe confitenda. Et addit: [Authores autem duo, vel tres, qui quæſtionem hanc ex profeſſo recenter diſcutientes verterunt in dubium eam obligationem (& verò nec ſunt auſi abſolutè contrarium docere, haud dubiè, quia viderunt in contrarium totum communem ſenſum Eccleſiæ) non poſſunt facere probabilem contrariam ſententiam, nec præualere contra communem Fidelium ſenſum.] Vbi vides, ex mente P. Arriaga, tres Authores *non poſſe facere probabilem* contrariam ſententiam; quia in quæſtione de facto cenſet principium certum communem ſenſum Fidelium; atque adeò ſtante hoc principio certo, leuem eſſe authoritatem trium Theologorum ad probabilitatem.

187. Et *ibid. diſp* 41. *num.* 17. refert duos Doctores, Ioannem de la Cruz, & Ioannem Sancium, & multos doctos anonymos, aſſerentes, Regulares poſſe virtute Cruciatæ eligere Confeſſarium pro abſolutione à reſeruatis. Et *num.* 18. ait: [Non ſolùm falſa, ſed etiam improbabilis videtur prima ſententia vniuerſaliter dans Religioſis facultatem eligendi quemcumque Confeſſarium, qui abſoluat à reſeruatis. Lugo verò, & ipſe Diana addunt, eam eſſe improbabilem. Ratio eſt moraliter euidens.] Et *num.* 20. [Eſt ergo planè improbabilis ea ſententia.]

Regulares vi Cruciatæ poſſe eligere Cōfeſſarium pro reſeruatis.

Improbabilis.

188. Et *diſp.* 44. *num.* 5. ait: [Re vera aliquando contingit, vt duo, vel tres etiam Docti conſentiant in vnam opinionem ob fundamentum aliquod valde leue, quam tamen reliqui vt improbabilem reiiciunt: quæ etiam eo caſu non debet dici abſolutè probabilis, vt ſuprà diximus de ea, quæ docet, *poſſe Religioſos abſolui à reſeruatis vi Bullæ.*] Ecce authoritas trium leuis eſt ad probabilitatem, vbi leui fundamento ducuntur; ſiue vbi Authoribus iure opponitur exceptio de leuitate fundamenti.

Authoritas trium leuis eſt, ſi nititur ratione leui.

Articvlvs V.

PP. Tamburinus, & Reginaldus; item Sayrus, & Bonacina.

189. Pater Thomas Tamburinus, vt omnes concluſiones ſuas formaliſſimis terminis ad amuſſim libratas tradit, ita & in hac eodem tenore procedit. Itaque *lib.* 1. *in Decal*. *cap.* 3. §. 1. *num.* 4. ſic proponit quæſtionem: [An authoritas vnius Doctoris ſufficiat ad probabilem practicè & proximè opinionem conſtituendam, ita ſcilicet, vt tutò, & ſine peccato ex vi ipſius in actionem prorumpamus?]

Et *num.* 5. ſic ſatisfacit quæſtioni. [Tunc *ſolùm* puto ſufficere vnum, tametſi contra innumeros Doctores is doceat, quando idem eſt doctus, *rem ex profeſſo tractat, firmamque rationem pro ſe habet, nec apparet contra ipſum aliquid conuincens.* Ita Azor *part.* 1. *lib.* 2 *cap.* 17. *quæſt.* 6. Vaſquez 1. 2. *tom.* 1. *diſp.* 62. *cap.* 4. *num.* 12. aliique. Ratio eſt, quia ex tali Authore ſic vallato naſcitur meritò prudens iudicium. Quod ſi eiuſmodi Doctor ratione alicuius momenti non fulciatur, idque tu doctus animaduertas, non vales illius ſententiam regulariter excipere, nec illam aliis amplectendam proponere.] 190.

Vide, quàm dilucidè tres exceptiones à nobis traditas enumeret. Primam de certitudine fundamenti oppoſiti, ibi: *Nec apparet contra ipſum aliquid conuincens.* Secundam de leuitate fundamenti, ibi: *Firmamque rationem pro ſe habet.* Quod etiam ſatis declarat in extrema clauſula proximæ periodi. Quartam de diſcuſſione argumentorum pro vtraque parte militantium, ibi: *Rem ex profeſſo tractat.* Et licèt tertiam non expreſſerit, ſcilicet quod alia improbabilia non dixerit; ea tamen videtur practicè contineri in duabus primis. Et in prima parte periodi, illis verbis, *Tunc ſolùm puto ſufficere vnum*; nota eam dictionem *ſolùm*, per quam excluditur quiſquis omnes eas tres conditiones non habuerit; & conſequenter ille, cui aliqua ex illis exceptio opponatur. 191.

Tamburinus Exceptiones propoſitas tradit.

P. Reginaldus *lib.* 13 *cap.* 10. *num.* 93. eodem modo excludit à probabilitate authoritatem eius, qui aliqua ex iis conditionibus, ſeu qualitatibus deficiat: ait enim: [Quinta regula eſt, virum prudentem, facta diligenti diſcuſſione, optiméque examinatis vtriuſque partis fundamentis, ſi contra communem aliorum opinionem ſibi perſuadeat, aliquid licitum eſſe, adductus, quantum videre poteſt, ſatis validis rationibus, aut non obſcuro ſacræ ſcripturæ teſtimonio, vel Eccleſiæ definitione, poſſe ſecundum illam ſuam opinionem agere] Itaque vt operetur ſecundum ſuam opinionem contra communem, requiritur, quod nitatur *ſatis validis rationibus*: quare ſi leuibus ducatur, operari non poteſt; quæ eſt ſecunda limitatio à nobis propoſita. In illis autem verbis, *facta diligenti diſcuſſione, optiméque examinatis vtriuſque partis fundamentis*; prima, & quarta limitatio continentur: quarta quidem expreſsè, vt patet: prima autem illatiuè; non enim faciet diligentem diſcuſſionem rationum, qui contra principium certum reſoluerit. Nec mirum quod tertiam non exprimat; non enim agit de eo, quod requiritur, vt aliqua opinio ſit probabilis; ſed vt hîc, & nunc in praxi tutò amplectatur vir doctus aliquam opinionem. 192.

Reginaldus eaſdem tradit.

Eaſdem limitationes apponit ſatis expreſsè Sayrus *lib.* 1. *cap.* 4. Nam primam apponit *num.* 5. illis verbis: [Talis eſſe debet (opinio) quæ communiter exiſtimetur non continere aliquem errorem.] Quæ autem militat contra principium certum, continet errorem. Idem latiùs exprimit *num.* 6. *&* *num.* 9. dicit opinionem probabilem, vt talis ſit, debere verſari *in iis, quæ non* 193.

Sayrus eaſdē.

Digitized by Google

ſunt euidenter noti. Secundam limitationem propoſuit n. 5. illis verbis: [Si enim (opinio) vnius tantum Doctoris eſſet, & ſatis debiles pro ſe haberet rationes, non cenſeretur prudens, qui eam contra propriam, & communem omnium aliorum ſequeretur.] Et num. 9. [Si quis contra omnes opinaretur, leui aliquo argumento ductus, eam ſequendo peccaret.] Quartam num. 8. illis verbis: [Ipſe etiam ſit vir doctus, & peritus in ea arte, qui rationes aliorum ponderare ſciat.] Et num. 9 [Qui examinatis rationibus contrariæ opinionis, nihilominus probabiliter iudicat,] &c. Tertia autem limitatio, etſi ab eo non ſit expreſſè tradita, ſatis continetur in illis ſupra citatis verbis: [Vir doctus & peritus in ea arte, qui rationes aliorum ponderare ſciat.] Hoc enim non ſtat cum eo, quod improbabilia docere ſoleat.

194. Ideo cùm in eo num. 6. retuliſſet quinque Authores, Panormitanum, Richardum, Adrianum, Ioannem de Medina, & Caietanum, aſſerentes, [Habenti mortale nondum confeſſum, ſufficere contritionem, nec neceſſariam eſſe confeſſionem actualem ad Euchariſtiam ſuſcipiendam, etiam habita copia confeſſoris;] *ibid.* ait [In hoc caſu, antiquorum Doctorum opinio non cenſetur probabilis, ſed potiùs erronea, falſa, & antiquata.] Authoritas ergo quinque doctorum leuis eſt, quando contra ſe habet exceptionem certitudinis partis oppoſitæ.

Ad communionem non requiri confeſſionem præuiam. Erronea.

195. Et *ibid.* refert quinque Doctores, S. Thomam, Alenſem, Summam Confeſſorum, Paludanum, & Richardum; & ſuppreſſo nomine, alios pro ſententia aſſerente, eſſe irregularem eum, qui occidit, vel mutilat cum moderamine inculpatæ tutelæ. Quam etiam ſententiam dicit meritò, iam eſſe improbabilem. Patet ergo ex eius mente, poſſe dari authoritatem Doctorum, quæ non iuuet ad probabilitatem, nempe quando contra prædictam authoritatem datur exceptio aliqua ex iis, quas ipſe Author adnotauit.

Eſſe irregularem, qui occidit cum moderamine. Improbabilis.

196. Bonacina *tom.* 1. *diſp.* 2. *de peccatis, quæſt.* 4. *punct.* 9. *num.* 1. omnes has limitationes à nobis traditas expreſſit. Ait enim: [Vt aliqua opinio dicatur probabilis, attendendum eſt primò, qua ratione nitatur. Secundò, an contineat errorem. Tertiò, an ſit abolita, & antiquata. Quartò, vtrum habeat Authores in ſui fauorem, & quanta ſit illorum Authorum ſcientia, & prudentia; vtrum ſcilicet ſint valde periti, & timoratæ conſcientiæ, aut in ſcholis approbati.] Primam limitationem exprimit, dum dicit, illam non debere continere errorem, neque eſſe antiquatam. Secundam, dum dicit attendendum, qua ratione nitatur, quam explicuit *num.* 11. dicens: [Virum prudentem eſſe tutum in conſcientia, dum adhibita debita diligentia, & diligenter examinatis rationibus vtriuſque partis, fretus ſatis firmis & validis rationibus, ſequitur opinionem contrariam communi opinioni.] Tertiam limitationem ſatis declarat in extrema clauſula primæ periodi. Quartam limitationem tradit in proxima periodo, & præcipuè in ea, quam retuli *cap.* 2. *art.* 4. *num.* 50. omninò videnda.

Bonacina.

ARTICVLVS VI.

Leander à SS. Sacramento.

197. Notaui ſæpius, eos Doctores, qui dicunt ſufficere vnum Authorem ad probabilitatem, & ſimul notant de improbabilitate ſententias plurium Authorum, euidenter iudicare, non ſufficere authoritatem vtcumque, ſed quibuſdam qualitatibus præmunitam; quæ quia deficiunt in iis ſententiis reprobatis plurium Doctorum, ideo horum authoritas quoad illas ſententias non facit probabilitatem. Vide quæ dixi *art.* 1. *initio*.

198. In hac claſſe primas tenet Leander à SS. Sacram. qui ex vna parte docet, vnum Authorem ſufficere ad probabilitatem, vt vidimus *cap.* 3. *n.* 66. ex alia verò innumeras ſententias plurium Authorum refert, quas docet eſſe certò falſas, quatenus oppoſitas concluſiones affirmat eſſe *certas*, vel *certiſſimas*. Nam, vt ſæpiùs notaui, implicat contradictionem, vnam concluſionem eſſe certam, & eius oppoſitam non eſſe certò falſam, & poſitiuè improbabilem. Et licèt aliquantò prolixior videar, texam catalogum harum ſententiarum, quas hoc modo notat hic Author; quas quidem propugnant pluſquam quatuor Authores, & quas ipſe refert in prima, & ſecunda parte dumtaxat: nam omnes referre & otioſum & ſummè prolixum eſſet.

199. Et quidem hic catalogus aliquibus forſan tædium pariet, ſed & forſan aliquibus placebit, eruditionis causâ, plurimas has improbabiles ſententias ſummatim recognoſcere. Mihi videtur non inutile, hunc catalogum proponere, vt appareat, quàm multæ, & à quàm multis propugnatæ occurrant ſententiæ, quæ iudicio huius Doctoris ſunt certò falſæ, adeoque improbabiles: vt diſcat Lector non multùm fidere authoritati, niſi vbi limitationes ſuprà traditæ concurrant, ſiue vbi Authores fuerint omni exceptione maiores, modo ſupra explicato; & conſtet tandem, vt authoritas vnius Doctoris omni exceptione maioris eſt magnum fundamentum ad tranquillitatem conſcientiæ; ita authoritatem plurium, contra quos eiuſmodi exceptiones iure obiici poſſunt, leuis eſſe momenti,

200. Igitur prædictus Leander *part.* 1. *tract.* 5. *diſp.* 1. *quæſt.* 26. refert quinque Authores affirmantes, cum contritione perfecta non ſemper eſſe coniunctam remiſſionem peccati. Oppoſitum autem dicit certiſſimum, & conſequenter eam priorem ſententiam eſſe certiſſimè falſam.

201. Et *ibidem diſp.* 6. *quæſt.* 11. citat quinque Authores propugnantes, ad valorem confeſſionis requiri, quod pœnitens, ſi poſſit, propria voce omnia ſua peccata confiteatur, & exprimat. Et oppoſitam concluſionem dicit certam.

202. Et *ibidem diſp.* 10. *quæſt.* 77. affert quinque Authores docentes, poſſe reuelari confeſſionem, ad probandum valorem matrimonij, aut ad impediendum, ne inualidè contrahatur. Cuius oppoſitum docet eſſe certiſſimum.

203. Et *diſp.* 11. *quæſt.* 48. refert quinque Authores affirmantes, Doctorem in Theologia, aut iure Canonico, poſſe ſine approbatione Epiſcopi audire confeſſiones. Et oppoſitum dicit certiſſimum.

204. Et *ibidem quæſt.* 134. adducit quinque Authores

Digitized by Google

thores pro ſententia affirmante, teneri confeſſarium monere pœnitentem, quem inualidè abſoluit, vt iterum validè confiteatur. Et oppoſitam concluſionem dicit certiſſimam.

205. Et *diſp.* 15. *quæſt.* 52. adducit quinque Authores aſſerentes, ad Lucrandum indulgentias, quæ eleemoſynam poſtulant, non requiri eleemoſynam corporalem, ſed ſufficere ſpiritualem. Cuius oppoſitum dicit certiſſimum.

206. *Part.* 2. *tract.* 6. *diſp.* 10 *quæſt.* 9. refert quinque Doctores, aſſerentes, ſolos Prælatos Regulares Societatis Iesv poſſe concedere litteras dimiſſorias ſubditis ad ſuſcipiendos Ordines. Et oppoſitam ſententiam dicit certiſſimam.

207. Et *tract.* 7. *diſp.* 5. *quæſt.* 22. quinque Authores adducit pro ſententia, quæ affirmat, poſſe Sacerdotem conſecrare extra Miſſam, ad præbendum viaticum infirmo. Cuius oppoſitum affirmat eſſe certiſſimum.

208. Et *tract.* 9. *diſp.* 15. *quæſt.* 5. adducit quinque Doctores aſſerentes, matrimonium Fidelis cum hæretico eſſe inualidum. Oppoſitum docet eſſe certiſſimum.

209. Et *diſp.* 17. *quæſt.* 4. quinque Authores refert docentes, teneri voto caſtitatis eum, qui ſuſcipiens Ordines minores, credebat, eis eſſe annexum votum caſtitatis. Et oppoſitum dicit certiſſimum.

210. Sex Authorum. *Part.* 1. *tract.* 4. *diſp.* 2. *quæſt.* 18. refert ſex Authores aſſerentes, inuocationem SS. Trinitatis eſſe neceſſariam Sacramento Extremæ vnctionis. Oppoſitum autem dicit certiſſimum.

211. Et *tract.* 5. *diſp.* 2. *quæſt.* 16. Sex Authores adducit aſſerentes, verba non eſſe de eſſentia Abſolutionis, ſed hanc poſſe fieri alio ſigno externo. Cuius oppoſitam concluſionem dicit certiſſimam.

212. Et *diſp.* 3. *quæſt* 14. ſex Doctores docent, teneri ad confeſſionem omnes ſtatim poſt commiſſum peccatum lethale, idque iure diuino. Cuius oppoſitum dicit certiſſimum.

213. Et *diſp.* 8. *quæſt.* 33. Sex Authores docent eum, qui ſe polluit tactibus profeſſi, non debere explicare in confeſſione circumſtantiam voti. Et oppoſitum dicit certiſſimum.

214. Et *diſp.* 10. *quæſt.* 5. ſex Doctores aſſerunt non eſſe peccatum mortale, ſi confeſſarius reuelet peccatum veniale pœnitentis. Cuius oppoſitum dicit certiſſimum.

215. Et *ibid. quæſt.* 8. ſex alij referuntur docentes, non eſſe violationem ſigilli, reuelare peccatum publicum pœnitentis. Cuius oppoſitum dicit certiſſimum.

216. Et *diſp.* 11. *quæſt.* 16. affert ſex Doctores aſſerentes, non omnes Sacerdotes poſſe abſoluere in articulo mortis. Et oppoſitum dicit certiſſimum.

217. Et *tract.* 3. *diſp.* 2. *quæſt.* 3. refert ſex Authores pro ſententia aſſerente, poſſe Epiſcopum committere ordinario Sacerdoti, vt confirmet. Et oppoſitum dicit certiſſimum.

218. Et *part.* 2. *tract.* 9. *diſp.* 25. *quæſt.* 36. adducit ſex alios docentes, virum coniugatum incipientem copulam ſodomiticè, & perficientem modo naturali, non peccare mortaliter. Et oppoſitum dicit certiſſimum.

219. Septem Authorum. *Part.* 1. *tract.* 2. *diſp* 2. *quæſt.* 15. refert ſeptem Authores, qui dicunt, poſſe in neceſſitatis caſu fieri Baptiſmum aqua artificiali, aut id eſſe probabile. Cuius oppoſitum dicit omninò certum.

Et *tract.* 1. *diſp.* 1. *quæſt.* 5. ſeptem alios enumerat, aſſerentes, non omnia Sacramenta fuiſſe à Chriſto Domino inſtituta. Oppoſitum dicit certiſſimum, vtpote expreſſum in Tridentino. 220.

Et *part.* 2. *tract.* 6. *diſp.* 4. *quæſt.* 3. refert ſeptem Doctores aſſerentes, Epiſcopum hæreticum, vel degradatum, vel à Papa impeditum, inualidè ordinare. Cuius oppoſitum affirmat eſſe certiſſimum. 221.

Et *tract.* 7. *diſp.* 5. *quæſt.* 23. adducit ſeptem Authores aſſerentes, Sacerdotem, qui loco vini poſuit aquam in calice, poſtquam id aduertit tempore communionis, non poſſe illam deglutire, ita vt vinum poſteà infundat, & conſecret, ſed eſſe proiiciendam. Oppoſitum dicit certiſſimum. 222.

Et *quæſt.* 45. refert ſeptem alios affirmantes, non licere accedere ad communionem, niſi cibus digeſtus, vel ſomnus ceptus ſit. Oppoſitum affirmat certiſſimum. 223.

Et *tract.* 8. *diſp.* 5. *quæſt.* 23. ſeptem Authores referuntur aſſerentes, ſi feria ſexta in Paraſceue incidat in diem feſtum, v. g. Incarnationis Dominicæ, teneri Fideles audire Miſſam illius diei. Oppoſitum dicit certiſſimum. 224.

Et *tract.* 9. *diſp.* 7. *quæſt.* 77. Septem Authores affirmant, contractum matrimonij illicitè celebrati eo tempore, quo clauduntur nuptiæ. Oppoſitum dicit certiſſimum. 225.

Et *ibid. diſp.* 5. *quæſt.* 12. ſeptem alij aſſerunt, Matrimonium conſummatum poſſe diſſolui, ſaltem authoritate Romani Pontificis, per profeſſionem Religioſam. Oppoſitum affirmat certiſſimum. 226.

Et *diſp.* 21. *quæſt.* 38. ſeptem Authores aſſerunt, pueros ſeptennes poſſe eſſe capaces matrimonij. Oppoſitum dicit certiſſimum. 227.

Part. 1. *tract.* 1. *diſp.* 4. *quæſt* 8. & 9. affert octo Authores (ſed tenerà non omnes id affirmant) pro ea ſententia, quæ aſſerit, non eſſe peccatum mortale, Miniſtrum ſolemnitatis adminiſtrare Sacramenta in peccato lethali. Et affirmat, eam improbabilem, ideóque expungi iuſſam ab Inquiſitione Hiſpanica in Indice Expurgatorio anni 1640. in Hieronymo de Llamas. 228. Octo Authorum.

Et *tract.* 5. *diſp.* 5. *quæſt.* 26. Octo Authores referuntur pro ſententia aſſerente, peccata dubia non eſſe ex obligatione confitenda. Et oppoſitam affirmat eſſe certiſſimam. De hac materia vide infra *diſp.* 44. 229.

Et *part.* 2. *tract.* 7. *diſp.* 7. *quæſt.* 28. octo Authores affirmant, poſſe Fidelem accedere ad communionem Euchariſtiæ ſine præuia confeſſione, ſi breuiter ſperat Confeſſarium, cui deuotiùs confitebitur. Oppoſitum dicit certiſſimum. 230.

Et *tract.* 9. *diſp.* 4. *quæſt.* 2. Octo Authores dicunt, matrimonium in lege gratiæ non eſſe verè Sacramentum. Oppoſitum affirmat certum de Fide. 231.

Et *diſp.* 24. *quæſt.* 2. octo Authores defendunt, poſſe Romanum Pontificem diſpenſare in Impedimentis iure diuino, & naturali matrimonium dirimentibus. Oppoſitam ſententiam docet certiſſimam. 232.

Part. 1. *tract.* 5. *diſp.* 1. *quæſt.* 2. refert nouem Authores, qui dicunt, non componi Sacramentum Pœnitentiæ ex contritione, confeſſione, ſatisfactione, 133. Nouem Authorum.

Digitized by Google

tisfactione , & abſolutione ; alij enim vnam , alij aliam partem auferunt. Oppoſitum dicit certiſſimum.

234. Et *diſp.* 11. *quæſt.* 62. nouem Authores aſſerunt , Prælatos Regulares ſine approbatione Epiſcopi poſſe audire confeſſiones ſæcularium. Oppoſitam ſententiam docet certiſſimam.

235. Decem Authorum. *Part.* 1. *tract.* 5. *diſp.* 14. *quæſt.* 145. refert quinque Authores , & quinque alios apud P. Thomam Sanchez videndos, aſſerentes , non poſſe commutari votum non peccandi. Et oppoſitam concluſionem affirmat certiſſimam.

236. Et *part.* 1. *tract.* 6. *diſp.* 1. *quæſt.* 8. refert decem Authores pro ſententia, quæ negat , Diaconatum eſſe verum Sacramentum Ordinis : ſex enim id affirmant abſolutè , & quatuor alij vt probabile. Oppoſitam docet eſſe certiſſimam.

237. Duodecim Authorum. *Part.* 1. *tract.* 5. *diſp.* 10. *quæſt.* 13. refert duodecim Authores aſſerentes, non violare ſigillum confeſſarium , qui reuelat peccata perpetranda à pœnitente. Oppoſitum affirmat certiſſimum.

238. Et *part.* 2. *tract.* 7. *diſp.* 9. *quæſt.* 1. affert duodecim Authores pro ea ſententia , quod Chriſtus D. non conſecrauerit mediis verbis, ſed ſola voluntate , vel ſigno alio externo. Cuius oppoſitam dicit certiſſimam.

239. Tredecim Authorum. *Part.* 2 *tract.* 8. *diſp.* 7. *quæſt.* 11. refert tredecim Authores aſſerentes, mappas Altaris non neceſſariò debere eſſe benedictas. Cuius oppoſitum dicit certiſſimum.

240. Sexdecim Authorum. *Part.* 1. *tract.* 2. *diſp.* 1. *quæſt.* 16. refert ſexdecim Authores docentes, poſſe in aliquibus caſibus conſequi ſalutem æternam infantes decedentes ſine baptiſmo ſuſcepto , vel martyrio. Cuius oppoſitum dicit certiſſimum.

241. Vigintiquinque Authorum. *Part.* 2. *tract.* 9. *diſp.* 12. *quæſt.* 8. refert vigintiquinque Authores docentes , omnes gradus conſanguinitatis, & affinitatis prohibitos *cap.* 18. *Leuitici* , iure naturæ irritare matrimonium. Cuius oppoſitum docet eſſe certiſſimum.

242. Vigintiocto Authorum. *Part.* 2. *tract.* 9. *diſp.* 21. *quæſt.* 13. & 14. refert vigintiocto Authores (cum iis , quos citat apud P. Thomam Sanchez) qui affirmant , matrimonium eunuchi carentis vtroque teſticulo, eſſe validum. Cuius oppoſitum docet eſſe certiſſimum.

243. Denique ſi omnes ſeptem partes prædicti Leandri euolueris, inuenies in illis pluſquam ſexcentas opiniones eodem modo reprobatas , & iudicio Athoris reponendas inter opiniones certò falſas , & improbabiles Et , vt video , hoc iudicium Leandri non reiicitur, imò maiori ex parte admittitur à viris doctiſſimis. Quod pluſquam efficaciter probat, Authores, ad tranquillitatem conſcientiæ eſſe debere omni exceptione maiores, modo explicato.

ARTICVLVS VII.

Amadæus Guimenius , Rota Romana , & plurimi alij.

244. AMadæus Guimenius vnus eſt ex illis, qui docent , vnum Authorem ſufficere ad probabilitatem , vt retuli ſuprà *num.* 66. qui tamen ſententias plurium Authorum refert, quas affirmat certò falſas , & improbabiles ; atque adeò, iuxta ſupradicta, non quamcumque authoritatem admittit ad probabilitatem ; ſed conſequenter admittit , eſſe Authores , contra quos præualent exceptiones nonnullæ. Lege tractatum eius apologeticum aduerſus quorumdam expoſtulationes contra nonnullas Ieſuitarum opiniones morales , & complura huius rei exempla reperies.

Ex quibus primum ſit *ex tractatu de Ieiunio, propoſ.* 2. *num.* 12. vbi tres aſſertiones Paſqualigi improbabiles eſſet docet. Primam , poſſe te infra horam poſt mediam noctem ſumere cibum , & poſteà eo die communicare ſacram ſynaxim. Secundam , quod ieiunans hodie poſſit infra horam ante mediam noctem comedere , quaſi tranſactus eſſet dies ; vel ieiunans die craſtina , poſſit infra horam poſt mediam noctem comedere, quaſi non aduenisset adhuc dies craſtina. Tertiam , in vltima nocte Bacchanalium , quæ luceſcit in feria quarta Cinerum , licitum eſſe differre cœnam vſque ad tertiam horam poſt mediam noctem. Sed numquid Zaccharias non eſt vir doctiſſimus? Numquid vnus Author doctiſſimus non ſufficit ad probabilitatem. Sufficeret vtique , ſi ea duplex exceptio non opponeretur iure merito contra ipſum in his tribus concluſionibus : nempe , quòd eas ex leui fundamento tradit , & quòd eæ opponuntur principiis certiſſimis. De quo vide infrà *diſp.* 27. *cap.* 8. 9. & 11. 245. *Tres aſſertiones Paſqualigi quare improbabiles?*

Secundò *tract de Simonia , propoſ.* 3. *n.* 6. refert quinque Authores, Mancium, Gallum, Medinam, Bañez , & Hieronymum de Llamas , dicentes Graduatos in Theologia , vel iure Canonico , & Lectores Theologiæ , & egregium Prædicatorem publicum poſſe abſque Epiſcopi approbatione ſæcularium confeſſiones audire. De qua opinione ſic ait : [Permitti verò non poteſt opinio altera,] &c. Et inferiùs. [Hæc, inquam, opinio prorſus reiicienda eſt : tum quia per Sanctum Inquiſitionis Tribunal expuncta ex Hieronymo de Llamas in Expurgatorio anni 1640. Tum quia eſt contra Bullam Pij V. expeditam anno 1571. octauo Idus Auguſti.] 246. Opinio quinque Authorum. *Graduatos vel Lectores poſſe audire confeſ. abſque approbatione Epiſc.* Improbabilis.

Tertiò *tract. de Matrim. propoſ.* 8. *num.* 2. refert quatuor Authores pro ea opinione , quod delectatio moroſa venerea non ſit peccatum mortale ; nempe Martinum de Magiſtris , Cordubam , Tabienam , & D. Thomam *in* 2. *Sent.* quam tamen affirmat non eſſe probabilem , quatenus affirmat , quod in Expurgatorio anni 1612. & 1640. edicto Inquiſitionis aſſeritur, nec tutam, nec probabilem eſſe. Et *propoſ.* 13. *num.* 3. ait [Verùm horum opinionem iam ibi notauimus ex mandato ſanctæ Inquiſitionis cautè legendam , & neque tutam , neque probabilem eſſe.] Additque illam *communiter reprobari.* Quibus multa alia ſimilia reperies in prædicto Authore. 247. Opinio 4. Authorum. *Delectationem moroſam non eſſe pecc. mort.* Improbabilis.

Rotæ Romanæ deciſiones magnam habere authoritatem , nemo eſt qui neſciat. Feruntur enim à viris doctiſſimis magna conſultatione præhabita, & maturiſſimo conſilio. Igitur in deciſione Sacræ Rotæ , *in Oſcenſi Canonicatus* , *coram D. Peña , die* 1. *Decembr. ann.* 1595. (apud Dianam *part.* 5. *in fine voluminis*) §. *Præterea*, referuntur viginti octo Authores , Matthæus de Afflict. Vrſill. Aufrer. Menochius , Rebuffus, Guillielmus Bened. Carolus de Graſſ. Couarruu. Gregorius Lop. Auendaño , Auiles , Caſtillo, Azeuedo , Didacus Perez , Gonzalez , Suarez, Nauarrus, 248. Rota Rom. Opinio 28. Authorum.

Digitized by Google

Iudices laicos cognoſcere in cauſis Eccleſ.

Nauarrus in quadam antiqua impreſſione, Cacheranus, Salcedo, Molinus, Portoles, Humada, Viualdus, Cenedus, Monterosus, Sotus, Bañez, Salon, & Corduba, aſſerentes, in quibuſdam cauſis Eccleſiaſticis poſſe cognoſcere, & iudicare iudices laicos.

249. *Periculoſa.*

Et §. *Ad horum*, reſpondet ſic: [Ad horum tamen omnium opinionem vno verbo reſpondebatur, eam eſſe periculoſam, & contra ſacrorum Canonum authoritatem.] Et §. *Has tamen*, addit: *in ea re grauiſſimè lapſos* eos Authores. Ergo ex mente Iudicum ſacræ Rotæ vigintiocto Authores non habent ſufficientem authoritatem ad probabilitatem, cùm iis iure merito opponitur exceptio, quòd reſoluunt *contra ſacrorum canonum authoritatem.*

Authores grauiſſimè lapſos.

250. Ideò eadem Sacra Rota *in vna Veneta cenſurarum* (apud Dianam *part. 6. tract. 1. reſol. 3. §. Sed deueniendo*) hæc verba habet: [Cùm in hac materia, Sacrorum Conciliorum, & Romanorum Pontificum diuina reſponſa, *quæ clara ſunt*, ſeruari debeant, non oportet admodum ſollicitè quærere, cur aliqui iuris, ciuilis potiſſimùm, Interpretes contrarium conſuluerint; & anxiè laborare, vt eorum reſponſis ſingulariter reſpondeatur; cùm notum ſit eos ſæpe vel lucri cupiditate, vel ſtudio adulandi Principibus laicis, vel ſacrorum canonum imperitia ſic in tranſverſum actos, vt *in luce clara ſponte cæcutire voluerint.*] Vbi notabis primò, ideò reprobari opiniones eorum Interpretum iuris, quia reſponſa Pontificum, & Conciliorum *clara ſunt*, id eſt, euidentia: contra euidentiam autem nulla eſt probabilitas. Notabis ſecundò, etſi magno numero ſint Authores, qui in materia immunitatis ſiniſtrè opinantur, adhuc nihil prodeſſe authoritatem eorum ad probabilitatem; & exceptionem contra ipſos opponi, quod *in cluce clara ſponte cæcutire voluerint*, ſiniſtris affectibus præoccupati.

Nihil prodeſt authoritas contra claritatem textus.

251. Et quidem vix vllus eſt Author, qui eodem modo pro hac noſtra concluſione citari non poſſit, cùm vix vllus reperiatur, qui aliquas opiniones non referat de improbabilitate notaras.

252. Sed præcipuè citandi veniunt illi Authores, qui in ea quæſtione, an ſufficiat vnus Author ad probabilitatem? reſpondent, ſufficere vnum Authorem *firma ratione munitum.* Nam quando concluſio firma ratione munitur, nulla exceptio poteſt contra Authorem opponi. Non prima, quod pars oppoſita ſit certa; quia ſicut contra certitudinem nulla eſt firma ratio, ita contra firmam rationem nulla eſt certitudo. Non ſecunda ex leuitate fundamenti, cùm firma ratio non ſit leuis, ſed grauis. Non tertia, quod Author varia improbabilia doceat; nam licèt alia improbabilia docuerit, ſi hîc, & nunc ratio concluſionis eſt firma, concluſio euadit probabilis. Solùm ergo valet ea exceptio tertia, quando abſtrahimus ab eo, quod ratio ſit firma vel infirma, nec conſtat dari principium certum in oppoſitum.

Sufficit vnus Author firma ratione munitus. Contra eum nulla eſt exceptio.

253. Non quarta, quod Author procedat abſque diſcuſſione rationum, vel more auium alium ſequatur; quia ſi hæc concluſio A, nititur firmâ ratione, quamvis Author nullius ſit authoritatis, concluſio A, eſt probabilis. Itaque cùm excluditur merus Summiſta, merus Compilator, merus tranſcriptor, & qui more auium alium omninò ſequitur, loquimur de ſola eius authoritate: nam ſi nitatur firma ratione, non iam ſola eius authoritas inſpicitur. Et vbi firma ratio eſt, non eſt neceſſe attendere ad authoritatem dicentis, & hoc eſt, quod expreſſit Abbas citatus *cap. 3. num. 94.* illis verbis: [Non ergo debet haberi reſpectus ad qualitatem perſonæ illam opinionem fouentis, ſed ad illam rationem.]

Authores autem, qui dicunt, ſufficere ad probabilitatem vnicum Authorem firma ratione munitum, ſunt P. Vaſquez ſuprà citatus *n. 79.* illo verbo, *maturè excogitatum.* P. Azor *cit. num. 80.* poſtulans *rationem manifeſtam, & firmam* Villalob. *cit. num. 81.* requirens *rationem manifeſtam & firmam.* Ioannes Sancius *cit n. 82.* exigens, *quod rationibus probabilibus incedat.* P. Caſtro Palao *num. 83.* quod *firma ratione muniatur.* P. Torres *num. 84.* exigens, quod *habeat magni momenti argumenta.* Sayrus *num. 86.* quod non procedat *leui aliquo argumento ductus*, P. Valentia *num. 88.* requirit quod *eam ſuadeat* Syluester *num. 90.* quod detur *vera, & certa ratio.* Gloſſa citata *num. 92.* quod *meliori ratione, & ſubtiliori innitur.* Abbas *num. 94.* requirens, quod *nitatur meliori, & ſubtiliori ratione.* Antoninus Diana *num. 97.* requirens, quod *adducat aliquam rationem probabilem.* Saura *cit. num. 99.* poſtulans, quod *efficaci fulciatur ratione.* P. Pellizarius, Nauarrus, & Corduba citati *num. 114.* P. Thom. Sanch. *num. 149.* dum ait, *non eſſe credendum Doctoribus, quamtumcumque doctrina polleant, dum carent fundamento:* & cum eo Ioannes Lupus *loc. cit.* P. Suarez *cit. n. 156.* quatenus ait, *Nec enim ſufficit multitudo Authorum ſine ratione aut fundamento probabili.* P. Arriaga *n. 184.* requirens cum P. Vaſquio opinionem eſſe *maturè excogitatam.* P. Tamburinus *num. 190.* aſſerens, opinionem fieri probabilem, ſi *firmam rationem pro ſe habeat.* P. Reginaldus *num. 192.* illis verbis, *adductus ſatis validis rationibus.* Bonacina *num. 196.* illis verbis: *Fretus ſatis firmis, & validis rationibus.* 254.

Vaſquez. Azor. Villalobos. Ioan. Sanc. Caſtro Pal. Torres. Sayrus. Valentia. Sylueſt. Gloſſa. Abbas. Diana. Saura. Pellizarius. Nauarrus. Corduba. Th. Sanch. Ioan. Lupus. Suarez. Arriaga. Tamburin. Reginald. Bonacina.

CAPVT IX.

Rationibus oſtenditur eadem concluſio.

EAdem concluſio, nempe quod ſufficiunt ad probabilitatem plures Authores (nedum vnicus) niſi ſint omni exceptione maiores, quam *cap. præced.* oſtendimus eſſe communem Doctorum ſententiam, in præſenti capite rationibus confirmanda venit. 255.

Et primum quidem pro ea argumentum conſtituunt omnia illa, quæ probant, veras & certas eſſe eas quatuor limitationes propoſitas *cap. 4.* Quia ſi Author non dat probabilitatem, niſi ſub illis quatuor limitationibus, euidens eſt, quod vbi aliqua earum defecerit, poteſt opponi ea exceptio contra authoritatem Doctoris; qua exceptione iure oppoſita, nihil prodeſt authoritas. Debet ergo eſſe omni ea exceptione maior, vt proſit eius authoritas ad opinionis probabilitatem. 256.

Secundum argumentum deſumitur *ex cap. 2. art. 1. ex cap. præced.* per omnes eius articulos. Etenim ſi ſufficerent ad probabilitatem Authores, qui non eſſent omni exceptione maiores, quamplurimæ 257.

quamplurimæ ſententiæ improbabiles eſſent probabiles: hoc implicat ex terminis: ergo implicat, quod ſufficiant ad probabilitatem Authores, qui non ſint omni exceptione maiores. Minor, & conſequentia patent, & non minùs Maior. Dantur enim quamplurimæ ſententiæ improbabiles, propugnatæ à quatuor, ab octo, à duodecim, imò & à vigintiocto Authoribus, vt conſtat *ex cap. 2. art. 1. & ex toto cap. praced.* & omnibus eius articulis. Tum ſic. Si Authores probabilitatem compararent opinioni, quantacumque exceptione illis oppoſita, compararent probabilitatem illis ſententiis improbabilibus, quantumcumque eis obiiceretur improbabilitas.

258. Prima reſponſio. Dices primò, illas ſententias eſſe improbabiles, quia militant contra principium omninò certum, quo ſecluſo, ſemper authoritas illorum daret probabilitatem.

259. Refellitur primò. Contra eſt primò. Quia quod militent contra principium certum, eſt exceptio contra authoritatem, ne hîc & nunc operetur probabilitatem: ergo vt hîc, & nunc operetur probabilitatem, debet deficere ea exceptio. Sed hoc eſt, Authores eſſe omni exceptione maiores, vt conſtat ex ipſa explicatione data *num.* 156. ergo vt authoritas hîc & nunc operetur probabilitatem, debet eſſe omni exceptione maior.

260. Refellitur ſecundò. Contrà eſt ſecundò: nam in præfatis ſententiis relatis *loco citato* non ſolùm deficit probabilitas propter principium certum militans contra eas ſententias, ſed etiam defectu fundamenti à ratione, requiſiti ad probabilitatem. Quæ eſt altera exceptio contra authoritatem Doctorum.

261. Reſponſio ſecunda. Dices ſecundò, eas ſententias relatas eſſe improbabiles ab intrinſeco, & probabiles ab extrinſeco, quod non implicat; & ideò ſemper authoritatem manere cum ſuo effectu probabilitatis extrinſecæ.

262. Reiicitur primò. *Non poteſt eſſe probabilis ab extrinſeco, & improbabilis ab intrinſeco.* Reiicitur primò. Nam, vt optimè dixit P. Suarez citatus *num.* 156. *Non ſufficit multitudo Authorum ſine ratione, aut fundamento probabili.* Sed ad quid non ſufficit? Ad probabilitatem intrinſecam, an ad extrinſecam? Ad intrinſecam numquam ſufficit multitudo Authorum; cùm ſolùm poſſint conferre extrinſecam. Si ergo non ſufficit multitudo Authorum, vtique non ſufficit ad probabilitatem extrinſecam.

263. Reiicitur ſecundò: nam, vt optimè dixit P. Thom. Sanch. citatus *num* 148. cum Ioanne Lupo, *Non eſt credendum Doctoribus, quantumcumque doctrina polleant, dum carent fundamento.* Atqui cùm alteri non credimus, non habet authoritatem apud nos in eo ipſo, quod non credimus: ergo ſi hîc & nunc deficit authoritas, deficit etiam probabilitas extrinſeca, quæ in authoritate dicentis conſiſtit. *Authores docentes abſque fundam. non dant probabilitatem extrinſecam.*

Reiicitur tertiò. Nam, vt diſertè notauit P. Arriaga *tom.* 1. *in* 1. 2. *diſp.* 24. *num.* 13. dum Author ignorat inuincibiliter aliquod principium certum, non habet authoritatem, nec confert probabilitatem extrinſecam in eo ipſo, quod ignorat; ſed cùm Doctor tradit opinionem improbabilem & certò falſam, ignorat, ſaltem inuincibiliter, illud principium certum, cui eius ſententia opponitur: ergo cùm docet opinionem improbabilem, & certò falſam, non habet circa illam authoritatem, neque illi confert probabilitatem extrinſecam. Propoſitio autem, quam P. Arriaga aſſumit, euidens eſt. Nam probabilitas extrinſeca, & authoritas doctoris, ob quam illi aſſentimus, eſt quia eius doctrina fundat præſumptionem, quod hoc ſciat: euaneſcit autem præſumptio, quod hoc ſciat, vbi clarè comperimus, quod hoc ignorat. *Author docens contra certitudinem, illam ignorat.* *In eo, quod ignorat, non dat probabilitatem extrinſecam.*

Reiicitur quartò. Nam probabilitas extrinſeca eſt magnum fundamentum, vt concluſioni aſſentiamur: ſed contra certitudinem nullum datur fundamentum magnum: ergo contra certitudinem nulla datur probabilitas extrinſeca. Sed quando concluſio improbabilis habet pro ſe plures Authores, concluſio oppoſita eſt certa; concluſio enim poſitiuè improbabilis idem eſt, ac certò falſa: ergo quando concluſio improbabilis habet pro ſe plures Authores, nullam habet probabilitatem extrinſecam. 264. *Contra certitudinem nullam datur fundamentũ magnum, etiam extrinſecè.*

Itaque implicat, quod opinio ſit ab intrinſeco improbabilis, & ſimul probabilis ab extrinſeco; quia implicat, quod detur magnum fundamentum ad aſſerendam concluſionem euidenter falſam. Concluſio enim oppoſita, ſi euidens eſt, tollit quamcumque probabilitatem concluſioni oppoſitæ. Et ita authoritas vigintiquinque Doctorum aſſerentium, omnes gradus conſanguinitatis, & affinitatis prohibitos *Leuitici* 18. irritare iure naturæ matrimonium, eſt leue fundamentum, quia eſt contra decretum Tridentini: ſicut in trutina pondus viginti-quinque drachmarum leue eſt contra mille libras. 265.

Confirmatur. Vbi datur fundamentum probabile pro concluſione A, poteſt intellectus ei concluſioni aſſentiri, quando autem oppoſita concluſio eſt euidens, huic neceſſariò aſſentitur intellectus: ergo vel poſſet aſſentiri vtrique extremo contradictorio, vel dicendum eſt, quod quando oppoſita concluſio eſt euidens, aut certa, nulla omninò remanet probabilitas, nullum penitus fundamentum probabile concluſioni A. 266.

Quare dum aliquando dicimus, aliquam opinionem olim fuiſſe probabilem, ſaltem ab extrinſeco, non intendimus, fuiſſe improbabilem ab intrinſeco, & probabilem ab extrinſeco; hoc enim repugnat, vt dictum eſt: ſed id ita dicimus, vel abſtrahendo à probabilitate intrinſeca, vel in dubio, an fuerit probabilis ab intrinſeco; in dubio enim ſtat præſumptio pro authoritate Doctorum. 267. *Quo ſenſu dicatur, opinionem eſſe probabilem, ſaltem ab extrinſeco.*

Tertium argumentum. Ideò authoritas viri ſapientis eſt graue fundamentum ad aſſentiendum concluſioni, quia præſumitur loqui ex graui fundamento, & non docere id, quod ſit euidenter falſum: ergo ſi conſtet deficere graue fundamentum, vel adeſſe euidentiam in oppoſitum, ceſſat præſumptio, cùm nulla ſit præſumptio contra euidentiam, vel certitudinem. Ergo dum hæc exceptio illi iure opponitur, ceſſat eius authoritas, atque adeò extrinſeca probabilitas. 268.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT X.

Improbatur aliquorum conſequentia deſumpta ab authoritate vnius Doctoris ad inferendam probabilitatem.

269. ALiqui Neotherici putant, ſe cauſam probabilitatis alicuius concluſionis confeciſſe, ſi dent vnum, vel duos Authores pro ea opinione, quam volunt eſſe probabilem. Et ita apud illos plurimi valet hæc conſequentia: *Titius vir doctus docuit hanc ſententiam: ergo illa eſt probabilis.* Cuius conſequentiæ infirmatio eſt ferè præcipuus ſcopus huius diſputationis. Ex tota autem ea conſtat, illam conſequentiam eſſe peſſimam, & ſummè noxiam conſcientiæ.

An valeat hac conſequentia?

270. Et primò quidem ex articulo primo capitis ſecundi, & ex toto capite octauo, & omnibus eius articulis ea conſequentia debellatur. Si enim ea conſequentia valet, valebit etiam hæc: *Martinus de Magiſtris, Corduba, & Tabiena, docent, delectationem venercam moroſam non eſſe culpam lethalem* (vide *num.* 16.) *ergo ea ſententia eſt probabilis.* Item hæc: *Vndecim Authores defendunt, per ſacramentum pœnitentiæ non remitti culpam, ſed ſolùm reatum pœnæ* (vide *numero* 173.) *ergo ea ſententia eſt probabilis.* Item hæc: *Viginti octo Authores defendunt, matrimonium eunuchi totalis eſſe validum* (vide *numero* 154. (*ergo ea ſententia eſt probabilis.* Et quod ad has conſequentias reſponderint, id ad ſuam illam conſequentiam dictum putent.

Illegitimam eſſe, multis oſtenditur.

271. Confirmatur. Quatuor Authores ſuprà citati *numero decimoſeptimo*, affirmant concluſionem improbabilem, & iure merito damnatam à ſacro Inquiſitionis Tribunali. Inquiro ergo, an valeat hic ſyllogiſmus? [Authoritas quatuor Doctorum eſt fundamentum probabile: ſed hæc concluſio habet pro ſe quatuor Doctores: ergo hæc concluſio habet pro ſe fundamentum probabile: ergo hæc concluſio eſt probabilis.] Et reſpondere debes, vel maiorem in ea tanta vniuerſalitate eſſe falſam, vel illam diſtinctione limitandam eſſe, ſcilicet eam eſſe veram, dummodo concluſio non procedat contra principium omninò certum. Ex qua reſponſione fit, authoritatem quatuor Doctorum abſque vlla limitatione ſubintellecta, non operari probabilitatem, neque illam inferre.

272. Secundò. Ad probabilitatem requiritur fundamentum magnum: ſed quod vnuſquiſlibet doctus doceat hoc, non eſt fundamentum magnum pro aliqua ſententia, cùm plurimos doctos experiamur æquiuocatione tangi, ſophiſmatis niti, vel non attendere ad fundamenta certiſſima partis oppoſitæ, vt patet in exemplis capite præcedenti appoſitis: ergo ſententia vniuſcuiuſlibet docti non ſufficit ad probabilitatem: ergo ſententia vniuſcuiuſlibet docti non infert probabilitatem ſententiæ.

273. Tertiò. Ea conſequentia nititur communi ſententia aſſerente, vnum doctum ſufficere ad probabilitatem: atqui hæc communis ſententia propoſita cum ea vniuerſalitate, & ſine vlla limitatione, nullius eſt, vt patet ex capite tertio, & omnibus eius articulis: ergo hæc conſequentia fundamento caret.

274. Quartò. Vt vnius docti ſententia faciat opinionem probabilem, requiruntur qualitates, & limitationes ſuprà poſitæ, vt conſtat ex capite quarto: ergo vnius docti ſententia, præciſa ab illis qualitatibus, & limitationibus, non infert probabilitatem opinionis; neque enim aliter infert probabilitatem, & aliter illam cauſat.

Quintò. Nam Author non dat probabilitatem opinioni, niſi ſit omni exceptione maior, vt conſtat ex capite octauo, & nono: ergo authoritas eius non infert probabilitatem opinionis, niſi ſit omni exceptione maior. Sed non eſt omni exceptione maior vnuſquiſlibet Author, etſi valde doctus: ergo non infert probabilitatem opinionis vnuſquiſlibet Author, etſi ſit valde doctus. 275.

Sextò. Authoritas vnius viri docti contra certitudinem eſt fundamentum leue, vt conſtat ex capite nono, præcipuè à *num.* 265. & authoritas vnius viri docti, quæ non eſt contra certitudinem, & ſeruat omnes cæteras qualitates propoſitas capite quarto, eſt fundamentum graue: ergo authoritas vnius viri docti eſt indifferens, vt iuxta diuerſas circumſtantias ſit fundamentum leue, & fundamentum graue. Ergo quando ad promouendam probabilitatem tuæ concluſionis aduocas authoritatem vnius viri docti, affers fundamentum, quod ſecundum diuerſas circumſtantias poteſt eſſe leue, & poteſt eſſe graue: ergo probare debes in hac concluſione, quam probabilem eſſe contendis, concurrere circumſtantias, in quibus ea authoritas eſt fundamentum graue: ergo dum id omittis, cauſa cadis. 276.

Leuis eſt authoritas vnius contra certitudinem.

CAPVT XI.

Quædam ſiue obiectio, ſiue reſponſio expugnatur.

COntra aſſertionem capitis præcedentis dices: Pro viro valde docto ſtat præſumptio, quod ex prudenti fundamento docet: ſed præſumptio dat probabilitatem: ergo aſſertio viri valde docti dat, & infert probabilitatem. Adeoque probabilis eſt hæc conſequentia; *Hoc aſſerit vir valde doctus: ergo hoc eſt probabile.* 277.

An præſumptio probabilitatis ſtet pro viro docto?

Confirmatur primò. Teſtis in iudicio præſumitur omni exceptione maior, dum nulla exceptio contra ipſum opponitur: ergo vnuſquiſlibet Author valde doctus præſumitur omni exceptione maior, dum nulla exceptio contra ipſum opponitur: ergo dum nulla exceptio contra ipſum opponitur, ea eſt probabilis conſequentia; *Hoc aſſerit Author valde doctus: ergo hoc eſt prudenter dictum.* Hinc autem fit, quod in dubio de probabilitate opinionis perſiſtit præſumptio, & probabilitas. Atqui ita procedunt Authores, qui eliciunt eam conſequentiam: ergo ea rectè, & prudenter elicitur. 278.

Confirmatur ſecundò. Actori in iudicio non incumbit probare, teſtem à ſe productum eſſe omni exceptione maiorem; præſumitur enim teſtis idoneus, dum nulla exceptio illi opponitur: ergo ei, qui probat, ſuam ſententiam ſingularem contra communem fulciri vno, vel altero Doctore ſapienti, non incumbit probare, quod ſit omni exceptione maior; ſed eo ipſo quod nulla exceptio contra eum Authorem opponitur, Author reputandus erit, & præſumendus omni exceptione maior: ergo ei, qui probat ſuam ſententiam ſingula- 279.

ſingularem, ſufficit probare, quod Author valde doctus illam doceat, vt inde rectè inferat probabilitatem ſuæ ſententiæ ſingularis.

280. Et hinc videntur diſſolui poſſe omnia argumenta propoſita capite præcedenti. Valebit enim conſequentia vbi perſiſtit præſumptio, ſecus vbi ea deficit. Et ea præſumptione perſiſtente, illi, qui vult probare ſententiæ ſingularis probabilitatem, non incumbet probare, virum valde doctum eſſe omni exceptione maiorem.

281. Concl. 1. *Si conſtat de exceptione, ceſſat præſumptio.*

Sed hæc rem potiùs explicant, quàm implicant. Pro quorum claritate aliquas concluſiones ſtatuo. Sit prima concluſio. Si certò conſtet, aliquam ex prædictis exceptionibus militare contra Authorem, tunc manifeſtè ceſſat ea præſumptio [quod probabiliter docet.] Patet. Nam præſumptio tollitur per euidentiam oppoſiti: ſiue, vt Iuriſprudentes clamant, præſumptio debet ceſſare, vbi de veritate in contrarium conſtat, vt ex multis textibus oſtendit Tiberius Decian. *volum.* 3. *reſponſ.* 52. *num* 40. *ex leg. continuus, §. cùm ita, ff. de verbor. obligat. leg. fin. ff quod metus cauſa*, & aliis iuris textibus. Et *volum.* 1 *reſponſ.* 54. *num.* 18. & apud ipſum Baldus. Et Antonius Monach. *in Florentin. deciſ.* 41. *num.* 59. & paſſim iuris vtriuſque Interpretes. Quare ſi conſtat, Doctorem in ſua aſſertione procedere ex leui fundamento, ex æquiuocatione, vel ſophiſmate, ceſſat præſumptio de probabilitate ſuæ aſſertionis; & ſic de cæteris exceptionibus.

Decianus. Baldus. Ant. Monach.

282. Concl. 2. *Cum docti affirmant improbabilem concluſionem, ceſſat præſumptio pro Authore eius.*

Sit ſecunda concluſio. Quando aliqui viri docti affirmant, concluſionem A, eſſe improbabilem, tunc ceſſat præſumptio, quod Author illam docens loquatur probabiliter. Patet, quia vna præſumptio tollit aliam, vt *ex leg. Diuus, ff. de in integr. reſtit. & cap. tua nos, de ſponſalibus*, & ex aliis iuribus clarè colligunt iuris vtriuſque periti. Ita Farinacius *in praxi crimin. part.* 3. *quæſt.* 86. *n.* 102. & *conſil.* 102. *num.* 49. *lib.* 1. Gratianus *tom.* 5. *diſceptationum, cap.* 824. *num.* 6. & 14. Menoch. *de recuperanda poſſeſſ. remed.* 15. *num.* 353. & *de præſumption. lib.* 1. *quæſt.* 30 Maſcard. *de probat. concluſ.* 405. *num.* 5. & *concluſ.* 882. *numero* 15. Surdus *conſil.* 16. *numero* 23. Tib. Decianus *volum.* 1. *reſp.* 2. *num.* 85. ex multis textibus, & quamplures alij.

Vna præſumptio tollit aliã. Farinacius. Gratianus. Menoch. Maſcard. Surdus. Decianus.

283. Et quidem ſi pro illo Authore, qui concluſionem aliquam affirmat, ſtat præſumptio; pro viris doctis affirmantibus, eam eſſe improbabilem, etiam ſtabit præſumptio: ſi ergo vna præſumptio contraria tollit aliam, ceſſabit vtique in eo caſu præſumptio, quæ ſtat pro illo Authore. Et ita ei, qui ex illo Authore confirmare vult probabilitatem concluſionis, cùm in eo caſu non ſuffragetur talis præſumptio, incumbit probare, eum Authorem eſſe omni exceptione maiorem, ſiue nullam exceptionem ex prædictis militare contra illum Authorem.

284. Concl. 3. *Si grauis ratio ſuadeat exceptionem, ceſſat præſumptio.*

Sit tertia concluſio. Si ſit graue fundamentum rationis ad ſuadendum, illum Authorem in aſſertione A, quam tuetur, pugnare contra certitudinem alicuius principij, vel ex leui fundamento procedere, &c. etiam ceſſat ea præſumptio. Nam ſi vna præſumptio tollitur per aliam, à fortiori tollitur per fundamentum probabile in oppoſitum. Etenim Petrus, qui ſtat in poſſeſſione ſuæ innocentiæ, præſumitur innocens: at vbi in contrarium ſtat ſemiplena probatio, euaneſcit præſumptio innocentiæ.

285. Concl. 4. *Si opinio vnius eſt cõtra communem, ceſſat præſumptio pro illo.*

Sit quarta concluſio. Si opinio ſingularis vnius Authoris ſit contra communem omnium, aut ferè omnium, ceſſat præſumptio, quæ ſtare poſſet pro authoritate eius Doctoris. Ratio eſt, quia opinio communis omnium, aut ferè omnium Doctorum, præſumitur certa; quia illud, in quod omnes, aut ferè omnes conſpirant, præſumitur dici ex vrgentiſſimo fundamento. Et ita tradit Tiber. Decianus *volum.* 1. *reſponſ.* 2. *num.* 76. & dicit doceri ab omnibus iuris Interpretibus *in cap.* 1. *de conſtitut.* & *leg.* 1. *ff. ſi certum petat.* Quod intelligendum eſt, niſi certò conſtet, materiam eſſe merè topicam. Cùm ergo in prædicto caſu ſit præſumptio certitudinis pro opinione communi, hæc præſumptio tollit præſumptionem probabilitatis, quæ ſtare poſſet pro vno Authore ſingulariter opinante.

Opinio omniũ præſumitur certa.

Niſi conſtet, materiam eſſe topicam.

286. Et hinc videtur componi lis magna, quæ eſt inter plures, & graues Authores. Alij enim dicunt, opinionem ſingularem contra communem non debere cenſeri probabilem: alij autem affirmant, poſſe eſſe probabilem opinionem ſingularem contra communem opinionem cæterorum. Componitur autem lis, ſi illi priores intelligantur loqui præſciſè de authoritate, non attendendo ad rationem; authoritas enim dat probabilitatem, quia præſumitur, viros doctos probabiliter loqui. Hæc autem præſumptio deficit in vno ſingulari, qui loquitur contra communem ſententiam; quia fortior præſumptio ſtat pro ea ſententia, in quam omnes conſpirant, quàm pro ea, quam vnus ſingularis docet; & fortior præſumptio pellit debiliorem. Hoc autem non eſt contra eos, qui dicunt, poſſe eſſe probabilem opinionem vnius contra reliquos ex meliori, & ſubtiliori ratione: hi enim non iam loquuntur de præſumptione doctrinæ, ſed de ratione ſubtiliùs, & maturiùs excogitata. Quo pacto iſti poſteriores ſcopum veritatis attingunt.

Fortior præſumptio pellit debiliorem.

287. Ad argumentum.

Hinc conſtat reſponſio ad argumentum initio capitis propoſitum. Diſtinguenda enim eſt maior, iuxta dicta in his quatuor concluſionibus: Pro viro valde docto ſtat præſumptio, [ſi pro parte oppoſita detur certitudo, vel præſumptio,] nego; [ſi non detur pro parte oppoſita certitudo, vel præſumptio,] concedo. Valet ergo ea conſequentia; *Hoc aſſerit vir valde doctus: ergo hoc eſt probabile*; quando authoritati illius non opponitur certa aliqua exceptio, aut quando in oppoſitum non datur præſumptio, quæ priorem præſumptionem eneruet. Id autem non eſt valere conſequentiam abſolutè, & cum ea vniuerſalitate; ſed valere, ſi antecedenti ſuperaddantur prædictæ limitationes.

288. Ad 1. confirmationem.

Ad primam confirmationem reſpondeo, teſtem in iudicio non præſumi omni exceptione maiorem, ſi detur præſumptio in oppoſitum: verbi gratia ſi eſſet notorium illum aliàs mentitum eſſe in iudicio. Et ita diſtincto antecedente, diſtinguo ſimiliter conſequens. Ergo vnuſquiſlibet Author valde doctus præſumitur omni exceptione maior, [ſi detur in oppoſitum præſumptio, quæ tollat priorem præſumptionem,] nego; [ſi non detur,] concedo. Quæ quidem diſtinctio intelligitur iuxta dicta in præiactis concluſionibus.

289. Ad ſecundam confirmationem reſpondeo, Actori in iudicio incumbere probare, quod ſit omni exceptione maior, quando eſt præſumptio

aliqua

Digitized by Google

Ad ſecundā confirmationem.

aliqua contra ipſum, v. g. præſumptio mendacij dicti aliàs in iudicio, infamiæ, &c. quare ſub ea limitatione diſtinguendum eſt antecedens, ſimiliter & conſequens: nam ei, qui contendit ſententiam ſingularem contra communem ſufficienter fulciri authoritate vnius, vel alterius Doctoris ſapientis, incumbit probare, illum Doctorem eſſe omni exceptione maiorem; quia ſententia communis affert præſumptionem, quæ priorem præſumptionem pro illo Doctore ſingulari euertit.

290. Ad id, quod poſtea ſubditur, reſpondeo, valere eam conſequentiam, vbi perſiſtit præſumptio pro Doctore; ſiue, quod idem eſt, valere conſequentiam ea præſumptione munitam, & aſſociatam. Quia tamen ſæpius deficit ea præſumptio, vt dictum eſt, ideò non valet ea conſequentia, niſi limitato antecedente eius, iuxta ſupradictas concluſiones.

291. Ad id, quod ſuperadditur, ea præſumptione perſiſtente non incumbere propugnatori opinionis ſingularis probare, eum Authorem valde doctum, eſſe omni exceptione maiorem, verum eſt; quia tamen in multis caſibus ſuprà propoſitis deficit ea præſumptio, in illis omnibus incumbit illi probare, ſuum Authorem ſingularem eſſe omni exceptione maiorem.

292. Ad argumenta autem, quæ tanquam rationes dubitandi propoſita ſunt *cap. 2.* per quatuor articulos, quatenus huic doctrinæ officere poſſunt, abundè conſtat ex dictis in decurſu totius diſputationis.

CAPVT XII.

Indubitabilem eſſe doctrinam traditam, ex decreto Alexandri VII. conuincitur.

293. CVm iam hæc ſcripta ferè tradebantur prælo, prodiit decretum Sanctiſſimi D. Alexandri VII. nempe die 24. Septembris ann. 1665. damnans, & prohibens viginti octo propoſitiones in materia morum. Quarum vigeſima ſeptima hæc eſt: *Si liber ſit alicuius iunioris, & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtet reiectam eſſe à Sede Apoſtolica tanquam improbabilem.*

Opinio damnata vt ſcandaloſa ab Alexandro VII.

294. Quas vigintiocto propoſitiones damnat, & prohibet Alexander VII. *vt minimùm tanquam ſcandaloſas,* & ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, Romano Pontifici reſeruatæ: & praxim earum cunctis Fidelibus interdicit ſub interminatione diuini iudicij. Cuius decreti tenorem inuenies *in diſp. 9. cap. 20.* Vbi oſtendo, omnes eas propoſitiones vigintiocto manere improbabiles, & antiquatas, illudque decretum grauiter obſtringere conſcientias, etiam dato, quod illæ propoſitiones ante decretum Alexandri eſſent probabiles.

295. Igitur tres partes continet doctrina in hac diſputatione tradita. Primam, non ſufficere vnumquemlibet Authorem ad probabilitatem opinionis. Secundam inde deductam, prauam eſſe hanc conſequentiam; *Vnus Author affirmat hanc aſſertionem: ergo hac aſſertio eſt practicè probabilis.* Tertiam, ad probabilitatem practicam requiri, & ſufficere vnum Authorem omni exceptione maiorem. Et ex prædicto decreto hæ tres aſſertiones omnimoda certitudine firmantur.

Et prima quidem aſſertio continetur in damnatione eius propoſitionis relatæ, vt ex ipſa terminorum notione conſtat. 296.

Secunda aſſertio, quæ eam conſequentiam reiicit, euidenter infertur ex damnatione eius propoſitionis; inde enim prædicta conſequentia penitus euanuit. Etenim propoſitio conditionalis (quæ non aſſeritur vt merè contingens, ſed vt neceſſaria, ſaltem moraliter) conſequentiam importat; atque adeò qui negat propoſitionem conditionalem, conſequentiam negat: atqui propoſitio damnata ab Alexandro VII. conditionalis eſt; *ſi liber ſit alicuius iunioris*, &c. & non eſt merè contingens, vt patet: ergo dum Alexander VII. damnat eam propoſitionem conditionalem, damnat eam conſequentiam, nempe; *Hæc opinio aſſeritur ab Authore moderno, & non eſt reiecta à Sede Apoſtolica tanquam improbabilis: ergo ea eſt probabilis.* 297.

Sed & tertia aſſertio ex eadem damnatione Alexandri manifeſtè confirmata manet. Nam ex vno capite certum eſt, grauem authoritatem extrinſecam comparare opinionibus probabilitatem; ex alio verò, ſecundùm decretum Alexandri VII. authoritas cuiuſlibet moderni non ſufficit ad probabilitatem comparandam: ergo medium iter tenendum eſt, & dicendum, non ſufficere authoritatem cuiuſlibet moderni, niſi talis ſit, vt nullam exceptionem pati poſſit eius authoritas. 298.

Confirmatur primò. Ideò enim damnata eſt prædicta propoſitio, quia inueniuntur Authores moderni, in quibus leguntur propoſitiones improbabiles, vt ex eodem decreto conſtat; cùm omnes vigintiocto propoſitiones damnatæ reperiantur in aliquibus Authoribus modernis. Itaque damnata eſt prædicta propoſitio, quia in aliquibus modernis reperiuntur propoſitiones, quarum oppoſitæ omninò certæ ſunt, vt patet ex illis verbis decreti, *partim antiquatas iterum ſuſcitari.* Item propoſitiones traditæ abſque fundamento prudenti, vt conſtat illis decreti verbis; *In rebus ad conſcientiam pertinentibus modus opinandi irrepſit alienus omninò ab euangelica ſimplicitate, ſanctorumque Patrum doctrina.* Imò & ex verbis proximè ſubiiciendis. Item reperiuntur Authores, qui præcipiti ingenio ſuo ſubnixi, potiùs quàm prudenti fundamento improbabilia docuerunt, vt denotant ea verba, *ſummam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excreſcere.* In quibus continentur ferè omnes exceptiones à nobis propoſitæ contra authoritatem requiſitam ad probabilitatem: ergo non ſufficit ad probabilitatem illa authoritas, cui aliqua exceptio ex ſupradictis opponi poteſt: illa verò authoritas omni ea exceptione maior ſufficiens cenſenda eſt ad probabilitatem. 299.

Omnes exceptiones poſita c. 4. colliguntur ex decreto Alexandri VII.

Confirmatur ſecundò. Nam ex prædicta damnatione Alexandri VII. conſtat, non ſufficere ad probabilitatem practicam tres, quatuorve Theologos, niſi eorum Authoritas maior ſit omni exceptione. Etenim nullus liber cuiuſvis moderni eſt, qui non habeat ſuffragia cenſorum. Et quidem libri, qui typis traduntur in Hiſpania, examinantur à cenſore, quem deſignat Epiſcopus: item ab alio cenſore per Conſiliarios Regios deſignato; & ſi Author Regularis eſt, ſubit cenſuram duorum, vel trium eiuſdem Religionis. Et tamen 300.

Non ſufficiunt tres, aut quatuor qualeſcumque ad probabilitatem.

Digitized by Google

damnatur ab Alexandro VII. hæc propoſitio, quæ aſſerit, cenſendam eſſe probabilem opinionem eo ipſo, quod reperiatur in libro vnius moderni, *dummodo*, &c. ergo ij duo, vel tres Theologi Authori ſuperadditi adhuc non conferunt probabilitatem opinioni, niſi aliunde maior firmitas ei authoritati addatur; nempe, quod ex nullo capite, ex nullave exceptione eorum authoritas infringatur.

301. *An cenſores librorum dent probabilitatem?*

Vbi etiam notandum eſt contra Caramuelem, quod tum aliàs, tum etiam *in Theol. fundam. numero* 1715. *fund.* 58. inter Authores probabilitatis numerat cenſores librorum; licèt ſibi contrarius eorum authoritatem deprimat *fundamento quinto, num.* 310. de quo vide infrà *diſp.* 43. *num*... Et cùm dicat, ad probabilitatem ſufficere quatuor Authores (ſic enim decernit *fund.* 11. *num.* 4:8.) ita etiam cenſores librorum ad hunc numerum vocat in eo loco citato *ex num.* 1715. & aliis in locis. Quod ſi opinio, præter Authorem libri, non habeat alium Authorem, niſi duos, aut tres libri cenſores, in cenſuram Alexandri VII. impinget, qui aſſerit, id eo ipſo ſufficere ad probabilitatem opinionis, vt patet ex numero proximo præcedenti.

An ex decreto Alexandri VII. excludantur cenſores libri?

302. Hinc etiam colliges, quàm vtiliter demonſtratū ſit ſuprà *c.* 3. eam propoſitionem quod vnuſquiſlibet Author ſufficit ad probabilitatem, ferè nullius eſſe Authoris; & quàm vtiliter oſtenſum in toto decurſu diſputationis, eam eſſe omninò falſam: vt inde conſtet, etiam ante decretum Alexandri VII. eam non eſſe probabilem; & meritò Theologos, & Cardinales ad huius materiæ conſultationem aduocatos, cenſuiſſe, illam probabilitate carere.

CAPVT XIII.

Qua ratione verum ſit, quod Confeſſarius tenetur ſe accommodare opinioni pœnitentis?

303. *Volenti ſequi ſuam opinionem probabilem, nequit negari abſolutio.*

CONueniunt communiter Authores in eo, quod Confeſſarius tenetur ſe accommodare opinioni pœnitentis, ſaltem ſi pœnitens perfecit, vel cœpit ſuam confeſſionem. Quia cùm pœnitens ius habeat ſequendi ſuam opinionem probabilem, iniuſtè ei denegabitur abſolutio, ſi ſuam opinionem nolit deponere, maximè cùm ſit intolerabile onus, quod debeat repetere peccata, quæ ſemel confeſſus eſt. Vide *diſp.* 15. *n.* 347. & Vide *in additionib. num.* 14. *&* 46.

304. Sed quid, ſi pœnitens putat eſſe probabilem ſuam opinionem propter vnum, vel duos, aut plures Authores eam aſſerentes; Confeſſarius autem doctus reputet illam improbabilem à principio intrinſeco? Numquid debebit, aut ſaltem poterit Confeſſarius accommodare ſe opinioni pœnitentis?

305. Poſſe virum doctum accommodare ſe opinioni aliorum, quam iudicat ab intrinſeco improbabilem, indiſcriminatim tenuit Machado *tom.* 1. *in diſcurſu prauio de probabilitate, art.* 2. *num.* 5. pro qua aſſertione refert P. Vazquez, P. Thom. Sanch. & Ioann. Sancium. Qui tamen doctores id ita indiſcriminatim non affirmant.

306. Quare dicendum eſt primò, ſi vir doctus cenſeat, opinionem aliquam eſſe improbabilem, nempe propter principium aliquod, quod ſibi tanquam omninò certum proponitur, & abſque vlla formidine in oppoſitum, ſiue vt inſolubile à ſe, & ab aliis; dum mens ita tenaciter ei obiecto inhæret, non poteſt licitè oppoſitæ opinioni ſe accommodare. Patet. Nam vt licitè operetur, debet formare dictamen probabile; in quo caſu non format: non ergo in eo caſu poteſt ſe illi opinioni accommodare.

Confeſſarius nequit ſe accommodare opinioni, quã videt improbabilem.

Confirmatur. Nam in intellectu non ſunt compoſſibiles iſti duo actus: [Opinio A, eſt probabilis: Opinio A, eſt certò falſa.] Alioqui intellectus aſſentiretur duplici extremo contradictorio; nam *probabile* includit formaliter, *quod non ſit certò falſum*. Dum ergo quis iudicat, opinionem eſſe certò falſam, non poteſt iudicare, eam eſſe probabilem. 307.

Et idem eſt, ſi tanquam omninò certum ſibi proponatur, quod ea opinio nititur æquiuocatione, vel ſophiſmate, aut alio fundamento leuiſſimo: ſic enim ſibi proponitur vt certum, quod ea opinio non ſit probabilis. 308.

Dicendum eſt ſecundò. Si illam iudicet improbabilem, cum formidine tamen, nimirum quia argumenta, quæ ſibi videntur inſolubilia, fortè ab aliis ſoluentur; tunc poterit ſe accommodare opinioni aliorum. Ratio eſt, quia cùm ipſe non ſit certus de improbabilitate opinionis, relinquitur locus, vt propter authoritatem aliorum Doctorum credat, argumenta in oppoſitum eſſe ſolubilia, & eam opinionem eſſe probabilem. Quod autem in eo caſu non ſit certus, patet: nam certitudo omninò excludit formidinem; & vbi mens aſſentitur cum formidine, non eſt certitudo. 309.

Si cum formidine cenſet improbabilẽ, poteſt ſe accommodare.

Hinc patet, quid dicendum ſit de Confeſſario, qui opinionem pœnitentis cenſet improbabilem. Si enim illam cum formidine iudicat improbabilem, quam tamen Author omni exceptione maior propugnat, poterit, & debebit ſe accommodare opinioni pœnitentis. Quia ſic non eſt certus de improbabilitate opinionis; & Author omni exceptione maior eſt illi magnum fundamentum, vt credat, illam eſſe probabilem. 310.

Si verò formet iudicium firmum, & certum, & abſque vlla formidine de improbabilitate opinionis; nec tenebitur, nec poterit tali opinioni ſe accommodare, propter dicta in concluſione prima. 311.

Ita ſi viduus mihi confiteatur delectationes moroſas ſenſibiles, habitas de copula coniugali præterita, eum abſoluere non potero, niſi proponat, ſe illis reſtiturum. Idque, quamuis mihi obiiciat ſexdecim Authores, qui oppoſitum tenent apud Verde *in Apologia pro Caramuele, quæſt.* 4. §. 10. *num.* 127. quia mihi certiſſimum eſt, eos Authores mera æquiuocatione niti. Vide infrà *diſp.* 39. *cap.* 3. *art.* 4. 312.

Non abſoluendus viduus, qui vult delectari de copula præterita.

Secundò. Si concubinarius non expellat domo effectiuè, & realiter ante abſolutionem concubinam, quam moraliter poteſt expellere; & à fortiori, ſi ſemel habuit in præcedenti confeſſione propoſitum expellendi, & non expulit, non potero abſoluere, quia mihi certum eſt, non licere in eo caſu præbere abſolutionem, quidquid dicant aliqui Authores. De quo vide *diſp.* 18. *cap.* 9. 313.

Neque qui nõ expulit concubinam, cùm poteſt.

Idem dico circa ſententias firmandas *diſp.* 20. 26. 45. & multis aliis in hoc volumine ſtabiliendis. 314.

CAP. XIV.

Digitized by Google

CAPVT XIV.

Aliquot corollaria ex dictis.

315. *Qui nequit diſcernere, nequit eligere opinionem ſingularem vnius.*

INferes primò ex hucuſque dictis virum mediocriter doctum, qui neſcit diſcernere inter rationes, & rationes opinionum, ſi pro vna opinione inuenit magnam authoritatem, & pro oppoſita inuenit vnum, vel alterum Authorem, qui non eſt omni exceptione maior, non poſſe huius opinionem ſequi, ſed teneri ad amplectendum priorem opinionem, dum ei non relinquitur locus conſulendi viros doctos. Patet aſſertio, quia reſpectu eius prima opinio eſt probabilis, & ſecunda non eſt probabilis. Prima habet pro ſe magnum authoritatis fundamentum, vt ſupponimus; ſecunda autem leue, cùm authoritas eius, qui non eſt omni exceptione maior, ſit fundamentum leue, vt conſtat ex hucuſque dictis. Quod à fortiori vrget, ſi ille Author, qui non eſt omni exceptione maior, militet contra communem opinionem, pro qua ſtat præſumptio certitudinis, vt dixi *num.* 285.

316. *Niſi opinio ſingularis ſit ſtrictior.*

Inferes ſecundò, aſſertionem præcedentem intelligendam eſſe, quando aſſertio, pro qua ſtat ſententia communis, vel authoritas magna, eſt opinio ſtrictior; & ea, quam tenet Author inferioris notæ, eſt laxior, ſeu benignior. Nam ſi accidat è conuerſo, vt benignior pars aſſeratur à Doctoribus magnæ authoritatis, & omni exceptione maioribus; ab altero autem Authore inferioris notæ aſſeratur pars ſtrictior, & tutior; poteris hanc partem ſequi. Patet, quia nullum eſt periculum in amplectendo partem ſtrictiorem, & tutiorem.

317. *Qui nequit diſcernere, quis ſcriptor ſit omni exceptione maior, nequit eligere, ex motiuo authoritatis.*

Inferes tertiò. Qui neſcit diſcernere, quinam ſint Scriptores omni exceptione maiores in ordine ad hanc quæſtionem practicam, de qua dubitat, non poteſt eligere opinionem ex motiuo authoritatis ſcriptorum. Patet ex dictis. Nam qui neſcit diſcernere, qui ſint Authores omni exceptione maiores ad hanc numero quæſtionem decidendam, verè dubitat, an hæc pars, vel illa habeat ſufficientem authoritatem ad hanc, vel illam concluſionem eligendam, cùm non ſit ſufficiens authoritas, quæ non eſt omni exceptione maior: ergo ille practicè dubitat de authoritate, & probabilitate extrinſeca ſufficiente: ſed qui practicè dubitat, non poteſt, quam maluerit, partem eligere; ſed tenetur ad tutiorem: ergo qui neſcit diſcernere, qui ſint Authores omni exceptione maiores, non poteſt, quam maluerit, partem eligere.

CAPVT XV.

Quam authoritatem habeant iuniores viuentes, qui ſcripta non dederunt typis, ad probabilitatem opinionibus conferendam?

ARTICVLVS I.

Aſſerta Caramuelis proponuntur.

318. CAramuel *in Theol. fundam. num.* 332. *fund.* 8. & *in ſyntheſibus Regul. num.* 1125. multis R. P. Ioan. de Carden. Criſis Theolog. probat, [interdum maioris faciendas eſſe iuniorum ſententias, quàm veterum; maioris omninò reſponſiones, quas dant Theologi conſcientiæ conſulti, quàm quæ in libris ponuntur; maioris viuentium hominum conſultationes, quàm defunctorum.] *Præferendos iuniores non ſcribentes ſcri ſcribus, ait Caram.*

Probat primò. [Oculatiùs enim, & liberiùs Theologi priuatim ſcribunt, quàm publicè. Sanè oculatiùs, quia cùm libros edunt, rerum multitudine, & mole obruti, non ita penſiculare poſſunt ſingula, vt Lectores vellemus. At quando de vna, aut altera propoſitione conſuluntur, inconuenientia ceſſant. Sanè liberiùs, quia multi hodie docti aliter conſulunt, & aliter omninò ſcribunt: imò aliter ſcribant priuatim, aliter publicè; & vt ſic debeant, coguntur Lectorum ignorantia, & inuidia.] 319.

Probat ſecundò, quia ſyntheſes ſuæ Regulares magis confirmatæ reperiuntur Doctorum viuentium ſubſcriptionibus, quàm defunctorum authoritate, eo quod de mente defunctorum dubitari poſſit, ſecus de viuentium, qui viua voce teſtari poſſunt, eam eſſe, vel non eſſe mentem ſuam: ita enim ait *eo numero* 1125. [Hìc iam ſciti poſſet, cur ego Theologos adhuc viuos conſuluerim, & eorumdem ſententiis meas firmauerim. Quoniam Scriptores antiqui pro vtraque ſæpe opinione citantur, & eorumdem plurimis teſtimoniis oppoſitæ roborantur ſententiæ; tam enim ambiguè, & obſcurè nonnulli, vt niſi reuiuiſcant, eorum mentes non poſſimus adſequi. Et vt loquamur ſpecialiùs, quis eſt in orbe litterario Theologus, qui non dicat, ſe tenere doctrinam, quam PP. veteres, & præcipuè Hypponenſis Epiſcopus? Fruſtra igitur ad defunctos recurritur, ſi quid ſenſerint, quæritur: præſtat igitur adire viuos, qui poterunt ſuam mentem exponere.] 320.

Subdit deinde ſexdecim Theologorum ſubſcriptiones, qui ſyntheſibus ſuis Regularibus ſubſcripſerunt, de quibus ait *eo num.* 1125. [Has ergo ſyntheſes ſubieci examini, ne mea ſenſa producerem, ſed grandium potiùs Theologorum ſententias, quas reiicere ſit temerarium; cùm impoſſibile ſit, probabilem condemnare ſententiam; & impoſſibile, eam non eſſe probabilem, cui multi Doctores ſubſcribunt. Qui enim propoſitioni à multis viris doctis aſſertæ neget probabilitatem, hic negat lineæ longitudinem, ſuperficiei latitudinem, & corpori profunditatem. Hìc negat definitionem definito competere. Nam propoſitio probabilis (ſi agamus de authentica probabilitate, qua Theologiam noſtram ſtabilimus) illa eſt, quæ ab aliquibus viris magnis aſſerta.] 321.

Poſteà confirmatas dicit eas ſyntheſes Cenſorum Romanorum authoritate, qui eas approbarunt, cùm Romæ recuderentur. Cenſet ergo, etiam authoritatem Cenſorum dare probabilitatem opinionibus. 322.

***

Digitized by Google

ARTICVLVS II.

Aliquibus prænotatis ſtatuitur, & probatur concluſio.

323. VT in his poſitionibus Caramuelis poſſis vera a falſis diſtinguere, & pretioſa à vilibus, præmittendum eſt, duplicem diſtingui oportere authoritatem Doctorum; alteram priuatam, alteram publicam. Authoritatem priuatam dicemus illam, quæ deſeruit ad ſecuritatem conſcientiæ vnius, vel alterius priuatim conſulentis; vel ſi mauis, quæ deſeruit ad ſecuritatem conſcientiæ hominum vnius, vel alterius vrbis. Authoritatem publicam appellabimus, quæ ad conſcientiæ ſecuritatem quorumlibet hominum vbique terrarum exiſtentium poteſt deſeruire.

Duplex authoritas Doctoris, priuata & publica.

324. Et quidem authoritas Theologi non conſiſtit in ſcientia præſciſè; nam ſi Auguſtini ſcientiam æmuletur, id tamen ſit penitus occultum, nullam habebit authoritatem ad probabilitatem extrinſecam. Diſertè in Theologum ſcripſit Ioannes Ovven *lib. 2. epigram. 43. Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire hoc, ſciat alter.* Conſiſtit itaque partim in ipſa hominum notitia de præſtantia doctrinæ eius. Cùm ergo præſtantia doctrinæ illius ſolùm in vna vrbe cognita eſt, ibi authoritatem habet: vbi autem illa eſt incognita, ibi authoritatem non habet. Quando autem in vnica vrbe ſolùm nota eſt doctrina eius, tunc non habet authoritatem publicam, vt vbique poſſit probabilitatem extrinſecam conferre opinionibus. Qui autem ſcripta ſua typis mandant, doctrinam ſuam toto orbi diffundunt.

Conſiſtit authoritas in notitia doctrinæ Authoris.

325. Præmittendum eſt ſecundò, vt homines indocti proſpiciant conſcientiæ ſuæ, nitentes authoritate Theologorum, ſufficit fama de horum doctrina, & probitate. Et ratio eſt, quia homines indocti non poſſunt aliter indagare doctrinam, & probitatem Theologi à ſe conſulendi, quàm ex fama: cùm enim ſint indocti, non poſſunt per ſeipſos experiri, quanta ſit doctrina Theologi à ſe conſulendi.

Vt indocti tutò conſulant, ſufficit fama doctoris.

326. Præmittendum eſt tertiò: vt homo doctus ſecurè nitatur authoritate alterius Doctoris (ſi non attendit ad probabilitatem intrinſecam opinionis, quam ſequi vult) non ſufficit qualiſcumque fama de illius doctrina, quæ viro indocto ſufficit; ſed requiritur penitior notitia propriis experimentis comparata, vel doctiſſimorum hominum teſtimonio firmata. Etenim ideò homo indoctus, ſecundum omnes Authores, non tenetur comparare ſibi maiorem notitiam de præſtantia Theologi à ſe conſulendi, quàm eam, quæ ſibi prouenit ex fama, & dictis aliorum, niſi quia non poteſt moraliter aliam comparare: atqui vir doctus maiorem poteſt ſibi comparare notitiam de præſtantia illius à ſe conſulendi: tenetur ergo ad maiorem notitiam de præſtantia illius, quàm eſt ea, quæ ſufficit indocto; atque adeò maiorem, quàm ea, quæ prouenit ex qualicumque fama. Idque debet intelligi de eo, qui non emiſit ſcripta ſua in lucem publicam; de hoc enim poſteà dicendum eſt.

Vt doctus cõſulat conſciẽtia ex authoritate alterius, non ſufficit vtcumque fama huius.

327. Aſſero ergo contra Caramuelis aſſertionẽ, etſi ſexdecim Theologorũ, qui nihil in publicã lucem ſcripſerũt, authoritas poſſit magni fieri, vt conferant probabilitatem extrinſecã priuatam ad ſecuritatem conſcientiæ vnius, vel alterius hominis; vnius, vel alterius vrbis; atqui ad publicam pro quacumque natione probabilitatem extrinſecam nequaquam ſufficere. Prima pars patet: nam illi Theologi, qui ſcripta ſua publicæ luci non dederunt, ibi habent authoritatem, vbi eorum doctrina cognoſcitur: hæc autem in ciuitatibus, in quibus habitant, agnoſci poteſt, & ad ſummum in finitimis ciuitatibus eiuſdem prouinciæ: ibi ergo authoritatem priuatam habent, atque adeò probabilitatem authenticam conferre poſſunt pro quantitate, & fundamento ſuæ famæ.

Illi ſexdecim Theologi non dant probabilitatem publicam.

Secunda pars etiam eſt manifeſta. Vt Theologi authoritate ſua dent probabilitatem authenticam opinionibus, quæ poſſit deſeruire ad ſecuritatẽ conſcientiæ aliquibus hominibus, opus eſt quod iſtis hominibus nota ſit doctrina, & probitas eorum; alioqui ſi mihi, licèt indocto, nota non ſit doctrina Theologi à me conſulendi, ſaltem ex fama, qua ratione potero ſecuritatem conſcientiæ meæ ex ea doctrina mihi dubia firmare? Atqui illi ſexdecim Theologi, qui nihil ſcriptorum ſuorum publicæ luci dederunt, apud nationes exteras non ſunt cogniti; nec Hiſpanis, qui longè ab illis diſtamus, comperta eſt eorum doctrina: ergo illi non habent ſufficientem authoritatem ad conferendam probabilitatem pro ſecuritate conſcientiæ hominum exterarum nationum. Et idem dicendum eſt de omnibus illis vrbibus, & oppidis eiuſdem Prouinciæ, vbi eorum doctrina non ſatis cognita, & comperta eſt. 328.

Quod non contingit in Scriptoribus: nam ſicut arbor ex fructu, ſic vir doctus ex ſcriptis cognoſcitur. Et cùm opera prælo data totum orbem percurrant, in toto orbe poteſt cognoſci doctrina eorum; & ipſa per ſe docet homines, an Author talis ſit, cui conſcientiæ ſecuritas inniti poſſit. 329.

Hinc colliges, qualiter falſa veris immiſcet Caram. cùm ait, maioris faciendas eſſe reſponſiones iuniorum ad conſultationes priuatas, quàm quæ in libris inueniuntur. Si enim loquatur reſpectu ſuæ priuatæ cõſcientiæ, quia vtraſque legit, & vtriuſque Theologi authoritatem, & doctrinam benè callet, non difficile annuam. Cæterùm vt publicam probabilitatem extrinſecam afferant, cui etiam homines longè diſſiti fidere poſſint, nihil proſunt priuata ſcripta, multùm conferunt publica. 330.

Hinc inferes, ſi illæ ſyntheſes Caramuelis nulla alia probabilitate firmarentur, niſi authoritate illorum ſexdecim Theologorum, quorum ſcripta non vidimus, quorũ authoritatẽ doctrinæ ex libris non agnouimus; apud exteras nationes omni probabilitate deſtitutas fore, cùm non habeamus ſufficiens fundamentum ad iudicandum, qualis ſit eorum doctrina. Itaque ſyntheſes Caramuelis, vtpote prælo datæ, totum orbem peruagantur: atqui authoritas Theologorum, cùm ea prouincia claudatur, defectu cognitionis publicæ non peruagatur totum orbem: ergo ſyntheſes Caramuelis dum totum orbem peruagantur, per illum diſcurrunt authoritate deſtitutæ, cùm Authores extra prouinciam non egrediantur, Caramuelem comitaturi. 331.

Confirmatur primò. Multi ſunt, qui prælo dant opera ſua, quorum authoritas doctrinæ tenuis eſt: ita atteſtante Caramuele *in Apol. de Probabilit. num.* 98. [Multos, qui hodie audacter ſcribillant, & vt labores ſuos in lucem emittant, chartam prodigunt.] Et *fund.* 11. *num.* 449. [Sunt enim Authores, 332.

Aliqui ſcriptores ſunt tenuis authoritatis.

Authores, *qui numerum non addunt*, vel qui exſcribunt potiùs, quàm ſcribunt, & cum cæteris ſaltant; quod non rarò contingit.] Dicat ergo Caramuel, ex quo principio ſciemus, ſubſcriptores ſuos excellentiores eſſe iis, qui cùm in publicum ſcripſerunt, adhuc ad probabilitatem *numerum non addunt*. Subſcriptoribus illis ego nihil authoritatis, quam habuerint, detraho: fortè in re litteraria gigantes ſunt: ſed orbis totus, qui opera Caramuelis videt, in quo ſpeculo gigantæam hanc proceritatem conſpicient?

333. Confirmatur ſecundò. Nam, vt dixi *c.2.art.4.* illi, qui ſunt meri Summiſtæ, vel meri Compilatores, qui ſine diſcuſſione rationum quæſtiones reſoluunt, non augent authoritatem; ideò ſecundùm Thomam Sanchez, & Nauarrum, & alios, octo Authores huius claſſis non æquiualent vni Authori primæ claſſis, qui quæſtiones tractant rectè diſcuſſis vtrimque fundamentis. Modò ergo inquiro, in qua ex his claſſibus conſtituendi ſunt ſexdecim ſubſcriptores ſyntheſium? Cùm enim opera illorum non videamus, ſcire non poſſumus, ad quam Authorum claſſem pertineant.

334. Confirmatur tertiò. Authores, qui ſola aliorum authoritate nituntur, non addunt probabilitatem, vt notauit Nauarrus, P. Thomas Sanch. Sotus, & alij citati *à num. 45.* & Caramuel relatus *num. 51.* Sed qui ſubſcripſerunt Caramuelis ſyntheſibus, ſolùm authoritate illius nituntur, cùm non afferant aliam nouam rationem: ergo non addunt illi authoritatem, aut probabilitatem.

Articvlvs III.

Duæ reſponſiones refutatæ.

335. Dices primò, ſufficere illis ſubſcriptoribus commendationem Caramuelis ad authoritatem doctrinæ: ſed refellitur reſponſio; vnus enim teſtis in propria cauſa non facit fidem.

336. Dices ſecundò, plures eorum eſſe Profeſſores Theologiæ, idque ſufficere ad probabilitatis fidem faciendam. Ita Caramuel *in Regul. num. 53.* ait: [Cæterùm lectionis dignitas in Catholica aliqua illuſtri Academia vix poterit errori ſubiici.] Et idem videtur eſſe de illis, qui profitentur Theologiam in Collegiis Regularium.

337. *Profeſſores Theologiæ ſcholaſticæ ex hoc titulo non dant probabilitatem in re morali.*

Sed contrà eſt. Nam eſſe Profeſſorem Theologiæ ſcholaſticæ, ſicut non ſufficit ad eminentiam doctrinæ moralis, ita neque ad probabilitatem in eo genere conferendam. Vidimus Profeſſores Theologiæ ſcholaſticæ doctos, & ingenioſos, in re morali cæcutire omninò, & qui ne libros quidem moralis Theologiæ euoluere apti eſſent, nec reſoluere quidquam auderent, niſi conſulendo viros Ethicæ peritos. Et iure merito id ita contingit: nam Theologia ſcholaſtica, & moralis ſunt facultates toto cœlo diuerſæ, vbi principia Theologiæ ſcholaſticæ nihil conducunt ad reſolutiones de moribus. Demus, Profeſſores hos, quos adducit Caramuel, ſtuduiſſe, & docuiſſe vſque ad eminentiam, de eſſentia diuina, & attributis, de ſcientia Dei, de voluntate, de omnipotentia, de prouidentia, de præfinitionibus, & prædeſtinatione, de auxiliis, de Incarnatione. Quid inde poſſunt comparare doctrinæ ad rem moralem? Ergo quamuis ſint Theologiæ ſcholaſticæ doctiſſimi vſque ad ſtuporem, non inde colligitur, doctos eſſe Theologiæ moralis. Vt omittam, complures eſſe Theologiæ Profeſſores rudes, & indoctos, qui ambitione & fauore magnatum Cathedras aſcenderunt, quibus indigni ſunt. Suppono enim eos, quos Caramuel conſuluit, tales non fore. Et nota ea verba citata, *Vix poterit errori ſubiici*. Ergo vix poterit fieri, quod deſideretur authoritas in illis ſubſcriptoribus: ſed particula *vix*, aliquid minuit: eſt ergo aliquantulum diminuta ea authoritas ad probabilitatem conferendam.

Articvlvs IV.

An Laurea Doctoris decoratus ſufficiat ad probabilitatem?

Dices tertiò, plures ex iis, quos numerat Caramuel, eſſe Doctores, aut Licentiatos in illuſtri Academia: atqui cùm hi teſtimonio publico Academiæ approbati ſint, ſufficere videntur ad probabilitatem conferendam. Et ideò ipſe *in Regul. num. 54.* ait: [Alij ſunt Authores magnæ authoritatis. Tales cenſeo quotquot ad Theologicam Lauream in Academiis maioribus *dignè* promoti ſunt.] 338.

Sed contrà eſt primò. Nam *fund.7. à num. 329.* multa dicit, quibus hanc authoritatem extenuat. *Num. 330.* [Hæc ratio potentiſſima eſſet, ſi ſoli promouerentur docti ad Lauream.] Et *num. 331.* [Scio, celebertimam Vniuerſitatem, quæ inter doctiſſimos viros, duos Theologiæ tolerat Licentiatos, qui non audierunt Philoſophiam; & tamen vocantur Profeſſores, & conſuluntur ſæpe, & caſus graues intrepidè dextrorſum ſiniſtrorſum reſoluunt. Sed iſti pauci ſunt, nec qui poſſunt regulam generalem inducere.] Sed quonam pacto ſciemus extra prouinciam, eos Doctores non eſſe de paucis? 339. *Non ſufficit ad probabilitatem.*

Secundò, quia licet *dignè* promoti haberent plenam authoritatem; at nonnulli indignè promouentur ad Lauream, vt ipſe Caramuel proximè citatus fatetur: ergo non ſufficit quilibet promotus ad hanc authoritatem probabilitatis conferendæ: ergo conſtare debet, eos *dignè* eſſe promotos. 340.

Tertiò. Plus authoritatis habent ad ſecuritatem cõſcientiæ Scriptores rei moralis, qui *exſcribunt, & cum cæteris ſaltant* (vt ipſe loquitur:) nam ſaltem verſati ſunt in iis materiis moralibus, quas ex aliis exſcripſerunt: de Laureatis autem in Academia neſcimus, an tantoperè verſati ſint in prædictis materiis: ſed illi, *qui exſcribunt, ad probabilitatem numerum non addunt*, ſecundùm Caramuelem: ergo multò minùs illi, qui Doctoratus, aut Licentiæ Laurea inſigniuntur. 341.

Quartò. Ex Laurea Academiæ inſignis non plus ſcientiæ colligitur in Laureato, quàm colligitur ex præuio examine: ſed ex præuio examine inſigniotis Academiæ non colligitur tanta doctrina, quanta requiritur ad dandam probabilitatem in quauis materia morali: ergo neque ex Laurea. Maior patet: nam Laurea non infundit vlteriorem ſcientiam, nec auiditatem continuandi ſtudium; ideò multi Doctores, cùm ad gradum peruenerunt, ſiſtunt; vel potiùs per non vſum obliti eorum, quæ didicerunt, retrò labuntur. 342.

Minor verò etiam patet. Tum quia in multis Academiis non ſubiiciuntur examini de re morali: quamvis autem conſtet doctos eſſe in Theologia ſcholaſtica, id non ſufficere ad reſolutiones morales, conſtat ex dictis. Tum etiam quia in 343.

Digitized by Google

Academia Salmanticenſi, quæ huiuſmodi examinum obſeruantiſſima eſt, lectionem facit laureandus per horam de Theologia ſcholaſtica, & per dimidiam de morali, electa materia ante triginta & ſex horas in Magiſtro ſententiarum, ex ſenis diſtinctionibus eius, quæ fortuitò ei offeruntur: in quibus ſenis locis non eſt difficile collocare vnam, vel alteram quæſtionem, quam prædictus Laureatus præmeditato ſtudio bene callet. Vidi aliquando Logicos, vidi ſæpè Philoſophos ſecundo ſtudiorum ſuorum anno recitaſſe quæſtiones à Magiſtro ſibi prælectas, præmeditatas per viginti quatuor horarum ſpatium, adeò facile eſt, quæſtionem benè præmeditatam ferè repente recitare. Scio argumenta, quæ opponuntur laureando in Academia Salmaticenſi, non eſſe leuia, imò acriter propoſita ab arguentibus. Quibus ſi ſatisfacit propugnator, bene colligitur, eum eſſe ſufficientis ingenij, aptum ad litteraturam: non tamen colligitur, habere illum eam extenſionem doctrinæ, quæ requiritur ad reſoluendum quæſtiones morales, & ad conferendum probabilitatem reſolutionibus.

344. Quintò. In Societate noſtra rigidum nimis eſt examen præuium ad profeſſionem quatuor votorum ſolemnium, quod ſubeunt poſt tres Philoſophiæ, & quatuor Theologiæ annos Quod quidem tam ſeriò fit, vt tres ſaltem examinatores iureiurando obſtricti affirment, eum Profeſſionis candidatum, eſſe aptum ad docendum publicè Theologiam in Societate IESV, intra Europam. Et tamen ſic examinati ferè incipiunt incumbere Theologiæ morali practicæ, vt audiendis confeſſionibus vacare poſſint. Ex quo inferes, à tempore prædicti examinis nondum habere inſignem doctrinam in Theologia morali, qualis requiritur ad reſoluendum quæſtiones morales, & ad conferendam reſolutionibus probabilitatem. Quod autem ab examine Academiarum prodeant laureandi his doctiores, non facilè credam: ergo ex prædicto examine Academiarum non colligitur adeſſe Laureatis tantam doctrinam, quanta requiritur ad conferendam probabilitatem extrinſecam.

ARTICVLVS V.

Satisfit obiectionibus articulo primo propoſitis.

345. CONatur ſuadere Caramuel, pluris faciendos eſſe Theologos viuentes, qui conſuluntur priuatim, quàm ſcriptores. In quo id vehementer mihi diſplicet, quod reducere velit ad propoſitionem vniuerſalem id, quod vix in particulari verificatur: [Oculatiùs ſcribere viuentes conſultos, quàm Scriptores, qui in publicam lucem edunt.] Numquid oculatiùs ſcribunt viuentes, quàm PP. Suarez, Vaſquez, Thom. Sanch. & reliqui ad hanc claſſem ſpectantes? Non credam. Numquid oculatiùs ſcribebant priuatim PP. Suarez, Vaſquez, Thom. Sanch. quàm dum ſcribebant in publicam lucem? Vigintiquatuor epiſtolas Patris Thomæ Sanchez de conſultationibus rei moralis apud me retineo; & licèt dignas ſuo Authore reſponſiones habeant, non tamen abundant eo rationum robore, quo publica eius ſcripta plena ſunt. Quod & ipſe P. Thomas Sanch. notauit *lib. 1. Summæ, cap. 9. n. 10.* illis verbis: [Præſumere poſſint attentiori conſideratione res typis mandandas expendi.].

Sed & [liberiùs loqui ſcribentes priuatim, quàm ſcribentes publicè; quia Lectorum inuidia deterrentur] ait Caramuel. Tranſeat. Sed ſi noxia nobis eſt ea inuidia, quia paucas aliquas opiniones probabiles ſubtrahit; vtilis etiam eſt, quia multas improbabiles exulare facit eorum, qui ad auram plauſibilitatis aſpirant. 346.

Alio tamen modo, quem Caramuel non meminit, vtiliores eſſe ſolent priuatæ Doctorum conſultationes, quàm quæ in libris leguntur. Nempe quia quandoque contingit inſtante praxi multas concurrere circumſtantias, quarum aggregatio non poteſt in libris reperiri: & quas libri ſeorſim expendunt diuerſis in locis, vir doctus eas ſimul attendit, comparat inter ſe, ad trutinam prudentiæ librat. Vnde non modò ignarus, ſed & vir mediocriter doctus ſecuriùs procedit, dum in caſu, in quo multæ circumſtantiæ concurrunt, conſulit viros doctos, quàm dum Authorum libros euoluit. 347.

In ſecunda probatione contendit, ad confirmationem ſuarum opinionum vtiliores fuiſſe ſubſcriptores viuentes, quàm ſcriptores defunctos. Et ſi quidem loquatur de priuata ſua vtilitate, & ſecuritate ſuæ conſcientiæ, tranſeat. Si tamen loquatur de probabilitate, quæ pro toto orbe conferatur eius opinionibus ex priuatis ſubſcriptoribus, id negandum eſt. Quia non habent maiorem authoritatem, quàm eſt fama de eorum doctrina. Fama autem eorum, qui ſcripta ſua publicæ luci negauerunt, ſuæ Prouinciæ fines non tranſilit. 348.

Ad id, quod addit, Authores antiquos ſæpe pro vtraque opinione citari, non video, quomodo ex hoc capite vtiliores ſint viuentes, quàm defuncti; cùm recentiores, etiam defuncti clariſſimè expreſſerint ſuas ſententias. Vide, & nota eam conſequentiam: [Fruſtra igitur ad defunctos recurritur, ſi quid ſenſerint, quæritur; præſtat igitur adire viuos, qui poterunt ſuam mentem exponere.] Quam conſequentiam ex illo antecedente ego non ſperabam, ſed hanc, quam recta Logica docet: [Authores antiqui obſcuriùs loquuti ſunt, ideoque pro vtraque opinione citantur: fruſtra igitur, ſi quid ſenſerint, quæritur: præſtat igitur adire recentiores, qui mentem ſuam clariſſimè expoſuerunt.] Niſi fortè dicat, omnes defunctos eſſe antiquos, & nullos Recentiores eſſe defunctos. 349.

Tranſit ad ſexdecim Theologos, qui ſyntheſibus ſubſcripſerunt: & relegenda ſunt eius verba, & ſingulatim notanda. [Has ergo ſyntheſes ſubieci examini, ne mea ſenſa producerem, ſed *grandium* potiùs Theologorum ſententias, quas reiicere ſit *temerarium.*] Dixi, eos eſſe *grandes*, vbi cognita fuerit eorum magnitudo: apud exteras tamen nationes, grandes non ſunt illi, quorum fama ad illas non peruenit. Conſequenterque temerarium erit authoritati eorum fidere, vbi eorum doctrinæ præſtantia omnino neſcitur. 350.

Procedit vlteriùs: [Cùm poſſibile ſit, probabilem condemnare ſententiam, & impoſſibile, eam non eſſe probabilem, cui multi Doctores ſubſcribunt.] Prior pars vera eſt, ſi loquatur in ſenſu compoſito, & dum ſententia manet probabilis. Vide *diſp. 9.* Poſterior pars vniuerſaliter prolata 351.

Non eſt impoſſibile, eſſ. improbabilem, eam, cui multi ſubſcribunt.

prolata eſt manifeſtè falſa. Numquid impoſſibile eſt, improbabilem eſſe ſententiam, quæ defendit omnes gradus conſanguinitatis & affinitatis relatos *Leuit* 18. iure naturæ irritare matrimonium, cui vigintiquatuor Doctores ſubſcribunt. Numquid impoſſibile eſt, improbabilem eſſe ſententiam, quæ docet, eunuchos totales validè contrahere matrimonium, cui ſubcribunt viginti octo Authores. Numquid impoſſibile eſt, improbabilem eſſe ſententiam propugnantem, poſſe in aliquibus caſibus conſequi ſalutem æternam infantes decedentes ſine baptiſmo ſuſcepto, vel martyrio; cui ſexdecim ſubſcribunt? Erit ergo impoſſibile, non eſſe probabilem ſententiam, cui multi Doctores omni exceptione maiores ſubſcribunt; non verò, ſi neſcimus, an ſint omni exceptione maiores.

352. Pergit Caramuel. [Qui enim propoſitioni à multis viris doctis aſſertæ neget probabilitatem, hic negat lineæ longitudinem, ſuperficiei latitudinem, & corpori profunditatem. Hic negat definitionem definitio competere.] Reſpondeo, id eſſe verum, ſi tibi compertum ſit, in illis multis eſſe præſtantiam doctrinæ ſufficientem ad probabilitatem. Si tamen id omninò neſcias, meritò probabilitatem extrinſecam negabis, quæ requirit authoritatem doctrinæ, & ad hanc ſaltem fama requiritur de præſtantia doctinæ, quæ de eorum ſubſcriptorum præſtantia ad nos hucvſque non peruenit. Et quia vniuerſaliſſimè procedit ea Caramuelis clauſula, neganda eſt. Nam tribus illis ſententiis relatis in proxima præcedenti periodo omnes hodie Theologi negant probabilitatem, quin propterea negent trinam dimenſionem, aut conuertibilitatem definitionis cum definito.

353. Denique nota, ex illis ſubſcriptoribus quatuor priores eſſe cenſores, qui librum Theologiæ Regularis approbarunt: & illis adiungit alios cenſores, qui Romæ librum, cum recuderetur, approbarunt. Sed quantam probabilitatem afferant cenſores librorum opinionibus in ipſis libris contentis, audi ex ipſo Caramuele. Qui *in Theol. fundam. num.* 318. *fund.* 5. aſſerit. [Vt imprimatur, cenſori ordinario committitur, qui interdum nimium Authori deferens, aut non legit totum, aut non attendit. Et Magiſter ſacri Palatij, viſa cenſoris approbatione, illum edi permittit.] Si ergo cenſores librorum tales ſunt, numquid poterunt præſtare probabilitatem iis, quæ vel non legerunt, vel non attenderunt, vel iure dubitatur, an legerint? Et quidem ea, quæ cenſor non legit, vel non attendit, ignorat: ſed qui ignorat, in eo ipſo, quod ignorat, non dat probabilitatem: ergo cenſor in iis, quæ non legit, vel non attendit, non dat probabilitatem. Si ergo cenſores, *nimium deferentes Authori, aut non legunt totum, aut non attendunt*; quo iure citantur pro earum theſium probabilitate.

ARTICVLVS VI.

Alia Caramuelis inſtantia pro extrinſeca probabilitate ſuarum ſyntheſium.

354. SEd adhuc inſtat Caram. pro authoritate ſubſcribentium eius ſyntheſibus, & probabilitate earum. Nam in commentario in Regulam in epiſtola præuia ad Franciſcum Penneman contra quemdam Titium, eum de improbabilitate arguentem, ſic arguit. [Ego Soles Reipublicæ litterariæ propugno, & meum aſſumptum ſic demonſtro. Quæcumque opinio habet viginti Authores pro ſe, eſt omninò probabilis: nulla eſt in his ſyntheſibus, que plures non habeat: ergo nulla, quæ verè probabilis non ſit. Quid tuus ad iſtum ſyllogiſmum Titius? Si neget formam, oſtendet, ſe ignorare Dialecticam. Si maiorem, ſe moralem Theologiam ne quidem à longè ſalutaſſe: ad probabilitatem enim non iam viginti, ſed etiam multò pauciores in omnium opinione ſufficiunt. Si minorem, ſe non ſcire legere: ibi enim proſtant ſubſcriptiones ſuperſtitum virorum, quibus maiores hodie in orbe Chriſtiano non dabit. Ergo quidquid ad ſyllogiſmum illum dicat, erit noctua ſolem incuſans, quòd audiat lucidus, cùm tamen tenebroſus ſit.]

Et in primis nego, eſſe *Soles*, eos qui non toti orbi, ſed vni dumtaxat vrbi, aut ad ſummum aliquibus oppidis vnius Prouinciæ prælucent. Cùm ergo eorum ſubſcriptorum viginti fulgor Hiſpaniæ fines non penetret, nec cæteras nationes alienas illuminet; quo iure dicuntur lucem probabilitatis publicæ (quæ vno angulo non concluditur) conferre poſſe ſyntheſibus? 355.

Deinde ad ſyllogiſmum reſpondeo, non negando formam dialecticam, ſed maiorem, & minorem ſub diſtinctione ſubiicienda. Ergo diſtinguo maiorem: Quæcumque opinio habet pro ſe viginti Authores [publicæ & vniuerſalis authoritatis,] eſt omnino probabilis, omitto; viginti Authores [priuatæ & limitatæ authoritatis,] nego. Diſtinguo etiam minorem: Nulla eſt in his ſyntheſibus, quæ non habeat plures Authores [publicæ & vniuerſalis authoritatis,] nego; quæ non habeat plures authores [priuatæ, & limitatæ authoritatis] omitto, quia ignoro, an eam priuatam authoritatem habeant. Non eſt probabilis ab intrinſeco opinio, quæ non eſt ab extrinſeco probabilis in toto orbe: authoritas autem (quæ non eſt cognita in toto orbe, non poteſt pro toto orbe dare probabilitatem extrinſecam. Itaque vbi dubium eſt de authoritate ſufficiente, non eſt probabilitas extrinſeca: cùm ergo in omnibus ferè mundi plagis ignoretur, quæ & quanta ſit eiuſmodi authoritas, in ferè omnibus eſt dubium de ſufficienti authoritate, atque adeò de probabilitate extrinſeca. 356.

Denique notabis, ſubſcriptores, quos refert Caramuel, ſolùm approbaſſe quaſdam propoſitiones vniuerſales illius, quæ licèt admittantur, non propterea admittendæ ſunt quamplurimæ aliæ aſſertiones, quas vult Caramuel ex illis inferri. Exemplo ſit, quæ docet de horologiis. Nam in ſyntheſibus *art.* 10. de Officio diuino ait: [Horologia tametſi cum cura dirigantur, non diſtinguunt horas certò, ſed ſolùm probabiliter; malè regulata, nec probabiliter.] Hæc à ſuis ſubſcriptoribus approbata eſt; quæ quidem in ſenſu ſpeculatiuo vera eſt. Cum autem poſtea fusè docet, in legibus Eccleſiaſticis non eſſe ſtandum horologiis ſonantibus bene regulatis, ſed poſt ſonitum mediæ noctis, & infra vnum quadrantem poſſe te comedere, & poſtea die ſubingrediente recipere ſacram ſynaxim; id minimè à ſubſcriptoribus approbatum eſt. Quod in multis aliis ita contingit. 357.

DISPV

Digitized by Google

DISPVTATIO XII.

An communis Doctorum ſententia in aliquibus materiis faciat certitudinem moralem.

CAPVT I.

Statuitur prima concluſio affirmatiua.

1\. FERE ſine pugna proferam meam ſententiam: tum quia de hac materia pauca ſunt, quæ reperio in Authoribus: tum quia exiſtimo eſſe certa, quæ deciſurus ſum. Et quamvis de hoc puncto(quod ſciam)non egerit Caramuel; oportet tamen magnoperè illud diſcutere; nam ex his principiis arma producturus ſum, quibus non paucas illius concluſiones debellare ſpero.

2\. *Cùm omnes Theologi dicunt, aliquid eſſe de Fide, id tanquam verè de Fide credendum.*

Et in primis non eſt quæſtio de eo caſu, in quo omnes Theologi vnanimi conſenſu affirmant, aliquid eſſe Fide Catholica credendum. Tunc enim illud tanquam de Fide certiſſimè tenendum eſt. Nam, vt optimè notauit P. Suarez *diſp.* 5. *de Fide*, *ſect.* 2. *num.* 5. [Si conueniunt aſſerendo, rem eſſe de Fide, ſemper applicabunt aliquam regulam Fidei, cuius ipſi ſunt quaſi teſtes; & ratione illius faciunt certam fidem.] Et idem, proportione ſeruata, dicendum eſt, quando Theologi omnes vnanimi conſenſu aſſerunt, aliquam eſſe concluſionem Theologicam; id eſt, euidenter illatam ex vna propoſitione de Fide, & altera euidenti naturali. Quo caſu ea concluſio vt certiſſima tenenda eſt, dum non oſtenſa fuerit ſolida ratio, quæ vel illationem, vel euidentiam, quæ dicitur ineſſe præmiſſæ naturali, infirmet.

3\. Extra has ergo metas procedit quæſtio, ſcilicet an ex materiis moralibus, in quibus verſamur, ſint aliquæ, in quibus communis ſententia omnium, aut ferè omnium Doctorum faciat euidentiam moralem; ita vt oppoſita concluſio ſi ab vno, vel altero aſſeratur, reputanda ſit certò falſa?

4\. *In iis, quæ omninò pendent à iudicio prudentum, ſententia omnium facit euidentiam.*

Sit prima concluſio. In illis, quorum reſolutio dependet omnino à iudicio prudentum, tanquam à menſura extrinſeca, communis omnium Doctorum ſententia facit euidentiam moralem. Exemplum ſit in grauitate, & leuitate materiæ, quæ in præceptis conſiderantur. Nam ſi omnes Doctores conſpirent in deſignanda grauitate, aut leuitate talis materiæ, id tanquam certum moraliter tenendum eſt.

5\. Pro cuius concluſionis claritate aliqua notanda veniunt. Primò. Dixi, *dependet omninò*: quia ſi ſit aliud principium intrinſecum, vnde colligatur efficaciter reſolutio, præterquam à iudicio prudentum Theologorum, concluſio non procedit in eo caſu. Vbi notandum eſt, legem, vel præceptum eſſe quid intrinſecum obligationi. Secundò. Dixi, *tanquam à menſura*: quia moralis magnitudo, vel paruitas v. g. vt in plurimum non habet aliam menſuram, quàm iudicium prudens. Tertiò. Dixi, *extrinſeca*: quia magnitudo, vel paruitas moralis non conſiſtit, etiam partialiter, in ipſo iudicio prudentum; ſed iſtud eſt quaſi trutina, in qua ea quantitas moralis libratur. Quartò. Dixi, *omnium Doctorum*: vbi vox *omnium*, ſumenda eſt moraliter, id eſt, *ferè omnium*, quia vnus contra omnes nulla ſpeciali ratione munitus, nullius eſt authoritatis. In materia autem, de qua loquimur, nulla ſpeciali ratione munitur, qui contradixerit reliquis, cùm ſupponamus materiam non admittere aliam rationem, niſi iudicium prudentum.

6\. *Menſura magnitudinis moralis eſt iudicium prudentum.*

Iam verò oſtenditur concluſio. Illa eſt materia moraliter magna, quæ magna eſt iudicio prudentum: ergo euidens eſt, quod eſt magna moraliter, quando eſt euidens, illam eſſe magnam iudicio prudentum. Sed quando omnia iudicia prudentum conſpirant in cenſuram alicuius magnitudinis moralis, eſt euidens, quod illa materia eſt magna iudicio prudentum: ergo quando omnia iudicia prudentum conſpirant in cenſuram alicuius magnitudinis moralis, faciunt euidentiam moralem: ergo quando omnia iudicia prudentum Theologorum conſpirant in cenſuram alicuius magnitudinis moralis ad Theologiam ſpectantis, illi faciunt euidentiam moralem.

7\. *Confirmatur exemplo ſtateræ.*

Et quidem nunquam euidentius eſt, aliquid eſſe magnum iudicio prudentum, quàm cùm omnia prudentum iudicia in vnum omnino conformantur, ad cenſendum, id eſſe magnum. Sicut ſi dubitans, quantum ſit pondus argenti, quod habes, nec ſtateræ tuæ omnino fideres, & appenſum in omnibus prouinciæ ſtateris, omnes inuenires omninò conformes ad pondus viginti librarum, vtique eſſet moraliter euidens, quod pondus argenti tui eſſet viginti librarum.

8\. Confirmatur primò. Quando quæſtio reducitur ad inquirendum, an aliquid ſit magnum iudicio prudentum, tunc euidens eſt, eſſe magnum iudicio prudentum, quando euidens eſt, omnes prudentes conformari in eo iudicio. Etenim hæc duo non componuntur inter ſe: & quod omnes prudentes iudicent, eſſe magnum; & quod non ſit magnum iudicio prudentum: quin potiùs hæc duo conuertibilia ſunt: ergo ſi vnum eſt euidens, nempe omnes prudentes ita iudicare; alterum neceſſariò eſt euidens, nempe id eſſe magnum iudicio prudentum. Ergo ſi euidens eſt, omnes Theologos iudicare aliquam materiam præcepti eſſe magnam, euidens eſt, illam eſſe magnam iudicio omnium prudentum Theologorum.

9\. *Quare ſit certum dimidiũ regalem æreũ eſſe paruitatem in furto?*

Confirmatur ſecundò aliquibus exemplis. Primò. Hodie enim eſt certum, quantitatem dimidij regalis Hiſpanici ex nummis æreis, eſſe materiam paruam, conſideratam præcisè in ordine ad furtum. Sed quare id eſt certum moraliter? Ex quo ſyllogiſmo, aut ex qua demonſtratione? Sanè non aliunde, niſi quia omnes prudentes Theologi in hoc iudicium conſpirant. Nam licèt Nauarrus *cap.* 17. *ſum. num.* 3. *litt. F.* videatur inclinare in hoc, quod etiam dimidius regalis in furto ſit peccatum mortale, tamen tempore Nauarri plus valebat dimidius regalis, quàm hodie vnus & dimidius. Quare iuxta hodiernum valorem id eſt certum, vt dixi.

10\. Secundò. Certiſſimum eſt apud omnes, comeſtionem cibi communis vſque ad quatuor vncias (imò

(imò & multò minoris) aſſumptam vltra vnicam comeſtionem & ientaculum nocturnum, eſſe quantitatem magnam ad violandum ieiunium. Sed quare id eſt certum? Cùm non ſit certum, comeſtionem cibi ad duas vncias eſſe quantitatem magnam; imò & hanc non eſſe magnam, ſit probabile. Sanè non ex alio principio id poteris demonſtrare, niſi ex eo, quod omnes prudentes Theologi in hoc iudicium conſpirauerint.

Quare ſit certum, tres vncias cibi eſſe quantitatem magnam in ieiunium?

11. Tertiò. In voto recitandi vnum pſalterium Marianum, certum omninò eſt, vnicam Salutationem Angelicam eſſe materiam paruam. Quartò. In præcepto ieiunij naturalis ad ſacram communionem, certiſſimum eſt, comeſtionem ſemiunciæ panis eſſe materiam magnam, ſufficientemque ad peccatum mortale ſacrilegij. Sed vnde hæc duo demonſtrabis, qualiter ad certitudinem requiritur, niſi ex eo quod omnia prudentium Theologorum iudicia in vtramque cenſuram conſpirauerint.

Quare ſit certum, vnum Aue Maria eſſe paruitatem in Roſario B.M.

Quare ſit certum, ſemiunciam panis eſſe magnum quid ad ieiunium naturale?

12. Hinc infertur pro Logica morali hanc eſſe optimam conſequentiam: [In quæſtione, quæ omninò dependet à iudicio prudentum, communis omnium, aut ferè omnium ſententia affirmat hanc concluſionem: ergo hæc concluſio eſt certa.]

Optima conſequentia.

CAPVT II.

Colligitur certitudo eius concluſionis, quod peccat grauiter miniſter deputatus conficiens Sacramentum in ſtatu peccati.

ARTICVLVS I.

Statuitur caput certitudinis in prædicta concluſione.

13. CONſpirarunt Doctores Theologi in eam aſſertionem, [quod peccat mortaliter miniſter Sacramenti deputatus, qui illud conficit exiſtens in ſtatu peccati mortalis; ideoque debere procurare reſtitutionem gratiæ iuſtificantis ſaltem per actum contritionis perfectæ.] Dixi, *deputatus*, nempe vt diſtinguitur à miniſtro neceſſitatis: nam de eo, qui conficit in caſu neceſſitatis, & non vt Miniſter deputatus, multi aliter cenſent.

14. Tota ratio huius aſſertionis eſt, quia exiſtimant eſſe grauem irreuerentiam contra ſanctitatem Sacramenti, quod miniſter illius id conficiat exiſtens in ſtatu peccati mortalis. Conſiſtit itaque ſcopus huius quæſtionis in eo, an ſcilicet ea ſit grauis irreuerentia, an leuis, iudicio prudentum? Cùm ergo omnes prudentes iudicent, eam irreuerentiam eſſe grauem, euidens eſt, quod eſt grauis iudicio prudentum. Et in hoc ſenſu optimè dixit P. Granado 3. *part. controu.* 3. *tract.* 5. *diſp.* 5. *num.* 6. hanc ſententiam eſſe *certam, propter authoritatem.* Quam ſententiam præter omnes Theologos in eam conſpirantes tenent expreſsè S. Dionyſius, S. Auguſtinus, S. Gregorius Magnus, & tres alij Pontifices Romani, Gelaſius, Nicolaus, & Gregorius IX. videndi apud P. Suar. *tom.* 3. *in* 3. *part. diſp.* 16. *ſect.* 3.

An in Miniſtro deputato ea ſit grauis irreuerentia, an leuis? Ea eſt grauis iudicio omniũ prudentum; atque adeò euidenter grauis.

S. Dionyſ. S. Auguſt. S. Gregor. Magnus. Gelaſius. Nicolaus. Gregor. IX.

15. Cui certitudini non obſtat, quod pauci aliqui Summiſtæ affirment, non eſſe mortale. Ita enim affirmat Heronym. de Llamas 1. *part. method. c.* 1. §. 5. & *part.* 2. *c.* 2. §. 12. Sed ſacra Fidei Inquiſitio Hiſpanica meritò expunxit in illo eam ſententiam in Expurgatorio indice ann. 1640. Affirmauit etiam Ludouicus de S. Iuan. *in ſumma quæſt.* 8. *de Pœnitentia, art.* 4. *dub* 1. *diffic.* 2. (apud Leandrum à SS. Sacram. *part.* 1. *de Sacram. tract.* 1. *diſp.* 6. *quæſt.* 8.) dummodò miniſtrans non ſit in actuali peccato, aut actuali complacentia illius; neque in habituali, v. g. concubinatûs, &c. Sed (vt notauit ipſe Leander citatus) *in eadem ſumma quæſt.* 5. *de Sacramentis in gener. art.* 1. *dub.* 1. *concluſ.* 1. ſibi ipſi contradicit cum lamentatione, dicens, [Coſa harto miſerable, y digna de ſer llorada:] id eſt, [rem eſſe nimis dolendam, & lacrymis dignam:] nempe quod aſſeratur, id non eſſe peccatum mortale.

Non obſtat certitudini authoritas paucorum.

Et Ortiz (apud eundem Leandrum citatum) *in ſumma cap.* 19. *de quarto præcepto communionis*, §. 3. Sed in fine capitis ſibi contradicit: ſicut etiam clariùs *cap.* 4. §. 6. Tenent etiam (apud eundem Leandrum citatum) Crouſets, & Marcus Vidal. 16.

Ideò hanc ſententiam eſſe improbabilem (vt omittam edictum Inquiſitionis Hiſpanicæ) affirmant Petrus de Ledeſma, Luiſius Turrianus, & Diana, apud eundem Leandrum citatum. Qui *quæſt.* 9. *fine* ait: [Abſolutè, certiſſimè, & abſque vlla hæſitatione reſpondeo, præfatam ſententiam eſſe *omninò improbabilem.*] Imò & omnes, qui dicunt, oppoſitam ſententiam eſſe certam; quod plures Theologi expreſſerunt: cum implicet contradictionem, vnam concluſionem eſſe certam, & oppoſitam non eſſe improbabilem, ſiue certò falſam. Ita P. Suarez citatus, vbi ait: [Quod in Eccleſia ſit hoc præceptum, *dubitari non poteſt*, vt conſtat ex decretis, & teſtimoniis adductis] Et P. Granado vbi ſuprà, & plures alij. 17.

Qui cenſeant improbabilem oppoſitã ſententiam.

Si quis ergo contenderet adhuc, eam ſententiam eſſe probabilem, deberet probare, miniſtrum deputatum, conficientem Sacramentum in ſtatu peccati mortalis, non committere irreuerentiam grauem iudicio prudentum. Id autem probare non poteſt, cum conſtet, iudicio omnium Theologorum, illam eſſe grauem: atque adeò certum moraliter eſt, eam eſſe grauem iudicio prudentum Theologorum, cùm omnes in id iudicium conſpirauerint. Neque obſtant pauci aliqui aliter ſentientes: tum quia duo ex illis ſibi apertè contradicunt, & vnus eorum cum deteſtatione, & lamento, vt iam dixi: tum quia pauci ſine vrgenti fundamento contra commune iudicium militantes imprudenter procedunt; & comparatione reliquorum omnium, paucorum authoritas leuis eſt. An autem illi ſint meri Summiſtæ, nempe de numero eorum, qui numerum ad probabilitatem extrinſecam non augent, decernere non poſſum; quia eorum volumina non euolui, quod alij examinabunt, ſicut etiam, an reliqui ex vno omninò tranſcripſerint, ita vt reliqui ad vnius authoritatem reducantur? iuxta dicta *diſp. præcedenti, cap.* 2. *art.* 4. & *cap.* 4. *num.* 125. 18.

Art. II.

ARTICVLVS II.

Diſſipantur obiectionum nebulæ.

19. Argumenta quæ affert Ludouicus de S. Iuan (apud Leandrum *cit. quæſt.* 8.) leuiſſima ſunt, ne dicam ridicula. Primum eſt, quia ea irreuerentia eſt lenis. Vide quàm vrgens argumentum, in quo apponitur pro antecedente ipſa concluſio.

20. Secundum eſt, quia neque Theologi, neque Concilia obligant miniſtrum ad confeſſionem, neque ad contritionem. Vide quàm euidenter falſum antecedens, cùm omnes Theologi affirment, obligari miniſtrum deputatum, ad contritionem præuiam vel confeſſionem.

21. Tertium, quia ſi eſſent tres Sacerdotes in ſtatu peccati mortalis, nec eſſet alius Confeſſarius, neſciretur, quis eorum teneretur ad contritionem, vt priùs audiret confeſſiones eorum: ergo nemo tenetur ad contritionem præuiam, antequam audiat confeſſionem alterius. Vide ad quid reducant nomen Probabilitatis homines, qui Doctorum nomine gaudent. Da, hodie Alexandrum VII. imponere hoc præceptum contritionis omnibus Sacramentum adminiſtraturis: quo caſu adeſſe obligationem contritionis præuiæ, nemo poteſt dubitare. Quid ergo facerent tres illi Sacerdotes. Reſpondebis enim, & bene, illum, qui primus audierit confeſſiones cæterorum, teneri ad contritionem præuiam.

22. Quatuor alia argumenta refert Leander *cit. ea quæſt* 9. ex manuſcriptis quorumdam Recentiorum. Primum, quia Ludouicus de S. Iuan affert pro ea ſententia tria argumenta non leuia, & Nauarrus quinque alia ex docto quodam viro: *Quæ*, inquit Nauarrus, *tametſi vrgere videantur, concludunt tamen minimè*: ergo iudicio Nauarri ſunt argumenta vrgentia pro ea ſententia: ergo eſt probabilis.

23. Qui ſic arguit, paleis leuiſſimis nititur. Tales eſſe eas rationes Ludouici, quis prudens negabit? Si vrgent argumenta à Nauarro relata, quare Recentiores ea non reproducunt? Sanè quia ea ad lucem adducere puduit. Et ſanè Nauarrus non dixit *vrgent*, ſed ſub dubio *vrgere videntur*. Dubiam autem probabilitatem affert, qui ex dubiis probabilitatem componit.

24. Secundum, quia P Granado cit. dixit: [Quod miniſter peccet mortaliter in adminiſtrandis Sacramentis cum conſcientia peccati mortalis, non eſt adeò exploratum, attenta efficacitate rationis: quia reuerà nulla eſt ratio id omninò conuincens, licèt certa ſit propter authoritatem.] Ergo prædicta ſententia non eſt omninò improbabilis, aliàs id euidenter oſtenderent Theologi.

25. Reſpondeo, optimè dixiſſe P. Granado. Id enim ſemper contingit in iis, quorum grauitas, aut magnitudo moralis taxatur iudicio prudentum. Vel dicant mihi, quare certum ſit tres vncias cibi violare ieiunium, cum non ſit certum, duas illud violare? Niſi quia iudicio omnium prudentium tres vnciæ conſtituunt magnam quantitatem; non autem duæ illam conſtituunt iudicio omnium.

26. Tertium. Quia probabile eſt, non dari expreſſum præceptum prohibens miniſtrationem Sacramenti cum conſcientia peccati mortalis. Probant, quia Nauarrus *diſtinct. 6. de Pœnit. num.* 10. §. *Ad ſextam*, id concedit. Deinde quia nullum eſſe præceptum poſitiuum, humanum, vel diuinum, probabiliter probat P. Gaſpar Hurtado *diſp.* 4. *diff.* 9. Quod verò id præceptum ſit diuinum naturale, ſolum eſt probabile, & veriſimile, vt affirmat P. Suar. *tom.* 3. *in* 3. *part. diſp.* 16. *ſect.* 3. ergo probabile eſt, quod nullum datur præceptum.

Miror, viros doctos ita arguendo hallucinari. 27.
An ad id teneatur miniſter ex præcepto diuino, an ex humano?
Et vt à Suario incipiam, compone ea verba arguentis, *Probabile eſt, non dari expreſſum præceptum*, &c. cum verbis ipſius Suarij in eodem loco ſuprà relatis *num.* 17. *Quod in Eccleſia ſit hoc præceptum dubitari non poteſt*. Et nota Suarium non dixiſſe, ſolum eſſe probabile, & veriſimile, quod detur præceptum diuinum naturale de ea re; ſed probabilius, & veriſimilius eſſe, quod non ſit præceptum poſitiuum humanum, ſed diuinum naturale. Aſſerit enim, indubitabile eſſe, quod detur tale præceptum; probabilius tamen, quod id præceptum ita certum, non ſit humanum, ſed naturale diuinum. Dicit itaque, indubitabile eſſe, ſaltem eſſe diuinum naturale. Ecce totus eius contextus: [Nam quod in Eccleſia ſit hoc præceptum, dubitari non poteſt, vt conſtat ex decretis, & teſtimoniis adductis. Vnde quamvis ſola ratione probari non poſſit, dicendo, latum eſſe vel à Chriſto, vel ab Apoſtolis, & perpetua traditione ſeruatum eſſe in Eccleſia; veriſimilius tamen eſt, ex ipſa rei natura intrinſecè conſequutum eſſe,] &c. Quare benè P. Gaſpar Hurtado probabiliter aſſerit, non dari præceptum poſitiuum: quod & aſſeruit Nauarrus in argumento citatus.

Quartum. Quia miniſter non conſecratus, conficiens Sacramentum in mortali, non peccat grauiter, ſecundum probabilem ſententiam: ergo nec miniſter conſecratus. Probatur conſequentia primò à paritate rationis. Secundò, quia probabile eſt, quod obligatio conficiendi Sacramentum in ſtatu gratiæ, non oritur à conſecratione miniſtri, ſed dumtaxat à ſanctitate Sacramenti, & Chriſti principalis agentis, & reuerentia illis debita: ſed hanc ſeruare non minùs debet miniſter non conſecratus, quàm conſecratus; & adhuc probabile eſt, quod non conſecratus non peccat leuiter: ergo probabile eſt, quod etiam miniſter conſecratus peccat leuiter. 28.

Hoc argumentum eſt id, quo ſuam ſententiam protegunt Authores propugnantes, miniſtrum non conſecratum, conficientem Sacramentum peccare lethaliter. Et illud retrorſum euolutum opponunt hi anonymi contra ſententiam certam. Et quod attinet ad paritatem, mirum eſt, quod non ſequantur regulam Logicæ Caramuelis poſtulantis in his caſibus diſparitatem euidentem; qua non data, triumphare ſe credit de aduerſario. 29.

Sed reſpondeo primò, aſſignato à me principio certo pro mea concluſione, me non teneri ad euidentem, ſed ad probabilem diſparitatem, vt demonſtraui *diſp.* 3. 30.

Reſpondeo ſecundò, adhuc diſparitatem eſſe moraliter euidentem. Etenim in miniſtro conſecrato illa irreuerentia eſt grauis, iudicio omnium prudentum Theologorum; in miniſtro autem non conſecrato non eſt grauis, iudicio omnium; multi enim non cenſent illam grauem. Eſt autem euidenter grauis iudicio prudentum, illa quæ talis eſt iudicio omnium: & non eſt euidenter grauis 31.

grauis iudicio prudentum,quando prudentes ipſi non conſpirant, ſed diſſident inter ſe circa eam grauitatem irreuerentiæ. Ecce ergo euidens diſparitas: quandoquidem in vno cernitur principium intrinſecum certitudinis, quod non cernitur in alio.

32. *An ea obligatio procedat à conſecratione miniſtri, an à ſanctitate Sacramenti, an ab vtroque.*

Ad ſecundam probationem diſtinguo maiorem: Probabile eſt, quod obligatio, [quæ eſt euidenter grauis,] conficiendi ſacramentum in ſtatu gratiæ, non oritur à conſecratione miniſtri, ſed dumtaxat à ſanctitate Sacramenti, negò; probabile eſt, quod obligatio, [quæ non eſt euidenter grauis,] non oritur à conſecratione miniſtri, concedo. Itaque obligatio euidenter grauis (ſcilicet euidentia morali) conficiendi ſacramentum in ſtatu gratiæ, non eſt probabile quod oritur à ſola ſanctitate Sacramenti: nam cùm ſit euidenter grauis ſola illa irreuerentia, quæ procedit à miniſtro conſecrato, propterea quod hæc ſola grauis eſt, iudicio omnium Theologorum, quod iudicium eſt adæquata menſura eius grauitatis; fit, quod ea euidens grauitas non procedat vtcumque à ſanctitate Sacramenti, ſed à ſanctitate Sacramenti vt confecti per miniſtrum conſecratum.

33. Itaque euidens grauitas eius irreuerentiæ procedere non poteſt ab eo principio, à quo abeſt prædicta euidentia. Quæ euidentia cùm conſiſtat in illa adæquata menſura grauitatis, nempe in iudicio omnium Theologorum; & hoc non ſuffragetur, niſi ſoli irreuerentiæ, quæ committitur à Miniſtro conſecrato; fit, quod ſecluſo eo capite procedendi à miniſtro conſecrato, vtique deficiat prædicta euidentia; atque adeò vbi non intelligitur procedere irreuerentia à miniſtro conſecrato, non intelligitur adeſſe ea euidentia.

34. Procedit quidem probabiliter à ſanctitate Sacramenti præſcisè grauitas irreuerentiæ, quæ committitur in conficiendo Sacramentum in ſtatu peccati; & ita probabile eſt, quod etiam miniſter non conſecratus peccat mortaliter conficiendo Sacramentum in ſtatu peccati. Cæterùm improbabile eſt, quod concurrentibus conſecratione miniſtri conficientis in ſtatu peccati, & ſanctitate Sacramenti, ea irreuerentia ſit leuis; quia concurrente vtraque circumſtantia adeſt ea menſura euidentiæ moralis. Eſt enim moraliter euidens, eſſe irreuerentiam grauem iudicio prudentum eam, in cuius grauitatem omnes prudentes conſpirarunt, vt dictum eſt.

CAPVT III.

Colligitur ſecundò, certum eſſe, in ieiunio naturali ad communionem non dari paruitatem materiæ.

ARTICVLVS I.

Oſtenditur certitudo corollarij.

35. *Præceptum ieiunij naturalis ante communionem omninò certum.*

EST præceptum certiſſimum in Eccleſia, illudque non diuinum, ſed humanum, ſeruandi ieiunium naturale ante communionem Eucharistiæ, vt conſtabit *ex diſp. 22. cap. 5. num. 73.* Eſt etiam certum, ſi gutta aquæ transglutiatur per modum ſaliuæ, non violari id præceptum, quia ſic non tollitur ieiunium naturale.

Si autem modicum cibi, vel potus de induſtria immittatur in os, vt illud per ſe transglutiatur, quantumvis minimum ſit, committi grauem irreuerentiam contra Sacramentum, communis omnium Theologorum ſententia docet, vt notauit P. Suarez his verbis. [Reſpondetur eſſe mortale, & contrarium non eſſe probabile practicè, ſi quantitas illa minima per modum cibi, & potus ſumpta ſit. Atque ita ſentit D. Thomas, Durandus, Paludanus, Soto, & alij. Et hoc idem declarat conſuetudo Eccleſiæ, & communis conſenſus omnium Fidelium: vnde rectè colligimus, ita eſſe interpretandum præceptum. 36. *Omnes Theologi negant paruitatem materiæ in hoc præcepto.*

37. *Conc. Tolet.*

Quod etiam patet ex Concilio Toletano VII. & habetur *cap. Nihil contra 7. quæſt. 1.* illis verbis: *Poſt cibum, potumque quemlibet minimum.* Nam etſi id Concilium ſit Nationale, & non obliget vltra Hiſpaniam; eſt tamen teſtis omni exceptione maior, & maxima dignus fide, eius vniuerſalis præcepti. Et Patres eius Concilij cenſuerunt, eam irreuerentiam eſſe grauem; quandoquidem præcipiunt, vt violatores excommunicentur, illis verbis: *Si quis hæc temerarè præſumpſerit, Excommunicationis ſententiam ſuſtinebit.*

38. *An ſententia omnium Theologorum in hac materia faciat euidentiam?*

Inquirimus ergo, an ſententia communis omnium Theologorum faciat in hac materia certitudinem moralem, ita vt certum omninò ſit, quamlibet paruitatem cibi, vel potùs ſumptam ante Eucharistiæ communionem conſtituere grauem irreuerentiam de lethali reatu damnandam.

39. *Et quare?*

Ex dictis ergo in duobus capitibus præcedentibus, aſſerendum eſt, communem Theologorum ſententiam, quæ aſſerit, eam eſſe grauem irreuerentiam, facere moralem certitudinem. Ratio eſt eadem, quam propoſui *cap. 1.* Etenim hæc quæſtio reducitur ad eum ſcopum, an ſumptio minimi cibi, vel potùs ante communionem, ſit irreuerentia grauis iudicio prudentum, vel potiùs leuis? In qua euidens eſt, omnes prudentes Theologos iudicare, eam eſſe irreuerentiam grauem: ergo euidens eſt, eam eſſe grauem iudicio prudentum, ſcilicet eorum, ad quos ſpectat, nempe Theologorum.

ARTICVLVS II.

Reſponſiones debellantur.

40. DIces primò, non poſſe iudicium Theologorum facere, quod ſit grauis ea, quæ eſt materia leuis: atqui minimi cibi comeſtio eſt materia leuis: ergo non poteſt fieri grauis iudicio prudentum.

41. *Materia legis poteſt fieri moraliter grauis ratione finis.*

Pro impugnatione aduerte primò, materiam legis aliàs leuem, poſſe fieri moraliter grauem ratione finis, ad quem ordinatur, vt oſtendo *diſp. 27. cap. 7.* Et quidem leuis actio eſt pileo caput exuere, ſi tamen præcipiatur in ſignum reuerentiæ, & adorationis Eucharistiæ, materia erit grauiſſima, & quæ obliget ſub reatu graui. Deinde immittere vnam guttam aquæ in calicem conſecrandum, ex ſe materia leuis eſt: tamen conſiderato fine, ad quem ordinatur, nempe ſignificatione aquæ, & ſanguinis è latere Chriſti profluentis, ea immiſſio eſt quid moraliter magnum. Quod & aliis exemplis ibidem oſtendo.

42. *Ieiunium naturale præcipitur propter*

Aduertes ſecundò, prohibitionem Eccleſiaſticam ſumendi cibum, vel potum, ordinari ad finem reuerentiæ erga Eucharistiam: id enim ieiunium naturale præſcripſit Eccleſia tanquam actionem,

P qua

Digitized by Google

reuerentiam Euchariſtiæ. qua Euchariſtia veneranda eſt, vt patet ex citato *cap.* 7.

43. Ex his conuincitur ea reſponſio. Etenim cùm materia aliàs leuis poſſit fieri grauis ratione grauiſſimi finis, ex hoc capite non repugnat, quod comeſtio minimi cibi poſſit eſſe grauis ratione grauiſſimi finis venerandi Euchariſtiam.

Comeſtio minimi cibi eſt materia euidenter grauis in ordine ad reuerentiam Euch.

Hinc deuenimus ad eam quæſtionem, an ſumptio minimi cibi ante Euchariſtiam (ſuppoſito Eccleſiæ præcepto de ieiunio naturali propter reuerentiam Euchariſtiæ) ſit materia grauis iudicio prudentum? Et quidem euidens eſt, omnes prudentes conſpirare in id iudicium, quod ſit materia grauis, vt conſtat ex dictis *art.* 1. ergo euidens eſt, quod eſt materia grauis iudicio prudentum.

44. Confirmatur. Euidens eſt, comeſtionem vnius vnciæ panis ante ſumptionem Euchariſtiæ eſſe grauiſſimum ſacrilegium. Quod ſi non inſiſtas his principiis, non erit euidens: nam vncia panis aliàs eſt materia leuis; ideoque non violat grauiter eius comeſtio ieiunium Eccleſiaſticum: vt ergo ſit materia grauis reſpectu communionis, attendendus eſt ille finis. Deinde vnde id fiet euidens, niſi deueniamus ad iudicium omnium prudentium? Iuxta quam menſuram ea eſt irreuerentia grauis erga ſacram ſynaxim.

45. Vnde ad ſyllogiſmum in refutata reſponſione propoſitum, diſtinguenda eſt minor. Minimi cibi comeſtio eſt materia leuis, [attento fine præcepti,] nego; [aliàs,] concedo.

46. Et eodem modo diſtingues maiorem in eo vulgari argumento: parum pro nihilo reputatur: ſed comeſtio minimi cibi eſt parua: ergo pro nihilo reputatur: ergo idem eſt, ac ſi nihil comediſſem. Sed quando nihil comedi, ſeruo ieiunium naturale: ergo quando parum comedi, idem eſt; atque adeò etiam tunc ſeruo ieiunium naturale.

47. Quod argumentum, ſi quam vim habet, eamdem habet in comeſtione vnciæ panis: & ſicut in hoc eſt euidenter fallax, ita & in primo. Quare diſtinguenda eſt maior: parum, [ſi etiam reſpectu finis ſit parum,] pro nihilo reputatur, concedo; [ſi reſpectu finis ſit magnum,] nego.

48. Dices ſecundò. Aliqui docti Theologi cenſuerunt, dari paruitatem materiæ in hoc præcepto ieiunij naturalis: ergo non omnes Theologi conſpirarunt in id iudicium. Antecedens probatur. Nam P. Granado *tom.* 2. *in* 3. *part. controu.* 6. *tract.* 10. *diſp.* 8. *num.* 6. refert doctum Theologum, qui dixit, in ieiunio naturali eſſe paruitatem materiæ eam aquam, quam capit putamen auellanæ. Et P. Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. diſp.* 68. *ſect.* 4. *§. ſed quæris*, ait, *quibuſdam viſum eſſe*, dari paruitatem materiæ: fortè id dixit, quia audiuit, eumdem Theologum id dixiſſe, quem refert P. Granado. Sed & Paſqualigus *deciſ.* 335. (referente Leandro à SS. Sacram. *p.* 2. *de Sacram. tract.* 7. *diſp.* 5. *quæſt.* 3.) id affirmat vt probabile.

Duo, vel tres admittunt in hoc paruitatem materiæ.

49. Sed duo, vel tres Authores contra iudicium reliquorum omnium, non faciunt, quod ea ſententia non ſit moraliter omnium. Tum quia ſententia ferè omnium reputatur eſſe omnium. Tum quia in rebus, quæ ſolo iudicio prudentum menſurantur, non procedunt prudenter duo, vel tres, qui reliquorum iudicio refragantur. Vide quæ dixi ſuprà *num.* 5. & 18. Sic etiam, quamuis Gothfredus, & Ioannes Pariſienſis dicant, (referente P. Vaſquez *tom.* 3. *in* 3. *part. diſp.* 21. *num.* 26.) ſufficere ieiunium Eccleſiaſticum ad ſumptionem Euchariſtiæ, nec requiri naturale; eorum tamen authoritas non ſufficit, tum vt ea ſententia ſit probabilis; tum vt dicatur noſtra ſententia non eſſe abſolutè omnium Theologorum. Et ideò P. Vaſquez citatus *num.* 27. dixit: [Hanc tamen opinionem nullo probabilitatis fundamento nixam eſſe, omnes iam ſcholaſtici meritò arbitrantur.]

Sententia moraliter eſt omniū, quāuis duo, vel tres reſiſtant.

Articvlvs III.

Diſcutitur ſubtilis quidam diſcurrendi modus Patris Arriaga in eadem materia.

50. Pater Arriaga *tom.* 7. *diſp.* 44. *de Euchariſtia, ſect.* 2. *ſubſect.* 1. cùm ex vna parte videat certum eſſe, illum peccare grauiter, qui vel minima aquæ quantitate potatus ſuſcipit ſacram ſynaxim; ex alia verò credat, non eſſe grauem indecentiam, [quod poſt tres, quatuorve guttas aquæ recipiatur Chriſtus Dominus, vt proptereà damnandus ſit in æternum, qui eo modo communicauit:] vt hæc componat, alium dicendi modum ſubtiliter excogitauit.

51. Aſſerit ergo *num.* 10. non dari in hoc præcepto paruitatem materiæ: non quia potus trium guttarum non ſit leuis; ſed quia ea abſtinentia à qualibet minima materia, exigitur ab Eccleſia tanquam conditio, vt det licentiam communicandi. Eo quod in conditionibus petitis non attenditur paruitas materiæ, ſed ſola voluntas eius, qui aliquid donat ſub tali conditione. [Res parui momenti (inquit) eſt, me fricare barbam, me flectere genu, &c. vnde fortaſſe ſi ea res directè præciperetur, non poſſet eſſe peccatum graue in eius tranſgreſſione. Si tamen Rex dicat: *Dono tibi hoc monile ſub hac præciſè conditione, vt frices barbam, aut vt genu flectas, aliàs nullo modo tibi illud concedo:* profectò ſi ego tunc non fricando barbam, aut non flectendo genu, accipio illud monile, peccabo grauiter: non quia non fricui, ſed quia ex defectu conditionis petitæ à donatore, accepi illud non minùs contra voluntatem illius, quàm ſi furatus illud abſolutè fuiſſem.] Quod & aliis ſimilibus exẽplis explicat.

An ſit illicitus cibus minimus ante communionē, non ob grauitatem materiæ, ſed quia Eccleſia dat ſub hac conditione?

52. Suppoſito ergo, quod Eccleſia habet poteſtatem dandi, & negandi Fidelibus licentiam communicandi ſacram ſynaxim; negandi, inquam, iuſtis de cauſis: [Dat, inquit, Eccleſia nobis licentiam communicandi; ſub hac tamen conditione, quod ſimus ieiuni, etiam à minimo hauſtu, aliàs eam non datura.]

53. Hic tamen diſcurrendi modus mihi non ſatisfacit. Primò, quà credit, eſſe leuem irreuerentiam, communicare poſt trium, aut quatuor guttarum aquæ potum. Nam licèt ſecluſo Eccleſiæ præcepto illa leuis ſit, ſicut & quælibet alia comeſtio: at cùm penes Eccleſiam ſit determinare, quo genere reuerentiæ colenda ſit Euchariſtia; & de facto determinauerit, colendam eſſe ieiunio naturali, & abſtinentia à minimo etiam cibo, & potu; eo præcepto ſuppoſito, inſurgit quæſtio, an is defectus reuerentiæ ſit grauis iudicio prudentum? Et cùm euidens ſit, omnes prudentes hucuſque iudicaſſe, illum defectum reuerentiæ præſcriptæ eſſe grauem, vtique euidens eſt, illum eſſe grauem iudicio prudentum: atque adeò non eſſe probabile, illum eſſe leuem iudicio prudentum.

Ea irreuerentia eſt euidenter grauis iudicio prudentum.

54. Secundò, quà credit, ſolùm eſſe graue id

præceptum

præceptum, quatenus per modum conditionis præſcribit abſtinentiam à minimo cibo, aut potu. Etenim omnes conueniunt in eo, quod comeſtio minimi cibi ante Euchariſtiæ ſumptionem ſit ſacrilegium, & peccatum contra religionem & reuerentiam, ex præcepto Eccleſiaſtico debitam Euchariſtiæ: ſi autem ſe haberet duntaxat per modum conditionis, & non eſſet quid graue contra reuerentiam Sacramento debitam, non eſſet ſacrilegium, neque peccaretur contra religionem: ergo ea abſtinentia non exigitur ſolum per modum conditionis, ſed etiam tanquam quid grauiter conducens ad Religionem, & reuerentiam Sacramenti.

Ea ſumptio cibi eſt contr reuerentiam Sacramenti.

Ideò non ſolùm præſcripta per modum conditionis.

55. Confirmatur. Vel defectus conditionis eſt quid graue contra religionem, vel non? Si ſecundum: ergo non eſt ſacrilegium, cùm nullum ſit ſacrilegium, quod non ſit contra religionem. Si verò primum dicas, nempe, id eſſe quid graue contra religionem, infero; ergo eſt grauis irreligioſitas, ſiue irreuerentia. Ergo etiam ſecluſa ratione conditionis datur materia grauis præcepti. Hæc conſequentia patet. Nam irreuerentia grauis eſt ſufficiens materia præcepti grauis, ſecluſa quauis alia ratione conditionis.

56. Tertiò. Nam ſicut Eccleſia non poteſt negare nobis Euchariſtiam, niſi iuſtis de cauſis; accepit enim poteſtatem à Chriſto illam diſpenſandi in ædificationem, & non in deſtructionem: ita non poteſt nobis illam negare ſub prohibitione graui, niſi ex cauſa graui. Quod ſi cauſa prohibitionis ſit leuis, prohibitio etiam erit ſub obligatione leui. Vel ergo eam conditionem abſtinentiæ à minimo cibo & potu exigit Eccleſia ex cauſa graui, vel ex cauſa leui? Si ſecundum dicas, iam ex cauſa leui prohibet Euchariſtiam ei, qui ſumpſit minimum cibum, vel potum; atque adeò cum prohibitio ſit ex cauſa leui, non poterit obligare grauiter. Præterquam quod abſurdum eſt dicere, quod Eccleſia mouetur ex cauſa leui ad negandum filiis Euchariſtiam pro circumſtantiis, in quibus eſt ratio leuis ad illam denegandam.

57. Si verò dicas, quod ad eam conditionem petendam mouetur ex cauſa graui; hæc non poteſt eſſe alia, quàm reuerentia ipſius Euchariſtiæ, quam vult Eccleſia tam magno Sacramento exhiberi. Ea autem reuerentia iudicio omnium prudentium res magna eſt, vt conſtat ex dictis; & ſimiliter defectus eius reuerentiæ etiam eſt res magna, iudicio eorumdem: ergo defectus eius abſtinentiæ à minimo cibo, ſiue per modum conditionis, ſiue alio modo, eſt res grauis. Patet conſequentia. Quia eodem modo deficit ea reuerentia exhibenda Euchariſtiæ, & determinata ab Eccleſia, ſiue illa ſit poſita per modum conditionis, ſiue alio modo: ſed defectus eius reuerentiæ determinatæ ab Eccleſia, eſt defectus grauis: ergo ſiue abſtinentia à minimo cibo poſita ſit per modum conditionis, ſiue alio modo, is defectus reuerentiæ præceptæ eſt grauis.

58. Itaque ſi ad præſcribendam abſtinentiam à minimo cibo per modum conditionis, habet Eccleſia cauſam grauem, nempe reuerentiæ, ab eadem Eccleſia determinatæ ad colendum ſic Euchariſtiam; eadem erit cauſa grauis ad prohibendum abſolutè communionem ei, qui non abſtinuerit à minimo cibo, quamvis id non præſcribat per modum conditionis: quia quod ſit cauſa grauis, non conſiſtit in eo, quod ponatur per modum conditionis. Implicat autem, materiam prohibitionis eſſe leuem, & cauſam prohibitionis eius eſſe grauem; nam res aliàs leuis, quæ prohibetur ex cauſa graui, ex cauſa ipſa fit materia grauis eius prohibitionis; vt exemplis oſtendi ſuprà *num.* 41. Si verò cauſa eſſet leuis ad præſcribendam abſtinentiam à minimo cibo per modum conditionis, non poſſet obligare grauiter ad eam conditionem ponendam.

Neque eſt ſimile id exemplum, quod proponit P. Arriaga. Multùm enim diſtat quoad hoc inter eum, qui diſponit de re ſua tanquam dominus, & inter eum, qui diſponit de re aliqua tanquam adminiſtrator. Nam ſi iſte tenetur largiri omnibus conſanguineis Petri pauperibus tantam ſtipem, non poteſt huic pauperi dicere; *Dono tibi hanc ſtipem, ſi iacto lapide tetigeris illum ſcopum*; neque, abſque graui cauſa à ſe attendenda, cum alia conditione donare eam ſtipem: quod tamen poteſt facere ipſe dominus, quia de re ſua poteſt diſponere, prout libuerit. Ita Eccleſiæ Prælati cum ſint Euchariſtiæ diſpenſatores, non domini, vtique non poſſunt pro libito denegare Euchariſtiam ad defectum talis conditionis, niſi iuſta cauſa adſit. Quæ cauſa ſi grauis ſit, etiamſi non denegetur per modum conditionis, erit ſufficiens ad grauem prohibitionem abſolutam. 59.

Vbi notabis, poſſe etiam quandoque adminiſtratores apponere conditionem in eo, quod concedunt: id tamen contingit, quando abſque vlla cauſa poſſunt negare pro libito ſuo id, quod petitur. Sicut enim poſſunt negare abſolutè, ita etiam poſſunt negare ad defectum talis conditionis. Et ita ſi Prælati Eccleſiæ poſſent negare Fidelibus Euchariſtiam pro libito ſuo, & abſque cauſa, poſſent etiam negare ad defectum talis conditionis. Quia verò Prælati Eccleſiaſtici non poſſunt negare Fidelibus Communionem Euchariſtiæ abſque cauſa, ideò non poſſunt pro libito apponere prædictam conditionem abſque cauſa. 60.

Dices. P. Arriaga cenſuit, non eſſe irreuerentiam grauem, accipere Sacram Synaxim poſt minimum potum trium guttarum aquæ: deinde ratio, quam ipſe exhibet, vt dicamus, id eſſe peccatum lethale, videtur leuis; & ad ſummum non excedit metam probabilitatis: ergo probabile eſt, quod communio poſt minimum potum non eſt lethalis. 61.

Reſpondeo, negando conſequentiam. Primò, quia vterque modus ſimul non eſt comprobabilis apud P. Arriagam. Supponit enim tanquam certum, eſſe peccatum lethale, accipere Euchariſtiam poſt illum minimum potum. Cum hac autem certitudine non componitur, quod vterque ille modus ſit probabilis; ſed vnus ſaltem debet eſſe certus in ſuffragium eius concluſionis certæ, ſaltem ſub disiuncto. Cùm ergo primum non admittit, eſt, quia putat, ſecundo modo firmari certitudinem concluſionis. 62.

Secundò. Quia ratio fundamentalis tradita in hoc capite, ſtat firma. Nam quamvis P. Arriaga cenſeat, eam eſſe irreuerentiam leuem, non poteſt negari, eſſe grauem iudicio reliquorum omnium prudentium Theologorum: quod, vt dixi, facit euidentiam moralem de grauitate morali, quæ talis eſt iudicio prudentum. 63.

Digitized by Google

CAPVT IV.

Secunda concluſio declarat, quomodo ſententia communis faciat certitudinem in alia materia.

64. *In quaſtione, qua omninò pēd.t à ſignificatione vocis ſententia ferè omnium facit euidentiam.*

SIt ſecunda concluſio. In iis quæſtionibus, quarum reſolutio omninò depēdet à ſignificatione, & vſurpatione vocum, communis ſententia facit omnimodam certitudinem. Hanc concluſionem licet Doctores ſub his formalibus terminis non expreſſerint (nec negauerint) videntur tamen illam tenere, qui aiunt, verba legis in eo ſenſu accipienda eſſe, in quo communis conſuetudo ea accipit: idque dignoſcendum eſſe ex communi iudicio peritorum: id enim tanquam regulam certam ſupponunt. Ita P. Thom. Sanch. *lib. 6. ſumma, cap. 4. numero 27.* & apud ipſum P. Valentia, P. Toletus, P. Sà, Caietanus, Nauarrus, Corduba, Caſtro, Sayrus, Salon, & Carbone.

65. *Significatio vocis conſiſtit in vſurpatione communi.*

Ratio eſt manifeſta. Conſiſtit enim ſignificatio vocis in vſurpatione communi, adeò vt hæc vſurpatio communi eſſentialiter conſtituat ipſam ſignificationem; vt tradunt Dialectici agentes de ſignis ad placitum. Habet enim ſe ſicut valor monetæ, qui non pendet ab vnius, vel alterius æſtimatione, ſed ab æſtimatione communi. Sed moraliter impoſſibile eſt, quod omnes periti ignorent vſurpationem communem vocis, & illam ſciant homines imperiti: ergo vbi omnes periti conueniunt in ſignificatione vocis determinanda, eſt moraliter impoſſibile, quod errent: ergo eſt certum moraliter, quod ea eſt vera vocis ſignificatio. Sed quando in quæſtione, quæ omninò dependet à ſignificatione vocis, omnes periti decidunt vnam partem, declarant, eam eſſe vocis ſignificationem: ergo quando in quæſtione, quæ omninò dependet à ſignificatione vocis, omnes periti decidunt vnam partem; ea pars omninò certa eſt. Et ideò P. Thom. Sanchez citatus dixit, intelligentiam verborum legis *dignoſcendam eſſe ex communi iudicio & ſenſu bonorum & peritorum.*

66. Confirmatur. Certum enim eſt, eum, qui vouet ieiunium in omnibus peruigiliis feſtiuitatum Deiparæ, ſe obligare ad abſtinentiam à carnibus, & vnicam comeſtionem. Sed ex qua, rogo, demonſtratione id fit certum? Sanè non aliunde, niſi ex eo quod omnes nomine ieiunij abſolutè dicti intelligunt abſtinentiam à carnibus, & vnicam comeſtionem. Id autem ita eſſe, euidens eſt ex eo, quod omnes Doctores ita tradunt: cuius vſurpationis communis, quæ quid facti eſt, omnes Doctores ſunt teſtes omni exceptione maiores, & pleniſſimè probantes.

67. Confirmatur ſecundò. Nam, vt dicam capite ſequenti, in quæſtione facti conſenſus omnium Doctorum facit euidentiam moralem, modo ibi exponendo: ſed quod hæc ſit ſignificatio huius vocis, eſt quæſtio facti: ergo in ſignificatione vocis conſenſus omnium Doctorum facit euidentiam moralem, & conſequenter in deciſione quæſtionis, quæ omninò dependet à ſignificatione vocis.

Confirmatur tertiò, & explicatur ampliùs. Nam ſignificatum vocis, etiamſi frequenter dependeat à primo impoſitore; non tamen ab eo ſolo dependet, ſed ab vſu communi. Nam ſi vſus communis reiiciat ſignificationem à primo impoſitore datam, ea quidem amittitur, & præualet illa, quam dat denuò vſurpatio communis. Deinde vt certiores reddamur de vſurpatione communi vocabuli, non à quolibet homine inueſtigamus; ſolent enim aliqui ob inſcitiam decipi; ſed à viris peritis: qui ſi concorditer conueniant, euidens eſt moraliter, eum eſſe vſum vocis. Quod ſi vox pertineat ſpecialiter ad ſignificatum alicuius ſcientiæ, vel artis, ad viros in ea facultate peritos recurrimus: qui dum concordes ſunt in ea ſignificatione determinanda, moralem euidentiam faciunt, cùm de ea ſignificatione dubitari non poſſit. 68. *A peritis inueſtigamus veram ſignificationem vocis.*

69. *In quaſtione, qua pendet à ſignificatione vocis, vnus vel duo Authores non faciunt probabilitatem.*

Hinc infertur, ſi in quæſtione, quæ omninò dependet à ſignificatione vocum, vnus, vel alter Author illam decidat contra communem reliquorum Doctorum ſententiam; vnum vel alterum Authorem non poſſe in ea materia facere opinionem probabilem. Patet. Nam vnus, vel alter Author non poteſt immutare ſignificationem nominum. Significatio enim eſt communis vſurpatio: implicat autem, quod vſurpatio vnius, vel alterius contra communem reliquorum, ſit vſurpatio communis. Sicut ſi vnus, vel alter contenderet, nomine enſis intelligi pileum, nihil prodeſſet eius conatus contra communem conſenſum.

70. Quod ſi vnus, vel alter Author conetur probare contra reliquos, illam ſpecialem ſignificationem eſſe vſurpationem communem, iam ſumus in quæſtione de facto. In qua ſi viginti teſtes omni exceptione maiores teſtimonium ferant pro vna parte, & vnus, vel duo pro oppoſita, hi nihil minuunt authoritatem priorum.

71. *Optima conſequentia.*

Hinc patet pro Logica morali, hanc eſſe legitimam conſequentiam: [In quæſtione, quæ omninò dependet à ſignificatione vocis communis, omnium, aut ferè omnium Doctorum ſententia tuetur concluſionem A: ergo concluſio A, eſt moraliter certa.]

72. Quæ autem corollaria ex hoc principio colligantur, vide *diſp. 24. cap. 2. & diſp. 36. cap. 3. & diſp. 37. cap. 3. & 10.*

CAPVT V.

Duæ aliæ concluſiones ſtatuuntur.

73. *In quaſtione facti ſententia omnium facit certitudinem.*

SIt tertia concluſio. In quæſtione de facto ſententia communis omnium Doctorum de exiſtentia præcepti poſitiui, ſiue traditionis, vel conſuetudinis, facit certitudinē moralem. Oſtenditur primò. Cùm omnes Doctores vnanimi conſenſu affirmant aliquod præceptum poſitiuum, ſiue traditionem illius, applicant fundamentum, nempe exiſtimationem communem omnium Fidelium: at communis omnium Fidelium perſuaſio de exiſtentia præcepti, aut traditione illius, facit omnimodam certitudinem moralem, vt oſtendo *diſput. 21. cap. 5. art. 7.* ergo cùm omnes Doctores vnanimi conſenſu affirmant præceptum poſitiuum, aut traditionem illius, faciunt certitudinem moralem.

Oſtendo

Digitized by Google

74. *In quæſtione facti fit pleniſſima probatio per ingentem numerum teſtiū abſque contradictione.* Oſtendo ſecundò. Nam in quæſtione de facto fit probatio plena & moraliter certa per ingentem multitudinem teſtium, vnanimiter, & ſine contradictione aſſerentium. Ita omninò certum eſt, Hiſpaniam occupatam fuiſſe à Mauris per plurimos annos; ita etiam olim à Gothis, quia omnes Hiſtoriographi ad ingentem numerum id vnanimiter teſtantur. Ergo vbi plurimi Theologi ad ingentem numerum vnanimiter affirmant præcepti exiſtentiam, aut traditionem, ſine vlla contradictione, illi quidem faciunt moralem certitudinem.

75. *Omnes Theologi affirmantes præceptū non ſcriptum, faciunt certitudinem.* Oſtendo tertiò. Etenim certum eſt, dari aliqua præcepta Eccleſiæ, tradita, præter ea, quæ ſunt ſcripta, vt conſtat ex Concilio Tridentino *ſeſſ.7. Can. de Baptiſmo*: ſed hæc præcepta tradita licet conſtent in particulari proximè & immediatè ex ipſa vniuerſali perſuaſione omnium Fidelium; tamen hæc vniuerſalis perſuaſio certò probatur, ſi omnes Theologi vnanimi conſenſu eam affirment. Quis enim Catholicorum audebit negare eam vniuerſalem traditionem, ſeu perſuaſionem de præcepto tradito, quam omnes Theologi affirmant? Ergo omnes Theologi de præcepto tradito certitudinem faciunt.

76. *Omnes Theologi faciunt certitudinem de probabilitate, quando, &c.* Sit quarta concluſio. Communis ſententia omnium Theologorum facit certitudinem moralem de probabilitate affirmata, aut negata, quando quæſtio de probabilitate reducitur (vt plerumque contingit) ad hoc, quod fundamentum eius opinionis ſit graue, vel leue. Et quidem ſupponit concluſio, præcipuum conſtitutiuum probabilitatis conſiſtere in eo, quod detur fundamentum graue; & probabilitatem deficere, quoties fundamentum omninò eſt leue, vt ex ipſa definitione opinionis probabilis data *diſp. 1. cap. 2.* patet.

77. Probatur ergo concluſio. Quando quæſtio probabilitatis ad præfatos terminos reducitur, iudicandum eſt, an fundamentum ſit graue, vel leue iudicio prudentum: ſed quando omnes Theologi affirmant, aliquod fundamentum eſſe graue, vel leue, euidens eſt, quod eſt graue, aut leue iudicio prudentum, vt patet ex concluſione prima propoſita *cap. 1.* ergo in eo caſu communis ſententia omnium Theologorum facit euidentiam moralem de probabilitate affirmata, aut negata.

78. Exemplis res fiet illuſtrior. Affirmant multi, licitum eſſe Sacerdoti mutare Officium feriæ in Officium nouem lectionum, vel è conuerſo, ſaltem abſque reatu culpæ grauis. Rationem exhibent, quia hæc mutatio pertinet ad modum, non autem ad ſubſtantiam præcepti. Modus autem in præcepto humano non obligat ſub reatu culpæ lethalis. Hanc poſtremam propoſitionem non probant ſyllogiſmo, nec lege: ſed quia ea videtur prudenti iudicio firmari. Quare ſi omnes Theologi vnanimiter aſſererent, hanc rationem eſſe grauem, euidens eſſet, quod erat grauis iudicio prudentum, iuxta dicta in concluſione prima: & ſi omnes Theologi concorditer affirmarent, id fundamentum eſſe leue, euidens eſſet, quod leuis erat iudicio prudentum; atque adeò concluſio, quæ in ea ratione nititur, non eſt probabilis.

79. Deinde vnum Authorem omni exceptione maiorem, eſſe fundamentum graue ad conferendam probabilitatem extrinſecam, diximus *diſput. 11.* Si omnes Theologi conueniant in eo, quod id ſit fundamentum graue, fiet euidens, quod vbi fuerit vnus Author omni exceptione maior, opinio erit extrinſecè probabilis. Nam vbi fundamentum eſt graue iudicio omnium Theologorum, euidens eſt, quod conſpirant omnia iudicia prudentum (ad quos quæſtio ſpectat) ad cenſendum, eſſe graue; atque adeò eſt euidens, quod eſt graue iudicio prudentum: & conſequenter euidens eſt, quod talis opinio eſt probabilis.

Dixi in concluſione, [Quando quæſtio de probabilitate reducitur ad hoc, quod fundamentum eius opinionis ſit graue, vel leue:] quia cùm opinio probabilis, præter hoc, quod eſt firmari fundamento graui, includat etiam eſſe incertam, hoc eſt, nec certam, nec certò falſam; quæſtio de probabilitate alicuius opinionis poteſt verſari circa certitudinem de eius falſitate affirmantibus aliquibus, eam eſſe certò falſam, & aliis negantibus. 80.

In quo caſu, etſi omnes Theologi affirment, opinionem eſſe certò falſam, non faciunt euidentiam moralem. Imò contingere poteſt, quod opinio ſingularis vnius Doctoris contra reliquos ſit probabilis, ſi nimirum ſolutionem inuenerit is Doctor illi argumento, quo reliqui omnes tanquam certo nitebantur. Ratio eſt: quia quod opinio ſit certò falſa, vel non ſit, non dependet à ſolo iudicio prudentum (excipe materias in hac diſputatione notatas:) ſed à principio certo rationis, vel iuris poſitiui: in quo ratio naturalis præualere poteſt contra iudicium omnium Theologorum, qui ſcopum veritatis demonſtrabilis non tetigerant. 81. *In quæſtione de poſitiua improbabilitate ſententia omnium non facit certitudinem.*

Obiicies. P. Thomas Sanchez *lib. 1. de Matrim. diſp. 18. num. 7.* referens plurimos Doctores, affirmat, ſententiam ſingularem vnius Doctoris præferendam eſſe ſententiæ communi, ſi ſingularis illa ſuſtineat valorem matrimonij, ſeu cauſæ piæ. Quod idem docet ex illis P. Caſtro Palao *tom. 1. tract 1. diſp. 2 punct. 1. num. 12.* & plures alij, id extendentes ad quamcumque materiam fauorabilem, verbi gratia immunitatis Eccleſiaſticæ, dotis, &c. Tum ſic. Poteſt fieri, quod quæſtio reducatur ad hoc, quod fundamentum ſententiæ communis ſit graue, & fundamentum ſententiæ ſingularis ſit leue. In qua ſi omnes Doctores dicant, fundamentum ſententiæ ſingularis eſſe leue, illud quidem erit leue iudicio omnium prudentum, atque adeò, ex dictis euidens erit, quod illud eſt leue iudicio prudentum: ergo erit euidens, quod ea ſententia ſingularis non eſt probabilis. Sed opinio non probabilis præferri non poteſt opinioni communi: ergo opinio ſingularis etiam in materia fauorabili, non ſolum non poterit præferri communi, ſed debebit omninò reiici vt non probabilis. 82.

Reſpondetur, obiectionem non procedere in terminis noſtræ concluſionis. Etenim, vt bene notauit P. Thomas Sanchez citatus, cum aliis Doctoribus, ea reſolutio intelligitur, *Dummodò illa opinio ſingularis probabili ratione innitatur.* Quare ſi ſuppoſas, illam opinionem ſingularem inniti rationi leui, quæ leuis ſit iudicio omnium prudentum, iam conſtat, eam non inniti rationi probabili. 83.

Et ex dictis in hoc capite inferes, hanc eſſe bonam conſequentiam: [In quæſtione, quæ inquirit, an ſit tale præceptum poſitiuum traditum, affirmatiuam partem tenent omnes Doctores: 84. *Optima conſequentia.*

Digitized by Google

ergo certum eſt, dari tale præceptum.] Secundò valet etiam hæc conſequentia: [In quæſtione de probabilitate, quæ reducitur omnino ad hoc, an fundamentum opinionis ſit graue, vel leue, omnes Authores affirmant, eſſe graue: ergo certum eſt, illam opinionem eſſe probabilem.] Similiter iſta: [In eadem quæſtione, omnes Doctores affirmant, fundamentum opinionis eſſe leue: ergo certum eſt, eam opinionem non eſſe probabilem.]

Optima conſequentia.

85. Hæc tamen conſequentia praua eſt: [Omnes Doctores affirmant, hanc concluſionem eſſe improbabilem poſitiuè, ſiue certò falſam: ergo certum eſt, eam eſſe certò falſam.] Vide dicta *n.* 81. Vide *in addit. n.* 31.

Praua conſequentia.

DISPVTATIO XIII.

An omnes opiniones probabiles ſint æqualiter ſecuræ? Vbi, an laxiores ſint ſecuriores?

CAPVT I.

Prima concluſio Caramuelis impugnatur.

1. Vsum opinionis probabilis eſſe ſecurum in praxi, ſi opinio hîc, & nunc verè ſit practicè probabilis, certum eſt, vt ſatis conſtat ex dictis, præcipuè *diſp.* 10. Et ratio eſt manifeſta. Ille eſt ſecurus in praxi, qui non exponitur periculo peccandi: ſed per vſum opinionis practicè probabilis, nemo exponitur periculo peccandi: ergo qui vtitur opinione practicè probabili, ſecurus in praxi procedit.

Omnes opiniones practicè probabiles ſunt ſecuræ in praxi.

2. Inquirit ergo Caramuel, an omnes opiniones probabiles, etſi minus probabiles ſint, æqualiter ſint ſecuræ? Et *in Apolog. de probabilit. num.* 88. affirmat, omnes opiniones probabiles per ſe conſideratas eſſe æqualiter ſecuras. Idem docet in Regulam *num.* 58. vbi ait: [Ratio eſt, quia illa opinio eſt tutiſſima, ſecundum quam operans, nec mortaliter, nec venialiter peccat: atqui qui ſequitur minùs probabilem, neutro modo peccat: ergo qui ſequitur minùs probabilem, ſequitur opinionem tutiſſimam.] Quod didicit à Ioanne Sancio *diſp.* 44. *num.* 66.

3. Vbi prænotabis, opiniones laxiores vocari eas, quæ magis fauent libertati, & immunitati à præcepto; ſtrictiores verò eſſe eas, quæ ſtant pro parte obligationis, ſeu præcepti.

Laxiores ſunt, quæ fauent libertati; ſtrictiores, quæ præcepto.

4. Quia tamen Authores, dum dicunt, minùs tutas eſſe eas opiniones, quæ laxæ ſunt, quàm quæ ſtrictæ, id ita eſſe affirmant, quia ſaltem eſt periculum labendi materialiter in eo, qui ſequitur opinionem laxiorem, quod non ſubit ille, qui ſequitur opinionem ſtrictam: Caramuel *in Apolog de Probabilit. num.* 87. ait; eum, qui ſequitur opinionem probabilem laxiorem, nulli ſe exponere periculo labendi materialiter. Ecce eius verba, in quibus continetur ratio concluſionis. [An ſaltem me expono periculo peccandi materialiter? Neque huic. Quoniam lex non obligat hos, quibus non eſt impoſita: & vbi nulla eſt lex, non datur vlla (formalis, aut materialis) præuaricatio. Lex autem (diuina, aut humana ea ſit) non imponitur his, quibus non eſt ſufficienter intimata & propoſita. Nam vel hæc intimatio, ſeu propoſitio eſt de ratione eſſentiali legis obligatoriæ, vel ſaltem obligandi conditio *ſine qua non*, vt conſtat ex ſubtilibus Theologorum ſententiis, qui de hoc variè philoſophantur. Porrò lex, quæ inuincibiliter ignoratur, non eſt ſufficienter intimata, aut propoſita. Et lex, de qua apud doctos hinc inde probabiliter diſputatur, an ſit; inuincibiliter, & inſuperabiliter ignoratur.] Itaque ex eo quod habens opinionem probabilem de carentia legis, ignorat inuincibiliter legem, infert, illum non poſſe violare legem, etiam materialiter. Et quidem quæſtio eſt de nomine. 11

Opiniones laxæ materialiter ſunt minùs tutæ, quàm ſtrictiores.

Adhuc tamen aſſero, illum, qui legem inuincibiliter ignorat, peccare materialiter in legem. Probatur. Vt quis violet materialiter legem, non eſt neceſſe, quod illam ſciat, neque quod habeat illam ſibi intimatam: ergo qui habet opinionem probabilem de carentia legis, quamuis illam neſciat, & non habeat illam ſibi intimatam, poteſt illam materialiter violare. Conſequentia patet, & antecedens probatur. Vt quis violet materialiter legem, minùs requiritur, quàm vt violet formaliter: ſed vt violet formaliter legem, requiritur, & ſufficit, vt ſciens legem, illam violet: ergo vt violet materialiter, non requiritur totum id: ſufficit ergo ad violationem materialem, quod neſciens illam violet. Violat igitur legem materialiter, qui non conformatur illi, quæ lata eſt, & non intimata. 5.

Qui legem ignorat inuincibiliter, peccat materialiter in legem.

Nec dicas, eſſe de eſſentia legis intimationem, iuxta priorem ex ſubtilibus Theologorum, relatis in proxima periodo Caramuelis; atque non violari, etiam materialiter, legem, cùm deficiente intimatione adhuc non ſubſiſtat eſſentia legis. 6.

Quia negare non potes, cùm lata eſt lex, & non intimata, ſaltem dari legem materialem: & eum qui illi legi materiali non conformatur, ab illa materialiter deuiare. Porrò id ſufficere ad materialem violationem legis, inde conſtat, quia ſi ſcias legem, & te illi non conformes, illam violas formaliter, non materialiter: quare ad violationem materialem ſufficit, ſi illi legi materiali non te realiter conformes. 7.

Sed alio modo intelligi poteſt, opinionem ſtrictiorem ex ſe eſſe tutiorem, & laxiorem ex ſe eſſe minùs tutam. Etenim quod opinio laxior ſit tuta, eo quod eſt practicè probabilis, non prouenit, niſi ex alio dictamine reflexo, ſcilicet quod [licitum eſt amplecti quamlibet opinionem practicè probabilem.] Si ergo opiniones probabiles conſiderentur reſpectu intellectus eius, qui nondum ad id dictamen reflexum peruenit; opiniones laxiores minùs tutæ ſint, & ſtrictiores magis tutæ. Nam qui careret eo dictamine reflexo, & videret, eſſe duas opiniones circa praxim, non certas, ſed probabiles, eſſet practicè dubius, an poſſet eligere in praxi laxiorem; atque adeo non tutò procederet, ſi laxiori ſe accommodaret. 8.

In alio ſenſu laxiores ſunt minùs tutæ, quàm ſtrictiores.

Quod ſi dicas, in eo caſu, in quo quis eſt dubius, an poſſit eligere in praxi opinionem laxiorem, eſſe certum, quod non poteſt illam eligere, ſcilicet cum eo dubio practico; atque adeò non iam minùs tutam, ſed nullatenus tutam eſſe. 9.

Reſpondeo, ideò me aſſerere, opinionem laxiorem, quantum eſt ex ſe, eſſe minùs tutam: quia opinio 10.

opinio ſtricta, ſiue cum eo dictamine reflexo, ſiue ſine illo, ſemper eſt tuta: at verò opinio laxior indifferens eſt, vt ſit in circumſtantiis, in quibus non ſit tuta, nempe ſi non coniungatur in intellectu cum dictamine reflexo, de eligenda licitè quavis opinione practicè probabili, vt ſæpe contingere ſolet ob ignorantiam, vel inaduertentiam.

CAPVT II.

An opiniones laxiores ſint per accidens magis tutæ, quàm ſtrictiores?

11. DOcet Caramuel, omnes opiniones laxiores eſſe per accidens magis tutas, quàm opiniones ſtrictiores. Ita *in Apolog. de Probabilit. n.*88. & *in Regulam num.* 61. Probat primò *eo num.*88. [Conſulit me Franciſcus, an debeat centum aureos reſtituere, quos tali, vel tali ex contractu recepit. Pono, dari duas opiniones probabiles, quarum altera illum obſtringat, altera abſoluat. Pono, Franciſcum eſſe auarum, & illis nummis ad alios vſus indigere. In tali ille caſu ſi adhæreat ſententiæ alterutri, modò iuxta illam exactè operetur, tutus eſt, ſecurus eſt. At ſi duræ ſubſcribat, debebit paupertati, & auaritiæ potentiſſimis inimicis, quibus ſuccumbet fortè: ſi ſequatur benignam, non ſolùm ceſſabit hæc pugna, ſed etiam à ſuo proprio ingenio naturali fouebitur. Ergo ſi ſequatur benignam, à peccandi periculo eſt remotior: ergo & per accidens tutior.]

12. Probat ſecundò *num* 61. *in Regulam.* [Probo nunc, tutiorem viam ſequi illum, qui ſubſcribit ſententiæ benigniori, licèt minùs probabili. Probabilius eſt, non requiri in Officij Diuini lectione attentionem intrinſecam: nihilominus diſputationis causâ ſupponamus, probabiliùs requiri. Ecce in tali caſu ſententia aſſerens ſtrictior & ſeuerior eſt, vt patet; & eſſet probabilior, quia ſupponitur. Cæterùm ſi tenereris ſequi tutiorem, deberes ſubſcribere benignæ, & aſſerere, attentionem internam non eſſe neceſſariam. Ratio eſt, quia licèt reſpectu ſui vtraque opinio ſit æquè tuta intrinſecè, hoc eſt, ſit talis, vt æquè te liberet à culpa veniali, aut mortali, ſi iuxta illam exactè operetis; nihilo ſecius facilius eſt operari iuxta opinionem benigniorem; & vix poteris ſine peccatis venialibus ſatisfacere Officio Diuino, qui ſentis, attentionem intrinſecam requiri: ergo hæc ſententia per accidens eſt minùs tuta, quia eſt obnoxia pluribus leuibus culpis, à quibus ſunt immunes, qui ſequuntur contrariam. Qui ſentio, attentionem, & prolationem externas ſolùm exigi, ſcio me ſpatio tot annorum, totum ſemper Officium Diuinum legiſſe, adeoque & iurare poſſum, me ne quidem venialiter in hoc genere peccaſſe. Nonne hæc ſumma conſcientiæ quies, & animi Chriſtiani ſecuritas? Tu verò, qui contrarium ſentis, tuam, quæſo, conſcientiam examina, & ſincerè reſpondeas, an audeas vel vna ſola die ita legere Officium, vt iurare poſſis, te non peccauiſſe venialiter?] Hucvſque Caramuel.

13. Quam argumentationem ita concludit: [Certum eſt igitur, benigniores ſententias, modò probabiles, tutiores, & ſecuriores eſſe.] Primam autem ſuprà poſitam ſic concludit: [Conſultò illud *per accidens*, ſemper repono, quia hæc maior ſecuritas non naſcitur ex probabilitatis prædicatis intrinſecis; omnes enim opiniones probabiles quoad ſe æquè tutæ, & ſecuræ ſunt: ſed naſcitur ex circumſtantiis adiacentibus, & extrinſecis, quæ ſtrictæ ſententiæ exactam praxim periculoſiorem nobis reddunt.] Quæ duo notata eſſe volui ad pleniorem intelligentiam ſententiæ Caramuelis in hac quæſtione.

CAPVT III.

Oſtenditur falſitas relatæ doctrinæ.

EAm doctrinam vniuerſalem, quod opiniones laxiores ſunt per accidens tutiores, falſam eſſe, oſtendo primò. Opinio, quæ liberat hominem à præcepto annuæ confeſſionis, & communionis, poſtquam tranſactum eſt tempus ab Eccleſia deſtinatum, in quo finitur annus pro confeſſionis præcepto; ſcilicet à Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis, laxior eſt; nec tamen tutior, etiam per accidens: non eſt ergo vniuerſaliter verum, quod opiniones laxiores ſunt tutiores, etiam per accidens. Probatur minor. Opinio, quæ liberat hominem ab eiuſmodi præceptis tranſacto eo tempore, maiorem occaſionem dat hominibus, qui ſtato tempore non impleuerunt, vt tutò eo anno abſtineant à Sacramentis; vnde duobus circiter annis remanent Sacramentis deſtituti: ſed magis periculoſum eſt remanere ſine Sacramentis longo tempore, & in ſtatu peccati mortalis, conſequenterque minùs ſecurum: ergo ea opinio laxior non ſolùm non eſt tutior, verùm periculoſior, & minùs tuta. Maior ex ſe patet, & minor eſt manifeſta, tum ob ſui euidentiam, tum etiam ex ſententia Caramuelis, qui *in Theolog. fundam. n.*1835. ſic ait: [Omnium ſententiâ, eſt periculum maximum hærere in peccato mortali; nam abyſſus abyſſum inuocat, & qui longo tempore iacet, dureſcit: & diſcit priùs non ita ſentire ſua vulnera, & poſtmodùm paulatim contemnere: ita vt ad Atheiſmum nulla videatur via pronior, quàm longo tempore manere in peccato mortali.] Habet ergo maius periculum, atque adeò minorem ſecuritatem ea opinio laxior. 14.

Opinio de confeſſione obligationis confitendi poſt terminum, nō eſt tutior.

Oſtendo ſecundò in ipſo exemplo recitationis Officij Canonici, quod proponit Caramuel relatus *num.*12. Ipſe enim contendit, ex opinione laxiori circa attentionem, ſecuriorem reddi hominem, etiam à venialibus. Ego tamen ſic arguo. Qui recitat attendendo verbis diuinis, & eorum ſignificationi, multas accipit illuſtrationes & inſpirationes, per quas ſcilicet fortior redditur ad vitanda multa mortalia: ſed qui operatur ex opinione obligante ad attentionem, conatur ad attentionem, ideoque recitat attendendo, quantum patitur humana fragilitas: ergo qui ſic operatur ex opinione obligante ad attentionem, quamuis in aliqua venialia incidat, multas tamen accipit illuſtrationes, & inſpirationes, per quas fortior redditur ad vitanda multa mortalia. Sed ſecurior opinio eſt illa, quæ ducit hominem ad ſtatum, in quo reddatur fortior ad vitanda multa mortalia, quàm quæ liberat hominem à venialibus: ergo ſecurior eſt opinio ſtrictior circa attentionem debitam in Officio Canonico, quàm laxior. 15.

Opinio, quæ liberat ab attentione recitantem, non eſt tutior, etiam per accidens.

Omnes huius argumentationis propoſitiones æquè certæ ſunt, præter maiorem, quæ eſt multò 16.

Digitized by Google

certior. Et quidem prima pars, quòd attendens verbis diuinis, multas accipit illuſtrationes, & inſpirationes, certiſſimam eſt. Etenim verbum ore Dei prolatum, gladiùs eſt, ſpiritus viuus, & efficax, pertingens vſque ad diuiſionem animæ, & ſpiritus, vt docet Paulus *ad Hebr.* 4. In ipſo Chriſtus percutit Gentes. *Apocalypſ. cap.* 19. Et cùm Deus ſingulis ferè momentis offerat hominibus illuſtrationes ad fugienda peccata, & conſequendam ſalutem, eas maximè offert mediis verbis ſuis, quæ maximam vim habent illuſtrandi mentes.

17. Secunda verò pars maioris, quòd per illuſtrationes, & inſpirationes redditur homo fortior ad vitanda mortalia; ſolum dubitari poteſt ab eo, qui neſciat vires auxiliorum Dei, ad tentationes vincendas, & ſuperanda peccata.

18. Oſtendò tertio ex eodem exemplo. Illa opinio dicenda eſt ſecurior, iuxta quam operans redditur fortior contra peccata mortalia, quàm illa, iuxta quam operans liberatur à multis venialibus: ſic ſe habet opinio, quæ requirit attentionem, reſpectu eius, quæ non requirit: ergo quæ requirit, ſecurior eſt. Maior eſt certa, minor probatur. Qui accipit plus gratiæ ſanctificantis, fortior redditur contra omnia peccata mortalia, quàm qui accipit minùs (etſi ille in aliqua venialia incidat:) ſed qui operatur iuxta opinionem ſtrictam de attentione, & attentè recitat, plus gratiæ ſanctificantis accipit (etſi in aliqua venialia incidat,) quàm ille, qui ſine attentione recitat: ergo qui operatur iuxta opinionem ſtrictam de attentione, fortior redditur contra omnia peccata mortalia.

Qui operatur recipiẽdo maiorem gratiã, tutiùs procedit.

Quamuis incidat in venialia.

19. Maior eſt euidens: ſicut enim gratia ſanctificans ſeueram habet inimicitiam cum peccato mortali; ita maiori gratiæ ſanctificanti maior auxiliorum copia debetur contra peccatum mortale. Nec minùs certa eſt minor. Nam qui facit opus multò perfectius, multò maiorem comparat gratiam ſanctificantem, quamvis opus aliquibus imperfectionibus admiſceatur. Atqui quantò perfectior eſt oratio attenta, quàm lectio ferè non humana, qualis eſt non attenta?

20. Confirmatur primò. Quid eſt ſecurius, vacare orationi mentali, aut non vacare? Si ratio proximè tradita à Caramuele probat aliquid, vtique probat, ſecurius eſſe non vacare orationi mentali: quia non vacando illi, multa peccata venialia vitabis diſtractionum, quas curæ rerum humanarum ſolent afferre oranti. Ex ratione tamen ſolida, & certa, ſecurius eſt vacare orationi mentali, quamuis aliquas culpas veniales incurras: quia ex oratione mentali magnam accipies lucem, & illuſtrationem ſupernaturalem, ad vincenda peccata mortalia, ad firmitatem voluntatis obſequendi Deo; & maiorem item gratiam ſanctificantem, quæ te magis roboret contra peccata mortalia.

21. Dicet fortè aliquis, in oratione mentali voluntaria, & non præcepta, diſtractionem voluntariam non eſſe peccatum veniale. Si id dixerit, onus illi incumbit explicandi, quomodo non ſit irreuerentia. Sed licèt illud ita ſit, non euadit vim argumenti. Da hominem, cuius dictamen practicum ſit (prudens, vel erroneum) eas diſtractiones eſſe peccata venialia. Et in eo inſtauro argumentum, interrogando, quid erit ſecurius homini illud dictamen habenti, vacare orationi mentali, vel non vacare?

Confirmatur ſecundò. Petrus erga pauperes bene animatus eſt, multas illis eleemoſynas diſtribuit: ſed inter diſtribuendum occurrunt pauperes aliqui proterui, loquaces, ſuperbi, qui ideò ipſum ad leuiuſculas impatientias excitant. Et conſulit Confeſſarium, quid erit ſecurius ſuæ conſcientiæ, abſtinere ab eleemoſynis, vt eas culpas veniales vitet; an potiùs diſtribuere egenis annonam, non obſtante periculo labendi in venialia? neque enim habet œconomum fidelem, qui diſtribuat. Sanè iuxta eam doctrinam Caramuelis dicendum eſſet, ſecurius eſſe ſuæ conſcientiæ abſtinere ab eleemoſynis. Nam parcus homo, qui nullas eleemoſynas largitur, poteſt iurare, ſe per triginta annos nulla impatientiæ peccata admiſiſſe erga pauperes eleemoſynam recipientes: Petrus autem liberaliſſimus in pauperes iurare non poteſt, ſe nullius impatientiæ reum eſſe: ergo vt impatientiæ culpas veniales vitet, ab eleemoſynarum diſtributione abſtineat. Eſt autem euidens, hoc eſſe prauum conſilium, nedum ſecurius. Quia quamuis largiendo eleemoſynas non habeat ſecuritatem quoad lapſum venialium; ex largitione tamen, & liberalitate ſua, quamplurima à Deo obtinebit auxilia, quibus multa mortalia poſſit effugere; plus item gratiæ ſanctificantis, quæ contra peccata mortalia eum roboret. Ergo & qui ex opinione ſtricta de attentione orationis vocalis, licet minus ſecurus ſit à venialibus; at ex merito attentionis, & ex efficacia verbi diuini cum attentione prolati, multa auxilia adipiſcetur, multumque ſanctificantis gratiæ, quibus ſecurus reddi poſſit à multis mortalibus. 22.

Confirmatur tertiò, eodem modo in Concionatore Euangelico, qui aliquando leuibus inanis gloriolæ culpis inſpergitur, & morſu conſcientiæ tactus, dubitat, quid ſibi ſecurius erit, abſtineréne à munere concionandi Euangelica, vt vitet ea venialia; an verbum Dei ſeminare, cum periculo tamen labendi aliquando in ea venialia? Et euidentiſſimum eſt, ſecurius eſſe animæ ſuæ, publicæ vtilitati Fidelium inſeruire, cum eo periculo labendi aliquando in venialia: quia fructus meriti, qui ſibi remanet, dat ſibi vires, quibus à multis mortalibus liberari poſſit. Quæ eſt eadem omninò ratio, quæ militat in opinione ſtricta attentionis debitæ in Officio Canonico. 23.

Et ex his facilè ſoluitur argumentum Caramuelis relatum *num.* 12. Aſſero, itaque, facilius eſſe operari iuxta opinionem benigniorem, ſed non propterea ſecurius. Quia licèt vites venialia, non attendendo iuxta opinionem laxam; amittis per non attentionem multos gradus gratiæ, & multa auxilia, quibus vitare poſſes multa mortalia. 24.

Oſtendo quartò in exemplo auari relato *n.* 11. qui ex opinione benigna liberante à reſtitutione, dicitur à Caramuele reddi ſecurior, eo quod propter auaritiam habiturus eſt difficultatem magnam reſtituendi. Etenim cognita obligatione reſtituendi, quam opinio ſtrictior indicit, fortè vinceret ſeipſum, & difficultates ex auaritia ortas: & mediante hac victoria ſine dubio offerret illi Deus ſuperabundantem gratiam (vt ſolet in victoria difficilium tentationum) vt vinceret ſimiles difficultates, quæ homini auaro frequentiſſimè occurrunt; & ſi in ſtatu gratiæ eſſet, acciperet maius augmentum eius gratiæ, quo fortior redderetur contra mortalia: ergo contingens eſt, 25.

Digitized by Google

eſt, quod maiorem fortitudinem acciperet contra auaritiam ex opinione ſtrictiore: ergo contingens eſt, quod maiorem inde comparet ſecuritatem contra ſimilia peccata: ergo non eſt certum (vt contendit Caramuel) eam opinionem benigniorem ſecuriorem eſſe auaro. Sed ne inde inferas, conſulendam eſſe illi ſtrictiorem opinionem: neque enim eam conſequentiam ſufficienti fundamento probabis. Poterit enim Confeſſarius benigniorem conſulere, præbendo tamen antidotum contra auaritiæ toxica.

26. Et hinc conſtat ſolutio ad argumentum propoſitum à Caramuele, & relatum ſupra *num.* 11. Fateor enim, quod auarus ad normam ſtrictioris opinionis eductus, fortè ſuccumbet auaritiæ committendo peccatum contra iuſtitiam: ſed fortè etiam non ſuccumbet, & per ſui victoriam fortior euadet contra auaritiam, atque adeò ſecurior.

27. Oſtendo quintò. Opinio, quæ ſutores liberat à lege ieiunij, laxior eſt: nec tamen ideò tutior: falſum eſt ergo, laxiores opiniones ideò eſſe tutiores per accidens. Probatur minor, quia licèt ex hac opinione laxiori ſecurus reddatur ſutor à non violanda lege. nec ita ſecurus à non violatione eius, ſi ſequatur ſtrictiorem; tamen per obſeruationem ſtrictioris opinionis; ſcilicet per exercitium ieiunij, ſecurior redditur contra multa peccata mortalia; cùm ieiunium vitia comprimat, mentem eleuet ad æterna, virtutes largiatur, quæ fortitudinem præſtant contra peccata; & augmentum gratiæ afferat, quæ hominem reddit fortiorem.

28. Dices, ſecurius eſſe vitare vnum peccatum mortale: quàm ſperare auxilia ſuperabundantia, quæ fortaſſè ex aliquo accidenti non erunt.

29. Sed hoc probat, ſecurius eſſe, nullas habere leges; quia ſic nullum erit periculum labendi in peccatum mortale: quod genus ſecuritatis, etſi certum ſit, tollit tamen alia maiora bona, quæ ex multis legibus promouentibus ad virtutem, procedunt; & ideò non poteſt dici maior ſecuritas. Et in caſu huius argumenti id vrgeret aliquantò, ſi certum eſſet, hominem cognoſcentem obligationem ieiunandi, lapſurum eſſe in peccatum mortale. At cùm id non ſit certum, non eſt, vnde id ſit magis ſecurum. Appende in ſtateræ lance altera contingentiam labendi in mortale, quam affert obligatio ieiunandi, paruam quidem (vt in plurimum) attentis auxiliis, quæ Deus ieiunantibus confert; & in lance altera maximas ieiunij vtilitates, quæ hominem roborant ad vitanda peccata. Item quod ſi homo ſemel vincit ſe ieiunando, vires accipit ad alias obligationes ieiunij temporis futuri: item quod ſi ex laxa opinione non ieiunandi excuſat ſe à ieiunio, quando noua lex ieiunij aduenit (v. g. ſi multo tempore Quadrageſimæ ſutor quieſcat à labore ſuæ artis) maiorem ſentiet difficultatem ieiunandi, & maiori contingentiæ obnoxius manet violandi præceptum. Et ita inuenies non eſſe maiorem ſecuritatem, quæ prouenit à libertate, & exemptione à ieiunio, quam affert opinio laxior, quàm eam, quæ prouenit ab obligatione ieiunandi.

30. *Aliquæ laxæ periculoſiores ratione materiæ.* vbi notandum eſt, eſſe aliquas opiniones laxiores, quæ ratione materiæ circa quam verſantur, ſint periculoſiores, atque adeo minùs tutæ; ſtrictiores autem, illis oppoſitas, tutiores eſſe, ſimiliter ratione materiæ. Etenim ſunt aliquæ opiniones, quarum materia ex ſeipſa affert periculum labendi, etſi non proximum, ſaltem remotum, quales ſunt multæ opiniones in materia luxuriæ, aut in materia alterius vehementis paſſionis. In quibus aliquod latère periculum; ipſa experientia docet. Sicut enim qui vult per cliuum montis deſcendere curſu veloci vſque ad lineam in medietate montis exaratam, difficilè ad illam pertinget, quin vlterius progrediatur: ita appetitus, qui in huiuſmodi materiis non lento greſſu, ſed præcipiti currit, id eſt, cum auiditate pergit, difficilè habenas cohibet, vt non prætergrediatur lineam, quæ venialem culpam diuidit à mortali.

CAPVT IV.

Si opiniones laxæ tutiores ſunt, id non habent per accidens, ſed per ſe.

31. CAramuel relatus *cap.* 2. *num.* 11. aſſeruit, hoc genus maioris ſecuritatis non prouenire ab opinionibus laxis per ſe, ſed per accidens, ratione circumſtantiarum, quæ occurrunt. Quam aſſertionem apertè impugno primò. Infertur enim, vel quod non eſt generaliter verum opiniones benigniores eſſe ea ratione tutiores, adeóque quod peccat contra Logicam: vel dicendum eſſe eas eſſe ſecuriores, non per accidens, ſed per ſe.

32. Arguo ſic. Quod opiniones laxiores ſint ea ratione tutiores, vel prouenit ex particularibus circumſtantiis, v.g. ex eo quod vir conſulens caſum reſtitutionis relatum, ſit auarus, & difficilè ſoluturus; vel prouenit ex generali aliqua ratione, aut circumſtantia, quæ reperitur in omni opinione laxiori: quidquid dicat Caramuel, eſt contra ipſum, infertque alterum è duobus ſuprà propoſitis: ergo vel peccat contra Logicam, vel ſunt tutiores per ſe, & non per accidens.

33. Probatur minor. Nam ſi primum dicat, ſcilicet eam maiorem ſecuritatem prouenire ex particularibus circumſtantiis, vt aſſerit in textu relato ſuprà *num.* 11. Contra eſt. Particulares circumſtantiæ auaritiæ in ſoluturo, & aliæ ſimiles in aliis caſibus non ſunt generales in omnibus opinionibus laxioribus; occurret enim plerumque vir facilè ſoluturus, neque talis, vt cupiditati ſit difficilè reſtiturus: ergo radix eius maioris ſecuritatis conſtituit propoſitionem particularem, ſcilicet, *In aliquibus caſibus dantur circumſtantiæ, quæ probent, eam maiorem ſecuritatem opinionis laxæ:* ergo iam peccatur contra Logicam. Probatur hæc conſequentia. Ille peccat contra Logicam, qui ex affirmatione propoſitionis particularis arguit ad vniuerſalèm: ſed in eo diſcurſu ab affirmatione propoſitionis particularis arguitur ad vniuerſalem, cùm ex maiori ſecuritate, quæ datur in caſu particulari, arguatur ad omnes opiniones laxiores: ergo hic diſcurſus peccat in Logicam.

34. Si verò dicat primum, ſcilicet quod ea maior ſecuritas opinionis laxæ proueniat ex generali aliqua ratione reperta in omnibus opinionibus laxioribus, vt dixit *in Theolog. fundam. num.* 441. illis verbis; *Sunt ſemper vtiliores, & ſecuriores,* ſubiungo:

Digitized by Google

ſubiungo: Ea ratio generalis reperta in omnibus opinionibus laxioribus, eſt quod ea opinio, quæ fauet libertati, facilior eſt ad exequutionem; quæ verò onerat libertatem, difficilior; atque adeò hæc periculoſior, & illa tutior: per illam liberatur homo à peccato, qui enim non habet legem, non peccat contra illam; per ſtrictam verò non liberatur à peccato, cùm legem indicat. Sed hæc ratio fauentis libertati, facilioris ad exequutionem, liberantis à lege, & conſequenter à peccato, prouenit à prædicatis intrinſecis opinionis benignæ; & ratio onerantis libertatem, difficilioris ad exequutionem, indicentis legem, contra quam peccatur, procedit à prædicatis intrinſecis opinionis ſtrictæ: ergo quod opinio benigna ſit tutior, prouenit à prædicatis intrinſecis; atque adeò non eſt tutior per accidens, ſed per ſe.

35. Probatur minor. Opinionis laxioris vt talis prædicatum intrinſecum eſt, eſſe fauentem libertati, & tollentem onus legis; in eo enim conſiſtit eſſe laxiorem: ſed maior ſecuritas opinionis laxioris prouenit ex eo, quod faueat libertati, & tollat onus legis: ergo maior ſecuritas opinionis laxioris prouenit ab eius prædicatis intrinſecis. Similiter opinionis ſtrictæ prædicatum intrinſecum eſt præiudicare libertati, & indicere onus legis: ſed minor ſecuritas, & maius periculum opinionis ſtrictæ prouenit ex eo, quod præiudicet libertati, & indicat onus legis: ergo id prouenit à prædicatis intrinſecis opinionis ſtrictæ.

DISPVTATIO XIV.

An opinio ſpeculatiuè probabilis in materia morum, ſit etiam practicè probabilis?

CAPVT I.

Proponuntur Caramuelis aſſertiones inuicem repugnantes.

1. OPinio ſpeculatiuè probabilis in materia morum illa dicitur, quæ eo modo, & cum iis circumſtantiis, cum quibus ab intellectu apprehenditur, habet fundamentum graue. Opinio verò practicè probabilis eſt illa, quæ aſſociata circumſtantiis, à quibus practicè, & realiter eſt inſeparabilis, habet graue fundamentum ad ſuam licitam practicabilitatem promouendam.

2. Igitur Caramuel *in Apolog. de probabilit. num.* 140. ita aſſerit. [Eamdem propoſitionem eſſe ſpeculatiuè probabiliorem, & in praxi minùs probabilem, nemo intelliget. Nam probabilitas, quæ in praxi (ſiue intrinſeca, ſiue extrinſeca ſit) eſt illa ipſamet numero probabilitas, quæ eſt in ſpeculatione. Nec habeo intellectum tam fortem, vt oppoſitum intelligere valeam. Nec valet dicere, ſolere intercurrere in praxi nouas circumſtantias; quia ſi hæ non fuerunt conſideratæ, & iudicatæ ſpeculatiuè, alius caſus in ſpeculatione proponitur, & alius exercetur in praxi.] Quod hauſit ex Ioanne Sancio *in ſelectis diſp.* 44. *num.* 63. & *diſp.* 54. *num.* 11. quod etiam nonnulli alij ſequuntur.

Sed fortiorem intellectum videtur habuiſſe Caramuel, dum *in Theolog. fundam. num.* 1473. *fund.* 53. oppoſitum intellexit, & docuit. Nam cum ibi propoſuiſſet hanc propoſitionem Dianæ *ex part.* 2. *tract.* 13. *reſol.* 5. *Omnis opinio probabilis ſpeculatiuè, probabilis eſt practicè*, ſubdit: [Reſpondeo, Caramuelem maiorem non tam negare, quàm diſtinguere. Nam ſi poſſit reduci ad praxim, prout ponitur in ſpeculatione, quidquid licebit ſpeculatiuè, licebit practicè; alias non. Multi enim dicunt, in luxuria dari paruitatem materiæ ſpeculatiuè, & non practicè; quia poſſumus leuem quamcumque actionem ſpeculari, præſcindendo à periculo, cùm tamen à parte rei illud ſeparari non poſſit.] Ecce quomodo potuit intelligere, opinionem eſſe ſpeculatiuè probabilem, & non practicè; qui in priori periodo negat, ſe id poſſe intelligere. Iſtud autem proximè relatum reperit *num.* 316. *fundam.* 5. 3.

Dices, in operibus Caramuelis, quæ videntur propoſitiones oppoſitæ, tales non eſſe; quia omnes ſunt modales de modo *Probabile*: ſub hoc autem modo duæ contradictoriæ defendi poſſunt. Conſtat enim, opiniones contradictoriè oppoſitas eſſe probabiles. Qua etiam ratione ſuſtineri poterunt iſtæ: *Probabile eſt, opinionem ſpeculatiuè probabilem, debere eſſe practicè probabilem: Probabile eſt, opinionem ſpeculatiuè probabilem, non debere eſſe practicè probabilem.* 4.

Sed duæ relatæ periodi hac ratione non poſſunt componi. Primò, quia is diſcurrendi modus eſt debellatus *diſp.* 2. Secundò, quia prima propoſitio apud Caramuelem non eſt modalis de modo *Probabile*, ſed de modo *Certum.* Nam qui ita aſſerit concluſionem, vt dicat, ſe non poſſe intelligere oppoſitam, illam concluſionem proponit vt ſibi certam, vt circa mentem Dianæ notauit ipſe Caramuel *in Theolog. fundam. n.* 636. §. *His tamen, fund.* 17. ait enim: [Ita Diana vbi ſuprà §. *Sed vt verum.* Qui tam certam iudicat noſtram ſententiam, vt oppoſitam dicat ſe nunquam potuiſſe intelligere. 5.

Tertiò. Nam dum dicit, [Nec habeo intellectum tam fortem, *vt oppoſitum intelligere valeam*;] propoſitio eſt abſoluta, & non modalis de modo *Probabile*; quia ſenſus eius non eſt hic; *Probabile eſt, quod oppoſitum intelligere non valeo.* Cùm ergo per propoſitionem abſolutam dicat, ſe id intelligere non poſſe, & in ſecunda periodo practicè dicat, ſe poſſe intelligere, quomodo hæc duo componi poterunt, & quod poſſit, & quod non poſſit intelligere? Et nota, quod in intelligentia huius opinionis ingentem paſſus eſt æquiuocationem Vincentius Baron, de quo vide *diſp.* 16. *cap.* 4. *art.* 2. *num*... 6.

CAPVT II.

Vera ſententia proponitur, & probatur.

MVltùm proderit ad Logicam moralem reſolutio huius difficultatis. Ex ea enim pendet, an valeat hæc conſequentia: *Hæc ſententia eſt ſpeculatiuè probabilis; ergo eſt practicè probabilis.* 7.

Sit prima concluſio, quam omninò certam reputo. 8.

Digitized by Google

Poteſt eſſe ſpeculatiuè probabilis, quin ſit practicè probabilis.

reputo. Poteſt dari opinio ſpeculatiuè probabilis, quæ non ſit practicè probabilis. Pro hac concluſione ſtant communiter Doctores, affirmantes in variis materiis, aliquas opiniones eſſe ſpeculatiuè probabiles, non tamen practicè. Et qui videntur diſſentire, aliquid longè diuerſum à contradictorio huius concluſionis videntur intendere, vt exponam *cap.* 5.

9. Probatur primò. Poteſt dari actio aliàs licita, quæ in praxi exerceri non poſſit abſque circumſtantia ſcandali, & in ſpeculatione poteſt conſiderari abſque circumſtantia ſcandali: ergo ſpeculatiuè probabilis eſt, & licita; & in praxi illicita, & improbabilis. Similiter poteſt dari actio aliàs probabiliter licita, quæ in praxi inſeparabilis ſit à periculo graui labendi in mortale; in ſpeculatione autem poteſt conſiderari præſciſa ea circumſtantia periculi: ergo in ſpeculatione illa erit probabiliter licita.

10. Reſpondet primò Caramuel in prima periodo, ſi in praxi addatur noua circumſtantia, quæ non conſiderata fuit in ſpeculatione, iam caſum eſſe diuerſum: tunc enim diuerſus eſt caſus, quando vel vnicam circumſtantiam mutat.

11. Impugno reſponſionem, inferendo ex illa meam concluſionem. Ergo poteſt dari opinio ſpeculatiuè probabilis, quæ non eſt practicè probabilis. Probo conſequentiam. Vt opinio ſpeculatiuè probabilis ſit etiam practicè probabilis, debet opinio ſpeculatiuè probabilis eſſe eadem cum opinione practicè probabili: ſed datur opinio ſpeculatiuè probabilis, quæ non poſſit eſſe eadem cum opinione practicè probabili: ergo datur opinio ſpeculatiuè probabilis, quæ non ſit practicè probabilis.

12. Conſequentia patet, quæ fundatur in connexione vnius cum alio; & habet formam ſimilem huic: [Entitas A, non poteſt exiſtere ſine requiſito B: ſed non exiſtit requiſitum B: ergo non exiſtit entitas A.] Minor verò eſt Caramuelis, qui affirmat, addita in praxi circumſtantia, quæ non erat in ſpeculatione, non eſſe eandem ſpeculationem cum praxi.

13. Maior verò & ſupponitur à Caramuele, dum petit, quod ſit idem caſus in praxi, ac in ſpeculatione, ſine variatione circumſtantiarum; & ex ipſis terminis patet. Non enim poteſt animal prædicari de homine, niſi animal identificetur cum homine, & ſit idem realiter cum illo. Similiter ergo opinio ſpeculatiuè probabilis nequit eſſe practicè probabilis, niſi illa ſit eadem cum hac: prædicatio enim affirmatiua fundatur in identitate ſaltem eius, quod importatur in recto à tali prædicato.

14. Ex quibus concluditur, ſi opinio ſpeculatiuè probabilis, vt ſit practicè probabilis, requirit, quod ſit eadem cum practicè probabili; & variata circumſtantia, non eſt eadem cum illa; ſit manifeſtum, poſſe fieri, quod detur opinio ſpeculatiuè probabilis, quæ non arguatur eſſe practicè probabilis: idque ob variationem circumſtantiæ, quæ importatur in praxi, & non in ſpeculatione.

15. Reſpondet ſecundò in eadem prima periodo, non poſſe eandem propoſitionem eſſe probabilem in ſpeculatione, & improbabilem in praxi: *Nam probabilitas, quæ in praxi, eſt illa ipſamet numero probabilitas quæ in ſpeculatione.*

16. Hanc tamen reſponſionem clariùs impugno: nam in ea clariſſimè continetur egregia æquiuocatio. Aliud enim eſt, quod probabilitas, quæ reperitur in omni opinione practicè probabili, reperiatur etiam in ſpeculatione ſibi correſpondente; & aliud longè diuerſum eſt, quod probabilitas, quæ reperitur in qualibet ſpeculatione (etiam de obiecto ſecundum ſe practicabili) reperiatur etiam in praxi. Primum verum eſt, quia quidquid eſt probabiliter practicabile, reductum ad ſpeculationem, eandem ſibi retinet probabilitatem: cùm ſpeculatio correſpondens probabilitati practicæ conſideret eadem fundamenta grauia cum eiſdem circumſtantiis, quæ deſeruiunt ad ſuadendam probabilitatem praxis. Secundum autem eſt falſum, quia poteſt dari ſpeculatio, quæ præſcindat circumſtantiam, à qua praxis redditur improbabilis.

17. Itaque omni probabilitati practicæ debet correſpondere ſpeculatio, quæ ſpeculetur omnes circumſtantias eius praxis. Sed non omni probabilitati ſpeculatiuæ debet correſpondere ſimilis probabilitas practica, quia poteſt dari ſpeculatio, quæ præſcindat circumſtantiã repertam in praxi.

18. Speculationem conſiderantem omnes circumſtantias praxis vocemus ſpeculationem A; & ſpeculationem præſcindentem aliquas circumſtantias praxis vocemus ſpeculationem B. Cùm ergo dicis: *Probabilitas, quæ in praxi, eſt illa ipſamet numero probabilitas, quæ in ſpeculatione*; diſtinguo: eſt ipſamet numero probabilitas, quæ [in ſpeculatione A, concedo; eſt ipſamet numero probabilitas, quæ reperitur [in ſpeculatione B,] nego. Vel, quod idem eſt, ſic: eſt ipſamet probabilitas, quæ in ſpeculatione [conſiderante omnes circumſtantias praxis,] concedo; eſt ipſamet probabilitas, quæ in ſpeculatione [præſcindente circumſtantias praxis,[nego.

19. Hinc colliges, eadem conſequentiæ prauitate laboraſſe Ioannem Sanctium *diſp.* 44. *num.* 63. qui primus hanc aſſertionem inuexit, dum ait: [Imperceptibile eſt, aliquam opinionem eſſe ſpeculatiuè probabilem, & in praxi tutò amplexari non poſſe; cùm probabilitas practica ab ſpeculatiua probabilitate oriatur; ab eaque ſolùm differat tanquam effectus à ſua cauſa.] Etenim probabilitas practica non oritur à quacumque probabilitate ſpeculatiua, ſed ab illa, quæ conſiderat omnes circumſtantias praxis. Quare non eſt imperceptibile, aliquam opinionem (nempe eam, quæ præſcindit aliquam circumſtantiam praxis) eſſe ſpeculatiuè probabilem, & in praxi tutò amplexari non poſſe; eo quod praxis habeat circumſtantiam ſcandali, v. g. quam ſpeculatio non attendit.

20. *Optima conſequentia.* Quare hæc eſt bona conſequentia: *Ipſamet probabilitas, quæ eſt in praxi, reperitur in ſpeculatione: ergo omnis opinio practicè probabilis, eſt etiam ſpeculatiuè probabilis.* *Praua conſequentia.* E conuerſo nulla eſt hæc conſequentia: *Ipſamet probabilitas, quæ eſt in praxi, reperitur in ſpeculatione eiuſdem obiecti: ergo omnis opinio ſpeculatiuè probabilis, eſt etiam practicè probabilis.* Quia quamuis omnis probabilitas, quæ reperitur in praxi, reperiatur etiam in ſpeculatione; non verò omnis probabilitas, quæ reperitur in ſpeculatione reperitur in praxi; cùm dari ſoleat ſpeculatio, cui praxis ſuperaddat circumſtantiam ab illa ſpeculatione non conſideratam.

21. Confirmatur. Vt opinio ſpeculatiuè probabilis ſit practicè probabilis, neceſſe eſt, quod illius ſpeculatio non præſcindat, ſed potiùs expreſsè conſideret omnes circumſtantias praxis: ſed

datur

Digitized by Google

datur ſpeculatio obiecti practici: quæ non conſiderat omnes circumſtantias praxis, ſed potius præſcindit aliquam illarum: ergo datur ſpeculatio obiecti practici, quæ non eſt practicè probabilis: ergo non omnis ſpeculatio obiecti practici, ſiue opinio ſpeculatiuè probabilis, eſt practicè probabilis: ergo ex eo quod opinio ſit ſpeculatiuè probabilis, malè arguitur, quod ſit practicè probabilis; ſicut ex eo quod ſit animal, malè arguitur quòd ſit homo; eo quod non omne animal eſt homo.

22. Hinc inferes diſcrimen inter has duas propoſitiones: Primam. *Opinio ſpeculatiuè probabilis eſſe poteſt, quæ non ſit practicè probabilis.* Secundam. *Opinio practicè probabilis eſſe poteſt, quæ non ſit ſpeculatiuè probabilis.* Nam prima eſt vera, & ſecunda falſa. Prima eſt vera, quia ſpeculationi poteſt ſuperaddi circumſtantia neceſſariò inſeparabilis à praxi, quæ reddat praxim illicitam. Secunda eſt falſa, quia eo ipſo quod ſit practicè probabilis, per ſolam ſpeculationem non poteſt reddi improbabilis. Et vt improbabilis redderetur, opus erat, quod opinio practicè probabilis in ſpeculatione, eſſet inſeparabilis à noua circumſtantia vitiante praxim cognitam. Atqui inintelligibile eſt, quod praxis præſcindat circumſtantiam, quæ à ſpeculatione ſit impræſcindibilis.

23. Simile argumentum fiet, ſi ſpeculatio non attendat ad aliquod præceptum reflexum prohibens vſum opinionis probabilis In quo caſu opinio erit ſpeculatiuè probabilis, quia non attenditur id præceptum reflexum; & non erit practicè probabilis, quia tale præceptum obſtat. Ita ſi in aliquo regno ſit lex conſcientiam obſtringens, vt Iudex iudicet ſecundum opinionem probabiliorem; dum ſpeculatio non attendit ad id præceptum, ſpeculatiuè probabile eſt, quod Iudex non tenetur ſequi opinionem probabiliorem, iuxta ſententiam multorum id abſolutè docentem de Iudice. Practicè autem non eſt probabile, quod talis Iudex eius regni poteſt aliter iudicare, quàm ſecundum ſententiam probabiliorem.

24. Sic etiam probabile eſt, quod liceat extra caſum neceſſitatis baptizare in lixiuio, vel iure cocto, dum non attenditur ad præceptum charitatis prohibens exponere ſalutem proximi periculo illam amittendi, atque adeò prohibentis vſum eius opinionis probabilis: quæ tamen opinio, attento eo præcepto, abſolutè eſt improbabilis practicè.

CAPVT III.

Secunda probatio eiuſdem concluſionis. Vbi, an liceat procurare abortum fœtus inanimati propter vitandum periculum vitæ extrinſecum

25. *Improbabile eſt quod liceat procurare abortum fœtus inanimis.* PRobatur ſecundò concluſio Speculatiuè probabile videtur ſaltem ab extrinſeco, quòd liceat procurare abortum fœtus inanimati propter vitandum periculum vitæ, matri imminens ab extrinſeco ex aliquorum ſententia; & id non eſt probabile practicè: ergo poteſt aliqua opinio eſſe ſpeculatiuè probabilis, & non practicè.

26. Maiorem ita aſſerui, quia illam concluſionem defendunt Torreblanca, Leo Zambellus, Bordonus, Franciſcus Galleri, Zanardus, & vt probabilem Lezana, & Trullench, quos refert Leand. à Murcia, & illam ſequitur vt probabilem *lib. 2. diſquiſitionum, diſp. 5. reſolutione* 31. Item, quia tenuis probabilitas ſufficit in grauiſſimo periculo, vt tenent P. Thom. Sanchez *lib. 2. de matrim. diſp. 36. num. 8. & lib. 1. Summæ, cap. 9. num. 25.* Nauarrus *cap. Inter verba, in 2. edit. corollar. 53. n. 135.* fine, & Sotus *de ſecreto membr. 3 quæſt. 2. concluſ. 3.* Torrebláca. Zambel. Bordon. Galler. Zanard. Lezana. Trullench. Marcia. *In grauiſſima neceſſitate ſufficit tenuis probabilitas.*

27. Minor verò, quod ea opinio non ſit practicè probabilis, eſt manifeſta. Nam omnes, etiam ipſi, quos pro eius opinionis extrinſeca probabilitate citaui, expreſsè conueniunt in eo, quod vbi eſt dubium de animatione fœtus, certiſſimè eſt illicitum procurare abortum; quia in nullo caſu honeſtari poteſt hoc, quod eſt exponere ſe periculo directè occidendi fœtum animatum: atqui ſemper eſt hoc dubium: ergo ſemper eſt practicè improbabile, quod id liceat. *In dubio de animatione fœtus, abortus eſt certiſſimè illicitus.* *Semper eſt dubium de animatione fœtus.*

28. Hæc proxima minor oſtenditur. Etenim omninò incertus eſt dies, incerta hora animationis. Lege tractatum apologeticum Franciſci Verde, vbi refert quamplurimas Philoſophorum ſententias circa tempus animationis, ex quarum relatione conſtat apertè, id eſſe protſus incertum, & iure merito dubitabile. Alij enim aſſignant diem tertium fœtus, alij trigeſimum, alij trigeſimumquintum, alij quadrageſimum, alij quadrageſimumſecundum, alij quadrageſimumquintum, alij ſexageſimum, alij ſeptuageſimum, alij octogeſimum. Thomas Fienus inſignis Medicus ex propriis experimentis probat, prima quandoque, quandoque etiam ſecunda, & tertia ad ſummum die infundi animam rationalem. *Incerta eſt dies animationis.* Th. Fienus.

29. Et ideò Maximilianus Deza (cuius tractatus ſimul cum apologia Franciſci Verde editus eſt) propter hoc dubium de tempore animationis fœtus, doctiſſimè, & ſolidiſſimè probat, fœtum quemlibet abortiuum, licèt imperfectiſſimè figuratum, ſub conditione baptizandum eſſe, vbi citat Haruæum anatomicæ artis peritiſſimum, qui ex pluribus experimentis propriis affirmat, fœtum à tertia die manifeſtare motum, & ſenſum. Imò & à paucis diebus obſeruari motum, & ſenſum in fœtu, affirmant apud ipſum Hyppocrates, & octo alij Authores. Et cùm probabile ſit, non aliam quàm animam rationalem introduci in materiam fœtus, fit probabile, quod prima, vel ſecunda, vel tertia die introducatur, aut ſaltem quod id ſit dubium. Deza. Haruæus. Hyppocrates.

30. Quare prædictus Maximilianus *num.* 173. ait. [Si Dei Vicarius (Paulus V.) baptizari præcipit fœtum, ſi viuat, ſi vitalem indicet motum; ſolere autem viuere & moueri præcipuis membris circa diem tertiam, non tam ſuadetur, quàm oſtenditur; eritne trigeſima dies expectanda nobis, vt de baptiſmo deliberemus?] Et idem traditum fuiſſe, ait Maximilianus, ab Hieronymo Florentino in libello de hac quæſtione.

31. Et ideò rem eſſe dubiam, & cum magno fundamento dubitabilem, an anima rationalis introducatur à tertia die, aiunt Franciſcus Verde, Maximilianus Deza, Hieronymus Florentinus citati, & Ioannes Caramuel in cenſura apologiæ Franciſci Verde *num.* 193. *& in Theolog. Fundam. num.* 1622. *fund.* 55. Verde. Deza. Florentin. Caram.

32. Hinc conſtat probatio minoris prioris ſyllogiſmi. Non eſt practicè probabile, quod liceat procurare abortum in dubio de animatione fœtus

Digitized by Google

tus : ſed , vt conſtat ex dictis, ſaltem à tertia die eſt dubium de animatione fœtus ; & quæ ſit tertia dies, etiam eſt dubium : ergo non eſt practicè probabile, quòd vnquam liceat procurare abortum.

33. Itaque oppoſita opinio ſolùm erit (ad ſummum) ſpeculatiuè probabilis pro caſu metaphyſico de certitudine fœtus inanimati, qui caſus nunquam exiſtere poteſt. Et hinc colliges, eſſe ſimiles alias opiniones ſpeculatiuè duntaxat probabiles, quæ ponunt caſum metaphyſicum, qui in praxi, & à parte rei nunquam reperiri poteſt. Et vide an in his valeat conſequentia, quæ à multis, poſt Ioannem Sancium, producitur: *Hæc opinio eſt ſpeculatiuè probabilis : ergo & practicè*

34. Nec ſatisfacies ſi dicas primò, caſum oppoſitæ opinionis eſſe diuerſum à caſu, in quo nos loquimur. Cùm Authores citati pro ſententia de procurando abortu fœtus inanimati, loquantur de caſu, in quo certum eſt, fœtum eſſe inanimatum, nos verò loquimur ratione dubij ſemper exiſtentis de animatione fœtus.

35. Nam inquiro, an ipſamet opinio de abortu fœtus inanimati procurando, ſit practicè probabilis, an practicè improbabilis? Si primum dicas, tum militas contra certitudinem de dubio temporis, in quo animatur fœtus, quam hoc capite propoſuimus. Tum etiam non erit ad rem reſponſio data, quæ eò reſpiciebat, vt declararet, quomodo opinio ſpeculatiuè probabilis diſtinguatur ab opinione practicè probabili, ex diuerſitate caſus. Et ſi illa eadem eſt practicè probabilis, fiet, quod non diſtinguantur opinio ſpeculatiuè probabilis, & opinio practicè probabilis de eo abortu procurando.

36. Quod ſi dicas ſecundum, illam eandem opinionem eſſe practicè improbabilem, infero; ergo de eadem opinione verificatur, & quod ſit ſpeculatiuè probabilis, & practicè improbabilis. Ergo ex eo, quod opinio ſit ſpeculatiuè probabilis, malè arguitur, quod ſit etiam practicè probabilis.

37. Nec ſatisfacies, ſi dicas ſecundò, illam opinionem eorum Doctorum non eſſe probabilem etiam ſpeculatiuè, quia non eſt ſpeculatiuè probabile, quod in dubio animationis fœtus poſſit abortus procurari, quod & ipſi illius Authores concedunt, vt iam notauimus; illud autem dubium ſemper exiſtit.

38. Contra enim eſt, quia non eſt facile negare probabilitatem extrinſecam opinioni, quam tuentur octo Authores. Præcipuè cùm poſſint benignam interpretationem ſubire. Dum enim dicunt, poſſe procurari abortum fœtus certò inanimati, præſcindunt, ſiue abſtrahunt ab altera quæſtione practica, an poſſit aliquando dari certitudo de inanimatione fœtus; à qua abſtrahere non poteſt aſſertio practica, quæ omnes circumſtantias à parte rei exiſtentes neceſſariò conſiderat.

CAPVT IV.

Secunda concluſio, & corollaria vtriuſque.

39. *Speculatiuè probabilis, quæ conſiderat omnes circumſtantias, eſt practicè probabilis.*

SIt ſecunda concluſio. Non poteſt dari opinio ſpeculatiuè probabilis, quæ non ſit etiam

practicè probabilis, ſi opinio ſpeculatiuè probabilis conſideret omnes circumſtantias praxis, tam ex parte obiecti, quàm ex parte præcepti, quam etiam ex parte intellectus, nempe dubitationis, aut carentiæ illius circa ſubſtantiam, aut circumſtantias obiecti.

40. Itaque ſi quæſtio eſt, an obiectum in praxi habeat circumſtantiam ſcandali, ſi opinio ſpeculatiuè probabilis dictet, non eſſe ſcandalum; ex hac parte erit neceſſariò practicè probabile, quod non datur ſcandalum. Deinde ſi quæſtio ſit, an liceat vſus opinionis probabilis in tali materia; & opinio ſpeculatiuè probabilis aſſerat, non eſſe præceptum reflexum, inhibens vſum talis opinionis, illa opinio ſpeculatiuè probabilis etiam erit practicè probabilis. Præterea ſi quæſtio ſit, an liceat procurare abortum fœtus certò inanimati; & ſententia ſpeculatiua inueniat caſum, in quo ſit certum, fœtum eſſe inanimatum, putà ex reuelatione Dei; opinio ſpeculatiuè probabilis erit practicè probabilis. Et hoc, quod in iſta concluſione continetur, eſt quod intendunt Authores oppoſitæ partis, quamuis non ſatis explicent.

41. Probatur concluſio. Nam hæc cognitio, quæ conſiderat omnes circumſtantias obiecti practici, quamuis illam dicas ſpeculatiuam, nihil differt à cognitione practica, quæ te dirigit ad hoc opus licitè efficiendum.

42. Hinc colliges, prauam eſſe conſequentiam aliquorum; nempe, *Hæc opinio eſt ſpeculatiuè probabilis : ergo & practicè*. Et vt illa conſequentia valeat, debent probare, quod prædicta opinio ſpeculatiuè probabilis conſiderat omnes circumſtantias praxis, & quod ea procedit omnibus illis conſideratis. Nam dum vnam omittit, poteſt cum expreſſione eſſe probabilis : & dum nullam omittit, non habet in quo differat à cognitione practica ipſius obiecti, vt hîc & nunc ponendi.

DISPVTATIO XV.

An teneamur ſequi opinionem probabiliorem, aut tutiorem?

CAPVT I.

Lis magna Vincentij Baron, & Fagnani cum Caramuele in præſenti quæſtione.

1. OPINIONES probabiles inter ſe collatas, non eſt dubium, alias eſſe probabiliores, alias minùs probabiles, & alias æquè probabiles. Nam quæ grauiori fundamento nituntur, probabiliores ſunt; quæ minùs graui, minùs probabiles; æquè verò probabiles, quæ æquè graui fundamento ſtabiliuntur. Quæ autem dicantur tutiores, ſaltẽ materialiter, & quæ eodẽ modo minùs tutæ, conſtat ex dictis *diſp.* 13. Nam quæ ſtrictiores ſunt, ſtantque pro lege & obligatione, tutiores dicuntur ſaltem materialiter; minùs autem tutæ, quæ laxiores, & quæ ſtant pro libertate contra legem.

Digitized by Google

2. Igitur Caramuel miſit in lucem apologema, in quo contra Proſperum Fagnanum demonſtrare conatur, ad ſecuritatem conſcientiæ ſufficere, quod quis operetur ex opinione probabili, etiam laxiori, nec neceſſarium eſſe eligere opinionem probabiliorem, aut ſtrictiorem.

3. Prodiit in palæſtram litterariam Vincentius Baron ex Dominicana familia aduerſus Caramuelom, eiuſque de probabilitate apologema. Cuius aduerſatori volumini hunc præfixit titulum: [Theologia moralis aduerſus laxiores Probabiliſtas. Pars prior. Vera mens D. Thomæ, & eius ſcholæ de opinionum ex lege delectu, in qualibet re morali, explicata, & defenſa. Aduerſus D. Caramuelis Apologema in D. Fagnanum: Anonymi nodos in P. Mercorum: Theophili Raynaudi exceptionem: & Amadæi Guimenij tractatus quindecim.]

4. Prodiit, inquam, Vincentius gemino ardore correptus, zelo, & præiudicio. Zelo quidem conſulendi ſecuritati conſcientiæ aduerſus laxiores, vt ipſe ait, Probabiliſtas, qui ſcilicet ex qualibet opinione probabili, quantumvis laxa, docent, ſecurè gubernari conſcientiam, quaſi ex ea doctrina ingens morum corruptela per ſe oriatur.

5. Sed & præiudicio æſtuans in Authores plurimos, Caramuelem, & ferè omnes noſtræ Societatis Authores, conuitiorum ſcopum ſibi præfigit, quos ſub vno lare conſtituit, quaſi noſtrum conſortium cum Caramuele noſtris Scriptoribus inuidiam pariat, aut Caramuelicum noſtris. Mirum eſt, quot, & qualibus calumniis, exprobrationibus, exclamationibus, comminationibus iræ Dei cum illis agit Scriptoribus. Et cùm liber Vincentij paruulus ſit, ferè medietatem voluminis eis exprobrationibus, & inclamationibus impendit.

6. Peſſumdat acerbiſſima verborum amarulentia cineres Theophili Raynaudi, & Leoni mortuo inſultat. Depellere à ſe nititur ſuſpicionem ſæuitiæ in manes Theophili defenſionis prætextu, eo quod iſte ſtylum acuerit in Scriptores Dominicanæ familiæ. Sed cùm eos, quos refert, tractatus Theophili non viderim, incognita cauſa, ſententiam ferre nequeo.

7. Sed tam acriter P. Tamburinum exagitat (in inſcriptione voluminis non proſcriptum) qui neque in Thomiſtas, neque in alium quemquam ſuum armauit ſtylum. Reſpondet *in diſp. 1. ſect. 5. art. 2.* [Quod auctas, exaggerataſque habet omnium Authorum liberiores, & periculoſas opiniones.] Sed quia extra huius diſputationis metas egredi non licet, ideò intra illas me continens, proponam, quod genus opinionis attribuat Vincentius Tamburino circa præſentem quæſtionem, nempe circa vſum opinionum probabilium; & diſquiram, an verè, an per calumniam?

8. Præfatus Vincentius *diſp. 1. ſect. 5. §. 2.* expoſtulat cum P. Tamburino, quod cùm cæteri Scriptores Societatis cum variis limitationibus doceant, licitum eſſe vſum cuiuſvis opinionis probabilis; ille ſuos deſerat, vt ſine vlla limitatione eum vſum doceat *lib. 1. in Decalog. cap* 3. Hæc tamen falſa calumnia eſt: eam enim doctrinam tradit P. Tamburinus in eodem loco citato cum pluribus limitationibus. Ait enim, vſum opinionis probabilis limitari poſſeſſione, voto, iuramento, lege charitatis (imò & iuſtitiæ) in administratione Sacramentorum, & multis aliis modis.

Propulſatur calumnia in Tamburinū.

9. Secundò idem Vincentius repetit ſæpius verba Tamburini, ſcilicet quod non debeamus ſequi probabiliorem, aut tutiorem; ſed quod amplecti poſſimus opinionem *tenuiſſimæ probabilitatis*. Neque caret dolo, quod cum iis verbis immediatè ſequentia non referat. Verba Tamburini ſunt: [Probabilitate, ſiue intrinſeca, ſiue extrinſeca, quantumuis ſit *tenuis, modò à probabilitatis finibus* non exeatur.] Vt omittam, quod cùm Tamburinus dixerit, ſufficere *tenuem*, Vincentius referens ſubſtituit *tenuiſſimam*. Ita in ea *diſp. 1. ſect. 5. art. 2. §. 2. verſ. Quid ad hæc Tamburinus*, & *verſ. Atque huic*, & *verſ. Duo ad calcem*: & *art. 3. §. 3. verſ. Sed multò*: & *diſp. 2. ſect. 1. art. 3. §. 1. verſ. Ex hac*, & ſæpiſſimè alibi. Verum quidem eſt, quod illa verba Tamburini, *modò à probabilitatis finibus*, &c. ſemel retulit Vincentius *diſp. 1. ſect. 5. art. 2. §. 2. verſ. Hæc Curati.* Sed in innumeris aliis locis refert ea verba abſque ea limitatione, vt dixi.

10. Tertiò, cùm ad limitandum vſum probabilitatis, dixerit P. Tamburinus, non ſufficere quamcumque authoritatem ad probabilitatem extrinſecam, ſed debere eſſe viri docti, rem ex profeſſo tractantis, firma ratione muniti, & cui non opponatur aliquid conuincens: Baron *ea diſp. 1. ſect. 5. art. 2. §. 2. verſ. Quis non obſtupeſcat*, ait, Tamburinum ſibi contradicere, & præiactæ doctrinæ pœnituiſſe. In quo euidenter deprehenditur calumnia. Dum concluſionem vniuerſalem ſtatuit P. Tamburinus de vſu cuiuſcumque probabilitatis, expoſtulatur cum Tamburino de laxata conſcientia, eo quod concluſio de vſu probabilitatis ſine limitatione procedat. Vbi verò concluſionem vniuerſalem limitat Tamburinus, expoſtulatur cum eo de contrarietate doctrinæ.

11. Quia tamen nunquam legi in Ariſtotele, calumniatorum, & exprobrantium iniuriis vim ſyllogiſticam augeri, ideò eas iniurias floccifacio, qui ſcio, doctis lectoribus plus prodeſſe vnam vel moralem demonſtrationem præ millenis calumniantium exclamationibus. Ideò eas omnes prætermittendas duxi, quibus ideò reſpondere dedignor, & quas pro meo ſtylo in alios Authores proiicere erubeſco. Cenſeo enim lectores credituros, mihi ſyllogiſmos deficere, ſi ad exclamationes exprobratrices confugero.

12. Igitur vt ad materiam huius diſputationis propiùs accedamus, D. Proſper Fagnanus acriter inſurrexit contra eos Authores, qui affirmant, ſatis conſulere ſecuritati conſcientiæ eos, qui opinionem minùs probabilem ſequuntur, relicta probabiliori, & tutiori: quam doctrinam affirmauit pernicioſam ſaluti animarum, & Chriſtianæ Reipublicæ; eamque ſecuritati conſcientiæ non modò non prodeſſe, imò & eam homines ad infernum deducere.

13. Arripuit calamum D. Caramuel, & illum in Fagnani ſententiam intorquens, ſcripſit apologema pro vſu opinionis, etiam minùs probabilis: oſtendens euidenter, vt ipſe ait, in materia Fidei & morum prædictam probabilitatem ſufficere ad ſecuritatem conſcientiæ. [Eam ſententiam eſſe coætaneam mundo; omni æuo in Eccleſia & ſchola communem; à veteris Teſtamenti Patribus, ab Apoſtolis, à Summis Pontificibus, ab Eccleſiæ Doctoribus in arduis, & multarum conſequentiarum caſibus ad praxim reductam;

à

Digitized by Google

à Theologis vt Chriſtianæ Religionis dogma receptam, euidenter oſtendit. r.] Additque, oppoſitam ſententiam [Illuſtrium Doctorum iudicio, inferre hanc, *Deus impoſſibilia iubet*; & totam hæreſim Ianſeniaram complecti:eandemque à ſuo Authore nonnullis fundamentis è Ianſeniſmo ſumptis, quæ hæretica ſunt, ſuccollari, tam clarè probatur, vt ſi qui oculis abuti velint, id manibus palpare poſſint.]

14. Contra id Caramuelis apologema inſurgit præcipuè Vincentius Baron in tota ſua *diſp.* 2. & ſe demonſtrare profitetur (pro defenſione ſententiæ Fagnani) non eſſe licitum vſum cuiuſvis opinionis probabilis, ſed ineſſe nobis obligationem eligendi opiniones tutiores, & ſtrictiores, quæ ſtant pro lege, & honeſto; & reiiciendi eas opiniones, quæ ſtant pro libertate, & commodo.

15. *Leges pugnæ, ſub quibus aduerſarios laceſſit Caram.*

Incipit autem impugnationem ſuam à modo diſputandi, quem exigit Caramuel à ſuis Antagoniſtis, & ſic differit in ea diſputatione prima, *ſect.* 1. *art.* 2. §. 1. [Caramuel ad calcem apologematis *monito*, vt vocat, *Dialectico* ad Antagoniſtas, quatuor leges præſcribit ſtylo duodecim apud Romanos tabularum. Quicumque ſecum ſint diſputaturi, primo, *rationibus agunto*; ſecundò, *ab iniuriis, & ſcommatibus abſtinento*; tertiò, *nullam probabilem in reſponſione aſſertionem ponunto* (quia non niſi euidentem, & neceſſariam eſt admiſſurus) quartò tandem, *præſcriptas ſyllogiſmorum formas religiosè obſeruanto*. Neſcio, quid ſibi arroget Caramuel, vt in alios plures leges ferat, quarum nullam ſibi obſeruandam putet; quamvis æquo iure viuendum illi eſſet, & pugnandum. Rationes ſanè apud illum nullas, aut paucas lego; ſcommatum in aduerſarios. & (quod ex eiſdem cauſis prouenit) ſuarum laudum non parcus. A tertia lege, quæ iubet, ſolis neceſſariis, & euidentibus, nullis merè probabilibus vti, adeò longè abeſt, vt, ne dicam vera, ſed vix probabilia habeat; innumera verò apertè falſa & periculoſa. Non recuſo ſycophantæ pœnas, niſi demonſtrauero, nullam nobis præſcriptarum legum ab ipſo ſeruatam.]

16. Sed Vincentij periodus multis modis exorbitat. Primò, dum aſſertionibus, quas poſtulat in reſponſione, euidentibus, adiungit neceſſarias, quas non exigit Caramuel; nam ſi procedatur in materia contingenti, & de facto, non exigit propoſitiones neceſſarias, quæ ſunt æternæ veritatis: contingentibus contentus erit, dummodo euidentibus.

17. Secundò, dum quærit, quid ſibi iuris arroget Caramuel, vt leges aliis imponat. Non enim eas fert pro iure dicendo, ſed eas, quibus putat omnes ſcribentes ligari.

18. Tertiò, dum ait, in apologemate nullas, aut paucas rationes legi. In toto enim libro quid agit Caramuel, niſi argumenta replicare? Vel quæ deſumit à Ianſeniſmo aduerſæ ſententiæ obiecto, vel quæ à Bulla Alexandri VII. de Conceptione Immaculata, vel quæ à diſpenſationibus Pontificum datis ex dictamine probabili, & cætera omnia quæ longum erit recenſere.

19. Quartò, dum aſſerit, longè abeſſe Caramuelem à tertia lege, quam non videtur Vincentius intimè calluiſſe. Ait enim Caramuel, inter ſe & Antagoniſtas ſuos magnum eſſe diſcrimen. Nam dum ipſe ait, *Probabile eſt, hoc eſſe licitum*, ſolùm teneri ad promouendam huius rei honeſtatem rationibus probabilibus. Aduerſarios autem ſuos, qui dicunt, id non eſſe probabile, dum tenentur ad excludendam probabilitatem, quæ non excluditur niſi per certitudinem partis oppoſitæ, vel etiam (vt ego demonſtraui) per certitudinem defectus fundamenti; eos quidem teneri ad demonſtrandum. Sic enim differit *in Apolog. n.* 309. Et miror, quod Baron hanc diſcriminis aſſignationem non diſcuſſerit, aut non aduerterit. Eam latè diſcuſſi *diſp.* 2.

Verum quidem eſt, Caramuelem in præſenti quæſtione teneri ad demonſtrandum, præcipuè propter duas rationes. Primam. Quia hæc propoſitio, *Opinio probabilis ſufficit ad ſecuritatem conſcientiæ*, non eſt modalis de modo *Probabile*, ſed potiùs de modo *Certum*: ideò profitetur Caramuel in verbis ſupra relatis, ſe euidenter oſtenſurum. Secundam. Quia ſi dumtaxat contenderet, illam propoſitionem eſſe probabilem, ſolùm daret ſecuritatem probabilem in operando: ſecuritas autem probabilis componitur cum periculo probabili. Vnde qui in ſua operatione habet ſolùm ſecuritatem probabilem, exponit ſe periculo probabili peccandi. Atqui peccat mortaliter, qui ſe exponit periculo probabili peccandi mortaliter, vt cum ipſo Caramuele demonſtrabo *diſp.* 18. contra antiquam ſententiam ipſius, quam docuit *in Comment. in Regul. S. Benedict. diſp.* 70. 20.

Qui ſolùm habet ſecuritatem probabilem, peccat.

Sed & tertiam legem Caramuelis, quod videlicet qui reſpondet, debeat ſatisfacere per ſolutiones euidentes, certiſſimè falſam eſſe oſtendi *diſp.* 3. Ad quæ omnia ſi aduerteret animum Baron, efficaciùs refutaſſet. An autem ſecundam legem ſeruauerit Caramuel, de ſcommatis vitandis; quia hæc rei litterariæ nec proſunt, nec obſunt, ideò non iudico. 21.

CAPVT II.

Proponitur, & explicatur ſententia Baron, & Fagnani.

Ad ſuæ ſententiæ explicationem quatuor regulas, ſiue concluſiones ſtatuit Baron. Primam *ea diſp.* 2. *ſect.* 1. *art.* 3. §. 1. *verſ. Ex hac*, his verbis: [Quamvis ad vtramque diſciplinam pertineat, & ſapientis ſit hominis anteponere probabiliora minùs probabilibus: hic tamen delectus magis neceſſarius eſt ad partem moralem, quam theologicam.] 22.

Secundam regulam *ibid verſ. Ex prima*, in hæc verba: [Eam opinionem tutam eſſe, quæ argumentis, quantum materia moralis patitur, validis fulta, nulla aliunde ratione, aut opinione aduerſa colliditur.] 23.

Sed quid ſibi volunt ea verba, *Nulla aliunde ratione, aut opinione aduerſa colliditur*, quibus eam periodum claudit? Nam cùm omnis opinio probabilis ſoluat probabiliter omnia argumenta oppoſitæ partis, videtur verificari de omni opinione probabili, quod nulla ratione, aut opinione aduerſa colliditur, id eſt, quod nulla alia ratione partis oppoſitæ conuincitur. 24.

Sed exempla, quibus vtitur declarant ſuæ mentis eſſe, quod pro parte oppoſita nullæ ſint rationes, vel ad ſummum ſolùm ſint aliquæ leues. Subdit enim immediatè: [Atque ita nihil habet, 25.

Digitized by Google

habet, quod timeat is, qui credit, ſe iure poſſidere rem de qua nullus illi litem mouit; nec inquirenti in titulos ortum eſt aliquod dubium malè partam à maioribus, qui ſibi reliquerunt, licèt fortè ita contigerit, ſed hoc illum prorſus latet. Ad hanc regulam reuoco pœnas de reo ſumptas, qui conſenſit teſtibus ſe accuſantibus grauis criminis vltimo ſupplicio puniendi. Quamvis enim res his argumentis probata, ſit euidenter credibilis, vt inquit Caietanus; non tamen euidenter vera: fieri enim poteſt, teſtes falsò criminatos reum, & illum vitæ odio, aut ſuppliciorum metu aſſenſiſſe, vt eximat ſe à miſeriis, quas putat morte grauiores.]

26. Tertiam concluſionem, ſiue regulam, licet ibi formalibus terminis non proponat, iam eam tradiderat *diſp. 1. ſect. 2. art. 3. pag.* 23. his verbis: [Interdum opinionum vtraque probabilium ſtat pro honeſto, & officio; & quælibet ſibi proprium vindicat, & contendit alteri præferendum, cùm ambo nequeunt ſimul impleri. Et cùm ſimiles opiniones probabiles pro diuerſis officiis contingunt, præferenda eſt, quæ ſtat pro maioris momenti officio. Si paria ſint (quod rarò accidit) delectum opinionum nihil vetat eſſe arbitrarium.]

27. Huius exemplum proponit *ibid.* in hæc verba: [Huius generis erat contentio Angeli Perſarum cuſtodis cum Angelo Iudæis præpoſito. Hic vrgebat finem exilij Iudæorum, & illorum diſceſſum feſtinabat à Perſide, ne gentis vitio, & idololatria corrumperentur. Alter contrà obnitebatur ſpe fructus, qui fortè ex mora longiori Iudæorum inter Perſas poterat in hos deriuari. Vterque pro officio, & charitatis lege pugnabat, & populi ſibi crediti à Deo ſaluti conſulebat. Quare ſolo diuino iudicio dirimi poterat hæc contentio vtrimque iuſta, & ſancta.]

28. Ibidem *pag.* 47. *verſ. Ad vltimam*, ad quartam regulam, ſiue concluſionem ſe accingens ait, eam procedere, [Cùm hinc pro officio & lege, inde pro vtilitate & commodo pugnatur. Huc tota vertitur diſputationis alea; hîc ſtabilienda eſt regula, quam verè dixeris ſignum, cui, non minùs quàm Chriſto, contradicitur.] Eamque immediatè ſubdit his verbis: [Pugnantibus inter ſe paribus, aut parum diſparibus rationum momentis, opinionibus, hinc pro lege, inde pro libertate, nunquam deſerendam primam opinionem vnicè tutam; maximè ſi præſcribat media per ſe inſtituta ad ſalutem. Et hic eſt primus huius regulæ gradus, cui Suarez Recentiorum grauiſſimus adhæret. Secundus illi proximus eſt, neque recedendum ab opininoe pro lege, etiam cum fauet rei ex ſolo præcepto neceſſariæ, niſi aduerſa opinio pro libertate infinitis partibus ita vincat, vt vix tenuiſſima probabilitas illi reliqua ſit.]

29. Ex qua concluſione apertè colligitur, quod ſi duplex aduerſa opinio ſit, quarum altera ſtet pro lege, altera pro libertate; & hæc, quæ pro libertate ſtat, non vincat infinitis partibus probabilitatis oppoſitam, nec ſit parum diſparis probabilitatis, ſed tamen multò probabilior altera ſtante pro lege; adhuc non eſſe ſectandam opinionem probabiliorem, ſed eam minus probabilem, quæ ſtat pro libertate.

30. Expoſtulat autem ſæpiùs Vincentius cum aduerſariis, quod ſuæ ſententiæ ſectatoribus attribuant, quod nullum probabilitatis vſum admittant. Quod & ſæpiùs negat: tum quia vbi vtraque opinio aduerſa ſtat pro officio & honeſto, altera earum eligenda eſt ad normam tertiæ concluſionis: tum quia vbi vna eſt probabilior ſummo exceſſu, ea quidem eligi poteſt, etiamſi ſtet pro libertate, licet illa non pertingat ad celſitudinem euidentiæ, iuxta ſecundam concluſionem. Tum denique, quia cùm vna opinio probabilis ſtat pro lege & officio, & altera pro libertate, licet eligenda ſit ea, quæ ſtat pro lege, iuxta quartam concluſionem, adhuc admittitur vſus opinionis probabilis: cùm ſupponamus, eam, quæ ſtat pro lege, eſſe dumtaxat probabilem.

Vtque totam ſeriem ſuæ doctrinæ explicet, tres gradus certitudinis diſtinguit ex Mercoro *ibid. verſ. Hanc noſtram*, *pag.* 144. his verbis: 31.
[Tres accuratè gradus certitudinis diſtinguit. Primum, eumque omnium ſupremum, vocat certitudinis logicæ: hunc ſequitur phyſica certitudo, ſed tanto interuallo, vt collata primæ, debeat dici probabilitas logica: infimum certitudinis gradum occupat probabilitas, quam vocat phyſicam.] Et *verſ. Hos tres*, ſubdit: [Certitudine logica veras dicimus leges Decalogi, Deum colendum, adulterium illicitum; quia nulli ſunt obnoxiæ diſpenſationi, nulla ratione falſæ fieri poſſunt. Certitudini phyſicæ reſpondent exempla, quæ huic ſecundæ regulæ confirmandæ, & illuſtrandæ inſeruiunt: poſſeſſio diuturna nulli ſuſpicioni iniuriæ obnoxia, perſuaſio innocentiæ, cùm poſt longum examen, nullius peccati mortalis cogitatio in mentem venit: damnatio rei, qui teſtibus accuſantibus aſſenſus eſt, licet fortè tædio vitæ, & tormentorum metu ſe falsò accuſarit. Tertij denique generis opiniones probabili phyſico reſpondent, quas Recentiores quotidie inducunt: & quamvis pro libertate pugnent contra legem, & honeſtum, & vltrò agnoſcant, poſſe eſſe falſas, nec minùs incertas, quàm Aſtrologum concluſiones, volunt tamen tutas eſſe, & ab omni periculo damnationis, & peccati remotiſſimas.]

Et *ibid.* §. *Hac triplici*. *pag.* 145. ſubiungit ex Mercoro: [Ad hæc reſpondet, iugum conſcientiæ, & legis pluſquam par ſit, grauari à Merenda, quòd ad honeſtatem actus requirat rectitudinem logicam: laxari periculosè conſcientias à Recentioribus, qui contendant, ad honeſtatem actus ſufficere meram probabilitatem phyſicam: ſe media, & tuta via incedere, quia certitudinem phyſicam, & probabilitatem logicam requirit.] 32.

Sed peccat primò Mercorus, & cum eo Vincentius, dum inter gradus certitudinis conſtituit probabilitatem, cùm probabilitas longè diſtet à certitudine. Peccat ſecundò, quòd inter gradus certitudinis non conſtituat certitudinem moralem, cui infallibiliter omnes prudentes aſſentiuntur. Nam exiſtere Romam, eſt mihi moraliter certum ob innumera vnanimiter aſſerentium teſtimonia: quæ quidem non producunt ſcientiam logicam, neque phyſicam euidentiam. Peccat tertiò. Quomodo enim reiicit tertium gradum, & ſemper requirit ſecundum certitudinis phyſicę, ſi vſum opinionis probabilis in multis admittit? 33.

Hanc ſententiam eandem eſſe cum ea, quam tradit Fagnanus, ait Baron *diſp.* 2. *ſect.* 1. *art.* 2. & clarè colligitur ex iis clauſulis, quas refert Caramuel *in Apolog.* præcipuè *n.*43. & *n.* 130. quam fortaſſe Baron maiori cum diſtinctione proponit in iis quatuor regulis, ſeu concluſionibus. 34.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT III.

An Caramuel demonſtret, ad ſecuritatem conſcientiæ ſufficere quamlibet opinionem, etiam minùs probabilem, & laxiorem?

ARTICVLVS I.

An demonſtret, ſententiam negatiuam incidere in Ianſeniſmum?

35. BAron *ea diſp. 2. ſect. 1. art. 2. §. 1. verſ. Sed omiſſis*, ſic ait: [Atque vt ille oratorum præſtantiſſimus (Cicero) quaſcumque priuatorum cauſas peragat, videri vult vno in Rempublicam ſtudio ſuſceptas, & ad illius gloriam & ſalutem pertinere: eodem artificio Caramuel, ſed minùs veriſimili, contendit, hac, de qua diſputat, probabilium cauſa, agi de *ſecuritate Eccleſiæ, quam Ianſeniſmus rediuiuus inuadit*, &c. *agi de Prophetarum, Patriarcharum*, &c. *honore; de Summorum Pontificum decretis, quos omnes probabilia vſurpaſſe concedunt omnes: ergo in Patriarchas, & Prophetas, &c. bellum mouent, quotquot negant, ad ſecuritatem conſcientiæ ſufficere opinionem quamcumque probabilem*, etiam quæ ſtat pro libertate contra legem, pro voluptate contra officium, pro commodo contra honeſtum, etiamſi diſparis ſit, & minoris probabilitatis. *Ad populum phaleras.* Caramuel fraudem facit Rhetoricæ artibus, non pugnat Dialecticis ſyllogiſmis & armis. Nemo noſtrûm probabilitatem, & probabiles opiniones damnat. Sed ægerrimè ferimus conſuli quaſcumque *tenuiſſimæ probabilitatis*, tanquam ſecuras, *omiſſa etiam probabiliori, tutiorique ſtante pro ſalute.* Hoc vnicum eſt caput noſtræ controuerſiæ, quod toto Apologemate *nullo argumento, nullo exemplo ne dicam probauit, ſed nequidem attigit.* Quos enim mihi dabit Patriarchas, & viros ſanctos, qui vitam ſuam; quos Pontifices, qui ſua decreta, ſuas diſpenſationes ad illam Lesbiam regulam exegerint, tenuiſſimæ probabilitatis pro voluptate, lucro, &c. antepoſitæ cuicumque opinioni, non ſolùm æquitate cauſæ, nempe honeſti, legis, & ſalutis, quibus fauet, ſed etiam probabilitatis viribus ſuperiori.] Ita Baron.

36. Omiſſa ergo verborum amarulentia, qua redundant periodi Vincentij, quia, vt dixi, non ſunt ad rem, ſcilicet litterariam, inquirendum eſt accuratè, an argumenta Caramuelis ſuam, & noſtram concluſionem probent; an potius verum ſit, quod *nullo argumento, nullo exemplo eam probauerit.* Nam quod dicit Vincentius, Caramuelem dumtaxat Rhetoricis floribus agere, falſum eſt; ille enim ex Dialectio promptuario multa arma depromit. Quod ſi argumenta ab illo inſtructa non conuincunt, non propterea peccat in Logicam. Nam, vt notaui *diſput.* 2. *capit* 10. qui putat, præmiſſas ſyllogiſmi eſſe euidentes, cùm tamen illæ dumtaxat ſint topicæ, non peccat in Logicam, cùm ſyllogiſmus topicus omnes Dialecticæ regulas obſeruet. Peccabit ſolùm in Logicam, cùm conſequentia à præmiſſis exorbitauerit.

37. Primum ergo argumentum deſumit Caramuel ex eo quod ſententia Fagnani de probabilioribus, & tutioribus opinionibus ſequendis incidit in Ianſeniſmum. Quod ſic probat *in Apolog. num.* 13. & 115. & 289. Si non ſufficeret opinio probabilis, aut minùs probabilis ad ſecuritatem conſcientiæ, Deus iuberet impoſſibilia: Deum iubere impoſſibilia, eſt hæreſis Ianſeniana: ergo ex eo, quod ad ſecuritatem conſcientiæ non ſufficiat opinio probabilis, aut minùs probabilis, infertur hæreſis Ianſeniana. Maiorem probat iudicio plurium Theologorum, P. Buſſembaum *in Medulla Theologiæ lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 2. *dub.* 2. §. *Reſpondeo, in fine.* Antonij Coronij *in Sum. Diana, verb. Opinio, num.* 2. Thomæ Sanchez *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 9. *pag.* 29. *num.* 14. Acacij de Velaſco *tom.* 2. *ſum. verb. Opinio. reſol.* 326. Marci Serræ t. 2. *quæſt.* 19. *art.* 6. *dub.* 4. P. Ioannis Salas 1. 2. *tract.* 8. *diſp. vnic. ſect.* 6. P. Gabrielis Vaſquez 1. 2. *diſput.* 62. *cap.* 9. P. Ouiedo 1. 2. *tract.* 5. *controuerſ.* 3. *punct.* 2. *num.* 14. Ildephonſi Baptiſtæ *tract. de conſcient. diſp.* 28. *dub.* 6. *concluſ.* 3. *num.* 579. & *pag.* 642. *concluſ.* 3.

Buſſembaũ. Coronius. Th. Sanch. Velaſco. Serra. Salas. Vaſquez. Ouiedo. Baptiſta.

38. Confirmat *numero* 115. his verbis: [Hæc propoſitio, *In materia Fidei & morum ad ſecuritatem conſcientiæ non ſufficit opinio probabilis*, quæ D. Fagnani eſt, vniuerſaliter accepta (hoc eſt ita generaliter accepta, vt in nullo caſu ſit licitum iuxta probabilem ſenteutentiam operari) eſt hæretica. Demonſtratur cenſura. Quia ſi D. Fagnani doctrina vniuerſaliter accepta eſſet vera, occurrerent milleni caſus, in quibus homo neceſſariò peccaret. Vnum produco. Iacet moribundus ſenſibus deſtitutus, qui chriſtianè vixit, & nullo ſigno externo confeſſionem petit. Superuenit Parochus: quid facit? Eſt probabile, Parochum in tali caſu abſoluere non poſſe: eſt probabile, debere ſub mortali: inter abſoluere, & non abſoluere nullum eſt medium. Parochus ergo quidquid faciat, aut non faciat in caſu, debebit in materia morum probabili inſiſtere ſententiæ, & ſtando D. Fagnani doctrinæ, neceſſariò peccare.]

39. Reſpondet Baron vbi ſuprà *verſ. At inquies*, in hæc verba: [At inquies, quæ obiiciuntur Fagnano, nempe ex eius opinione de tutiore parte eligenda, ſequi, Deum præcipere impoſſibilia; non eſſe vnius, aut alterius inuidi calumnias, ſed Recentiorum ab omni liuore alienum iudicium, & communem ſenſum: è quibus nouem refert Caramuel, qui conceptis verbis aſſerunt, niſi apud Deum excuſeris, cùm agis ex quacumque opinione probabili, impoſſibilia præcipi. Mirum eſt, ſolos Recentiores illius conſequutionis Authores laudari, cuius adeò altum ſilentium ſit apud SS. PP. è quibus nullum citat: non omiſſurus profectò Caramuel ad patrocinium cauſæ, quæ illi adeò cordi eſt, & antiqua, ſi aliquod extaret apud antiquos ad hanc rem verbum. Addo, Recentiorum multos, & fortè omnes, mala fide referri, & in re grauiſſima antiquorum ſilentij præiudicio ferè damnatos. Sed nihil opus eſt eò confugere: ſatis eſt dixiſſe, quod verum eſt, malè illos noſtram ſententiam eſſe interpretatos; quaſi probabilitatem in totum velimus abdicare, & euidentiam vbique expetamus: quod impoſſibile fatemur eſſe, ſed non minùs etiam alienum eſt à noſtra mente. Si verò contendant (quod

vix credo) impoſſibile eſſe, & ad minùs duram, è duabus paris, aut diſparis probabilitatis opinionibus eam, quæ ſtat pro lege, inueſtigare, illique vni adhærere, relicta altera, quæ fauet libertati, & voluptati; huiuſmodi Recentiorum conſequutionem, aut cenſuras nihil moramur, quia reuerà nec neceſſariæ ſunt, nec iuſtæ.] Huc vſque Baron.

40. Aſſerit itaque quinque. Primum, non impugnari à Caramuele ſententiam Fagnani, qui non aſſerit ſemper euidentia, aut ſemper probabiliora ſectanda eſſe, & conſulenda; ſed è duabus opinionibus probabilibus ſtrictiorem, & tutiorem, nempe eam, quæ ſtat pro lege, non eam, quæ pro libertate. Secundum, id non eſſe impoſſibile, nec ſic inferri, Deum impoſſibilia præcipere. Tertium, inordinatè citari Recentiores pro ea conſequentia, pro qua potiùs Sancti PP. referri deberent. Quartum, malè intellectam à Recentioribus prædictam ſententiam. Quintum, non eſſe multùm curandam Recentiorum ſententiam.

41. Et quamvis Baron prædicto argumento ſatisfaciat, res grauiſſima altiùs debuit tractari, & confirmari. Ex iis igitur quinque aſſertis primum, & ſecundum verum eſt. Tertium redarguitur *cap.* 4. *art.* 13. Quartum, & quintum eſſe falſa, conſtabit ex proximè dicendis.

42. Hanc ergo materiam altiùs, vt oportet, examinaturus, aſſero, nunquam mihi potuiſſe in animum inducere, ſententiam Fagnani incidere in Ianſeniſmum, propter duo. Primum, quia vt aliqua opinio dicatur in hæreſim deſinere, non ſatis eſt, quod conſequentiâ merè topicâ inferatur ex illa propoſitio hæretica, ſed oportet quod iſta euidenter inferatur. At conſequentiam illam, quam ponunt ij nouem Authores, non eſſe, neque ab illis poni tanquam demonſtratiuam, ſed vt topicam, & veriſimilem, apparet ex proximè dicendis.

Opinio Fagnani non incidit in Ianſeniſmum.

Vt opinio deſinat in hæreſim, non ſufficit, quod hæreſis topicè inferatur ex illa.

43. Secundum. Quia ex hac concluſione, *In conflictu opinionum probabilium ſemper eligenda eſt ſtrictior, & tutior*; non infertur, quod Deus præcipiat impoſſibilia; atque adeò nec Ianſeniſmus. Patet. Quia minimè eſt impoſſibile, ſtrictiorem ſemper, & ſecuriorem partem ſectari, ſicut non eſt impoſſibile, ſequi quod perfectius.

Non eſt impoſſibile ſequi ſtrictiorē opinionem.

44. Quod conuincitur primò. Nam ſequi ſemper partem ſtrictiorem pro lege contra libertatem, & id, quod perfectius eſt, ſalubre eſt conſilium; at ſi foret impoſſibile, non eſſet ſalubre conſilium, ſed chymæricum: id ergo non eſt impoſſibile, ſed poſſibile.

45. Conuincitur ſecundò. In dubio practico ſemper teneris ſequi partem ſtrictiorem; atque adeò Deus non præcipit impoſſibile, cùm iubet ſequi in dubio practico partem ſtrictiorem: ergo neque eſt impoſſibile, quod in omni probabili ſequaris partem ſtrictiorem. Patet conſequentia. Non enim affert impoſſibilitatem caſus ratione probabilitatis, nec affert vires poſſibilitatis caſus dubius.

Deus non iubet impoſſibile, cum iubet ſequi partem tutiorem in dubio pract.

46. Conuincitur tertiò. Quia vt Chriſtus nobis præcipit, quod in dubio practico ſequamur partem ſtrictiorem, & tutiorem, ita potuit nobis præcipere, quod in conflictu opinionum probabilium ſequeremur partem ſtrictiorem, & tutiorem: tunc autem non eſſet impoſſibile obedire ei præcepto; ergo. Patet minor. Eatenus id eſſet impoſſibile ex ſententia Caramuelis, quia non eſt cognoſcibilis euidentia, aut probabilioritas: atqui quæ ſit pars ſtrictior, quæ laxior, nemo eſt, qui non agnoſcat; cùm ſit cognoſcibilis ea, quæ ſtat pro lege, & ea, quæ pro libertate.

Illos nouem Authores non ſtare contra ſententiam Fagnani, manifeſtum eſt; quia ipſi ſolùm loquuntur de impoſſibilitate cognoſcendi ſemper, quæ ſit opinio probabilior, quæ minùs probabilis. Et ſi loquantur de libertate eligendi quamvis opinionem, etiam minùs probabilem; argumentum eorum eſt merè topicum, & in hanc formam: [Valdè durum eſt obſtringere homines ad eligendum in quavis materia partem ſtrictiorem; partem autem probabiliorem, aut euidentem inuenire ſemper, eſt quid impoſſibile: ſuppoſito ergo quod non teneamur ſequi ſemper partem ſtrictiorem (quod ſine vrgenti fundamento non debemus admittere) præciperet Deus impoſſibilia, ſi præciperet ſequi ſemper euidentia, aut probabiliora.] Neque enim ex eo quod ſit valdè durum obſtringere ſemper, aut ferè ſemper ad partem ſtrictiorem, infertur, Deum præcipere impoſſibilia. Eſt enim valde durum homini irato parcere inimicis, & homini carnalibus dedito ſpernere voluptates: & quamvis durum ſit, tamen Deus id præcipit, quia eorum duritiem gratiâ emollit. Nam *quæ impoſſibilia ſunt apud homines, poſſibilia ſunt apud Deum*; nempe vi auxiliantis gratiæ. 47.

48. Quod verò hæc ſit ſententia Fagnani, & non ea, quam Caramuel impugnat, patet. Nam Caramuel impugnat ſententiam, quæ ſemper requirit euidentiam, aut probabilioritatem. Fagnanus autem non requirit, niſi ſententiam ſtrictiorem, & tutiorem, vt patet ex Apolog. Caramuelis *num.* 44. & *num.* 130. & ſiquando certitudinem requirit, illa eſt, quæ prouenit ex hoc, quod certum eſt, non peccare eum, qui ſequitur partem ſtrictiorem.

Fagnanus nō excludit probabilitatem, ſed opiniones laxiores.

49. Hinc patet reſponſio ad argumentum Caramuelis. Neganda eſt enim maior, quod ſi homo teneretur ad partem tutiorem, ſiue ſtrictiorem, Deus præciperet impoſſibilia. Ad probationem deſumptam ex authoritate eorum nouem Scriptorum, conſtat ex dictis *num.* 47. eos non loqui de eo, qui ſequitur partem tutiorem, ſed de eo, qui obſtringatur ad inueniendam ſemper ſententiam euidentem, aut partem probabiliorem, eo quod id non ſit ſemper in poteſtate hominis, nec cadat in intellectus humani tenuitatem.

ARTICVLVS II.

Eneruatur confirmatio Caramuelis, oſtenditurque non eſſe erroneam ſententiam Fagnani.

PRo ſolutione confirmationis dico primò. Non eſt propoſitio damnabilis, quæ aſſerit, hominem teneri ad ſequendam ſemper opinionem, quæ ſibi proponitur vt probabilior: id enim non eſt impoſſibile, atque adeò inde non ſequitur, quod Deus iubeat impoſſibilia. Illam propoſitionem iudico improbabilem, ſed non damnabilem. 50.

Non eſt damnabilis, quæ ait, teneri te ad opinionem, quæ proponitur vt probabilior.

Dico ſecundò. Neque eſt propoſitio damnabilis, quæ aſſerat, hominem teneri ad probabiliorem, quoties fuerit euidenter probabilior. Poſſe propoſitiones eſſe euidenter probabiliores, aſſerit Caramuel *in Regul. S. Bened. num.* 59. 51.

Dico

52. *Neque qua ait, eligendam ſemper ſtrictiorem.*

Dico tertiò. Non eſt damnabilis, quæ dicit, eligendam ſemper eſſe opinionem ſtrictiorem, & tutiorem: quia ſic operari non eſt impoſſibile. Et in dubio practico ſic operantur omnes: & cùm pauciſſimi ſint docti reſpectu rudium & ignorantium, maxima pars hominum caret opinionibus probabilibus Theologicis; atque adeò cùm verſentur quotidie in multis dubiis practicis, eligere debent tutiora.

53. *An opinio Fagnani in aliquo ſenſu vniuerſali contineat hæreſim?*

Dico quartò. Sententia Fagnani in quacumque vniuerſalitate ſumpta non eſt hæretica, quantumvis illi hæreſim appingat Caramuel. Patet ſi propoſitiones inter ſe conferas. Propoſitio Caramuelis eſt hæc: [Hæc propoſitio; *In materia Fidei, & morum ad ſecuritatem conſcientiæ non ſufficit opinio probabilis*; quæ D. Fagnani eſt, vniuerſaliter accepta (hoc eſt, ita generaliter accepta, vt in nullo caſu ſit licitum iuxta probabilem ſententiam operari) eſt hæretica.] Propoſitio Fagnani eſt, [In materia morum ſemper probabiliora, ſtrictiora, & tutiora ſequi debemus.] In hanc non cadit ille ſenſus vniuerſalis, quem in ſua propoſitione ſtatuit Caramuel; non enim componuntur iſta duo, quod nulla opinio probabilis ſufficiat ad ſecuritatem conſcientiæ, & quod opinio probabilis ſtrictior, & tutior ſufficiat. Et hinc conſtat, quàm parum probet ea confirmatio Caramuelis contra ſententiam Fagnani; & quàm immeritò illi hæreſim appingat.

54. *Ea propoſitio habet ſenſum Catholicum.*

Dico quintò. Hæc propoſitio, *In materia Fidei, & morum ad ſecuritatem conſcientiæ non ſufficit opinio probabilis*; etiam in tota illa vniuerſalitate, quam illi attribuit Caramuel, habet ſenſum catholicum, qui quidem inſimulari non poſſit de ea hæreſi, vel de eo errore contra Fidem. Probatur explicando prædictum ſenſum. Etenim qui dixerit, opiniones probabiles aduerſas parere dubium practicum, tenetur aſſerere, eum, qui reducit ad praxim partem ſtrictiorem, non gubernare conſcientiam ex rationibus probabilibus prædictæ opinionis ſtrictioris merè probabilis; atque adeò non gubernare conſcientiam ex probabilitate eius opinionis ſtrictioris; ſed ex dictamine reflexo certo, quod [in dubio practico debemus ſequi partem ſtrictiorem.] Qui enim ſic diſcurrat, non incurrit eam hæreſim, vel errorem contra Fidem. Quia ſic non reducitur ad impoſſibilitatem; atque adeò non infertur quod Deus iubeat impoſſibilia.

55. Quod clariùs patet reſpondendo ad exemplum in confirmatione allatum à Caramuele. Da enim caſum, quod Parochus eſſet practicè dubius de vtraque parte, ſcilicet de abſoluendo, & de non abſoluẽdo. Tunc ſuperuenit dictamen certũ, quod partem ſecuriorem debet amplecti. Si ergo ſibi proponatur vt tutius, abſoluere moribundum, non abſoluit illum ob rationes, quæ ſtant pro ea parte, quibus quidem non fidit; ſed ob dictamen certum, quod in dubio practico pars tutior ſibi eſt amplectenda. Quod ſi adhuc ſit dubius practicè, quæ pars ſit tutior, ex alio dictamine certo reſoluit, nempe, vbi omnia ſunt dubia, neque eſt locus conſultationi, maius inconueniens vitandum eſt. Et quia maius cæteris inconueniens eſt contingentia damnationis æternæ moribundi illius, vtique abſoluet.

56. *In opinione, qua petit partem ſtrictiorem, quæ, in probabilibus parit dubium practicum.*

In ſententia ergo Fagnani, quæ in omnibus probabilibus ad inuicem pugnantibus poſtulat partem ſtrictiorem, eiuſmodi opiniones pariunt dubium practicum; atque adeò cùm quis operatur ex opinione ſtrictiori, non mouetur rationibus probabilibus directis partis ſtrictioris ad operandum, ſed mouetur ex dictamine reflexo certo, quod in dubio practico pars tutior tenenda eſt.

Hinc autem non inferri, quod Deus iubeat impoſſibilia, patet; quia ſicut in dubio practico non eſt impoſſibile ſequi partem tutiorem, ita neque in conflictu opinionum id eſt impoſſibile. Et, vt ſuprà oſtendi, etiamſi Deus præciperet, quod in conflictu opinionum ſequeremur partem tutiorem, nihil impoſſibile præciperet. 57. *Opinio, quæ petit partem ſtrictiorem, non infert, quod Deus iubeat impoſſibilia.*

Sed inſtat Caramuel *in Apolog. num.* 116. his verbis: [Ante annos paucos Ianſeniani in Gallia, vt doctrinam Ianſenij ab Innocentio X. condemnatam ſub larua pietatis reuocarent, ſunt pium & doctum probabilitatum vſum incriminati: præuidentes, illo ſemel proſcripto, Ianſenianam neceſſariò hæreſim reſurrecturam.] Si ergo hæretici negant licitum vſum opinionis probabilis, vt inferant, Deum præcipere impoſſibilia, & hominem neceſſariò operantem peccare; fit, optimè inferri hæreſim & Ianſeniſmum ex eo, quod negetur vſus opinionis probabilis. 58.

Reſpondeo, duplici modo intelligi poſſe, quod ſit illicitus vſus opinionis probabilis. Primò. Vt in omnibus quis operari debeat ex dictamine directo certò, ita vt in omnibus teneatur inuenire reſolutionem directam certam, aliàs peccaturum. Et hoc modo rectè infertur, Deum præcipere impoſſibilia, cùm impoſſibile ſit, hominem in omnibus agendis reperire reſolutiones directas certas. Et ſi quidem hæretici, dum vſum opinionis probabilis reſpuebant, eò collimabant, vt oſtenderetur, Deum præcipere impoſſibilia, manifeſtum eſt, quod hac via incedebant. 59. *Senſus, in quo Ianſeniſtæ negant vſum probabilitatis.*

Secundo modo poteſt intelligi, illicitum eſſe vſum opinionis probabilis, quatenus omnes opiniones probabiles inter ſe pugnantes pariant dubium practicum; & ideò in conflictu earum ſemper ſectanda ſit pars ſtrictior, ex dictamine certo, quod in dubio practico ſectanda eſt pars ſtrictior, & tutior, modo ſupra explicato. Et hoc ſecundo modo non infertur, quod Deus præcipiat impoſſibilia. Cautè ergo procedat Theologus cum Ianſenianis diſtinguendo hos duos ſenſus, dummodo Fagnano non attribuatur primus ille ſenſus; qui Doctor ad ſummum hoc ſecundum admittit, qui de hæreſi, vel errore contra Fidem inſimulari non poteſt, quidquid ſit, an poſſit accuſari de errore contra euidentiam, ex aliis argumentis demonſtratiuis. 60.

ARTICVLVS III.

Examinatur argumentum deſumptum ab ignorantia inuincibili reperta in opinione probabili.

Caramuel *in Apolog. num.* 290. alio modo contendit demonſtrare, licitum eſſe vſum cuiuſvis opinionis, etiam minùs probabilis, in hæc verba: [Probabilitas à peccato excuſat. Et cur? Quia ſi illa non excuſaret, nec excuſaret à peccato ignorantia inuincibilis, quæ in omni probabili opinione inuenitur; & eſt formalis ratio, ob quam opinio probabilis excuſare dicatur. Huc 61.

vix credo) impoſſibile eſſe, & ad minùs duram, è duabus paris, aut diſparis probabilitatis opinionibus eam, quæ ſtat pro lege, inueſtigare, illique vni adhærere, relicta altera, quæ fauet libertati, & voluptati; huiuſmodi Recentiorum conſequutionem, aut cenſuras nihil moramur, quia reuerà nec neceſſariæ ſunt, nec iuſtæ.] Huc vſque Baron.

40. Aſſerit itaque quinque. Primum, non impugnari à Caramuele ſententiam Fagnani, qui non aſſerit ſemper euidentia, aut ſemper probabiliora ſectanda eſſe, & conſulenda; ſed è duabus opinionibus probabilibus ſtrictiorem, & tutiorem, nempe eam, quæ ſtat pro lege, non eam, quæ pro libertate. Secundum, id non eſſe impoſſibile, nec ſic inferri, Deum impoſſibilia præcipere. Tertium, inordinatè citari Recentiores pro ea conſequentia, pro qua potiùs Sancti PP. referri deberent. Quartum, malè intellectam à Recentioribus prædictam ſententiam. Quintum, non eſſe multùm curandam Recentiorum ſententiam.

41. Et quamvis Baron prædicto argumento ſatisfaciat, res grauiſſima altiùs debuit tractari, & confirmari. Ex iis igitur quinque aſſertis primum, & ſecundum verum eſt. Tertium redarguitur *cap.* 4. *art.* 13. Quartum, & quintum eſſe falſa, conſtabit ex proximè dicendis.

42. *Opinio Fagnani non incidit in Janſeniſmum.*

Vt opinio deſinat in hæreſim, non ſufficit, quod hæreſis topicè inferatur ex illa.

Hanc ergo materiam altiùs, vt oportet, examinaturus, aſſero, nunquam mihi potuiſſe in animum inducere, ſententiam Fagnani incidere in Ianſeniſmum, propter duo. Primum, quia vt aliqua opinio dicatur in hæreſim deſinere, non ſatis eſt, quod conſequentiâ merè topicâ inferatur ex illa propoſitio hæretica, ſed oportet quod iſta euidenter inferatur. At conſequentiam illam, quam ponunt ij nouem Authores, non eſſe, neque ab illis poni tanquam demonſtratiuam, ſed vt topicam, & veriſimilem, apparet ex proximè dicendis.

43. *Non eſt impoſſibile ſequi ſtrictiorẽ opinionem.*

Secundum. Quia ex hac concluſione, *In conflictu opinionum probabilium ſemper eligenda eſt ſtrictior, & tutior*; non infertur, quod Deus præcipiat impoſſibilia; atque adeò nec Ianſeniſmus. Patet. Quia minimè eſt impoſſibile, ſtrictiorem ſemper, & ſecuriorem partem ſectari, ſicut non eſt impoſſibile, ſequi quod perfectius.

44. Quod conuincitur primò. Nam ſequi ſemper partem ſtrictiorem pro lege contra libertatem, & id, quod perfectius eſt, ſalubre eſt conſilium; at ſi foret impoſſibile, non eſſet ſalubre conſilium, ſed chymæricum: id ergo non eſt impoſſibile, ſed poſſibile.

45. *Deus non iubet impoſſibile, cum iubet ſequi partem tutiorem in dubio pract.*

Conuincitur ſecundò. In dubio practico ſemper teneris ſequi partem ſtrictiorem; atque adeò Deus non præcipit impoſſibile, cùm iubet ſequi in dubio practico partem ſtrictiorem: ergo neque eſt impoſſibile, quod in omni probabili ſequaris partem ſtrictiorem. Patet conſequentia. Non enim affert impoſſibilitatem caſus ratione probabilitatis, nec affert vires poſſibilitatis caſus dubius.

46. Conuincitur tertiò. Quia vt Chriſtus nobis præcipit, quod in dubio practico ſequamur partem ſtrictiorem, & tutiorem, ita potuit nobis præcipere, quod in conflictu opinionum probabilium ſequeremur partem ſtrictiorem, & tutiorem: tunc autem non eſſet impoſſibile obedire ei præcepto; ergo. Patet minor. Eatenus id eſſet impoſſibile ex ſententia Caramuelis, quia non eſt cognoſcibilis euidentia, aut probabilioritas: atqui quæ ſit pars ſtrictior, quæ laxior, nemo eſt, qui non agnoſcat; cùm ſit cognoſcibilis ea, quæ ſtat pro lege, & ea, quæ pro libertate.

Illos nouem Authores non ſtare contra ſententiam Fagnani, manifeſtum eſt; quia ipſi ſolùm loquuntur de impoſſibilitate cognoſcendi ſemper, quæ ſit opinio probabilior, quæ minùs probabilis. Et ſi loquantur de libertate eligendi quamvis opinionem, etiam minùs probabilem; argumentum eorum eſt merè topicum, & in hanc formam: [Valdè durum eſt obſtringere homines ad eligendum in quavis materia partem ſtrictiorem; partem autem probabiliorem, aut euidentem inuenire ſemper, eſt quid impoſſibile: ſuppoſito ergo quod non teneamur ſequi ſemper partem ſtrictiorem (quod ſine vrgenti fundamento non debemus admittere) præciperet Deus impoſſibilia, ſi præciperet ſequi ſemper euidentia, aut probabiliora.] Neque enim ex eo quod ſit valdè durum obſtringere ſemper, aut ferè ſemper ad partem ſtrictiorem, infertur, Deum præcipere impoſſibilia. Eſt enim valde durum homini irato parcere inimicis, & homini carnalibus dedito ſpernere voluptates: & quamvis durum ſit, tamen Deus id præcipit, quia eorum duritiem gratiâ emollit. Nam *quæ impoſſibilia ſunt apud homines, poſſibilia ſunt apud Deum*; nempe vi auxiliantis gratiæ. 47.

Quod verò hæc ſit ſententia Fagnani, & non ea, quam Caramuel impugnat, patet. Nam Caramuel impugnat ſententiam, quæ ſemper requirit euidentiam, aut probabilioritatem. Fagnanus autem non requirit, niſi ſententiam ſtrictiorem, & tutiorem, vt patet ex Apolog. Caramuelis *num.* 44. & *num.* 130. & ſiquando certitudinem requirit, illa eſt, quæ prouenit ex hoc, quod certum eſt, non peccare eum, qui ſequitur partem ſtrictiorem. 48. *Fagnanus nõ excludit probabilitatem, ſed opiniones laxiores.*

Hinc patet reſponſio ad argumentum Caramuelis. Neganda eſt enim maior, quod ſi homo teneretur ad partem tutiorem, ſiue ſtrictiorem, Deus præciperet impoſſibilia. Ad probationem deſumptam ex authoritate eorum nouem Scriptorum, conſtat ex dictis *num.* 47. eos non loqui de eo, qui ſequitur partem tutiorem, ſed de eo, qui obſtringatur ad inueniendam ſemper ſententiam euidentem, aut partem probabiliorem, eo quod id non ſit ſemper in poteſtate hominis, nec cadat in intellectus humani tenuitatem. 49.

ARTICVLVS II.

Eneruatur confirmatio Caramuelis, oſtenditurque non eſſe erroneam ſententiam Fagnani.

PRo ſolutione confirmationis dico primò. Non eſt propoſitio damnabilis, quæ aſſerit, hominem teneri ad ſequendam ſemper opinionem, quæ ſibi proponitur vt probabilior: id enim non eſt impoſſibile, atque adeò inde non ſequitur, quod Deus iubeat impoſſibilia. Illam propoſitionem iudico improbabilem, ſed non damnabilem. 50. *Non eſt damnabilis, quæ ait, teneri ſe ad opinionem, quæ proponitur vt probabilior.*

Dico ſecundò. Neque eſt propoſitio damnabilis, quæ aſſerat, hominem teneri ad probabiliorem, quoties fuerit euidenter probabilior. Poſſe propoſitiones eſſe euidenter probabiliores, aſſerit Caramuel *in Regul. S. Bened. num.* 59. 51.

Dico

Digitized by Google

52\. *Neque quæ ait, eligendam ſemper ſtrictiorem.*

Dico tertiò. Non eſt damnabilis, quæ dicit, eligendam ſemper eſſe opinionem ſtrictiorem, & tutiorem: quia ſic operari non eſt impoſſibile. Et in dubio practico ſic operantur omnes: & cùm pauciſſimi ſint docti reſpectu rudium & ignorantium, maxima pars hominum caret opinionibus probabilibus Theologicis; atque adeò cùm verſentur quotidie in multis dubiis practicis, eligere debent tutiora.

53\. *An opinio Fagnani in aliquo ſenſu vniuerſali contineat hæreſim?*

Dico quartò. Sententia Fagnani in quacumque vniuerſalitate ſumpta non eſt hæretica, quantumvis illi hæreſim appingat Caramuel. Patet ſi propoſitiones inter ſe conferas. Propoſitio Caramuelis eſt hæc: [Hæc propoſitio; *In materia Fidei, & morum ad ſecuritatem conſcientiæ non ſufficit opinio probabilis*; quæ D. Fagnani eſt, vniuerſaliter accepta (hoc eſt, ita generaliter accepta, vt in nullo caſu ſit licitum iuxta probabilem ſententiam operari) eſt hæretica.] Propoſitio Fagnani eſt, [In materia morum ſemper probabiliora, ſtrictiora, & tutiora ſequi debemus.] In hanc non cadit ille ſenſus vniuerſalis, quem in ſua propoſitione ſtatuit Caramuel; non enim componuntur iſta duo, quod nulla opinio probabilis ſufficiat ad ſecuritatem conſcientiæ, & quod opinio probabilis ſtrictior, & tutior ſufficiat. Et hinc conſtat, quàm parum probet ea confirmatio Caramuelis contra ſententiam Fagnani; & quàm immeritò illi hæreſim appingat.

54\. *Ea propoſitio habet ſenſum Catholicum.*

Dico quintò. Hæc propoſitio, *In materia Fidei, & morum ad ſecuritatem conſcientiæ non ſufficit opinio probabilis*; etiam in tota illa vniuerſalitate, quam illi attribuit Caramuel, habet ſenſum catholicum, qui quidem inſimulari non poſſit de ea hæreſi, vel de eo errore contra Fidem. Probatur explicando prædictum ſenſum. Etenim qui dixerit, opiniones probabiles aduerſas parere dubium practicum, tenetur aſſerere, eum, qui reducit ad praxim partem ſtrictiorem, non gubernare conſcientiam ex rationibus probabilibus prædictæ opinionis ſtrictioris merè probabilis; atque adeò non gubernare conſcientiam ex probabilitate eius opinionis ſtrictioris; ſed ex dictamine reflexo certo, quod [in dubio practico debemus ſequi partem ſtrictiorem.] Qui enim ſic diſcurrat, non incurrit eam hæreſim, vel errorem contra Fidem. Quia ſic non reducitur ad impoſſibilitatem; atque adeò non infertur quod Deus iubeat impoſſibilia.

55\. Quod clariùs patet reſpondendo ad exemplum in confirmatione allatum à Caramuele. Da enim caſum, quod Parochus eſſet practicè dubius de vtraque parte, ſcilicet de abſoluendo, & de non abſoluẽdo. Tunc ſuperuenit dictamen certũ, quod partem ſecuriorem debet amplecti. Si ergo ſibi proponatur vt tutius, abſoluere moribundum, non abſoluit illum ob rationes, quæ ſtant pro ea parte, quibus quidem non fidit; ſed ob dictamen certum, quod in dubio practico pars tutior ſibi eſt amplectenda. Quod ſi adhuc ſit dubius practicè, quæ pars ſit tutior, ex alio dictamine certo reſoluit, nempe, vbi omnia ſunt dubia, neque eſt locus conſultationi, maius inconueniens vitandum eſt. Et quia maius cæteris inconueniens eſt contingentia damnationis æternæ moribundi illius, vtique abſoluet.

56\. *In opinione, quæ petit partem ſtrictiorem, quaſi ſo probabilis parit dubium practicum.*

In ſententia ergo Fagnani, quæ in omnibus probabilibus ad inuicem pugnantibus poſtulat partem ſtrictiorem, eiuſmodi opiniones pariunt dubium practicum; atque adeò cùm quis operatur ex opinione ſtrictiori, non mouetur rationibus probabilibus directis partis ſtrictioris ad operandum, ſed mouetur ex dictamine reflexo certo, quod in dubio practico pars tutior tenenda eſt.

57\. *Opinio, quæ petit partem ſtrictiorem, non infert, quod Deus iubeat impoſſibilia.*

Hinc autem non inferri, quod Deus iubeat impoſſibilia, patet; quia ſicut in dubio practico non eſt impoſſibile ſequi partem tutiorem, ita neque in conflictu opinionum id eſt impoſſibile. Et, vt ſuprà oſtendi, etiamſi Deus præciperet, quod in conflictu opinionum ſequeremur partem tutiorem, nihil impoſſibile præciperet.

58\. Sed inſtat Caramuel *in Apolog. num.* 116. his verbis: [Ante annos paucos Ianſeniani in Gallia, vt doctrinam Ianſenij ab Innocentio X. condemnatam ſub larua pietatis reuocarent, ſunt pium & doctum probabilitatum vſum incriminati: præuidentes, illo ſemel proſcripto, Ianſenianam neceſſariò hæreſim reſurrecturam.] Si ergo hæretici negant licitum vſum opinionis probabilis, vt inferant, Deum præcipere impoſſibilia, & hominem neceſſariò operantem peccare; fit, optimè inferri hæreſim & Ianſeniſmum ex eo, quod negetur vſus opinionis probabilis.

59\. *Senſus, in quo Ianſeniſtæ negant vſum probabilitatis.*

Reſpondeo, duplici modo intelligi poſſe, quod ſit illicitus vſus opinionis probabilis. Primò. Vt in omnibus quis operari debeat ex dictamine directo certò, ita vt in omnibus teneatur inuenire reſolutionem directam certam, aliàs peccaturum. Et hoc modo rectè infertur, Deum præcipere impoſſibilia, cùm impoſſibile ſit, hominem in omnibus agendis reperire reſolutiones directas certas. Et ſi quidem hæretici, dum vſum opinionis probabilis reſpuebant, eò collimabant, vt oſtenderetur, Deum præcipere impoſſibilia, manifeſtum eſt, quod hac via incedebant.

60\. Secundo modo poteſt intelligi, illicitum eſſe vſum opinionis probabilis, quatenus omnes opiniones probabiles inter ſe pugnantes pariant dubium practicum; & ideò in conflictu earum ſemper ſectanda ſit pars ſtrictior, ex dictamine certo, quod in dubio practico ſectanda eſt pars ſtrictior, & tutior, modo ſupra explicato. Et hoc ſecundo modo non infertur, quod Deus præcipiat impoſſibilia. Cautè ergo procedat Theologus cum Ianſenianis diſtinguendo hos duos ſenſus, dummodo Fagnano non attribuatur primus ille ſenſus; qui Doctor ad ſummum hoc ſecundum admittit, qui de hæreſi, vel errore contra Fidem inſimulari non poteſt, quidquid ſit, an poſſit accuſari de errore contra euidentiam, ex aliis argumentis demonſtratiuis.

ARTICVLVS III.

Examinatur argumentum deſumptum ab ignorantia inuincibili reperta in opinione probabili.

61\. CAramuel *in Apolog. num.* 290. alio modo contendit demonſtrare, licitum eſſe vſum cuiuſvis opinionis, etiam minùs probabilis, in hæc verba: [Probabilitas à peccato excuſat. Et cur? Quia ſi illa non excuſaret, nec excuſaret à peccato ignorantia inuincibilis, quæ in omni probabili opinione inuenitur; & eſt formalis ratio, ob quam opinio probabilis excuſare dicatur. Huc

Digitized by Google

enim vniuerſi Theologi recurrunt, vt laudabilem opinionum probabilium vſum contra noſtri æui Nouatores defendant: qui enim aut veritatem certò ſciret, aut illam vincibiliter ignoraret, vti benignitate probabilium ſententiarum non poſſet. Et cur ignorantia inuincibilis excuſat? Quia ſi non excuſaret, homini Deus præciperet impoſſibilia: nam præciperet, vt ſciat, quæ ſcire non poteſt. Et cur, quæſo, non concedimus, poſſe, & ſolere Deum præcipere hominibus impoſſibilia. Quia ſi illa iuberet, homines neceſſariò peccarent.] Hæc Caramuel.

Ex quibus verbis ſic efformatur argumentum.
62. Omnis opinio probabilis includit ignorantiam inuincibilem: ſed omnis ignorantia inuincibilis excuſat à peccato: ergo omnis opinio probabilis excuſat à peccato. Deinde ſumpto argumento ab oppoſito contradictorio conſequentis, opinio probabilis non excuſat à peccato: ergo ignorantia inuincibilis non excuſat à peccato. Atqui ſi ignorantia inuincibilis non excuſat à peccato, obligaretur homo ad vincendum eam ignorantiam: ergo obligaretur homo ad aliquid impoſſibile, cùm impoſſibile ſit vincere inuincibilem ignorantiam.

Doctrina huius argumenti videtur aduerſus ſe
63. ipſam implicare magnam difficultatem. Et quidem ſi Caramuel contendat, ignorantiam, quæ continetur in opinione probabili, ideò eſſe inuincibilem, quia vinci non poteſt per ſcientiam, & euidentiam eius obiecti; planè quid falſum ſupponit: nam ea ignorantia, quatenus inuincibilis eſt per ſcientiam, non excuſat à peccato. Patet. Etenim ea ignorantia inuincibilis, quæ continetur in opinione probabili, continetur in illa ſecundum quod opinio probabilis eſt incerta; vel, vt formaliùs loquar, eſt ipſa incertitudo, quæ eſt de eſſentia opinionis probabilis: atqui ſola incertitudo, quantumvis inuincibilis, non excuſat à peccato: ergo ea ignorantia inuincibilis contenta in opinione probabili, non excuſat à peccato.

Ignorantia, quà præſcisè inuincibilis per ſciẽtiam, non excuſat à peccato.

Minor, ſi penetrentur termini, euidentiſſima
64. eſt. Nam opinio, quæ omninò caret fundamento graui, & non eſt euidenter falſa, vtique incerta eſt; cùm nec ſit certa, nec certò falſa; & tamen incertitudo illius non excuſat à peccato; non enim excuſaretur à peccato, qui regeret conſcientiam ex opinione, quæ caret fundamento graui: ergo incertitudo præſcisè non excuſat à peccato. Lato modo loquor, cùm voco opinionem; ea enim, quæ fundamento caret, potiùs iudicij temerarij nomine appellanda eſt.

Maior prioris ſyllogiſmi, ſi explicetur, etiam
65. eſt indubitabilis. Etenim opinio probabilis componitur ex duobus prædicatis; nempe ex eo, quod ſit incerta, & ex eo, quod nitatur ratione graui, & prudenti. Ignorantia ergo inuincibilis (quæ inuincibilis dicatur, eo quod vinci non poteſt per ſcientiam eius obiecti,) & quæ continetur in opinione probabili, non prouenit à ratione graui, neque includitur in hoc, quod eſt eſſe munitam ratione graui, & firma, vel prudenti. Nam etiam ſententia euidens nititur ratione graui firma, & prudenti; nam ratio euidens, & probabilis in his attributis conueniunt, & differunt in ratione certi, & incerti. Non ſtat ergo ea ignorantia inuincibilis in ratione grauis, ſed in incertitudine: neque enim opinio probabilis habet aliud prædicatum præter ea duo.

Probabilitas conſtituitur ex incertitudine, & ratione graui.

Secundò. Qui habet dubium practicum, habet 66.
eam ignorantiam, & incertitudinem inuincibilem (quæ per ſcientiam vinci non poteſt) de eo obiecto practicabili, circa quod habet dubium; & tamen non excuſat à peccato ob eam ignorantiam, & incertitudinem inuincibilem, eum ſcilicet, qui ſequitur partem laxiorem, ſiue minùs tutam: ergo ea incertitudo, ſiue ignorantia inuincibilis præſcisè non excuſat à peccato eum, qui ſequitur partem laxiorem.

In dubio practico eſt ignorantia inuincibilis per ſcientiam.

Conſequentia valet, præcipuè cùm dicat Ca- 67.
ramuel, quod [ignorantia inuincibilis, quæ in omni opinione probabili inuenitur, eſt formalis ratio, ob quam opinio probabilis excuſare dicatur.] Patet ergo, eam ignorantiam inuincibilem præſcisè eo modo explicatam, non eſſe rationem formalem excuſandi peccato; quandoquidem eadem reperta in dubio practico non excuſat à peccato.

Tertiò. Ratio, quæ excuſat à peccato in opi- 68.
nione probabili, eſt duntaxat, quod homo nitatur ratione prudenti: ſed in ea incertitudine, ſiue ignorantia inuincibili præſcisè (quæ inuincibilis dicatur ob impoſſibilitatem euidentiæ) non reperitur ratio prudens: ergo ea incertitudo, ſiue ignorantia inuincibilis præſcisè non excuſat à peccato.

In probabilitate ratio prudens eſt, quæ excuſat à peccato.

Maior patet. Ideò enim homo excuſatur à pec- 69.
cato, cùm deeſt illi euidentia bonitatis directæ, quia operatur prudenter: ſed quod operetur prudenter, prouenit à ratione prudenti, & non ab incertitudine: ergo quod excuſetur à peccato in electione opinionis probabilis, prouenit ex eo, quod nitatur ratione prudenti: ergo ratio excuſans à peccato operantem ex opinione probabili, eſt duntaxat ratio prudens.

Quod verò in ea ignorantia inuincibili præ- 70.
ſcisè non reperiatur ratio prudens, quæ erat minor prioris ſyllogiſmi, manifeſtum eſt. Cùm in opinione, quæ caret fundamento, detur eadem incertitudo, atque adeò eadem ignorantia inuincibilis; & tamen non detur ratio prudens.

Ad quarum difficultatum explicationem præ- 71.
mitto id, quod docuit P. Vaſquez *tom. 1. in 1. part. diſp. 117. num. 2.* his verbis magnoperè attendendis, in quibus agit de ignorantia iuris antecedenti ad omnem voluntatem. [Hæc dicitur inuincibilis, vocatur etiam probabilis. Inuincibilis quidem, quando nulla diligentiâ humana impediri poterit. Probabilis verò, quia licèt potuerit vinci, non tamen debuit; eo quod probabili ratione ſic iudicatum fuit, vltra quod nullus debet inquirere. Quæ etiam, vt ait Corduba locò inferiùs allegando, eadem ratione dici poteſt inuincibilis, quia licèt potuerit ſuperari aliquo modo (quiſque enim poteſt opinionem, quam putat probabilem, retinere) tamen ea diligentiâ, quam debebat adhibere, non potuit, eo ipſo quod non debuit.]

Vaſquez.

Iuxta quæ duplici modo poteſt ignorantia eſſe 72.
inuincibilis. Primò, quia homo non poteſt abſolutè per vllam diligentiam propriam ab ea ignorantia eripi. Vt ſi quis certò credat, periurium licere ad vitandum homicidium; ita vt nulla ratio dubitandi ei occurrat. Secundò, quâtenus non tenetur eam ignorantiam fugere. Tunc autem non tenetur eam fugere, quando pro vna parte occurrit ratio probabilis, cui innitatur intellectus ad aſſenſum practicum eius partis.

Ignorantia inuincibilis eſt, quã quis non poteſt, vel non tenetur fugere.

Ruſus duplici modo poteſt contingere, quod quis

quis

Digitized by Google

73. quis vincat ignorantiam: primò ſcientiâ ipſa, quam quis poſt adhibitam diligentiam comparat; vt cùm quis putans fornicationem eſſe licitam, & adhibens diligentiam, peruenit ad ſcientiam huius veritatis de turpitudine eius actus. Secundò, quatenus ignorantia ipſa reſoluitur in dubium practicum, in quo (non occurrente ratione probabili pro libertate) ſcit homo, tutiorem partem eſſe amplectendam; vt cùm quis putat, fornicationem eſſe licitam, & ea exiſtimatio deſinit in dubium, & ita cognoſcit, debere in eo dubio ab illa abſtinere.

Ignorantia vincitur, vel ſcientiâ, vel reſoluendo eam in dubiũ practicum.

74. Præterea. Homo ſemper tenetur fugere eam ignorantiam, quoties poteſt, & non occurrit ei ratio verè probabilis pro libertate contra legem. Tenetur autem fugere eam ignorantiam (dum poteſt) vno è duobus modis ſuprà traditis; nempe vel adhibendo diligentiam ad ſcientiam comparandam, vel reducendo ſe ad dubium practicum, vt in illo operetur ſecundùm partem tutiorem.

75. Hinc eſt, quod quando homini occurrit ratio merè probabilis pro libertate contra legem, ea ignorantia maneat inuincibilis, iuxta ea, quæ aſſerit P. Vaſquez relatus ſuprà *num.* 71. Nam, vt aſſerit S. Thomas *quodlib. 7. art.* 15. referendus infrà *cap. 6. art.* 3. ea ignorantia eſt inculpabilis (ſiue inuincibilis) quæ verſatur circa id, *quod quis ſcire non poteſt, vel ſcire non tenetur.* Vnde propoſita ea quæſtione, [An ſit obligatus reſtituere, qui damnum graue intulit cum ſola culpa veniali?] Dum homo ignorat, quæ pars quæſtionis ſit à parte rei vera, & videt ſibi impoſſibile, ſcientiam adquirere eius obiecti; ſi non ſibi occurrit ratio probabilis pro libertate, & occurrit ei ſufficiens deliberatio ad dubitandum, ignorantia manet vincibilis, quia poteſt, & tenetur reducere ſe ad dubium, in quo tutiorem partem ſequatur pro lege contra libertatem, & ſic vincere practicè eam ignorantiam. Si verò occurrat ei ratio probabilis pro libertate contra legem (iuxta ſententiam eorum, qui docent, non adeſſe in eo caſu obligationem ſatisfaciendi) ignorantia manet inuincibilis, non quia non poſſit dubitare, & in dubio ſequi partem tutiorem; ſed quia propter rationem probabilem non tenetur eo modo vitare ignorantiam.

Iuxta S. Th. ignorantia eſt inuincibilis, cùm quis ſcire non poteſt, vel non tenetur.

Non tenetur vincere ignorantiam reſoluendo in dubium practicum, cùm occurrit ratio probabilis.

76. Hinc colligitur, quomodo in omni opinione probabili adſit ignorantia inuincibilis. Quia licet homo poſſit vincere practicè eam ignorantiam, reſoluendo illam in dubium, & ad exigentiam dubij ſequendo partem tutiorem; quia tamen per rationem probabilem deponit dubium, non tenetur ad eum modum vincendi ignorantiam.

Quomodo in omni opinione probabili ſit ignorãtia inuincibilis?

77. Hinc etiam patet, quomodo ignorantia inuincibilis incluſa in omni opinione probabili excuſet à peccato. Nam ſecundùm S. Thomam proximè relatum, excuſat ignorantia, vel quando homo non poteſt vincere illam, vel quando non tenetur. Cùm ergo ratione probabilitatis homo non teneatur vincere ignorantiam, ideò excuſatus manet à culpa, ſi fortè à parte rei eſt verum, quod obiectum eſt moraliter malum.

Quomodo ea ignorantia contenta in opinione, excuſet à peccato?

78. Patet etiam, quod ignorantia inuincibilis, quæ continetur in opinione probabili, non prouenit præſcisè ab incertitudine, quam præfert opinio probabilis. Nam ea incertitudo eſt practicè vincibilis, dum poteſt reſolui in dubium, in quo pars tutior ſequenda ſit. Sed prouenit tum ab incertitudine, tum à fundamento probabili, quod quidem facit, vt deponatur dubium, in quod ea incertitudo reſoluenda erat.

Ea ignorantia non prouenit præſcisè ab incertitudine.

Hinc facile eſt conſpicere, quam vim habeat illud argumentum Caramuelis deſumptum ab ignorantia inuincibili, vt iterum refundat Ianſeniſmum in ſententiam, quæ affirmat, ſemper ſequendam eſſe opinionem tutiorem, vel probabiliorem. Id enim argumentum nullam habet vim, ſi duæ poſitiones ſtatuantur. 79.

Prima eſt. Ianſeniſmus inde arguitur, ſi quis admittat, vel Deum præcipere impoſſibilia, vel actionem neceſſariam, & quæ non eſt ſub poteſtate liberi arbitrij, eſſe moraliter malam. 80.

Quid tradat Ianſeniſmus?

Secunda eſt. Iuxta principia aſſerentium, tutiorem ſemper opinionem inter probabiles ſeligendam, ignorantia, quæ continetur in omni opinione probabili, eſt vincibilis, quia poteſt reſolui in dubium, & illud dubium obſtringit ad tutiorem partem ſeligendam; & prædictum dubium non deponitur quacumque opinione probabili, ſed ſola tutiori. 81.

Iuxta Fagnani ſententiam, in omni opinione eſt ignorãtia vincibilis.

His ita ſtatutis, nullo modo infertur ex ea ſententia Ianſeniſmus: negat enim in omni opinione probabili eſſe ignorantiam inuincibilem, quia ea ignorãtia vincitur, quatenus reſoluitur in dubium, in quo tutior pars eligenda ſit. Sicut non excuſaret à peccato eadem ignorantia, caſu quo Deus, vt potuit, præciperet nobis, vt in qualibet opinione probabili ſemper eligeremus eam, quæ ſtat pro lege contra libertatem. 82.

Quod ſi Caramuel contendat, ignorantiam inuincibilem dici talem, quia non poteſt vinci per euidentiam obiecti, multò minus vrget argumentum; cùm ea ignorantia non excuſet à peccato in opinione probabili, in qua ſolùm excuſat à peccato fundamentum graue, & prudens, cui talis opinio innititur; cùm inueniatur etiam in dubio practico ſimilis ignorantia, quæ non poteſt per euidentiam vinci; in dubio autem practico manifeſtum eſt, quod non excuſat à peccato ea præſcisè ignorantia, quæ per euidentiam vinci non poteſt. De quo vide ſuprà *in hoc art. à num.* 83. 83.

Dices. Quando quis habet errorem, quo putat, certam eſſe honeſtatem alicuius obiecti in ſe moraliter mali, neque occurrit ei ratio dubitandi; tunc is error eſt inuincibilis, & omninò excuſat à peccato: ſed in opinione probabili poteſt id contingere, quod quis ignoret per errorem apparenter certum, quænam ex duabus contradictoriis opinio ſit à parte rei vera, quin illi occurrat dubitandi ratio: ergo ea ignorantia inuincibilis dari poteſt in opinione probabili, in qua non occurrat ratio dubitandi. Quod ſi iſta non occurrat, non poterit illa ignorantia reſolui in dubium, neque dubium deponi ex opinione probabili; quia dubium, quod non oritur, non deponitur. 84.

Reſpondeò, minorem eius ſyllogiſmi eſſe implicatoriam. Implicat enim, quod intellectus poſitus inter duo obiecta contradictoria neſciat, quodnam eorum verum ſit, & quod non ſuſpendat aſſenſum ab vtroque, deficiente, vt ſupponimus, ratione probabili; niſi temerè procedat ad aſſenſum vnius partis. Prius ergo dubitat intellectus, quæ pars ſit vera à parte rei; poſteà verò adueniente ratione probabili, deponit dubium. Qua ratione ea ignorantia, ſiue defectus ſcientiæ manet inuincibilis, quia adueniente fundamento probabili, 85.

Digitized by Google

probabili pro libertate, non tenetur homo vincere eam ignorantiam, reſoluendo eam in dubium, in quo ad ſecuriorem partem teneatur.

86. Ex quibus patet argumentum Caramuelis non habere vim, ſi iuxta oppoſitam ſententiam dicatur, ignorantiam, quæ latet in opinione probabili, eſſe vincibilem, quatenus debet reſolui in dubium practicum.

87. Sed etiamſi ſtetur noſtris principiis, aſſeraturque, eam ignorantiam eſſe inuincibilem, adhuc non infertur Ianſeniſmus, neque quod Deus præcipiat impoſſibilia. Nam, vt conſtat ex dictis, ideò ignorantia, quæ includitur in opinione probabili, inuincibilis eſt, non quia non poteſt vinci; poteſt enim reſolui in dubium, & hoc vinci per electionem partis tutioris, vt dictum eſt; ſed quia non tenetur homo ad id, eo ipſo quod habet fundamentum probabile pro libertate. Cùm ergo ea inuincibilitas non ſit defectu potentiæ vincendi, ſed defectu obligationis; inde eſt, quod non ſit abſolutè impoſſibilitas phyſica, nec per eam ignorantiam inuincibilem redigatur homo ad phyſicam impoſſibilitatem.

Ignorantia, quæ eſt in opinione, non eſt defectu potentiæ vincendi, ſed defectu obligationis.

88. Eſt ergo manifeſtum diſcrimen inter ignorantiam inuincibilem, quæ datur in iudicio erroneo putante vt omninò certum, fornicationem eſſe licitam (ſi hic error poſſibilis eſt;) & ignorantiam inuincibilem latentem in opinione probabili. Nam primam ignorantiam vincere, non eſt in poteſtate liberi arbitrij; & ſecundam vincere conſtituendo ſe in dubio ad tutiorem partem ſeligendam, eſt ſub poteſtate liberi arbitrij: & ideò quamvis prima tollat libertatem, tamen non ſecunda. Et propterea quamvis ſit Ianſeniſmus admittere, quod peccat ille, qui prima ignorantia affectus, facit actionem ſecundum ſe illicitam; non tamen eſt Ianſeniſmus affirmare, quod peccat ille, qui ſecunda ignorantia affectus operatur ſecundum opinionem minùs tutam, ſiue ſtantem pro libertate contra legem.

Diſcrimen inter ignorantiam iudicij erronei, & aſſenſus probabilis.

89. Sed inſiſtit adhuc Caramuel, ſuadere conatus, hac impugnatione opinionum probabilium rediuiuum fieri Ianſeniſmum: etenim Ianſeniſtæ eò collimant, vt doceant, ignorantiam inuincibilem non excuſare à peccato, vt concludant homines neceſſariò peccare, eo quod teneantur ad vincendam ignorantiam, quam vincere non poſſunt. Probant autem, ignorantiam inuincibilem non excuſare à peccato, dum affirmant, opinionem probabilem, in qua continetur ignorantia inuincibilis, non excuſare à peccato.

90. Sed audiendus eſt Caramuel *in Apolog. n. 189.* in hæc verba: [Tacent (Ianſeniſtæ) hodie: & de quinque illis propoſitionibus quas condemnauit Apoſtolica Sedes, nihil publicè obganniunt; ſed mutata dialecto eaſdem omnes aliis verbis reponunt: dicuntque, *Peccant, qui in materia conſcientiæ ſequuntur opiniones probabiles.* Imò vlteriùs progreſſi ſententiam oppoſitam, quæ omnium eſt, temerariam, & euidenter falſam, & dignam cenſura ſuccalamant. Profectò non omnes viri doct: dialectum iſtam capiunt, nec omnes, quid Ianſeniani dicant, & quò tendant, intelligunt: & hanc ob rem oportet verba hæc ex Ianſeniano idiomate in linguam communem transferre. Ego igitur, qui à multis iam annis cum Ianſenianis diſputo, & eorumdem exactè circumloquia cognoſco, aſſumam tranſlatoris officium, & hanc myſticam lineam in linguam communem conuertam. Et ſic inquam. Hæc verba, *Peccant omnes, qui in materia conſcientiæ ſequuntur opinionem probabilem;* dialecti Ianſenianæ ſunt, & complectuntur omnes hæreſes, quas anno 1653. pridie Kalendas Iunias Apoſtolica Sedes vltima ſententia condemnauit.] Hucuſque Caramuel, cui videtur fides habenda, cùm tot annis hoc bellum cum Ianſeniſmo expertus fuerit.

Circa quod ego quidem in primis fateor, hoc argumentum eſſe Ianſeniſtarum: [Opinio probabilis non excuſat à peccato: ſed in opinione probabili continetur ignorantia inuincibilis: ergo ignorantia inuincibilis non excuſat à peccato. Sed eo ipſo quod illa non excuſat à peccato, tenetur homo vincere ignorantiam inuincibilem: ergo tenetur ad aliquid impoſſibile.] 91.

Deinde aſſero, inter Fagnanũ & Baron hinc, & Ianſenianos inde magnũ chaos intercipi. Iſti enim in omni opinione probabili ponunt ignorantiam inuincibilem, quam dicunt à peccato non excuſare. Illi verò in opinione probabili conſtituunt ignorantiam vincibilem, quæ reſoluatur in dubium, in quo tutiorem partem eligere oporteat. 92.

Diſcrimen inter Fagnanũ, & Ianſeniſtas, quoad ignorantiam ſitam in opinione.

Præterea affirmo, Ianſeniſtas peſſimè diſcurrere, dum ab inuincibilitate ignorantiæ, quæ reperitur in opinione probabili, arguunt ad inuincibilitatem ignorantiæ Intellectus errantis, qui nullam habet deliberationem ad dubitandum. Nam inuincibilitas huius ignorantiæ eſt impoſſibilitas phyſica, cum qua peccatum non componitur. Prima autem inuincibilitas ignorantiæ, quæ continetur in opinione probabili, non eſt impoſſibilitas phyſica, ſed defectus obligationis reſoluendi eam ignorantiam in dubium, in quo debeat homo ſequi partem tutiorem. In quo caſu licèt non obligetur homo ad reducendum ſe ad prædictum dubium, poteſt tamen liberè pro imperio voluntatis ad illud ſe reducere, non deponendo illud, ſed operando partem tutiorem. Et ita licèt omitteremus, quod ignorantia inuincibilis, quæ latet in opinione probabili, non excuſat à peccato; non propterea ſequitur, quod altera ignorantia inuincibilis non excuſet à peccato; cùm hæc ſecunda ignorantia afferat impoſſibilitatem phyſicam vincendi illam, non item prima. 93.

Peſſima Ianſeniſtarum conſequentia.

Alia eſt inuincibilitas ab impoſſibilitate, & alia à defectu obligationis.

Ex eo autem, quod inuincibilitas ignorantiæ, quæ eſt in opinione probabili, non excuſet à peccato, ſolùm inferretur, quod homo poſſet committere peccatum, quamvis iſtud non prohiberetur; qui eſt diuerſi generis error. Non autem infertur, vt dixi, impoſſibilitas phyſica, quam volunt Ianſeniſtæ non excuſare à peccato. Cautè ergo cum Ianſeniſtis procedendum eſt. Circa quod vide etiam, quæ dixi *articul. præcedenti.* 94.

ARTICVLVS IV.

Examinatur reſponſio Vincentij exhibita prædicto argumento Caramuelis.

BAron, vt ei argumento Caramuelis reſpondeat, *diſp. 2. ſect. 1. art. 3. §. 2. pag. 154.* ſic ait: [Vnde ergo infers, nos velle, Deum præcipere impoſſibilia? Quia, inquis, ignorantia inuincibilis non excuſabit à peccato, ſi probabilitas non excuſet: neque enim id poteſt, niſi beneficio 95.

neficio ignorantiæ inuincibilis, quam inuoluit: & niſi excuſaret, ſeu probabilitas, ſeu ignorantia inuincibilis, Deus præciperet impoſſibilia, nempè vt ſciamus, quæ ſcire non poſſumus. Reſponſio hæc, *quæ vna nititur tota cauſa probabilitatum* pro libertate, *plures habet errores, quàm verba:* (egregia propoſitio, ſi probaretur.) Prætereà addimus, ignorantiam inuincibilem tolli, non ſolùm opinione probabili de honeſtate actionis, ſed ipſamet dubia, an res, quæ inſtat agenda, cum lege conueniat, & ſit permiſſa, an prohibita, vt ex mente omnium Philoſophorum relatum eſt verbis Ciceronis, ipſam dubitationem rationem habere iniuriæ, vt *pudendum* videatur Theologo, id negare de opinio[illegible]obabiliſſima, rem eſſe iniquam, quod Philoſophi aſſerunt de *ipſamet dubitatione*. Vnde immeritò nobis obiicit Caramuel, niſi probabilitas excuſet, hominem peccaturum neceſſariò. Hoc enim falſiſſimum eſt, nec alio probat argumento, quàm manifeſta petitione principij. Quæro enim à te, cur cenſeas, cùm dubito non ſolùm leui coniectura, ſed etiam grauiſſimo argumento, an iuramentum falſi cum reſtrictione mentali, ex Tamburino (*imò ex communi ſententia*) licitum, ſit damnandum, vt ipſemet concedis, ſi hoc iuramenti genus animo ſic comparato vſurpem, peccem neceſſariò ex ignorantia inuincibili? Ego iuxta mea principia dicam, peccare quidem, idque liberè, non neceſſariò, quia ratione dubitationis à teipſo inſinuatæ ignorantia inuincibilis tollitur, aut reſoluitur in ignorantiam vincibilem, vbi primum ortum eſt dubium, & cùm inualuit *in opinionem probabilem*, ac proinde ſequendam, quæ ſtat pro lege, huiuſmodi iuramentum verum eſſe periurium. Ergo ex meis principiis, ne vel minima quidem ſuſpicio eſt, me peccare neceſſariò ex ignorantia inuincibili; quandoquidem ipſamet dubitatio monet ab actione ſuſpecta abſtinendum.] Hucvſque Baron pro eius argumenti ſolutione.

96. *Tria digna correptione.* In qua multa veniunt notanda, & refutanda. Primum ea verba: *Reſponſio hæc, quæ vna nititur tota cauſa probabilitatum.* Quod quidem omninò falſum eſt, cùm cauſa probabilitatis practicæ, ſit omninò independens ab ea reſponſione. Aſſero, ſtare inconcuſſam, & omninò certam, & euidentem cauſam probabilitatis practicæ (ſi bene intelligatur) in quacumque opinione inueniatur, & reperiri in ea ignorantiam inuincibilem; quæ ſi dicatur eſſe inuincibilis præcisè ob impoſſibilitatem ſcientiæ, ſic non excuſat à peccato, cùm hic modus ignorantiæ inuincibilis ſit communis dubio practico, vt conſtat ex dictis. Sed ſolùm excuſat à peccato ignorantia inuincibilis, quatenus non tenetur homo eam vincere modo ſupra explicato.

97. Secundum correptione dignum eſt id quod ait: *plures habere errores, quàm verba.* Sed quos habet errores? Audi ipſum *ibid. verſ. ſed incautum*, vbi ita ait: [Sed incautum, & præcipitem (Caramuelem) in nos æſtu diſputationis abripi video, & in profundum omnium errorum delabi aduerſarium, dum inuincibilem ignorantiam indiuiduam vult eſſe omni probabilitati. Quam ſibi foueam effodit hoc aſſerto? In quæ præcipitia deducit homines?] Sed dicat Baron, quam, & in quæ? Reſpondet verbis immediatè ſequentibus: [Certè quiſquis negat, ignorantiam inuincibilem poſſe tolli, aut reſolui in ignorantiam vincibilem ſola ſcientia (corrige, *niſi ſola ſcientia*) rerum, de quibus opinamur, iam pluries demonſtraui, quod inde idololatriam docet fieri probabilem, atheiſmum ſecurum, & ab omni periculo peccati, aut damnationis immunem. Superioribus argumentis hoc nouum addo. Si ignorantia inuincibilis nequeat tolli, niſi per ſcientiam rerum, de quibus dubitamus, immeritò Apoſtolus *Rom.* 1. inexcuſabiles pronuntiat antiquos Philoſophos, quòd cùm Deum cognouiſſent ex creaturis, vt Deum minimè coluerint, illique gratias egerint, vt bonorum omnium Authori, primæ ſui, & rerum vniuerſi cauſæ. Sed quos damnat Apoſtolus, abſoluit Caramuel. Contendo enim, his Philoſophis, quos inexcuſabiles pronuntiat Paulus, non defuturam ignorantiam inuincibilem, qua imbui vult omnes opiniones probabiles,] &c.

Sanè grandia errorum monſtra pollicetur Vincentius. Et ſi quidem veroſimiliter probat (nedum demonſtrat) erit ille mihi magnus Apollo. Sed quàm inanis ſit conatus eius, demonſtro *cap. ſequenti*: in caſſum enim laborat, dum vult poſſe aliquem hominem probabiliter aſſentiri atheiſmo; & inexcuſabiles fuiſſe antiquos Philoſophos ob ſolas rationes probabiles. 98.

Homines excuſari à peccato ob ignorantiam inuincibilem, quæ talis eſt, eo quod non debeant illam vincere, quia opinio probabilis aufert debitum illam vincendi, dixi *art. præcedenti*. Adhuc autem inde non ſequitur, excuſabiles fuiſſe eos Philoſophos, eo quod nullam potuerunt probabilitatem habere de non exiſtentia Dei, vt *cap. ſequenti* oſtendo. 99.

Quod autem in omni opinione practicè probabili, etiam quæ fauet libertati, reperiatur ea ignorantia, quæ inuincibilis ſit propter fundamentum probabile, ex *art. præcedenti* ſatis conſtat. Et nota etiam, non poſſe vni ſententiæ attribui hæreſim, niſi euidenter inferatur ex illa. 100.

Tertium animaduerſione dignum eſt id, quod ait de verbis Ciceronis. Hæc propoſuit *diſp. 1. ſect. 2. art. 3. §. 1. prope initium, ex lib. 1. off.* vbi ait Tullius: *Quocirca bene præcipiunt qui vetant, quidquam agere quod dubites, æquum ſit, an iniquum. Æquitas enim lucet ipſa per ſe; dubitatio autem cogitationem ſignificat iniuriæ.* Et non video, quomodo pudendum videatur Theologo, id negare de opinione probabiliſſima, aſſerente, rem eſſe iniquam, quod Philoſophi aſſerunt de ipſamet dubitatione; quia non video vim conſequentiæ. Itaque cùm dubitas practicè, an poſſis non reſarcire damnum, quod proximo intuliſti ex inaduertentia veniali, dum practicum dubium perſeuerat, ſecundum Ciceronem, & omnes Theologos reſarcire teneris; quia in dubio practico partem tutiorem amplecti debes. Ait ergo Vincentius, pudendum eſſe Theologo, non reſarcire damnum in eo caſu, quia adeſt probabiliſſima ſententia, quæ ait adeſſe obligationem reſarciendi; idque non obſtante probabiliſſima etiam ſententia Theologorum, quæ ſuffragatur tuæ libertati, & excuſat te ab omni obligatione reſtituendi. Quaſi pudendum ſit Theologo operari ex dictamine rationis digno hominis prudentis. Et quaſi non ſit euidens diſparitas inter dubium practicum, quod caret omni dictamine prudentiæ, & inter opinionem probabilem libertati ſuffragantem, quæ rationibus nititur homine prudenti dignis. 101.

102. Et aduerte, non poſſe eſſe *pudendum* hoc præ illo, niſi ad hoc fortior, & vrgentior ratio impellat. Miror ergo, quod Vincentius fortiorem, & vrgentiorem inueniat ad damnandum de reatu culpæ in conflictu opinionum, quarum quælibet firmis, & prudentibus rationibus munitur; quàm in dubio practico, in quo homo ſolet omni ratione prudenti deſtitui.

103. Quartum. Id, quod Vincentius obiicit Caramueli circa excuſandum mendacium per reſtrictionem mentalem, non eſt ad rem. Non enim affirmat Caramuel, illum, qui vtitur reſtrictione mentali, peccare neceſſariò, neque habere ignorantiam inuincibilem: affirmat enim, eam opinionem eſſe, non quidem probabilem, ſed à principijs intrinſecis certò falſam, iuxta quam nemo poteſt dirigere conſcientiam. Quidquid ſit, an in ea aſſertione decipiatur Caramuel.

ARTICVLVS V.

Fit periculum de tertio Caramuelis argumento.

104. IN prædicto apologemate *epiſt. 4. reſol. 4. num. 118.* ſic Fagnanum arguit. [Illa Fagnani propoſitio; *In materia Fidei, & morum ad ſecuritatem conſcientiæ non ſufficit opinio probabilis:* vel eſt de Fide, vel ſcientifica, vel probabilis, vel dubia, vel improbabilis, & euidenter falſa, vel detur aliud propoſitionum genus, quod ad hæc non reducatur. Ergo progrediamur paulatim. Dico primò. Illa D. Fagnani propoſitio non eſt de fide: vel qui oppoſitum aſſerat, det vel ſacræ Paginæ textum, vel Concilij Canonem, in quo contineatur. Dico ſecundò. Illa eadem propoſitio non eſt ſcientifica: vel qui oppoſitum aſſerat, det vel vnicam demonſtrationem, hoc eſt, vel vnicum ſyllogiſmum in forma, ſeu figura legitima, cuius præmiſſæ ſint per ſe notæ, & concluſio ſit hæc propoſitio, de qua contra D. Fagnanum agitur. Dico tertiò. Illa ipſiſſima D. Fagnani propoſitio non eſt probabilis, nec dubia, ſed omninò improbabilis, quod omnium Theologorum conſenſus, & doctrina manifeſtè perſuadet. Sed demus probabilem dici, quod non patior: hac hypotheſi data dico quartò. Ignorat Dialecticam, qui putat medio probabili poſſe probabilitatem impugnari. Præterea, vt D. Fagnanus videat, Canoniſtas, Iuriſtaſque ideò in Theologia, quoties audent, exorbitare, quia in Dialectica ceſpitant; hoc fulmen eidem hypotheſi (alias falſæ, quia doctrina, quam reprobo, non eſt probabilis, ſed improbabilis) inſiſtendo diſplodo. Sic, inquam. *In materia Fidei, & morum non licet conſcientiam concredere aſſertioni probabili.* Eſt D. Fagnani, & ab ipſo negari non poterit. *Sed hæc aſſertio*; In materia Fidei, & morum non licet vti opinione probabili, *eſt probabilis.* Hæc conceditur vrbanitatis gratiâ, quia reuerà eſt falſa; & improbabilis; & vniuerſaliter ſumpta, certò hæretica. *Ergo in materia Fidei, & morum non licet conſcientiam prædictæ D. Fagnani aſſertioni concredere.* Forma eſt legitima. Maior eſt D. Fagnani, minor tua, & concluſio contra te, & D. Fagnanum infertur.] Idem argumentum reperit *epiſt. 1. num. 34.*

105. Reſpondet Vincentius *diſp. 2. ſect. 1. art. 2. §. 1. verſ. Centies*, eam ſententiam ſuam, & Fagnani, eſſe euidẽter veram, & à ſe demonſtratam. Sed an ſatisfaciat, iudicare non poſſumus, donec eius argumenta *cap. ſequenti* examinemus. Ad ſecundam verò partem argumenti ſic reſpondet: [Et quamvis eſſet tantùm probabilis, euidenter falſum eſt, quod infertur, quia ſecuritas toto genere differt à probabilitate, & ineſt tantùm opinioni, quæ ſtat pro lege, honeſto, & ſalute.]

Itaque ſecundum Vincentium, ſi ſua ſententia eſt dumtaxat probabilis, eſt euidenter falſum, 106. *Reſponſio Vincentij implicat terminos.*
quod quævis opinio probabilis ſufficiat ad ſecuritatem conſcientiæ. Vide apertam contradictionem: obſerua has duas propoſitiones. Primam, *Probabile dumtaxat eſt, opinionem, quæ ſtat pro lege, non quæ pro libertate, eſſe ſequendam ad ſecuritatem conſcientiæ.* Secundam, *Euidenter falſum eſt, quod opinio fauens libertati ſufficiat ad ſecuritatem conſcientiæ.* Et vide an intellectus humanus poſſit vtramque componere. Nam ex prima hæc infertur, *Non eſt euidens, quod opinio A. fauens libertati, non ſufficit ad ſecuritatem conſcientiæ*: quia quod eſt probabile dumtaxat, non eſt euidens. Rurſus ſecunda propoſitio virtualiter continet totum hoc, *Euidenter falſum eſt, quod opinio A. fauens libertati, ſufficit ad ſecuritatem conſcientiæ; & oppoſitum eius* (nempe quod opinio A, non ſufficit) *eſt euidenter verum.* Nam implicat, ex duabus contradictorijs alteram eſſe euidenter veram, & alteram non eſſe euidenter falſam. Admittit ergo Vincentius, hoc, quod eſt *opinionem fauentem libertati non ſufficere ad ſecuritatem conſcientiæ*, eſſe dumtaxat probabile; atque adeò non euidens: & ſimul eſſe euidens, eam non ſufficere.

Igitur argumentum Caramuelis quatuor partes habet, quà probat ſententiam Fagnani non 107.
eſſe euidentem, vrget, ſi ſoluantur omnia argumenta, quæ obiiciunt Fagnanus, & Baron. Quà probat, eam ſententiam eſſe improbabilem, vrgebit, dum oſtenderit aliquam demonſtrationem contra eam ſententiam; nam quæ hucuſque examinata ſunt, non ſunt probabilia, nedum euidentia.

Quoad tertiam verò partem, dum omittit, ſententiam Fagnani eſſe probabilem, & ſuperaddit, 108.
ignorare Dialecticam, qui putat medio probabili poſſe probabilitatem impugnari; reſpondebunt aduerſarij, poſſe vtramque ſententiam eſſe probabilem, nec tamen poſſe reduci ad praxim ſententiam Caramuelis; quia in conflictu opinionum, quæ fauet libertati reſpuenda eſt. Ad aliud ergo argumentum recurrere debet Caramuel, vt probet, non reſpuendam eſſe opinionem probabilem, quæ fauet libertati.

Fulmen verò, quod in quarta parte argumenti 109.
diſplodit, vereor, ne vertatur in fulgur. Ecce: *In materia Fidei, & morum non licet conſcientiam concredere aſſertioni probabili*: eſt D. Fagnani. Sed *hæc aſſertio*; In materia Fidei, & morum non licet vti opinione probabili, *eſt probabilis: ergo in materia Fidei & morum non licet conſcientiam prædictæ D. Fagnani aſſertioni concredere.* Sed vis eius fulminis diſparuit ex defectu maioris. Nam vel maior eſt vniuerſalis, & reddit hunc ſenſum: *In materia Fidei, & morum nulli aſſertioni probabili licet conſcientiam concredere.* Et ſic negatur à Fagnano, qui admittit, aſſertioni probabili ſtrictiori, & tutiori concredendam eſſe conſcientiam. Vel maior eſt particularis, ita vt reddat hunc ſenſum, *In materia Fidei & morum aliqua eſt*

Digitized by Google

eſt opinio probabilis, cui non licet concredere conſcientiam. Et ſic euaneſcit vis ſyllogiſmi, qui ex puris particularibus conſtitutus inutilis eſt.

ARTICVLVS VI.

Quartum Caramuelis argumentum, deſumptum ex ſententia pia, ad examen vocatur.

110. IN eodem Apologem. *epiſt.* 4. *reſol.* 12. *n.* 151. ſic arguit: [Eadem D. Fagnani doctrina accuſat ſceleris, & nullitatis Bullam Sanctiſſimi D. N. Alexandri VII. de Immaculata Sanctiſſimæ Virginis Conceptione, ad inſtantiam Regis Hiſpaniarum nuper editam. Ergo cùm hæc Bulla, & D. Fagnani doctrina ſint contradictoriæ, & ex D. Fagnano, contra Alexandrum VII. Sanctiſſimum D.N. formare argumenta non liceat, licebit ſaltem ex Bulla, hanc D. Fagnani doctrinam eſſe euidenter falſam, oſtendere. Argumentemur ergo ſic. Impoſſibile eſt, duas doctrinas contradictorias eſſe ſimul veras: at Sanctiſſimi D. N. Bulla, & Fagnani reſolutiones ſunt contradictoriæ: repugnat igitur, vt ſint ſimul veræ. At Bulla non eſt dubiè, incertè, aut probabiliter admittenda, & tenenda, ſed certè: ergo D. Fagnani opinatio certò, & euidenter eſt reiicienda, & præſcribenda.]

111. Subiungit, eam Bullam procedere in materia Fidei, & morum: procedere etiam ſecundùm opinionem probabilem de Conceptione Immaculata Deiparæ: licet ergo vſus opinionis probabilis in materia Fidei, & morum. Quod autem ea Bulla procedat in materia Fidei, probat, quia hæc materia de Immaculata Conceptione Deiparæ, ſpectat ad intelligentiam aliquorum textuum Pauli, purà 1. *Corinth.* 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur*, &c. & alibi: *Omnes peccauerunt in Adam.* Quod autem verſetur in materia morum, probat, quia iubet, cultum exhiberi B. Virgini ob gloriam præſeruationis ab originali in primo ſuæ exiſtentiæ inſtanti; quia iubet Miſſam, & Officium Canonicum recitari de eodem myſterio: quæ ad praxim pertinere, quis dubitet?

112. Reſpondet Baron *diſp.* 2. *ſect.* 2. *art.* 1. §. 1. *verſ. Eiuſdem furfuris*, in hæc verba. [Sanè cùm quæſtio de Conceptione toto genere differat à noſtra, quæ ſit de agendis, & de moribus; altera verò de probabili aſſenſu rei, quæ ad ſpeculationem pertineat; nihil prorſus facit ad noſtram theſim. Nec alia de cauſa videtur huc intempeſtiuè aſcita, quàm vt aduerſario creet inuidiam; atque vt imponat lectoribus, magno illo Ianſeniſmi, & Conceptionis ſtrepitu; & cùm nequeat rem argumentis conficere, tenebras, & offucias huiuſmodi parergis diffundat, & inducat.] Quod idem dixerat *ead. diſp. ſect.* 1. *art.* 3. §. 2. *verſ. Nemo ſanè.*

113. Sed non ſatisfacit argumento. Nam Caramuel euidenter oſtendit, quod prædicta Bulla procedit etiam in materia morum; materiamque prædictæ Bullæ non eſſe dumtaxat ſpeculatiuam, ſed practicam etiam. Non enim eſt quæſtio purè ſpeculatiua, quæ inquirit: [An liceat aſſentiri aſſertioni piæ de Conceptione Immaculata?] Sicut etiam quæ inquirit: [An teneamur Miſſam celebrare de feſto præſeruationis B. Mariæ ab originali à primo inſtanti?] Multò conſultius Vincentio fuiſſet reſponſionem adhibere, quàm ſcommata. Quid enim prodeſt accuſare Caramuelem de tenebris, & offuciis, & relinquere argumentum in poſſeſſione triumphi, à qua non deturbatur, niſi ſolutione legitima?

114. Aſſero ergo, id argumentum Caramuelis non conuincere contra Fagnanum. Et quidem ſi Fagnani ſententiam tenerem, de opinione ſtrictiori, & tutiori ſemper amplectenda, non me à propoſita ſententia deterreret id argumentum. Primò negando Bullam Alexandri VII. pro Immaculata Conceptione, verſari in materia probabili: non enim eſt probabilis, ſed omninò certa ſententia pia eo modo, & ſenſu, quo oſtendi *diſp.* 9. *cap.* 18. Quam reſponſionem ſi adhibeat Fagnanus, tota ea machina argumentationis funditus corruit.

Sententia pia non eſt merè probabilis, ſed certa.

115. Sed eſtò ſententia pia ſit dumtaxat probabilis. Reſpondeo ſecundò, optimè componi has duas propoſitiones. Primam; *Semper amplectenda eſt in praxi opinio ſtrictior, & tutior.* Secundam; *Super opinionem probabilem ſpeculatiuam reflectere poteſt ſententia practica probabilior, aut tutior, aut certa, & euidens.* Vel dicat mihi Caramuel, in quo hæ duæ propoſitiones opponuntur.

Supra opinionem probabilem fundari poteſt ſententia certa.

116. Et dum ipſe genus oppoſitionis cogitat, nullum tale in iis reperiri oſtendo. Nam hæc propoſitio ſpeculatiua, *Baptiſmus lixiuij, quo ablutus eſt Petrus, validus eſt*; eſt probabilis: & hæc, quæ reflectitur ſupra illam, eſt omninò certa: *Non eſt licitum vti in praxi* (extra caſum neceſſitatis) *ea opinione probabili*; *ideóque neceſſe eſt iterare ſub conditione illum baptiſmum in materia certa.* Sicut ergo hæc aſſertio certa nullo modo opponitur ſententiæ Fagnani de opinione tutiore ſeligenda; ita aſſertiones certæ, quas ſtatuit Alexander VII. in Bulla, fundatæ, & reflectentes ſuper opinionem probabilem, optimè componentur cum eadem ſententia. Si ergo componuntur, quo iure conatur Caramuel, quod ſecunda propoſitio non poſſit ſtare cum prima? Quo iure affirmat, *Fagnani doctrinam accuſare ſceleris, & nullitatis Bullam SS. D. N. Alexandri* VII. & vtramque ſibi inuicem contradicere? cùm potiùs mutuo fœdere conſiſtere poſſint.

117. Quod vt clariùs conſtet percurramus nonnullas Caramuelis inſtantias, quas in hoc argumento efformat. Prima *ex num.* 153. Hæc propoſitio, *Licitum eſt credere, Deiparam eſſe conceptam ſine peccato*, eſt de Fide; & hæc, *Non eſt licitum credere, Deiparam eſſe conceptam ſine peccato*, conſequenter eſt hæretica: ergo certum eſt, quod in materia Fidei ad ſecuritatem conſcientiæ ſufficit opinio probabilis.

118. Reſpondeat Fagnanus diſtinguendo conſequens: ſufficit opinio probabilis [tanquam fundamentum, ſuper quod reflectatur ſententia tutior, aut omninò certa,] concedat; [in ſe immediatè, & in ordine ad praxim, ſubdiſtinguat; [ſi tutior eſt] concedat; [ſi non ſit tutior,] neget. Non enim negat Fagnanus omnem opinionem probabilem, ſed eam, quæ non fuerit tutior, ſed laxior. In præſenti autem ſententia practica eſt certa, quamuis reflectatur ſupra opinionem probabilem.

119. Secunda inſtantia, quam ſic proponit *num.* 154. [Vt fundetur cultus diuinus, etiam contra Grammaticam, & apparentem ſenſum ſacræ Paginæ, ſufficit opinio probabilis: ergo in materia morum ſufficit opinio probabilis. Dicit Paulus: *In*

Adam omnes moriuntur : & tamen in Bulla conceditur, vt templa, & in ipſis Religiones, & Confraternitates erigantur ; indulgetur vt Miſſæ, Diuina Officia, & Conciones habeantur ad gloriam, laudemque Dei præſeruantis, & Virginis Matris præſeruatæ : cùm tamen fuiſſe præſeruatam, non niſi probabile ſit.]

120. Si reſpondeat Proſper, ex cultu inferri certitudinem Immaculatæ Conceptionis, fundet copias aduerſarij. Sed vt clariùs aperiat caſſum argumenti conatum, omittat, dumtaxat eſſe probabilitatem, & diſtinguat antecedens : vt fundetur cultus diuinus, ſufficit qualiſcumque opinio probabilis, [ſupra quam reflectatur ſententia de cultu exhibendo,] omittat (quia hanc non negat ſententia de tutiori opinione eligenda in praxi :) ſufficit qualiſcumque opinio probabilis [in ſe immediatè exequenda in praxi,] neget. Quæ ſolutio patet ex dictis.

121. Tertia inſtantia *ex num.* 155. eadem facilitate, & diſtinctione ſoluitur. Ait enim : [Infrà articulos Fidei nulla debent eſſe certiora, quàm quæ in Miſſa, & Horis Canonicis leguntur, quàm quæ in Sede veritatis (Eccleſiæ pulpito) docentur.] Quis non inferret inde? Ergo certiſſima eſt aſſertio Immaculatæ Conceptionis, quæ in Miſſa, & Horis Canonicis, & in Sede veritatis abſolutè traditur. Pergit immediatè : [At ibi docemur, eſſe pium exhibere Deo cultum innixum opinioni probabili : & damnantur omnes, qui audeant dicere, peccare mortaliter habentes, docenteſque ſententiam piam. Ergo aut eſt de Fide, aut ſaltem præter articulos Fidei, nihil eſt certius, quàm quod in materia Fidei, & motum ad ſecuritatem conſcientiæ ſufficiat opinio probabilis.

122. Sed ſi perſiſtat in eadem diſtinctione Proſper Fagnanus, in caſſum laborat Caramuel ; cùm ille non neget certitudinem propoſitionis fundatæ, & reflectentis ſupra veritatem ſpeculatiuam probabilem ; cùm hoc rectè componatur cum ſententia de tutiori opinione ad praxim ſeligenda, vt conſtat ex dictis. Omitto duas alias inſtantias, quas proponit *numero* 156. & 158. quia ſola repetitione eiuſdem diſtinctionis ſoluuntur, & euaneſcunt. Quare valdè miror, quod *num.* 160. hæc verba profuderit Caramuel : [Vidimus, D. Fagnani doctrinam à SS. D. N. in Bulla clarè condemnari.] Cùm ne obſcurè quidem eam doctrinam attigerit.

ARTICVLVS VII.

Exploratur quintum argumentum ex Pontificibus diſpenſantibus ſecundùm opinionem probabilem.

123. IN *epiſt.* 4. eiuſdem Apologematis, *reſol.* 11. *num.* 136. ſic arguit contra Fagnanum. [Eadem D. Fagnani doctrina accuſat ſceleris innumeras ſanctiſſimorum, & prudentiſſimorum Summorum Pontificum operationes, diſpenſationes, leges, &c.] Hanc propoſitionem ſuadet primò authoritate Mag. Acacij de Velaſco, qui *tom.* 2. *verb. Opinion probable, reſol.* 316. *num.* 9. ait, Summos Pontifices plerumque in rebus Eccleſiæ, & in quæſtionibus opinabilibus ſecutos fuiſſe opiniones minùs probabiles, & minùs tutas : ex quo infert, reliquis licere etiam ſequi opiniones minùs probabiles, & minùs tutas.

Suadet ſecundò, eo quod probabile eſt, non poſſe Summum Pontificem diſpenſare in voto ſolemni ; quæ opinio ſecundùm aliquos eſt probabilior, & quod poſſit diſpenſare, eſt pars laxior & minùs tuta : quia non diſpenſando, nullum eſt peccatum, & diſpenſando, fortè eſt peccatum ſaltem materiale. Infert Caramuel : [Ergo peccauit moraliter Alexander III concedendo licentiam Nicolao Iuſtiniano Monacho profeſſo, vt vxorem duceret. Poſita Pontificis diſpenſatione, non erat niſi probabile, poſſe Iuſtinianum matrimonium inire : ergo peccauit Iuſtinianus mortaliter contrahendo. Et cùm poſt contractum matrimonium non eſſet niſi merè probabile, Iuſtinianum eſſe validè coniugatum, peccauit mortaliter ille matrimonium conſummando, & poſt illius conſummationem vtendo fœmina probabiliter ſua.] Has duas poſtremas propoſitiones non credo, etiamſi ſemper tutior opinio ſequenda ſit ; quia matrimonium probabiliter inualidum materialiter, poteſt eſſe formaliter certò obligatorium. De quo multa ſcribam in volumine ſequenti. Addit alias diſpenſationes, Honorij II. cum Ramiro Monacho, Aragoniæ Rege : Cœleſtini III. cum Conſtantia Regis Siciliæ filia : Clementis II. cum Caſimiro Monacho, & Diacono, Poloniæ Rege. 124.

Suadet tertiò. Nam probabile eſt, Pontificem diſpenſare non poſſe in matrimonio rato. Citat pro ea opinione triginta & ſex Anthores : & oppoſita ſecundum aliquos eſt minùs probabilis ; & certum videtur, eſſe minùs tutam, cùm in non diſpenſando nullum ſit omninò peccatum. Et tamen in eo ſæpe diſpenſaſſe Pontifices, aſſerit Additionator Nauarri *in Manual. cap.* 28. Pius V. ter, aut quater diſpenſauit. Gregorius XIII. vna die conceſſit vndecim diſpenſationes huiuſmodi : & ita diſpenſaſſe Gregorium VII. Martinum V. Eugenium IV. Paulum III. & Pium IV. plures teſtantur : ergo licitum eſt nobis operari ſecundum opinionem minùs probabilem, & minùs tutam. 125.

Idem proſequitur circa diſpenſationes, quas conceſſerunt Pontifices in quibuſdam gradibus, quos probabile eſt iure naturali dirimere. 126.

Magis videtur vrgere caſus, quem proponit *num.* 145. Tres Epiſcopos iure diuino requiri ad conſecrationem Epiſcopi, & hanc ab vno factam, eſſe inualidam, aſſerunt P. Bellarminus, P. Vaſquez, P. Bernal, P. Coninck, P. Caſtro Palao, Marchinus, Caietanus, Ochagauia, Yſambertus, Hallier, & Brancatius : & videtur colligi ex D. Paulo 1. *ad Timoth.* 14. & tradita eſſe ab Aniceto *in epiſt. decret.* & à Damaſo, & Ioanne III. *in epiſt.* quæ habetur *tom.* 2. *Concilior.* Eo tamen non obſtante referunt graues Authores, Gregorium I. indulſiſſe Anglis, vt Epiſcopus ab vno Epiſcopo conſecretur. Quod idem Gregorius XIII. conceſſit Patriarchæ Æthiopiæ, referente P. Henriquez : & Pius V. apud Indos, teſte Machado : & Alexander VII. Pragæ. Et addit : [Electus Epiſcopus de Aſſumpta ad Prouinciam Paraguay pertinens, licentiam petiit à SS. D. N. Alexandro VII. vt ab vno Epiſcopo conſecraretur. Conceſſa fuit hæc licentia : ſed antequam ad præſari electi perueniret notitiam, à quodam ille Epiſcopo, duobus aſſiſtentibus Canonicis fuit conſecratus. 127. *An poſſit Pontifex diſpenſare in Conſecratione Epiſcopi vt fiat ſine tribus Epiſc.?*

Digitized by Google

conſecratus. Et declaratur Romæ à S. Congregatione die 15. Decembris. 1657. *ſupradictam conſecrationem Epiſcopi Paraquayenſis, quantum ſpectat ad Sacramentum, & impreſſionem characteris, fuiſſe validam; quantum verò ſpectat ad licitam*, &c. & 16. Februarij. 1658. SS. D. N. declarationem hanc confirmauit per Apoſtolicas litteras in forma Breuis.]

128. Et *num.* 147. hæc ſubiungit: [Sed quàm eſt certum, hunc Paraquayenſis Annuntiatæ eſſe verum Epiſcopum? Reſpondeo eſſe merè probabile. Sed liberè Brancatius: *Neque pro Epiſcopo haberem ſic ordinatum.* Progredior. Si Brancatius non habet illum pro Epiſcopo; ergo neque alios Epiſcopos, ſi quos ipſe conſecrauerit; ergo neque habebit pro Sacerdotibus, quotquot ille ordinauerit: ergo neque pro veris Miſſis, quorquot hi dixerint: ergo neque pro ſacramentalibus confeſſionibus, quotquot ab his auditæ. Terribilia ſunt hæc, & tamen deducta legitimè. Quæ omnia ſunt vera, ſi opinio quam Pontifices ſunt ſecuti, ſit falſa.] Infert denique, ſi Pontificibus licuit ſequi opinionem minùs probabilem, *& minimè tutam in praxi*, & ex qua tot actus inualidi fortè ſequuntur, etiam nobis licebit ſimiles opiniones amplecti.

129. Aliis deinde caſibus idem aſſumptum promouet, ex eo quod alij Pontifices reordinari iuſſerunt Sacerdotes, qui Ordinem ſactum acceperant ab Epiſcopo ſchiſmatico; alij verò, eos ſtare in Ordine ſuo, propter diuerſas opiniones probabiles. Ex eo quod Tridentina Synodus indulſerit Epiſcopis, vt tribus menſibus abeſſe poſſint à diœceſi, cùm probabile ſit, reſidentiam Epiſcopi eſſe de iure diuino. Item ex eo, quod Pontifex conferat beneficia dignis, non dignioribus; cùm probabilis ſententia ferat, non niſi dignioribus conferenda eſſe.

130. Videtur Vincentio Baron *ea diſp.* 2. *ſect.* 1. *art.* 5. *§.* 2. *verſ. Nemo ſanè*, ab his omnibus ſe facilè expedire per tertiam ſuam regulam, quod quando vtraque opinio ſtat pro officio, & honeſto, ea eligenda eſt, *quæ ſtat pro maioris momenti officio*; vt etiam docuit *diſput.* 1. *ſect.* 2. *art.* 3. *verſ. His conſectariis.* Et in priori loco *cit. ex diſput.* 2. ſic ait: [Si aduerſarius percepiſſet vim, & dimenſus fuiſſet tertiæ regulæ ambitum, obſeruaſſet ſine dubio, diſpenſationes Pontificias à voto ſolemni, aliaſque id genus, excluſas eſſe à noſtra diſputatione. Nam quaſcumque ſolent concedere Pontifices, non exigunt ad Caramuelis, aliorumque laxorum mentem, quaſi è duabus opinionibus, quarum vna ſtet pro lege, pro voto ſolemni, altera pro libertate, etiamſi paris ſint probabilitatis, ſecundam anteponere liceat primæ. Sed id agunt ſapientiſſimi Pontifices ex aliis regulis, maximè ex tertia noſtra, cùm *è duobus malis minus eſt eligendum*: vel ex quarta, quæ permittit ab opinione pro lege recedere, ſi diſpenſanti videatur eſſe tenuiſſimæ probabilitatis, quæ nequeat cum aduerſa ſententia æquo iure contendere.] Itaque concedit Baron, vti quem poſſe opinione minùs tuta, vel cùm è duobus malis minus eligitur, vel cùm pars minùs tuta eſt multo exceſſu probabilior tutiori.

131. Sed reuerà non ſatisfacit argumento Caramuelis. Quia licèt id poſſet habere locum in diſpenſatione facta in voto ſolemni, vt Monachus profeſſus ſuccederet in Regno, propter vtilitatem publicam, eo quod *è duobus malis minus eſſet eligendum*: at in conſecratione Epiſcopi facienda ab vno dumtaxat Epiſcopo, id nequit habere locum. Tum quia multò maius malum imminet, ſi fiat conſecratio, & hæc à parte rei non eſt vera, vt bene ponderat Caramuel. Tum etiam quia etſi ſit multò probabilior opinio, quæ dicit validam eſſe eam conſecrationem; adhuc datur contingentia, quod ea opinio ſit à parte rei falſa, & conſequenter grande malum imminet, ſi ille Epiſcopus conſecret inualidè alios Epiſcopos, ordinet inualidè Sacerdotes, hi non conficiant vera ſacrificia, nec impendant abſolutiones validas.

Adhuc tamen non concludit contra Fagnanum prædicta Caramuelis argumentatio. Pro quo ſuppono, multas opiniones numerari ab Authoribus inter probabiles; quas tamen vix doctus à principiis intrinſecis putat certas, vel certò falſas. Quando autem abſque vlla formidine iudicat certò falſas, eas non poſſe reducere ad praxim, conſtat ex *diſputat.* 11. *cap.* 13. *concluſ.* 1. 132.

Reſpondeat ergo Fagnanus, tunc diſpenſaſſe Pontifices in iis caſibus, in quibus nonnulli dicunt, Pontificem diſpenſare non poſſe, quando à principiis intrinſecis iudicarunt, diſpenſationes eſſe certas, & defectum poteſtatis ſuæ ad diſpenſandum, certò falſum. Ideóque Pontifices non operatos eſſe formaliter ſecundum opinionem minùs tutam, ſed ſecundum ſententiam, quam cenſuerunt certiſſimè tutam à principiis intrinſecis. 133.

Et miror, Caramuelem *num.* 147. dixiſſe, Pontificibus pientiſſimis, & prudentiſſimis licuiſſe amplecti opinionem *minimè tutam in praxi*: ex quo quilibet inferre poterit: ergo nobis licet ſequi opinionem *minimè tutam in praxi.* Si enim *minimè tuta eſt in praxi*: ergo operati ſunt cum periculo peccandi: ergo reipſa peccarunt, cùm ſit peccatum exponere ſe periculo peccandi. Si ergo cupit, vt debet, eas Pontificias diſpenſationes vt licitas defendere, ſaniori conſilio eas propugnabit, aſſerendo, eas certò licitas iudicatas à Pontificibus, & oppoſitas opiniones certò falſas, præcipuè in iis caſibus, in quibus probabilitas non tollit contingentiam fruſtrationis ordinum, ſacrificiorum, abſolutionum, &c. 134. *Improbabile eſt quod liceat operari ſecundùm opinionem minimè tutam.*

ARTICVLVS VIII.

Reliqua Caramuelis argumenta examinata.

SExtum argumentum proponit *n.* 120. ſic: [D. Fagnani doctrina omnia Tribunalia (Eccleſiaſtica, ſecularia, criminalia, ciuilia) iniuſtitiæ, & iniquitatis appellat. Patet, quia ſecundum allegata, & probata procedunt, & tamen allegata, & probata interdum fallunt; & tamen non ſunt euidentia, aut ſcientifica, ſed ſæpe probabilia tantùm, aut etiam probabiliora, ſi velis. 135. *An ſententia de ſtrictiori opinione ſiligenda ſit contra praxim Tribunalium?*

Si Fagnanus aſſerat ſemper certam, nunquam probabilem ſententiam amplectendam eſſe, vrgeret argumentum Caramuelis. Sed cùm ſolum doceat, ſemper probabiliorem, aut tutiorem eligendam eſſe, & tribunalia ſemper ad probabiliora aſpirent, immeritò illi id argumentum obiicitur. 136.

 R 2 Septimum

Digitized by Google

137. Septimum *num.* 121. ſic : [Eadem D. Fagnani doctrina accuſat iniuſtitiæ, & iniquitatis omnia bella.] Sed quomodo ? Ecce : Militiæ Principi, qui acies in conflictu gubernat, non licet milites prodigere ; nam contra quintam Decalogi tabulam peccaret, ſi ſine vlla vtilitate militem conſtitueret, vbi debeat occidi. Ergo non poſſet ſigna in hoſtem dirigere, niſi haberet certitudinem obtinendi victoriam. At carò, vel nunquam obtinetur hæc certitudo, ſed omnes ſub ſpe probabili vel vrbes obſident, vel obſeſſas propugnant, vel in campo confligunt. Ergo, ſi cum probabili ſpe non licet conflictum inire, omne bellum eſt iniquum in praxi.]

An eadem ſententia ſit contra praxim militiæ?

138. Sed obiectio ne attingit quidem, nedum deſtruit doctrinam Fagnani. Quod vt clarè videas, diſtingue duas propoſitiones (iuxta ea, quæ præſcribenda ſunt *cap. ſeq. initio,*) in intellectu Imperatoris conſiſtentes. Primam : *Probabile eſt, quod vincemus.* Secundam : *Sub ſpe probabili victoria licet inuadere hoſtem.* Prima purè ſpeculatiua eſt ; neque enim præſcribit, quid debeat facere Imperator. Secunda eſt practica. Et quidem licèt victoria ſit dumtaxat probabilis, at ſecunda propoſitio practica, quæ conſcientiam dirigit, eſt omninò certa. Rogo ergo, quam ex his negat Fagnanus ? Rogo iterum, quam ex his duabus propoſitionem debeat negare ille, qui in practicis docet eligendam eſſe opinionem ſtrictiorem, & tutiorem ? Sanè ſententia de ſtrictiore opinione ſeligenda ad praxim, optimè componitur cum prima propoſitione, quæ nihil agit de praxi : optimè cum ſecunda, quæ omninò eſt certa. Quomodo ergo ſententia Fagnani de ſtrictiore opinione ſeligenda ad praxim, *accuſat iniuſtitiæ, & iniquitatis omnia bella ?*

Certum eſt, quod ſub ſpe probabili victoria licet inuadere hoſtem.

139. Octauum argumentum proponit *num.* 122. Nempe, ea D. Fagnani doctrina Medicos, & Medicam artem condemnari. Etenim quæcumque Medici adhibent pharmaca, ea non ſunt certæ ſalutis, ſed intra probabilitatis metas ſanitatem promittunt.

An eadem ſententia ſit contra praxim artis Medicæ?

140. Reſpondeat ſimiliter Fagnanus ac in præcedenti, diſtinguendo duas propoſitiones. Primam: *Hoc pharmacum eſt probabiliter vtile.* Hanc non negat Fagnanus, neque vllus eorum, qui ſtrictiorem ſemitam in opinionibus quæri præcipiunt, quia hæc non eſt regula præſcriptiua agendorum. Secundam : *Medicus poteſt vti hoc pharmaco probabili, ſi non inueniat probabilius, aut aliud certum.* Neque negat hanc Proſper : tum quia hæc propoſitio omninò eſt certa : tum etiam, quia ſolùm negat conſcientiam laxioribus opinionibus regendam, à quibus multùm diſtat ea ſecunda propoſitio.

141. Multa alia adducit Caramuel in præfato apologemate, quæ plena ſunt (nec negari id poteſt) magna eruditione, probabiliſſimè quidem excogitata ; quæ ſi alicui demonſtrationi adhæreant, & innitantur, erunt veræ, & communes ſententiæ, adinſtar grauium confirmationum doctrinæ. Sed tamen ipſa per ſe non conuincunt : nam ad ea, quæ adducit ex primis parentibus, ex Patriarchis, & Patribus primitiuæ Eccleſiæ, facile eſt reſpondere, eos non operatos eſſe ex opinione probabili laxiori, ſed ex certitudine apparenti, qua dictamina, ex quibus operabantur, ſibi proponebantur tanquam certa, & indubitabilia.

CAPVT IV.

Vocantur ad criſim argumenta Vincentij pro delectu opinionis ſtrictioris.

ARTICVLVS I.

Criſis prioris argumenti.

Antequam veram, certamque ſententiam de eligenda qualibet opinione practicè probabili ſolidis demonſtrationibus oſtendamus, operæ pretium eſt, viam ſternere, & ſi quos opponunt aduerſarij difficultatum tumulos, euertere, vt ita aduerſarij iam inermes aciem gladij (demonſtrationis) citiùs experiantur. 142.

Primum Vincentij argumentum, quod per totum volumen paſſim diffundit, eſt, ex hac vna ſententia de qualibet opinione probabili amplectenda, natas eſſe innumeras laxitates, quæ Decalogum, & honeſtatem omnem funditus euertunt. *Diſp.* 2. *ſect.* 3. *art.* 3. §. 3. *verſ. ſed contrà,* ait : [Iam non in vno loco demonſtratum eſt, Caramuelem ſuis de probabilitate principiis, peſſimè conſulere Fidei rebus, & vix aliquid reliquum certitudinis Eccleſiæ facere, dum omnes ad vnam opiniones probabiles vult tutas, & ſecuras eſſe.] Quibus multa ſimilia tertio quoque folio reperies. 243.

Sed præcipuè *eadem diſp. ſect.* 2. *art.* 1. §. 2. ſic ait : [Cum pluribus ſæpiſſimè hac de re contuli, digna ſanè omnium ſapientium indagine, & ſtudio : multorum dicta excepi, ſed nulli magis placuerunt mihi, aut viſi ſunt veritatem aſſecuti, quàm Iudices, & ex Parlamentis noſtris Senatores doctrinæ, & integritatis fama celebriores, quos audiui ſæpius indignabundos penè execratos arbitrarium illum à noſtris Theologis inductum probabilitatis vſum. Sanctè iurares, actum eſſe de iudiciis, de tota ſocietate humana, ſi in rebus controuerſis (quales ferè ſunt omnes, quæ legum, quæ iuris ambitu continentur) integrum ſit, & tutum, quam libuerit partem amplecti, ea præſertim laxitate, & licentia, quam me apud Dianam legiſſe, illique probari referebam : hoc ius eligendi, quam placuerit ſententiam, Iudices poſſe, non ſolùm ad amicorum commodum vſurpare, ſed etiam carò vendere litigantibus, illique ſe parti addicere, quæ plures pecunias numerat. Et ſi contingat idem cauſæ genus iudicandum alio tempore à diuerſis actoribus, poſſe iudicem, quam priori lite ſecutus fuerat, ſententiam retractare, & in diuerſam abire, ſi alliciant largiora munera. Hoc dictum volebat Diana vi ſolius legis naturalis, non attenta ciuili, quæ ſi iubeat Iudices abſtinere à muneribus, illi parendum eſt. Hæc à Theologis tradita *ex Probabilitatum promptuario*, non magis æquis auribus, quàm apertas blaſphemias audiebant Senatores æquiſſimi, & iuxta Catholici, ex Parlamento Tholoſano, pietate ſumma, & integritate pari celeberrimo.] Hoc vſque Vincentius, qui alia multa huius generis exclamat. 144.

Quod

Digitized by Google

145. Quod argumentum ad methodum ſcholaſticam redactum, ſic eſt. Illud antecedens eſt improbabile, imò & execrabile, ex quo inferuntur opiniones ſcandaloſæ conſcientiarum relaxatiuæ, & improbabiles: ſed ex ea ſententia, quæ admittit ad praxim vſum cuiuſlibet opinionis probabilis, etiam minùs probabilis, & minùs tutæ, inferuntur opiniones eiuſmodi, quæ paſſim repeiuntur in libris Recentiorum: ergo ea ſententia improbabilis eſt, & execrabilis.

146. Et confirmari poſſet. Euidens eſt, reperiri in libris Recentiorum Theologorum multas opiniones improbabiles, & ſcandaloſas. Quod patet ex nouiſſimis decretis Alexandri VII. ſuprà relatis *diſp. 9. cap. 10.* in quibus repeiuntur damnatæ tanquam ſcandaloſæ quadragintaquinque opiniones, quæ in libris Theologorum repeiuntur. Atqui iſtæ, & reliquæ ſimiles oriuntur *ex Probabilitatum promptuario*, id eſt, ex ſententia, quæ admittit vſum cuiuſcumque probabilitatis: ergo id probabilitatum promptuarium improbabile eſt, & pari damnationis ſententia feriendum.

147. *In libris aliquorū Theologorum reperiuntur opiniones improbabiles. Illa non oriuntur ex ſententia noſtra; imò huic aduerſantur.*

Reſpondeo, veriſſimum eſſe, in libris antiquorum, & recentiorum Theologorum reperiri multas opiniones improbabiles, & ſcandaloſas, vt clarè conſtat ex dictis ſuprà *diſp. 9. & num.* 11. nego tamen firmiſſimè, eas oriri, aut inferri ex ſententia, quæ admittit ad praxim quamcumque opinionem practicè probabilem. Pronuntio tamen, eas oriri primò ex praua intelligentia prædictæ ſententiæ: ſecundò ex eo, quod prædictæ concluſioni noſtræ de probabili doctrina amplectenda, hoſtiliter aduerſantur.

148. *Praua intelligentia noſtra ſententia. Non eſt probabilis opinio, quia reperta in libris Recentiorum.*

Quod ad primum attinet, inualuit apud nonnullos multis modis praua intelligentia eiuſdem ſententiæ. Primo modo, quia putarunt, ſententiam eſſe probabilem, eo præſciſè, quod reperiatur in libro cuiuſlibet Recentioris Theologi: idque intellexerunt abſque vlla omninò limitatione. Quod quàm euidenter falſum ſit, oſtendi *diſp. 11. per* [illegible]. Et decreuit Alexander VII. dum in primo ſuo decreto damnauit vt ſcandaloſam eam propoſitionem, quæ eſt vigeſima ſeptima inter damnatas, nempe, *ſi liber ſit alicuius iunioris, & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtat, reiectam eſſe à Sede Apoſtolica tanquam improbabilem.*

149. *Et quia non diſtinguunt inter probabilitatem directam, & reflexam.*

Secundo modo, dum non diſtinxerunt inter probabilitatem directam, & reflexam: & in quæſtione reflexa reſoluunt per probabilitatem quæſtionis directæ. De quo vide inferiùs *articul. ſeq.*

150. *Quomodo opiniones improbabiles aduerſentur noſtra ſententia?*

Quod attinet ad ſecundum principium, vnde eæ opiniones improbabiles, & ſcandaloſæ ſcaturiunt; nempe, quod omnes ad vnam manifeſtè aduerſantur ſententiæ noſtræ de quavis opinione practicè probabili amplectenda, aſſero id indubitabile. Etenim quamcumque dederis improbabilem, & ſcandaloſam, illa quidem alterutro defectu laborat: vel quia leui ducitur fundamento (quæ potiùs non probabilis, quam poſitiuè improbabilis dicenda eſt, vt conſtat *ex diſp.* 4.) vel quia falſam eſſe, certo principio conuincitur, quæ poſitiuè improbabilis dicenda eſt. Atqui vtroois modo aduerſatur noſtræ ſententiæ, quæ tanquam eſſentiale prædicatum opinionis probabilis vtrumque requirit: & quod incerta ſit, & conſequenter non certò falſa; & quod non leui ducatur fundamento, ſed graui, eoque digno hominis prudenter operantis. Quomodo ergo opiniones improbabiles, ſcandaloſæ, & relaxatiuæ conſcientiarum poſſunt originem trahere à noſtra ſententia, cùm hæc, & illæ mutuò ſe perimant, neque ſimul poſſint conſiſtere?

Quod ait Baron de opinione, iuxta quam licet iudici vendere iudicium in cauſis hinc inde controuerſis, non viget. Rogo enim, an prædictus iudex ſic iudicium vendens operetur prudenter, necne? Si primum dicas, quare accuſas opinionem, cùm abſoluis operantem ſecundum illam? Quæ enim abſolutio maior à crimine, quàm aſſerere, reum operatum eſſe prudenter; ſiue, quod idem eſt, ex dictamine prudentiæ? Si verò dicas ſecundum, nempe, eum non operari prudenter, tum ſic. Noſtra ſententia non admittit intra fines probabilitatis, niſi eas opiniones, iuxta quas homo operatur prudenter: ſed iuxta illam opinionem iudex non operatur prudenter: ergo illam opinionem de iudicio vendendo noſtra ſententia intra fines probabilitatis non admittit. 151. *An ſit probabilis opinio de iudice ius dicente ob pretium?*

In qua quæſtione affulſit noua lux, beneficio Alexandri VII. qui eam opinionem damnat vt ſcandaloſam, eſtque inter damnatas vigeſimaſexta, vt patet ex priori decreto relato ſuprà *diſp. 9. cap. 10.* Nempe: *Quando litigantes habent pro ſe opiniones probabiles, poteſt iudex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in fauorem vnius præ alio.* Tum ſic: noſtra ſententia optimè componitur cum contradictoria opinionis, quæ damnatur, cùm damnatio opinionis contradicat opinioni. Sed propoſitio, quæ componitur cum contradictoria concluſionis, non poteſt eſſe antecedens ad inferendam concluſionem: nam ſi bene valet ab oppoſito contradictorio conſequentis ad oppoſitum contradictorium an[illegible]ntis; euidens eſt, quod oppoſitum c[illegible]orium conſequentis non componitur cum antecedenti: ergo noſtra ſententia, quæ componitur cum damnatione eius opinionis, non eſt antecedens, vnde inferatur prædicta opinio damnata. Quid ergo accuſas noſtram ſententiam [de opinione minùs probabili, & minùs ſtricta deligenda, dummodò practicè probabilis ſit;] quaſi ex illa inferatur ea opinio improbabilis? 152. *Ea opinio damnatur ab Alexandro VII.*

Sed exclamat Baron *ea diſp. 2. ſect. 4 art. 1. §. 1. verſ. Iſta*, his verbis: [Neque enim puto, minùs anxia indagine opus eſſe ad ſiſtendum & cohibendum *vagum*, *& laxiſſimum probabilitatis vſum*, ne in *omnia ſcelerum genera*, & in *apertum atheiſmum* prorumpat, quàm ea, quæ olim ſanctos Patres ſollicitos habuit, & hodie etiam Theologos exercet, in vindicanda voluntati libertate, & libertati indifferentia ad vtrumlibet. Hoc meliori fortè conſilio, & animo, quàm felici euentu, à multis tentatum eſt: ſed vix poteſt occludi, quam Probabiliſtæ *latiſſimam reſerarunt* ad omne impietatum, & ſcelerum genus, via, & porta, niſi opinionum vſui, aut potiùs *licentiæ* tres præſcribamus *metas*, tria opponamus *clauſtra*, à veri ſtudio, vt veriores; à metu peccati, vt tutiores, quæ legi fauent; à deſiderio vitæ æternæ, vt ſeligamus, quæ efficaciora, & certiora præbent media, quibus finem vltimum conſequamur. Quiſquis ab *immoto* illo cardine, & fundamento recedet, circumferatur, neceſſe eſt *omni vento* probabilitatis, id eſt, falſæ & periculoſæ doctrinæ.] Huc 153.

vſque exclamatio Vincentij millies aliis terminis repetita.

154. *An oporteat expellere vſum opinionis probabilis, vt improbabiles amputentur?*

Reſpondeo, opus eſſe anxia indagine ad ſiſtendum, & cohibendum vagum & laxiſſimum vſum, non probabilitatis practicæ, ſed improbabilitatis, & improbabilium opinionum, quæ ſub probabilitatis larua, & pelle ſe protegunt. Neque propterea opiniones practicè probabiles deſerendæ ſunt: *quia & illæ oues non debent pelles ſuas deponere, ſi aliquando eis lupi ſe contegant.*

155. Quia intra claſſem probabilium conantur ſe intrudere opiniones improbabiles, vult Vincentius, omnes probabiles (ſaltem benignas) cum probabilibus amputare, vt improbabiles ſiſtat, & cohibeat. Ergo quia inter oues curſitant angues, vt angues tollat, oues & angues perimat. Quia in vrbe plures ſunt fures, vt hos auferat, noxios & innoxios faciat exulare. Quia duo ignes domos duas incenderunt, vt hos compeſcat, omnem ignem infuſa aquæ colluuie extinguat.

156. Quomodo manifeſtam implicet contradictionem, quod opinio practicè probabilis *in omnia ſcelerum genera prorumpat*, euidenter oſtendam *art.* 11. Quàm ridicula ſit obiectio Atheiſmi conſtabit *ex art.* 3.

157. *Sub nomine Probabiliſtarum malè continet eos, qui docent improbabilia.*

Perperam agit Baron, dum ſub nomine *Probabiliſtarum* continet Authores, qui docent opiniones practicè probabiles, & Authores qui tradunt opiniones practicè improbabiles: ſicut non ad eundem gregem ſpectant oues, & ouinis pellibus lupi ſimulati.

158. *Prudentia nō reſerat oſtium imprudentiæ.*

Authores, qui docent, ſequendas eſſe opiniones prudenti ratione munitas, non *reſerarunt latiſſimam ad omne impietatum & ſcelerum genus viam & portam*: quia implicat contradictionem, quod prudentia portam aperiat imprudentiæ. Si imprudentes ſibi arrogant prudentiam, id non eſt vertendum vitio prudentibus. Neque lux viam reſerat tenebris, quia ſunt qui ponant lucem tenebras, & tenebras lucem.

159. *Licentiam* opinandi ſibi indulſiſſe aliquos, fateor: teſtatur Alexander VII. in priori decreto relato *diſp.* 9. *cap.* 20. ſed ſimul affirmat, eas, quæ ex illa nimia licentia ortæ ſunt, eſſe ſcandaloſas, nec tales eſſe poſſunt, niſi, vel quæ certò falſæ, vel quæ leui fundamento ducuntur: nam quæ generant ſcandalum, non à prudenti fundamento, ſed ab imprudenti naſcuntur.

160. Opiniones practicè probabiles non indigent alia *meta*, non alio *clauſtro*, quàm recta probabilitatis intelligentia. Opiniones enim, quæ malè audiunt, & à debita rectitudine exorbitant, ea infirmitate laborant, quia earum Authores non rectè calluerunt probabilitatis practicæ iura, vt ſuprà diximus.

161. Immoto cardine ſe continet, qui firma, ſolida, & prudenti ratione conſcientiam gubernat: qui autem leui, ſophiſtica, aut erronea, circumfertur vento, non probabilitatis, quæ firma eſt, & ſtabilis, ſed improbabilitatis, quæ firmitate caret.

162. Sciat ergo Baron, nos in hoc tractatu de Probabilitate, multa oppoſuiſſe clauſtra opinionibus, non quidem probabilibus, ſed improbabilibus, quæ inter probabiles audent ſe adnumerare.

163. Primò. Dum negamus, ex eo quod vna opinio ſit probabilis, oppoſitam inter probabiles eſſe adnumerandam. Vide *diſp.* 4. Secundò, dum demonſtramus, non retineri probabilitatem, quamvis argumenta eius probabiliter ſoluantur. De quo *diſp.* 3. Tertiò, dum oſtendimus, non quemlibet Authorem conferre probabilitatem extrinſecam, ſed illum ſolum, qui fuerit omni exceptione maior. De quo conſule *diſputation.* 11. Quartò, dum apertè monſtramus, in multis materiis communem omnium, aut ferè omnium Theologorum comparare ſententiæ omnimodam certitudinem. Vide *diſputation.* 12. Quintò, *diſputatione* 14. oſtendimus, non bene valere à probabilitate ſpeculatiua ad practicam; & praxim ad ſolam practicam probabilitatem limitamus. *Limitationes ad rectā intelligentiam probabilitatis.*

Sextò. *Art.* 2. *& ſequent.* conſtabit, diſtinguendam eſſe duplicem quæſtionem; alteram probabilitatis directæ, & alteram reflexæ: neque à reſolutione quæſtionis directæ valere ad reſolutionem quæſtionis reflexæ: & in quæſtione directa eſſe poſſe, & ſolere reſolutionem probabilem, & in reflexa reſolutionem omninò certam. Quod in quamplurimis quæſtionibus deſeruit ad rectè intelligendam eſſentiam probabilitatis practicę, quæ aliàs malè intelligitur; & cuius defectu quamplures patiuntur æquiuocationes nonnulli Theologi in pluribus materiis, in quibus vtramque quæſtionem confundunt. 164.

Septimò *diſp.* 17. oſtendemus, multas opiniones fauorabiles Religioni, cauſæ piæ, & ſimilibus, ex principio alio reflexo, tranſilire metas probabilitatis, & ad culmen certitudinis euehi. 165.

Octauò. In materia iuſtitiæ multas opiniones probabiles tranſire in certas ex iure poſſeſſionis legitimæ, conſtabit ex *diſp.* 16. Præterea multis aliis modis probabilitatem limitari, & ad certitudinem ex adiuncta circumſtantia, vel reflexione euehi, ex toto hoc tractatu de probabilitate ſatis conſtat. 166.

Denique in toto hoc volumine multæ repetienter opiniones à dignitate probabilitatis expulſæ, dum materia earum ad principia omninò certa reducitur. 167.

ARTICVLVS II.

Examen ſecundi argumenti deſumpti ab exemplo venatoris. Vbi exponitur probabilitas quæſtionis directæ & reflexæ.

Vincentius exemplo venatoris videtur ſibi tem vno impetu concludere contra noſtram ſententiam de quavis opinione practicè probabili amplectenda. Ideò quampluribus in locis illud repetit. Audiamus illum *diſp.* 1. *ſect.* 2. *art.* 3. *verſ idem*, ſic diſſerentem: [Idem euincitur exemplo venatoris. Et vt maior opinioni ſpeculatiuè probabili vis accedat, & veriſimilitudo, demus, hominem ire venatum quotidie, non voluptatis, ſed neceſſitatis cauſà, vt ſibi, & ſuæ familiæ victum paret: atque ingreſſo ſyluam occurrere neſcio quid ambiguum, homóne ſit, an fera; plus tamen præferre ſpeciem feræ, quam hominis. Nullus, niſi cæcus, & iniquus negare poteſt, quin probabiliori parti liceat aſſenſum præbere probabilem, feram eſſe, cum formidine, ne fortè ſit homo. Quis verò excuſet homicidij, ſi 168.

Digitized by Google

ſi coniecturis inductus, feram eſſe potiùs, quàm hominem, emiſſa ſagitta hominem interficiat? Quid ad hæc reſpondeant Probabiliſtæ, non legi: nec video, quid ſint dicturi probabile. Sanè iniquum eſſet, & crudele, factum venatoris excuſare ab homicidio. Improbabile eſt etiam, negare, illum probabiliter opinatum, feram eſſe, quod primùm occurrit; cùm hoc magis ad veriſimilitudinem accederet. Ergo admittenda eſt opinio probabilis ad aſſenſum ſpeculatiuum, & omninò illicita ad praxim.] Et huius generis eſſe vult Vincentius omnes opiniones probabiles minùs ſtrictas.

Vt ſciat Vincentius, quid ad hoc & ſimilia argumenta reſpondere debeant Probabiliſtæ, & cum quanta hallucinatione ſuorum Authorum id argumentum gradiatur, diſtinguere oportet in materia probabilitatum quæſtionem directam à reflexa.

169. *Diſtinguenda ſunt quæſtiones directa, & reflexa.*

Præmitto itaque primò, eas eſſe quæſtiones valde diuerſas. Etenim vt à materia huius articuli exordiamur, diuerſa quæſtio eſt, *An id, quod venatori occurrit, ſit fera, vel homo?* atque hæc, *An Venatori probabiliter opinanti, eſſe feram, liceat in illam telum proiice e?* quæ poſterior quæſtio reflectitur ſupra probabilitatem prioris. Prima ſolùm inquirit, an id, quod occurrit, ſit fera, vel homo. Secunda autem inquirit, an probabiliter opinans de fera, vel homine poſſit iacere ſagittam. Quæ duo toto cælo diſtant.

170. Secundò. Diuerſa quæſtio eſt, *An ſit ſententia minùs probabilis, domum, de qua litigatur eſſe Ioannis?* atque hæc; *An ſit licitum Iudici iudicare ſecundum hanc ſententiam minùs probabilem?* Nam cùm prima ſolùm inquirat de minori probabilitate iuris, quod ineſſe dicitur Ioanni; ſecunda inquirit, an ratione muneris iudicis ſuperaddatur circumſtantia aliqua, quæ obſtet ad hoc vt iudicium proferatur ex illa opinione minùs probabili. Prima quidem inquirit directè de iure Ioannis minùs probabili ad domum: ſecunda autem reflectendo ſupra eam minorem probabilitatem eius iuris, inquirit, an ſtet cum munere iudicis, iudicare ſecundum illud ius minùs probabile?

171. Tertiò. Alia longè diuerſa quæſtio eſt, *An hac medicina ſit probabiliter ſalubris?* ac iſta, *An liceat Medico vti hac medicina probabili, quando eſt alia multò probabilior?* Nam prima quæſtio ſolùm inquirit de veritate ſpeculatiua huius medicinæ in ordine ad ſanitatem: ſecunda verò inquirit, an ob comparationem huius medicinæ cum alia multò probabiliori, & ob legem charitatis, qua tenetur Medicus, debeat præferre probabiliorem, aut liceat eam poſtponere minùs probabili? Reflectitur enim ſecunda ſupra probabilitatem ſpeculatiuam primæ. Item prima inquirit de ſpeculatione, & ſecunda de praxi.

172. Quartò. Alia quæſtio eſt; *An iuriſdictio iuris Prælati ſit probabilis?* ab iſta, *An liceat Prælato adminiſtrare munus ſuum cum opinione probabili?* Nam ſecunda virtualiter ſuperaddit primæ; [An in adminiſtratione cum iuriſdictione probabili exponat multos actus nullitatibus, ex quibus multa ſcandala pullulare poſſunt?]

173. Quintò. Hæc quæſtio directa eſt; *An vxor habeat probabilitatem de coniugis morte, dum habet duos teſtes aſſerentes extraiudicialiter mortem illius?* Hæc autem eſt reflexa, atque adeò longè diuerſa à prima; *An ob teſtimonium eorum duorum teſtium, & probabilitatem inde reſultantem, liceat vxori propria authoritate tranſire ad ſecundas nuptias?* Huius enim ſenſus, qui ſupponit probabilitatem aſſertam in prima, progreditur vlteriùs, & inquirit, [An vt liceat vxori tranſire ad ſecundas nuptias, requiratur aliquid aliud, putà, ſententia, vel facultas iudicis Eccleſiaſtici?]

Præmitto ſecundò, ſemper quæſtionem reflexam inquirere de nouo obiecto, aut noua circumſtantia ſupra directam. Id patet in exemplis propoſitis, in quibus clariſſimè cernitur diuerſitas obiecti in reflexa, ac in directa. Deinde, quia ſi reflexa non inquireret de nouo obiecto, aut de noua circumſtantia obligationis, ſtatuta concluſione in quæſtione directa, otioſum eſſet quæſtionem reflexam inſtituere; cùm quæſtiones, quæ procedunt de eodem omninò obiecto, nulla denuò diuerſitate, nulla noua circumſtantia relucente, eodem iure cenſendæ ſint. 174. *Quæſtio reflexa inquirit de noua circumſtantia ſupra directam.*

Præmitto tertiò, non valere argumentum à reſolutione quæſtionis directæ ad reſolutionem quæſtionis reflexæ. Patet aſſertum ex quampluribus exemplis. Primò. Si detur metallum, quod probabiliter ſit aurum, non valet hæc conſequentia: *Probabile eſt, hoc eſſe aurum; ergo probabile eſt, hoc aurum probabile poſſe ſolui pro mercibus certis.* Quia commutatio auri probabilis pro mercibus certis affert magnam inæqualitatem contra iuſtitiam, exponitque periculo damnificationis venditorem mercium. 175. *Non valet à reſolutione directa ad reſolutionem reflexa.* Praua conſequentia.

Secundò. Probabile eſt, vnam Miſſam prodeſſe duobus erogantibus duo ſtipendia adæquata; & adhuc praua eſt hæc conſequentia: *Probabile eſt, vnam Miſſam prodeſſe duobus erogantibus duo ſtipendia adæquata: ergo probabile eſt, poſſe Sacerdotem accipere ea duo ſtipendia adæquata pro vna Miſſa*, etiam ſecluſo decreto Vrbani VIII. & ſecluſa declaratione Alexandri VII. Quia ſtante eo antecedente, aduenit circumſtantia periculi in praxi, quod vnus, vel vterque ob incertitudinem opinionis non accipiat fructum ſacrificij. Ideo graui æquiuocatione laborant Authores, dum ex prima propoſitione inferunt ſecundam; neque eſt alicuius momenti conſequentia, dum prima propoſitio præſcindit ab eo periculo, & ſecunda illud inuoluit; ſicut nulla eſt hæc conſequentia; *Eſt animal: ergo eſt homo*; quia prima propoſitio præſcindit à rationali, ſecunda autem includit rationale. 176. Praua conſequentia.

Tertiò. Probabile eſt, hanc medicinam A, eſſe vtilem, & adhuc praua eſt hæc conſequentia: *Probabile eſt, medicinam A, eſſe vtilem in grauiſſima infirmitate: ergo probabile eſt, quod in grauiſſima infirmitate, & periculo vitæ poteſt adhiberi hac probabilis medicina A, cùm adeſt medicina omninò certa.* Ideò autem non valet, quia in periculo vitæ lege charitatis tenetur Medicus (imò & lege iuſtitiæ) vitare, quantum poteſt, id periculum infirmi; ideóque certa probabilibus pharmaca præponere. Etenim ſupra probabilitatem illius pharmaci, quam aſſerit prima propoſitio, cùm deuenitur ad ſecundam quæſtionem reflexam, ſuperaddi debet lex charitatis obligans Medicum ad conſulendum meliori modo, quo poſſit, incolumitati ægrotantis. Ideò autem falſum eſt id conſequens, quia impingit in præfatam legem charitatis. 177. Praua conſequentia.

178. *Praua conſequentia.* Quartò. Probabile eſt, eſſe verum baptiſmum illum, in quo homo abluitur lixiuio; & tamen non valet conſequentia: *Probabile eſt, ablutum lixiuio eſſe verè baptizatum: ergo probabile eſt, quod licet baptizare hominem in lixiuio*, ſcilicet extra caſum neceſſitatis, & inopiæ alterius aquæ naturalis. Quæ ſecunda propoſitio reflectitur ſupra probabilitatem, quam importat prima. Et ideò non valet conſequentia, quia illi probabilitati eius baptiſmi ſuperaddenda eſt contra aſſertionem conſequentis, obligatio dandi baptiſmum certum, & non expoſitum fruſtrationi: quæ obligatio naſcitur ex lege charitatis, ob damnum, quod ſubit baptizatus, ſi non abluatur baptiſmo certo. Quod idem cernere licet in aliis exemplis poſitis in aſſerto primo, & in aliis ſexcentis.

179. *Quando valet à reſolutione directa ad reſolutionem reflexa?* Præmitto quartò, tunc ſolùm valere conſequentiam à reſolutione quæſtionis directæ ad reſolutionem quæſtionis reflexæ, quando probatum fuerit, nouam circumſtantiam allatam in quæſtione reflexa, non afferre titulum nouæ obligationis præter illum, qui affertur in quæſtione directa. Itaque ex reſolutione quæſtionis directæ, & ex aſſertione, qua aſſeratur, in quæſtione reflexa non ſuperaddi obligationem aliquam, rectè valet ad reſolutionem quæſtionis reflexæ. *Recta conſequentia.* Id patet ipſis exemplis. Hæc enim eſt bona argumentatio: *Probabile eſt, fieri verum baptiſmum in lixiuio, & non datur lex charitatis obligans ad excludendum baptiſmum dumtaxat probabilem, etiam extra caſum neceſſitatis: ergo licitum eſt baptizare hominem lixiuio in quocumque caſu.* Quod conſequens verum eſſet, ſi vera eſſet minor eius argumentationis. Quod inductione facta per reliqua etiam exempla conſtabit.

180. *Vnde limitetur probabilitas quæſtionis directæ, ne inferat reflexam?* Præmitto quintò, nouam circumſtantiam allatam in quæſtione reflexa, ratione cuius reſolutio quæſtionis reflexæ non poteſt conformari reſolutioni quæſtionis directæ, afferre denuò legem, vel contractum, vel promiſſionem, aut ſtipulationem, vel votum, aut iuramentum, quæ determinent ad vnam partem determinatam quæſtionis opinatiuæ; vel denique ceſſionem iuris ſequendi talem opinionem probabilem. Per quodlibet enim ex his limitatur probabilitas, ita vt non liceat ſtare probabilitati quæſtionis directæ. Etenim licet probabile ſit, hunc Prælatum habere veram iuriſdictionem; iſte tamen illa vti non poteſt, ſi vſu eius opinionis probabilis ſecutura ſint ſcandala; idque propter legem naturalem vitandi ſcandala.

181. Deinde da caſum, quo infidelis poſtulauit baptiſmum, & cùm Sacerdos baptizaturus accedit, videtur ſibi mortuus eſſe infidelis; & conſulto Medico, agnoſcitur eſſe dumtaxat probabile, quod eſt mortuus. Et interrogo, an hæc ſit bona conſequentia: *Probabile eſt, infidelem eſſe mortuum: ergo probabile eſt, quod non debet baptizari abſolutè, neque ſub conditione.* *Peſſima conſequentia.* Hæc conſequentia probari videtur: etenim mortuus nullo modo debet baptizari: ergo ſi probabile eſt, eum eſſe mortuum, probabile eſt, eum nullo modo eſſe batizandum. Atqui dicendum eſt, eam conſequtiam eſſe peſſimam; quia ſupra reſolutionem quæſtionis directæ, ſcilicet quod infidelis probabiliter eſt mortuus, ſuperadditur in ordine ad quæſtionē reflexam, quod lex charitatis obligat ad proſpiciendum ſaluti æternæ illius hominis, qui fortè viuus eſt, contra opinionem probabilem Medici probabiliter cenſentis, eum eſſe mortuum. Quod etiam patet in reliquis exemplis ſuprà traditis.

182. *Quæſtiones directæ, aliæ purè ſpeculatiuæ: aliæ reſpicientes praxim.* Præmitto ſextò, ex his quæſtionibus directis, ſupra quas verſantur reflexæ, alias reſpicere pro obiecto praxim; alias ſiſtere in mera ſpeculatione. Huius ſecundi generis eſt propoſitio opinatiua, qua venator dicit, *Iſtud, quod mihi occurris, fera eſt, non homo*: cuius obiectum nullo modo eſt praxis. Ita propoſitio, qua Sacerdos baptizaturus infidelem in caſu proximè relato, opinatiuè aſſerit, *Iſte infidelis eſt mortuus*: nam quod ille ſit mortuus, euidens eſt, non eſſe obiectum practicabile. Item duo exempla allata in præmiſſo tertio, *num.* 175. Primi verò generis eſt, cùm quis vouet in tali materia ſequi opinionem ſtrictiorem, non autem laxiorem, quantumvis practicè probabilem: ſi enim directa, ſupra quam reflectitur votum, eſt practicè probabilis, manifeſtum eſt, quòd habet pro obiecto praxim.

183. *Perperàm procedunt, qui in quæſtione reflexa, à directa arguunt ad reflexam.* *Ioan. Sanc.* Præmitto ſeptimò, aliquos Authores perperam procedere, dum in quæſtionibus reflexis reſolutionem ſuam probant ex probabilitate opinionis directæ. Ioannes Sancius, qui in materia probabilitatis ſatis ingenioſè diſcurrit (eſt enim materia probabilitatis valde Metaphyſica, & multa indigens reflexione) *diſp.* 44. *n.* 36. ait, non teneri Medicum eligere medicinam probabiliorem, ſed poſſe vti medicina minùs probabili; *eo quod iuxta ſuam conſcientiam applicat id, quod ſalutiferum fore probabiliter arbitratur.* *An Medicus poſſit vti medicina probabili, relicta probabiliori.* In qua probatione malè procedit. Eſt enim quæſtio, an lex charitatis obliget Medicum ad conſulendum, quantum poteſt, ſecuritati vitæ infirmi, ſcilicet per medium probabilius. Vnde vt ſuam concluſionem probaret, probare deberet, vel non eſſe talem legem charitatis, iuxta dicta in præmiſſo quarto, vel tantum conſuli ſecuritati vitæ per medium minùs probabile, quantum per probabilius. Da, duplicem eſſe medicinam, certam, & probabilem, & Medicum præponere probabilem certæ; in quo caſu Medicum peccare fatetur Ioannes Sancius. Et in illo ſuam ipſi Sancio argumentationem obiicio. Etenim dum *iuxta conſcientiam ſuam id applicat quod ſalutiferum fore probabiliter arbitratur*, vtique operatur prudenter, atque adeò non peccat. Cui reſpondere tenetur, eum non operari prudenter, dum non attendit ad legem charitatis, ratione cuius tenetur Medicus certo pharmaco proſpicere ſecuritati vitæ: ergo in quæſtione, [An eligenda ſit medicina probabilior & ſecurior, aut minùs probabilis?] attendenda eſt lex charitatis, vel probandum, legem charitatis in eo caſu non militare: quod difficilè probabitur.

184. *Praua conſequentia, qua ab eo, quod periculum ſit probabile, arguit, licere obiicere ſe illi periculo.* Deinde Leander à Murcia *diſquiſitionum lib.* 2. *diſp.* 1. *reſol.* 16. docet, quemlibet poſſe abſque peccato obiicere ſe periculo probabili peccandi abſque neceſſitate, citans Caramuelem, qui retractauit eam aſſertionem *in Theolog. fundam. in edit. anni* 1657. *num.* 407. arguens ex probabilitate periculi probabilitatem exponendi ſe ei periculo. Quàm certò falſa ſit ſententia Leandri, videbis *diſp.* 18. vbi etiam conſtabit, præcipuè *cap.* 4. quàm praua ſit conſequentia, ex eo quod id periculum ſit probabile; quæ eſt quæſtio directa, arguere quod liceat ſe exponere ei periculo, quæ eſt reſolutio quæſtionis reflexæ. Quod etiam conſtabit in aliis exemplis, in quibus id adnotabimus pro ſimilibus quæſtionibus decidēdis.

Hinc

Digitized by Google

185. Hinc conſtat, quàm inaniter fidat Baron exemplo venatoris, & quomodo id non ſit ad rem. Primò enim Authores Probabiliſtæ (vt vocat) nunquam dixerunt, concluſiones probabiles purè ſpeculatiuas, & quæ nullo modo reſpiciunt praxim pro obiecto, eſſe regulas morum; ſed ſolùm opiniones practicè probabiles, & quæ probabiliter præſcribunt praxim. In exemplo ergo venatoris duæ ſunt propoſitiones. Prima: *Id, quod nunc occurrit, probabile eſt, eſſe feram non hominem.* Secunda: *Quando probabile eſt, id, quod occurrit, eſſe feram, & non hominem, licet iacere ſagittam.* Prima quidem licet affirmet probabilitatem, eſt purè ſpeculatiua, neque habet pro obiecto praxim. Secunda, licèt practica ſit, non eſt probabilis, ſed certò falſa, atque adeò improbabilis. Ergo in prædicto exemplo venatoris nulla eſt propoſitio practicè probabilis, quæ poſſit eſſe regula morum; cùm prima non ſit practica, & ſecunda non ſit probabilis.

Exemplum venatoris non eſt ad rem. Concluſio purè ſpeculatiua non eſt regula morum.

186. Laborat autem ingenti æquiuocatione Baron, dum ait, Probabiliſtas affirmare, quidquid eſt ſpeculatiuè probabile, eſſe etiam practicè probabile: neque enim calluit Probabiliſtarum mentem. Hi enim, dum id affirmant, loquuntur de opinione ſpeculatiuè probabili, quæ habet pro obiecto praxim: aſſerunt enim, qui ſic diſcurrunt, id eſſe verum, loquendo de opinione ſpeculatiua, quæ habeat idem obiectum, ac opinio practica: neque poteſt eſſe obiectum vtriuſque, niſi opinio ſpeculatiua reſpiciat praxim, quam reſpicit opinio practica. Non autem loquuntur Probabiliſtæ de opinione ſpeculatiua, quæ omninò ſiſtit in contemplatione obiecti, & nullo modo reſpicit praxim. Neque enim venire potuit in mentem hominum, hanc propoſitionem, *Materia prima poteſt diuinitus recipere duas formas*, eo quod ſpeculatiuam probabilitatem habeat, eſſe etiam practicè probabilem. Cùm ergo venator aſſerit hanc propoſitionem probabilem, *id, quod nunc occurrit, eſt fera, non homo*; cùm hæc propoſitio non verſetur circa praxim, ſed ſit omninò ſpeculatiua, illa non eſt practicè probabilis; nec eſſe practicè probabilem potuit in mentem illius Authoris venire, niſi eum deſeruerit humana ratio.

Praua intelligentia probabilitatis.

187. Quòd ſi opponat Baron, repugnare, quod detur cognitio ſpeculatiua, quæ reſpiciat pro obiecto praxim. Reſpondeo, id negari à prædictis Authoribus, nec in quæſtione de nomine multùm eſſe contendendum. Dicunt enim, cognitionem quandoque verſari circa praxim modo practico, id eſt, ex modo ſuo cognoſcendi, præſcribendo quomodo licitè praxis exercenda ſit, quam vocant cognitionem practicam: & quandoque verſari circa praxim modo ſpeculatiuo, non præſcribendo quomodo exercenda ſit praxis, ſed ſiſtendo in contemplatione eius veritatis; & hanc vocant opinionem ſpeculatiuam.

An repugnet cognitio ſpeculatiua, quod reſpiciat praxim.

188. Secundò. Ex prænotatis in hoc articulo conſtat, Probabiliſtas non debere admittere conſequentiam prauam, & illegitimam, quam putat Baron ex eorum doctrina colligi: nempe; *Probabile eſt, hanc eſſe feram, non hominem: ergo probabile eſt, quòd licet iacere ſagittam.* Nam vt demonſtratum eſt, non valet à reſolutione quæſtionis directæ ad reſolutionem quæſtionis reflexæ. Et quando reſolutio quæſtionis directæ habet pro obiecto praxim, tunc ſolùm valebit ad reſolutionem quæſtionis reflexæ, quando probatum fuerit, reſolutionem quæſtionis reflexæ non ſuperaddere circumſtantiam, quæ importet legem vel obligationem aliquam, vt conſtat ex præmiſſo quarto. Quod non habere locum in præſenti, ex terminis notum eſt.

Praua conſequentia.

Articvlvs III.

Obiectio Atheiſmi, & Politheiſmi ad criſim vocatur.

Hoc argumento videtur ſibi triumphare Vincentius contra Authores promouêtes quamcumque practicã probabilitatem. Nempe Atheos rationibus probabilibus poſſe ſibi ſuadere negationem exiſtentiæ Dei, & ita habere Numinis ignorantiam inuincibilem: quo pacto à peccato excuſabuntur. Id autem planè militat contra D. Paulum *ad Rom.* 1. aſſerentem inexcuſabiles fuiſſe antiquos Philoſophos. Ruit ergo in Atheiſmum doctrina de quavis opinione probabili tradenda. 189.

Sed audiendus eſt præcipuè *diſp.* 1. *ſect.* 2. *art.* 3. §. 1. *verſ. Si credam*, in hæc verba: [Si credam, dari vnum Deum, ab illo conditum mundum, & regi, rerum humanarum curam habere, religione colendum; animam immortalem eſſe, æterna felicitate in præmium virtutis donandam, aut æterna miſeria afficiendam in pœnam peccati: certiſſimum, & euidentiſſimum eſt, quod iſtis dogmatibus, quibus tota religio continetur, ſeu vera ſint, ſeu falſa, ſi quis aſſentiatur, ex illorum fide & opinione viuat, prauos domet affectus, cupiditates fuget, aut vincat, nullum damnationis periculum aditurum. Si quis verò hæc omnia cum Epicuro, & Lucretio neget, quis in tuto poſitum dicat? Quis immunem faciet à culpa, & à damnationis periculo? Aut ſi eò audaciæ quis progreſſus, aſſerat, nihil eos peccare, & probabilitate ſuarum opinionum, ſeu iuris naturalis inuincibili ignorantia ab omni peccato eximi, quis ſaluos futuros auſit credere? Si dicas, non poſſe excuſari ab errore, & improbitate, quòd leuibus argumentis negent mundum à Deo conditum, animam eſſe immortalem, & quod in dubiis non probabilibus prætermittant partem tutiorem. Sed contrà reponent Athei (nec illis deerit Caramuelis patrocinium) hanc accuſationem leuiſſimam eſſe, & parum conſentaneam eſſe principiis eorum, qui ſe grauant. Nam Sinichius ex Caramuele variis ſuorum operum locis hæc duo refert, & validiſſimè refellit: primò eandem eſſe opinionem probabilem, ac tutam, & ſecuram: deinde Atheiſmum, aut certè Politheiſmum homini prudentiæ naturali permiſſo videri poſſe probabiliſſimum, ac ſubinde laborare ignorantia inuincibili eorum, quæ prima, & ſecunda tabula continentur. Idque etiam facilè euincent Athei; nam obteſtabuntur ad hominem. Primum (idque vltrò concedit Caramuel cum quibuſdam Nominalibus) de Dei exiſtentia, vnitate, aliiſque attributis, neutram in partem vllam ſibi affulgere euidentiam ex neceſſaria demonſtratione, paucis, & fortè nulli mortalium ex Caramuele conceſſam: deinde addent, ſeu mundum dicas creatione à Deo factum, vel atomis ex materia improducta; ſiue animam immortalem, ſiue corruptibilem velis, ſe vrgeri vtrimque grauiſſimis difficultatibus, à quibus *nequeant ſe expedire*, & *vtramque partem ſibi incertam videri* 190.

deri, & probabilem: imò philoſophandi methodum, quam ex Epicuro tradit Lucretius, ſibi arridere, & ſatisfacere. Quid ad iſta dicent, qui omnem opinionem probabilem, vt illam definiunt, ſecuram & tutam volunt? Abſoluent omnis impietatis Atheos, & ſuorum ſcelerum nequiſſimum quemque; quandoquidem grauiſſimis difficultatibus ſentiunt implicari, quæ Fides, aut ſanior Philoſophia nos docent: ergo ſi negent iſta, immunes ſunt ab omni peccato, & ſalutis periculo.]

191. Et *diſp. 2. ſect. 1. art. 3. §. 2. verſ. ſed incautum*, paulò vberius explicat probabilitatem Atheiſmi ex noſtra ſententia illatam. Ait enim: [Immeritò Apoſtolus *Rom* 1. inexcuſabiles pronuntiat antiquos Philoſophos, quòd cum Deum cognouiſſent ex creaturis, vt Deum minimè coluerint, illique gratias egerint vt bonorum omnium Authori, primæ ſui & rerum vniuerſi cauſæ. Sed quos *damnat Apoſtolus, abſoluit Caramuel*. Contendo enim, his Philoſophis, quos inexcuſabiles pronuntiat Paulus, non defuturam ignorantiam inuincibilem, qua imbui vult omnes opiniones probabiles, vt tutæ fiant, & ab omni peccato excuſent.]

192. Sed quomodo eos abſoluit Caramuel? Quomodo probat, iuxta ſententiam Caramuelis, non fuiſſe inexcuſabiles? Attende ſequentia: [Non poteſt in primis (Caramuel) dubitare, quod expreſſis verbis ex Apoſtolo retulimus, antiquis Philoſophis præſtanda fuiſſe, quæ ſua culpa omiſerunt, religioſi cultus, & grati animi in Deum officia profecta ex notitia Dei à creaturis hauſta, illum eſſe Mundi Conditorem, & rerum humanarum curam habere. Addo aliud principium non minùs certum: illam Dei notitiam, quæ à Philoſophis huiuſmodi obſequia exigebat, comparatam fuiſſe, vel teſtimoniis Fide tenendis, vel demonſtratione Peripatetica, vel argumentis grauibus intra fines probabilitatis: neque enim poſſumus comminiſci aliud genus cognitionis, qua potuerint peragi rei, & inexcuſabiles Philoſophi. Tertium adiungo principium, idque certiſſimum, cognitionem illam non fuiſſe, nec primi, nec, ex Caramuele, ſecundi generis: ergo tertij, nempe probabilis eſt cognitio ex creaturis, ducens ad vnius Numinis exiſtentiam, & prouidentiam, quæ ſubinde exigeret cultum religionis, gratum animum, &c. Ergo falſa eſt tota Theologia fundamentalis Caramuelis, omnem opinionem probabilem tutam eſſe,] &c. Proſequiturque hæc eadem repetendo, & verbis ampliando. Hoc argumentum ſæpe aliàs repetit: ſed præcipuè *diſp. 2. ſect. 5. art. 2. §. 1.* vt oſtendat, ſuam ſententiam ex ſacra Scriptura apertè probari.

193. Sanè cùm in noſtram ſententiam minitabatur Vincentius Atheiſmum, & Politheiſmum, videbantur mihi duo parturire montes: ſed cùm vides, obiectionem euaneſcere, aſſerendo, Philoſophos inexcuſabiles demonſtratiuè cognouiſſe Deum ex creaturis, imò & falſitatem plurium Deorum, vide etiam, quid ex illa montium parturitione natum eſt. Cùm Caramuel ſententiam Fagnani conabatur redigere ad Ianſeniſmum, Vincentius ei improperabat eo Iuuenalis hemiſtichio; *Ad populum phaleras*. Vide ſuprà *num.* 35. Hic vbi Caramuel ad Atheiſmum redigitur, videtur mihi ille non abſimiles Vincentij *phaleras ad populum* remiſſurus.

Et in primis imponit Caramueli eam concluſionem, quod Philoſophi antiqui non agnouerint Dei exiſtentiam cognitione demonſtratiua. Aliud enim eſt, quod non cognouerint demonſtratione Peripatetica, ſiue Ariſtotelica; & aliud, quod non cognouerint demonſtratiuè: quorum primum admittit Caramuel, non ſecundum. Audi ex ipſo Caramuele in eo ipſo monito Dialectico, quod in poſtrema relata periodo citat Vincentius *ex Apolog. de Probabilit. num.* 311. [Interim quia demonſtrationis meminimus, vt ſciat argumentator, quàm ego illum benignè ad demonſtrationes conformandas condemno, quæ ex vltimi ſyllogiſmi maiore potuit addiſcere, vt melius ſciat, his paucis dilucido aſſertis. Primum. Demonſtratio Peripatetica eſt impoſſibilis. Tam multa enim, & tam ab vſu ſcholæ aliena poſtulat Ariſtoteles, vt hucvſque nullam Peripateticam in libris legerim. Secundum. Demonſtratio, quæ hodie in mundo formatur, illa eſt, quæ in legitima forma conſtituitur, habetque certas, & indubitatas præmiſſas. Tertium. Certæ & indubitatæ ſunt, de quibus nullus prudenter dubitat, nullus iudicat eſſe probabiles.] Ecce admittit Caramuel aliud genus demonſtrationis, præter Peripateticæ, & in caſſum deſudat Vincentius, dum contendit, Philoſophos habuiſſe Dei notitiam dumtaxat probabilem, quia non habuerunt demonſtrationem Peripateticam.

194. *Vindicatur Caramuel à calumnia.*

Non negat Caramuel omnem demonſtrationem, ſed Ariſtotelicam.

Quod autem Caramuel non inficietur, Dei exiſtentiam Demonſtrabilem fuiſſe Philoſophis, patet *ex Theolog. Intention. lib* 4. *num.* 1693. vbi ſic ait: [Hæc propoſitio, *Datur Deus*, eſt demonſtrabilis: ſed quomodo? à creaturis initium ſumendo, & illarum cauſas productrices inueſtigando: ſed quanta efficacia? tanta, vt ſint inexcuſabiles, qui ex creaturis ad Deum peruenire noluerunt. Tam eſt certa hæc concluſio, vt oppoſitam erroneam appellet S. Thomas.] Huc vſque Caramuel. Vide ergo, quàm immeritò Vincentius Caramueli centies attribuat, quod Philoſophi antiqui non habuerint de exiſtentia Dei notitiam demonſtratiuam. 195.

Imò falſitatem Politheiſmi eſſe demonſtrabilem ſaltem à viris doctis, aſſerit Caramuel *ibid. num.* 1698. & 1708. Verum quidem eſt, Caramuelem aſſerere *num.* 1707. veteres ethnicos non habuiſſe notitiam euidentem vnitatis Dei, ſine falſitatis plurium Deorum. Quod & apertè falſum eſſe, & adhuc argumentum Vincentij non concludere, ex dicendis conſtabit. 196.

Dicendum ergo eſt cum S. Thoma, & omnibus Theologis (dicant quidquid velint Nominales, quoad hoc euidenter decepti) antiquos Philoſophos, imò, & quoſlibet barbaros, habuiſſe euidentem notitiam exiſtentiæ Dei; imò non potuiſſe ad longum tempus illa carere, niſi fortaſſe aliquos ex ignorantia vincibili, & culpabili, qui vel naturali lumini claudunt oculos, vel nolunt ad illud aduertere animum. Neque enim oppoſita concluſio ſtat cum aſſertione D. Pauli *ad Rom.* 1. mox ſubiicienda. Dicendum conſequenter eſt, non potuiſſe illos carere notitia euidenti grauiorum criminum ex illis, quæ Decalogus damnat. 197.

Ethnici habuerunt euidentiam exiſtentiæ Dei.

Euidenter cognouerunt præcipua legis naturalis.

Id totum euidenter colligitur ex eo textu D. Pauli. *Reuelatur enim*, inquit, *ira Dei de cœlo ſuper omnem impietatem, & iniuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent*: (id eſt, qui iniuſtitiam operantes, claudunt oculos 198.

veritati

Digitized by Google

veritati Dei, quam manifeſtè cognoſcunt. Loquitur autem Paulus etiam de ethnicis, vt ex contextu euidenter conſtat.) *Quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis; Deus enim illis manifeſtauit*: (eſt autem notum Dei id, quod naturali lumine eſt de Deo cognoſcibile: hoc autem Deus ethnicis manifeſtauit. Dicitur autem manifeſtum eſſe illis, id eſt in illorum mente, & conſcientia. Et nota cum P. Suarez *lib. 1. de Deo, cap. 1. num. 16.* plures voces euidentiam ſignificantes, *Notum Dei*, & *Manifeſtum*, & *Manifeſtauit*. Manifeſtauit autem Deus ethnicis medio lumine naturali, vt communiter Patres & Theologi; vel vt vult Anſelmus, quem aliqui Recentiores ſequuntur, etiam medio lumine ſupernaturali, quod reſpectu aliquorum ex antiquis ethnicis verum puto. Imò etiam lumine naturali, non modò adquiſito, ſed etiam per accidens infuſo, nempe illo eodem, quod poſt longum laborem & diſcurſum poſſet mens humana adipiſci: hoc eſt enim auxilium ordinis naturalis, quod Deus præbet omnibus hominibus ad cognitionem Dei, & fugam ſcelerum.) *Inuiſibilia enim ipſius à creatura mundi, per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus & Diuinitas.* (Ex effectibus ergo creatis cognoſcunt omnes homines exiſtentiam Dei, & inuiſibilia eius, ſcilicet Diuinitatem, omnipotentiam. perfectionem, omniſcientiam, & alia attributa. Et nota id verbum, *Conſpiciuntur*: quod euidentiam ſignificat, ſaltem moralem, quæ excludit formidinem partis oppoſitæ;) *ita vt ſint inexcuſabiles: quia cum cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, aut egerunt.* (Vide quomodo ethnici ſint inexcuſabiles, eo quod inuiſibilia Dei intellecta conſpexerint, atque adeò ex eo quod conſpexerint obligationem glorificandi Deum, eique ſtrictiſſimæ legi non ſatiſfecerint.)

199. S. Thom. Valentia. Suarez. Molina. Granado. *An ſit erroneum dicere, exiſtentiam Dei non eſſe demonſtrabilem ex creaturis?*

Ideò S. Thomas *lib. 1 contra Gent. cap. 12.* oppoſitam ſententiam, quæ docet, exiſtentiam Dei non eſſe demonſtrabilem ex creaturis, affirmat eſſe erroneam. P. Valentia *tom. 1. diſp. quæſt. 2. punct. 2.* ait eſſe erroneam. P. Suarez *lib. 1. de Deo, cap. 1. num. 13. & 14.* eſſe temerariam, & errori proximam, imò & erroneam. P. Molina *1. part. quæſt. 2. art. 1.* eſſe parum tutam in Fide. P. Granado *tom. 1. in 1. art. controu. 1 tract. 1. diſp. 1. ſect. 1. num 3.* priores cenſuras approbat. Aliqui autem Theologi, qui in ea concluſione vacillare videntur, ſolùm negant, vel demonſtrationem logicam, aut metaphyſicam; nullus autem eorum negat euidentiam moralem, quæ intellectum omninò cogat ad aſſenſum. Euidentiam autem moralem ſupra omnem probabilitatis gradum euehi, indubium eſt, cùm probabilitati intellectus reſiſtat; non autem certitudini morali, quæ ab omni prudenti intellectu formidinem excludit. Sed non eſt ſolùm moralis ea euidentia, ſed etiam metaphyſica.

200. Quare non poſſe homines diu ignorare inuincibiliter exiſtentiam Dei, quin imò neceſſarium eſſe, quod illam euidenter cognoſcant, niſi velint oculos claudere lumini naturali, communis eſt Theologorum ſententia, & expreſſerunt SS. Patres, Nazianzenus *orat. 2. de Theologia*, Niſſenus *in præfat. orationis catech.* Auguſtinus *tom. 10. ſerm. 55. de verbis Domini, & tom. 9. tract. 106. in Ioan.* Gregor. *lib. 27. moral. cap. 3.* Hieronymus *in cap. 36. Iob.* Damacenus *lib. 1. Fidei, cap. 1.*

Nazianz. Niſſenus. Auguſtinus. Gregor. Hieronym. Damaſcen.

Chryſoſt. S. Cyprian.

Chryſoſtomus *homil. 3. in cap. 1. epiſt. ad Rom.* quorum verba reperies apud P. Granado ſuprà citatum *ſect. 2. & 3.* & ſufficiat retuliſſe verba S. Cypriani *de Idolorum vanitate*, apud eundem: *Hac eſt ſumma delicti, nolle agnoſcere, quem ignorare non poſſis.*

201. *Falſitas Politheiſmi poteſt demonſtratiuè cognoſci.*

Secundò dicendum eſt, pluralitatem Deorum ita eſſe euidenter falſam, vt non modò à doctis, ſed & à communi hominum vulgo poſſit demonſtratiuè agnoſci, ſaltem euidentia morali, quæ abſorbeat probabilitatem in oppoſitum: atque adeò veteres ethnicos euidenter cognouiſſe vnitatem Dei, & falſitatem Politheiſmi, adiuncto præcipuè lumine naturali per accidens infuſo, quale ſuprà explicui: quo lumine naturali infuſo Deus omnibus hominibus fauet, vt obices auferat, quibus impediri poſſunt auxilia ſufficientia ad ſalutem æternam. Quod ſi ignorarunt vnitatem Dei, vincibiliter & culpabiliter ignorarunt. Et clarè colligitur ex eo textu *ad Rom. 1.* vbi dicuntur inexcuſabiles, *quia cùm cognouiſſent Deum*, &c. quo termino ſignificatur vnus Deus totius vniuerſi Author.

202. Caramuel *lib. 4. Theolog. Intention. num. 1707.* aſſerit primò, falſitatem plurium Deorum à ſolis viris doctis eſſe demonſtrabilem. Et obiicit: [Vel ſi vnitas, aut euidens, aut per ſe nota; quî Chaldæi, Græci, Romani, & alij bene culti & docti populi fuerunt Polithei idololatræ? Illis enim, vt puto, non deberet negari clariſſimarum rerum notitia: & ſi quidem eſſentiæ diuinæ vnitatem non agnouerunt, liquidò conſtat, eam non eſſe clariſſimam; ſed eſſe potiùs obſcuram, à ſolis Philoſophis, & doctioribus viris per ratiocinia indagabilem.]

An Dei vnitas potuerit euidenter cognoſci ab indoctis?

203. *An communis Theologorum demonſtratio de vnitate Dei, ſit inefficax?*

Secundò aſſerit *ibid. num. 1698.* communem demonſtrationem, qua vtuntur S. Thomas, Ariſtoteles, P. Suarius, P. Petrus Hurt. P. Arriaga, & communiter Theologi, deſumptam ex eo quod vbi pluralitas Deorum eſſet, ibi rixæ & diſcordiæ intercederent, eliſam eſſe à Plauto *in Curc. ſcen. 2. act. 2.* dicente, *Dij inter ſe congruunt concorditer.* Quare ad aliud principium recurrendum eſſe.

204. Quod vtrumque aſſertum vehementer diſplicet: etenim Paulus eo loco *cit. ad Rom. 1.* ait fuiſſe inexcuſabiles eos, *qui mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium.* De Chaldæis autem, Græcis, & Romanis totum id verificatur, quod de veteribus ethnicis ibi affirmat Paulus; adorauerunt enim homines, volucres, & ſerpentes: ſunt ergo Chaldæi, Græci, & Romani etiam inexcuſabiles: ergo vel certò cognouerunt prauitatem & falſitatem idololatriæ, vel ignorauerunt vincibiliter, & culpabiliter: aliàs ſi inuincibiliter ignoraſſent, non poſſent eſſe inexcuſabiles, ſed potiùs ab ignorantia inuincibili excuſationem ſibi adſciſcere poſſent: præcipuè cùm ea ignorantia deſinere non poſſet in dubium practicum, vt poſteà dicam, in quo tutiorem viam eligerent.

205. Peccarunt ergo Chaldæi, Græci, & Romani in idololatria, & in attribuendo honorem diuinum volucribus, quadrupedibus, & ſerpentibus. Vel ergo cognouerunt certò, ſe in eo practicè errare, vel debuerunt cognoſcere. Si debuerunt cognoſcere, erat veritas clariſſima, cùm ea ignorantia fuerit inexcuſabilis. Quod ſi reipſa cognouerunt ſuum errorem practicum, à fortiori fatendum eſt, eam fuiſſe veritatem clariſſimam. Ergo

ex

Digitized by Google

ex communi earum nationum idololatria malè arguitur, quod id, in quo errauerunt, non ſit veritas clariſſima: cùm videamus tam apertè, eos in veritate clariſſima errauiſſe practicè.

206. Clariſſima veritas erat, miracula & opera Chriſti ſanctiſſima non poſſe procedere à ſpiritu nequam: & tamen populus Hebræorum communiter vacillabat. Clariſſimum erat Ægyptiis, miracula per Moyſen, & Aaronem patrata, eſſe à vero Deo; & tamen præiudicio præoccupati claudebant oculos lumini. Errauerunt ergo Chaldæi, Græci, & Romani, non quia vnitas Dei non ſit clarè demonſtrabilis, ſed quia præiudicio deprauatæ voluntatis nolebant attendere lumini rationis.

207. Diſplicet ſecundum, quod pro eneruanda ea demonſtratione de vnitate Dei, ſatisfaciat Caramueli ea reſponſio Plautina: *Di inter ſe congruunt concorditer.* Videtur enim mihi redargui euidenter. Nam vel congruunt concorditer, quia determinati ad vnum, v.g. ad ſolem in cœlo conſtituendum; & ſic deficeret eis libertas, atque adeò illis ineſſet maxima imperfectio, Diuinitatis perfectionem limitans: vel congruunt concorditer, quia reliqui Dij vnius voluntati ſubordinarentur, qui vnus quaſi ius diceret reliquis; & ſic reliqui præter vnum eſſent imperfectiſſimi, conſequenterque non Dij. Vel vniuſcuiuſlibet voluntati, qui prius aliquid decreuiſſet, cæteri ſubordinarentur: & cùm hæc prioritas non eſſet cauſalitatis, illa eſſet temporis; vnde diis illis poſſet accidere denuò in tempore decretum, quod non habuiſſent ab æterno: vnde ab æterno neceſſariò habere debuiſſent ſuſpenſionem multorum actuum liberorum: quæ euidentiſſima imperfectio eſt, & indigna perfectione infinita Diuinitatis.

208. Hinc patet ad argumentum Vincentij, non potuiſſe Philoſophos veteres habere aſſenſum illum probabilem, nedum probabiliſſimum, pluralitatis Deorum, quia ſi attendiſſent ad eas rationes, quas vocat probabiles, percepiſſent earum probabilitatem apparentem abſorbendam eſſe à certitudine ſaltem morali vnitatis Dei, quamvis abſque demonſtratione Peripatetica. Vide quæ dicam *art. ſequenti, num.* 214.

Articvlvs IV.

Solutiones aliæ eiuſdem argumenti.

209. Demus tamen Vincentio, ex noſtra ſententia inferri, potuiſſe veteres Philoſophos habere cognitionem probabilem de non exiſtentia Dei, vel de pluralitate Deorum. Sit ergo ſecunda reſponſio, eandem omninò difficultatem militare, etiamſi admittatur, ſemper ſequendam eſſe opinionem ſtrictiorem, & tutiorem eodem modo, ac in dubio practico. Etenim demus, ethnicum non poſſe peruenire ad demonſtrationem, aut ad certitudinem moralem de vnitate Dei, ſed pro hac, & pro Deorum pluralitate habere vtrimque rationes probabiles: & interrogo in hoc concurſu opinionum probabilium oppoſitarum, vtra pars repræſentabitur illi ethnico tanquam tutior, an quod ſint plures Dij, an quod ſit vnicus?

Ex rationibus vtrimque probabilibus circa vnitatē Dei, nulla eſſet tutior.

210. Sanè ſi aſſentiatur opinioni adſtruenti vnum Deum, periculum menti eius proponetur diſplicendi reliquis Diis, quos ea opinio excludit cum formidine; cùm vi eius formidinis habeat hunc actum, *Fortè dantur etiam alij Dij.* Si autem opinioni de pluralitate Deorum aſſentiatur, cùm probabilitas afferat formidinem, proponetur menti eius periculum offendendi vnicum Deum, ſi fortè vnicus eſt; qui cùm vnicus ſit, diſplicebit ei quod alij, qui non ſunt Dij, admittantur ad conſortium honoris diuini. Ecce quomodo vtrimque periculum appareat, ſi probabiliter aſſentiatur alterutri parti de vnitate, & pluralitate diuinæ naturæ: ergo neutra pars tutior eſt. Ergo eadem eſt difficultas, ſiue dicas quamlibet opinionem probabilem ſequendam eſſe, ſiue dicas non quamlibet, ſed dumtaxat tutiorem.

Dices, in hoc caſu ab ethnico, non tutiorem partem, ſed probabiliorem eſſe amplectendam. 211.

Sed hæc reſponſio difficultatem non minuit. Nam ſi ſupponamus, poſſe ethnicum habere rationes vtrimque probabiles, ita vt inuincibiliter putet eſſe probabiles, poterunt vtrimque repræſentari vt æquè probabiles; atque adeò neutra erit pars probabilior, neutra tutior: ergo non eleuatur præſens difficultas per ſententiam de opinione tutiore, aut probabiliore eligenda. 212.

Deinde quia poſſent rationes pro pluralitate Deorum repræſentari menti eius ethnici vt probabiliores: ergo ſi deberet ſequi probabiliorem partem, deberet ſtare pro Politheiſmo. Ergo incidit ea ſententia in Politheiſmum, quem nobis obiicit. 213.

Incidit Baron in Politheiſmum, quem obiicit.

In noſtra quidem ſententia, iuxta reſponſionem *art. praced.* datam, antiqui ethnici inexcuſabiles fuerunt, quia vnum Deum certitudine ſaltem morali cognouerunt, tum euidentia adquiſita, tum lumine naturali per accidens infuſo; & cùm ita cognouerint, *non ſicut Deum glorificauerunt.* Quare ſi ductui rationis, & lumini naturali attendant accuratè, non poſſunt non venire ad cognitionem certam vnius Dei veri. Quod ſi rationes pro vnitate Dei proponantur vt probabiles, illis ethnicis id vitio vertimus, quia in re tanta claudunt oculos ductui rationis & lumini naturali per accidens infuſo: Vide quæ dixi *art. praced. à num.* 201. 214.

Et quod attinet ad cognitionem de exiſtentia Dei, ſi vt vult Vincentius, poſſet ethnicus habere rationes vtrimque probabiles, poſſent quidem repræſentari vt æquè probabiles; non enim eſt maior difficultas in vno, quàm in alio: atqui, vt probaui *diſp. 6. cap. 6.* in quæſtione facti rationes vtrimque æquè probabiles (idem eſt de rationibus paulò minùs, aut paulò magis probabilibus) non pariunt aſſenſum probabilem, ſed dubitationem: ergo in eo caſu dubius eſſet ethnicus de exiſtentia Dei. Si ergo veteres ethnici dubij fuerunt de exiſtentia Dei, & non potuerunt præſtare aſſenſum exiſtentiæ eius; quomodo ſecundum Paulum fuerunt inexcuſabiles, quia cùm cognouerint Deum, ipſum non glorificarunt? Numquid componuntur hæc duo: quod dubij fuerint de exiſtentia Dei, & quod cognouerint exiſtentiam eius? Vel hæc duo: quod debuerint cognoſcere exiſtentiam eius; & quod non potuerint præſtare aſſenſum Dei exiſtentiæ? Quod argumentum militat etiam circa Politheiſmum. 215.

Si haberent rationes vtrimque æquè probabiles, neceſſariò dubitarent.

Tertia reſponſio eſt, argumentum Vincentij continere propoſitiones ſibi mutuò repugnantes, 216.
&

Digitized by Google

Implicat terminos argumentum Vincentij. & apertam terminorum implicationem inuoluentes, dum vult, ethnicos habere poſſe rationes vtrimque probabiles in Politheiſmo. Vide ſuprà *num.* 190. præcipuè illa verba: *Se vrgeri vtrimque grauiſſimis difficultatibus, à quibus nequeant ſe expedire; & vtramque partem ſibi incertam videri, & probabilem.*

217. Tum ſic: implicat quod nobis repræſentetur tanquam probabilis aliqua opinio, & quod obiectiones contra illam repræſenrentur nobis vt inſolubiles: ſed ſecundum Baron, illis ethnicis repræſentabātur rationes vtriuſque partis oppoſitæ vt inſolubiles; id enim denotant ea verba: *Grauiſſimis difficultatibus, à quibus nequeant ſe expedire:* ergo implicat, quod vtralibet pars repræſentaretur illis vt probabilis. Minor, & conſequentia patent.

218. *Cum ratione inſolubili vnius partis non ſtat probabilitas.* Maior oſtenditur. Nam vt opinio ſit probabilis, debent ſolui probabiliter fundamenta partis oppoſitæ: quomodo enim aſſenſum firmum & prudentem præſtabimus ei parti, quam videmus rationibus conuincentibus impugnari? Deinde rationes inſolubiles alterum è duobus præſtant, vel quod fateamur inſcitiam noſtram, vel quod ſuffragemur ei parti pro qua ſtant rationes conuincentes, & inſolubiles: atqui cùm pro vtraque parte contradictoria ſtant rationes eiuſmodi inſolubiles, non poteſt intellectus ſtare pro vtraque parte contradictionis, vt patet; non pro altera, cùm rationibus inſolubilibus impugnetur: ergo in eo caſu pro neutra parte ſtare poteſt aſſenſus probabilis. Ergo cùm militant rationes inſolubiles pro vtraque parte contradictionis, à quibus intellectus nequit ſe expedire, illæ quidem non pariunt probabilitatem, ſed dubium, coguntque intellectum, vt agnoſcat inſcitiam ſuam.

219. Negandum ergo eſt, potuiſſe illos ethnicos habere rationes vtrimque probabiles pro Politheiſmo, & pro parte oppoſita; quia eiuſmodi rationes erant vtrimque inſolubiles, & à quibus nequibant ſe expedire: atque adeò, ſi ita proponerentur illis, vt vult Vincentius, ethnicos in purum dubium trahendos eſſe. In quo dubio non poſſent eligere partem tutiorem; cùm ex dictis *num.* 210. non repræſentaretur illis vt tutius in eo caſu, vnum Deum præ pluribus, aut è conuerſo, venerari.

Articvlvs V.

Quartum argumentum examinatur, deſumptum ex certitudine requiſita ad prudentiam.

220. VIncentius *diſp.* 2. *ſect.* 2. *art.* 2. ſic proponit hoc argumentum. [Prudentiæ, ſeu (quod idem eſt) conſcientiæ iudicium vltimum, & dictamen de agendis, firmum eſſe oportet, excluſa omni dubitatione, aut formidine, ne honeſtum lædas, commodi & voluptatis gratiâ, ne in legem Dei pecces. Atqui ab hoc certo iudicio longiſſimè abeſt opinio, quæ libertati fauet, minor, aut par probabilitate illi, quæ ſalutem, & officium in tuto ponit: ergo eſt contra leges prudentiæ, & conſcientiæ priores opiniones his poſterioribus anteponere.]

221. Maiorem huius ſyllogiſmi probat *in* §. 1. his verbis: [Eum, qui prudenter agit, neque ignorare, neque dubitare poſſe, ſed pro comperto habere, opus ſuum licitum eſſe, & honeſtum, apertè conuincitur ipſa prudentiæ definitione, quæ ex Ariſtotele 6. *Ethicor.* eſt recta ratio agibilium: ex Auguſtino *lib. Octoginatrium quæſtionum*, eſt cognitio rerum ſperandarum, & fugiendarum. Eſt etiam perfectiſſima virtus, imò & forma virtutum omnium moralium; quæ proinde debet certò, & infallibiliter attingere ſuum obiectum, ſeu bonum honeſtum, & conueniens homini, quatenus ratione ducitur, & præſtat cæteris animantibus. Id verò nequit prudentia, quandiu eius iudicium nutat; quia recta ratio dictat quæ ſunt vera, & honeſta. Quandiu verò ſuſpeſa eſt, aut cum formidine in vnam partem prona, quaſi fortuitò attingit verum, & honeſtum, à quo ſentit ſe poſſe aberrare: Vnde ſi operi ſe accingat animus cum hac formidine, imprudenter agit; quia incertus eſt, an ſibi ſit nociturus, & obiiciet ſe periculo grauis damni.

Minorem verò prioris ſyllogiſmi, nempe quod [opinio probabilis ſtans pro libertate longiſſimè abeſt ab hoc certo iudicio,] probat *in* §. 2. ſic: Opinio probabilis ſtans pro libertate poteſt attendi, vel ſecundum ſe, & ſolitariè; vel collata cum opinione aduerſa, æquè, aut magis probabili, quæ præcepto, & ſaluti conſulit: atqui neutro ſtatu poteſt habere certitudinem illam moralem, quam conſcientiæ & prudentiæ vindicauimus, vt neceſſariam ad rectam operationem: ergo nulla ratione competere poteſt opinioni probabili certitudo moralis, quam illi aſſerunt Recentiores. Ac proinde negant minorem. Sed probatur quoad ſingulas partes. 222.

Et quoad priorem quidem, ſi opinioni probabili competit illa certitudo moralis, vel illi ineſt à ſe ipſa, ſeu à principio vniuerſali, à quo pendet & deducitur; vel ab aliquo principio extrinſeco, quale eſt illud in baptiſmo collato cum materia dubia, vrgente neceſſitate, ex illa regula, quæ cogit dubium etiam ſacramentum adminiſtrare, nempe è duobus malis minus eſſe eligendum: atqui ex neutro capite poteſt repeti hæc certitudo moralis: ergo electio opinionis probabilis pro libertate ſtans, non poteſt eſſe à prudentia, & conſcientia. 223.

Vt probetur minor, ſumamus exemplum à pictore, qui diem feſtum, audito ſacro, totum impendit tabellæ pingendæ. Non poteſt eſſe immunis à reatu diei feſti violati, ſi dubius hæſerit, an ſibi liceret eo die pingere; niſi certus fuerit moraliter, nihil mali, aut peccati ineſſe huic operi. Vnde verò hanc certam perſuaſionem habet? Non ab aliquo principio extrinſeco, quale eſt illud ſæpius memoratum de eligendo minori malo, v.g. operis alicuius die feſto conficiendi, vt familiæ oppreſſæ conſulatur; quia ab hac diſputatione ſubmouemus quoſcumque neceſſitatis caſus, & rem ipſam propriis meritis, ac principiis metimur. Quo ergo fundamento nititur illa perſuaſio, picturam illicitam non eſſe die feſto? Non rectitudine voluntatis ad finem honeſtum, vnde diximus interdum validè firmari iudicia prudentiæ, quia ſtat contrà piorum ſenſus, & reuerentia in res ſacras. Vnde non ſupereſt aliud, cui innitatur certa illa perſuaſio pictoris, quàm propoſitio generalis hæc, *Non eſt illicita pictura die feſto*; quæ ad ſummum ſuppoitur probabilis, non indubitata: atqui ex illa non poteſt deduci certa concluſio prudentiæ; quia manifeſtè repugnat regulis 224.

Digitized by Google

Logicæ, certiorem eſſe propoſitionem particularem generali, cui ſubordinatur, & innititur; vel firmiorem concluſionem qualibet præmiſſarum, cùm debiliorem ſequi debeat: ergo nulla ratione fingi poteſt, iudicium prudentiæ certum hauriri à propoſitione generali dubia probabili.] Hæc vſque Vincentius probat priorem partem eius minoris propoſitæ *num.* 213.

225. Secundam verò partem eius minoris, quod opinio probabilis cum oppoſita probabiliori non habeat vnde ceritudinem deſumat, non tangit ibi Baron; niſi quod in eodem paragrapho *verſ. Hanc*, ait, Fagnanum illam conuincere ſeptemdecim argumentis. Quæ omnia dicit contineri illis verbis *Eccleſ.* 32. *Ante omnia opera verbum verax præcedat te, & ante omnem actum conſilium ſtabile.*

226. Et poſteà §. 3. addit: [Hæc probatio adeò viſa eſt efficax, & aperta Vaſquezio, vt maluerit aſſerere, formidinem non repugnare iudicio prudentiæ, quàm adeò euidentem conſecutionem negare. At ſi ita ſit, licebit etiam dubia conſcientia agere, quæ propemodum nihil differt à iudicio formidoloſo, ne quod verum, & rectum apparet, falſum & prohibitum ſit.]

227. *Hoc argumentum militat contra ſuum Authorem.* Sed hoc argumentum æquè militat contra Vincentium, & eius ſententiæ patronos. Aſſerunt enim, quando vtraque opinio ſtat pro officio, & honeſto; neque maius Dei obſequium relucet pro vna, quàm pro altera, tunc deduci ad praxim poſſe, quam malueris pro arbitrio, opinionem. Interrogo ergo, an id ſit iudicium prudentiæ? & affirmas. Rurſus inquiro, ex quo principio hauriat certitudinem illud iudicium, quo cenſes, te rectè operari? Reſpondebis, hauriri ex principio reflexo, quod licitum eſt ſequi, quam malueris, opinionem ex æquè probabilibus, & æquè reſpicientibus Dei obſequium; eo quod id principium reflexum ſit omninò certum. Eodem ergo modo tuo argumento reſpondeo.

228. *Si certum ſit dictamen reflexum, infertur eſſe certum dictamen prudentiæ.* Itaque ſi hæc propoſitio ſit moraliter certa, & indubitata, *Licitum eſt ſequi in praxi quamcumque opinionem hic & nunc practicè probabilem*; ſiue, *quæ hic, & nunc mihi proponitur vt practicè probabilis*; totum Vincentij argumentum euaneſcit. Patet hoc ſyllogiſmo, ſi opinio ſit certò probabilis: [Licitum eſt ſequi in praxi quamcumque opinionem hic & nunc practicè probabilem: ſed quod licitum eſt exercitium picturæ in die feſto, eſt opinio hic & nunc practicè probabilis (ſupponimus quod ſit certò probabilis:) ergo licitum eſt exercitium picturæ in die feſto.] Concluſio enim legitimè infertur: præmiſſas autem eſſe certas, ſupponimus in hypotheſi, de qua loquimur.

229. Quod ſi opinio non ſit certò probabilis, ſed probabiliter probabilis; hoc etiam ſyllogiſmo certitudo dictaminis prudentiæ conuincitur. [Licitum eſt ſequi in praxi quamcumque opinionem, quæ hic & nunc mihi proponitur vt practicè probabilis: ſed opinio, quæ docet licitum eſſe exercitium picturæ in die feſto, mihi proponitur vt hic, & nunc practicè probabilis: ergo licitum eſt ſequi opinionem docentem tanquam licitum exercitium picturæ in die feſto.] Maior ex hypotheſi eſt certa. Minor etiam certa eſt, video enim rationes probabiles, quarum proprobabilitati aſſentior, & conſequenter de probabilitate non dubito.

Iam verò conditio purificanda eſt, & aſſerendum primò, hoc dictamen vniuerſale reflexum eſſe omninò certum: *Licitum eſt ſequi in praxi quamcumque opinionem practicè probabilem.* Cuius certitudinem latè oſtendemus in capitibus ſequentibus. Aſſerendum ſecundò, hoc quoque dictamen eſſe certum: *Licitum eſt ad praxim deducere opinionem, quæ mihi proponitur vt practicè probabilis.* Ratio eſt, quia opinio probabilis non eſt regula operationum, quatenus à parte rei eſt probabilis, ſed quatenus proponitur intellectui vt probabilis: vnde ſi certum eſt, quod opinio probabilis dirigit ad operationem, certum etiam eſt, quod dirigit ad operationem ea, quæ proponitur intellectui tanquam probabilis. 230.
Dictamen reflexum eſt omninò certum.

Ex his facillimè ſoluitur obiectio propoſita. Concedo enim maiorem, quod iudicium prudentiæ requirat certitudinem de honeſtate operationis, abſque vlla formidine de tali honeſtate: & nego minorem, quod ab illa certitudine longè abſit opinio practicè probabilis. Vel claritatis gratiâ diſtinguo minorem: longè abeſt à certitudine opinio [id eſt, actus directus opinionis,] concedo; opinio, [id eſt actus reflexus,] nego. 231.

Itaque iſte actus directus, *Opus artis pictoriæ non eſt ſeruile*; vel iſte, *Opus artis pictoriæ in die feſto non eſt peccatum*, non eſt certus, ſed dumtaxat probabilis. At verò iſte actus reflexus, *Licitum eſt vti hac opinione practicè probabili*; vel, *Hac opinione, quæ mihi proponitur vt practicè probabilis*, certus omninò eſt propter dicta. 232.

Ad probationem minoris, nego etiam minorem quoad vtramque partem. Ad cuius probationem concedo, certitudinem operantis ex opinione probabili, non oriri ex principiis ibi relatis, ſed ex dictamine reflexo iam propoſito. Ad exemplum autem operis pictorij conſtat, certitudinem honeſtatis, qua dirigitur pictor, non prouenire à principiis in obiectione relatis, ſed à dictamine reflexo certo, proximè propoſito. Locus autem Eccleſiaſtici allatus ex Fagnano nihil officit noſtræ ſententiæ. Nam illud dictamen reflexum eſt verbum verax, & conſilium ſtabile, vtpote omninò certum. 233.

Quod autem poſteà affert ex P. Vaſquez, ſcilicet iudicio prudentiæ non repugnare formidinem, & poſſe ei conuenire ſolam probabilitatem, videtur etiam admiſiſſe P. Th. Sanch. *lib.* 1. *ſum. cap.* 9. *num.* 18. vbi ait, ad rectè operandum non requiri iudicium certum de honeſtate operationis, ſed ſufficere iudicium probabile. Quod non pauci alij Theologi affirmant, multis aliis repugnantibus. 234.
Quomodo iudicium prudentiæ non requirat certitudinem?

Sed, vt notaui *diſp.* 10. *num.* 37. facilè conciliantur ex doctrina tradita: nam qui dicunt, ſufficere iudicium probabile, loquuntur de actu directo opinionis conſideratæ ex eius principiis intrinſecis. Qui verò requirunt certitudinem, loquuntur de actu reflexo, quod certò præſcribit, omnem opinionem practicè probabilem tutò poſſe ad praxim deduci. Et ideò P. Th. Sanch. citatus, tanquam certam ponit hanc propoſitionem: [Nec hic peccandi periculo ſe exponit: quod illi ſoli contingit, qui credit aliquid eſſe illicitum, non habens probabilem aſſenſum dictantem, eſſe licitum.] Si ergo qui operatur ex opinione probabili, certus eſt, quod non ſe exponit periculo, vtique operatur 235.
Conciliantur oppoſita ſententia.

Digitized by Google

tatur ex eo iudicio certo. Et P. Vaſquez, qui 1. 2. *diſp.* 62. *cap.* 5. *num.* 26. aſſerit, [Poſſe aliquem rectè operari cum aſſenſu tantùm probabili, etiamſi habeat formidinem oppoſitæ partis:] inferiùs reddens rationem huius concluſionis, ait: [Certum eſt, neminem debere neceſſariò tutiorem partem eligere:] ergo iam habet hoc iudicium certum, quod non debet partem tutiorem eligere, ſed quod quamlibet probabilem poteſt amplecti ad praxim.

236. Cuius aſſertum, quod ſufficiat iudicium probabile, nec requiratur certum de honeſtate operationis, malè impugnat Vincentius, ex eo quod ſi licet operari cum formidine partis oppoſitæ, licebit etiam cum conſcientia dubia, quia hæc [propemodum nihil differt à iudicio formidoloſo.] In quo planè decipitur, quia cum aſſenſu non ſtat dubitatio, cùm hæc ſit ſuſpenſio aſſenſus, vt latè oſtendi *diſputat.* 6. *cap.* 5. & 6. Formido autem cum aſſenſu componitur, vt & ipſe Vincentius cum omnibus Theologis admittit.

237. Similiter non multùm vrgent, quæ adducit in probationem maioris prioris ſyllogiſmi. Eſt enim omninò verum, vt dixi, ad rectè operandum requiri iudicium certum prudentiæ de honeſtate operationis: ſed dum id aſſerit Baron, illud quidem non probat vrgenter: & ſolùm aliquantulum vrgere videtur id, quod aſſumit, nempe ad virtutem (qualis eſt prudentia) requiri certitudinem.

238. *Demonſtratur, requiri certitudinem ad dictamen prudentiæ.*

Sed efficaciùs (imò & euidenter) id oſtendi *diſp.* 10. *num.* 75. Vnde ſic argumentum inſtauro. Nemini licet exponere ſe periculo probabili peccandi: ſed qui operatur ſine certitudine de honeſtate operationis hic & nunc exercendæ, exponit ſe periculo probabili peccandi: ergo nemini licet operari ſine certitudine de honeſtate operationis hic & nunc exercendæ; atque adeò non licet operari abſque iudicio certo de tali honeſtate.

239. Maior conſtat *ex diſp.* 18. Et minor etiam eſt certa. Nam qui dicit, *Probabile eſt, quod reipſa peccabo, eliciens hanc operationem*; vel, *Probabile dumtaxat eſt, quod non peccabo eliciens hanc operationem*; expoſitus manet ei contingentiæ, quam affert ipſa probabilitas; nam quod eſt probabile, poteſt non eſſe verum à parte rei. Si ergo probabile eſt, quod peccabo, non ſum tutus à peccato. At non eſſe tutum à peccato, & ſubire periculum peccati, ſynonima ſunt.

240. Itaque pictor, ſi dicat *Probabile eſt tantum, quod non peccabo pingens die feſto*, exponit ſe periculo probabili peccandi, adeoque peccat lethaliter; quia cùm incertus ſit de peccato à ſe vitando, non reddit ſe tutum à peccato. At verò dicens, *Probabile eſt, quod depingere in die feſto non eſt illicitum; ſcio autem, me non peccaturum, ſi operor ex ea opinione probabili*, nulli periculo ſe exponit, quia certò ſcit, operantem ex opinione probabili, non peccare. Quia quamvis actus directus ſit probabilis, actus reflexus eſt omninò certus.

ARTICVLVS VI.

Examinatur duplex impugnatio traditæ ſolutionis.

VIdit Baron hanc ſolutionem deſumptam ex actu reflexo certo, ſiue vniuerſali, aſſerente, licitum eſſe ad praxim deducere quamlibet opinionem practicè probabilem; ſiue ſingulari, qui infertur ex priori vniuerſali, quique aſſerit, licitum eſſe operari ſecundum hanc opinionem A, practicè probabilem; & ſic contra illam. 241.

Inſurgit primò *in loco cit.* §. 5. Si daretur tale dictamen reflexum, intellectus aſſentiretur duplici extremo contradictorio: hoc eſt impoſſibile: ergo tale dictamen non datur. Maiorem affirmat admitti à P. Thoma Sanchez, & à Paſqualigo. Ita enim ait: [Quod Sanchez, & Paſqualigus nimio probabilitatum affectu aſſerunt, poſſe intellectum ad arbitrium voluntatis vtrique parti contradictoriæ ſimul aſſentiri, meritò vt incredibile reiiciunt Layman, & Brezerus; & contradictorium demonſtrat Mercorus.: [Et poſteà addit, P. Thomam Sanchez contendere, aſſenſum de vtriuſque partis veritate formidoloſum, per principia intrinſeca admitti poſſe: & P. Vaſquez negare per principia intrinſeca id fieri poſſe, [licet concedat, haberi poſſe per principia extrinſeca.] 242.

Et vbi notauit Vincentius, [hæc duo diuerſiſſima eſſe, credere, concluſionem aliquam eſſe probabilem; & illi probabiliter aſſentiri: prima enim propoſitio eſt modalis, ſecunda eſt de ineſſe: & qui propoſitionem inter probabiles accenſet, poteſt contrariam probabilem iudicare; non tamen credit, veram eſſe, aſſenſu probabili; alioqui haberet aſſenſus duos probabiles de obiectis contradictoriis:] poſteà probat ſequelam illius primæ maioris ex Fagnano. 243.

Sic enim ait: [Probat (Fagnanus) differre iudicium de probabilitate, & veritate opinionum ſibi contradicentium, quòd iudicium de probabilitate ſit euidens, de veritate ſit formidoloſum, & obſcurum: illud quiſquis habet, etiam de vtraque contradictoria, neutram ſequi poteſt: aliud enim eſt iudicare, vtrique parti vim ineſſe, qua poſſit ad ſui aſſenſum deducere ignarum; aliud reipſa ſinere ſe duci. Primum ſignificat, vt cum Capreolo loquar, ſimultatem potentiæ impulſiuæ ad aſſenſum, quam ineſſe cuique parti, quid verat?] 244.

Quæ verba ſic ad formam Dialecticam reduci poſſunt. Qui habet dumtaxat iudicium de probabilitate vtriuſque partis contradictoriæ, neutram ſequi poteſt: ergo vt licitè poſſit quancumque ex duabus ſequi, debet habere iudicium non de probabilitate per propoſitionem modalem, ſed de veritate per propoſitionem abſolutam. Atqui nemo poteſt habere duos aſſenſus probabiles abſolutos de vtraque parte contradictionis: ergo nemo poteſt vtramlibet, quam maluerit, eligere. Ergo non eſt verum, nedum certum, illud dictamen reflexum, quod liceat ſequi quamlibet opinionem probabilem: vel ſi illud verum eſt, infertur, quod poſſit habere duos aſſenſus abſolutos probabiles de vtraque parte contradictionis. Sed numquid probat primum antecedens, aut probare poterit? 245.

Ad operandum ſufficit iudicium de probabilitate, nec requiritur aſſenſus abſolutus.

246. Sed vis huius argumenti diſpatet penitus, ſi oſtendamus iudicium de probabilitate ſufficere, vt quis poſſit licitè operari, nec requiri aſſenſum abſolutum de ea parte, quam quis vt regulam ſuæ operationis amplectitur. Et quidem ego valde miror, quod Fagnanus, & Baron ſine probatione aſſumant tanquam principium certum, quod non ſufficiat iudicium de probabilitate opinionis ad dirigendam conſcientiam; cùm id principium, quod ſine probatione aſſumunt, ſit contradictorium primariæ noſtræ concluſioni. Nonne peccarem in argumentationis leges, ſi quando ego aſſero, *Materia prima exiſtit per propriam exiſtentiam*; non aliter impugnarem, quàm ſine probatione, ſtatuendo, materiam primam non niſi per exiſtentiam formæ exiſtere? Eodem ergo modo peccant in præſenti: nam cum aſſero, poſſe licitè deduci ad praxim quamlibet opinionem practicè probabilem, in hac aſſertione continetur iſta, *Per hoc quod videam probabilitatem opinionis, poſſum illam ad praxim deducere.* Nonne hoc eſt ſufficere iudicium de probabilitate practica opinionis? Ergo dum meam ſententiam impugnare pergunt, aſſumunt abſque probatione tanquam principium certum oppoſitam contradictoriè meæ concluſioni.

247. Itaque vt pictor licitè exerceat in die feſto opus artis pictoriæ, non eſt neceſſe, quod habeat hunc aſſenſum abſolutum, *Opus artis pictoriæ non eſt lege prohibitum in die feſto.* Sed ſufficit hoc iudicium, *Probabile practicè eſt, opus artis pictoriæ non eſſe prohibitum in die feſto.* Id ex noſtris principiis euidenter patet. Nam apud nos, *probabile practicè*, & *licitum*, ſynonima ſunt; niſi quod licitum vniuerſalius eſt, quia etiam ad certa ſe extendit: ſed per hoc iudicium, *Hæc operatio hic & nunc eſt licita*, ſatis dirigor ad operationem rectè exercendam: ergo per hoc iudicium, *Hæc operatio hic & nunc eſt practicè probabilis*, ſatis dirigor ad operationem rectè exercendam. Itaque cùm dico, *Hæc operatio eſt practicè probabilis*, idem eſt, ac ſi dicam, *Hæc operatio eſt licita*: ſi ergo ad directionem operationis ſufficit iudicare eſſe licitam, ſufficiet etiam iudicare eſſe pacticè probabilem; in qua practica probabilitate continetur apertè ratio liciti.

Probabile practicè, & licitum, ſunt ſynonima.

248. Hanc doctrinam debent neceſſariò admittere Fagnanus & Baron, & quotquot pro eorum ſententia ſteterint. Affirmant enim, quando vtraque opinio ſtat pro officio, & honeſto, ſi vtraque ſit paris probabilitatis, liberum mihi eſſe, quam maluero, opinionem eligere. Tum ſic. In eo caſu idem eſt eſſe æqualis probabilitatis, & eſſe licitum: ſed ad operandum rectè, ſufficit iudicium, quo exiſtimem, operationem eſſe licitam: ergo ad operandum rectè in eo caſu ſufficiet iudicium, quo exiſtimem hanc partem eſſe æqualis probabilitatis cum altera, quin requiratur aſſenſus abſolutus de veritate iſtius partis. Etenim ante aſſenſum abſolutum de veritate iſtius partis, poſſum formare iudicium de æquali probabilitate iſtius cum altera; & in hoc includitur iudicium de licito: iudicium autem de licito ſufficit ad rectè operandum: ergo iudicium de æquali probabilitate opinionis ante aſſenſum abſolutum de veritate, ſufficit ad rectè operandum. Et ad euidentiorem adhuc impugnationem eius doctrinæ, vide *cap.* 13. *in argum.* 12.

249. Hinc conſtat, argumentum ſuopte pondere corruere. Igitur nego maiorem, quod intellectus aſſentiretur duplici extremo contradictorio. Cùm autem ait Vincentius, aſſenſum ad duplex extremum contradictorium admitti à P. Thoma Sanchez, egregiè decipitur, & in lucem meridianam vult obſcuritatem intrudere. Ecce verba P. Th. Sanch. *lib.* 1. *ſum. cap.* 9. *num.* 12. [Nil repugnat, vt duas opiniones è diametro ſibi contradicentes idem intellectus probabiles iudicet, aut æquè, aut alteram probabiliorem.] Quod ibi fusè explicat. Et addit: [Nec id eſt duobus contradictoriis aſſentiri, cùm intellectus non affirmet, vtramque partem eſſe certam, ſed vtramque eſſe probabilem, id eſt, neutram ita certam eſſe, quin vtraque probabiliter ſuſtineri valeat.] Aſſerit ergo P. Sanch. poſſe intellectum his duabus propoſitionibus aſſentiri: *Probabile eſt, opus artis pictoriæ eſſe ſeruile*; & *probabile eſt, opus artis pictoriæ non eſſe ſeruile.* Has autem non eſſe contradictorias, quis Dialectica arte mediocriter tinctus non videat?

Vindicatur à calumnia Baronis P. Th. Sanch.

250. Cùm autem Baron ait, P. Vaſquez admittere duos aſſenſus contradictorios per extrinſeca principia, mitiùs agam cum illo, ſi dicam, eum non calluiſſe mentem Vaſquij, etſi clariſſimè expreſſam; quàm ſi dicam illi, per calumniam impoſuiſſe tam ingens abſurdum. En verba Vaſquij *tom.* 1. *in* 1. 2. *diſp.* 62. *cap.* 3. *num.* 11. [Obſeruandum eſt, eum, qui habet aſſenſum vnius partis contradictionis per propria, & intrinſeca principia, etiamſi aſſenſus ille tantum ſit probabilis, non poſſe habere aſſenſum alterius oppoſitæ partis per intrinſeca, & propria principia, bene tamen poſſe per extrinſeca principia exiſtimare, *oppoſitam partem eſſe probabilem.*] Cuius rei explicationem latè proſequitur: & tandem cùm exempli cauſa poſuiſſet hanc propoſitionem, *Qui elegit minùs dignum, prætermiſſo digniori, debet digniori reſtituere damnum, quod ei intulit*; hæc ſubiicit. [Quia hic aſſenſus per extrinſeca principia non eſt de propoſitione contradictoria, non enim eſt de hac propoſitione, *Qui eligit minùs dignum, prætermiſſo digniori, non debet reſtituere digniori*; nam ſic eſſet contradictorius aſſenſus: ſed eſt de hac propoſitione, *Probabilis eſt opinio, quæ dicit non eſſe reſtituendum aliquid digniori, qui in electione prætermiſſus fuit.* Sicut autem hæc propoſitio non eſt contradictoria prioris, ita etiam aſſenſus de illa non eſt contradictorius aſſenſui de priori.] Quid clarius?

Vindicatur à calumnia Baronis P. Vaſquez.

251. Ad probationem maioris ex dictis conſtat, negandum eſſe antecedens, quod aſſumit, nempe quod quiſquis habet iudicium de probabilitate practica vtriuſque partis contradictionis, neutram ſequi poteſt. Nam eo ipſo quod habeat iudicium de probabilitate practica vtrinſque partis, vtramque iudicat licitam; & dum iudicat vtramque licitam, nihil vetat, quod eligat alterutram.

252. Sed demus aduerſario, non ſufficere iudicium de probabilitate ad rectè operandum, ſed requiri aſſenſum abſolutum de veritate opinionis; quomodo probat inde, debere eſſe duos aſſenſus contradictorios, ex eo quod poſſimus vtramlibet partem contradictionis amplecti? Nam ſicut non poſſumus vtramque ſimul partem contradictionis ponere, ſed alteram dumtaxat; ita non poſſumus habere aſſenſum ad vtramque ſimul partem, ſed dumtaxat ad alteram. Poſſumus autem eligere pro arbitrio voluntatis: nam in iis, in quibus intellectus

non

Digitized by Google

non cogitur euidentia veritatis, inclinatio voluntatis flectit intellectum, vt huic parti potius, quàm illi aſſentiatur. Et vbi huic parti aſſenſus fuerit, poterit duci ex aſſenſu ad hanc partem. Sed de hoc vberiùs *art. ſequenti.*

Articvlvs VII.

Fit periculum de quinto argumento.

253. QVintum argumentum eſt, quod proponit Baron *ibid.* nempe *diſp. 2. ſect. 2. art. 2. §. 6.* Et quia methodum amo dialecticam, quam non obſeruant diſcurſus Vincentij, ad eam reuocabo eius verba, quæ liberiùs vagari videntur, quàm vt poſſit eis exhiberi formalis, & dialectica reſponſio. Imò verò ſic argumentis eius non mediocres vires adiiciam.

254. *An rationes vtrimque æquè probabiles, in quæſtione iuris, pariant dubium?*

Argumentum autem ſic procedit. Quando vtraque opinio contradictoria eſt paris probabilitatis, rationes vtriuſque partis relinquunt intellectum dubium, & hæſitantem: ergo non pariunt probabilitatem, ſed dubium: non ergo licet vtramlibet practicè quæſtionis partem amplecti. Antecedens probatur primò exemplo ſtateræ, cuius adinſtar ſe habet intellectus: ergo ſicut ſtatera in neutram partem inclinat, cum vtrimque par vrget pondus; ita intellectus neutri parti aſſentietur, cum vtrimque inſtat par rationum pondus.

255. Probatur ſecundò idem antecedens. Etenim cùm par eſt vtriuſque probabilitas, ratio, quæ pro vna militat, argumento eſt falſitatis alterius: ergo ratio, quæ pro vna militat, debitat rationes oppoſitæ, atque adeò minuit vim probabilizandi, quam habet.

256. Probatur tertiò. Nam intellectus inter rationes oppoſitas vtrimque probabiles, poteſt, & ſolet eſſe dubius, vt contra Caramuelem oſtendi *diſp. 6. cap. 5.* ſed non eſt dubius liberè, ſed vrgentibus ad id rationum momentis vtrimque æquè probabilibus: ergo paria rationum momenta dubium neceſſariò pariunt, & conſequenter non probabilitatem.

257. Probatur quartò. Nam vt ait S. Th. *quæſt. 14. de verit.* intellectus manet dubius, & ſuſpenſus, vel inopia rationum, quæ ad aliquam partem moueant, vel ob apparentem æqualitatem rationum, quæ moueant ad alterutram partem: ergo cùm rationes apparent vtrimque probabiles, intellectus neceſſariò manet dubius.

258. Probatur quintò. [Opinio ſolitariè ſumpta (verba ſunt Vincentij) eſt aſſenſus intellectus vni parti adhærens cum aliqua hæſitatione (ita appellat formidinem) orta ex inefficacia motiui, quod non omninò vincit: (ergo) ſi aduerſa opinio pugnet paribus probabilitatis viribus, non ſolùm habebit formidinem adiunctam ex inefficacia proprij motiui, ſed eius falſitatem ſuſpectam etiam, & dubiam habebit ex efficacia argumentorum oppoſitæ opinionis: Ergo eo ſtatu non opinatur, ſed dubitat.]

259. Probatur ſextò. Intellectus inter rationes vtrimque æquè probabiles ſe habet inſtar iudicis in cauſa, qua litigantes æquo iure contendunt: ergo ſicut iudex in eo caſu nequit in gratiam vnius, altero damnato, ſententiam ferre; ita neque intellectus inter paria vtriuſque opinionis merita nequit vnam partem veram, & alteram falſam declarare.

Quod argumentum, & paragraphum ſic concludit Baron: [Nec valet, ſi dicas, poſſe voluntatem pro ſuo vel affectu, vel imperio intellectui præcipere aſſenſum partis æquè, aut minùs probabilis. Quia imperium voluntatis in cæteras potentias politicum eſt, non deſpoticum; nec tyrannum agit, ſed Principem: ac proinde cuiuſque potentiæ bonum curat, & promouet. Quare cùm intellectui conueniat iudicare de rebus ex proprio cuiuſque merito, non poteſt minùs probabilibus aſſentiri, poſtpoſitis probabilioribus: vel de his, quæ pari iure gaudent, ad arbitrium ſtatuere, nullo veritatis, aut æqui reſpectu habito.] 260.

Hoc argumentum plus vrgere videtur, iuxta meam ſententiam, quam tradidi *diſp. 6. cap. 6.* quod videlicet rationes vtrimque æquè probabiles in quæſtione facti dubium pariant, nec poſſint alteri parti probabilitatem comparare. Neque enim videtur facile inter vtrumque diſparitatem conſtituere. Quam tamen poſteà ſtatuere conabor, ſi priùs quomodo ea argumenta ſoluenda ſint, in quæſtione iuris, ſtatuam. 261.

262. *Id argumentum militat contra ſuum Authorem.*

Sed ante omnia notandum eſt, id argumentum regredi, eamdemque vim habere contra ſuum Authorem. Ille enim aſſerit, quod quando vtraque opinio ſtat pro officio & honeſto, ſi pro neutra maius Dei obſequium reluceat; ſed paris probabilitatis, & congruentiæ ſit, poteſt quis eligere quam partem maluerit: vel ergo rationes vnius partis eneruantur omnino per rationes partis oppoſitæ, vel non eneruantur. Si primum: ergo vtraque amittit probabilitatem, atque adeò falſum eſt, quod licet amplecti vtramliber. Si verò dicas, rationes vnius partis non eneruari per rationes partis oppoſitæ: ergo iam ſtat, quod opiniones inter ſe aduerſæ ita ſe habeant, vt rationes vnius non eneruentur omninò per rationes partis oppoſitæ: atque adeò poterimus & nos idem admittere in omnibus opinionibus practicè probabilibus.

263. *Ratio probabilis non cogit ad aſſenſum.*

Pro ſolutione itaque eius argumenti præmitto primò id, quod tradidi *ea diſp. 6. cap. 5. num. 67.* rationibus probabilibus non cogi, nec obligari intellectum ad aſſenſum eius partis, pro qua ſtant. Quod ibidem clarè oſtenſum eſt.

264. *Inter rationes vtrimque probabiles poteſt intellectus hærere in quæſtione iuris.*

Præmitto ſecundò, quod & tradidi *eodem cap. 5. per totum*, poſſe intellectum, etiam in quæſtione iuris, & ſolere manere dubium, dum conſtituitur inter rationes pro vtraque contradictionis parte æquè militantes. Quod ſæpe accidit Profeſſori Philoſophiæ, & Theologiæ, dum in quæſtione aliqua meditatur, quam partem quæſtionis docturus ſit Auditores ſuos. Et quidem cùm rationibus probabilibus, vtpote non conuincentibus, non cogatur intellectus ad aſſenſum alterius partis, inde eſt, quod ſiue pro vna tantum parte ſint rationes probabiles, ſiue pro vtraque ſint, poſſit manere anceps, dubius, & non determinatus ad alteram partem.

265. *Solutio probabilis aufert neceſſitatem aſſentiendi alteri parti.*

Præmitto tertiò, cùm intellectus ſoluit probabiliter rationes partis negatiuæ, v. g. liberum manere ab obligatione aſſentiendi parti negatiuæ, & minimè coactum ad talem aſſenſum. Patet ex præmiſſo primo, & item ex eo quod reſponſio probabilis ſoluit illud vinculum, quo poſſet intellectus alligari ad vnam partem.

266. *Rationes vnius partis aliquantulū infirmantur per rationes oppoſita.* Præmitto quartò, rationes probabiles vnius partis aliquantulum infirmari ſolere per rationes partis oppoſitæ: exempli gratia, probas non licere audire duas duplicis Miſſæ medietates, ſic: [Tenemur audire vnam Miſſam integram ex præcepto Eccleſiæ: ſed duæ illæ medietates duplicis Miſſæ, non conſtituunt vnam Miſſam integram, cùm non reſultet ex illis vnum ſacrificium: ergo per illas duas medietates non ſatisfit Eccleſiæ præcepto.] Hoc argumentum prima facie videtur conuincere, ſed exhibetur diſtinctio ſic: illæ duæ medietates non conſtituunt vnam Miſſam integram, quoad celebrationem, concedo; quoad auditionem, vel aſſiſtentiam, nego. Qua ratione hæc ſolutio, quæ nititur in fundamento opinionis affirmatiuæ, minuit vim argumenti ſtantis pro negatiua.

267. *Rationes vnius partis non eneruantur omninò rationibus oppoſitis.* Præmitto, quintò, rationes probabiles vnius partis non omnino eneruari rationibus probabilibus oppoſitæ partis in quæſtione iuris. Ratio eſt, quia in hac quæſtione, [Quid ſit factibile?] reſolutio illius non eſt indiuiſibilis, ſed habet amplitudinem, ita vt ſæpe quælibet pars contradictoria ſit licitè factibilis: v.g. mihi modò licet deambulare, & licet non deambulare; licet loqui, & non licet loqui. Deinde res factibiles incertæ obſcuriores ſunt in ordine ad praxim tenendam: quam quidem ſoli Theologi, imò & non omnes penetrant. Quamuis ergo vtraſque rationes ſoluant, illæ non manent omninò eneruatæ in ordine ad praxim ſequendam. Quod magis explicabitur articulo ſequenti.

268. Præmitto ſextò, quod ex præmiſſo proximo deducitur; quamvis ſoluam probabiliter rationes vtriuſque partis, adhuc intellectus poteſt, licèt non teneatur, rationabiliter illis niti. Patet ex proximè dictis, quia cùm etiam ex collatione cum oppoſitis, non omninò amittant vim ſuam probabilem, licet intellectui illis inniti ad aſſenſum.

269. *Intellectus in probabilibus ſubordinatur indirectè voluntati.* Præmitto ſeptimò, intellectum ſubordinari, ſaltem indirectè, arbitrio voluntatis, vbi ille non cogitur euidentia, ſaltem morali; & dum habet rationes probabiles, quibus innitatur, non eneruatas per argumenta partis oppoſitæ. Id fit, vel non attendendo ad vim argumentorum, vel quia inclinatio voluntatis facit, vt intellectus quærat rationes alias, quæ ſaltem apparenter maiorem faciant probabilitatem; vel quia eadem inclinatio voluntatis facit, vt intellectus magis attendat ad rationes vnius partis, ratione cuius maioris attentionis prædictæ rationes videantur intellectui probabiliores. Et quidem in materia Immaculatæ Conceptionis Deiparæ id clarè cernitur. Rationes enim, quæ militant pro Immaculata Conceptione, eius ordinis ſunt, vt faciant euidentiam pacatis mentibus: de quo vide *diſp.* 9. *cap.* 18. Et tamen aliqui intellectus, & voluntatis præiudicio præuenti, vel non attendunt ad vim argumentorum, vel euaſiones quærunt apparenter probabiles: quam apparentem probabilitatem præiudicium voluntatis intrudit.

270. *In probabilibus ſubordinatur etiam directè.* Præmitto octauò, voluntatem habere imperium directum in intellectum, vbi iſte non cogitur veritatis euidentia. Patet ab experientia. Nam dum Petrus grauiter infenſus eſt Ioanni, etſi Ioannes potiatur fama de honeſtate operationum, adhuc Petrus erumpit contra Ioannem in iudicium temerarium de delicto, ex imperio voluntatis infenſæ. Si ergo imperium directum voluntatis extenditur ad iudicium mentis, quando hæc caret rationibus probabilibus, quibus innitatur, à fortiori idem imperium obtinebit, quando ad tale iudicium habet rationes probabiles, quibus innitatur.

Iam verò ad argumentum propoſitum reſpondetur negando antecedens, quod videlicet rationes æqualiter probabiles in quæſtione iuris relinquant neceſſariò intellectum dubium, & ſuſpenſum. Ad primam probationem anteceden- 271. **Ad argumĕtum.**
tis deſumptam ab exemplo ſtateræ, in primis admitto paritatem, & conceſſo antecedenti, nego conſequentiam; quia vbi non adeſt euidentia rationum, non ſolùm rationes faciunt pondus in ſtatera mentis, ſed etiam id facit inclinatio voluntatis, modo explicato in ſeptimo, & octauo præmiſſo. Deinde reſpondeo: non eſſe in omnibus ſimile exemplum ſtateræ; hæc enim quolibet addito pondere in vnam partem, in illam declinat: intellectus autem hæret quandoque ab aſſenſu omninò ſuſpenſus inter rationes hinc minùs probabiles, & inde probabiliores. Similiter ergo licet quandoque ad inſtar ſtateræ hærere ſoleat inter rationes paris probabilitatis; ſolet etiam quandoque in vnam potius declinare, quàm in oppoſitam, quia per ſolutionem aufert pondus ab vna, & ſpeciali attentione ad alteram addit illi pondus. **Ad 1. probationem.**

Ad ſecundam probationem, conceſſo antecedenti, diſtinguo conſequens. Ergo ratio, quæ 272. **Ad ſecundam.**
pro vna parte militat, debilitat [omnino] rationes alterius, nego; debilitat [aliquantulum,] concedo. Sed non ita debilitat, vt tollat ab illa probabilitatem.

Ad tertiam reſpondeo conceſſa maiori, nempe, quod intellectus maneat dubius inter ratio- 273. **Ad tertiam.**
nes vtrimque probabiles, præcipuè quoad veritatem ſpeculatiuam. Et diſtinguo minorem: Intellectus non eſt dubius liberè, [libertate propria intrinſeca,] concedo; non eſt dubius liberè [libertate voluntatis flectente intellectum ad vnam partem, vel non flectente,] nego. Vide præmiſſum ſeptimum, & octauum.

Ad quartam admitto id, quod docet S. Thomas, intellectum manere ſuſpenſum ob appa- 274. **Ad quartam.**
rentem æqualitatem rationum, quæ moueant ad alterutram partem; id tamen intelligitur, dum inclinatio voluntatis non flectit directè, aut indirectè intellectum, vt vnam rationem alteri præferat.

Ad quintam concedo, opinionem ſolitariè 275. **Ad quintam**
ſumptam, minorem formidinem afferre, quàm collatam cum argumentis partis oppoſitæ: ſed argumentum non probat, hanc tantam eſſe debere, vt neceſſariò ſubſequatur dubitatio, etiam accedente inclinatione voluntatis ad vnam partem.

Ad ſextam ſuppono ex infra dicendis, iudicem 276. **Ad ſextam.**
teneri attendere ad probabiliora merita cauſæ; & aſſero, intellectum ſe habere ad inſtar iudicis, vbi ſolis rationibus attenditur, & nulla voluntatis inclinatione flectitur. Quando autem in rebus incertis voluntas directè, vel indirectè mouet ad vnam partem, intellectus non ſe habet ad inſtar iudicis.

Ad id, quod additur in fine argumenti, reſpon- 277.
deo, imperium voluntatis eſſe ſolere deſpoticum, vbi abeſt euidentia veritatis, vt patet in iudicio temerario, in quod prorumpit contra probabilitatem,

Digitized by Google

babilitatem, quam parit bona fama. Diceretur illud imperium tyrannicum, ſi vrgeret intellectum contra euidentiam, quod non poteſt: quando autem dumtaxat ſunt rationes vtrimque probabiles, non facit violentiam intellectui, quia non eſt contra vim intellectiuam inclinare in materia incerta ex motiuo rationis probabilis.

Articvlvs VIII.

Fortior inſtantia deſumpta ex dubio neceſſario inter motiua æquè probabilia in quæſtione facti.

278. Diſputat. 6. cap. 6. docuimus, in quæſtione facti inter motiua æquè probabilia, dum æquè probabilia proponuntur intellectui, neceſſariò reſultare dubium intellectui; & ſi iudicium reſultat, illud eſſe temerarium. Et licèt ibi dixerimus, ſufficientem diſparitatem aſſignari ab ipſa experientia inter quæſtionem facti, & quæſtionem iuris; experimur enim, nos hærere dubios inter duo teſtimonia æqualis fidei in quæſtione facti, quod non experimur in quæſtione iuris: quia tamen aduerſarij, cum quibus modò agimus, licet admiſſuri ſint pro ſuffragio ſuæ doctrinæ, quod in quæſtione facti reſulter illud dubium; non tamen ſunt admiſſuri, quod in quæſtione iuris experiamur, nos in vnam partem inclinare, dum inter motiua æqualia verſatur intellectus: ideò operæpretium eſt, argumentum, quod inde ſumere poſſunt, proponere, eiuſque ſolutionem fuſiùs, & clariùs explicare.

279. Vrgebunt ergo primò. Non eſt potior ratio, quare in quæſtione facti, quàm in quæſtione iuris neceſſariò debeat intellectus hærere dubius inter motiua æqualia: ergo ſi id admittimus in quæſtione facti, admittendum etiam eſt in quæſtione iuris.

280. Vrgebunt ſecundò. In quæſtione facti ideò intellectus manet neceſſariò dubius inter motiua æqualia, quia motiua vnius partis omninò eneruant vim argumentorum partis oppoſitæ: ſed nulla eſt ratio, quare non ſimiliter in quæſtione iuris motiua vnius partis eneruent omninò vim argumentorum alterius partis: ergo idem eſt in quæſtione iuris.

281. Vrgebunt tertio. Ideò in quæſtione facti neceſſariò hæret intellectus inter motiua æqualia, quia res facti conſiſtit in indiuiſibili, quia dumtaxat facta eſt, vel dumtaxat facta non eſt: ſed etiam quæſtio iuris conſiſtit in indiuiſibili, quia in quæſtione, [An hæc operatio ſit licita,] dumtaxat eſt licita, vel dumtaxat non eſt licita: ergo etiam quæſtio iuris conſiſtit in indiuiſibili.

282. *Quæ diſparitas ſit inter quæſtionem iuris, & quæſtionem facti, quoad dubitationem?*

Vt vtriuſque diſparitas clariùs percipiatur, confero inter ſe hos duos caſus; alterum in quæſtione facti, & alterum in quæſtione iuris. Primus eſt ex iudicio Salomonis, in quo duæ illæ meretrices contendebant: ex quibus altera clamans atteſtabatur, illum infantem eſſe filium ſuum; altera item ſuum, non alterius. Et quidem dum fœmina teſtatur abſque contradictione, hunc eſſe filium ſuum, id eſt magnum fundamentum ad faciendam fidem de tali filiatione. Adhuc tamen Salomon non potuit non eſſe dubius, quia teſtimonium vnius omnino eneruabatur per teſtimonium contradictorium alterius. Quod idem dubij genus nobis accidit extra iudicium, cùm de facto aliquo audimus duos teſtes oculares affirmatiuos, æqualis fidei, ſibi inuicem aduerſantes.

Secundus caſus in quæſtione iuris eſt. Petrus ſine plena aduertentia requiſita ad peccatum mortale combuſſit ſegetem Ioannis, ideoque ſolùm peccauit venialiter: numquid ergo tenetur ſub mortali reſarcire Ioanni damnum datum? Cauſam ad iudicium Theologorum adducamus, quorum aliqui reſpondebunt, Petro incumbere obligationem grauem reſarciendi, alij verò id negabunt. Pars affirmatiua obiicit:] Quicumque eſt cauſa damni dati voluntariè, tenetur ad reſtitutionem: Petrus eſt cauſa damni dati voluntariè, alias non peccaſſet venialiter, cùm peccatum veniale non procedat, niſi à cauſa libera: ergo Petrus tenetur ad reſtitutionem. [Pars negatiua obiicit: [Nemo tenetur grauiter ad reſtitutionem ex damno dato, niſi qui irrogat iniuriam grauem: ſed qui peccat venialiter, non irrogat iniuriam grauem, cùm peccatum veniale non ſit iniuria grauis: ergo qui peccat venialiter non tenetur ad reſtitutionem.] 283. *An qui eſt cauſa damni ex culpa veniali, teneatur ad reſtitutionem?*

Pars hæc negatiua ſoluit obiectionem partis oppoſitæ, diſtinguendo maiorem: tenetur namque grauiter ad reſtitutionem ex damno dato, qui eſt cauſa grauiter iniuſta illius damni; non verò ille, qui non eſt cauſa illius grauiter iniuſta. Pars affirmatiua ſoluit obiectionem partis oppoſitæ, diſtinguendo maiorem: etenim vt quis teneatur grauiter ad reſtitutionem, non eſt neceſſe, quod irroget iniuriam, quæ ſit grauis in ratione culpæ, dummodo ſit grauis in ratione damni, & aliàs ſit damnificatio voluntaria, & libera. 284.

Accedit Theologus probabilium opinionum defenſor, & reflectens ſupra vtramque opinionem, videt rationem vtriuſque, & reſponſionem vtriuſque prudentem eſſe, & humanæ rationi conformem. Et conſiderata iterum, atque iterum ratione, & reſponſione vtriuſque, non videt, quo pacto vna eneruet omnino rationem, & reſponſionem alterius. Conſiderato autem caſu illius iudicij Salomonis, clarè videt non eſſe humanæ rationi conforme, quod credat teſtimonio vnius ex illis meretricibus, altera contradicente, cùm vtraque appareat æquali fide digna. 285.

Sed conferamus aliter vtrumque caſum. Poſt auditas meretrices manet iudex omnino dubius de facto illo: poſteà idem iudex, qui talis eſſe vult pro foro conſcientiæ, inquirit de obligatione Petri ad reſarciendum damnum datum ſegeti Ioannis, vocatque duos Theologos. Alter ſtat pro ſententia affirmatiua, & alter pro negatiua. Et procedens iudex ad deciſionem vtriuſque caſus, de primo ait, ſe nullam inuenire rationem, vt credat potiùs vni fœminæ, quàm alteri; quia vna deſtruit fundamentum credendi, quod altera adſtruit teſtimonio ſuo. De ſecundo caſu ait, vtrumque Theologum rationabiliter diſcurrere; & ſiue ſtes pro vno, ſiue ſtes pro altero, te rationabiliter & prudenter diſcurrere: quia tam probatio, quàm reſponſio alterutrius partis videtur humanæ rationi conformis: atque adeò diſcurſus vnius non eneruat omninò diſcurſum alterius. 286.

Hoc diſcrimen ex alia experientia euidentiori perpen 287.

Digitized by Google

Omnes Theologi nituntur ratione probabili, licet ex aduerſo colliſa.

perpendenda infrà *cap.* 8. liquidiùs patet. Videmus enim Theologos omnes, libratis vtriuſque partis contradictoriæ rationibus in materia morali topica adhærere vni parti ob rationes iſtius, non obſtantibus rationibus oppoſitæ. Inde clarè inferimus, rationes vtriuſque partis inter ſe libratas non producere neceſſariò dubium; quandoquidem Theologi non dubitant, ſed vnam partem reſoluunt. Quod è contrario videmus accidere in iudice in quæſtione facti, qui neceſſariò hæret dubius propter teſtimonia paris, aut ſubparis probabilitatis.

288. Hoc videtur mihi iudicium certum & indubitabile, cuius collatio ipſi experientiæ innitens, videtur ſufficiens ratio diſparitatis. Sed non eſt adeò mihi explorata radix, vnde ea diſcriminatio oriatur, vel potiùs non eſt explicatu facilis.

289. Exiſtimo autem, ſic aptè explicari iuxta dicta *art. præcedenti, num.* 267. Etenim rerum agendarum ratio res eſt valde obſcura, ob multiplices, variaſque, quæ accidunt, circumſtantias, adeò vt vix Theologi poſt diuturnum, improbumque laborem, quid in vnaquaque agendum ſit, optimè calleant: ex alio capite ratio rerum agendarum inſtat omnibus, tam rudibus, quàm peritis: ex alio autem capite in quæſtione rei agendæ vtralibet pars ſæpiſſimè eſt licita; modò enim mihi licet loqui, & licet non loqui. Hinc colligo, rationem rerum agendarum non conſiſtere in indiuiſibili; ſed pro vtraque parte contradictoria eſſe poſſe rationes captui humanæ mentis (quæ debilis eſt, & infirma) ſatis accommodas; atque adeò quarum neutra omninò debilitet, & infirmet oppoſitam.

Quomodo ratio rei agendæ non conſiſtat in indiuiſibili?

290. E contra verò res facti conſiſtit in indiuiſibili ſpeculatiuè, & practicè. Speculatiuè quidem, quia vnum dumtaxat eſt; nam vel dumtaxat eſt factum, vel dumtaxat non eſt factum. Practicè autem, quia non habet diuiſibilitatem, & latitudinem rerum agendarum; ita vt ſicut pro rebus agendis inter ſe contradictoriis dantur rationes graues, & prudentes, & humanæ menti accommodæ, quæ non ſe mutuò perimunt, aut omnino eneruant, ita pro re facti dentur motiua rationabilia inter ſe compoſſibilia, quæ ſuadeant rem eſſe, & quæ ſuadeant rem non eſſe; quæ quidem non ſe inuicem deſtruant, vt in exemplis allatis conſtat. Clarè enim videmus, inter duo teſtimonia oppoſita in quæſtione facti verſantia, intellectum non poſſe determinare ſe ad vnam partem, dum intellectui proponuntur vt æqualiter mouentia.

Res facti conſiſtit in indiuiſibili ſpeculatiuè, & practicè.

291. Hinc ad inſtantias reſpondeo. Ad primam, potiorem eſſe rationem in quæſtione facti, quàm in quæſtione iuris, quare intellectus neceſſariò hæreat dubius. Nam quæſtio iuris pertinet ad rationem rerum agendarum, quæ pro partibus inuicem contradicentibus admittit rationes accommodas humanæ menti, non ſe inuicem deſtruentes: in quæſtione autem facti ſe ita deſtruunt, vt conſiſtentes in æquali gradu ſe mutuò omnino eneruent, & deſtruant. Quare vnum teſtimonium, contradicente poſitiuè altero æquali, non eſt ſufficiens motiuum, vt in eo nitatur intellectus ad affirmandum rem facti.

292. Ad ſecundam nego minorem: eſt enim in quæſtione iuris potior ratio, quare motiua vnius partis non deſtruantur per motiua partis oppoſitæ: quia ex ipſa collatione caſuum perſpicitur, rationem rerum agendarum habere eam latitudinem, ratione cuius bene componantur rationes prudentes pro vtraque parte contradictionis, propter ea, quæ dixi *num.* 289. quod non apparet in quæſtione facti.

Ad tertiam, cùm dicimus, ideò intellectum hærere neceſſariò in quæſtione facti inter motiua æqualia, quia res facti conſiſtit in indiuiſibili, intelligendum eſt de indiuiſibili ſpeculatiuè, & practicè, modo explicato ſuprà *num.* 289. Cùm autem dicitur, hanc quæſtionem, [An hæc operatio ſit licita, an non?] etiam conſiſtere in indiuiſibili, quia verſatur inter duo extrema contradictoria, dicendum eſt conſiſtere in indiuiſibili ſpeculatiuè, non practicè; quia ratio rerum agendarum admittit tanquam compoſſibiles rationes humanæ menti proportionatas ad vtrumlibet contradictorium deducendum ad praxim. Quia cùm hæ, & illæ rationes ſint humanæ rationi conformes, vtrumlibet ſuadent eſſe factibile, quin prædictæ rationes mutuò ſe deſtruant. Quod non contingit in quæſtione facti, cùm ad aſſerendum vnam partem non ſufficiat teſtimonium vnius, æquali altero poſitiuè contradicente. 293.

Inſtabis. Sicut in quæſtione iuris vtraque pars poteſt eſſe agibilis, ita in quæſtione facti vtraque pars poteſt eſſe credibilis: & ſicut in quæſtione iuris dantur pro vtraque parte rationes, quæ rem faciant agibilem, nec ſe mutuò perimant omnino; ita in quæſtione facti poterunt eſſe pro vtraque parte rationes, quæ rem faciant credibilem, & quæ non ſe omninò deſtruant in ordine ad credibilitatem: ergo eodem modo in vtroque philoſophandum eſt. 294.

Reſpondeo, quæſtionem, quæ inquirit, [An ſit credibile Salomoni, quod infans ſit filius huius fœminæ?] inquirere, [an ſit motiuum ſufficiens Salomoni, vt aſſerat, infantem eſſe filium huius?] Cùm ergo dicimus, teſtimonium vnius, contradicente poſitiuè altero æqualis fidei, non eſſe ſufficiens motiuum, vt Salomon aſſerat, infantem eſſe filium huius, ſimul affirmamus, neutram partem eſſe credibilem Salomoni. 295.

Hinc nego, in quæſtione facti vtramque partem contradictionis eſſe poſſe credibilem, quia teſtimonium (vel quid æquiualens) quod ſtat pro vna parte, per ſuam contradictionem eneruat alteram; atque adeò non eſt ſufficiens motiuum, vt illi innitens, alteri parti aſſentiatur; atque adeò neutra pars eſt credibilis. 296.

ARTICVLVS IX.

Criſis ſexti argumenti.

SExtum argumentum proponit Baron *eadem diſp.* 1. *ſect.* 2. *art.* 2. §. 7. vt conuincat, falſam eſſe noſtram ſententiam, qua parte aſſerit, opinionem minùs probabilem poſſe admitti ad praxim relicta probabiliori. Et in hæc verba diſcurrit: [Qui cenſet partem vnam probabiliorem, iudicat, alteram minùs probabilem falſo propiùs abeſſe: ergo ſi iſtam alteri anteponat, adhærebit parti, quam iudicat magis falſam: quo nihil poteſt abſurdius dici. Addo etiam ad huius ſententiæ confirmationem, quamlibet potentiam innato pondere ad ſuum obiectum tanquam ad bonum congenitum ferri, & à contrario 297.

abhorrere

Digitized by Google

abhorrere. Sic aqua recto curſu fluit ad mare, & ambages, aut aluei circuitus fugit. Ergo cùm intellectus obiectum ſit verum, id tanquam vnium bonum quærit, & illi parti adhæret, quæ ſibi plus veri habere viſa fuerit: ergo non poteſt adhærere minùs probabili, relicta probabiliori, id eſt, quæ magis ad veritatem accedit. Neque enim intellectus in opinionum delectu, à voluntatis regulis in deligendis mediis vel latum vnguem recedit; ac proinde ſicut ex mente S. Doctoris electio appetitus, quamdam collationem importat, quatenus eſt acceptio vnius præ altero, quæ nequit fieri, niſi medio, quod eligitur, maior inſit, aut certè appareat, conuenientia ad finem, maximè ſi efficaciter intendatur: ergo idem de intellectu ſentiendum, cùm efficaciter veritatem appetat, & in ea inquirenda totus ſit, atque ad eius conſecutionem confetat probabilioribus adhærere: ac proinde non poteſt, niſi vim ſibi inferat, minùs probabilia anteponere.] Hucuſque Vincentius: in cuius verbis tres probationes continentur, ad quarum ſingulas ſingillatim reſpondebimus.

298. *Reſponſio.* Putabit aliquis, ſe ſatisfacere huic argumento, ſi dicat, ad praxim licitam non eſſe neceſſarium, quod intellectus aſſentiatur per propoſitionem abſolutam parti minùs probabili, ſed ſatis eſſe aſſenſum de probabilitate, nempe, *Probile eſt, hoc* (minùs probabile) *eſſe licitum.* Vnde quamvis intellectus non poſſit aſſentiri per propoſitionem abſolutam parti minùs probabili, poterit ſecundum opinionem minùs probabilem operari.

299. *Non ſatisfacit.* Hæc tamen reſponſio omninò eſt inutilis. Nam ſi ſemel ſtatuatur, quod intellectus non poteſt aſſenſu abſoluto aſſentiri iſti parti, hæc pars non poteſt eſſe probabilis: vt enim aliqua pars ſit probabilis, neceſſe eſt, vt habeat ſufficiens motiuum, cui intellectus innitatur ad aſſenſum abſolutum illius. Vel ergo hic & nunc habet intellectus ſufficiens motiuum, vt illi innitens intellectus aſſentiatur abſolutè huic concluſioni, vel non habet? Si hoc ſecundum dicas, iſta pars non eſt probabilis; atque adeò neque propoſitio modalis de modo *probabile*, erit vera. Si verò habeat ſufficiens motiuum ad talem aſſenſum abſolutum, poterit dari iſte aſſenſus abſolutus, & non ſolùm modalis de modo *probabile*. Nam ſi talis aſſenſus abſolutus eſt impoſſibilis cum tali motiuo, quomodo tale motiuum eſt ſufficiens ad illum abſolutum aſſenſum?

300. *Inter rationes probabiliores, & minùs probabiles poteſt dari dubium.* Pro legitima ergo eius argumenti ſolutione, ſuppono primò inter rationes minùs, & magis probabiles, nempe vnius opinionis probabilioris, & alterius opinionis oppoſitæ minùs probabilis, poſſe intellectum ſuſpendere aſſenſum, & hærere dubium. Quia ſola certitudo, aut euidentia, ſaltem moralis, cogit intellectum ad aſſenſum, vt conſtat ex ſuprà dictis.

301. *De probabilitate poteſt intellectus dubitare.* Suppono ſecundò, rarò opinionem merè probabilem proponi intellectui, vt euidenter probabiliorem; atque adeò de hoc ipſo probabilioritatis gradu poſſe intellectum dubitare, ſicut in quocumque alio obiecto, quod ſibi non proponitur vt certum, vel euidens: & hoc bene probat Caramuel *in Apolog. de probabilit. epiſt.* 2. *num.* 83.

302. *Quando vna pars non eſt euidenter probabilior, poteſt voluntas flectere.* Aſſero ergo primò. Quando ex duabus opinionibus neutra eſt euidenter probabilior, poteſt voluntas inclinatione ſua flectere intellectum in quam partem maluerit. Id quidem præſtat indirectè, quatenus ex maiori inclinatione facit, vt intellectus maiori attentione conſideret vnam partem, ideoque putet probabiliorem, rationibus eius partis clariùs & viuaciùs conſideratis. Poteſt etiam id præſtare directè ob rationem propoſitam ſupra *art.* 7. *num.* 270.

Aſſero ſecundò. Etiam quando vna pars repræſentatur intellectui vt euidenter probabilior, poteſt voluntas flectere intellectum ad aſſenſum partis minùs probabilis. Et quidem cum repræſentatur vt euidenter probabilior, adhuc ea pars repræſentatur vt incerta, & talis vt ab eius aſſenſu abſtinere poſſit, niſi à voluntate flectatur. Vnde dum intellectus videt, partem oppoſitam eſſe incertam, etſi probabiliorem, ad cuius aſſenſum ideò non cogitur, poteſt voluntas flectere intellectum ad partem oppoſitam. Patet concluſio. Nam dum quis fruitur bona fama de honeſtate morum, non eſt certum eſſe innocentem; tamen probabilius eſt, illum eſſe innocentem; & tamen hominis infenſi voluntas ſæpe flectit intellectum, vt temerè iudicet, illum eſſe noxium: ergo vbi pars aliqua probabilior eſt, ſiue vbi præponderat maius robur probabilitatis, poteſt voluntas flectere intellectum ad partem oppoſitam. 303. *Item quando proponitur vt euidenter probabilior.* *Contra rationem probabilem voluntas flectit ad iudicium temerarium.*

304. Nec valet, ſi dicas, illud eſſe iudicium temerarium, & ſolùm negari imperium voluntatis, vt flectat intellectum ad partem minùs probabilem, ita vt reſultet actus opinatiuus & probabilis.

305. Etenim hic ſunt duæ quæſtiones diuerſæ. Prima: an voluntas poſſit flectere intellectum ad vnam partem, quando pro oppoſita, illa incerta quidem, eſt maius pondus probabilitatis. Secunda, an actus iſte iudicij, qui ex illa inclinatione voluntatis reſultat, ſit probabilis, & opinatiuus, an potiùs temerarius? Quoad primam quæſtionem attinet, ſi certum eſt, quod voluntas flectit intellectum ad vnam partem carentem omninò fundamento graui, quando pro oppoſita præponderat maius robur probabilitatis, vt patet in caſu propoſito; à fortiori certum erit, quod in ſimili caſu poſſit voluntas flectere intellectum ad eam partem, quæ graui fundamento, quamvis minori, fulcitur. Quoad ſecundam verò quæſtionem, cùm actus ille iudicij, qui reſultat, nitatur fundamento graui, quamvis minori, non poterit dici eſſe actus iudicij temerarij, ſed prudentis.

306. Et quidem Vincentius in argumento propoſito, non intendit vires argumenti in eum ſcopum, vt probet, illud iudicium, quod terminatur ad partem minùs probabilem, eſſe temerarium: ſed potius vt probet, intellectum neceſſitari ad aſſenſum partis probabilioris, caſu quo aliquem aſſenſum elicitorus ſit; & intellectui impoſſibile eſſe, quod aſſenſum præſtet parti minùs probabili; nec voluntati ineſſe vires ad inclinandum intellectum ad huiuſmodi aſſenſum ad obiectum minùs probabile. Nos autem ex eo, quod voluntas poſſit flectere intellectum ad iudicium temerarium contra maius rationis pondus, inferimus, non eſſe impoſſibile, quod voluntas flectat intellectum ad partem minùs probabilem. Quo aſſenſu iam poſito, clarè conuincimus, illum non eſſe temerarium, cùm iſte nitatur ratione prudenti, etſi minùs efficaci.

307. Iam verò conſtat, argumentum Vincentij omninò

Solutio argumenti. ninò corruere, Qui cenſet partem vnam probabiliorem, iudicat alteram minùs probabilem falſò propiùs abeſſe [quoad motiuum, & cum incertitudine veritatis,] concedo, [quoad rem ipſam, vel cum certitudine veritatis,] nego. Conſequens autem negandum eſt. Eſt enim omninò falſum, quod cùm aſſentitur parti minùs probabili, iudicet iſtam magis falſam. Aliud enim eſt magis appropinquare motiuis falſitatis; & aliud eſt eſſe falſam, aut magis falſam. In eo ergo caſu, quo aſſentitur parti, quæ ſibi proponitur vt minùs probabilis ex parte motiui, iudicat motiuum oppoſitum magis accedere motiuo veritatis; adhuc tamen iudicat falſum, vbi non cogit ad ſui aſſenſum id motiuum fallibile,& incertum: & partem minùs probabilem iudicat veram, quamvis debiliter, & cum formidine. Quo argumento manifeſtè redarguitur Vincentius in iudicio temerario, quod elicit intellectus contra motiuum maius, nempe ex inclinatione voluntatis.

308. *Intellectus non fertur innato pondere ad probabilius.* Ad confirmationem omitto, quamlibet potentiam innato pondere ad ſuum obiectum tanquam ad bonum congenitum ferri; deinde *verum* eſſe obiectum intellectus: nego tamen, quod probabilius obiectum eo ipſo ſit verum, & quod per cognitionem probabiliorem intellectus inueniat reipſa veritatem: ideoque probabiliori obiecto attendens, ſæpiſſimè negat aſſenſum, ob illius incertitudinem.

309. *Aqua non inclinat in mare, ſed in ima.* Exemplum, quod ibi affert, parum conſonat Philoſophiæ. Aqua enim non fertur in mare, quia mare, ſed ex grauitate ſua tendit in ima, & quia mare eſt in inferiori loco, ad illud deſcendit. Deinde falſum eſt, quod aqua fugit ambages, & circuitus alui; non enim fugit, niſi aſcendere ſurſum. Vnde ſi ambages ſunt deorſum, & rectum iter eſt ſurſum, ambages quærit, & à recto itinere abhorret.

310. Ad probationem ſubiunctam admitto, quod cùm voluntas efficaciter intendit finem, imperat electionem medij conuenientioris ad finem, dum ſperat conſecutionem finis. Si tamen iſtam non ſperat (quo caſu intentio non eſt efficax) non determinatur voluntas ad eligendum medium conuenientius. Et ita ſimiliter contingit in intellectu, cuius finis eſt deuenire ad verum. Cùm tamen videt vnam partem eſſe incertam, & probabiliorem, deſperat de aſſequendo fine, & de deueniendo ad verum: quia ad iſtud non peruenit niſi per cognitionem certam. Quod ſi per cognitionem probabiliorem perueniret ad finem ſuum, non poſſet non elicere illam, nec poſſet ſuſpendere aſſenſum, vtpote qui conſequeretur finem: quod falſum eſſe, fatetur Vincentius.

Articvlvs X.

Refertur ſeptimum argumentum.

311. Sectione 3. *eiuſdem diſputationis ſecunda* longum texit diſcurſũ Baron de diuerſis vitæ Chriſtianæ officiis, in quibus homines tenentur ad probabiliora & tutiora: vnde colligit, ita quoque ſentiendum eſſe in quacumque quæſtione, vbi nihil eſt certum. Diſcurſum ita incipit: [Qui profitentur vitæ humanæ & Chriſtianæ inſtituta, qualia ſunt *Religioſi, Amici, Iudicis, Principis, Medici, Confeſſari, & Conſultoris animarum, Lectoris, & Magiſtri in ſcolis, Candidati Religionis*; hi omnes reputant ſibi neceſſarium probabilioris & tutioris opinionis pro officio, & lege ſtantis delectum, ſeu materiæ tutioris, & probabilioris vſum, eumque præſtant non difficulter; neque huius regulæ rigorem nimium cauſantur, vt ab illa ſe eximant: ergo idem delectus neceſſarius eſt, nec admodum difficilis in quacumque re ad honeſtatem morum, vel ad ſalutem ex præcepto ſpectante.] Hucvſque Vincentius, qui per ſingula deinceps officia memorata diſcurrit.

Religioſos teneri ad partem tutiorem, ſuadere conatur ex eo, quod cùm Patres Franciſcani circa varia & grauia dubia conſuluiſſent Clementem V. Pontifex reſpondit, *In dubiis tutiorem partem eſſe eligendam.* Idque in caſu, quo pro vtraque parte non defuturæ fuiſſent iis Patribus rationes vtrimque probabiles. Et deinde impugnare conatur varias reſponſiones, quæ à variis Authoribus dicit exhibitas. 312. *De Religioſis ad tutiora obligatis.*

Amicitiæ erga Deum lex præcipuè cauet pericula eam amicitiam amittendi: ſed per opinionem minùs probabilem, ſtantem pro libertate, malè cauentur ea pericula, ſi poſtponatur opinio, quæ fauet legi. [Nam etiam apud homines, is cenſeretur malè defungi officio amici, qui vt ſuo commodo, & genio indulgeret, nihil caueret ea agere, ex quibus probabiliùs cenſeret, amicum offenſum iri. Certe ea negligentia eſſet contemptus amicitiæ. Vnde licet fortè actus ille, qui probabiliùs illicitus eſt, non lædat præceptum particulare, v.g. iuſtitiæ, aut temperantiæ, certè lædit præceptum charitatis, quo cauetur, ne quis ſe exponat adeò aperto periculo violandi honorem, aut mandatum diuinum.] Ita diſſerit *art.* 1. §. 2. 313. *De amicitia erga Deum.*

Sumit deinde *art.* 2. argumentum [A candidato veræ Religionis, anxio & ſuſpenſo in eligenda Fide, Religione, aut Eccleſia, cui debeat, aut poſſit turò adhærere ad ſalutem comparandam. Et contendimus poſt Chryſoſtomum *hom.* 4. *in Matth.* & D. Auguſtinum *cap.* 8. *lib.* 2. *de Doctrina Chriſtiana*, ſequendam Religionem digniorem Deo, perfectiorem, & quæ denique grauioribus, & probabilioribus argumentis muniatur.] Et cùm retuliſſet reſponſionem cuiuſdam negantis, eandem cautelam tenendam eſſe pro moribus, ac pro Religionis delectu, quia in hoc ſecundo periculum imminet, ſi aberres à vera Religione, quod non imminet, ſi aberres à vera lege verſante circa mores; ſic impugnat: [Sicut lege naturali præcipitur homini, ne ſe obiiciat periculo aberrandi ab vltimo fine, & à vera Religione ad ſalutem neceſſaria; ita illi præſcriptum eſt, ne ſubeat periculum violandi amicitiam Dei, iuxta ipſius, & præcepta quæcumque: ergo vbique, aut nullibi acriora, & viciniora ſaluti debet eligere.] Aliaque in confirmationem coniungit, quæ ſunt eiuſdem ordinis, & efficaciæ. 314. *De Candidato veræ Religionis.*

Quod attinet ad Lectores, & Magiſtros, Confeſſarios, & Conſulentes de rebus conſcientiæ *art.* 3. §. 1. *verſ. id tamen*, ſic proſequitur: [Hoc itaque conſtitutum ſit, ex mente Suaris, aliorumque grauium Theologorum, malè Lectores, & Magiſtros in ſcolis ſuo fungi munere, niſi probabiliora, & Fidei Diuinæ, humanæque ſocietati accommodatiora inquirant diligenter, eruditione illuſtrent, & validè defendant. Si id iure requiras ab eis, qui docent eas ſcientias, quæ nihil 315. *De Lectoribus, & Magiſtris.*

Digitized by Google

nihil ferè conferant ad bonam mentem, ſed ingenia acuant; ſanè non video, qua ratione eximere poſſimus à probabilioribus, & tutioribus ſectandis, Medicos, Confeſſarios, eoſque omnes, qui de iure conſultantibus reſpondent. Neque enim dubium eſt, quin his omnibus grauius incumbat onus, tuta & probabiliora ſectandi, ne opinionibus de re morali, & ſacramentaria, propter falſi periculum commune omnis generis opinionibus, immineat etiam mali, peccati, & ab æterna ſalute, atque vltimo fine excidendi.]

De Confeſſariis, & Præceptoribus rei moralis.

316. Cuius occaſione argumenti *ibid.* tres gradus probabilitatis diſtinguit omnino cohibendos. Ait enim: [Vagus probabilitatum vſus ad certos limites contrahi debet ex triplici capite. Nempe vnius veritatis ſtudio, vt odio falſi, probabiliora, id eſt, veriſimiliora anteponenda ſunt minùs probabilibus, quòd longiùs à vero, propiùs ab errore abſint. Deinde cohibendus eſt ille effrænis vſus, honeſti amore, & metu peccati. Vnde diximus de rebus moralibus, tutiora ſemper eſſe, quæ ſtant pro lege; non ſolùm veriora & probabiliora, ſed etiam quæ paris, aut minoris ſunt probabilitatis. Licet enim interdum opinio pro commodo, certet quaſi ancipiti marte probabilitatis viribus, & aliquando vincat, numquam poteſt æquare ſecuritate, aut immunitate à peccato. Cohibendus etiam ille probabilitatis vſus ex tertio capite, ſi periculum ſit, ne ex delectu opinionis minùs certæ, & probabilis ſibi damnum, aut aliis creet, & à ſalute æterna, vel à fine, quem honeſtè obtendis, excidas, quòd cum poſſes, neglexeris adhibere ſecuriora remedia. Atque hoc nomine Medicos, & Confeſſarios damnamus, qui morbis animi, & corporis curandis omiſſis certioribus, debilioribus vſi ſunt remediis.]

317. *de Miniſtris Sacramentorum.* *Eodem art.* 3. §. 2. argumentum deducit à Confeſſariis, Miniſtris Sacramẽtorum, & Medicis, in hæc verba. [Miniſtri Sacramentorum ex officio debent ſectari ſemper probabiliora, & tutiora, ſeu facti, ſeu iuris, & opinionum, quæ ad vim & efficaciam Sacramentorum requiruntur; aliàs ſi ſequantur opinionem minùs probabilem, aut tutam, non ſolum peccant contra conſuetudinem & præceptum Eccleſiæ (quod omnes admittunt, ne excepto quidem Medina) ſed etiam contra charitatem, & iuſtitiam; quòd non adhibeant remedia certiora iis, qui petunt Sacramenta; & contra Religionem, & reuerentiam Sacramentis debitam, quòd periculum ſubeant illa irrita faciendi: ergo non immunis erit à peccato quiſquis in qualibet alia re, minùs probabilem pro libertate opinionem anteponet tutiori, & probabiliori pro ſalute, & præcepto.] Quam conſequentiam ſic probat: [Confeſſarius, qui conſulit minùs probabilem opinionem pœnitenti, nihil afferre poteſt ad illud conſilium excuſandum, quod non poſſit vſurpare ad excuſationem materiæ, aut formæ minùs probabilis, in adminiſtratione Sacramentorum.]

Deinde tranſiens ad Medicos ait: [Aliud argumentum deducitur ex officio Medici, ad quem ex Ariſtotelere *Rhetoricorum* 1. *cap.* 1. pertinet, vt tentet quidquid poſſibile eſt, ad ſanitatem inducendam, ac proinde non præſcribat ægro remedia, quæ probabiliùs illi nocitura, quàm profutura ſunt: ergo eadem neceſſitas incumbit Confeſſariis, vt ſunt Medici animarum, aut

318. *De Medicis.*

nobis ipſis, quatenus animæ ſalus curanda eſt, vt à minùs tutis caueamus. & ſectemur tutiora.] Et paulò inferius pro Fagnano ait, quod iſte [Acriter vrget Suarez, & Sanchez, qui cum negent, Medicis licere, relictis efficacioribus & certioribus minùs probabilia remedia conſulere; id permittunt animarum Medicis, nec putant, aſtringi eadem lege charitatis ad animarum ſalutem curandam, qua Medicos ad ſananda corpora. Certè, inquit, ſi cauendum ſit à Medico qui propinat medicinam probabiliùs occiſuram, quàm ſanaturam; quis ferat Medicos animarum, qui pernicioſo conſilio inferant potiùs mortem, quàm vitam ſeruent.] Qui ſic arguunt, non callent mentem ſcriptorum. Nec miror: eſt enim materia probabilitatis valde metaphyſica, quam ideò non omnes penetrant.

Deinde *art.* 4. tranſit ad iudices, & ait: [Argumentum petitur ab officio iudicis, qui in controuerſiis iuris, & facti debet ferre ſententiam iuxta probabiliorem, & tutiorem opinionem: ergo etiam quiſque noſtrûm debet in vitæ iuſtitutione ſectari partem tutiorem.] Hoc argumentum eſt peius omnibus, tum quia contra eius ſententiam euidenter militat: tum quia antecedens, qua parte verum eſt, malè probatur ab illo. Tum denique, quia conſequentia nutat. Quam ſic ſuadere conatur: [Quiſque noſtrûm iudex eſt ad dubium, quod occurrit de actu, licituſne ſit, an malus: ergo vnuſquiſque noſtrûm in ferendo iudicio, non magis poteſt ſequi opinionem minùs probabilem, quàm iudex in cauſa publica.] 319. *de Iudicibus*

Eodem art. 4. *verſ. vltimum*, producit argumentum à Principe bellum indicente, qui probabiliorem opinionem ſequi tenetur. Sic enim diſſerit: [Princeps & Reſpublica in bello indicendo iudicis perſonam induunt, & funguntur officio, idque velut in iudicio capitis, ſi vindicanda ſit iniuria ab aduerſario Principe illata; aut quaſi actione recuperatoria, ſi aliquod bonum repetendum ſit, in quod belli author ius obtendit. At neutrum genus belli iuſtum eſſe poteſt, ſuſceptum ex regula probabilitatis, qua licet, æquè, aut minùs probabilem ſtantem pro commodo opinionem, contra honeſtum, & officium ſequi. Ergo bellum iuſtum debet iniri ſecundum probabiliorem & tutiorem pro iuſtitia, & æquitate, opinionem. De prima ſpecie belli ſuſcepti vindicandæ iniuriæ cauſa, omnes Theologi concedunt, magis iniuſtum eſſe, quàm ſententiam in reum latam, nec confeſſum, nec legitimis teſtibus conuictum: quia in cauſa capitis probationes criminis oportet eſſe ſole meridiano clariores. Quid de bello cenſendum? Ergo illicitum eſt, niſi apertè conſtet illatam eſſe iniuriam, eamque grauiſſimam. Hoc argumento Ioannes à S. Thoma, Delugo, & alij putant demonſtrari, illicitum eſſe bellum cauſâ recuperandi, quod ſuum putat eſſe, qui illud indicit, niſi potiora, & euidentiora ſint ſua, quàm aduerſarij iura: quia bellum quacumque ex cauſa geratur, habet adiuncta mala infinita, vindictam, mortem innocentium, rapinam bonorum, pluraque alia grauiora, quàm quæ in iudicio capitis infliguntur reo.] Sed quam inde conſequentiam colligit? [Inde ſatis colligere eſt, quàm periculoſa, quàm pernicioſa ſit probabilitatum opinio, quæ leuiſſimis de cauſis iuſta, vt aſſerit, vtrimque bella accendit.] Idem argumentum inculcat iterum *ſect.* 4. *art.* 2. §. 2. 320. *De Principe Belligerante*

Digitized by Google

§. 2. *verſ. Cùm Regum.* Sed hoc argumentum à ſcopo aberrat, vt iam videbis.

ARTICVLVS XI.

Criſis argumenti propoſiti

321. BAron poſtquam initio lectionis 3. *verſ. Pauci audent*, retulit diuiſos eſſe Theologos quoad eius argumenti reſponſionem, hæc ſubiungit: [Diceres, hos omnes Authores noſtro argumento impetitos, eſſe veluti claſſem violenta tempeſtate deiectam, & conquaſſatam, vel arcem tormentis bellicis labefactam, & euerſam. Vnde vim noſtri enthimematis facile eſt colligere.]

322. Sed ſi bona eſt hæc conſecutio, ea arguendi methodo gaudebunt Lutherani, vt ſibi videantur trimphare de noſtris. Etenim contra libertatem humani arbitrij argumenta obiiciunt, deſumpta ex efficacia auxilij, prouidentia, prædeſtinatione, & ſimilibus. Catholici vt reſpondeant, in diuerſas ſententias abeunt: alij enim reſpondent iuxta ſententiam de phyſicis præmotionibus, alij autem iuxta ſententiam de ſcientia contingentium ſub conditione futurorum. Quid? Gloriabuntur ne Lutherani, quia in diuerſas ſententias abeunt Theologi, noſtros *eſſe veluti claſſem violenta tempeſtate deiectam, & conquaſſatum?* Sane rideremus Lutheranos ſic diſcurrentes; & multò magis, ſi ad eam conſecutionem pergerent, *inde vim* ſui argumenti *facile eſſe colligere.* Et ratio eſt, quam tradidi *diſp.* 3. Nam contra concluſionem inconcuſſam ſolent obiici argumenta ex adiunctis, vel circumſtantiis non inconcuſſis, id eſt, quæ ſub iudice ſunt, & non adeò clarè conſtant, ſicut præcipua concluſio.

323. *Poſſumus tutò ſequi quamlibet opinionem practicè probabilem. Præceptum reflexum obligat ad probabiliorem.*

Igitur vno verbo ad totum argumentum, & omnes eius probationes reſpondeo. Poſſe nos tutò ſequi quamlibet opinionem practicè probabilem, dummodò non ſaltet extra quæſtionem, ſub qua habet probabilitatem ſuam. Deinde nos teneri ad opinionem probabiliorem, vel tutiorem, quoties eſt præceptum reflexum eligendi probabiliorem, aut tutiorem; ſecus ſi non ſit tale præceptum reflexum.

324. Quomodo autem hæc duo componantur, faciliimum eſt explicare, ſi aduertas animum ad ea, quæ docuit ſuprà *art.* 2. diſtinguendas ſæpe eſſe duas quæſtiones, alteram directam, & alteram reflexam. V. g. quæſtio directa eſt; [An baptiſmus in lixiuio collatus ſit validus?] In qua ſunt duæ opiniones vtrimque probabiles. Quæſtio reflexa eſt, [An ſuppoſito, quod ſit probabilis opinio directa affirmatiua, licitum ſit extra caſum neceſſitatis baptizare in lixiuio?] Et hæc ſecunda quæſtio non ſubeſt probabilitati opinionum: neque enim eſt practicè probabile quod vnquam liceat extra caſum neceſſitatis baptizare in lixiuio: quia eſt certiſſimum præceptum charitatis te obligans, ne exponas hominem, quem abluis, periculo remanendi abſque vero baptiſmo. Nec poteſt dici, hanc eſſe opinionem tutiorem; non enim eſt opinio, ſed propoſitio certa & demonſtrata. Debemus ergo in hoc caſu ſequi eam partem, quam tu vocas tutiorem, & quam ego voco vnicè ſecuram, & certiſſimè obligatoriam. Id quod clariùs conſtabit, ſi ad ſingulas probationes deſcendamus.

325. Quod attinet ad primum de Patribus Franciſcanis, qui Clementem V. conſuluerunt circa dubia regulæ, reſpondeo, tunc intercedere verum dubium practicum, cùm dubitatur de probabilitate opinionis: Patres autem Franciſcanos, quamvis hinc inde allegarentur momenta rationum, verè dubitaſſe de probabilitate practica illarum, quia non illis fidebant; atque adeò conſtitutos fuiſſe in vero dubio practico. Atqui id Pontificis aſſertum, quod *in dubiis tutior pars eligenda eſt*; intelligitur de dubio practico. Conatus autem Vincentij, quod inter duas opiniones practicè probabiles intercedat dubium practicum, irritus eſt, & nunquam ab illo promotus, aut promouendus.

Dubium de probabilitate eſt dubium practicum.

In quo tutior pars eſt eligenda.

326. *Obiectio ex conſtitutionibus S. P. N. Ignatij.*

Huc etiam pertinet argumentum, quod *diſp.* 2. *ſect.* 1. *art.* 3. §. 1. *verſ. Ex hac*, deſumit Baron ex conſtitutionibus S. P. N. Ignatij. Ait enim: [Ideò prudentiſſimè Societas IESV. 4. *part. Conſtit. cap.* 5. §. 4. ſancit, vt *ſequantur in quavis facultate ſecuriorem, & magis approbatam doctrinam, & eos Doctores, qui eam docent.* Et *cap.* 14 §. 1. *In Collegiis* iubet *prælegi libros, qui in quavis facultate ſolidioris, & ſecurioris doctrinæ habebuntur.*]

327. *Doctrina ſuſpecta eſt, de cuius probabilitate ſapientes dubitant.*

Sed nunquid, quia opiniones practicè probabiles tuemur, impingimus in conſtitutiones Diui Parentis Ignatij, vel accuſamur à Vincentio legis violatæ? Equidem ſi non omiſiſſet Baron in ſecundo textu verba immediatè ſequentia, mentem conſtitutionis manifeſtaret. Ea autem hæc ſunt: *Nec illi* (libri) *ſunt attingendi, quorum doctrina, vel Authores ſuſpecti ſint.* Præcipit ergo legiſlator noſter vt doctrinam ſecuriorem amplectamur, id eſt, non ſuſpectam. Eſt autem doctrina ſuſpecta illa, de qua viri ſapientes dubitant, an ſit probabilis: & in materia morum ſuſpecta eſt, de cuius practica probabilitate dubitatur apud ſapientes & prudentes. Et hæc nobis meritò interdicitur, quia dubium de probabilitate practica eſt dubium practicum, cum quo nemini licet operari. Neque his conſtitutionibus excluditur in materia morum ea doctrina, quæ ſtat pro libertate contra legem, ſi ſolidis fundamentis innititur. Quia illâ nulla ſecurior eſt, cùm nulla ſit formaliter ſecurior eâ, in qua nulllum penitus eſt practicè periculum; licet fortè materialiter ſit minùs tuta.

328. *Non eſt contra legẽ amicitiæ Dei ſequi opinionem benigniorem.*

Ad ſecundam probationem deſumptam ex amicitia erga Deum, reſpondeo, conceſſa maiori, quod lex amicitiæ inhibet pericula eam amittendi, & nego minorem, quod opinio practicè probabilis afferat periculum amittendi eam amicitiam. Nam pictor, qui ex opinione probabili depingit in die feſto, certò ſcit, ſe non peccare, ſequendo opinionem probabilem. Et vbi tanquam certum ſibi proponitur, in aliqua operatione non eſſe peccatum, nullum penitus eſt periculum. Nec poteſt cum veritate dici, quod oppoſita opinio formaliter eſt tutior; quia quando ex duabus opinionibus neutra affert periculum, nulla eſt tutior altera, quia vbi nullum omnino eſt periculum, non poteſt dici, quod vna magis diſtat formaliter à periculo, quàm altera; quia non poteſt eſſe magis, vel minùs de periculo, vbi nullum prorſus eſt periculum.

Ex duabus practicè probabilibus, neutra eſt formaliter tutior altera.

329. Quando autem ſubiungit, quod is, qui ſequitur opinionem minùs probabilem, probabilius cenſet, amicum offenſum iri; planè fallitur. Nam ex motiuis directis probabiliter cenſet, id eſſe peccatum: ex motiuis autem reflexis certò ſcit, non

Digitized by Google

non offenſum iri; quia certò ſcit, non eſſe peccatum ſequi opinionem practicè probabilem, etſi minùs probabilem.

330. *Contra legem amicitiæ Dei eſt, quod quis operetur putans, ſe reipſa peccaturum.*

Aliud eſt, quando ex motiuis tam directis, quàm reflexis probabiliter putaret, ſe reipſa peccaturum, aut non eſſet ex dictamine reflexo certus, ſe non peccaturum. Tunc enim cùm non eſſet certus de peccato à ſe vitando, exponeret ſe periculo probabili peccandi, ſi ſic operaretur; atque adeò amittendi diuinam amicitiam. Quare pictor, qui non haberet dictamen reflexum certum de honeſtate ſequendi opinionem minùs probabilem practicè, probabiliter putaret, ſe peccare; atque adeò exponeret ſe periculo peccandi. Non quia opinio probabilis exponat periculo peccandi, ſed quia defectus dictaminis certi de honeſtate eligendi opinionem minùs probabilem, facit quod cenſeat, fortè ſe admiſſurum reipſa peccatum: quo pacto ſe exponit probabili periculo peccandi, & amittendi diuinam amicitiam. Vide quæ dixi ſuprà *art.* 5.

331. *Impoſſibile eſt, quod Candidatus Religionis habeat rationes merè probabiles.*

Ad tertiam probationem deſumptam à Candidato veræ Religionis, ſi in caſu practico loquendum eſt, & non in metaphyſico, reſpondeo impoſſibile eſſe, quod ſi animum aduertat ad motiua credibilitatis, quibus abundat Religio Catholica, habeat rationes merè probabiles, cùm iſtæ ſint ſaltem moraliter euidentes, præcipuè cùm certum ſit, Deum, qui vult ſalutem æternam omnium hominum, immiſſurum illuſtrationes, quibus id clarè cognoſcat, & ab ea anxietate quærendi veritatem eripiat, iſta demonſtrata.

332. *Si ſit maior probabilitas ſalutis ex Religione Catholica, adueniт certitudo reflexa.*

Sed ponamus caſum metaphyſicum, in quo ei Candidato proponantur vt probabiles rationes, quæ militant pro Religione Catholica, & pro ſecta Lutherana, Caluiniana, &c. Si iſte clarè agnoſcit immortalitatem animæ, & probabilius ſibi eſt ſalutem æternam in Catholica, quàm in Lutherana, & Caluiniana conſiſtere, ſtatim duæ quæſtiones diſtinguendæ ſunt, iuxta normam articuli 2. Prima, [In qua Religione conſiſtat ſalus æterna?] & poſtquam videt probabiliùs conſiſtere ſalutem æternam in Catholica, inſurgit ſecunda quæſtio; [An probabilius cenſens in Catholica conſiſtere ſalutem æternam, teneatur profiteri Religionem Catholicam?] In prima quidem quæſtione, quæ purè ſpeculatiua eſt, nihil eſt practicè probabile. Et ideò ſiſtendo in prima quæſtione, argumentum non eſt ad rem, cùm argumentum debeat impugnare practicam probabilitatem minorem, quam nos tuemur. In ſecunda etiam quæſtione nihil eſt practicè probabile; quia certum omninò eſt, & ſupra omnem probabilitatem, quod quis in ordine ad ſalutem ſuam æternam debet ſtare pro maiori ſua ſecuritate. Et ideò ſæpiùs dixi, ſi rectè calleatur vis, & natura probabilitatis practicæ, nullam difficultatem alicuius momenti eſſe poſſe contra noſtram ſententiam, quæ aliquas patitur difficultates; quia aliqui Authores eam non rectè calluerunt.

333. Si autem caſus proponatur ita, vt ei Candidato nihil plus ſecuritatis ad ſalutem æternam ſibi proponatur in vna Religione, quàm in alia, & ſolùm proponatur vt probabilior veritas Catholicæ Religionis, vt incerta tamen; quamvis diſtinguas eas duas quæſtiones, primam directam, & ſecundam reflexam; primam ſpeculatiuam, & ſecundam practicam; adhuc in ſecunda practica nulla relucet obligatio ſequendi partem probabiliorem, quia ipſa incertitudo, quam inuoluit, tollit ab intellectu neceſſitatem aſſentiendi. Is tamen caſus, vt dixi, metaphyſicus eſt, & impoſſibilis.

Cum autem adiungit paritatem deſumptam à periculo damnationis æternæ in eo, qui putat probabilius adeſſe periculum in reliquis ſectis, quàm in Catholica, ad periculum peccandi in reliquis opinionibus practicè probabilibus ſtantibus pro libertate contra legem; ſupponit falſum, quòd probare debuerat, in illis latere aliquod periculum. De quo vide quæ dixi ad ſecundam probationem. 334.

Citationes autem Auguſtini & Chryſoſtomi ſuſpectæ mihi ſunt; neque enim eorum verba omiſiſſet, ſi rem efficaciter vrgerent. Et quidem S. Auguſtinus *lib. 2. de doctrin. Chriſt. cap.* 8. nihil habet, quod exiſtimari poſſit eſſe ad rem hanc, niſi hæc verba: [Tenebit igitur hunc modum in ſcripturis Canonicis, vt eas, quæ ab omnibus accipiuntur Eccleſiis Catholicis, præponat eis, quas quædam non accipiunt. In eis verò, quæ non excipiuntur ab omnibus, præponat eas, quas plures, grauioreſque accipiunt, eis, quas pauciores, minoriſque authoritatis Eccleſiæ tenent.] Vbi docet Auguſtinus, eas ſcripturas, quæ non recipiuntur à tota Eccleſia, maioris authoritatis habendas eſſe eas, quæ à pluribus & grauioribus Eccleſiis, ſiue Diœceſibus admittuntur. Sed ex his quomodo colligit Baron, quod ſi quis crederet, probabiliores eſſe rationes Lutheri, quàm Eccleſiæ Romanæ, teneretur ad ſequendam Lutheri ſectam? Vel quod teneretur ad catholicam, ſi huius rationes putaret probabiliores, incertas tamen? Et quod attinet ad Chryſoſtomum, legi homiliam quartam in Matthæum, & quartam operis imperfecti, & quartam in varia loca Matthæi; & in nulla earum habet aliquid, quod poſſit videri eſſe ad rem hanc. 335.

Ad quartam probationem reſpondeo, id antecedens in eo ſenſu verum eſſe, quod qui docent philoſophica, aut ſpeculatiua alia, debent curare vt aptiora ſint ad myſteria Fidei catholicæ explicanda, id eſt, quæ rectè componantur cum myſteriis Fidei, nec afferant difficultatem aliquam, quæ difficilè conſentiat cum myſteriis Fidei: non verò dixit Suarez, nec Theologi, ſemper in ſpeculatiuis Profeſſorem teneri ad probabiliora tradenda. Inde autem non infertur, quod Theologi, & Theologiæ Profeſſores, & Confeſſarij docere, & conſulere debeant in practicis probabiliora: cùm minor probabilitas practica nullo modo aduerſetur myſteriis Fidei, neque vllum afferat periculum peccandi, ſi res probabilitatis rectè calleatur. 336. *Quomodo Profeſſor Philoſophiæ teneatur tradere dogmata probabiliora?*

Cum autem ſubiungit, vagum probabilitatis vſum triplici ex capite cohibendum; reſpondeo, practicæ probabilitatis vſum non niſi ex improbabilitate poſitiua (qua opinio redditur certò falſa) vel negatiua (quæ caret fundamento graui) cohibendum; diſtinguendo tamen ſumma attentione quæſtionem directam à reflexa, excludendo à probabilitate argumenta leuia, ſophiſtica, æquiuoca; item illa omnia, quæ principiis certis reſiſtunt. 337. *Non eſt cohibendus vſus probabilitatis, ſi rectè intelligatur.*

Ad primum caput reſpondeo, minorem probabilitatem practicam non eſſe reiiciendam à veritatis ſtudio, quia ſolùm deſtruitur vel leuitate ſui motiui, vel certitudine partis oppoſitæ. Cùm autem 338. *Minor probabilitas non eſt reiicienda veritatis ſtudio.*

autem maior probabilitas adhuc ſua incertitudine nutet, ſuperat quidem minorem, ſed non extinguit, quin potiùs illam, licet infirmam, tamen ſuperſtitem relinquit.

339. *Nec metu peccati.*

Ad ſecundum dico, nullum eſſe metum peccati in opinione practica minùs probabili, quia dictamen reflexum certum docet, nullum eſſe peccatum in opinione practicè probabili, nullum periculum, ſiue ea maioris ſit, ſiue minoris babilitatis.

340. *Nec metu damnationis æternæ. Vbi eſt periculum damnationis, non verſamur in materia probabilitatis, ſed certitudinis.*

Ad tertium dico, neque eſſe cohibendum vſum practicæ probabilitatis minoris ex periculo damni imminentis, v. g. peccati, vel damnationis æternæ, aut ſimilium. Nam ſi verè eſt hoc periculum, non verſamur in quæſtione directa, quæ ſubeſt varietati opinionum probabilium: ſed in quæſtione reflexa, [An poſſimus operari ad normam quæſtionis directæ, quando adeſt periculum damnationis, peccati,] &c. Quæ reflexa quæſtio non ſubeſt varietati opinionum probabilium, cùm improbabile ſit, licere exponere ſe periculo peccati damnationis, &c. vt iam dixi, & ex aliis exemplis inferiùs conſtabit. Quod ſubiungit de Medicis & Confeſſariis, ſuo loco ſoluetur.

341. *Eſt præceptũ certum non miniſtrandi cum periculo probabili fruſtrationis.*

Quod attinet ad quintam probationem ex Confeſſariis, & Miniſtris Sacramentorum deſumptam, multa complectitur Vincentius, quæ diſtinctione indigent. Aſſero ergo, eſſe præceptum charitatis certiſſimum, ne cùm miniſtras Fidelibus Sacramenta, exponas eos periculo carendi valore & effectibus Sacramentorum; idque præcipuè in Sacramentis neceſſariis ad iuſtificationem, & ſalutem æternam. Vide exemplum Baptiſmi in lixiuio collatum, quod propoſui ſupra *num.* 324. Ita peccat lethaliter Epiſcopus (& oppoſitum eſt improbabile) ſi conferat ordinem Sacerdotij ſine tactu phyſico, contentus ſolo tactu morali: quia ſi à parte rei eſt vera opinio, quæ docet, inualidum eſſe id Sacramentum ita collatum, exponuntur Fideles multis nullitatibus Sacramentorum in præiudicium ſuæ iuſtificationis, & ſalutis æternæ. Et ita in multis aliis exemplis.

Peccat certò Epiſcopus conferens Sacerdotium ſine tactu phyſico.

342. *In his caſibus neque reflexa eſt practicè probabilis.*

In quibus, vt dixi *eo num.* 324. quæſtio directa & reflexa diſtinguenda eſt. Ex quibus prima non eſt practicè probabilis, quia non reſpicit praxim; & ſecunda non eſt practicè probabilis, quia ſupra omnem probabilitatem eſt certa. Ergo perperam dicitur, quod in miniſtratione Sacramentorum, cùm imminet periculum Fidelibus carendi effectibus Sacramentorum, debet eligi opinio tutior, cùm non debeat eligi, niſi ſententia certa, nempe in quæſtione reflexa. Nam in quæſtione directa non eligitur opinio ad praxim, cùm ea praxim non reſpiciat. Patet in exemplo proximè iacto: nam hæc propoſitio, *Qui non tangit phyſicè, non ordinatur validè*; eſt diuerſa ab hac, *Epiſcopus tenetur conferre Ordinem Sacerdotij cum tactu phyſico.* Nam prima licet probabilis, non reſpicit praxim, quia non affirmat, quid faciendum Epiſcopo in collatione Ordinis Sacerdotalis: ſecunda verò non eſt tantùm probabilis, ſed certa, propter certiſſimam legem charitatis inhibentis ea omnia (quantumvis dicantur probabilia) quæ ſpirituale præiudicium afferre poſſunt animabus Fidelium.

343. *Qui miniſtrat Sacramentum eſt opinione probabili, non peccat contra reuerentiam Sacramenti.*

Quando verò addit Baron, peccare contra Religionem, & reuerentiam Sacramento debitam, eum, qui miniſtrat Sacramentum iuxta opinionem, in qua valor Sacramenti eſt dumtaxat probabilis, egregiè fallitur. Quod vt calleas, diſtingue ſimiliter duas quæſtiones. Primam [An ſit valida ordinatio cum tactu ſolum morali?] Secundam [An Epiſcopus propter reuerentiam Sacramenti præcisè poſſit conferre Ordinem cum tactu ſolùm morali?] Et in prima quidem quæſtione ſpeculatiua, pars affirmatiua eſt probabilis. In ſecunda autem quæſtione, quæ practica eſt, non eſt, cur etiam pars affirmatiua non ſit practicè probabilis; quia nulla eſt lex certa, quæ præſcribat, exhibendam eſſe Sacramentis reuerentiam pluſquam probabilem: nulla item eſt lex certa, quæ ratione Religionis prohibeat actionem, quæ probabiliter ſeruat indemnem reuerentiam Sacramenti.

Nec dicas, etiam irreuerentiam probabilem, ratione Religionis, vitandam eſſe, & à fortiori eam actionem, quæ probabilius eſt irreuerentia. 344.

Nam licet ea à principiis directis ſit probabiliter irreuerentia, propter opinionem probabilem id ita aſſerentem, tamen à principio reflexo certo ea actio caret irreuerentia: eſt enim principium reflexum certum, licere nobis aſſumere ad praxim quamlibet opinionem practicè probabilem, atque adeò hanc, quæ præſcribit, nullam fieri irreuerentiam Sacramento. 345.

Dum autem in fine eius probationis ſubiungit eam conſequentiam, nempe, quod [Confeſſarius, qui conſulit minùs probabilem opinionem pœnitenti, nihil afferre poteſt ad illud conſilium excuſandum, quod non poteſt vſurpare ad excuſationem materiæ, aut formæ minùs probabilis, in adminiſtratione Sacramentorum;] etiam planè decipitur. Eſt enim diſcrimen meridiana luce clarius. Nam in adminiſtratione ſacramentorum eſt lex certiſſima charitatis, ne miniſter conficiat Sacramentum in materia, aut forma incerta, in præiudicium ſpirituale Fidelium, ſiue cum periculo fruſtrationis Sacramenti. Nulla autem eſt lex certa, quæ præſcribat Confeſſario, vt obliget ad reſtitutionem, quando rationes prudentes, & graues Theologi ſuadent, eam reſtitutionem fieri non debere; cùm ab hac operatione ex dictamine prudenti nullum immineat periculum ſpiritualis detrimenti animæ, aut ſaluti æternæ pœnitentis. 346.

Diſcrimen inter adminiſtrationem probabilem Sacramenti, & reſtitutionem.

Ad ſextam probationem, quam deſumit à Medico corporis, & transfert ad Medicum ſpiritus Confeſſarium, concedo paritatem: quod ſicut Medicus corporis lege certa inhibetur, ne pharmaca propinet ægroto probabiliùs nocitura, quàm profutura; ita & Medicus animæ Confeſſarius interdictus eſt diuina lege naturali, ne pœnitenti pocula propinet pœnitenti probabiliùs nocitura. Nulla enim talia ſunt, niſi illa, quæ continent periculum probabile, aut probabilius nocumenti ſpiritualis: & ad hæc vitanda vtpote mala actualia animæ, nullus eſt, qui non teneatur lege certiſſima, vt conſtat *ex diſp.* 18. ſed probet mihi Baron, ſaltem probabiliter, nedum euidenter, eſſe periculum probabilius nocumenti ſpiritualis in eo conſilio Confeſſarij, quo conſulit pœnitenti, vt iuxta opinionem benigniorem, ſolida ratione, & graui authoritate munitam, non reſtituat pro damnificatione, quam intulit cum ſola culpa veniali. 347.

Peccat Medicus ſpiritualis, qui præbet remedia probabiliùs nocitura.

Opinio minùs probabilis non eſt remedium probabiliùs nociturum.

Peccabit ſanè Medicus animæ, ſi conſulat pœnitenti, 348.

Digitized by Google

nitenti, vt domi retineat fœminam, cùm in ea retentione eſt periculum probabilius labendi, imò & minùs probabile: quia ſic propinabit pharmacum probabiliùs, vel probabiliter nociturum. Vrget enim lex naturalis proximè expoſita, de quo vide *diſp.* 18.

349. *Non calluit Baron mentem Suarij, & Thomæ Sanchez.* Ad id verò, quod ſubiungit ex Fagnano, aeriter ab hoc vrgeri Suarium, & Sanchium, dixi non penetrari mentem horum Authorum, cùm redarguuntur, quaſi dixerint, non licere Medicis minùs probabilia remedia conſulere, ſpretis *efficacioribus, & certioribus*; licere verò Medicis animarum conſulere remedia minùs probabilia, probabilioribus deſertis. Nam ſi nomine remedij ſpiritualis intelligant Vincentius, & Proſper ea, quæ ſunt media iuſtificationis, id eſt, Sacramenta, nunquam PP. Suarez & Sanchez dixerunt, poſſe Medicum ſpiritualem præbere pœnitenti medium incertum, ſiue in quo effectus iuſtificationis ſit incertus. Quod ſiquando dixerunt, poſſe vti Confeſſarium opinione minùs probabili ad abſoluendum, id eſt in eo caſu, in quo effectus iuſtificationis aliunde poteſt reddi certus, v. g. ex confeſſione venialium, in quæ quilibet Sacerdos certam habet iuriſdictionem: qua ratione à reliquis mortalibus manet pœnitens indirectè abſolutus, & certò iuſtificatus.

350. Si autem nomine remedij ſpiritualis intelligant vitationem periculi labendi, nunquam ij Authores dixerunt, licitum eſſe Confeſſario conſulere pœnitenti, vt ſe exponat periculo probabili labendi: ſed debere conſulere, vt ſemper ab illo caueat.

351. Si denique nomine remedij ſpiritualis intelligant vſum cuiuſcumque alterius opinionis probabilis, v. g. circa pingendum in diebus feſtis, circa reſtitutionem damni illati abſque culpa mortali, & ſimilibus; id argumentum nullo mode habet locum. Nam, vt dixi *diſp.* 13. omnes opiniones, quæ verè ſunt practicè probabiles, ſunt æquè tutæ formaliter, quia quando duo ita ſe habent, vt in neutro ſit vllum periculum labendi, non poteſt vnum eſſe magis tutum, quàm aliud. Quia nihil poteſt eſſe magis ſecurum formaliter, quàm id, quod omninò caret periculo formali: & vbi nullum penitus eſt periculum formale, non poteſt eſſe plus, vel minùs ſecuritatis formalis. Atqui ex dictis & ex dicendis conſtabit in nulla opinione practicè probabili eſſe poſſe minimum periculi formalis. Quod ſi vllum latet in ea periculum formale labendi, implicat contradictionem, quod ea ſit practicè probabilis, cùm ex dicendis *diſp.* 18. certiſſimum ſit præceptum vitandi quodlibet periculum probabile peccandi. Neque PP. Suarez, & Sanchez, vel minimum dictamen habent, quod huic doctrinæ contradicat.

352. *Exemplo iudicis redarguuntur Authores argumenti. Iudex non debet ius dicere ſecundũ ſtrictiorem, ſed ſecundũ probabiliorem.* Ad ſeptimam probationem deſumptam ex iudicibus, qui tenentur ad iudicandum ſecundum opinionem probabiliorem, etiam in quæſtione iuris, vt & ego ipſe infra tradam; reſpondeo primò, illa planè redargui Authores ſuos: etenim nullus iudex tenetur ad dicendum ius inter litigantes ſecundum opinionem ſtrictiorem, ſed ſecundum probabiliorem; contingit enim ſæpe, vt fatetur Vincentius, benigniorem opinionem eſſe probabiliorem, & ſtrictiorem eſſe minùs probabilem, in quo caſu iudex benigniorem tenetur amplecti, & ſtrictiorem deſerere: ergo ſi vnuſquiſque in regimine conſcientiæ æmulari debet iudicium forenſe, non ſtrictiorem, vt vult Vincentius, ſed probabiliorem ſequi debet.

Confirmatur. Nam [Quiſque noſtrûm (verba ſunt Vincentij *art. præced.* relata) iudex eſt ad dubium, quod occurrit de actu, licituſne ſit, an malus: ergo vnuſquiſque noſtrûm in ferendo iudicio, non magis ſequi poteſt opinionem minùs probabilem, quàm iudex in cauſa publicâ.] Sed iudex in cauſa publica nequit ſequi opinionem ſtrictiorem minùs probabilem, ſed ſequi debet benigniorem, quæ ſit probabilior: ergo quiſque noſtrûm non poteſt ſequi ſtrictiorem minùs probabilem, ſed ſequi debet probabiliorem. Conſequens eſt abſurdum: ergo & ratio paritatis nulla. 353.

Reſpondeo ſecundò, in eo caſu iudicis diſtinguendas eſſe duas quæſtiones, vt dixi *art.* 2. alteram directam, & alteram reflexam. Directa eſt, [An hæc domus ſit Petri?] vel, [An ius Petri ad domum ſit minùs probabile?] Reflexa eſt, [An iudex poſſit ius dicere ſecundum hanc opinionem minùs probabilem?] vel, [An teneatur lege aliqua ad ferendum iudicium ſecundum opinionem, quam videt probabiliorem?] Quamvis ergo in prima quæſtione ius Petri ſit minùs probabile; quod attinet ad ſecundam quæſtionem, non poteſt iudex ſecundùm opinionem minùs probabilem iudicare, ſi videt oppoſitam eſſe probabiliorem ob legem denuò accedentem, reflexam illam quidem, quam explicabo infra *cap.* 15. 354.

Et hinc patet manifeſtum diſcrimen inter iudicem publicum, & iudicem priuatum ſuæ propriæ conſcientiæ. Iſte enim non habet illam legem ſuperadditam, qua in quæſtione reflexa obſtringitur iudex publicus. Haberet illam quidem quilibet homo, ſi Deus, vel Eccleſia præciperet, vt in quavis opinione probabili teneremur ſequi partem, quam videremus probabiliorem. Sed quod hoc præcepto obſtringamur, nec probat Vincentius, nec probabit. 355. *Diſparitas inter iudicem, & priuatum, ob quam ille debet, iſte non debet ſequi probabiliorem.*

Octauam, & poſtremam probationem deſumit à Principe bellum indicente, qui probabiliorem opinionem ſequi tenetur. Quam probationem dum refertem, dixi, eam à ſcopo aberrare, quod ſic oſtendo. Nam in eo caſu duæ ſimiliter quæſtiones diſtinguendæ ſunt, directa, & reflexa. Directa eſt, [An aduerſarius iniuriam intulerit Principi?] quæ quidem pro vtraque parte poteſt eſſe probabilis. Reflexa eſt, [An iniuriam probabilem poſſit Princeps bello vindicare?] & licet in prima quæſtione vtraque pars poſſit eſſe probabilis, quæ purè ſpeculatiua eſt; at in ſecunda quæſtione non eſt locus probabilitati. Eſt enim improbabile, quod Princeps poſſit iniuriam, cognitam vt ſolum probabilem, bello vindicare. Ergo Vincentius in ea quæſtione aberrat à ſcopo. Scopus enim erat probare, quod debemus ſequi opinionem probabiliorem & tutiorem, à paritate Principis indicentis bellum, quod non poteſt indicere pro vindicatione iniuriæ probabilis, niſi ſecundum probabiliorem. Cùm ergo conſtet, non poſſe illud indicere, vbi mera probabilitas iniuriæ intercedit, cadit omninò conatus Vincentij. 356. *Quæſtio de vindicanda iniuria probabili non verſatur in materia probabili.*

Quando autem duo Principes habent ius dumtaxat probabile ad vnum Regnum, & alter eorum legitimè poſſidet, hunc non poſſe bello impugnari ab altero, ſupra omnem probabilitatem certum eſt, vt conſtabit *diſp.* 16. *cap.* 8. 357. *Qui habet ius probabile ad Regnum, nequit ſe iure poſſidentem.*

cap. 8. quia legitima poſſeſſio eſt ius certum, contra quod nequit prævalere ius merè probabile. Quare etiam quoad hunc caſum extra chorum ſaltat ea probatio Vincentij.

358. Si verò neuter Princeps poſſideat, & de proprietate ſint opiniones dumtaxat probabiles, ſimiliter diſtinguenda, & ſeparanda eſt quæſtio reflexa à directa, & inquirendum, [An iſte Princeps poſſit belligerari pro iure merè probabili, aut probabiliori, quod reuerà agnoſcit non excedere metas probabilitatis?] In quo caſu ſibi contrarius eſt Vincentius. Qui vult, aliquando Principes belligerari poſſe pro iure probabili, & ſemper ſecuturos eſſe partem tutiorem, cùm conſtet, partem tutiorem in ea probabilitate, iuxta ipſum Authorem, eſſe abſtinere à bello.

359. Si ergo in iſta quæſtione reflexa fuerit practicè probabile, quamvis in minori gradu probabilitatis, quod Rex poteſt decertare pro iure probabili, poterit Rex ei ſententiæ ſe accommodare. Ego quidem exiſtimo id non eſſe practicè probabile, quia non licet Regi occidere homines probabiliter opinantes, & probabiliter ſe tuentes, niſi aliæ circumſtantiæ accedant, quæ ius Regis ad certitudinem euehant. Vt ſi Rex vellet cauſam committi arbitrorum iudicio, & aduerſarius nollet; quo caſu ille Rex certam pateretur iniuriam. Et fortè etiam, ſi in gradu æquali probabilitatis, cognito vtrimque vt tali, Regnicolæ ſponte vellent ſe ſubiicere illi Regi, quo pacto ius certum ei adquiri videtur. Quod ſi Reges Catholici in his caſibus bellum indicunt, id eſt, quia inuincibiliter putant, ius ſuum eſſe certum, & non dumtaxat probabile; aut quia ſimiles circumſtantiæ accedunt, quæ ius ſuum à meta probabilitate extrahunt.

Pro iure merè probabili non licet belligerari, niſi, &c.

360. Ex quibus omnibus patet primò, quid reſpondendum ſit ad eam probationem. Patet ſecundò, rem probabilitatis malè intellectam eſſe ab iis, qui ex reſolutione quæſtionis directæ gradum conſequentiæ faciunt ad reſolutionem quæſtionis reflexæ: & quia probabile eſt, Principem paſſum eſſe iniuriam ab aduerſario, arguunt, probabile eſſe, quod poſſit princeps indicto bello vindicare in aduerſarium. Item quia Princeps habet ius probabile in prouinciam, arguunt, probabile eſſe, quod poſſit illam armis vindicare. Vtraque enim conſequentia peſſima eſt, imò indigna Dialecticis, vt patet *ex art.* 2.

Articvlvs XII.

Octaui argumenti diſcuſſio.

361. SEctione 4. *art.* 1 hoc argumentum proponit Vincentius. Si omnia eſſent licita, quæ probabilia, licita eſſent omnia genera ſcelerum & flagitiorum: atqui nullum abſurdum maius excogitari poteſt: abſurdum ergo eſt aſſerere, omnia eſſe licita, quæ probabilia. Maiorem probat. Nam probabilitas eſt vis quædam obiectiua, ex aliquibus motiuis impellens ad aſſenſum formidoloſum mentem, quæ non eſt conſecuta euidentiam veritatis: ſed in omni genere ſcelerum & flagitiorum verificatur, quod mens humana non eſt conſecuta euidentiam de malitia illorum, & quod pro illis, & contra malitiam eorum habet mens humana aliqua motiua, quæ impellunt illam ad aſſenſum formidoloſum de honeſtate earum actionum, quas flagitioſas cenſemus: ergo in omni genere ſcelerum, & flagitiorum poteſt dari in humana mente probabilitas; atque adeò ſi ex probabilitate naſcitur licita operatio, omnia genera ſcelerum licita erunt.

Maiorem ſupponit tanquam rectam probabilitatis definitionem. Minoris verò primam partem probat his verbis: [Certum eſt ex ipſo Caramuele, paucis, & fortè nulli hominum, poſt peccati originalis corruptelam, fuiſſe conceſſam, aut comparatam euidentem cognitionem de Diuinitate, prouidentia, immortalitate animæ, de vltimo fine, vera Religione, aliiſque huiuſmodi rebus ad ſalutem omnino neceſſariis.] Secundam autem partem minoris probat verbis immediatè ſequentibus: [Quæ tamen grauiſſimas, ac penè inſuperabiles patiuntur difficultates; ac proinde contra illas ſtant, & ab earum aſſenſu remouent rationes probabiliſſimæ, id eſt, fortiſſimæ, quæ nos euidentis cognitionis expertes vrgent, & penè cogunt ad diſſentiendum.] 362.

Hoc argumentum contra manifeſtam rei euidentiam pugnat & aperta contradictione ſe implicat, dum ſupponit contra certitudinem veritatum Fidei catholicæ eſſe poſſe rationes probabiles. Quod id ſupponat, patet: tum quia contra certitudinem de Diuinitate, prouidentia, immortalitate animæ, vltimo fine, & vera religione, ait *ſtare rationes probabiliſſimas.* Tum etiam quia ſolum contra euidentiam excludit aſſenſum formidoloſum, & rationes vrgentes, quæ contra illum militent. Qua euidentia cùm careant veritates Fidei, contra has admittit rationes fortiſſimas vrgentes ad aſſenſum formidoloſum. 363.

Contra certitudinem Fidei nulla eſſe poſſunt rationes probabiles.

Quod autem id ſit euidenter falſum, demonſtro primò. Etenim vbi adeſt omnimoda certitudo, hæc eam vim habet, vt abſorbeat totam vim rationum, quæ in oppoſitum proponuntur; adeò vt iſtæ collatæ cum illa certitudine, reddantur leues, & nullius momenti, quæ aliàs fortes eſſent, & vrgentes. Atqui veritates Fidei catholicæ habent omnimodam certitudinem in ſupremo gradu: ergo rationes, quæ contra illam militant, licet aliàs vrgentes eſſent, collatæ tamen cum illa redduntur inutiles, leues, & nullius momenti. 364.

Certitudo abſorbet vim rationum partis oppoſitæ.

Et quidem magis firmat, & cogit intellectum certitudo Fidei catholicæ, quàm euidentia oculorum. Da ergo caſum, quo ego vidi Petrum vulnerantem alios in platea in puncto horæ tertiæ pomeridianæ, dum ſonabat horologium. Et deinde accedunt ad me tres teſtes oculares iurati aſſerentes, ſe extitiſſe in platea in puncto horæ tertiæ pomeridianæ, dum ſonabat horologium, & Petrum non vulneraſſe homines illos, ſed potiùs cum illis amiciſſimè fuiſſe conuerſantem. Si id ego non vidiſſem, omnino mihi ſuaderet aſſertionem eorum authoritas teſtium. Euidentia autem, qua ego vidi oppoſitum, ridiculam, & leuiſſimam mihi reddit atteſtationem eorum. Atqui veritas catholicæ Fidei maiorem mihi affert certitudinem, magiſque firmat, & cogit intellectum meum, quàm euidentia oculorum: ergo ſi cum hac certitudine conferantur motiua, quæ aliàs eſſent grauia, & vrgentia, ex collatione ipſa redduntur ea motiua inania, ridicula, & leuiſſima. Et licèt ex videantur eſſe difficultates grauiſſimæ, vi certitudinis Fidei catholicæ cognoſco eas habere certiſſimam ſolutionem, quæ me later 365.

Magis firmat intellectum certitudo Fidei, quàm euidentia oculorum.

Digitized by Google

tet; eaſque inanes eſſe, & leues. Quare, niſi quia tanta eſt certitudo Fidei Catholicæ, vt abſorbeat omnem vim ſuaſiuam illatum?

366. *Implicat, aſſenſum eſſe probabilem & certò falſum.* Demonſtro ſecundò. Implicat contradictionem aſſenſum eſſe probabilem ſimul, & certò falſum: ſed aſſenſus ad quem impellunt, & penè cogunt (vt loquitur Vincentius) rationes militantes contra veritatem Fidei Catholicæ, eſt certò falſus: ergo implicat contradictionem, quod is aſſenſus ſit probabilis.

Minor eſt euidens. Nam ex duabus propoſitionibus contradictoriis, ſi vna eſt certa, altera eſt certò falſa, vt demonſtraui *diſp.* 4. *num.* 6. ſed aſſenſus Fidei Catholicæ de immortalitate animæ v. g. eſt omninò certus; imò & in ſupremo gradu certitudinis: ergo aſſenſus contradictoriè oppoſitus, eſt certò falſus. Sed aſſenſus, ad quem impellunt rationes militantes contra immortalitatem animæ, eſt aſſenſus contradictoriè oppoſitus aſſenſui Fidei Catholicæ de immortalitate animæ: ergo aſſenſus, ad quem impellunt rationes militantes contra immortalitatem animæ, ſiue contra veritatem Fidei Catholicæ, eſt certò falſus.

367. Maior autem prioris ſyllogiſmi, id eſt, huius ſecundæ demonſtrationis, indubitabilis eſt. Probabilitas enim dicit eſſentialiter incertitudinem: implicat autem contradictionem, quod aſſenſus ſimul ſit certò falſus, & incertus; nam incertum eſt id, quod neque certò verum, neque certò falſum eſt. Deinde quia ex ipſis terminis conſtat, propoſitionem hæreticam non eſſe probabilem, quia certitudo de falſitate hæretica excludit omnem probabilitatem. Prætereà, nam probabilitas, vt millies refert Vincentius, dicit aſſenſum formidoloſum: formido autem, & certitudo ſe mutuò excludunt; implicat enim contradictionem, quod aliquis certus ſit, & quod adhuc formidet: ergo probabilitas excludit certitudinem, & incertitudinem includit.

368. Dices, propoſitionem hæreticam non eſſe probabilem; motiua tamen ferè inſuperabilia, quæ ſtant pro ea propoſitione hæretica, conſtituere probabilitatem. Et ideò motiua eſſe probabilia, quamvis propoſitio probabilis non ſit.

369. *Concluſio denominatur probabilis à præmiſſis probabilibus.* Sed hæc reſponſio euidenter redarguitur. Primò. Nam probabilitas concluſionis eſt denominatio proueniens concluſioni à præmiſſis probabilibus: & certitudo concluſionis eſt denominatio proueniens concluſioni à principiis certis: vnde ſi præmiſſæ hîc, & nunc ſunt probabiles, implicat, quod concluſio non ſit probabilis. Et ſi præmiſſæ ſunt certæ, implicat, quod concluſio non ſit certa. Quare ſi concluſio hæretica habet præmiſſas probabiles, implicat, quod concluſio hæretica non ſit probabilis. Et vt bene valet ab oppoſito contradictorio conſequentis ad oppoſitum contradictorium antecedentis; ita bene valet ab eo, quod propoſitio hæretica non poteſt eſſe probabilis, ad hoc, quòd motiua probabilia non poſſunt ſtare pro ea propoſitione hæretica.

370. Secundò, quia motiua difficilia, quæ militant pro hæretica propoſitione, ſupremo certitudinis gradu veritatis catholicæ omninò abſorbentur, & eliduntur, & rediguntur in nihilum: ergo ea motiua, collata cum certitudine veritatis catholicæ, inania ſunt, & leuiſſima, atque adeò nequaquam probabilia. Verum quidem eſt, quod ea motiua per ſe ſola poſita in intellectu, qui deſtitueretur certitudine veritatis catholicæ, & motiuis moraliter euidentibus de credibilitate illius, eſſent probabilia, & inducere poſſent ad aſſenſum probabilem: cæterùm in intellectu præuento certitudine Fidei Catholicæ, vel motiuis moraliter euidentibus de veritate, & ſecuritate illius, omninò euaneſcunt, vt dixi, & in nihilum rediguntur.

Demonſtro tertiò. Quia vbi adeſt pro vna parte contradictionis euidentia moralis, pro oppoſita non poteſt ſtare probabilitas, vt vel ipſe Vincentius admittit; quia propoſitio euidenter falſa euidentia morali, non poteſt eſſe probabilis: ſed veritas Fidei catholicæ habet pro ſe euidentiam ſaltem moralem; cum ad ſuadendam veritatem catholicam redundent innumera motiua ſaltem moraliter euidentia: ergo pro parte oppoſita veritati catholicæ non poteſt ſtare probabilitas. Vide alia argumenta pro hoc eodem aſſerto propoſita infra *cap.* 13. 371. *Euidentia moralis excludit probabilitatem partis oppoſitæ.*

Ex his patet, vim argumenti omninò corruere. Neganda enim eſt maior, quod licita eſſent omnia genera flagitiorum. Probatio deficit in maiori, & in minori. In maiori quidem: nam dum dicitur, probabilitatem eſſe vim obiectiuam, quæ impellit ad aſſenſum formidoloſum mentem, *quæ non eſt conſecuta euidentiam veritatis*, corrigenda eſt propoſitio ſic; *quæ non eſt conſecuta euidentiam, vel certitudinem veritatis*: quia probabilitas non ſolùm excludit euidentiam, ſed etiam certitudinem. 372.

Id manifeſtè conſtat ex definitione probabilitatis tradita à Baron *diſp.* 1. *ſect.* 2. *art.* 2. §. 3. his verbis: [Probabile ergo dicimus illud, cuius cùm de veritate, aut falſitate, *præ noſtra ignorantia*, & rei ineuidentia *nihil certò* nobis conſtet, aliquam veriſimilitudinem habet, cui aſſenſum damus formidoloſum, ne fortè falſum ſubſit, & auricalchum potiùs ſit, quàm aurum obrizum.] vide quomodo in definitione probabilitatis excludit certitudinem, eo quod non ſolùm pro rei ineuidentia, ſed etiam *pro ignorantia* nihil nobis *certò* conſtat. 373. *Probabilitas excludit non ſolùm euidentiam, ſed etiam certitudinem partis oppoſitæ.*

Itaque contra veritates catholicas nulla poteſt eſſe probabilitas. Quia vt ſit probabilitas, ſecundum Baron, & omnes Doctores, debemus verſari in materia, quam ignoramus, & cuius proptereà *nihil certò nobis conſtat*: atqui fornicationem eſſe illicitam (quamvis dicamus ex ſola Fide Catholica conſtare) dici non poteſt, id à nobis ignorari, aut de eo *nihil certò nobis conſtare*; quin potiùs certos eſſe omnino, & certò nobis conſtare de turpitudine fornicationis, nempe ex oraculo Fidei, quæ omnem humanam euidentiam certitudine ſuperat. 374.

Minor etiam falſa eſt quoad vtramque partem. Quia de malitia multarum operationum habemus euidentiam ſaltem moralem. Et ad probationem prioris partis dico, neque Caramuelem, neque vllum Doctorem dixiſſe, id, quod falsò imponit Vincentius, ſcilicet, neminem in hac vita poſſe habere euidentiam vllius veritatis: ſolùm enim aſſeruit Caramuel, non poſſe nos habere demonſtrationem Ariſtotelicam, ſiue cum omnibus illis requiſitis, quæ poſtulat Ariſtoteles ad demonſtrationem, quæ rigoroſè talis ſit, vt patet *ex num.* 194. 375. *Calumnia in Caramuelem.*

Secunda etiam pars minoris eſt euidenter falſa, vt conſtat ex dictis: nam rationes, quæ eſſent probabiles, ſi non conferrentur cum motiuis veritatis catholicæ; collatæ tamen cum his leuiſſimæ reddun 376. *Rationes aliquæ probabiles, collatæ cum certitudine Fidei, ſunt leues.*

Digitized by Google

redduntur, quia earum vis abſorbetur à certitudine veritatis Catholicæ.

377. Sed *ibid.* §. 1. inter alias refert reſponſionem Caramuelis, illam quidem cæteris Doctoribus communem, quod ea argumenta, quæ militant contra veritates Catholicas, leuia ſunt, ſcilicet collata cum certitudine veritatis Catholicæ, à qua eorum argumentorum vis abſorbetur, & extinguitur. Et non aliter eam impugnat, niſi aſſerendo, id eſſe ludere terminis, & repetendo, quæ ſæpius dixerat de ſtrictiori parte ſeligenda. Sed quid intereſt, quod id aſſerat, ſi non probat? Quid intereſt, quod id aſſerat, ſi demonſtratum manet, vim argumentorum militantium contra veritatem catholicam, ab hac abſorberi, & extingui: Quid intereſt, ſi conſtat euidenter, quod actus certus excludit actum formidoloſum de obiecto oppoſito?

378. Mox §. 2. refert aliam reſponſionem Caramuelis diſtinguentem inter certitudinem formalem, & obiectiuam; & aſſerentem, opinioni probabili non ineſſe certitudinem obiectiuam, bene tamen formalem.

379. Eam reſponſionem impugnat Vincentius ex eo, quod nulla eſt certitudo formalis, quin illi correſpondeat certitudo obiectiua; ſicut nulla eſt cognitio formalis, cui non correſpondeat obiectum.

380. *Non penetrat Baron mentē Caramuelis.* Sed ſanè non calluit mentem Caramuelis. Nam (vt omittam, an voces ſint propriæ, an impropriæ) de re nobiſcum conſentit Caramuel, & cum vtriſque Baron: omnes enim admittimus, poſſe eſſe certam probabilitatem opinionis, quamvis opinio ſit incerta. Caramuel autem certitudinem de probabilitate vocat certitudinem formalem; propoſitionis autem abſolutæ certitudinem vocat certitudinem obiectiuam. Non quia certitudini formali non correſpondeat certitudo obiectiua circa ipſum modum probabilitatis. Quare in caſſum deſudat Vincentius, dum in ſcirpo quærit nodum.

381. Argumenta hucvſque propoſita ſæpe iteratis repetitionibus frequenter inculcat Baron, quaſi repetitio leuiſſimarum rationum vim earum conuertere poſſit in ſolidiora fundamenta, aut vim inferat veritati. Fortè excuſandus, quia ſummam ſe profitetur conficere eorum tractatuum, quos de eadem materia ſcripſerunt Fagnanus, Mercorus, & Vvendrochius, qui eadem argumenta iteratis repetitionibus multiplicant. Quæ omnia ex præiactis principiis, & ſolutionibus, leuia eſſe cognoſcuntur.

Articvlvs XIII.

Criſis argumenti ab authoritate deſumpti.

382. Ex ſacra Scriptura conſtare ſuam ſententiam, nobis ſuadere conatur Vincentius *diſp.* 2. *ſect.* 5. *art.* 2. §. 1. Et quidem primum argumentum deſumit *ex cap.* 1. *ad Roman.* vbi inexcuſabiles dicit Apoſtolus Philoſophos antiquos, qui cùm Deum agnouerint, non ſicut Deum glorificauerunt; cum tamen ſolam probabilitatem habuerint de exiſtentia Dei: non ergo excuſat probabilitas. Sed huic argumento abundè ſatisfactum eſt *art.* 3.

383. Deinde tres alios Scripturæ ſacræ locos producit his verbis: [Quis enim dicat, eum, qui ſic comparatus eſt, vt nolit abſtinere ab illo actu, quem probabiliùs iudicat illicitum, quàm honeſtum, implere præceptum charitatis, quo iubemur *ex toto corde* Deum diligere, & ei obedire? Vel illud Eccleſiaſtici 37. *Ante omnia, opera verbum verax præcedat te, & ante omnem actum conſilium ſtabile:* ſi ſequatur quod minùs verum meritò ſuſpicari poteſt? Quis dicat, hanc probabilium licentiam conuenire cum illa Pauli Regula *ad Theſſal.* 5. *Omnia probate, quod bonum eſt, tenete: ab omni ſpecie mali abſtinete vos.* At certum eſt, ad minùs ſpeciem mali habere, quod probabiliùs falſum, aut turpe, quàm honeſtum videatur.]

Sed leuiora ſunt hæc, quàm vt à certa concluſione nos deterreant. Ad primum. Qui probabilius iudicat, damnificationem proximi cum ſola culpa veniali obnoxiam eſſe reſtitutioni, Deum diligit *ex toto corde*, dum iudicat etiam probabile, eam damnificationem non eſſe obnoxiam reſtitutioni, ideóque non reſtituit: quia dum non deficit in obedientia mandatorum Dei, aut Superiorum, nihil admittit contrarium dilectioni Dei *ex toto corde*: tum quia ſequens in praxi eam opinionem probabilem, minimè ſe exponit periculo amittendi amicitiam Dei. Tum etiam quia Deus non præcipit, quod ſequaris probabiliora, ſed ſolùm quod in praxi mandatorum Dei opereris iuxta iudicium prudens. 384. *Sequi minùs probabilia, non pugnat cum dilectione Dei.*

Ad ſecundum. Dictamen practicè probabile eſt verbum verax humano & prudenti modo; & item conſilium ſtabile, etiamſi illud dictamen ſit minùs probabile, quàm oppoſitum, & rationibus non adeò vrgentibus vtatur, dummodo illi etiam ſit fundamentum vrgens, & ſtabile ad normam humanæ prudentiæ. 385. *Opinio practicè probabilis eſt verbū verax, & conſilium ſtabile.*

Ad tertium. Potiùs fauere videtur is textus ſententiæ noſtræ, cùm in examine doctrinarum, quæ probandæ, & diſcutiendæ ſunt, non præcipiat Apoſtolus, quod melius eſt, ſed *quod bonum* eſt, teneri. Et meritò. Nam quæ tradit Apoſtolus *in eo cap.* 5. non ſunt conſilia, ſed præcepta: de quo vide P. Salmeron. in hunc locum. Et licèt ad conſilium ſpectet ſequi meliora (ſecluſo ſpeciali præcepto, ratione ſpecialis circumſtantiæ) ad præceptum non ſpectat iniungere meliora, ſed bona. Neque eſt ad rem huius diſputationis, quod præcipiat Paulus *ab omni ſpecie mali abſtinere:* præcipit enim Paulus in intepretatione prophetiæ, aut traditione doctrinæ, vitare ſcandalum. Lege Nicolaum de Lyra, & P. Salmeron. in hunc locum. Ergo opiniones ſcandaloſas reiicere, docet nos Paulus, non eas, quæ quia practicè probabiles, omninò tutæ ſunt, etſi rationes partis oppoſitæ meliores ſint; in re tamen topica & incerta. 386.

Probat ſecundò Vincentius ab exemplis Scripturæ ſic: [Nec minùs Scripturæ exemplis, quàm verbis repugnat hæc probabilium licentia; quæ ſi poſſet à peccato excuſare, primi parentes, Saul, Roboam, pluresque alij in tuto eſſent contra ſententiam diuinæ iuſtitiæ; quia reuerà non defuerunt his omnibus probabilitates multò veriſimiliores illis, quibus moderni homines lactant ſe ſpe ſecuritatis. Nonne poterat contra iudicium diuinum prætexere Adam, legem ſibi impoſitam fuiſſe pœnalem, quæ iuxta ſententiam probabilem, vel ad nullam culpam, niſi ciuilem; vel ad ſummum ad venialem obligat? Quod poterat ex alio capite ſibi perſuadere, nempe ex leuitate materiæ, cui ſecundum nonnullos Doctores, non poteſt addi præceptum graue ſub mortali.] 387.

Reſpondeo,

388. *Primi parentes non potuerunt ſe excuſare à peccato ex probabilitatibus.* Reſpondeo, neque primos parentes, neque Saulem, neque Roboamum, neque cæteros alios potuiſſe à peccato ſe excuſare, ex prædictis probabilitatibus. Quod vt non abſque fundamento aſſeruiſſet Vincentius, oſtendere debuiſſet, eos non habuiſſe certitudinem de præcepto diuino, & verſatos fuiſſe in materia merè topica. Quod nunquam probabit Vincentius. Et quidem Adamus certiſſimè cognouit diuinum præceptum ſuam grauiter obſtringens conſcientiam, ſine qua cognitione certa præcepti obligatorij non poteſt verificari Scriptura dicens (*cap. 3. Geneſ.*) *Quis enim indicauit tibi, quod nudus eſſes, niſi quod de ligno, de quo præceperam tibi, ne comederes, comediſti.* Quaſi dicat: Vnde nuditatis erubeſcentia, niſi ex euidentia peccati? Et vnde euidentia peccati, niſi ex euidentia præcepti, quod tuæ conſciẽtiæ impoſui, & manifeſtaui: Sanè non præcipit alicui, qui illi non intimat manifeſtè legem ſuam: quare ſi Deus non intimaſſet Adamo manifeſtè legẽ ſuam, non verificaretur, quod præcepiſſet ſub reatu culpæ.

389. *Adamus certò cognouit præceptum Dei.* Et inde patet ad primam probationem. Agnouit enim clariſſimè Adamus, Deum ſuæ conſcientiæ intimaſſe præceptum: contra quam certitudinem nullus relictus fuit locus probabilitati, cùm certitudo, & probabilitas mutuò ſe excludant, vt ex dictis patet.

390. *Nequiuit Adam prætexere leuitatem materiæ.* Ad ſecundam probationem conſtat, non potuiſſe Adamum probabiliter prætexere leuitatem materiæ, eo quod res parua, quæ ordinatur ad finem magnum, non leuis, ſed grauis reputanda eſt. In quo genere fuit prohibitio comeſtionis de ligno ſcientiæ, cùm præceperit eum Dominus, ad recognitionem ſupremi dominij.

391. Deueniens autem Baron ad authoritatem antiquorum Patrum, quatuor ex illa argumenta, ſiue, vt vocat, præiudicia contra probabilitatum ſecuritatem conatur deducere *in eadem ſect. 5. art. 3. §. 1.* quem ab his verbis auſpicatur. [Primum repeto à Sanctorum Patrum altiſſimo hac de re ſilentio, quo euidenter demonſtratur nouitas, & ſubinde periculum huius doctrinæ. Certè ſi ad eam confutandam aliæ deficerent probationes, ſatis eſſet, illius apud Sanctos Patres ne veſtigium quidem apparere, vt ex eo euidens eſt, quod nullus à Caſuiſtis ad eam ſtabiliendam, vel Scripturæ, vel Patrum locus afferatur.] Quod argumentum ſæpiſſimè per totum tractatum inculcat Vincentius.

392. *Silentium SS. Patrum plus nocet ſententia neganti vſum probabilitatis.* Sed ſi hoc argumentum demonſtrat falſitatem noſtræ ſententiæ affirmatiuæ, eodem prorſus tenore demonſtrat falſitatem negatiuæ, quam Baron propugnare conatur. Etenim altiſſimum ſilentium reperitur in Sanctis Patribus de ſententia, quæ negat vſum probabilitatis cuiuſcumque: ſed hoc ſilentio *euidenter demonſtratur nouitas* doctrinæ, quæ tacetur, *& ſubinde periculum eius doctrinæ*: ergo ſilentio Patrum euidenter demonſtratur nouitas & periculum ſententiæ negantis vſum cuiuſcumque (benè intellectæ) probabilitatis.

393. Similiter hoc ſilentium Patrum demonſtrat nouitatem & periculum doctrinæ, quæ ab illis prætermittitur: ſed à Sanctis Patribus prætermittitur ea doctrina, quæ præſcribit, in topicis practicabilibus ſtrictiorem partem ſequendam eſſe: ergo ſilentium Patrum demonſtrat nouitatem, & periculum eius doctrinæ Baronianæ. Ecce quomodo Vincentius ſuo ſe enſe iugulat.

394. Et quidem ſi doctrina noſtra de quavis opinione probabili (benè intellecta) admittenda induceit in omne genus ſceleris & flagitij, vt contendebat Vincentius relatus ſuprà *art. 12.* potiùs Sancti Patres negatiuam ſententiam debuiſſent præoccupare, & prouidentia doctrinæ ſuæ nobis præripere, qui in omnia ſcelerum genera grauiter inuecti ſunt: ergo ſilentium Patrum magis præiudicat ſententiæ neganti vſum cuiuſlibet probabilitatis, quàm ſententiæ affirmanti; cùm magis incumberet Sanctis Patribus tollere radicem omnium flagitiorum, quàm actiones incertæ malitiæ defendere à culpa.

Reſpondeo ergo, Sanctos Patres de hac materia ſiluiſſe, quia eorum tempore hæc controuerſia orta nondum fuerat. Ipſi quidem rationibus prudentibus gubernabantur, qui ſciebant, ſe non in omnibus practicabilibus poſſe ad certitudinem peruenire. Et cùm probabiliora non cogant intellectum, non eſt vnde probetur, Sanctos Patres ſemper probabilioribus gubernatos: in topicis autem practicabilibus non ſemper ſecutos eſſe partem ſtrictiorem, conſtabit *ex cap. 6.* 395. *Siluerunt de hoc SS. Patres, quia nondum nata erat quæſtio.*

Secundum argumentum ſic proponit: [Si Sanctis Patribus adeò comperta erat hæc opinionum probabilium ſecuritas, non eſt credibile, adeò fuiſſe cæcos, & ſtolidos, vt ab hoc principio per ſe noto vſquam receſſerint, & illi contraria, aut minùs conſentanea docuerint. Si ita ſit, cur illis, in morum negotio, cenſent Recentiores anteponendos, quamvis fuerint Apoſtolis viciniores? Cur dicunt, difficultates, quæ circa mores homine Chriſtiano dignos emergunt, à nouitiis, non à veteribus Scriptoribus, hauriendas eſſe? Argumento ſint Caramuel, & Diana in citandis Recentioribus diligentiſſimi, & copioſiſſimi; parciſſimi in Antiquis referendis.] 396.

Sed in caſſum defatigatur Vincentius, dum non oſtendit, Sanctos Patres docuiſſe contraria, aut minùs conſentanea huic principio de quavis opinione probabili in practicis admittenda. Quod ſi oſtenderet, præiudicium pararet noſtræ ſententiæ. Recentiores autem anteponendos eſſe Sanctis Patribus, in illis materiis, de quibus Sancti Patres locuti ſunt, in nullum hominem cadit ſanæ mentis. Et ſolùm in eo caſu dicere poſſumus anteponendos, quia Recentores locuti ſunt de iis materiis ex profeſſo; aſt Sancti Patres neque per tranſennam: v.g. in ea quæſtione, [An quis teneatur ad reſarciendam damnificationem, quam intulit ex culpa ſolùm veniali?] rectè dices, anteponendos Recentiores Sanctis Patribus, quatenus Sancti Patres de eo puncto nihil diſſeruerunt; Recentiores autem eam materiam ex profeſſo diſcuſſerunt. Quod idem contingit in præſenti materia, de quavis opinione probabili admittenda. 397. *Quo ſenſu iuniores præferantur SS. Patribus.*

Tertium, & quartum argumentum deſumit Vincentius in eodem paragrapho, *verſ. His duobus*, ex eo quod omnes Authores antiqui reſiſtant duobus principiis, quibus innititur Caramuel ad omnem opinionem probabilem admittendam. Principia autem à Caramuele aſſumpta ſunt: primum, quod poſſit dari ignorantia inuincibilis iuris naturalis: ſecundum, ratione ignorantiæ inuincibilis, quæ datur in omni opinione probabili, excuſari quemcumque probabilitatis vſum à peccato. Quorum primum negant ex antiquis (teſte P. Vaſq. 1. 2. *diſp. 122.*) Hugo à S. Victore, Alenſis, Albertus, Bonauentura, Ri- 398.

Digitized by Google

cardus, Gerſon, Hadrianus, Alphonſus à Caſtra, & alij plures: quod quidem negant ſaltem de primis ſyndereſeos principiis, v.g. Deum eſſe colendum, ſubueniendum parentibus, &c. Secundum autem, ſcilicet ignorantiam inuincibilem excuſare à peccato, dicit eſſe doctrinam Pelagij damnatam ab Auguſtino, & à Synodo Palæſtina, de quo dicit ſe ſuum non proferre iudicium.

399. *An iuris naturalis poſſit eſſe ignorantia inuincibilis?*

Sed hæc multiplici ex capite infirmantur. Primò, quia licèt de primis ſyndereſeos principiis, & clarioribus punctis Decalogi non poſſit eſſe ignorantia inuincibilis; at de multis aliis practicabilibus eſſe poſſe ignorantiam, id eſt, defectum certitudinis, qui ſcientia vinci non poſſit, certiſſimum eſt. Vel dicat mihi Vincentius, an ego poſſim, & ex quo principio, certò cognoſcere, quæ pars vera ſit in ea quæſtione, [An iure naturali tenear ad reſtitutionem damni, quod cum ſola culpa veniali intuli?]

400. Secundò, quid intereſt, quod illi antiqui negauerint ignorantiam iuris naturalis, ſi multi alij eam admiſerunt, vt dicat Vincentius, eam doctrinam eſſe contra omnes antiquos?

401. *An aſſerere, nullam ignorantiam excuſare à peccato, ſuffragetur Ianſeniſmo?*

Tertiò, quatenus inſinuat, ignorantiam inuincibilem nullo modo excuſare à peccato, an ſuffragetur Ianſeniſmo, alij viderint? Nam ſi aſſeuerantet affirmaret, vtique ſuffragaretur; nam aliàs peccaret homo neceſſariò: in qua aſſertione ſtat ſecta Ianſeniſmi.

Quartò dicit, ſe ſuum non proferre iudicium in ea quæſtione, [An ignorantia inuincibilis

402. excuſet à peccato?] Et tamen ſuum iudicium profert in duobus. Primò, aſſerendo ſententiam affirmatiuam fuiſſe doctrinam Pelagij. Secundò, aſſerendo, fuiſſe damnatam ab Auguſtino, & à Synodo Palæſtina. Quæ duo an ſuffragentur, & qualiter, Ianſeniſmo, conſiderent viri docti.

ARTICVLVS XIV.

Diſcutiuntur quidam textus S. Auguſtini.

403. Eadem *ſect.* 4. *art.* 3. §. 3. quoſdam pro ſua ſententia textus Auguſtini affert, quorum primus, quem dicit apertiſſimum, eſt *ex lib.* 3. *contra Academicos, cap.* 16. quem ſic proponit: [Vbi Academicorum hanc eſſe ſententiam, & mentem docet; *Cùm agit quiſque, quod ei probabile videtur, non peccat, nec errat.* Hæc ipſiſſima eſt Caramuelis doctrina. Quid verò ad eam Auguſtinus? Latè probat, ſi ſemel recepta ſit, omnia crimina probari, quia nullus eſt reproborum, cui non ſit probabile, quod perpetrat crimen, licitum eſſe.]

404. *Quid de probabilitate tradebant Academici?*

Vt videas, quàm inane ſit hoc argumentum ab authoritate Auguſtini petitum, conſidera tria, quæ docebant Academici, vt conſtat *ex eodem lib.* 3. S. Auguſtini. Primum: nihil cadere ſub humanam ſcientiam; ita vt nullius rei poſſit homo ferre iudicium certum. Secundum: quia ex eo certitudinis defectu prouenit periculum errandi, nulli obiecto præbendum eſſe aſſenſum, ne fortè aſſenſu adhibito, homo erret: quare ſemper cohibendum eſſe cuiuſlibet obiecti aſſenſum. Ita Auguſtinus eo *lib.* 3. *cap.* 10. *Duo ſunt, quæ ab Academicis dicuntur, contra quæ, vt valemus, venire conſtituimus. Nihil poſſe percipi, & nulli rei debere aſſentiri.* Et *cap.* 14. *Si igitur nec certi eſt quidquam, nec opinari ſapientis eſt,* &c. Tertium: cum ad aliquid agendum peruenitur, id agendum, quod cuique probabile videbitur. Ita *cap.* 16. ait, ex Academicorum ſententia. *Turpe eſt errare, & ideò nulli rei conſentire debemus. Sed tamen cùm agit quiſque, quod ei videtur probabile, nec peccat, nec errat.*

Exemplum ponit Auguſtinus *eo cap.* 16. in adulterio, de cuius malitia ait Academicus, nullam eſſe certitudinem; ideò in quæſtione, an adulterium honeſtum ſit, an illicitum, aſſenſum eſſe cohibendum. Cùm autem quis operaturus ſit, operandum eſſe, ſicut ei probabile videbitur. Quibus quartam aliam aſſertionem adiungebant: quidquid aliquis Philoſophus dixiſſet, id videri probabile. Ecce verba Auguſtini *eo cap.* 16. *Igitur audiens adoleſcens, inſidiabitur pudicitiæ vxoris alienæ. Te te conſulo, Marce Tulli. Quid aliud dicturus es, quàm non tibi eſſe probabile, vt id faciat adoleſcens? At illi probabile eſt. Nam ſi ex alieno probabili* (id eſt, ex ſententia aliorum) *viuimus, nec tu debuiſti adminiſtrare Rempublicam, quia Epicuro viſum eſt non eſſe faciendum:* (ita adoleſcenti probabile eſt adulterium, quia Epicuro adulterium, ſicut & quidquid voluptuoſum, placuit.) *Adulterabit igitur ille iuuenis coniugem alienam. Qui deprehenſus ſi fuerit, vbi te inueniet, à quo defendatur? Quamquam etiam ſi inueniat, quid dicturus es? Negabis profectò,* (quia nulli rei aſſentiendum eſt.) *Quid ſi tam clarum eſt, vt fruſtra inficiere? Perſuadebis nimirum tanquam in Cumano gymnaſio, atque adeò Neapolitano, nihil eum peccaſſe, imò etiam nec erraſſe quidem,* (quia nulli obiecto aſſenſus eſt, nec iudicauit adulterum licitum, nec illicitum.) *Non enim faciendum eſſe adulterium pro vero ſibi perſuaſit: probabile occurrit, ſecutus eſt, fecit, aut fortaſſe non fecit, ſed feciſſe* (quia nihil ſcitur, nihil pro certo habetur) *ſibi viſus eſt.* Quam argumentationem proſequitur, inducens in alia abſurda. 405.

Ex quibus colligitur manifeſtè, probabilitatem, quam propugnabant Academici, & quam reprobat Auguſtinus, eſſe quamdam probabilitatem chimæricam. Primò, quia contradictionem inuoluit, quod intellectus non poſſit habere certitudinem, nec opinionem de obiecto, & quod poſſit id obiectum reputare probabile. Nam ſi reputat probabile, debet tale reputare certò, vel opinatiuè, vel temerè. Si temerè, & abſque fundamento, implicat, quod ſit probabile. Sed neque certò, & opinatiuè poteſt: nam ſecundum Academicos, nihil certò cognoſcitur; & omnis aſſenſus opinatiuus cohibendus eſt, ne homo ſe exponat errori. Quod argumentum breui periodo concludit Auguſtinus *cap.* 14. dum ait: *Si igitur, nec certi eſt quidquam, nec opinari ſapientis eſt, nihil vnquam ſapiens approbabit.* Id eſt, nihil reputabit probabile. 406. *Probabilitas Academicorum chimærica erat.*

Secundò. Nam probabilitas Academicorum eſt quædam probabilitas pugnans contra rei euidentiam. Nam cùm adulterij malitia euidens ſit, adhuc ſecundum Academicos non peccat, qui adulterium putat probabiliter licitum. Quam euidentiam malitiæ, dum Academici negant, oculos claudunt meridiano fulgori; & contra meridianam lucem à ſe negatam, & ſibi inuitis allucentem, volunt adeſſe probabilitatem. Imò actionis ab adultero perpetratæ cum vxore aliena, dum negant euidentiam, obſtruunt probabilitatem, qua videatur adultero, eam actionem 407.

à

Digitized by Google

à ſe non perpetratam. Vt conſtat ex iis Auguſtini verbis ſupra relatis: *Aut fortaſſe non fecit, ſed feciſſe ſibi viſus eſt.*

408. Hinc conſtat reſponſio ad textum Auguſtini: illum quidem non reprobare veram probabilitatem, ſed probabilitatem chimæricam Academicorum, qua putatur probabile obiectum, cuius nec ſcientia, nec opinio habetur; & qua putatur probabile id, quod contra certitudinem & euidentiam pugnat. Vnde euidenter conſtat, non eſſe hanc ipſiſſimam Caramuelis doctrinam, quin potiùs inter hanc, & illam, infinitum chaos intercipi.

409. Secundum textum Auguſtini proponit Vincentius *eodem paragr. verſ. ſed ea, ex epiſt.* 134. (*corrige* 154.) *Si quis bonum putauerit eſſe, quod malum eſt, hoc putando, vtique peccat: & ea ſunt omnia peccata ignorantia, quando quiſque benè fieri putat, quod malè fit.* Addit ex Gratiano *quæſt.* 5. quaſi commentarium eorum verborum. *Ignorantia iuris naturalis omnibus adultis damnabilis eſt.* Nota, quod truncatur textus Auguſtini. Ait enim: *Si quis bonum putauerit eſſe, quod malum eſt, & fecerit hoc putando, vtique peccat*, &c.

410. *Auguſtinus damnat ignorantiam vincibilem criminis, non invincibilem.*

Reſpondetur, Auguſtinum loqui de ignorantia vincibili, & culpabili; cùm quis omittit diligentiam debitam, quam quis videt à ſe poſſe adhiberi, & negligit. Non autem loquitur de ea ignorantia, quam quis vincere non poteſt, præcipue ſi illam ſubſequitur iudicium prudens graui ratione fulcitum, quo ſibi prudenter perſuadet, obiectum eſſe licitum, per quod conſtituitur probabilitas.

411. Tertium textum proponit *ex lib.* 1. *de Baptiſmo contra Donatiſtas, cap* 5. ait enim. [Vbi damnat eos, qui ex opinione minùs probabili contra probabiliorem agunt, in his etiam quæ ſunt iuris poſitiui, *Sacrilegio ſchiſmatis* (ait) *vulnerari eos, qui per ignorantiam baptizantur apud Donatiſtas, arbitrantur, penes ipſos eſſe Eccleſiam Chriſti.*] Ea tamen non ſunt verba formalia Auguſtini, ſed hæc: *Illi verò, qui per ignorantiam ibi* (apud Donaſtitas) *baptizantur, arbitrantes, ipſam eſſe Eccleſiam Chriſti, in iſtorum quidem comparatione minùs peccant; ſacrilegio tamen ſchiſmatis vulnerantur, non ideò non grauiter, quia alij grauiùs.*

412. *In Baptiſmo Donatiſtarū damnat Auguſtinus ignorantiam vincibilem.*

Errat tamen Vincentius, dum ait, in hoc textu agere Auguſtinum de praxi opinionis minùs probabilis contra probabiliorem. Nam cùm Auguſtinus doceat ibidem tanquam certiſſimum, eſſe grauiter illicitum, accipere baptiſmum apud Donatiſtas, nulla remanet probabilitas ei aſſertioni, quæ doceat, id eſſe licitum: nam contra certitudinem nulla eſt probabilitas. Ignorantia autem veræ Eccleſiæ Chriſti, de qua ibi loquitur Auguſtinus, nulla ratione probabili fulcitur. Nam ſi taliter ignorantes diligentiam debitam adhiberent, inuenirent quamplurima motiua euidentia (quibus credibilitas Fidei Catholicæ redundat) ex quibus agnoſcerent veram Chriſti Eccleſiam. Contra motiua autem euidentia, etiam moraliter, nulla eſt probabilitas, vt ſæpe diximus. Et quamvis daremus, quod illis ita *arbitrantibus* proponeretur vt probabile, penes Donatiſtas eſſe veram Chriſti Eccleſiam, adhuc non erant excuſabiles à culpa; quia illa ignorantia erat facilè vincibilis, ſi nimirum attenderent ad motiua euidentia credibilitatis Fidei Catholicæ, ad quæ facilè poterant attendere; cùm iam nata eſſet controuerſia inter Donatiſtas, & Catholicos de vera Chriſti Eccleſia: & auditis his, & illis, impoſſibile erat non venire in cognitionem veritatis. Nam, vt optimè dixit Caramuel *in Apolog. de Probabilit.* non opinatur probabiliter, qui veritatem poteſt certò cognoſcere, & non vult.

Huc referri poteſt argumentum, quod multis proſequitur Vincentius *diſp.* 2. *ſect.* 5. *art.* 3 *paragraph.* 1. deſumptum ab eo axiomate iuris Canonici, nempe, in dubiis tutiorem partem eſſe amplectendam: quod videntur Sacri Canones deſumpſiſſe ex D. Auguſtino, & repetunt ſæpe. Ita *cap. ad audientiam, & cap. ſignificaſti*, 2. *de homicidio, & cap. petitio, eod. tit. & cap. ſi quis poſitus, & cap. ſi quis autem, de pœnit. diſt.* 1. ex D. Auguſtino; & *cap. iuuenis, de ſponſalibus*, & *cap. illud, de Cleric. excom.* & *in Clement. Exiui.* Hos enim omnes textus affert Vincentius ex Fagnano. Ergo in dubiis, quæ à probabilitate oriuntur, tutior pars, quæ ſtat pro lege contra libertatem, tenenda eſt. 413. *In dubiis, non in probabilibus, tutior pars eſt eligenda.*

Sed hæc obiectio ex vtroque pede claudicat. Primò. Nam opinio probabilis non eſt dubium, nec dubitatio, imò cùm aſſenſu probabili incompoſſibilis eſt dubitatio, vt oſtendi *diſput.* 6. *cap.* 5. *&* 9. ergo totus ille apparatus textuum canonicorum non eſt ad rem. Quare contra ſuos Authores reflecto argumentum. In dubiis tutior pars amplectenda eſt: ſed cùm quis habet aſſenſum probabilem, nec eſt, nec poteſt eſſe in dubio: ergo cùm quis habet aſſenſum probabilem, non eſt ei tutior pars amplectenda. 414. *Aſſenſus probabilis non eſt dubitatio.*

Secundò claudicat argumentum. Nam quando pro vtraque parte contradictionis ſunt opiniones verè probabiles, neutra eſt formaliter tutior, vt oſtendi *diſput.* 13. Nulla enim eſt magis tuta formaliter, quàm ea, quæ nullum affert periculum peccandi: ſed quælibet opinio verè probabilis nullum affert periculum peccandi: nulla ergo opinio verè probabilis eſt formaliter magis, vel minùs tuta. 415. *Ex contradictoriis probabilibus neutra eſt tutior.*

Hinc facilè ſoluitur argumentum, quod inuictum vocat Baron, & proponit *ea diſp.* 2. *ſect.* 6. *art.* 2. *paragr.* 2. *verſ. ab hoc.* [Quiſquis ſponte ſe obiicit periculo proximo peccati, & ſalutis, per ſe connexo actui, à quo liberum eſt illi ceſſare, in quem trahitur commodi, voluptatis, aut libertatis exercendæ cauſa, poſtpoſita opinione tuta, non ſolùm negatiuè, ſed etiam poſitiuè; ille cenſetur imprudentiſſimè agere, neque poteſt excuſari, quòd ſubſit probabilitas opinioni, quam ſequitur, par, aut minor probabilitate opinionis pro lege, & ſalute ſtantis: atqui res noſtræ eo ſunt ſtatu, vt proximum inſit per ſe periculum peccati annexum opinioni, quæ fauet libertati contra legem: ergo imprudentiſſimè agit, qui ſententia pro lege poſtpoſita, alteri adhæret.] 416.

Ex dictis enim reſpondetur, conceſſa maiori, & negando minorem, quam eſſe certò falſam, conſtat ex dictis. Quod ſi minorem extendat ad probabilitatem in re ſacramentaria, dixi *art.* 11, non eſſe ad rem; nam quod extra caſum neceſſitatis liceat baptizare hominem baptiſmo probabili, aut abſoluere vi iuriſdictionis dumtaxat probabilis, non eſt res probabilitatis, ſed certitunis, cùm certiſſimum ſit præcepto charitatis obſtringi miniſtrum ad non exponendum Fideles periculo amittendi effectus Sacramenti, atque adeò ſupra omnem probabilitatem. 417.

Inſtat

Digitized by Google

cardus, Gerſon, Hadrianus, Alphonſus à Caſtra, & alij plures: quod quidem negant ſaltem de primis ſyndereſeos principiis, v.g. Deum eſſe colendum, ſubueniendum parentibus, &c. Secundum autem, ſcilicet ignorantiam inuincibilem excuſare à peccato, dicit eſſe doctrinam Pelagij damnatam ab Auguſtino, & à Synodo Palæſtina, de quo dicit ſe ſuum non proferre iudicium.

399. *An iuris naturalis poſſit eſſe ignorantia inuincibilis?*

Sed hæc multiplici ex capite infirmantur. Primò, quia licèt de primis ſyndereſeos principiis, & clarioribus punctis Decalogi non poſſit eſſe ignorantia inuincibilis; at de multis aliis practicabilibus eſſe poſſe ignorantiam, id eſt, defectum certitudinis, qui ſcientia vinci non poſſit, certiſſimum eſt. Vel dicat mihi Vincentius, an ego poſſim, & ex quo principio, certò cognoſcere, quæ pars vera ſit in ea quæſtione, [An iure naturali tenear ad reſtitutionem damni, quod cum ſola culpa veniali intuli?]

400. Secundò, quid intereſt, quod illi antiqui negauerint ignorantiam iuris naturalis, ſi multi alij eam admiſerunt, vt dicat Vincentius, eam doctrinam eſſe contra omnes antiquos?

401. *An aiens, nullam ignorantiam excuſare à peccato, ſuffragetur Ianſeniſmo?*

Tertiò, quatenus inſinuat, ignorantiam inuincibilem nullo modo excuſare à peccato, an ſuffragetur Ianſeniſmo, alij viderint? Nam ſi aſſeueranter affirmaret, vtique ſuffragaretur; nam aliàs peccaret homo neceſſariò: in qua aſſertione ſtat ſecta Ianſeniſmi.

402. Quartò dicit, ſe ſuum non proferre iudicium in ea quæſtione, [An ignorantia inuincibilis excuſet à peccato?] Et tamen ſuum iudicium profert in duobus. Primò, aſſerendo ſententiam affirmatiuam fuiſſe doctrinam Pelagij. Secundò, aſſerendo, fuiſſe damnatam ab Auguſtino, & à Synodo Palæſtina. Quæ duo an ſuffragentur, & qualiter, Ianſeniſmo, conſiderent viri docti.

ARTICVLVS XIV.

Diſcutiuntur quidam textus S. Auguſtini.

403. EAdem *ſect.* 4. *art.* 3. §. 3. quoſdam pro ſua ſententia textus Auguſtini affert, quorum primus, quem dicit apertiſſimum, eſt *ex lib.* 3. *contra Academicos, cap.* 16. quem ſic proponit: [Vbi Academicorum hanc eſſe ſententiam, & mentem docet; *Cùm agit quiſque, quod ei probabile videtur, non peccat, nec errat.* Hæc ipſiſſima eſt Caramuelis doctrina. Quid verò ad eam Auguſtinus? Latè probat, ſi ſemel recepta ſit, omnia crimina probari, quia nullus eſt reproborum, cui non ſit probabile, quod perpetrat crimen, licitum eſſe]

404. *Quid de probabilitate tradebant Academici?*

Vt videas, quàm inane ſit hoc argumentum ab authoritate Auguſtini petitum, conſidera tria, quæ docebant Academici, vt conſtat *ex eodem lib.* 3. S. Auguſtini. Primum: nihil cadere ſub humanam ſcientiam; ita vt nullius rei poſſit homo ferre iudicium certum. Secundum: quia ex eo certitudinis defectu prouenit periculum errandi, nulli obiecto præbendum eſſe aſſenſum, ne fortè aſſenſu adhibito, homo erret: quare ſemper cohibendum eſſe cuiuſlibet obiecti aſſenſum. Ita Auguſtinus eo *lib.* 3. *cap.* 10. *Duo ſunt, quæ ab Academicis dicuntur, contra quæ, vt vplemus, venire conſtituimus. Nihil poſſe percipi, & nulli rei debere aſſentiri.* Et *cap.* 14. *Si igitur nec certi eſt quidquam, nec opinari ſapientis eſt*, &c. Tertium: cum ad aliquid agendum peruenitur, id agendum, quod cuique probabile videbitur. Ita *cap.* 16. ait, ex Academicorum ſententia. *Turpe eſt errare, & ideò nulli rei conſentire debemus. Sed tamen cùm agit quiſque, quod ei videtur probabile, nec peccat, nec errat.*

405. Exemplum ponit Auguſtinus *eo cap.* 16. in adulterio, de cuius malitia ait Academicus, nullam eſſe certitudinem: ideò in quæſtione, an adulterium honeſtum ſit, an illicitum, aſſenſum eſſe cohibendum. Cùm autem quis operaturus ſit, operandum eſſe, ſicut ei probabile videbitur. Quibus quartam aliam aſſertionem adiungebant: quidquid aliquis Philoſophus dixiſſet, id videri probabile. Ecce verba Auguſtini *eo cap.* 16. *Igitur audiens adoleſcens, inſidiabitur pudicitiæ vxoris alienæ. Te te conſulo, Marce Tulli. Quid aliud dicturus es, quàm non tibi eſſe probabile, vt id faciat adoleſcens? At illi probabile eſt. Nam ſi ex alieno probabili* (id eſt, ex ſententia aliorum) *viuimus, nec tu debuiſti adminiſtrare Rempublicam, quia Epicuro viſum eſt, non eſſe faciendum:* (ita adoleſcenti probabile eſt adulterium, quia Epicuro adulterium, ſicut & quidquid voluptuoſum, placuit.) *Adulterabit igitur ille iuuenis coniugem alienam. Qui deprehenſus ſi fuerit, vbi te inueniet, à quo defendatur? Quamquam etiam ſi inueniat, quid dicturus es? Negabis profectò,* (quia nulli rei aſſentiendum eſt.) *Quid ſi tam clarum eſt, vt fruſtra inficiere? Perſuadebis nimirum tanquam in Cumano gymnaſio, atque adeò Neapolitano, nihil eum peccaſſe, imò etiam nec erraſſe quidem,* (quia nulli obiecto aſſenſus eſt, nec iudicauit adulterum licitum, nec illicitum.) *Non enim faciendum eſſe adulterium pro vero ſibi perſuaſit: probabile occurrit, ſecutus eſt, fecit, aut fortaſſe non fecit, ſed feciſſe* (quia nihil ſcitur, nihil pro certo habetur) *ſibi viſum eſt.* Quam argumentationem proſequitur, inducens in alia abſurda.

406. *Probabilitas Academicorum chimærica erat.*

Ex quibus colligitur manifeſtè, probabilitatem, quam propugnabant Academici, & quam reprobat Auguſtinus, eſſe quamdam probabilitatem chimæricam. Primò, quia contradictionem inuoluit, quod intellectus non poſſit habere certitudinem, nec opinionem de obiecto, & quod poſſit id obiectum reputare probabile. Nam ſi reputat probabile, debet tale reputare certò, vel opinatiuè, vel temerè. Si temerè, & abſque fundamento, implicat, quod ſit probabile. Sed neque certò, & opinatiuè poteſt: nam ſecundum Academicos, nihil certò cognoſcitur; & omnis aſſenſus opinatiuus cohibendus eſt, ne homo ſe exponat errori. Quod argumentum breui periodo concludit Auguſtinus *cap.* 14. dum ait: *Si igitur, nec certi eſt quidquam, nec opinari ſapientis eſt, nihil vnquam ſapiens approbabit.* Id eſt, nihil reputabit probabile.

407. Secundò. Nam probabilitas Academicorum eſt quædam probabilitas pugnans contra rei euidentiam. Nam cùm adulterij malitia euidens ſit, adhuc ſecundum Academicos non peccat, qui adulterium putat probabiliter licitum. Quam euidentiam malitiæ, dum Academici negant, oculos claudunt meridiano fulgori; & contra meridianam lucem à ſe negatam, & ſibi inuitis allucentem, volunt adeſſe probabilitatem. Imò actionis ab adultero perpetratæ cum vxore aliena, dum negant euidentiam, obſtruunt probabilitatem, qua videatur adultero, eam actionem

à

Digitized by Google

à ſe non perpetratam. Vt conſtat ex iis Auguſtini verbis ſuprà relatis: *Aut fortaſſe non fecit, ſed feciſſe ſibi viſus eſt.*

408. Hinc conſtat reſponſio ad textum Auguſtini: illum quidem non reprobare veram probabilitatem, ſed probabilitatem chimæricam Academicorum, qua putatur probabile obiectum, cuius nec ſcientia, nec opinio habetur; & qua putatur probabile id, quod contra certitudinem & euidentiam pugnat. Vnde euidenter conſtat, non eſſe hanc ipſiſſimam Caramuelis doctrinam, quin potiùs inter hanc, & illam, infinitum chaos intercipi.

409. Secundum textum Auguſtini proponit Vincentius *eodem paragr. verſ. ſed ea, ex epiſt.* 134. *(corrige* 154.) *Si quis bonum putauerit eſſe, quod malum eſt, hoc putando, vtique peccat: & ea ſunt omnia peccata ignorantiæ, quando quiſque benè fieri putat, quod malè fit.* Addis ex Gratiano *quæſt.* 5. quaſi commentarium eorum verborum. *Ignorantia iuris naturalis omnibus adultis damnabilis eſt.* Nota, quod truncatur textus Auguſtini. Ait enim: *Si quis bonum putauerit eſſe, quod malum eſt, & fecerit hoc putando, vtique peccat*, &c.

410. *Auguſtinus damnat ignorantiam vincibilem criminis, non inuincibilem.*

Reſpondetur, Auguſtinum loqui de ignorantia vincibili, & culpabili; cùm quis omittit diligentiam debitam, quam quis videt à ſe poſſe adhiberi, & negligit. Non autem loquitur de ea ignorantia, quam quis vincere non poteſt, præcipuè ſi illam ſubſequitur iudicium prudens graui ratione fulcitum, quo ſibi prudenter perſuadet, obiectum eſſe licitum, per quod conſtituitur probabilitas.

411. Tertium textum proponit *ex lib.* 1. *de Baptiſmo contra Donatiſtas, cap* 5. ait enim. [Vbi damnat eos, qui ex opinione minùs probabili contra probabiliorem agunt, in his etiam quæ ſunt iuris poſitiui, *Sacrilegio ſchiſmatis* (ait) *vulnerari eos, qui per ignorantiam baptizantur apud Donatiſtas, arbitrantur, penes ipſos eſſe Eccleſiam Chriſti.*] Ea tamen non ſunt verba formalia Auguſtini, ſed hæc: *Illi verò, qui per ignorantiam ibi* (apud Donatiſtas) *baptizantur, arbitrantes, ipſam eſſe Eccleſiam Chriſti, in iſtorum quidem comparatione minùs peccant; ſacrilegio tamen ſchiſmatis vulnerantur, non ideò non grauiter, quia alij grauiùs.*

412. *In Baptiſmo Donatiſtarũ damnat Auguſtinus ignorantiam vincibilem.*

Errat tamen Vincentius, dum ait, in hoc textu agere Auguſtinum de praxi opinionis minùs probabilis contra probabiliorem. Nam cùm Auguſtinus doceat ibidem tanquam certiſſimum, eſſe grauiter illicitum, accipere baptiſmum apud Donatiſtas, nulla remanet probabilitas ei aſſertioni, quæ doceat, id eſſe licitum: nam contra certitudinem nulla eſt probabilitas. Ignorantia autem veræ Eccleſiæ Chriſti, de qua ibi loquitur Auguſtinus, nulla ratione probabili fulcitur. Nam ſi taliter ignorantes diligentiam debitam adhiberent, inuenirent quamplurima motiua euidentia (quibus credibilitas Fidei Catholicæ redundat) ex quibus agnoſcerent veram Chriſti Eccleſiam. Contra motiua autem euidentia, etiam moraliter, nulla eſt probabilitas, vt ſæpe diximus. Et quamvis daremus, quod illis ita *arbitrantibus* proponeretur vt probabile, penes Donatiſtas eſſe veram Chriſti Eccleſiam, adhuc non erant excuſabiles à culpa; quia illa ignorantia erat facilè vincibilis, ſi nimirum attenderent ad motiua euidentia credibilitatis Fidei Catholicæ, ad quæ facilè poterant attendere; cùm iam nata eſſet controuerſia inter Donatiſtas, & Catholicos de vera Chriſti Eccleſia: & auditis his, & illis, impoſſibile erat non venire in cognitionem veritatis. Nam, vt optimè dixit Caramuel *in Apolog. de Probabilit.* non opinatur probabiliter, qui veritatem poteſt certò cognoſcere, & non vult.

Huc referri poteſt argumentum, quod multis proſequitur Vincentius *diſp.* 2. *ſect.* 5. *art.* 3 *paragraph.* 1. deſumptum ab eo axiomate iuris Canonici, nempe, in dubiis tutiorem partem eſſe amplectendam: quod videntur Sacri Canones deſumpſiſſe ex D. Auguſtino, & repetunt ſæpe. Ita *cap. ad audientiam, & cap. ſignificaſti*, 2. *de homicidio, & cap. petitio, eod. tit. & cap. ſi quis poſitus, & cap. ſi quis autem, de pœnit. diſt.* 1. ex D. Auguſtino; & *cap. iuuenis, de ſponſalibus, & cap. illud, de Cleric. excom. & in Clement. Exiui.* Hos enim omnes textus affert Vincentius ex Fagnano. Ergo in dubiis, quæ à probabilitate oriuntur, tutior pars, quæ ſtat pro lege contra libertatem, tenenda eſt. 413.

413. In dubiis, non in probabilibus, tutior pars eſt eligenda.

Sed hæc obiectio ex vtroque pede claudicat. Primò. Nam opinio probabilis non eſt dubium, nec dubitatio; imò cum aſſenſu probabili incompoſſibilis eſt dubitatio, vt oſtendi *diſput.* 6. *cap.* 5. & 9. ergo totus ille apparatus textuum canonicorum non eſt ad rem. Quare contra ſuos Authores reflecto argumentum. In dubiis tutior pars amplectenda eſt: ſed cùm quis habet aſſenſum probabilem, nec eſt, nec poteſt eſſe in dubio: ergo cùm quis habet aſſenſum probabilem, non eſt ei tutior pars amplectenda. 414.

414. Aſſenſus probabilis non eſt dubitatio.

Secundò claudicat argumentum. Nam quando pro vtraque parte contradictionis ſunt opiniones verè probabiles, neutra eſt formaliter tutior, vt oſtendi *diſput.* 13. Nulla enim eſt magis tuta formaliter, quàm ea, quæ nullum affert periculum peccandi: ſed quælibet opinio verè probabilis nullum affert periculum peccandi: nulla ergo opinio verè probabilis eſt formaliter magis, vel minùs tuta. 415.

415. Ex contradictoriis probabilibus neutra eſt tutior.

Hinc facilè ſoluitur argumentum, quod inuictum vocas Baron, & proponit *ea diſp.* 2. *ſect* 6. *art.* 2. *paragr.* 2. *verſ. ab hoc.* [Quiſquis ſponte ſe obiicit periculo proximo peccati, & ſalutis, per ſe connexo actui, à quo liberum eſt illi ceſſare, in quem trahitur commodi, voluptatis, aut libertatis exercendæ cauſa, poſtpoſita opinione tuta, non ſolùm negatiuè, ſed etiam poſitiuè; ille cenſetur imprudentiſſimè agere, neque poteſt excuſari, quòd ſubſit probabilitas opinioni, quam ſequitur, par, aut minor probabilitate opinionis pro lege, & ſalute ſtantis: atqui res noſtræ eo ſunt ſtatu, vt proximum inſit per ſe periculum peccati annexum opinioni, quæ fauet libertati contra legem: ergo imprudentiſſimè agit, qui ſententia pro lege poſtpoſita, alteri adhæret.] 416.

Ex dictis enim reſpondetur, conceſſa maiori, & negando minorem, quam eſſe certò falſam, conſtat ex dictis. Quod ſi minorem extendat ad probabilitatem in re ſacramentaria, dixi *art.* 11. non eſſe ad rem; nam quod extra caſum neceſſitatis liceat baptizare hominem baptiſmo probabili, aut abſoluere vi iuriſdictionis dumtaxat probabilis, non eſt res probabilitatis, ſed certitudinis, cùm certiſſimum ſit præcepto charitatis obſtringi miniſtrum ad non exponendum Fideles periculo amittendi effectus Sacramenti, atque adeò ſupra omnem probabilitatem. 417.

Inſtat

Digitized by Google

418. Inſtat Vincentius *ibid.* [Si dicas, probabilitatem excuſare, quia idem eſt cum iudicio prudenti. Sed præter quod hæc reſponſio eſt perpetua petitio principij, multis argumentis falſi conuicta,] &c.

419. *Non callet, quid ſit p tere principiũ.* Sed non callet Vincentius, quid ſit petere principium. Etenim non eſt petere principium, repetere meam concluſionem in reſponſione, quando vi argumenti non cogor ab ea exire. Eſt autem petitio principij, ſi poſtulata ab aduerſario ratione concluſionis, proponam pro ratione ipſam concluſionem.

420. Exemplo rem declaro. Aſſero, neceſſitatem, quæ antecedit vſum libertatis, tollere libertatem, quæ autem conſequitur, non tollere. Vrget me Lutheranus, vt probet ſcientiam diuinam futurorum tollere libertatem. [Poſita ea ſcientia neceſſarium eſt, quod operer: ergo neceſſariò, & non liberè operor.] Et reſpondeo diſtinguendo antecedens: eſt enim neceſſarium neceſſitate conſequenti, non neceſſitate antecedenti. Dicat mihi Lutheranus, eam eſſe petitionem principij. Et reſpondebo, eum non callere, quid ſit vitium petitionis principij. Erit autem petitio principij, ſi me interroget, quare neceſſitas conſequens non tollit libertatem; & ego reſpondeam, rationem eſſe, quia ſola neceſſitas, quæ antecedit, tollit libertatem. Sic enim peto principium, cùm obſtringor reddere rationem meæ concluſionis. Quod quia manifeſtum eſt Dialecticis, in eo ampliùs non eſt immorandum.

421. Quod autem ſubiungit *in paragr.* 3. ius ſtatuere quaſdam regulas pro iis caſibus, in quibus par vtrimque probabilitas relucet, vt cùm dubium eſt. vtri facienda eſt reſtitutio, & cùm adeſt probabilitas propriè talis in vtroque, & iubet ſtari pro poſſeſſore, & ſimilibus: ergo perperam ponitur libera facultas eligendi quæcumque probabilia.

422. *Ius ortum à poſſeſſione non eſt res probabilitatis, ſed certitudinis.* Illud quidem parum vrget. Tum quia in quæſtione facti rationes vtrimque æquè probabiles non afferunt probabilitatem, ſed dubium, vt conſtat *ex diſp.* 6. *cap.* 6. tum quia poſſeſſio non eſt res probabilitatis; nam vt oſtendam *diſp.* 16. *cap.* 8. *art.* 4. poſſeſſio legitima eſt ius certum, contra quod non præualet proprietas dumtaxat probabilis. Et licèt regulæ aſſignentur in iure pro dubio, non tamen pro pari iuris probabilitate. In qua quid debeat facere Iudex, eſt quæſtio reflexa, quæ non eſt decidenda ex reſolutione quæſtionis directæ de probabilitate, vt infrà oſtendam.

CAPVT V.

Proponitur, & explicatur vera ſententia.

423. *Licet vti opinione probali, contra quam nulla eſt ratio grauis.* Vera, & omninò certa ſentẽtia eſt, quæ docet, licitum eſſe amplecti in ordine ad praxim quamlibet ſententiam verè, & practicè probabilem. Et primò quidem ita eſt, ſi talis ſit ſententia, vt pro ſe habeat rationes graues, & vrgentes, dignas viro prudenti: oppoſita autem leues, aut nullas pro ſe habeat. Supponimus autem materiam eius opinionis eſſe incertam, pro qua, & contra quam nullum ſit principium certum.

424. Secundò. Si pro vtraque parte contradictionis ſint motiua probabilia, quæ intellectui vt æquè probabilia repræſententur, licet amplecti quamlibet ex eis, ſiue ſtrictiorem, militantem pro lege, ſiue benigniorem ſtantem pro libertate. Cùm quælibet earum habeat motiua ſufficientia, quibus humana prudentia niti poſſit; & probabilitas vnius non deſtruat probabilitatem alterius (loquimur enim de probabilitate iuris, non facti;) ſed optimè componatur cum illa. *Item ſi vtraque pars eſt æquè probabilis.*

Tertiò. Si vna proponitur intellectui vt probabilior, & altera vt minùs probabilis, poteſt adhuc licitè homo accommodare ſe in praxi opinioni minùs probabili, etſi ſtet pro libertate contra legem. Tum quia poteſt iudicare, fortè ſe decipi, cenſendo eſſe probabiliorem. Tum præcipuè quia ex dictis *cap. præced. art.* 9. cùm motiuum probabilius adhuc incertum ſit, non cogit intellectum ad ſui aſſenſum; ideoque voluntas poteſt imperare aſſenſum ad partem minùs probabilem; quæ cùm habeat etiam rationes graues, & firmas, quibus nitatur, dici non poteſt aſſenſus temerarius, ſed prudens, & viro prudente dignus. 425. *Licet vti opinione minùs probabili.*

Dixi ſæpiùs, licitum eſſe vſum cuiuſcumque probabilitatis *bene intellectæ*. Scio enim, rem probabilitatis non ab omnibus rectè intelligi, præcipuè vbi fit reflexio ſupra probabilitatem. Sunt enim multa præcepta certa, & indubitata, quæ cadunt ſupra probabilitatem; quæ ideò rem à probabilitate extrahunt, & eleuant ad gradum certitudinis. Qua de re multa dixi in præcedentibus diſputationibus, & dicam in ſequentibus. 426. *Res probabilitatis non bene ab omnibus intelligitur.*

Et ante omnia memoriâ retinenda eſt diſtinctio quæſtionis directæ & reflexæ, propoſita *cap. præced. art.* 2. ſolet enim ſæpè contingere, quod ſit probabilitas in reſolutione quæſtionis directæ, & certitudo in reſolutione reflexæ. In reflexa enim additur lex, vel circunſtantia, quæ non præceſſit in directa; & ideò non valet à directa ad reflexam, ſicut non valet à dictamine generali ad dictamen, quod induit nouam circumſtantiam. Cuius multa exempla habes per plures articulos capitis præcedentis; & infrà oſtendemus in iudice, in ea quæſtione, an debeat ſententiam proferre ſecundum ius probabilius; & conſtabit etiam abundè *diſp.* 18. vbi oſtendemus peccare mortaliter eum, qui ſe obiicit periculo probabili peccandi, non obſtante probabilitate periculi. 427.

Ex his colliges, tanquam certò falſam reiiciendam eſſe ſententiam Vincentij, & Fagnani, qua docent, ſemper amplectendam eſſe ſententiam ſtrictiorem pro lege contra libertatem, quoties repertæ fuerint pro vtraque parte contradictionis opiniones probabiles, ſiue paris, ſiue imparis probabilitatis. Et quia hic eſt præcipuus totius controuerſiæ cardo, in hunc præcipuè ſcopum ferè omnia tela dirigenda ſunt, & in aduerſarios contorquenda. 428. *Reiicienda tanquam certa falſa opinio oppoſita.*

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT VI.

Proponuntur argumenta ab authoritate.

ARTICVLVS I.

Expenditur argumentum authoritatis Sanctorum Patrum.

429. VIdimus *cap.4.art.13.* noſtræ ſententiæ obiici à Vincentio altum ſilentium Sanctorum Patrum de hac materia; illudque in ſuam retorqueri eo maiori impetu, quo diligentiores fuerunt Sancti Patres in corrigendis illicitis, quàm in licitis permittendis. Quare cùm Sancti Patres de hac materia non diſſeruerint pro alterutra quæſtionis parte, quia hæc controuerſia (ſicut multæ aliæ recentes) nondum exorta fuerit; ſolùm poſſumus argumentum authoritatis deſumere ex praxi illorum.

430. *SS. Patres in quæſtionibus moralibus aliquando partem beniguiorem ſecuti ſunt.* Quod argumentum ſic promoueo. Inter Sanctos Patres fuerunt controuerſiæ de moribus; aliis quidem ſtrictiorem partem probabiliter ſequentibus, aliis benigniorem: ergo exemplo Sanctorum Patrum in quæſtionibus de moribus, vbi neutra pars certa eſt, poſſumus ſequi probabiliter partem benigniorem, eam ſcilicet, quæ ſtat pro libertate; nec tenemur amplecti ſtrictiorem, ſiue, vt vocat Vincentius, tutiorem.

431. *S. Hieronymus benigniorem ſecutus in ea quæſtione, [An ſimulatio ſit licita.]* Antecedens multis exemplis oſtendi poteſt. Primò: orta eſt quæſtio inter Hieronymum, & Auguſtinum [An ſimulatio licita ſit, an illicita?] ſtrictior pars ſimulationem tanquam illicitam damnat, benignior licitam affirmat. S. Auguſtinus ſtrictiorem ſecutus eſt, vt conſtat *ex epiſtola* 8. *ad Hieronymum.* S. Hieronymus benigniorem, quæ docet, licitam eſſe ſimulationem, nimirum exercendo actiones aliàs licitas, nempe in epiſtola ad Auguſtinum, quæ eſt 11. inter epiſtolas tomi 2. S. Auguſtini. Qua ratione excuſat Petrum, ex ſimulatione operatum in licitis; & Paulum, qui ex ſimulatione etiam Petro in faciem reſtitit. Et pro ſua ſententia citat Hieronymus Patres Græcos, Chryſoſtomum, Origenem, Didymum, Apollinarem, Euſebium Emiſſenum, & Theodorum Heracleotem.

Hieron. Chryſoſt. Origen. Didymus. Apollinar. Emiſſen. Theodor.

432. *S. Hieronymus benigniorem ſecutus in quæſtione de bigamia ante Baptiſmum, &c.* Secundò. Exorta eſt inter Hieronymum, & Auguſtinum controuerſia, [An ille, qui ante baptiſmum coniugem duxerat, & poſt coniugis mortem receperat baptiſmum, & poſt hunc ſecundam vxorem duxerat, eſſet bigamus, adeóque impeditus ad Epiſcopatum, alióſque ſacros Ordines ſuſcipiendos?] In qua Auguſtinus ſtrictiorem partem propugnauit, nempe, illum non poſſe ad Epiſcopatum, & ſacros Ordines aſcendere. Ita *in epiſt. ad Titum*, & habetur *cap. Acutius*, *diſt.* 26. E contrà Hieronymus *in epiſtola ad Oceanum*, affirmat, illum non eſſe bigamum, & poſſe ad quoſlibet Ordines aſcendere; quæ erat pars benignior. Et Hieronymum ſecuti ſunt quamplurimi Epiſcopi, vt *ibid.* teſtatur Hieronymus. Poſſumus ergo, exemplo Hieronymi, in probabilibus partem benigniorem, & vt vocat Vincentius, minùs tutam ſectari.

433. *S. Auguſtinus benigniorem ſequitur in ea quæſtione de honeſtate iuramenti.* Tertiò. Inter eoſdem Hieronymum, & Auguſtinum alia cœpit quæſtio agitari, [An ſit licitum aliquando iurare, an potiùs iuramentum ſemper contineat alicuius culpæ reatum?] In qua quæſtione Hieronymus partem ſtrictiorem ſecutus eſt, affirmans, iuramentum eſſe illicitum, propter id Chriſti verbum, *Ego autem dico vobis non iurare omninò.* Ita *in cap.* 4. *Hieremiæ*, & habetur *in cap & iurabunt*, 22. *quæſt.* 1. & *in cap.* 5. *Matth.* habeturque *in cap. conſidera*, *eodem.* E contrà Auguſtinus partem tenuit laxiorem, dicens, ex ſe non eſſe illicitum. Ita *in epiſt. ad Galat. cap.* 1. & *epiſt.* 154. *ad Publicolam*, & *ſerm.* 30. *de verbis Apoſtoli*, & *lib.* 1. *de ſerm. Domini, cap.* 30. & habetur *in cap. non eſt*, & *in cap. in noua*, & *in cap. vt noueritis*, & *in cap. ita ergo*, & *in cap. in malum*, 22. *quæſt.* 1. Quibus aliæ ſimiles quæſtiones tempore Sanctorum Patrum exortæ ſunt, in quibus ſemper aliqui partem benigniorem, & (in terminis Vincentij) minùs tutam partem ſecuti ſunt.

Dices primò, in iis caſibus Sanctos Patres ſecutos eſſe partem laxiorem, & benigniorem, quia ſibi proponebatur vt probabilior, & rationi conformior. 434.

Hæc tamen reſponſio non eſt ad rem: nam iuxta ſententiam Baron, quam modò impugnamus, etiamſi pars benignior, ſiue minùs tuta, ſit probabilior, nullo modo licet eam ſequi, vt conſtat ex ſuprà dictis *cap.* 2. 435.

Dices ſecundò, cùm Patres defendebant partem quæſtionis benigniorem, illam propugnaſſe, cenſentes eam omninò certam, & oppoſitam improbabilem, & certò falſam. 436.

Sed hæc reſpóſio non ſatisfacit. Nam dum Hieronymus eas duas opiniones benigniores de ſimulatione, & bigamia propugnabat, ſciebat oppoſitas propugnari ab Auguſtino, quẽ ſuſpiciebat vt virum ſapientiſſimũ, & qui in Eccleſia colebatur, & conſulebatur tanquam communis Magiſter. Ideóque non poterat Hieronymus improbabile iudicare quod ab Auguſtino docebatur. Et in quæſtione de bigamia ſciebat etiam Hieronymus, multos eſſe Epiſcopos, qui pro aduerſa ſibi ſententia militabant, vt conſtat ex titulo illi epiſtolæ ad Oceanum præfixo. Et in tertia quæſtione, in qua Auguſtinus partem laxiorem tenuit, etſi in variis locis ſupra citatis eam tenuit, nunquam damnauit oppoſitam, quam ſciebat eſſe Hieronymi, cuius ſapientiam non minori veneratione ſuſpiciebat. Eſtò poſteà procedenti tempore, examinatis ampliùs vtriuſque partis rationibus, ſententia Auguſtini ad certitudinem peruenerit. 437.

ARTICVLVS II.

Inefficacia argumentorum Caramuelis ab authoritate.

IN *Apolog. de Probabilit. num* 195. propoſuit caſum ex *lib. Machab. cap.* 15. in quo Nicanor conſtituit inferre bellum Machabæis in die Sabbathi, qui audierat, illis die Sabbati præliare non licere. Iudas autem Machabæus rationibus prudentibus ſuaſit militum multitudini, vt præliarentur eo die pro defenſione ſua, & patriæ. Deinde in quæſtione, an ſit mortaliter illicitum præliare in die feſto, diuiduntur Authores in duas claſſes, quorum pars affirmat mortaliter illicitum, pars dumtaxat venialiter. Machabæus autem probabiliter interpretatus eſt legem Dei pro parte benigniori: ergo licet nobis ſequi par- 438.

tem

Digitized by Google

tem benigniorem, quæ ſtat contra legem, in quæſtione vtrimque probabili.

439. *Iudas non putauit probabile, ſed certum, licere præliari in die ſabb.*

Hoc tamen argumentum parum vrget. Nam pro defenſione vitæ totius multitudinis, quæ inuita inuadebatur à Nicanore, non erat dumtaxat probabile, ſed indubitabiliter certum, licere ſibi prælium; neque legem colendi Sabbathi obligare ab ſubeundum vltrò tam violentam omnium occiſionem.

440. *Num.* 198. arguit à benedictione quam Iacob præripuit myſtica ſimulatione à parente ſuo, qui vſus fuit opinione minùs probabili, qua credidit, illum, qui cibos offerebat, eſſe primogenitũ ſuum.

441. *In quæſtione facti multitudo indiciorum facit plenam probationem.*

Sed videtur non multùm vrgere, eo quod in quæſtione facti ex coniecturis veriſimilioribus oritur plena probatio; tales enim putauit Iſaac, quas à tactu, & à cibis illatis hauriebat. Et ſimili reſponſione euaneſcit argumentum, quod deſumit Caramuel ab ea hiſtoria Abrahæ, cùm Rex Ægypti Saram ſibi in vxorem aſſumpſit: in quo Rex non quidem merè probabiliter, ſed cum certitudine facti proceſſit, dum Saram putauit ſolutam, quam talem eſſe credidit ex plena probatione, quæ ſufficienter pro circumſtantiis præſentibus oriebatur ex teſtimonio amborum, ſcilicet Abrahæ, & Saræ.

442. *An Pontifex poſſit denominare ſucceſſorem?*

Tertiò *num.* 202. inducit eam quæſtionem, [An Romanus Pontifex poteſtatem habeat denominandi ſucceſſorem?] Et vbi duas Theologorum ſententias oppoſitas ſtatuit, illas quidem probabiles, & affirmatiuam minùs tutam; ex S. Damaſo, & S. Clemente affirmat, B. Petrum denominaſſe ſibi ſucceſſorem Clementem, vtique ex opinione minùs probabili, & minùs tuta: licet ergo nobis ſequi opiniones etiam minùs probabiles, & minùs tutas.

443. Hoc tamen argumentum in multis peccat. Primò enim ſi certò conſtaret, S. Petrum ita denominaſſe, non abiiſſent Theologi in varias opiniones, ſed eadem certitudine affirmarent, Petrum, dum in re tam graui ea poteſtate vtebatur, ita facere, quia ei certò conſtabat de poteſtate ſibi tradita à Chriſto; neque ex ſola probabilitate poteſtatis ſibi traditæ in rem tanti periculi plenam auderet; imò nec liceret Petro ita denominare ſucceſſorem, vt ex dicendis conſtabit.

Si certum eſſet, S. Petrum denominaſſe, non eſſet varietas opinionum.

444. *Nec Petro, nec alteri Pontifici licet denominare, cum periculo nullitatum circa Sacramenta.*

Secundò. Quia nec Petro, nec alteri Pontifici licet exponere Eccleſiam innumeris nullitatibus Ordinum, Conſecrationum, Abſolutionum ſacramentalium, &c. quales certiſſimè incurrerentur, ſi à parte rei non eſſet vera opinio probababilis de poteſtate deligendi ſucceſſorem, qua ſecundum Caramuelem, Petrus vti voluit: tenebatur enim præcepto charitatis non exponere Fideles tam immanibus periculis amittendi ferè omnia Sacramenta Chriſti, & valorem illorum: ergo improbabile eſt, quod Petrus ex ſola opinione probabili denominauerit licitè ſucceſſorem.

445. *Quæſtio directa eſt probabilis, & ſpeculatiua.*

In quæſtione reflexa non eſt practicè probabilis pars affirmans.

Eſt quidem probabilis opinio affirmatiua, quam propugnant P. Vaſquez, P. Amicus, & Victoria *ibid.* relati; ſi tamen ea opinio verſetur in quæſtione directa ſpeculatiua, [An ſcilicet Chriſtus contulerit Petro, & ſucceſſoribus eam poteſtatem?] Suppoſito autem, quod ea opinio ſit dumtaxat probabilis, adeóque à parte rei poſſit eſſe falſa, eſt alia quæſtio reflexa, [An cum ſola ea opinione probabili, & cum ea circumſtantia exponendi Fideles innumeris nullitatibus Sacramentorum, liceat Romano Pontifici ita denominare ſucceſſorem?] Et in terminis huius quæſtionis reflexæ non loquuntur Authores partis affirmatiuæ; nec vllo modo practicè probabile eſt, Romano Pontifici id ita licere.

Quare dicendum eſt, ſi Petrus ita denominauit ſucceſſorem, fuiſſe de poteſtate ſibi tradita 446.
à Chriſto, & quia eius poteſtatis non reliquit ſucceſſoribus notitiam certam, ideò practicè non licere Romano Pontifici: quod ſi ſolùm habuit probabilem perſuaſionem de poteſtate ſibi tradita à Chriſto ad denominandum ſucceſſorem, id ſibi practicè non licuiſſe, propter dicta. Quod ſi in Eccleſia compertum fuerit, & tanquam certum declaratum, quod ea poteſtas Petro fuerit à Chriſto tradita, tunc ceſſabit probabilitas negatiuæ ſententiæ, & licebit Romano Pontifici denominare ſucceſſorem.

Multa alia argumenta habet Caramuel de- 447.
ſumpta vel à ſcripturis, vel à Patribus; quorum aliqua ideò non multùm vrgent, quia ſunt de materia purè ſpeculatiua, & non practica, de qua eſt præſens quæſtio. Nam etſi dicat Caramuel, eſſe in materia Fidei, licet id non inficier, eſt tamen materia omninò incerta, ideóque non tranſit ad obſtringendam conſcientiam, vt quis teneatur illis aſſenſum præbere, aut alio modo per illa mores dirigere. Alia autem, quæ ad praxim pertinent, probabiliter quidem diſſeruntur; ſed tamen non difficilem habent reſponſionem.

ARTICVLVS III.

Expenditur ſententia legitima S. Thomæ.

GLoriatur Baron, ſe aſſecutum eſſe mentem 448.
S. Thomæ in textu ſatis obſcuro, *ex quodlibeto* 8. *art.* 13, adeò vt in ipſa tractatus inſcriptione, *veram mentem D. Thomæ, & eius ſcholæ* aſſecutam præfigat. Sed in caſſum laborat, dum non componit inter ſe omnia principia D. Thomæ, dumque textum obſcurum eius per alia clariora eiuſdem non exponit.

Id tamen ante omnia notandum eſt, Baron, vt 449.
ex S. Thoma probet ſuam ſententiam, eius verbis eam interpretationem adhibere, in qua conſiſtit ſua opinio de ſtrictiore opinione ſeligenda, abſque vlla alia probatione, vt videatur non tam probare ſuam opinionem ex ſententia S. Thomæ, quàm ex ſua opinione illam eſſe mentem S. Thomæ. Quod ſatis ex diſcurſu ſubiiciendo conſtabit.

Proponam ergo textum S. Thomæ, cui ſcho- 450.
lia ſincerè, & ſine pugna interponam; nam ita deinceps diſceptabuntur, quæ diſceptanda ſunt. Ait ergo Angelicus Præceptor: *Ex conſcientia autem obligatur aliquis ad peccatum, ſiue habeat certam fidem de contrario eius, quod agit; ſiue etiam habeat opinionem cum aliqua dubitatione.* (Nota, *Cum aliqua dubitatione:* nam ſi pro vtraque parte habeat opinionem abſque dubitatione, ſed cum ſola formidine, non obligatur ad peccatum.) *Illud autem, quod agitur contra legem* (claram, & manifeſtam, & cuius non poteſt haberi error, niſi culpabilis & vincibilis) *ſemper eſt malum, nec excuſatur per hoc, quod eſt ſecundum conſcientiam* (vincibiliter erroneam.) *Et ſimiliter quod eſt contra conſcientiam, eſt malum, quamuis non ſit contra legem. Quod autem nec contra conſcientiam*

An, & quomodo conſcientia excuſat à peccato?

Opinio abſque dubitatione non obligat ad peccatum.

Digitized by Google

conſcientiam, nec contra legem eſt, non poteſt eſſe peccatum Dicendum ergo eſt, quod quando duæ ſunt opiniones contrariæ de eodem, oportet eſſe alteram veram, & alteram falſam. Aut ergo ille, qui facit contra opinionem Magiſtrorum, vtpote habendo plures præbendas, facit contra veram opinionem, (quæ à principiis intrinſecis ſit clara, & manifeſta; & quam poteſt. & tenetur ſcire:) *& ſic cùm faciat contra legem Dei, non excuſatur à peccato, quamvis non faciat contra conſcientiam* (quæ in tali caſu eſt culpabilis, quia poteſt, & tenetur ſcire, attendendo diligenter ad principia intrinſeca;) *ſic enim contra legem Dei facit. Aut illa opinio non eſt vera, ſed magis contraria, quam iſte ſequitur; ita quod verè licet habere plures præbendas. Et tunc diſtinguendum eſt, quia aut talis habet conſcientiam de contrario, & ſic iterum peccat contra conſcientiam faciens, quamvis non contra legem; aut non habet conſcientiam de contrario, ſed certitudinem; ſed tamen* (ſubſequenti tempore, non enim componuntur certitudo, & dubitatio) *in quamdam dubitationem* (practicam) *inducitur ex contrarietate opinionum:* (dubitat enim de probabilitate opinionis affirmatiuæ;) *& ſic ſi manente* (poteſt enim manere, ſi ſuccedat certitudo priùs exiſtens in intellectu) *dubitatione plures præbendas habet, periculo ſe committit, & ſic procul dubio peccat, vtpote magis amans beneficium temporale, quàm propriam ſalutem. Aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur, & ſic non committit ſe diſcrimini, nec peccat.*

451. Notaui primò in ea periodo, dixiſſe S. Thomam, obligari hominem ad peccatum ex conſcientia, ſi de contrario eius, quod agit, habeat *opinionem cum aliqua dubitatione:* quod intelligendum eſt, non de aſſenſu opinatiuo, iſte enim non componitur cum dubitatione; ſed de motiuo opinionis, qui cum dubitatione compoſſibilis eſt, vt explicui *diſp. 6. cap. 5. & 9.* Et ex eo aſſerto S. Thomæ collegi à contrario ſenſu, opinionem abſque dubitatione, & cum ſola formidine, non obligare hominem ad peccatum. Ex qua adnotatione iam incipit affulgere legitima intelligentia mentis S. Thomæ pro noſtra ſententia.

452. *Quod agitur contra legem manifeſtam, ſemper eſt malum.* Notaui ſecundò, cùm ait S. Thomas, ſemper eſſe malum id, *quod agitur contra legem*, neque excuſare conſcientiam, intelligendum eſſe de lege clara; & manifeſta, quam quis tenetur, & poteſt ſcire. Hanc autem eſſe rectam intelligentiam eius textus, ex multis capitibus conuincitur.

453. Primò, quia multi, & graues Thomiſtæ ita interpretantur. Ita expreſsè Ioannes Nider. *in Conſolatorio part. 3. cap. 11.* verbis relatis ab Amadæo Guimenio *tract. de Opin. probabil. propoſit. 1. n. 8.* & Sylueſter *verb. Opinio, quæſt. 1.* ibi ita ait: [In ſpectantibus ad Fidem, aut mores, S. Thomas dicit, quod tales non excuſantur in his, quæ ſunt *manifeſtè, & clarè determinata* alicubi. Quo etiam modo, ſecundum Archiepiſcopum, intelligitur cùm dicit, quod in opinionibus faciens contra verum, licèt nón contra conſcientiam, non excuſatur à præcepto, putà habendo duas præbendas, quia facit contra legem Dei: aliàs, inquit, contradiceret ſibi (S. Thomas) in eodem libro: quod non eſt credendum.] Eodem modo intelligunt eum textum D. Thomæ Fumus, Bartholomæus de Ledeſma, Martinus de Ledeſma, Ioannes Martinez de Prado, citati ab eodem Amadæo, *loco cit.* tum etiam in libello ſupplici *cap. 3. §. 1. verſ. inſtat.* Item S. Antoninus ſuprà relatus à Sylueſtro.

Nider. — Sylueſter. — Antonin. — Fumus. B. Ledeſma. Mart. Ledeſ. Prado.

454. Eodem modo intellexerunt D. Thomam, quot quot Thomiſtæ aſſeruerunt, neminem peccare ſequendo opinionem à parte rei falſam, licèt minùs tutã, in materia incerta, & opinabili. Hi ſunt Petrus de Tapia. Thomas Villar, Acacius de Velaſco, qui citat Bañezium, Candidũ & Medinam, Barnabas Gallego, qui dicit hanc eſſe communiorem inter Thomiſtas, & refert vltra citatos, Petrum de Ledeſma, Gregoriũ Martinez Didacum Aluarez Ludouicum Lopez, Aragonium, Salonium, Marcum Serra: hos quidem ex domeſticis. Et ex alienis PP. Suarium, Valentiam, Vaſquẽ, Azorium, Thomam Sanchez, Salas. Baldellum, Laymannum, Granadum, Filliucium, Becanum, Leſſium, Enriquez, Reginaldum, Ludouicum de Torres, Ioannem, & Franciſcum de Lugo, Tannerũ, & Caſtrum Palao. Item Ioannem Sancium, Bonacinam, Nauarram, Sayrum, Baſſæum, Nauarrum, Ludouicum de la Cruz, Baſilium Legionenſem, Villalobum, Sanctarellum, Dianam, Garciam, Barboſam, Portellium, & Machadum. Verba Barnabæ, eiuſque citationes reperies apud Amadæum *cit. tract. de opinione probabili, propoſ. 1. num. 11.*

Tapia. Villar. Velaſco. Bañez. Candid. Medina. Gallego. P. Ledeſma. Martinez. Aluarez. Lop z. Aragon. Salon. Serra. Suarius. Valentia. Vaſq. Azor. Th. Sanch. Salas. Baldellus. Laymin. Granado. Filliuc. Becanus. Leſſius. Enriquez. Regnald. Torres. Io. Lugo. Fr. Lugo. Tannerus. Caſt. Pal. Io. Sanc. Bonacina. Nauarra. Sayrus. Baſſæus. Nauarrus. Cruz. Legion. Villalob. Santarellus. Diana. Garcia. Barboſa. Portel. Machado. Amadæus.

Secundò. Nam, iuxta communem Regulam, verba Doctorum obſcura per alios eorumdem textus clariores interpretanda ſunt: iſque verborum ſenſus omninò reiiciendus eſt, qui cum alio textu clariori collatus nequit conſiſtere. Compone ergo textum relatum, nempe: *Illud autem, quod agitur contra legem, ſemper eſt malum, nec excuſatur per hoc, quod eſt ſecundum conſcientiam.* Compone, inquam, cum eo textu, quem ſtatuit *in eodem quodlibeto 8 art. 15. Error autẽ conſcientiæ quandoque habet vim abſoluendi, ſiue excuſandi, quando ſcilicet procedit ex ignorantia eius, quod quis ſcire non poteſt, vel ſcire non tenetur.* In priori dicit D. Thomas, conſcientiam non excuſare; in ſecundo autem, errorem conſcientiæ quandoque habere vim excuſandi. Ne ergo dicamus, S. Doctorem in vna, & eadem pagina ſibi contradixiſſe, dicere debemus, priorem textum obſcurum intelligendum eſſe iuxta ſecundum, in quo D. Thomas explicuit modum, quo conſcientia excuſat. Cùm ergo dicit, quod agitur contra legem ſemper eſſe malum, & conſcientiam non excuſare, intelligendum eſt de eo, quod agitur contra legem adeò claram, & manifeſtam, vt de illa non poſſit haberi conſcientia erronea, niſi culpabilis ex eo capite, quod ſcire tenetur, & poteſt, prædictam legem: & non excuſare conſcientiam, cùm tenetur, & poteſt ſcire legem. 455. *Textus obſcurus per clariorem explicatur.*

Quod amplius explicuit D. Thomas *eo art. 15.* in verbis ſubſequentibus: *Quandoque verò error conſcientiæ non habet vim abſoluendi, vel excuſandi; quando ſcilicet ipſe error peccatum eſt, vt cùm procedit ex ignorantia eius, quod quis ſcire tenetur & poteſt: ſicut ſi crederet fornicationem ſimplicem eſſe peccatum veniale; & tunc quamvis crederet peccare venialiter, non tamen peccaret venialiter, ſed mortaliter.* Coniungendo ergo priorem textum cum poſteriori, euidenter deprehenditur mens S. Thomæ ſic: *Nec excuſatur ex hoc, quod eſt ſecundum conſcientiam; quando ſcilicet ipſe error peccatum eſt, vt cùm procedit ex ignorantia eius, quod quis ſcire tenetur & poteſt.* Rectè ergo explicatur textus prior S. Thomæ eo ſcholio interpoſito, nempe, *Illud, quod agitur contra legem* (quam quis ſcire tenetur, & poteſt) *ſemper eſt malum; nec excuſatur per hoc, quod eſt ſecundum conſcientiam* culpabilem, ſiue vincibilem. 456.

Quod etiam clariùs expoſuit S. Thomas *quodlibeto 3. art. 10.* illis verbis: *Qui ergo aſſentit opinioni* 457.

Digitized by Google

nioni alicuius Magiſtri contra manifeſtum Scripturæ teſtimonium, ſiue contra id, quod publicè tenetur ſecundum Eccleſiæ authoritatem, non poteſt ab erroris vitio excuſari. Cùm ergo dicit, *Quod agitur contra legem, ſemper eſt malum*, intelligitur de eo, quod agitur contra legem, quæ conſtat ex manifeſto ſacræ Scripturæ teſtimonio, vel ex eo quod publicè tenetur ſecundum Eccleſiæ authoritatem, aut ex alio capite ſimilis certitudinis, cuius veritatem non poteſt non comperire, niſi velit oculos à lumine auertere.

458. Notaui tertiò, in prima hypotheſi, quam ponit S. Thomas, quod ſit vera opinio dicentium, illicitam eſſe poſſeſſionem plurium præbendarum; cùm dicit, poſſidentem eas peccare contra legem, nec excuſare conſcientiam de oppoſito, intelligendum eſſe de caſu, quo ea opinio à principiis intrinſecis ſit clara, & manifeſta; ita vt poſſidens teneatur & poſſit ſcire veritatem. Nam in eodem ſenſu intelligenda eſt concluſio, in quo intelliguntur præmiſſæ. Et cùm præmiſſæ poſitæ à D. Thoma, & proximè explicatæ in notatione ſecunda, loquantur de eo, quod agitur contra legem claram & manifeſtam, quam quis ſcire poteſt, & tenetur; & etiam de conſcientia culpabili non excuſante, fit quod concluſio in eodem ſenſu, & non in alio, intelligenda ſit.

459. Potiò fieri poſſe, quod interuenientibus variis Doctorum opinionibus, vna earum à principiis intrinſecis ſit euidens, & oppoſita improbabilis, multis exemplis oſtendi poteſt. Et pro re præſenti ſufficit meminiſſe, Alexandrum VII. damnaſſe quadragintaquinque propoſitiones (relatas *diſp.* 9. *cap.* 20.) quæ etiam ante damnationem à principiis intrinſecis erant improbabiles, & certò falſæ; ideò enim vt ſcandaloſas damnauit Alexander VII. & tamen in omnibus iis quæſtionibus reperiebantur Authores pro vtraque parte contradictionis. Non ergo obſtat Authorum varietas, vt vna pars quæſtionis poſſit eſſe à principiis intrinſecis certa, & indubitabilis. Et clariùs adhuc conſtat ex verbis ſequentibus S. Thomæ, qui cùm agat de diuerſitate opinionum oppoſitarum circa poſſidendas plures præbendas, ait: *Aut non habet conſcientiam de contrario, ſed certitudinem.* Supponit ergo poſſe haberi certitudinem, quamvis ſint contrariæ Doctorum ſententiæ circa prædictam materiam.

460.
Certitudo componi nequit cum dubitatione.

Notaui quartò, cùm ponit D. Thomas hypotheſin, in qua quis habeat certitudinem, & incidat in dubitationem, intelligendum eſſe ſucceſſiuè; nam certitudo, & dubitatio componi non poſſunt, cùm certitudo excludat non ſolùm dubitationem, ſed etiam formidinem in oppoſitum. Nec ſatisfacit Baron, dum ait *in loco cit. verſ. Ad iſtius*, [aſſenſum ſpeculatiuum certum ex principiis intrinſecis, poſſe ab extrinſeca authoritate Doctorum laceſſiri, & turbari aliqua dubitatione.] Implicat enim contradictionem, quod etiam ex diuerſis motiuis habeat intellectus aſſenſum certum, ſimul & dubitationem. Dubitatio enim eſt ſuſpenſio aſſenſus in vtramque partem: implicat autem componi aſſenſum cum ſuſpenſione aſſenſus.

461.
Quomodo poſſit oriri dubium practicum ex diuerſitate opinionum

Notaui quintò, poſſe oriri dubitationem practicam ex diuerſitate opinionum, quando ſcilicet quis videns opiniones oppoſitas, dubitat de probabilitate practica alterius earum. Ideò enim dicit S. Thomas, quod ſic dubitans periculo peccandi ſe exponit; nam quoties quis ex dubio committit ſe periculo peccandi, practicè dubitat. Si enim dubitet ſpeculatiuè, & practicè deponat dubium, propter aliquam rationem viro prudenti dignam, nec practicè dubitat, nec periculo peccandi ſe committit. Et hinc patet, D. Thomam non loqui de dubio dumtaxat ſpeculatiuo, quo quis dubitat, vtra ex illis opinio ſit à parte rei vera; quia hoc dubium ſpeculatiuum ratione prudenti deponi poteſt.

Denique notandum eſt id, quod addit in vltima parte periodi: *Aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur, & ſic non committit ſe diſcrimini.* Hypotheſis enim non eſt, cur coarctetur ad caſum, in quo quis habeat certitudinem de honeſtate poſſeſſionis plurium præbendarum; ſed continet etiam caſum, in quo propter diuerſas opiniones habeat probabilitatem de honeſtate eius poſſeſſionis, ita vt ex illis opinionibus adquirat dubitationem practicam. Et ita habens probabilitatem abſque dubitatione, licèt cum formidine, nulli diſcrimini peccandi ſe committit. 462.

Hæc eſt legitima, & genuina explicatio eius periodi D. Thomæ, non quam Baron nobis vult obtrudere abſque probatione, & contra mentem omnium Thomiſtarum, &, quod caput eſt, ipſius Angelici Doctoris. Audienda ſunt verba Vincentij, quibus perperam explicat S. Thomæ textum: [Et cùm S. Doctor quæſtioni reſpondeat his verbis, *Quod agitur contra legem, ſemper peccatum eſſe, quamvis non ſit contra conſcientiam*; interpretari oportet, cùm ita agitur, pugnantibus Doctorum opinionibus. Atque hac reſtrictione adhibita, aſſertio D. Thomæ vniuerſim vera eſt de quocumque iure; quia ea hypotheſi diſſenſionis Doctorum, vix, aut nullo modo, qui deliberat, poteſt ignorantia inuincibili laborare, cùm facile ſit remedium diligentiori, & actiori examine contrariæ ſententiæ, cui adhærendum eſt, quando maiori, pari, aut paulò minori probabilitate cum aduerſa pro libertate pugnabit. Adde, præter adiunctum periculum, quo monetur, ne quid temerè agat, inquiſitione diligentiori curabit hanc ignorantiam: qui enim *quærit ſapientiam, intelligit timorem Domini, & ſcientiam inuenit.* Conſultò igitur, & prudenter P. Mercorus hanc D. Thomæ aſſertionem ita interpretatur: quod agitur contra legem Dei, ſemper eſt peccatum, nec excuſatur ex hoc, quod ſit ſecundum conſcientiam, id eſt, *ſecundum dictamen probabile, & opinatiuum.* Quamdiu enim diſſident opiniones Doctorum de re, licitáne ſit, aut contra legem; numquam poteſt quis eſſe certò conſcius, ſe nihil mali agere: quia ex diſſidio Doctorum ſuboritur aliqua ſuſpicio, & formido erroris.] Huc vſque interpretatio mentis D. Thomæ exhibita à Baron. 463.

Itaque cùm dicit D. Thomas, hominem non excuſari à peccato *ex hoc, quod ſit ſecundum conſcientiam*, interpretatur hæc verba eo modo, quo ſibi opus eſt ad ſuam concluſionem firmandam, ſine vlla alia probatione, ſola authoritate P. Mercori fulcitus, contra authoritatem pluſquam viginti inſignium Thomiſtarum, quos proximè retuli *num.* 453. *&* 454. 464.

Vidimus *n.* 455. explicatam eſſe à D. Thoma *art.* 15. eam periodum obſcuram articuli 13. & apud ipſum non excuſare conſcientiam, quando hæc eſt culpabilis, & vincibilis, & rei, quam poteſt, & tenetur ſcire. Vt ergo Baron oſtenderet rectam eſſe ſuam interpretationem, deberet probare ex aliquo textu S. Thomæ dictamen probabile, & opinatiuum (quod tale eſt propter diſſidentes 465.

Digitized by Google

dentes opiniones Doctorum) eſſe conſcientiam vincibilem, & culpabilem. Quod cùm non præſtet, nihil agit, & ſuper aëre turrim ſuam ædificat.

466. Sed lepidumeſt, quod velit Baron vinci oratione earũ rerum ignorantiam, quas ob incertitudinem humana mens non aſſequitur; quaſi poſtulandum ſit à Deo, vt reuelet nobis obſcura, & incerta, & ad quorum notitiam humanis remediis, & inſtrumentis peruenire non poſſumus. Proponitur nobis ea quæſtio, [An Petrus teneatur reſarcire damnum graue, quod intulit Ioanni cum ſola culpa veniali?] A pluribus annis Doctores circa quæſtionem directam nihil certi inuenire potuerunt, deſperant omnes de euidentia, aut certitudine comperienda iŋ ea quæſtione. Baron autem ſperat à Deo hanc euidentiam, vel poſtulat abſque ſpe impetrandi Sed tamen affirmo, Deum precibus ſollicitandum in iis, in quibus maior lux ſperatur pro notitia rerum agendarum.

467. *Æquiuocatio Vincentij contra Logicam.*

Sed vt videas, cui generi armorum ſubnixus gradiatur in hoc prælium Baron, audi ab ipſo periodum, qua auſpicatur paragraphum vltimum eius articuli ſecundi. [Cùm ab actu ad potentiam conſecutio ſit legitima, concludere licet, Theologorum neminem, nequidem ipſummet Theologorum Principem, poſſe opinionem pro vtilitate probabilem, facere tutam contra legem, quamdiu intra probabilitatis fines continetur nec euadit in neceſſariam. Id enim nunquam factum à D. Thoma, nec tentatum, niſi in his, quæ poſſit argumentis neceſſariò confirmare.]

468. *Ab actu ad potentiam valet, non à negatione actus ad negationem potentiæ.*

Itaque, quia ab actu ad potentiam conſecutio eſt legitima, ſic argumentatur Baron. S. Thomas nunquam fecit tutam opinionem merè probabilem contra legem: ergo S. Thomas illam non poteſt facere tutam, & conſequenter nec Theologorum vllus. Si bona eſt ea argumentatio, etiam hæc erit approbanda: [Chriſtus fide non tranſtulit montes in mare: ergo Chriſtus fide non potuit montes in mare tranſmittere.] Hæc etiam valebit: [Petrus non loquitur: ergo Petrus non poteſt loqui.] Sicut & hæc: [Petrus non ambulat: ergo Petrus non poteſt ambulare.] Quæ conſequentiæ penitus ignorantur à Dialecticis, quia quod non eſt, non ſcitur.

469. Conſulat ergo Baron Dialecticos, & audiet ab illis inter prima Dialecticorum rudimenta, [ab actu ad potentiam eſſe legitimam conſequentiam:] at verò [à negatione actus nullam eſſe conſequentiam ad negationem potentiæ.] Ipſe enim, quaſi vtraque regula vnica ſit, & indiuiſibilis, cùm polliceatur argumentum ab actu ad potentiam, dat nobis argumentum à negatione actus ad negationem potentiæ, & vult hoc poſterius tantidem valere, ac illud prius. Quem reatum contra Dialecticam ſola recantatione palinodiæ poteſt eluere.

ARTICVLVS IV.

Authoritate S. Thomæ vera ſententia firmatur.

470. COgnita, & perſpecta mente S. Thomæ in præcitatis textibus, relinquitur aperta probatio ex ipſius authoritate, qua conſtet, inter opiniones probabiles pro lege & pro libertate non adſtringi nos ad ſequendam opinionem pro lege, ſed licitum eſſe, conſcientiam dirigere ex opinione practicè probabili ſtante pro libertate.

Primò. Nam S. Thomas in incertis, & opinabilibus ſæpe docuit opinionem benigniorem in materia morum, eam quidem ſtantem pro libertate: ergo praxi ſua nos docuit, licere nobis ſtare pro ſententia benigniori, quæ ſtat pro libertate. 471.

S. Thomas ſæpe docet opinionem benigniorem.

Negat antecedens Baron, quia quoties S. Doctor ſequitur opinionem benigniorem, illam argumentis certis extrahit à ſtatu probabilitatis, & ad certitudinem euehit. 472.

Difficilem tamen prouinciam aſſumit, & quam inductione ipſa facile eſt debellare. Primò *in* 1. 2. *quæſt.* 91. *art* 4. *corp.* docet, legem humanam non poſſe præcipere actus internos, atque adeò (quod per euidentem conſequentiam infertur) ſi quando Superiores præcipiant de facto actus merè internos, nos non obſtringi ad obediendum. Et hanc conſequentiam expreſſit S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 104. *art.* 3. *corp.* illis verbis: *Et ideò in his, quæ pertinent ad interiorem motum voluntatis, homo non tenetur homini obedire, ſed ſolùm Deo.* Quæ opinio non ſtat pro lege humana, ſed pro libertate. Et illa quidem non excedit fines probabilitatis, quin imò oppoſitam cenſeo multò probabiliorem, vt conſtabit ex argumentis *diſp.* 25. *cap.* 7. ſubiiciendis. 473.

Laxiorem ſequitur in ea quæſtione. [An ſubditus debeat obedire quoad actus internos?]

Secundò. In ea quæſtione, [An comeſtio electuarij violet ieiunium?] S. Thomas ſecutus eſt partem laxiorem, quæ ſtat pro libertate. Nam 2. 2. *quæſt.* 147. *art.* 6. *ad* 3. ita ait: [Electuaria, etiamſi aliquo modo nutriant, non tamen principaliter aſſumuntur ad nutrimentum, ſed ad digeſtionem ciborum: Vnde non ſoluunt ieiunium, ſicut nec aliarum medicinarum aſſumptio; niſi fortè aliquis in fraudem electuaria in magna quantitate aſſumat per modum cibi.] Et ſimilia verba habet *in* 4. *diſt.* 15. *quæſt.* 3. *art.* 4. Et ſequitur D. Thomas opinionem pro libertate, contra opinionem pro lege. Dicere autem quod hæc opinio eſt pluſquam probabilis, & tranſit ad aliquem gradum certitudinis, abſurdum eſſet. Exiſtimo, eo quidem tempore fuiſſe probabilem, quia non ita clarè conſtabat de intentione legiſlatoris Eccleſiaſtici de iis, quæ præcipuè eduntur propter digeſtionem ciborum. Iam verò ea opinio non eſt probabilis, niſi electuaria ſint veræ medicinæ, & ad ſanitatem aſſumantur, quia iam clariùs innotuit intentio præcipientis. 474.

Laxiorem tenet in ea quæſtione (An comeſtio electuarij violet ieiunium.

Nec te moueat, quod Baron *in libro contra Amadeum Guimenium, pag.* 121. negat, hanc eſſe ſententiam D. Thomæ, dicens: *Notam vterque* (Amadæus, & Diana) *inurit fœdiſſimam, lacrymis eluendam*, ſcilicet D. Thomæ. Nam Baron vult, nos in meridie caligare, dum ea, quæ legimus in editione Romana operum D. Thomæ, ſuadere conatur eſſe aliter, ac ſunt. Vide Amadæum Guimenium *in libello ſupplici cap.* 2. §. 5. 475.

Tertiò. Angelicus Doctor, vt oſtendam alibi, docet, licitum eſſe pauperi grauiter indigenti ſubripere à diuite ea, quibus eget, nempe concurrentibus debitis circumſtantiis ibidem expoſitis. Quæ opinio ſtat pro libertate pauperis; & iuxta plurium ſententiam (& præcipuè Vincentij, qui oppoſitam tuetur *ea diſp.* 1. *ſect.* 4. *art. vlt*) verſatur in materia probabili. 476.

Laxiorem ſequitur pro paupere ſubripiente &c.

Dices, oppoſitam ſententiam eſſe S. Thomæ, vt aliqui affirmant, & probare conantur, aliter verba eius exponentes. 477.

Sed inde vim argumenti non effugies, & inquiro 478.

Eccleſiæ miſcet, & maioris authoritatis eſſe affirmat Patres Eccleſiæ, & antiquos Theologos præ recentioribus. Non enim audet antiquos Theologos ſeorſim à Patribus cum recentioribus componere.

491. Sed quorſum hæc inclamatio Patrum, & Theologorum? Qui ſunt iſti Patres Baronianæ concluſionis ſuffragatores? Nam ex ſolo Auguſtino tres textus adduxit, qui ſaltant extra chorum, vt conſtat *ex cap.* 4. *art.* 14. Numquid cæteri Patres compromiſerunt ad ſuffragium eius ſententiæ in eos Auguſtini textus ad hanc rem minimè pertinentes? Nam etſi conpromiſerint, tam patum ſuffragabuntur, ac illi textus Auguſtini. Numquid cæteri ſcholaſtici compromiſerunt in Antonium, & Caietanum, dubios huius ſententiæ ſuffragatores? Qui quamvis compromiſerint, tam dubia ſuffragia dabunt, atque compromiſſarij.

492. Nam vel Vincentius arguit, vel declamat. Si arguit, probet, oſtendatque nobis qui Patres, qui ſcholaſtici, quibus verbis, quibuſve in locis eam ſententiam affirment. Si verò declamat, ad populum vadat, eaſque deferat phaleras, quas Caramueli obiiciebat.

493. Arguit tamen, & probare adhuc conatur, omnes vniuerſim Theologos antiquos contradicere ſententiæ de quauis opinione practicè probabili deligenda. Nam hæc ſententia in eo cardine vertitur, quod in omni opinione probabili datur ignorantia inuincibilis iuris naturalis: at hanc nulli Theologi admittunt poſſibilem.

494. Sed iterum poſtulo, vt non referat Theologos gregarim, ſed aſſignet nobis, qui, quibus in locis, & qualibus verbis id dicant. Præcipuè cùm nullum poſſit dare Theologum antiquum, qui dixerit, in nullum ruſticum cadere poſſe ignorãtiam inuincibilem iuris incerti, & obſcuri, & earum quæſtionum, in quibus vix ingenioſi Theologi diſcurrunt probabiliter. Quis antiquus Theologus negauit ignorantiam inuincibilem de apicibus iuris naturalis, circa quos locum habent opiniones probabiles?

495. Iam verò ſolùm reſtat exponere, qua ratione antiqui Theologi noſtræ ſententiæ patrocinentur. Et quidem qua parte dicimus, licitum eſſe ſectari opinionem minùs probabilem ſtantem pro libertate contra legem, pauci Theologi ex antiquis citari poſſunt pro, vel contrà; quia vix vnus, vel alter quæſtionem tetigit. Nam qui citauerit eos antiquos, qui dixerunt, ſemper in dubiis ſequendam eſſe partem tutiorem, debet priùs probare, idem eſſe dubium, ac opinionem probabilem, vel nihil ſua priſcorum citatione præſtabit.

496. *Omnes antiqui in aliquibus quæſtionibus tenent partem laxiorem.* At verò qua parte propugnamus, licitum eſſe in conflictu opinionum probabilium deſerere opinionem, quæ ſtat pro lege, & ſequi opinionem, quæ ſuffragatur libertati, ne vnum quidem Theologorum dabis, qui huic parti ſuffragium ſuum non adiiciat; quia omnes ad vnum huiuſmodi opiniones ſæpè propugnant. Vide priſcos Theologos in ea quæſtione, quæ inquirit, [An liceat habere ſimul plures præbẽdas?] vel, [An teneatur elector confer. e beneficium digniori?] & in multis ſimilibus, vt ſuperſedeam ab eis quæſtionibus, in quibus docuerunt multa pro libertate, quæ iam hodie ſunt euidenter improbabilia; v. g. quod non teneamur ſub mortali Sacrum audire, ieiunium ſeruare, & reliqua Eccleſiæ præcepta adimplere.

R.P. Ioan. de Carden. Criſis Theolog.

CAPVT VII.

Secundum argumentum à definitione opinionis probabilis.

Secundum argumentum pro communi ſententia eſt: Qui operatur prudenter, non peccat: ſed qui operatur ex opinione probabili (benè intellecta) operatur prudenter: ergo qui operatur ex opinione probabili non peccat. Conſequentia ligat, quia ſyllogiſmus eſt in ſecundo modo primæ figuræ. Minor conſtat ex definitione opinionis probabilis, quam dedi *diſp.* 1. 497. *Qui ſequitur opinionem probabilem, operatur prudenter.*

498. Maiorem probo. Is, qui peccat, non operatur prudenter; (nam quæ maior imprudentia? quidve magis lumine naturæ notum?) ergo euidens eſt hæc conſequentia, *Petrus peccauit: ergo non operatus eſt prudenter.* Sed bene valet ab oppoſito contradictorio conſequentis ad oppoſitum contradictorium antecedentis: ergo bene valet, *Petrus operatus eſt prudenter: ergo Petrus non peccauit.* Ergo qui operatur prudenter, non peccat.

499. Negat Baron minorem, & totus eſt in neganda definitione. Aitque eam adinuentam à quibuſdam recentioribus, contra communem ſenſum. Ita *diſp.* 1. *ſect.* 2. *art.* 2. §. 2. *&* *diſp.* 2. *ſect.* 5. *art.* 3. §. 3. & paſſim alibi.

500. *Iterum confundit Baron quæſtionem directam cum reflexa.* Eam impugnat primò. Quia toto cælo diſtat iudicium probabile à iudicio prudenti; dantur enim multæ opiniones probabiles, quæ prudentes non ſunt: malè ergo definitur opinio probabilis. Antecedens verò multis probat. Nam probabile eſt, valere baptiſmũ in aliqua forma conſueta; & tamen non operabitur prudenter Parochus, qui illam vſurpabit. Et probabile eſt, hoc pallium eſſe Petri, etſi minùs probabile; & tamen non operabitur prudenter iudex, qui iuxta eam opinionem probabilem ius dixerit. Et ſic in ſexcentis aliis exemplis.

501. *Iterum inclamat SS. Patres, & expoſtulat de contemptu eorum.* Vbi iterum declamat Baron, & inclamat Sanctos Patres Eccleſiæ, nempe §. *ſeq.* eo quod, vt ipſe refert, P. Horatius Fabri dixerit, hanc materiam de probabilitate potiùs à recentioribus Theologis, quàm à veteribus addiſcendam eſſe, qui ferè eam non attigerunt. Exclamat autem his verbis: [At quis ferat, iſta dici de his, quæ ad legem diuinam, ſeu naturæ, ſeu gratiæ pertinent? Quaſi iuris diuini nuperi Theologi conſultiores *Auguſtino, Baſilio, aliiſque ſapientiſſimis Eccleſiæ Doctoribus.* Quis credidiſſet, iſta in contemptum præteritorum ſæculorum aliquando dictum iri?]

502. Quis hæc audiens non credat, referri à Vincentio teſtimonia meridie clariora pro opinione ſua ex *Auguſtino, Baſilio, aliiſque ſapientiſſimis Eccleſiæ Doctoribus*? Et tamen ne vnum quidem textum adducit ex Baſilio, ne vnum quidem ex aliquo ſapiẽtiſſimorum Eccleſiæ Doctorum, prætetquam ex Auguſtino tres textus, quos minimè ad rem eſſe, demonſtratum eſt ſuprà *cap.* 4. *art.* 14.

503. Impugnat ſecundò. Vitioſa enim eſt definitio, ſi non contineat notiones communes iis omnibus quibuſcum diſputandum eſt: quare cùm etiam de hac materia diſputandum nobis ſit cum ethnicis philoſophis, nempe de probabiliore Religione eligenda, & ſimilibus; definitio probabilitatis continere debet notiones ipſis etiam communes, qualis non eſt prudentia iudicij.

504. Impugnat tertiò. Quia contra myſteria Fidei militant graues difficultates, quæ propterea rationes

Digitized by Google

probabiles dicendæ ſunt, cùm tamen non ſint prudentes; neque enim operabitur prudenter, qui ex earum ductu operabitur.

505. Sed hæ impugnationes inanes ſunt ex eo præcipuò capite, quòd non calluit Baron legitimam reſponſionem; quam iuxta ſua principia exhibere debuiſſet, etiam admiſſa noſtra definitione, mox proponendam. Et quidem primam impugnationem nullius momenti eſſe, ex *cap.* 4. per plures eius articulos clarè conſtat. Nititur enim in praua intelligentia probabilitatis. Nam ex ibi dictis conſtat, etſi res probabilitatis ſit, quod Baptiſmus cum aliqua forma non conſueta ſit validus; non tamen eſſe rem probabilitatis, quod liceat Parocho vti ea forma, cùm fateatur Baro, improbabile eſſe, quod Parochus illa vti licitè poſſit. In quo Baron, & nonnulli alij peccant, eo quod in materia probabilitatis non diſtinguant quæſtionem directam à reflexa, de qua diſtinctione dixi *cap.* 4. *art.* 2. Quod in reliquis exemplis dicendum eſt.

Non callet Baron rem probabilitatis.

506. Nec magis vrget ſecunda impugnatio. Tum quia ſi ethnici Philoſophi ſapientes ſint, probabilitatem practicam in ordine ad mores, quam pro re præſenti definimus, non aliam poſſunt agnoſcere, quàm quæ oritur in materia incerta ex fundamentis grauibus, quæ in ordine ad operationem digna ſunt viro prudente, vt ex mox dicendis conſtabit.

507. *Probabilitas contra certitudinem eſt chimærica.*

Sed & multò minoris momenti eſt tertia impugnatio. Nam probabilitas, quæ ſtat contra certitudinem, chimærica eſt, vt apertè demonſtraui *cap.* 4. *art.* 12.

508. Contra reſponſionem autem Vincentij ſic arguo. Debet enim admittere veritatem noſtræ definitionis; & ſi non admittat, peius ei conſultum eſt. Dixi *veritatem noſtræ definitionis:* quia quamvis non admittat vt primam ſpeciem modi ſciendi logici, debet admittere tanquam propoſitionem veram.

509. *Duo prædicata eſſentialia opinionis probabilis.*

Pro cuius claritate præmitto primò, duo prædicata eſſentialia opinionis probabilis ab omnibus admitti, ſcilicet eſſe *incertam*, & *niti fundamento graui*, ſiue grauiter impellente ad aſſenſum. Quoad primum attinet, conſtat inter omnes in materia certa non habere locum probabilitatem, reſpectu eius intellectus, cui certa eſt. Nam vel ipſo Vincentio admittente, probabilitas affert formidinem partis oppoſitæ, certitudo autem omnem formidinem expellit. Si enim dicas, intellectum eſſe certum, & adhuc formidare, nugas agis. Secundum etiam prædicatum eſſentiale probabilitatis admittit Vincentius, ſicut & omnes Theologi, & Philoſophi. Fundamentum enim probabile tale eſt, vt licèt non extorqueat aſſenſum (quod eſt proprium motiui certi) impellat tamen grauiter ad illud.

510. *Praua definitio Probabilitatis traditur à Baron.*

Præmitto ſecundò, peſſimam eſſe definitionem probabilitatis, quam tradit Vincentius in priori loco, *citato* §. 3. *Probabile ergo dicimus, cuius cùm de veritate, aut falſitate, pro noſtra ignorantia, & rei inevidentia, nihil certò nobis conſtet, aliquam veriſimilitudinem habet, cui aſſenſum damus formidoloſum, ne fortè falſum ſubſit.* Diſplicet primò, quia ſimilitudo veri poteſt latiſſima extenſione ampliari: & ſi quis velit argumentum ſophiſticum ſimile vero appellare, difficilè conuinces: & multa ſunt euidenter falſa, quæ habent ſpeciem veri. Nec me deterret, quod Academici ita definirent probabilitatem, cùm in materia probabilitatis adeò delitauerint, qualiter videbis apud Auguſtinum in libris contra Academicos. Diſplicet ſecundò. Nam ſi propriè loquendum eſt, ſola propoſitio falſa poteſt eſſe veroſimilis, cùm ſimilitudo non verſetur niſi inter res realiter diſtinctas; vnde opinio, quæ à parte rei verè eſt, non eſt ſimilis vero, ſed ipſum verum. Tum ſic. Propoſitio probabilis poteſt eſſe vera: ergo poteſt eſſe non veroſimilis, cùm vera, & veroſimilis realiter diſtinguantur.

Iam verò illum, qui operatur ex opinione probabili, operari prudenter, quæ erat minor primi ſyllogiſmi propoſiti initio huius capitis, ſic oſtendo. Nam in rebus obſcuris, & incertis ille operatur prudenter, qui ducitur rationibus grauiter impellentibus, & ſuadentibus, operationem eſſe honeſtam: ſed qui operatur ex opinione probabili (nempe correſpondente quæſtioni directæ, vel reflexæ, in qua verſatur operatio, vide *cap.* 4. *art.* 2.) ducitur rationibus grauiter ſuadentibus, operationem eſſe honeſtam: ergo qui operatur ex opinione probabili, operatur prudenter. 511.

Qui ſequitur opinionem probabilem, operatur prudenter.

Confirmatur. Nam qui eſt dubius de honeſtate operationis, imprudenter aget, ſi ſe ad alterutram partem ſine ampliori deliberatione velit proiicere; ſi autem dubium deponat ex ratione aliqua vrgente, inclinante in hanc partem, iam non aget imprudenter: ſed qui operatur ex opinione probabili, dubium deponit ex ratione vrgenti, quam affert ea opinio, inclinante in eam partem: ergo ille non operatur imprudenter. 512.

Dixi *num.* 508. ſi Baron non admittat definitionem noſtram, peius illi conſultum iri. Nam ſi nomine probabilitatis intelligimus ea, quæ cùm incerta ſint, ſunt prudenter operabilia, ipſe autem aliud diuerſum intelligit; ſanè dum impugnare pergit ſententiam noſtram, aliam probabilitatem impugnat ab ea, quam nos tradimus: debellat ergo hoſtem fictum, & aërem verberat. 513.

Cùm Baron aliter definit, pugnat in incertum.

Nec dicas, me incidere in eandem foueam, quam Vincentio effodi, qui etiam eius definitionem reiicio. 514.

Intercedit enim magnum diſcriminis chaos. Tum quia ego non impugno probabilitatem eius, ſed certitudinem, qua vult nos conſtringere ad opinionem ſtrictiorem contra libertatem in quacumque materia obſcura, & incerta. Tum quia ipſe in aliis locis admittit prædicata eſſentialia opinionis probabilis, quæ nos exigimus, nempe incertitudinem, & fundamentum grauiter impellens ad aſſenſum. Quibus prædicatis ſuppoſitis, contra eius ſententiam recto tramite & ſolido armorum genere militamus. 515.

Dixi denique, exhibendam à me reſponſionem legitimam eius argumenti, quam iuxta ſua principia tradere debuiſſet Baron, etiam admiſſa definitione, quæ eius ſententiæ, ſi talia principia ſubſiſtant, nihil officit. Apud ipſum enim conflictus duarum opinionum aduerſarum paris, aut ſupparis probabilitatis, non generat niſi dubium practicum, ratione cuius tutior pars eligenda eſt. Deinde apud ipſum, in eiuſmodi opinionibus argumenta vnius partis eneruant, & deſtruunt omninò vim, & efficaciam argumentorum partis oppoſitæ; atque adeò in eo conflictu prædictæ opiniones ſe mutuò eneruant, & pereunt. 516.

Non calluit Barō reſponſionem, quam iuxta ſua principia exhibere debuit.

Hinc fit, iuxta ea principia, vel diſtinguendam 517.

eſſe

Digitized by Google

eſſe minorem. Nam qui operatur ex opinione probabili, ſtante ex aduerſo alia opinione paris, vel ſupparis probabilitatis, non operatur prudenter, eo quod qui operatur cum dubio practico, non operatur prudenter; ſecus ſi contra eam opinionem non ſtet alia ſimilis probabilitatis. Vel concedendum eſſe, eum, qui operatur ex opinione probabili, operari prudenter; negandumque, eam opinionem remanere probabilem, contra quam ſtat altera opinio ſimilis probabilitatis: nam licèt quælibet ſeorſim ab alia ſit probabilis, at illæ collatæ inter ſe, ambæ amittunt probabilitatem, quia mutuò ſe perimunt.

518. His tamen reſponſionibus, etſi meliori Dialectica, & conſequentia conſtructis, non deterreor ab hac ſententia, quam certam exiſtimo: & ab illis me expediam, & argumentum huius capitis inconcuſſum manere oſtendam, dum certum eſſe monſtrauero, ambo ea principia eſſe certò falſa, quod in ſequentibus capitibus præſtabo.

CAPVT VIII.

Tertium argumentum, ex eo quod opiniones mutuò aduerſantes excludant rationem dubij practici.

519. *Ex dubio practico oritur obligatio eligendi partem tutiorem.*

TErtium argumentum eſt. Obligatio ſequendi ſtrictiorem, & tutiorem partem, oritur ex dubio practico: ſed in quæſtione iuris, vbi ſunt opiniones verè probabiles, etiam mutuò aduerſantes, deficit dubium practicum: ergo vbi ſunt opiniones verè probabiles, etiam mutuò aduerſantes, deficit obligatio ſequendi partem ſtrictiorem, & tutiorem. Conſequentia patet, quia ſublata radice obligationis, tollitur obligatio. Maior certiſſima eſt, nec negatur ab aduerſario, qui multis in locis hanc obligationem ſequendi partem ſtrictiorem, probat ex eo, quod in dubiis, quæ ſunt circa praxim, tutiorem partem ſequi obſtringamur.

520. *Vbi eſt dubiū practicum, non remanet vera probabilitas.*

Minor verò probatur. Si ex conflictu opinionum probabilium reſultaret neceſſariò dubium practicum, in prædictis opinionibus inter ſe collatis non remaneret probabilitas; quin imò vtralibet ad conſpectum alterius amitteret ſuam probabilitatem: atqui vtralibet retinet ſuam probabilitatem, etiam ad conſpectum alterius: ergo ex conflictu illarum non reſultat dubium practicum. Conſequentia eſt legitima ad normam argumentationis, quam Dialectici efformant in propoſitionibus conditionalibus.

521. Maiorem admittit Baron *diſput. 2. ſect. 2. art. 2. paragr. 6. verſ. Ad hanc*, vbi ita ait: [Si iura vtriuſque partis ſint in hoc paria, vt ambæ habeant eandem veriſimilitudinem, certè intellectus, qui iudicis loco ſedet, malè pronuntiabit, vnam partem veriorem eſſe altera; aut, quod deterius, ſi veram vnam, alteram dicat eſſe falſam.] Quod *ibid.* latè proſequitur, & *paragr. 7. verſus medium*, ſic ait: [Reſpondeo ad primum, has opiniones probabiles dici aptitudine potiùs, quàm actu, quatenus poſſunt ingenerare ſui aſſenſum intellectui, niſi probabilioris, & oppoſitæ aſſenſu fuerit præpeditus, vel niſi pares probabilitate pugnent, & ſibi ſint impedimento.] In cuius confirmationem multa verba adducit. Confirmat autem exemplo ſtateræ, quæ inter æqualia pondera hæret in æquilibrio. Quando ergo intellectus eſt neceſſariò dubius inter rationes vtrimque æqualiter, aut ferè æqualiter probabiles, vis vnius probabilitatis eſt, vt elicere tur aſſenſus, caſu quo ab oppoſita probabilitate non impediretur.

Quod autem vtralibet opinio aduerſa retineat ſuam probabilitatem, etiam ad conſpectum alterius; quæ erat Minor præcedentis ſyllogiſmi, probatur ex dictis *cap. 4. art. 8.* vtique ab experientia reflectente ſupra duas opiniones aduerſas reſpicientes praxim. Theologus enim ſapiens videns diſcuſſum vtriuſque opinionis, vtrumque approbat, vtriuſque rationes humanæ menti, & iudicio hominis prudentis accommodas cenſet. 522.

In opinionibus æquè probabilibus, etiam mutuò collatis, perſiſtit probabilitas.

Sed euidentiori adhuc experientia idem oſtenditur. Nam de facto in conflictu opinionum oppoſitarum nullus Theologus eſt, vel fuit, qui alicui opinioni ſtanti pro libertate non præſtiterit aſſenſum: ſed incredibile, ideóque moraliter impoſſibile eſt, quod ea iudicia omnium Theologorum temeraria ſint, & abſque fundamento: ergo etiam in eo conflictu opiniones oppoſitæ retinent fundamentum probabilitatis ſufficiens ad impellendum aſſenſum Theologorum. Itaque videmus, magnos, & ſapientes Theologos, libratis hinc inde rationibus in materia obſcura & topica, vni parti ſtanti pro libertate aſſentiri: ergo vel in ea opinionum collatione inueniunt fundamentum ad talem aſſenſum, vel non inueniunt. Si primum: ergo ea opinio ſtans pro libertate, etiam collata cum oppoſita, retinet fundamentum probabilitatis. Si ſecundum: ergo ei parti aſſentiuntur temerè, & abſque fundamento. Quod in omnibus intellectibus Theologorum concedere, temerarium eſt. 523.

Si ex collatione opinionum amittitur probabilitas, omnes opiniones Theologorum ſunt temeraria.

Quod verò omnibus Theologis ita contigerit, inductione conſtat. Nam S. Thomas relatus *cap. 6 art. 4.* in materia merè topica, libratis vtriuſque partis rationibus cenſuit, non teneri ſubditum obedire Superiori circa actus internos imperanti: ergo non obſtantibus rationibus partis oppoſitæ inuenit in ſua opinione fundamentum probabilitatis; atque adeò iſtud non fuit eneruatum per rationes partis oppoſitæ. Et ſic de reliquis exemplis propoſitis *in eo art. 4.* 524. S. Thomas.

S. Auguſtinus relatus *cap. 6. art. 4.* in ea controuerſia de honeſtate iuramenti cum D. Hieronymo inita, quæ pro eo tempore erat materia obſcura, conſideratis rationibus Hieronymi adhæſit ei parti, quæ ſtat pro libertate: ergo rationes Hieronymi tunc temporis probabiles, non auferebant ſuam probabilitatem rationibus Auguſtini; quandoquidem his impulſus Auguſtinus huic parti adhæſit. 525. S. Auguſt.

Similiter Hieronymus in controuerſia de honeſtate ſimulationis in rebus aliàs licitis, conſideratis argumentis Auguſtini, & viſis eius ſcriptis, adhæſit parti, quæ ſtat pro libertate: ergo Hieronymus, collatis argumentis vtriuſque partis, adhuc in ſuis rationibus inuenit ſufficiens fundamentum aſſentiendi ſuæ opinioni: ergo rationes Auguſtini collatæ cum rationibus partis oppoſitæ eneruabant has, neque harum probabilitatem adimebant. 126. S. Hieron.

Si inductio protrahenda eſſet per omnes Theologos, tempus, & charta deficerent. Quis eſt Theologus, qui in materia morum topica, & obſcura, aliquando non dixerit aliquam actionem eſſe licitam, non obſtantibus rationibus partis 127.

Nullus eſt Theologus, qui aliquando non teneat partem benigniorem.

V 4 oppoſitæ

oppoſitæ? Omnes igitur Theologi, quotquot exiſtunt, & extiterunt, inuenerunt fundamentum probabilitatis in parte quæſtionis benigniori, quin eius partis probabilitatem, & vim impulſiuam aſſenſus deſtruerent rationes oppoſitæ, aut mentem eius Theologi relinquerent hæſitantem, & ſuſpendentem aſſenſum.

527. *Theologi reſoluunt vnam partem independenter ab eo, quod pars tutior ſit ſeligenda.*

Sed ne hoc argumentum limitemus ad opiniones benignas, quæ ſtant pro libertate, ſciendum eſt, illud etiam habere vim reſpectu opinionum ſtrictiorum, quæ ſtant pro lege contra libertatem. Theologi enim, cùm quæſtiones morales tractant, & reſoluunt pro lege contra libertatem, frequentiùs eas reſoluunt à principiis directis, & independenter ab eo principio reflexo de tutiori parte in dubiis tenenda. Quare ſi in vna quæſtione topica morali rationes vtriuſque partis ſe adeò debilitant, vt ſolùm relinquant dubium intellectum, non poterit à principiis directis reſolui ea quæſtio pro lege, cùm ambæ partes contradictoriæ ſe mutuò perimant, & omninò eneruent: ergo rationes directæ, quæ ſtant pro lege contra libertatem, manent eneruatæ per rationes, quæ ſtant pro libertate contra legem. Atqui id eſt manifeſtè falſum, cùm omnes Theologi frequenter à principiis directis reſoluant pro parte, quæ fauet legi contra libertatem: ergo in iis principiis directis inueniunt fundamentum probabilitatis, etiam dum ea principia directa conferuntur cum principiis directis partis oppoſitæ.

Theologi reperiunt fundamentum ad aſſertionem abſolutam in ratione probabili collata cum aduerſa.

528. Confirmatur primò. In ea quæſtione [An ſit mortaliter illicitum commutare officium feriale in officium Aſſumptionis B. Mariæ?] diuiduntur Theologi, & libratis hinc inde rationibus vtriuſque partis, alij tenent partem affirmatiuam vi iſtarum rationum, alij tenent negatiuam vi illarum; neutri ſuſpendunt intellectum, vel manent conſtituti ſub dubio. Ergo in opinionibus, quæ ſunt paris, aut ſupparis probabilitatis, rationes vtrimque collatæ non pariunt neceſſariò dubium, ſed impellunt ad aſſenſum; quandoquidem vi illarum rationum de facto hi Theologi in hanc partem, illi in illam inclinant & aſſentiuntur. Quod argumentum de omnibus opinionibus moralibus, quæ ſtant pro lege, & contra legem, efformari poteſt.

529. Nec ſatisfacies, ſi dicas Theologos vni parti adhærere, quia ea ſibi proponitur vt probabilior; & per eum exceſſum, quo vna ſuperat aliam, impelli ad aſſenſum, & deponere dubium.

530. Nam hæc reſponſio non eſt ad rem. Ait enim Baron, quando opiniones ſunt non ſolùm æquales in probabilitate; ſed etiam quando vna eſt paulò maioris, vel paulò minoris probabilitatis, ſi conferantur inter ſe, non producere aſſenſum prudentem, ſed dubitationem; & ſolum poſſe producere aſſenſum prudentem, quando vna infinitis partibus ſuperat in probabilitate oppoſitam ſtantem pro lege contra libertatem.

531. Confirmatur ſecundò. Nam in quæſtionibus, quarum vna pars ſtat pro lege contra libertatem, & altera pro libertate contra legem, vel motiua vtrimque probabilia inter ſe collata producunt neceſſariò dubium, vel poſſunt etiam producere probabilem aſſenſum condiſtinctum à dubio. Si primum: ergo errarunt omnes Theologi, quotquot in orbe litterario huc vſque extiterunt, cùm coacti neceſſariò ad dubitandum, prodierunt in reſolutionem vnius partis à principiis directis, & independenter ab eo principio reflexo de tutiori parte ſeligenda. Si verò producere poſſint probabilem aſſenſum condiſtinctum à dubio, fit quod motiua probabilia inter ſe collata non ſe mutuò eneruant omninò, nec relinquunt intellectum adactum ad dubitandum, ſed ita comparatum, vt vi rationum probabilium poſſit dubitationem deponere.

532. Vel ergo Baron falſum dicet, vel errarunt omnes Theologi, quotquot in materia morū probabili, & hinc inde controuerſa, adhęſerunt vni parti ex principiis directis condiſtinctis ab eo principio reflexo de tutiori parte in dubiis ſeligenda. Errarunt ergo Suarius, Vaſquius, Sanchez, Leſſius, Molina, Baſilius Ponze, Nauarrus, Bañez, Sotus, cæterique magni nominis Theologi, qui in probabilibus ſuas reſolutiones non produxerunt dumtaxat ex eo principio reflexo de tutiori parte in dubiis amplectenda, ſed ex aliis principiis directis, quæ cùm principiis partis aduerſæ elidantur, non relinquunt ſufficiens fundamentum probabilitatis, vt Theologi reſoluant, ſi verum eſt, quod rationes vtriuſque partis hinc inde collatæ relinquunt neceſſariò dubium, & hæſitantem intellectum; qui ſi procedat ad iudicium vi earum rationum, temerè procedet. Quæ omnia cùm ſint euidenter falſa, relinquitur, quod intellectus non manet neceſſariò dubius, ſed cum ſufficienti vi impulſiua ad præſtandum aſſenſum vni parti, non obſtantibus rationibus partis aduerſæ, ſiue æqualis, ſiue paulò maioris, aut minoris probabilitatis.

533. *Inter opiniones, quarum vna excedit aliam, non remanere neceſſariò dubium, demonſtrat munus Iudicis.*

Sed & alio argumento conuinco, rationes probabiles in quæſtione iuris hinc inde pugnantes, non ſe mutuò deſtruere, nec relinquere rem in ſtatu meri dubij. Etenim ſecundum Baron, iudex ex munere ſuo tenetur ferre ſententiam ſecundum opinionem probabiliorem: ergo cùm vna opinio probabilior eſt, & altera minùs probabilis, cauſa non manet in ſtatu meri dubij. Patet conſequentia. Nam quando cauſa remanet in ſtatu meri dubij, non poteſt Iudex ferre ſententiam, niſi dumtaxat pro reo, ob illam iuris regulam, quod in dubiis ſemper fauendum eſt reo: ergo licèt cauſa actoris contineat ius euidenter probabilius, non poterit ſtare pro actore; quandoquidem ius eſt dubium, quoties intra metas probabilitatis, aut probabilioritatis paulò maioris, vel minoris continetur. Cùm ergo euidens ſit, poſſe Iudicem ſententiam ferre ſecundum ius probabilius, euidens eſt, maiorem probabilitatem non relinquere cauſam in ſtatu meri dubij, quamvis ex oppoſita parte militent rationes valde probabiles, paulò minoris probabilitatis.

534. *An quando vtrimque par eſt probabilitas, poſſit Iudex rem vni adiudicare.*

Dices: quando ius eſt vtrimque æquè probabile, non poteſt Iudex rem alteri parti adiudicare, quando duo actores eam poſtulant, vt multi Doctores affirmant: ergo quando ius eſt vtrimque æquè probabile, ius eſt dubium; atque adeò rationes vtriuſque partis mutuò collatæ non pariunt probabilitatem, ſed dubium.

535. *Si non poteſt, id non eſt ratione dubij, ſed ratione æqualitatis ſeruanda.*

Reſponderi poſſet primò negando antecedens cum multis aliis Doctoribus. Sed reſpondeo ſecundò, omiſſo antecedenti, negando conſequentiam. Eſt enim magnum diſcrimen inter hoc, & præcedens argumentum. Nam ex eo, quod ius ſit dubium, rectè infertur, quod Iudex in tali iure dubio non poſſit rem alteri parti adiudicare.

At

Digitized by Google

At verò ex eo quod Iudex non poſſit in cauſa paris probabilitatis rem adiudicare alteri actori, non colligitur ius eſſe dubium. Id enim, iuxta Authores eius ſententiæ, non prouenit ex eo, quod ius ſit dubium, ſed ex eo quod ius ſit vtrimque æquale: aſſeruntque, ad hoc vt Iudex poſſit rem vni adiudicare, debere iſtum actorem eſſe ſuperiorem in iure.

536. Tertio item argumento milito contra Baron, illo quidem ad hominem, vt oſtendam rationes vtrimque paris, aut ſupparis probabilitatis non ſe inuicem deſtruere, ſed vtraſque manere in ſuo gradu probabilitatis; etenim rationes, vel difficultates, quæ militant contra veritates Fidei Catholicæ, eſſe rationes probabiles, etiam collatas cum motiuo Fidei, vel etiam cum motiuis moraliter euidentibus credibilitatis eius, aſſerit Baron *diſp.* 2. *ſect.* 4. *art.* 1. & retuli ſuprà *cap.* 4. *art.* 12. quæ difficultates, ***ſiue rationes probabiliſſimæ, id eſt, fortiſſimæ, penè cogunt ad diſſentiendum*** à veritatibus Fidei: ergo prædictæ rationes collatæ cum motiuis firmiſſimis Fidei, non amittunt ſuam vim impulſiuam ad aſſenſum: ergo neque rationes probabiles collatæ cum aliis rationibus paris, aut ſupparis probabilitatis, amittunt ſuam vim impulſiuam ad aſſenſum. Conſequentia eſt euidens: nam maiorem vim habet certitudo, quàm probabilitas, ad deſtruendam probabilitatem partis oppoſitæ: ſed certitudo motiuorum Fidei Catholicæ non deſtruit vim impulſiuam actualem probabilitatis oppoſitæ, cùm hæc probabilitas oppoſita ***penè cogat ad diſſentiendum*** à veritatibus Fidei: ergo multò minùs probabilitas rationum par, aut ſuppar deſtruet vim impulſiuam rationum probabilium partis oppoſitæ. Vide infrà *cap.* 12. *in argumento.* 11.

CAPVT IX.

Quartum argumentum deſumptum ab ignorantia inuincibili.

537. *Dupliciter contingit ignorantia, vel cum diſpoſitione ad dubitandum, vel ſine illa.*

MEnte retinenda ſunt ea, quæ de ignorantia inuincibili dixi ſuprà *c.* 3. *art.* 3. Ex his enim dependent ea, quæ in præſenti dicenda ſunt. Et quod ad præſens inſtitutum attinet, prænotandum eſt, duplici modo contingere ignorantiam. Primò, vt per errorem, ſibi tanquam omninò certum proponatur obiectum falſum, neque vlla ratio dubitandi, aut deliberatio ad concipiendum dubium occurrat: quo pacto ignorantiam eſſe phyſicè inuincibilem, adeóque inculpabilem, nemo eſt, qui ambigat. Secundò, ita vt, quamvis intellectus ignoret verum, v.g. putando fornicationem eſſe licitam; detur tamen in intellectu ſufficiens diſpoſitio actualis ad dubitandum: & tunc ea ignorantia ſolet eſſe vincibilis, quatenus reſolui poteſt in dubium practicum, in quo quantumvis inuincibili per ſcientiam (id eſt, quantumvis de eo obiecto non poſſit haberi ſcientia) tenemur ad tutiorem partem ſectandam.

Ignorantia vincibilis reſoluitur in dubium practicum.

538. *In omni opinione eſt ignorantia.*

Deinde in omni opinione probabili eſſe ignorantiam, ſaltem lato modo, indubitabile eſt, cùm de eſſentia opinionis probabilis ſit incertitudo, ratione cuius incertitudinis ille, qui habet opinionem probabilem, non ſcit, quæ pars ex duabus contradictoriis ſit à parte rei vera.

539. *Iuris naturalis poteſt dari ignorantia inuincibilis.*

Præterea tam iuris naturalis, quàm poſitiui dari poſſe ignorantiam inuincibilem, ſi non quoad prima principia rerum moralium practicabilium, ſaltem quoad apices iuris: ſunt enim res obſcuriſſimæ, & quas vix ipſi Theologi ingenioſi intelligunt. Vidi ſæpè multos indoctos putare licitum mendacium pro vita hominis protegenda, aut pro fama nobilis fœminæ retinenda; idque ita firmiter credere, vt nulla in eis eſſet diſpoſitio ad dubitandum.

540. *Ignorantia inculpabilis eſt, quam quis non poteſt, vel non tenetur vincere.*

Iam verò duplici via hoc argumentum inſtruo pro noſtra ſententia. Primò. Tunc datur ignorantia inculpabilis, adeóque inuincibilis, quando homo vel non poteſt, vel non tenetur talem ignorantiam vincere: ſed ignorantiam, quæ datur in opinione practicè probabili, homo non tenetur vincere: ergo ignorantia, quæ datur in opinione practicè probabili, inculpabilis eſt, adeóque inuincibilis. Excuſat ergo à peccato ea ignorantia, quæ eſt in omni opinione practicè probabili; atque adeò vſus cuiuſcumque opinionis practicè probabilis eſt licitus. Ambæ conſequentiæ patent.

Maior patet ex ipſa nominis notione, quam deſumpſerunt Theologi à S. Thoma *quodlib.* 8. *art.* 15. illis verbis relatis ſuprà *cap.* 6. *art.* 3. ***Error autem conſcientiæ, quandoque habet vim abſoluendi, ſiue excuſandi, quando ſcilicet procedit ex ignorantia eius, quod quis ſcire non poteſt, vel ſcire non tenetur.*** Et ſicut illud verbum, ***ſcire non poteſt***, intelligitur de impoſſibilitate vel habendi ſcientiam, vel reſoluendi ignorantiam in dubium practicum, in quo pro parte tutiori ſtandum ſit; eodem modo intelligitur illud aliud, ***vel ſcire non tenetur:*** quod etiam intelligendum eſt de defectu obligationis vel ad habendam ſcientiã, vel ad reſoluendã ignorantiam in ſimile dubium practicũ. 541.

Et huius ratio eſt euidens. Nam ignorantia non poteſt eſſe culpabilis, ſi homo non poteſt phyſicè vincere illam: neque poteſt eſſe culpabilis, ſi non habet obligationem illam vincendi. Eſt enim certiſſimum, excuſari hominem à peccato tam per defectum obligationis, quàm per defectum poſſibilitatis phyſicæ. 542.

543. *Quomodo ignorantia inculpabilis explicetur per impoſſibilitatem vincendi illam.*

Quia tamen hæc nomina, ***vincibilis***, & ***inuincibilis***, ſignificant poſſibilitatem, & impoſſibilitatem vincendi illam; aliunde autem ignorantia vincibilis eadem ſit, atque culpabilis; & inuincibilis eadem, atque inculpabilis; ideò Corduba, & P. Vaſquez relati *cap.* 3. *art.* 3. ignorantiam inuincibilem, & in ea defectum poſſibilitatis, & defectum obligationis explicuerunt per defectum poſſibilitatis adhibendi diligentiam debitam ad vincendum eam ignorantiam: nam eo ipſo quod non adſit obligatio vincendi, datur impoſſibilitas adhibendi diligentiam debitam ad vincendum illam.

544. *Non teneatur quis vincere ignorantiam, quæ eſt in opinione probabili.*

Quod verò ignorantiam, quæ datur in omni opinione practicè probabili, homo non teneatur vincere (quæ erat minor prioris ſyllogiſmi) oſtenditur. Etenim eatenus teneretur homo vincere ignorantiam, quæ eſt in qualibet opinione probabili ſtante pro libertate, quatenus deberet illam ignorantiam reſoluere in dubium, in quo oporteret tutiorem partem amplecti: at ſtante præfata opinione probabili, homo non debet reſoluere eam ignorantiam in prædictum dubium: ergo ſtante præfata opinione probabili, homo non tenetur vincere eam ignorantiam. Maior eſt aduerſariorum.

Minor

Digitized by Google

557. Et quidem communis eſt ſententia Theologorum, quando quis dubius eſt de obligatione legis, ſi poſt diligentiam debitam adhuc manet ſpeculatiuè dubiùs, prædictam legem non obligare. Ita P. Th. Sanch. *lib.* 1. *ſum. cap.* 10. *num.* 32. & apud ipſum P. Suarez *tom.* 5. *in* 3. *part. diſp.* 40. *ſect.* 5. *num.* 15. P. Henriquez *lib.* 8. *de Euchar. capite* 45. *num.* 3. *in comment. litt. P.* & P. Sà *verb. Dubium, num.* 2.

Vbi eſt dubiũ ſpeculatiuum de lege, hac non eſt ſufficienter intimata.

558. Pro charitate ergo huius rei aduerte, quandoque verba legis non eſſe adeò clara, & in obſcuritate eorum reperiri fundamentum dubitandi; quandoque verò verba legis per ſe eſſe clara, & ex ratione probabili aliunde quæſita oriri dubitationem, aut incertitudinem obligationis. Exemplum primæ partis eſt in lege pœnali, cuius verba non afferunt manifeſtè obligationem conſcientiæ: & in illa ſufficit ea incertitudo, vt intelligatur non eſſe ſufficienter propoſita tanquam obligatoria conſcientiæ.

559. Exemplum ſecundæ partis eſt in lege præſcribente verbis præceptiuis, vt in Officio Canonico ſeruetur omninò ordo Breuiarij Romani: quæ verba adeò clara ſunt pro obligatione recitandi in vnaquaque die Officium ipſi deſtinatum, vt niſi alia ratio probabilis aliunde accedat, is ordo tanquam certò præceptus, & obligatorius exiſtimandus ſit, & tanquam claré, & manifeſtè intimatus. Si verò ex aliquo principio probabili ratio aliqua grauis, & prudens afferatur contra legem, vt abſque culpa mortali fieri poſſit commutatio vnius Officij in aliud, ea ratio probabilis id præſtat, vt lex incerta ſit quoad hunc effectum non permittendi, abſque reatu culpæ mortalis, fieri eam commutationem.

560. Itaque quando verba legis obſcura ſunt, & dubia, ipſa dubitatio, quæ perſiſtit etiam poſt adhibitam diligentiam debitam, ſufficit vt cenſeatur lex nondum ſufficienter propoſita. Quando verò verba legis in ſua ſuperficie, & tenore clara ſunt, non ſufficit qualiſcumque dubitatio, vt lex cenſeatur inſufficienter propoſita, ſed requiritur ratio probabilis, & prudens, quæ militet contra obligationem legis: & hac inuenta, incerta manet obligatio legis, adeóque lex non cenſetur ſufficienter, ſiue manifeſtè propoſita; quia id non eſt manifeſtum, contra quod militat fundamentum viro prudenti dignum.

Quando verba legis ſunt obſcura, ſufficit dubium, vt cenſeatur non ſatis propoſita.

Quando verba legis clara ſunt pro obligatione, non ſufficit dubiũ contra legem.

561. Hinc ſatisfit obiectioni propoſitæ, & expeditum remanet argumentum pro noſtra aſſertione propoſitum. Nam licèt aliquando ſufficiat merum dubium de obligatione legis, vt cenſeatur non ſufficienter propoſita, aliquando tamen talis eſt conditionis, vt cenſeatur ſufficienter propoſita, dum apparuerit ratio prudens in contrarium. Quando autem in contrarium militat ratio prudens, hæc reddit legem incertam, & non manifeſtò propoſitam. Quæ autem non eſt manifeſtò propoſita, ligare non poteſt ſubditi libertatem.

***

CAPVT XI.

Duo alia argumenta ab abſurdis, quæ oriuntur ex oppoſita ſententia.

Sextum argumentum eſt. Nam ex ſententia Fagnani, & Baron ſequitur, quod ille, qui cum ſola culpa veniali damnum intulit graue ſegeti Ioannis, teneatur, & non teneatur illud reſarcire: implicat ergo ſeipſam prædicta ſententia. Prima pars antecedentis patet. Nam in eo conflictu duarum opinionum probabilium, ille, qui ſic damnum intulit, ſecundum eos Authores debet ſtare pro opinione, quæ militat pro lege contra libertatem: ſed opinio præſcribens reſtitutionem, militat pro lege contra libertatem: ergo ad illam reſtitutionem tenetur. 562.

An iuxta oppoſitam ſententiam quis teneatur, & non teneatur ad reſtitutionem.

Alteram verò partem contradictionis, quod ſcilicet ille non teneatur ad reſtitutionem, ſic oſtendo. Ioannes, qui damnum paſſus eſt, vt ſatisfactionem recipiat, verſatur etiam in eodem conflictu opinionum probabilium: nam ſententia, quæ docet, ex ſola culpa veniali eſſe reſtituendum, docet, Ioannem poſſe recipere ſatisfactionem; & ſententia, quæ damnificatorem abſoluit à ſatisfactione, propter culpam venialem, præſcribit, Ioannem non poſſe recipere emolumentum reſtitutionis: ergo iuxta eos Authores tenetur Ioannes ſequi partem tutiorem. Atqui pars tutior reſpectu Ioannis eſt, non recipere compenſationem damni: ergo tenetur Ioannes ad illam non recipiendam. Sed implicat, quod Petrus teneatur ſoluere Ioanni id, quod Ioannes recipere non poteſt: ergo Petrus non tenetur reſarcire damnum, quod intulit cum ſola culpa veniali. Tenetur ergo Petrus, & non tenetur. 563.

Lædenti tutius eſt reſtituere, & læſo tutius eſt non accipere.

Hoc argumentum, etſi in vno ſingulari caſu propoſitum, latiſſimè diffunditur per totam materiam iuſtitiæ, & per omnes opiniones probabiles, quæ in ea materia circumferuntur circa ius vnius contra alterum, in quibus debitor ſemper tenebitur ſoluere, vt tutiorem partem ſequatur; & creditor tenebitur non recipere, vt id, quod tutius eſt, amplectatur. Ad quod tam vniuerſale abſurdum, quis non cauſabitur. 564.

Hæc ratio diffunditur per omnes opiniones in materia iuſtitia.

Septimum argumentum eſt. Vnuſquiſque in propria cauſa gerere ſe debet adinſtar Iudicis ius dicentis, vt ſæpè clamat Vincentius: ſed Iudex non tenetur ius dicere ſecundum opinionem tutiorem, ſed ad ſummum ſecundum probabiliorem, quando aliqua ſibi proponitur vt probabilior; ergo neque priuatus homo debet amplecti opinionem ſtrictiorem, & tutiorem, quæ quandoque eſt minùs probabilis, vt ipſe Baron fatetur. Sanè maiorem, & minorem admittit Baron: vide ergo quàm obſtrictus maneat ad conſequentiam admittendam. Vide hoc argumentum fuſiùs perpenſum *capit.* 4. *articul.* 11. *num.* 352. 565.

Iudex non tenetur ius dicere ſecundum ſtrictiorem, ſed ſecundum probabiliorem.

Inde demonſtratur concluſio.

Sed vrgentius adhuc Iudicis iuriſdictio nobis miniſtrat argumentum: etenim ſi Iudex Vincentij doctrinam amplectatur, quamcumque ſententiam ferat ex iure probabili, contra ius naturale ſententiam ſuam feret: quo quid abſurdius excogitari poteſt? Inferri autem patet: etenim ius 566.

Iudex quamcumque ferat ſententiam, aduerſabitur iuri naturali.

Digitized by Google

ius naturale præſcribit reo, ſecundum Baron, vt ſoluat actori, pro ſecuriori ſuæ conſcientiæ regimine: & ius naturale præſcribit actori, vt tutiorem partem ſequatur; atque adeò, vt inter probabilia conſtitutus non recipiat rem à reo creditore. Si ergo rem adiudicat reo, cooperatur peccato eius non ſequendi partem tutiorem, cùm tutius ſit reo ſoluere, quàm retinere. Si rem adiudicat actori, cooperatur peccato actoris, qui vt tenetur tutiorem viam inire, ita & deſerere ius dubium.

567. Dices, ob eam ipſam incompoſſibilitatem, teneri Iudicem ad ius probabilius, & non ad tutius.

568. Sed hæc reſponſio manifeſtè redarguitur. Nam ſecundum Baron, probabilitas maior, aut minor, duarum opinionum relinquit materiam in ſtatu meri dubij: atqui nefas eſt, cùm ius eſt merè dubium, rem vni parti (ſaltem actori) adiudicare: ergo nefas eſt, cùm ius eſt probabilius, rem vni parti (ſaltem actori) adiudicare. Et clariùs lucet hæc argumentatio, ſi loquamur in caſu, quo ambo litigantes ſint actores, contendentes pro iure ad rem. Tunc enim paulò maior probabilitas iuris relinquit cauſam in ſtatu meri dubij, ſecundum Vincentium: in caſu autem meri dubij contra ius, & fas operatur Iudex, ſi rem vni parti adiudicet.

CAPVT XII.

Ex multiplici aſſertionum incompoſſibilitate ſententia conuincitur.

569. *Admittit vſum probabilitatis abſque certitudine, quam requirit ad prudentiam.*

OCtauum argumentum ſic inſtruo. Secunda concluſio Vincentij, relata *cap.* 2. *n.* 23. incompoſſibilis eſt cum aliis eius principiis: ergo præfata ſententia ſeipſam implicat, & deſtruit. Antecedens probatur; docet enim, tunc licitum eſſe vſum opinionis probabilis, quando pro vna parte contradictionis militant argumenta probabilia, pro oppoſita verò argumenta leuia, vel nulla. Hæc autem aſſertio incompoſſibilis eſt cum doctrina, quam tradit *diſp.* 2. *ſect.* 2. *art.* 2. nempe dictamen prudentiæ eſſe debere certum: prudentia enim, inquit, *eſt perfectiſſima virtus; imò & forma virtutum omnium moralium; quæ proinde debet certò, & infallibiliter attingere ſuum obiectum.* Et ex hoc capite reiicit vſum opinionum probabilium ſe mutuò aduerſantium, quia prædictæ opiniones nullam afferunt certitudinem moralem, qua quis dictamine certo, vt exigit prudentia, conſcientiam ſuam poſſit dirigere.

570. *Opinio non colliſa rationibus oppoſitis, caret certitudine.*

Sed quis non videt, Baron hac ſua doctrina ſuæ ſecundæ concluſioni relatæ bellum indicere? Etenim, quamvis opinio aliqua non habeat contra ſe argumenta probabilia partis oppoſitæ, adhuc non egreditur fines probabilitatis, quin imò intra illos continetur: ergo non pertinet ad certitudinem, quam, ſecundum præfatum Authorem, ſibi vindicat prudentia.

571. Dices primò, probabilitatem vnius partis, dum rationibus partis aduerſæ non colliditur, tranſire in certitudinem, atque hoc modo pertinere poſſe eam probabilitatem ad dictamen prudentiæ.

572. Id tamen aſſertum eſſe planè falſum, demonſtraui *diſp.* 4. *cap.* 10. aduerſus Caramuelem id propugnantem. Deinde quia Baron, ſibi ipſi aduerſatius, expreſsè docet, opinioni, quæ nullis aduerſæ partis argumentis colliditur, nullam ineſſe poſſe certitudinem. Ita *diſp.* 2. *ſect.* 2. *art.* 2. *paragr.* 2. illis verbis relatis ſuprà *cap.* 4. *art.* 5. [Opinio probabilis ſtans pro libertate, poteſt attendi, vel *ſecundum ſe, & ſolitariè*, vel collata cum opinione aduerſa, æquè, aut magis probabili: atqui *neutro ſtatu poteſt habere certitudinem illam moralem*, quam conſcientiæ, & prudentiæ vindicauimus, vt neceſſariam ad rectam operationem.]

573. Dices ſecundò, quamvis opinio, quæ nullis aduerſantibus argumentis oppugnatur, ipſa in ſe ſit probabilis, dari tamen dictamen certum præſcribens, licitè dirigi conſcientiam per eiuſmodi opiniones.

574. Sed ſi hæc reſpondeat Vincentius, implicat magis doctrinam ſuam. Nam, vt aſſerit in loco proximè citato, *art.* 3. *paragr.* 2. *Probabilitas reflexa non eſt motiuum, aut principium diſtinctum ab ipſomet motiuo probabilitatis. Quid enim aliud eſt, quàm aſſenſus formidoloſus rei probabilis.* Et quidem Vincentius non calluit modum certitudinis, quem noſtra ſententia ponit in vſu opinionis probabilis. Nos enim diſtinguimus has propoſitiones. Primam, *licet pingere in die feſto*; quæ pictori proponitur vt probabilis. Secundam vniuerſalem, *licet vti quavis opinione probabili*: quæ quidem, ex dictis in proximè ſuperioribus capitibus, eſt omninò certa. Tertiam ſingularem contentam in vniuerſali, *licet vti hac opinione probabili de pictura exercenda in die feſto*: quæ etiam certa eſt, cùm euidenter contineatur in ſecunda, vt latiùs dixi *cap.* 4. *art.* 5. ſupponimus enim tanquam certum, eam opinionem eſſe probabilem.

575. Cæterùm cùm Vincentius non agnoſcat aliam certitudinem reflexam præter ipſum *aſſenſum formidoloſum rei probabilis*, vt conſtat ex verbis proximè relatis, compertum fit, opinionem, quæ argumentis partis oppoſitæ non oppugnatur, non poſſe generare aſſenſum niſi probabilem: nec ex illa poſſe comparari certitudinem, quæ ad dictamen prudentiæ requiritur.

576. *Cùm vtraque opinio paris probabilitatis ſtat pro officio, caret certitudine.*

Nonum argumentum eſt. Docet enim Baron tertia concluſione relata *cap* 2. *num.* 26 liberum eſſe vſum probabilitatis in quamcunque malueris partem, cùm vtraque opinio ſtat pro officio, & honeſto, & vtraq; eſt paris probabilitatis. Infero: ergo etiã licet vſus cuiuſvis probabilitatis, etiam eius quæ ſtat pro libertate contra legem. Probatur conſequentia. Ideò enim hæc non licet, ſecundum Baron, quia nemo poteſt regere conſcientiam, niſi ex dictamine certo prudentiæ, quod reperiri non poteſt circa opinionem merè probabilem: ſed quando vtraque opinio ſtat pro officio, & honeſto, & vtraque eſt paris probabilitatis, non poteſt dari dictamen prudentiæ certum; certitudinem enim non agnoſcit Baron circa opiniones probabiles: ergo etiam quando vtraque opinio paris probabilitatis ſtat pro officio, & honeſtò, non licet eo dictamine regere conſcientiam: vel ſi circa hanc probabilitatem reperit Vincentius certitudinem reflexam, poterit reperire circa opinionem, quæ ſtat pro libertate.

577. *Alia aſſer-*

Decimum argumentum conficitur ex alia incompoſſibilitate doctrinæ. Ait enim Baron, tunc licitum

Digitized by Google

icitum eſſe, ampleɛti opinionem probabilem pro libertate contra legem, quando magno exceſſu probabilitatis ſuperat opinionem, quæ eſt pro lege contra libertatem. Id autem principiis eius repugnare oſtendo: etenim opinio, quæ non tranſilit metas probabilitatis, nec peruenit ad gradum certitudinis, non poteſt producere diɛtamen illud certum, quod prudentia requirit ad licitè operandum. Cùm autem Vincentio non ſit alia menſura certitudinis ad diɛtamen prudentiæ, quàm quæ deſumitur ex ipſa opinione direɛta (non autem à cognitione reflexa) & hæc opinio, quamvis longo exceſſu probabilior, non pertingat ad certitudinẽ; adhuc non habet opinio totum, quod requiritur ad certitudinem diɛtaminis prudentiæ: vel ſi hæc opinio longè probabilior poteſt participare certitudinem in praxi ab alia cognitione reflexa, præſcribente, quod licitum eſt operari cum ea opinione longè probabiliori; etiam hæc opinio practicè probabilis, quando non ſuperat, vel non æquat oppoſitam in probabilitate, poterit reduci ad praxim cum eo diɛtamine certo præſcribente, licitum eſſe vſum cuiuſcumque opinionis practicè probabilis.

CAPVT XIII.

Triplex alia aſſertionum incompoſſibilitas ſententiæ oppoſitæ.

578. *Summa alia inconſequentia doɛtrinæ.* VNdecimum argumentum eſt, quod tetigi ſuprà *cap. 8. fin.* Etenim ſumma eſt inconſequentia doɛtrinæ, hæc duo admittere: & quod probabilitas rationum vnius partis deſtruatur, & eneruetur per probabilitatem rationum partis oppoſitæ; quod docet Baron *diſp. 2. ſeɛt. 2. art. 2. paragr. 6.* & retuli *cap. 4. art. 7.* & *cap. 8.* & quod certitudo motiuorum Fidei Catholicæ, & credibilitatis eius non extinguat, neque eneruet probabilitatem rationum, & difficultatum, quæ militant contra veritates Fidei Catholicæ; quæ quidem ſecundum Baron, *penè cogunt ad diſſentiendum* à veritatibus Fidei.

579. Etenim ſi exemplo ſtateræ videtur ſibi conuincere Baron, lancem rationibus probabilibus vnius partis depreſſam, eleuari, & ad æquilibrium redigi pondere aliarum rationum probabilium, quæ oppoſitam lancem onerant; quantò magis ſi alteram lancem teneant difficultates, & rationes probabiles, quæ militant contra veritates Fidei, & motiua Fidei, & credibilitatis eius certiſſima, in altera lance conſtituta, vehementer præponderabunt, facientque, pondus alterius lancis leuiſſimum reputari. Nam pondus duarum librarum contra mille, leue eſt.

580. Reſpondet Baron *diſp. 2. ſeɛt. 4. art. 1. paragr. 1.* in hæc verba: [Ea verò admiſſa probabilitatis definitione, tres aduerſariorum reſponſiones (proximè relatæ) à nobis adhiberi poſſunt, poſito noſtro principio inconcuſſo, *ex opinionibus probabilibus tutiorem eſſe eligendam; & probabilitatem toto genere diuerſam à ſecuritate.* Iis duobus conſtitutis, reuerà bonæ, & ſanæ menti leuia ſunt, & in ſpeciem, non reipſa, multò minùs prudenter, & tutò probabilia quæcumque nos dimouent à ſaniori pro ſalute, pro officio opinione. Sed Caramueli, Stubrochio, & illis, qui hæc duo principia negant, non poſſunt non eſſe, ne dicam probabilia, ſed etiam inſuperabilia huiuſmodi argumenta;] nempe quæ militant contra prouidentiam, Diuinitatem, immortalitatem animæ, Decalogum, & ſimilia.

581. Aſſerit itaque Baron, rationes contra Fidem Catholicam, eſſe leues, ſi ea duo principia admittantur de tutiore opinione ſeligenda, & de diſtinguenda opinione probabili à tuta & prudenti: ſi verò hæc duo principia non admittantur, rationes militantes contra Fidem Catholicam eſſe grauiſſimas, & inſuperabiles.

582. *Fidei certitudo abſorbet difficultates oppoſitas, independenter ab alio principio.* Sed afferamus iterum in medium ſtateram, & in vna lance pendamus argumenta Lutheri, & in altera certitudinem Fidei Catholicæ, & euidentium motiuorum credibilitatis eius; ſupponamuſque, in hac ſtatera nihil attendi ad tutiorem opinionem eligendam, neque ad diſtinguendam, vel non diſtinguendam opinionem probabilem à tuta, & prudenti. Sanè in intelleɛtu Catholici firmiſſimè, & inſuperabiliter inhærente veritatibus Fidei, motiuum infallibile Fidei ita præponderat momentis Lutheri, vt independenter à quolibet alio principio, momenta illa reputet leuiſſima, & nullatenus ad eliciendam concluſionem attendenda. Abſorbet ergo certitudo Fidei omnem vim impulſiuam, quam ad aſſenſum oppoſitum afferunt argumenta Lutheri independenter à quolibet alio principio. Non eget aliis adminiculis Fides Catholica, vt practicè extinguat fallacia tela in illam contorta. Ego ſanè indignum exiſtimo, ne dicam temerarium, quod requirantur ad vim Fidei inſuperabilem ſupra omnes contrarias difficultates, alia principia, quæ tam longè ab omnium Theologorum mentibus exulant.

583. Redarguitur ſecundò prædiɛta reſpõſio. Quando motiuum A, impoſſibilitat aſſenſum, ad quem inclinat motiuum B, nulla remanet probabilitas motiuo B; idque independenter à quolibet alio principio: ſed motiuum Fidei Diuinæ, v.g. ad aſſerendum Deum Trinum, & Vnum, impoſſibilitat aſſenſum oppoſitum, ad quem inclinat motiuum hæreticale: ergo in hoc motiuo hæreticali inclinante ad aſſenſum oppoſitum myſterio Trinitatis, nulla remanet probabilitas, independenter à quolibet alio principio. Conſequentia eſt ineuitabilis.

584. Maior oſtenditur. Nam, vt bene valet ab oppoſito contradiɛtorio conſequentis ad oppoſitum contradiɛtorium antecedentis; ita id, quod impoſſibilitat conſequẽs, impoſſibilitat antecedens: ſed aſſenſus eſt conſequens, & motiuum eſt antecedens, vnde is aſſenſus infertur: ergo ſi motiuum A, impoſſibilitat aſſenſum, impoſſibilitat etiam vim motiui inclinantis ad aſſenſum, quod eſt antecedens reſpeɛtu illius aſſenſus. Aufert ergo motiuum A, vim illatiuam motiui B; atque adeò aufert probabilitatem illius, quæ in ea vi illatiua, ſeu impulſiua conſiſtit.

585. Minor verò eius ſyllogiſmi patet. Qui enim firmiter cognoſcit Trinitatis myſterium à Deo reuelatum, qui eſt infinitæ veracitatis, impoſſibile eſt quod aſſentiatur obieɛto oppoſito. Si enim is intelleɛtus componeret hæc duo, & Trinitatis myſterium à Deo infallibilis veracitatis Authore reuelatum, & adhuc Deum non eſſe trinum, componeret contradiɛtoria, nempe falſitatem poſſe reuelari ab infallibili veritate. Patet ergo, motiuum Fidei Diuinæ tale eſſe, vt impoſſibilitet aſſenſum oppoſitum, ad quem inclinat motiuum hæreticale,

Digitized by Google

hæreticale, idque independenter à quolibet alio principio.

586. *Repugnat intellectum eſſe certum de vno, & de oppoſito formidare.*

Redarguitur tertiò. Impoſſibile enim eſt, quod intellectus circa duo obiecta contradictoria cogitans, de vno ſit certus, & de altero formidet. Nam ſicut ex duobus contradictoriis, ſi vnum eſt contingens, alterum etiam debet eſſe contingens; ita ſi vnum cognoſcitur vt contingens, alterum debet etiam vt contingens cognoſci. Qui autem formidat de vno obiecto, cognoſcit, contingens eſſe, vt obiectum aliter ſit; in hoc enim conſiſtit formido, iuxta dicta ſuprà *diſp.* 5. *cap.* 3. ergo obiectum contradictorium debet cognoſci vt contingens. Atqui ille, qui contradictorium cognoſcit tanquam contingens ſit, quod aliter fiat, de vtroque obiecto formidat: ergo non poteſt de vno obiecto certus eſſe, & de altero formidare.

587. Sed motiuum Fidei Diuinæ excludit formidinem partis oppoſitæ: ergo etiam motiuum oppoſitum caret formidine, nec potens eſt ad actum formidoloſum mouere in ſenſu compoſito cum priori motiuo.

588. Confirmatur. Cùm intellectus cognoſcit euidenter veritatem, impoſſibile eſt, quod oppoſitum motiuum habeat aliquam efficaciam, etiam formidoloſam: ergo cùm cognoſcit certò veritatem, impoſſibile etiam eſt, quod oppoſitum motiuum habeat aliquam efficaciam, etiam formidoloſam. De antecedente nemo dubitat. Conſequentia autem, etſi ab ea videatur diſſentire Vincentius, euidenter tamen infertur. Etenim infallibilitas motiui eſt tota ratio expellendi formidinem de veritate, aut falſitate contradictorij, ex eo enim quod nititur intellectus motiuo infallibili, firmiſſimè, & abſque formidine aſſentitur: ſed non minor infallibilitas ineſt motiuo Fidei Diuinæ (imò multò maior) quàm motiuo euidenti: ergo dum intellectus cognoſcit certò veritatem, etiam abſque euidentia, impoſſibile eſt, quod motiuum oppoſitum adducat aliquam formidinem, ſiue efficaciam formidoloſam; idque independenter à quolibet alio principio.

589. *Implicat, quod ex duabus contradictoriis, vna ſit certa, & altera incerta.*

Redarguitur quartò. Repugnat, quod ex duabus contradictoriis vna ſit certa, & altera incerta, vt demonſtraui *diſp.* 4. *num.* 6. ergo repugnat, quod circa duo contradictoria detur in intellectu motiuum certum vnius, & motiuum incertum alterius. Conſequentia patet. Nam motiuum certum infert concluſionem certam, & motiuum incertum infert concluſionem incertam: ſi ergo vnum motiuum eſſet certum, & alterum incertum, vna propoſitio ex contradictoriis eſſet certa, & altera incerta.

590. Itaque ſi in intellectu catholici, in quo eſt motiuum certum, & infallibile pro hac propoſitione, *Deus eſt trinus*, eſſet etiam motiuum efficax incertum pro hac, *Deus non eſt trinus*; reſpectu eius intellectus eſſet certitudo de Trinitate, & incertitudo de negatione Trinitatis: vnde ſi vellet ferre iudicium modale de vtraque propoſitione, aſſereret, *Deum eſſe trinum eſt certum:* item, *Deum non eſſe trinum eſt incertum.* Quæ iudicia ita repugnat componi in eodem intellectu, ſicut repugnat, alteram ex contradictoriis eſſe certam, & alteram incertam.

591. *Alia doctrinæ implicatio.*

Duodecimum argumentum continet aliam doctrinæ implicationem; etenim Baron *diſp.* 2. *ſect.* 2 *art.* 2 §. 5. verbis relatis ſuprà *cap.* 4. *art.* 6. *num.* 244. quæ oportet reproducere, ait: [Probat (Fagnanus) differre iudicium de probabilitate, & veritate opinionum ſibi contradicentium, quòd iudicium de probabilitate ſit euidens, de veritate ſit formidoloſum, & obſcurum. *Illud quiſquis habet, etiam de vtraque contradictoria, neutram ſequi poteſt.*] Attende poſtremam hanc periodi clauſulam. Iuxta quam ſi pictor dicat, *Probabile eſt, quod exercere picturam in die feſto, eſt illicitum*; neutram partem ſequi poteſt, & peccabit ſequendo etiam tutiorem, niſi proferat apud ſe propoſitionem abſolutam ſic: *Illicitum eſt exercere picturam in die feſto.*

Iam verò id eſſe euidenter falſum, & expreſſè contradictorium doctrinæ Fagnani, & Vincentij Baron, clariſſimè patet. Nam in quolibet dubio practico tenemur ſequi partem tutiorem, vt & ipſi aduerſarij ſæpiùs affirmant: ad dubium autem practicum non eſt neceſſe affirmare propoſitionem abſolutam pro vna parte; imò incompoſſibilis eſt dubitatio cum aſſenſu abſoluto vnius partis, vt demonſtraui *diſp.* 6. ergo abſque propoſitione abſoluta poſſumus ſequi alteram partem, nempe tutiorem: ergo implicant terminos doctrinæ ſuæ, dum aſſerunt; *Illud* (iudicium de probabilitate) *quiſquis habet, etiam de vtraque contradictoria neutram ſequi poteſt.* 592.

Confirmatur primò. Apud ipſos aduerſarios, idem eſt *probabile*, atque *dubium:* ſed in dubio poſſumus, & tenemur ſequi alteram partem, nempe tutiorem: ergo in iudicio de probabilitate vtriuſque partis contradictoriæ (ante quemlibet aſſenſum abſolutum) poſſumus & tenemur ſequi alteram partem, nempe tutiorem. 593.

Confirmatur ſecundò. Pictor, qui non ſe determinat ad aſſentiendum aſſenſu abſoluto alteri parti, verè dubitat: ſed eo ipſo quod dubitet, iuxta aduerſarios, tenetur ſequi alteram partem, videlicet tutiorem: ergo eo ipſo quod non ſe determinet ad aſſentiendum aſſenſu abſoluto alteri parti, tenetur ſequi alteram partem, videlicet tutiorem. Ergo terminos implicant, dum dicunt, teneri pictorem ad aſſentiendum aſſenſu abſoluto ad alteram partem, & non ſufficere ad illam ſequendam iudicium de probabilitate vtriuſque partis. 594.

Tredecimum argumentum continet aliam doctrinæ implicationem. Aſſerit enim Baron, quando vtriuſque opinio ſtat pro officio, & honeſto, & vtraque eſt paris probabilitatis, neque vna continet materiam maioris momenti, quàm altera, penes arbitrium voluntatis ſtare electionem, vt retuli *cap.* 2. *num.* 26. In eo autem ſuæ doctrinæ contradicere oſtendo. Etenim ſecundùm Vincentium idem eſt probabilitas duplicis partis, ac dubium de vtraque. In dubio autem non ſemper licet quamlibet partem aſſumere: ergo neque licet quando vtraque pars eiuſmodi eſt paris probabilitatis. 595.

An non poſſit dari electio, vbi eſt merè dubium?

Minorem propoſito exemplo demonſtro. Ioannes cognoſcit, ſe reum eſſe ſoluendi centum aureos; habet tamen rationes probabiles ſuadentes, eos ſolui debere Petro, & alias æquè probabiles, ſuadentes eos ſolui debere Paulo. In hoc caſu ſi merè dubius eſt Ioannes, cuinam ſoluere teneatur, non poteſt totos centum aureos Petro adiudicare; in dubio enim (quod ſuppono eſſe inuincibile) tenetur diuidere, & vnicuique creditori quinquaginta ſoluere: ergo in eo caſu, ſi merè 596.

Digitized by Google

merè dubium eſt, non licet Ioanni vtramlibet partem eligere.

597. Itaque vel Ioannes poteſt totos centum aureos, cui maluerit, adiudicare, vel tenetur inter vtrumque diuidere. Si primum, id ita erit, quia eſt probabilitas ad vtrumque, ſiue ad quamlibet partem: ergo probabilitas non relinquit rem in ſtatu meri dubij, cùm in hoc ſtatu iniquum ſit totos centum aureos vni eorum ſoluere. Si verò dicas ſecundum, nempe diuidendos eſſe inter vtrumque centum aureos, deficit regula tertia à Vincentio ſtabilita, nempe quando vtraque opinio ſtat pro officio, & eſt paris probabilitatis, *delectum opinionum eſſe arbitrarium*: cùm conſtet in hoc caſu vtramque opinionem ſtare pro officio, vtramque eſſe æqualiter probabilem; & tamen in eo *delectum opinionum non eſſe arbitrarium.*

CAPVT XIV.

Quid dicendum in quæſtione facti?

598. SEd numquid tenetur homo in quæſtione facti ſequi probabiliorem partem? Caramuel inter vtramque quæſtionem non diſtinguit, quin potiùs multis in locis æquo iure cenſet in vtraque. Sed nec video, communiter ab Authoribus diſtingui, cum ſanè oporteret. Conueniunt omnes ad vnum, Iudicem in quæſtione facti ſequi debere probabiliorem partem, & ſententiam ferre ſecundum meliores & fortiores probationes facti: cum tamen in quæſtione facti eadem ſit ratio in priuato homine, quæ in Iudice.

An Iudex in quæſtione facti debeat ſequi probabiliorem.

599. Sit prima concluſio. In quæſtione facti nemo poteſt ſequi partem minùs probabilem, nemo partem æquè probabilem; ſed probabilior eſſe debet, quam ſequatur. Hæc concluſio, ſuppoſitis iis, quæ docui *diſp.6.cap.6.* (nempe inter motiua vtrimque æquè probabilia neceſſariò adeſſe dubitationem in quæſtione facti) manifeſta eſt, & ſolùm eget explicatione. Explicatur autem clariùs exemplo Iudicis, qui pro delicto habet vnum teſtem omni exceptione maiorem, & pro non exiſtentia delicti habet alium affirmatiuum æqualis fidei: qui quidem non poteſt ſe accommodare vtrilibet parti tanquam probabili: cùm ex loco citato conſtet, in eo caſu neceſſariò dubium, non probabilitatem facti interuenire. Quod ſi Iudex habeat pro delicto vnum teſtem probabilis authoritatis, & pro non exiſtentia delicti duos eiuſdem qualitatis affirmatiuos, non poteſt ſequi partem minùs probabilem, ſiue partem vnius teſtimonio fulcitam. Nam, vt dixi *eo cap.6. num.*104. ea pars minùs probabilis collata cum probationibus oppoſitæ partis, nullam producit probabilitatem, quia probabilitas eius partis minùs probabilis minuitur per probationes vrgentiores partis oppoſitæ; vnde fit, Iudicem in quæſtione facti, non niſi probabiliorem partem ſequi debere.

In quæſtione facti nemo minùs, vel æquè probabilem ſequi poteſt.

600. Hinc patet noſtra concluſio. Ideò enim Iudex in quæſtione facti non poteſt ſequi vtramlibet partem æquè probabilem, quia inter motiua vtrimque æquè probabilia neceſſariò hæret dubius intellectus Iudicis; ſed etiam inter motiua vtrimque æquè probabilia in quæſtione facti, neceſſariò hæret dubius intellectus cuiuſlibet priuati, vt conſtat *ex cit. diſp. 6. cap. 6.* ergo quilibet priuatus nequit ſequi vtramlibet partem æquè probabilem, ſiue æqualibus probationibus fulcitam. Item ideò Iudex non poteſt ſequi partem minùs probabilem in quæſtione facti, quia ea pars amittit vim ſuam probandi per probationes fortiores partis oppoſitæ, vt conſtat *ex eo cap. 6. num.* 90. Et cùm ex ibi dictis idem contingat reſpectu intellectus cuiuſlibet priuati, firmum manet, neque hunc poſſe in quæſtione facti partem minùs probabilem amplexari.

Quod ſi neque æquè probabilem, neque minùs probabilem partem ſequi poteſt; claré colligitur, debere eſſe partem probabiliorem, quam amplectaris in quæſtione facti. Sed aduerte, id intelligendum eſſe, vbi pro vtraque parte ſunt motiua ſecundum ſe probabilia. Nam ſi pro vna parte ſit motiuum probabile, & pro oppoſita nullum; manifeſtum eſt, quod non debes ſequi probabiliorem partem, cùm talis pars probabilior non detur. Quomodo autem ſequi poſſis, aut debeas eam partem ſemiplenè probatam in quæſtione facti, vide *diſput.* 46. *cap.*7. *concluſ.*3. 4. & 5. 601.

Sit ſecunda concluſio. Non ſemper teneris ſequi partem probabiliorem in quæſtione facti. Concluſio explicatione eget, videtur enim contradicere priori concluſioni. Et quidem aliquando contingit, quod pars probabilior facti non pertingat ad veram probabilitatem facti, neque ad ſemiplenam probationem. Nam ſi exceſſus probationis huius partis præ alia modicus ſit, non pertingit ad hoc quod faciat fidem probabilem, ſiue probationem ſemiplenam; & ideò res perſiſtit in ſtatu dubij. Ergo partem illam probabiliorem non debes ſequi vt abſolutè probabilem, ſed ex illa gerere te tanquam dubium: v.g. ſi pro vna parte ſtent tres teſtes graues, & totidem æqualis fidei pro oppoſita, & huic accedat puer ſeptennis; hæc pars etſi aliquanto probabilior, adhuc relinquit cauſam dubiam, quia exceſſus eſt modicus. 602.

Quo ſenſu non ſemper tenearis ſequi probabiliorem in quæſtione facti?

Sed caue, ne putes, cùm dicimus, te non debere ſequi partem probabiliorem, aſſeri à nobis, quod potes ſequi partem minùs probabilem. Nam, vt diximus, in eo caſu cauſa manet dubia: atque adeò neutra pars manet hic & nunc probabilis. 603.

Obiicies. Cùm in quæſtione facti teſtimonium vnius fide digni ſtat pro commiſſione delicti, & aliud æquæ fidei ſtat pro reo, Iudex tenetur ſtare pro reo: ergo tenetur ſtare pro vna parte, quando ambæ ſunt æquè probabiles. 604.

Reſpondetur, ideò Iudicem ſtare pro reo, quia in dubio tenetur ſtare pro illo, & abſoluere: non quia probatio pro reo facta contra æqualem probationem in oppoſitum faciat fidem probabilem, aut ſuadeat probabiliter, reum non deliquiſſe. 605.

Cætera argumenta, quæ contra has duas concluſiones obiici poſſunt, ſoluta manent *diſput.6.cap.6.art.*2. 606.

Digitized by Google

CAPVT XV.

An teneatur Iudex ad ferendam ſententiam ſecundum ius probabilius?

ARTICVLVS I.

Pars affirmatiua probatur contractu inito cum Republica.

607. *Quomodo perperam procedant Authores in hac quæſtione?* PRo reſolutione præmitto primò, & ex dictis *cap. 4. art. 2.* infero, non benè procedere Authores, qui aſſerunt, poſſe Iudicem eligere opinionem minùs probabilem, dum probant ex eo, quod ille prudenter procedit, qui vtitur opinione probabili, etiamſi ſit minùs probabilis. Hîc enim non inſtituitur quæſtio directa, [An liceat Petro non reſarcire damnum datum meſſibus Ioannis in circunſtantia minùs probabiliter excuſante?] Tunc enim bene reſoluitur pro Petro, cui opinio, etſi minùs probabilis, fauet. Sed ſupra hanc reflectit quæſtio alia, [An in iſto caſu ex circunſtantia Iudicis à Republica conſtituti ad iudicandum, oriatur obligatio iudicandi ſecundum merita cauſæ, ſiue eligendi opinionem probabiliorem?] Quod aſſertum manifeſtè infertur ex omnibus propoſitionibus *cap. 4. art. 2.* præmiſſis. Itaque vt rectè procedant, debent probare, nullam eſſe legem, nullam oriri obligationem ex munere Iudicis à Republica conſtituti, quæ obſtringat Iudicem ad iudicandum ſecundum merita cauſæ; & dum hoc non probant, nihil agunt, & modum arguendi confundunt.

608. *Qui adminiſtrationem ſuſcipit, tenetur illam promouere quantum poteſt.* Præmitto ſecundò, eum, qui aliquam adminiſtrationem ſuſcipit, non ſolùm ſe obligare ad curandum, ne ſua negligentiâ damnum oriatur, ſed etiam ad promouendum commoda eius, cui inſeruit, quantum commodè poſſit. Hoc tanquam indubitatum notauit P. Leſſius *de iuſt. cap. 32. num. 16.* Nam ſub hoc pacto admittunt omnes domini famulos, miniſtros, adminiſtratores, quibus res ſuas committunt. [Nemo enim (inquit Leſſius) vellet conducere operarium, vel famulum, quem alia mente eſſe putaret.] Idque maximè verum eſt in officiis, & adminiſtrationibus publicis, quæ ad bonum publicum ordinantur: quanto eſt maior obligatio proſpiciendi bono publico, quàm priuato.

609. *Adminiſtrator muneris publici tenetur adminiſtrare meliori modo, quo poſſit.* Præmitto tertiò id, quod infertur ex aſſerto præcedenti, quemlibet publici muneris adminiſtratorem teneri ex contractu ad id, quod diximus, nempe ad promouendum commoda eius, cuius rem adminiſtrat, meliore modo, quo poſſit. Eſt autem contractus innominatus, *do, vt facias:* dicit enim Reſpublica Iudici; *Do tibi honorem, & Magiſtratum, atque ſtipendium, vt iudicium exerceas, & lites dirimas; ſcilicet præcauendo damna, & promouendo commoda Reipublicæ, meliori modo quo poſſis.* Sub quo pacto ille acceptat Magiſtratum.

610. *Adminiſtrator publicus tenetur proſpicere bono publico, meliori modo, quo poteſt.* Præmitto quartò, ſicut commodum, cui debet proſpicere adminiſtrator, cui ſingularis dominus res ſuas commiſit, eſt commodum priuatum ſui domini; ita commodum, cui debet proſpicere adminiſtrator muneris publici, eſt commodum publicum. Vnde fit, quod Iudex à Republica deſignatus, tenetur ex contractu innominato proſpicere bono publico, promouendo bonum publicum meliori modo, quo poſſit.

His præmiſſis ſit concluſio. Iudex tenetur iudicare ſecundum probabiliorem iuris ſententiam, quoties certus moraliter fuerit, in ea lite dari ius probabilius, ſiue quoties ſibi firmiter proponatur vt probabilius. Hæc concluſio eſſe videtur contra Caramuelem, qui *in apolog. de probabilit. num. 85.* conatur probare, neminem obligari poſſe ad probabiliorem ſententiam ſequendam, eo quod impoſſibile eſt diſtinguere ſemper probabiliorem à minùs probabili; Deus autem impoſſibilia non præcipit. 611. *Iudex tenetur dicere ius probabilius.*

Et quidem aliquando eſſe poſſe certum moraliter, quod alia ſententia ſit probabilior aliâ, & admittit Caramuel *in Regul. num. 59.* & ratio conuincit: ſæpe enim manifeſtiſſimum eſt, vnam ſententiam vrgentioribus rationibus, & grauiori authoritate niti præ alia. 612. *Quandoque certum eſt, vnam eſſe probabiliorem alia.*

Probatur concluſio. Iudex ex contractu cum Republica inito, tenetur ita iudicare, vt in ſuo iudicio præcaueat damnum publicum, & proſpiciat bono publico, meliori modo, quo commode poſſit: ſed ſi in eo caſu, in quo certum eſt, dari ius probabilius, non iudicat ſecundum merita cauſæ, ſiue non iudicat ſecundum illud ius, ſed ſecundum ius minùs probabile, non præcauet damnum publicum, nec proſpicit bono publico, meliori modo quo poteſt: ergo in eo caſu, in quo certum eſt, dari ius probabilius, tenetur iudicare ſecundum merita cauſæ, ſiue ſecundum ius probabilius. Diſcurſus legitimus eſt. Maior conſtat ex aſſertis in hoc capite præmiſſis. 613. *Iudex ex contractu tenetur præcauere damna publica, meliori modo, &c.*

Probatur minor. Nam quando manifeſtum eſt, probabilius ius pro vna parte militare, & Iudex iudicio ſuo fauet ei parti, cui eſt ius minùs probabile; publicæ querelæ inſurgunt contra eum Iudicem, qui parti minùs dignæ adhæſit, conclamatur acceptio perſonarum Iudicis, Rempublicam malè ordinatam vociferantur, corruptum muneribus, vel amicitia Iudicem ingemunt; retrahunt ſe homines ab eius iudicio, qui malunt perdere res ſuas, quàm ei homini cauſam ſuam committere. Inde autem diſcordiæ oriuntur, dum vnuſquiſque ſuis actionibus, ſiue iuri ſuo prouidere conatur, vel vexando aduerſarium, vel res illius inuadendo. 614. *Multa damna imminent Reip. ſi Iudex dicat ius minùs probabile.*

Et quidem quando manifeſtum eſt, probabilius ius eſſe vni parti, & Iudex oppoſitæ parti ſuffragatur ſecundum ius minùs probabile; id non latet iuriſperitos: ab his autem ad alios homines iuris imperitos fama protenditur. Ex hac fama querelæ excitantur; ex fama, & querelis oritur, quod homines, vt dixi, iudicium illius Magiſtratus refugiunt. Quantæ autem diſcordiæ oriantur, quando ciues fugiunt iudicium publicum, tum experientia teſtatur, tum etiam manifeſtè colligitur ex eo, quod Reſpublica benè ordinata totis viribus conatur, vt lites dirimantur à Iudice, non ob alium finem, niſi quia ſic publica quies conſeruatur, & aliàs timentur meritò ciuiles diſcordiæ. 615.

ARTICV

ARTICVLVS II.

Secunda ratio, ex eo quod Iudex abdicat à ſe ius eligendi in iudicio opinionem minùs probabilem.

616. *Qui promitit facere quantum poteſt, abdicat à ſe ius probabilitatis.*

PRobatur ſecundò concluſio. Qui iurat, vel promittit facere quantum poteſt pro aliquo munere implendo, abdicat à ſe libertatem ſequendi opinionem probabilem; ita vt teneatur ad eligendam illam opinionem, ſecundum quam verificatur, quod operatur quantum poteſt: ergo qui promittit præſtare munus meliori modo, quo poteſt in ordine ad vtilitatem publicam, abdicat à ſe libertatem ſequendi opinionem probabilem, quantum requiritur, vt verificetur quod præſtat munus meliori modo, quo poteſt, in ordine ad vtilitatem publicam.

617. Hæc conſequentia euidenter infertur ex antecedenti, cùm ea nihil aliud ſit, quàm explicatio antecedentis vberior. Hoc autem conſequens iterum ſubſumo.

618. Et claritatis gratiâ ſic efformo ſyllogiſmum. Qui promittit præſtare munus meliori modo, quo poſſit, in ordine ad vtilitatem publicam, abdicat à ſe libertatem ſequendi opinionem probabilem, quantum requiritur, vt verificetur, quod præſtat munus meliori modo, quo poteſt in ordine ad vtilitatem publicam: ſed Iudex promittit præſtare munus iudicis meliori modo, quo poteſt, in ordine ad vtilitatem publicam: ergo iudex abdicat à ſe libertatem ſequendi opinionem probabilem, quantum requiritur, vt verificetur, quod præſtat munus iudicandi meliori modo, quo poteſt in ordine ad vtilitatem publicam. Maior, vt diximus, infertur manifeſtè ex primo antecedenti. Minor patet ex præmiſſo tertio, & quarto propoſitis *art.* 1. Et conſequentia rectè deducitur.

619. Tum ſic. Iudex abdicat à ſe libertatem ſequendi opinionem probabilem, quantum requiritur, vt verificetur, quod præſtat munus iudicandi meliori modo, quo poteſt, in ordine ad vtilitatem publicam: ſed vt verificetur, quod præſtat munus iudicandi meliori modo, quo poteſt, in ordine ad vtilitatem publicam, requiritur, quod in quæſtione iuris iudicet ſecundum merita cauſæ, ſiue ſecundum ius probabilius: ergo iudex abdicat à ſe libertatem ſequendi opinionem probabilem, vt in quæſtione iuris iudicet ſecundum merita cauſæ, ſiue ſecundum ius probabilius. Et ita ex duabus opinionibus probabilibus, quarum altera dicit, poſſe iudicem iudicare ſecundum ius minùs probabile, & altera debere iudicare ſecundum ius probabilius, Iudex tenetur hanc ſecundam eligere, & prima reſpectu Iudicis erit ſpeculatiuè probabilis, quia accedente prædicta Iudicis promiſſione, tenebitur illa ſuperſedere. Huius autem poſtremi ſyllogiſmi maior eſt conſequens ſyllogiſmi præcedentis, rectè deductum ex præmiſſis. Minor patet *ex art. praced. num.* 613. Et conſequentia eſt rectè deducta.

620. *Princeps, qui promittit defendere Eccleſiam pro poſſe, cedit iuri probabilitatis.*

Primum verò antecedens, ex quo cætera pendent, eſt Caramuelis, qui *in fundamentali Theologia, fund.* 11. *n.* 452. ſic ait. [Princeps, qui iurauerit, promiſeritve, ſe defenſurum Eccleſiam pro poſſe, è duabus probabilibus ſententiis, quarum altera Eccleſiæ conſeruandæ eſſet vtilis, nociua altera, priorem amplecti tenebitur iuramenti vi, quoniã illam amplecti poteſt, & ſupponitur debere facere pro defenſione Eccleſiæ quidquid poſſit.] Itaque dum promittit fauere Eccleſiæ, quantum poſſit, abdicat à ſe libertatem ſequendi alterutram opinionem probabilem; & ideò renetur ſequi illam ſolùm opinionem probabilem, quæ Eccleſiæ fauet, non illam, quæ nocet.

Idem antecedens confirmatur: nam cùm Princeps imponit tributa probabiliter iniuſta & probabiliter iuſta, deſignatque adminiſtratores, & alios miniſtros, eiſque ad eam adminiſtrationem ſtipendium largitur; tales miniſtri dum ſuſcipiunt munus colligendi tributum probabiliter iniuſtum, ſe obligant ad gerendum negotium Regis; neque poſſunt ſequi opinionem de iniuſtitia tributi ad permittendum defraudationem eius tributi. Et ratio eſt, quia ex vna parte tenentur gerere fideliter officium, quod ſuſcipiunt; & ex alia non poſſunt gerere fideliter, niſi amplectendo & ſequendo opinionem de iuſtitia tributi: vnde eo ipſo abdicant à ſe libertatem ſequendi opinionem de iniuſtitia tributi, aut operandi ſecundum illam. Ergo qui ſuſcipit aliquam adminiſtrationem, abdicat à ſe libertatem ſequendi opinionem probabilem, quantum requiritur ad talem adminiſtrationem fideliter exequendam. Ergo qui ſuſcipit munus adminiſtrandi iuſtitiam meliori modo, quo poſſit, abdicat à ſe libertatem ſequendi opinionem probabilem, quantum requiritur, vt adminiſtret iuſtitiam meliori modo, quo poſſit. 621.

Miniſtri vectigalium, quæ ſunt probabiliter iniuſta, pro Rege cedunt iure probabilitatis.

Similiter œconomus, qui adminiſtrat ſtipendio conductus rem familiarem Petri, ad quam Ioannes habet ius probabile, tenetur adminiſtrare illam in fauorem Petri, & nullo modo in fauorem Ioannis. Et ratio eſt, quia dum ſuſcepit Officium œconomi à Petro, obligauit ſe ad adminiſtrandum rem illius in commodum & vtilitatem illius; ideóque abdicauit à ſe libertatem ſequendi opinionem probabilem, quæ faueat Ioanni, & ſit noxia Petro. 622.

Oeconomus Petri cedit iuri probabilitatis, ne ſtet pro creditoribus Petri.

Hæc autem omnia ideò ita ſunt, quia ſicut quilibet poteſt cedere iure ſuo in aliis materiis, ita etiam & in hac ſequendi opinionem probabilem. Cùm autem poſſint licitè cedere iure ſuo, poſſunt promittere, & ſe obligare ad eam opinionem non ſequendam, quam reuerà non tenentur ſequi. Suppoſito autem, quod poſſint obligare ſe ad eam opinionem non ſequendam, & ad munus ſuum fideliter præſtandum, & quod requiratur, quod eam opinionem non ſequantur; fit, quod dum ſe obligant ad id munus fideliter præſtandum, conſequenter ſe obligant ad id, ſine quo fideliter præſtari non poteſt, ſcilicet ad non eligendam talem opinionem, quæ fideli muneris adminiſtrationi aduerſatur; & ad ſequendam illam, quæ requiritur ad ſuum munus fideliter præſtandum. 623.

Poteſt quis ſe obligare ad non ſequendum talem opinionem.

ARTICVLVS III.

Soluitur obiectio, & deciduntur duæ quæſtiunculæ.

DIces, hæc argumenta à nobis propoſita non eſſe euidentia; aliunde autem pro ſententia aſſerente, poſſe Iudicem iudicare ſecundum opinionem minùs probabilem, aſſerunt ſexdecim Authores apud Dianam *part.* 2. *tract.* 13. *reſol.* 3. ergo non obſtantibus propoſitis argumentis probabile eſt, poſſe Iudicem iudicare ſecundùm ſententiam minùs probabilem. 624.

625. *An ſtatuta concluſio ſit certa.*

Reſpondeo, prædicta argumenta proximè propoſita apud me maximè vrgere, qui non video diſcrimen, quare ille, qui aſſumitur à domino rei familiaris ad huius adminiſtrationem, obligetur ex contractu ad adminiſtrandum illam meliori modo quo poſſit; ille autem, qui aſſumitur à Republica, ad hanc ipſam adminiſtrandam, non obligetur ex contractu ſimili. Poſito autem hoc contractu, videtur eſſe conſequentia legitima, quod teneatur Iudex ad ferendum iudicium ſecundum ius probabilius. Aſſero tamen, abſtrahere me in præſenti ab ea quæſtione, an argumenta pro mea ſententia producta, certa ſint, an probabilia, eo quod Doctoribus id reſoluendum relinquo.

626. *Ratio ab aliquibus allata, eſt inſufficiens ad probabilitatem eius opinionis.*

Duo tamen aduerto. Primum, rationem à Doctoribus oppoſitæ partis allatam inſufficientem eſſe ad conferendam probabilitatem ei opinioni. Ratio enim, quæ deſumitur à reſolutione probabilitatis directæ ad reſolutionem probabilitatis reflexæ, nulla eſt, vt conſtat *ex cap. 4. art. 2.* Atqui ratio à Doctoribus partis oppoſitæ allata ſic ſe habet, vt notaui *in hoc cap. art. 1.* Vnde cum obiiciunt: Quilibet prudenter operatur, dum ſequitur opinionem probabilem: ergo Iudex prudenter operatur, dum iudicat ſecundũ opinionem probabilem. Diſtinguo antecedens. Quilibet operatur prudenter [in quæſtione reflexa,] dum ſequitur opinionem probabilẽ [in quæſtione directa,] nego; operatur prudenter [in quæſtione directa,] dum ſequitur opinionem probabilem [in quæſtione directa,] concedo. Eſt quæſtio directa, [An hæc domus ſit Petri?] Eſt quæſtio reflexa, [An Iudex poſſit iudicare ſecundum hanc opinionem probabilem, ſecundum quam hæc domus pertinet ad Petrum?] Non ergo operatur prudenter in quæſtione reflexa, nouam circumſtantiam ſuperaddente, qui operationem ſuam gubernat ex dictamine directo, quod eam circumſtantiam denuò ſuperadditam non aduertit.

627. Vel diſtinguo ſecundò idem antecedens. Quilibet operatur prudenter, dum ſequitur opinionem probabilem [limitatam noua lege, aut contractu,] nego; [non ita limitatam,] concedo. Itaque licèt ſit opinio probabilis, quod hæc domus pertinet ad Petrum, dum Iudex procedit ad iudicandum, ſi certum eſt, illam opinionem eſſe minùs probabilem, eius probabilitas limitatur in Iudice ratione contractus, quo ſe obligauit ad iudicandum modo, qui vtilior fuerit Reipublicæ.

628. *Quid requiratur, vt pars oppoſita ſit probabilis.*

Secundum eſt. Vt oppoſita opinio ſit probabilis, neceſſe eſſe, quod ſuperaddatur alia ratio, qua probetur, vltra probabilitatem in quæſtione directa, non relucere in quæſtione reflexa ex parte Iudicis aliam obligationem ex lege, neque ex contractu, limitantem probabilitatem opinionis, quæ ſtatuitur in quæſtione directa. Niſi enim hoc probetur, puto, deficere ei ſententiæ fundamentum probabile. An verò id probari poſſit, alij iudicent.

629. Quod attinet ad ſexdecim Authores oppoſitæ ſententiæ, dubitari poſſet, an omnes ſint ex illis, qui ſententiæ argumenta diſcutiunt, an fortè aliqui ſint ex illis, qui ſolum loquuntur in fide priorum, vel aliqui eorum ſint meri ſummiſtæ, vel meri compilatores; item an eorum aliqui æquiuocatione nitantur, nempe arguentes à reſolutione quæſtionis directæ ad reſolutionem quæſtionis reflexæ. Nam qui his exceptionibus notantur, non ſufficere ad conferendam probabilitatem extrinſecam, conſtat *ex diſp. 11.* Quod etiam pro aliis quæſtionibus monitum eſſe velim.

Rogabis primò, an ſecundum hanc ſententiam Iudex teneatur ex iuſtitia ad iudicandum ſecundum ius probabilius? P. Leſſius ſuprà citatus, de ſuſcipiente aliquam adminiſtrationem dixit, non manere obligatum ex iuſtitia ad proſpiciendum, quantum poſſit, commodis eius, cui inſeruit, ſed ſolum ex fidelitate. Exiſtimo tamen, ſemper ex contractu oriri obligationem iuſtitiæ, de quo alibi. 630. *Iudex tenetur ex iuſtitia dicere ius probabilius.*

Rogabis ſecundò, an Iudex, qui iudicauit ſecundum ius minùs probabile euidenter, teneatur ad teſtitutionem? Pro quo notandum eſt, eſſe duo ſubiecta, quibus conſiderari poteſt irrogata iniuria. Alterum eſt ille litigans, qui habet euidenter ius probabilius: alterum ſubiectum eſt Reſpublica, in cuius commodum publicum ſe obligauit Iudex ad iudicandum meliori modo, quo poſſet. 631.

Dicendum ergo eſt primò. Cùm Iudex iudicauit ſecundum ius minùs probabile, nihil tenetur reſtituere parti habẽti ius probabilius. Ratio eſt, quia Iudex ad id ſolum tenetur ex contractu inito cum Republica ob publicum bonum illius: per iſtum autem contractum partes ipſæ nullum ius adquiſierunt: ergo parti ipſi non ſit iniuria; atque adeò reſpectu illius nulla eſt obligatio reſtituendi. 632. *Qui dixit ius minùs probabile, non tenetur reſtituere litiganti.*

Dicendum eſt ſecundò, Iudicem, qui iudicauit ſecundum ius minùs probabile, teneri reſtituere Reipublicæ ſtipendium ſibi datum propter munus iudicandi, ſcilicet eam partem ſtipendij, quæ correſpondet illis ſententiis ſic latis. Nam cùm ex contractu acceperit ſtipendium à Republica, vt dirimat lites meliori modo, quo poſſit, & ideò vt iudicet ſecundum ius probabilius, quoties non implet contractum, non poteſt ſibi retinere ſtipendium in ea parte, in qua deficit contractui. Et idem aſſero de obligatione reſtituendi damna Reipublicæ illata. 633. *Qui dixit ius minùs probabile, tenetur reſtituere Reip. ſtipendium, & damna.*

Articvlvs IV.

Deciditur quæſtio appendix, an Iudex poſſit punire operantem ſecundum opinionem minùs probabilem?

Ratio dubitandi pro parte affirmatiua quæſtionis eſt, nam Iudex non tenetur ſtare pro opinione rei: poteſt ergo contingere, quod reus operatus fuerit ſecundum opinionem contrariam opinioni Iudicis: Iudex autem ſuæ opinioni innixus, probabiliter, imò probabilius iudicet, illud fuiſſe crimen; & ſecundum probabiliorem opinionem iudicans, reum puniat. Et confirmatur. Nam in eo euentu probabile eſt, & fortè probabilius, illud à reo commiſſum fuiſſe crimen: ergo probabilius eſt, eſſe punibile: ergo punire poteſt illam actionem, quam operatus eſt reus ſecundum opinionem probabilem, aut ſaltem minùs probabilem. 634.

Caramuel *in Theolog. fundam. numer.* 687. dixit, non poſſe Iudicem damnare reum, qui ſecundum opinionem probabilem operatus eſt, aſſerentem talem operationem eſſe licitam, & iuſtam; quando videlicet non præceſſit præceptum ſuperioris præcipientis in materia probabili. Et ratio videtur clara. Nulli enim Iudici licet 635.

Digitized by Google

licet damnare innocentem: ſed qui operatur ſecundum opinionem probabilem, aſſerentem, talem actionem eſſe licitam, innocens eſt, & non peccat: ergo non licet iudici eum damnare. Confirmatur primò. Vt damnetur reus, crimen debet eſſe luce meridiana clarius, vt conſtat *ex l. final. Cod. de probation.* Sed actio, quæ exercita eſt ſecundum opinionem probabilem, non eſt crimen euidens, aut luce meridiana clarius: ergo ita operans damnari non poteſt. Confirmatur ſecundò. Qui operatur ſecundum opinionem practicè probabilem, ex dictamine reflexo, quod licet operari ſecundum quamlibet opinionem practicè probabilem, eſt euidens, quod non peccat: ergo qui operatur ſecundum opinionem practicè probabilem eſt euidenter innocens: ſed damnari non poteſt, qui eſt euidenter innocens: ergo damnari non poteſt, qui operatur ſecundum opinionem practicè probabilem.

636. *Poteſt puniri, qui operatur ſecundum opinionem ſpeculatiuè, non practicè probabilem.*

Licèt autem hæc videantur certa, maiori adhuc diſtinctione opus eſt. Quare claritatis gratiâ dico primò. Poteſt à iudice puniri ille, qui operatus eſt ſecundum opinionem probabilem, quando opinio eſt ſolùm ſpeculatiuè probabilis, & non practicè; ſiue quando probabilitas opinionis limitata eſt lege, voto, contractu, aut alio modo ſimili.

637. *Poteſt puniri, qui baptizauit lixiuio.*

Concluſio patet primò exemplo. Nam iudex Eccleſiaſticus poteſt, & debet punire Parochum, qui extra caſum neceſſitatis baptizauit hominem lixiuio; cùm tamen probabile ſit, ſaltem ſpeculatiuè, quod baptiſmus in lixiuio datus ſit validus. Et ratio eſt, quia ea opinio eſt ſolùm ſpeculatiuè probabilis, ſiue quia eius opinionis probabilitati ſuperadditur lex charitatis præcipiens, ne baptiſmus exponatur fruſtrationi. Similiter puniendus eſſet Epiſcopus, qui daret ordinem Sacerdotij in materia aut modo tantùm probabili; quia exponeret fruſtrationi Sacramentum Ordinis, & aliqua Sacramenta ab eo Sacerdote ſic ordinato conficienda: quia licèt ea materia, vel is modus eſſet probabilis; lex tamen charitatis prohibet, illud Sacramentum Ordinis adminiſtrari modo dumtaxat probabili, ne fruſtrationi exponatur.

Pœna dignus eſt Epiſcopus, qui confert Ordinem Sacerdotij in materia tantùm probabili.

638. Patet ſecundò concluſio ex ratione. Nam qui operatur ſecundum opinionem dumtaxat ſpeculatiuè probabilem, vel ſecundum opinionem alia lege inhibitam, non operatur probabilitate practica; quia hic & nunc eſt improbabile, quod ita liceat operari: ergo ille ob illicitam operationem puniri poteſt.

639. Ioannes Sancius *diſp. 44. num. 27.* docet, ſi Clericus ſæcularis approbatus in alia diœceſi eligatur virtute Cruciatæ in diœceſi, in qua non eſt approbatus, & in hac audiat Confeſſiones, illum iniuſtè puniri, ſi ob eam cauſam ab Epiſcopo huius diœceſis puniatur.

640. *Puniendus eſt, qui abſoluit cum iuriſdictione tantùm probabili.*

Exiſtimo tamen, illum iuſtiſſimè puniendum ab Epiſcopo, eo quod abſoluat cum ſola iuriſdictione probabili. Etenim quamvis ſit valde probabile, quod abſoluit validè, qui ſolam habet eiuſmodi iuriſdictionem probabilem; at quod poſſit licitè abſoluere cum ſola iuriſdictione probabili, exponendo nimirum Fideles fruſtrationi Sacramenti, improbabile eſt, & certò falſum. Vnde ille Sacerdos non operatur ſecundum opinionem practicè probabilem; ideò meritò puniendus.

Nec valet ſi dicas, eum Sacerdotem habere iuriſdictionem certam in venialia; quod ſufficit vt non exponat conſcientias Fidelium fruſtrationi Sacramenti, & damnis inde conſecutis; cùm in eo euentu pœnitens abſolutus à venialibus, maneat indirectè abſolutus à mortalibus, quæ confeſſus eſt. 641.

Nam contrà eſt primò. Concluſio enim proximè tradita, expreſsè loquitur de eo, qui abſoluit cum ſola iuriſdictione probabili: iuriſdictio autem in venialia non eſt ſolùm probabilis, ſed certa: de quo vide P. Th. Sanch. *lib. 1. ſum. cap. 9. num. 35.* Quare ſi causâ ab Epiſcopo examinata, comperiatur, Sacerdotem non abſoluiſſe à venialibus, aut Sacerdotem inſcium eſſe eius iuriſdictionis in venialia, meritò punietur ab Epiſcopo, propter dicta. 642.

Contrà eſt ſecundò. Nam hæc iuriſdictio omnium Sacerdotum in venialia, communiter ignoratur à Confeſſariis, qui non ſunt valde docti. Et quidem in quodam oppido, vbi erant quinquaginta circiter Confeſſarij, pro comperto habui, ferè omnes inſcios eſſe eius iuriſdictionis certæ, aut ſaltem ad eam non aduertiſſe. Poterit ergo punire Epiſcopus Sacerdotem ſic abſoluentem, præſumendo ignorantiam eius de hac iuriſdictione certa; præcipuè ſi is Sacerdos interrogatus ab Epiſcopo, quomodo cum iuriſdictione ſolùm probabili auſus fuerit abſoluere, cum periculo fruſtrationis Sacramenti; ille pro excuſatione ſua non recurrat ad eiuſmodi iuriſdictionem certam in venialia. Id enim erit ſignum manifeſtum ignorantiæ eius circa eam iuriſdictionem certam. Et ob eandem cauſam poterit Epiſcopus præcipere ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ne quis ab alieno Epiſcopo approbatus abſoluat in hac diœceſi virtute Cruciatæ: qua excommunicatione ligabuntur ſaltem illi, qui neſciant, vel non aduertant eam iuriſdictionem certam in venialia. 643.

Iuriſdictio certa in venialia ignoratur à multis.

Dico ſecundò: quando aliqua opinio cenſetur probabilis, vtpote pro qua ſtant aliqui Authores, ſi iudex cenſeat, oppoſitam eſſe omninò certam à principiis intrinſecis, vt ſæpè contingit, poteſt ſecundum ſuam ſententiam, quam certam reputat, damnare reum; niſi fortè reus probet, ſe operatum eſſe bona fide, cenſendo, priorem opinionem eſſe probabilem. Et quidem hac ratione Innocentius X. iuſtè damnauit quoſdam de quadam lege violata, quamvis ipſi pro excuſatione culpæ allegarent, eam legem in ſua prouincia non eſſe promulgatam, ſecundum multorum opinionem, quæ ait, debere leges Eccleſiaſticas in ſingulis prouinciis promulgari authenticè, vt ligent. Etenim Innocentius, ſiue iudices ab ipſo deſignati, à principiis intrinſecis iudicarunt, eam opinionem eſſe improbabilem; & ſuam, ſecundum quam iudicarunt, eſſe certam. Ita iudex ſuperior poterit punire iudicem inferiorem, eo quod iſte non iudicauerit ſecundum ius euidenter probabilius, ſed ſecundum minùs probabile; ſi ille iudex ſuperior cenſuerit, certum eſſe à principiis intrinſecis, non poſſe iudicem ſententiam dicere ſecundum ius quod eſt euidenter minùs probabile. 644.

Iudex poteſt damnare reum, ſecundum opinionem, quam cenſet certam ab intrinſeco, niſi, &c.

An ſuperior poſſit punire iudicem inferiorem, qui non dixit ius probabilius?

Addidi concluſioni, [Niſi fortè reus probet, ſe operatum eſſe bona fide, cenſendo, priorem opinionem eſſe probabilem.] Nam in omni genere delictorum, etiam in illis, vbi nulla eſt probabilitas vera, annullat culpam bona fides in 645.

Digitized by Google

operando; cùm ignorantia inuincibilis, à qua ea bona fides procedit, omninò excuſet à culpa, etiam contra ius naturale. Et ita ſi reus probat, ſe ignorantia inuincibili affectum, aut bona fide ductum eſſe ad operandum, apertè liberatur à reatu. Quod idem contingit in præſenti caſu.

646. Concluſio ergo ſic expoſita videtur manifeſta. Quia quamvis vir doctus deponere poſſit iudicium ſuum probabile, & oppoſito probabili conformari: at iudicium certum, cuius obiectum ſibi vt certum proponitur, deponere non poteſt; quia nemo poteſt formare iudicium probabile contra euidentiam, vt ex terminis manifeſtum eſt. De quo vide *diſp.* 11. *cap.* 13. *num.* 3. Atqui iudex non poteſt iudicare contra dictamen practicum certum, quod formare poteſt: ergo ſi non poteſt formare dictamen practicum de probabilitate operationum rei, non poterit ſecundum tale dictamen iudicare.

647. *Reus operans iuxta opinionem practicè probabilem, puniri non poteſt.* Dico tertiò. Si opinio, ſecundum quam operatus eſt reus, eſt practicè probabilis, & talis cenſetur à iudice, non poteſt iudex illum ob talem operationem punire. Hanc concluſionem manifeſtè probant rationes allatæ initio huius articuli *num.* 635. pro parte negatiua quæſtionis.

648. Ad rationem dubitandi, initio allatam pro parte affirmatiua quæſtionis, reſpondetur, ſi iudex cenſet probabilem opinionem, ſecundum quam operatus eſt reus, non poteſt non conformari illi ad iudicium, quod formare debet de innocentia rei: eſt enim innocens ille, qui probabiliter, & prudenter operatus eſt.

649. Ad confirmationem reſpondeo diſtinguendo antecedens: probabilius eſt, illud fuiſſe crimen [ex vi dictaminis directi, probabiliter iudicantis, eam operationem eſſe contra legem,] concedo; [ex vi dictaminis reflexi iudicantis, quamvis opinionem practicè probabilem poſſe reduci ad praxim,] nego. Quæ diſtinctio patet ex dictis *diſp.* 10. *cap.* 2. Similiter diſtinguo conſequens: Ergo probabilius eſt, eſſe punibile, [ex vi dictaminis directi, & eo ſolo attento,] concedo; [ex vi dictaminis reflexi,] nego. Deinde diſtinguo ſubiunctum antecedens: non enim poteſt iudex reipſa punire, quod ſolùm à principiis intrinſecis eſt probabiliter malum, & punibile. Nam cùm id, quod eſt probabiliter malum, & probabiliter bonum, ex dictamine reflexo certo, quod licet ſequi quamlibet opinionem practicè probabilem, ſit omninò licitum, inde eſt, quod id, quod à principiis intrinſecis eſt probabiliter malum, & punibile, & probabiliter bonum, non poſſit iudex illud reipſa punire. Vide prædictam diſputationem 10. in qua hæc latè explicantur.

ARTICVLVS V.

Quæſtio appendix deciditur quando cenſeatur iudex Eccleſiaſticus inferre violentiam?

650. *An Iudex Laicus poſſit amouere vim iudicis Eccleſiaſtici, ſaltem de facto.* NOn eſt inſtituti mei decidere, an liceat iudicibus laicis cognoſcere de violentiâ in cauſis Eccleſiaſticis? Videatur P. Suar. *lib.* 4. *contra Regem Angliæ, cap.* 34. *num.* 30. Negari non poteſt, illis quidem licitum eſſe amouere violentiam iudicis Eccleſiaſtici in iis terminis, quibus aſſeritur in deciſione Rotæ Romanæ, *in Oſcenſi Canonicatus, die* 1. *Decemb.* 1595. §. *Has tamen,* apud Dianam *part.* 5. vbi ita aſſeritur: [Has tamen deciſiones Domini intellexerunt habere locum, quando quis recurreret ad ſimplex auxilium laicorum, vt de facto defenderetur à grauamine, & vi illata, per quam quis de facto expelleretur à ſua poſſeſſione, non ſecus ac ſi quis inuocaret auxilium cuiuſlibet tranſeuntis per vicos vel plateas, ſi fortè de facto ab aliquo potentiori pelleretur de propria domo; non autem vt poſſet à iudicibus laicis defendi per citationes, inhibitiones, & iuris firmas, & comminationes pœnarum emanatas à dictis iudicibus contra Prælatos, & iudices Eccleſiaſticos; quia tales recurſus tanquam illicitos nunquam tolerandos cenſuerunt.]

Quia tamen quæ dicta à nobis ſunt in hoc capite de obligatione, quam habet iudex ferendi ſententiam ſecundùm ius probabilius, occaſionem fortè dabunt iudicibus, qui reipſa amouent de facto (& abſque vſu iuriſdictionis) violentiam iudicis Eccleſiaſtici, vt in ea deliberatione errent, ſi hucvſque à nobis dicta non rectè intelligantur; ideò decreui ex principiis iactis aliquas inferre concluſiones hanc materiam reſpicientes. Fortè enim aliquis iudex laicus hoc diſcurſu ſe proteget. [Pro comperto habeo, iudicem debere ius dicere ſecundum opinionem probabiliorem: in hac autem cauſa ſequitur iudex Eccleſiaſticus opinionem minùs probabilem: cenſeo ergo illum violentia vti.] In quo diſcurſu toto cælo aberrabit. Proderit quidem iudicibus Eccleſiaſticis cognoſcere, quando in ſuo iudicio inferant, & quando non inferant violentiam, præcipuè propter probabilitatem opinionum. Proderit etiam ipſis iudicibus laicis, qui de facto (modo explicato *num.* 650.) amouere volunt hanc violentiam, qui quidem admonendi ſunt, vt ſi violentiam de facto amouere velint, caueant à quibuſdam ſcopulis, quæ in materia probabilitatis protuberare poſſunt, & ad ſacrilegium trahere. 651. *An iudex Eccleſiaſticus inferat vim, ſi non iudicat ſecundum opinionem probabiliorem?*

Dico primò. Quando iudex Eccleſiaſticus fert ſententiam ſecundum opinionem practicè probabilem, ita vt practicè probabile ſit, eam ſententiam eſſe licitam, peccant grauiter Magiſtratus in eo quod decernunt, Eccleſiaſticum inferre violentiam. Hæc concluſio eſt certiſſima. Nam implicat contradictionem, quod quis operetur probabiliter, & ſimul inferat violentiam: nam qui operatur prudenter, nemini irrogat iniuriam; & qui violentiam infert, non operatur cum conſcientia probabili; cùm ſit contra conſcientiam, violentiam agere. Præcipuè cùm ſuperiorem Eccleſiaſticum præcipere poſſe in materia probabili, maximè in iudicio, certum ſit, vt conſtabit *ex diſp. ſeq.* 652. *Dum practicè probabile eſt, ſententiam eſſe iuſtam, non infert vim.*

Sed quia materia hæc de probabilitate multas, & valde ſubtiles reflexiones habet, & ex illis poteſt reſultare dubium, an iudicis Eccleſiaſtici ſententia ſit practicè probabilis, caſum propono, vt praxis meliùs intelligatur, qui frequentiſſimus eſſe ſolet, nempe circa immunitatem Eccleſiæ. Iudex ſæcularis extraxit reum ab Eccleſia, eo ductus fundamento, quod dicat, eſſe opinionem probabilem, quam aliqui Authores ſequuntur, licere videlicet extractionem in his circumſtantiis: Iudex Eccleſiaſticus præcipit 653. *An inferat vim, cùm defert appellationi ſub conditione, quod non innouerit & quia hic innouauit, eum excommunicat.*

Digitized by Google

pit Iudici ſæculari, vt reum reſtituat: Sæcularis appellat iudicem ſuperiorem: Eccleſiaſticus admittit appellationem, ſub conditione, quod non innouet, nec procedat in cauſa; aliàs ligandus excommunicatione, & denuntiandus. Iudex ſæcularis nixus probabilitate opinionis, quam dicit ſibi in eo caſu ſuffragari, & ſecundum quam operatus eſt extrahendo reum, procedit in cognitione cauſæ, non expectans iudicium ſuperioris, quem appellauit. Eccleſiaſticus denuntiat illum excommunicatum: ſæcularis conqueritur de violentia iudicis Eccleſiaſtici. Inquiritur, an iudex Eccleſiaſticus in eo caſu inferat violentiam.

654. Et quidem iudex ſæcularis allegat pro ſuo iure, ſicut ſibi licuit extrahere reum ex opinione, quam illi Authores dicunt probabilem, ita etiam ex eadem opinione licere procedere vlteriùs in cognitione cauſæ; & iudicem Eccleſiaſticum inferre violentiam, quia nititur illum deturbare ab eo iure, quod ſibi dat opinio probabilis, libertatem ſcilicet ad operandum ſecundum illam.

655. *Non eſt opinio tuta, quã ſoli iuris ciuilis periti dicunt probabilem, circa immunitatem.*

Pro reſolutione notandum eſt, cùm agamus de ſecuritate conſcientiæ, & item de intelligentia probabilitatis opinionum, non debere attendi, an opinio, quam dicit probabilem iudex ſæcularis, ſit probabilis ex authoritate iuris Interpretum, præcipuè ciuilis; ſed an ſit probabilis ſecundum Theologos, & iuris canonici conſultos, vt notauit pro Theologis Caramuel *in Apolog. de Probabilitate, num.* 112. quia vnicuique in ſua arte, & non extra, credendum eſt; neque annuendum mittenti falcem in meſſem alienam: ſecuritas autem conſcientiæ, & probabilitas opinionum, in materia iuris canonici ad Theologum pertinet, & canonum Interpretem, non ad peritum iuris ciuilis. Dato ergo, quod iudex ſæcularis proceſſerit ſecundùm opinionem probabilem, ex conſilio Theologorum, aut canonici iuris Interpretum in extrahendo reum.

656. *An ſpectet ad iudicem laicum cauſa communitatis?*

Dico ſecundò. Dum illa extractio rei reducitur ad iudicium, in quo quæritur, an reo ſuffragetur priuilegium immunitatis, necne; non ſpectat ad iudicem ſæcularem cognoſcere de ea cauſa immunitatis; ſed hæc cognitio pertinet dumtaxat ad iudicem Eccleſiaſticum. Ratio eſt manifeſta. Quia licèt probabile ſit, quod potuit extrahi reus ab Eccleſia per ſæcularem iudicem, non eſt probabile, quod iudex laicus poſſit cognoſcere de cauſa ſpirituali; aut quod introducta lite de cauſa ſpirituali, ea non ſubdatur iudicio Eccleſiæ. Quia cùm ad cognoſcendum de cauſa ſpirituali, qualis eſt immunitas, requiratur iuriſdictio in ſpiritualia; & hæc non reperiatur in Magiſtratu laico, ſed ſolùm in Eccleſiaſtico; inde eſt, quod iſte poſſit, & ille non poſſit de prædicta cauſa cognoſcere. Vide P. Suar. *lib.* 4. *contra Regem Angliæ, cap.* 2. *num.* 2. *&* 3. aſſerentem, eſſe de fide, quod cauſæ ſpirituales ſolùm ſpectant ad iudices Eccleſiaſticos.

657. *Non ſpectat ad laicum, cognoſcere, an caſus immunitatis ſit exceptus.*

Idque verum eſt, quamvis iudex laicus dicat, ſibi eſſe probabile, ſiue etiam notorium, quod reus non debet gaudere immunitate, & illum eſſe caſum exceptum. Etenim cognoſcere, an ſit caſus exceptus, necne, ſpectat ad Eccleſiaſticum. Ideò P. Caſtro Palao *tom.* 2. *tract.* 11. *diſp. vnic. punct.* 13. *num.* 7. ait: [Tenendum tamen eſt tanquam omninò certum, nullo modo ad iudices laicos hanc cognitionem pertinere, ſed ad Eccleſiæ Prælatos.] Dicitque, probari manifeſtè *ex cap. metuentes, cap. ad Epiſcopum,* 17. *quæſt.* 4. *& ex lege pateant*, §. *hoc verò*, *& ex l. præſens*, *Cod. de his, qui ad Eccleſiam confugiunt.* Pro quo citat Anaſtaſium Germon. Farinacium, Azeuedum, Marium Ital. Ioannem Gutierr. & Bonacinam. Audiendus eſt P. Caſtro Palao *ibid.* [Ratio eſt clara, quia immunitas Eccleſiarum cauſa eſt Eccleſiaſtica: ſed cauſæ Eccleſiaſticæ cognitiò non ſpectat ad iudices laicos: ergo. Neque fundamentum contrarium vrget. Nam eſtò extractio in caſibus exceptis ad iudicem laicum pertineat; at cognitio, *an ſit caſus exceptus ab immunitate*, ad ipſum non pertinet.]

Hinc patet, turpiter erraſſe Paz *tom.* 1. *part.* 5. *cap.* 3. *num* 182. Parladorum *different.* 176. *n.* 4. Villadiego *in Polit. cap.* 3. *num.* 248. Curiam Philippicam *part.* 3. §. 12. *n.* 62. Ceuall. *de violent.* 2. *part. quæſt.* 5. *num.* 22. dum dicerunt, Magiſtratum laicum remanere iudicem cauſæ, quando iudices Regij decernunt, vim inferre iudicem Eccleſiaſticum: atque adeò eam cauſam remanere omninò ſub iuriſdictione laicali. Quod vulgò dicitur, *Auto de legos.* Qui Authores hanc materiam non intellexerunt. Tum quia iudices Regij, non aſſerunt, Eccleſiaſticum inferre vim in cognoſcendo de cauſa immunitatis; ſed in non admittendo appellationem: ergo dum iudices Regij id aſſerunt, ſupponunt, Eccleſiaſticum legitima authoritate proceſſiſſe in cognoſcendo de cauſa immunitatis; & ſolùm excedere in non deferendo appellationi ad ſuperiorem Eccleſiaſticum. 658. *An in hoc turpiter errauerint aliqui iuriſperiti?*

659. Tum etiam, quia ſi infert vim in non deferendo appellationi ad iudicem Eccleſiaſticum ſuperiorem, manifeſtè infertur, quod ad iudicem ſuperiorem pertinet cognitio eius cauſæ: ergo cauſa Eccleſiaſtica eſt: ergo implicat, quod ſit cauſa laicalis, ſiue, vt vulgò dicitur, *auto de legos.*

660. Tum præterea, quia implicat contradictionem, quod cauſa ſit ſpiritualis, & quod fiat laicalis, vt vulgò dicitur, *auto de legos:* ſed cognoſcere, an caſus ſit exceptus ab immunitate, eſt cauſa immunitatis, atque adeò cauſa ſpiritualis: ergo implicat, quod ea ſit cauſa laicalis, & vt dicitur, *auto de legos.* Et ita hunc errorem prædictorum Authorum euidenter oſtendit Herrera Parexa *in allegatione pro iuriſdictione, & immunitate Eccleſiaſtica.*

661. *Procedenti iudici laico ex opinione probabili, ſi Eccleſiaſticus præcipiat reſtitutionem Rei, non infert vim.*

Dico, tertiò. Si iudex Eccleſiaſticus videns probabilitatem opinionis, ſecundum quam operatus eſt iudex ſæcularis, conſtringat iſtum cenſuris ad reſtituendum reum, adhuc non infert violentiam. Primò, quia fortè cenſet, eam eſſe ſolùm probabilitatem ſpeculatiuam; & oppoſitam ſententiam, eo quod procedit in fauorem religionis, fieri practicè certam. Certum enim eſt ex dictamine reflexo, non ſolùm in dubiis, ſed etiam in dubitabilibus, atque adeò in probabilibus iudicandum eſſe in fauorem Religionis, & conſequenter immunitatis, vt clarè oſtendo *diſp.* 17.

662. *Licet ſententia Eccleſiaſtici ſit iniuſta, ſi defert appellationi, non infert vim.*

Secundò. Quia dum iudex Eccleſiaſticus defert appellationi ad ſuperiorem Eccleſiaſticum factæ, non infert vim, quamvis ferat ſententiam materialiter iniuſtam. Quia dum defert appellationi, non vrget ad executionem ſententiæ: in ſola autem exeutione poteſt conſiſtere (ſi qua eſt) violentia.

Tertiò

Digitized by Google

663. *Actio probabiliter illicita poteſt prohiberi à ſuperiore.* Tertiò. Quia dum res imperata à ſuperiore eſt probabiliter licita, & probabiliter illicita, certiſſimum eſt quod ſuperior poteſt ex iuſta cauſa illam prohibere, vt oſtendo *diſp.* 16. *cap.* 4. Quamvis ergo ſit probabiliter licitum, quod iudex laicus poteſt extrahere reum ab Eccleſia in his circumſtantiis, poterit Prælatus Eccleſiaſticus ex iuſta cauſa illud prohibere. Quod autem *Maximè cauſâ dirimendæ litis.* detur tunc iuſta cauſa ad id prohibendum, patet. Nam cauſa dirimendæ litis eſt iuſtiſſima. Etenim non ſolùm iuſtum eſt, verùm & ſimpliciter neceſſarium, in Republica præcipuè Eccleſiaſtica, etiam in probabilibus dirimere lites, & vitare ſcandala, quæ ex litibus non diremptis oriuntur: dirimere, inquam, lites, iudicando ſecundùm quod Superiori æquum videtur: ergo adeſt in hoc caſu iuſtiſſima cauſa ad prohibendum id, quod aliàs vetabile eſt.

664. *Superior poteſt præcipere in materia probabili.* Item poſſe Superiorem præcipere in quavis materia probabili prohibendo, vel præcipiendo, præcipuè causâ litis decidendæ, certum omninò cenſeo, & conſtabit *ex diſp. ſequenti.*

DISPVTATIO XVI.

An Prælato præcipienti ſecundum opinionem probabilem ſubditus teneatur obedire?

CAPVT I.

Sententia Caramuelis, & infirma eius demonſtratio.

1. IN hac quæſtione Caram. *in Theolog. fundamentali, num.* 1844. *fund.* 66. ait primò, præcipiente aliquid Prælato, ſi ita mutentur circumſtantiæ, vt probabiliter credatur, præceptum Prælati non extendi ad præſentes circumſtantias, ſubditum non teneri obedire. Ait ſecundò, Prælato præcipiente ſecundùm opinionem probabilem, ſtando puro iuri naturæ, eſſe opinionum libertatem, atque adeò poſſe ſubditum non obedire. Tertiam, & præcipuam concluſionem ita ſtatuit: [Cùm ergo homines non viuant hodie ſecundum purum ius naturæ, ſed acceptando humanas leges, ceſſerint libertate; ſit concluſio. Poteſt ſuperior in materia probabili ponere præcepta, etiam annexa cenſuræ excommunicationis, & ſubditus obedire tenebitur.] Idem docet *in Apolog. de Probabilitate, num.* 110. Idem affirmat *fund.* 11. *num.* 452. & paſſim alibi.

2. Quod ſubditi cedant iure ſuo, & libertate ſequendi opinionem probabilem, ſic probat *in Theolog. fundam. num.* 1847. [Demus (inquit) rationem ſolidam, quæ ſupra probabilioritatis aleam poſita, ſolutionem non habeat.] Et illam proponens ait: [Superiores ſunt in quieta, & præſcripta, & pacifica poſſeſſione obligandi in materia probabili. Sic Gregorius XV. cenſuris deterret, ne quis B. Virginem in labe originali conceptam defendat; & tamen eſt opinio probabilis. Et paſſim hodie, ſemperque Pontifices pro immunitate Eccleſiaſtica propugnanda innumeras opiniones cenſuris damnant, quamvis probabiles reputentur ob plurium Doctorum patrocinium.] Sed hanc demonſtrationem non modò ſupra probabilioritatis aleam non eſſe poſitam, verùm etiam infra minoris metam probabilitatis eſſe depreſſam, clariſſimè conſpicies *cap.* 3.

Plus vrget ratio, quam proponit *in Apolog. eo num.* 11. [Qui obedientiam promiſit, omnia, quæ ſunt neceſſaria, vt gubernetur, compromiſit. Et niſi ſubditus cedat iure ſequendi opinionem, quam velit, quis ſuperior poterit gubernare? Vix lex vlla vniuerſalis, & communis ſubſiſteret. Semper, aut ferè ſubditus poſſet dicere, etiam oppoſitum videri probabile; aut etiam, ſi velit, probabilius. Et tota turbaretur Eccleſia, tota Reſpublica, omnes Communitates.] Deinde procedit ad demonſtrationem ſuprà poſitam de opinione minùs pia Conceptionis cum labe originali. Et addit: [Te non debere obedire Pontifici in materia probabili, improbabile eſt; te debere obedire, certum eſt.] 3.

CAPVT II.

Refertur duplex aduerſa ſententia cum ſuis fundamentis.

QVamvis probabilitas hæc obediendi, aut non obediendi Prælato, poſſit ex triplici capite oriri, nempe ex parte iuriſdictionis Prælati, ex parte ipſius præcepti, & ex parte materiæ præceptæ; præcipuum tamen huius quæſtionis punctum materiam præceptam reſpicit. Et inquiritur, an ſi Prælatus præcipiat obiectum aliquod, quod probabiliter ſit impræceptibile, teneatur ſubditus obedire? verbi gratia in caſu, quo ſit probabiliter illicitum tale obiectum. De aliis enim duobus capitibus conſectariè tractabitur. Vidimus *cap. præcedenti*, Caramuelem aſſeruiſſe, attento iure naturali in eo caſu non teneri ſubditum obedire; attenta tamen ceſſione iuris, quam omnes ſubditi reipſa faciunt, illos teneri. Quod etiam docet de caſu, in quo ad bilancem probabilitatis trahatur iuriſdictio Prælati, cùm generalis eius doctrina ad hunc etiam caſum extendatur. 4.

Secluſa tamen ea iuris ceſſione, cuius nullus Author vſque ad Caramuelem meminit, duplex eſt aduerſa ſententia. Prima aſſerit, ſubditum teneri ad parendum, quoties eſt probabilitas de honeſtate, & de malitia operationis, & generaliter de qualibet alia circumſtantia, quæ faciat obiectum probabiliter impræceptibile. Ita P. Thomas Sanchez *lib.* 6. *ſumma, cap.* 3. *num.* 5. & 6. P. Suarez *tom.* 5. *in* 3. *part. diſputat.* 4. *ſect.* 6. *num.* 5. (quamvis cum aliqua limitatione) & apud ipſos Roſella, Angelus, Sylueſter Tabiena, Corduba, Sayrus. Item P. Valentia 2. 2. *diſputat.* 7. *quæſt.* 3. *punct.* 2. *coroll.* 3. P. Salas 1. 2. *quæſtion.* 21. *tractat.* 8. *diſputat. vnic. ſection.* 8. *numero* 76. Addit tamen P. Thom. Sanchez, & alij & ex relatis, ſimiliter teneri ſubditum ad obedientiam, quando 5. *Prima ſententia.*

do eſt opinio probabilis , quod Prælatus non habet legitimam iuriſdictionem per aliquem defectum in electione, aut ſimilem ; ſi tamen Prælatus eſt in poſſeſſione ſuæ iuriſdictionis.

6. Probant primò. Vltra humanam facultatem eſt obligare hominem , vt ſuum munus exerceat, operando ſemper ſecundum euidentiam , ita vt non liceat illi operari ſecundum opinionem probabilem : ſed humanæ iuriſdictionis onus non eſt imponendum eo modo , quo excedat humanam facultatem : ergo id non eſt imponendum Prælato , ita vt ſemper debeat præcipere ſecundum euidentiam , ſed ita vt liceat ei præcipere ſecundum opinionem probabilem : ergo quando ita præcipit , legitimè præcipit. Sed quando legitimè præcipit , tenetur ſubditus obedire : ergo quando præcipit ſecundum opinionem probabilem , tenetur ſubditus obedire.

7. Probant ſecundò. Eccleſia voluit conferre Prælatis iuriſdictionem eo modo , quo non haberet locum confuſio, & turbatio communitatis , ſed recta & ordinata gubernatio : ſed ſi prætextu opinionis propriæ nollet ſubditus obedire Prælato , eſſet confuſio , & turbatio communitatis : ergo de facto Eccleſia ita contulit Prælatis iuriſdictionem.

8. Probant tertiò. Prælatus eſt in poſſeſſione præcipiendi : ſed nemo poteſt à ſua poſſeſſione deturbari , niſi ob euidentiam oppoſiti : ergo ſubditus non poteſt negare obedientiam Prælato , niſi ſit euidentia de oppoſito. Sed vbi eſt ſola probabilitas de malitia operationis , non eſt euidentia de illa : ergo vbi eſt ſola probabilitas de malitia operationis , non poteſt ſubditus Prælato ſuo obedientiam denegare.

9. Probatur tandem authoritate S. Auguſtini verbis relatis *in cap. quid culpatur 23. quæſt. Rectè poteſt illo iubente bellare , ſi vice pacis ordinem ſeruans , quod ſibi iubetur , vel non eſſe contra Dei præceptum , certum eſt ; vel vtrum ſit certum non eſt.* Vbi dicit Auguſtinus , debere obedire militem Regi, militando , dum eſt certum, quod non eſt contra legem Dei ; vel dum non eſt certum, quod eſt contra legem Dei. Cùm autem eſt duntaxat probabile , quod eſt contra legem Dei , vtique id non eſt certum.

10. **Secunda ſententia.** Secunda ſententia illi oppoſita docet , quoties eſt opinio probabilis , quod materia præcepta eſt illicita , vel alia ratione non præceptibilis, non teneri ſubditum obedire. Ita Ioannes Sancius *diſput. 33. à num. 32.* Ledeſma *tractatu de los eſtados* , vbi de Regularibus in communi, *cap. 4.* P. Caſtro Palao *tom. 1. tract. 1. diſp. 2. punct. 6. num. 5.* Et quando eſt opinio de nullitate iuriſdictionis , ſimiliter docent , ſubditum non teneri obedire , cum P. Vaſquez , P. Salas, P. Leſſio , Gerſone , Sayro , & Lorca apud eundem Caſtro Palao *num. 8.*

11. Probant primò. Prælatus non habet iuriſdictionem præcipiendi , quod eſt illicitum : ſed probabile eſt , quod obiectum A , eſt illicitum: ergo probabile eſt , quod Prælatus non habet iuriſdictionem præcipiendi obiectum A : ſed iuriſdictio Prælati , & obedientia ſubditi ſunt correlatiua : ergo ſi eſt probabile , quod Prælatus non habet iuriſdictionem in obiectum A , eſt probabile , quod ſubditus non habet obligationem obediendi in ea materia.

12. Probant ſecundò. Quando eſt probabile, quod ſubditus non tenetur obedire Prælato , vtique non tenetur ; cùm ſemper liceat illi id , quod eſt practicè probabile : ſed quando materia eſt probabiliter illicita , probabile eſt , quod ſubditus non tenetur obedire : ergo quando materia eſt probabiliter illicita , ſubditus non tenetur obedire. Probatur minor. Ideò non tenetur ſubditus obedire , quando eſt opinio probabilis , quod non tenetur obedire , quia poſſeſſio iuriſdictionis Prælati vocatur in dubium ; vt ait P. Thom. Sanchez citatus : ſed quando probabile eſt , quod materia eſt illicita , iuriſdictio in hanc materiam vocatur in dubium : ergo etiam hoc modo non tenetur ſubditus obedire.

Probant tertiò. Non poteſt Prælatus ſtrictiùs obligare ſubditos,quàm obligat Chriſtus, & Eccleſia : 13. ſed quoties ſubditus iudicat probabiliter , ſub materia præcepta à Chriſto , vel Eccleſia non contineri talem caſum , ad iſtum non obligatur , vt ſexcentis exemplis poteſt comprobari : ergo licèt Prælatus habeat ius præcipiendi , quia tamen non habet ius certum præcipiendi quod eſt probabiliter illicitum , ſed ſolùm ius probabile, ideò ſubditus probabiliter deobligabitur.

Probant quartò. Quando tributum eſt probabiliter iniuſtum , non tenetur ſubditus obedire 14. ſoluendo : ergo quando materia præcepta eſt probabiliter iniuſta, vel illicita, non tenetur ſubditus obedire. Paritas vrget,& antecedens docent Corduba , Ludouicus Lopez , Malderus , P. Leſſius , D. Antoninus , Vega , Salon , Moure, & alij apud Ioannem Sancium citatum.

Probant quintò. Cùm reus de ſuo delicto ſemiplenè probato in cauſa ſanguinis interrogatur 15. à iudice, non tenetur aperire verum, fatendo delictum , propter opinionem probabilem , licèt iudex ſit in poſſeſſione ſuæ iuriſdictionis, & poteſtatis præcipiendi : ergo quamvis ſuperior ſit in poſſeſſione ſuæ iuriſdictionis , & poteſtatis præcipiendi , ſubditus non tenetur obedire , dum eſt opinio probabilis de materia illicita.

CAPTV III.

Statuitur prima concluſio contra æquiuocationem Caramuelis.

PRæmittendum eſt , magnam eſſe diuerſitatem in eo , quod Prælatus prohibeat , quod 16. eſt probabiliter licitum , & in eo quod iubeat id quod eſt probabiliter illicitum , quæ diuerſitas ex dicendis euidenter conſtabit. Ideò in hoc capite prima pars decidenda eſt ; an ſcilicet Prælatus prohibere poſſit id , quod eſt probabiliter licitum , ſicut & præcipere , quod antecedenter probabiliter erat non obligatorium.

Sit prima concluſio. Quando probabile eſt, 17. quod aliquid ſit licitum , poteſt id Prælatus prohibere. Quam concluſionem ita intellectam eſſe volo, vt concurrere debeant reliqua, quæ ad valorem legis, vel præcepti requiruntur. Concluſio eſt demonſtrabilis. Strictius ius habet ſubditus ad ea , quæ ſunt euidenter licita , quàm ad ea , quæ ſunt probabiliter licita : ſed quæ ſunt euidenter licita poteſt Prælatus prohibere : ergo quæ ſunt probabiliter licita poteſt Prælatus prohibere.

Poteſt Prælatus prohibere, quod eſt probabiliter licitum.

hibere. Conſequentia patet, & maior eſt ex terminis nota.

18. *Quæ ſunt euidenter licita, prohiberi poſſunt.*

Minor etiam eſt indubitabilis, & propè infinitis exemplis comprobari poteſt. Etenim ferè omnia, quæ prohibent leges humanæ, ſtante ſolo iure naturæ, ſunt euidenter licita: ante præceptum Eccleſiaſticum obſeruandi feſta, licebat exercere ſeruilia; ante præceptum ieiunandi erat euidenter licitum comedere quotidie ſæpius in die; antequam prohiberentur matrimonia inter conſanguineos, & affines (in gradibus ſolo iure Eccleſiaſtico prohibitis) euidenter licita erant ea matrimonia. Et ſic in ſexcentis aliis.

19. *Independenter à ceſſione iuris poſſunt prohiberi, quæ ſunt euidenter, ne dum probabiliter, licita.*

Confirmatur primò. Non eſt neceſſe cedere iure, vt nobis prohibeat Princeps, vel Prælatus, quæ ante prohibitionem ſunt euidenter licita: ergo non eſt neceſſe cedere iure, vt nobis prohibeat Princeps, vel Prælatus, quæ ſunt probabiliter licita. Probatur conſequentia. Ideo neceſſe eſſet, quod ſubditus cederet iure libertatis, quia probabilitas dat libertatem ad operandum: ſed euidentia liciti dat maiorem & fortiorem libertatem ad operandum licitum, quàm probabilitas liciti dat ad illud operandum; & vt prohibeatur id, quod eſt euidenter licitum, non eſt neceſſe cedere iure: ergo vt prohibeatur id, quod eſt probabiliter licitum, non eſt neceſſe cedere iure.

20. Confirmatur ſecundò. Opinio probabilis eſt, quod ei, qui die ieiunij habet diſpenſationem ad comedendum carnes, licitum eſt cœnare. In tali caſu poteſt Prælatus ſubdito ſic diſpenſato prohibere cœnam legitima concurrente cauſa, putà ſi Prælatus ſit Regularis, & prohibitio cœnæ ſit ſecundum Regulam explicitè, vel implicitè, vel virtualiter, modo ex ponendo *diſp.* 28. ergo cùm ſit probabiliter licitum, poteſt illud prohibere Prælatus. Et ratio huius eſt: nam opinio probabilis, quæ aſſerit, ſubdito ad carnes diſpenſato licere cœnam, non aſſerit, nec poteſt aſſerere, quod liceat cœna, etiamſi prohibeatur legitimè à Prælato. Hoc autem habet ſimiliter locum in omnibus illis, quæ ſunt probabiliter licita; non enim fert ea probabilitas, quod illa ſit probabiliter licita, etiam adueniente denuò prohibitione Prælati.

21. *Etiamſi eſſet euidenter licita Theologis aſſertio minùs pia, poſſet prohiberi.*

Hinc facilè conſpicies, in quo ſita ſit Caramuelis æquiuocatio circa opinationem minùs piam de Conceptione B. Mariæ Virginis cum labe originali. Etenim dato, quod ea ſententia ſit probabilis (de quo vide *diſp.* 9. *cap.* 18.) ante prohibitionem probabiliter licitum erat, illam defendere; aut, ſi mauis, euidenter licitum. Vt autem id, quod eſt euidenter licitum, prohibeatur, nulla ceſſio iuris neceſſaria eſt, vt patet ex ſupradictis: & ideò concurrente cauſa legitima, independenter à quavis ceſſione iuris potuit prohiberi. Numquid ius, quod ante prohibitionem habebant Theologi ad defendendam ſententiam minùs piam, erat fortius aut ſtrictius, quàm id, quod habebant homines ante prohibitionem, ad comedendum ſæpiùs in die, aut ad vacandum ſeruilibus? Sicut ergo, non obſtante hoc iure, & non obſtante euidentia de re licita, hæc duo prohiberi potuerunt independenter à qualibet ceſſione iuris; ita licèt ante prohibitionem haberent ius ad defendendam opinionem minùs piam, & tunc eſſet probabiliter, vel euidenter licitum eam defendere; talis defenſio prohiberi potuit independenter à qualibet ceſſione iuris. Nam opinio probabilis, vel concluſio ſcientifica, quæ aſſerebat, licitum eſſe ante prohibitionem defendere opinionem minùs piam, non aſſerebat, nec poterat aſſerere, eſſe licitum eam defendere poſt prohibitionem legitimis motiuis innixam. Et hinc conſtat, quod in caſſum ceciderit Caramueli eius demonſtratio, & qua ratione ſoluenda ſit.

Confirmatur primò ex doctrina Caramuelis *in Theolog. fundam. num.* 1775. *fundam.* 59. vbi ait: [Scias, ius naturale eſſe duplex, permiſſiuum, & præceptiuum; illudque humanitus poſſe reſtringi, hoc autem debere neceſſariò obſeruari.] Inquiro ergo, an ius ſequendi opinionem probabilem circa Conceptionem, ſit permiſſiuum, an præceptiuum? Euidens eſt, eſſe ſolùm permiſſiuum: ſed ius permiſſiuum, per te poteſt humanitus reſtringi, nempe prohibitione rei permiſſæ: ergo ius defendendi opinionem Conceptionis potuit humanitus reſtringi, & prohiberi defenſio talis opinionis. Præterea non dicitur humanitus poſſe reſtringi ius, quod non poteſt tolli, aut limitari, niſi ſponte deſeratur: ſed per te ius permiſſiuum poteſt humanitus reſtringi: ergo vt tollatur, non eſt neceſſe, quod ſponte deſeratur: ergo ad id non eſt neceſſaria ceſſio iuris ſpontanea. 22. *Ius naturale permiſſiuum poteſt reſtringi abſque ceſſione iuris.*

Confirmatur ſecundò. Stat, aliquam propoſitionem eſſe probabilem; & tamen eſſe grauiter prohibitum, eam aſſerere, independenter à ceſſione iuris: ergo quamvis ſit probabilis ſententia minùs pia, cum hoc ſtat, quod prohibeatur independenter à ceſſione iuris. Antecedens oſtenditur primò. Multa enim inter coniugatos ſunt probabiliter licita, multa euidenter; & tamen prohibitum eſt ea palam aſſerere, tum propter periculum audientium, tum propter turpiloquium vitandum. Secundò. Mihi probabile eſt, & ſi placet, euidens, quod Berta v.g. clam incurrerit defectum ignominioſum; & tamen prohibeor eam ignominiam palam aſſerere. 23. *Stat, propoſitionem eſſe probabilem, & affirmationem eius eſſe prohibitam, independenter à ceſſione iuris.*

CAPVT IV.

Poſſe præcipere Prælatum, quæ ſunt probabiliter illicita, & teneri ſubditum obedire independenter à ceſſione iuris.

ANte ſecundam concluſionem præmitto primò. Prælatus poteſt præcipere quidquid eſt euidenter licitum, ſcilicet concurrentibus cæteris ad valorem legis, vel præcepti requiſitis. Patet aſſertio ex ipſa eius explicatione. Etenim contra legem, vel præceptum Prælati non poteſt opponi exceptio de non licito, quando fuerit euidenter licitum: quod ex ipſis terminis notum eſt. 24. *Poteſt Prælatus iubere, quod eſt euidenter licitum.*

Præmitto ſecundò. Id, quod proponitur vt probabiliter licitum, & probabiliter illicitum, ex dictamine reflexo eſt euidenter licitum. Hanc aſſertionem demonſtraui *diſp.* 10. *cap.* 7. *art.* 1. *concluſione* 3. hoc ſyllogiſmo demonſtratiuo: [Licitum eſt ſequi opinionem, quæ proponitur vt practicè probabilis: ſed opinio A, mihi proponitur vt practicè probabilis: ergo licitum eſt mihi ſequi opinionem A.] Nam præmiſſæ ſunt euidentes, & concluſio legitimè deducta ex præmiſſis 25. *Quod proponitur vt probabiliter licitum, eſt euidenter licitum.*

Digitized by Google

miſſis euidentibus eſt ſcientifica. Nam quod attinet ad minorem, licèt non ſit mihi euidens opinionem A, eſſe probabilem; poteſt tamen mihi eſſe euidens, quod opinio A, proponitur mihi vt probabilis.

26. *Independenter à ceſſione iuris præcipi poſſunt, quæ probabiliter illicita.*

Sit ſecunda concluſio. Independenter à ceſſione iuris poteſt Princeps, vel Prælatus præcipere, quæ ſunt probabiliter licita, & probabiliter illicita, ſcilicet concurrentibus cæteris requiſitis ad valorem præcepti; & ſubditus probabilitatem cognoſcens, tenetur obedire. Hæc concluſio eſt contra Caramuel. cit. qui ad id requirit ceſſionem iuris: & præcipuè *in Regulam n.* 1582. vbi expreſsè loquitur, cùm Abbas *præcipit aliquid, quod probabiliter eſt iniquum.* Et contra Authores ſecundæ ſententiæ. Et pro illa ſtant Authores primæ ſententiæ, nec pro hac parte allego Auguſtinum ſuprà cit. *num.* 9. quia Auguſtinus in eo loco non aſſerit militem teneri obedire, quando non eſt certum, eſſe contra legem Dei; ſed ſolùm ait poſſe obedire.

27. Ex duabus præmiſſis aſſertionibus patet concluſio. Quoties Princeps, vel Prælatus præcipit id, quod eſt euidenter licitum (concurrentibus cæteris requiſitis) legitimè præcipit, & ſubditus tenetur obedire: ſed quando præcipit id, quod proponitur vt probabiliter licitum, & probabiliter illicitum, præcipit aliquid, quod (ex dictamine reflexo) eſt euidenter licitum: ergo quando præcipit id, quod eſt probabiliter licitum, & probabiliter illicitum, legitimè præcipit, & ſubditus tenetur obedire. Conſequentia tenet. Maiorem autem, & minorem eſſe euidentes, patet ex duobus aſſertis præmiſſis initio huius capitis.

28. *Poteſt materia præcepti eſſe euidenter licita, & præceptum euidenter illicitum.*

In concluſione locuti ſumus, quando materia præcepti, vel legis eſt probabiliter illicita, dummodò præceptum ſit etiam probabiliter licitum. Notandum enim eſt, poſſe intelligi, quod præceptum ſit illicitum, vel ex parte materiæ, vel ex parte præcepti. Contingit enim aliquando, materiam præcepti eſſe euidenter licitam, & præceptum euidenter illicitum. Ita ſi tributum imponatur ſine vlla neceſſitate Principis, vel Reipublicæ, ſubditi non peccant ſoluendo; atque adeò materia (ſcilicet ſolutio ſubditi) licita eſt; peccat tamen Princeps imponendo. Similiter dum iudex, qui ſine præuio examine requiſito præcipit reo confeſſionem delicti, reus non peccat confitendo, adeóque materia præcepti eſt licita; peccat tamen iudex interrogando illegitimè, & ideò ex parte præcepti ſe tenet culpa.

29. *Si præceptum proponatur vt probabiliter illicitum, obligat independenter à ceſſione iuris.*

Dicendum itaque conſequenter eſt, ſi præceptum ex parte ſui proponatur vt probabiliter licitum, & probabiliter illicitum (concurrentibus cæteris requiſitis ad valorem præcepti) illud tenet, & ſubditus tenetur obedire: quod eodem ſyllogiſmo probatur. Quando præceptum ex parte ſui eſt euidenter licitum (concurrentibus cæteris requiſitis) ſubditus obedire tenetur: ſed quando ex parte ſui præceptum proponitur vt probabiliter licitum, & probabiliter illicitum, ex dictamine reflexo eſt euidenter licitum: ergo quando præceptum ex parte ſui proponitur vt probabiliter licitum, & probabiliter illicitum, ſubditus tenetur obedire.

30. Hinc patet ſolutio ad tria priora argumenta ſecundæ ſententiæ, quæ in eo vertuntur cardine, quod vbi eſt probabile, quod præceptum eſt illicitum, eſt etiam probabile, quod iuriſdictio Principis, vel Prælati non extendatur ad illud, cùm certum ſit, iuriſdictionem Principis, vel Prælati non extendi ad illicitum. Dicendum enim eſt, in caſu dicto, vbi proponitur tanquam probabile, quod præceptum eſt licitum, ex dictamine reflexo euidens eſſe, quod non eſt illicitum.

Itaque ad primum *num.* 11. propoſitum, diſtinguo maiorem: Prælatus non habet iuriſdictionem præcipiendi, quod eſt illicitum [ex dictamine directo, ſi ex dictamine reflexo ſit euidenter licitum,] nego; [aliàs,] concedo. Similiter diſtinguo minorem: Probabile eſt, quod obiectum A, eſt illicitum [ex dictamine directo,] concedo; [ex dictamine etiam reflexó,] nego. Itaque non eſt probabile, quod illicitum ſit operari ſecundum dictamen, quod proponitur vt probabile; hoc enim dictamen, [Licitum eſt mihi operari, quod mihi proponitur vt probabile,] eſt omninò certum. 31.

Ad ſecundum, concedo illam maiorem, quod quando eſt probabile, quod ſubditus non tenetur obedire, vtique non tenetur. Et diſtinguo minorem: quando materia eſt probabiliter illicita [ex dictamine directo, & euidenter licita ex dictamine reflexo,] probabile eſt, quod ſubditus non tenetur obedire, nego; quando eſt probabiliter illicita, [tam ex dictamine directo, quàm ex reflexo,] concedo. 32.

Ad probationem minoris ſimiliter admitto maiorem, ideò non teneri ſubditum obedire, quando eſt opinio probabilis, quod non tenetur obedire, quia poſſeſſio iuriſdictionis Prælati tunc vocatur in dubium. Et diſtinguo minorem: quando probabile eſt, quod materia eſt illicita [ex dictamine directo, & euidenter licita ex dictamine reflexo,] etiam iuriſdictio in hanc materiam vocatur in dubium, nego; quando probabile eſt, quod eſt illicita [tam ex dictamine directo, quàm ex reflexo,] concedo. Eſt enim certiſſima iuriſdictio Prælati in materiam euidenter licitam, qualis eſt illa, quæ ſubdito proponitur vt probabiliter licita, cùm illa ex dictamine reflexo ſit euidenter licita. 33.

Tertium argumentum in multis deficit. Primò enim, cùm quæſtio procedat de poteſtate præcipiendi in materia probabili; vt argumentum recta via procederet, deberet aſſumere in maiori, quod Chriſtus non habet poteſtatem præcipiendi in materia probabili, vt inde ea poteſtas denegetur Prælatis. Sic tamen eſſet planè falſa: ſicut enim poteſt quis voto ſe obligare ad vnam opinionem ſequendam, & reiiciendam oppoſitam; ita & Chriſtus poteſt hominem ad id obligare. 34.

Id quidem ita eſt, ſi Chriſtus in generali præciperet, quod in opinionibus probabilibus (ſicut in dubiis) ſemper ſtrictiorem partem ſequereris, aut alio ſimili modo generali. Nam ſi Chriſtus, vel Eccleſia Romana præcipiat aliquid in ſpecie, ex ipſo præcepto ſpeciali argueretur euidenter, rem imperatam eſſe euidenter licitam, etiam directè, quia Chriſtus in hoc errare non poteſt; & Eccleſia Romana ex priuilegio Chriſti in materia morum errare nequit. 35.

Deinde argumentum dumtaxat probat, quod ſubditus non obligatur ad eum caſum, qui probabiliter cenſetur non incloſus in præcepto Prælati, quod eſt verum: inde autem malè probatur, quod Prælatus non habeat poteſtatem 36.

Digitized by Google

præcipiendi in materia probabiliter licita.

Præteteà conſequens inuoluit eam propoſitionem, quam ſæpe diſtinxi, & ſimiliter diſtinguenda eſt. Prælatus non habet ius certum præcipiendi quod eſt probabiliter illicitum,] ex dictamine directo, & euidenter licitum ex dictamine reflexo,] nego: quod eſt probabiliter illicitum [ex dictamine directo, & reflexo,] concedo: quod patet ex dictis.

CAPVT V.

An extendatur doctrina tradita ad quamlibet materiam probabilem?

38. *Dum probabile eſt, non dari præceptum, aut iſtud non extendi ad hunc caſum, poteſt ſubditus non parère.*

ANte omnia tanquam certum ſupponendum eſt, quando datur opinio probabilis aſſerens, non dari præceptum, aut iſtud hic & nunc non extendi ad præſentem caſum; non teneri ſubditum obedire. Tum quia ea opinio probabilis ſubditum excipit à præcepto. Tum etiam quia præceptum non eſt certum abſolutè, vel pro hoc caſu præſenti: ideoque non militat ratio *cap. præcedenti* allata, quæ ſupponit præceptum omnino certum, & certò determinatum ad caſum præſentem.

39. *Ad præceptum requiruntur aliæ qualitates, præter eſſe licitum.*

Deinde ſuppono, ad valorem legis non ſufficere, quod illa ſit de materia licita; requiruntur enim aliæ conditiones, ſcilicet, quod ſit moraliter poſſibilis, Reipublicæ vtilis, quod materia non ſit extra ſphæram præcipientis, quod ſit promulgata, & non conſuetudine abrogata. Nam de acceptatione legis dicam *diſp. 29.* Ex quibus conditionibus aliquæ non requiruntur ad valorem præcepti priuato ſubdito impoſiti. Hinc fit, quod probabilitas poteſt ſe tenere, non ſolùm ex parte eius qualitatis, nempe quod materia ſit licita, ſed etiam ex parte omnium aliarum. Poteſt enim eſſe probabile, quod materia licita legis ſit moraliter impoſſibilis, vel inutilis, vel extra ſphæram iuriſdictionis, vel non promulgata vel conſuetudine abrogata.

40. Et quidem rarus eſt caſus, in quo deſeruiat ad praxim huius quæſtionis probabilitas carentiæ harum qualitatem legis. Nam quod attinet ad impoſſibilitatem moralem, hæc ſi inuenitur, certa eſt, & non dumtaxat probabilis; præcipuè cùm ſit res facti, quæ plenè probatur per motiua æquiualentia teſtimonio duorum teſtium omni exceptione maiorum, abſque aliorum contradictione teſtantium. Inutilitas legis vel euidens eſt, vel difficilè probabilitatem ſubibit, cùm non teneatur ſuperior declarare finem adæquatum, ad quem legem dirigit: vtilitas enim legis penes finem commenſuratur. Si probabile eſt, legem non fuiſſe promulgatam, probabile eſt deficere valorem legi: quod ſi ſit præceptum ſpeciale ſuperioris iniungentis obſeruantiam eius legis, tunc non obligantur leges, ſed præcepto ſuperioris verſante in materia eius legis, niſi forſan falſa præſumptione nitatur. Et idem dic, quando probabile eſt, legem fuiſſe conſuetudine abrogatam. Habet autem maiorem locum quæſtio circa eam qualitatem, quod materia probabiliter egrediatur ſphæram imperantis, & iuriſdictionem illius.

41. Igitur alicui dicendum videbitur, quando probabilitas ſe tenet ex parte prædictarum qualitatum legis diſtinctarum à qualitate licitæ, ſubditum non teneri obedire, niſi cedat iure ſequendi opinionem probabilem. Tum propter manifeſtam diſparitatem inter qualitatem licitæ, de qua *cap. præcedenti*, & inter cæteras qualitates legis proximè numeratas. Tum etiam propter ſpecialem rationem ſecundæ ſententiæ, quæ videtur vim ſuam retinere circa has qualitates legis.

42. *Quid interſit inter qualitatem liciti, & cæteras qualitates?*

Hæc diſparitas clarè oſtenditur. Etenim ſi materia legis proponitur vt probabiliter licita, ex dictamine reflexo explicato eſt euidenter licita: at ſi probabile eſt, quod materia legis eſt moraliter impoſſibilis, & probabile, quod eſt moraliter poſſibilis, nullum dictamen reflexum facit, quod ſit euidenter poſſibilis. Nam hoc dictamen reflexum, quod non peccat ille, qui ſequitur opinionem ſibi propoſitam vt probabilem, ſolùm infert, quod ſit licita ea materia; neque eſt, vnde inferat, illam eſſe moraliter poſſibilem. Stat enim probabilitas de impoſſibilitate morali huius materiæ cum euidentia reflexa de honeſtate morali eiuſdem.

43. *Si lex eſt probabiliter inutilis, ex nullo dictamine reflexo ſit euidenter vtilis.*

Item ſi probabile eſt, quod materia legis, quamvis licita, ſit inutilis, id eſt, ad nullum debitũ finem ordinata, aut conducens; & ſimul probabile, quod vtilis eſt, ex nullo dictamine reflexo fit euidens, quod illa ſit vtilis, & ad debitum aliquem finem conducens. Nam ex dictamine reflexo ſolùm fit euidens, quod licitè poſſumus operari id, quod eſt probabile. Et optime ſtat, aliquid eſſe euidenter licitum, & adhuc eſſe inutile.

44. Argumentorum autem ſecundæ ſententiæ robur ſic videtur inſtaurari poſſe pro libertate ſubditi, quando probabile eſt, deficere qualitates proximè numeratas, aut aliquam earum. Etenim præceptum Prælati non tenet, quando materia præcepti eſt moraliter impoſſibilis, vel inutilis: ſed probabile eſt, quod materia huius præcepti eſt moraliter impoſſibilis, & inutilis: ergo probabile eſt, quod hoc præceptum non tenet. Sed idem eſt, quod præceptum non teneat, & quod ſubditus non teneatur obedire: ergo ſi probabile eſt, quod præceptum non tenet, probabile eſt, quod ſubditus non tenetur obedire. Confirmatur. Si eſſet certum, quod materia legis eſt moraliter impoſſibilis, eſſet certum, quod illa non obligat: ergo ſi eſt probabile, quod illa eſt moraliter impoſſibilis, eſt probabile, quod non obligat.

45. Et quidem Caramuel, vt vidimus *cap. 1.* docet, ſuperiores omnes habere poteſtatem præcipiendi in materia probabili, non quidem ab authoritate, quæ illis competat independẽter ab acceptatione ſubditorum, ſed potiùs dependenter ab hac, eo quod ſunt in poſſeſſione præcipiendi in materia probabili, & in poſſeſſione acceptationis ſubditorum, qui vniuerſaliter iam diu acceptant eiuſmodi leges in materia probabili; & hoc pacto cedunt iure ſequendi, & eligendi opinionem probabilem. Vidimus *cap. 2.* eum in probatione huius concluſionis, etſi certam eſſe aſſerat, paſſum eſſe æquiuocationem. An iſte ſecundus titulus ſufficiens ſit, vt obligentur ſubditi obedire in materia probabili, examinabimus *cap. 7.* In ſequenti verò diſcutiendum eſt, an Prælati non modò poſſeſſionem habeant præcipiendi in qualibet materia probabili, ſed & proprietatem, id eſt, authoritatem intrinſecam præcipiendi in hac, ſicut & in aliis materiis

Digitized by Google

riis; & non ſolùm ex eo capite, quod ſubditi ceſſerint iure eligendi opinionem probabilem.

CAPVT VI.

Reſoluitur quæſtio capite præcedenti propoſita.

46. *Poteſt Prælatus præcipere in qualibet materia probabili, independenter à ceſſione iuris.*

SIt tertia concluſio. Poteſt quælibet Reſpublica, præſertim Eccleſiaſtica, præcipere in qualibet materia probabili, independenter à ceſſione iuris ſubditorum, dummodo certa ſit abſoluta iuriſdictio ſuperioris imperantis. Et quidem quod homo poſſit ſeipſum voto, vel contractu obligare ad reſpuendam vnam opinionem, & oppoſitam ſequendam, patet ex *num.* 34. *& diſp.* 15. *num.* 623. Quod autem hanc eandem obligationonem poſſint imponere ſuperiores, oſtendo hac ratione, quam moraliter demonſtratiuam exiſtimo.

47. *In qualibet Rep. eſt poteſtas dirimendi lites.*

Pro cuius intelligentia has poſitiones ſtatuo. Prima. Certum eſt, in qualibet Republica eſſe poteſtatem dirimendi lites. Patet. Nam in qualibet Republica eſt poteſtas ponendi ea media moralia, quæ ſunt abſolutè neceſſaria ad ſui conſeruationem. Atqui ordo dirimendi lites eſt medium abſolutè neceſſarium ad conſeruationem Reipublicæ; ſi enim deficerent iudices litium & controuerſiarum in Republica, vnuſquiſque fieret iudex ſuarum actionum, & iniuriarum, vnuſquiſque propriis manibus raperet ab inuitis, quæ ſua eſſe contenderet, vnuſquiſque proprias iniurias vindicaret: qua ratione Reſpublica arderet mutuis odiis, & contentionibus, continuis ciuium internecionibus redundaret, & inde neceſſariò abiret Reſpublica in ruinam, & præcipitium.

48. *Implicat eſſe Remp. quæ nõ poteſt dirimere lites.*

Et quidem ex terminis repugnat, eſſe Rempublicam illam, quæ non poteſt ponere moralia media, vt conſulat publicæ vtilitati, & communitatis conſeruationi. Hinc fit, repugnare Rempublicam, quæ non poſſit condere leges, ſiue ordinationes, quæ ſunt vtiles (nedum quæ ſunt neceſſariæ) ad ſui conſeruationem, in qua ſtat præcipua pars publicæ vtilitatis. Cùm ergo ordo dirimendi lites, & leges ad eum ordinem valde conducentes, ſint quid abſolutè neceſſarium ad conſeruationem Reipublicæ; quænam erit hoc nomine digna, quæ non habeat poteſtatem conſtituendi ordinem dirimendi lites?

49. *Ad dirimendas lites non ſufficiunt ſententiæ merè pœnales.*

Secunda poſitio. Impoſſibile eſt, quod ad dirimendas omnes lites, præcipuè Eccleſiaſticas, ſufficiant ſententiæ iudicum merè pœnales, & quæ nullo modo obſtringant conſcientias ſubditorum. Etenim difficillimum erit iudici Eccleſiaſtico (imò verò impoſſibile) cogere pœnis temporalibus hominem potentiorem ad ineundum matrimonium, ad quod ex iuſtitia tenetur; Henricum octauum Angliæ Regem ad retinendam vxorem, quam contra ius & fas repudiauit; aut ad deſerendam Annam, quam inualidè duxit; litem dirimere ſententia purè pœnali inter duos Magnates (qui pœnas temporales non timeant) poſtulantes in iudicio eandem vxorem. Quomodo poterit Eccleſiaſticus iudex pœna temporali cogere virum Principem, vt conſanguineam, cum qua inualidè contraxit, aut ſecundam vxorem, quam viuente priore duxit, omninò deſerat? Quomodo poterit in cauſa immunitatis Eccleſiaſticæ Iudices, & Magiſtratus ſæculares vincere ſola pœna temporali, quam potentia ſua elidere facillimè poterunt. Deinde plerumque non valet Eccleſia in cauſis decimalibus lites dirimere aliter, quàm vtendo ſpiritualibus armis, interminando excommunicationem latæ ſententiæ, quæ reatum conſcientiæ ſupponit, & violationem impoſiti præcepti grauiter obligantis. Et ſic in ſexcentis aliis.

50. *Eccleſia Prælatis contulit poteſtatem dirimendi lites per præcepta, & cenſuras.*

Hanc ob cauſam Eccleſia poteſtatem contulit Prælatis Eccleſiaſticis ad dirimendas lites per coactionem armorum ſpiritualium præcepti, & excommunicationis, vt patet ex multis textibus Decretalium, & Sacrorum Canonum. Et prætereà vniuerſalis Eccleſiæ conſuetudo id ſuadet: quæ quidem conſuetudo, dum antiqua eſt, & præſcripta, iuriſdictionem confert, vt conſtat *ex cap. duo ſimul, de officio Ordinarij, & cap. conqueſtus* 9. *queſt.* 3. & *cap.* 2. *& vlt.* 18. *queſt.* 2. & docet Nauarrus *comment.* 2. *de Regular. num.* 63. *& comment.* 3. *fin.* & communiter Doctores.

51. Confirmatur hæc ſecunda poſitio. Ad dirimendas authenticè lites per iudicialem ſententiam, quilibet iudex poteſt imponere præcepta pœnalia: aſt qui habet authoritatem imponendi præcepta pœnalia, habet etiam authoritatem obſtringendi conſcientias. Nam quod de facto præcepta ſint dumtaxat pœnalia, non eſt defectu poteſtatis ad obſtringendum conſcientias, ſed potiùs ex benignitate ſuperioris nolentis obſtringere, niſi ad pœnam. Ergo cùm conſtet, poſſe iudices dirimere lites iudicialibus ſententiis obſtringentibus ad pœnam, conſtat etiam, habere poteſtatem ad ferendas eiuſmodi ſententias obſtringendo conſcientias.

52. *Impoſſibile eſt, iudicem ſemper dirimere lites ex dictamine euidenti.*

Tertia poſitio. Impoſſibile eſt, iudicem ſemper dirimere lites ex dictamine euidenti; neceſſarium eſt, quod plerumque dirimat ex dictamine probabili. Hæc poſitio meridiano ſplendore clarior eſt, cùm ipſa experientia diebus ſingulis demonſtret. Quis enim eſt in orbe terrarum iudex iſte, qui ſemper habeat euidentia dictamina, ex quibus ſententias iudiciales depromat in omnibus litibus, quæ occurrunt?

53. Ex his conuincitur veritas ſtatutæ concluſionis. Superior, præcipuè Eccleſiaſticus, habet poteſtatem dirimendi lites; idque per præcepta conſcientias obſtringentia: ſed non poteſt dirimere lites, niſi præcipiendo in materiis probabilibus: ergo habet poteſtatem præcipiendi in materiis probabilibus, obſtringendo conſcientias.

54. Conſequentia aperta eſt, tum ex connexione ipſa rerum, tum etiam, quia ſyllogiſmus facilè reducetur ad primum modum primæ figuræ, ſi ſecundam propoſitionem conuertas in maiorem. Et maior ſyllogiſmi, ſiue prima propoſitio, habet duas partes: prior patet eſt poſitione prima, & poſterior ex poſitione ſecunda. Minor autem patet ex poſitione tertia.

55. Dices, hinc inferri, poſſe Superiorem præcipere in materia probabili, dum in iudicio dirimit lites; non verò extra caſum litis.

56. *Poteſt præcipere in materia probabili, etiam extra caſum litis.*

Hæc tamen reſponſio nihil minuit vim argumenti. Etenim caſus litis non dat hanc poteſtatem præcipiendi in materia probabili, ſed demonſtrat. Nam ſubditi non tenentur obedire magis intra iudicium forenſe, quàm extra; nec Prælatus accipit maiorem ſphæram ſuæ poteſtatis

Digitized by Google

ex diſcordia ciuium, quàm iſta ſecluſa. Deinde nam ſemel intellecta, & admiſſa poteſtate Superioris ad præcipiendum in materia probabili, determinando vi præcepti ad vnam partem probabilitatis; ex quo capite, vel fundamento poterit negari eadem poteſtas ad præcipiendum extra iudicium forenſe?

57. *Chriſtus habet poteſtatem præcipiendi in materia probabili. Et contulit Prælatis hanc poteſtatem.*

Confirmatur primò, & explicatur ampliùs concluſio. Chriſtus enim (quis negare audeat?) habet poteſtatem præcipiendi in materia probabili, vt dixi *cap.* 4. *num.* 34. Tum ſic. Chriſtus contulit Prælatis Eccleſiæ omnem poteſtatem neceſſariam ad eius gubernationem: ſed poteſtas præcipiendi in materiis probabilibus eſt neceſſaria ad eius gubernationem, vt conſtat ex dictis: ergo Chriſtus contulit Prælatis Eccleſiæ poteſtatem præcipiendi in materiis probabilibus. Patet ergo, quod ſicut homo poteſt ſeipſum ex voto, vel contractu obligare ad alteram partem probabilitatis; ita & Prælatus, præcipuè Eccleſiaſticus, poteſt obligare ſubditos ad alteram partem probabilitatis in materia, quæ pro vtraque parte probabilis eſt.

58. *Subditus non habet ius maius ad opinionem probabilem, quam ad comedendum.*

Confirmatur ſecundò. Legiſlator enim poteſt ferre legem, qua priuet ſubditos iure libertatis, ſi quod habent, ſequendi quamvis opinionem probabilem, contra præcepta ſuperiorum: ergo poteſtatem habent præcipiendi in quavis materia probabili. Antecedens probatur. Nam id contingit in reliquis legibus. Etenim ante præceptum ieiunij quilibet homo habet ius, & poteſtatem comedendi ſæpius in die; & ante præceptum obſeruationis feſtorum habet ius, & libertatem exercendi ſeruilia pro libito; & tamen præceptum priuat ſubditos eo iure libertatis: ergo quamvis homo ante præceptum habeat ius libertatis ad ſequendam quamvis opinionem probabilem, poterit priuare præceptum ſubditos eo iure libertatis.

59. *Sicut ſubditus voto ad vnam opinionem, ita præcepto obſtringi poteſt.*

Ad argumentum ſuprà *num.* 44. propoſitum reſpondeo primò, illud eandem vim habere in voto, quo quis cognita vtriuſque partis probabilitate, ſe determinat ad vnam partem. Demus materiam voti probabiliter habere moralem impoſſibilitatem, & probabiliter carere morali impoſſibilitate; & quod cognita hac vtriuſque partis probabilitate, adhuc vouere velis materiam illam, quamvis probabiliter impoſſibilem, ideſt, probabiliter difficillimam. Votum validum eſt, cùm cognita rei difficultate ſpontaneè velis illam ſubire. Et tamen militat idem argumentum, quod contra præceptum ſuperioris in materia probabiliter (non certò) difficillima proponebatur. [Quando materia voti eſt moraliter impoſſibilis, votum non tenet: ſed probabile eſt, materiam voti eſſe impoſſibilem: ergo probabile eſt, votum non tenere.]

60. Idem contingit in voto ieiunandi omnibus ſextis feriis totius anni: ſi enim Natiuitas Domini incidat in feriam ſextam, illo vouens probabiliter abſoluitur ab obligatione ieiunandi; quia votum eius probabilem ſubit interpretationem ſecundum modum conſuetum ieiunandi, in Eccleſia. At ſi ipſe voto ſuo hanc probabilem interpretatioenm excludat, tenebitur ieiunare etiam in die natalitio Domini.

61. Et ſimile argumentum poteſt contra hoc votum efformari. Quando votum ieiunandi ſubit interpretationem, quæ excludat aliquem diem, votum non obligat ad ieiunium illius diei: ſed probabile eſt, quod votum ieiunandi omnibus ſextis feriis, ſubit interpretationem excludentem Natalitia Domini: ergo probabile eſt, quod non tenetur ieiunare in Natalitiis Domini.

62. *Si votum excludit reflexè probabilitatem, determinat ad vnam partem.*

Huic enim ſyllogiſmo reſpondendum eſt, maiorem eſſe diſtinguendam: nam ſi votum excluſerit reflexè eam interpretationem, falſum eſt, quod illud non obliget. Similiter reſpondendum eſt ad ſyllogiſmum proximè antecedentem de materia voti probabiliter difficillima. Nam quando materia voti eſt probabiliter impoſſibilis, votum tenet, ſi reflexè ex præcognita probabilitate moralis impoſſibilitatis, ad iſtam ſe extendit.

63. *Si præceptum excludat reflexè hanc opinionem, obligat ad illam non ſequendam.*

Idem ergo reſpondendum eſt ei ſyllogiſmo propoſito ſuprà *num.* 44. diſtinguendo maiorem: præceptum non tenet, quando materia eſt moraliter impoſſibilis,] ſi non procedat præceptum ex præſuppoſita probabilitate impoſſibilitatis,] concedo; [ſi procedat ex præſuppoſita probabilitate impoſſibilitatis,] nego. Itaque quando præceptum talis energiæ eſt, vt excludat probabilitatem, & determinet ad vnam partem, probabilitas limitatur præcepto, ſicut potuit limitari voto.

64. Ad confirmationem conceſſo antecedenti, nego conſequentiam. Quia ſupra impoſſibilitatem moralem certam non habet iuriſdictionem Prælatus, non ſic ſupra impoſſibilitatem moralem incertam, & dumtaxat probabilem; quia dum incerta, & probabilis eſt, protendit ad illam imperium ſuum.

65. *An, & quando probabilitas limitetur præcepto, aut è conuerſo.*

Dixi, probabilitatem limitari præcepto, quando præceptum talis energiæ eſt, vt excludat probabilitatem, & determinet ad vnam partem. Nam ſi lex ſit generalis, & in hoc caſu, vel illo patiatur probabilem interpretationem, hæc probabilitas non limitatur præcepto, ſed potiùs præceptum limitatur probabilitate; & probabile eſt, te non obſtringi præcepto. Si verò circa illud ſpeciale, in quo eſt probabilitas opinionum, verſetur præceptum, iam præceptum excludit probabilitatem, & determinat ad vnam partem. Id tamen intellige, dummodo non concurrat circumſtantia, quæ præcepti valorem trahat in dubium, aut probabilitatem.

66. *Obligat præceptum, ſi præcipiat tempore interdicti audire Miſſam vi priuilegij probabilis.*

Exemplo elucidatur doctrina. Eſt præceptum audiendi Sacrum die feſto. Poſito interdicto generali, eſt tibi probabile, quod vi priuilegij licet tibi audire Miſſam, & ſimul probabile, quod non licet. In tali caſu non teneris audire Miſſam: nam præceptum generale audiendi Sacrum nullam circumſtantiam inuoluit, quæ includat obligationem audiendi in caſu talis probabilitatis. Deinde ſi Superior Eccleſiaſticus præcipiat tibi in hoc die feſto, & in hoc tempore interdicti audire Miſſam vi eius priuilegij probabilis, teneris vi ſpecialis præcepti audire Miſſam. Tum quia dum tibi proponitur vt probabile quod liceat, eſt tibi euidenter licitum, ex dictis *cap.* 4. Tum etiam, quia Prælatus habet poteſtatem præcipiendi in materia probabili, vt patet ex dictis in hoc capite. Prætereà ſi in prædicto caſu ſit probabile, quod illud præceptum non ſit ſufficienter intimatum, qualiter de iure requiritur, non teneris audire Miſſam, quia præceptum debet eſſe omni ex parte certum vt obliget circa materiam probabilem, quam iniungit.

67. *An ſubditus debeat obedire*

Dices, hinc inferri, ſubditum teneri obedire, quando ei imponitur tributum probabiliter iu-

ſtum

Digitized by Google

quoad vectiga l probabiliter iniuſtum?

ſtum, & probabiliter iniuſtum, cùm ex dictis Princeps poſſit præcipere in materia probabili; & iuſtitia tributi, vt ſupponitur, ſit materia pro vtraque parte probabilis. Atqui durum videtur, obligari ſubditum ad ſoluendum tributum probabiliter iniuſtum.

68. Reſpondetur primò, leges imponentes tributa, vt in plurimum eſſe purè pœnales, atque adeò non obſtringentes conſcientiam. Ita Nauarrus, Angelus, Beja, Duardus, Sà, Malderus; & probabile cenſent Leſſius, & Bonacina, quos refert, & ſequitur Diana *part.* 1. *tract.* 10. *reſol.* 19. Quo pacto non habet locum obiectio.

Leges de gabellis eſſe purè pœnales.

69. Reſpondetur ſecundò, leges, quæ afferunt ſubdito iniuriam probabilem, vel etiam alteri tertio, pati poſſe benignam interpretationem. Tum quia credibile eſt, nolle Principem inferre ſubdito iniuriam etiam probabilem. Tum quia non conſtat, eam legem inferentem damnum probabile, procedere in materia probabili, ex præſuppoſita probabilitate iniuſtitiæ tributi; fortè enim credit Princeps, eſſe certum moraliter, quod nulla in eo iniuria irrogatur ſubdito. Et hinc patet ad argumentum quartum propoſitum *cap.* 2. pro ſecunda ſententia.

Leges, quæ afferunt iniuriam probabilem, benignè interpretanda.

70. Ad quintum verò argumentum ibidem propoſitum, dicendum eſt, reum in cauſa ſanguinis, aut alia ſuppari, non teneri ad fatendum delictum ſemiplenè probatum, etſi iudex imperet; quia fateri crimen proprium eum periculo vitæ, non quidem probabiliter, ſed certò eſt moraliter impoſſibile.

Reus in cauſa ſanguinis non tenetur fateri delictū ſemiplenè probatum. Et quare?

CAPVT VII.

An, & qualiter ſubditi de facto ceſſerint iure libertatis ſequendi opinionem probabilem contra præcepta Superiorum?

71. CAramuel verbis ſuprà *cit. num.* 1. *&* 3. probat, ſubditos ceſſiſſe iure libertatis ſequendi opinionem probabilem, ex eo quod ſuperiores ſunt in quieta, præſcripta, & pacifica poſſeſſione præcipiendi in materia probabili. Quod eſt idem, ac dicere, ſubditos ceſſiſſe libertate ſequendi opinionem probabilem, dum ex diuturna, & præſcripta conſuetudine acceptauerunt leges imperantes in materia probabili.

72. Hanc autem aſſertionem non ſtare cum doctrina Caramuelis oſtendo. Ipſe enim ſæpiſſimè tradit, leges non valere donec acceptentur (licèt cum aliquibus limitationibus, quæ non ſunt ad rem præſentem:) ita *in Regul. S. Benedicti diſp.* 5. *num.* 48. *&* 49. & in aliis locis citandis *diſp.* 27. *cap.* 1. 2. *&* 3. Da nunc prodire legem à Superiore, quæ verſetur in materia probabili. Vel ergo hæc lex obligat ante acceptationem, vel non. Si primum dicas, infero: ergo falſa eſt aſſertio, quæ ſtatuit, non valere leges ante acceptationem. Si ſecundum: ergo ante acceptationem legis retinent ſubditi ius non obediendi in hac materia probabili: ergo nondum ceſſerunt iure non obediendi in hac materia probabili, cùm implicet contradictionem, quod cedant iure, & quod ſimul retineant ius.

An ex poſſeſſione Prælatorum iubendi in materia probabili, ſubditi ceſſerint iure probabilitatis?

73. Deinde præſcripta, & pacifica poſſeſſio ſuperiorum præcipiendi ſubditis, & obtinendi obedientiam ab illis, non prodeſt, ſecundum Caramuelem, vt leges poſteà à ſuperioribus emanantes cenſeantur acceptatæ; ſed non obſtante ea poſſeſſione, vlterius requiritur noua acceptatio: ergo præſcripta, & pacifica poſſeſſio ſuperiorum præcipiendi in materia probabili, & obtinendi ab illis obedientiam, non prodeſt, vt cenſeantur ipſi ſubditi ceſſiſſe iure ſequendi opinionem probabilem, imò non obſtante ea poſſeſſione, ad nouã legem in materia probabili noua ceſſio iuris requiritur. Conſequētia enim tenet ab identitate rationis; quia non minùs requiritur ad valorem legis acceptatio ſubditorũ, quàm ad valorem legis verſantis in materia probabili ceſſio iuris eorumdem: ſi ergo non valet lex, donec acceptetur denuò, etſi præceſſerit ea præſcripta ſuperiorum poſſeſſio, neque valebit lex verſans in materia probabili, donec denuò fiat ceſſio iuris ſequendi quamvis opinionem probabilem, etſi præceſſerit eadem præſcripta poſſeſſio ſuperiorum.

An ante acceptationem legis; ſubditi non ceſſerunt iure probabilitatis?

Denique: nam ipſe Caramuel in verbis citatis ſuprà *num.* 1. aſſerit, homines cedere iure libertatis, dum acceptant humanas leges: ſed poſita poſſeſſione præſcripta imperandi in materia probabili, adhuc, ſecundum hunc Authorem noua acceptatio requiritur: ergo noua ceſſio iuris: ergo poſita ea poſſeſſione nondum eſt facta ceſſio iuris requiſita. 74.

Igitur ad huius quæſtionis reſolutionem, quam nullus ante Caramuelem tetigerat, præmitto primò, vt ei locum demus, abſtrahendum eſſe à concluſione capitis præcedentis. Imò agitandæ quæſtionis cauſâ, dandum eſt Caramueli (non concedendum,) Prælatos ex ſe carere poteſtate præcipiendi in materia probabili, v. g. præcipiendi id, quod eſt probabiliter iniuſtum, vel probabiliter impoſſibile: & inquirendum, an ſubditi de facto ceſſerint iure ſequendi opinionem probabilem; ita quod ex hac ceſſione Prælati ius obtineant ad obligandum illos in materia probabili; & inſuper qualiter ceſſerint. 75.

Quemlibet cedere poſſe iure ſuo ſequendi quamvis opinionem probabilem, adſtringendo ſe ad vnam partem determinatam, manifeſtum eſt, cùm voto, vel cōtractu obſtringat homo libertatem ſuam ad vnam partem determinatam. Hac ratione ſutor, qui ratione opinionis probabilis habet libertatem non ieiunandi in die indicti ieiunij Eccleſiaſtici, poteſt voto ſe obſtringere ad ieiunandum; qua ratione amittit libertatem quam habebat ad non ieiunandum vi opinionis probabilis. Et Clericus, qui obſtringit ſe voto non variandi Officium Canonicum diei, aufert à ſe libertatem variandi, quam ſibi indulgebat opinio probabilis docens poſſe id officium variari abſque culpa lethali. Ad eum ergo modum poteſt ſubditus per votum aut contractum cum Prælato initum cedere iure libertatis ſequendi opinionem probabilem ad hoc, vt quoties Prælatus præceperit in materia probabili, ipſe ſubditus iam non poſſit opinionem eligere, ſed ſecundum eam partem à Prælato determinatam debet operari. 76.

Quilibet cedere poteſt iure ſequendi opinionem probabilem.

Quo poſito inquiritur, an quando Prælatus præcipit in materia probabili, ſcilicet probabiliter iniuſta, aut probabiliter impoſſibili, vel etiam probabiliter extra ſphæram iuriſdictionis poſita; per ſolam acceptationem eius præcepti ſubditus ita cedat iure ſuo, vt valeat præceptum, & illo maneat ſubditus obſtrictus? 77.

Digitized by Google

78. *Per ſolam acceptationem legis, ſubditus non cedit iure probabilitatis.*

Sit quarta concluſio (eaque mihi certa) contra Caramuelis aſſertionem relatam *cap.* 1. Per ſolam acceptationem eius legis ſancitæ circa materiam probabilem, non cedit ſubditus iure libertatis, quod habet ad eligendam opinionem probabilem. Nota, *Per ſolam*: ſupponimus enim, argumenti causâ, Prælatum ex ſe non habere iuriſdictionem ad præcipiendum circa materiam probabilem; neque antecedenter ad eam legem initum eſſe pactum inter Prælatum & ſubditum, quo ipſe ſubditus ſe obliget Prælato ad parendum illi in materia probabili.

79. *Per ſolam acceptationem conſilij nemo manet obligatus ad illud ſequendum.*

Oſtendo concluſionem primò. Cum audis bonum aliquod conſilium amici, etſi illud acceptes, & determinatè velis acceptare tanquam obligatorium, nec libertas tua manet obligata ad obſequendum conſilio, nec per eam voluntatem acceptandi cedis iure libertatis, quo gaudes ad operandum in materia eius conſilij, prout libuerit: ergo quatumvis acceptes illud præceptum Prælati in materia probabili, etſi velis vt obligatorium acceptare, nec libertas tua manet obſtricta, nec cedis iure libertatis ſequendi, quam libuerit, opinionem. Probatur conſequentia. Ideò non manes obligatus ad obſequendum conſilio, neque cedis in eo caſu iure libertatis, quia non præceſſit in conſulente amico poteſtas obligandi tuam libertatem: ſed in caſu prædicto non præcedit in Prælato poteſtas; hæc enim aduenire illi debet ex tua ceſſione iuris: ergo in caſu prædicto nec manet obligata tua libertas, nec cedis iure libertatis. Quare in prædicta hypotheſi illud, quod vocas præceptum Prælati in materia probabili, erit duntaxat bonum quoddam conſilium, quo libertas tua non obſtringetur, ſi verum eſt, quod Prælatus ex ſe non habet poteſtatem obligandi in materia probabili.

Eadem eſt ratio de conſilio, ac de præcepto carentis ex ſe poteſtate præcipiendi.

80. Oſtendo ſecundò. Per ceſſionem iuris obligas neceſſariò tuam libertatem: ſed per illam acceptationem præcepti in materia probabili, non obligas tuam libertatem: ergo per illam acceptationem non fit ceſſio iuris. Maior ex terminis eſt euidens: nam cedere iure libertatis, & retinere ius libertatis, contradictionem implicat.

81. *Nemo ſe obligat, niſi voto, vel iuramento, vel pacto.*

Minor probatur. Nemo ſeipſum obligat, niſi voto, vel iuramento, aut promiſſione, ſiue contractu (Deo, aut homini:) ſed qui acceptat illud, quod vocas præceptum, non ſe obligat iuramento, quod ſupponimus abeſſe; non voto, cùm nihil promittat Deo; non ſe obligat contractu: tum quia peccaret contra iuſtitiam violando contractum. Tum quia qui acceptat præceptum, non promittit impletionem obligationis, cùm primum ſtare poſſit ſine ſecundo; & patet in omnibus acceptantibus leges, qui eam promiſſionem obſeruandi legem non faciunt, ſed ſolùm conſentiunt oneri ſibi impoſito; cùm lex procedens à non habente iuriſdictionem non ſit onus; nec enim inducit neceſſitatem parendi; cùm neceſſitas parendi ſolùm poſſit procedere à iure imperandi, quod non habet Prælatus in materia probabili, iuxta ſuppoſitionem, in qua loquimur: non ergo manet obligatus à ſeipſo ſubditus acceptatione ſua.

Qui acceptat præceptum, non promittit obſeruationem illius.

82. Tum etiam quia non apparet, in quo conſiſtat ratio huius contractus inter legiſlatorem & acceptatorem: ſicut non eſſet contractus, licet acceptares conſilium amici. Et ſi quidem præcederet pactum ſtandi conſiliis amici in tali materia, ſic intelligeretur ceſſio iuris faciendi quod libèret in tali materia: nam vi contractus tenereris obſequi conſilio eius. Eodem ergo modo neceſſe eſt, quod præcedat in Prælato poteſtas obligandi libertatem tuam, ſiue hæc procedat ex iuriſdictione ſua, ſiue ex eo quod antecedenter ad præceptum te obligaueris ad obſequendum ei in tali materia. Vide *diſp.* 29. *cap.* 7. *art.* 2. *argum.* 5. vbi clarè oſtendo, neminem ſe obligare alteri homini, niſi per contractum. Vide etiam ibidem *argum.* 6.

Confirmatur. In illo caſu nec lex ſubditum obligat, nec ipſe ſubditus ſe obligat: ergo non manet obligatus. Prior pars antecedentis patet, cùm procedat à non habente poteſtatem præcipiendi in materia probabili: lex autem procedens à non habente poteſtatem, non obligat. Secunda autem pars antecedentis conſtat etiam: quia nemo ſe obligat alteri, niſi ex pacto, vel contractu: atqui ſola acceptatio non eſt pactum, neque contractus, vt conſtat ex dictis: ergo ſubditus in illo caſu non obligat ſeipſum ad parendum præcepto Prælati. 83.

Dices primò. Cùm quis promittit alteri pecunias, ex hoc ſolo quod alter acceptet, perficit iſte contractum: ergo cum quis fert legem, ex hoc ſolo quod ſubditus acceptet, perficiet contractum. 84.

Contrà tamen eſt euidens diſparitas. Nam qui fert legem, ad nihil ſe obligat, ſicut ſe obligat ille, qui pecunias promittit. 85.

Dices ſecundò, è conuerſo accidere in hoc caſu: nam qui acceptat legem, promittit impletionem illius; & legiſlator acceptat illam promiſſionem, ex quo reſultat contractus. Sicut cùm quis promittit obedire alteri, & iſte acceptat, reſultat contractus ſubiectionis, per quem promiſſor obedientiæ tenetur obedire præcetis eius. 86.

Contrà. Nam hic diſcurſus violentus eſt, & ad libitum adinuentus. Et præterea Caramuel non poteſt illo vti, qui *in Theolog. Intention. lib.* 2. *diſp.* 9. *à num.* 588. promiſſionem etiam acceptatam affirmat non eſſe contractum; & oppoſitam ſententiam, ſtando in ratione, dicit non eſſe probabilem. Secundò. Qui acceptat obligationem legis, non eſt neceſſe, quod promittat obſeruationem illius: ergo nulla eſt promiſſio in acceptatione legis. Tertiò. Nam, vt conſtat ex dictis, qui acceptant legem, ſolùm conſentiunt oneri impoſito. Vide ſupra *num.* 81. 87.

Quartò. Quia nemo acceptat, niſi volendo; nemo vult, niſi cognoſcendo. Prælatus autem, dum præcipit, non cognoſcit in ſubdito promiſſionem, quam debeat ſibi præſtare; ſed obligationem ſubſequutam ex ſuo præcepto. Eſſet ergo inualida ea lex, niſi Prælatus agnoſceret id genus promiſſionis in ſubdito. 88.

Huic concluſioni aliqua poſſunt obiici ex iis quæ infra dicenda ſunt *diſp.* 19. *cap.* 7. *art.* 3. quæ in prædicto loco commodiùs ſoluentur. 89.

90. *Promittentes obedire Prælato in materia probabili, cedunt libertate ſequendi probabilia.*

Pro quinta concluſione ſtatuenda præmitto. Per promiſſionem, qua ſubditi pollicentur obedire Prælato in omni materia probabili, aut in aliqua determinata, cedunt iure ſuo, ſi quod habent, eligendi opinionem probabilem. Patet. Nam cedit libertate ſua, qui eam per promiſſionem ſubiicit. Et ita Religioſi cedunt iure libertatis per promiſſionem obedientiæ, qua Prælatis ſubduntur, ſcilicet in materia, quam promittunt.

Sit

Digitized by Google

91. *Qui vouent obedire Prælato in omnibus, quæ non ſunt euidenter mala, cedunt iure probabilitatis.*

Sit quinta concluſio. Dum ſubditi vi voti obedientiæ ſe obligant ad obediendum Prælato in omnibus, quæ non ſunt euidenter mala, per hoc cedunt iure ſequẽdi opinionem probabilem contra præceptum Prælati. Patet. Nam per hoc obligantur ad obediendum Prælato etiam in iis, quæ fuerint probabiliter licita, & probabiliter illicita. Hoc autem modo ſponte volunt obligare ſe ad vtendum opinione probabili, quæ ſit contra præceptum. Quod quidem eſt cedere iure libertatis ſequendi opinionem probabilem contra eiuſmodi præceptum. In quo caſu ſi Prælatus præciperet materiam probabiliter impoſſibilem, ſcilicet impoſſibilitate morali, teneretur ſubditus obedire: quia cùm ceſſerit iure probabilitatis ad obediendum in omnibus, quæ non fuerint euidenter illicita, exequi autem eam materiam moraliter impoſſibilem probabiliter, non ſit euidenter illicitum, vtique teneretur in eo caſu ad obediendum.

92. Confirmatur. Qui vouit obedientiam in omnibus quæ non ſunt euidenter illicita, ſolum excludit ea, quæ ſunt euidenter illicita, aut aliàs omnino impræceptibilia: ſed quæ ſunt dumtaxat probabiliter impoſſibilia morali impoſſibilitate, nec ſunt illicita, nec ſunt omnino impræceptibilia reſpectu eius, qui ſe vult ſubiicere quoad omnia: ergo qui ſic vouet obedientiam, non excludit, quin potius acceptat ea, quæ ſunt probabiliter impoſſibilia morali impoſſibilitate.

93. *Excipe, ſi non eſſet certa poſſeſſio iuriſdictionis.*

Sed nota, quod in eo caſu non teneretur ſubditus obedire, primò, ſi non eſſet certa poſſeſſio iuriſdictionis Prælati: quia cùm ſe obligauit obedire Prælato in omnibus, quæ non ſunt euidenter illicita, intelligendum eſt de obligatione facta Prælato certo, & non ei, de cuius authoritate præcipiendi eſſent diuerſæ opiniones. Idque niſi etiam ad hoc ſe obligaſſet vi ſuæ promiſſionis. Secundò, ſi eſſent opiniones probabiles circa hoc punctum, an detur præceptum talis Prælati, vel an extendatur ex mente præcipientis ad hunc caſum. Quia cùm ſe obligauit ad obediendum in omnibus, quæ non ſunt euidenter illicita, ſe obligauit reſpectu præcepti certi, vel certò loquentis de hoc caſu. Tertiò, ſi eſſet probabilitas de abrogatione, aut de non promulgatione præcepti generalis; quia idem eſt dubitare de abrogatione, vel de non promulgatione præcepti communis, ac dubitare de eius valore. Et vbi probabile eſt, præceptum eſſe nullum, non tenetur obedire ſubditus, qui ſe obligauit obedire in omnibus, quæ non ſunt euidenter illicita; id enim intelligitur, dummodo certò conſtet de præcepti valore.

Excipe 2. ſi non eſſet certum præceptum.

Excipe 3. ſi eſſet probabilitas de abrogatione, aut non promulgatione.

94. *Religioſi, in quorum regula iniungitur obedientia de iis, quæ non ſunt euidenter illicita, cedunt hoc iure.*

Ex dictis infertur, Religioſos, in quorum Regula exprimitur, quod debeant obedire Prælatis in omnibus, quæ non ſunt euidenter illicita; in profeſſione, ſeu emiſſione votorum Religioſorum cedere iure ſequendi opinionem probabilem contra Præceptum Prælati. Hæc concluſio eſt certa. Nam Religioſus in profeſſione promittit obedientiam ſecundum Regulam. Quod ita intelligitur, vt quamuis Regula per ſe non obliget ad peccatum, poſſit tamen Prælatus grauiter obligare ſecundum contenta in Regula. (Vide. *diſputat.* 26. & 28.) Sed Regula in caſu propoſito iniungit obedientiam in omnibus, quæ non ſunt euidenter illicita, atque adeò etiam in iis, quæ ſunt probabiliter illicita: ergo Religioſi vi eius voti obedientiæ tenentur obedire etiam in iis, quæ ſunt probabiliter illicita, atque adeò cedunt iure ſequendi opinionem probabilem contra præceptum Prælati.

95. *Religioſi Societatis per votum obedientiæ cedunt iure probabilitatis.*

Rogabis, an hac lege obligentur Religioſi Societatis Ieſu? In eorum enim Regula continetur, quod obediant in omnibus, quæ non ſunt euidenter illicita. Id conſtat *ex 6. part. Conſtitut. cap.* 1. §. 1. his verbis: [Exactiſſimè omnes neruos virium noſtrarum ad hanc virtutem obedientiæ in primis ſummo Pontifici, deinde ſuperioribus Societatis exhibendam intendamus, ita vt *omnibus in rebus, ad quas poteſt cum charitate ſe obedientia extendere*, ad eius vocem, perinde ac ſi à Chriſto Domino egrederetur, quampromptiſſimi ſimus.] Vbi declaratio authentica (hæ declarationes eandem authoritatem habent, atque conſtitutiones, vt conſtat *ex part. 6. conſtitut. cap.* 1.) *lit. B.* gloſſans ea verba, *Omnibus in rebus ad quas poteſt cum charitate ſe obedientia extendere*, ait: *Huiuſmodi ſunt illæ omnes, in quibus nullum manifeſtum eſt peccatum.* Et *eodem.* §. 1. in littera conſtitutionis, in quibus obediendum ſit, ait S. P. Ignatius: [Id quidem in omnibus, quæ à ſuperiore diſponuntur, vbi *definiri non poſſit* (*quemodmodum dictum eſt*) aliquod *peccati genus* intercedere.] Verbum autem *definiri*, certam declarationem dicit. Et in nota marginali ea verba, *quemadmodum dictum eſt*, referuntur ad prædictam declarationem ſuprà relatam, ſcilicet *in quibus nullum manifeſtum eſt peccatum.* Et ideò *part. 3. Conſtitut. cap.* 1. §. 23. præcipit S. Patriarcha noſter, obediendum *in omnibus rebus, vbi peccatum non cerneretur.* Cernere autem eſt oculis videre; & ideò ſignificat euidentiam & certitudinem. Quæ eadem verba habentur in Summario Conſtitutionum, *Regula* 31.

96. Cùm ergo Religioſi Societatis promittant obedire Prælatis ſecundum Regulam, & Regula præſcribat obedientiam in omnibus rebus præceptibilibus, *Vbi peccatum non cerneretur: Vbi non poſſit definiri aliquod peccati genus: Vbi nullum manifeſtum eſt peccatum*; videntur in ea promiſſione ſe obligauiſſe ad obediendum in omnibus præceptibilibus, quæ non ſunt euidenter illicita. Hoc autem eſſe cedere iure ſequendi opinionem probabilem contra præceptum ſuperioris, conſtat ex dictis.

97. Et quidem id ita obiter affirmauit Caramuel *Theol. fundam. num.* 915. *fund.* 37. illis verbis: [Niſi fortè promiſerim obedientiam Superiori certo in materia probabili; quod facere videntur Patres Ieſuitæ.] Et *in Regulam diſp.* 46. *n.* 162. vbi ait: [Excipe Ieſuitas (fortè & Benedictinos) & ſi qui alij ſunt, qui ceſſerunt iure vtendi opinione probabili.]

98. Pro cuius intelligentia notandum eſt primò, quamvis Conſtitutiones S. P. Ignatij præſcribant, obediendum eſſe in omnibus illis, in quibus non cernitur peccatum, illas intelligi de rebus illis quæ præceptibiles ſunt, ſiue de illis, quæ conſtituunt materiam præfixam, & determinatam obedientiæ. Quæ autem hæc ſit in Societate Ieſu, conſtabit *diſputatione* 28. *capit.* 6. *articul.* 9.

99. Notandum eſt ſecundò, vt Prælatus Eccleſiaſticus præcipiat rem probabiliter illicitam, & probabiliter licitam, non eſſe neceſſariam ceſſionem iuris ſubditorum. Ita enim conſtat *ex cap.* 4.

100. Iam verò dicendum eſt, Religioſos Societatis Ieſu, dum promittunt obedientiam ſecundum

Digitized by Google

Regulas & Conſtitutiones eiuſdem Societatis, cedere iure, ſi quod habent, reſiſtendi probabiliter præcepto: ex qua ceſſione iuris tenentur obedire in materia probabiliter illicita, probabiliter impoſſibili, probabiliter inutili; dummodò ſit intra materiam præfixam obedientiæ, quam exponam *ea diſp. 26. cit. cap. 6.* Quod ex dictis manifeſtè conuincitur. Etenim Religioſi, in quorum Regula exprimitur, quod obediant in omnibus, quæ non fuerint euidenter illicita, in emiſſione voti obedientiæ cedunt iure ſequendi opinionem probabilem contra præceptum Superioris: ſed in Regula Societatis Ieſu id præſcribitur: ergo Religioſi eius ita cedunt. Conſequentia eſt dilucida. Maior conſtat *ex num. 91.* Minor conſtat etiam *ex num. 95.*

CAPVT VIII.

An quando probabilitas ſe tenet ex parte iuriſdictionis Prælati, teneatur ſubditus obedire?

ARTICVLVS I.

Exponitur triplex ſtatus quæſtionis; faciliora expediuntur, & ſenſus præcipuæ difficultatis aperitur.

101. IN triplici ſtatu poteſt hæc quæſtio agitari. Primò, quando probabilitas verſatur non ſolùm circa proprietatem, ſed etiam circa ipſam poſſeſſionem, ita vt probabile ſit, Prælatum non eſſe in pacifica ſui muneris poſſeſſione. Vbi notandum eſt, in poſſeſſione verſari poſſe non ſolùm probabilitatem facti, ſed etiam probabilitatem iuris. Poſſeſſio enim, ex infra dicendis, conſtituitur ex quibuſdam requiſitis iure humano introductis, circa quæ non repugnat eſſe varietatem opinionum probabilium.

102. Secundò, quando poſſeſſio iuriſdictionis Prælati eſt certa, & probabilitas ſe tenet ex parte proprietatis, aut quia electio eius, vel titulus habuit probabilem valoris defectum, aut quia denuò aduenit probabile impedimentum excommunicationis, aut inhabilitatis ad Prælaturam; adhuc tamen is defectus, aut impedimentum ignoratur communiter.

103. Tertiò, quando iuriſdictionis poſſeſſio eſt certa, & probabilitas ſe tenet ex parte proprietatis iuris dicendi, propter probabilem defectum valoris, ſiue propter probabilem nullitatem electionis, vel tituli; qui tamen defectus, aut nullitas probabilis communiter aduertitur.

104. *Dum probabilis eſt carentia poſſeſſionis Prælati, ſubditus non tenetur obedire.*

In primo caſu, ſi ſuperior, cui eſt probabilis carentia poſſeſſionis, præcipiat, certum iudico, quod non tenetur ſubditus parêre. Id inſinuat P.Thom. Sanchez *lib. 6. ſumma, cap. 3. num. 29.* Probatur. Ius imperandi habet Antiſtes, vel à proprietate iuriſdictionis, vel à poſſeſſione: ergo quando probabile eſt, Antiſtitem carere vtraque, probabile eſt, eum non habere ius imperandi. Sed ius imperandi, & debitum parendi ſunt neceſſariò correlatiua: ergo vbi probabile eſt non dari ius imperandi, probabile eſt, non dari debitum parendi.

In ſecundo caſu, quando poſſeſſio iuriſdictionis eſt certa, & impedimentum probabiliter annullans proprietatem iuriſdictionis eſt communiter ignoratum, certum debet eſſe, quod ſubditus teneatur parêre. Aſſertio conſtat ex eo generali principio, quod error communis confert iuriſdictionem, etiam Eccleſiaſticam, ſaltem quando eſt titulus putatiuus à legitimo ſuperiore collatus. Id enim conſtat *ex cap. infamis 3. quæſtion. 7.* ex Synodo Romana, & ex *cap ad probandum, de ſent. & re iudic.* Et in ciuilibus ex celebri *lege Babarius, ff. de officio Prætoris.* Vide P. Th. Sanch. *lib. 3. de matrim. tota diſp. 22.* & apud ipſum omnes communiter iuris Interpretes, & Theologos. Ergo ſi quando titulus habet defectum certum valoris, eſtque certò inualidus, ſi id communiter ignoretur, iuriſdictio manet illæſa; à fortiori id continget, quando defectus valoris fuerit dumtaxat probabilis, & non certus; ſi tamen ſit communiter ignoratus. 105.

Quando probabilis nullitas iuriſdictionis communiter ignoratur, præceptum certò obligat.

Error communis confert iuriſdictionem, ſaltem quando eſt titulus putatiuus.

In tertio ergo ſtatu eſt quæſtio præcipuè agitanda; ſcilicet, an quando poſſeſſio ſuperioris eſt certa, & probabile eſt, proprietatem iuriſdictionis eſſe nullam, ex probabili defectu valoris omnibus noto, teneatur ſubditus parêre tali ſuperiori imperanti? Contingit Petrum eligi in Antiſtitem, aduertunt omnes ineſſe defectum probabilem valoris in titulo; ſed quia opinio probabilis ſuffragatur electioni, ſeu titulo, poſſeſſionem muneris aſſumit nemine contradicente, & in ea perſeuerat ius dicendo. Quæritur, an in eo caſu teneantur ſubditi ei parêre; an potiùs probabile ſit, non ineſſe ſubdito debitum parendi, propter probabilem nullitatem tituli, non obſtante certitudine poſſeſſionis? 106.

An valeat præceptum cùm poſſeſſio eſt certa, & probabilis defectus iuriſdictionis, & communiter notus.

Pro cuius claritate præmitto primò, dupliciter accipi ſolere poſſeſſionem, præcipuè à Theologis. Primo modo propriè, & ſtrictè, qualis eſt poſſeſſio in materia iuſtitiæ, quæ iuris diſpoſitione eſt legitima rei poſſeſſio, cuius definitionem dabo *num.* 140. Nec modò curo, an dicatur poſſeſſio, an quaſi poſſeſſio: nam rei corporalis iuriſprudentes vocant poſſeſſionem; rei autem incorporeæ (qualis eſt iuriſdictio, beneficium, &c.) vocant quaſi poſſeſſionem. 107.

Dupliciter accipitur poſſeſſio.

Secundo modo analogicè, & ſimilitudinariè; ſcilicet in aliis rebus, quæ non ſpectant ad iuſtitiam: quæ quidem plerumque non gaudet nomine & re poſſeſſionis, ex diſpoſitione iuris humani, ſed ex ipſo iure naturæ. Vt cùm præceptum eſt dubium, dicitur ſtare poſſeſſio pro libertate; quæ poſſeſſio vt talis ſit, nullam iuris humani diſpoſitionem, nullumve adminiculum requirit: nam independenter à quavis diſpoſitione iuris humani verum eſt, quod in prædicto caſu ſtat poſſeſſio pro libertate: in præſenti ergo non procedit quæſtio hoc ſecundo modo circa poſſeſſionem analogicam; ſed primo modo, id eſt, circa poſſeſſionem legitimam in materia iuſtitiæ, quæ talis eſt ex diſpoſitione iuris humani. 108.

Præmitto ſecundò, hæc tria æquo iure cenſenda eſſe, nempe poſſeſſionem in rebus, vt vocant, fortunæ, pecunia, equo, domo, &c. poſſeſſionem matrimonij, & poſſeſſionem iuriſdictionis, beneficij, &c. Tum quia hæc omnia ſpectant ad materiam iuſtitiæ: tum etiam, quia poſſeſſio in omni materia iuſtitiæ diſpoſitione iuris humani introducta eſt, & ſtabilita. Vnde quoad hanc quæſtionem, quidquid in vna quæſtione dictũ fuerit, in aliis duabus idẽ dicẽdũ eſſe. 109.

Æquo iure cenſenda eſt poſſeſſio in bonis fortunæ, in matrimonio, & in incorporeis.

Quare

Digitized by Google

110. Triplex quæſtio ſimilis.

Quare hæ tres quæſtiones ſunt omninò ſimiles, & eiuſdem reſolutionis. Prima, an qui habet poſſeſſionem certam pallij, & proprietatem probabilem illius, poſſit licitè ſpoliari à Ioanne, qui etiam habet proprietatem eiuſdem pallij probabilem? Secunda, an dum Berta habet poſſeſſionem certam matrimonij cum Petro, & probabilitatem quoad valorem matrimonij, poſſit Petrus ſpoliare Bertam debito coniugali, & cohabitatione, propter probabilitatem de nullitate matrimonij? Tertia, an dum ſuperior habet poſſeſſionem certam ſuæ iuriſdictionis, & probabilem proprietatem iuriſdictionis cum defectu probabili electionis, vel tituli, omnibus noto, poſſit ſpoliari à ſubdito iuriſdictione, quam certò poſſidet, nempe negando ei obedientiam?

ARTICVLVS II.

Quæ ſit in hac quæſtione mens Caramuelis?

111. *Non agnoſcit Caram. quoad iuriſdictionem ius poſſeſſionis.*

NVllam eſſe obligationem obediendi ſuperiori, cuius iuriſdictionis proprietas probabilis eſt, affirmat expreſsè Caramuel multis in locis (excipiendo miniſtros eius ſuperioris; de qua exceptione dixi *diſp. 7. num. 21.*) in quibus nihil iuris tribuit poſſeſſioni, vt hæc condiſtinguitur à proprietate. Ita expreſsè *diſp. 125. in Regulam, concluſ. 5. num. 1582.* vbi ait. [Primus (caſus) cùm eſt probabile, Abbatem eſſe intruſum. Secundus, cùm Abbas eſt legitimus, præcipit tamen aliquid, quod probabiliter eſt iniquum. In vtroque caſu particularis Monachus poteſt ſequi opinionem alterutram, & ſi ſubſcribat parti ſeueriori, poterit non obtemperare.] Vbi nullum ius attribuit poſſeſſioni iuriſdictionis, quod afferat in ſubdito debitum parendi.

112. Idem docet *in Theolog. fundam. num. 670. fundam. 18.* inquiens: [Cæterorum ſubditorum vulgus debere obedire ſuperiori probabili, crediturus non ſum.] Vbi etiam nihil iuris ſpecialis agnoſcit ob poſſeſſionem Prælati. Dixit autem, *cæterorum*; quia dixerat miniſtros ſuperioris probabiliter legitimi, non poſſe accommodare ſe ei opinioni probabili, ſed teneri ad parendum.

113. Magis expreſſit mentem ſuam circa poſſeſſionem *in Theolog. intention. lib. 3. diſp. 3. quæſt. 5. num. 1419.* vbi ſic diſſerit: [Quia in tali caſu adhuc maneret probabilis ſuperioris authoritas, inquiris, *An ſubditus obedire teneatur?* Affirmat Thom. Sanch. *in ſumm. tom. 2. lib. 6. cap. 3. num. 29.* Negat Vaſquez 1. 2. *quæſt. 19. artic. 6. diſp. 62. cap. 6. ſub fin.* & Salas 1. 2. *quæſt. 2. tract. 8. diſput. vnic. ſect. 8. num. 78.* vtramque æquè probabilem cenſet Diana *part. 4. tract. 3. reſol. 8.* Et ego, ſi rationes ſolas conſiderem, hanc vltimam tenendam exiſtimo; prior enim præter authoritatem, & nomen Thomæ Sanchez (quàm egregiè in hoc decipiatur Caram. videbis in decurſu huius capitis) nihil habet. Noſtra aſſertio probatur. Quia ſi eſſet certum, quod ſuperior non haberet authoritatem, eſſet certum, quod non tenereris obedire: ergo ſi eſt probabile, quod non habeat authoritatem, erit etiam probabile, quod non tenearis obedire.] Prauitatem huius conſequentiæ vide infrà *art. 5. num. 175.*

Argumentum fallax.

114. Et cùm P. Thom. Sanchez in loco citato loquatur in caſu, quo ſuperior habeat poſſeſſionem certam ſuæ iuriſdictionis, manifeſtum eſt, quod Caramuel loquitur in eodem caſu, & adhuc negat in ſubdito debitum parendi. Agnouit Caramuel eam circumſtantiam poſſeſſionis certæ, ratione cuius P. Thom. Sanch. imponit ſubdito debitum parendi; & de ea re ſic diſcurrit. [Dices: Nemo poteſt ſpoliari poſſeſſione propter meram opinionem probabilem: ergo quamdiu non ſcis certò, ſuperiorem non habere authoritatem legitimam, debes ei obedire. Reſpondeo, poſſe dari duplicem rerum ſtatum: alterum, in quo homines non decernant de poſſeſſione probabili; alterum, in quo ſtatuant, neminem priuandum poſſeſſione ſine cauſa certa, & euidenti. In hoc ſecundo verum eſt antecedens, falſum in primo.]

115. Sed numquid actualiter conſtat ex iure communi, ſtatutum eſſe, neminem priuandum poſſeſſione ſine cauſa certa, & euidenti? Supponit Caramuel, nihil tale iure communi eſſe ſtatutum; ait enim: [Stando iuri naturæ, falſa eſt conſequentia. At ſi daretur Religio, in qua eſſet lex obediendi ſuperiori probabili, ingreſſus talem Religionem cenſendus eſſet ceſſiſſe proprio iure, adeóque etiam probabili ſuperiori obedientiam debere.] Vbi clarè vides, cenſere Caramuelem, neceſſarium eſſe, quod ſubditus cedat iure ſequendi opinionem probabilem, vt certus de poſſeſſione Prælati teneatur eius imperio parêre; atque adeò non eſſe in iure communi legem obſtringentem in caſu eius certæ poſſeſſionis.

116. Conſequenter ad ea, quæ de iuriſdictione dixit, aſſeruit idem de coniuge, nempe non teneri reddere debitum alteri petenti, quando eſt varietas opinionum circa valorem matrimonij, non obſtante poſſeſſione matrimonij. Ita enim affirmat *in Theolog. intention. lib. 3. diſp. 3. quæſt. 8. numer. 1432.* vbi agens de eo, qui contraxit matrimonium *bona fide*, ſubdit in concluſione tertia: [Si occurrat ratio fortis, non tamen euidens, tunc erit probabile matrimonium: & quia probabilitas neminem neceſſitat, poterit ſequi alterutram partem, ſtando foro merè interno, & abſtrahendo ab omni lege humana.]

117. Sed quid debet fieri attenta lege humana, & iure communi? Subdit immediatè: [Conſultò humanæ legis memini, quia in Republica, vbi datur lex, vt nemo, antequam conuincatur per ſententiam iudicis, à poſſeſſione detrudi poſſit; qui in tali Republica habitant, videntur compromittere, & legem acceptare; adeóque in tali caſu coniux non poterit coniugem à domo dimittere ob meram probabilitatem. Et videtur talis lex reperiri in omnibus Rebuſpublicis benè gubernatis.]

118. Hinc fit primò, quod in Rebuſpublicis non benè gubernatis fortè non datur ea lex; atque adeò ea non continetur in iure communi Eccleſiaſtico, cuius eſt leges ferre circa matrimonium: nam ſi in iure canonico contineretur, non deberet reſpondere Caramuel per eam quaſi interpretatiuam legem, *Videtur reperiri*, &c. ſed deſignaret canonem, in quo ea lex continetur. Fit ſecundò, quod vbi non datur talis lex, poteſt coniux negare debitum, & domo expellere coniugem, propter rationes probabiles de nullitate matrimonij, etſi detur poſſeſſio certa. Fit tertiò, requiri compromiſſionem ſubditorum, & quod cedant iure ſequendi opinionem probabilem, vt

ea

Digitized by Google

ea lex poſſit ſtabiliri, quaſi ea lex verſetur in materia mere probabili. Et tandem nota, agnoſci à Caramuele poſſeſſionem certam matrimonij in hoc caſu condiſtinctam à proprietate, ſeu valore matrimonij. Nam in fine eius concluſionis tertiæ, ait: [Cæterùm coniugatum habere ius in re, & habere poſſeſſionem actualem, certum eſt.]

119. Idem quod de iuriſdictione, & de coniugio dixit, affirmat etiam circa proprietatem rerum materialium, pecuniæ, equi, veſtis, &c. Nam ibidem *quaſt.* 10. cùm *n.* 1444. quæſtionem propoſuiſſet [Vtrum facta ſufficienti diligentia, an res ſit ſua, poſſit poſſeſſor bonæ fidei adhuc dubius illam retinere, & alienare;] poſteà *in concluſ.* 3. *num.* 1446. ait: [Adhibita omni diligentia, ſi rationes illæ graues contra poſſeſſionem repertæ in ſuo vigore maneant, cùm euidentes non ſint, dicendæ erunt probabiles: ergo & poſſeſſio erit etiam legitima probabiliter.] Vbi vides poſſeſſioni non ampliùs concedere, quàm probabilitatem. Et nota, quamvis dixerit, *Si rationes illæ graues contra poſſeſſionem repertæ*; apertè colligi ex contextu, non loqui de rationibus, quæ probent poſſeſſionem eſſe nullam, ſed ſolùm quæ probent non eſſe verum dominium apud eum, qui certò poſſidet.

120. Hucuſque conſtat, Caramuelem in tribus prædictis quæſtionibus de poſſeſſione iuriſdictionis, matrimonij, & bonis fortunæ, conſtituta inter rationes probabiles, aſſerere remanere probabilem vtrique parti, neque poſſeſſionem certam extrahere quæſtionem à probabilitate ad certitudinem.

121. Oppoſitum tamen expreſsè docet in poſſeſſione matrimonij, & bonorum fortunæ, *eo lib.* 3. *Theolog. intention. diſp.* 3 *quaſt.* 8. *num.* 1416. ſic diſſerens: [Confirmatur. Habens pretioſam veſtem à multis annis, vel diebus, putans ſincerè eſſe ſuam, tametſi poſteà occurrant rationes, quibus videatur probari, illam ad alium ſpectare, non tenebitur illam alteri tradere, antequam euidenter ſciat, eſſe illius. (*Attende ſequentia.*) Nec alter poterit impedire vſum illius veſtis, quovſque eſſe ſuam claré, & euidenter demonſtret.] Sed quare ſi alter habet rationes probabiles, non poterit vi eius probabilitatis auferre à poſſeſſore veſtem illam, & ita impedire vſum illius; niſi quia poſſeſſio tollit ab altero practicam probabilitatem, qua poſſit impedire poſſidentem ab vſu illius? Nam ſi res maneret in ſtatu probabilitatis practicæ pro vtraque parte, ille, qui non poſſidet, vi eius probabilitatis poſſet vendicare ſibi veſtem: quod ſi non poteſt, manifeſtum eſt, quod non datur talis probabilitas. Et nota, quod ibi non loquitur de vi alicuius legis humanæ, in quam ſubditi compromiſerint, vt dicebar ſuprà *num.* 117.

122. Attende eandem aſſertionem in poſſidente matrimonium Nam immediatiſſimè ſubdit: [Ergo ſimiliter, ſi habet à multis annis, diebuſve vxorem, putans ſincerè eſſe ſuam, tametſi poſteà occurrant rationes, quibus videatur probari, illam ad alium virum ſpectare, non tenebitur illam illi tradere, antequam euidenter ſciat eſſe illius. (*Ad id ſufficit probabilitas. Attende ſequentia.*) Nec alter poterit impedire, ne primus poſſeſſor illa vtatur, antequam, non eſſe illius, demonſtret.] Ergo ſi ex parte huius ſecundi requiritur probatio euidens, ſit manifeſtum, non ſufficere ei rationes probabiles, vt illam vxorem à primo tollat: ergo non ſufficiunt illæ rationes probabiles, vt habeat probabilitatem practicam contra primum poſſeſſorem ad tollendum ſibi eam vxorem: ergo non requiruntur illæ ſpeciales leges cum acceptatione, & compromiſſione ſubditorum, quas requirebat loco ſuprà cit. *n.* 117. vt primus poſſeſſor *à poſſeſſione detrudi poſſet.*

Articvlvs III.

Vera ſententia proponitur.

Vera ſententia (& quam, ſtando rationi, certam exiſtimo) eſt, poſſeſſionem legitimam (quæ bonam fidem includit) iure communi, canonico, & ciuili talem eſſe, vt ſi adſint pro vtraque parte proprietatis Petri, & Ioannis, rationes probabiles, neceſſariò ſtandum ſit pro poſſeſſore. 123.

Stante poſſeſſione vnius, & probabili proprietate duorum, ſtandum eſt pro poſſeſſore.

Quare ſi Petrus habet poſſeſſionem legitimam certam iuriſdictionis, & adſint rationes probabiles pro nullitate proprietatis, putà electionis, vel tituli; & adſint etiam rationes probabiles pro valore, Petrus habet ius certum imperandi, & ſubditi debitum certum parendi, quin iſtis ſuffragetur probabilitas nullitatis electionis, vel tituli, etiamſi ea probabilis nullitas ſit omnibus nota. 124.

Si Prælatus habet titulum probabilem, & poſſeſſionem certam, valet eius præceptum.

Similiter ſi Berta ſit in poſſeſſione legitima matrimonij, & adſint rationes probabiles pro valore matrimonij, & aliæ probabiles pro nullitate illius, non poteſt coniux eius vi huius probabilitatis negare illi debitum, aut cohabitationem; ſed neceſſariò ſtandum eſt pro poſſeſſione illius. 125.

Si matrimonij poſſeſſio eſt certa, & valor probabilis, nequit negari debitum.

Prætereà ſi Titius habeat poſſeſſionem legitimam certam domus, equi, veſtis, &c. & de proprietate horum bonorum ſint rationes vtrimque probabiles, quarum aliæ Titio, aliæ Sempronio faueant, non poteſt Titius ſpoliari à Sempronio, nec huic fauent rationes probabiles de ſua proprietate, vt dicatur poſſe probabiliter ſpoliare Titium. 126.

Si proprietas equi eſt probabilis, & poſſeſſio certa, nequit poſſeſſor ſpoliari.

Has tres aſſertiones tradit expreſsè P. Thom. Sanchez. Primam de ſuperiore habente poſſeſſionem ſuæ iuriſdictionis certam, tradit *lib.* 6. *ſum. cap.* 3. *num.* 29. docens, non poſſe ſpoliari ſua poſſeſſione, eo quod eius electio probabilem habeat defectum, donec talis defectus omninò certus ſit. Et quamvis inde arguat ad probandum, ſuperiorem poſſe præcipere in materia probabili; quia dum eſt in poſſeſſione certa, non eſt ſpoliandus prædicta poſſeſſione, dum rationes in oppoſitum dumtaxat ſunt probabiles; ego tamen ad prædictam aſſertionem ſtatuendam non vſus ſum ea ratione, quia facilè poſſunt reſpondere aduerſarij, ſuperiorem nunquam habuiſſe proprietatem, nec poſſeſſionem præcipiendi in materia probabili. 127.

Has tres aſſertiones tradit communis ſententia. Th. Sanch.

Secundam, nempe ſtante probabilitate de nullitate matrimonij, teneri coniugem reddere debitum alteri petenti ratione poſſeſſionis, docuit, & probauit *lib.* 2. *de matrim. diſp* 44. *num.* 3. Tertiam verò, quod ſtantibus vtrimque rationibus probabilibus de proprietate veſtis, vel domûs, &c. non poſſis ob illas poſſidentem à ſua poſſeſſione deturbare; quia poſſeſſio ei probabilitati præponderat, ſatis clarè ſignificat *lib.* 1. 128.

ſum-

Digitized by Google

*ſum.cap.*10.*n.*9.& magis expreſsè *lib.*6.*ſum.cap.*3. *num.*7. circa quæ videantur Authores, quos P. Thom. Sanchez adducit in locis citatis.

129. Sed præcipuè notanda ſunt verba P. Thomæ Sanchez *lib.* 2. *de matrim. diſp.* 44. *num.* 3. vbi ſic ait: [Vt poſsim alium ſua poſſeſsione ſpoliare, oportet, me certum eſſe, rem non eſſe ſuam. Et ita vniuerſi Doctores, vt licita ſit compenſatio, petunt certitudinem in vtenti illa.] Vbi vides hanc eſſe ſententiam omnium Doctorum, nempe nemini licere ſpoliare poſsidentem legitimè, propter probabilem, ſed ſolùm propter certam proprietatem.

130. Salas. Molina. Et P. Salas, & Molina Iuriſperitus (apud P. Caſtro Palao *tom.* 1. *tract.* 1. *diſp.* 3. *punct.* 2. *num.* 4.) affirmant, [Poſſeſſorem bonæ fidei, ſine plena, & euidenti probatione in contrarium, remoueri non debere.] Prior 1. 2. *tract.* 8. *diſp. vnic. ſect.* 23. *num.* 226. Poſterior *lib.* 3. *de primogen. cap.* 4. *num.* 32. qui probant *ex leg.* 1. *Cod. de conditionibus inſert.* & aliis legibus. Ergo probabilitas proprietatis non officit poſſeſſori certo.

131. Suarez. Idem affirmat P. Suarez *lib.* 5. *de legibus, cap.* 18. *num.* 20. vbi ſic inquit: [Licèt quis probabiliter opinetur, rem, quam alius poſſidet, eſſe ſuam, non poteſt ſua authoritate illam ſurripere, quando conſcius etiam eſt, alteri non deeſſe rationem probabilem ad retinendum illam.]

132. Vaſquez. P. Vaſquez *Opuſc. de reſtit. cap.* 6. §. 3. *n.* 83. ait: [In hoc æqualitas iuſtitiæ conſiſtit, quod quamdiu non conſtat euidenter, aut per ſententiam iudicis, poſſeſſor ſibi rem retineat.]

133. Leſſius. P. Leſſius *de iuſtitia cap.* 12. *num.* 58. enumerans conditiones requiſitas, vt quis propria authoritate poſſit vti occulta compenſatione, ait: [Prima eſt, vt moraliter certum ſit, rem tuam eſſe, vel tibi ex iuſtitia deberi.] Vide additiones *num.* 64.

134. Caſtro. Pal. P. Caſtro Palao *tom* 1. *tract.* 1. *diſp.* 3. *punct.* 2. *num.* 11. ait: [Poſſeſſionem præponderare omnibus rationibus non conuincentibus.] Quod eodem tenore verborum aſſeruit Diana *part.* 4. *tract.* 3. *reſol.* 26. Et Caramel *lib.* 3. *Theolog. intention. diſp.* 3. *quæſt* 10. *num.* 1451. qui ait: [Poſſeſſionem præponderare omnibus rationibus non conuincentibus, ſupponit Diana, nec probat: eſt enim communis in omni Tribunali: nullibi enim bonæ fidei poſſeſſor excluditur (imo vbique manutenetur) antequam conuincatur.]

Diana.

135. P. Molina. P. Molina *tom.* 3. *de iuſtitia, diſp.* 691. *num.* 1. producens conditiones requiſitas ad compenſationem debiti occultam, ait: [Prima vt debitum, quod quis ita compenſat, ſit liquidum, ac certum omninò. In dubio enim, etiam probabili, an aliquid alicui debeatur, nefas eſt ei occultam accipere compenſationem.] Vbi explicat, id ita eſſe ratione poſſeſſionis certæ.

136. Villalobos. Villalobos *tom.* 1. *ſum. tract.* 1. *difficultate* 17. *num.* 7. ait: [No es licita la recompenza, ſi no es en deuda euidente: y no es licito acometer anadie à quitarle lo que poſee, ſino es con euidencia, de que es mio.] Latino autem ſermone: [Non licet compenſatio, niſi debiti euidentis: nec licet mihi inuadere quemquam, ad ſpoliandum eum illis, quæ poſſidet, niſi euidenter conſtet, mea eſſe.]

137. Ioan. Sanc. Ioannes Sancius *diſp.* 42. *num.* 7. [Nam etſi vterque litigantium habeat ius proprietatis æquale ad rem, alter tamen qui poſſidet, præter ius æquale proprietatis cum alia, habet etiam ius poſſeſſionis; & potiora ſunt duo iura, quàm vnum.] Et citat P. Torres *de iuſt. diſp.* 13. *dub.* 3. *num.* 13. Et idem docet P. Tamburinus *lib.* 2. *in Decalog. cap.* 3. §. 3. *num.* 14. Torres. Tamburin.

Pro eadem aſſertione ſtant omnes Authores, quos affert P. Thom. Sanch. *ea diſp.* 44. *num.* 3. aſſerentes, ob probabilitatem de nullitate matrimonij non poſſe coniugem negare debitum alteri poſſidenti bona fide matrimonium; nec licere ei negare debitum, niſi adueniente omnimoda certitudine de nullitate matrimonij. Hi ſunt S. Auguſtinus relatus *cap. ſi virgo* 34. *quæſt.* 2. S. Thom. *in* 4. *diſtinct.* 41. *quæſt. vnic. art.* 5. *ad* 3. Item D. Bonauent. D. Antonin. Palud. Angelus, Sylueſter, Cortadus, Sotus, Mart. Ledeſma, Nauarrus, Corduba, Petr. Ledeſma, Henriquez, Rodriguez. Et definitur *in cap. inquiſitioni*, *de ſent. excommunic.* verbis ibidem relatis à P. Thoma Sanchez. 138.

S. Auguſt. S. Thom. S. Bonau. S. Antonin. Paludanus. Angelus. Sylueſt. Cortadus. Sotus. M. Ledeſma. Nauarrus. Corduba. Pet. Ledeſ. Henriquez. Rodriguez.

Et quamvis *lib.* 2. *de Matrim. diſp.* 41. *n.* 30. dixerit, in dubio meliorem eſſe conditionem poſſidentis, non verò quando ſunt vtrimque rationes probabiles; intelligendus eſt, quando probabilitas reflectitur ſupra poſſeſſionem legitimam, v.g. ſi eſſet probabile, eam eſſe poſſeſſionem malæ fidei. Et ideò in ſummario eius *numeri* 30. ait: [Quando variæ ſunt opiniones, an in hoc dubio ſit melior conditio poſſidentis?] Non verò quando poſſeſſio legitima eſt certa, & probabilitas verſatur dumtaxat circa proprietatem. 139.

Articvlvs IV.

Ante probationem concluſionis præmittitur, in poſſeſſione legitima eſſe ius certum retinendi rem poſſeſſam.

Communis ſententia Interpretum vtriuſque iuris, hanc poſſeſſionis legitimæ definitionem ſtatuit. Poſſeſſio eſt *Ius inſiſtendi rei non prohibita poſſideri.* Quam eſſe communem ſententiam Doctorum vtriuſque iuris, patet ex Couarruuias *tom.* 2. *in regul. Poſſeſſor malæ fidei*, *part.* 2. *initio num.* 3. & ex Antonio Gomez *in leg.* 45. *Tauri*, *num.* 17. Sed quia aliqui Theologi videntur diſſidere, opus eſt aduertere, hoc diſſidium eſſe de voce, & non de re; in hac enim omnes conueniunt. Nam quamvis de bonitate definitionis dubitent, aut eam vt minùs aptam reiiciant; non tamen negant in poſſeſſione legitima ineſſe, aut ſaltem ex illa oriri verum ius inſiſtendi rei, ſiue retinendi rem. 140. *Quid ſit poſſeſſio legitima?*

Nam ad id, quod aliqui Theologi opponunt, poſſeſſionem non eſſe ius inſiſtendi, ſed inſiſtentiam ipſam; facilè reſpondent Iuriſprudentes, diſtinguendo poſſeſſionem facti, & poſſeſſionem iuris. Poſſeſſio facti eſt *Detentio rei, corporis, & animi, & iuris adminiculo.* Cuius expoſitionem vide apud P. Leſſium *de iuſt. cap.* 3. *num.* 40 Poſſeſſio autem iuris, quam etiam iuridicam, ſeu legitimam vocant, eſt quam ſuprà ex mente Doctorum vtriuſque iuris definiuimus. 141. *Quid ſit poſſeſſio facti, & poſſeſſio iuris.*

Quod autem opponunt, in fure dari poſſeſſionem rei ablatæ, cùm tamen fur nullum ius habeat, nullius momenti eſt, cùm fur non habeat poſſeſſionem legitimam. Eandem enim poſſeſſionem 142.

Digitized by Google

ſionem non poſſe eſſe penes duos inſolidum, conſtat ex *leg.* 3. §. *ex contrario, ff. de adquir. poſſeſſ.* ibi: *Plures eandem rem inſolidum poſidere non poſſunt.* Et *ex cap. licet cauſam, de probationibus,* & ex aliis iuribus, quæ congeſſit Antonius Gomez *cit. num.* 18. & *num.* 99. Conſtat ergo, de re nullum eſſe diſſidium circa eam definitionem poſſeſſionis, quæ ſolùm loquitur de poſſeſſione legitima, ſeu iuridica. Quam etiam Antonius Gomez citatus *eo num.* 17. ſic definiuit, explicando definitionem ſuprà poſitam: *Poſſeſſio eſt ius habendi, retinendi, atque recuperandi rem, præſumptionemque dominij inducens, fructuſque percipiendi, atque vſucapiendi, & præſcribendi conditionem.* Quam explicationem ex effectibus poſſeſſionis legitimæ ordinauit.

143. *In poſſeſſione eſt ius certū retinendi rem.*

Certum ergo eſt, in poſſeſſione legitima eſſe ius inſiſtendi rei, ſiue retinendi rem. Id probatur primò ex multis textibus, *leg. peregrè, ff. de adquirenda poſſeſſione,* ibi: *Ius poſſeſſionis eo, qui continuiſſet, non videri peremptum.* Et *ex leg. poſſeſſio quoque, in princip. eod. tit.* & *ex leg. cum hæredes, eod. tit.* & ex *leg. nemo, fin. Cod. de adquir. poſſeſſ.* ibi: *Super iure poſſeſſionis,* &c. Et *leg. non ideò minùs, fin. Cod. de lib. cauſ.* ibi: *Ius poſſeſſionis obtinebit.* Et *leg. ſi ea res, §. fin. ff. de action. empt.* Item *ex cap. dilecto, de verborum ſignific.* ibi: *Declaramus, quod noſtra intentionis non fuit, per ipſam indulgentiam ius perimere, quod tibi competit ex poſſeſſione præterita.*

144. Couarru. Bartolus. Ripa. Innocentius. Romanus. Alexander. Felinus. Abbas. Decius. Lud. Gom. Iaſon. Corraſius. Ant. Gom. Socinus. Vincentius. Salicetus. Anchar.

Et ita in legitima poſſeſſione eſſe ius retinendi rem poſſeſſam, apud Couarru. citatum, tenent Bartol. *in leg. 1. ff. de adquir. poſſeſſ.* Ripa *in rubric. de cauſ. poſſeſſ. col. 1. & 2.* Innocent. *in cap. Epiſcopi. de rebus Eccleſ.* Roman. *ſingular.* 600. Alexander *lib. 2. conſil.* 15. Felinus *in rubric. de reſcript. col.* 3. Abbas *in cap. 1. de in integrum reſtit. col. 2.* & *in cap. Epiſcopi, de rebus Eccleſ.* Decius *in leg. non alienat. ff. de regul. iur.* Ludouicus Gomez *in regul. de non tollendo iur. quæſit. quæſt.* 5. Iaſon *leg. 1. ff. de adquir. poſſeſſ. num.* 31. Corraſius *in præludiis ad §. nihil commune, ff. de adquirenda poſſeſſ. col.* 2. Et præter eos apud Antonium Gomez *in dictam legem 45. Tauri, num.* 17. Socinus *in dictam leg. 1. ff. de adquir. poſſeſſ. col.* 6. Vincent. *ibid. num.* 51. Salic. *in leg. licet, eod. tit. col.* 4. Anchatan. *in cap. Paſtoralis, de cauſa poſſ. & propriet.* & quamplurimi alij.

145. *Interdicta poſſeſſoria probant ius certum poſſidentis.*

Probatur ſecundò. Nam in vtroque iure ſtatuta ſunt remedia, ſeu vt vocant, interdicta poſſeſſoria, nempe ad poſſeſſionem habendam, adipiſcendam, aut recuperandam, independenter à proprietate rei. Hæc autem non ita eſſent ſtatuta, niſi in poſſidente legitimo eſſet verum ius retinendi rem.

146. Probatur tertiò. Leges vtriuſque iuris acerrimè interdicunt, ne quis ſua poſſeſſione legitima ſpolietur, néve in illa turbetur, aut inquietetur. Et ſi quis prætextu proprietatis alterum deturbat à poſſeſſione, iubetur iſte in ſua poſſeſſione conſtitui, antequam de proprietate cognoſcatur. Si ergo poſſeſſor nullum ius haberet ad retinendum, quare turbatio, & inquietatio interdicerentur; & quare iuberetur retentio? Ea enim iubentur, & interdicuntur, vt ius ſuum vnicuique ſeruetur.

147. Probatur quartò. Si quis alterum deturbat à poſſeſſione, iniuriam illi irrogat; & ob hanc iniuriam reſarciendam præcipit iudex reſtitutionem ſpoliati: & ſi fortè iudex maleuolus, aut ignarus non præcipit reſtitutionem, iniuriam quoque irrogat poſſeſſori legitimo. Atqui nemini fit iniuria, niſi habenti ius: ergo poſſeſſor habet verum ius ad retinendam rem.

148. Probatur quintò. Nam leges vtriuſque iuris multa diſponunt ad poſſeſſionem iuridicam, ſeu legitimam; ita vt cum talibus requiſitis valeat, & ſine illis non ſubſiſtat. Si autem poſſeſſor nullum verum ius ſibi compararet ex ea legitima poſſeſſione, ad quid expediret, hanc poſſeſſionem legitimam declarare, & illam illegitimam?

149. *In quo differant ius poſſeſſionis, & ius dominij?*

Probatur ſextò. Nam, vt ſcribit Antonius Gomez in *leg.* 45. *Tauri, num.* 18. poſſeſſio legitima eſt *Ius inſiſtendi rei.* (Ad differentiam dominij, quod eſt *Ius plenum, & perfectum diſponendi de re, & eam vendicandi.* Præterea dicitur etiam ad differentiam vſusfructus; nam eſt *Ius vtendi, & fruendi, ſalua rerum ſubſtantia.*) Quare ſicut dominium eſt verum ius diſponendi de re, & vſusfructus eſt verum ius vtendi, & fruendi; ita poſſeſſio legitima eſt verum ius retinendi.

150. *Nemo poteſt ſpoliari poſſeſſione ob rationes probabiles.*

Ideò Theologi hoc ſpeciale ius retinendi rem poſſeſſam agnoſcunt in poſſidente, dum aſſerunt, eum à poſſeſſione deturbari non poſſe ob rationes probabiles de proprietate, & niſi dentur certæ, & euidentes. Ita omnes Doctores citati *art.* 3. Et in poſſeſſione eſſe verum ius, expreſſit P. Vaſquez 1. 2. *diſp.* 66. *cap.* 7. *num.* 37. illis verbis: [Ille, qui poſſidet, præter ius dominij, de quo æquè pro vtroque dubitatur, habet etiam ius certum poſſeſſionis.] Et idem expreſſit *Opuſc. de reſtitut. cap.6.* §. 3. *num.* 83. Et Ioannes Sancius citatus ſuprà *num.* 137. & P. Caſtro Palao *tom.* 1. *tract.* 1. *diſp.* 3. *punct.* 2. *num.* 4. ibi: *Ius certum poſſeſſionis.* Et quamplures alij.

Vaſquez. Ioan. Sanch. Caſtro Pal.

ARTICVLVS V.

Ex proximè iacto fundamento firmatur aſſertio propoſita in articulo tertio.

151. IGitur, neminem poſſe deturbari à poſſeſſione iuriſdictionis certa propter rationes probabiles de nullitate proprietatis, id eſt, electionis, ſeu tituli (idem eſto in duabus aliis quæſtionibus circa poſſeſſionem matrimonij, & bonorum fortunæ,) ex proximè præiacto principio ſic oſtendo.

152. *Implicat ius certum retinendi, & debitum probabile reſpuendi.*

Implicat contradictionem, Petrum habere ius certum retinendi vſum iuriſdictionis, & ſimul habere debitum probabile reſpuendi eundem vſum iuriſdictionis: ſed dum certa eſt poſſeſſio legitima iuriſdictionis, habet ius certum retinendi vſum illius: ergo dum certa eſt poſſeſſio legitima iuriſdictionis, implicat contradictionem, quod habeat debitum probabile reſpuendi vſum eiuſdem iuriſdictionis.

153. Conſidera attentè ſyllogiſmum, & vide conſequentiam eſſe manifeſtam; nam ex duobus metaphyſicè incompoſſibilibus, implicat quod dum quis habet vnum, habeat ſimul & alterum. Minor verò conſtat ex articulo proximo.

154. Et maior eſt certiſſima. Nam quod detur in te ius retinendi, & debitum reſpuendi, contradictionem arguit; æquiualet enim huic, *Potes retinere, & non potes retinere: ſiue, Teneris reſpuere, & non teneris reſpuere.* Teneris enim ratione debiti reſpuendi, & non teneris reſpuere, quia habes ius retinendi. Rurſus implicant contradictionem

Digitized by Google

ctionem iſtæ duæ propoſitiones, *Certum eſt, quod poteſt retinere: Probabile eſt, quod non poteſt retinere.* Sicut & iſtæ, *Probabile eſt, quod teneris reſpuere vſum iuriſdictionis: Certum eſt, quod non teneris illum reſpuere* Nam ex duabus propoſitionibus contradictoriis ſi vna eſt certa, oppoſita eſt certò falſa; & ſi vna eſt probabilis, oppoſita non poteſt eſſe certa, nec certò falſa, ſed neceſſariò debet eſſe probabili negatiuè, ideſt, incerta, ſiue (quod idem eſt) nec certa, nec certò falſa, vt demóſtraui *diſp.4.n.6.* Cùm ergo poſſe retinere vſũ iuriſdictionis, & non poſſe retinere illum, ſint contradictoria, & primum ſit certum ratione iuris poſſeſſionis legitimæ; clarè infertur eſſe certò falſum, quod non poſſis retinere illum; atque adeò clarè infertur, non poſſe ſimul eſſe probabile, quod debeas reſpuere eum vſum iuriſdictionis, ſiue quod non poſſis retinere illum.

155. Idem argumentum fieri poteſt circa poſſeſſionem bonorum fortunæ. Nam ſi Titius habeat poſſeſſionem legitimam certam, & proprietatem probabilem equi, & Sempronius habeat proprietatem probabilem eiuſdem equi; hæc Sempronij proprietas probabilis non facit eſſe practicè probabile, quod hîc & nunc Sempronius poſſit ſibi vindicare equum. Etenim Titium habere ius certum retinendi equum, & debitum probabile reſtituendi illum, contradictionem implicat, quia ſi certum eſt, quod poteſt retinere, nempe ratione poſſeſſionis legitimæ, eſt certò falſum, quod non poteſt retinere, ſiue quod debet reſtituere: ergo non poteſt eſſe probabile, quod debet reſtituere equũ Sempronio, ſiue, quod non poteſt illum retinere; quia quod eadem propoſitio ſit certò falſa, & ſimul probabilis, contradictionem implicat.

Implicat, quod Titius habeat ius certum retinendi equũ, & debitum probabile reſtituendi.

156. Confirmatur. Titius dum conſtitutus inter rationes probabiles proprietatis, retinet equum; non irrogat iniuriam probabilem Sempronio: ergo non eſt probabile, quod debeat equum Sempronio reſtituere; atque adeò neque quod poſſit Sempronius illum ſibi vindicare. Conſequentia eſt clariſſima, & antecedens probatur. Quia non eſt probabile, quod irrogat iniuriam in retinendo ille, qui habet ius certum retinendi: ſed Titius dum habet poſſeſſionem legitimam certam, habet ius certum retinendi: ergo non eſt probabile, quod irrogat iniuriam in retinendo: ergo non irrogat iniuriam probabilem. Maior patet ex proximè dictis, minor ex articulo antecedenti, & conſequentia eſt legitima.

157. Confirmatur ſecundò. Nam vt probabile ſit, quod Titius tenetur reſtituere equum Sempronio, neceſſe eſt, quod probabilis proprietas Sempronij præualeat contra ius poſſeſſionis Titij; vt autem præualeat contra ius poſſeſſionis Titij, neceſſe eſt, quod illud ſit ius fortius: atqui proprietas probabilis Sempronij non poteſt eſſe ius fortius, quàm ius Titij, cùm in iſto detur ius probabile proprietatis, & ius certum poſſeſſionis, & in Sempronio duntaxat ius probabile proprietatis. Etenim ius certum præualet iuri probabili, præcipue cùm illud ius certum ſit aſſociatum altero iure ſimiliter probabili.

158. Dices. Quid ergo prodeſt Sempronio proprietas probabilis equi? Reſpondeo, multùm prodeſſe pro caſu, quo Titius non habeat poſſeſſionem legitimam certam. Si enim Titius non poſſideret, ſed equus eſſet apud alium, alterutrer habens proprietatem probabilem poſſet ſibi equum vindicare. Quod ſi Titio poſſidente eſſet probabile, quod poſſeſſio non erat legitima, nempe quia deficeret iuris adminiculum, ſiue quia ei poſſeſſioni lex reſiſteret; iam poſſeſſio legitima non eſſet certa, ſed probabiliter nulla: & ideò probabile eſſet, poſſe ſibi Sempronium vindicare equum. Sola autem probabilitas proprietatis non reddit incertam poſſeſſionem legitimam, vt ex terminis patet.

Quid proſit proprietas probabilis?

Igitur ad memoriam reuocanda eſt diſtinctio probabilitatis directæ, & reflexæ, quam explicui *diſp. præcedenti, à num.* 169. Nam hæc propoſitio, *Sempronius habet dominium probabile equi*, pertinet ad probabilitatem directam: hæc autem propoſito, *Sempronius poteſt vindicare ſibi equum a Titio poſſeſſore, ratione opinionis probabilis de dominio equi*, pertinet ad probabilitatem reflexam. Et quia non valet à probabilitate directa ad reflexam, quia reflexa addit denuò circumſtantiam, quæ non continetur in directa, ita à probabilitate prioris propoſitioni non valet ad probabilitatem ſecundæ; neque à probabili proprietate Sempronij valet ad probabilitatem vindicandi equum à poſſeſſore legitimo. 159.

Dices ſecundò, ius legitimè poſſidentis eſſe ius certum in dubiis, propter regulam iuris, *In dubiis melior eſt conditio poſſidentis*: non verò eſſe ius certum in probabilibus. 160.

Sed contrà eſt primò. Nam cùm ius poſſidentis ſit ius certum, abſque fundamento dicitur non eſſe certum in probabilibus, cùm debeat eſſe certum, dum ab alio certo, & fortiori non vincatur. 161.

Contrà eſt ſecundò. Nam dum eſt quæſtio, an ius poſſeſſionis debeat militare etiam in probabilibus, ad ſummum id erit dubium: ergo in hoc dubio ſtandum erit pro poſſidente. 162.

Denique confirmatur doctrina tradita iis omnibus, quibus P. Thom. Sanchez *lib. 2. de Matrim. diſp.* 44. *num.* 3. probat, manifeſtam iniuriam fieri coniugi, ſi alter ductus opinione probabili nullitatis matrimonij, illi deneget debitum coniugale, aut illum ſpoliet iure exigendi debitum, in cuius poſſeſſione eſt. Id enim expreſsè definitur, vt ſuprà dixi, *in cap. inquiſitioni, de ſent. excom.* Ex cuius textus ponderatione res hæc vrgentiſſimè confirmatur. 163.

Euidens iniuria fit coniugi poſſidenti, ſi ex nullitate probabili denegetur ei debitum.

Et quidem Innocentius III. in eo capite duplicem caſum diſtinguit: [Inquiſitioni tuæ reſpondentes, credimus diſtinguendum, vtrum alter coniugum pro certo ſciat impedimentum coniugij; an non ſciat pro certo, ſed credat.] In priori caſu definit, non eſſe exercendum commercium carnale, eo quod peccatum mortale ſit illud exercere. De ſecundo verò caſu ſic ſubdiſtinguit: [In ſecundo diſtinguimus, vtrum habeat conſcientiam huiuſmodi ex credulitate leui, & temeraria; an probabili, & diſcreta.] Quid ergo facere debet in primo caſu ſubdiſtinctionis? Sic reſoluit: [Et quidem ad ſui Paſtoris conſilium (conſcientia leuis, & temerariæ credulitatis exploſa) licitè poteſt non ſolùm reddere, ſed exigere debitum coniugale.] 164.

Ita definiuit Innoc. III.

Sed quid facere debet coniux in tertio caſu, ſiue in caſu ſecũdo ſubdiſtinctionis; quãdo ſcilicet habet conſciẽtiam probabilem, & diſcretam de impedimento, ſiue nullitate matrimonij. Nam iuxta oppoſitæ opinionis Authores, videbitur dicẽdum, quod ille coniux poteſt licitè negare debitũ coniugale, quia conſcientia probabilis libertatem dat, & poterit coniux hoc ſe argumento protegere: Si coniux certus ſit de impedimento, certũ eſt, quod non 165.

Digitized by Google

ſionem non poſſe eſſe penes duos inſolidum, conſtat ex *leg.* 3. §. *ex contrario, ff. de adquir. poſſeſſ.* ibi: *Plures eandem rem inſolidum poſidere non poſſunt.* Et *ex cap. licet cauſam, de probationibus*, & ex aliis iuribus, quæ congerit Antonius Gomez *cit. num.* 18. *& num.* 99. Conſtat ergo, de re nullum eſſe diſſidium circa eam definitionem poſſeſſionis, quæ ſolùm loquitur de poſſeſſione legitima, ſeu iuridica. Quam etiam Antonius Gomez citatus *eo num.* 17. ſic definiuit, explicando definitionem ſuprà poſitam: *Poſſeſſio eſt ius habendi, retinendi, atque recuperandi rem, præſumptionemque dominij inducens, fructuſque percipiendi, atque vſucapiendi, & præſcribendi conditionem.* Quam explicationem ex effectibus poſſeſſionis legitimæ ordinauit.

143. *In poſſeſſione eſt ius certũ retinendi rem.*

Certum ergo eſt, in poſſeſſione legitima eſſe ius inſiſtendi rei, ſiue retinendi rem. Id probatur primò ex multis textibus, *leg. peregrè, ff. de adquirenda poſſeſſione*, ibi: *Ius poſſeſſionis es, qui condediſſet, non videri peremptum.* Et *ex leg. poſſeſſio quoque, in princip. eod. tit.* & *ex leg. cùm hæredes, eod. tit.* & *ex leg. nemo, fin. Cod. de adquir. poſſeſſ.* ibi: *Super iure poſſeſſionis, &c.* Et *leg. non ideò minus, fin. Cod. de lib. cauſ.* ibi: *Ius poſſeſſionis obtinebis.* Et *leg. ſi ea res, §. fin. ff de action. empt.* Item *ex cap. dilecto, de verborum ſignific.* ibi: *Declaramus, quod noſtræ intentionis non fuit, per ipſam indulgentiam ius perimere, quod tibi competit ex poſſeſſione præterita.*

144. Couarru. Bartolus. Ripa. Innocẽtius. Romanus. Alexander. Felinus. Abbas. Decius. Lud. Gom. Iaſon. Corraſius. Ant. Gom. Socinus. Vincentius. Salicetus. Anchar.

Et ita in legitima poſſeſſione eſſe ius retinendi rem poſſeſſam, apud Couarru. citatum, tenent Bartol. *in leg. 1. ff. de adquir. poſſeſſ.* Ripa *in rubric. de cauſ. poſſeſſ. col. 1. & 2.* Innocent. *in cap. Epiſcopi. de rebus Eccleſ.* Roman. *ſingular.* 600. Alexander *lib. 2. conſil.* 15. Felinus *in rubric. de reſcript. col.* 3. Abbas *in cap. 1. de in integrum reſtit. col. 2. & in cap. Epiſcopi, de rebus Eccleſ.* Decius *in leg. non alienat ff. de regul. iur.* Ludouicus Gomez *in regul. de non tollendo iur. quæſit. quæſt.* 5. Iaſon *leg. 1. ff. de adquir. poſſeſſ. num.* 31. Corraſius *in præludiis ad §. nihil commune, ff. de adquirenda poſſeſſ. col.* 2. Et præter eos apud Antonium Gomez *in dictam legem* 45. *Tauri, num.* 17. Socinus *in dictam leg. 1. ff. de adquir. poſſeſſ. col.* 6. Vincent. *ibid. num.* 51. Salic. *in leg. licet, eod. tit. col.* 4. Ancharan. *in cap. Paſtoralis, de cauſa poſſ. & propriet.* & quamplurimi alij.

145. *Interdicta poſſeſſoria probant ius certum poſſidentis.*

Probatur ſecundò. Nam in vtroque iure ſtatuta ſunt remedia, ſeu vt vocant, interdicta poſſeſſoria, nempe ad poſſeſſionem habendam, adipiſcendam, aut recuperandam, independenter à proprietate rei. Hæc autem non ita eſſent ſtatuta, niſi in poſſidente legitimo eſſet verum ius retinendi rem.

146. Probatur tertiò. Leges vtriuſque iuris acerrimè interdicunt, ne quis ſua poſſeſſione legitima ſpolietur, néve in illa turbetur, aut inquietetur. Et ſi quis prætextu proprietatis alterum deturbat à poſſeſſione, iubetur iſte in ſua poſſeſſione conſtitui, antequam de proprietate cognoſcatur. Si ergo poſſeſſor nullum ius haberet ad retinendum, quare turbatio, & inquietatio interdiceretur; & quare iuberetur retentio? Ea enim iubentur, & interdicuntur, vt ius ſuum vnicuique ſeruetur.

147. Probatur quartò. Si quis alterum deturbat à poſſeſſione, iniuriam illi irrogat; & ob hanc iniuriam reſarciendam præcipit iudex reſtitutionem ſpoliati: & ſi fortè iudex maleuolus, aut ignarus non præcipit reſtitutionem, iniuriam quoque irrogat poſſeſſori legitimo. Atqui nemini fit iniuria, niſi habenti ius: ergo poſſeſſor habet verum ius ad retinendam rem.

Probatur quintò. Nam leges vtriuſque iuris 148.
multa diſponunt ad poſſeſſionem iuridicam, ſeu legitimam; ita vt cum talibus requiſitis valeat, & ſine illis non ſubſiſtat. Si autem poſſeſſor nullum verum ius ſibi compararet ex ea legitima poſſeſſione, ad quid expediret, hanc poſſeſſionem legitimam declarare, & illam illegitimam?

Probatur ſextò. Nam, vt ſcribit Antonius 149. *In quo differant ius poſſeſſionis, & ius dominij?*
Gomez in *leg. 45. Tauri, num.* 18. poſſeſſio legitima eſt *Ius inſiſtendi rei.* (Ad differentiam dominij, quod eſt *Ius plenum, & perfectum diſponendi de re, & eam vendicandi.* Prætereà dicitur etiam ad differentiam vſusfructus; nam eſt *Ius vtendi, & fruendi, ſalua rerum ſubſtantia.*) Quare ſicut dominium eſt verum ius diſponendi de re, & vſusfructus eſt verum ius vtendi, & fruendi; ita poſſeſſio legitima eſt verum ius retinendi.

Ideò Theologi hoc ſpeciale ius retinendi rem 150. *Nemo poteſt ſpoliari poſſeſſione ob rationes probabiles.*
poſſeſſam agnoſcunt in poſſidente, dum aſſerunt, eum à poſſeſſione deturbari non poſſe ob rationes probabiles de proprietate, & niſi dentur certæ, & euidentes. Ita omnes Doctores citati *art.* 3. Et in poſſeſſione eſſe verum ius, expreſſit
P. Vaſquez 1. 2. *diſp. 66. cap. 7. num.* 37. illis Vaſquez.
verbis: [Ille, qui poſſidet, præter ius dominij, de quo æquè pro vtroque dubitatur, habet etiam ius certum poſſeſſionis.] Et idem expreſſit *Opuſc.*
de reſtitut. cap. 6. §. 3. num. 83. Et Ioannes San- Ioan. Sanch.
cius citatus ſuprà *num.* 137. & P. Caſtro Palao Caſtro Pal.
tom. 1. tract. 1. diſp. 3. punct. 2. num. 4. ibi: *Ius certum poſſeſſionis.* Et quamplures alij.

Articvlvs V.

Ex proximè iacto fundamento firmatur aſſertio propoſita in articulo tertio.

Igitur, neminem poſſe deturbari à poſſeſſione 151.
iuriſdictionis certa propter rationes probabiles de nullitate proprietatis, id eſt, electionis, ſeu tituli (idem eſto in duabus aliis quæſtionibus circa poſſeſſionem matrimonij, & bonorum fortunæ,) ex proximè præiacto principio ſic oſtendo.

Implicat contradictionem, Petrum habere ius 152. *Implicat ius certum retinendi, & debitum probabile reſpuendi.*
certum retinendi vſum iuriſdictionis, & ſimul habere debitum probabile reſpuendi eundem vſum iuriſdictionis: ſed dum certa eſt poſſeſſio legitima iuriſdictionis, habet ius certum retinendi vſum illius: ergo dum certa eſt poſſeſſio legitima iuriſdictionis, implicat contradictionem, quod habeat debitum probabile reſpuendi vſum eiuſdem iuriſdictionis.

Conſidera attentè ſyllogiſmum, & vide con- 153.
ſequentiam eſſe manifeſtam; nam ex duobus metaphyſicè incompoſſibilibus, implicat quod dum quis habet vnum, habeat ſimul & alterum. Minor verò conſtat ex articulo proximo.

Et maior eſt certiſſima. Nam quod detur in 154.
te ius retinendi, & debitum reſpuendi, contradictionem arguit; æquiualet enim huic, *Potes retinere, & non potes retinere:* ſiue, *Teneris reſpuere, & non teneris reſpuere.* Teneris enim ratione debiti reſpuendi, & non teneris reſpuere, quia habes ius retinendi. Rurſus implicant contradictionem

Digitized by Google

ctionem iſtæ duæ propoſitiones, *Certum eſt, quod poteſt retinere: Probabile eſt, quod non poteſt retinere.* Sicut & iſtæ, *Probabile eſt, quod teneris reſpuere vſum iuriſdictionis: Certum eſt, quod non teneris illum reſpuere* Nam ex duabus propoſitionibus contradictoriis ſi vna eſt certa, oppoſita eſt certò falſa; & ſi vna eſt probabilis, oppoſita non poteſt eſſe certa, nec certò falſa, ſed neceſſariò debet eſſe probabili negatiuè, ideſt, incerta, ſiue (quod idem eſt) nec certa, nec certò falſa, vt demóſtraui *diſp. 4. n. 6.* Cùm ergo poſſe retinere vſũ iuriſdictionis, & non poſſe retinere illum, ſint contradictoria, & primum ſit certum ratione iuris poſſeſſionis legitimæ, clarè infertur eſſe certò falſum, quod non poſſis retinere illum; atque adeò clarè infertur, non poſſe ſimul eſſe probabile, quod debeas reſpuere eum vſum iuriſdictionis, ſiue quod non poſſis retinere illum.

155. *Implicat, quod Titius habeat ius certum retinendi equũ, & debitum probabile reſtituendi.*

Idem argumentum fieri poteſt circa poſſeſſionem bonorum fortunæ. Nam ſi Titius habeat poſſeſſionem legitimam certam, & proprietatem probabilem equi, & Sempronius habeat proprietatem probabilem eiuſdem equi; hæc Sempronij proprietas probabilis non facit eſſe practicè probabile, quod hîc & nunc Sempronius poſſit ſibi vindicare equum. Etenim Titium habere ius certum retinendi equum, & debitum probabile reſtituendi illum, contradictionem implicat, quia ſi certum eſt, quod poteſt retinere, nempe ratione poſſeſſionis legitimæ, eſt certò falſum, quod non poteſt retinere, ſiue quod debet reſtituere: ergo non poteſt eſſe probabile, quod debet reſtituere equũ Sempronio, ſiue, quod non poteſt illum retinere; quia quod eadem propoſitio ſit certò falſa, & ſimul probabilis, contradictionem implicat.

156. Confirmatur. Titius dum conſtitutus inter rationes probabiles proprietatis, retinet equum, non irrogat iniuriam probabilem Sempronio: ergo non eſt probabile, quod debeat equum Sempronio reſtituere; atque adeò neque quod poſſit Sempronius illum ſibi vindicare. Conſequentia eſt clariſſima, & antecedens probatur. Quia non eſt probabile, quod irrogat iniuriam in retinendo ille, qui habet ius certum retinendi: ſed Titius dum habet poſſeſſionem legitimam certam, habet ius certum retinendi: ergo non eſt probabile, quod irrogat iniuriam in retinendo: ergo non irrogat iniuriam probabilem. Maior patet ex proximè dictis, minor ex articulo antecedenti, & conſequentia eſt legitima.

157. Confirmatur ſecundò. Nam vt probabile ſit, quod Titius tenetur reſtituere equum Sempronio, neceſſe eſt, quod probabilis proprietas Sempronij præualeat contra ius poſſeſſionis Titij, vt autem præualeat contra ius poſſeſſionis Titij, neceſſe eſt, quod illud ſit ius fortius: atqui proprietas probabilis Sempronij non poteſt eſſe ius fortius, quàm ius Titij, cùm in iſto detur ius probabile proprietatis, & ius certum poſſeſſionis, & in Sempronio dumtaxat ius probabile proprietatis. Etenim ius certum præualet iuri probabili, præcipue cùm illud ius certum ſit aſſociatum altero iure ſimiliter probabili.

158. *Quid proſit proprietas probabilis?*

Dices. Quid ergo prodeſt Sempronio proprietas probabilis equi? Reſpondeo, multùm prodeſſe pro caſu, quo Titius non habeat poſſeſſionem legitimam certam. Si enim Titius non poſſideret, ſed equus eſſet apud alium, alteruter habens proprietatem probabilem poſſet ſibi equum vindicare. Quod ſi Titio poſſidente eſſet probabile, quod poſſeſſio non erat legitima, nempe quia deficeret iuris adminiculum, ſiue quia ei poſſeſſioni lex reſiſteret; iam poſſeſſio legitima non eſſet certa, ſed probabiliter nulla: & ideò probabile eſſet, poſſe ſibi Sempronium vindicare equum. Sola autem probabilitas proprietatis non reddit incertam poſſeſſionem legitimam, vt ex terminis patet.

159. Igitur ad memoriam reuocanda eſt diſtinctio probabilitatis directæ, & reflexæ, quam explicui *diſp. præcedenti, à num.* 169. Nam hæc propoſitio, *Sempronius habet dominium probabile equi*, pertinet ad probabilitatem directam: hæc autem propoſito, *Sempronius poteſt vindicare ſibi equum a Titio poſſeſſore, ratione opinionis probabilis de dominio equi*, pertinet ad probabilitatem reflexam. Et quia non valet à probabilitate directa ad reflexam, quia reflexa addit denuò circumſtantiam, quæ non continetur in directa, ita à probabilitate prioris propoſitioni non valet ad probabilitatem ſecundæ; neque à probabili proprietate Sempronij valet ad probabilitatem vindicandi equum à poſſeſſore legitimo.

160. Dices ſecundò, ius legitimè poſſidentis eſſe ius certum in dubiis, propter regulam iuris, *In dubiis melior eſt conditio poſſidentis:* non verò eſſe ius certum in probabilibus.

161. Sed contrà eſt primò. Nam cùm ius poſſidentis ſit ius certum, abſque fundamento dicitur non eſſe certum in probabilibus, cùm debeat eſſe certum, dum ab alio certo, & fortiori non vincatur.

162. Contrà eſt ſecundò. Nam dum eſt quæſtio, an ius poſſeſſionis debeat militare etiam in probabilibus, ad ſummum id erit dubium: ergo in hoc dubio ſtandum erit pro poſſidente.

163. *Euidens iniuſtitia fit coniugi poſſidenti, ſi ex nullitate probabili denegetur ei debitum.*

Denique confirmatur doctrina tradita iis omnibus, quibus P. Thom. Sanchez *lib. 2. de Matrim. diſp. 44. num. 3.* probat, manifeſtam iniuriam fieri coniugi, ſi alter ductus opinione probabili nullitatis matrimonij, illi deneget debitum coniugale, aut illum ſpoliet iure exigendi debitum, in cuius poſſeſſione eſt. Id enim expreſsè definitur, vt ſuprà dixi, *in cap. inquiſitioni, de ſent. excom.* Ex cuius textus ponderatione res hæc vrgentiſſimè confirmatur.

164. *Ita definiuit Innoc. [illegible]*

Et quidem Innocentius III. in eo capite duplicem caſum diſtinguit: [Inquiſitioni tuæ reſpondentes, credimus diſtinguendum, vtrum alter coniugum pro certo ſciat impedimentum coniugij; an non ſciat pro certo, ſed credat.] In priori caſu definit, non eſſe exercendum commercium carnale, eo quod peccatum mortale ſit illud exercere. De ſecundo verò caſu ſic ſubdiſtinguit: [In ſecundo diſtinguimus, vtrum habeat conſcientiam huiuſmodi ex credulitate leui, & temeraria; an probabili, & diſcreta.] Quid ergo facere debet in primo caſu ſubdiſtinctionis? Sic reſoluit: [Et quidem ad ſui Paſtoris conſilium (conſcientia leuis, & temerariæ credulitatis exploſa) licitè poteſt non ſolùm reddere, ſed exigere debitum coniugale.]

165. Sed quid facere debet coniux in tertio caſu, ſiue in caſu ſecũdo ſubdiſtinctionis; quãdo ſcilicet habet conſciẽtiam probabilem, & diſcretam de impedimento, ſiue nullitate matrimonij. Nam iuxta oppoſitæ opinionis Authores, videbitur dicẽdum, quod ille coniux poteſt licitè negare debitũ coniugale, quia conſcientia probabilis libertatem dat, & poterit coniux hoc ſe argumento protegere: Si coniux certus ſit de impedimento, certũ eſt, quod

Digitized by Google

non poteſt reddere, vt definit Pōtifex: ergo ſi coniux habet conſcientiā probabilē de impedimento, probabile eſt, quod non poteſt reddere: ergo probabiliter operatur, dum non reddit debitum. Eſt autem euidens, hoc argumentum eſſe fallax, quia Pontifex definiuit aſſertionem oppoſitam.

166. Ecce verba definitionis. *Verùm cùm conſcientia pulſat animum ex credulitate probabili, & diſcreta, quamvis non euidenti, & manifeſta, debitum quidem reddere poteſt, ſed poſtulare non debet, ne in alterutro vel contra legem coniugij, vel contra iudicium conſcientiæ committat offenſam.* Per quæ verba vt ſine offenſione curramus, duo ſoluenda ſunt, quæ

167. obiici poſſunt.

Primum. Quod dixerit Pontifex, *Debitum quidem reddere poteſt*: non autem dixit, *reddere debet*. Quaſi poſſit coniux licitè reddere debitum

168. in eo caſu, non autem obſtringatur ad reddendum.

Sed ſi attendas verba ſequentia, ea obiectio euaneſcit. Ait enim: *Ne in alterutro, vel contra legem coniugij, vel contra iudicium conſcientiæ committat offenſam* Id eſt, [Ne, dum negat debitum, *contra legem coniugij*; & dum poſtulat debitum, contra iudicium conſcientiæ committat offenſam.] Inde patet manifeſtè, quod ſi coniux in eo caſu probabilis nullitatis negat debitum, peccat contra legem coniugij; atque adeò definit Pontifex, quod in eo caſu, ne peccet contra legem coniugij, tenetur reddere debitum. Vnde etiam fit, quod id verbum, *reddere poteſt*, ſignificat ex neceſſitate contextus idem, quod *reddere debet*. Et ex verbis antecedentibus patet etiam, appoſitum verbum *poteſt*, pro verbo *debet*. Ait enim: [Et quidem ad ſui Paſtoris conſilium (conſcientia leuis, & temerariæ credulitatis exploſa, licitè *poteſt* non ſolùm reddere, ſed exigere debitum coniugale:] cùm tamen certum ſit, quod in eo caſu non ſolùm poteſt, ſed quod tenetur reddere. Et ideò P. Thom. Sanchez *eo num.* 3. qui non dedit formalia verba, attendens potiùs ad ſen-

169. ſum, in prædicto textu appoſuit *reddere debet*.

Alterum eſt, quod dixerit Pontifex, cum probabili conſcientia, non poſſe coniugem poſtulare; cùm tamen certum videatur, probabilem conſcientiam ſufficere, vt poſſit coniux debitum

170. poſtulare: ergo alia fortè eſt mens Pontificis.

Id tamen claram habet ſolutionem; non enim loquitur Pōtifex de caſu, in quo prædictus coniux habet probabilitatem de valore matrimonij, ſed de impedimento, & nullitate; vt patet ex illis verbis:] Vtrum alter coniugum pro certo ſciat *impedimentum coniugij*, an non ſciat pro certo, ſed credat:] ſi ergo ſolam probabilitatem habeat de nullitate, & non de valore, non poteſt petere: ſi autem habeat etiam probabilitatem de va-

171 lore matrimonij, vtique petere poteſt.

Cùm ergo hæc tam clarè conſtent, vrget definitio Pontificis. Etenim valor illius matrimonij in eo caſu eſt certus, & euidens, quandoquidem eius nullitas eſt probabilis, *ex credulitate probabili, & diſcreta, quamvis non euidenti, & manifeſta*: & tamen eſt certum, & euidens, quod coniux tenetur reddere debitum, & quod aliter peccat in legem coniugij, vt conſtat ex definitione Pontificis: ergo aliqua lex certa, & aliquod ius certum datur in altero coniuge bonæ fidei, quod certò poſtulet redditionem debiti. Hoc ius certum non eſt valor matrimonij, qui quidem non eſt certus: ergo hoc ius certum, quod certò poſtulat redditionem debiti, eſt poſſeſſio matrimonij, & ius in re poſſeſſiuum, quod habet coniux in corpore alterius coniugis: ergo hoc ius certum eſt poſſeſſio ipſa, contra quam neque probabiliter prævalere poteſt nullitas probabilis. 172.

Idem argumentum ab identitate rationis vrget circa ius præcipiendi Prælati.

Quod argumentum à definitione Pontificis deſumptum eodem modo vrgeri poteſt in quæſtione de obedientia præſtanda Prælato, cuius electio dicitur nulla. Nam diſtinguere oportet vtrum ſubditis certa & notori ſit nullitas electionis, an illam *non ſciant certò*, & notoriè, *ſed credant*. In primo enim caſu non debent præſtare obedientiam, quia in illo certum eſt cum omnimoda iuriſdictione carere. In ſecundo diſtinguere oportet, *vtrum ſubditi habeant conſcientiam huiuſmodi ex credulitate leui & temeraria, an probabili & diſcreta*. Et quidem ſubditi ad prudentis Theologi conſilium, *conſcientia leuis, & temerariæ credulitatis exploſa*, poſſunt & debent præſtare obedientiam Prælato. *Verùm cùm conſcientia pulſat animum* ſubditorum *ex credulitate probabili, & diſcreta, quamvis non euidenti, & manifeſta*, ſubditi debent obedientiam præſtare.

Etenim ideò coniux in eo caſu tenetur coniugi reddere debitum, quia licet ſit probabilis nullitas coniugij, eſt tamen poſſeſſio coniugij certa: ſed quamvis ſit probabilis nullitas electionis Prælati probabiliter intruſi, eſt tamen certa poſſeſſio eius: ergo in ea probabilitate nullitatis tenentur ſubditi obedientiam præſtare. Itaque valor electionis non eſt certus, & euidens, quia eſt probabilis eius nullitas ex credulitate probabili, & diſcreta; & tamen eſt certum, & euidens, quod ſubditi tenentur præſtare obedientiam, quia ius poſſeſſionis eſt certum, contra quod præualere non poteſt niſi aliud ius certum. 173.

174.

Quàm ſit fallax argumentatio à certitudine ad probabilitatem?

Hinc patet ad argumentum propoſitum *n.* 113. concedo enim, quod ſi coniux certus ſit de impedimento, certum eſt, quod non poteſt reddere, quia cum nullitate certa non poteſt ſubſiſtere poſſeſſio: conſequens autem diſtinguo: ergo ſi coniux habet conſcientiam probabilem de impedimento, probabile eſt, quod non poteſt reddere; [præſciſſa poſſeſſione matrimonij,] concedo, [attenta poſſeſſione matrimonij,] nego.

175.

Vnde proueniat ea argumenti fallacia?

Prauitas autem eius conſequentiæ clariſſimè oſtenditur. Nam poteſt certitudo oriri à duplici principio diſtributiuè ſumpto, id eſt, ab vtrolibet, & quod adueniente probabilitate vnius, remaneat certitudo alterius. Quare hæc eſt praua conſequentia: [Si eſſet certum, quod Baptiſmus in lixiuio eſſet validus, eſſet certum, quod liceret baptizare in lixiuio: ergo ſi ſit probabile, quod Baptiſmus in lixiuio ſit validus, erit probabile, quod liceat baptizare in lixiuio.] Quæ ideò praua eſt, quia adhuc poſita probabilitate eius baptiſmi, remanet aliud principium certum, vnde fiat improbabile, quod ſit licitum baptizare in lixiuio, extra caſum videlicet neceſſitatis; nempe præceptum charitatis interdicens, ne proximum exponas periculo damnationis, conferendo illi Baptiſmum merè probabilem. 176.

Itaque quod non liceat baptizare in aliqua materia, poteſt eſſe certum ex alterutro capite, vel ex certitudine nullitatis baptiſmi, vel ex certitudine præcepti non exponendi proximum periculo damnationis. Quamvis ergo primum caput deficiat propter probabilitatem Baptiſmi in tali materia, non deficit ſecundum; & idem contingit in præſenti. Nam certitudo, quod non liceat negare debitum coniugi, poteſt oriri ex alterutra

Digitized by Google

terutra radice, vel ex certitudine valoris matrimonij, vel ex certitudine poſſeſſionis. Quamvis ergo prima radix deficiat, ſitque probabilis nullitas matrimonij, poteſt eſſe certa poſſeſſio; atque adeò poteſt ſtare certitudo obligationis reddendi debitum.

Articvlvs VI.

Quid huic ſententiæ obiiciat Lugo Cardinalis.

177. *An liceat vti occulta compenſatione propter debitum probabile, contra poſſidentem?*

Tom. 1. *de iuſt. diſp.* 16. *ſect.* 5. tractat ingenioſus Cardinalis eam quæſtionem; Quando liceat occulta compenſatio abſque furti crimine? Et cùm *num.* 94. retuliſſet viros doctiſſimos aſſerentes, hanc compenſationem fieri non poſſe interuenientibus rationibus probabilibus, niſi adſit omnimoda certitudo moralis de dominio, aut iure ad rem; ipſe *num.* 99. videtur inclinare in eam concluſionem, quæ aſſerit, licere eiuſmodi compenſationem, quando pro vſuro compenſatione eſt probabilitas iuris. Et ſanè ſuſpicabar, eum diſcurſum Cardinalis non militare contra ſententiam à nobis traditam, quia in tribus prioribus argumentis ipſe non loquitur in terminis poſſeſſionis & proprietatis; ita vt contra poſſeſſionem certam, & proprietatem probabilem Titij poſſit præualere probabilis proprietas Sèmpronij. Sed reverà loqui videtur generaliter, & ſine ea diſtinctione, ſine qua poteſt admitti eiuſmodi compenſatio; ſi videlicet ille, qui poſſidet, debeat centum Petro: & quia habet cauſam probabilem ad non ſoluendum, viâ compenſationis ob eam cauſam probabilem non ſoluat. Nam cùm ipſe Petrus ſit poſſidens, operando ſic ob cauſam probabilem, non violat ius certum poſſeſſionis. Adhuc tamen in longa ſerie diſcurſûs ſemel aut iterum tetigit vim poſſeſſionis, præcipuè in quarto argumento. Sed operæ pretium eſt eius argumenta ad criſim vocare, quæ proponit *num.* 95. ne quis putet, illa noſtræ ſententiæ aliquod poſſe præiudicium afferre.

178. *An infamatus à Petro poſſit negare huic debitum, ex opinione de compenſatione?*

Primum ſic proponit. [Exempla aliqua ſubiiciam. In primis de illo, qui à Petro infamatus eſt: quæritur, an pro fama, quàm Petrus ei non vult, vel non poteſt reſarcire, liceat infamato compenſationem facere, negando pecunias, quas eidem Petro debebat. Reſpondet Leſſius *lib.* 2. *de iuſt. cap.* 11. *dubitatione* 25. *in fine*, Poſſe: quia probabilis eſt ſententia, quæ docet, infamiam compenſandam eſſe pecuniâ, quando non poteſt in proprio genere reſtitui. Ecce in eo caſu probabile ſolùm eſt debitum pecuniæ pro fama, cùm verior ſententia id neget; & tamen admittitur compenſatio pro illo debito.] Et pro ſententia Leſſij citat Molinam, Ledeſmam, Ioannem de la Cruz, Tannerum, Aragonium, & alios, quos ſequitur Diana *part* 2. *tract.* 5. *miſc. reſol.* 30.

179. *Ea opinio procedit, cùm infamatus eſt poſſeſſor.*

Sed ex ipſo tenore argumenti conſpicitur, illud non procedere in terminis noſtræ ſententiæ, in quibus certa poſſeſſio vnius præferenda eſt proprietati probabili alterius. Etenim Leſſius non dixit, licere infamato ſubripere pecunias ab infamatore illas poſſidente; ſed potiùs, *Licere infamato compenſationem facere, negando pecunias, quas eidem Petro* (infamatori) *debebat.* Cuius ratio ex dictis eſt longè diuerſa: nam infamatus eſt poſſidens; & dum negat illas Petro ob eam opinionem probabilem, non militat contra ius poſſeſſionis, cùm id non detur in Petro. Debitorem autem poſſe non ſoluere, ſi habeat rationes probabiles ad non ſoluendũ, omnes Doctores admittunt: at creditorem probabilem poſſe à poſſidente vindicare debitum, nemo admittit.

180. *Secundum quoſdam, etiamſi infamatus non poſſidet, poteſt compenſare. Diſparitas in caſu infamati non poſſidentis, & ſic compenſantis.*

Sed quia aliqui Authores ſunt, qui non ſolùm id concedunt licere, negando pecunias debitas infamatori; ſed etiam occultè accipiendo de nouo, vt concedit P. Molina *tom.* 5. *de iuſt. tract.* 4. *diſp.* 49. *n.* 5. citans Ledeſmam 2. 4. *quæſt.* 18. *articul.* 2. quo pacto plus vrget argumentum. Reſpondeo pro ſententia eorum Doctorum aſſignari poſſe diſparitatem in caſu infamantis. Nam quamvis poſſidens habeat ius certum ortum à poſſeſſione legitima, etiam infamatus habet ius certum ad ſatisfactionem ſibi debitam; & hoc ius certum videtur eſſe fortius, quàm ius poſſeſſionis pecuniarum, quantum præfertur fama pecuniis. Ius autem poſſeſſionis debet ſemper ſtare, dum contra ipſum non ſteterit ius aliud fortius. Quod non reperitur, quando contra ius poſſeſſionis ſolùm militat probabilitas proprietatis.

181. *An cùm duo ſe inuicem infamarunt, poſſint non ſatisfacere, ex opinione de compenſatione?*

Secundum argumentum ſic proponit: [Quando duo ſe mutuò infamarunt, poſſunt quando damnum eſt æquale, compenſare ſibi, ita vt quilibet non teneatur reſtituere, quamdiu alter reſtituere non vult, vt cum Syluio, Maldero, & aliis docet idem Diana *ibi.* Quæ compenſatio in eo caſu fundatur ſolùm in opinione probabili, cùm contraria ſit etiam probabiliſſima, quod in infamia non ſit licita compenſatio.]

182. *In neutro infamatore datur ius poſſeſſionis.*

In hoc tamen diſparitas eſt euidens; in neutro enim infamatore mutuo datur ius aliquod poſſeſſionis, quod violetur: ſicut datur in poſſidente bona fortunæ, iuriſdictionem, vel matrimonium.

183. *An legatarius ex teſtamento minùs ſolemni poſſit vti compenſatione contra poſſidentem, ex opinione de valore eius teſtamenti?*

Tertium argumentum proponit his terminis. [Qui ex teſtamento minùs ſolemni legatum debet habere, cùm ſit opinio probabilis, deberi in foro conſcientiæ ea legata; licèt contraria opinio ſit ſatis communis, & probabilis; poteſt tamen legatum retinere, vel de nouo accipere, aut occultè ſibi compenſare, vt fatetur Granado *in* 1. 2. *controu.* 7. *de legib. tract.* 3. *part.* 2. *diſp.* 15. *ſect.* 2. *n.* 17. Molina 1. *tom. diſp.* 81. *§. Quod ſi hac fuit*, & Leſſius *lib.* 2. *cap.* 19. *dubit.* 3. *num.* 22. Et *n.* 30. addit, hæredem ab inteſtato poſſe etiam vti compenſatione occulta contra eum, qui bona defuncti poſſidet ex teſtamento minùs ſolemni; quia contraria etiam ſententia probabilis eſt, cui ſe poteſt conformare. Licèt Thom. Sanch. *dicto lib.* 4. *conſil. cap.* 1. *dub.* 14. *n.* 12. conſequenter dicat, improbabile eſſe, quod poſſet vti compenſatione occulta hæres ex teſtamento minùs ſolemni contra hæredẽ ab inteſtato; quia ad compenſationem occultam non ſufficit ius ortum ex ſententia probabili, ſed requiritur ius certum, & luce clarius.]

184. Reſpondeo primò, ex ſuppoſitione, quod proponatur hæredi vt merè probabilis ſententia, quæ dicit, teſtamentum minùs ſolemne, in quo ipſe inſtitutus eſt, eſſe validum, non poſſe probabiliter vti compenſatione aduerſus hæredem ab inteſtato, qui poſſeſſionem hæreditatis adeptus eſt: nam contra hoc ius poſſeſſionis non præualet probabilitas debiti. Et ita optimè aſſeruit P. Thom. Sanch. cit. à Card. Lugo, quamvis Cardinalis dicat, Sancium exceſſiſſe in cenſura.

185. *An ſit certũ, teſtamentum minùs ſolemne eſſe validum pro foro interno?*

Reſpondeo ſecundò, Authores, qui concedunt hæredẽ ex teſtamento minùs ſolemni, qui non eſt adeptus poſſeſſionem hæreditatis, poſſe ſibi compenſare occultè ex bonis hæreditatis, quorum poſſeſſionem nactus fuit hæres ab inteſtato, ideò id

Digitized by Google

id aſſerere, quia id non docent vt merè probabile, ſed vt certum à principiis intrinſecis. Et vt à P. Leſſio exordiar, ipſi hæc ſententia propoſita eſt tanquam certa ab intrinſeco: tum quia vrgentiſſimis argumentis, tam ex iure, quàm ex ratione probat, quod vbi certò conſtat de voluntate teſtatoris, illi ſtandum eſt, etiam deficiente ſolemnitate teſtamenti. Tum etiam quia *num.* 19. ait: *Ex quibus clarè patet, non fuiſſe mentem legiſlatorum reddere irrita talia teſtamenta in foro conſcientiæ.* Illud autem *clarè patet*, euidentiam moralem denotat. Et ideò *num.* 22. intulit: [Si hæres ab inteſtato retineat hæreditatem, & legata, poſſunt illi, quibus aliquid per tale teſtamentum erat relictum, vti occulta compenſatione: nam *reuerà res illæ erant ipſorum.*] Notet lector hæc poſtrema verba. Nam *reuerà* pluſquam meram probabilitatem important, præcipuè cum dixerit, *Clarè patet*, &c.

186. P. Molina citatus in primis, non dixit abſolutè, hæredem illum inſtitutum in teſtamento minùs ſolemni, poſſe facere occultam compenſationem; ſed id dixit ſub conditione. Ait enim: [*Quod ſi hæc fuit legumlatorum mens*, ſanè dicendum eſt, hæredem in minùs ſolemni teſtamento inſtitutum non ſolùm poſſe occupare, & retinere hæreditatem ſibi relictam, celatéque defectum teſtamenti; ſed etiam poſſe ceſſante ſcandalo, facere occultam recompenſationem, ſi hæreditas in exteriori foro, hæredi ab inteſtato adiudicetur.]

187. Præterea eam ſententiam tanquam certam ab intrinſecis principiis proponit P. Molina. Tum quia vrgentiſſimè proponit argumenta pro ea ſententia. Tum etiam, quia § *hanc autem*, ait: [Ex quibus verbis *apertè conſtat*, ſolemnitatem, vel teſtium, vel quamcumque aliam, ſolùm exigi in vltimis voluntatibus, vt fidem faciant in foro exteriori, non verò vt vim in ſe habeant.] Quæ verba, *Apertè conſtat*, certitudinem ab intrinſeco important: quod verbum *conſtat*, paulò poſt repetit. Et §. *ſecundò idem*, cùm retuliſſet legem *& ſi inutiliter, Cod. de fideicommiſſis*, addit: [Ex quibus verbis apertè conſtat, defectum ſolemnitatis non impedire, quominùs in conſcientiæ foro fideicommiſſum debeatur,] &c. Vnde cùm poſteà dicit, *Quod ſi hæc fuit legumlatorum mens*; idem eſt ac ſi dicat: Quod ſi apertè conſtat, vt ego exiſtimo, hanc fuiſſe legumlatorũ mentem.

188. Deinde non dixit, poſſe hæredem ab inteſtato, ex probabilitate opinionis ſibi ſuffragantis, occultè ſpoliare hæredem ex teſtamento minùs ſolemni, & ex illo poſſidentem bona defuncti, neque poſſe vti compenſatione: ſed ſolum id dixit licere hæredi in teſtamento minùs ſolemni, quando aliunde certò conſtat, voluntatem teſtatoris fuiſſe de inſtitutione talis hæredis; quia hoc vltimum dumtaxat proponit tanquam certum ex principiis intrinſecis.

189. Quinimò hæredem ab inteſtato, ſi ei certò conſtet de ea voluntate teſtatoris, peccare mortaliter retinendo hæreditatem, indubitanter aſſerit, vel non ſoluendo legata teſtamenti minùs ſolemnis, tenerique ad reſtitutionem omnium bonorum: neque eum vllo modo excuſat ratione probabilitatis oppoſitæ ſententiæ. Quod eſt manifeſtum ſignum, P. Molinam id docere tanquam certum ex principiis intrinſecis: qua poſita certitudine, compenſatio eſt licita contra poſſidentem.

Hæres ab inteſtato peccat retinendo hæreditatem, ſi certus eſt de voluntate teſtatoris minùs ſolemni.

Quod verò attinet ad P. Granado, iſte nihil penitus dixit de licita compenſatione in eo caſu teſtamenti minùs ſolemnis; ſolùm enim ſcribit hæc verba: [Si tamen certò conſtaret de voluntate teſtatoris, poſſet id iuſtè recipi, etiamſi ſit integra hæreditas.] De compenſatione autem facienda contra hæredem ab inteſtato poſſidentem, ne vllum quidem verbum facit. 190.

Quartum argumentum inſtruit in hæc verba. 191.
[In iudicio externo, etiamſi aliquis poſſideat; ſi tamen agatur contra eum circa proprietatem, & actor probet ſuum ius probabilioribus fundamentis, quàm ſunt ea, quibus poſſeſſor ſe tuetur; in hoc, inquam, caſu iudex, vt bene ſe gerat, adiudicabit cauſam actori, pro cuius iure ſtat communior, & probabilior Doctorum ſententia. Nam axioma illud, *In dubio melior eſt cauſa poſſidentis*, intelligitur vel de dubio negatiuo, vel de dubio facti. Quando verò agitur de iure ipſo, & meliora, ac probabiliora ſunt fundamenta actoris, licèt non ſint demonſtratiua, iudex, vt optimè ſuo muneri ſatisfaciat, debet pro actore ſententiam proferre, quidquid ſit, an poſſit ſine peccato mortali, iuxta probabilem ſententiam, tueri ius poſſeſſoris, & eum abſoluere; de quo dicemus infrà agentes de iudiciis. Sicut ergo in iudicio externo poteſt probabilitas rationum ſufficere, vt res auferatur poſſeſſori, & adiudicetur ei, qui non poſſidebat; qui tamen probatur habere ius non euidens, ſed probabile; cur id non ſufficiet in foro etiam conſcientiæ, ſaltem quando conſtat de maiori probabilitate tenente ſe ex parte eius, qui vult ſibi debitum compenſare?] Et confirmari poteſt iis verbis, quæ ſcribit *num.* 100. *fine.* [Quando probabilitas verſatur circa ius, iam manet probabile, leges actori fauere; atque ideò iudex probabiliter iudicat, reum eſſe condemnandum; quia opinio probabilis, quæ creditori fauet, & eius Authores docent, in his circumſtantiis, & non obſtante opinione contraria, probabile, imò & verum eſſe, quod ſententia debeat pro actore, ſeu creditore proferri. Alioqui ſi hoc non dicunt, non habet creditor pro ſe opinionem probabilem; quod eſt contra id, quod ſupponitur.]

An iudex poſſit adiudicare rem actori habenti ius proprietatis probabilius, contra poſſidentem?

Reſpondeo primò, in iudicio de proprietate abſtrahi plerumque à cognitione de poſſeſſione: & cùm iudex debeat procedere ſolùm ſecundum allegata, & probata; & in iudicio de proprietate non exerceatur cognitio de poſſeſſione, iudex non attendit ad poſſeſſionem, vtpote non allegatam; præcipuè ſi non præceſſerit iudicium decernens eſſe legitimam, v. g. actoris, poſſeſſionem. Tunc ergo ſufficit, quod iudex decernat præciſè de proprietate ſecundum probabiliorem opinionem. Et hoc eſt diſcrimen, quod verſatur inter forum externum, & internum: lis enim in foro externo poteſt contrahi dumtaxat de proprietate: at verò vt iudicium fiat in foro interno, & pro ſecuritate conſcientiæ, omnes circumſtantiæ attendendæ ſunt; atque adeò ius poſſeſſionis, contra quod non præualet ſola probabilitas. 192.

Et quid, ſi reus non allegat poſſeſſionem ſuam?

Vidi inter egregios Iureconſultos controuerti, quis eſſet potior litigandi modus, incipiendóne cauſam à poſſeſſione, an à proprietate? Et qui praxis peritiores audiebant, cenſuerunt, poſſeſſori euidenti meliùs conſultum iri, ſi cauſam inciperet à poſſeſſione: vbi enim iudex definierit, poſſeſſionem eſſe legitimam, poteſt ſe poſſeſſione protegere 193.

An actori poſſidenti melius ſit inchoare litem à poſſeſſione, an à proprietate?

Digitized by Google

protegere contra probabilitatem opinionum de proprietate, circa quam magis ſolent iudices dubitare. At verò actori non poſſidenti meliùs conſuli, ſi cauſam incipiat à proprietate, in qua maior opinionum probabilitas independenter à poſſeſſione cauſam ſolet decidere.

Et quid de actore non poſſidente?

194. Sed quid ſi iudicium de poſſeſſione legitima præceſſit, & in iudicio de proprietate allegat ille ſuam poſſeſſionem legitimam, & iuridicam authenticè declaratam; & ideò euidentem, & irrefragabilem? Reſpondeo ſecundò, plerumque contingere, quod opinio de proprietate proponatur vt omninò certa à principiis intrinſecis iudicì valde doctò: ſicut opinio de valore teſtamêri minùs ſolemnis PP. Molinæ, & Leſſio proponitur vt omnino certa, vt dixi *num.* 185. & 186. & in hoc caſu poteſt ſententiam ferre contra poſſidentem, quia contra certitudinem proprietatis nulla præualet poſſeſſio; eſt enim iniuſta poſſeſſio, quæ retinet inuito domino id, quod certò eſt alienum. Quod ſi præcedente iudicio de poſſeſſione legitima, & iudicio de proprietate allegetur hæc poſſeſſio euidenter legitima, & iudici vtraque opinio iuris circa proprietatem proponatur vt merè probabilis, debet iudex adiudicare poſſeſſori. Eſt enim verum, quod ait Caramuel relatus ſuprà, [Poſſeſſionem præponderare omnibus rationibus non conuincentibus, ſupponit Diana, nec probat; eſt enim communis in omni Tribunali: nullibi enim bonæ fidei poſſeſſor excluditur antequam conuincatur.] Nec conuincitur per opinionem de proprietate, quæ merè probabilis eſſe ſupponitur.

Et quid, ſi qui allegat in eodem iudicio poſſeſſionem certam, & proprietatem probabilem?

195. Ad confirmationem diſtinguo antecedens: quando probabilitas verſatur circa ius, iam manet probabile, leges actori fauere, [attenta poſſeſſione Rei,] nego [non attenta poſſeſſione eius,] concedo: quo eodem modo reliquæ propoſitiones ſubſumptæ diſtinguendæ ſunt.

196. Denique obiicit Cardinalis aduerſus eam ſententiam P. Thomæ Sanchez relatam ſuprà *numero* 183. aſſerentis, eſſe improbabile, quod poſſit vti compenſatione occulta hæres teſtamenti minùs ſolemnis ex opinione dumtaxat probabili. [Sed tamen ipſe Sanchez *lib.* 1. *de matrim. diſputat.* 69 *numero* 9. poſtquam dixit non poſſe ſponſum propria authoritate diſſoluere ſponſalia, quando cauſa non eſt certa, addit: *Ne tamen intelligas exigi, vt vndequaque certa ſit ſufficientia cauſæ, ita vt nulla ſit opinio contraria; vix enim caſus contingeret: ſed requiritur certitudo moralis, id eſt, vt cauſa iuxta probabilem opinionem ſit ſufficiens; quia in moralibus ad operandum hæc dicitur certitudo, cùm ſatis ſit, vt quis tutò operetur, opinionem probabilem amplecti.* Pro quo affert Ludouicum Lopez 2. *part. inſtruct. de Matrim. cap.* 38. *ad fin.* dicentem, ſufficere authoritatem viri docti aſſerentis, cauſam eſſe ſufficientem ad diſſoluenda ſponſalia. Ecce ipſe Sanchez in caſu, quo agitur de ſpoliando altero, non requirit, niſi opinionem probabilem circa ius, & hanc vocat certitudinem in moralibus.]

An ſponſus poſſit diſſoluere ſponſalia, ex cauſa probabili?

197. Reſpondeo, eam vocari certitudinem iuxta ſubiectam materiam: nam cauſa ad diſſoluenda ſponſalia licet dicatur debere eſſe certa, illa quidem modicam, non abſolutam, certitudinem requirit. Quod euidenter colligitur ex eo, quod tradit idem Thom. Sanch. *lib.* 1. *de Matrim. diſp.* 71. *num.* 1. ad diſſoluenda in iudicio ſponſalia ſufficere vnum teſtem, & *num.* 13. ſufficere famam impendimenti, *ex cap. ſuper eo* 2. *de teſtib. & atteſt. & cap. præterea* 2. *de ſponſalibus*, & *cap. ſuper eo, de conſanguinitate.* Quia antequam contrahatur matrimonium, fauetur potiùs libertati, quàm matrimonio: ex matrimoniis enim non ſponte contractis multa oriuntur incommoda, imò & ſcandala. Nec id eſt propriè ſpoliare alterum, præcipuè vbi nulla famæ iactura intercedit: nam ibi non interuenit verè & propriè poſſeſſio: contractus enim ſponſalium eam tacitam conditionem includit, [Si non interuenerit in oppoſitum cauſa probabilis;] quia id ita exigit libertas ineundi matrimonij.

An ad diſſoluendum in iudicio ſponſalia, ſufficiat vnus teſtis?

Ante initum matrimonium fauetur libertati.

Diſſoluere ſponſalia non eſt ſpoliare alterum poſſeſſione.

198. Ideò iure merito in fine ſectionis, *num.* 106. addidit Lugo hæc verba. [De hoc tamen nihil volo aſſerere, imò libenter abſtineo ab vltimo iudicio circa hoc totum punctum de compenſatione licitè facienda cum opinione ſolùm probabili; quia licèt in caſibus particularibus Authores videantur id admittere, vt vidimus; in communi tamen, dum quæſtionem in propriis terminis tractant, videntur id communiter negare, à quibus non eſt in re practica facilè diſcedendum, quia fortaſſe aliquid illis occurrebat, quo argumenta noſtra ſuprà poſita poſſent diſſoluere.] Quod prudentiſſimè dictum eſt: nam præfata argumenta optimè ſoluuntur reſponſionibus ſuprà poſitis.

Lugo non reſoluit quæſtionem.

DISPVTATIO XVII.

An conſtitutio fauorabilis, eo quod latiſſimè interpretanda, limitet probabilitatem opinionis ſtrictæ?

CAPVT I.

Aliqua prænotantur, & præcipuè, an hæc quæſtio ſit reflexa circa probabilitatem, an potiùs directa?

1. DOCTRINÆ conſequentia poſtulat, vt quamvis huius Operis inſtitutum ſit Caramuelis argumentationibus ſatiſfacere, eiuſque opiniones ad criſim vocare, quandóque inſtitutum pauliſper deſtituamus, vt materia tractata maiorem lucem accipiat, & ex ea alias denuò concluſiones producamus: ideóque quamvis Caramuel hanc quæſtionẽ non tetigerit expreſsè, oportuit illam non prætermittere: præcipuè quia ex principio iaciendo innumeræ concluſiones reſolui poſſunt. Dixi, non tetigiſſe *expreſsè*, inferiùs enim (nempe *cap.* 3. *n...* & *cap* 5. *num...*) videbimus, quantùm ſit contrarius aſſertioni ſubiiciendæ.

2. Prænotandum ergo eſt primò, multas eſſe conſtitutiones fauorabiles, quæ ideò latiſſimè interpretandæ ſunt, ex præſcripto iuris ita ſtatuentis. Hæc enim eſt regula 15. *de regulis iuris in* 6. *Odia reſtringi, fauores conuenit ampliare.* Et quia conſtitutiones de libertate & immunitate Eccleſiaſtica tales

tales ſunt, ita vt nulla materia fauorabilior, eo quod ſit in fauorem Religionis, vt patet *ex cap. fin. de ſententia & re indic. & leg. ſunt perſonæ, ff. de Religioſ. & ſumpt. funer.* ideò exempli gratiâ in hac diſputatione loquar præcipuè de immunitate Eccleſiaſtica, poſteà inferendo addam, quæ oportuerit explicari circa aliquas alias materias.

3. *Senſus quæſtionis.* Prænotandum eſt ſecundò, ſenſum huius quæſtionis eſſe, an ſuppoſito quod ſint opiniones probabiles circa materiam immunitatis Eccleſiaſticæ v.g. videlicet vna contra immunitatem, altera in fauorem immunitatis, ita ex hoc principio iuris, quod *fauores conuenit ampliari*, probabilitas earum opinionum afficiatur, vt opinio fauorabilis certò tenenda ſit, & opinio ſtrictior, ſiue contraria immunitati, ſit certò reiicienda? Idque eodem modo, ac ſi eſſet lex iuris canonici, quæ expreſſis & formalibus terminis præciperet, opinionem fauorabilem immunitati reducendam ad praxim; & opinionem contrariam immunitati à praxi reiiciendam: & ita ſententia probabilis, quæ fauet immunitati ex hac Regula decimaquinta tranſeat in certam? ſicut ſententia de non baptizando extra caſum neceſſitatis in lixiuio, vel iure cocto, quæ, ſecluſa lege charitatis, eſt probabilis, accedente lege charitatis, quæ prohibet damnum proximi, ſit omninò certa. Et an idem in cæteris materiis tenendum ſit, quibus ex iure communi certò conuenit debere ampliari, ſiue ampliſſimam interpretationem ſubire.

4. *Notanda diſtinctio quæſtionis directæ, & reflexæ.* Prænotandum eſt tertiò, afferri debere in memoriam ea omnia, quæ *diſp. 15. cap. 4. art. 2.* notata ſunt circa quæſtiones directas, & reflexas. Et quidem Authores, qui inter has, & illas quæſtiones non diſtinguunt, intrepidè affirmabunt, ſi opinio probabilis affirmat, reum in tali euentu non gaudere immunitate, poſſe Iudices Laicos, & Eccleſiaſticos eam opinionem ad praxim deducere, ex eo fundamento non benè intellecto, quod qui ſequitur opinionem probabilem, prudenter operatur; qui autem prudenter operatur, non peccat. Illi autem conſiderare deberent, hanc quæſtionem, [An iudex in materia immunitatis debeat procedere ſecundum quamlibet opinionem probabilem?] eſſe quæſtionem reflexam: nam ſuppoſita probabilitate opinionis, quæ aduerſatur immunitati, quæritur; [An limitetur ea probabilitas per aliquod aliud principium iuris, quod prohibeat vſum eius opinionis?] Et ita illud argumentum commune pro opinione probabili non valet in quæſtione reflexa: eſt enim euidens, illud eſſe diſtinguendum, concedendumque eum, qui ſequitur opinionem probabilem [non limitatam alia lege,] prudenter operari; ſecus verò, qui ſequitur opinionem probabilem [alia lege limitatam:] hic enim nec probabiliter operatur, nec prudenter; quia licèt probabiliter operetur, præſciſa lege limitante probabilitatem; at hac lege adiuncta nequaquam probabiliter operatur, cùm hanc legem probabilitati ſuperadditam manifeſtè violet.

5. Attendat igitur Theologus, vt conſcientiæ conſulat, poſtquam conſtat, aliquam opinionem eſſe probabilem, an inuoluatur quæſtio reflexa, ideſt, an inquirendum ſit de alia noua obligatione reflectente ſuprà probabilitatem. Et ſi quæſtio reflexa ſit, vt probet, talem opinionem probabilem deducendam eſſe ad praxim, probare debet, nullam nouam obligationem adeſſe, nullumve iuris principium, quod probabilitatem eius opinionis limitet.

CAPVT II.

Statuitur concluſio, & probatur authoritate Doctorum.

IN præſenti ergo quæſtione dicendum eſt, quoties datur conſtitutio fauorabilis, quæ ideò latiſſimè interpretanda ſit, eam extendendam eſſe ad caſus, in quibus eſt opinionum probabilium diuerſitas; atque adeò probabilitatem opinionis ſtrictæ limitari per id principium iuris, quod conſtitutio fauorabilis amplianda ſit. Et ita in materia immunitatis Eccleſiæ, omnis opinio, quæ aduerſatur immunitati, limitatur per id iuris principium; ita vt ſi caſu propoſito certum ſit, illum procedere in materia fauorabili, de qua id iuris principium loquitur; certum quoque eſſe debeat, probabilitatem eius opinionis aduerſæ limitari, nec poſſe ad praxim deduci. 6. *Probabilitas opinionis ſtrictæ limitatur per legem de ampliatione fauoris.* *Et probabilitas vertitur in certitudinem.*

Concluſio explicatur exemplo. Inquirunt Doctores, an reus confugiens ad pedes Sacerdotis portantis per vias publicas Euchariſtiam, aut ad ferculum Euchariſtiæ geſtatorium in die Corporis Chriſti, aut in ſimili ſolemnitate, gaudeat immunitate? Sententia immunitati fauorabilis aſſerit, reum illa gaudere. Ita P. Suar. *tom. 1. de Relig. tract. 2. lib. 3. cap. 9.* Item Syluester, Angelus, Rodriguez, Graffis, Megala, Miranda, Raphaël de la Torre, & P. Tannerus, aliique Doctores, quos citat, & ſequitur Diana *part. 1. tract. 1. reſol.* 28. Opinionem aduerſam tuentur Gloſſa *in cap. quæſitum.* 13. *q.* 2. Conarru. & Bonacina allegati à Diana *ibid.* Aſſero ergo, cùm hic caſus verſetur in materia fauorabili, ſcilicet immunitatis Eccleſiæ, neque habeat circumſtantiam ex aliqua parte odioſam, quæ præponderet, aut æquetur fauori Religionis; ſi hæc opinio fauorabiliter contineatur in aliquo canone, probabilitatem huius opinionis aduerſæ limitari per id principium iuris de ampliatione fauoris, & tanquam certum tenendum eſſe, eam non poſſe reduci ad praxim, ſtante eo iuris principio. 7. *An reus confugiens ad Euchariſtiam, gaudeat immunitate?* *In ea quæſtione pars affirmatiua redditur practicè certa.*

Pro hac ſententia ſunt plures Authores, licèt illam non aſſerant ſub his terminis. Illam tenet P. Suar. *lib. 4. contra Regem Angliæ, cap. 34. num. 4.* [At verò quando ignorantia, vel *dubitatio* circa ius prouenit ex rei ipſius difficultate, & *opinionum* varietate; tunc ſi nihil certum & exploratum poſſit ex ſacris canonibus colligi, ſeruandæ ſunt generales regulæ de *opinionum delectu:* & in hac materia eſt valde obſeruandum, vt in *fauorem Religionis*, & conſequenter in fauorem exemptionis *amplietur*, potiuſquam reſtringatur Eccleſiaſtica immunitas; & iuxta hæc *iudicandum* eſt.] Vbi notabis primò, loqui Suarium de extenſione materiæ fauorabilis ad caſus dubios, quorum dubium prouenit ex *opinionum varietate.* Secundò, aſſerere, eſſe regulas generales circa *opinionum delectum* in materia fauorabili, quæ præſcribant electionem huius opinionis potiùs quàm alterius. Tertiò has regulas generales eſſe, quæ præſcribunt, iudicium practicum *ampliare* debere immunitatem *in fauorem Religionis.* 8.

Quartò,

9. Quartò, & præcipuè notandum eſt, non contendere P. Suarium, quod ſententia eligens opinionem probabilem fauorabilem immunitati, maneat probabilis; nam ſi ſupponitur, illam opinionem eſſe probabilem, non erunt neceſſariæ aliæ regulæ generales, vt illa ſententia maneat probabilis. Quæ enim ex ſe eſt probabilis, non indiget ſuffragio aliarum Regularum, vt fiat probabilis. Deinde ſi adhuc poſitis iis regulis generalibus, adhuc in ſenſu compoſito cum illis, ambæ opiniones, fauorabilis, & aduerſa manent probabiles, quid eſt, quod determinat me ad eligendum dumtaxat ſententiam fauorabilem? Nam ſi vtraque eſt probabilis, & nihil eſt quod determinet, vel limitet opinionem probabilem, non debeo fauorabilem determinatè eligere, ſed liberum mihi erit eligere quam maluero: ergo ſi regula generalis me determinat ad eligendam opinionem fauorabilem, illa quidem ad opinionem fauorabilem determinat; & ideò accedēte regula generali, ſententia, quæ erat probabilis, fit certa; & ſententia oppoſita, quæ etiam erat probabilis, adueniente ea regula generali, limitatur; ita vt certum ſit, eam opinionem in hoc caſu non poſſe reduci ad actum: ſicut ſententia probabilis de valore Baptiſmi in lixiuio, quæ probabilis erat ſecluſa lege charitatis, hac accedente fit certum, illam non poſſe reduci ad praxim extra caſum neceſſitatis.

10. Confirmatur primò. Nulla opinio debet reiici, niſi illa, quæ non ſit practicè probabilis: ſed quæ eſt aduerſa immunitati, reiicienda eſt, ſecundum Suarium: ergo ſecundum illum non eſt practicè probabilis; accedente ſcilicet illo iuris principio de cauſa immunitatis amplianda. Confirmatur ſecundò: quando adſunt duæ oppoſitæ opiniones practicè probabiles, reſultat libertas eligendi: ſed ſecundum Suarium non eſt libertas eligendi, ſed debet eligi opinio fauens immunitati: ergo non remanent probabiles illæ duæ oppoſitæ opiniones, ſcilicet ex principio iuris prædicto: fauorabilis enim manet certa, & aduerſa manet certò reiicienda.

11. *In materia odioſa, opinio reſtrictiua ſit practicè certa.*

Idem docet P. Suar. *tom. 2. de Religione, tract. 6. de voto, lib. 6. cap. 26. num. 6.* agens de materia odioſa, & quatenus reſtringenda ſit. Eadem enim ratio eſt de reſtringenda materia odioſa, & de amplianda fauorabili. Ita inquit: [Poſſumus *generalem regulam* conſtituere, quoties de valore voti caſtitatis, aut ſimili fuerit morale *dubium*, ſiue illud ſit dubium facti, ſiue iuris, & ſiue ſit negatiuum, propter coniecturas, quæ non ſufficiunt ad determinatum iudicium ferendum; ſiue ſit poſitiuum, *ex opinionibus probabilibus* contrariis; tale votum non eſſe reſeruatum, ſed poſſe per Epiſcopum tolli. Hoc patet: tum ex alia regula ſuprà poſita, quod hæc reſeruatio eſt valdè *ſtricti iuris*, & ideò reſtringenda: tum etiam quia de peccatis, & cenſuris reſeruatis ſimilis regula *ab omnibus* admittitur.] Et paulò inferiùs addit hanc notationem: [Regula autem propriè traditur propter caſus dubios, in quibus dubium per ſe non ſufficit ad excuſandum vouentem ab obligatione voti.] Vbi vides ſimiliter, regulam generalem reſtringentem comprehendere, & limitare opinionem probabilem, quæ voti reſeruationem ſtatuit: nam licèt aliàs ſit probabilis ea opinio, quæ voti reſeruationem ſtatuit; at poſita regula decimaquinta, quod *odia reſtringi oportet*, probabilitas eius opinionis non poteſt reduci ad actum; & conſequenter certa manet oppoſita ſententia in praxi, quod ille caſus non ſit reſeruatus. Idque tanquam certum affirmari à Patre Suarez, conſtat ex illis verbis, *Hoc patet*; & ex illis, *Ab omnibus admittitur.*

Nec nocet nobis quod loquatur P. Suarez de opinionibus probabilibus circa valorem voti: tum quia eadem eſt ratio, quando dubium, vel diuerſæ opiniones verſantur circa reſeruationem voti, atque quando verſantur circa valorem eius. Tum propter id, quod addit de caſibus reſeruatis, quando dubium, vel opiniones probabiles verſantur circa reſeruationem caſus. 12.

P. Thom. Sanchez ſtat pro eadem concluſione. Nam *lib. 4. ſum. cap. 44. num. 3.* docet, quando dubium eſt, an votum ſit reſeruatum, etiamſi ſit dubium accidens *propter diuerſitatem opinionum*, illud votum non manere reſeruatum, præcipuè ſi poteſtas diſpenſandi ſit ordinaria, eo quod hæc poteſtas diſpenſandi fauorabilis ſit, & latiſſimè interpretanda, vt latè docet, & tanquam certum ſtatuit *lib. 8. de matrim. diſp. 2. num. 1.* Itaque ſecundum Thomam Sanchez ſi detur opinio probabilis, propugnans votum eſſe reſeruatum, accedente regula decimaquinta iuris, iuxta quam poteſtas diſpenſandi eſt latiſſimè interpretanda, ea probabilitas per hanc regulam limitatur; & ſententia, quæ præſciſa hac regula, poterat ad praxim admitti, accedente hac regula, illa ſententia reiicienda eſt. Sed cur opinio reiicienda eſt, quæ eſt practicè probabilis, niſi quia adueniente ea regula iuris, probabilitas eius limitatur, ita vt non debeat ad praxim reduci? Probabilitas autem vnius opinionis non aliter limitatur, niſi ita vt probabilitas oppoſitæ opinionis tranſeat in certitudinem; modo dicto. 13.

Idem docet *lib. 4. ſum. cap. 40. num. 26.* vbi agens de votis reſeruatis, ait, in dubio votum non cenſeri reſeruatum, etiamſi *dubium ſit poſitiuum ex opinionibus probabilibus contrariis*; quia cùm reſeruatio ſit odioſa, non extenditur ad eos caſus dubios. Idem docet circa reſeruationem caſuum *lib. 1. ſum. cap. 10. num. 74.* Vnde quando eſt opinio probabilis, quod caſus eſt reſeruatus, & alia, quod non eſt reſeruatus; huic ſecundæ ſtandum eſt, quia eſt materia odioſa: vnde infertur non manere libertatem eligendi inter eas duas opiniones; atque adeò ex ea regula iuris accedente, non manere practicè probabilem eam opinionem negatiuam. 14.

Et in materia immunitatis Eccleſiaſticæ idem docuit *tom. 1. conſil. lib. 2. capit. 4. dub. 55. numer. 31.* Nam poſtquam propoſuit ſententiam quorumdam Iuriſperitorum, quod cogi poſſint Clerici à Magiſtratu Laïco ad contribuendum pro muris, pontibus, &c. addit, oppoſitam ſententiam *omninò tenendam.* Et inter alias rationes hanc exhibuit: *Quia in ambiguis Religionis quæſtionibus ſumma eſt ratio, quæ pro Religione facit, vt expreſſè his verbis dicitur leg. ſunt perſonæ, in fine, ff. de Religioſ. & ſumpt. funer.* & ex ſuprà dictis conſtat apud P. Thom. Sanch. quæſtiones ambiguas vocari eas, vbi pro vtraque parte ſunt opiniones probabiles. Et ea verba, *omninò tenendam*, denotant oppoſitæ parti non relinqui practicam probabilitatem, præcipuè ex ea circumſtantia, quod fauore Religionis amplianda eſt immunitas in ambiguis de Religione quæſtionibus, ſiue in iis quæſtionibus, vbi ſunt opiniones probabiles. Vnde licèt illa prima à ſententia Iuriſperitorum 15.

Z 4 eſſet

eſſet ſpeculatiuè probabilis, id eſt, abſoluiè probabilis, præſciſa regula de fauore Religionis ampliando; at accedente hac, illa prima ſententia non manet practicè probabilis, nec poteſt reduci ad praxim. Vide etiam in materia matrimonij, quæ etiam fauorabilis eſt, Patrem Thom. Sanchez referendum infrà *capit. 5. numer.* 40. & alios vndeviginti Authores *ibidem* referendos.

16. Pro eadem ſententia ſtat Antonius Diana *part.6. tract.1. reſol.30. fine*, in materia immunitatis, vbi inter alia ait: [Quia in conflictu *opinionum* illa eſt amplectenda, quæ fauet Eccleſiæ.] Eſt ergo reiicienda, quæ non fauet: non ergo remanet practicè probabilis, vt ex ſuprà dictis conſtat. Vbi pro eadem ſententia citat Diana Alexandrum Sperellum, Carolum Maranta, Farinacium, & Giubam: quod fuſiùs docuit Diana *parte 5. tract. 1. reſol. 23.* vbi præter allegatos citat Iaſonem, & P. Baldellum *tom.1. lib.5. diſp.39. num.1.* Souſam, & Rotam in vna Veneta cenſus, ann. 1606. Quod etiam docuerat idem Diana 1. *part. tract. 2. reſol.65.* vbi pro eadem allegat Felinum, Decianum, Hondedeum, Belletum, & Mainardum.

17. Valenzuela aduerſus Venetos *part. 1. num.43.* docet idem eiſdem verbis ac Diana: [Quia in conflictu *opinionum* illa magis eſt amplectenda, *quæ fauet Eccleſiæ.*] Idem habet in eadem materia immunitatis Thomas Delbene *tom.1. cap. 16. dub. 9. ſect.1. num. 12.* Idem tradit in eadem materia Antonius Souſa *in Bullam Cœnæ diſp. 76. num.5.* vbi ait: [Opinio communis *non eſt attendenda*, quando altera contraria opinio poteſtati clauium, & iuriſdictioni Eccleſiæ fauet: ergo multò minùs opinio, quæ à multis reprobatur.] Et quid eſt; *Non eſt attendenda?* niſi quod, licèt ſecluſa ratione fauorabilis, illa opinio ſit probabilis; at attento fauore Eccleſiæ non remanet deducibilis ad praxim, & ideò nec practicè probabilis; alioqui ſi remaneret practicè probabilis, ſemper maneret libertas illam eligendi. Et pro eadem propoſitione, quam ſumit pro antecedente, citat Souſa Hoſtienſem, & Ioannem Andr. *in cap. rurſus, qui Clerici vel vouent.* & Felinum *in cap.1. de conſtit.* & Mattham *de iuriſdict.4.part. cent.2. caſ.164. num. 1.* Tenet etiam P. Pellizarius in materiâ immunitatis *in Manual. Regul. tom. 2. tract. 8. cap.6 num.142.* qui quamvis non diſtinguat, an extendatur ad opiniones probabiles; eſt tamen eius ſententiæ, quia citat vnicum Dianam in locis allegatis, approbans eius doctrinam.

18. Eiuſdem ſententiæ eſt P. Facundez *lib.4. de iuſt. cap.10. num.10* qui in ea quæſtione, an quis poſſit omnia bona ſua donare Eccleſiæ? cùm partem affirmantem docuiſſet, ſubdit: [Et quamvis multi, & grauiſſimi Doctores contrarium teneant, quos citatos inuenies (ſuppreſſis nominibus) apud Iulium Clarum; nihilominus ſi caſus contingeret, ob fauorem Eccleſiæ ab hac opinione non eſt recedendum: nam ſemper ſumma ratio eſt ea, quæ pro Religione facit, vt dicitur *in leg. ſunt perſona, ff. de Religioſ. & ſumpt. funer.*] Docet ergo, in praxi non eſſe recedendum ab hac opinione affirmatiua propter fauorem Religionis: ergo oppoſita non eſt deducenda ad praxim: ergo licèt præſciſo fauore Religionis, oppoſita ſit probabilis; hoc tamen attento, oppoſita non eſt practicè probabilis.

Dices, ex his Authoribus non colligi, illas opiniones aduerſas immunitati reddi practicè improbabiles in foro conſcientiæ ex hoc principio iuris de amplianda immunitate fauore Religionis; ſed ad ſummum colligi, opiniones fauorabiles eſſe probabiliores. Nam cùm præcitati Authores defendant, iudicem debere iudicare ſecundum opinionem probabiliorem, ita conſequenter dicent, Iudicem Eccleſiaſticum iudicantem in cauſa immunitatis, iudicare debere ſecundum opinionem fauorabilem immunitati, vtpote probabiliorem. 19.

Hæc tamen euaſio ſuſtineri non poteſt; eſt enim manifeſtè contra mentem Authorum. Nam P. Suar. *loco citat.* nihil tale agit de Iudice Eccleſiaſtico, aut eius ſententia; ibi enim agit de iudicibus ſæcularibus malè operantibus, qui non poſſunt excuſationem prætendere ex diuerſitate opinionum, eo quod quoties talis opinionum diuerſitas adeſt, debent operari ſecundum Regulam generalem de amplianda immunitate fauore Religionis, vt legenti conſtabit. Et de P. Thom. Sanch. id euidentiùs conſtat, qui agens de reſeruatione votorum, & caſuum, nihil meminit de iudice, ſed expreſsè loquitur de eo, quod tenendum eſt in foro conſcientiæ, aut abſtrahendo ab vtroque foro. Et vbi loquitur de immunitate, non agit de Iudice Eccleſiaſtico ſententiam ferente, ſed de praua operatione Iudicum ſæcularium, qui volunt cogere Eccleſiaſticos ad contribuendum pro muris, pontibus, &c. eoſque aſſerit in ambiguis quæſtionibus operari debere fauore immunitatis. Item Diana in textu quintæ partis loquitur expreſsè conſulens Conſiliariis Principum, vt in conflictu opinionum eam amplectantur, quæ fauet Eccleſiæ, ſupponens eos non eſſe iudices huius cauſæ. Et in textu citato primæ partis loquitur vniuerſaliter de eo, quod tenendum eſt in ambiguis quæſtionibus de immunitate, nihil dicens de modo procedendi Iudicis Eccleſiaſtici in hac cauſa. Verum eſt, quod in textu citato ſextæ partis loquitur de ſententia, quam in hoc conflictu opinionum debet proferre iudex Eccleſiaſticus: ſed illud aſſerit ex principio vniuerſali à ſe tradito in prima, & quinta parte, quod ſemper ſtandum ſit pro immunitate, præcipuè cùm ipſe Diana 2. *part. tract. 13. reſol.3. §. dico igitur*, defendat, poſſe iudicem ſequi opinionem probabilem relicta probabiliori. Sed & Antonius Souſa, ne verbum quidem aſſerit circa ſententiam Iudicis Eccleſiaſtici, ſed ſolùm loquitur de iniuſtitia ſtatuti indicentis examen literarum Apoſtolicarum; docens, poteſtates ſæculares debere attendere ad opiniones fauorabiles immunitati, vt conſcientiæ ſuæ conſulant. 20.

CAPVT III.

Ratione probatur eadem concluſio.

PRobatur primò. Quando materia, vtpote fauorabilis, eſt amplianda, illa extenditur ad caſus ambiguos: ſed inter hos adnumerantur opiniones probabiles: ergo extenditur ad caſum opinionis probabilis. Item, quando extenditur ad caſum opinionis probabilis, vnam partem probabilem determinat, ſcilicet fauorabilem; & excludit aliam partem probabilem oppoſitam, ſcilicet 21. *Conſtitutio fauorabilis extenditur ad caſus ambiguos.*

ſcilicet aduerſam: ſed regula, quæ determinat ad vnam partem, illam reddit certam; & quæ excludit oppoſitam partem probabilem, illam reddit improbabilem, & certò falſam: ergo hunc effectum præſtat ea regula de fauore ampliando, circa opiniones oppoſitas. Conſequentia primi ſyllogiſmi, & propoſitiones illi adiunctæ, patere videntur.

22. Maior primi ſyllogiſmi eſt certa inter Authores. Ita P.Thom.Sanchez loco citato, & multis aliis in locis, præcipuè *lib. 8. de matrim. diſp. 2. num.9.* Imò & cæteri Authores citati capite præcedenti, quamvis loquantur in materia immunitatis Eccleſiaſticæ, id probant ex generali principio de ampliatione fauorum; quod in immunitate vrgentius militat, quantò maior eſt cæteris fauor Religionis. Et notauit Caramuel *in Theolog.fundam.num.943. fundam.* 38.vbi id tanquam certum ſupponit, dicens: [Materiam eſſe dubiam, & leges incertas, ſupponimus: vbi enim illa certa eſt, aut hæ claræ, non eſt locus interpretationi, & ampliationi.] Ratio autem eius maioris eſt, quam hic inſinuat Caramuel. Etenim ad caſus certos tam extenditur materia odioſa, quàm fauorabilis; vnde ſi hæc ampliatur, & illa reſtringitur, non debet eſſe id in ordine ad caſus certò comprehenſos, ſed in ordine ad illos, de quibus dubitatur.

23. *Inter caſus ambiguos numerantur caſus probabilitatis.* Minor etiam primi ſyllogiſmi debet eſſe certa: nam caſus ambigui ſunt illi, in quibus neutra pars eſt certa, ſed vbi ſunt opiniones probabiles oppoſitæ, neutra pars eſt certa: ergo vbi ſunt opiniones probabiles, ſunt caſus ambigui.

24. Sed dices, aliud eſſe dubium, & aliud opinionem probabilem. Et ſuffragabitur tibi Caramuel, qui multis in locis aſſerit, hallucinatos eſſe Authores, dum opinionem cum dubio confundunt. Ampliabitur ergo conſtitutiò fauorabilis ad caſus dubios; non autem eſt, cur amplietur ad caſus, in quibus militant opiniones probabiles.

25. *Obiectum opinionis, licèt non ſit dubium, eſt dubitabile.* Impugnatur reſponſio. Demonſtraui enim *diſp. 6. cap. 5. & 6.* in æquiuoco laboraſſe Caramuelem, dum hæc aſſeruit. Aliud enim eſt, quod aſſenſus probabilis non ſit dubitatio, neque cum hac componatur; & aliud, quod inter motiua probabilia oppoſita, non poſſit conſiſtere dubitatio. Similiter aliud eſt, quod obiectum opinionis probabilis non ſit actualiter dubium; & aliud eſt, quod illud non ſit dubitabile. Nam primum eſt verum, & ſecundum falſum, vt citato loco oſtendi. Cùm enim intellectus dubitans ſuſpendat aſſenſum in vtramque partem, quando intellectus habet aſſenſum probabilem, euidens eſt quod non ſuſpendit aſſenſum, & conſequenter quod non dubitat. Cuius veritatis tot ſunt teſtes, quot ſunt Profeſſores facultatum, qui examinant quæſtiones in materia probabili ad ſcribendum, vel docendum: qui cùm incipiunt eas præmeditari, conſideratis vtrimque rationibus grauibus, aliquando diu hærent, ſuſpendentes aſſenſum quoad alterutram partem contradictionis. Quod ſanguis informetur anima, habet pro ſe rationes probabiles; habet etiam contra ſe rationes probabiles: & tamen, quoties vtraſque rationes conſideraui, ſemper dubius manſi, ſemper ſuſpendi aſſenſum. Et ratio eſt, quia cùm rationes probabiles non habeant euidentiam, quæ rapiat intellectum ad aſſenſum, accidere poteſt, & frequenter accidit, quod intellectus non coactus ad vnam partem, neque ad aliam, ſuſpendat aſſenſum, adeóque dubius fluctuet. Manet ergo certiſſimum, quod quamvis obiectum opinionis probabilis non ſit actualiter dubium, ſcilicet dum adeſt aſſenſus probabilis; illud tamen vt tale eſt, eſſe dubitabile; & propoſitis vtrimque rationibus probabilibus, poſſe de eo intellectum dubitare.

Tum ſic: Conſtitutio fauorabilis amplianda non ſolùm extenditur ad caſus actualiter dubios, ſed ad caſus etiam dubitabiles: atqui dubitabiles ſunt, qui pro vtraque parte contradictionis habent opinionem probabilem, vt conſtat ex proximè dictis: ergo extenditur ad eos caſus, qui pro vtraque parte contradictionis habent opinionem probabilem. Maior probatur, quia non eſt maior ratio, quare conſtitutio fauorabilis amplietur ad caſus actu dubios, quàm ad caſus aptitudine dubios: non eſt maior ratio, quare amplietur ad caſus, de quibus actu dubitat intellectus, quàm ad caſus, de quibus poteſt dubitare. 26. *Fauor extenditur, non ſolùm ad caſus dubios, ſed ad dubitabiles.*

Confirmatur primò. Nam in fauorabilibus nomine caſus dubij debet venire caſus dubitabilis. Confirmatur ſecundò, quia in eadem materia fauorabili nomine caſus dubij venire debet caſus incertus, ſiue non certus: talis autem eſt quilibet caſus probabilis, in cuius quæſtione pro vtraque parte ſunt rationes probabiles. 27.

Quod ſi dicas, adhuc non eſſe certum, quod amplietur ad caſus, qui pro vtraque parte habent opinionem probabilem, ſed ſolùm id manere dubium, infero: ergo ad hoc dubium etiam ampliatur conſtitutio fauorabilis, quam ad omnem caſum dubium ampliandam eſſe, conſtat inter omnes. 28.

Conſiſtit ergo vis huius argumenti pro concluſione exhibiti, in eo, quod vbi certum eſt, conſtitutionem pertinere ad hanc regulam de fauore ampliando, illa extendi debet ad quoſlibet caſus dubitabiles. Cùm ergo in his adnumerentur caſus habentes pro vtraque parte contradictionis opinionem probabilem, ad hos debere conſtitutionem ampliari, certum eſt. Et idem, proportione ſeruata, dicendum eſt de conſtitutione certò odioſa, vt reſtringenda ſit; ita vt extendatur ad caſus dubitabiles. 29.

Nec obiicias: opinio, quæ negat immunitatem in hoc caſu, probabilis eſt: ergo probabile eſt, quod non debet ſeruari immunitas in hoc caſu: ergo probabile eſt, quod fauor immunitatis non extenditur ad hunc caſum; ſolutio enim patet ex dictis. Diſtinguenda enim eſt maior: opinio, quæ negat immunitatem in hoc caſu, probabilis eſt, [ſecluſa regula de fauore ampliando,] concedo; [adiuncta regula de fauore ampliando,] nego. Sicut ſi diceres: dubium eſt, an immunitas detur in hoc caſu: ergo non eſt certum dari. Eodem enim modo diſtinguendum eſt antecedens: dubium enim eſt, ſecluſa regula de fauore ampliando, ſecus illa adiuncta. 30.

***

CAPVT

CAPVT IV.

Aliud argumentum pro eadem concluſione.

31. PRobatur ſecundò concluſio, ſupponendo id, quod communiter contingere ſolet, quod priùs adueniat dubitatio in aliqua quæſtione, quàm probabilitas alterutrius partis. Nam cùm diſcurſus humanus limitatus ſit, ſucceſſiuè procedit; & priùs inſtituit quæſtionem dubitando, deinde inquirendo rationes probabiles, quæ alterutri parti ſuffragari valeant. Da ergo ita contigiſſe in materia fauorabili immunitatis: quo ſuppoſito.

32. *Dum res eſt dubia, certa eſt reſolutio pro immunitate.* Sic argumentor. Dum res erat dubia, certum eſt, quod quæſtio reſoluenda erat fauore Religionis, quia ex ea regula decimaquinta certum eſt, fauores eſſe ampliandos: ſed concluſio non redditur peioris conditionis, quia illi denuò accreſcant, & ſuffragentur rationes probabiles: ergo ſi, quando res erat dubia, quæſtio erat certò reſoluenda pro parte fauorabili, etiamſi illi ſuffragentur rationes probabiles, quæſtio eodem modo reſoluenda eſt pro parte fauorabili. Neque enim propter rationes probabiles illi concluſioni denuò ſuffragantes, concluſio amittere debet ſtatum certitudinis, in qua antea erat: ſicut plena & certa probatio in iudicio non amittit ſuam certitudinem, quia ei denuò accreſcant aliæ coniecturæ probabiles; quin potiùs illis ampliùs roboratur. *Nec ſit res peioris conditionis, dum adueniunt denuò rationes probabiles.*

33. *Reſponſio.* Reſpondebis, id verum eſſe, ſi rationes probabiles dumtaxat reperiantur pro ſuffragio concluſionis fauorabilis. Atqui ſi dentur etiam rationes probabiles pro oppoſita concluſione, hæc probabilitas partis oppoſitæ facit vt non ſit certa concluſio fauorabilis. Nam cùm clarè conſtat de probabilitate vnius partis, euidenter infertur, oppoſitam non eſſe certam, eo quod implicat ex duabus propoſitionibus oppoſitis vnam eſſe probabilem, & alteram certam. Maximè cùm certitudo vnius partis poſſit amitti decurſu temporis ob fundamentum denuò repertum, vt probatum manet *diſp. 9. cap. 4.*

34. Sed hæc reſponſio non eleuat vim argumenti, ſupponendo, quod benè ſtat concluſionem ſtrictam eſſe probabilem, attentam præciſè ex vi legis directæ, & eſſe certò falſam vi legis reflexè præcipientis, conſtitutiones fauorabiles eſſe ampliandas: quo ſuppoſito, ſic impugno prædictam reſponſionem. Dum quæſtio directa merè dubia erat, certum erat ex prædicta regula decimaquinta, reſoluendam eſſe pro parte fauorabili in tali caſu: ſed probabilitas denuò adueniens parti ſtrictæ non militat contra eam ampliationem legis fauorabilis: ergo probabilitas denuò adueniens non tollit reſolutionem certam pro parte fauorabili. Hæc conſequentia patet.

35. Maior probatur hoc ſyllogiſmo, qui demonſtratiuus eſt. Lex euidenter fauorabilis extenditur ad caſum dubium: ſed lex de immunitate ſeruanda eſt euidenter fauorabilis, & hic caſus eſt dubius: ergo lex de immunitate ſeruanda extenditur ad hunc caſum. Conſequentia enim eſt manifeſta, & maior ex dictis ſuprà *num.* 22. eſt euidens. Minor quoad priorem partem clarè conſtat ex dictis: & quoad partem poſteriorem, in ipſa quæſtione ſupponitur.

Quod verò probabilitas denuò adueniens parti ſtrictæ, non deſtruat eam ampliationem legis fauorabilis, quæ in dubio ſuffragabatur in hoc caſu immunitatis (quæ erat minor prioris ſyllogiſmi) probatur. Nam in eo caſu erat certum, reſolutionem eſſe debere fauorabilem vi legis reflexæ: mera autem probabilitas quæſtionis directæ non poteſt debellare certitudinem reſolutionis reflexæ. 36. *Probabilitas concluſionis directæ non tollit certitudinem concluſionis reflexæ.*

Quod vt clariùs percipias, vnum è multis caſum practicum eligo. Inquiris, an Clericus in minoribus ordinibus conſtitutus, carens beneficio Eccleſiaſtico, & deſtinatione Eccleſiæ, cui inſeruiat, gaudeat immunitate à gabellis? Et prima ſententia docet, eum gaudere, quam tuentur P. Molina, Malderus, Garciâ, & Sacra Congregatio, quos refert, & ſequitur Diana *part. 1. tract. 2. reſol. 36.* Secunda ſententia affirmat, Clericos in minoribus non gaudere immunitate à gabellis, niſi habeant ea requiſita, quæ exigit Tridentinum, vt illi gaudeant priuilegio fori. Ita Ceuallos, Barboſa, Alterius, Coriolanus, PP. Azor, Filliucius, & Reginaldus, & alij, quos refert Diana citatus. 37. *An Clericus in minoribus ſit obnoxius gabellis?*

Et quidem in mero dubio ſtandum erat fauore Religionis, & immunitatis; in quo caſu ea reſolutio fauorabilis, erat omninò certa. Vt ergo probabilitas ſecundæ ſententiæ denuò adueniens tollat eam certitudinem, neceſſarium eſt quod ea opinio non ſolùm iudicet vi legis immediatè diſponentis de immunitate eorum Clericorum, ſed quod reflectat etiam ſupra regulam de fauoribus ampliandis, ideoque probabiliter iudicet, in eo caſu non habere locum eam regulam, propter ſpecialem aliquam circumſtantiam. Nam ſi ſolùm iudicet vi legis directè, & immediatè diſponentis de ea immunitate talium Clericorum, cùm non verſetur in quæſtione reflexa de eo fauore ampliando, non pugnat cum certitudine eius reſolutionis reflexæ. 38. *Vt ſecunda ſententia ſit probabilis, debet reflecti ſupra ampliationem fauoris.*

Ex hoc autem capite infirmatur opinio docens, Clericos in minoribus, quibus deſunt ea requiſita Tridentini, manere obnoxios gabellis ſoluendis; quia non reflectit ſupra ampliationem fauoris, quæ oppoſitæ ſententiæ conuenit vi prædictæ regulæ decimæquintæ. Et hæc omnia intelligenda ſunt, niſi detur aliquid limitans reſolutionem regulæ decimæquintæ, iuxta dicenda *capit. 6.* Et ita ſi eſſet conſuetudo rationabilis, & legitimè præſcripta, ſubiiciens gabellis Clericos in minoribus, aliter reſoluendus eſſet caſus propoſitus, à cuius reſolutione modò abſtraho. 39.

CAPVT V.

Tres aliæ probationes eiuſdem concluſionis.

PRobatur tertiò concluſio, ſupponendo cauſam matrimonij contracti eſſe valde fauorabilem, atque adeò in dubio ſtandum eſſe pro matrimonij valore. Quod docet P. Thom. Sanch. *lib. 1. de matrim. diſp.* 18. *num.* 5. & apud ipſum Ioannes Andreas, Hoſtienſis, Ancharanus, Henriquus, 40. *An cauſa matrimonij contracti ſit fauorabilis?*

riquus, Alexander de Neuo, Præpoſitus, Cardinalis, Abbas, Lapus, Alciatus, Angelus, Sylueſter, Tabiena, Armilla, Menochius, Brunellus, Alexander Carrerius, Antonius Cuccus, Vngarellus, & Maſchardus. Et conſtat *ex cap. ex litteris, de probation.* vbi deciditur, inter probationes æquales, iudicem ſtare debere pro reo, *Præterquam in liberali cauſa.* Vbi gloſſa, *verb. liberali*, ait: *In cauſa matrimoniali.* Et *in cap. fin. de ſentent. & re iudic.* diſponit Gregorius IX. duobus iudicibus ordinariis diuerſas ſententias ferentibus, præferendam eſſe ſententiam pro reo, *niſi in cauſa fauorabili, putà matrimonio, libertate, dote, ſeu teſtamento.*

Et quàm id ſit certum?

41. *In cauſa matrimonij, opinio ſingularis, quæ ſtat pro valore, præfertur communi.*

Hinc conficitur argumentum. Etenim quando agitur cauſa de valore matrimonij, quia hæc valde fauorabilis eſt, ſententia ſtans pro valore, vnius ſingularis Doctoris probabili ratione innitentis, præferenda eſt ſententiæ plurimorum, niſi textu aperto, aut ratione euidenti innitantur. Ita enim docet P. Thom. Sanchez ſuprà relatus ea *diſp. 18. num. 7.* & apud ipſum Hoſtienſis, Ioannes Andreas, Antonius, Ancharanus, Henriquus, Neuo, Præpoſitus, Felinus, Decius, Barbatia, Beroius, Roſella, Antonius Gabriel, Menochius, Antonius Cuccus, & Nauarrus. Et præter eos tradit P. Caſtro Palao *tom. 1. tractat. 1. diſp. 2. punct. 1. num. 12* & apud ipſum Maſchardus *de probation. concluſione 114, num. 12.* & Villalobos *tom. 1. ſum. tract 1. difficult. 7. num. 3.* Et obſeruat ibi P. Thom. Sanch. id in vtroque foro intelligendum eſſe.

42. *Opinio communis reiicitur, quia reflexio ſuo is oppoſitam reddit certam.*

Atqui interrogabit Theologus, quare in cauſa matrimoniali, ſi opinio communis eſt probabilis, reiicienda eſt, & præferenda ſingularis? Cùm opinio probabilis, nedum probabilior, eligibilis ſit; vbi enim eſt probabilitas, ibi & libertas operandi ſecundum talem opinionem probabilem. Ratio autem huius eſt. Nam licèt ſententia communis de nullitate matrimonij ſit probabilis, vel, ſi mauis, probabilior vi legis immediatè, & directè diſponentis de valore, vel nullitate contractus matrimonialis: at ſi fiat reflexio ſupra eam opinionem, ex vi legis diſponentis, cauſam matrimonialem eſſe fauorabilem; & ideò ex prædicta regula decimaquinta eſſe ampliandam; fit certum, opinionem fauorabilem eligendam eſſe. Et ideò aſſertio reflexa, quæ affirmat, hanc opinionem eligendam eſſe, iam non eſt mera opinio, ſed ſententia certa dicenda eſt, eo quod certum ſit, non ſolùm in dubiis, ſed etiam in dubitabilibus, pro cauſa euidenter fauorabili ſtandum eſſe.

43. Quid aſſeſtat Caramuel?

Scio Caramuelem aſſeruiſſe, cauſam de valore matrimonij non eſſe fauorabilem, nec in dubio ſtandum eſſe pro matrimonio, ſed pro cœlibatu. Ita enim aſſerit *in Theologia fundamentali, num.* 2017. *fund.* 70. in hæc verba: [Sunt qui hæc theoremata mordicus tenent. Primum: in omni dubio ſtandum eſt pro valore Sacramenti. Secundum: in omni probabilitate, illa eligenda ſententia eſt, quæ faueat matrimonio. Tertium... Sed omnia hæc tria mihi non placent. Non primum, quia in dubio ſtandum pro poſſeſſione eſt, quæ præceſſerat dubium: cùm igitur antè matrimonium dubium præceſſerit cœlibatus certus, ſtandum eſt pro cœlibatu. Non ſecundum, quia potiùs in probabilitate fauendum eſt coniugatis, quibus fauor maximus fieret interdum, ſi matrimonium inualidum declararetur.]

Sed debuiſſet aduertere Caramuel primò, eſſe expreſſum in ſacris Canonibus, cauſam matrimonij eſſe fauorabilem, vt expreſsè deciditur *in cap. fin. de ſententia, & re iudic.* relato ſuprà *num.* 40. Secundò, non cenſeri probabilem ſententiam, donec ſatisfaciat textui authentico, qui oppoſitum tradere conſpicitur. Ideò dicendum eſt, doctrinam traditam, quod cauſa matrimonialis ſit fauorabilis, certam eſſe, vtpote expreſsè traditam in ſacris Canonibus. 44.

45. An ſibi contradicat?

Debuiſſet aduertere tertiò, ſe dixiſſe in Theologia intentionali *lib. 3. diſp. 3. quæſt. 8. num.* 1425. hæc verba: [Coniux, qui contraxit bona fide, habet rationem grauem aſſerendi matrimonium eſſe validum: igitur nec poſitiuè, nec negatiuè poterit dubitare. Quamdiu igitur non conſtet euidenter, matrimonium fuiſſe inualidum, prudenter credet validum, & inualidum diceret imprudenter.] Infero: ergo iudex in cauſa matrimoniali eius, qui contraxit bona fide, *quamdiu ſibi non conſtet euidenter, matrimonium fuiſſe inualidum, prudenter credet validum; & inualidum*, in ſua authentica ſententia *diceret imprudenter*, atque adeò iniquè. Sed quando iudex videt rationes probabiles pro vtraque parte, ſibi non conſtat euidenter, matrimonium fuiſſe inualidum; ergo quando videt rationes probabiles pro vtraque parte, *prudenter* dicet *validum*, & *inualidum* dicet *imprudenter*, & iniquè. Ergo in tali caſu probabilitatis non eſt *potiùs fauendum coniugatis*, ſed valori matrimonij.

46. *Ex duabus iudicum ſententiis oppoſitis, præferenda eſt, quæ ſtat pro cauſa fauorabili.*

Probatur quartò concluſio. Nam in relato capite finali *de ſententia, & re iudic.* hanc deciſionem ſtatuit Gregorius IX. *Duobus iudicibus, vt accepimus, diuerſas ſententias proferentibus, ſi ex iuriſdictione ordinaria proceſſerunt, tenet pro reo, non pro actore ſententia, niſi in cauſa fauorabili, putà matrimonio, libertate, dote, ſeu teſtamento,* pro ipſo (actore) *fuerit promulgata.*

Vbi aduertendum eſt, ſupponere Pontificem, ex iis duabus ſententiis non eſſe vnam euidenter iuſtam, & alteram euidenter iniquam. Nam ſi tales forent, nec pro reo, nec pro cauſa fauorabili ſtandum eſſet, ſed pro iure euidenti. Supponit ergo Pontifex, vtramque ſententiam aduerſam eſſe probabilem, & probabiliter, atque prudenter latam. Tum ſic: quamvis vtraque ſententia ſit probabiliter, atque prudenter lata, Pontifex decidit, præferendam eſſe eam, quæ verſatur in materia fauorabili: ergo ex deciſione Pontificis materia fauorabilis extenditur ad cauſam probabilem: ergo ex deciſione Pontificis materia fauorabilis non extenditur ſolùm ad cauſam vtcumque dubiam, ſed etiam ad cauſam probabilem, & in qua pro vtraque parte ſunt rationes probabiles. Ergo cùm in regula decimaquinta decidítur, fauores eſſe ampliandos, intelligendum eſt, non ſolùm ampliandos ad caſus vtcumque dubios, ſed etiam ad caſus, in quibus adeſt probabilitas. 47.

In iure canonico fauor extenditur ad cauſam probabilem.

48. *Multæ opiniones circa immunitatem reprobantur, quia militant contra certitudinem quæſtionis reflexæ.*

Probatur quintò. Plurimæ ſunt opiniones Iuriſperitorum circa immunitatem Eccleſiaſticam, quæ communiter reprobantur à Theologis, quæ quidem reprobari non poſſunt, niſi ratione improbabilitatis, in quam impingunt. Deinde à Sacra Congregatione Cardinalium de Indice librorum prohibitorum prodiit edictum interdicens librum de immunitate Eccleſiaſtica Petri Gambacurta, eo quod doceret multas opiniones reprobatas de hac materia. Quod decretum inuenies

Digitized by Google

nies apud Dianam *part.* 5. *tractat.* 1. *reſol.* 1. Et Paulus V. damnauit aliam opinionem detrahentem immunitati Eccleſiaſticæ, apud Dianam *ibid. reſol.* 3.

49. Et tamen aliquibus difficile videtur, damnari tanquam improbabiles, quæ habent pro ſe plures Authores. Quod mihi difficile non eſt, qui video, aliquas opiniones in aliis materiis defendi planè improbabiles à pluſquam viginti Doctoribus, quas retuli *diſputat.* 11. *capit.* 8. ſed tamen ex hac veritate, quam defendimus, facile eſt omnibus ſatisfacere in hoc dubio. Dato enim (& non conceſſo) quod eæ opiniones ſint probabiles vi legis directè diſponentis de materia earum; at attenta certitudine eius regulæ decimæquintæ, quod conſtitutiones fauorabiles ſunt ampliandæ, atque adeò extendendæ ad caſus dubitabiles, fit, quod quamvis eæ opiniones ſint directè probabiles, reflexè tamen vi prædictæ regulæ illæ opiniones maneant improbabiles, & certò falſæ; cùm prædictæ opiniones materiam fauorabilem immunitatis contra ius reſtringant, nec amplient ad omnes caſus dubitabiles, quales ſunt caſus pro vtraque parte probabiles.

CAPVT VI.

Aliqua limitationes præcedentis doctrinæ, & nonnullæ illationes.

50. *Concluſio intelligitur de materia euidenter fauorabili.*

PRima limitatio eſt, vel potiùs explicatio. Quoties non eſt certum, conſtitutionem eſſe fauorabilem, ſed dumtaxat probabile, non eſt certum extendendam eſſe ad caſus habentes pro vtraque parte opinionem probabilem, ſicut neque ad caſus dubios: hæc limitatio ſatis conſtat ex dictis, & ſolùm notatur pro præoccupandis obiectionibus, quæ circa alias conſtitutiones, quæ communiter reputantur fauorabiles, exponi poſſunt.

51. *Et niſi materia fauorabilis limitetur per alia iuris principia.*

Secunda limitatio eſt: Quoties ea generalis regula decimaquinta limitatur per alia principia iuris, non tenet doctrina tradita. Poſſet enim aliquis cogitare, conſtitutiones pœnam imponentes eſſe fauorabiles, quia reſpiciunt bonum publicum; hoc autem non obſtante, adhuc id alia iuris regulâ coarctatur, nempe ſecunda: *In pœnis benignior interpretatio eſt facienda.*

52. *Et niſi conſuetudo declarauerit praxim conſtitutionis.*

Tertia limitatio eſt, quando conſuetudo declarauit praxim conſtitutionis: eſt enim aliud iuris principium, quod *conſuetudo eſt optima legum interpres, ex cap. cùm dilectus, de conſuet.* Et ideò licet ſint opiniones probabiles circa talem conſtitutionem, quæ ſcilicet probabiles ſint præciſâ conſuetudine, quamvis conſtitutio ſit fauorabilis, non eſt extendenda ad caſum, qui pro vtraque parte habet opiniones probabiles; eſt enim limitata ea regula de fauore ampliando per prædictum iuris principium. Quæ, ſi attentè conſpiciatur, potiùs eſt explicatio, quàm limitatio, cùm eæ opiniones ſtante legitima conſuetudine certa non ſint probabiles. Nec proptereà admitto conſuetudinem, quæ abſolutè poſſit derogare immunitati Eccleſiaſticæ. De quo aliàs.

53. Quarta limitatio eſt. Quoties fauor procedit contra ius tertij, non eſt ampliandus, atque adeò non debet extendi ad caſus dubitabiles, neque habentes pro vtraque parte opiniones probabiles, vt notauit P. Thom. Sanch. *lib.* 8. *de matrim. diſp.* 2. *num.* 3. cum multis Doctoribus. Et nota, in materia immunitatis non habere locum hanc limitationem, quia nunquam Principes ſeculares habent ius contra reuerentiam debitam Religioni, & ſtatui Eccleſiaſtico, niſi circumſtantiæ euidenter extrahant caſum à cauſa immunitatis.

Et quando fauor non procedit contra ius tertij.

54. *Multæ opiniones Ioãnis Sancij ſunt improbabiles, ex eo principio reflexo.*

Ex dictis inferes, non bene procedere Ioannem Sancium, dum *diſp.* 44. *num.* 52. ait, licitum eſſe iudici, quamlibet opinionem, affirmatiuam ſcilicet, vel negatiuam, ſequi in omnibus his quæſtionibus: *An blaſphemo immunitas Eccleſiæ valeat? An committens delictum quodlibet in Eccleſia, gaudeat immunitate pro aliis delictis extra Eccleſiam commiſſis? An exiens ab Eccleſia committendi criminis causâ, gaudeat immunitate? An occidens Clericum gaudeat immunitate? An illa gaudeat, qui è manibus ſatellitum eripitur, & ad Eccleſiam confugit?* Ideò verò aſſerit, licere iudici extrahere ab Eccleſia eiuſmodi delinquentes, quia pro vtraque parte, tam affirmatiua, quàm negatiua, eſt opinio probabilis, & Authores ipſi ſuffragantes.

55. Ideò autem non benè procedit, quia licèt prædictæ opiniones ſint probabiles, attentis legibus, quæ de ea materia in terminis loquuntur; at attenta regula decimaquinta ſuprà poſita de fauore ampliando, & præcipuè cùm cauſa immunitatis, & Religionis ſit omnium fauorabilium fauorabiliſſima; cùm ex prædicta regula conſtitutiones, quæ ſub ipſa comprehenduntur, ad caſus dubios, & dubitabiles ſint ampliandæ; fit, quod ea regula limitet probabilitatem earum opinionum. Qua poſita nec poſſunt reduci ad praxim, nec dici practicè probabiles.

56. *Circa immunitatem vix eſt caſus, in quo ſit varietas opinionum probabilium.*

Inferes vlteriùs, in materia immunitatis Eccleſiaſticæ vix eſſe caſum, in quo detur varietas opinionum practicè probabilium. Quam aſſertionem certam exiſtimabis, ſi attentè conſideres ea, quæ hucuſque *in præſenti diſp.* dicta ſunt.

DISPVTATIO XVIII.

An liceat exponere ſe periculo probabili peccandi? Vbi multa de periculo proximo.

CAPVT I.

Quænam fuerit ſententia Caramuelis, & qua ratione illam retractauerit?

1. HANC quæſtionem aliis terminis proponere poſſem conſequentiùs ad titulos diſputationum præcedentium, videlicet in hanc formam: [An obligatio vitandi periculum peccati, limitet probabilitatem opinionum?] Sed quia quæſtio communiùs agitatur ſub titulo præfixo, ideò illum

Digitized by Google

illum præferre volui, poſteà dicturus quidquid ſpeciale reluxerit ſub altero titulo. Inter periculum proximum, & periculum probabile diſcrimen inuenerunt Recentiores Theologi, licèt antiquiores pro eodem vſurpauerint. Iuxta illos periculum proximum, ſiue certum, eſt quod quadam certitudine morali infert lapſum, vt cùm quis expertus eſt, ſe ferè ſemper in tali occaſione labi in peccatum. Periculum verò probabile dicunt, quod non certò, ſed probabiliter colligit lapſum futurum, vt cùm quis iuit domum fœminæ duodecies, & ſexies peccant, ſexieſque voluntariè abſtinuit. De quo exemplo vide *cap.* 14. *num.* 219.

Quid interſit inter periculum probabile, & proximum?

2. *Priſtina ſententia Caramuelis.*

Caramuel *in Regulam S. Bened. diſp.* 70 *n.* 1056. docet, licitum eſſe exponere ſe probabili peccandi periculo, ſine vlla neceſſitate. Inter alia ſic aſſerit *num.* 1058. [Petis, vtrum poſſit ſe aliquis exponere probabili peccandi periculo? Ego nullam actionem prudentem peccati arguo: nec inprudens cenſendus eſt, qui ſequitur partem probabilem. Ita efficaciſſimè ſuperiùs, *num.* 57. (corrige *num.* 1057.) vbi notaui, tunc probabiliter deeſſe periculum, quando probabiliter adeſt: & ſi tibi ſit probabile, quod nullum ſit peccandi periculum, non video quid te vrgeat, aut cogat, ne poſſis licitè operari.] Et *num.* 1056. ſic ait; [Periculum, vt cenſeatur proximum, debet eſſe euidens phyſicè, aut moraliter; ſi enim tantùm ſit probabile, periculum morale non eſt: nam probabiliter etiam cenſere poteris, periculum nullum ſubeſſe. Rationes euidentes aſſenſum prædeterminant; ſi ſunt merè probabiles, mentem non cogunt; ſed opinio eligenda committitur optioni voluntatis.]

3. Et *in Theolog. fundam.* editionis Francofurtenſis, *num.* 265. *fund.* 11. ait: [Non eſt peccatum ſe exponere probabili periculo peccandi mortaliter.] Quam doctrinam in eadem editione *n.* 298. dicit eſſe certam, & euidentem. [Prima: Qui dicunt, debere hominem ſequi probabiliorem opinionem, conſequenter debebunt dicere, peccaturum, qui ſe exponat periculo probabiliori. At hanc ſententiam eſſe euidenter falſam, nos iam demonſtraſſe putamus. Secunda: Qui tenent, ſufficere ſequi minùs probabilem, me iudice, probabiliter impugnari non poterunt; & tamen conſequenter debebunt dicere, licere ſe exponere periculo etiam magis probabili. Tertia: Vtrique debebunt dicere, licere ſe exponere periculo minùs probabili. Omnia demonſtro breuiter. Sit iturus Ambroſius ad Petronillæ domum, & cognoſcit probabilis peccati periculum: ergo in tali caſu poteſt, & debet dicere; *Iſta propoſitio, Peccabo, eſt probabilis: atqui poſſum ſequi, quam volo in materia probabili: ergo potero ſtare huic ſententiæ, Non peccabo.* Porrò ſi Ambroſius illi ſtet, non tollet probabile peccandi periculum; & tamen poterit ire ad domum periculoſam: ergo. Hæc mihi videntur valdè certa.]

4. *Retractatio Caramuel.*

Sed ipſe Caramuel *in fundamentali Theolog à num.* 496. *fund.* 11. in editione Lugdunenſi *à num.* 1657. eam opinionem (quod ſapientis eſt, mutando conſilium) retractauit. Et in ea retractatione optimè diſcurrit; quo nihil ſubtilius, nihil ſolidius eſſe poteſt. (Criſim inſtitui: ideò laudanda laudo, reiicienda non approbo.) Et quamvis hæc retractatio ſufficiebat meo inſtituto, vt ſuperſederem àb hac quæſtione; adhuc tamen operæ pretium duxi eam inſtituere, vt oſtendam eſſe mera ſophiſmata ea, quæ in priori loco produxit Caramuel, quod ipſe non præſtitit & falſa eſſe, vel non bene explicata alia principia, quæ ad id ſtatuit.

Incidit Antonius Diana in eam ſententiam, quam priori loco docuit Caramuel, & *part.* 7. *tract.* 11. *reſol.* 29. refert pro illa Caramuelem, citatis eius verbis. Incidit Caramuel in eum locum Dianæ, & in editione Francofurtenſi *eo num.* 298. *citato*, ait: [Verba allegat Antonius Diana *part.* 7. *tract.* 11. *reſol.* 29. quam claudit iſtis: *Hæc omnia docet Caramuel: quæ ex eius mente dicta eſſe volo; ego enim affirmatiuæ ſententiæ adhæreo.* Recognouit hanc ipſam doctrinam Caramuel, illamque tam certam, & euidentem iudicat, vt aſſerat, Dianam non poſſe ſe ſubducere ab illa, ſi velit conſequentiã ſeruare.] Hucvſque Caramuel. 5.

At in editione Lugdunenſi Theologiæ fundamentalis *loco citato* (quod ſumma admiratione dignum eſt,) negat ſuam expreſſam aſſertionem. Et quidem nemo erubeſcere debet retractationem, quando eam ſubtiliori & ſolidiori diſcurſu coactus inſtituit. Id dolendum eſt, quod non pauci videntes retractationem, cenſent, eam inſtituiſſe Caramuelem, non ex propria ſententia, ſed ex timore, quem (ſi rumori credendum eſt,) concepit, ne aſſertiones eius Superiorum cenſuram paterentur. Circa hanc tamen quæſtionem (quidquid ſit de aliis) nullus vir doctus id exiſtimabit: nam quæ ſcribit pro retractatione eorum, quæ circa hanc quæſtionem dixit in commentario in Regulam, & in Theologiæ fundamentalis editione Francofurtenſi, ſunt, meo iudicio, demonſtratiua. Et vbi rei euidentia cogit ad aſſertionem, temerarium eſt aliis motiuis extrinſecis attribuere. 6.

Leander à Murcia, Capuccinus, *lib.* 2. *diſquiſitionum moralium diſp.* 1. *reſol.* 16. cum incidiſſet in eum locum Commentarij in Regulam, citatum Caramuelis, & in alium textum Theologiæ fundamentalis ex editione Francofurtenſi; authoritate Caramuelis præcipuè impulſus, eiuſque priſtinis argumentis, defendit ſine limitatione licitum eſſe exponere ſe periculo probabili peccandi. Quare cum prædicto Leandro eſt nobis etiam lis ſcholaſtica inſtituenda, & probandum primò, eam aſſertionem, vt ab ipſo proponitur, non eſſe probabilem, quia omnia eius fundamenta ſunt non modò leuia, ſed ſophiſtica: deinde oſtendendum, eam eſſe certò falſam, tum propter demonſtrationem Caramuelis, tum propter alias denuò addendas. 7. *Leander à Murcia.*

CAPVT II.

Iaciuntur ſolida fundamenta veræ ſententiæ.

PRæmittendum eſt primò, quid ſit periculum? Caram. citatus *in Theologia fundam. num.* 535. benè aſſeruit, periculum eſſe *inclinationem ad futuritionem mali.* Quæ definitio eget explicatione. Non enim eſt inclinatio, ſed motiuum antecedens ad futuritionem mali, ex quo prædicta futuritio colligitur impendere: & quia quandoque non eſt certa futuritio, ideò non dicitur illatio, ſed inclinatio. (Quamvis, latiùs loquendo, quævis contingentia damni futuri 8. *Quid ſit periculum.*

Digitized by Google

futuri dici ſoleat periculum.) Et caue, ne intelligas. cùm dicimus, periculum eſſe inclinationem ad damnum futurum, hoc eſſe re ipſa futurum; id enim falſum eſt, cùm ſæpe detur periculum, quin re ipſa ſit futurum damnum; ſed eſſe motiuum inclinans ad damni futuritionem, ſiue ad hoc vt ſit de futuro. Vnde inferes, periculum duo dicere, habitudinem, ſeu inclinationem, tanquam conſtitutiuum periculi, & futuritionem damni tanquam terminum eius inclinationis, ſiue habitudinis.

9. *Triplex eſt periculum; certum, probabile, & leue.* Ideò ipſe Author bene diſtinguit triplex periculum, ſcilicet certum, probabile, & leue. Certum, quod & proximum, eſt quod certitudine morali infert futuritionem damni, quando ſcilicet quilibet prudens firmiter ſibi perſuadebit, damnum eſſe euenturum: vt cùm quis propria experientia ductus, ſibi firmiter perſuadet, ſi adeat talem domum, lapſurum in peccatum luxuriæ. Similiter certum mortis periculum eſt, cùm quis appropinquat Leoni, cuius ſæuitia, & approximatio certum ſibi argumentum eſt futuræ mortis.

10. Periculum probabile eſt, quando adſunt rationes probabiles, quæ ſuadeant lapſum futurum ex tali occaſione. Vt cùm quis timoratus, fragilis tamen, probabiliter cenſet, fragilitate ſua vincendum contra timorem Dei. Et vbi fragilitas, & occaſio ſine timore Dei poſſent illi eſſe motiuum perſuadendi ſibi certò futuritionem lapſus, adiuncto timore Dei mediocriter ſibi inſito, qui in oppoſitum inclinat, reddit motiuum ſolùm probabile. Similiter qui pedes ambulat in quadam campi planitie, & audit à fide dignis, ducentis ab hinc paſſibus ſæuire leonem, quamvis non incurrat certum, & proximum periculum mortis, ſubit tamen periculum probabile, quod probabiliter arguitur ex vicinitate leonis, & lenta fuga, quam pedeſter homo capeſſere poteſt.

11. Periculum leue eſt, quando eſt aliquod leue indicium, quo ſuſpicatur homo futuritionem damni. Vt cùm homo religioſus, qui nunquam lapſus eſt in venerea, & magno Dei timore afficitur, ingreditur domum fœminæ nimis pulcræ, & ex nimia eius pulcritudine indicium ſumit ad ſuſpicandum, ſe fortè lapſurum. De quo dicemus *cap. 7.*

12. *Iterum diuiditur in intrinſecum, extrinſecum, & mixtum.* Præmittendum eſt ſecundò, periculum peccandi eſſe triplex, intrinſecum, extrinſecum, & compoſitum ex vtroque. Intrinſecum eſt, quod naſcitur ex propria fragilitate, aut peccandi conſuetudine. Et ita quilibet homo, qui non habet ſpecialem Dei gratiam protectricem, habet ab intrinſeco periculum labendi in peccatum: inclinatio enim fomitis. & habitus vitioſi in homine, cui dumtaxat ſuffragantur communia auxilia, graue fundamentum dant, vt prudens ſibi perſuadeat, eum hominem lapſurum. Periculum extrinſecum eſt ipſa externa occaſio per ſe, vt vehemens amici ſuaſio ad peccandum; quæ per ſe conſiderata independenter à magna, vel parua fragilitate alterius, poteſt eſſe argumentum, vt credas, illum peccaturum. Periculum compoſitum ex vtraque eſt occaſio ipſa, attenta fragilitate hominis. Et hoc poſtremum eſt quod communiter dicitur periculum peccandi.

13. *An quantitas periculi penſetur ſolùm ex propria experientia?* Præmittendum eſt tertiò, Caramuelem *commentario in Regulam, loco citato, & in Theologia fundam.* editionis Francofurt. *num.* 301. ſupponere, quantitatem periculi labendi in peccatum naſci dumtaxat ex propria experientia, & malè afferre in confirmationem ſui aſſerti Patrem Suarium. Et quidem independenter à propria experiētia eſſe multa genera periculi certi, & proximi, indubium eſt. Si enim iuuenis luxuriæ auidiſſimus futurus ſit ſolus tota nocte cum fœmina, quam à fide dignis audiuit veneris etiam auidiſſimam, quilibet prudens certò ſibi ſuadebit, illum lapſurum, antequam attendatur ad quamlibet experientiam; atque adeò id eſt periculum certum, & proximum. Datur ergo independenter ab experientia lapſuum, periculum proximum & certum. Vel ſi neges, nega etiam, defectu experientiæ ſubire proximum mortis periculum illum, qui ſæuo leoni appropinquaret, & eum pugnis percuteret.

Pro eo aſſerto peiùs citat Suarium *de charit. diſp. 6. ſect. 2. num.* 8. in hæc verba: [Periculum eſt in determinata materia, in qua aliquis fragilem ſe expertus eſt.] Et immediatè ſubdit Caramuel: [Examinare enim, vtrum periculum ſit proximum, nihil eſt aliud, quàm conſulere experientiam, & videre, vtrum tuæ futuræ conſtantiæ faueat grauis experientia.] Et nota ea verba, *Nihil eſt aliud, quàm conſulere experientiam.* Neque enim vult aliunde examinari grauitatem periculi. Verba autem, & ſenſus Suarij truncata ſunt. Vide totam eius periodum: [In moralibus idem eſt committere, & exponere ſe morali periculo committendi. Quod maximè verum eſt, quando periculum eſt in determinata materia, in qua aliquis fragilem ſe expertus eſt.] Itaque Suarius affirmat aliquàndo deſumi à propria experientia, *quando in determinata materia aliquis fragilem ſe expertus eſt.* Caramuel autem truncat verba, & vt faciat eam propoſitionem vniuerſalem, diſponit ea ad normam definitionis, vt inde inferat, examen periculi proximi, *nihil eſſe aliud, quàm conſulere experientiam.* Conſonat ſibi P. Suarez *tom. 4. in 3. part. diſp.* 32. *ſect.* 1. *num.* 4. inquiens: [Solùm eſt attendendum, ad indicandum, quod aliqua ſit moralis occaſio proxima, neceſſarium eſſe, vt ex ſuo genere talis ſit, quæ frequenter inducat homines ſimilis conditionis ad tale peccatum; vel certè vt experimento conſtet, in homine habere talem effectum.] Vbi vides diſiunctiuum argumentum ad colligendum proximum periculum; & vbi deficit experientia propria, recurrendum eſſe ad argumentum deſumptum ex eo, quod frequenter inducat homines ſimilis conditionis. 14.

Et ei aſſerto Caramuelis refragatur ratio. Etenim periculum proximum eſt illud motiuum, quod inclinat in lapſum futurum. Vnde examen periculi proximi eſt examen illius motiui, ex quo arguitur lapſus futurus: ſed præter propriam experientiam poſſunt eſſe alia motiua, ex quibus vir prudens certò arguat lapſum futurum: ergo poſſunt eſſe alia motiua præter experientiam propriam, ex quibus fiat examen periculi proximi. Minor oſtenditur. Nam vt omittam exempla ſuprà poſita, ex propria fragilitate, & pronitate ad peccandum, & ex magna illecebra occaſionis poteſt ipſe peccator formare iudicium certum de peccato futuro. Numquid iſte ſic certus expectare adhuc debet experientiam ſex, vel octo lapſuum, vt ſibi perſuadeat proximum periculum in ea occaſione, in quam, ante experientiam, certò videt ſe 15.

ſe

ſe lapſurum? Deinde ſi in publica agitatione taurorum ex duodecim hominibus, qui ad agitandos tauros prope acceſſerunt, decem occiſi ſunt, numquid decimuſtertius, qui vult accedere, expectabit propriam experientiam, vt agnoſcat, ſibi imminere proximum periculum mortis, ſi accedat.

16. Deinde hoc iudicium cuilibet prudenti videbitur certum, quo iuuenis ſic diſcurrat: [Non ſum fortior cæteris coætaneis meis, quos in hac vrbe cognoſco: atqui illi omnes in hac, & ſimili occaſione labuntur: labar ergo & ego.] Nam vt ipſe victor euadat vbi cæteri vincuntur, maiori fortitudine opus eſt: & cùm ipſe agnoſcat, nihil in ſe eſſe, quod fortiorem, vel ſecuriorem reddere poſſit, certum format iudicium de eodem periculo ſibi impendere. Ideóque in retractatione præcipuæ ſententiæ, quam fecit *loco citato Theolog. fundamentalis*, hoc aſſertum etiam modificauit *n.* 538. & aſſeruit, eum, qui caret propria experientia, aliena duci debere. Sed præter experientiam propriam, & alienam eſſe etiam alia motiua ſuadentia periculum, conſtat ex dictis.

17. *Aliud eſt periculum formale, & aliud materiale.*

Præmittendum eſt quartò, diuidi etiam periculum in periculum formale, & periculum materiale. P. Leſſius, vt formaliſſimus fuit, & formalitatum amator, hoc periculum formale expreſſit. Et hic terminus, ſi rectè intelligatur, multùm iuuabit ad intelligentiam huius materiæ. Itaque periculum materiale eſt ipſa occaſio externa, quæ prouocat, vel inclinat ad lapſum. Periculum formale eſt illud, quod conſideratis omnibus circumſtantiis intrinſecis, & extrinſecis, inclinat ad lapſum. Da duos homines, quorum alter ingreſſurus domum, vbi peccare conſueuit, propoſito tepido, & remiſſo decernit, ſe non peccaturum; alter ingreſſurus ſimilem occaſionem, Dei timore correptus propoſitum intenſiſſimum elicit, quod tale eſt, vt ſibi certò perſuadeat, nequaquam lapſurum; eo vel maximè, quod expertus eſt, ſe conſtantem eſſe in iis, quæ firmiter proponit. Rogas ergo, quis horum incurrerit periculum formale? Et reſpondeo, non ſecundum, quia licèt illa ſit occaſio labendi, dum ea firmitate propoſiti fuerit roboratus, & ea certitudine iudicij ad ſecuritatem tractus, non ſubiit periculum formale; quia quantum ſecuritatis comparatur ex cæteris circumſtantiis, etiam intrinſecis, tantum adimitur de periculo; cùm periculum, & ſecuritas è regione opponantur. Primus verò incurrit periculum formale, quia tepiditas propoſiti nullam attulit ſecuritatem contra periculum proximum.

18. Caramuel *in Regul. eo num.* 1057. *§. ex hac*; cùm ibi aſſereret, licitum eſſe exponere ſe probabili peccandi periculo; vt ad rem ſuam interpretaretur vocabulum, aſſeruit periculum formale idem eſſe, quod periculum proximum, & certum. Ait enim: [Formale idem eſt, quod certum: ſicut enim poſita forma, effectus formalis neceſſariò ſubſequitur; ita poſito formali periculo, effectus etiam ſubſequetur.] In quo egregiè decipitur. Nam vel comparat periculum formale cum denominatione periculoſæ, quam præbet ipſi occaſioni; vel comparat cum effectu ſubſequuto peccati? Si primum, quodlibet periculum formale, etſi probabile ſit, infallibiliter præſtat occaſioni eam denominationem periculoſæ; ſed non propterea certum eſt morali certitudine, quod ponetur effectus peccati. Si verò ſecundum dicat, comparetque periculum formale cum effectu peccati, periculum reſpectu illius nullo modo eſt forma, vel cauſa formalis; non enim denominatur peccatum à periculo tanquam à forma phyſica, vel morali: ſed ſolùm eſt cauſa efficiens, ſaltem moraliter, effectus peccati. Atque adeò hoc modo non habet locum ea certitudo, quam ſtatuere conatur Caramuel in periculo formali reſpectu effectus peccati, adinſtar certitudinis, quam habet forma reſpectu effectus formalis. Vnde conſtat, eam explicationem eſſe falſam, & ſummè violentam. Et de hoc periculo formali nihil dixit Caramuel in retractatione, pro tradita à ſe explicatione, aut contra illam.

19. *Per actus internos minuitur periculum peccandi.*

Præmittendum eſt quintò, quod & ex præcedenti aſſerto deducitur, actus hominis proprios poſſe minuere magnitudinem periculi. Eſt enim minus periculum eius, qui intrat occaſionem cum decreto ſecuriſſimo non peccandi, quàm eius, qui non curat de tali decreto. Quod ſi decreto ſacras preces addit, poſtulans à Deo efficacem gratiam, plus adimitur de periculo. Si verò precibus ſuperaddat ieiunium, aut aliam corporis afflictionem, ſicut in occaſionibus ſuperaddebat S. Franciſcus Borgia, dum eſſet iuuenis, efficacius medium adhibebitur, vt periculum extenuetur. Et hoc aſſertum expreſſit P. Salas *tom.* 2. *tract.* 13. *diſputat.* 6. *num.* 105. & Caramuel *citat. in vtroque loco.* De quo redibit ſermo *cap.* 8. *& ſequentibus.*

20. *Periculum aliud eſt voluntarium, & aliud neceſſarium.*

Præmittendum eſt ſextò, periculum aliud eſſe voluntarium, aliud neceſſarium, ſiue inuoluntarium. Periculum neceſſarium ex duplici capite poteſt eſſe neceſſarium, aut ex præcepto obligante, quæ eſt neceſſitas Theologica, quale eſſet periculum, quod ſubiret chirurgus, qui ex charitate, vel iuſtitia obligaretur mederi fœminæ extremam neceſſitatem curationis patienti, cùm non eſſet alius chirurgus, qui mederetur; & ille, cui ob ſcandalum vitandum neceſſe eſt aliquam periculoſam domum intrare, aut fœminam periculoſam intra domum propriam retinere: aut poteſt oriri id periculum neceſſarium ex neceſſitate phyſica, vel morali; vt qui violentia ſatellitum inducitur in carcerem, vbi inuenit periculum percutiendi inimicum ſuum in eodem carcere commorantem; ille enim neceſſitate phyſica adactus in periculum conijcitur. Et filiafamilias, quæ morali neceſſitate impellitur ad exiſtendum in domo matris ſuæ, in qua iuuenis habitat ſibi periculoſus; hæc neceſſitate morali coacta manet in periculo. Et conueniunt Doctores in eo, quod qui intrat periculum, neceſſitate phyſica, vel morali cogente, non ſe exponit ipſe periculo, ſed potiùs patitur periculum; quia neceſſitas eum conijcit in illud: de quo poſteà vberiùs. An autem quando neceſſitas Theologica obligat, dicatur homo ſubire periculum, non autem ſe ei exponere, dicetur *cap.* 13. Periculum autem voluntarium eſt, quod quis ſubit ſponte, nulla ex his neceſſitate obſtringente.

Et eſt neceſſarium vel neceſſitate Theologica, vel phyſica, aut morali.

CAPVT III.

Quàm ſit ſophiſticum primum argumentum, quod pro ſua ſententia affert ex Caramuele Leander à Murcia

21. Affirmatiuam ſententiam, nempe licitum eſſe exponere ſe probabili peccandi periculo, docuit, vt ſuprà diximus, Caramuel *eo num.* 1058. *in commentario in Regulam*: quam licèt à ſuo Authore deſertam, & gladio demonſtrationis interfectam ſuſcitauit Leander à Murcia *lib. 2. diſp. 1. reſolut.* 16. quam probat aliquibus argumentis, quorum vim oportet oſtendere eſſe penitus nullam.

22. *An vbi eſt periculum probabile, ſit etiam probabile, abeſſe periculum?* Primum argumentum ab eo priori loco Caramuelis deſumptum ſic efformatur. Illud periculum probabile non eſt certum: ergo dumtaxat probabile: ergo etiam oppoſita pars eſt probabilis; atque adeò probabile eſt, non dari periculum. Sed quilibet poteſt ſequi opinionem probabilem, relicta oppoſita, quantumvis tuta: ergo ille, qui ſe committit periculo probabili, poteſt probabiliter opinari, nullum eſſe periculum, & ſe nulli periculo exponere. Confirmatur, quia vbi opinio eſt probabilis, oppoſita etiam eſt probabilis: ergo vbi adeſt probabiliter periculum, etiam probabiliter abeſt: ergo ſi probabile eſt abeſſe periculum, probabiliter potes iudicare nullum eſſe periculum, & conſequenter potes illud ſubire.

23. *An in periculo probabili mortis, probabile ſit, nullum eſſe periculum?* Vt videas manifeſtè, quàm ſophiſticum ſit argumentum, propono illud in aliis materiis. Primò. Petrus incidit in periculum probabile mortis ex infirmitate, cui licet non afferatur remedium, iudicio Medicorum non infert infallibiliter, aut euidenter mortem, ſed ſolùm probabiliter: ergo eſt probabile, non dari periculum mortis. Ergo potes ſequi hanc opinionem probabilem, & iuxta illam non eripere vitam tuam ab eo periculo, opinando probabiliter quod non exponis vitam tuam periculo: vt omittam eam peſſimam conſequentiam, quod non teneberis in periculo probabili mortis ſuſcipere Sacramenta. Etenim qui prudenter iudicat, ſe nullum habere periculum mortis, non renetur ad ſuſcipienda Sacramenta: ſed per te, qui habet probabile periculum, prudenter iudicat, ſe nullum habere periculum: ergo qui habet probabile periculum mortis, non tenetur ad Sacramenta ſuſcipienda.

24. Secundò. In medio campi non longè abes à leone ſæuiſſimo, putà per quadraginta paſſus; ſed & duo alij homines in eodem campo diſtant à te triginta paſſus, & à leone, & inter ſe totidem diſtant; inermis es, & equum habes proximum, quo velociùs poſſis fugere. Etiſne prudens, aut vitæ tuæ prouidus, an prodigus, ſi nolis vti veloci medio fugiendi? Probo tuo argumento, te non eſſe imprudẽtem, nec vitæ prodigum, etſi non arripias citiùs fugiendi mediũ. Id non eſt periculũ certum mortis, quia ad alios poteſt leo ſuum greſſum dirigere: periculum ergo eſt dumtaxat probabile: (attende ſequentem conſequentiam, & vide, an alia abſurdior, & irrationabilior?) ergo probabile eſt, nullum eſſe periculum. (Quis prudens dicat, hominem ita proximum leoni nullum pati periculum, quia periculum non eſt certum, ſed dumtaxat probabile?) Si ergo probabilis opinio eſt, tibi nullum impendẽre periculum à leone proximo, ne medium fugiendi velociùs arripias. Imò verò acquieſce conſiliis meis, & arripe medium velocioris fugæ, vt id vitæ periculum probabile effugias. Et incipe cognoſcere, hanc eſſe malam conſequentiam: ***Hoc periculum eſt probabile: ergo probabile eſt nullum eſſe periculum.*** *Peſſima conſequentia.*

Tertiò. Domus ædibus tuis vicina incendio flagrat: ſunt probabiles coniecturæ, quod ædes tuas incendet, ſed nulla certitudo. Habes in ædibus, ſcilicet in domo tua viciniori flammis, multam mercium copiam, nimirum totam tuæ rei familiaris ſubſtantiam, quam teneris protegere ad alimentum copioſæ familiæ, cuius tibi cura incumbit. Ergo ſi periculum illud tuæ rei familiaris ſolùm eſt probabile, probabile erit nullum eſſe periculum: ergo potes ſequi hanc opinionem, & non protegere rem tuam familiarem: ergo prudenter operaberis non protegendo rem familiarem; quidquid ſit, an poſteà ignis totam tuam ſubſtantiam deuoret, & filij tui, & reliqui familiares deinceps mendicent. 25.

Quartò. Eſt probabile periculum Reipublicæ cuidam Catholicæ incidendi in manus hoſtium Maurorum, quibus cum nomine Chriſtiano infenſiſſima inſita eſt inimicitia. Erit ergo probabile, quod non datur tale periculum. Gubernator ergo eius Reipublicæ probabiliter ſibi perſuadeat, nullum eſſe periculum, & dormiat, nec diſponat media opportuna ad protectionem ſuæ Reipublicæ. Si ingreſſus fuerit Mauritanus hoſtis, & vaſtauerit Chriſtianam vrbem, peſſumdederit Sacramenta, Virgines Deo ſacras ignominia affecerit, & poſtea coram Rege cum Gubernatore agatur de negligentia, eam afferat excuſationem, quod periculum erat dumtaxat probabile, atque adeò probabile etiam eſſe non eſſe periculum; ideóque ſibi prudenter perſuaſiſſe nullitatem periculi. Et quis hanc excuſationem non ridebit? Quis non iudicabit, eam excuſationem potiùs inter ſophiſmata cogitatam, quàm inter dictamina prudentis gubernationis. 26.

Demonſtratur ſecundò, ſophiſticum eſſe illud argumentum. Pro quo reuoca in memoriam, periculum duo dicere: primum inclinationem, ſeu habitudinem: ſecundum futuritionem damni. Vnde aliud eſt loqui de exiſtentia periculi, & aliud eſt loqui de illatione, qua periculum infert futuritionem damni. Vnde fit, quod poteſt eſſe certa exiſtentia periculi, & probabilis futuritio damni. Ex his collige, quando datur periculum probabile peccandi, eſſe certam exiſtentiam periculi; illationem autem, aut quaſi illationem, qua ex periculo colligitur peccatum futurum, eſſe probabilem. Nam licet euidenter conſtet de ea habitudine, ſiue inclinatione ad peccatum, non conſtat euidenter, quod ea habitudo allatura ſit futuritionem peccati. His poſitis, quæ certiſſima ſunt. 27. *Poteſt eſſe certa exiſtentia periculi, & probabilis illatio futuri damni.*

Sic argumentor. Quando datur periculum probabile peccãdi, certum eſt, quod exiſtit periculum, & probabile eſt, quod dabitur futuritio peccati: ergo fallax eſt hæc conſequentia: ***Datur periculum probabile: ergo probabile eſt quod datur periculum.*** Et conſequẽter illa: ***Ergo probabile eſt quod non eſt periculum*** Patet conſequentia, quia implicat contradictionẽ, eſſe certã exiſtentiã periculi, & eſſe dumtaxat 28. *Praua conſequentia.*

Digitized by Google

taxat probabile, quod datur periculum, ſiue quod exiſtit periculũ (idem eſt *datur*, & *exiſtit*) cùm mutuò ſibi repugnent *eſſe certum*, & *eſſe dumtaxat probabile*. Primum verò antecedens oſtenditur. Per te tunc datur periculum æquè probabile peccandi, quando iuuenis intrauit ſexdecies in domum meretricis, & octies peccauit, & octies abſtinuit à peccato: ſed euidens eſt, quod octies peccauit, & octies abſtinuit: ergo euidens eſt, quod eſt periculum probabile peccandi: ergo non eſt dumtaxat probabile, quod datur id periculum probabile peccandi. Cùm *eſſe euidens*, & *eſſe dumtaxat probabile*, implicet contradictionem: ergo multò minùs vera eſt hæc propoſitio; *Probabile eſt, quod nullum eſt periculum*: cùm hæc ſit manifeſtè vera; *Euidens eſt, quod datur periculum probabile*. Sicut hæ manifeſtam inuoluunt contradictionem: *Probabile eſt, quod nullus homo eſt doctus*: *Euidens eſt, quod aliquis homo eſt doctus*.

29. *Periculum probabile eſt opinio probabilis de futuritione mali.* Demonſtro tertiò, & priùs pro rei claritate notabis, periculum probabile nihil aliud eſſe, quàm opinionem probabilem de futuritione peccati: opinionem, inquam, non formalem, ſeu intellectualem, ſed obiectiuam. Nam periculũ probabile peccati eſt illud fundamentum, vnde probabiliter colligitur futuritio peccati. Quare periculum probabile peccandi explicatur per hanc propoſitionem; *Probabile eſt, quod peccabo*: & ideò periculum probabile nihil eſt aliud, quàm probabilitas futuritionis peccati.

30. Tum ſic. Eodem tenore arguendi probo, quamlibet opinionem Caramuelis, imò & S. Thomæ, eſſe improbabilem. Hæc opinio eſt probabilis: ergo probabile eſt, quod non eſt opinio: ergo probabile eſt, quod non eſt probabilis: ergo probabile eſt, quod eſt improbabilis; intellige, ſaltem negatiuè. Quod autem eſt probabile, poteſt abſolutè aſſeri, vt ſæpius Caramuel ſtatuit: ergo talis opinio non eſt opinio, nec probabilis, ſed improbabilis: nulla ergo opinio datur, quæ non ſit improbabilis.

31. *Peſſima conſequentia.* Prima conſequentia patet ex eadem forma arguendi. Nam ſicut hæc apud te eſt bona conſequentia; *Hoc periculum eſt probabile: ergo probabile eſt, quod non eſt periculum*: ita & hæc; *Hæc opinio eſt probabilis: ergo probabile eſt, quod non eſt opinio*. Et ſicut hæc ſecunda eſt mala cõſequentia, ita & prima eodem vitio laborat, eo vel maximè, quòd periculum probabile eſt quædam opinio probabilis obiectiua, ſiue probabilitas futuritionis peccati: vnde eodem modo, quo philoſopharis de periculo probabili, debes philoſophari de opinione probabili, & è conuerſo. Deinde ſecunda conſequẽtia manifeſtè patet ex prima, cùm idem formaliter ſit eſſe opinionem, & eſſe probabilem: vnde eo modo, quo non eſt opinio, non eſt probabilis. Tertia verò conſequentia eſt idem formaliſſimè cum ſecunda, præcipuè ſi *improbabile* ſumatur negatiuè.

32. Confirmatur. Eſt enim implicatio in terminis, quod verè ſit periculum probabile, & quod ſit probabile, non adeſſe periculum: ergo chimætica eſt conſequentia, quæ id adſtruit. Antecedens clarè oſtenditur. Eſt enim implicatio in terminis, quod verè ſit opinio probabilis, & quod ſit probabile, non eſſe opinionem (idem eſt *opinio*, ac *probabilis*, pro re præſenti) nam ex hac, *Verè eſt opinio probabilis*; poteſt inferri hæc, (ſi videlicet certa ſit probabilitas:) *Ergo certum eſt, quod eſt opinio*. Ex ſecunda verò, quæ dicit, *Probabile eſt, hanc non eſſe opinionem*; infertur hæc: *Ergo non eſt certum, quod eſt opinio*. Poteſt ergo vtrumque inferri: *Certum eſt, quod eſt opinio*: *Non eſt certum, quod eſt opinio*.

Eodem modo ex hac propoſitione, *Hoc periculum eſt probabile*, infertur hæc; *Certum eſt, quod illud eſt periculum*: item ex hac propoſitione, 33.
Probabile eſt, quod illud non eſt periculum; infertur hæc, *Non eſt certum, quod illud eſt periculum*; cùm probabile excludat certitudinem. Infertur ergo vtrùmque: *Ergo certum eſt, quod eſt periculum*: &, *Non eſt certum, quod eſt periculum*.

Hinc fit, non ſolùm eſſe malam conſequentiam negatiuam, ſcilicet, *Hoc periculum eſt probabile: ergo probabile eſt, quod non eſt periculum*: 34.
ſed & peſſimam eſſe conſequentiam affirmatiuam, nempe, *Hoc periculum eſt probabile: ergo probabile eſt, quod eſt periculum*. Sicut hæc eſt mala conſequentia, *Hæc opinio eſt probabilis: ergo probabile eſt, quod eſt opinio*. Nam dum opinio verè eſt probabilis, poteſt eſſe certum, quod eſt opinio, & quod eſt probabilis; & poteſt non eſſe dumtaxat probabile, quod illa eſt probabilis: ita dum eſt periculum probabile, non eſt dumtaxat probabile, quod datur periculum, ſed potiùs eſſe poteſt certum, quod datur periculum. Non quia certum ſit eſſe periculum proximum (tunc enim non datur, quando datur periculum probabile;) neque quia certum ſit dari periculum certum (hoc eſt certò inferens futuritionem damni;) ſed quia certum eſt dari periculum abſolutè, cùm periculum probabile verè, & abſolutè ſit periculum.

Demonſtratur quartò. Nam vt manifeſtè
oſtendi *diſputat.* 4. poteſt vna opinio eſſe probabilis, quin oppoſita ſit probabilis; poteſt enim vna opinio habere fundamentum probabile, & oppoſita propoſitio nullum. Ergo ex eo quod probabile ſit, hoc eſſe periculum, malè infertur, eſſe probabile, quod non ſit periculum; poteſt enim dari fundamentum probabile, quod ſuadeat periculum; & fundamentum leue, vel nullum, quo diſſuadeatur periculum. 35.

Et inſtauro argumentum intra præſentem materiam. Poſſunt dari probabiles coniecturæ, quod domus mea ardebit ex incendio ædium proximarum, & leue, vel nullum fundamentum, vt credam, quod non ardebit: ergo probabile eſt, quod ardebit, & non eſt probabile, quod non ardebit: ergo probabile eſt, quod datur periculum, & non eſt probabile, quod non datur periculum: ergo malè infers ex hac propoſitione, *Probabile eſt, quod datur periculum*; hanc: *Ergo probabile eſt, quod non datur periculum*. Et quidem prima conſequentia patet, cùm habere fundamentum probabile, & eſſe probabile, idem omninò ſit. Cæteræ verò conſequentiæ manifeſtè patent ex prima. 36.

Hinc ſolidam, & certiſſimam ſolutionem exhibebis argumentationi initio propoſitæ. Diſtinguo enim antecedens: Illud periculum probabile non eſt certum [quoad illationem futuritionis peccati,] concedo; [quoad exiſtentiam periculi,] nego. Similiter diſtinguo conſequens: ergo dumtaxat eſt probabile [quoad illationem futuritionis peccati,] concedo; [quoad exiſtentiam periculi,] nego. Sed quamvis omitteres hoc conſequens, negandum eſſet alterum conſequens ſubſequentum: *Ergo probabile eſt, non dari periculum*. Quia poteſt vna pars eſſe probabilis, quin oppoſita ſit probabilis, vt conſtat ex demonſtratione quarta. 37.

38. Sed demus, eſſe fundamentum probabile, quod ſuadeat, te non peccaturum eſſe, adhuc certum eſt, dari periculum probabile. Sicut dum eſt opinio probabilis, quod ex peccato veniali inferente dānum graue oritur obligatio reſtituendi; & altera opinio probabilis, quod ex peccato veniali inferente damnum graue, non eſt obligatio reſtituendi, adhuc certum eſt, quod eſt probabilitas vtriuſlibet. (Suppono, eſſe certum, vtramque eſſe probabilem.) In argumento ergo ad propoſitionem ſubſequutam, nempe, *Quilibet poteſt ſequi opinionem probabilem, relicta oppoſita*; dic eſſe diſtinguendam: [Si ea opinio verſetur in quæſtione directā,] concedo; [ſi verſetur in quæſtione reflexa, quæ ex alio principio ſit decidenda,] nego; de quo poſteà capite ſequenti.

39. Ad confirmationem negandum eſt antecedēs, quod vbi vna opinio eſt probabilis, oppoſita etiā eſt probabilis. Sed da, quoad caſum præſentem, eſſe fundamentum probabile pro vtraque parte contradictionis, & ſic diſtinguo conſequens: ergo vbi adeſt probabiliter periculum, etiam probabiliter abeſt, [quoad exiſtentiam periculi;] nego; [quoad futuritionem peccati,] concedo. Quod ſatis patet ex dictis.

CAPVT. IV.

Alterum argumentum affirmantis ſententiæ eadem imbecillitate laborare.

40. TRia alia argumenta pro ſua affirmatiua ſententia proponit Leander, deſumpta ex Caramuele, quæ in vnum, & idem recidunt. Quæ ita proponit. [Probatur ſecundò. Quia in moralibus non ſemper neceſſe eſt ſequi quod melius eſt; hoc enim conſilij eſt, non præcepti: ergo nec id, quod probabilius eſt, vel certò melius, & ſecurius.

41. Probatur tertiò. Quia quidquid eſt conforme rectæ rationi, hoc licitum eſt ſequi: ſed opinio probabilis, ex qua nullum ſequitur damnum contra iuſtitiam, vel contra charitatem proximi, eſt conformis rectæ rationi, alioqui non eſſet probabilis: ergo licitum eſt illam ſequi.

42. Probatur quartò. Quia non eſt credibile, legem obligare quamdiu non perfectè proponitur, & cognoſcitur: ſed quādiu res ita dubia eſt, vt vtraque pars ſit probabilis, vel ſaltem detur opinio probabilis, etiam relicta via certa, non videtur lex ſufficienter propoſita: ergo non obligat, præſertim cùm in dubiis amplecti liceat partem benigniorem, & minùs oneroſam, iuxta regulam iuris, quæ aſſerit, quod in dubiis, quod minimum eſt, ſequimur.] Quæ omnia ad hoc rediguntur, quod poſſumus ſequi quamlibet opinionem probabilem, nec tenemur ſequi probabiliorem; & cùm hoc periculum ſit probabile, & conſequenter oppoſita pars ſit probabilis, poſſumus accōmodare dictamen ad credendum tanquam probabile, non adeſſe periculum, & iuxta illud dictamen operari.

43. Et quidē qua parte hæc argumenta reincidunt in eam ſententiam, ſcilicet quod ex periculo probabili infertur eſſe probabile, quod non datur periculum, ſatis manifeſtè de falſitate conuicta ſunt capite præcedenti. Quod autem ſuperaddit de libertate ſequendi quamlibet opinionem probabilem, huc venit conuincendum.

44. Pro cuius intelligentia reuoca in memoriam, quæ diximus *diſp.* 15. *c.* 4. *art.* 2. circa diuerſitatem quæſtionis directæ & reflexæ: illud præcipuè ibidem adnotatum, malè procedere argumentum, dum reſolutionem quæſtionis reflexæ probare conatur ex reſolutione quæſtionis directæ. *Malè probat reſolutionem quæſtionis reflexæ à reſolutione directa.*

Itaque quæſtio reflexa, ſiue quæ reflectit ſupra opinionem probabilē, inquirit, an ſuppoſito quod aliqua opinio ſit probabilis, addatur aliqua circūſtantia, quæ limitet opinionem probabilē? Ita cùm inquiritur, an poſſit licitè dari baptiſmus in lixiuio extra caſum neceſſitatis, vt quæſtio eſt reflexa, ita ſupponit, eſſe opinionem probabilem de valore eius baptiſmi, & procedit vlteriùs inquirendo, an ſit aliqua lex, quæ prohibeat vſum eius opinionis probabilis extra caſum neceſſitatis?

Hinc fit, quæſtionem hanc, [An liceat exponere ſe periculo probabili?] eſſe quæſtionem reflexam: nam ſupponit opinionem probabilem ſpeculatiuam de periculo, & inquirit, an ſit lex aliqua, quæ inhibeat vſum opinionis probabilis de non periculo (ſi hæc datur;) vel an detur lex aliqua interdicens, ne dictamen practicū accommodetur opinioni probabili affirmanti periculum. Vnde ſicut malè argueret, qui diceret: [Baptiſmus in lixiuio probabiliter eſt validus: ergo licitè poteſt adhiberi extra caſum neceſſitatis:] quia ſic arguēs non attendit ad nouam circumſtantiam, quam affert, & de qua inquirit hæc quæſtio reflexa, ſcilicet ad legem charitatis, ratione cuius non licet exponere contingentiæ baptiſmum, cui exponeretur, ſi daretur ſecundum eam opinionem probabilem. Ita ſimiliter malè arguit, qui dicit: [Hoc periculum peccandi tale eſt, vt probabiliter credatur Petrum peccaturum, & probabiliter credatur Petrum non peccaturum: ergo licitum eſt Petro exponere ſe ei periculo:] Quia ſic arguēs non attendit ad id, quod inquirit denuò quæſtio reflexa; ſcilicet an in eo periculo detur lex charitatis obligans ad non exponendum ſe ei probabilitati periculi? 45. *Hæc quæſtio eſt reflexa ſupra probabilitatem periculi.*

46. Et ſicut rectam arguendi formam ſeruaret, qui diceret: [Baptiſmus in lixiuio probabiliter eſt validus: ſed nulla lex charitatis obligat ad non vtendū ea opinione probabili, etiam extra caſum neceſſitatis: ergo licitè poteſt adhiberi extra caſum neceſſitatis:] quia non confundit quæſtionem directā cum reflexa, ſed in minori argumēti reſpōdet quæſtioni reflexæ, & ſolùm cum eo arguente poteſt eſſe lis de veritate minoris. Ita in hac quæſtione reflexa; [An liceat ſe exponere periculo probabili peccandi,] vt rectè procedat arguens, debet probare, nullam eſſe legem charitatis propriè obligantem ad non ſe exponendum ei periculo probabili.

47. Et quidem ex terminis notum eſt, has duas eſſe diuerſas quæſtiones, [An tale ſit periculum, vt Petrus probabiliter ſit peccaturus, & probabiliter ſit non peccaturus?] atque [An ſuppoſito quod illud ſit periculum pro vtraque parte probabile, licitum ſit Petro ſeipſum in illud inferre?] Item notiſſimum eſt, hanc ſecundam quæſtionem ſuperaddere nouam circumſtantiam, quæ non continetur in prima: nam prima nihil inquirit de licentia, aut libertate exponendi ſe illi periculo. Deinde eſt certum, quod addita quæſtioni noua circumſtantia, non poteſt quæſtio reſolui ſine attentione ad prædictam nouam circumſtantiam: & ſi reſoluatur ſine attentione ad illam, malè reſolui. Ergo cùm prædicta argumenta Murciæ reſoluant, & probent quæſtionem ex ſola probabilitate

babilitate ſpeculatiua probabilitatis periculi, & ſine attentione ad nouam circumſtantiam, quam hæc ſecunda quæſtio reflexa importat, & & ad legem propriæ charitatis, de qua inquirit; vtique malè procedunt, & nullius conſequentiæ ſunt.

48. Hinc facillimè ſolues argumenta Murciæ initio capitis propoſita. Ad ſecundum concede antecedens, & conſequentiam, ſcilicet quod non ſemper tenemur ſequi probabilius; ſed poſſe ampliĉti id, quod eſt probabile. Vel, ſi mauis, diſtingue: nam in omni quæſtione directa poſſumus ſequi quidquid eſt practicè probabile, non verò in omni quæſtione reflexa, quæ ſupra probabilitatem ſuperaddit nouam circumſtantiam alterius legis, aut obligationis ſuperadditæ.

49. Ad tertium, conceſſa maiori diſtinguo minorem: opinio probabilis, ex qua nullum ſequitur damnum contra iuſtitiam, vel contra charitatem proximi [vel contra charitatem propriam] eſt conformis rectæ rationi, concedo, [ſi ſit contra legem charitatis propriæ,] nego. Eſſe contra præceptum charitatis propriæ, oſtendo *capite* 6. Ad id, quod ſubdit: *Alioqui non eſſet probabilis*, diſtinguo: non eſſet probabilis [directè,] nego; non eſſet probabilis [reflexè,] concedo. Itaque periculum eſt probabile, ſed non eſt probabile, quod poſſis te exponere ei periculo.

50. Ad quartum conceſſa maiori, diſtinguo minorem: Quando res ita dubia eſt, vt vtraque pars ſit [practicè] probabilis, aut [in quæſtione directa,] non videtur lex ſufficienter propoſita, concedo; vt vtraque pars ſit [ſpeculatiuè] probabilis, vel [in quæſtione reflexa,] nego. Itaque hæc opinio, quod vi eius periculi Petrus probabiliter peccabit, & Petrus probabiliter non peccabit, quæſtio eſt purè ſpeculatiua, & eius reſolutio non ſufficit ad reſoluendum quæſtionem practicam, ſcilicet an liceat exponere ſe ei periculo: quia quæſtio practica inquirit legem interdicentem, ne te exponas ei periculo; quod non inquirit quæſtio ſpeculatiua, ſolùm procedens circa exiſtentiam periculi. Deinde eſt quæſtio directa, & cuius reſolutio non ſufficit ad decidendam quæſtionem reflexam, niſi adueniat nouum dictamen practicum, quod præſcribat licere exponere ſe ei periculo, eo quod nulla lex charitatis præſcribat oppoſitum. Igitur dum non datur hoc dictamen practicum, ſaltem probabile, non poteſt dici, opinionem probabilem ſufficere, vt ea lex charitatis propriæ dicatur non eſſe ſufficienter propoſita, vi alicuius opinionis probabilis.

Hic actus, [Datur periculum probabile,] eſt purè ſpeculatiuus. Ideò nequit habere probabilitatem practicam.

51. Et ex dictis patet aliud vitium, quo laborant ea Murciæ argumenta. Nam quod periculum ſit probabile, vocat opinionem probabilem tutè ſequendam. Etenim opinio probabilis tutò ſequenda, eſt opinio probabilis practica; atqui periculum eſſe probabile, eſt tantùm probabilitas ſpeculatiua, vtpote opinio facti, quæ non claudit probabilitatem practicam, donec addatur dictamen practicum firma ratione nixum: ergo periculum probabile malè vocat opinionem practicam tutò ſequendam. Quod autem opinio facti non claudat probabilitatem practicam, patet manifeſtè, quia licèt ſit opinio probabilis facti, quod Petrus occiderit Ioannem, nempe ex teſtimonio vnius; non tamen claudit probabilitatem practicam, quod Petrus ſit morte damnandus à iudice. Eſt enim improbabile, quod propter ſolam probabilitatem facti, ab vnius teſtimonio prouenientem, poſſit reus morte damnari. Et ratio eſt euidens, quia probabilitas facti non præſcribit, quid faciendum ſit, ſed quid factum.

CAPVT V.

Authores allatos à Murcia pro affirmatiua ſententia, nihil illi ſuffragari.

52. OStendimus in præcedentibus ſatis dilucidè, argumenta, quæ affert Leander à Murcia, pro ſua concluſione, per quæ aſſerit, licitum eſſe exponere ſe periculo probabili peccandi, ſecluſa quauis neceſſitate, ne ſpeciem quidem probabilitatis attingere, cùm alterum euidenter ſophiſticum ſit, & alterum manifeſtè claudicet vitio conſequentiæ. Vnde apertum fit, non habere probabilitatem ab intrinſeco, quæ conſiſtit in fundamento firmo & ratione. Reſtat modò probandum, neque habere probabilitatem ab extrinſeco: nullus enim Author ex iis, quos ipſe allegat, ei concluſioni ſuffragatur. Et quidem Caramuel, cuius expreſſiori reſolutioni magis fidit, retractauit ſuam ſententiam, vt initio diſputationis dixi, & oppoſitam demonſtrat.

53. Citat in primis generaliter omnes eos, [qui ad hoc vt occaſio ſit proxima, requirunt, vt quis ſe exponat periculo certo, ſaltem moraliter, peccandi mortaliter:] quæ ſunt eius verba. Et in hoc egregiè decipitur; nam vt à Caramuele incipiamus, ad occaſionem proximam requirit certitudinem moralem, & tamen in tota ea quæſtione citata ex Theologia fundamentali impreſſionis Lugdunenſis anni 1657. oſtendit, eſſe mortaliter illicitum exponere ſe periculo probabili, imò & leui, peccandi mortaliter. Deinde quia non connectuntur hæc duo, [Occaſio proxima requirit certitudinem peccandi:] & , [Occaſio, quæ non affert certitudinem moralem peccandi mortaliter, eſt licita.] Nam ſtat optimè, quod occaſio proxima, vt talis, requirat certitudinem peccandi; & quod adhuc periculo probabili, quod non affert certitudinem peccandi, nemini ſit licitum ſe voluntariè exponere. Et ideò Ludouicus Lopez, qui *prima parte Inſtructorij, cap.* 19. *§. profectò*, dixit, ad occaſionem proximam requiri certitudinem moralem, poſteà *cap.* 21. *§. ad tertiam*, docuit, non eſſe licitum exponere ſe periculo probabili peccandi. Ergo ſine fundamento dicitur, omnes Authores, qui ad occaſionem proximam requirunt certitudinem moralem, defendere etiam, eſſe licitum exponere ſe periculo probabili peccandi.

Ad periculũ proximum requiritur certitudo futuritionis, non verò ad periculum probabile.

54. Pro ea autem ſententia, quæ requirit certitudinem moralem ad occaſionem proximam, citat, præter Caramuelem, & Ludouicum Lopez, Nauarrum, Ioannem Sancium, Thomam Hurtado, Pradum, Patrem Antonium Fernandez, & P. Caſtro Palao. Ex quibus poſtremus *tom.* 1. *tract.* 2. *diſp.* 2. *punct.* 9. *§.* 3. *n.* 2. ad occaſionem proximam non requirit certitudinem moralem, ſed ſolùm quod inducat frequenter ad lapſum.

Digitized by Google

55\. Authorem autem, qui expreſsè aſſerat licitum eſſe exponere ſe ſponte periculo probabili, nullum adducit, præter Caramuelem, qui ſententiam, argumentorum pondere preſſus, retractauit. Vnde conſtat, Leandrum omni extrinſeca authoritate, quoad ſuam affirmatiuam concluſionem, eſſe deſtitutum.

56\. *Non eſt idem occaſio peccandi, & periculum.*

Et tandem pro intelligentia Authorum, qui ſubobſcurè videntur loqui in hac materia, aduertere, eſſe quid longè diuerſum periculum ab occaſione. Occaſio enim eſt illud extrinſecum, à quo oritur periculum. Nomine verò periculi intelligitur periculum formale, id eſt, compoſitum tam ex occaſione extrinſeca, quàm ex actibus intrinſecis, aut defectu illorum. Nam ad periculum formale attenduntur omnes circumſtantiæ, tam intrinſecæ, quàm extrinſecæ. Vnde quamvis in aliquo Authore reperires, licitum eſſe exponere ſe occaſioni probabili peccandi, non inde inferes, de eius mente licitum eſſe exponere ſe periculo formali probabili peccandi; fortaſſe enim loqueretur de occaſione probabili, quæ conſideratis omnibus circumſtantiis intrinſecis, & extrinſecis, non eſſet formaliter periculum. Quæ notatio habenda eſt ante oculos pro multis aliis, quæ inferiùs dicenda ſunt.

CAPVT VI.

Oſtenditur, nemini licere exponere ſe periculo probabili peccandi.

57\. *Non ſe exponit periculo, qui neceſſariò illud ſubit.*

Concluſioni in titulo præfixæ non addidi, *exponere ſe voluntariè*; aut, *abſque neceſſitate:* quia ſuppono, quod quando aliquis ex neceſſitate ingreditur in periculum, ipſe non ſe exponit periculo, ſed neceſſitas eum in periculum inducit, iuxta dicta *cap.* 2. *num.* 20. Vnde idem eſt dicere, [Nemini licere exponere ſe periculo probabili peccandi,] ac dicere, [Nemini licere exponere ſe ei periculo abſque neceſſitate.]

58\. Hanc concluſionem tenet Caramuel in retractatione antiquæ opinionis, quam fecit loco citato Theologiæ fundam. ex editione Lugdunenſi anni 1657. cuius veſtigiis in hac parte inſiſto. Cur enim doceri ab eo dedignabor, quando ſcopum veritatis directè tetigit? In quo duo ſunt ponderanda. Primum. Maximam vim intuliſſe ingenio eius argumenta, quæ illum de priore opinione deturbarunt; quapropter hanc ſententiam meritò demonſtrabilem dicit, & oppoſitam (ſuam antiquam) improbabilem. Secundum. In ea ſententia eſſe Caramuelem, vt nihil aſſeratur eſſe illicitum, vbi in oppoſitum fuerit opinio probabilis. Vnde cùm hoc aſſerit illicitum, neceſſe eſt, quod oppoſitum vi conſequentiæ aſſeratur improbabile.

59\. Hanc etiam tenent Lorca 2.2. *ſect.* 3. *diſp.* 28. *num.* 9. & Ludou. Lopez *in inſtruct. parte prima, cap.* 21. §. *ad tertiam*: quos citat Caramuel *in regul. num.* 1058. tenet etiam P. Leſſius *lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 98. dum ait, nemini licere exponere ſe periculo formali peccandi. Quod autem nomine periculi formalis intelligatur tam periculum certum, quàm probabile, conſtat ex dictis *cap.* 2. *num.* 18. Tenet etiam Diana *part.* 7. *tract.* 11. *reſol.* 29. & apud ipſum Cœleſtin. *in compendio Theol. Moral. tract.* 1. *cap.* 4. *quæſt.* 11.

60\. *An liceat exponere vitam periculo probabili mortis?*

Hanc etiam concluſionem tenent omnes viri prudentes totius orbis terrarum, qui interrogati, an iuxta regulas prudentiæ ſibi liceat exponere ſine neceſſitate vitam periculo probabili mortis; honorem periculo probabili ignominiæ; rem familiarem periculo probabili iacturæ omnimodæ, certiſſimè reſpondebunt, id nequaquam licere: imo verò imprudentiſſimum ab omnibus iudicandum, qui omnia bona ſua abſque neceſſitate ei periculo probabili expoſuerit. Eadem autem quæſtio eſt, mutata materia, de iis bonis temporalibus, ac de donis gratiæ, & amicitiæ Dei, niſi quod in hoc incomparabiliter vrgentiùs militant argumenta, quantò dona gratiæ maxima, pretioſa, & æterna res minimas, viles, & perituras excedunt.

61\. *Periculum probabile peccandi eſt magnum malum præſens.*

Hinc ergo deſumitur primum argumentum. Periculum probabile peccandi, ſiue amittendi Dei gratiam, eſt certò graue malum animæ præſens, & à quolibet prudente fugiendum: Sed nemini licet abſque neceſſitate ſubire id, quod eſt certò graue malum animæ præſens, & à quolibet prudente fugiendum: ergo nemini licet abſque neceſſitate ſe exponere periculo probabili peccandi, ſiue amittendi Dei gratiam. Minor, & conſequentia patent.

62\. *Periculum probabile mortis eſt magnũ malum præſens.*

Maior probatur. Periculum probabile amittendæ vitæ eſt certò magnum malum præſens, quod omnes homines vitare conantur: periculum probabile amittendi honorem, & incurrendi ignominiam, eſt magnum malum præſens, quod omnes deteſtantur: periculum probabile amittendi penitus omnem rem familiarem, eſt magnum malum præſens, quod omnes fugiunt: & periculum probabile cuiuſlibet magnæ iacturæ temporalis, putà Regiæ, aut Imperialis dignitatis, aut cuiuſvis alterius, eſt magnum malum de præſenti, quod omnes prudentes auertere conantur: ergo periculum probabile amittendæ gratiæ diuinæ, quæ his omnibus pluris valet incomparabiliter, eſt de præſenti magnum malum animæ, quod omnes Chriſtianæ prudentiæ compotes auerſari debeant.

63\. Sanè ea ſola terminorum propoſitio, ſine vlteriori probatione, rem facit euidentiſſimam. Nam ea conſequentia à minori ad maius deducta, eſt ineuitabilis, eo quod fortiùs militat in pretioſioribus, quàm in minùs pretioſis. Antecedens verò qui negauerit, accedat inermis ad Leonem in ea diſtantia, in qua non eſt euidens, ſe occidendum, ſed ſolùm probabile: tempore magnæ tempeſtatis inducat in nauem omnem ſuam ſubſtantiam, & ſoluat è portu, quando non eſt euidens, ſed ſolùm probabile, nauem ſubmergendam: ſi venditor eſt, tradat omnes merces ſuas viro extraneo, & ſibi incognito, quem eas furaturum eſſe non eſt euidens, ſed probabile: ſi Rex eſt, vel Imperator, non adhibeat Regno præſidium defenſioni opportunum, quando probabile eſt, illud eſſe expugnandum ab hoſtibus, non tamen euidens. Cùm ergo homines tam diligenter incumbant, adhibendo media opportuna ad vitandum quodlibet periculum probabile magnæ iacturæ rei temporalis, manifeſtiſſimum eſt, id periculum eſſe magnum malum præſens. Itaque malum quod imminet de futuro, eſt ipſa iactura rei; quod verò res habeat eum ſtatum, vt inde infe-

ratur

Digitized by Google

ratur probabiliter futurum detrimentum, malum eſt de præſenti, quia de præſenti datur is rerum ſtatus, vnde probabiliter infertur iacturæ futuritio.

64. Nec ad ſolutionem huius argumenti habet locum aſſertio, quam ex priore opinione Caramuelis adducit Leander à Murcia; quod vbi eſt probabile periculum, eſt etiam probabile, quod nullum eſt periculum. Tum quia ea manifeſtè refutata, & conuicta manet *cap.* 3. tum etiam, quia potiùs in rebus humanis, & temporalibus manifeſtiùs falſitas eius conſpicitur. Nam qui voluntariè, abſque vlla neceſſitate vellet exponere vitam, ſubſtantiam, honorem, dignitatem probabili amiſſionis periculo, & ex eo vellet ſuæ actioni excuſationem afferre, quòd probabile eſſet, nullum in eo contineri periculum, planè ab omnibus rideretur. Relege dicta *eo cap.*6.

65. Secundum argumentum eſt. Periculum amittendi viginti millia aureorum, maximi æſtimatur ab hominibus (verbum *æſtimare* ſumitur in bonum, & in malum, id eſt, vt ematur, vel vt redimatur:) ergo eſt magnum malum de præſenti: ergo à fortiori periculum amittendi Dei gratiam, quæ omne pretium excogitabile tranſcendit, erit magnum malum de præſenti. Prima conſequentia patet. Nam quod maximi æſtimatur ab hominibus, maximum eſt apud illos. Secunda verò conſequentia ex dictis eſt manifeſta, deſumitur enim à minori ad maius.

Periculū probabile amittendi 20. M. aureorum, magni penditur.

A fortiori periculum amittendi gratiam Dei.

66. Antecedens verò manifeſtis exemplis oſtenditur. Primò. Mercatores Hiſpalenſes merces ſuas mittunt ad Indos occidentales: ſed quia periculum eſſe ſolet varij generis, tum à tempeſtate, tum ab hoſtibus, tum à nauium fragilitate, ſoluunt aſſecuratoribus decem aureos pro centum aureis aſſecurandis: & quidem periculum non eſt euidens; nam è centum nauibus occidentem petentibus vix pereunt ſex, aut octo; & ideò ad ſummum, id periculum vix eſt probabile. Tum ſic. Periculum probabile amittendi viginti millia aureorum valet apud homines huius rei peritos duo millia aureorum: ſed duo millia aureorum ſunt pretium maximum: ergo periculum amittendi viginti millia aureorum maximo pretio æſtimatur ab hominibus.

67. Secundò. Qui mutuatur viginti millia aureorum, etiam interpoſito fideiuſſore, incurrit periculum amittendæ ſortis ob infortunia, quæ poſſunt accidere; quod quidem periculum non eſt euidens. Quis enim adeò ſtolidus eſſet, vt vellet mutuare tantam pecuniarum ſummam cum periculo moraliter euidenti amittendi illam? Imò verò id periculum vix eſt probabile; & propter illud periculum accipit mutuator decem pro centum. Tum ſic. Periculum probabile, quod habet mutuator amittendi viginti millia aureorum redimitur pretio duorum millium aureorum: hoc eſt pretium maximum: ergo maximo pretio æſtimatur tale periculum.

68. Tertium argumentum eſt. Homo non ſolùm tenetur præcepto non peccandi, ſiue non amittendi gratiam Dei; ſed etiam ſecurum ſe reddendi, quantum moraliter poſſit, à peccato mortali, & ab amiſſione gratiæ Dei: ſed ſecuritas opponitur cuilibet periculo: ergo homo ex præcepto tenetur ad vitandum quodlibet periculum, & à fortiori periculum probabile peccandi mortaliter, & amittendi gratiam Dei. Minor, & conſequentia patent.

Datur præceptum reddendi ſe ſecurum ab amiſſione gratiæ.

69. Maior probatur. Homo tenetur præcepto ſecurum ſe reddendi, quantum poſſit moraliter, ab incurſione gehennæ: ergo tenetur ex præcepto ſecurum ſe reddere ab incurſione peccati mortalis. Hæc conſequentia patet, quia maius malum eſt incidere in peccatum mortale, quàm incidere in gehennam, quantò maius malum eſt iniuria afficere Deum infinitum, quàm ab ipſo Deo quamlibet pœnam ſuſtinere. Et ideò maius eſſe malum culpæ, quàm malum pœnæ, communiter tradunt Sancti PP. Et ob hanc cauſam optimè Caram. *fund.*11. *num.*521. dixit, parem eſſe rationem de periculo gehennæ, & de periculo peccandi; quia ſicut tenetur ſecurum ſe reddere à flammis gehennæ, ita etiam à lapſu in grauem Dei offenſam. Antecedens verò quis neget, qui aliqualiter apprehendit, quid ſit æternum ignem ſuſtinere? *Quis enim poterit habitare de vobis cum igne deuorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis?* Et ideò conueniunt Doctores Theologi, quod vbi aliquid neceſſarium eſt neceſſitate medij, tenetur homo in articulo mortis adhibere medium omninò certum, quantum moraliter poſſit: nam ſi ex duobus mediis, certo, & probabili, eligat ſolum probabile, cùm poſſit contingere, quod probabile non ſit verum medium, contingentiæ exponit ſuam ſalutem æternam, quam ex præcepto charitatis propriæ ſecuram reddere debet, quantum moraliter poſſit.

Homo tenetur præcepto reddendi ſe ſecurum à gehenna.

70. Confirmatur. Quilibet homo tenetur, ſicut ad conſeruandam prudenter vitam ſuam, ita ad comparandam prudenter ſecuritatem illius, quando ſcilicet profuſio vitæ non ſit neceſſaria pro maiori bono; cogita pro vtilitate publica, charitate, &c. Item tenetur ad reddendum ſecurum prudenter honorem ſuum, cuius defectus redundaret alios: item & honorem ſuorum. Et ita inter viros prudentes verteretur vitio patrifamilias, qui filias non eriperet à periculo ignominiæ reſultante ex commercio venereo. Tenetur ſimiliter ad reddendum ſecuram rem familiarem, à qua dependent alimenta filiorum, vxoris, &c. quantum prudentia dictat: ergo tenetur homo ad reddendum ſecuram gratiam Dei, & ſecurum ſe præſtandum à ruina mortalis peccati. De antecedente nullus dubitare poteſt, quia apud omnes certum eſt, quod ea bona conſeruare tenetur; nec conſeruare poteſt, niſi eripiendo à periculis; quæ imminere ſolunt: nam qui ea omnibus periculis probabilibus exponeret, omnes prudentes cenſerent, eum non conari ſufficienter ad eorum conſeruationem, cùm ea pericula media ſint ad ruinam. Conſequens verò idem eſſe cum antecedente, mutata materia viliori in materiam digniorem, certum eſt.

Homo tenetur ad reddendū ſe ſecurum à morte, quantum prudenter poſſit.

71. Rogabis, an ſit ſpeciale præceptum hoc ſe reddendi ſecurum à ruina graui ſpirituali? Hæc quæſtio dependet ab altera, an ad vitandum omne peccatum mortale teneamur ex ſpeciali lege charitatis propriæ? Siue, an omne peccatum mortale habeat circumſtantiam violandi legem charitatis propriæ? A qua quæſtione modò abſtineo. Vide *diſp.* 37. Et aſſero, non eſſe nouum præceptum reddendi ſe ſecurum à ruina graui ſpirituali; ſed eodem præcepto, quo aſtringimur ad vitandam eiuſmodi ruinam peccati, teneri nos ad reddendos ſecuros ab illa, ſiue ad vitandum periculum illius. Sicut eodem præcepto, quo obſtringitur paterfamilias ad conſeruandam rem

An ſit ſpeciale præceptum reddendi ſe ſecurum à ruina ſpirituali?

familiarem

Digitized by Google

familiarem in alimenta vxoris, & filiorum, tenetur etiam ad reddendam illam ſecuram à qualibet ruina; & conſequenter ad eripiendum illam à quolibet periculo certo, vel probabili. Quod latiùs explicatur *prædicta diſputat.* 37. *à cap* 2.

CAPVT VII.

An licitum ſit exponere ſe periculo leui peccandi mortaliter?

72. CAramuel in retractatione antiquæ opinionis, loco citato, *num.* 535. videtur aſſerere, periculum leue magnæ alicuius iacturæ eſſe malum graue, conſequenterque aſſerere tenebitur, non eſſe licitum exponere ſe periculo leui peccandi mortaliter. Cui propoſitioni duæ rationes ſuffragantur. Prima. Periculum iacturæ mercium, quæ vehuntur in nauibus à Gadibus in Occidentem, non eſt periculum graue, ſeu probabile, ſed leue. Cùm enim ab experientia menſuretur quantitas periculi, præcipuè quando non relucet aliud argumentum, vnde quantitas periculi colligatur, & è centum nauibus non periclitentur quinquaginta (quod redderet periculum æquè probabile) ſed vix periclitentur ſex, aut octo, fruentibus incolumitate pluſquam nonaginta, id periculum non eſt dicendum probabile, aut graue, ſed leue; & tamen id periculum amittendi viginti millia aureorum redimitur duobus aureorum millibus: ergo periculum leue magnæ iacturæ magni æſtimatur, atque adeò malum graue eſt: ergo periculum leue labendi in peccatum mortale eſt malum graue animæ: ergo nemini licet exponere ſe periculo leui peccandi mortaliter.

73. Secunda ratio eſt. Ex præcepto charitatis propriæ tenetur vnuſquiſque reddere ſe ſecurum à peccato mortali, quantum moraliter poſſit: ſed ſecuritas excludit omne periculum: ergo etiam excludit periculum leue: ergo ſi tenetur reddere ſe ſecurum à peccato mortali, debet fugere quodlibet periculum, etiam leue.

74. Pro deciſione quæſtionis iterum nota, periculum eſſe id fundamentum, quod inclinat iudicium prudentis ad futuritionem iacturæ: vnde periculum leue eſt id fundamentum, quod leuiter inclinat iudicium prudentis ad futuritionem iacturæ. Nota deinde periculum, de quo in præſenti materia loquimur, non eſſe periculum, quod eſt à parte rei, & nobis incognitum; ſed ſolùm loquimur de illo, prout à nobis cognoſcitur ex aliquibus rationibus, & circumſtantiis. Neque enim tenemur vitare mala, quæ in mentem noſtram non veniunt.

Periculum leue eſt motiuum, quod leuiter ſuadet futuritionem iacturæ.

75. Deinde poteſt eſſe quæſtio de nomine, ſi periculum probabile, quando eſt minùs probabilis futuritio, velit quis appellare periculum leue. Et ideò Caramuel proximè citatus videtur in hoc puncto non ſibi conſtare: nam cùm dixiſſet, illud periculum, quod ſubeunt naues, & merces in illis contentæ, in caſu proximè appoſito, eſſe leue, paucis lineis interiectis, ait: [Ex his duabus propoſitionibus, *Hæc nauis peribit: Hæc non peribit*, prima eſt probabilis vt quinque, fortè vt duo, vel tria; & ſecunda probabilis vt centum.] Quæ experientia, apud Caramuelem, eſt præcipua ratio colligendi periculum. Vnde periculum, quod dixit leue, poſteà admittit tanquam probabile, licet multò minùs probabile. Authorem autem ab inconſtantia poteris abſoluere, eo quod admittat intra lineam periculi probabilis vnum graue, & alterum leue; ſcilicet per comparationem vnius cum altero.

Sed vt neceſſe eſt ſtare definitioni ſemel traditæ, ita periculum leue dicendum eſt id, quod eſt fundamentum leuiter inclinans ad futuritionem damni: tunc autem dicetur dari fundamentum leuiter inclinans, quando ſunt rationes leues in ordine ad aſſerendam futuritionem ruinæ. His poſitis. 76.

Aſſero primò. Periculum leue abſolutè non eſt periculum. Probatur. Periculum leue datur, cùm dantur rationes in ordine ad futuritionem ruinæ: ſed cùm dantur rationes leues in ordine ad futuritionem ruinæ, nullum eſt periculum: ergo cùm datur periculum leue, nullum datur periculum. Conſequentia patet, & maior conſtat ex dictis. 77.

Periculum leue abſolutè non eſt periculum.

Probatur minor. Rationes leues ſunt quibus poſitis intellectus temerè iudicat; nam qui leui fundamento ducitur, non elicit iudicium prudens, ſed temerarium: ſed cùm intellectus temerè iudicat damnum eſſe futurum, nullum eſt periculum apud prudentes; neque enim prudentes ſunt, qui temerè iudicant: ergo vbi ſunt rationes leues in ordine ad futuritionem damni, nullum periculum eſſe cenſendum eſt. 78.

Confirmatur. [In regimine morum rationes leues ita ſe habent, ac ſi verè eſſent nullæ:] quæ ſunt verba formalia Caramuelis *in Theologia fundam. num.* 1901. *fund.* 66. ergo vbi ſunt rationes leues in ordine ad futuritionem damni, reputandæ ſunt nullæ in ordine ad fugam moralem periculi. Sed vbi nullæ ſunt rationes, quæ inclinent ad futuritionem damni, nullum eſt periculum: ergo vbi ſunt rationes leues in ordine ad futuritionem damni, nullum eſt periculum. Quæ omnia conſequentia patent ex primo antecedente. 79.

Aſſero ſecundò. Nemini licet exponere ſe leui periculo peccandi mortaliter, ſi illud ſit verum periculum peccandi. Hanc aſſertionem propono, ne hæreamus in quæſtione de nomine, circa leuitatem, vel grauitatem periculi. Ego enim omne verum periculum exiſtimo certum eſſe, aut probabile, & nullum eſſe leue, vt probant rationes nuper allatæ pro prima aſſertione. Sed ſi quis contenderit adhuc eſſe verum periculum, quod dicendum ſit leue, non multùm contendam ſuper grauitate, vel leuitate; ſed dicam, ſi illud eſt verum periculum, eſſe ex obligatione fugiendum. 80.

Non licet exponere ſe leui periculo peccandi, ſi iſtud abſolutè eſt periculum.

Aſſertionem tuentur omnes, qui dicunt, nemini licere exponere ſe periculo formali: loquuntur enim de periculo formali, quodcumque illud ſit; quos citaui *num.* 59. Hanc aſſertionem probant tria argumenta facta *cap. præcedenti.* 81.

Primum. Nam omnes prudentes fugiendum eſſe ducunt omne verum periculum mortis, ignominiæ, iacturæ rei familiaris; & inde colligitur, illud eſſe magnum malum de præſenti. A fortiori autem id militat in periculo peccandi mortaliter (nihil intereſt appelles leue, aut graue) ſi illud eſt verum periculum magnæ ruinæ ſpiritualis. 82.

Secundum

Digitized by Google

83. Secundum. Nam illud periculum, quod ſubeunt naues, quodque Caramuel leue periculum vocat iacturæ grauis, eſt malum magnum de præſenti, quia eſt verum periculum amittendi merces; & ideò magno pretio redimitur. Quæ ratio multò potiùs militat in vero periculo amittendi gratiam Dei, quam eo capite præcedenti perpendimus.

84. Tertium. Nam homo tenetur reddere ſe ſecurum à peccato mortali, quantum poteſt moraliter; non autem reddit ſe ſecurum, qui non vitat verum periculum labendi; cùm ſecuritas opponatur periculo formali.

85. Ad rationes pro oppoſita ſententia allatas initio capitis, ex dictis facilè reſpondetur. Ad primam dico, illud periculum nauium non eſſe leue, ſed probabile, licèt ſit multò minùs probabile, quod naues perituræ ſint, quàm quod incolumes futuræ, propter experientiam incolumitatis nauium multò plurium. Et quidem non eſt ſola experientia motiuum inclinans ad futuritionem ruinæ, ſed etiam inconſtantia maris, procellarum, & ventorum immanitas, quæ ſæpe eſſe ſolet; concurrentia pyratarum, & claſſium hoſtilium: quæ adiuncta experientiæ reddunt motiuum probabiliter inclinans ad futuritionem ruinæ.

86. Ad ſecundam reſpondetur primò ad normam primæ aſſertionis, conceſſa maiori, & minori, negando conſequentiam, quia periculum leue abſolutè non eſt periculum. Ideò autem non valet conſequentia, quia cùm in præmiſſis agatur de vero periculo, in conſequente fit tranſitus ad id, quod ſolùm ſecundum quid eſt periculum: ſicut ſi in præmiſſis ageretur de homine vero, & in conſequente de homine picto.

87. Reſpondetur ſecundò ad normam ſecundæ aſſertionis, conceſſa maiori, & minori, diſtinguendo conſequens: ergo ſecuritas excludit periculum leue, [ſi ſit verum periculum,] concedo; [ſi non ſit verum periculum, ſed imprudenter tale credatur,] nego. Et eodem modo ſecundum conſequens diſtinguendum eſt.

CAPVT VIII.

Quomodo vitare teneamur periculum formale, ſiue probabile, ſiue certum & proximum labendi in mortale?

88. CVm dixerimus, nemini licitum eſſe exponere ſe ſponte periculo labendi in peccatum mortale, ſiue periculum ſit proximum, & certum, ſiue probabile; & argumenta à nobis facta probent, omnes teneri ad vitandum quodlibet eiuſmodi periculum; reſtat inquirere, quo pacto teneamur illud vitare: & ſenſus quæſtionis eſt, an ſemper teneamur vitare periculum, fugiendo occaſionem externam; an potius ſit alius modus vitandi periculum formale?

An ſemper teneamur vitare periculum peccandi fugiendo occaſionem?

89. Caramuel *ea diſp. 70. in regul. num. 1067.* expoſtulat cum multis Authoribus, quod materiam hanc de fugiendo periculo *confusè tractant*; expoſtulant & alij. Ratio autem, vt ego opinor, ob quam confusè tractant, eſt, quia non diſtinguunt inter occaſionem externam, & periculum formale: item quia non diſtinguunt inter modum euadendi ab vtrolibet per fugam occaſionis externæ, & per media homini euaſuro intrinſeca, ſiue per actus proprios hominis. Nam cùm ex vna parte videant, innumeras eſſe occaſiones peccandi in conuerſatione humana, in ipſis muneribus, officiis, & exercitiis, quæ gerunt, in contractibus, quos celebrant, in rerum commerciis, quæ tractant, durum Theologis videtur obligare homines ad eas omnes extrinſecas occaſiones deſerendas; ad id enim opus eſſet deſertum petere, & inter fera animalia vitam degere: nam vt de ſolis ementibus, & vendentibus loquamur, neceſſe eſt viros ſæpiſſimè cum fœminis colloqui, occaſiones rixarum producere, auaritiæ, & inuidiæ fomenta pullulare. Et cùm ex parte alia ſint aliquæ occaſiones tales, & vt ſine peccato tranſigi non poſſint; aliæ verò quaſi mediæ inter has, & illas; difficile videtur Theologis regulas generales tradere, per quas his implexis quæſtionibus ſatisfiat. At ſeruata diſtinctione inter periculum formale, & occaſionem externam; item inter modum fugiendi periculum per fugam occaſionis, & per actus intrinſecos hominis, puto non eſſe difficile regulas generales pro hac materia ſtatuere, quod & præſtare conabor in ſequentibus.

Pro quo reuoca in memoriam, quæ de diuerſitate periculi formalis, & materialis dixi *cap. 2. num. 17.* & eos duos homines ibi propoſitos in ſimili occaſione externa conſtitutos, quorum alter periculum formale non incurrit ob conſtantiam propoſiti intenſiſſimi; alter verò ob inconſtantiam propoſiti tepidi à periculo formali non euaſit. Et hinc diſces, & etiam ex *num. 19.* per actus homini intrinſecos, ſiue hominis ipſius proprios, poſſe vitari periculum formale, quamvis occaſio extrinſeca non vitetur. Sed antequam regulas generales proponamus, placuit has poſitiones ſtatuere. 90.

Poteſt vitari periculum abſque fuga occaſionis.

Poſitio prima. Vbi paſſio eſt vehemens, & habitus vitioſus intenſus, vel interna ſuggeſtio, & tentatio eſt fortis, magis timenda eſt occaſio externa, magiſque fugienda. Patet. Nam cùm duplex ſit medium vitandi periculum formale lapſus, alterum vitando occaſionem extrinſecam, alterum roborando ſe per actus intrinſecos; quando paſſio, habitus, & tentatio vrgent, minùs virtutis & roboris eſt ad actus internos eliciendos, qui mentem roborent contra validiſſimos hoſtes. Cùm ergo tunc minùs vitetur periculum formale per actus internos, magis inclinandum eſt, vt vitetur per fugam occaſionis externæ. 91.

Vbi paſſio, habitus vitioſus, & ſuggeſtio fortiores ſunt, magis timenda eſt occaſio.

Poſitio ſecunda. In materia luxuriæ magis, quàm in multis aliis, neceſſe eſt fugere occaſiones externas. Conſtat ex præcedenti. Nam, vt ait S. Iſidorus *lib. de ſummo bono*, (apud S. Thomam *2.2. queſt. 154. art. 3. ad 1.*) *Magis per carnis luxuriam humanum genus ſubditur diabolo, quàm per aliquod alud; quia ſcilicet difficilius eſt vincere vehementiam huiuſmodi paſſionis.* Vnde quantò maior eſt difficultas vincendi vehementiam paſſionis, tantò minùs fortitudinis habet homo, vt per actus intrinſecos euadat periculum formale; atque adeò ad euadendum illud, neceſſe eſt occaſionem externam vitare. 92.

In materia luxuriæ magis fugienda eſt occaſio.

Poſitio tertia. Etiam in materia auaritiæ magnæ, & vehementis diuitiarum cupiditatis, vtplurimum oportet fugere occaſiones externas. Etenim paſſio hæc vbi inualeſcit, eſt vehementiſſima 93.

In auaritia fugienda eſt occaſio.

Digitized by Google

tiſſima, & omnem Dei legem peſſumdat. Ideò Paulus 1. *ad Timotheum cap. 6.* ait: *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli, & deſideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. Radix enim malorum eſt cupiditas: quam quidam appetentes errauerunt à Fide.* Vbi autem vehementior eſt paſſio, aut intenſior vitioſus habitus, minùs eſt fortitudinis ad actus internos intenſos eliciendos, quibus periculum formale extenuetur; & ideò oportet periculum formale fugere vitando externam occaſionem.

94. *In magna inimicitia oportet fugere occaſionem.*

Poſitio quarta. Ob eandem rationem in materia magnæ iracundiæ, ſiue inimicitiæ, neceſſe eſt vitare diligenter occaſiones externas. Nam experimento compertum eſt, etiam homines ſtudioſos virtutis, occaſione data, torrente iracundiæ præcipites fieri; ita vt ferè rationis vſu ſpolientur.

95. *In cæteris non eſt neceſſe vitare occaſiones.*

Poſitio quinta. In cæteris, in quibus neque vehemens eſt paſſio, neque habitus vitioſus nimis intenſus, neque tentatio ſathanæ valde vrgens, vtinplurimum non eſt neceſſe tollere occaſionem externam. Patet etiam ex dictis, quia in hoc euentu non eſt difficile actus ſupernaturales elicere, quibus periculum formale extenuetur omninò: tunc enim faciliùs ſuperari poſſunt paſſio, habitus, & tentatio, vtpote inimici debiles, contra quos præualebit propoſitum intenſum non peccandi; præcipuè cùm illi inimici, vtpote debiles, non impediant intenſionem propoſiti.

96. *Quoties quis aduertit periculum peccandi, tenetur vitare intrinſecus, vel extrinſecus.*

His ſtatutis poſitionibus, ad regulas generales veniamus. Sit prima aſſertio. [Quotieſcumque homo aduertit periculum formale peccandi mortaliter, tenetur fugere periculum vno è duobus modis, vel deſerendo occaſionem externam, vel diſſoluendo periculum formale per actus ſibi intrinſecos.] Probatur. Quoties homo poteſt vitare periculum formale peccandi, tenetur illud vitare, vtpote ingens malum animæ, vt patet *ex cap. 6.* ſed regulariter loquendo ſemper poteſt vitare periculum formale, aut per fugam occaſionis externæ, aut per actus ſibi intrinſecos, nempe per propoſitum intenſum, preces Deo directas, &c. ergo ſemper tenetur vitare periculum formale vno ex illis duobus modis.

97. *Qui intrinſecus vitat periculum, non tenetur vitare occaſionem externam.*

Sit ſecunda aſſertio: [Quando per actus ſuos proprios vitat periculum formale, non tenetur deſerere occaſionem externam.] Patet. Nam occaſio externa eatenus deſerenda eſt, quatenus inducit in periculum peccando mortaliter: ſed quando homo per actus ſuos proprios, nempe propoſitum, orationem, &c. vitat periculum formale, non remanet in occaſione extrinſeca periculum formale: ergo quando vitat periculum formale per actus intrinſecos, non tenetur deſerere occaſionem extrinſecam.

98. *Qui non vitat periculum intrinſecus, tenetur vitare extrinſecus.*

Sit tertia aſſertio. [Qui non vitat periculum formale intrinſecus, tenetur vitare extrinſecus, id eſt, deſerendo occaſionem extrinſecam.] Patet etiam ex dictis, præcipuè ex aſſertione prima. Etenim homo tenetur vitare periculum formale vno è duobus modis, ſcilicet intrinſeco, vel extrinſeco: ergo ſi primo modo non vitat, vitare debet ſecundo modo.

99. *Qui non poteſt fugere occaſionem, tenetur fugere periculum intrinſecus.*

Sit quarta aſſertio. [Qui non poteſt vitare occaſionem extrinſecam, tenetur vitare periculum formale modo intrinſeco.] Patet ex dictis, cùm teneatur & poſſit vitare periculum formale vno è duobus modis præfatis.

Sed adhuc ſpecialiter probatur. Nam qui non poteſt vitare occaſionem extrinſecam, & adhuc non vult vitare periculum formale per actus ſuos proprios, ipſe voluntariè ſe exponit periculo formali: atqui conſtat ex ſuperiùs dictis, peccare mortaliter eum, qui voluntariè ſe exponit periculo formali: ergo qui non poteſt vitare occaſionem extrinſecam, & non vult vitare periculum formale per actus ſuos proprios, peccat mortaliter: ergo qui non poteſt vitare occaſionem extrinſecam, tenetur ſub mortali vitare periculum formale modo intrinſeco, ſiue per actus ſuos proprios. Minor & ambæ conſequentiæ patent. 100.

Probatur maior. Ille ſe exponit periculo formali, qui, cùm liberè poſſit vitare illud, non vitat: ſed qui impotens vitare occaſionem extrinſecam, noc vult vitare periculum formale per actus ſuos proprios, liberè poteſt vitare periculum formale, & non vitat: ergo ipſe ſe voluntariè exponit periculo formali. Maior, & conſequentia conſtant. 101.

Probatur minor. Nam, vt dixi *cap. 2.* periculum formale conſtat non ſolum ex occaſione externa, ſed etiam ex actibus liberis hominis, ſiue ex omiſſione, & defectu eorum: hæc autem ſunt in libera hominis poteſtate: ergo liberè poteſt ponere actus, per quos extenuetur, ſiue tollatur periculum formale: ergo ille homo liberè poteſt vitare periculum formale, & non vitat. 102.

103. *Cùm occaſionem comitatur paſſio, non ſufficit conari ad fugam internam periculi.*

Sit quinta aſſertio. [Quando occaſio externa aſſociatur paſſione vehementi, vel habitu vitioſo interno, vel acri ſuggeſtione, vel his omnibus ſimul, ſi eſt in poteſtate hominis occaſionem deſerere, non ſufficit conari ad vitandum periculum formale per actus ipſius intrinſecos, ſed tenetur ſub mortali deſerere occaſionem extrinſecam.] Infertur ex dictis. Nam cùm hoſtes illi ſint validiſſimi, conflictus cum illis eſt valde difficilis, & ideò homo tenetur fugere ipſum locum pugnæ, ne ſuccumbat. Deinde quilibet prudens, ſuam timens fragilitatem, debet credere ſuos actus non futuros eſſe ita robuſtos, vt poſſint ſuperare tam validos hoſtes, maximè quando habet aliud medium euadendi periculum, ſcilicet fugam occaſionis externæ. Prætereà quia etſi Deus auxilia ſufficientia non deneget, vt phyſicè poſſit homo vincere; ei tamen, qui temerè, & ſine neceſſitate ingreditur occaſionem, non offert ea copioſa auxilia, quæ præſtat illis, qui neceſſitate coacti, occaſione peccandi concluduntur. Quod etiam patet ex prima poſitione.

104. *In tribus materiis neceſſe eſt fugere occaſiones.*

Hinc infertur, in materia luxuriæ, auaritiæ magnæ, & vehementis iracundiæ, teneri hominem ad vitandas occaſiones externas, ſi moraliter poſſibile ſit; nec ſufficit conari ad vitandum periculum formale per actus hominis intrinſecos. Hoc enim probant argumenta facta pro aſſertione quinta, & conſtat etiam ex poſitionibus tertia, quarta, & quinta.

105. *In cæteris non eſt ſimpliciter neceſſarium.*

Infertur etiam, quod in cæteris materiis, in quibus neque paſſio vehemens, neque habitus vitioſus intenſus, neque acris tentatio vrget, non tenetur homo ſub mortali occaſionem externam fugere; tenetur tamen vitare per actus intrinſecos periculum formale. Id enim ſatis infertur ex proximè dictis, & ex poſitione quinta.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT IX.

An valeat abſolui concubinarius antequam domo expellat fœminam, cum poſſit?

106. EX præiactis generalibus regulis facile erit ad caſus ſingulares deſcendere,& ex illis eos reſoluere. Et quamvis ad inſtitutum præſentis diſputationis videatur ſolùm ſpectare obligatio,qua concubinarius obſtringitur expellere occaſionem extrinſecam; adhuc tamen ad intelligendum quanta hæc ſit, operæpretium erit verſare quæſtionem ſub iis terminis, qui potiùs ſpectare videntur ad confeſſarium: An videlicet poſſit abſoluere concubinarium antequam expellat occaſionem extrinſecam peccandi,cum poſſit expellere,ſuppoſito etiam,quod adhuc perſtat periculum.

107. Ioannes Sancius *diſp.* 10. *num.* 6. primus docuit,poſſe concubinarium abſolui ter, vel quater cum propoſito expellendi concubinam, & antequam illam realiter expellat; nempe quando eſt ſub eius poteſtate phyſica,& morali concubinam expellere. Quam ſententiam P. Caſtro Palao *tom.* 1. *tract.* 2. *diſp.* 1. *punct.* 9. §. 3. *n.* 14. appellauit audaciam.

108. Citat Sancius pro ea ſententia P. Suariũ. Sed ab ea impoſtura vindicat Suarium Caſtro Palao citatus. Nam eximius Doctor oppoſitũ euidẽter docet.

Vindicatur Suarius ab impoſtura Ioan. Sancij.

Idem Sancius *n.* 4. citat pro ſua ſententia eos omnes, qui dicunt, poſſe abſolui eos, qui habent

109. conſuetudinem peccandi abſque occaſione extrinſeca, ſi aliàs admoniti à Confeſſario, aliquid curæ adhibuerint ad conſuetudinẽ extirpandam. Pro quo aſſerto citat P. Thomam Sanchez, P. Azorium, Medinam,Vegam,Ludouicum Lopez, & Rodriguez. Agnouit Sancius aliquid diſcriminis inter eam conſuetudinem, & occaſionem externam; ſed non agnouit verum diſcrimen. Ipſe enim nullum aliud agnoſcit, niſi quod quamvis occaſio & conſuetudo indicium pariant Confeſſario de propoſito non vero; conſuetudo tamen non parit tantum indicium, atque occaſio externa. Aliud tamen eſſe diſcrimen, illudque latiſſimum, manifeſtè conſtabit ex *num.* 142.

110. Adducit etiam Sancius pro ſua ſententia eos, qui dicunt, poſſe abſolui prima, aut ſecunda vice eum, qui non reſtituit,cùm poſſet. Sed eſt latum diſcrimen, quod infrà oſtendam *num.* 144.

111. Citat etiam Tabienam *verb. Concubinatus,n.* 2. dicentem, poſſe abſolui concubinarium promittentem abſtinere, licèt nolit abiicere concubinam. Sed id multò plus eſt, quàm quod contendit Sancius; nam ſi ſufficit, quod promittat abſtinere, poterit abſolui ſine propoſito expellendi concubinam, quod neque Ioannes Sancius, nec vllus Doctorum auſus eſt dicere. Et ſicut Tabiena habet alias opiniones antiquatas, de quo vide *diſp.* 11. *cap.* 2. ita & hanc. Et in hoc deceptus eſt Machado, qui *tom.* 2. *lib.* 7. *part.* 2. *tract.* 3. *docum* 1. refert Tabienam ſtare pro ea ſententia, & *alios graues Authores.* Et in margine ait [Expreſsè docet Tabiena *verb. Concubinatus, num.* 2. & alij, quos refert Sanchez *num.* 4.] Ecce quantum deceptus eſt Machado prauis citationibus Authorum factis à Ioanne Sancio.

112. Secutus eſt etiam Ioannem Sancium Leander à Murcia *lib.* 2. *diſquiſitionum, diſp.* 1. *reſol.* 8. *num.* 12. qui ad duas vices fractæ promiſſionis à concubinario extendit. Pro ea opinione citat abſolutè P. Thomam Sanchez *in Sum. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 18. P. Azor *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 3. *quæſtione* 4. Medinam, vegam, Ludouicum Lopez, & Rodriguez; nimirum quos Ioannes Sancius citat pro ea opinione, quod liceat abſoluere eum, qui habet conſuetudinem peccandi. Murcia abſolutè citat eos pro ea opinione, quod liceat abſoluere vſque ad duas vices concubinarium, antequam expellat fœminam,cùm poteſt expellere. In quo magnam irrogat iniuriam veritati Theologicæ, quòd tantam authoritatem affingat ei opinationi. Item magnam irrogat iniuriam P. Thomæ Sanchez, qui nihil tale aſſeruit, ſed omninò oppoſitum.

Et quidem P. Thomas Sanchez in loco,quem citat Murcia, inquirit, an abſoluendus ſit,qui habet conſuetudinem iurandi? Et ibi non reſoluit quæſtionem, ſed remittit Lectorem *ad lib.* 1. *cap.* 32. *n.* 45. vbi eandem quæſtionem inſtituit de eo, qui habet conſuetudinem blaſphemandi. Vbi ſic ait: [Secundò dico, quando nil curæ appoſuit ad emendam, admonituſque eſt ſæpe in aliis confeſſionibus, poſſe adhuc hunc in rigore ſtatim abſolui, ſi verè doleat de præteritis, ac in poſterum emendam firmiter proponat. *Quia nullam occaſionem extrinſecam habet,vt vel ſic neceſſariò impediatur abſolutio*; ſed ex fragilitate carnis, ſicut & in alia vitia.] Iſte eſt textus (quis credat?) quem citant Murcia,& Sancius pro ea opinatione,quod videlicet *nihil impedit,quominus abſoluatur* (bis, vel quater) *ille qui habet occaſionem extrinſecam peccandi,*cùm poteſt illam auferre; cùm dicat P. Thomas Sanchez in eo textu, abſolui poſſe conſuetum blaſphemare, *quia nullam occaſionem extrinſecam habet, vt vel ſic neceſſariò impediatur abſolutio.* Videat Lector, & miretur, qua ratione citentur Authores. 113.

Vindicatur Th. Sanch. ab impoſtura Ioan. Sancij.

Sed miraberis iniuriam Ludouico Lopez irrogatam, qui citatur à Murcia pro abſolutione bis concedenda concubinario nolenti expellere concubinam, cùm poſſit; cùm ille Author 1. *part. inſtructor. cap.* 22. aſſerat,negandam eſſe abſolutionem etiam filiofamilias, qui non poteſt expellere concubinam, ſi non fugiat domum patris ſui eodem modo, ac ſi domus paterna tota flammis & incendio flagraret: quam etiam iniuriam irrogat Medinæ, qui *in ſum. fol.* 63. eandem habet doctrinam,quam Ludouicus Lopez. 114.

Eodem vitio laborat Leãder à SS. Sacrã. *tract.* 5. *de pœnit. diſp.* 7. *reſol.* 35. qui ſecutus Ioannem Sancium affirmat,poſſe concubinarium abſolui vſque ad quartam vicem, antequam expellat concubinam. Quod cùm nemo alius aſſeruerit præter Ioannem Sancium,(omitto opinionem Tabienæ antiquatam) ipſe Leander pro ſua aſſertione citat Medinam, Cordubam, Angelum, Caietanum, imò & Suarium. Nec adeò miror, quod Leander citauerit Suarium deceptus à Ioanne Sancio. Multò magis miror reliquos Authores ita citari ab eo. Nam circa eos reliquos Authores expreſsè dicit Ioannes Sancius, non loquutos eſſe de concubinario, ſed de obligato ad reſtitutionem; & expreſsè dicit, eos Authores ſolùm extendiſſe ſententiam vſque ad ſecundam vicem abſolutionis. Leander autem, qui hæc legit, citat illos tanquam loquutos de abſoluendo concubinario, & de abſoluendo vſque ad quartam vicem. Citat etiam Leander Armillam, quem etiam ex verbis relatis à Sancio non conſtat tenuiſſe eam ſententiam. Allegat prætereà Candidum pro abſoluendo vſque ad quartam vicem concubinatio, antequam expellat concubinam, 115.

Digitized by Google

ſcilicet *diſquiſit.* 24. *art.* 27. *dubitatione quinta, pag.* 76. ſed vehementer miror adeò craſſam Leandri æquiuocationem, & in materia tam graui. Candidus enim aſſerit, non poſſe abſolui concubinarium, donec expellat occaſionem. Si autem ter, vel quater dumtaxat in anno peccaret cum ea, poſſe abſolui, quin expellat. Et illud *ter, vel quater*, affert Leander ad abſolutionem. Ecce verba Candidi loco citato. [Dico ſextò. Qui domi retinet concubinam, ſeu ancillam, cum qua frequenter peccare ſolet, non eſt abſoluendus, niſi concubinam, vel ancillam illam dimittat: quia exiſtit in occaſione proxima voluntaria peccandi, &c. Dico ſeptimò. Qui cum ancilla, ſeu alia tertia perſonaò rar, vt ter, vel quater in anno peccauit, repentina libidine correptus, & in confeſſione proponit, & ſperat fore, vt non amplius relabatur, abſolui poteſt, quia non eſt in proxima peccandi occaſione, cum non frequenter delinquat.] Pro qua aſſertione citat Graffium *lib.* 1. *deciſ. cap.* 28. *num.* 13. ex quo vtramque concluſionem deſumpſit.

116\. *Nemo grauiter tenetur vitare occaſionem remotam.*

Ante reſolutionem noto primò cum Ioanne Sancio *ea diſp.* 10. *num.* 1. quod] Remotam occaſionem non teneri pœnitentem vitare, vniuerſi ſupponunt:] quæ ſunt eius verba; quorum tamen rationem legitimam à priori non reddit. Ait enim: [Aliàs ſiquis occaſionem arriperet peccandi ob ambulandum plateas, teneretur nunquam è domo exire.] Ratio autem legitima à priori eſt, quia cùm vitatio periculi remoti ſit facilis, poteſt homo illud vitare per actum intrinſecum, ſcilicet eliciendo firmum propoſitum non labendi, & alios actus, de quibus infrà; peccat enim mortaliter, ſi aduertendo adeſſe aliquod periculum formale, non illud diſſipat per eiuſmodi actus proprios, quia aduertens periculum, non adhibet remedium pro ſecuritate, cum facilè poſſit. Id autem eſſe medium extenuandi, & diſſipandi periculum, conſtat ex capite præcedenti, & ex dicendis.

Et quare?

117\. *Non eſt ſolùm occaſio proxima, cùm concubina manet intra domum concubinarij.*

Noto ſecundò cum eodem, non ſolùm eſſe concubinarium, nec ſolùm eſſe eius occaſionem proximam, cum habet fœminam intra domum ſuam; ſed etiam quando eam habet in alia domo taliter, quod exiſtentiam fœminæ in illa domo ipſe ſuſtineat, (quod Hiſpanè dicitur *Tenerle pueſta caſa*) & eius domus alienæ ita pateat aditus, ſicut propriæ. Id enim eſt quaſi habere duas domos proprias, in quarum vna retinet concubinam.

118\. *Certum eſt peccare mortaliter eum, qui concubinam retinet intra domum, cùm poteſt expellere.*

Noto tertiò, & præcipuè, apud omnes compertum eſſe, peccare mortaliter concubinarium, dum retinet intra domum eam extrinſecam occaſionem peccandi, cum poſſit expellere. Quod tanquam certum admittit Ioannes Sancius. Ait enim *num.* 1. [Proximam verò (occaſionem) vitare teneri peccatorem abſque controuerſia conueniunt etiam vniuerſi Doctores.] Et *num.* 3. [At illam occaſionem peccandi proximam affirmare, Doctores non diſſentiunt, quando quis domi ſuæ concubinam retineret; aut ſi in aliena, adeò liberè,] &c. His autem prænotatis.

119\. *Ne ſemel quidem abſolui valet concubinarius, dum retinet, cùm poſſit expellere.*

Nauarrus.

Mihi à principiis intrinſecis certa eſt ſententia, quæ docet, ne ſemel quidem poſſe abſolui concubinarium, niſi priùs expellat fœminam, cum poteſt expellere, & permanet periculum peccandi. Hanc ſententiam tuentur Nauarra *in Manuali cap.* 16. *num.* 20. Ludouicus Lopez ſuprà citatus, Villalobos *tom.* 1. *tract.* 9. *difficult.* 25. *num.* 4. Megala *in promptuario, verb. Concubina, num.* 6. aſſerens, tunc poſſe abſolui, quando omninò ceſſauit periculum; non verò quando eſt ſcandalum, licèt ceſſauerit periculum; apud Dianam *part.* 5. *tract.* 14. *reſol.* 107. qui etiam fauet ſententiæ, quatenus ait, ratò abſoluendum concubinarium ante expulſionem, propter experientiam, quæ docet, ratò poſt abſolutionem occaſionem expelli. Tenet etiam P. Tamburinus *in methodo confeſſionis, lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 5. aiens: [Regula item certa eſt, & communis, vt qui in occaſione proxima eſt, abſoluendus non ſit.] Pro quo citat Cardinalem Lugo *diſp.* 14. *de Pœnit. num.* 149. Idem Tamburinus *lib.* 7. *in Decalogum cap.* 1. §. 2. *num.* 2. Idem tenet expreſsè Bonac. *de Matrim. quæſt.* 4. *punct.* 14. *num.* 11. & 12. & apud ipſum P. Coninck *diſp.* 8. *de Pœnit. dub.* 17. *numero* 134. P. Filliucius *tract.* 30. *cap.* 2. *num.* 56. P. Azor *part.* 3. *lib* 3. *cap.* 6. Sayrus, & Zerola. Item P. Pellizarius *in Manual. Regular. tom.* 2. *tract.* 20. *cap* 10. *num.* 187. P. Fagundez *lib.* 5. *in Decalogum, cap.* 2. *num.* 4. P. Arriaga *tom.* 8. *diſp.* 38. *num.* 32. & ſatis clarè docet P. Thomas Sanchez verbis proximè citatis, *n.* 113.

Lud. Lopez. Villalob. Megala. Diana. Tamburin. Lugo. Bonacina. Coninck. Filliucius. Azor. Sayrus. Zerola. Pellizzarius. Fagundez. Arriaga. Th. Sanch.

Pro qua ſententia hunc ſyllogiſmum obiicio primò. Concubinarius dum retinet concubinam domi, cùm poſſit expellere, eſt in ſtatu peccati mortalis: dum abſoluitur, retinet concubinam domi, cum poſſit expellere: ergo dum abſoluitur, eſt in ſtatu peccati mortalis. Sed qui abſoluitur manens in ſtatu peccati mortalis, inualidè abſoluitur: ergo is concubinarius inualidè abſoluitur. 120.

Vellem audire reſponſionem ad hoc argumentum à Ioanne Sancio, & vehementer miror, quod illud non propoſuerit. Si enim id argumentum non vidit, mirandum eſt, quod vir ingenioſus non viderit argumentum, quod etiam nolentis aſpicere ob oculos obuerſatur. Si autem vidit, & non propoſuit; aut neglexit, aut magna ſcatere difficultate exiſtimauit. Negligere autem non potuit; quia Maior eſt Ioannis Sancij, verbis ſuprà *n.* 118. relatis. Minor eſt certiſſima, & conſequentia legitima. 121.

Confirmatur primò. Ille concubinarius peccat mortaliter exponendo ſe periculo proximo peccandi mortaliter: ſed dum abſoluitur, eſt expoſitus à ſeipſo, adeoque perſeuerat in exponendo ſeipſum periculo proximo peccandi mortaliter: ergo dum abſoluitur, peccat mortaliter, ſiue perſeuerat in actuali peccato mortali. 122.

Confirmatur ſecundò. Ideo ſecundum Ioannem Sancium poſt quartam vicem non poteſt abſolui concubinarius, quia iam licet proponat poſt quartam vicem, exponit ſe periculo infringendi propoſitum: ita enim ait *n.* 6. [Quod ſanè periculum, experientia ipſa teſtatur, clarè interuenire, cùm pluries in animo repellendi, & propoſito in aliis confeſſionibus defecerit. Quid enim eſt periculo efficiendi aliquid ſe exponere, niſi id attentare, in quo ſæpe quis cecidit?] Tum ſic. Non minùs peccat, exponendo ſe periculo proximo peccati mortalis luxuriæ, quamvis nunquã propoſuerit emendationem, quàm exponendo ſe periculo infringendi propoſitum elicitum in quatuor confeſſionibus antecedentibus: ſed ſecundum Sancium, qui ſe exponit periculo proximo infringendi propoſitum in quatuor confeſſionibus antecedentibus elicitum, ita peccat mortaliter, vt ſit indignus abſolutione: ergo qui ſe exponit periculo proximo peccati mortalis luxuriæ, quamvis nunquam propoſuerit, ita peccat mortaliter, vt ſit indignus abſolutione. Sed dum quis retinet domi concubinam, exponit ſe periculo proximo redeundi 123.

Digitized by Google

deundi ad peccatum mortale luxuriæ: ergo dum quis retinet domi concubinam, ita peccat mortaliter, vt ſit indignus abſolutione. Sed dum abſoluitur, retinet: ergo.

124. Dices, ex dictis à nobis in ſuperioribus, propoſito intenſo non peccandi extenuari periculum formale; atque adeò fieri poſſe, quod concubinarius tam firmum habeat propoſitum non peccandi, quod periculum formale maneat extenuatum, & diſſipatum: poterit ergo concubinarius prima vice abſolui.

125. Sed contrà eſt. Ideo enim dixi in concluſione, *Si periculum permaneat.* Et quidem non nego, fieri poſſe per vberrimam Dei gratiam, vt fiat admiranda homini conuerſio cum ſumma deteſtatione peccati, & lapideo quodam propoſito ſeruandæ caſtitatis, qualem expertus ſum in quodam homine, qui fœminam è domo expellere non poterat; & illam per multos annos domi retinens inuiolabiliter deinceps caſtitatẽ ſeruauit. In quo ea deteſtatio peccati, & intenſiſſimum propoſitum omnino extenuarunt periculum formale: eam autem ſpecialiſſimam contritionem, vocat Cardinalis Lugo contritionem extraordinariam, *diſp.* 14. *de Pœnitentia.* Id tamen regulariter non fieri, euidens eſt ab experientia, qua videmus homines communiter poſt abſolutionem, ne vnum quidem diem abſtinere. Et cùm deficit experientia propria, recurrendum eſſe ad alienam eorum, quæ communiter fiunt ab hominibus ſimilis conditionis, omnes Doctores fatentur.

Non tenetur expellere concubinam, ſi ceſſat periculum.
Ceſſare poteſt per vberrimã gratiam.
id rarò contingit.

126. Et ſuffragatur ratio, quam ſuprà tradidimus, *cap. præcedenti.* Etenim id periculum componitur ex vehementi paſſione, habitu vitioſo intenſo, & frequentibus ſathanæ ſuggeſtionibus ex frequenti collocutione, & cohabitatione fœminæ ortis. Tepidum autem propoſitum, quale communiter afferre ſolent homines eius conditionis, paruum haber robur contra eos robuſtiſſimos hoſtes. Accedit, quod ad hanc victoriam requiritur vberrima Dei gratia: quam vberrimam gratiam, vt ibidem notauimus, non confert Deus illis, qui cum poſſint occaſionem ſeparare, non ſeparant: qua vberrima gratia deſtituti magnitudinem periculi ſuperare moraliter non poſſunt; atque adeò nec poſſunt extenuare periculum formale.

Igitur Confeſſarius cautè, & attentè appendat in trutina prudentiæ magnitudinem periculi con-
127. flati ex paſſione, habitu intenſo, & ſathanæ ſuggeſtionibus, illam conferens cum propoſito pœnitentis; & ſi quidem propoſitum eius ſimul cum deteſtatione peccati talia eſſe viderit, quæ præponderent magnitudini periculi, ita vt periculum formale ceſſet, tunc poterit abſoluere. Sed quando eſt in poteſtate libera pœnitentis amouere à ſe occaſionem peccati, & non amouet, rariſſimè, aut ne rariſſimè quidem id continget. Nam ipſa vehemens deteſtatio peccati, & reſolutorium decretum non peccandi ex deſiderio placendi Deo, ante omnia vrgebit illum ad expellendam occaſionem extrinſecam, quando ad expulſionem nullum eſt impedimentum.

128. Reſponſio ergo data præcipuo argumento, manifeſtè debellatur ex dictis. Homo enim peccat mortaliter, dum ſe exponit periculo formali peccandi: ſed dum propoſitum non peccandi non abſorbet magnitudinem periculi formalis, homo manet expoſitus periculo peccandi; idque à ſua voluntate proficiſcitur; ſupponimus enim pro ſua voluntate poſſe expellere occaſionem, nec velle: ergo in tali caſu homo peccat mortaliter.

Quod autem periculum formale non extenue- 129.
tur in eo caſu per propoſitum mediocriter intenſum, ſatis conſtat ex dictis cap. præcedenti, poſitione prima & ſecunda, & aſſertione quinta, & ex proximè dictis.

Probatur ſecundò concluſio, & ſimul præoccu- 130.
patur altera reſponſio, quæ præcipuo argumento propoſito *n.* 120. exhiberi poſſet; ſcilicet diſtinguendo maiorem: concubinarius enim eſt in ſtatu peccati mortalis, dum retinet concubinam domi, [ſi caret propoſito expellendi.] At verò [ſi habet propoſitum expellendi] non eſt in ſtatu peccati mortalis.

Etenim concubinarius dũ retinet concubinam 131.
domi, cum propoſito expellendi, & cum periculo formali non expellendi, & luxuriandi, eſt in ſtatu peccati mortalis; ſcilicet cùm poteſt amouere periculum, & non vult: ſed dum abſoluitur, retinet concubinam domi cum propoſito expellendi, & cum periculo formali non expellendi, & luxuriand, cum poteſt amouere periculũ, & non vult: ergo dum abſoluitur, eſt in ſtatu peccati mortalis. Maior patet ex eo, quod ille ſe voluntariè exponit periculo formali luxuriandi, cùm poſſit amouere, ſi velit, vt ſupponitur. Minor etiam patet ex eo, quod non qualecumque propoſitum poteſt amouere periculum formale, vt ex ſuprà dictis conſtat.

Qui retinet concubinam cum propoſito expellendi, & periculo retinendi, peccat mortaliter.

Probatur tertiò: Imprudenter agit (imò contra 132.
conſcientiam agit) qui exiſtens in proximo vitæ periculo, non euadit, cùm poſſit; & ita ageret imprudentiſſimè, qui in leonem incidens, illiuſque proximus, potens ſe ab eius faucibus eripere, ſe non eriperet: ergo imprudentiſſimè agit contra ſalutem animæ, (atque adeò mortaliter peccat) qui exiſtens in periculo proximo labendi in mortale, non ſe ſubtrahit à tali periculo. Antecedens eſt euidens, & conſequentia deducta à minori ad maius euidentior; quantò pretioſior eſt animæ ſalus, quàm corporis. Tum ſic. Sed qui confitetur, & abſoluitur cum propoſito mediocri (quale habent homines vitiis dediti, & præcipuè qui ſemel in anno confitentur) pro tunc eſt in periculo proximo labendi in mortale, & non ſe ſubtrahit ab eo periculo: ergo quando confitetur, & abſoluitur, imprudentiſſimè agit contra ſalutem animæ, atque adeò peccat mortaliter. Inualidè ergo abſoluitur. Conſequentia patet. Et antecedens eſt certum, quia ille homo non ſe ſubtrahit à periculo deſerendo occaſionem, vt ſupponimus, nec ſe ſubtrahit à periculo per propoſitum deſerendi. Quia propoſitum deſerendi occaſionẽ mediocriter intenſum (quale ſupponimus in concubinariis, qui non oſtendunt maxima ſigna mutationis vitæ, quorum præcipuum eſt realis fuga occaſionis, cùm fieri poteſt) non diſſipat periculum formale, vt ſatis oſtendimus: ergo ille dũ abſoluitur, non ſe ſubſtrahit à periculo proximo, ſed manet in illo.

Imprudenter agit, qui incurrens periculum mortis, non ſe ſubtrahit.
Vrget fortiùs in periculo peccandi.

Simile argumẽtum poteſt efformari circa eum, 133.
qui exiſtit in periculo proximo grauiſſimæ contumeliæ reſulturæ etiã in filios, & vxorem, qui imprudentiſſimè ageret, & contra conſcientiam, ſi cùm euadere poſſet, non euaderet. Item circa eum, qui à naufragio poſſet eripere totam ſubſtantiam ſuam ad filiorum alimẽtum neceſſariam, & non eriperet; qui ſine dubio & contra prudentiam, & contra conſcientiam ageret: ergo multò magis operatur contra prudentiam, & contra conſcientiam, qui cùm ſit in periculo amittendi honorem

Digitized by Google

honorem ſpiritualem, & incomparabiles theſauros gratiæ, & poſſit ſe ab eo eripere, non ſe eripit: ſed in prædicto caſu homo ille ita operatur, dum abſoluitur: ergo peccat mortaliter, dum abſoluitur: ergo inualidè abſoluitur.

134. Probatur quartò. Homo ex præcepto charitatis propriæ tenetur reddere ſe ſecurum, quantum moraliter poſſit, à peccato mortali, & ab amiſſione gratiæ Dei: ſed homo, qui dum abſoluitur, non expellit realiter concubinam cum poſſit, non reddit ſe ſecurum, quantum poteſt, ab amiſſione gratiæ, & à peccato mortali: ergo dum abſoluitur, non implet id præceptũ, atque adeò peccat mortaliter: ergo inualidè abſoluitur. Ambæ conſequentiæ patent. Et minor conſtat ex dictis; manet enim adhuc in periculo formali. Et maior etiam conſtat *ex cap. 6. num. 69.*

135. *Qui non euadit periculũ, cùm poteſt, nequit habere verum propoſitum non peccandi.*

Probatur quintò. Implicat contradictionem, quod homo, qui non expellit realiter occaſionem, cum poſſit, & ſolùm habet propoſitum modicè intenſum non luxuriãdi, & aduertit omnem ſuam obligationem; implicat, inquam, quod habeat propoſitum non peccandi requiſitum ad iuſtificationem: ſed deficiente propoſito requiſito ad iuſtificationem, inualidè abſoluitur: ergo concubinarius, qui non expellit realiter occaſionem, cum poſſit, & habet propoſitum modicè intenſum, & aduertit omnem ſuam obligationem, implicat, quod validè abſoluatur. Minor, & conſequentia manifeſtè conſtant.

136. Probatur maior. Homo, qui actualiter committit peccatum mortale, cum propoſito non peccandi in futuro tempore, implicat contradictionem, quod habeat pro tunc verũ propoſitum ſufficiens ad iuſtificationem; nam propoſitum requiſitũ ad iuſtificationem, vel includit voluntatem actualiter ſeparatam à peccato, vel ſaltem connectitur eſſentialiter cum illa. Tum ſic: Homo, qui non expellit realiter occaſionem, cum poſſit, & ſolum habet propoſitum modicè intenſum expellendi, & aduertit omnem ſuam obligationem, vtique peccat actualiter, quamvis cum propoſito non peccandi in futuro: ergo implicat, quod id ſit propoſitum ſufficiens ad iuſtificationem. Maior, & conſequentia conſtant.

137. Probatur minor. Etenim illi homini, dum abſoluitur, inſtat obligatio grauis vitandi periculum formale; quod vitare poteſt vno è duobus modis, vel expellẽdo occaſionem externam, quod eſt facilius; vel extenuando periculum formale per contritionem, & propoſitum extraordinarium (tam magnum, vt iudicio Confeſſarij ceſſet periculum formale.) Atqui neutro modo vitat periculum formale; non vitat expellendo occaſionem, vt ſupponitur; non eliciendo actus extraordinarios internos, qui ceſſare faciant periculum formale, vt etiam ſupponitur: ergo actualiter committit peccatum mortale, quamvis ſit cum propoſito non peccandi pro tempore futuro.

CAPVT X.

Soluuntur argumenta contra doctrinam capitis præcedentis.

138. OBiicies primo ex Ioanne Sancio. Qui habet conſuetudinem peierandi, blaſphemandi, ſe polluendi, poteſt abſolui, ſi habet propoſitum vincendi talem conſuetudinem, etiamſi aliàs ſit admonitus in confeſſionibus: ergo concubinarius, qui habet occaſionem proximam peccandi, poteſt abſolui, etiam ſi bis, vel ter ſit admonitus in confeſſionibus. Probatur conſequentia: quia ſicut quando concubinarius ter admonitus, non expulit fœminam, id ſumitur tanquam indicium falſi propoſiti; ita etiam quando conſuetus peierare ter admonitus in cõfeſſionibus, non ſe emendauit, eodem modo poteſt ſumi vt iudicium falſi propoſiti; & hoc non obſtante, abſoluendus eſt: ergo etiam concubinarius, eo non obſtante, erit abſoluendus.

Agnouit Ioannes Sancius duo diſcrimina inter concubinarium, & habẽtem conſuetudinem peierandi. 139. Primum, quod concubinarius afficitur habitu, & occaſione extrinſeca; conſuetus autem ſolùm habitu afficitur. Secundum, quod faciliùs expellitur occaſio externa, quàm habitus, qui difficillimè auellitur; ideoque qui ſolam habet conſuetudinem, non dat indicium falſi propoſiti, ſicut qui facilè potuit expellere occaſionem, & non expulit. Et cùm hæc diſcrimina agnouerit, mirandum eſt, quod pro ſua opinione de concubinario ter, vel quater abſoluendo, citauerit Authores, qui dicunt, habentem ſolam conſuetudinem peccandi poſſe abſolui, vt ſuprà notaui *num. 109.* Inde autem poſſet ſufficiens ſolutio argumento exhiberi, cùm ea ſit ſufficiens diſparitas vtriuſque.

Præcipua tamen ſolutio eius argumenti conſiſtit in eo, quod concubinarius dum abſoluitur, re- 140.

Diſcrimẽ inter occaſionẽ proximam, & conſuetudinem.

tinet occaſionem proximam, cum poſſit eam realiter abiicere; atque adeò dum abſoluitur, peccat mortaliter, quod reddit inutilem abſolutionem, vt conſtat ex dictis. Qui autem afficitur habitu vitioſo, non poteſt illum à ſe eradicare: ſufficit ergo, quod proponat firmiter, ſe pugnaturum contra eum, non peccando.

Obiicies ſecundò, inſtando ex noſtris principiis. Qui habet conſuetudinem peierandi, eſt in peri- 141.
culo formali peierandi: ergo tenetur ſaltem per actus internos, videlicet per deteſtationem peccati, & propoſitum valde intenſum, extenuare id periculum: ſed ad extenuandum id periculum non ſufficit propoſitum mediocriter intenſum, quale habent communiter homines, præcipuè qui confitentur ſemel in anno: ergo illi homines peccant, dum abſoluuntur, cùm teneantur eripere ſe ab eo periculo formali, modo quo poſſunt, ſcilicet per actus valde intenſos, & non ſe eripiunt.

Reſpondetur, id argumentum probare iuxta noſtra principia, quod homo affectus habitu vi- 142.

Qui habet conſuetudinem peierandi, tenetur fugere periculum intrinſecè.

tioſo tenetur facere quantum poſſit ad extenuandum periculum. Quod libenter concedo. Vnde Confeſſarius debebit ſpeciali cura, & meliori modo quo poſſit illum monere de periculo peccandi, & conſequenter de periculo ſalutis æternæ, in quo eſt; de arte deteſtandi peccatum, & proponendi firmiter, conando vt faciat, quantum poſſit, circa eos actus; vtendo etiam aliis artibus, quas proponemus capite ſequenti circa eum, qui exiſtit in occaſione extrinſeca ineuitabili, licèt in hac ſit multò maior obligatio. Et cùm faciat quantum poſſit pro extenuando periculo, non peccat, ſed rectè diſponitur. Longè alia ratio eſt in concubinario, qui cùm poſſit realiter expellere concubinam, non expellit: iſte enim non facit quantum poteſt, vt euidens eſt.

Obiicies tertiò ex eodem Sancio. Qui debet 143.
reſtituere

reſtituere rem alienā, poteſt bis abſolui, quamvis realiter non reſtituerit, vt docent Medina *in Sum. lib. 1. cap. 11.* & Corduba *in Sua. quæſt. 4. corollar.* 8 & alij: ergo qui habet occaſionem proximam concubinatus, etiamſi bis non ſteterit promiſſioni de expellendo concubinam, poterit abſolui. Probatur conſequentia. Quia eadem eſt ratio de vtroque. Et confirmari poteſt iuxta noſtra principia. Nam qui non reſtituit realiter ante confeſſionem, dum abſoluitur, retinet rem alienam: ergo dum abſoluitur, peccat: ergo inualidè abſoluitur.

144. *An fur teneatur reſtituere ſtatim.* Reſpondetur, implicari in hoc argumento aliam quæſtionem; [An ſcilicet fur teneatur reſtituere, nullâ etiam parua mora interpoſita, præcipuè cùm diuturnum tempus tranſiit?] Et ſi quidem tenetur, idem dicendum in vtroque caſu. Si enim tenetur ſtatim, non poterit aliam occupationem interſerere. Sed cùm non videatur cum tanto rigore obligare id, cenſent communiter Authores, etiam poſtquam habet propoſitum reſtituendi, poſſe aliquantulum differri, v.g. per vnum diem, quia illa parua retentio non eſt inuito domino. *Diſcrimē inter concubinarium, & furem.* Et hoc modo patet vtriuſque diſcrimen: aliud enim eſt occaſio proxima, quæ affert periculum certum, vel probabile labendi; circa quam peccat lethaliter, qui ab eo non euadit: quod periculum permanet, dum occaſio non expellitur realiter; atque adeò dum abſoluitur ille, qui non expulit. At qui retinet pecuniam, non peccat, quia differt per vnam diem ſolutionem, quia in vnius diei dilatione non cenſetur inuitus dominus, nec peccat ratione alicuius occaſionis extrinſecæ proximum periculum labendi afferentis.

145. Inſtabis. Etiam in eo, qui retinet rem alienam, eſt periculum non reſtituendi; & ipſa retentio poteſt dici occaſio extrinſeca alliciens hominem ad non reſtituendum: ergo qui retinet rem alienam dum abſoluitur, expoſitus eſt tunc periculo non reſtituendi: in quo caſu exponit ſeipſum tali periculo, cum poſſit realiter ab illo exire: ergo dum abſoluitur, ſe exponit periculo non reſtituendi: ergo dum abſoluitur, peccat: ergo inualidè abſoluitur.

146. *An retentio rei alienæ ſit occaſio proxima peccandi?* Reſpondetur, aliquem caſum admittendum eſſe, in quo verificetur, & concedatur totum, quod contendit inſtantia. Nempe ſi homo ille ſit auariſſimus, ita vt vehementi paſſione feratur, & habitu valde intenſo circa retentionem eius rei alienæ. Nam in illo caſu retentio rei alienæ ſummè prouocat hominem ad non reſtituendum ratione paſſionis, & habitûs: & eſt occaſio externa proxima labendi, ideóque debet reſtituere ante abſolutionem; quia dum abſoluitur, eſt in periculo proximo; & cum poſſit realiter tollere periculum, non tollit. Quando verò homines non ita acri paſſione, vel habitu feruntur in rem poſſeſſam, vt communiter fieri ſolet, ea retentio non eſt reputanda occaſio externa, ſaltem prima vice, qua confitetur fur, cùm deficiente paſſione vehementi, & habitu intenſo appetendi res alienas, ea non prouocet nimium ad ſui continuationem; ſicut prouocat concubinæ præſentia, ratione paſſionis, & habitûs. Id autem debet diligenter examinare prudens Confeſſarius.

147. *An quis poſſit ſe internè iuſtificare, antequam expellat concubinam?* Obiicies quartò. Concubinarius, antequam expellat concubinam, poteſt elicere domi ſuæ actum contritionis, & propoſitum abſtinendi à venere, & expellendi concubinam; quæ contritio poteſt eſſe propter Deum ſummè dilectum, atque adeò poteſt iuſtificari ante expulſionem concubinæ: ergo ſi eandem diſpoſitionem ad confeſſionem afferat, poterit ſimiliter iuſtificari in confeſſione; nam ad iuſtificationem in confeſſione non requiritur maior diſpoſitio, quàm ad iuſtificationem extra confeſſionem.

Sed ſi omnes circumſtantiæ attendantur, nihil de nouo affert iſta obiectio, cui ſatisfactum non ſit. Etenim vel ille motus diuinæ gratiæ ad eiuſmodi contritionem & propoſitum aduenit concubinario ea hora & occaſione, in qua non poteſt ſtatim expellere; vel aduenit in ea hora, & occaſione, in qua poteſt ſtatim. Item vel eſt in occupatione, quam poteſt omittere, vt faciat expulſionem; vel quam non poteſt moraliter omittere, vt ſtatim expellat. 148.

Si primo modo ſit, putà media nocte, quando nihil agere, nihil negotiari poteſt circa expulſionem concubinæ, tenetur vitare per actus internos contritionis, propoſiti, &c. periculum formale, quod affert illa parua mora; ſicut dicemus capite ſequenti de eo, qui nullo modo poteſt vitare occaſionem extrinſecam: non autem tenetur expellere media nocte concubinam, quia id eſt moraliter impoſſibile, niſi fortè circumſtantiæ tunc opportunæ oppoſitum ſuaderent. 149.

Si verò hora & circumſtantiæ tales ſunt, vt poſſit ſtatim expellere, & aliquantū temporis differt expulſionē ſicut illa dilatio affert periculū mutādi propoſiti, ita tenetur eiuſmodi periculum vitare, & talem dilationem rumpere. Quod ſi dilationē promouet, aduertens ad periculum, quod illa affert, quantumvis ſibi videatur habere magnā contritionem, & magnum propoſitum, non habet id, quod requiſitum eſt ad iuſtificationem. Aduertens periculum mutandi propoſitum, & non euadens illud, modo, quo poteſt, peccat mortaliter: & cùm peccato mortali actuali repugnat, quod componat diſpoſitionem neceſſariam ad iuſtificationem. At verò ſi ex parua illa dilatione non aduerteret ſibi inſtare periculum mutandi propoſiti; vel ſi tanquam certum crederet ex tam parua dilatione nullum ſibi reſilire periculum mutandi propoſiti; in eo caſu ſicut non peccaret promouendo eam paruam moram, ita poſſet ad veram contritionem, & verum propoſitum peruenire, qualia ſufficiunt ad iuſtificationem. 150.

Et idem poteſt contingere in confeſſione, in qua ſi differat contritionem ordinariam, & propoſitum mediocriter intenſum de eiicienda ſtatim poſt abſolutionem concubina, & tanquam certum ſibi perſuadeat, eam paruam moram non afferre ſibi periculum mutandi propoſiti; nec de tali periculo, aut obligatione vitandi illud moneatur à Confeſſario; tunc ob ignorantiam, vel defectum aduertentiæ non peccat actualiter, & poterit iuſtificari media confeſſione. At hoc non habet locum in Confeſſario, qui ex vna parte videns, non vitari periculum formale per actus internos pœnitentis, quia non ſunt nimis intenſi; ex alia verò, dilationem illam expellendi concubinam poſt abſolutionem, afferre periculum deflectendi à propoſito, & pœnitentem obligari grauiter ad euadendum è periculo, tenetur monere pœnitentem de periculo, & obligatione: & ſic pœnitens aduertens ad ſuam obligationem (ſi non euadit periculum per extraordinarios actus contritionis & propoſiti) tenetur non differre expulſionem 151.

poſt abſolutionem : &, ſi adhuc aduertens ad eiuſmodi periculum, & ad obligationem ſuam, non expellit, peccat mortaliter : quod ſi in hoc ſtatu abſoluitur, inualidè abſoluitur. Vide *numero* 233.

152. *Præceptum expellendi concubinam obligat pro ſemper, vt negatiuum.*

Et hoc totum nititur eo principio, quod præceptum expellendi occaſionem obligat, tanquam præceptum negatiuum non retinendi, ſemper, & pro ſemper. Vnde ſicut omni hora, & omni momento perſeuerat periculum habituale; ita omni hora, & omni momento inſtat id præceptum negatiuum non retinendi; ſicut præceptum reſtituendi, id eſt, non retinendi rem alienam. Et præceptum de non retinenda occaſione extrinſeca, fortiùs vrget pro ſemper, quàm præceptum non retinendi rem alienam; quia hoc ſecundum (ſecluſo periculó) habet interpretationem quoad paruam moram ex voluntate præſumpta creditoris; quod non datur in præcepto expellendi occaſionem, quando poteſt expelli.

CAPVT XI.

An poſſit abſolui concubinarius, quando neceſſitate vrgente cogitur occaſioni adeſſe, & ad quid teneatur?

153. PRo deciſione quæſtionis; relegenda eſt diuiſio periculi in voluntarium, & neceſſarium, propoſita *cap. 1. num.* 20. Inde enim conſtat, poſſe occaſionem extrinſecam eſſe neceſſariam, vel neceſſitate phyſica, vel morali, vel neceſſitate proueniente à præcepto, ſiue (quod idem eſt) neceſſitate Theologica.

154. *Qui non poteſt expellere concubinam, tenetur auertere periculū intrinſecè.*

Dico primò. Concubinarius, qui non poteſt tollere occaſionem extrinſecam, tenetur per actus ſuos proprios auertere periculum formale : quod ſi ita non auertat, peccat mortaliter. Conſtat hæc concluſio ex *cap.* 8. aſſertione quarta. Eam tradit P. Ægidius de Coninck *de Pœnitentia diſp.* 8. *num.* 134. cuius hæc ſunt verba. [Tali igitur primò iniungenda omnia media quæ poſſint eam ab eo peccato auertere, & firmiter præcipiendum vt caueat vnquam tali iuueni ſine neceſſitate loqui, præſertim in loco ſolitario : & vt quoties cum eo peccauerit, certam aliquam pœnitentiam ſubeat. Deinde vt & ante abſolutionem, & poſteà etiam ſæpius per diem coram Crucifixo proponat omnino tale peccatum vitare. Item vt frequentiùs, & eidem Sacerdoti confiteatur : & ſi promittat, omnia hæc ſe facturam, poterit ſemel, aut etiam ſecundo, ſi reincidat, abſolui.] Loquitur autem quando pœnitens ſine grauiſſimis incommodis non poteſt eiuſmodi occaſionem deſerere.

155. Itaque tenetur ad ponenda omnia media opportuna (ſaltem de conſilio Confeſſarij) ad auertendum periculum. Tenebitur ergo ad eliciendum, & confirmandum propoſitum ſæpiùs in die: proderit ſi fiat propoſitum coram Crucifixo, vt ait P. Ægidius, quia id magis hominem confirmat. Item ad poſtulandum à Deo auxilium enixè ſæpiùs in die, cum fiducia impetrandi, & ex vero deſiderio non peccandi; id enim eſt medium efficaciſſimum ad tollendum periculum. Tertiò tenebitur ad frequentiam confeſſionis, & ſuſceptionis Euchariſtiæ, vtpote medium efficaciſſimum ad fugam periculi. Item ſi adhuc non ſit euacuatum periculum, tenetur de conſilio Confeſſarij adiungere aliquam pœnitentiam ſibi congruam. Sed etiam ex parte Confeſſarij poteſt ex parte extenuari periculum labendi. Primò, ſi Confeſſarius, quamvis ſit abſoluturus, initio ſignificet, ſe nolle, vel non poſſe abſolutionem impendere. Experientia enim docuit, hoc medio multas peccandi occaſiones impediri; quia ſic pœnitentes deterrentur à vitiis. Secundò, ſi confeſſarius doceat pœnitentem in quanto periculo mortis æternæ verſantur, qui in occaſione peccandi vitam tranſigunt; cùm ſubita mors eos fortè maneat.

Et quidem quod teneatur in eo euentu ad auertendum per actus proprios periculum formale, patet ex prædicta aſſertione quarta. Quia qui non auertit periculum formale, cùm poſſit, ipſe voluntariè ſe exponit tali periculo: atqui mortaliter peccat, qui voluntariè ſe exponit periculo formali, vt patet ex dictis. Quod verò teneatur ad media exhibenda, etiam patet. Nam qui tenetur ad conſequutionem finis, tenetur ad electionem mediorum, cùm impoſſibilis ſit conſequutio finis ſine electione mediorum. Atqui ea, quæ retulimus, ſunt media, quæ Deus nobis reliquit, opportuniſſima ad auerſionem periculi, & non multùm difficilia ei, qui ex animo deſiderat fugam periculi : ergo ad illa tenetur. 156.

157. *Homo tenetur ſub mortali ad oratione, cùm ingruit tentatio grauis.*

Nec nouum videri debet, quod dicamus, eum hominem in tali caſu eſſe grauiter obligatum ad orationem, nempe ad poſtulandum enixè diuinum auxilium. Eſt enim communis ſententia Theologorum, teneri hominem ſub mortali ad eiuſmodi orationem, cum ingruit tentatio grauis, ſcilicet propter periculum peccandi, quod ſibi ab ea tentatione imminet. Audi P. Suar. *tom.* 2. *de Relig. tract.* 4. *lib.* 1. *cap.* 30. *num.* 17. [Quod ſi Deus permiſerit, hominem acri vexari grauiſſima tentatione, & ea ratione in periculo animæ ſuæ verſari, non eſt dubium, quin tunc teneatur homo peculiari obligatione ad orationem recurrere, vt omnes Authores docent; quia tunc maximè obligat charitas propria, atque etiam Dei. Et confidere tunc de ſua libertate, eſſet magna ſuperbia, & præſumptio : confidere autem de ſolo auxilio ordinario ſufficiente, eſſet ſtulta negligentia.] Et *num.* 18. [Addo inſuper in huiuſmodi occaſionibus, pro quibus hæc oritur obligatio, illam omittere, graue eſſe peccatum, non ſolùm contra virtutem, quam vexat tentatio, v.g. contra caſtitatem, ſed etiam ſpeciali modo contra charitatem.]

158. *Quantum teneatur confeſſarius inſtruere de vitando intrinſecè periculo*

Scio, totam materiam huius primæ concluſionis in praxi eſſe difficilem, propter maximam fragilitatem peccantium, eorumque ſummam rerum æternarum incuriam. Conetur tamen Confeſſarius, vt ipſi peccatores intelligant hanc eorum obligationem adhibendi media opportuna, & quod proponant ea executioni mandare, quamvis videat, eos id propoſitum non eſſe impleturos : quia ſaltem conſequetur, quod maiorem peccandi formidinem concipiant, quod aliquam partem eius obligationis impleant; quod implendo ex parte, vberiorem à Deo gratiam conſequentur. Quod ſi poſtea omiſerint, fortè ipſi non peccabunt mortaliter: tum defectu aduertentiæ, aut memoriæ, curis enim temporalibus præoccupati æternæ obliuiſcuntur : tum etiam quia nimia voluptatum indulgentia curam æternorum obruit.

Dico

159. *Ad expellendam occaſionem tenetur vincere incommoda, quæ non conſtituunt impoſſibilitatem.*

Dico ſecundò. Etiamſi ſint grauia incommoda in fugienda occaſione externa concubinatus, tenetur homo ſub mortali illam fugere; quando grauia in commoda non perueniunt ad impoſſibilitatem moralem. Quod intellige, quando per actus hominis proprios non extenuatur omninò periculum formale vſque ad prudentem ſecuritatem, qualem habet qui non prouocatur occaſione externa. Patet concluſio, ſi termini penetrentur. Etenim quamdiu non eſt ea impoſſibilitas moralis, homo abſolutè, & prudenter poteſt fugere occaſionem; aliunde autem non vitat homo, vt ſupponimus, per actus ſuos proprios periculum formale. Tum ſic: ille ſe voluntariè exponit periculo formali labendi in mortale, qui poteſt vitare eiuſmodi periculum, & non vitat: ſed in prædicto caſu abſolutè poteſt phyſicè & moraliter vitare periculum formale, & non vitat: ergo voluntariè ſe exponit periculo formali. Eum autem, qui voluntariè ſe exponit periculo formali peccandi mortaliter, peccati lethalis eſſe reum, conſtat ex dictis. Et in hoc caſu litteralis textus eſt *Matth.* 18. *Si autem manus tua, vel pes tuus ſcandalizat te, abſcinde eum, & proiice abs te.*

160. *Non tamen cùm incommoda pertingunt ad impoſſibilitatem moralem.*

Dico tertiò. Quando grauiſſima incommoda honoris, rei familiaris, & ſimilia reducunt hominem ad impoſſibilitatem moralem expellendi concubinam, non tenetur homo ad expulſionem eius. Et quidem quod teneatur ad vitandum periculum formale per actus proprios, conſtat ex prima concluſione. Hæc autem concluſio probatur. Quia non tenetur homo ad impoſſibile. Vnde ſi adhuc manet in periculo, peccat quidem grauiter; non quia non expulit occaſionem externam; ſed quia per actus proprios non extenuauit illud, vt dictum eſt. Et ſolùm excuſatur à peccato, ob defectum aduertentiæ ad hanc obligationem auertendi periculum formale per actus ſuos proprios internos, vel etiam externos.

161. *Quantum teneatur confeſſarius inſtruere &c.*

Dico quartò. Confeſſarius incidens in pœnitentem moraliter impotem expellendi concubinam, debet inſtruere eum de obligatione, quam habet extenuandi periculum per actus proprios propoſiti intenſi, implorationis diuini auxilij, &c. (de quibus concluſione prima) & inſpicere attentè, an faciat, quantum in ſe eſt, & an proponat firmiter proſequi omnia media, quæ diximus opportuna de conſilio ipſius confeſſarij. Et ſi quidem hanc viam reſolutorio animo incipiat, poterit abſoluere; ſecus, ſi eo animo non incipiat.

162. Et quidem poſſe hoc pacto abſolui pœnitentem, probatur; quia ſic non peccat actualiter pœnitens: non quia non reiicit concubinam, cùm non poſſit: non quia non extenuat periculum formale; ſupponimus enim facere quantum poteſt ex inſtructione confeſſarij, & aſſumere media, quæ re ipſa ſufficientia ſunt extenuare omninò periculum.

163. *Non eſt abſoluendus, qui non vult tollere periculum formale.*

Quod verò non ſit abſoluendus, ſi nolit hanc viam ſubire, & hæc media aſſumere, probatur. Conſtat enim ex concluſione prima, peccare grauiter, dum non vult extenuare periculum formale per media opportuna: ergo ſi, dum abſoluitur, non vult ea eligere; dum abſoluitur, peccat actualiter, atque adeò inualidè abſoluitur.

164. Inferes primò, filiumfamilias, vel filiam, qui, vel quæ habet intra domum occaſionem externam, quam nec ſuo iure, nec precibus poteſt expellere, non teneri fugere domum ſuam, licèt teneatur extenuare periculum formale, modo expoſito in prima concluſione. Et ratio eſt, quia talis filius, vel filia non poteſt fugere. *Filius non tenetur fugere domum Patris, vbi eſt occaſio.*

165. *An vrgeat paritas domus flagrantis, quam filius debet fugere?*

Contra hoc aſſertum ſic obiicit Ludouicus Lopez citatus. Filius, qui totam domum paternam flammis ardere conſpicit, ſecundum prudentiam, & ſecundum conſcientiam tenetur fugere periculum ignis; ergo qui conſpicit incendium ſpirituale animæ, tenetur fugere, cùm fortiùs vrgeat argumentatio in periculo animæ, quàm corporis.

166. Reſpondeo, ſi omnes vrbis domus, & omnes viæ arderent, & in domo parentis remaneret ſpes aquæ hauriendæ ad extinguendum ignem, non debere filium fugere domum paternam, quia intra eam minus, aut non maius eſſet periculum combuſtionis. Si filia egreditur domum paternam propter vnam occaſionem peccandi, quot occaſiones peccandi inueniet in reliquis domibus? Vel vnde ſcit, non multò plures & maiores extra domum propriam pullulaturas? Sed demus, filiam agnoſcere domum ſecuram à peccato. Vnde ſcit, quod dominus eius domus velit eam ibi ſuſtinere, & alere? Sed demus, quod is dominus velit: quanta iurgia, & ſcandala oriri poterunt, quia filius, vel filia extra domum paternam degit? Licèt ergo incendio ſpirituali ardeat domus paterna, non tenetur fugere, quia in aliis domibus exponitur maioribus incendiis. Præterea dum manet in domo paterna, eſt ſpes hauriendæ aquæ ad extinguendum incendium ſpirituale, id eſt, ſpes vitandi periculum formale per actus proprios.

167. *An quis teneatur expellere famulam concubinam?*

Inferes ſecundò, concubinarium, cui famula dat occaſionem peccandi, ſi illa, vel alia omninò neceſſaria ſit domui, ita vt ſit impoſſibile moraliter eſſe ſine aliqua, & certum ſit, illum non peccare ex ſpeciali affectu erga illam, ſed quamcumque famulam denuò aduenientem allaturam illi idem periculum, non teneri expellere iſtam. Ratio eſt, quia in illis circunſtantiis expulſio iſtius non confert periculum, cum ſupponamus, idem periculum aduenire cum altera. Dixi, *ſi certum ſit:* quia confeſſarius non debet facilè id credere; homines enim peccatis implicati in rebus animæ adeò ſtolidi ſunt, vt multas afferant excuſationes peccatis, multas obſtant difficultates, ne peccata deſerant.

168. *Non tenentur deſerere munera, vbi ſunt occaſiones remotæ.*

Inferes tertiò, non teneri homines deſerere munera, ſeu officia ſua, in quibus ſunt occaſiones peccandi, v. g. ſcribas, cuſtodes, mercatores, ſatellites, milites, &c. tenentur tamen vitare per actus ſuos proprios periculum formale peccandi. Secunda pars conſtat ex dictis. Prima verò ex ſecunda colligitur; quia licèt eæ occaſiones afferant periculum peccandi, cùm non multùm vrgeant ad periculum, & aliunde, non difficilè poſſint vitare periculum per actus proprios, non tenentur vitare officia, quæ tales occaſiones pariunt. *Sed debent vitare intrinſecè periculum formale.*

169. *Teneris deſerere munus, in quo eſt occaſio proxima, ſi eſt poſſibile moraliter.*

Si tamen officium afferat aliquam occaſionem proximam circa materiam, in qua ſit vehemens paſſio, habitus vitioſus valdè intenſus, vel magnæ, & vrgentes tentationes, conſiderandum eſt, an detur impoſſibilitas moralis deſerendi officium. Si enim talis impoſſibilitas datur (quia alliàs ipſe, & filij fame perihunt, aut ob ſimiles cauſas) non tenebitur deſerere officium, ſed ar-

denti animo conari ad tollendum per actus proprios periculum formale, modo dicto in tertia concluſione. Si verò non detur impoſſibilitas moralis in deſerendo officium, quia poteſt aliud ſecurius aſſumere, tenebitur ad id. Ratio eſt, quia vbi non eſt impoſſibilitas moralis, abſolutè poteſt occaſionem tollere: qui autem poteſt tollere, & non tollit, ipſe voluntariè ei ſe exponit. Quod limita, niſi confeſſarius, antecedenter ad expulſionem officij, videat in eo Officiali extraordinariam mutationem, per quam ceſſet periculum formale.

170. *An iuuenes debeant deſerere officia, quia cogunt, vt verſentur inter fœminas?*

Inferes quartò, idem dicendum eſſe de iuuenibus, qui ratione ſuorum officiorum inter fœminas frequenter conuerſantur, qui regulariter non tenentur officia deſerere. Qui inſtruendi ſunt à confeſſario, quomodo vitare debeant occaſiones perículoſiores, ita vt nullus ſolus cum ſola, & in loco occulto conuerſetur; & quomodo in quavis occaſione debeant vitare periculum formale, iuxta dicta aſſertione tertia. Ratio autem, quare regulariter non teneantur deſerere officia, eſt quia regulariter ea officia non afferunt occaſiones proximas, nec nimis vrgentes; quæ quidem non difficilè ſuperari poſſunt per actus proprios. Si tamen aliquod eorum officiorum afferret occaſionem proximam, vel valde vrgentem, & non eſſet moraliter impoſſibile deſerere officium, teneretur ille ſub mortali officium deſerere, eadem ratione, qua in præcedente concluſione diximus in ſimili.

Tenentur vitare periculū formale.

CAPVT XII.

Aſſertiones aliæ Ioannis Sancij ad examen vocantur.

171. *An causâ recuperandi 100. aureos poſſit non expellere concubinam?*

PRæfatus Author ea *diſp.* 10. *num.* 20. aſſerit, [Negandam non eſſe abſolutionem ei, qui ſuæ concubinæ, quam domi habet, mutuo dedit centum aureos, quorum recuperandorum ſpes nulla ſupererit, ſi domo illam eiiciat. Vel è contra, ſi fœmina non recuperatura eſſet centum ſibi debita, domum concubinatij deſereret. Dictum eſt enim ſuprà, quod nullus teneatur occaſionem proximam vitare cum magno ſuo detrimento. Nec tunc dicetur velle occaſionem, ſed permittere; cùm non abigere occaſionem, non oriatur, quia velit pœnitens in illa permanere; ſed quia velit non incurrere damnum, quod abiecta occaſione obueniret.] Hucuſque verba Sancij.

172. *An quia concubina ſit vtilis ad lucrandum, poſſit non expelli?*

Deinde *eodem num.* 20. (in impreſſione Lugdunenſi, apud Dianam *part.* 5. *tract.* 14. *reſol.* 108.) addit: [Vnde non tenebitur domo eiicere concubinam, ſi concubinaria ſit nimis vtilis ad lucrandum bona temporalia media negotiatione.] In cuius confirmationem affert exemplum fabri ferrarij, qui non tenetur omittere laborē ob ieiunium ſeruandum; & mercatoris, qui non tenetur amittere nundinas propter Miſſam audiendam in die feſto. Ita enim mercator non tenebitur amittere lucrum ex negotiatione concubinæ proueniens, propter expellendam occaſionem.

173. *An quia illa ſit vtilis ad oblectamentum concubinarij, poſſit non expelli?*

Tertiò aſſerit ibidem (apud eundem Dianam citatum) in hæc verba. [Imò & ſi concubina nimis vtilis eſſet ad oblectamentum concubinarij (vulgò *regalo*) dum deficiente illo nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula ad id nimis difficilè adinueniretur, eiicere illam non erit concubinarius obligandus: quia oblectamentum dictis circumſtantiis conſideratum, eſt maioris æſtimationis, quàm quodcumque bonum temporale.]

Hæ tres aſſertiones Sancij peſſimè audiunt apud Authores. De hac tertia Thomas Hurtado *tract.* 1. *cap.* 5. *reſol.* 11. *à num.* 88. & Martinez de Prado *tom.* 1. *Præcipuarum* 99. *cap.* 15. *quæſt.* 15. §. 5. *num.* 28. (apud Murciam *lib.* 2. *diſquiſ. diſp.* 1. *reſol.* 12. *num.* 1.) vocant *ſcandaloſam*, *improbabilem*, *& indignam viro catholico.* 174.

Hæ tres aſſertiones Sancij malè audiunt apud Theologos.

Th Hurt. Prado.

P. Arriaga *tom.* 8. *diſp.* 38. *num.* 35. ſic ait de illis tribus aſſertionibus Sancij: [In hoc puncto dico, eos caſus meo iudicio eſſe *improbabiles.* Et ſanè ita mihi videntur aliqui Authores prurire hominum auribus, his opinionibus *adeò periculoſis, & laxis*, vt planè illos inducant in damnationis æternæ certiſſimum periculum, imò vt re ipſa damnentur. Simplex aliquis fretus ea opinione, quod melius ſibi ſapiant cibi à concubina præparati, dicet, Ego non pecco eam retinendo, quia vtor opinione grauis Authoris; & conſequenter quia iudicat, ſe non teneri, non vult eam eiicere: dum autem eam non eiicit, inceſſanter peccat. Rogo, liberabitúrne ab his ſecundis, grauibuſque peccatis per hoc, quod dicat, ſe non peccare retinendo ancillam? Quod ſi non liberatur; ergo vt gratiam facias ei in vno puncto centum aureorum, aut ſapidiorum ciborum, reddis illum tota vita grauiſſimè peccantem.] Hucuſque P. Arriaga. 175.

Arriaga.

Antonius Diana *loco citato*, accedens ad hos tres caſus, non reſoluit circa cenſuram illorum, ſed dubitat, an ſint probabiles. Inquit enim: [An hæc ſint probabilia, aliis iudicandum relinquo. Quilibet enim tenetur ſaluti propriæ ſpirituali conſulere, etiam cum aliquo temporali, & corporali detrimento.] Et nota, eum, qui dubitat de probabilitate practica opinionis, perinde facere, atque ſi aſſerat non eſſe probabile facere. Nam qui dubitat de probabilitate practica opinionis, eſt dubius practicè, vt notauit P. Thomas Sanchez *lib.* 1. *ſum. cap* 9. *num.* 18. & qui practicè dubius eſt de opinione, non poteſt eam ad praxim deducere. Vnde qui dicit, ſe dubium eſſe de practica probabilitate, dicit iuxta conſcientiam ſuam non poſſe illam opinionem ad praxim deducere, neque conſulere. Id autem quid eſt, niſi dicere, eam non eſſe practicè probabilem. 176.

Diana dubitat de probabilitate harum trium aſſertionum.

Qui dubitat de probabilitate, eſt dubius practicè.

Et virtualiter cenſet, opinionem non eſſe probabilem.

Primum caſum, & in eo reſolutionem Sancij relatam de centum aureis, tanquam probabiliorem admittit Leander à SS. Sacramento *tract.* 5. *de Pœnit. diſp.* 7. *quæſt.* 39. Probat. [Quia nemo tenetur vitare occaſionem proximam cum magno ſuo detrimento, etiam temporali.] Sed dolendum eſt, quod duos Authores graues citet, qui nihil tale affirmarunt; ſcilicet Bonacinam *de matrim. quæſt.* 4. *punct.* 14. & Cardinalem Lugo *de Pœnit. diſp.* 14. *num.* 151. 177.

Bonacina, & Lugo malè citati à Leandro.

Et quidem Bonacina nihil habet in eo loco, quod aliqua ratione congruat cum reſolutione prædicti caſus, niſi hæc verba: [Fieri poteſt, vt confeſſarius aliquando poſſit abſoluere concubinarium; vt quando non poteſt dimitti concubina ſine graui infamia, vel ſcandalo, vel alio graui incommodo: poteſt enim tantum incommodum, & tanta difficultas adeſſe in occaſione relinquenda, 178.

Digitized by Google

relinquenda, vt efficiat occaſionem non voluntariam; ita vt non dicatur occaſio proxima, iuxta ſecundam conditionem allatam in notabili. Verum tamen eſt, opus eſſe magna prudentia in confeſſario, ne abſolutionem impendat indigno.] Quod ſi interroges a Bonacina, quid ſit occaſionem eſſe inuoluntariam? reſpondet *num.* 11. *§. ſecundum.* [Cenſetur autem non eſſe voluntaria, quando *moraliter vitari non poteſt*, aut quando *grauis cauſa vrget* ad exponendum ſe tali periculo.] Vbi attentè nota eos terminos, *moraliter vitari non poteſt*, & *grauis cauſa vrgens.* Vbi ſunt centum aurei apud Bonacinam? Solùm ergo eum citat prædictus Leander, quia centum aurei ſibi videntur tam magna quantitas, vt in amiſſione illorum ſit *tantum incommodum, & tanta difficultas*, vt propterea *moraliter vitari non poſſit* occaſio, vel ſit *grauis cauſa vrgens* ad non vitandam occaſionem. Eandem doctrinam generalem, quam Bonacina, tradit Cardinalis Lugo: & ideò ambo Authores æquali iniuria citantur à Leandro. Et quidem ſi homo ille diues ſit, & ſolitus inter paraſitos & colludentes maiora prodigere, ridiculum eſſet, eum, qui centum aureos ad inutilia prodigit, non debere euadere periculum animæ propter id lucrum, quod alias ſæpe in talibus prodigit.

179. *An à leone non ſit fugiendum propter centum aureos?* Sancium, & Leandrum impugno. Et ſuppono, apud ipſos Authores, concubinarium, & fœminam manere in eodem periculo formali, ac antea. Et ab illis inquiro primò, vtrum liceat occurrere leoni ſæuienti, propter centum aureos promiſſos; vel, an cum periculo amittendi centum aureos tenearis fugere periculum proximum mortis à leone impendens? Reſpondebis, fugiendum periculum proximum mortis, etiamſi amittantur centies centum. Et inquiro ſecundò, an ſit maior obligatio fugiendi periculum proximum mortis, quam periculum mortalis peccati? Ego enim maiorem obligationem inuenio fugiendi periculum proximum labendi in peccatum mortale, quàm periculum proximum labendi in mortem, quantò peius, & infelicius eſt incidere in mortem ſpiritualem peccati, quàm in mortem corporalem, vt fides catholica nos docet. Et iterum moneo apud prædictos Authores perſiſtere idem periculum formale. Et ſub hac ſuppoſitione diſparitatem poſtulo: ſed tamen non ſpero, me toto vitæ meæ tempore intellecturum. Cuius paritatis efficacia conſtabit amplius *à numero* 184.

An ſit maior obligatio fugiendi leonẽ, quàm culpam mortalem.

180. Impugno ſecundò. In eo primo caſu, in quo concubinarius non deſerit periculum peccandi, ne amittat centum aureos, concubinarius [non dicitur velle occaſionem, ſed permittere; cum non abigere occaſionem, non oriatur, quia velit pœnitens in illa permanere, ſed quia velit non incurrere damnum, quod abiecta occaſione obueniret:] quæ ſunt verba Ioannis Sancij relata *num.* 171. Ergo ſimiliter qui propter centum aureos promiſſos non fugeret leonem ſæuientem, & proximum mortis periculum, non diceretur velle periculum mortis, ſed permittere; quia ſi non fugit ſæuitiam leonis, non eſt, quia velit periculum mortis ſibi imminere à leone; ſed quia non vult incurrere damnum per amiſſionem centum aureorum. Tum ſic. Quod voluntas ſit ſolùm permiſſiua periculi proximi mortis, non excuſat hominem ab imprudentia, & à peccato lethali: ergo quod voluntas ſit ſolùm permiſſiua periculi peccandi, non excuſat hominem à peccato lethali.

Impugno tertiò. Quando teneris fugere, non licet voluntas permiſſiua: ſed periculum formale proximum peccandi ſemper teneris fugere, vt conſtat ex dictis, præcipuè *cap.* 4. ergo nunquam licet voluntas permiſſiua talis periculi. Itaque aliud eſt permittere occaſionem, amputando periculum, & aliud eſt permittere occaſionem & periculum; prius enim licet, non ſecundum, vt infrà vberiùs conſtabit. 181.

Dicendum ergo eſt in eo primo caſu, ſi ita diſponatur, vt reducat creditorem ad impoſſibilitatem moralem, vt ſi per illos centum aureos liberandus eſſet à damnatione mortis, vel ſi illis amiſſis fame, & inopia ferè conſumendus erat, aut alio ſimili modo; poſſet vtique retinere occaſionem; ſed vt in ſimilibus ſæpe diximus, teneretur extenuare omninò per actus proprios periculum formale. 182.

Si amiſſio centum aureorum faciat impoſſibilitatem moralem, non teneris expellere occaſionem.

Si verò per illos centum aureos recuperandos non reducatur creditor ad impoſſibilatem moralem expellendi fœminam, debito non obſtante tenetur expellere. Ratio eſt eadem, quam ſuprà dedimus: nam vbi non eſt impoſſibilitas moralis expellendi, vtique poteſt moraliter expellere: vbi autem expellere poteſt, & non expellit, occaſio non eſt neceſſaria, ſed voluntaria. 183.

Oppones primò. Etiamſi illi centum aurei ita neceſſarij eſſent creditori, vt illis amiſſis inopiâ conſumendus eſſet, non liceret exponere ſe leoni ſæuienti propter illos adquirendos: ergo vel exemplum leonis, & periculi mortis nihil probat; vel dicendum eſt, non licere retinere concubinam, etiamſi à centum aureis dependeant omnino alimenta ad vitam creditoris præſcisè neceſſaria. 184.

Reſpondeo, iuxta noſtram doctrinam, exemplum leonis, aut mortis impendentis nullam vim habere; iuxta doctrinam verò Sancij, & aliorum, vim maximam. Suppoſui enim, & ita eſt, in ſententia Sancij in eo caſu manere periculum formale proximum peccandi. In noſtra autem doctrina, ſi creditor retineat periculum formale peccandi, peccat mortaliter; debet enim illud fugere per actus internos, ſi non poteſt vitare occaſionem externam. Itaque propter centum aureos, etiam in caſu grauiſſimæ indigentiæ illorum, non licet homini exponere ſe leoni ſæuienti, aut ſimili mortis periculo proximo. Et ſimiliter propter centum aureos in ſimili indigentia non licet homini exponere ſe periculo formali peccandi; bene tamen occaſioni externæ, cum obligatione tamen, & ſeueriſſimo decreto fugiendi periculum formale per actus internos. In quo caſu ſi adhuc perſiſteret periculum formale peccandi, peccaret concubinarius, non in retentione fœminæ; cùm ſupponamus, expulſionem eſſe moraliter impoſſibilem; ſed in non fugiendo periculum formale per actus internos, cùm illud ita fugere, ſit in poteſtate ſua. 185.

Exemplum leonis vrget aduerſarios, non nos.

Rem ampliùs explico. Da, occurrente leone, tibi eſſe duplex medium euadendi periculum. Primum, fugam externam; ſecundum, oſtendere leoni gallum gallinaceum, quem tecum portas, & quem leo timere, & fugere dicitur (fabula ſit, an experientia, quid obeſt diſcurſui?) In hoc caſu non teneris fugere leonem (præcipuè ſi fuga ſit ſummè difficilis) ſi ſatis eſt gallum obiicere. 186.

Solutio explicatur exemplo.

Digitized by Google

obiicere. Cùm ergo concubinarius duo media habeat ad vitandum periculum formale, nempe fugam occaſionis externæ, & vſum mediorum ſalutarium per actus proprios, quando fuga occaſionis externæ eſt moraliter impoſſibilis, non tenetur ad illam; quia periculum formale poteſt vitare per vſum mediorum ſalutarium.

187. Opponesſecundò. Homo tenetur vincere impoſſibilitatem moralem (quæ phyſicè poſſibilis eſt) ad euadendum periculum mortis, à leone, vel ab alia cauſa impendentis; & tamen non tenetur vincere impoſſibilitatem moralem ad fugiendam occaſionem peccati; cùm dixerimus, in impoſſibilitate morali non teneri hominem dimittere talem occaſionem: ergo magna eſt diſparitas in vtroque.

188. *An tenearis vincere impoſſibilitatem moralem pro vitanda occaſione.* Reſpondetur ex dictis, magnam eſſe diſparitatem in obligatione vitandi occaſionem peccati comparata cum obligatione vitandi periculum mortis; nullam tamen eſſe diſparitatem in obligatione vitandi periculum formale peccandi, comparata cum obligatione vitandi periculum mortis; quia cùm dicimus, in impoſſibilitate morali non eſſe obligationem vitandi occaſionem externam, ſupponimus, ſupereſſe aliud medium vitandi periculum formale, nempe per actus proprios. At periculum mortis vitare tenemur (dato, & non conceſſo; nam in aliquibus circumſtantiis impoſſibilitatis moralis non tenemur vitare periculum mortis) quia non ſupereſt aliud medium vitandi tale periculum. Vnde diſtinguo maiorem: Homo tenetur vincere impoſſibilitatem moralem ad euadendum periculum mortis, [ſuppoſito, quod non ſit aliud medium,] omitto; [ſi aliud medium ſuperſit euadendi periculum,] nego. Minorem etiam diſtinguo: non tenetur vincere impoſſibilitatem moralem ad fugiendam occaſionem peccati [eo quod ſupereſt aliud medium ad vitandum periculum formale,] concedo; [aliàs,] nego.

189. Inſtabis. In concubinario datur vehementia paſſionis, habitus vitioſus valde intenſus, & vrgentes tentationes; & ad hos omnes hoſtes vincendos habet impoſſibilitatem moralem: ergo ſi propter impoſſibilitatem moralem eiiciendi concubinam, abſoluitur ab obligatione eiiciendi illam; etiam propter impoſſibilitatem moralem vincendi paſſionem, habitum, & tentationes, liberabitur etiam ab obligatione vincendi illa, atque adeò ab obligatione fugiendi periculum formale.

190. *Non eſt impoſſibilitas moralis ad vitandum periculum formale.* Reſpondetur; conceſſa maiori, diſtinguendo minorem: ad vincendos eos hoſtes habet impoſſibilitatem moralem, [ſi ſe exerceat frequenter in actibus propoſiti deteſtationis peccati, implorationis auxilij diuini, & in frequentia accedendi ad Sacramenta,] nego; habet impoſſibilitatem moralem, [dum non ſe exercet in illis,] omitto. Itaque abſolutè non eſt moraliter impoſſibile concubinario vincere eos hoſtes, quia non eſt moraliter impoſſibile adhibere media, quibus vincuntur: quamvis eſſet moraliter impoſſibile, mediis non adhibitis, eos vincere.

191. Inſiſtes. Ergo concubinarius, qui poteſt expellere concubinam, non tenebitur expellere, ſed poterit per actus proprios vitare periculum formale.

192. Reſpondetur diſtinguendo conſequens: concubinarius, qui poteſt expellere concubinam, non tenetur expellere, [ſi per actus internos vitet, ſiue faciat ceſſare periculum formale,] concedo; [ſi reipſa non faciat illud ceſſare,] nego. Omnes enim Authores conueniunt in eo, quod ſi tanta ſit contritio, tam vehemens & tam reſolutorium propoſitum, &c. vt iudicio prudentis homo maneat ſecurus à lapſu, non tenetur concubinam expellere. Quia tamen experientiâ didicimus, homines vitiis implicatos vix habere propoſitum tenuiter intenſum, quod nullatenus extenuat periculum formale labendi; ideò dicimus, expellendam fœminam, cùm concubinarius poteſt moraliter expellere. *Non tenetur expellere concubinam, qui intrinſecè euadit periculum formale.*

Inſiſtes vlteriùs. In impoſſibilitate morali vitandi occaſionem, adhuc iudicio confeſſarij remanet periculum formale, quia certum putatur, eum concubinarium non adhibiturum eſſe media ſpiritualia ad illud ab intrinſeco fugiendum: quoties autem remanet periculum formale mortis ſpiritualis, remanet obligatio vincendi impoſſibilitatem moralem, cùm hæc eadem obligatio maneat ad euadendum periculum mortis temporalis; vel non eſt paritas in vtroque: ergo. 193.

Reſpondetur. Cùm adſunt duo media ad conſequendum finem obligatorium, alterum moraliter impoſſibile, & alterum moraliter poſſibile; non dicimus, hominem teneri ad moraliter impoſſibile; cùm poſſit ponere id, quod eſt moraliter poſſibile. Item ex ſuppoſitione, quod nolit ponere medium moraliter poſſibile, non dicimus, eum teneri ad medium moraliter impoſſibile; quia etſi nolit illud ponere; tamen poteſt, cùm alterum ponere abſolutè non poſſit. Et ita quamvis in illo caſu verè remaneat in periculo formali, non tenetur vincere impoſſibilitatem moralem: quia ſtante ea impoſſibilitate morali, poteſt fugere periculum per actus internos. 194. *Quamvis nolis tollere intrinſecè periculum, non tenetur vincere impoſſibilitatem moralem.*

Aliud eſt, cùm fuga occaſionis externæ eſt moraliter poſſibilis: tunc enim abſolutè facilius eſt vitare periculum formale peccandi per fugam occaſionis externæ, quàm per actus internos. Quare cùm iudicetur iſte concubinarius non fugiturus eſſe periculum formale peccandi per media intrinſeca; & alioqui ſit poſſibile moraliter (imò & facilius) vitare periculum formale per fugam occaſionis externæ, vtique manet in illo obligatio fugiendi occaſionem externam. 195.

Deueniendo autem ad ſecundum caſum Ioannis Sancij, initio capitis propoſitum, dico, illum ſimiliter reſoluendum eſſe. Nam ſi negotiatio concubinæ tam præciſè neceſſaria ſit viro, vt reducat illum ad impoſſibilitatem moralem expellendi, non tenebitur expellere; quia ſic inuitus patietur occaſionem: tenebitur tamen per actus proprios vitare periculum formale. Si verò non reducat illum ad impoſſibilitatem moralem, vt poteſt expellere, ita debet; quia dum poteſt expellere, non facit quantum poteſt, nec patitur inuitus occaſionem. 196. *Si negotiatio concubinæ non afferat impoſſibilitatem, tenetur expellere.*

Exempla autem, quæ affert Sancius, non ſunt ad rem. Etenim mercator non tenetur deſerere nundinas propter audiendam Miſſam; tenetur tamen deſerere nundinas, ne incidat in leonem ſæuientem, & in periculum proximum mortis: & ſimiliter tenetur deſerere nundinas, ne incidat in periculum proximum peccati mortalis. Et ratio eſt, quia auditio Miſſæ non obligat cum damno deſerendi nundinas, ex benigna interpretatione, quam facimus, intentionis legiſlatoris: fuga autem occaſionis externæ obligat cum damno 197. *Mercator tenetur deſerere nundinas propter periculum peccandi, non propter Miſſam.* Diſparitas.

damno temporali, niſi ſit talis, quod reducat hominem ad impoſſibilitatem moralem, propter ſuprà dicta.

198. Tertia aſſertio Sancij. Et quod attinet ad tertium caſum, de non eiicienda concubina propter commodum conditmentum ciborum concubinarij, ille reiiciendus eſt tanquam improbabilis, vt reiiciunt Authores initio capitis relati: quam propoſitionem eſſe certò falſam, ſatis demonſtrant argumenta decurſu totius diſputationis inſtructa.

199. Damnatur vt ſcandaloſa ab Alex. VII. Nouiſſimè poſt hæc ſcripta prodiit decretum Sanctiſſimi P. Alexandri VII. in quo damnat tanquam ſcandaloſam tertiam propoſitionem Ioannis Sancij relatam ſuprà *num.* 175. Eſtque quadrageſimaprima ex propoſitionibus ab Alexandro damnatis, vt conſtat *ex diſp. 9. cap.* 10. *art.* 1. Quam ideò eſſe improbabilem, & certò falſam, conſtat ex ibidem dictis *art.* 8. & 9.

200. *An ſi millies promiſit expellere, propter ſuſpiria ſit abſoluendus?* Multa alia ſunt *in ea diſp.* 10. Sancij, quæ ex præiactis manifeſtè refelluntur, quæ propterea non exprimo. Vnum tamen non omittam, quod tradit *num.* 8. (apud Dianam *part.* 5. *tract.* 14. *reſolut.* 107.) Quod ſi [indicia doloris, & propoſiti... extraordinaria inueniantur, putà lacrymarum copia, ſuſpiria ingentia, &, vt dici ſolet, cælum attingentia, & proponat quamprimùm tempus patiatur, concubinam à domo ſua expellere, abſoluendus erit, etſi millies id promiſiſſet; quia indicia præſentia ſuperant præterita, coguntque confeſſarium, ficititia non eſſe, credere.]

201. *Nihil proſunt ſuſpiria, dum perſiſtit periculum, & potentia expellendi.* Id ex dictis apertè refellitur. Etenim tunc non eſt abſoluendus, quando iudicio prudentis non ceſſauit periculum, & poteſt concubinarius elongare à ſe occaſionem: atqui in eo caſu, quamvis prima vice, conſpecta colluuie lachrymarum, & gemituum, poſſet prudenter ſibi perſuadere confeſſarius, ibi adeſſe magnam mutationem vitæ, & morum, atque adeò ceſſaſſe periculum; at ſi ſæpius contigerit poſt colluuiem lachrymarum non expuliſſe occaſionem, clarè deprehenditur, colluuie lachrymarum non minui periculum: ergo ſi id ſæpe contingit, non eſt abſoluendus. Probatur minor. Etenim primum principium eſt in hac materia, quod ab experientia lapſuum agnoſcitur periculum: atqui experientia continua eſt, quod ille ſemper manſit in occaſione poſt multas promiſſiones colluuie lachrymarum confirmatas: ergo manet periculum certum non expellendi etiam hac vice.

202. Confirmatur ad hominem. Ideò poſt quatuor abſolutiones concubinarij, qui non affert extraordinarium dolorem, aut propoſitum, neque colluuiem lachrymarum, ait Sancius, illum abſoluendum non eſſe, quia nemo non videt, [potentem facilè eiicere concubinam, antequam ad confitendum accederet, & non eiicientem, periculo manifeſto ſe exponere, poſt factam confeſſionem, non expellendi... Quid enim eſt periculo efficiendi aliquid ſe exponere, niſi illud attentare, in quo ſæpe quis cecidit?] quæ ſunt verba Sancij. Sed qui millies cum colluuie lachrymarum defecit, & denuò promittit, attentat id, in quo millies defecit: ergo ſe exponit manifeſto periculo deficiendi. Et quidem colluuies lachrymarum & gemituum, quæ nihil conſtantiæ dedit, manifeſtè deprehenditur à temeritudine cordis proficiſci potiùs, quàm à vehementi deteſtatione peccati; quod præcipuè tenet in fœminis, quæ ex genio ſuo ſummam habent lachrymarum facilitatem.

CAPVT XIII.

Quid dicendum, quando impoſſibilitas expellendi occaſionem eſt Theologica, id eſt, proueniens à præcepto?

MVlti caſus excogitari poſſunt, in quibus poteſt habere locum titulus quæſtionis. 203.
Nam caſu quo pater obſcœnis tactibus tractet filiam frequenter, quam domi retinet, impoſſibilitas expellendi eam procedere videtur ab obligatione naturali alendi filiam, ſi extra domum ſuam alere non poteſt. Caſu quo chirurgus ex curatione fœminæ experiatur pollutiones voluntarias, & fœmina periclitetur de vita, & non ſit alius, qui ei medeatur; impoſſibilitas fugiendi occaſionem oriri videtur ex iure naturali obligante ad ſuccurrendum fœminæ in extrema neceſſitate. Et ſic in multis aliis.

Dico primò, nullum præceptum obligat cum 204. *Nullum præceptum obligat cum periculo formali peccandi.*
periculo formali labendi in peccatum mortale, ſiue non obligat ad hoc, quod ſe exponat ei periculo formali. Probatur. Nullum præceptum obligat, vt homo illud impleat, labendo in aliud peccatum mortale: ſed qui ſe exponit periculo formali labendi in peccatum mortale, committit peccatum mortale: ergo nullum præceptum obligat, vt quis ſe exponat periculo formali labendi in peccatum mortale. Maior eſt euidens, minor conſtat ex dictis, præcipuè *cap.* 6. & conſtabit adhuc exemplis ſubiiciendis. Et conſequentia vi Logicæ eſt ineuitabilis.

Dico ſecundò. Cùm præceptum obligat ad ali- 205. *Tenetur ad opus, in quo eſt occaſio, & ad vitandum periculum formale.*
quod opus, in quo eſt occaſio proxima peccandi, homo tenetur ad vtrumque, nempe ad illud opus, & ad vitandum periculum formale. V.g. in eo caſu chirurgi, tenetur ſuccurrere fœminæ extrema neceſſitate laboranti; & tenetur vitare periculum formale labendi. Probatur. Tunc concurrunt duo præcepta; alterum opitulandi proximo in extrema neceſſitate; alterum vitandi periculum formale peccandi mortaliter: ſed poteſt implere vtrumque præceptum: ergo tenetur ad vtrumque. Probatur minor; poteſt enim per actus internos ſupra memoratos *cap.* 11. *concluſ.* 1. extenuare omninò periculum, & poteſt ita fœminæ mederi. In quo caſu ſi medeatur cum periculo lapſus, non peccat, quia adiit occaſionem; ſed quia non vitauit periculum formale per actus internos, vt potuit.

Inferes primò, quid dicendum ſit in ea quæ- 206. *Nemo tenetur conuertere infideles cum periculo ſubuerſionis propria.*
ſtione, an poſſit quis cum periculo ſubuerſionis, vel alterius peccati grauis accedere ad conuertendos infideles? Nam ſi præcepto charitatis obſtringeretur ad id, teneretur ad prædicandum illis, & ad fugiendum periculum formale per actus internos, modo dicto. Quod ſi periculum procederet ex ignorantia eorum, quæ requiruntur ad prædicationem Euangelij; nec teneretur ad prædicandum infidelibus, nec licitè poſſet eam prouinciam aſſumere. At verò ſi non obſtringeretur ad id lege charitatis, & accedere vellet ad eos conuertendos, præditus ſcientia ſufficienti; teneretur per actus internos vitare id periculum peruerſionis; quod ſi nollet per actus proprios vitare periculum formale, nullo modo liceret ei accedere ad eos conuertendos. Quod idem de

accedente

Digitized by Google

accedente ad conuertendas meretrices, dicendum eſt.

207. Et ita intelligendi ſunt Authores, qui abſolutè docent, poſſe concionatorem accedere ad conuerſionem infidelium cum periculo peruerſionis, vel peccandi; loquuntur enim non de periculo formali, ſed de occaſione externa, diſponente ſe homine per actus internos, quantum requiritur ad vitandum periculum formale. Præſertim cùm nullus Author dixerit, licere cum periculo proximo ſubuerſionis: quando autem periculum non eſt proximum, ſed dumtaxat probabile, vel remotum, facilius eſt illud vitare per actus proprios.

208. *Qui per annum peccauit quater, non tenetur expellere occaſionem, ſed periculum intrinſecè.*

Inferes ſecundò, quid dicendum in ea quæſtione, an qui in decurſu totius anni peccauit quater, aut quinquies cum fœmina intra domum exiſtente, non cogendum neceſſariò ad expellendum fœminam, ſed poſſe abſolui, quamvis non expellenda ſit, dum tamen per actus proprios fugiat periculum formale; & doceri debet à Confeſſario, quomodo redeunte aliquo periculo lapſus, debeat fugere illud per actus proprios; & pœnitens firmiſſimè proponere debet, ita ſe eſſe fugiturum periculum formale, quoties id aduerterit.

209. *Non licet aſſumere Epiſcopatum cum periculo formali.*

Inferes tertiò, falſum eſſe, quod Ioannes Sancius *ea diſp.* 10. *num.*9. ſic ait: [Non credendum Soto *lib.* 10. *de iuſt. quæſt.* 2. *art.* 2. dicenti, quod qui ſcit, *periculum euidens* ſe ſubiturum damni ſpiritualis, dignitatem Epiſcopatus acceptando, non teneatur illi ſe ſubiicere, etiamſi neceſſarium eſſet bono communi... Quando dicitur, quod quis non tenetur cum damno ſuo ſpirituali ſubuenire proximo, intelligi debet, quod non teneatur cum damno ſpiritualis culpæ, quam de facto incurrat ad liberandum proximum; non verò quod neutiquam teneatur incurrere periculum culpæ, cùm ex eo non neceſſariò incurrenda ſit culpa: poſito namque periculo, crimen vinci poteſt.] Itaque ex eo quod ipſum periculum culpæ non ſit culpa, arguit Sancius, poſſe ſubiri periculum culpæ mortalis euidens, pro ſubueniendo neceſſitati proximi.

210. Non poſſe licitè ſubiri periculum formale propter vllum finem, manifeſtum eſt ex dictis, præcipuè *cap.* 6. ſed quia nouam rationem adducit Sancius, fallacem illam quidem, oportet illam refellere, & de fallacia arguere.

211. Pro quo reuoca in memoriam, quæ de periculo proximo & certo diximus *cap.*1. & 2. ſcilicet periculum euidens eſſe id, quo quis ita ſibi perſuadet: *Certum moraliter eſt, quod peccaturus ſum.*

212. Tum ſic argumentor primò. Inquiro enim à Sancio, an liceat admittere Epiſcopatum, vel ſuccurrere proximo extremè indigenti, cum euidenti periculo damnationis æternæ? Si aſſerat partem negatiuam, retorqueo eius argumentum. Periculum damnationis æternæ, neque eſt peccatum, neque eſt damnatio æterna; imò ſtante periculo euidenti damnationis æternæ, poteſt non damnari: ergo poterit aſſumi periculum euidens damnationis æternæ propter bonum proximi: vel ſi hîc non valet argumentum, neque valebit in periculo euidenti peccandi mortaliter.

213. Si verò partem affirmatiuam reſpondeat, infero: ergo erit iudicium prudens: [Certus moraliter ſum de damnatione mea æterna, ſi ſuccurro fœminæ extremè indigenti; adhuc tamen licet certus ita ſim, volo illi ſuccurrere] Vel hoc: [Certus ſum de damnatione mea æterna, ſi acceptaueto Epiſcopatum; tamen propter publicam neceſſitatem, cum hac tamen certitudine volo Epiſcopatum aſſumere.] Quod & imprudentiſſimum eſſe, & contra propriam charitatem, & à nemine admittendum, ex terminorum apprehenſione certum eſt; præterquam quod ratio iam ſubiicienda oppoſitum apertè conuincit.

Argumentor ſecundò. Qui elicuerit hunc actum, [Certus moraliter ſum, quod peccabo mortaliter, ſi ſuccurrero fœminæ; adhuc tamen ſtante hac certitudine volo ſuccurrere,] vult ipſum peccatum non ſolùm permiſſiuè, ſed poſitiuè: ergo mortaliter peccat, qui cum euidenti periculo vult ſuccurrere. Conſequentia patet: peccat enim, qui vult poſitiuè peccatum. Probatur antecedens. Qui vult periculum euidens mortis, poſitiuè vult mortem ipſam. Ita Dauidi Regi attribuitur mors Vriæ, quia voluit ipſum exponi periculo certo mortis: ergo qui vult periculum euidens peccati, poſitiuè vult ipſum peccatum. 214.

Nec valet, ſi dicas, tunc Petrum ſuccurrere fœminæ, obligatum neceſſitate præcepti, atque adeò vrgente neceſſitate pati periculum; & conſequenter non velle effectum peccati, ſed permittere. 215.

Contrà enim eſt. Nam, vt patet ex ſupradictis: præceptum non imponit neceſſitatem aliquam phyſicam, vel moralem (ſed ſolam neceſſitatem obligationis) quæ cogat voluntatem ad ſui impletionem; ratione cuius dicatur homo pati impletionem præcepti, non verò operari, nec velle illam: ergo ſi iſtud præceptum (quod fingis) ſuccurrendi fœminæ cum periculo euidenti peccandi, obligat ad ſubeundum periculum, non imponit neceſſitatem aliquam, ratione cuius dicatur homo pati periculum, & inuitus ſubire periculum. 216.

Argumentor tertiò: Non tenetur Petrus ſuccurrere fœminæ extremè indigenti, cum euidenti periculo mortis, quamvis periculum mortis non ſit ipſa mors: ergo non tenetur illis ſuccurrere cum euidenti periculo peccandi, quamvis ipſum periculum peccandi non ſit formaliter peccatum. Nec poſtulo diſparitatem, quia illam non ſpero. 217.

CAPVT XIV.

Notantur, & inferuntur aliqua contra nonnullos Authores.

Caramuel *in Regul. ea diſp.* 70. *num.* 1056. 218. *Fallax regula.*
hanc regulam ſtatuit pro dignoſcendo periculo probabili. [Si iueris ad talem domum decies, & quinquies peccaueris, & quinquies non peccaueris, eſt probabile, ſi reuertaris, te peccaturum eſſe; & eſt æquè probabile, te non peccaturum eſſe.] Hanc eandem regulam ad æqualem periculi probabilitatem computandam, ſequitur Leander à Murcia *lib.* 2. *diſp.* 1. *reſol.* 16. *numero* 10.

Ea tamen regula eſt fallax. Primò, quia ſi prius quinquies abſtinuit continuatis vicibus, & poſteà 219. *Refellitur.*

Digitized by Google

poſteà quinquies cum continuatione cecidit, iam fragilior redditus eſt per habitum vitioſum denuò adquiſitum: cui habitui vitioſo cum accedat vehementia paſſionis, & hæc duo dent fortiorem occaſionem ſuggeſtionibus ſathanæ; fit, in eo caſu multò maiores vires ſtare pro periculo, quàm pro conſtantia.

Secundò. Habitum vitioſum augent non ſolum
220. iſtæ quinque vices, quibus peccaſti intra eam domum, ſed omnia alia peccata luxuriæ, quæ in cæteris domibus commiſeras, vel intermedio tempore commiſiſti: vnde ſi ex aliis peccatis luxuriæ habes habitum vitioſum vt centum, accedunt quinque vices intra eam domum contra quinque vices abſtinentiæ intra eandem domum; quis dubitet, dari fortiores vires ex parte periculi, quàm ex parte abſtinentiæ; quia ex parte periculi eſt præter vehementem paſſionem, habitus vitioſus vt centum, & augmentum quinque vicium, quibus peccaſti: ex parte verò conſtantiæ fortè ſunt eæ ſolæ quinque vices, quibus intra eam domum abſtinuiſti.

221. Quare ad ſimile periculum computandum ne attendas ſolùm ad experientiam eius occaſionis, ſed ad vehementiam paſſionis, augmentum habitus vitioſi, ſuggeſtionem diaboli, & opportunitatem occaſionis: nam, vt dixi *cap.* 2. ſicut ſine vlla experientia præcedenti acceſsus ad leonem ſæuientem eſt periculum proximum mortis; ita opportuniſſima occaſio ſolet eſſe periculum proximum. Vide quæ dixi *num.*13.

222. Secundò. Leander à Murcia *lib.* 2. *diſp.*1. *reſol.*12.*num.*4. ait, non eſſe neceſſarium, quod requirit Nauarrus, & alij eum ſecuti, ſcilicet quod pœnitens non deſerens occaſionem proximam ex cauſa vrgente, vel notabili, non omninò neceſſaria, præter contritionem, & propoſitum firmum non labendi, debeat habere credulitatem, quod peccabit. Pro quo citat Victoriam, Zerollam, Ioſephum ab Ortu, & Coriolanum. Addit inſuper, pro eadem ſententia ſtare, qui affirmant, habentem conſuetudinem peccandi eſſe abſoluendum, ſi proponat firmiter, licet ab experientia non ſit ſecurus, quod non reincidet. Pro quo etiam multos Authores citat, & plures poſſet.

An in eo, qui perſiſtit in in occaſione, requiratur credulitas, quod non peccabit?

223. Ad cuius falſitatem euincendam, nota primò, & reuoca in memoriam ex capite præcedenti *num.*211. tunc aliquem habere & aduertere periculum proximum & certum peccandi, quando ex periculo infert certitudine morali ſe peccaturum, id eſt, quando dicit, [Certus ſum moraliter, quod lapſurus ſum.]

Periculum proximũ affert illationẽ peccati futuri.

224. Nota ſecundò, aliud eſſe inquirere, an ad firmitatem propoſiti requiratur credulitas, quod non peccabit; & aliud, an ad retinendam occaſionem, cùm vitari poteſt, requiratur credulitas, quod non peccabit. Et quia hæc duo non diſtinxit Leander, æquiuocationem paſſus eſt. Nam cum firmitate propoſiti componi credulitatem, quod fortaſſe labetur, probabiliſſimum eſt. Et id ſolùm contendunt Authores ſecundo loco citati à Leandro, cum non loquantur de habente occaſionem, ſed de habente conſuetudinem. Ad retinendam autem licitè occaſionem, quando vitari poteſt, neceſſariò requiri credulitatem, quod non peccabit, iam oſtendo. Loquitur enim Leander in caſu, quo quis periculum proximum ſubit ex cauſa notabili non vrgente, ſiue non neceſſaria.

Ad quid requiratur credulitas, quod non peccabit?

Cum firmitate propoſiti componitur credulitas, quod peccabit.

Non tamen cum retentio ne licita occaſionis.

Etenim in eo caſu habet homo hunc actum: 225.
[Certus moraliter ſum, quod ſi eam occaſionem ingrediar, peccabo: & quamuis poſſum abſolutè non ingredi; tamen ſtante hac certitudine de peccato meo futuro, ingredi volo eam occaſionem.] Prima pars certa eſt; in eo enim conſiſtit cognitio periculi proximi. Secunda etiam eſt certa, ſupponimus enim cauſam ingrediendi non eſſe moraliter neceſſariam; atque adeò liberè ingredi hominem eam occaſionem, quamuis poſſit non ingredi.

Quod autem ille homo, qui talem actum 226.
elicit, & cum certitudine morali de peccato futuro ingreditur occaſionem, quam abſolutè poteſt vitare, peccet mortaliter, & velit poſitiuè ipſum peccatum, conſtat ex capite præcedenti, illatione tertia. Ergo vt in hoc caſu non peccet, neceſſe eſt, quod non habeat illud iudicium certum de peccato futuro. Dum enim habuerit iudicium certum de futuritione peccati ſub tali occaſione, & occaſionem poſſit fugere, ſemper ſibi imputabitur culpæ, quod cum poſſit fugere occaſionem certam culpæ, non fugiat.

Quod ſi dicas, eam credulitatem de pecca- 227.
to futuro non eſſe iudicium certum, ſed probabile, fit, illud periculum non eſſe proximum & certum, ſed dumtaxat probabile. Et ideò non eſt ad rem, cùm expreſsè Author loquatur de periculo proximo, vt patet ex ipſo titulo reſolutionis, & ex contextu.

Itaque credulitas hæc de peccato non fu- 228.
turo eſt cognitio, qua quis aduertit extenuatum eſſe periculum formale labendi: hæc autem cognitio requiritur, quando homo retinet occaſionem externam ex aliqua rationabili cauſa, quæ non reddat hominem moraliter neceſſitatum ad occaſionem retinendam. Quia cùm in eo caſu verificetur, quod homo abſolutè poteſt expellere occaſionem, vt poſſit illam retinere, requiritur, quod aduertat extenuatum eſſe periculum formale. Quod ſi credat, ſe lapſurum, atque adeò non ceſſaſſe periculum formale, ex nulla rationabili cauſa poteſt retinere occaſionem, quam abſolutè poteſt reiicere; quia ex nulla cauſa poteſt ſe exponere voluntariè periculo formali, vt conſtat ex dictis.

Tertiò inquirunt aliqui, an liceat exponere 229.
ſe periculo dubio peccandi? v.g. an data occaſione aliqua, dubium ſit, an ea inclinet, & influat in peccatum? Vt ſi quis domi habeat fœminam, & ſæpiùs dubitet, an illam concupierit? Et in hoc ſenſu Ioannes Sancius *diſp.*1. *num.*14. aſſeruit, quod Confeſſarius [poſſet non abſoluere illum, qui domi habet fœminam, quam concupiſcere ſæpe dubitat; vitaret tamen peccatum illud dubium, niſi illam inſpiceret, & contemplaretur; cùm iam certum, vel dubium periculum admittat.] Quem ſequitur Leander à SS.Sacram. *tract.*5. *de Pœnit. diſp.*7. *quæſt.*33.

An liceat exponere ſe periculo dubio peccandi?

Pro reſolutione aduerte, dubium de peri- 230.
culo verſari poſſe, aut inter rationes probabiles, aut leues, aut nullas. Et rurſus poſſunt eſſe

Digitized by Google

rationes probabiles ex parte peccati futuri, & nullæ, vel leues ex parte non futuri; vel è conuerſo. Aduerte deinde, non debere reputari periculum, niſi illud, quod prudenter timetur; nam quod imprudenter, & ſine fundamento timetur, non eſt reputandum periculum.

231. *Si probabilitas ſit pro peccato futuro, & dubitas de futuritione, non licet te exponere.*

Dicendum eſt primò, ſi ſint rationes probabiles pro peccato futuro, & adhuc dubites, an lapſurus ſis in peccatum; teneris fugere id periculum, de quo dubitas. Ratio eſt, quia licet dubites, an ſit periculum; re vera iſtud eſt periculum probabile, vtpote habens pro parte periculi labendi rationes probabiles. Eſſe autem grauem obligationem fugiendi periculum probabile, patet ex dictis, præcipuè *cap.6.*

232. *Si ex parte periculi ſit ratio leuis, licet exponere ſe periculo dubio.*

Dicendum eſt ſecundò. Si ex parte periculi, ſiue futuritionis peccati, nullæ omnino ſint rationes; vel ſi quæ dantur, ſunt leues; & dubites, an ſit periculum, de hoc periculo non eſt curandum. Ratio eſt, quam tradidimus *cap.7. aſſertione prima*, ad probandum, non reputandum eſſe periculum illud, cui rationes leues ſuffragantur. Et *in eo cap.7.* ſolutæ ſunt obiectiones, quæ contra hanc aſſertionem militare poſſunt.

233. *An confeſſarius debeat abſoluere, & non monere concubinarium in caſu ignorantiæ?*

Quartò inquirunt aliqui, an in aliquo caſu bonæ fidei, & ignorantiæ inuincibilis, qua pœnitens afficitur circa obligationem vitandi occaſionem proximam peccati, poſſit, & debeat Confeſſarius abſoluere, non monendo pœnitentem de eius obligatione?

P.Pellizzarius *in Manual. tom. 2. tract.* 10. *cap.*10.*num.*191. ait, aliquibus videri probabile,

234. quod Confeſſarius poteſt, & debet abſoluere, non monendo pœnitentem, ſi certus ſit, nullum ſe fructum emendationis conſecuturum eſſe à pœnitente, & iniecturum ſe eſſe ei nouum laqueum peccati priùs ignorati. In quam aſſertionem ipſe Pellizzarius inclinare videtur. Nam *tract.*8. *cap.*3. *num.*64. §. *moneo*, ait, hanc fortaſſe doctrinam fore [magnæ conſolationi Regularibus timoratis, qui excipiunt confeſſiones virorum primariorum verſantium in occaſione proxima peccati, & aliàs ex quadam erubeſcentia, ac timore non audent iis liberè, & apertè prohibere illam occaſionem.] Sed tamen in priori loco concludit his verbis: [Ita docti viri à me conſulti; & ſatis benignè, ſi probabiliter. An autem probabiliter, iudicent alij; in hac enim re ego nolo eſſe iudex.]

235. *Confeſſarius videns pœnitentem ignorare obligationem, quando non teneatur monere?*

Fundamentum autem huius aſſertionis eſt id, quod ſtatuit P.Th. Sanchez *lib.*2. *de Matrim. diſp.*38. *num.*6. & 10. cum aliis. Nempe ſi Confeſſarius comperiat, pœnitentem laborare ignorantia inuincibili, non teneri monere pœnitentem, ſi ea monitio plus ſit nocitura, quàm profutura. Quod videtur accidere in hoc caſu: nam ſi moneat pœnitentem, qui nihil emendationis habiturus ſit, ſolùm deſeruiet monitio, vt pœnitens incipiat permanere in occaſione cum peccato, in qua ante monitionem manebat abſque peccato ob eam ignorantiam inuincibilem.

236. Sed mihi certum eſt, obſtringi Confeſſarium ad monendum concubinarium de obligatione expellendi occaſionem, nec poſſe eum abſoluere, donec realiter expellat. Ratio eſt, Nam ea doctrina generalis malè accommodatur huic hypotheſi. Eſt enim certum, quod concubinario plus nocebit taciturnitas Confeſſarij, quàm monitio. Etenim ea monitio, & abſolutionis negatio maximè deterret pœnitentes à continuatione occaſionis, vt experientia teſtatur. Si enim non monetur, fortè perſeuerabit in concubinatu diuturno tempore; & ſic erit in ſummo diſcrimine damnationis æternæ. Monitus autem, & abſolutione priuatus, donec deſerat occaſionem, conſcientiæ morſu acriter pungetur; qua compunctione perculſus, etſi non ſtatim reſipiſcat, à propria conſcientia torquebitur: & ideo ea compunctio in cauſa eſt, vt tandem occaſionem deſerat. Vnde etſi poſt monitionem peccet nouo peccato, quia cœpit agnoſcere obligationem ſuam; ea tamen monitio, & conſcientiæ remorſus ab illa promanans, tollit tandem protractionem concubinatus, aliàs longiori tempore duraturi. Et quidem Confeſſario genus pietatis eſt, in hac re eſſe crudelem, cùm in hoc agatur de ſummo diſcrimine damnationis æternæ, cui obnoxij manent, qui in concubinatu perſiſtunt.

Deinde præfata doctrina eſt periculoſiſſima. 237.
Ex ea enim lata porta aperitur Confeſſariis timidis, vt ſibi facilè perſuadeant, concubinarios, qui ad eorum genua prouoluuntur, neſcire inuincibiliter obligationem expellendi concubinas. Vnde fiet, quod concubinarij permittantur cohabitare cum illis perpetuò; qui totam vitam ſic tranſigentes, in ſummo diſcrimine verſentur damnationis æternæ.

Ad hæc, improbabiliſſimè credet Confeſ- 238.
ſarius, ignorantiam concubinarij eſſe inuincibilem in re notiſſima, & quæ ſæpius à Concionatoribus proclamatur. Deinde illam non poteſt coniicere Confeſſarius præſumendo, neque interrogando. Non præſumendo, quia ignorantia rei notiſſimæ non præſumitur: non interrogando, quia per interrogationem inducet ſaltem in dubium practicum, per quod ceſſat inuincibilitas.

DISPVTATIO XIX.

An qui contrahit matrimonium cum impedimento probabili, aut cum impedimento certo, & diſpenſatione probabiliter inualida, poſſit vi eius probabilitatis deſerere matrimonium.

CAPVT PRIMVM.

Quæ ſit in hac quæſtione ſententia Caramuelis?

CVm matrimonium aliud ſit ratum, & aliud conſummatum, de vtroque poteſt inſtitui præſens quæſtio. Eam tamen dirimemus loquendo de matrimonio conſummato, deducentes poſtea 1. *De rato, & conſummato procedit quæſtio.*

Digitized by Google

poſtea ad inſtar corollarij, quid de matrimonio rato tenendum ſit.

2. Igitur Caramuel *in Theol. fundam. num.*584. *fund.*13. ſic ait: [Matrimonia probabilia ſunt in Republica pernicioſa: qui enim contrahit cum impedimento probabili, contrahit probabiliter; & ſicut hodie ſubſcribens opinioni, quæ docet, matrimonium eſſe validum, poteſt vxorem retinere; cras ſubſcribens oppoſitæ, poterit eam dimittere. Ergo maior ſecuritas requiritur ad ſecuritatem contractus. Ergo debent contrahentes compromittere, ſe non habituros opinionem, quæ valori matrimonij opponatur; vel petere diſpenſationem, vt tollatur probabile illud impedimentum, & matrimonium inſolubile maneat. Sed fœminæ & indocti non ſunt capaces remedij primi; & omnes ſunt capaces ſecundi: ergo prudentiſſimè ad Apoſtolicam Sedem recurritur, quando contrahentes ſunt impediti.] Hæc Caramuel.

3. Vbi obſerua primò, ei qui contrahit cum impedimento probabiliter dirimenti, licere (iuxta Caramuelem) dum ſequitur opinionem de nullitate impedimenti, cohabitare cum coniuge; & dum ſequitur oppoſitam, poſſe licitè dimittere prædictum coniugium, & ad alias nuptias tranſire.

4. Obſerua ſecundò (iuxta eumdem) fœminas, & indoctos non poſſe vti eo remedio ad indiſſolubilitatem, quòd renuncient iuri probabilitatis. Cuius ratio eſt, quia cùm indocti, ne nomen quidem probabilitatis agnoſcant, non poſſunt iure inde prouenienti cedere: quia cedere eo iure non poteſt, niſi qui expreſsè vult illo cedere. Qui autem non agnoſcit ius, non poteſt illo voluntariè cedere; cum nihil ſit volitum, quin præcognitum.

5. Et quamuis Caramuel paulò pòſt dicat, ex praxi & conſuetudine obligatoria teneri omnes ad petendam diſpenſationem impedimenti probabilis, non propterea euacuat difficultatem. Nam in caſu, quo impedimentum ſit certum, & diſpenſatio ſit probabiliter valida, & probabiliter inualida, eadem remanet difficultas. Nam vel tenentur contrahentes aliam diſpenſationem certam obtinere; vel poſſunt licitè cum ea diſpenſatione probabili contrahere matrimonium. Primam obligationem non imponit Caramuel ambientibus coniugium; neque allegat conſuetudinem obligatoriam petendi diſpenſationem certò validam. Neque eſt, vnde conſtet talis obligatoria conſuetudo. Quin potiùs in verbis inferiùs ſubiiciendis affirmat, licitè poſſe quem vti diſpenſatione probabiliter inualida. Si autem licitè poſſunt contrahere cum ea diſpenſatione probabili, matrimonium manebit dumtaxat probabile; & poterit coniux hodie cohabitare cum coniuge, & cras illum dimittere.

6. Idem docet *in apolog. de Probabilitate, num.*139. vbi probans, licitum eſſe vſum cuiuſuis opinionis probabilis, id inde conatur ſuadere, quòd ſummi Eccleſiæ Pontifices conceſſerint quandoque diſpenſationes ex opinione dumtaxat probabili. Et inter alia ſic loquitur, inferens tanquam abſurdum hoc conſequens: [Ergo peccauit mortaliter Alexander III. concedendo licentiam Nicolao Iuſtiniano Monacho profeſſo, vt vxorem duceret. Poſita Pontificis diſpenſatione non erat niſi probabile, poſſe Iuſtinianum matrimonium inire: ergo peccauit Iuſtinianus mortaliter contrahendo. (Subintellige, ſi non licet vti quauis opinione probabili.) Et cùm poſt contractum matrimonium, non eſſet niſi merè probabile, Iuſtinianum eſſe validè coniugatum; peccauit mortaliter ille matrimonium conſummando, & poſt illius conſummationem vtendo fœmina probabiliter ſua.] Vbi vlteriùs pergit, alias ſimiles diſpenſationes adducendo.

In quibus notabis primò, Caramueli eſſe probabilem ſententiam, quæ ait, Romanum Pontificem diſpenſare non poſſe in voto ſolemni. Secundò, licitam fuiſſe diſpenſationem Pontificum, ex oppoſita opinione probabili. Tertiò, illud matrimonium Iuſtiniani Monachi fuiſſe merè probabiliter validum. Quartò, fuiſſe dumtaxat probabile, quod Iuſtinianus poſſet conſummare matrimonium. Quintò, poſt conſummatum matrimonium, fuiſſe merè probabile, quòd Iuſtinianus poſſet vti copula coniugali ſuæ coniugis. 7.

Similia habet *lib.*3. *Theol. Intention. diſp.*3. *quæſt.*8. *num.*1432. Ita enim aſſerit. [Si occurrat ratio fortis, non tamen euidens, tunc erit probabile matrimonium. Et quia probabilitas neminem neceſſitat, poterit ſequi alterutram partem, ſtando foro merè interno, & abſtrahendo à lege merè humana. Conſultò humanæ legis memini, quia in Republica, vbi datur lex, vt nemo, antequam conuincatur per ſententiam Iudicis, à poſſeſſione detrudi poſſit; qui in tali Republica habitant, videntur compromittere, & legem acceptare; adeoque in tali caſu coniux non poterit coniugem à domo dimittere ob meram probabilitatem: & videtur talis lex reperiri in omnibus Rebuſpublicis bene gubernatis. An humanæ etiam leges eum obſtringant, vt in probabilitate teneatur reddere debitum, difficile eſt. Nam ſi darentur, & acceptarentur, procul dubio obſtringerent.] 8.

Vbi ſolùm ſuperaddit aſſertionibus ſuprà relatis, quòd vbi fuerint leges humanæ acceptatæ, præſcribentes neminem à poſſeſſione deturbandum, donec per ſententiam iudicis conſtet, coniugem à coniugio ſeparandum, ibi per ſolam probabilitatem non licet coniugi à matrimonio recedere. His autem ſecluſis, & ſolo iure naturali attento, poſſe coniugem licitè recedere à matrimonio probabili. 9.

Deinde notandum eſt, ex ſolo titulo poſſeſſionis, & non ex alio, admittere Caramuelem, quod coniux non poſſit recedere à matrimonio probabili ſemel conſummato, vbi fuerint leges humanæ acceptatæ, pro ea poſſeſſione ſtantes. 10.

Præterà quæ in hoc tertio textu aſſerit, videntur contrariari duobus prioribus. Nam cùm in priori loquatur de matrimonio conſummato, in quo ſtat poſſeſſio, aſſerit, poſſe hodie retinere vxorem, dum ſubſcribit opinioni de nullitate impedimenti; & poſſe cras ſubſcribere oppoſitæ, & ita dimittere coniugem, quæ ſupponitur eſſe in poſſeſſione. In ſecundo autem textu aſſerit abſolutè, Iuſtinianum diſpenſatum in voto ſolemni ab Alexandro, pro- 11.

babiliter dumtaxat potuiſſe vti coniuge ſua, poſt conſummatum matrimonium. Quod ſi non contrariatur, ſaltem ſupponit, nullas eſſe leges in iure Eccleſiaſtico, quæ ita faueant poſſeſſioni matrimonij, vt faciant certò licitum vſum matrimonij iam conſummati; cùm in duobus prioribus textibus abſolutè affirmet eum vſum matrimonij dumtaxat eſſe probabiliter licitum.

CAPVT II.

Aliqua prænotantur.

12\. *Qui nouit probabilitatẽ impedimenti, poteſt cedere iure probabilitatis.*

PRænotandum eſt primò, eum, qui rectè callet probabilitatem impedimenti dirimentis pro vtraque parte, vel probabilitatem de nullitate diſpenſationis Pontificiæ datæ circa impedimentum certò dirimens; poſſe in ipſo contractu cedere eo iure probabilitatis, & expreſsè paciſci, ſe nunquam vſurum ea opinione probabili. Pro hac aſſertione ſtat Caramuel *in Theol. fundam. num.*452.*fund.*11. Eaque eſt indubitabilis.

13\. *Contractus determinat libertatem ad vnam partẽ.*

Ratio eſt. Nam libertatem, qua quis fruitur ad aliquam operationem, determinare poteſt medio contractu ad vnam partem, quæ non ſit certò, aut euidenter iniqua, obligando ſe ad illam in fauorem alterius. Sic enim contingit in omnibus contractibus, in quibus homo ſe obligat ad aliquam actionem aliàs liberam. Atqui contrahens cum impedimento dirimente dumtaxat probabili, libertatem habet, quantum eſt ex vi præciſa eius probabilitatis, ad perſiſtendum in matrimonio, & ad illud deſerendum; & aliàs non eſt iniquum, nec culpabile, perſiſtere in eo matrimonio; cùm omne id, quod proponitur vt probabile, ſit euidenter licitum, vt oſtendi *diſp.*10.*&* 16. Ergo homo poteſt determinare medio contractu libertatem ſuam, & ſic ſe obligare ad non vtendum ea probabilitate, quam affert illud impedimentum probabiliter dirimens.

Poteſt quis ſe obligare ad non vtẽdum probabilitate impedimenti.

14\. *Et ad non vtendum probabilitate nullitatis diſpenſationis.*

Et eodem modo poteſt quis ſe obligare ad non vtendum probabilitate, quæ ſtat pro nullitate diſpenſationis, quæ probabiliter nulla eſt; cùm poſſit ſe obligare ad quamlibet actionem ſibi licitam, qualis eſt actio perſiſtendi in matrimonio, pro quo data eſt diſpenſatio probabiliter valida, & probabiliter nulla.

15\. *Poteſt pictor ſe obligare ad pingendum die feſto, ſi, &c.*

Res dilucidatur exemplis. Petrus oſtentationis cauſâ vult ſibi imaginem depingi: inſtat pictori, vt quamcitiſſimè eam depingat; & quia dies immediatè futurus feſtus eſt, iubet vt die feſto eam depingat. Pictor, cui vt practicè probabile proponitur, ſuam artem non eſſe ſeruilem, nec prohiberi eius exercitium in die feſto, paciſcitur ſe abſoluturum picturam die feſto ſubingredienti. Quis dubitet de obligatione pictoris, dum non dubitat de practica probabilitate exercendi artem pictoriam in die feſto? cùm obliget ſe ad id, quod hîc & nunc ſibi eſt euidenter licitum, & quod ſine peccato præſtare poteſt.

16\. *Exactor ſe obligat Regi pro vectigali probabiliter iniuſto.*

Secundò, probabile eſt, hoc tributum regium eſſe iniuſtum, in quo caſu regius exactor ſe obligat Regi ad illud tributum exigendum. Nam eo ipſo, quod ſibi ſit practicè probabile, poſſe exigi iuſtè illud vectigal, rem facit euidenter licitam, dum illud exigit; & dum ſe obligat ad exigendum, ſe obligat ad rem euidenter licitam. Et ſic in ſexcentis aliis.

Prænotandum eſt ſecundò, duas hîc latêre quæſtiones, eo quod in duobus caſibus poteſt quæſtio procedere. Primò, ſi contrahens agnoſcat probabilitatem impedimenti dirimentis, ratione cuius probabile eſt, matrimonium eſſe nullum, & probabile eſt, illud eſſe validum. Et ſimiliter ſi contrahens ſciat diſpenſationem impedimenti certò dirimentis eſſe probabiliter validam, & probabiliter inualidam. Secundò, ſi contrahens eiuſmodi probabilitatem non agnoſcat, vt communiter contingit in contractu hominum imperitorum, qui ne nomen quidem probabilitatis callent. 17.

Duplex quæſtio de ſciente, & de non ſciente probabilitatem.

Quare prima quæſtio eſt, an cùm quis contrahit matrimonium, ſciens probabilitatem impedimenti dirimentis, pro vtraque parte ſe tenentem, eo ipſo, quod matrimonium contrahit, cenſeatur cedere iure probabilitatis, & ſe obligare ad non vtendum ea probabilitate contra valorem matrimonij? Secunda quæſtio eſt, an etiam ſi quis ignoret eiuſmodi probabilitatem, cenſeatur ei renunciare, & obligare ſe ad non procedendum contra valorem matrimonij, vi alicuius probabilitatis? & de vtraque quæſtione ſeorſim diſſerendum eſt. 18.

CAPVT III.

Deciditur prima quæſtio, & explicatur deciſio.

SIt concluſio, eaque mihi certiſſima. Ille, qui ſcit probabilitatem impedimenti dirimentis, ratione cuius probabile eſt, matrimonium eſſe validum, & probabileſt eſt, matrimonium eſſe nullum; eo ipſo quod id ſciens, contrahat matrimonium, ſe obligat ad ſtandum ſemper pro valore matrimonij, tanquam ſi expreſſis verbis ad id ſe obligaret; atque adeò renunciat iuri probabilitatis, quod habere poſſet ratione opinionis probabilis fauentis nullitati matrimonij. Pro hac concluſione nullum refero Authorem, quia ſub hac terminorum reflexione, ante Caramuelem, à nemine video diſcuſſam. Exiſtimo tamen, eam euidenter colligi ex principiis apud omnes receptis. 19.

Qui contrahit ſciẽs probabilitatem impedimenti, ſe obligat ad ſtandum pro valore.

Itaque ſi præciſè attendas ad probabilitatem impedimenti, potes recedere à coniuge: attenta tamen obligatione, qua te adſtrinxiſti ad permanendum perpetuò in eo coniugio, non potes recedere, quia per eum contractum te obſtrinxiſti ad ſtandum pro valore matrimonij, & ad non vtendum opinione oppoſita. 20.

Poſſet quidem Petrus expreſsè renunciare opinioni, quæ ſtat pro nullitate matrimonij, & obligare ſe ad nunquam vtendum ea opinione in praxi; de quo non eſt dubium. Superaddimus autem, id ita contingere, quoties quis celebrat contractum matrimonij, ſciens probabilitatem nullitatis & valoris matrimonij; quia per eum contractum ſe obligat ad perſiſtendum firmiter in eo coniugio, non obſtante probabilitate in contrarium. Æquiualet enim huic propoſitioni: *Promitto firmiter perſiſtere* 21.

Se obligat ad non vtendũ opinione oppoſita.

Digitized by Google

ſiſtere in coniugio, quamuis mihi ſuffragetur opinio de nullitate matrimonij. Quod idem eſt, ac promittere, ſe non vſurum ea opinione, quæ ſtat pro nullitate matrimonij.

22. *Quot falſa contineantur in ſententia Caramuelis?*

Si hæc vera ſunt, fallitur Caramuel in iis, quæ ſcribit in ſecundo textu de diſpenſatione Alexandri III. Cuius prima propoſitio vera eſt, nempe, *Poſita Pontificis diſpenſatione, non erat niſi probabile, poſſe Iuſtinianum matrimonium inire*; ſi probabilis eſt opinio docens, non poſſe Pontificem diſpenſare in voto ſolemni. At quàm falſa ſit ſecunda propoſitio, nimirum, *Poſt contractum matrimonium, non erat niſi merè probabile, Iuſtinianum eſſe validè coniugatum*; conſtabit *cap.* 15. vbi ſermo erit de matrimonio rato, & eius indiſſolubilitate.

23. *Poſt conſummationem fœmina erat certò ſua.*

Tertia quoque propoſitio eſt certiſſimè falſa: nempe, *Poſt illius conſummationem ſolum fuit probabile, vti poſſe fœmina probabiliter ſua.* Nam potuit Iuſtinianus obligare ſe ad perſiſtendum in coniugio conſummato, & ad non vtendum oppoſita opinione; & reipſa ſe ad id obligauit, quia ſe obligauit, quantum potuit (ſaltem ſi ſciuit probabilitatem de valore, & nullitate diſpenſationis, atque adeò matrimonij) ideóque ceſſit iure probabilitatis, ſuæ libertati ſuffragantis. Quo pacto erat certiſſimum, fuiſſe practicè validum coniugium, id eſt, tam obligatorium, ac matrimonium certò validum, vtpotè eius, qui potuit ſe ad id obligare, & qui de facto ad id ſe obligauit. Et illa fœmina (ſaltem ſi ſciuit eam probabilitatem) eodem modo ſe obligauit ad perſiſtendum in coniugio conſummato, quod ratione eius probabilitatis erat licitum. Atque adeò ea fœmina non erat dumtaxat probabiliter ſua, ſed erat, quantum ad praxim, certiſſimè ſua; quia ſe obligauerat ad non vtendum opinione oppoſita valori matrimonij, ideóque non habebat ius ad reſiliendum.

24. *Contrahens cum probabilitate impedimenti, non poteſt dimittere vxorem.*

Similiter certò falſa ſunt, quæ docet in priori textu, præcipuè ea verba: *Sicut hodie ſubſcribens opinioni, quæ docet, matrimonium eſſe validum, poteſt vxorem retinere; cras ſubſcribens oppoſitæ, poterit eam dimittere.* Iam enim non poteſt ſubſcribere opinioni oppoſitæ, quia ſe obligauit in contractu ad non ſubſcribendum illi, & ad ſtandum pro opinione, quæ fauet valori matrimonij. Quod verum eſt, ſaltem in caſu, quo ſciat probabilitatem valoris, & nullitatis matrimonij.

CAPVT IV.

Inſtruitur prima probatio, detecta æquiuocatione opinionis oppoſitæ.

25. *Diſcrimen quæſtionis directæ, & reflexæ.*

PRo huius æquiuocationis intelligentia relege quæ dixi *diſp.* 15. *cap.* 4. *art.* 2. circa diſcrimen quæſtionis directæ, & reflexæ in materia probabilitatis. Et ex ibi dictis nota primò, has duas quæſtiones eſſe valde diuerſas. Secundò, quæſtionem reflexam inquirere de noua circumſtantia, quæ non continetur in quæſtione directa. Tertiò, non valere conſequentiam à reſolutione quæſtionis directæ ad reſolutionem quæſtionis reflexæ. Quartò, perperam procedere Authores, dum à deciſione quæſtionis directæ arguunt ad deciſionem quæſtionis reflexæ. Quintò, ex eo quod ſit probabile, hanc eſſe feram, non hominem, perperam argui ad hoc, quod ſit probabile, licere iacere ſagittam, eo quod prima pars procedit in quæſtione directa, & ſecunda in quæſtione reflexa.

Deinde aduerte, apud Caramuelem, hanc conſequentiam, *Probabile eſt, diſpenſationem, fuiſſe inualidam: ergo probabile eſt, Petrum, qui cum ea diſpenſatione contraxit, & conſummauit, manſiſſe liberum ab obligatione matrimonij, & à debito copulæ coniugalis.* Item hanc *Petrus contraxit cum impedimento probabiliter dirimenti: ergo probabile eſt, quod poteſt recedere à coniugio, etiam poſt conſummationem, ſaltem ſtando iuri naturali.* 26.

Has autem eſſe peſſimas conſequentias, iam oſtendo. Hic enim diſtinguendæ ſunt illæ duæ quæſtiones, directa, & reflexa. Directa eſt, [An probabile ſit, matrimonium eſſe nullum, attenta præciſè vi impedimenti probabiliter dirimentis?] Reflexa eſt, [An ſuppoſita probabilitate nullitatis, & valoris matrimonij, Petrus reipſa ſe obligauerit ad perſiſtendum perpetuò in vinculo eius matrimonij ſic probabiliter validi, & probabiliter inualidi? Et an is contractus pariat certam obligationem ſuſtinendi perpetuò id vinculum matrimonij?] 27.

28. *Non valet à deciſione directa ad reflexam.*

Et ex dictis ea *diſp.* 15. *cap.* 4. *art.* 2. conſtat, non valere à deciſione quæſtionis directæ ad deciſionem quæſtionis reflexæ. Et ratio eſt: nam quæſtio reflexa inquirit de noua circumſtantia ſuperaddita quæſtioni directæ, ſine qua poteſt conſiſtere quæſtio directa. Et pro re præſenti clariùs liquet. Nam cùm quæſtio directa inquirat de impedimento probabiliter dirimenti; quæſtio reflexa inquirit, [An Petrus ſe validè obligauerit ad non vtendum ea probabilitate opinionis?]

Tum ſic. Antecedens ſtare non poteſt ſine conſequente in argumentatione legitima: atqui poteſt ſtare, quod detur impedimentum probabiliter dirimens, & quod adhuc quis maneat obligatus ad perſiſtendum in vinculo matrimonij, & ad reddendum debitum coniugale: ergo quod detur impedimentum probabiliter dirimens, non eſt antecedens, vnde legitimè inferatur, quòd quis non maneat obligatus ad perſiſtendum in vinculo matrimonij. 29.

Minor patet in eo, qui expreſsè ceſſit iure probabilitatis, prouenientè ſibi à probabilitate impedimenti dirimentis; & qui ſe expreſsè obligauit ad perſiſtendum in vinculo matrimonij, non obſtante probabilitate in oppoſitum; ſiue ad non vtendum probabilitate opinionis oppoſitæ. In quo componuntur hæc duo, & probabilitas impedimenti dirimentis, & obligatio non diſcedendi à matrimonio, ſiue non vtendi probabilitate opinionis oppoſitæ, vt conſtat *ex cap.* 2. *num.* 12. *& ſeq.* 30.

Cùm ergo totum fundamentum oppoſitæ ſententiæ ſtet in ea conſequentia, & ea ſit illegitima, corruit manifeſtè fundamentum, & ſententia, quæ in eo nititur. 31.

Digitized by Google

CAPVT V.

Secunda probatio ab ingenti abſurdo.

32\. *Caſus monſtroſus.* VT prædictum abſurdum proponatur, ſuppono hunc caſum. Berta nupſit Titio probabiliter conſanguineo in tertio gradu, dato etiam quod ſit probabile, non eſſe conſanguineum. Hæc, vt audiuit doctrinam Caramuelis, quod dum matrimonium eſt merè probabile, coniux ſubſcribens nullitati, poteſt recedere, & alteri coniugi nubere; receſſit, & nupſit Petro, alio impedimento dirimente probabiliter impedito. Conſummauit hoc ſecundum matrimonium, & diu durauit in copula coniugali. Et vbi hunc maritum pertæſa eſt, videns id matrimonium eſſe dumtaxat probabile, ad alterum matrimonium tranſiit, ſubſcribens nullitati ſecundi. Nupſit enim tertiò conſanguineo in ſecundo gradu ex diſpenſatione Pontificis probabiliter inualida. Item hoc modo, & his probabilitatibus nixa, hunc maritum deſeruit, & tres alios ſucceſſiuè amplexa eſt; vel, ſi mauis, duodecim alios.

33\. Deinde ſingulis menſibus, vel ſi malit, diebus, ſingulos priſtinos maritos inuiſit. Hodie ſubſcribit opinioni faucnti priori marito, & copulatur coniugaliter cum eo: cras ſubſcribit opinioni propitiæ ſecundo, & cras copulatur ſecundo: & die ſequenti ſubſcribit opinioni ſuffraganti tertiis nuptiis, & tertio marito copulatur: & ſic de reliquis. Atque ita inuenimus in Eccleſia monſtrum hactenus inauditum; nempe vxorem habentem duodecim, vel quindecim maritos probabiles, quibus vtatur ſucceſſiuè, eo ordine, quo placuerit ei ſubſcribere diuerſis opinionibus de diuerſis coniugiis probabilibus.

34\. Sanè dubitare nemo poteſt, eſſe immane abſurdum, concedere, quod licitè poſſit vxor tot maritis ſimul viuentibus copulari; in Eccleſia, in qua Chriſtus Dominus tam ſeuerè interdixit iure ſuo diuino pluralitatem coniugum. Neque enim Chriſtus prouidè conſuluiſſet iure diuino de pluralitate coniugum vitanda, ſi eſſet modus, quo abſque peccato poſſet vxor duodecim maritis probabilibus copulari.

35\. Et quidem ſi relata ſententia de probabilibus matrimoniis vera eſt, poſſet aliquis Princeps, vel homo priuatus, diuitiis & potentia fretus, inuenire modum licitum habendi deliciarum cauſâ vxores duodecim, quibus ſingulis, diebus ſingulis vteretur. Potuiſſet enim aduocare ad ſe duodecim conſanguineas, cum quibus ſingillatim matrimonij contractum celebraret ex diſpenſationibus Pontificum probabiliter validis, & probabiliter inualidis: vt ita ſingulis diebus ſubſcriberet diuerſis opinionibus, quæ probabiliter ſtarent pro ſingulis fœminis, & pro ſingularum coniugiis: quibus omnibus, pro maiori deliciarum incremento, ſingillatim pro ſingulis diebus vteretur.

36\. Quid ad hæc dicerent Reges Ethnici, qui magnam reperiunt difficultatem in amplectenda Religione Catholica, eo quod pluralitatem vxorum interdicat, à qua ſe arceri ægrè ferunt? Si tamen intelligant, eſſe modum inter Catholicos, quo vnus vir potiatur licitè duodecim vxoribus, aut vna fœmina duodecim viris.

37\. Vt ergo teterrimum hoc monſtrum fugiamus, dicendum nobis eſt, fœminam, quæ nupſit cum impedimento probabiliter dirimenti, & probabiliter nullo (ſaltem ſi eam probabilitatem cognoſcat) ſe ipſam obſtrinxiſſe expreſsè, vel tacitè ad perſiſtendum perpetuò in vinculo coniugij, & vi eius contractus certiſſimè alligatam eſſe viro, eodem modo, ac ſi verbis expreſſis ceſſiſſet iure probabilitatis, & ſe expreſsè obligaſſet ad non vtendum opinione probabili, quæ opponitur valori matrimonij.

38\. *An hæ opiniones de diuerſis maritis ſint incomprobabiles?* Nec te ſubtrahes ei barathro, licet dicas, eas opiniones probabiles, quas habet Berta pro diuerſis viris, aut quas habet Titius pro diuerſis vxoribus, eſſe incomprobabiles; ideóque non poſſe eas haberi ſimul.

39\. Etenim non intendimus, quod in eo caſu putet Berta, ſe habere plures viros ſimul; ſed quod, cùm ſingulæ ſint opiniones probabiles pro ſingulis viris, ita poſſit ſingulis diebus, vel ſingulis horis mutare opinionem, ita vt in nullo momento habeat opinionem practicam, niſi pro vno viro: quam opinionem poſſit crebrò mutare, & ſic frui diuerſis viris. Præter quam *diſp.7. cap...* oſtendi, opiniones incomprobabiles poſſe reduci ad praxim, non ſolum ſucceſſiuè, ſed etiam ſimul; in ordine tamen ad diuerſos actus, aut ad diuerſa ſubiecta. Et ita poſſe me vti opinione laxa, quæ liberat à ieiunio, & ſimul conſulere alteri ſtrictam, quæ ad ieiunium obligat. Vnde à fortiori poſſet Berta ſucceſſiuè opiniones varias ſibi inuicem repugnantes ſequi in ordine ad diuerſos viros.

40\. *Dilemma.* Denique, quia vel illæ opiniones, quas admittit Caramuel relatus *num.*1. ſunt incomprobabiles, vel non? Si primum; quomodo admittit, quod habens matrimonium probabile, poteſt vtrique opinioni pro diuerſis temporibus conformari, ſi verum eſt, quod nemo poteſt, etiam ſucceſſiuè, pro diuerſis temporibus gubernari opinionibus incomprobabilibus? Si verò dicatur ſecundum; ſicut iſtæ duæ opiniones, quas admittit Caramuel relatus *num.*1. nempe; *Iſte maritus probabilis poteſt retinere vxorem: Iſte maritus probabilis poteſt dimittere vxorem*, ſunt comprobabiles; etiam iſtæ erunt comprobabiles; *Iſte maritus probabilis poteſt retinere vxorem: Iſte maritus probabilis poteſt aliam ducere*; cùm non ſit maior repugnantia in ducenda alia, quàm in dimittenda priori.

CAPVT VI.

Probatio tertia ab ipſa eſſentia matrimonialis contractus.

41\. *Indiſſolubilitas obligat, vt quis cedat iure probabilitatis.* PRobatur tertiò. Qui celebrat matrimonialem contractum, voluntariè ſe obligat ad ſocietatem perpetuam & indiſſolubilem, adeò vt hoc genus obligandi ſe in perpetuum & indiſſolubiliter, ſit eſſentiale ipſi contractui matrimo

Digitized by Google

matrimoniali: ergo dum Berta ſciens probabilitatem impedimenti dirimentis, contrahit matrimonium, voluntariè ſe obligat ad ſocietatem perpetuam, & indiſſolubilem; neque aliter ſaluatur eſſentia contractus matrimonialis. Ergo ſi prætextu eius probabilitatis velit diſcedere à coniugio, operatur contra obligationem, quam ſponte aſſumpſit, volens diſſoluere ſocietatem, ad quam vt indiſſolubilem ſe obligauit.

42. *Repugnat eſſentiæ matrimonij vti ea probabilitate.*
Roboratur hæc ratio. Si quis ſciens, adeſſe impedimentum probabiliter dirimens, vellet ſe obligare validè, & licitè ad matrimonium probabiliter diſſolubile, & probabiliter indiſſolubile, vellet remanere cum facultate recedendi ab illo: ſed hæc voluntas contraria eſt eſſentiæ matrimonij: ergo vel contraheret matrimonium certò nullum, & irritum; vel dicendum eſt, eum, qui ſcit, adeſſe impedimentum probabiliter dirimens, nolle in tali contractu obligare ſe ad matrimonium probabiliter diſſolubile.

43. Maior patet. Nam qui ſponte, & aduertenter obligationem probabiliter diſſolubilem aſſumit, illam aſſumit, qualis ipſa eſt; & vt poteſt vi eius probabilitatis eam obligationem diſſoluere, ita per eam voluntatem, qua ſic contrahit, vult remanere cum facultate diſſoluendi talem obligationem.

44. Quod autem id ſit contra eſſentiam matrimonij, quæ erat minor præcedentis ſyllogiſmi, etiam conſtat ex terminis. Nam contra eſſentiam contractus eſſentialiter indiſſolubilis, eſt facultas diſſoluendi illum, & poteſtas recedendi ab illo, cùm indiſſolubilitas contractus ſit impoſſibilitas diſſoluendi illum. Cùm ergo matrimonium ſit eſſentialiter indiſſolubile; qui habet voluntatem remanendi cum facultate diſſoluendi illud, voluntatem habet remanendi cum poteſtate contraria impoſſibilitati diſſoluendi illud, quæ eſſentialis eſt contractui matrimoniali; atque adeò talis voluntas clariſſimè opponitur eſſentiæ contractus matrimonialis. Vnde fit, quod qui vult manere cum facultate recedendi à matrimonio, vi alicuius probabilitatis, vult aliquid contra eſſentiam eius contractus, quem celebrat.

45. Et ex his manifeſtè patet etiam illa conſequentia diſiunctiua, quam intuli *num.* 42. Nam ſi contrahens vult manere cum facultate recedendi à matrimonio, vult aliquid contra eſſentiam ipſius contractus; atque adeò contractus erit certò inualidus. Quod ſi ita celebrat contractum, vt non velit aliquid, quod ſit contra eſſentiam matrimonij; dicendum eſt, quod contrahens non vult remanere cum poteſtate recedendi à matrimonio, prætextu eius probabilitatis.

46. Dices, eum, qui ſciens probabilitatem impedimenti dirimentis, ſe obligat ad ſocietatem matrimonij perpetuam & indiſſolubilem, non ſe obligare ad ſocietatem certò indiſſolubilem, ſed probabiliter indiſſolubilem; idque ſufficere ad contractum matrimonij, cuius eſſentia non amittitur, dum remanet probabiliter indiſſolubilis.

47. *Coniux ſe obligat, quantum poteſt, ad indiſſolubilitatem.*
Inſto primò. Nam qui contrahit matrimonium, ſe obligat, quantum *poteſt*, ad abſolutam indiſſolubilitatem illius: ſed ſciens probabilitatem impedimenti dirimentis, *poteſt* ſe obligare ad non vtendum probabilitate, quæ ſtat pro nullitate matrimonij; atque adeò ad non recedendum prætextu eius probabilitatis: ergo de facto ſe obligat ad id.

Conſequentia eſt euidens. Quia in eo, qui facit, quantum poteſt, rectè valet à potentia ad actum: ſi enim Petrus dat quantum poteſt, & reuera poteſt dare centum, rectè infertur, quod dat centum. 48.

Minor verò etiam eſt euidens. Eſt enim indubitabile, quod Petrus poteſt, præſuppoſita probabilitate impedimenti dirimentis, obligare ſe reflexè ad non vtendum opinione probabili, quæ ſtat pro nullitate contractus. 49.

Maior autem conſtat ex ipſa natura contractus matrimonialis, cuius indiſſolubilitas, vt patet ex dictis, poſtulat, quod coniux non maneat reipſa cum facultate recedendi: ſi autem non ſe obligat, quantum poteſt, ad ſocietatem reipſa indiſſolubilem, vtique manet, vi probabilitatis, cum facultate recedendi. 50.

Pro cuius maiori claritate aduerte, in eo, qui nouit probabilitatem impedimenti dirimentis, poſſe conſiderari voluntatem non recedendi, & reflexam expreſſè, & reflexam virtualiter. Reflexa expreſſè eſt, cùm quis agnoſcens probabilitatem impedimenti dirimentis, expreſſè ſe obligat ad non vtendum opinione probabili quæ ſtat pro nullitate matrimonij. Reflexa virtualiter eſt, cùm quis, quamuis non dicat expreſſè, ſe non vſurum ea opinione probabili, quæ fauet nullitati matrimonij, dicit tamen aliquid æquiualens. 51. *Voluntas reflexa expreſſè, & reflexa virtualiter.*

Qui ergo ſciens probabilitatem impedimenti dirimentis, ſe obligat, quantum poteſt, ad indiſſolubilitatem contractus matrimonialis, vtique ſe obligat ad non recedendum ab illo: in hoc autem continetur æquiualenter obligatio non vtendi ea probabilitate, quæ fauet nullitati, vi cuius poſſet recedere. Itaque qui ſciens probabilitatem impedimenti dirimentis, obligat ſe quantum poteſt ad indiſſolubilitatem matrimonij, & ad non recedendum ab illo: habet vtique voluntatem virtualiter reflexam non vtendi ea probabilitate, quæ ſuffragatur nullitati matrimonij. 52.

Inſto ſecundò. Nam voluntas manendi cum facultate recedendi à matrimonio, eſt contraria indiſſolubilitati matrimonij, quæ huic contractui eſſentialis eſt: qui autem obligat ſe ad matrimonium probabiliter indiſſolubile, & probabiliter diſſolubile, vult manere cum facultate recedendi à matrimonio, à quo virtute eius probabilitatis poſſet recedere: ergo voluntas celebrandi contractum, qui ſit probabiliter indiſſolubilis, & probabiliter diſſolubilis, contraria eſt eſſentiali indiſſolubilitati matrimonij. Qui ergo contrahit matrimonium, celebrat dumtaxat contractum, qui ex voluntate reflexa ſit reipſa, & certò indiſſolubilis. 53.

Inſto tertiò. Nam ſi is, qui ſciens impedimentum probabiliter dirimens, celebraret contractum probabiliter diſſolubilem, putante altero coniuge, fieri contractum certò indiſſolubilem, huic irrogaret grauem iniuriam, pateretur que hic ingentem deceptionem; non 54.

Cc 4 enim

Digitized by Google

enim traderet hic corpus ſuum alteri, ſi non eſſet ea traditio permanſura in perpetuum. Vnde vlteriùs fieret, quod propter hanc iniuriam, & deceptionem, maneret obligatio in primo coniuge retinendi ſocietatem matrimonialem perpetuam, & indiſſolubilem: neque enim poſſet aliter eam iniuriam adæquatè reſarcire.

CAPVT VII.

Probatio quarta, ex regula de fauore ampliando.

55. PRæmitto primò, regulam eſſe iuris Canonici, quæ præſcribit, odia eſſe reſtringenda, & fauores ampliandos. Ita *in regul.15. de regulis iur.in 6.*

56. Præmitto ſecundò, conſtitutionem fauobilem non ſolùm ampliandam eſſe ad caſus dubios, ſed etiam ad caſus dubitabiles. Id latè tradidi, & oſtendi *diſp.*17. Caſum pro re præſenti appello dubium, cùm non adeſt ratio probabilis, vi cuius deponatur dubitatio. Caſum autem appello dubitabilem, cùm vtrimque dantur motiua probabilia. Poſſe enim intercedere dubitationem inter motiua vtrimque probabilia, conſtat *ex diſp.6. cap.5.* Tunc enim intellectus poteſt deponere dubitationem vi rationis probabilis: ſed quia vis rationis probabilis non eſt tanta, quanta requiritur, vt extorqueat aſſenſum; ideò licèt tunc poſſit intellectus aſſentiri, poteſt quoque ſuſpendere aſſenſum, & ſe in dubio continere. Et ideò is caſus meritò appellatur dubitabilis.

Fauor ampliandus ad caſus dubios, & dubitabiles.

57. Igitur fauorem ampliandum eſſe etiam ad talem caſum dubitabilem, multis oſtendi *ea diſp.*17. In quo præcipuè vrget argumentum inſtructum *cap.*4. Etenim quando caſus eſt dubius, certum eſt, quòd fauor ampliandus eſt ad illum, vt omnes fatentur: ergo quando denuò aduenit ratio probabilis, quæ illi ſuffragetur; etiam ad illum fauor ampliandus eſt. Non enim caſus dubius futurus eſt peioris conditionis, dum rationes probabiles illi ſuffragantur, quàm dum illæ non occurrunt. Relege ibi hoc argumentum latè diſcuſſum, & reſponſionem clarè refutatam.

58. Præmitto tertiò, cauſam matrimonialem eſſe fauorabilem, & ampliandam, vt tradidi *ea diſp.*17. *cap.*5. cum P.Thoma Sanchez & communi Iuriſperitorum ſententia. Et conſtat *ex cap. ex litteris, de probationib. & cap. fin. de ſentent. & re iudic.* vt ibidem perpendi, & *ex cap.licèt ex quadam, de teſtib.& atteſt.*

Matrimonium eſt fauorabile.

59. Hinc probatur quartò concluſio. Cauſa fauorabilis certiſſimè amplianda eſt nō ſolum ad caſus dubios, ſed etiam ad caſus dubitabiles: ſed cauſa matrimonialis eſt fauorabilis: ergo cauſa matrimonialis amplianda eſt ad caſus dubitabiles. Sed vbi vtrimque ſunt rationes probabiles pro valore, & pro nullitate matrimonij, caſus eſt dubitabilis: ergo cauſa matrimonialis amplianda eſt ad eum caſum, in quo vtrimque ſunt rationes probabiles pro valore, & pro nullitate matrimonij.

60. Omnes propoſitiones huius argumentationis eſſe certas, iam oſtendo. Maior enim clarè conſtat ex præmiſſo 2. Minor patet ex præmiſſo 3. eaque eſt euidens ex euidenti Iuris Canonici diſpoſitione. Notanda ſunt ea verba *ex cap. fin. de ſent. & re iudic. Niſi in cauſa fauorabili, puta matrimonio, libertate*, &c. Conſequentia verò obligat, vtpote ſyllogiſmi conſtructi ad normam primi modi primæ figuræ. Propoſitio deinde ſubſecuta manifeſtè conſtat *ex ea diſp.17.cap.3.* Et conſequentia ex ipſa terminorum comprehenſione conuincit.

Diſponit itaque euidenter Ius Eccleſiaſticum, in quolibet dubio, aut probabilitate circa valorem matrimonij, ſtandum eſſe pro valore matrimonij: vbi autem eſt diſpoſitio iuris euidens, facit diſpoſitionem euidentem: ergo euidens eſt deciſio, quæ tradit, in quouis dubio, aut probabilitate circa valorem matrimonij, ſtandum eſſe pro eius valore. Ergo quoties adeſt impedimentum probabiliter dirimens, vel diſpenſatio probabiliter nulla, matrimonium manet certò validum quoad praxim, & certò indiſſolubile; cùm in ea probabilitate certò ſtandum ſit pro valore matrimonij. 61.

Confirmatur ex ea doctrina, quam tradidi *ea diſp.*17. *cap.5.* ex P.Th.Sanch. P.Caſtro Palao, & quamplurimis aliis: nempe quod cùm agitur de valore matrimonij, ſententia ſingularis vnius Doctoris, quæ firma ratione nitatur, & faueat valori matrimonij, præferenda eſt ſententiæ communi reliquorum, quæ opponatur valori eius, ſi hæc non fulciatur ratione euidenti, aut textu manifeſto; idque etiam pro foro conſcientiæ, vt *ibid.* notaui cum P.Th. Sanchez. 62.

Opinio vnius de valore praualet opinioni communi.

Tùm ſic. Non poteſt dari obligatio eligendi ex duabus opinionibus practicè probabilibus vnam, niſi ratione nouæ legis aut circumſtantiæ certò obligantis ad eam electionem; nam ſi ea noua lex ſolùm probabiliter obliget, probabilitas partis oppoſitæ manet in ſuo robore; atque adeò manebit libertas electionis inter vtramque opinionem: ſed cùm agitur de valore matrimonij, adeſt obligatio eligendi ſingularem præ communi: ergo adeſt noua lex præſcribens electionem eius, quæ fauet valori matrimonij; atque adeò electionem ſingularis præ communi. Sed hæc lex in Iure Canonico eſt illa, quæ *in cap. fin. de ſent. & re iudic.* præcipit, ex duabus ſententiis oppoſitis duorum iudicum, eam valere, quæ ſtat pro valore matrimonij: quæ lex cùm non loquatur de duabus ſententiis, quarum vna ſit certò, aut euidenter iniqua, & altera, euidenter iuſta; ſic enim non eſſet ſtandum pro valore matrimonij, ſed pro ſententia euidenter iuſta; ſed loquatur ea lex de duabus ſententiis probabilibus, etiam ſine diſtinctione probabilioris & minùs probabilis; fit, hanc legem canonicam, præſuppoſita probabilitate directa vtriuſque ſententiæ, præcipere, vt illa ſententia eligatur, quæ ſuffragatur valori matrimonij. Manet ergo certum, non ſolùm in dubio, ſed etiam inter ſententias, vel opiniones probabiles, ſtandum eſſe pro valore matrimonij; & cenſendum, tale matrimonium eſſe validum. 63.

Vrgeo. Opinio minùs probabilis non poteſt eſſe digna, quæ præferatur probabiliori, niſi adſit noua lex, quæ eam prælationem iniungat: 64.

iniungat: ſed opinio ſingularis vnius Doctoris, quæ ſuffragatur valori matrimonij, eſt minùs probabilis, quam opinio communis oppoſita, ſaltem ſi rationes vtriuſque ſint paris efficacitatis; & illa præferenda eſt neceſſariò iſti: ergo adeſt noua lex, quæ talem prælationem iniungat. Eſt ergo certum, matrimonium eſſe validum, quoties pro valore, & pro nullitate ſunt opiniones probabiles, etſi minùs probabilis ſit, quæ ſuffragatur valori, cùm detur lex certa, quæ id iniungit.

65. Inquires, an fauor iſte matrimonij, qui reperitur in ſacris Canonibus, ratione cuius pro valore matrimonij ſtandum eſt in caſibus dubiis, vel dubitabilibus, ſit meri iuris humani, vel potiùs ſit iuris diuini naturalis, vel poſitiui?

66. *Is fauor matrimonij eſt iuris diuini.* In qua quæſtione dicendum eſt, non eſſe meri iuris humani hunc fauorem matrimonij, & eius ampliationem, ſed eſſe iuris diuini naturalis, vel poſitiui, ratione cuius, etiam independenter à iure humano, is fauor ſuſtinendus eſt, & ampliandus, & ad caſus dubios, & dubitabiles extendendus.

67. Quod conſtat primò *ex cap. preced.* Etenim contractus matrimonialis eſſentialiter poſtulat iure diuino omnimodam indiſſolubilitatem, & quod contrahentes ad illam ſe obligent, quantum poſſint: ſed poſſunt ſe obligare ad ſuſtinendam illam indiſſolubilitatem, dum non conſtet euidenter nullitas, ſiue dum fuerit dumtaxat dubium, vel probabile impedimentum dirimens, aut nullitas diſpenſationis: ergo iure diuino ea indiſſolubilitas extenditur ad caſus, in quibus non conſtat euidenter nullitas; ſiue in quibus dumtaxat ſit dubium, vel probabilitas de impedimento dirimenti, vel de nullitate diſpenſationis.

68. Conſtat ſecundò *ex cap.5.* Nam ſi is fauor, independenter à iure humano, non eſſet extendendus ad caſus, in quibus probabilis eſſet valor diſpenſationis, ſequeretur abſurdum ibi relatum, quod vir diuitiis, & imperio fretus poſſet obtinere ſucceſſiuè duodecim diſpenſationes dumtaxat probabiliter validas pro totidem fœminis conſanguineis, illaſque omnes domi retinens, poſſet modò vni, modò alteri opinioni adhærere; & ita omnibus duodecim vxoribus ſucceſſiuè vti. Quod ibi ſatis clarè oſtenſum eſt.

69. Conſtat tertiò *ex cap. licèt ex quadam, de teſtib. & atteſt.* vbi Innocentius III. in Concilio Lateranenſi reddit rationem, quare in dubio potiùs ſtandum ſit pro valore matrimonij, quàm pro libertate contrahentium, his verbis: *Tolerabilius eſt enim, aliquos contra ſtatuta hominum* (teſtimonia atteſtantium de impedimentis) *dimittere copulatos, quàm coniunctos legitimè contra ſtatuta Domini ſeparare.* Cuius ſenſus eſt, cùm adſunt teſtimonia hominum non euidenter probantia impedimentum dirimens, ex quibus reſultat dubium, vel incertitudo nullitatis, è duobus malis minus eligendum eſſe, & à maiori cauendum. Etenim ſi aliqui dimittantur copulari, qui coram Deo non ſunt legitimi coniuges, imminet inde malum fornicationis: ſi verò ſeparentur, qui coram Deo ſunt legitimè coniugati, inde imminet malum iniuſtitiæ contra fidem matrimonij, illam quidem omnimodis indiſſolubilem. Eſt autem maius malum, & potiori iure vitandum, quod eſt contra id genus iuſtitiæ, quàm quod pugnat contra caſtitatem.

In dubio ergo, in quo dubitatur, an contrahentes, ſi maneant copulati, fornicentur; 70.
an potiùs ſi maneant ſeparati, peccent contra iuſtitiam, ob fidem matrimonij, ex ſtatuto Domini indiſſolubilem, ſtandum eſt fauori matrimonij, ob maius malum vitandum. Et in incertitudine (quæ etiam tranſcendit probabilitatem) qua incerti ſumus, an violetur caſtitas per coniunctionem contrahentium, an potiùs violetur ſtatutum Domini de omnimoda indiſſolubilitate matrimonij, ad quam ex eodem Domini ſtatuto ſe obligant contrahentes, quantum poſſunt; pro eo ſtatuto Domini, & obligatione contrahentium ſtandum eſt: præcipuè cùm iſta ſit reflexa pro omni caſu, in quo impedimentum dirimens, aut nullitas diſpenſationis non fuerit euidens. Ex prædicta ergo incertitudine oritur, quòd contrahentes, ob maius malum vitandum, ſuffragari debeant valori matrimonij: atque adeò independenter ab omni diſpoſitione humana id verum cenſendum eſt.

Notanter dixi initio huius aſſertionis, hunc fauorem matrimonij eſſe *iuris naturalis*, vel 71.
poſitiui diuini. Quia cùm is fauor matrimonij procedat ab omnimoda indiſſolubilitate (ſeruata proportione, & aliqua diuerſitate inter matrimonium ratum, & conſummatum, vt infrà explicabimus;) hæc autem indiſſolubilitas procedat, ſecundùm aliorum ſententiam, à iure diuino poſitiuo, & ſecundùm aliorum ſententiam, ab ipſo iure naturali; ideò vtrumque ius diſiunctiuè poſui, vt abſtraherem ab ea quæſtione. De quo videndus eſt P. Th. Sanchez *lib.2. de Matrim. diſp.*13.

CAPVT VIII.

Probatio quinta, ex certitudine diſſolutionis priorum nuptiarum, requiſita, vt quis tranſeat ad ſecundas nuptias.

PRobatur quintò. Si ſufficeret probabilitas 72.
de nullitate matrimonij, vt validè & licitè poſſet ab eo recedere; ſufficeret probabilitas de diſſolutione prioris matrimonij, vt poſſet quis ad ſecundum matrimonium tranſire: ſed ad hoc non ſufficit probabilitas de diſſolutione prioris matrimonij, ſed requiritur certitudo: ergo non ſufficit probabilitas de nullitate matrimonij, vt quis licitè poſſit ab eo recedere.

Conſequentia eſt euidens à communi arguendi modo Dialecticorum, à propoſitione 73.
conditionali, & negatione ſecundæ partis ad negationem prioris. Ea enim argumentatio eſt ſimilis huic: *Si Petrus curreret, moueretur: ſed non mouetur: ergo non currit.*

Maior etiam eſt euidens. Nam vbi quis poteſt validè, & licitè recedere ab obligatione 74.
matrimonij, liber manet, & à priori vinculo abſolutus: aſt vbi quis liber eſt, & à priori vinculo abſolutus, poteſt ad ſecundas nuptias tranſire, niſi profeſſione, vel aliũde impediatur.

Quod

Digitized by Google

75. Quod autem, vt quis tranſeat ad ſecundas nuptias, non ſufficiat probabilitas de diſſolutione priorum, ſed requiratur certitudo (quæ erat minor prioris ſyllogiſmi) patet primò *ex cap. Dominus, de ſecundis nuptiis.* Vbi dicitur: [Sane ſuper matrimoniis, quæ ex vobis (nondum habita obeuntis coniugis *certitudine*) contraxerunt; id vobis reſpondemus, vt nullus amodò ad ſecundas nuptias migrare præſumat, donec ei *conſtet*, quod ab hac vita migrauerit coniux eius.] Vbi nota, expreſsè poſtulari *certitudinem*, & quod *conſtet* de morte prioris coniugis; atque adeò non ſufficere notitiam probabilem.

76. Et *cap. in præſentia, de ſponſalibus*, dicitur: [Quantocumque annorum numero ita remaneant, viuentibus viris ſuis, non poſſunt ad aliorum conſortium canonicè conuolare: nec authoritate Eccleſiæ permittas contrahere, donec *certum nuntium* recipiant de morte virorum. Vbi etiam notanda eſt *certitudo nuntij*, quam lex poſtulat.

77. Scio, eſſe non ignobilium Doctorum ſententiam, aſſerentium, ſufficere probabilitatem de obitu coniugis, vt quis priuata authoritate tranſeat ad ſecundas nuptias: certitudinem autem poſtulatam in duobus textibus relatis, ſolùm requiri, vt quis authoritate Eccleſiæ tranſeat ad ſecundas nuptias. Quam opinionem dicit probabilem P.Th. Sanch. *lib.2. de Matrim. diſp.46. num.5.*

Opinio aiens, non requiri certitudinem de morte coniugis.

78. Oppoſitam ſententiam de certitudine obitus prioris coniugis requiſita, tam vt quis priuata authoritate, quàm vt publica iudicis Eccleſiaſtici, tranſeat ad ſecundas nuptias, tenent plures & nobiliores Authores, quos referunt, & ſequuntur P.Th.Sanchez *cit.num.6.* & P.Caſtro Palao *tom.5. diſp.4. punct.13. §. 1. num.3.* qui omnes putant, id clarè conſtare ex relatis textibus, qui poſtulant certitudinem ad vtrumque. In priori enim dicitur, *donec ei conſtet*, &c. cùm priùs reprehendiſſet Pontifex eos, qui, *Nondum habita obeuntis coniugis certitudine, contraxerunt*, &c. Et in poſteriori vtrumque fieri prohibetur ſine certo nuntio, ibi: *Donec certum nuntium recipiant de morte virorum.*

79. Itaque probatio minoris procedit iuxta horum Authorum ſententiam, quam putant clarè contineri in ſacris Canonibus. Sed ſi diſcurrere velis iuxta oppoſitam opinionem, ſcias oportet, eam non officere noſtræ concluſioni. Nam iuxta illam dici poterit, quòd quamuis prior maritus ſe obligauerit ad non deſerendum matrimonium, donec euidenter conſtet de nullitate; & fœmina eodem modo ſe obſtrinxerit: tamen hæc, iuxta illam opinionem oppoſitam, licèt ſe obligauerit ad tuendum matrimonium, donec conſtet euidenter de nullitate, id quidem intelligitur vtroque coniuge ſuperſtite; aſt non videtur ſe obligaſſe ad tuendum prius matrimonium, vſque dum euidenter conſtet de morte prioris coniugis, ſed vſque dum probabiliter innoteſcat mors illius.

Quid dicendum iuxta oppoſitā opinionem?

80. Sed tamen vrgentiùs probatur minor prioris ſyllogiſmi. Etenim dum ſuperſtes eſt vterque coniux, non poteſt diſſolui matrimonium, niſi detur plena probatio de impedimento dirimenti, atque adeò de nullitate inde proueniente, nec ſufficit ſemiplena: ſed cum ſemiplena probatione de nullitate, matrimonium eſt probabiliter nullum: ergo coniugi non licet recedere à matrimonio probabiliter nullo. Sed eadem eſt ratio de nullitate matrimonij, cùm vterque coniux ſuperſtes eſt, ac de diſſolutione matrimonij ex morte alterius coniugis: requiritur ergo certitudo de diſſolutione priorum nuptiarum, vt quis poſſit tranſire ad ſecundas nuptias, nec ſufficit ſola probabilitas.

Requiritur plena probatio impedimenti, vt diſſoluatur matrimonium.

Minor, & vtraque conſequentia manifeſtæ ſunt. Et maior non minùs conſtat. Deciditur enim expreſsè *in cap.1. de conſanguinit.* & ibi omnes Canoniſtæ. Quod tanquam omninò certum affirmat P.Thomas Sanchez *lib.2. de Matrim.diſp.45. num.30.* Quæ videntur iure optimo à ſacris Canonibus diſpoſita; & intelligenda ſunt ad normam eorum, quæ *cap.6.* dicta ſunt. Nam cùm indiſſolubilitas eſſentialis matrimonio exigat, vt contrahens ſe obliget, ad non recedendum, donec euidenter conſtet de nullitate; optimè prouiſum eſt in iure Canonico, non eſſe declarandam nullitatem per ſolam ſemiplenam probationem, quæ dumtaxat facit probabilitatem; ſed per moraliter euidentem, ſiue plenam probationem. 81.

CAPVT IX.

Probatio ſexta, ex eo quod nemo deturbatur à poſſeſſione ob ſolas rationes probabiles verſantes circa proprietatem.

HOc idem argumentum tetigi *diſp.16.cap.8. art.3.* Quod ſic inſtauro. Vbi poſſeſſio eſt certa, nemo poteſt ab illa deturbari propter ſolas rationes probabiles verſantes circa proprietatem: ſed in matrimonio, præcipuè conſummato, alter coniux habet poſſeſſionem certam in corpore alterius: ergo non poteſt deturbari à tali poſſeſſione ob ſolas rationes probabiles de proprietate, id eſt, de nullitate matrimonij, ſiue de libertate ſua. 82.

Minor, & conſequentia ſunt indubitabiles. Maiorem oſtendi in loco citato, præcipuè *art.4.* ex ipſa definitione poſſeſſionis legitimæ, quæ eſt *Ius inſiſtendi rei non prohibita poſſideri.* Qui ergo poſſidet, habet ius certum retinendi rem poſſeſſam. Contra quod ius certum prævalere non poteſt probabilitas de proprietate. Nam ius certum retinendi, & debitum probabile reſpuendi eandem rem, manifeſtam implicat contradictionem, vt oſtendi *loco cit. art.5.* Nam ex duabus contradictoriis, ſi vna eſt probabiliter vera, implicat, quod oppoſita ſit certa, aut certò falſa. Nam quæ merè probabilis eſt, eſt incerta. Incerta autem non poteſt contradicere certæ; quæ enim contradicit certæ, eſt certò falſa. Cùm ergo hæc propoſitio, *Petrus habet ius retinendi vxorem*, ratione poſſeſſionis matrimonij ſit certa; implicat, quod hæc ſit probabilis, *Vxor poteſt recedere à Petro*; quæ infert contradictoriam primæ, *Petrus non habet ius retinendi vxorem.* 83.

Contra ius certum non valet ius probabile.

Confirmatur. Coniux, qui habet opinionem probabilem de nullitate, tenetur reddere debitum alteri coniugi petenti: ergo coniux, 84.

qui

qui habet opinionem probabilem de nullitate, non poteſt à matrimonio recedere. Hæc conſequentia eſt euidens, quia reddere debitum, & recedere à matrimonio, non ſunt compoſſibilia. Antecedens autem definitur *in cap. inquiſitioni, de ſent. excommun.* & clarè oſtendi *diſp.16.cap.8. art.5.*

CAPVT X.

Dirimitur ſecunda quæſtio in partem affirmatiuam, & probatur.

85. SEcunda quæſtio propoſita in fine capitis 2. erat, an qui contrahit matrimonium, ignorans probabilitatem nullitatis & valoris matrimonij, adhuc ſe obliget ad non procedendum contra valorem matrimonij; etiamſi poſtea reſultet aliqua probabilitas ex parte nullitatis matrimonij, cenſeaturque ab initio cedere quouis iure probabilitatis poſteà apparentis, quæ ignoratur tempore celebrationis contractus?

86. *Inſcius probabilitatis cedit iure probabilitatis in matrimonio.* In qua quæſtione dicendum eſt, etiamſi ignoretur ea probabilitas, coniuges ſe obligare reflexè ad perſiſtendum in matrimonio, etiamſi poſtea appareat vtrimque probabilitas pro valore & pro nullitate matrimonij, vel dumtaxat pro nullitate. Hæc concluſio probatur omnibus argumentis, quibus deciſio præcedentis quæſtionis probata eſt, in eo, qui callet probabilitatem valoris & probabilitatem nullitatis matrimonij. Nam argumenta ſuperiùs inſtructa eandem vim retinent, ſiue contrahens tempore contractus calleat, ſiue ignoret prædictam probabilitatem, vt ſeriò perpendenti conſtabit.

87. Solùm poteſt eſſe dubitatio de tertia probatione inſtructa *cap.6.* deſumpta ex ipſa eſſentia, & indiſſolubilitate matrimonialis contractus. Sed eandem vim habere in hoc caſu, ſic oſtendo, inſtaurando argumentum ibi propoſitum. Qui contrahit matrimonium (ſiue ſciens, ſiue ignorans probabilitatem nullitatis matrimonij pro vtraque parte) ſe obligat, quantùm poteſt, ad indiſſolubilitatem illius: ſed poteſt ſe obligare ad non vtendum probabilitate, quæ ſtet pro nullitate matrimonij: ergo de facto ſe obligat ad id. Certitudinem præmiſſarum & conſequentiæ ſatis comperies *in eo cap.6.*

88. Dices. Nemo ſe obligat in contractu ad id, quod non cognoſcit; quia nihil volitum, quin præcognitum: ergo qui eiuſmodi probabilitatem non agnoſcit, non ſe obligat ad illam amplectendam, vel deſerendam. Et quidem nemo cedit iure, quod non agnoſcit: ergo ſi non agnoſcit ius probabilitatis, quod ſibi ex ea opinionum probabilitate obtigit, vtique non poterit cedere illo iure probabilitatis, manebitque cum libertate perſiſtendi in eo matrimonio, & deſiſtendi ab eo.

89. *Quomodo poſſit quis ſe obligare ad incognitum?* Hæc tamen ſiue obiectio, ſiue reſponſio eſt fallax. Pro cuius æquiuocatione dignoſcenda aduerte, dupliciter poſſe aliquid cognoſci in ordine ad ſe obligandum: primò, clarè & expreſsè; ſecundò implicitè, & in confuſo. Hoc ſecundo modo cognoſcitur aliquid, & amatur, cùm quis cognoſcit, & vult aliquid omninò inſeparabile ab illo; ſiue cùm quis cognoſcit & vult rem, in qua continetur illud aliud. Ita qui celebrare vult contractum mutui, etſi neſciat, in illo fieri tranſlationem dominij in mutuatarium, verè vult, ſaltem implicitè, prædictam tranſlationem dominij; quia vult totum, quod eſſentialiter includitur in contractu mutui; eodemque modo cognoſcit illud, nempe in confuſo.

90. *Vxor inſcia obligationis reddendi debitum, ad illud ſe obligat.* Et ne egrediamur fines præſentis materiæ, in matrimonio idem cernitur. Multas vxores audiui inter confitendum, quæ licèt ſcirent, licitam eſſe copulam coniugalem, neſciebant tamen, eſſe obligationem ſub reatu peccati, reddendi coniugi debitum coniugale. Et tamen dubitari non poteſt, eas fœminas ſponte ſe obſtrinxiſſe ad onus grauiter obligatorium, reddendi debitum coniugale. Quis enim dicere audebit, eas fœminas non eſſe monendas de obligatione, quam ſubierint reddendi debitum? Igitur obſtrinxerunt ſe onere ſoluendi debitum coniugale, quatenus ſponte voluerunt celebrare contractum matrimonij cum omnibus oneribus illi adnexis. Cognouerunt ergo in confuſo, & eodem modo voluerunt aſſumere, eam obligationem reddendi debitum; etſi expreſsè & clarè eam obligationem non cognouerint, nec voluerint: quia matrimonium ſine illa obligatione ſtare non poteſt; & illa obligatio continetur in ipſo matrimonij contractu. Et qui vult ſubire omnia onera matrimonij, etſi ſingillatim non cognoſcat illa, verè vult iſtud, quamuis non expreſsè cognitum, quia eſt in confuſo cognitum, & continetur implicitè in illa generali voluntate amplectendi omnia onera matrimonij.

91. Ita ſimiliter qui neſciens propobabilitatem nullitatis matrimonij, iſtud contrahit, vult eius omnimodam indiſſolubilitatem, quam ipſa natura contractus eſſentialiter includit; neque hæc poteſt ſtare, ſi quis prætextu probabilitatis velit matrimonium diſſoluere. Quare indiſſolubilitas omnimoda matrimonij continet excluſionem cuiuſcunque rationis probabilis, quæ faciat matrimonium ad nutum diſſolubile. Et ita qui vult celebrare contractum omnimodè indiſſolubilem, cùm velit omnia eſſentialia talis contractus, vult, & cognoſcit implicitè, & in confuſo excluſionem cuiuſcunque rationis probabilis, ratione cuius is contractus ſit ad nutum diſſolubilis: & ita cedit eo iure libertatis, quod ſibi poſſet præſtare probabilitas opinionum, ad matrimonium pro nutu diſſoluendum.

92. Ex huc vſque dictis patet, dum coniuges (ſiue conſcij, ſiue inſcij probabilitatis de nullitate, & de valore matrimonij) cedunt iure probabilitatis deſeruentis ad diſſolutionem matrimonij, id præſtare tam ex obligatione iuris naturalis, quàm ex præſcripto iuris Canonici. Et quidem argumentum factum in hoc, & *in cap.6.* deſumptum ex indiſſolubilitate, ad quam coniux ſe obligat; quidquid probat, manifeſtè conuincit, id eſſe independenter à quolibet iure humano; atque adeò id prouenire ex iure diuino, ſiue poſitiuo, ſiue naturali; ab hac enim quæſtione modò abſtraho. Duo autem argumenta inſtructa *cap.7. & 8.* licèt conſtet, habere vim ex diſpoſitione ſacrorum

rum

Digitized by Google

rum Canonum; conſtat tamen *ex cap.* 7. id oriri à iure diuino; & verum eſſe, etiam independenter à iure humano. An autem argumentum deſumptum à poſſeſſione legitima, vim habeat etiam à iure naturali, an à ſolo humano, modò non definio.

CAPVT XI.

Occurritur duabus obiectionibus.

93. OBiicies primò. Vbi adeſt impedimentum probabiliter nullum, probabile eſt, id matrimonium eſſe nullum: ergo quilibet prudens poteſt, vi eius probabilitatis, ei nullitati aſſentiri: nam ſuppoſito quod aliqua opinio ſit probabilis, quilibet prudens poteſt, vi eius probabilitatis, ei aſſenſum præbere. Ergo prudens eſt, qui dicit, illud matrimonium eſſe validum, cùm non prudenter, ſed potiùs imprudenter dicatur, nullum eſſe matrimonium, quod eſt certò validum.

94. Confirmatur. Implicat contradictionem, quod matrimonium ſit certò validum, & ſimul ſit probabiliter nullum; ſicut implicat, è duobus contradictoriis (quales ſunt valor & nullitas matrimonij) vnum eſſe certum, & alterum probabile: ſed vbi adeſt impedimentum probabiliter dirimens, matrimonium eſt probabiliter nullum: ergo implicat terminos concluſio noſtra, dum aſſerit, illud matrimonium; cui adeſt impedimentum probabiliter dirimens, eſſe certò validum quoad praxim.

95. *Retorquetur argumentum.* Reſpondeo in primis, hoc argumentum pugnare aduerſus concluſionem ab omnibus admittendam, nempe contra eam, quæ docet, poſſe contrahentem cedere expreſsè & reflexè iure probabilitatis, & poſſe obligare ſe ad non vtendum ea opinione, quæ ſtat pro nullitate matrimonij. Nam in hoc caſu certum eſt, non poſſe coniugem recedere à matrimonio, vi probabilitatis excluſæ in ipſo contractu: & tamen in eo inuenitur impedimentum probabiliter dirimens, atque adeò nullitas probabilis.

96. *Sub diuerſa ratione eſt certò validum, & probabiliter nullum.* Deinde reſpondeo diſtinguendo antecedens: probabile eſt, hoc matrimonium eſſe nullum, [attenta obligatione reflexa,] nego; [attenta præciſa obligatione directa, quæ præciſè oritur ex ſolo impedimento,] concedo. Itaque ſi conſideremus impedimentum probabiliter dirimens, & non attendamus ad obligationem reflexam, qua contrahens ſe obligat ad non vtendum vlla probabilitate, quæ præſcribat diſſolubilitatem matrimonij; matrimonium eſt probabiliter nullum. Si verò attendamus ad eam obligationem, qua quis reflexè ſe obligat ad non vtendum ea probabilitate, quæ faueat nullitati, ſiue qua quis ſe obligat ad ſtandum pro matrimonio, dum hoc non fuerit euidenter nullum; ſic matrimonium in eo caſu non eſt probabiliter nullum quoad praxim, ſed certò & euidenter validum, obligatorium, & indiſſolubile.

97. Et ſic patet, conſequens eodem modo diſtinguendum: ergo quilibet prudens poteſt aſſentiri nullitati matrimonij, [attenta præſciſè vi directa impedimenti,] concedo; [attenta etiam obligatione reflexa,] nego. Quæ diſtinctio patet ex dictis. Et ſimiliter ad ſecundum conſequens dic, prudentem eſſe, qui dicit, illud matrimonium eſſe nullum præſciſè ex vi directa impedimenti; non tamen eſſe prudentem, qui dicit, illud eſſe nullum quoad praxim, attenta obligatione reflexa, qua contrahens ſe obligauit ad non vtendum probabilitate, quæ ſuffragetur diſſolubilitati matrimonij: Et eodem modo diſtinguendum eſt tertium conſequens.

Ad confirmationem diſtinguo maiorem: implicat, quod matrimonium ſit certò validum [attenta obligatione reflexa,] & probabiliter nullum [præſciſè ex vi directa impedimenti probabilis,] nego; quod ſit certò validum, & probabiliter nullum, [ſub vna & eadam ratione ex prædictis,] concedo. Itaque contradictionem implicat, quod attenta obligatione reflexa contrahentis, matrimonium ſit certò validum, & probabiliter nullum: & ſimiliter implicat, quod præſciſè ex vi directa impedimenti probabilis, ſit probabiliter nullum, & certò validum. Aſt quod ſub vna ratione ſit certò validum, & ſub alia ratione præſciſa ſit probabiliter nullum, nullo modo implicat. Eatenus enim id eſſet implicatorium, quatenus implicantur termini in eo, quod ex duabus contradictoriis altera ſit certa, & altera probabilis: atqui iſtæ duæ non ſunt contradictoriæ, neque contradictionem inferentes, *Hoc matrimonium eſt validum, attenta obligatione reflexa: Hoc matrimonium eſt nullum, attenta præſciſe vi directa impedimenti probabilis.* Quare non repugnat quod prima ſit certa, & ſecunda probabilis. 98.

Obiicies ſecundò. Qui contrahit matrimonium, ſciens vim impedimenti probabiliter dirimentis, poteſt contrahere cum ea expreſſa intentione non cedendi iure probabilitatis ſuffragantis nullitati. Si autem eam habet intentionem, non contrahit illam obligationem reflexam, quæ matrimonium probabile reddit omnimodis indiſſolubile: ergo ſi ita contrahat, manet matrimonium abſque ea obligatione reflexa; atque adeò manet probabiliter diſſolubile. 99.

Reſpondeo, idem argumentum fieri poſſe ad probandum, poſſe ſtare matrimonium abſque obligatione reddendi debitum; ſi nimirum contrahentium alter matrimonium ineat cum ea expreſſa intentione non ſe obligandi ad reddendum debitum coniugale. In quo caſu reſpondebit quilibet, eum, qui contraheret cum intentione non ſe obligandi ad redditionem debiti coniugalis, non celebraturum verum contractum matrimonij, quia obiectum eius intentionis aduerſatur eſſentiæ matrimonij. 100. *Retorquetur argumentum.*

Eodem ergo modo reſpondeo, eum, qui contraheret cum expreſſa intentione non ſe obligandi ad omnimodam & certiſſimam indiſſolubilitatem matrimonij, ſiue cum expreſſa intentione relinquendi locum probabilitati pro diſſolubilitate matrimonij, aliquid agere, quod eſt formaliter contra eſſentiam contractus matrimonialis; atque adeò ſi contrahat cum ea expreſſa intentione non cedendi iure probabilitatis ſuffragantis nullitati, matrimonium euadere nullum, defectu conſenſus requiſiti ad eſſentiam talis contractus; quia ea intentio 101. *Qui contrahit nolens cedere eo iure, inualidè contrahit.*

Digitized by Google

Intentio aduerſaria eſt eſſentiæ matrimonij, vt patet ex dictis.

CAPVT XII.

Soluitur tertia obiectio, & inſtantia difficilis.

101. Obiicies tertiò. Si is, qui contrahit cum impedimento probabiliter dirimenti, faceret matrimonium certum, & certò indiſſolubile; poſſet non ſolùm reddere, ſed etiam petere debitum coniugale: atqui ille petere non poteſt debitum coniugale: ergo qui contrahit matrimonium cum impedimento probabiliter dirimenti, non facit matrimonium certum, nec certò indiſſolubile. Minor probatur. Nam ita deciditur *in cap. Inquiſitioni, de ſent. excommun.* illis verbis: *Verum cùm conſcientia pulſat animum ex credulitate probabili, & diſcreta, quamvis non euidenti, & manifeſta; debitum quidem reddere poteſt, ſed poſtulare non debet: ne in alterutro vel contra legem coniugij, vel contra iudicium conſcientiæ committat offenſam.*

103. *Qui habet vtrimque probabilitatem, poteſt petere debitũ.* Sed huic argumento facilè reſpondetur ex vero, & legitimo ſenſu, quem ei textui adhibuit P. Thomas Sanch. *lib. 2. de Matrim. diſp. 44. num. 4.* illum quidem intelligi, quando eſt probabilitas pro nullitate matrimonij, non verò pro valore ipſius. Nam vt quis poſſit petere debitum, debet habere ſaltem probabilitatem de valore, modo inferiùs explicando. Nos autem cùm diximus, ſtante impedimento probabiliter dirimenti, matrimonium manere certò validum quoad praxim, & certò indiſſolubile, locuti ſumus in caſu, quo ſtat probabilitas pro nullitate, & probabilitas pro valore. In quo caſu taliter contrahens non ſolùm poteſt reddere debitum, ſed etiam petere, vt notauit P. Th. Sanchez *loc. cit.* Quid autem dicendum ſit, quando motiua probabilia ſtant pro nullitate, nulla autem talia pro valore, conſtabit ex inferiùs dicendis.

104. Dices. Qui ſcienter contrahit, habens rationes probabiles pro exiſtentia impedimenti dirimentis, nullas autem probabiles pro carentia talis impedimenti; cùm ſe obliget ad matrimonium indiſſolubile, etiam ſe obligat ad ſtandum pro valore matrimonij dum impedimentum non fuerit euidens: ergo etiam ſic contrahit cum obligatione reflexa ad indiſſolubilitatem: ergo contrahit matrimonium certò indiſſolubile. Sed qui contrahit matrimonium certò validum, & certò indiſſolubile, poteſt petere debitum: ergo qui contrahit habens rationes probabiles pro exiſtentia impedimenti dirimentis, nullas autem pro carentia eius, poteſt petere debitum.

105. Confirmatur. Ille, qui bona fide contraxit matrimonium, & conſummauit, & poſteà aduertit rationes probabiles pro exiſtentia impedimenti dirimentis, nullas autem pro carentia eius, non poteſt recedere à matrimonio, aliàs non teneretur reddere debitum coniugale: ergo in eo caſu matrimonium manet certò validum, & certò indiſſolubile. Atqui dum matrimonium eſt certò validum, & certò indiſſolubile, poteſt coniux petere debitum: ergo qui poſt contractum & conſummatum bona fide matrimonium, aduertit rationes probabiles pro exiſtentia impedimenti, & nullas pro carentia eius, poteſt petere debitum. Quod eſt contra eam deciſionem canonicam *in cap. inquiſitioni*, relato. Ergo (arguendo ab oppoſito contradictorio conſequentis ad oppoſitum contradictorium antecedentis) ſi in eo caſu non poteſt petere debitum, in eo caſu non manet matrimonium certò validum, & certò indiſſolubile; cum tamen rationes à nobis hucuſque factæ conuincant, quod etiam in hoc caſu ſe obligat reflexè ad ſtandum pro matrimonio, dum non fuerit euidens impedimentum dirimens.

Pro ſolutione obiectionis, & claritate huius materiæ, aliquæ poſitiones ſtatuendæ ſunt. 106. *In dubio vincibili de valore, non poteſt petere.* Prima. Coniux habens dubium vincibile de valore matrimonij, non poteſt petere debitum: quia poſſeſſor dubitans, an res ſit ſua, non poteſt vti tanquam dominus re illa, antequam veritatem inueſtiget, quantum prudenter poſſit. Tenetur tamen coniux reddere debitum: quia in nullo dubio ſpeculatiuo poteſt poſſidentem à ſua poſſeſſione deturbare. Ita communis ſententia, quam optimè probat P. Thomas Sanchez *lib. 2. de matrim. diſput. 41. num. 46.* cum multis aliis. Vide etiam P. Leſſium *de Iuſt. cap. 14. dub. 41. n. 23.*

Secunda. Coniux habens dubium inuincibile de impedimento dirimenti, tenetur reddere debitum propter rationem proximè exhibitam; & poteſt petere, quia ſic dubitans ignorat inuincibiliter impedimentum tum dirimens. 107. *In dubio inuincibili poteſt petere.* Nec poteſt dici, eam ignorantiam eſſe vincibilem ex eo capite, quod in eo caſu debeat coniux reſoluere dubium in partem tutiorem & ſtrictiorem, nempe non petendi debitum. Quia dum homo poteſt deponere dubium practicum ex ratione probabili, non tenetur ſecundum plures Doctores, reſoluere illud in partem tutiorem; atque adeò dubium manet inuincibile, ſicut & ignorantia, vt oſtendi *diſp. 15. cap. 3. art. 2. & cap. 9.* Coniux autem in illo caſu deponit dubium vi probabilitatis ſententiæ docentis, quod poteſt petere, ſaltem ratione poſſeſſionis. Et ita hanc concluſionem tuetur P. Thomas Sanch. ſuprà citatus, & P. Leſſius relatus, agens de bonis fortunæ.

Tertia. Coniux qui habet rationes probabiles pro nullitate, nullas autem tales pro valore matrimonij, poteſt continere ſe in dubio. 108. *Habens rationes probabiles pro nullitate, non pro valore, poteſt ſe continere in dubio.* Tum quia inter rationes probabiles, vtrimque, vel ex alterutra parte militantes, poteſt adeſſe dubitatio, vt demonſtraui *diſp. 6. cap. 5.* Tum etiam quia rationes probabiles non cogunt intellectum ad aſſenſum eius partis, vt ibidem oſtendi.

Vbi notabis primò, eum, qui habet aſſenſum probabilem de nullitate, & nullas rationes probabiles pro valore matrimonij, non poſſe dubitare in ſenſu compoſito. 109. *Qui habet aſſenſum probabilem, non poteſt ſimul dubitare.* Quia, vt conſtat ex relata *diſp. 6. cap. 5.* aſſenſus probabilis non poteſt componi cum dubitatione. Poteſt tamen dubitare, deſerendo eum aſſenſum; vt ex ibidem dictis conſtat.

Notabis ſecundò, melioris conditionis (in ordine 110.

Digitized by Google

Melioris conditionis eſt purè dubitans, quàm opinans de nullitate.

ordine ad valorem matrimonij, & ad reddendum, & petendum debitum) eſſe dubitantem (abſque rationibus probabilibus pro alterutra parte) de nullitate & valore matrimonij, quàm eum, qui habet rationes probabiles pro nullitate, nullas autem pro valore; quia iſte magis inclinat ad nullitatem, quàm purè dubitans, qui eſt in æquilibrio.

111.
Cum ratione probabili, & ſpe maioris notitia, tenetur inquirere.

Quarta. Qui habet actualiter motiuum probabile pro impedimento dirimenti, nullum autem motiuum tale pro carentia eius impedimenti, & ſperat obtinere maiorem certitudinem, ſiue dubitet, ſiue habeat aſſenſum de impedimento, tenetur præmittere examen veritatis circa nullitatem, vt poſſit petere debitum. Et quidem cùm melioris conditionis ſit dubitans de impedimento dirimenti, & carentia eius, quàm habens aſſenſum probabilem de impedimento, & nullam rationem probabilem pro carentia impedimenti; ſi eiuſmodi dubitans cum ſpe obtinendi maiorem certitudinem, tenetur inquirere veritatem, à fortiori ille qui habet aſſenſum probabilem de impedimento dirimenti, & nullam rationem probabilem pro carentia eius, tenebitur inquirere veritatem nullitatis, vel valoris matrimonij. Præterea quia in eo caſu aſſenſus probabilis habet incertitudinem vincibilem, ſiue quæ vinci ſperatur: cùm autem incertitudo eſt vincibilis, debet homo conari ad certitudinem, pro ſecuritate conſcientiæ.

112.
Sine ſpe maioris notitia eſt incertitudo inuincibilis.

Quinta. Si ille, qui habet actualiter motiuum probabile pro impedimento, nullum autem tale pro carentia eius, non habeat ſpem obtinendi maiorem notitiam, aut certitudinem; ille quidem habet ignorantiam, vel potiùs incertitudinem inuincibilem veritatis. Et quidem ſi dubitet, habet dubium inuincibile; neque enim tenetur reſoluere illud in partem ſtrictiorem in ordine ad praxim, propter dicta *in poſitione* 2. Si verò non dubitet, ſed habeat aſſenſum de impedimento dirimenti probabilem, habet quidem incertitudinem vincibilem.

113.
Cum ratione probabili de nullitate, & ſpe maioris notitia, non poteſt petere

Sexta. Qui habet rationes probabiles pro impedimento dirimenti, nullas autem tales pro carentia eis, cum ſpe obtinendi maiorem notitiam, vel certitudinem, tenetur reddere debitum coniugale, ſed non poteſt petere. Et in hoc ſenſu intelligitur textus relatus *ex cap. inquiſitioni, de ſentent. excommunic.* Ratio eſt, quia ad deturbandum alterum coniugem à ſua poſſeſſione, non ſufficit probabilitas nullitatis, cùm poſſeſſio ſit ius certum retinendi, contra quod non poteſt præualere nullitas probabilis. Non autem poteſt petere: nam vel in eo caſu dubitat vincibiliter; vel ſi habet aſſenſum probabilem de nullitate, tamen eſt incertus vincibiliter. Quandiu autem quis eſt vincibiliter incertus, vel dubius, tenetur præmittere examen veritatis, antequàm vtatur re tanquam ſua, & tanquam exiſtenti ſub dominio ſuo.

144.
Sed ſine ſpe maioris notitiæ poteſt petere.

Septima. Coniux, qui habet rationes probabiles pro impedimento dirimenti, nullas autem pro carentia eius, abſque ſpe obtinendi maiorem notitiam, ſi ſe contineat in dubio, habet dubium inuincibile: ideò poteſt petere, & tenetur reddere debitum, ſicut diximus de dubio inuincibili ſuprà *in poſit.* 2.

Octaua. Si coniux habet aſſenſum probabilem de impedimento dirimenti, nulla autem ratio probabilis ei occurrat pro carentia impedimenti, & ſit cum ſpe aſſequendi maiorem certitudinem de impedimento, vel carentia eius; ſe gerere debet ſicut in dubio vincibili, propter dicta *in poſit.* 4. Et in hoc præcipuè caſu loquitur Pontifex in relato capite *Inquiſitioni, de ſent. excommun.* vt patet ex illis verbis: *Ex credulitate probabili & diſcreta, quamvis non euidenti & manifeſta.* Credulitas autem videtur denotare aſſenſum. 115.

Cum aſſenſu probabili de nullitate, non de valore, & cum ſpe maioris notitia ſe geris vt in dubio vincibili.

Sed dubitari poteſt, an loquatur etiam Pontifex in caſu, quo quis habet aſſenſum probabilem & incertum de impedimento dirimenti, & nullam rationem probabilem de carentia eius; tamen ſine vlla ſpe aſſequendi vlteriorem certitudinem, ita vt in hoc caſu non poſſit petere debitum coniugale? 116.

Sit nona poſitio. Coniux in hoc caſu ſe gerere debet, ſicut in dubio inuincibili; ideóque poteſt petere debitum: neque de hac hypotheſi loquitur Pontifex in verbis relatis. Tum quia coniux in ea hypotheſi habet incertitudinem inuincibilem. Tum etiam, quia cùm coniux poſſit ſe continere intra dubium, deſerendo aſſenſum; ſicut licet illi dubitare inuincibiliter, ita licebit gerere ſe adinſtar dubitantis inuincibiliter, quamvis reipſa non dubitet, ſed aſſentiatur probabiliter nullitati. 117.

Cum aſſenſu probabili nullitatis, abſque ſpe maioris notitia poteſt petere.

Et licèt *diſp.* 46. *num.* 313. conſtituam diſcrimen inter aſſenſum probabilem de exiſtentia peccati mortalis, & motiuum probabile de illa abſque aſſenſu, ita vt in primo caſu teneatur homo confiteri, non verò in ſecundo, iuxta ſententiam, quæ peccata dubia excludit ab obligatione confitendi, quia in primo caſu homo eſt conſcius peccati, & non in ſecundo: non tamen eſt eadem ratio in hac materia. Nam in confeſſione ſolùm excludi poſſunt peccata, de quibus formaliter dubitatur: in hac autem materia iuris petendi debitum, non ſolùm attendenda eſt formalis dubitatio, ſed etiam incertitudo inuincibilis. 118.

Decima. Qui contrahit matrimonium cum dubio vincibili de impedimento dirimenti, peccat lethaliter. Quia ſe exponit periculo faciendi matrimonium irritum. Sed valet ab initio, ſi poſteà inueniat, nullum adeſſe impedimentum, vel dubium eſſe inuincibile, vel probabilitatem vtrimque adeſſe, vel eſſe probabilitatem pro valore, non autem pro nullitate; vel eſſe probabilitatem de nullitate, nullam autem probabilitatem directam de valore, abſque ſpe tamen inueniendi maiorem certitudinem. Quia in his omnibus caſibus tenetur ſtare pro coniugio, & tenetur reddere, & poteſt petere, vt conſtat ex dictis, & patebit partim ex dicendis. 119.

Contrahens cum dubio vincibili nullitatis, peccat mortaliter.

Et quando ſit validum.

Et in prædicto caſu, in quo quis contrahit matrimonium cum dubio vincibili de impedimento dirimenti, ex parte ſua obligat ſe, quantum, poteſt, ad indiſſolubilitatem pro caſibus, in quibus valet matrimonium. Quia ſine hac obligatione non ſtat eſſentia contractus matrimonialis. Ideò obligat ſe ad non recedendum à coniugio, niſi 120.

Digitized by Google

niſi apparente ratione, quæ certò conuincat impedimenti dirimentis exiſtentiam. Dum tamen dubium de impedimento dirimenti, vel de valore matrimonij eſt vincibile, valor matrimonij non eſt certus, nec certa indiſſolubilitas.

121. *Qui contrahit cum dubio inuincibili, non peccat.*

Vndecima. Qui contrahit cum dubio inuincibili de impedimento dirimenti, non peccat contrahendo, & tenetur reddere debitum, & poteſt petere; quia ſtante dubio inuincibili, manet in ſua libertate; adeoque non eſt impeditus ad contrahendum eodem modo, ac ille, qui nihil dubitat. Et tunc ſe obligat ad omnimodam indiſſolubilitatem, dum non conſtiterit euidenter de impedimento dirimenti. Atque dum id dubium eſt inuincibile, matrimonium eſt certò validum quoad praxim, & certò indiſſolubile. Quia obligauit ſe, quantùm potuit; & potuit ſe obligare ad omnimodam indiſſolubilitatem, dum non apparuerit euidentia impedimenti.

122. *Si cum ratione probabili nullitatis, & cum ſpe maioris notitiæ, peccat contrahendo.*

Duodecima. Qui contrahit matrimonium, habens rationes probabiles pro impedimento dirimenti, ſed abſque aſſenſu de illo; & nullas habens rationes probabiles pro carentia eius impedimenti, habens tamen ſpem aſſequendi maiorem certitudinem de impedimenti exiſtentiâ, peccat lethaliter; quia exponit ſe periculo faciendi contractum matrimonij irritum. In hoc enim caſu, in quo intellectus ſuſpendit aſſenſum, reperitur verum dubium vincibile: & in hoc dubio ſtat firma aſſertio tradita, vt dixi *in poſit.* 10. ſed valet matrimonium in eiſdem caſibus, ac in poſitione 10. In quibus caſibus contrahens obligat ſe, quantum poteſt, ad indiſſolubilitatem. Sed dum eſt ſpes habendi maiorem certitudinem, nec valor eſt certus, nec certa indiſſolubilitas.

123. *Cum aſſenſu probabili nullitatis, & ſpe maioris notitiæ, peccat vt in dubio vincibili.*

Tredecima. Qui contrahit matrimonium, habens aſſenſum probabilem de impedimento dirimenti, & nullas habens rationes probabiles pro carentia eius impedimenti, & cum ſpe aſſequendi maiorem notitiam, ſeu certitudinem, ſe gerere debet, ſicut qui dubitat vincibiliter; de quo dictum eſt *in poſit.* 10. atque adeò peccat contrahendo. Ratio eſt, quia ſi peccat, qui contrahit cum dubio vincibili, vt dixi *in poſit.* 10. à fortiori peccabit, qui contrahit cum aſſenſu probabili de nullitate, & cum ſpe obtinendi maiorem certitudinem; nulla probabili ratione occurrente pro valore; quia hic peioris conditionis eſt, quàm ille, vt patet *ex poſit.* 3. *notat.* 2.

124. *Si abſque ea ſpe, non peccat.*

Quartadecima. Circa eum, qui contrahit matrimonium, habens rationes probabiles pro impedimento dirimenti, abſque aſſenſu, nullas autem tales pro carentia impedimenti; tamen abſque ſpe obtinendi maiorem notitiam, aut certitudinem, idem dicendum eſt, ac diximus *in poſit.* 11. de eo, qui cõtrahit cum dubio inuincibili. Quia cùm hic caſus ſit abſque aſſenſu, eſt caſus dubitationis; & cùm ſit abſque ſpe obtinendi maiorem notitiam, eſt inuincibilis. Et ideò iſte non peccat contrahendo: & ſic contrahens ſe obligat, quantum poteſt, ad indiſſolubilitatem. Et quandiu durat dubitatio, & incertitudo inuincibilis, valor quoad praxim eſt certus, & certa indiſſolubilitas.

125. Quintadecima. Qui habet aſſenſum probabilem de impedimento dirimenti, & nullas rationes probabiles pro carentia eius; tamen abſque vlla ſpe obtinendi maiorem certitudinem, licitè & validè contrahit, & ſe obligat, quantum poteſt, ad omnimodam indiſſolubilitatem ſuſtinendam, dum non apparuerit certitudo impedimenti. Patet *ex poſit.* 9. ob incertitudinem inuincibilem, quæ pro re præſenti æquiualet dubio inuincibili, cùm in eo caſu poſſit iſte ſe continere intra dubium, eo quod ratio probabilis non cogit intellectum ad aſſenſum: aliunde autem dubium eius, qui non ſperat maiorem notitiam, vel certitudinem, eſt dubium inuincibile. Et ita in eo certus eſt quoad praxim valor matrimonij, & certa indiſſolubilitas.

Cum aſſenſu probabili abſque ea ſpe, licitè, & validè contrahitur.

Ex his poſitionibus clariſſimè diſſoluuntur, quæ proponuntur in inſtantia. Ex his quatuor poſtremis conſtat, quomodo admittendum vel reiiciendum ſit primum antecedens, quod ſic diſtingue: Qui ſcienter contrahit, habens rationes probabiles pro exiſtentia impedimenti dirimentis, nullas autem probabiles pro carentia eius, ſe obligat ad matrimonium indiſſolubile, [ſi ſit abſque ſpe obtinendi maiorem certitudinem,] concedo; [ſi ſit cum ſpe obtinendi illam,] ſubdiſtinguo: [quantum eſt ex parte ſua, & pro caſibus, in quibus remanſerit validum,] concedo; [aliter,] nego. Et eodem modo diſtinguendum, & intelligendum eſt primum, & ſecundum conſequens. Nam, vt dixi, matrimonium manet certò validum quoad praxim, & certò indiſſolubile, quando rationes probabiles pro impedimento dirimenti, & incertitudo inde reſultans coniunguntur cum deſperatione obtinendi maiorem certitudinem. Secus quando coniunguntur cum ſpe illam maiorem certitudinem aſſequendi; quia tunc ea incertitudo manet vincibilis, & ideò contractus non eſt certò validus quoad praxim, nec certò indiſſolubilis, niſi in caſibus adnotatis *in poſit.* 10. 126.

Antecedens ſubiunctum concedo, nempe quod ille, qui contrahit matrimonium certò validum, & certò indiſſolubile, poteſt petere debitum. Et conſequens diſtinguo: ergo qui contrahit, habens rationes probabiles pro exiſtentia impedimenti dirimentis, nullas autem pro carentia eius, poteſt petere debitum, [ſi ſit abſque ſpe adquirendi maiorem certitudinem,] concedo; [ſi ſit cum ſpe adquirendi illam,] nego. De quo vide ſuprà *poſit.* 6. 7. 8. & 9. 127.

Ad confirmationem, antecedens aſſumptum verum eſt, quod ſcilicet in eo caſu non poteſt coniux recedere à matrimonio; quia niſi ob certam nullitatem non poteſt illud deſerere. Conſequens verò, ſicut in præcedentibus, diſtinguendum eſt: ergo in eo caſu matrimonium manet certò validum, & certò indiſſolubile, [quando eſt abſque ſpe obtinendi maiorem certitudinem,] concedo; [quando eſt cum ſpe obtinendi illam,] nego. Quia dum incertitudo eſt vincibilis, nondum eſt certò validum matrimonium, nec pro valido reputandum eſt, vt dixi *in poſit.* 12. Quomodo autem intelligendus ſit textus *ex cap. inquiſitioni*, relato, conſtat *ex poſit.* 6. 8. & 9. 128.

Digitized by Google

CAPVT XIII.

Occurritur quartæ, & quintæ obiectioni.

129. OBiicies quartò. Ideò ſtantibus vtrimque rationibus probabilibus prò impedimento dirimenti, & pro carentia eius, ſtandum eſt pro valore matrimonij, quia cauſa matrimonialis eſt fauorabilis, & cauſa fauorabilis eſt amplianda: ſed hæc ratio non probat, ſtandum eſſe pro valore matrimonij: ergo hæc ratio nihil probat pro noſtra concluſione. Minor probatur. Nam, vt loquitur P. Thom. Sanch. *lib.* 7. *de Matrim. diſput.* 100. *num.* 14. *Eſt matrimonij fauor, irritum diſſoluere, ac validum tueri:* ergo etiamſi in dubio ſtemus pro nullitate matrimonij, matrimonio fauemus, cùm ſit fauor matrimonij irritum diſſoluere.

130. Vt hac in re ſcias diſtinguere, vt oportet, & mentem P. Thomæ Sanchez, & veram doctrinam callere, notandum eſt primò, quamvis in qualibet alia cauſa ſententia lata tranſeat in rem iudicatam; at id ſpeciale eſſe in matrimonio, vt ſententia lata in cauſa matrimoniali, ſiue confirmata ſit, ſiue tranſacto termino appellationis valeat, nunquam tranſeat in rem iudicatam; neque tantæ efficacitatis ſit, quin ſit reuocanda, quoties compertum fuerit, eam ex errore latam fuiſſe. Ita enim deciditur *in cap. Lator, de ſent. & re indic.* & *cap. conſanguinei*; & *cap. tenor, eod. tit.* & *cap. fraternitatis, de frigid. & maleſic.* Idque deciſum eſſe fauore matrimonij, ne ſi error compertus ſit poſt ſententiam latam, peccatum foueatur, manentibus in vſu matrimonij, qui inualidè coniugati eſſe comperiuntur; vel recedentibus ab obligatione matrimonij, qui ex errore putabantur liberi.

Sententia lata in cauſa matrimonij non tranſit in rem iudicatam.

131. Notandum eſt ſecundò, duplicis ordinis fauorem diſtinguendum eſſe, directum, & reflexum. Directus eſt, qui reſpicit matrimonium ipſum. Reflexus, qui reſpicit modum ferendi ſententiam iudicialem circa ipſum.

Duplex fauor: directus, & reflexus.

132. Notandum eſt tertiò, ampliationem fauoris non habere locum, niſi in materia dubia, vel dubitabili, ſiue opinabili; non autem vbi pro vna parte eſt omnimoda certitudo: quia nullus fauor matrimonij ampliatur ad caſum certæ nullitatis, neque ad caſum certi valoris.

Ampliatio eſt ad caſum dubium, vel dubitabilem.

133. Notandum eſt quartò, P. Thomam Sanchez in loco relato docere, quamvis ſententia lata ſit in fauorem valoris matrimonij, & quantumvis confirmata ſit, aut tranſactus terminus appellationis, non tranſire in rem iudicatam; quia ſi poſteà plenè probetur, ideoque certitudine morali conſtet impedimentum dirimens, illa ſententia retractanda eſt.

134. Hinc conſtat, quo ſenſu dixerit P. Thomas Sanch. & verum ſit, quod fauor eſt matrimonij, *irritum diſſoluere.* Primò enim loquitur de fauore reflexo, nempe reſpectu ſententiæ iudicialiter diſſoluentis: fauore enim matrimonij deciditur, quod ſententia iudicialis fauorabilis valori matrimonij, maneat reuocabilis pro caſu, quo deprehendatur error. Deinde loquitur de matrimonio euidenter irrito; non enim eſt fauor matrimonij, nec tolerabile eſt, diſſolui matrimonium dubiè, aut probabiliter dumtaxat irritum.

Qualiter ſit fauor diſſoluere irritum matrimonium.

Si autem dicas, fauorem non verſari in materia certa, ſed in materia dubia, vel dubitabili, 135.
quomodo ergo dicitur, eſſe fauorem matrimonij, quod diſſoluatur iudicialiter matrimonium euidenter irritum?

Reſpondeo, aliud eſſe quod ſit fauor matrimonij, & aliud quod ideò ſit ampliandus. 136.
Ampliatio quidem fauoris non verſatur in materia certa, ſed dubia, vel dubitabili. Poteſt quidem ampliatio reflexè eſſe certa, vt dixi *diſp.* 17. ſed ipſa extenditur non niſi ad caſus dubios, & dubitabiles. Aſt vt aliquis ſit fauor, non eſt neceſſe quod talis ſit reſpectu caſus dubij; poteſt enim eſſe fauor caſus certi. Et ita intelligenda eſt notatio tertia propoſita *n.* 131.

Hinc facilè reſpondetur argumento, conceſſa maiori, negando minorem. Ad probationem 137.
dic, eſſe fauorem matrimonij, illud iudicialiter diſſoluere, ſi ſit euidenter, aut certò irritum: non autem eſſe fauorem eius, diſſoluere iudicialiter illud, ſi ſit dubiè, aut probabiliter irritum: neque item eſſe fauorem matrimonij, diſſoluere illud vtcumque irritum, abſtrahendo à nullitate euidenti, & probabili, vel dubia; ita vt ratione fauoris deciſio de diſſoluendo matrimonio amplianda ſit ad caſus dubios, vel probabiles; cùm ex ſacris Canonibus euidenter conſtet oppoſitum. Et hanc eſſe mentem P. Thomæ Sanchez *ea diſputat.* 100. *numer.* 14. patet *ex num.* 1. illis verbis: *Quoties compertum fuerit, eam errore quodam latam fuiſſe.* Vbi eum fauorem reflexum matrimonij de reuocanda ſententia confirmata ſolùm extendit ad caſum, quo talis ſententia manifeſto errore nixa fuerit.

Obiicies quintò. Non poteſt negari, eſſe 138.
aliqua matrimonia probabiliter valida, & probabiliter inualida: ſed ſi contrahens matrimonium, cederet omni iure probabilitatis, non poſſent ea matrimonia manere probabiliter inualida: ergo falſum eſt, quod omnes contrahentes cedant omni iure probabilitatis. Minor & conſequentia patent. Probatur maior. Eſt ſententia probabilis, quæ docet, matrimonium contractum ex metu leui, in quo metus leuis dedit cauſam contractui, eſſe inualidum. Quam tuentur decem Authores apud P. Thomam Sanchez *lib.* 4. *de Matrim. diſp.* 17. *num.* 2. quam ipſe Th. Sanch. *num.* 4. dicit eſſe ſatis probabilem. Cuius oppoſitam propugnant quadraginta & tres Authores ab ipſo relati *num.* 3. ergo eiuſmodi matrimonium eſt probabiliter validum, & probabiliter inualidum, neque ab aliqua obligatione reflexa ſit certò validum.

Reſpondeo, me hucuſque locutum eſſe 139.
dumtaxat de caſibus, in quibus reperitur vel impedimentum probabiliter dirimens, vel diſpenſatio probabiliter nulla, ſupponendo, conſenſum contrahentium ex parte ſua nullo laborare defectu. Er quidem non inficior, eſſe poſſe defectum probabilem ex parte conſenſus; vt ſi coniux poſt diligentem diſcuſſionem probabiliter putet, conſenſum ſuum, vel ſui coniugis metu graui extortum fuiſſe. Tunc enim non poteſt dici, quod ſe obligauerit ad indiſſolubilitatem pro omni caſu, in quo non reperta

Poteſt matrimonium eſſe probabiliter nullum ex defectu conſenſus.

Digitized by Google

repetta fuerit euidens nullitas. Nam ſi probabile eſt, conſenſum fuiſſe nullum, ſiue (quod idem eſt ad rem præſentem) violentum, probabile etiam erit, ipſum coniugem non ſe ſponte obligaſſe; atque adeò nullam talem obligationem ortam eſſe ad indiſſolubilitatem pro omni caſu, etiam probabilis nullitatis.

140. Et confirmatur. Hîc enim non habent locum illæ duæ quæſtiones, directa & reflexa, quas propoſui *cap.4.* Nempe prima, [An ſit probabile, hoc matrimonium eſſe nullum defectu conſenſus omninò liberi?] Secunda, [An ſuppoſita ea probabilitate, Petrus ſe ſponte obligauerit ad ſuſtinendum matrimonium contra nullitatem probabilem?] In quo caſu licèt prima habeat locum, non tamen ſecunda, ob defectum conſenſus liberi. Et ſi quidem habet locum probabiliter, non tamen certò. Cùm enim non ſit certum, vtrumque coniugem in ea hypotheſi habuiſſe conſenſum ſpontaneum; non poteſt eſſe certum, ſe obligaſſe ſpontaneè ad ſuſtinendum matrimonium indiſſolubiliter in nullitate probabili.

141. *Probabile eſt, conſenſum eſſe inſufficientem defectu conſenſus.*

Idem dico (iuxta ſententiam relatam ſupra *num.* 137.) de conſenſu, quem extorſit metus leuis; id eſt, de conſenſu, qui non eliceretur, niſi is metus leuis adeſſet. Nam iuxta eam ſententiam, ille conſenſus non eſt plenus, nec omninò liber, qualis ad matrimonium requiritur: & quàm certum, vel quàm probabile eſt, conſenſum metu leui extortum, non eſſe ſufficientem ad valorem matrimonij; tam certum, vel tam probabile eſt, Petrum non ſe ſponte obligaſſe ad indiſſolubilem coniugij contractū.

142. *Conſentiens ex metu leui non poteſt recedere à matrimonio conſummato.*

Nec propterea dicas, eum, qui habuit conſenſum metu leui extortum, poſſe licitè recedere à matrimonio conſummato, adhærendo probabilitati opinionis relatæ *n.*137. Quia contra eam probabilitatem ſtat ius poſſeſſionis, à qua non poteſt deturbari coniux ob ſolam opinionem probabilem de nullitate, vt conſtat *ex c.9.* Relege (præter ibi dicta, & *diſp.16.c.8.*) verba P. Leſſij, *de Iuſt.c.14.n.25.* [In dubio poſſeſſio illi fauet, ita vt, niſi moraliter certum ſit, eius non eſſe, non poſſit eâ ſpoliari: & ita in omnibus tribunalibus apud omnes gentes iudicatur.]

143. *An ſit iniquus iudex, qui declarat eſſe nullum matrimoniū ex metu leui initum.*

Sed nec propterea dicas, eſſe formaliter iniquam ſententiam Iudicis, qui ſeparari imperauit coniuges, quorum contractui metus leuis cauſam dedit; idque non obſtante poſſeſſione matrimonij conſummati. Etenim contingere poteſt, quod iudex peritus, à principiis intrinſecis cenſeat certam ſententiam, quæ id matrimonium affirmat nullum. Et vbi adeſt certitudo nullitatis matrimonij, diſparet omninò ius poſſeſſionis.

CAPVT XIV.

Satisfit vltimæ obiectioni.

144. Obiicies ſextò. Licèt matrimonium iure canonico præſcribatur eſſe fauorabile; adhuc tamen ſunt aliqua matrimonia punibilia, atq; adeò non fauorabilia, ſed potiùs odioſa: ergo ſaltè in his dicendum eſt, non extendi debere ad caſus dubios, vel probabilis nullitatis; & conſequenter in his caſibus non ſtandum eſſe pro valore matrimonij in dubio, vel in incertitudine. Quod ſi ſemel admittitur, aliqua eſſe matrimonia, in quibus, ſtante impedimento probabiliter dirimente, poſſit coniux vi eius probabilitatis à matrimonio recedere, corruūt omninò fundamenta à nobis iacta; nec certum erit, contrahentes ſe obligare ad omnimodam indiſſolubilitatem ſuſtinendam contra probabilitatem impedimenti dirimentis.

Antecedens probatur. Nam matrimonium clandeſtinum, quod fit omiſſis denunciationibus, non fauorabile, ſed odioſum aſſerit Thuſcus *verb. Matrimonium, concl.*152.*n.*38. & apud ipſum Maſcardus *concluſ.*1023.*n.*10. & Curtius Iunior *conſil.* 289. *in princip.* Quod idem tradit P. Thomas Sanchez *lib. 3. de Matrim. diſp.45. num.1.* 145.

Deinde quando conſtat, matrimonium metu extortum eſſe, nec probatur plenè, fuiſſe metum grauem, dicendum videtur illud matrimonium non eſſe fauorabile, ſed odioſum; eo quod ius deſiderat ſummam libertatem in matrimonio, & deteſtatur quodlibet genus violētiæ. De quo audiendus eſt Auguſtinus Barboſa *in vot. deciſ. canonic. lib.1. vot.1. n.* 137. [Nihilominus tamen matrimonium metu celebratum, *non eſt fauore dignum, neque pro eius fauore in dubio pronunciandum*; vt cum Purpuratio *conſil.* 575. *num.* 16. *lib.* 2. tenet Seraphin. *deciſ.*893. *num.*32. & 33. ibi. *Quia cum conſtat, metu eſſe initum, non debemus ei fauere: nam nuptiæ coactæ malos exitus habere ſolent.* Rota *deciſ.*246. *num.*17. ibi. *Neque eos monuit, quod in dubio pro validitate matrimonij pronunciandum eſt; nam ſtantibus prædictis, ſumus extra probabilem dubitationem: nec procliues eſſe debemus in fauorem huius contractus, alieno impulſu potiùs, quam propria inductione, & tempore quadrageſimali contra Canonum ſtatuta celebrati. Optimè Hippolytus Riminaldus conſil.* 77. *num.*38. *inter matrimon. Zilleti. Sequitur igitur ex prædictis, hoc matrimonium fuiſſe & eſſe nullum, ſicque de iure pronuntiandum eſſe; quoniam coactis nuptiis non eſt fauendum, dict. cap. cum locum,* (de ſponſalibus) *cum malos exitus habere cōſueuerint.*] 146.

Reſpondeo, nulla eſſe matrimonia, quæ ita ſint odioſa, vt occurrente dubio, vel incertitudine de impedimento dirimenti, vel nullitate diſpenſationis, ſtandum ſit pro nullitate matrimonij, & non pro valore eius; quando ſcilicet dubium, vel incertitudo non procedit circa libertatem conſenſus eſſentialem matrimonio. Nam pro valore ſemper ſtandum eſſe in prædictis caſibus dubiis, vel probabilibus, firmiter tenendum eſt. 147.

Nullum matrimonium eſt odioſum.

Primò. Nam, vt oſtendi *cap.7.* iſte fauor matrimonij, quod in dubio, vel in incertitudine eiuſmodi ſtandum ſit pro valore, eſt independens à diſpoſitione iuris humani, competitque matrimonio iure diuino, contra quod ius humanum non præualet. 148.

Independenter à iure humano.

Secundò. Nam ratio tradita in *cap. Licet ex quadam, de teſtib. & atteſtat.* propter quam ſtandum eſt pro valore matrimonij, eſt quia permittendum eſt minus malum, vt maius vitetur; nempe vt vitetur malum iniuſtitiæ contra fidem eius contractus indiſſolubilis, permittitur in dubio violatio caſtitatis, ſi fortè coram Deo non ſunt validè coniugati. Hæc autem ratio militat in omnibus enumeratis matrimoniis, ne odioſa dicantur, ſed fauorabilia; quia 149.

In dubio ſtandum eſt pro eo, quod eſt minus malum.

Digitized by Google

etiam in iis maius malum vitandum eſt præ minori.

150. Tertiò. Quia vbi eſt ius poſſeſſionis legitimæ, nulla probabilitas nullitatis præualere poteſt, vt conſtat *ex cap.*9.& *ex diſp.*16.*c.*8. At in matrimonio clandeſtino conſummato (quod fit omiſſis denunciationibus) ſtat poſſeſſio legitima pro matrimonio, & pro vtrolibet coniuge habente ius in re, in corpore alterius: ergo quantumuis detur nullitas probabilis in prædicto matrimonio clandeſtino, ratione alicuius impedimenti probabiliter dirimentis, pro matrimonio & eius valore ſtandum eſt.

151. *Aliqua matrimonia dicuntur odioſa quoad aliquos effectus pœnales.* Cum hoc tamen ſtat, quod dentur matrimonia aliqua, putà clandeſtina, quæ iure humano ſint odioſa quoad aliquos effectus pœnales ipſo iure ſtatutos. Et ita odioſum eſſe matrimonium clandeſtinum affirmauit P. Thom. Sanch. relatus in obiectione; *odioſum*, inquam, *quoad reſtitutionem*: eo quod in aliis cauſis matrimonialibus *mulier ſpoliata à viro quaſi poſſeſſione maritali, ante omnia eſt reſtituenda*; ſecus in cauſa matrimonij clandeſtini. Vnde patet ad obiectionem, & ad primam probationem antecedentis.

152. *Matrimonia ex metu inita non repugnat non eſſe fauorabilia.* Ad ſecundam probationem de matrimoniis initis ex metu, in quibus deficit perfecta libertas in conſenſu ipſo, non multùm grauatur admittere, vel omittere, ea matrimonia non eſſe fauorabilia, neque eis in iudicio fauendum eſſe. Et ſicut *num.* 158. dixi, vbi probabile eſt, matrimonium eſſe metu graui extortum, non eſſe certum, quod ſubierit coniux ſpontaneam obligationem ſtandi pro indiſſolubilitate matrimonij; ita hac certitudine deficiente, nulla erit nota inconſequentiæ, admittere, quod matrimonium cum tali defectu conſenſus ſit odioſum, & non fauorabile.

153. Neque contra hoc militat ratio allata *ex cap. licèt ex quadam, de teſtib. & atteſt.* quod ratio iuſtitiæ & fidei matrimonialis in dubio præualet obligationi caſtitatis. Nam cùm matrimonium metu extortum, vt perpenditur in ea Rotæ deciſione ſuprà relata, malos exitus habere ſoleat; & hi exitus mali conſiſtere ſoleant in multis ſcandalis, quæ inde oriuntur; conſiderandum eſt, an contra obligationem iuſtitiæ, & fidei matrimonialis præponderet obligatio vitandi ea ſcandala, quorum magnitudo attentiùs conſideranda eſt.

154. Et quod attinet ad deciſionem Rotæ in obiectione allegatam, ea quidem videtur loqui de matrimonio inito ex metu graui; cùm dicat, caſum eſſe *extra probabilem dubitationem:* quæ verba pro te præſenti dicunt certitudinem. Quod de nullitate matrimonij ex metu leui initi dici non poteſt, ſuppoſita probabilitate ſententiæ communis aſſerentis, illud eſſe validum.

CAPVT XV.

An vi probabilitatis poſſit quis reſilire à matrimonio rato, in quo interuenit impedimentum probabiliter dirimens, vel diſpenſatio probabiliter nulla?

155. *Matrimonium ratum nequit mutuo conſenſu diſſolui.* PRæmitto primò, matrimonium ratum eſſe indiſſolubile, & à cæteris contractibus differre, quòd hi mutuo contrahentium conſenſu diſſolui poſſint, matrimonium autem ratum non ſic. Quod apud omnes indubitatum eſt. Vide P. Thomam Sanchez *lib.* 2. *de Matrim. diſp.*13.*num.*10.

156. *Matrimonium ratum eſſe indiſſolubile iure humano.* Præmitto ſecundò, probabile eſſe, hanc indiſſolubilitatem matrimonij rati eſſe iuris humani Pontificij. Id eſſe probabile admittit P.Th. Sanch. *lib.* 2. *de Matrim. diſp.*15.*num.*5. vbi remittit Lectorem *ad diſp.* 13.*num.*6. & ibi pro ea ſententia refert Metinam, Gloſſam, Hoſtienſem, Ioannem And. Innocentium, Beroium, Decium, Portium, Gozadinum, & Brunellum, & omnes eos, qui dicunt, poſſe Pontificem Romanum diſpenſare abſque cauſa in matrimonio rato, quos refert *diſp.* 15. *num.*1.

157. *In matrimonio poſſe diſpenſare Pontificem.* Præmitto tertiò, probabile eſſe, in matrimonio rato poſſe diſpenſare Romanum Pontificem, vt ſoluto vinculo poſſint liberè coniuges aliud matrimonium inire; idque etiamſi indiſſolubilitas matrimonij rati ei conueniat iure diuino. Quam ſententiam vt probabilem tuetur P. Th. Sanch. *lib.*2. *de Matrim. diſp.*14. *num.*2.& apud ipſum Gloſſa, Gofredus, Alanus, Vincentius, Innocentius, Hoſtienſis, Ioannes Andr. Antonius, Cardinal. Abbas, Henricus, Præpoſitus, Archidiaconus, Baldus, Ancharanus, Benedictus, Alexander de Neuo, Felinus, Beroius, Decius, Socinus Senior, Portius, Curtius Iunior, Gozadinus, Celſus, Gratus, Loazes, Bertachinus, Roſella, Angelus, Syluester, Armilla, Euerardus, Monte, Cõradus, Selua, Sylua Nupt. Brunellus, Nauarrus, Villalobos Iuriſperitus, Gregorius Lopez, Menochius, Borgaſius, Antonius Gabriel, Phanucius, Barboſa, D. Antoninus, Victoria, Ledeſma, Caietanus, Catharinus, Metina, Bellarminus, Henriquez, Griſaldus, Vinaldus, Philiarcus, Corona Confeſſorum, & Ortiz, omnes numero ſexaginta.

158. *Matrimonium ratum diſſoluitur profeſſione.* Præmitto quartò, profeſſione ſolemni diſſolui matrimonium ratum. Ita definitur à Tridentino *ſeſſ.* 24. *de Matrim. can.*6. poſt definitiones quinque aliorum Pontificum, quos refert P.Thomas Sanch. *lib.*2. *de Matrim. diſp.*18. *num.*3. Id autem ita eſſe ex iure diuino, nempe ex priuilegio Chriſti id concedentis, multis probat P. Thomas Sanchez *diſputat.* 19. *numero* 3.

159. Hinc fit primò, certum eſſe omninò, indiſſolubilitatem matrimonij rati talem eſſe, vt à contrahentibus diſſolui non poſſit, etiam mutuo conſenſu: eſſe autem ſub iudice, & intra fines probabilitatis; An matrimonium ratum poſſit à ſupremo Principe diſpenſatione ſolui?

160. Fit ſecundò, indubitatum eſſe, matrimonium ratum eſſe indiſſolubile, ſaltem *niſi à ſuperiori cauſa diſſoluatur*; vt loquitur P. Th. Sanch. *diſp.* 13. *relata*, *num.* 10. Nomine autem ſuperioris cauſæ intelligitur ius diuinum, profeſſio ſolemnis, & probabiliter diſpenſatio Pontificia.

161. Duæ ergo quæſtiones diſputandæ veniunt in præſenti. Prima, an matrimonium ratum, quod contrahitur cum impedimento probabiliter dirimenti, aut vi diſpenſationis probabiliter inualidæ, ita maneat indiſſolubile, vt diſſolui nequeat à contrahentibus vi eius probabilitatis, neque ob id liceat alterutri coniugi recedere?

Digitized by Google

recedere? Secunda, an ſi Pontifex diſpenſet in matrimonio rato, vt quis ab eo vinculo abſolutus tranſeat ad alias nuptias; cùm hæc diſpenſatio ſit ſolùm probabiliter valida, teneatur adhuc coniux ſtare pro valore matrimonij; nec liceat illi vti ea diſpenſatione probabili?

162. Et quod attinet ad primam quæſtionem, non diſtinguo inter eum, qui contrahit ſciens probabilitatem impedimenti dirimentis; & eum, qui contrahit neſciens, vel non aduertens. Quia cùm ex dictis in præcedentibus conſtet, eandem eſſe reſolutionem, ſiue contrahens ſciat probabilitatem impedimenti, ſiue neſciat; & eandem eſſe rationem vtriuſque contrahentis; ideò ad hanc diſtinctionem non recurritur. Vide quæ circa hoc dicta ſunt *cap.* 10.

163. *Matrimonium ratum nequit diſſolui vi probabilitatis impedimenti, &c.* Dicendum ergo eſt, nullum matrimonium ratum poſſe licitè, aut validè diſſolui à contrahentibus, etiam mutuo conſenſu, vi meræ probabilitatis de impedimento dirimenti, aut de nullitate diſpenſationis. Probatur eiſdem rationibus, quibus eadem concluſio ſtabilita eſt, circa matrimonium conſummatum, præcipuè *cap.* 6. & 10.

164. Etenim ratio indiſſolubilitatis, quæ conuenit matrimonio rato, poſtulat, vt contrahentes ſe obligent, quantùm poſſunt, ad non recedendum à matrimonio rato, ſcilicet eo modo, quo in ſe eſt indiſſolubile (non enim ſe obligant coniuges ad perſiſtendum in matrimonio rato, ſi alter velit profiteri Religionem, vel ſi adſit diſpenſatio Pontificia.) Sed poſſunt ſe obligare ad non recedendum vi probabilitatis de impedimento dirimenti, vel de nullitate diſpenſationis: ergo ea ratio indiſſolubilitatis poſtulat, vt ita ſe obligent: ergo contrahentes ita ſe obligant. Vide robur huius argumenti ampliùs explicatum *cap.* 10. Ex illo enim conſtat, quod contrahentes ſe obligant ea obligatione reflexa, qua ſe obligarent, qui expreſsè cederent iure probabilitatis, quod oritur ex impedimento probabiliter dirimenti, aut ex diſpenſatione probabiliter inualida.

165. Datur quidem diſcrimen inter matrimoium ratum, & conſummatum, quòd hoc eſt fortius vinculum, quod neque per profeſſionem ſubſequentem, neque per diſpenſationem Romani Pontificis diſſolui poſſit: matrimonium autem ratum per has duas cauſas diſſolui poſſit, per primam certò, & per ſecundam probabiliter. Conueniunt tamen ambo in eo, quod mutuo conſenſu contrahentium diſſolui non poſſint. Hæc autem indiſſolubilitas communis vtrique poſtulat, vt contrahentes ſe obligent, quantum poſſunt, ad non reſiliendum.

166. Dices, nullum videri eſſe diſcrimen inter vtrumque. Etenim quando coniuges verbis contrahunt, tunc matrimonium dumtaxat eſt ratum: ſed quando verbis contrahunt, ſtatuunt pactum perſiſtendi in matrimonio: ergo hoc pactum non habet maiorem vim, quando conſummatur, atque quando ratum eſt dumtaxat. Itaque tota indiſſolubilitas, ratione cuius cedunt iure probabilitatis, oritur à voluntate contrahentium, qui ſe obligant ad perſiſtendum in matrimonio, non obſtante probabilitate in oppoſitum: ſed quando datur hæc voluntas contrahentium, hoc matrimonium dumtaxat eſt ratum; nam contractus verbalis celebratur ante conſummationem: ergo tota ea indiſſolubilitas oritur à matrimonio rato; atque adeò non poteſt eſſe maior in conſummato, quàm in rato.

Reſpondeo, contractum ipſum verbalem referri conditionaliter ad vtrumque caſum, rati, & conſummati. Et ita æquiualet huic propoſitioni: [Obligo me ad non diſſoluendum contractum vi eius probabilitatis, ſub hoc diſcrimine, vt dum fuerit ratum dumtaxat, non diſſoluam, niſi vi profeſſionis, aut diſpenſationis Pontificiæ; ſi verò peruenerit ad conſummationem, obligo me ad illud nullo modo diſſoluendum.] Itaque diſtinguenda eſt minor prioris ſyllogiſmi: quando verbis contrahunt, ſtatuunt pactum perſiſtendi in matrimonio [diuerſimodè in ordine ad eos duos diuerſos caſus,] concedo [eodem modo in ordine ad illos duos diuerſos caſus,] nego. Eſt ſimiliter diſtinguenda eſt maior poſterioris ſyllogiſmi Quæ diſtinctio patet ex dictis. 167.

Secunda quæſtio inquirit, an ſi Pontifex diſpenſet in matrimonio rato, vt quis ab eo vinculo abſolutus tranſeat ad alias nuptias; cùm hæc diſpenſatio ſit ſolùm probabiliter valida, teneatur adhuc coniux ſtare pro valore prioris matrimonij, nec liceat illi vti hac diſpenſatione probabili, vt recedat à priori matrimonio rato? Et videbitur alicui, hanc quæſtionem reſoluendam eſſe eadem reſolutione, qua prior quæſtio deciſa eſt: & dicendum, ſtante hac diſpenſatione probabiliter valida, teneri contrahentes ad non recedendum ab eo priori matrimonio. Idque ob ſimilem rationem. 168.

Etenim contrahentes ſe obligant, quantùm poſſunt, ad non recedendum à matrimonio: ſed poſſunt ſe obligare ad non recedendum, etiam ſtante ea diſpenſatione probabili, cùm poſſint ſe obligare ad non vtendum diſpenſatione probabili facienda circa matrimonium ratum: ergo ita ſe obligant ad non vtendum illa. 169.

Pro cuius rei intelligentia aduerte, eſſe valde metaphyſicam quæſtionem illam, in qua fit reflexio ſupra aliam reflexionem, vt contingit in præſenti. Eſt quæſtio reflexa illa, quæ ſuppoſita probabilitate impedimenti dirimentis, aut nullitatis diſpenſationis Pontificiæ, quæ probabiliter tantùm diſpenſat in impedimento certo; inquirit, an contrahentes ratione indiſſolubilitatis matrimonij cedant iure probabilitatis proueniente ab eo impedimento probabili, aut ab ea diſpenſatione probabiliter nulla? Diſpenſatio autem hæc matrimonij rati reflectit ſupra eam reflexionem. Nam Authores dicentes, poſſe Pontificem diſpenſare in matrimonio rato, conſequenter docere debent, poſſe fieri eam diſpenſationem, quantacumque reflexione procedat matrimonium ratum, iuxta naturam & eſſentiam ſuam. Et conſequenter reflectunt ſupra priorem reflexionem incluſam in contractu matrimonij rati. 170. *Reflexio ſupra reflexionem.*

Dicendum ergo eſt, poſita diſpenſatione Pontificis circa matrimonium ratum, vi eius probabilitatis poſſe coniuges recedere ab illo priori matrimonio rato, & tranſire licitè & validè ad alias nuptias. Probatur primò. Contrahentes 171. *Vi probabilitatis diſpenſationis diſſoluitur matrimonium ratum.*

Digitized by Google

trahentes non ſe obligant, quantùm poſſunt, ad non reſiliendum à contractu ex natura ſua diſſolubili; neque à matrimonio, quà diſſolubile eſt, ſed quà indiſſolubile: ſed matrimonium ratum, iuxta eam ſententiam probabilem, eſt diſſolubile ex diſpenſatione Pontificia: ergo contrahentes non ſe obligant, quantum poſſunt, (atque adeò non cedunt iure eius probabilitatis) ad non reſiliendum à matrimonio rato, ſuppoſita diſpenſatione Pontificia.

172. Probatur ſecundò. Nam quamuis contrahentes poſſint ſe obligare ad non recedendum, cedendo ſtatim (id eſt, in limine contractus) iure probabilitatis, quod ſibi poſſet obuenire à diſpenſatione Pontificia facta circa matrimonium ratum: cæterùm hîc non attenditur ad omne id, ad quod ſe poſſunt obligare; ſed ad id, ad quod ſe debent obligare iuxta naturam & indiſſolubilitatem contractus: atqui licèt matrimonium ratum ſit ex parte contrahentium indiſſolubile; at iuxta eam ſententiam relatam, ex diſpenſatione Pontificia eſt diſſolubile: ergo indiſſolubilitas matrimonij rati non cogit contrahentes, vt ſe obligent ad non reſiliendum, etiam poſita diſpenſatione Pontificia data, vel danda circa matrimonium ratum.

173. *Diſpenſatio reflectit ſupra obligationem reflexam.* Reflectit ergo diſpenſatio Pontificia ſupra obligationem, qua ſe obſtrinxerunt contrahentes ad non reſiliendum ex parte ſua, neque ex mutuo conſenſu; quia diſpenſatio Pontificia non inuenit illum contractum indiſſolubilem reſpectu talis diſpenſationis; quin potiùs, iuxta hanc ſententiam, inuenit illum diſſolubilem ſub eo reſpectu, quamuis indiſſolubilem ex parte contrahentium.

174. Ad argumentum propoſitum in ratione dubitandi, facilè reſpondetur ex dictis, diſtinguendo maiorem: contrahentes ſe obligant, quantum poſſunt, ad non recedendum à matrimonio rato, [quà hoc eſt indiſſolubile,] concedo; [quà eſt diſſolubile,] negò. Vel ſic: ſe obligant, quantum poſſunt, [iuxta exigentiam ipſius contractus,] concedo; [vltra exigentiam ipſius contractus,] nego. Quæ ambæ diſtinctiones patent ex dictis.

175. Obiicies. Si vi diſpenſationis Pontificiæ, matrimonium ratum maneret probabiliter diſſolutum, & probabiliter firmum & validum; & adhuc alter contrahentium tranſiret ad aliud matrimonium ratum, iſtud eſſet probabiliter validum, & probabiliter nullum; adeoque maneret probabiliter diſſolubile ex parte contrahentium. Ex quo fieret, quod ſi conſummaretur iſtud ſecundum, maneret adhuc probabiliter diſſolubile; quia conſummatio non poteſt validare contractum irritum; neque facere indiſſolubilem ex parte contrahentium illum contractum, qui ab initio ex parte eorundem fuit ſolubilis. Quare fieret vlteriùs, quod contrahentes poſſent deinde conſummare prius matrimonium, poſt conſummatum ſecundum; & ita vnus vir poſſet habere duas vxores probabiles, & quibus ſucceſſiuè poſſet probabiliter, atque adeò ſine peccato copulari. Iam ergo ruimus in barathrum, quod *cap.5.* monuimus eſſe fugiendum.

Reſpondeo negando antecedens, nempe quod ſi coniux ille diſpenſatus in matrimonio rato, celebraret aliud matrimonium ratum, iſtud ſecundum eſſet probabiliter nullum, vel probabiliter diſſolubile ex parte contrahentium. Cùm enim conſtet, matrimonium ratum ex natura ſua eſſe ex parte contrahentium indiſſolubile, atque adeò quà tale exigat, quod contrahentes ſe obligent, quantùm poſſunt, (atque adeò cedendo iure probabilitatis) ad non diſſoluendum illud ex parte ſua; fit quod quantumvis præcedat diſpenſatio Pontificis probabiliter inualida, atque adeò quantumvis maneat prius illud matrimonium probabiliter validum, adhuc ſecundum matrimonium maneat certò validum quoad praxim, & certò indiſſolubile ex parte contrahentium, quandiu eſt ratum; & omninò indiſſolubile, cùm eſt conſummatum. Nam indiſſolubilitas matrimonij cogit contrahentes, vt ſe obligent ad non diſſoluendum matrimonium vi alicuius probabilitatis, ex ea parte, ex qua indiſſolubile eſt. Vnde patet, corruere cætera, quæ in argumento ſubiunguntur. 176.

Sed caue, ne ſiniſtrè intelligas id, quod diximus; nempe, quod poſt initum ſecundum matrimonium vi eius diſpenſationis Pontificiæ, prius matrimonium ratum manet probabiliter validum. Quod ſic debes intelligere, quod poſt initum ſecundum matrimonium vi diſpenſationis, prius matrimonium manet probabiliter validum ſpeculatiuè; ſed non manet validum quoad praxim in ſenſu compoſito cum ſecundo, quia non eſt probabile, quod ambo ſimul matrimonia maneant valida quoad praxim, ob incompoſſibilitatem duplicis matrimonij validi quoad praxim, iure diuino ſtabilitam; maximè cùm, ex dictis, ſecundum matrimonium euadat certò validum quoad praxim, & certò indiſſolubile. 177.

TRACTA

Digitized by Google

TRACTATVS II.
DE IVSTITIA ET IVRE.

PROEMIVM.

NE exiſtimet Lector ex titulo propoſito, inſtituere me accuratam tractationem de Iuſtitia & Iure; ideóque deſideret plurima huius materiæ in hoc loco, quæ minimè inueniet. Scire oportet, tres dumtaxat diſputationes me ſelegiſſe ad hanc materiam pertinentes, quas ideò huic inſcriptioni ſubieci. Nec id vitio vertet, qui ex inſcriptione totius voluminis aduerterit, mihi ipſi me præfixiſſe eum ſcopum, ſcilicet Diſputationes Selectas.

DISPVTATIO XX.

An grauiter indigenti liceat ſuæ neceſſitati opitulari ex bonis diuitis? Vbi qualiter iſte teneatur ſuccurrere grauiter indigenti?

CAPVT PRIMVM.

Exponitur quæſtio, & mens Caramuelis in priori parte quæſtionis.

1. LICET vtraque ad pars eandem quæſtionem pertinere videatur; tamen eam ſolent Authores diuidere, & priorem in materia iuſtitiæ, poſteriorem verò in materia de charitate verſare ſolent. Vtramque autem copulaui, tum propter connexionem doctrinæ, tum quia ſecunda pars de obligatione erogandæ eleemoſynæ, conducit non modicum ad confirmationem doctrinæ iam traditæ.

2. *Alia ſunt neceſſaria ad naturam, & alia neceſſaria ad ſtatum.*

Præmitto primò, alia eſſe neceſſaria ad naturam, & alia neceſſaria ad ſtatum. Neceſſaria ad naturam ſunt, quæ præcisè requiruntur ad vitam conſeruandam; quæ dicuntur à S.Thoma *Neceſſaria abſolutè.* Neceſſaria ad ſtatum dicuntur ea, quæ ad ſuum, ſibique coniunctorum ſtatum requiruntur; quæ idem S.Doctor appellat *Neceſſaria conditionatè.* Similiter ſuperflua naturæ dicuntur ea, quæ ſuperſunt, demptis neceſſariis ad vitam: ſuperflua verò ſtatus ſunt, quæ ſuperant poſt ſumptus factos in rebus neceſſariis ad vitam, & ad ſtatum. Hæc ex Nauarro cum communi ſententia.

Item diſtinguenda ſuperflua naturæ, & ſuperflua ſtatus.

3. *Neceſſitas triplex: extrema, grauis, & communis.*

Præmitto ſecundò, triplicem neceſſitatem diſtingui communiter à Doctoribus, extremam, grauem, & communem. Extremè indigere dicitur ille, qui eſt in diſcrimine proximo vitæ, niſi ei ſubueniatur hic & nunc; neque apparet aliquis, qui ei ſuccurrat. Bañez 2.2. *quæſt.*32.*art.*7.*dub.vlt.* ait, eſſe in extrema neceſſitate hominem, cui pro ratione ſui ſtatus grauiſſimum eſſet dedecus mendicare, neque aliunde omninò haberet alimenta. Quod admittendum eſt, ſi tale ſit illi dedecus mendicandi, vt illi afferat impoſſibilitatem moralem. Viri enim nobiles potiùs morti ſe obiicient, quàm id genus ignominiæ ſubeant. Et idem eſſe de eo, cui ignominioſiſſimum eſſet arti mæchanicæ vacare, aut alteri famulari ad alendam vitam, vt notauit Lorca & P. Arriaga, quos refert, & ſequitur Leander à SS. Sacr. *part.*6.*tract.*5.*diſp.*2.*quæſt.*7. Ledeſma 2.*part.*4. *quæſt.*13. *art.*3. ait, eſſe proximum diſcrimen vitæ, ſi in vna hyeme, vel in vno vere moriatur. Et Caiet. *tom.* 1. *opuſc. tract.*16. *de Indulgent.quæſt.*3. ait, quamuis longè diſtet tempus mortis, ſi tamen verè ſit periculum illius, quando non apparet alia via, qua ei periculo ſubueniatur, eſſe neceſſitatem extremam. Et in eandem ſententiam recidere videtur Sotus *lib.*5. *de Iuſt.quæſt.*3. *art.*3. Addunt alij, extremam neceſſitatem eſſe, ſi ob paupertatem eſſet periculum labendi in mortale; vt ſi ob magnam inopiam Pater vellet proſtituere filias. Ita videtur aſſerere Villalobos 1. *part. Sum. tract.*22.*difficult.*2.*num.*19. quamvis addat, eam neceſſitatem eſſe extremam, aut quaſi extremam. Quod admitti debet, ſi non reſtet aliud medium ad auertendum eam miſeriam.

Eſt in extrema, cui grauiſſimũ eſſet dedecus mendicare, &c.

An ſit in extrema, cui imminet mors in vna hyeme?

An ſit in extrema, cui ob inopiam eſt periculum labendi in peccatum mortale, vel proſtituendi filiam?

Extrema

Extrema enim dicitur neceſſitas, quia non reſtat aliud medium euadendi; cùm enim reſtat aliud, non eſt extrema. Item dicenda eſt extrema, quoties quis vult ſe occidere ex conſideratione ſuæ miſeriæ, niſi ei ſuccurratur; quando nimirum trahitur in ſummam triſtitiam amentiæ proximam: quia eam miſeriam non patitur ex malitia ſua, ſed ex vera neceſſitate. Quod ita diſtinguere debuiſſet Leander proximè relatus *in quæſt.* 6.

An ſit in extrema, qui vult ſe occidere, &c.

4. An ſit extrema neceſſitas captiuitas Catholici apud Turcas, diſcordant Doctores. Nam Caiet. Maior, Villalobos, Trullench, & P. Azor, & P. Fillincius, quos refert, & ſequitur Leander à SS. Sacram. affirmant: eo quod ſæpe vita, & ſæpiſſime Fides talium captiuorum periclitetur. Id tamen in praxi eſt difficillimum, aliàs diuites omnes abirent in gehennam, niſi omnia, quæ ſuperſunt ſtatui, imò & naturæ, erogarent in redemptionem captiuorum; cùm ſemper ſint innumeri captiui, qui redemptione indigeant. Præcipuè ob periculum Fidei amittendæ. Et quidem plurimi ſunt captiui, qui in ea extrema neceſſitate verſentur: ſunt etiam plurimi, qui non verſentur, vel quia humanioribus dominis famulantes, nec de vita, nec de fide periclitantur; vel quia Mauri ob emolumentum, quod ſperant ex redemptione, mitiùs cum captiuis ſe gerunt. Excuſabuntur ergo diuites, quia ignorant, quinam illi ſint, qui ita extremè indigeant in captiuitate. Et ita eiuſmodi captiuitatem non eſſe per ſe extremam neceſſitatem, tenet P. Hurt. 2. 2. *diſp.* 159. *num.* 1.

An captiuitas apud Turcas ſit extrema neceſſitas?

5. Grauis neceſſitas dici ſolet, cum quis periculum ſubit decidendi à ſtatu ſuo. Sed hoc magnam habet latitudinem, nec ſatis explicat neceſſitatem grauem. Si quis enim diceret, ſe decidiſſe à ſtatu ſuo, quia olim delicatis cibis veſcebatur, modò autem dumtaxat communibus veſci poteſt, falleretur vtique, ſi hanc reputaret grauem neceſſitatem. Leander à SS. Sacram. *part.* 6. *tract.* 5. *diſp.* 2. *quæſt.* 6. ex PP. Suario, Vaſquez, Valentia, Arriaga, Ouiedo, & Caſtro Palao, & aliis, ait eſſe [quando quis ex defectu rerum neceſſariarum eſt in periculo incidendi in miſeriam magnam, veluti in iacturam notabilis partis bonorum, in morbum grauem extra vitæ periculum, in neceſſitatem quaſi perpetuæ famis, & in incommoda alia, quæ vitam reddant miſeram, & notabiliter moleſtam.] Et hæc poſtrema verba cenſeo ſufficientia ad explicandam grauem neceſſitatem, quæ ſcilicet datur, [cùm quis ſubit ea incommoda, quæ vitam reddunt miſeram, & nimis moleſtam.]

Quid ſit grauis neceſſitas?

Cùm quis ſubit incommoda, quæ vitam reddunt nimis moleſtam.

6. Iuxta quæ eſſet in graui neceſſitate conſtitutus, qui per multos dies ſolo pane, & oleribus victitaret; qui ita eſſet nudus, vt vel illi eſſet ad magnam ignominiam, vel ei impenderet præ frigore periculum grauis morbi contrahendi: item ille, cui eſſet nimis moleſtum ſuper pauimento, aut tabula dormire. Hæc enim omnia, & ſimilia vitam reddunt miſeram, & nimis moleſtam. Si autem ille haberet ſuppellectilia, ſine quibus poſſet abſque graui moleſtia, & ignominia tranſigere, quibus venditis poſſet ab ea miſeria egredi, non eſſet conſtitutus in graui neceſſitate. Et ideò fæmina, quæ iocalia aurea, vel argentea retinet, & tamen ſolo pane victitat, non patitur grauem neceſſitatem, niſi illa ad aliam ſimilem neceſſitatem ſubleuandam reſeruanda eſſent. Grauem etiam patitur neceſſitatem, qui duram ſubit captiuitatem, aut diuturno tempore detinetur in carcere nimis moleſto. Vide P. Petrum Hurt. 2. 2. *tom.* 2. *diſp.* 159. *à* §. 78. vbi diſtinguit quatuor genera neceſſitatis grauis, pertinentia ad vitam, ad honorem, ad dignitatem, & ad fortunas.

Varij caſus neceſſitatis grauis.

Neceſſitas communis dici ſolet ab aliquibus Doctoribus ea, quam pauperes multi patiuntur, qui oſtiatim mendicant, eo quod ſemper illis ſuccurritur hinc, & inde. Sed ſanè non bene explicant, cùm etiam frequenter videamus, & audiamus, eiuſmodi pauperes in oppidis præcipuè paruis vitam degere valdè miſeram, & moleſtam. Vt ergo neceſſitas communis diuerſum membrum conſtituat in hac diuiſione, & illa quidem rectè explicetur, dicendum eſt, communem neceſſitatem eſſe eam, vnde aliquod incommodum ſequitur in neceſſariis ad vitam, & ſtatum; quod tamen non reddat vitam nimis miſeram, vel moleſtam, iuxta ſtatum patientis. Vnde pauperes oſtiatim mendicantes, qui ſolo pane, & iuſculo aliquo veſcuntur, in magna neceſſitate conſtituti ſunt, & non in communi. 7.

Quæ ſit neceſſitas communis?

Præmittendum eſt tertiò, cùm inquirimus, an diues teneatur ad eleemoſynam in graui neceſſitate; quis veniat nomine diuitis? Et quidem diues non eſt exiſtimandus, qui copioſos habet annuos redditus. Fortaſſe enim diues eſt, qui habet trecenta ducata annua; & non diues, qui habet duo millia annua ducatorum. Si enim primus nullam habeat obligationem alendi alterum, non parum ſupererit de congrua ſuſtentatione. Si autem ſecundus alere debeat viginti domeſticos, neque hilum ſupererit. Ille ergo pro re præſenti diues dicendus eſt, qui habet ſuperflua ſtatus, id eſt, cui poſt ſumptus ad naturam, & ſtatum neceſſariós aliqua ſuperſunt. 8.

Quis veniat nomine diuitis?

Qui habet ſuperflua ſtatus.

Præmitto quartò, eſſe certiſſimum apud omnes, teneri diuitem ſub reatu culpæ grauis ſuccurrere pauperi extrema neceſſitate laboranti, ſaltem ex ſuperfluis ſtatus; & licitum eſſe ei extremè indigenti ſubripere alteri, quæ neceſſaria ſunt pro ſuæ neceſſitatis leuamine, ſaltem ſi ille alter non ſit in eodem neceſſitatis genere conſtitutus. Vide P. Suar. *de Charitate diſput.* 7. P. Vaſq. *opuſc. de Eleemoſyna*, *cap.* 1. *dub.* 3. *num.* 10. P. Granado 2. 2. *controu.* 3. *tract.* 11. *diſp.* 2. P. Petrum Hurt. 2. 2. *tom.* 2. *diſp.* 159. P. Lugo Card. *tom.* 1. *de Iuſt. diſp.* 16. *ſect.* 7. & Nauarr. *in Sum. cap.* 24. *num.* 5. 9.

Teneri diuitem ſuccurrere extremè indigenti, ex ſuperfluis ſtatus, certum eſt.

Eſt tamen quæſtio, an in extrema neceſſitate ſuccurrere debeas indigenti ex neceſſariis ad ſtatum? P. Valentia 2. 2. *diſputat.* 3. *quæſt.* 9. *punct.* 4. §... *verſ. Neque ſanè*, ait, non eſſe probabilem opinionem aientium, de neceſſariis ad ſtatum non eſſe obligationem ſuccurrendi extremè laboranti. Et P. Granado proximè relatus *num.* 5. ait: [in extrema neceſſitate proximi teneri quemcunque elargiri illi eleemoſynam, etiam de neceſſariis ad ſtatum; quidquid vnus, vel alter Doctor contrà ſenſerit: quorum doctrinam improbabilem appellat Valentia *punct.* 4. Eſt enim non ſolùm contra communem opinionem Theologorum, ſed etiam 10.

An teneatur, etiam ex neceſſariis ad ſtatum?

Digitized by Google

etiam contra rationem, quæ perſuadet, magis amandam vitam proximi, quàm commoditatem aliquam vitæ propriæ. Præſertim cùm eiuſmodi neceſſitates non ſint ita frequentes, nec detrimentum, quod propterea quis in ſtatu ſuo patietur, ſit ita exceſſiuum.]

11\. *Qua ratione ſit improbabilis ſententia negatiua?*

Quorum Doctorum cenſura vt intelligatur, notandæ ſunt iſtæ duæ propoſitiones: *Nemo tenetur ex neceſſariis ad ſtatum ſuccurrere extremè indigenti: Nemo tenetur ex neceſſariis ad ſtatum ſuccurrere extremè indigenti, cum maxima iactura ſui ſtatus.* Primam ergo bene notant prædicti Authores cenſura improbabilitatis. Alioqui ſi ſuccurrere poſſes extremè indigenti re, quæ valeat quinquaginta argenteis, & hi neceſſarij ſint ad conuiuium ſolitum conſanguineorum, quod ad ſplendorem ſtatus pertinet, improbabile eſt, te non teneri ſuccurrere extremè laboranti, ne is ſplendor amittatur. Non ſecundam, vt colligitur ex poſtremis verbis relatis Patris Granado: *Nec detrimentum, quod propterea quis in ſtatu ſuo patietur ſit ita exceſſiuum.* Nam ſi hoſtis velit occidere Petrum, ni decem millibus aureorum vita eius redimatur, durum eſt obligare diuitem ad ſuccurrendum ei extremæ neceſſitati, ſi ea decem millia aureorum neceſſaria ſunt ad ſuum ſtatum conſeruandum; non enim tenetur ſuccurrere cum tanta ſui ſtatus iactura. Et ſic cenſeo conciliari duas extremas Theologorum ſententias circa hoc punctum. Vide Card. Lugo *diſp.16.de iuſt.ſect.7.à num.146.*

An teneatur diues 10000. aureos impẽdere, ne Petrus occidatur?

12\. *Tenetur, etiã ex neceſſariis ſimpliciter ad ſtatum, cùm poteſt ſine magna iactura ſtatus.*

Et quamuis aliqui apud Lugo relatum diſtinguant inter neceſſaria ſimpliciter ad ſtatum, & neceſſaria ad melius eſſe; & dicant non teneri quem ad ſuccurrendum extremè indigenti ex neceſſariis ſimpliciter ad ſtatum, teneri tamen ex neceſſariis ad melius eſſe; ſanè explicandi ſunt, vt etiam teneantur ex neceſſariis ſimpliciter ad ſtatum, quando ſine magna iactura ſtatus ſuccurrere poſſunt: nam modica iactura ſtatus poſtponenda eſt extremæ neceſſitati proximi. Vide infrà *cap.2. articul.4. coroll.4. fine.* Ideò P. Hurt. *ea diſputat.159. num.57.* ait: [Aſſerere, nullum teneri opitulari extremè indigenti cum aliquo detrimento ſtatus, ſed præceptum ſolum eſſe de omninò ſuperfluis, exiſtimo *neque eſſe probabile, neque poſſe formari dictamen practicè tutum.* Bañez oppoſitam vocat *inhumanam* opinionem.] De quo vide Patrem Arriaga 2. 2. *diſp.43. ſect.3. num.35.*

Neque eſt probabile oppoſitum.

13\. *Tenetur ſub mortali, etiã ex neceſſariis naturæ, cùm poteſt ſine magno detrimento.*

Addendum etiam eſt tanquam certum, etiam ex neceſſariis naturæ ſuccurrendum eſſe extremè indigenti ſub reatu culpæ grauis; cùm id fieri poteſt cum modico detrimento. Quod ipſa rei explicatione patet. Etenim neceſſaria naturæ ſunt ea quæ deſeruiunt communi alimento; vnde qui ſolùm habet pro die hodierno communem quantitatem panis, & carnis, ſi incidat in hominem præ fame extremè indigentem, cuius præſens neceſſitas leuabitur meditate eius cibi, quem ſibi ille primus paratum habet, tenetur prædicta medietate eam leuare neceſſitatem: modicum enim detrimentum patietur per hoc, quod vnica die comedat meridie medietatem cibi conſueti. Si autem negaret in eo caſu prædictam ciborum medietatem, quis non accuſaret viſcera eius ferrea, & illum diceret Hircana tigride natum, qui pateretur, proximum fame perire, ne ipſe integris, & conſuetis naturæ commodis (ſine graui detrimento) vnica die priuaretur?

Denique quando extrema neceſſitas proximi eſt in ordine ad ſalutem æternam, omnes fortunas exponendas eſſe, ne proximus incurrat damnationem æternam, certum eſt apud omnes; cùm & propriam vitam prodigendam eſſe pro æterna ſalute proximi, doceat communis Theologorum ſententia. Vide Card. Lugo *loco citato, n.150.* 14.

In neceſſitate proximi extrema ſalutis æternæ tenetur quis exponere omnes fortunas.

His poſitis Caramuel *in Theolog. fundament. num.1766. fund.59.* acriter impugnat Dianam, quòd dixerit *part.2. tract.17. reſol.29.* conſtitutum in neceſſitate graui poſſe ſibi ſubripere à diuite, quæ neceſſaria ſunt ad eius neceſſitatis leuamen. Cuius fundamenta poſteà deducemus ad criſim, ſi priùs exponamus, ad quid teneatur diues agnoſcens grauem neceſſitatem, in qua proximus conſtitutus eſt. 15.

CAPVT II.

An grauem neceſſitatem patienti teneatur diues ſuccurrere ſub reatu culpæ grauis?

ARTICVLVS I.

Refertur aliorum ſententia.

IN graui proximi neceſſitate non teneri diuitem ſuccurrere inopi, etiam ex ſuperfluis ſtatus, referuntur aſſeruiſſe Gerſon *part. 2. Alphab. 32. litt. O.* Alenſis 4. *part. quæſt.34.* Sanct. Antonin. 2. *part. tit.1. cap.24.* Durand. *in 4. diſt.15. quæſt.6.* Panormit. *in cap. Si verò, de iureiurando, num. 6.* Gabriel *in 4. diſt.16. quæſt.4. concluſ.5.* quam opinionem ſibi placere, ait Diana 2. *part. tract.2. miſcellan. reſol.28.* aitque, vocari probabilem à Maldero 2. 2. *quæſt.2. art.6. dub.4. §. reſpondeo.* 16.

Sed P. Petr. Hurr. 2. 2. *tom.2. diſput.159. à §. 86.* clarè oſtendit, non poſſe referri pro ea ſententia Gerſonem, Alenſem, Sanct. Antoninum, Lyram, Durandum, & Gabrielem. Panormitanus autem in eo loco apertè ſtat pro neceſſitate graui. 17.

Eam ſententiam probant aliqui, primò ex Sancto Thoma 2. 2. *quæſt. 32. art.5. corp.* vbi ait: *Sic ergo dare eleemoſynam de ſuperfluo eſt in præcepto, & dare eleemoſynam ei, qui in eſt extrema neceſſitate:* ergo vtrunque requirit S.Thom. ad præceptum; atque adeò deficiente extrema neceſſitate, ceſſat præceptum. 18.

Probant ſecundò, quia præceptum ſolùm obligat in neceſſitate ſimpliciter: quæ autem non eſt extrema, non eſt ſimpliciter neceſſitas, ſed ſecundùm quid. 19.

Probant tertiò. Etenim non magis tenetur ex præcepto ſubuenire alteri, quàm ſibi ipſi? ſed nemo extra neceſſitatem extremam tenetur ſubuenire ſibi ipſi, cùm homo poſſit licitè reducere ſeipſum ad ſtatum maximæ paupertatis, in quo opus aggreditur ſummæ perfectionis Euangelicæ, dummodò non ſe reducat ad diſcrimen vitæ, quæ eſt extrema neceſſitas: 20.

Digitized by Google

ceſſitas : ergo non tenetur homo ſubuenire alteri extra neceſſitatem extremam.

21. Probatur quartò, quia ſi ita pauperum neceſſitatibus grauibus conſulere tenentur diuites de ſuperfluo, non poterunt aſcendere ad ſtatum altiorem. Item neque poterunt ædificare Templa, Altaria erigere, pro magno Miſſarum numero ſtipendia deſignare. Quæ omnia videntur abſurda.

ARTICVLVS II.

Aſſeritur tanquam certa affirmatiua ſententia.

22. Dicendum ergo eſt, certam eſſe, ſaltem à principiis intrinſecis, ſententiam, quæ affirmat, teneri diuitem ſub reatu culpæ grauis, ſaltem ex ſuperfluis ſtatus, ſuccurrere pauperi in graui neceſſitate conſtituto; præcipuè cùm hæc neceſſitas verſatur circa ea, quæ ad communem vitæ ſuſtentationem ſpectant. Ita P. Suarez *diſput. 7. de Charit. ſect. 3. num. 6. fin.* vbi ſic ait: [Ex his verò colligo, primam opinionem practicè eſſe *omninò improbabilem, nec ſecuram in conſcientia, quia contrarium ferè euidenter demonſtratur* ex Scriptura, Patribus, & ratione. Et ipſa nullum habet fundamentum; Authoreſque eius vix audent eam affirmare.]

Qui certam affirment, & oppoſitam improbabilem? Suarez.

23. Et quidem quamuis prima ſententia relata à Suario aſſerat duo, & præceptum eleemoſynæ extendi ſolùm ad extremam neceſſitatem; & in hac ſolùm eſſe obligationem ſub veniali: at in verbis relatis patet illum loqui de ea ſententia, prout excludit neceſſitatem grauem. Nam de hoc puncto agit in ea ſecunda concluſione, in qua ea verba relata continentur. Præcipuè cùm probatio ex Scriptura, cuius meminit in verbis relatis, afferatur ab ipſo ad aſſerendam grauem obligationem eleemoſynæ in graui neceſſitate.

24. Granado. Et P. Granado *2. 2. controu. 3. tract. 11. diſp. 2. ſect. 4. num. 28.* eandem huius ſententiæ certitudinem ſtatuit his verbis: [Et ſanè quæ in ſectione præcedente in huius aſſertionis comprobationem adducta ſunt, ita vrgere videntur mihi, vt credam, non poſſe quempiam, ſi ea rectè expendat, tuta conſcientia contrarium, aut conſulere, aut efficere.]

25. Petr. Hurt. P. Petrus Hurtado *ea diſputat. 159. §. 82.* cùm retuliſſet oppoſitam ſententiam, ait: [Hæc concluſio, iam eſt tam communis, vt *oppoſita ſit oblitterata.*] Et allegans pro ea Patrem Azotium, Richardum, Hadrianum, Abulenſem, Maiorem, Caietanum, Sotum, Ledeſmam, Cordubam, Couarruuiam, Lorcam, Aragon, Bañez, Cardin. Toletum. Cardin. Bellarmin. P. Suarez, P. Valentiam, P. Vaſquez, P. Filliucium, Turrianum, ſubdit: [Qui rem efficiunt *moraliter tam certam*, vt oppoſita ſententia *non ſit in conſcientia ſecura.*] Et §. 86. repetit, *oppoſitam ſententiam eſſe improbabilem, neque in conſcientia tutam.* Et §. 93. [Cenſeo *improbabile*, non eſſe obligationem *grauiter* indigenti ad vitam opitulandi ex omninò ſuperfluis.]

Azor. Richardus. Hadrianus. Abulenſis. Maior. Caietanus. Sotus. Ledeſma. Corduba. Couarru. Lorca. Aragon. Bañez. Toletus. Bellarm. Suarez. Valentia. Vaſquez. Filliucius. Turrianus.

P. Vaſquez *opuſcul. de eleemoſyna, cap. 1. num. 14.* affirmat tanquam certum, præceptum eleemoſynæ vrgere etiam extra caſum extremæ neceſſitatis, illis verbis: *Conſtat ergo ex dictis*, &c. Et Bañez *2. 2. quæſt. 32. art. 6. dub. 2. id eſſe ſibi certiſſimum, in graui neceſſitate proximi teneri quempiam de ſuperfluis naturæ, & de ſuperfluis ſtatus elargiri eleemoſynam.* 26. Vaſquez. Bañez.

Et hæc eſt communis ſententia Theologorum, paucis exceptis. Et hanc eſſe ſententiam Sancti Thomæ, oſtendit Pater Granado *cit. ſect. 3.* præcipuè id docuiſſe *2. 2. quæſt. 32. art. 5. corp.* & *ad 3.* & *in 4. diſt. 15. quæſt. 2. art. 1. quæſtiunc. 4. ad 4.* & *2. 2. quæſt. 188. art. 4. ad 2.* Et ideò Pater Granado ſubdit: [Quare miror, nonnullos putauiſſe, Sanctum Thom. in ſolo caſu neceſſitatis extremæ obligare ad elargitionem eleemoſynæ.]

Nota etiam ea verba, quæ propoſui in ipſa concluſione, *Præcipuè cùm hæc neceſſitas verſatur circa ea, quæ ad communem vitæ ſuſtentationem ſpectant.* Nam vt benè notauit, P. Petrus Hurtado vbi ſuprà §. 96. in neceſſitate, quæ verſatur circa dignitatem, honorem, & ſtatum non eſt tam certum nos teneri opitulari proximo, quàm in neceſſitate pertinente ad alimenta communia vitæ, ſcilicet ad victum, veſtitum, & ſimilia. 27. *Id eſt certum quoad alimẽta vitæ; non ita certum quoad cætera neceſſaria.*

Hæc ſententia probatur clariſſimè ex Euangelio, in quo adſtruitur grauis obligatio elargiendi eleemoſynam extra caſum extremæ neceſſitatis. Nam *Matth. 25.* docet nos Chriſtus Dominus, multos damnandos eſſe in æternum, quia noluerunt pauperibus ſubuenire. *Eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare; ſitiui, & non dediſtis mihi potum; nudus eram, &c.* Quæ quidem non ſignificant extremam neceſſitatem: tum quia ſtant eſuries, ſitis, & nuditas abſque extrema neceſſitate: tum quia extrema neceſſitas eſt rariſſima, & illud aſſerit Chriſtus vt valdè commune damnationi reproborum: tum etiam, quia vix eſt cogitabilis caſus, in quo nuditas afferat neceſſitatem extremam. 28. *Colligitur clarè ex Euãgelio.*

Deinde *Luc. 16.* Sepultus eſt in inferno, & cruciabatur in tormentis diues ille epulo, *qui induebatur purpura, & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendidè:* eo quod Lazaro mendico eleemoſynam negabat; qui tamen non laborabat extrema neceſſitate; nunquam enim mendici in ciuitate opulenta ob cibi inopiam ad extremam perueniunt calamitatem. 29.

Et *Luc. 12.* Diues alius, qui dicebat: *Quid faciam, quia non habeo, quò congregem fructus meos*, &c. ſupplicio affectus dicitur, non quia aliena rapiebat; erant enim fructus agri ſui; *Hominis cuiuſdam diuitis vberes fructus ager tulit:* ſed quia erga Deum, & pauperes eius non erat liberalis. *Dixit autem illi Deus: Stulte hac nocte animam tuam repetunt à te*, &c. *Sic & qui theſaurizat, & non eſt in Deum diues.* Stultitia autem in Euangelio grauem culpam deſignat. Vbi gloſſa (apud P. Sà *in Lucam*) ad ea verba, *Dixit autem illi Deus*, ſubdit: Dicere *Dei ad hominem, eſt*, prauas *eius machinationes ſubita animaduerſione compeſcere.* Vbi notat culpam, & ſupplicium. Et interlinealis ad id verbum, *Repetunt*, ait: *Exactores.* Et Chryſoſtomus (apud eundem) *Terribiles virtutes ad hoc miſſæ.* Quæ omnia ſupplicium culpæ denotant. Nec tamen aliqua extrema neceſſitas ibi adeſſe ſignificatur. Lege Sanct. Ambroſium 30.

Digitized by Google

Ambroſium *ſermon.* 81. vbi multa habet ad hanc rem, præcipuè illa verba: *Caueamus exemplum diuitis iſtius, qui dum præſentes diuitias concludit, & de futuris ſollicitudinem gerit, diuitiis pariter abreptus, & vita, protrahitur ad tribunal horrificum: in quo accuſatrix quidem huius aſſiſtit ipſa illa, quæ & totius vitæ eius comes extitit, auaritia: defenſor verò, & interceſſor nuſquam vllus apparet.* Nomine autem interceſſoris pauperes intelligit, etiam extra extremam neceſſitatem, vt ex ſequenti contextu apertè conſtat.

31. Sanctus Ioannes in *epiſt.* 1. *capite* 3. *Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* Vbi ſine fundamento ad extremam neceſſitatem coarctabuntur ea verba. Et eſſe obligationem ſub reatu culpæ grauis, manifeſtè denotatur, dum dicitur, in eo eſſe non poſſe charitatem Dei.

32. Et Sanct. Iacobus *in epiſt. canonica, cap.* 2. *Quid proderit, fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides ſaluare eum? Si autem frater & ſoror nudi ſunt, & indigeant victu quotidiano; dicat autem aliquis ex vobis illis: Ite in pace, calefacimini, & ſaturamini: non dederitis autem eis, quæ neceſſaria ſunt corpori, quid proderit? Sic & fides ſi non habeat opera, mortua eſt in ſemetipſa.* Itaque ſecundum oraculum Iacobi, fidem habet mortuam, nec iuſtificatione formatam, nec ſufficientem ad ſalutem æternam, qui proximi nuditatem non cooperit, nec miniſtrat neceſſaria ad alimentum. Nuditas autem non conſtituit neceſſitatem extremam: & indigere victu quotidiano, indifferens eſt ad neceſſitatem extremam, & grauem; præcipuè cùm rariſſima ſit extrema calamitas, & Iacobus agat de operibus, quorum exercendorum occaſio communiter aduenit. Deinde quia verba indifferentia ad neceſſitatem extremam, & grauem, ſine fundamento ad vnam coarctabuntur.

33. Et *Ezechiel.* 16. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ, ſuperbia, ſaturitas panis, & abundantia, & otium ipſius, & filiarum eius; & manum egeno, & pauperi non porrigebant.* Eſt autem abſurdum, velle ſub nomine egeni, & pauperis indefinitè prolato, intelligi dumtaxat neceſſitatem extremam. Vide alios Scripturæ textus apud præcitatos Doctores.

34. *Eſt communis ſententia SS. Patrum. S. Ambroſ.* Et quidem euidenter conſtat, hanc eſſe communem ſententiam Sanctorum Patrum. Sancti Ambroſij *ſermon.* 81. & habetur *cap. Sicut hi* 47. *diſtinct.* iis præcipuè verbis. *Neque enim maius eſt criminis habenti tollere, quàm cùm poſſis, & abundans ſis, indigentibus denegare. Eſurientium panis eſt, quem tu detines: nudorum indumentum eſt, quod tu recludis,* &c. Vbi vides, non eſſe maius crimen aliena rapere, quàm eſurienti panem, & nudo veſtimentum denegare. Et *lib.* 1. *de officiis, cap.* 31. *Grandis culpa eſt, ſi ſciente te, Fidelis egeat*, &c.

35. *S. Baſil.* Sanctus Baſilius *homil. in* 12. *Lucæ* (cuius verba afferuntur à Sanct. Thoma 2. 2. *quæſt* 32. *art.* 2. *ad* 2.) ait: *Eſt panis famelici, quem tu tenes; nudi tunica, quam in conclaui conſeruas; diſcalceati calceus, qui penes te marceſcit; indigentis argentum, quod poſſides inhumatum. Quocirca tot iniuriaris, quot dare valens es.* Vbi clarè conſtat, eum non agere de neceſſitate extrema, cùm defectus calceorum non deducat hominem ad extremam calamitatem. Et dato, quod negare eleemoſynam pauperi, non ſit formaliter iniuria, neque contra iuſtitiæ virtutem; de quo dicam *cap.* 3. ſaltem ſenſus eſt, eſſe æquiualenter iniuriam, quatenus, vt dixit Ambroſius ſuprà, non eſt minus crimen negare pauperi hæc ſubſidia, quàm aliena rapere.

Quod idem clariſſimè tradit *homil.* 7. *contra diuites auaros*, maximè illis verbis: *Denique ſine ſumptu pietatem oſtendentes, egentibus verò nec obolum quidem præbentes. Quid his cætera virtutum diligentia prodeſt? Non proptereà regnum Dei conſequentur.* Excluduntur itaque à regno Dei, qui egentes à charitate ſua excludunt. Quod ſaltem de grauiter indigentibus intelligendum eſt.

36. *S. Auguſt.* Sanctus Auguſtinus *in Pſalm.* 147. *Superflua igitur neceſſaria pauperum. Res alienæ poſſidentur, cùm ſuperflua retinentur.* Quod ſaltem in ſenſu æquiualentiæ quoad culpam intelligendum eſt. Et *epiſt.* 199. *col. penult. Porrò ſi de faciendis eleemoſynis, & in pauperes impendendis rebus tuis; de quo bono opere, & magno tam euidentia præcepta ſunt Domini*, &c. Vbi, vt vides, non patitur Auguſtinus, de eo Domini præcepto dubitari.

37. *S. Gregor. Nyſſenus.* Sanctus Gregorius Nyſſen. *orat. de Pauperibus amandis. Duplex in turpi domo exercetur peccatum; alterum propter ebriorum ſocietatem; alterum propter expulſorum pauperum famem. O pauperum inimici! An neſcitis, horum causâ commemorari in Euangelio exempla horrenda, & terribilia?* Neque enim poteſt eſſe leue crimen, propter quod in Euangelio exempla horrenda, & terribilia commemorantur. Et fames pauperum abſolutè non denotat neceſſitatem extremam.

38. *S. Chryſoſt.* S. Chryſoſtomus *hom.* 34. *ad pop. Antioch.* agens de eo, qui eleemoſynam denegat, ait: *Crapulante, & ebrio peior eſt huiuſmodi; & tanto peior, quanto deliciis crudelitas grauior.* Et mox: *Hanc* (largitatem in pauperes) *non habentem, omninò perire neceſſarium eſt.* Quod millies repetit Sanctus Chryſoſtomus, aſſerens, damnandos diuites, qui eleemoſynam egentibus non elargientur: præcipuè *homil.* 37. *ad popul. fin.*

39. *Theophilactus.* Theophilactus *in cap.* 11. *Luc.* agnoſcens maiorem impoſſibilitatem ſalutis æternæ diuitis, quàm tranſitûs cameli per foramen acus, ait: *Primum quidem, quod verè ſic habet; impoſſibile ſaluari eum, qui diues eſt. Neque enim mihi dicas, quod ſaluatus ſit diues quiſpiam, qui ſua dederit. Non enim diues ſaluatus eſt, ſed quia pauper factus, vel diſpenſator exiſtens, ſeruatus eſt, non diues.*

Iuxta quæ diues, qui diuitias retinet, non largiens egentibus, ſalutem æternam conſequi non poteſt.

40. S. Cyprianus. S. Cyprianus *lib. de opere, & eleemoſ.* totus hac doctrina imbutus, eam millies repetit. *Col.*10. multa ad hanc rem dixit; & præcipuè ad illa Chriſti verba: *Eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare*; hæc ſubdit inter alia: *Præcepta ille nobis dedit: quid facere ſeruos ſuos oportet, inſtruxit: operantibus præmium pollicitus, & ſupplicium ſterilibus comminatus, ſententiam ſuam protulit; quid indicaturus ſit antè prædixit. Quæ poteſt excuſatio eſſe ceſſanti? Quæ defenſio ſterili? Niſi, quod non faciente ſeruo quod præcipitur, dominus faciet quod minatur.* Vbi perpende culpam, præceptum, & ſupplicium; & ne vnum quidem verbum eſſe, quod neceſſitatem extremam pauperum deſignet. Et mox: *Se dixit offendi, niſi egenti præſtetur, & pauperi.* Et *colum.* 3. *Inter ſua mandata diuina, & præcepta cæleſtia, nihil crebriùs mandat, & præcipit, quàm vt inſiſtamus eleemoſynis dandis.*

41. S. Gregor. Nazianz. Sanct. Gregor. Nazianzen. *oratione* 16. *fine*, ſic ait: *An tu benignitatem non neceſſariam, ſed tibi liberam eſſe putas? Ac non legem, ſed conſilium? Hoc quoque ipſe magnopere vellem, & exiſtimarem. Sed me ſiniſtra illa manus terret, & hœdi* (Math.25. dicitur: *Hœdos autem à ſiniſtris:*) *& probra, quæ ab eo, à quo illic collocati ſunt, conijciuntur; non quia manus alienis bonis attulerunt, nec quia templa diripuerunt, aut adulterium perpetrarunt, aut aliud quidquam ex his, quæ interdicta ſunt, admiſerunt, hoc ordine mulctati ſunt; ſed quia Chriſtum per pauperes minimè curarunt.*

42. S. Hieron. Vide etiam Sanct. Hieronymum *in Regul. Monach. cap. de paupert.* & habetur *cap. hoſpitalem* 42. *diſtinct.* & *epiſt.* 150. *ad Hedibiam, quæ eſt* 1. *fin.* qui eandem tradit doctrinam. Et

S. Beda. Sanctum Bedam *lib.* 4. *in Luc. in cap.* 11. *ad ea verba cap.* 11. *Verumtamen, quod ſupereſt*, &c. Vbi præceptum Chriſti alendi inopem agnoſcit. Vide etiam apud Bellarminum *tom.* 3. *lib.*3. *de bonis operib. cap.* 7. & apud P. Valencia 2. 2. *diſputat.* 3. *de Charit. quæſt.*9. & apud P. Pet. Hurt. 2. 2. *tom.*2. *diſputat.*159. *ſect.*4. & 5. multa alia Sanctorum Patrum teſtimonia, præcipuè Auguſtini *lib. quinquag. homiliarum, homilia* 8. & *tract.*50. *in Ioannem.*

S. Leo Magnus. S. Gregorius. S. Bernard. Sanct. Leonem *ſerm.* 5. *de Collectis.* Sanct. Gregorium Magnum 3. *part. Paſtoral. admonit.* 22. verbis citandis infra *cap.*3. *art.* 2. Sanct. Bernardum *epiſt.*42. Sanct. Gregorium Nyſſenum *oratione de pauperibus amandis.* Sanct. Gregorium Nazianzen. *orat.* 43. Et in omnibus Sanctorum Patrum teſtimoniis aduerte, eos generaliter loqui de egenis, nec vnquam aliquid dicere, quod ad extremam neceſſitatem debeat coarctari.

* * *

Articvlvs III.

Argumentis à ratione fulcitur eadem veritas.

SVfficerent adeò clara Scripturæ teſtimonia, & Sanctorum Patrum ſententia concors, ad certitudinem doctrinæ. Non tamen deſunt ſolidæ rationes eiuſdem doctrinæ. Prima eſt: Nam in hæc omnia exteriora bona conceſſit Deus dominium hominibus, vt per illa ſuis neceſſitatibus ſubuenirent; vnde ex ipſa Dei inſtitutione deſtinata ſunt ad hunc finem ſubuentionis neceſſitatum humanarum: ergo quando iure gentium, aut mutuo fœdere hominum inducta eſt rerum diuiſio, ea non potuit afferre præiudicium huic diuinæ inſtitutioni rerum, & naturali iuri. Ergo quoties adſunt humanæ neceſſitates ex his bonis, inſtitutione diuina, & naturali debet illis ſubueniri. Itaque quamuis iure gentium, aut mutuo hominum fœdere de bonis communibus tranſierunt in bona peculiaris domini, non tamen amiſerunt ſuam naturalem inſtitutionem; vnde quoad ſubleuandas graues hominum miſerias, ea bona manſerunt communia. 43. *Hæc bona ex diuina inſtitutione ſunt deſtinata ad hominum neceſſitates ſubleuandas.* *Rerum communis diuiſio non potuit reſiſtere ei inſtitutioni diuinæ.*

Dices, non ſolùm adquiſitum eſſe dominium particulare per illam rerum diuiſionem inductam iure gentium, ſed in multis etiam ipſo iure naturali: qualiter reipſa adquirebatur ante rerum diuiſionem. Primò, ſi quis ex bonis communibus rem apprehendit; tunc enim iure naturali fit primò occupantis: idque præcipuè, ſi prima illa occupatio apprehendenti conſtat magno labore, & induſtria, vt contingit in venatione ferarum. Secundò, ſi quis artifex media ſcientia ſua opus fecit, v. g. figulus vaſa teſtea, iure naturali adquiſiuit dominium eorum. Idque etiam contingit in eo, qui labore ſuo ſeminat, vel plantat; fit enim dominus particularis fructuum. Ergo ſaltem in omnibus his caſibus ceſſat ratio facta. 44. *Non ſolùm iure gentium adquiſita eſt proprietas, ſed in multis iure naturali.*

Id tamen prædictæ rationi nihil obſtat, quia id particulare dominium non præiudicat inſtitutioni diuinæ prædictorum bonorum. Potuiſſet enim Deus vt ſupremus dominus negare dominium particulare eorum bonorum hominibus, etiam in illis caſibus: & vt potuit negare illis id dominium, ita potuit concedere ſub ea inſtitutione; & ita de facto conceſſit, vt vterentur tanquam particulares domini eiuſmodi bonis, ſeruato ordine diuinæ inſtitutionis, ſcilicet in commune leuamen neceſſitatum humanarum. Atque adeò cùm aliquis iure naturæ adquirit dominium particulare rerum, adquirit illud cum eo ordine, & onere, quod res ipſæ ex inſtitutione ſua ſecum portant. Quare habentes dominium particulare rerum, eam ſubeunt obligationem ſuccurrendi grauibus aliorum neceſſitatibus. 45. *Nec dominiū iure naturali adquiſitum reſiſtit inſtitutioni diuinæ.*

Hanc rationem tradidit Sanctus Thomas 2.2. *quæſt.*66. *art.*7. *corp.* his verbis: *Secundùm autem naturalem ordinem ex diuina prouidentia inſtitutum* 46. *Hæc inſtitutio diuina traditur à S. Thoma.*

Digitized by Google

inſtitutum, res inferiores ſunt ordinatæ ad hoc, quod ex his ſubueniatur hominum neceſſitati; & ideò per rerum diuiſionem, & appropriationem ex iure humano procedentem non impeditur, quin hominis neceſſitati ſit ſubueniendum ex huiuſmodi rebus. Et ideò res, quas aliqui ſuperabundanter habent, ex naturali iure debentur pauperum ſuſtentationi. Et quamuis Sanctus Thomas loquatur dumtaxat de appropriatione, quæ ex iure humano procedit; eadem tamen eſt ratio de appropriatione, quæ iure naturali intelligatur procedere in artefactis, & bonis labore, & induſtria comparatis: hoc enim ius naturale fundatur in conceſſione dominij, quod Deus hominibus conceſſit ſub ea inſtitutione, & conditione ſubleuandi graues hominum neceſſitates.

47. *Hanc inſtitutionẽ tradunt SS. Patres.* S. Baſil. Hanc diuinam inſtitutionem agnouerunt Sancti Patres Eccleſiæ. Ita Sanctus Baſilius *homil. in* 12. *Luc.* (verba refert Sanctus Thomas 2. 2. *quæſt.* 32. *art.* 5. *ad* 2.) ſic ait: *Si fateris, ea tibi diuinitus proueniſſe, an iniuſtus eſt Deus, inæqualiter nobis diſtribuens? Cur tu abundas, ille verò mendicat; niſi vt tu bonæ diſpenſationis merita conſequaris, ille verò patientiæ brauiis decoretur?* Et ita ſecundùm Diuum Baſilium hanc inæqualitatem dominij conceſſit, aut permiſit hominibus inſtituendo, vt qui ſuperabundant, neceſſaria diſpenſent egentibus.

48. S. Ambroſ. Eodem modo loquitur Sanctus Ambroſius *ſermon.* 81. *citat.* vbi ait: *Nunquid iniquus eſt Deus, vt nobis non æqualiter diſtribuat vitæ ſubſidia; vt quidem eſſes affluens, & abundans; alii verò deeſſent, & egerent?* Itaque ſecundùm Ambroſium omnia, quæ ſunt in alimentum vitæ neceſſaria, & ſine quibus miſerè, & moleſtè vita tranſigitur, communia eſſe hominibus, Deus inſtituit. Et ibidem ait: *Proprium nemo dicat, quod eſt commune.* Vbi gloſſa *in eo cap. Sicut hi,* 47. *diſtinct.* ait: *Commune*, id eſt, *communicandum tempore neceſſitatis.*

49. S. Auguſt. Idem docet Sanctus Auguſtinus *ſerm.* 219. *de Temp.* vbi ſic ait: *Quidquid enim Deus nobis plus, quàm opus eſt, dederit, non nobis ſpecialiter dedit, ſed per nos aliis erogandum tranſmiſit.* Ideſt, ita tranſmittendum inſtituit.

50. Theophilact. Idem ſignificauit Theophilactus *in cap.* 11. *Luc.* dum ait, Deum diuites inſtituiſſe diſpenſatores bonorum in neceſſitatem pauperum; & diuitibus ipſis diuitias eſſe creditas (virtualiter, ſiue æquiualenter) ad earum neceſſitatum ſubuentionem. Id enim ſignificat illis verbis: [Non enim diues ſaluatus eſt, ſed quia pauper factus, vel diſpenſator exiſtens, ſeruatus eſt, non diues. Aliud enim eſt diſpenſator, aliud diues. Diues enim eſt, qui ſibi reſeruat diuitias; diſpenſator verò, *cui creditæ ſunt propter alios.*] Quibus multa ſimilia reperies in Sanctis Patribus.

Quod autem dicunt Sancti Patres, Deum non eſſe iniquum, aut iniuſtum, vt velit inæqualiter diſtribui vitæ ſubſidia, quaſi fuiſſet iniuſtus, ſi aliter inſtituiſſet; facilem habet explicationem, ſuppoſito diuino decreto, & inſtitutione, qua hæc omnia creauit, & inſtituit in omnium, & ſingulorum ſubſidium: eſſetque iniquus, ſi vellet, homines eſſe iniquos, & vti bonis contra diuinam inſtitutionem.

Secunda ratio nititur his poſitionibus: quas omnes ſi dixeris certas, & euidentes, non errabis. Prima, quod teneris diligere proximum tuum ſicut teipſum. Secunda, quod non debes diligere *verbo, neque lingua, ſed opere & veritate*, iuxta Ioannem *epiſt.* 1. *cap.* 3. Tertia, eum non diligere opere & veritate, qui cùm poſſit abſque detrimento ſuo afferre ſubſidium proximo in neceſſitate graui, illud non affert. Ideò Sanctus Ioannes vtrumque coniunxit: *Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quo modo charitas Dei manet in illo? Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere, & veritate.* Quaſi dicat: [Qui clauſerit viſcera ſua ab eo, & tamen dicit, ſe diligere eum, diligit verbo, & lingua, non opere, & veritate.] Quarta, eum poſſe abſque detrimento ſuo afferre ſubſidium proximo, qui habet ſuperflua naturæ, & ſtatus. 51. Secũda probatio.

Ex quibus poteſt ſic confici ſyllogiſmus. Vnuſquiſque tenetur diligere proximum opere, & veritate: ſed qui non affert ſubſidium proximo in graui eius neceſſitate, de ſuperfluis naturæ, & ſtatus, non diligit proximum opere, & veritate: ergo qui non affert eiuſmodi ſubſidium, non implet id, ad quod tenetur. Maior eſt euidens ex poſitione 1. & 2. Et minor patet ex eo, quod ille non diligit proximum opere, & veritate, qui cùm poſſit abſque detrimento ſuo leuare proximum in neceſſitate graui, non leuat, vt conſtat ex poſitione 3. ille autem, qui habens ſuperflua naturæ, & ſtatus, non leuat in graui neceſſitate proximum, illum non ſubleuat, cùm abſque detrimento ſuo poſſit. Conſequentia autem manifeſtè ligat. 52.

Vel ſic. Vnuſquiſque tenetur afferre ſubſidium proximo in graui eius neceſſitate, quando abſque detrimento ſuo id præſtare poteſt: ſed quando habet ſuperflua naturæ, & ſtatus, id abſque detrimento ſuo præſtare poteſt: ergo quando habet ſuperflua naturæ, & ſtatus, tenetur afferre ſubſidium proximo in graui eius neceſſitate. Conſequentia eſt euidens, minor patet: quia nullum detrimentum patitur, qui de ſuperfluis naturæ, & ſtatus elargitur: & maior etiam eſt manifeſta, quia vnuſquiſque tenetur diligere proximum opere, & veritate, vt patet ex poſitione ſecunda: ille autem qui, cùm abſque detrimento ſuo poteſt, non ſuccurrit proximo in graui eius neceſſitate, non diligit opere, & veritate, vt conſtat ex poſitione tertia. 53.

ARTICVLVS IV.

Aliquot corollaria eliciuntur ex dictis.

COrollarium primum. Perperam aliqui componere volunt duas opiniones incompoſſibiles: nam ex vna parte enumerant 54. *An ſint neceſſaria ſta-*

tus, quæ quis reſeruat ad altiorem ſtatum obtinendum?

inter neceſſaria ad ſtatum ea, quæ quis vult reſeruare ad altiorem ſtatum habendum in Republica: & ex altera parte affirmant, neminem teneri grauiter ad opitulandum proximo in graui, & vrgenti neceſſitate, niſi ex ſuperfluis ſtatus. Et quidem altior ſtatus duplici modo poteſt intelligi. Primò per hoc, quod quis fiat ditior, & plura bona ſtabilia, & mobilia adquirat. Secundò per tranſitum ad altiorem ordinem ciuium. Et hoc etiam duplici modo, vel in maiorem vtilitatem Reipublicæ, vt ſi phlebotomus velit fieri medicus, aut ſutor fieri velit pharmacopola: vel in maiorem honorem proprium, aut ſuæ familiæ, vt ſi vir nobilis velit ſtemmate Equeſtris Religionis honorari, aut Inquiſitionis Fidei (quod honori eſt) Miniſter fieri. Et ſi quidem altior ſtatus in vtilitatem Reipublicæ cedit, non tenetur diues cum præiudicio eius ſtatus ſuccurrere neceſſitatibus grauibus.

Dupliciter intelligitur altior ſtatus: vel ditior, vel ſublimior.

Si ſublimior ſtatus cedit in vtilitatem Reip. non tenetur ex neceſſariis ad illum.

55. Quando verò altior ſtatus dumtaxat eſt ad maiorem honorem, attenta benignitate, qua recentiores Theologi vtuntur in hac materia; non videtur improbabile, quod diues eximatur ab obligatione opitulandi in neceſſitate graui, ſi hæc ſubuentio impedit eum altiorem ſtatum; cenſent enim, amiſſionem eius honoris eſſe detrimentum graue, licèt ei probabilitati cum formidine aſſentiar in caſu, quo eſſent plures neceſſitates grauiſſimæ diuiti euidenter cognitæ.

56. Si tamen altior ſtatus conſideretur primo modo per hoc ſolùm, quod quis fiat ditior, id mihi eſt penitus improbabile. Ratio autem improbabilitatis eſt, quia ſic nunquam eſſet obligatio in diuite ſuccurrendi proximo in graui eius neceſſitate. Hoc enim modo nulla eſſent diuiti bona ſuperflua: omnis enim, qui ſeruat ea bona, quæ dicis ſuperflua ſtatus, vult per illa ditior fieri: ergo vult per illa ad eum altiorem ſtatum aſcendere: ergo ſi non tenetur opitulari, niſi de ſuperfluis ſtatus, & nunquam inſunt diuiti ſuperflua ſtatus, quia quælibet ſuperflua neceſſaria ſunt ad eum altiorem ſtatum maioris ditationis, nunquam tenebitur opitulari in prædicta vrgente neceſſitate.

Cùm quis reſeruat ad ſtatum ditiorem, improbabile eſt quod non teneatur ex neceſſariis ad illum.

57. Hinc fieret primò, extremam Chriſti ſententiam fulminandam in improbos in nouiſſima die, non fore iuſtam. Cùm enim dicet Chriſtus, *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum: eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare.* Legitimam improbi prætenderent excuſationem, dicentes, ſe non fuiſſe obligatos ad alendum Chriſtum in eius pauperibus, niſi ex ſuperfluis ſtatus; ſe autem nulla ſuperflua ſtatus habuiſſe: omnia enim erant neceſſaria, vt ditiores fierent, atque adeò ad eum altiorem in Republica ſtatum conſequendum.

Hoc clarè colligitur ex Euangelio.

58. Fieret ſecundò, diuitem epulonem iniuſtè damnatum ex eo, quod negabat alimenta Lazaro mendico, legitima præmunitum excuſatione, quòd non tenebatur alere illum, niſi ex ſuperfluis ſtatus. Nulla autem ſuperflua ſibi ſupereſſe, quia quæ ſibi reliqua erant, retinebat, vt ditior fieret, atque adeò vt eum altiorem ſtatum obtineret; vnde illa ad altiorem ſtatum obtinendum neceſſaria erant, atque adeò non ſuperflua.

Fieret tertiò, per iniuriam vocari in Euangelio ſtultum (id eſt, peccatorem) illum diuitem, qui maiora horrea ad congregandos 59.
fructus conſtruere cupiebat ad theſaurizandum. Nam ſi non eſt dicendus ſtultus, nec peccator, qui retinet ea, quæ ſunt neceſſaria ad ſtatum; & ea reputantur ad ſtatum neceſſaria, quæ reſeruantur ad altiorem ſtatum: dum ille theſaurizabat, altiorem inter diuites ſtatum cupiebat; ideóque omnia ad ſtatum neceſſaria erant, nulla ſuperflua. Quod ſi nulla ſuperflua habebat, non erat dicendus ſtultus, nec peccator, eo quod non eſſet diues in Deum; quia non tenebatur Chriſtum in pauperibus alere, niſi ex ſuperfluis.

Et hinc inſtruitur noua ratio pro aſſertione huius primi corollarij. Dicitur enim 60.
Luc. 12. Sic eſt qui ſibi theſaurizat, & non eſt in Deum diues. Sed quid ſibi vult, *Sic eſt?* Vtique, *Sic ſtultus eſt.* Itaque ſic ſtultus eſt, qui ſibi theſaurizat, & non eſt in Deum, & in eius pauperes diues: ſed qui negat alimenta pauperibus, vt altiorem inter diuites ſtatum teneat, ſibi theſaurizat, & non eſt in Deum, & eius pauperes diues: ergo qui negat alimenta pauperibus, vt altiorem inter diuites ſtatum teneat, ſic ſtultus eſt, nempe ſicut ille diues oraculo Euangelij damnatus. Ex quibus omnibus fit, quod ſi ea bona, quæ neceſſaria ſunt ad altiorem ſtatum aſſumendum, dicantur non ſuperflua, ſed neceſſaria abſolutè ad ſtatum, diues tenetur opitulari grauem patientibus neceſſitatem ex neceſſariis ad ſtatum. Quod clarè conſtat ex dictis in hoc corollario.

Corollarium ſecundum. Vitio propoſito in præcedente corollario, imò & maiori, vi- 61.
detur laborare Diana *part. 2. tract. 2. miſcellan. reſolut.* 28. vbi copulat duas opiniones inter ſe incompoſſibiles; ex quibus illud monſtrum reſultat, vt nemo teneatur ſuccurrere proximo in extrema neceſſitate conſtituto. Prima opinio eſt, quam proponit §. *Quartò*, his verbis: [Bona, quæ conſeruantur ad adquirendum maiorem ſtatum pro ſe, & ſuis conſanguineis, non dicuntur ſuperflua ſtatus. Aſcenſus enim ad ſuperiorem ſtatum, ad neceſſitatem, & conuenientiam ſtatus reuocandus eſt. Et ideò (Vaſquez) *in cap. 4. num. 4.* aſſeruit, quod in ſæcularibus, etiam Regibus, vix inueniuntur ſuperflua ſtatus.] Secunda opinio eſt, quam proponit §. *Quintò*, his verbis: [Diues cum diminutione, & detrimento proprij ſtatus non tenetur ſubuenire proximo in extrema neceſſitate conſtituto.]

Duæ opiniones incompoſſibiles.

Si autem nomine proprij ſtatus intelligatur, 62.
iuxta primam opinionem, ſtatus futurus, ad quem aſpirant; etiam ille, qui formaliter conſiſtit in hoc, quod eſt eſſe ditiorem; cùm ad iſtum ſemper homines aſpirent, nunquam tenebuntur ad ſubleuandam extremam proximi neceſſitatem; cùm quidquid donant, ſemper ſit cum aliqua diminutione eius ſtatus futuri, qui conſiſtit formaliter in hoc,

An ex illis inferatur, nũquam teneri diuitem ſuccurrere extremè indigenti?

Digitized by Google

hoc, quod eſt, ditiorem fieri. Quod hoc duplici ſyllogiſmo concluditur. Nemo tenetur ſuccurrere extremè indigenti cum detrimento proprij ſtatus, iuxta ſecundam opinionem: ſed proprius ſtatus eſt etiam ſtatus altior futurus, iuxta primam opinionem: ergo nemo tenetur ſuccurrere extremè indigenti cum detrimento altioris ſtatus futuri. Deinde eſſe ditiorem de futuro, eſt altior ſtatus futurus: ſed quod dat extremè indigenti, adimit de eo augmento ſtatus futuri ditioris: ergo nunquam dabit diues extremè indigenti, ſine ditrimento talis ſtatus. Cùm ergo nunquam teneatur ſuccurrere extremè indigenti cum detrimento ſtatus, nunquam tenebitur ſuccurrere extremè indigenti.

63. Vel hoc ſimplici ſyllogiſmo: Nemo tenetur opitulari extremè laboranti de bonis, quorum largitio eſt detrimento ad ſtatum, iuxta ſecundam opinionem: ſed omnia bona diuitis talia ſunt, vt eorum largitio ſit detrimento ad ſtatum, iuxta primam opinionem (cùm iuxta illam quidquid donatur pauperi, minuat augmentum futurum diuitiarum, in quo conſiſtit formaliter ſtatus altior maioris ditationis futurus:) ergo nulla bona reſtant diuiti, de quibus teneatur opitulari extremè laboranti.

64. *Cùm duæ opiniones ſũt incomprobabiles, altera traditur ſub conditione, quod altera non admittatur.*

Itaque cùm opiniones incompoſſibiles ſunt, qui primam docent, illam docent ſub conditione, quod ſecunda non admittatur, ſaltem in ordine ad actum eundem; & qui ſecundam docent, eſt ſub conditione, quod reſpuatur prima. Et ita P.Vaſquez, qui *opuſc. de Eleemoſyna, cap.1.num.27.* docuit primam, ſimul docuit *num.26.* teneri diuitem ſuccurrere extremè, imò & grauiter indigenti, ex ſuperfluis naturæ, quæ ſunt neceſſaria ad ſtatum. Item qui ſecundam opinionem tuentur, non dicunt, diuitem eximi ab obligatione ſuccurrendi extremè indigenti, cum damno vtcumque ſtatus proprij, ſed cum ingenti damno; modicum enim detrimentum ſtatus non admittunt tanquam excuſationem diuitis. Neque excuſationem ſuccurrendi in extrema neceſſitate extendunt ad diminutionem ſtatus futuri (vel non ad qualemcumque,) qui ſtat in hoc, quod eſt eſſe ditiorem; vt videre eſt in ipſis Authoribus.

65. *Tenetur diues, ſi poteſt ſine magno detrimento ſtatus præſentis, & ſine maximo futuri.*

Corollarium tertium. Quia magna confuſio oritur ex varietate Authorum in explicando, quæ ſint bona neceſſaria, quæ ſuperflua ad ſtatum; hæc diuitum obligatio multò meliùs explicatur, ſi dicamus, eos teneri ad ſuccurrendum extremè, vel grauiter laboranti, ſi poſſunt abſque magno detrimento ſui ſtatus præſentis, & ſine maximo futuri. Plerumque enim contingit, diuitem poſſe ſuccurrere pauperi abſque magno detrimento ſui ſtatus, etiamſi ſuccurrat ex illis bonis, quæ communi vocabulo appellantur neceſſaria ſtatus. In quo caſu, etiam ex neceſſariis ſtatus tenetur ſuccurrere in graui neceſſitate, quia poteſt abſque magno detrimento ſtatus præſentis, & futuri.

66. Quod verò attinet ad extremam neceſſitatem, nullo modo admittenda eſt ea ſecunda opinio allata à Diana, & relata ſuprà *num.61.* quod non tenetur diues opitulari extremæ neceſſitati cum damno proprij ſtatus; nullo, inquam, modo eſt admittenda, niſi quando detrimentum proprij ſtatus tale fuerit, vt prudentum iudicio cenſeatur magnum, facta comparatione cum extrema neceſſitate proximi. De quo vide Lugo Cardinalem *tom.1.de Iuſt. diſp.16. ſect.7. à num.148.* vide etiam ſuprà *cap.1.num.11.*

Corollarium quartum. Si dicatur, ſumptus notabiles ludi, aut ſimiles alterius vanitatis pertinere ad decentiam ſtatus (in quo aliqui cum magna latitudine loquuntur,) improbabile eſt, te non teneri ad ſuccurrendum graui neceſſitati proximi, ex bonis pertinentibus ad decentiam ſtatus. Et multò magis improbabile, te non teneri ad ſuccurendum extremè indigenti ex prædictis bonis neceſſariis ad decentiam ſtatus. Non enim excuſabuntur reprobi coram ſupremo Iudice in die nouiſſima, ex eo, quod ſtantibus ludi, aut ſimilis vanitatis ſumptibus, non ſupererant bona, ex quibus eiuſmodi neceſſitati opitularentur. Tenentur enim diuites ad ſuccurrendum graui, & multò magis extremæ calamitati, quoties ſine magno ſuo detrimento poſſunt: ſed auferendo ſumptus ludi, aut partem eorum, modicum detrimentum patiuntur: ergo ad ſuccurrendum ei neceſſitati, tenentur auferre modo prædicto eos ſumptus ludi. 67.

Si ſumptus ludi dicantur eſſe ad decentiam ſtatus, improbabile eſt, te non teneri ex neceſſariis ad ſtatum.

Corollarium quintum. Eſt diſſidium inter Theologos, quantum teneatur diues ſuccurrere ei, qui eſt in neceſſitate pertinente ad honorem, ad famam, ad periculum cadendi de ſuo ſtatu. Et quidem P.Vaſquez *de Eleemoſyna cap.1. num.25.* ait, ſeruandum eſſe ordinem bonorum: [Ordo ergo (inquit) charitatis, talis eſſe debet, quod ad conſeruanda bona proximi cum proprio damno, conſiderandum eſt, æqualiáne ſint, vel diſparis conditionis: vitam enim proximi cum detrimento vitæ meæ non teneor tueri, cum detrimento cæterorum teneor, & ſic de reliquis.] È contra P.Coninck *diſputat.27. de charit.num.136.* hanc proportionem, & ordinem bonorum non eſſe admittendum, multis contendit; ſicut & Lugo Cardin. *de iuſtit. diſp.16. num.150.* 68.

Quantum teneatur in neceſſitate pertinente ad honorem, famam, &c.

Dicendum ergo eſt, in his etiam adeſſe obligationem ſuccurrendi proximo, cùm fieri poteſt abſque notabili detrimento ſtatus proprij. Quod prudentis iudicio taxandum eſt. 69.

ARTICVLVS V.

Soluuntur argumenta propoſita articulo primo.

AD primum reſpondetur, ex ipſo textu, qui in contrarium ibi adducitur, ſatis clarè conſtare de mente Sancti Thomæ. Etenim ibi agnoſcit duo capita obligationis ſuccurrendi pauperibus. Primum, quod diues habet ſuperflua: ſecundum, quod pauper ſit in extrema neceſſitate. Ratione primi ait, teneri diuitem opitulari pauperi, non ſolùm in 70.

graui, ſed etiam in communi neceſſitate. Quæ ſententia, quod attinet ad communem neceſſitatem, ſatis eſt probabilis, & communis inter Theologos. Itaque Sanctus Thomas in eo loco non loquitur copulatim, itaut vtrumque ſimul requiratur ad obligationem ſuccurrendi pauperibus, & ſuperfluitas in diuite, & extrema calamitas in egeno, ſed diſtributiuè, ideſt, quodlibet eorum eſſe caput eiuſmodi obligationis. Et ita id, quod dixit *ea quæſt.* 32. de eo vtroque capite obligationis, illud explicans per particulam *&*, *quæſtione* 118. explicuit per particulam *vel*: nam *art.* 4. *ad* 2. ait: *Tenetur ex debito legali bona ſua pauperibus erogare, vel propter periculum neceſſitatis, vel etiam propter ſuperfluitatem habitorum.*

S. Th. duo capita obligationis ſuccurrendi non affert copulatim, ſed diuiſim.

71. *Numquid neceſſitas grauis eſt neceſſitas ſecũdum quid?*

Ad ſecundum. Id argumentum indignum eſt, cui exhibeatur reſponſio. Dicere enim, quod neceſſitas grauis non eſt neceſſitas abſolutè, ſed neceſſitas ſecundùm quid, eſt implicatio in ipſis terminis; eſt enim idem, ac dicere, id quod eſt nimis calidum, non eſſe abſolutè calidum, ſed calidum ſecundum quid.

72. *Sophiſma.*

Ad tertium reſpondetur, illud eſſe ſophiſticum: nam ſimili arguendi forma poteſt probari abſurdum multiplex. Primum, non teneri filium ſubuenire parenti grauiter indigenti. Filius enim non tenetur maiori obligatione ſubueniendi parenti, quàm ſibi ipſi, ſed non tenetur ſubtrahere ſe ipſum graui neceſſitati: ergo neque parentem. Secundum, non teneri te ex charitate vitare damnum proximi, putà ſi latrones aggrediantur rem familiarem Proximi, & ipſe ſine incommodo tuo poſſis impedire. Si enim nemo magis tenetur ſubuenire alteri, quàm ſibi ipſi; tuum autem damnum, quod tibi imminet à latronibus, non teneris vitare ex præcepto; fiet, quod neque tenearis ex præcepto vitare illud damnum proximi, etiamſi commodè poſſis.

73. *Ex bonis, quorum quis eſt dominus, tenetur magis proximo, quam ſibi.*

Reſpondetur ergo, habito reſpectu ad illa bona, quorum eſt dominus, magis teneri hominem ad ſubueniendum alteri, quàm ſibi ipſi; quia ipſe reſpectu eorum bonorum poteſt cedere iure ſuo, & voluntariè pati eam inopiam. Ei autem, qui inuitus eam magnam inopiam patitur, tenetur diues ſuccurrere; quia non eſt ſub poteſtate diuitis facere, quod pauper voluntariè patiatur eam calamitatem, & quod cedat iure ſuo. Aliud eſt; ſi habeatur reſpectus ad ea bona, quorum non eſt dominus, putà ad vitam, vel membra. Nam quia non eſt dominus vitæ, aut membrorum, in periculo vitæ, aut amiſſionis membrorum non poteſt cedere iure horum; atque adeò in hoc caſu non tenetur magis procurare incolumitatem proximi, quàm propriam.

74. *Quomodo excuſetur diues ratione aſcenſus ad altiorem ſtatum?*

Ad quartum reſpondeo, poſſe diuites aſcendere ad altiorem ſtatum. Primò ſi non nouerunt graues proximi neceſſitates. Nam defectu huius notitiæ diuites communiter excuſantur. Secundò, quia eiuſmodi neceſſitates graues, vt in plurimum non ſunt tales, quæ grauent nimium ita vt poſſint impedire eiuſmodi aſcenſum. Tertiò, ſi tot, tantæque neceſſitates concurrant, & agnoſcantur à diuite, vt reuera impediant aſcenſum; conſiderandum eſt, an iudicio prudentum illud ſit hic & nunc detrimentum magnum. Quo caſu non tenebuntur cum magno ſuo detrimento ad ſuccurrendum omnibus. Sed poterit eligere eas, quibus ſine magno ſuo detrimento poſſit opitulari.

Quod attinet ad alia opera pia horum dotationem non ſemper impedient graues Proximi neceſſitates occurrentes à diuitibus cognitæ. Plerumque enim ea opera pia ſunt altioris perfectionis, quàm ſubuentio pauperum grauiter laborantium. Si enim ea opera pia bonum ſpirituale fidelium reſpiciant, ſolent maioris eſſe emolumenti. Deinde ſi annexas habeant eleemoſynas perpetuas pauperum, perfectiora ſunt eiuſmodi opera, & dotationes eorum, vt alibi dixi. Quod ſi omnibus penſatis, maius Dei obſequium eſſe comperiatur præſentibus neceſſitatibus opitulari, quàm alias dotationes conſtruere, non ceſſat obligatio ſuccurrendi pauperibus, propter bonum inferioris ordinis

75. *Quomodo alia opera pia impediãt opitulationẽ egentium?*

CAPVT III.

An diuites teneantur ex iuſtitia opitulari pauperi in extrema, aut graui eius neceſſitate?

ARTICVLVS I.

Tres ſententiæ referuntur.

PRima ſententia docet numquam teneri ex iuſtitia, ſed ex ſola charitate, & miſericordia ſuccurrere pauperi, ſiue grauiter, ſiue extremè periclitanti: eſtque valde communis. Ita P. Leſſius *de iuſt. cap.* 12. *dub.* 12. *num.* 25. P. Vaſquez *opuſc. de eleemoſyna, cap.* 1. *dub.* 5. *n.* 38. P. Thom. Sanch. *lib.* 1. *conſil. cap.* 5. *dub.* 5. *num.* 61. P. Coninx *de charit. diſput.* 25. *n.* 104. Item Sotus, Bañez, Medina, Nauarrus, Couarruuias, Salon, Malderus, Lorca, Bonacina, Diana, Villalob. Trullench, Roccaful. P. Suarez, P. Valentia, P. Azor, P. Becanus, P. Molina, P. Torres, P. Gaſp. Hurtado, P. Bellarminus. P. Filliucius, P. Ouiedo, P. Caſtro-Palao, P. Arriaga, P. Tamburinus, quos refert, & ſequitur Leander à SS. Sacr. *part.* 6. *tract.* 5. *diſp.* 2. *quæſt.* 5. 76.

Prima ſententia. Leſſius. Vaſquez. Th. Sanch. Conink. Sotus. Bañez. Medina. Nauar. Couarru. Salon. Malderus. Lorca. Bonacina. Diana. Villalob. Trullench. Roccaful.

Probant primò. Nam virtus miſericordiæ, ſi quando locum habet in humanis neceſſitatibus, maximè in extrema; atque adeò ſubuentio neceſſitatis extremæ eſt propriè, & ſtrictè eleemoſyna: atqui id, quod debetur ex iuſtitia, non eſt eleemoſyna, ſed debiti ſolutio: ergo ſubuentio extremæ neceſſitatis non eſt debita ex iuſtitia. 77.

Suarez. Valentia. Azor. Becanus. Molina. Torres. G. Hurt. Bellarm.

Probant ſecundò. Actus eleemoſynæ fundatur in indigentia proximi: ergo vbi maior indigentia, ibi maior ratio eleemoſynæ, atque adeò in extrema neceſſitate eſt maior ratio eleemoſynæ. Sed conceptus eleemoſynæ excludit rationem iuſtitiæ: ergo nemo tenetur ratione iuſtitiæ ſuccurrere proximo in extrema neceſſitate conſtituto. 78.

Filliucius. Ouiedo. Caſtro Pal. Arriaga. Tamburin. Leand. à SS.

Probant tertiò. Nam ſi diues teneretur ex iuſtitia opem ferre extremè indigenti, caſu quo id omitteretur, teneretur ad reſtitutionem 79.

nem

nem eiuſmodi debiti. Item teneretur ad reſarcienda damna inde ſecuta. Ex quo vlteriùs fieret, vt qui in extrema neceſſitate teneretur defendere vitam proximi, cum commodè poſſet, caſu quo eam defenſionem omitteret, teneretur ad reſarcienda damna ex ea morte dimanantia; quod videtur abſurdum.

80. Probant quartò ex P. Vaſquez *cap.1. de eleemoſyna. num.*41. Nam ſi propter aliquid ſubuentio extremæ neceſſitatis debita eſſet iuſtitiâ, maximè quia in extrema neceſſitate omnia fiunt communia, nec tenet ius gentium, quo rerum diuiſio introducta eſt: hæc autem ratio nulla eſt: ergo. Probatur minor. [Si enim (inquit P. Vaſquez) manerent omnia, ſicut ante diuiſionem, ſequeretur, quod fierent illa primi occupantis, atque adeò quicumque poſſet illa ſubripere. Dices, quod ſolùm illa ſunt communia reſpectu indigentis extreme, non aliorum, quia illi non debuit nocere ius gentium. Sed ſi hoc ita eſt, numquid manent illa communia reſpectu poſſidentis, & reſpectu indigentis (aut reſpectu tantum indigentis? Si reſpectu vtriuſque: ergo qui primus poſſederit, fit dominus, & alius nullum ius ad illa bona habet ex iuſtitia: ſed ita eſt, quod ille iam poſſidebat ante extremam neceſſitatem alterius: ergo ex extrema neceſſitate nullum ius ex iuſtitia competit ſic laboranti. Si verò tantùm ſint communia indigenti: ergo ipſo facto qui poſſidebat, amittit dominium ante alterius apprehenſionem. Licet enim vt indigens fiat dominus illarum rerum, quæ ex iuſtitia illi debentur, debeat apprehendere, vt apprehenſione fiat dominus, tamen vt alius apprehendat tanquam ex iuſtitia debita, & quia communia ſunt ipſo facto in extrema neceſſitate, qui antea poſſidebat, tenetur amittere dominium, aliàs ſi ſemper manet dominus, ſemper habet locum ius gentium.] Huſuſque P. Vaſquez.

81. Probant quintò. Bona diuiſa non ſunt communia in extrema neceſſitate quoad dominium, ſed quoad vſum: ergo extremè indigenti non debentur ex iuſtitia. Probatur antecedens. Quia res non poteſt eſſe ſub dominio duorum adæquato: ſi autem eſſent communia quoad dominium, eſſent ſub dominio adæquato duorum: ergo. Probatur minor. Si eſſent ſub dominio poſſidentis, qui poteſt alienare abſque iniuria indigentis: eſſent etiam ſub dominio indigentis; alioqui non eſſent communia.

82. Probant ſextò. Nam dominium eſt ad res certas, & determinatas, & aduerſus certas perſonas: indigens autem, qui pecunia, vel pane poteſt ſuæ neceſſitati mederi, non habet dominium determinatè iſtius potiùs pecuniæ, quàm illius, nec panis potiùs, quàm pecuniæ: item neque aduerſus hunc diuitem potiùs, quàm aduerſus illum: ergo indigens non habet tale dominium.

83. Secunda. ſententia. Petr. Hurt. Alexander. Caietanus. Aragon. Sarmiento. Turrecrem.

Secunda ſententia docet teneri diuitem ex iuſtitia ſuccurrere Indigenti; & in indigente extremè, vel grauiter, eſſe verum ius iuſtitiæ ad illa bona, quæ diues tenetur illi præſtare. Ita P. Petrus Hurtado *ea diſput.*159. *num.*36. & apud ipſum Alexander, Caietanus, Aragon, Sarmiento, Turrecremata, & Valdes. Et apud Leandrum à SS. Sacram. citatum Nauarra, & Spino, quamvis eorum aliqui ad extremam neceſſitatem id limitent. Valdes. Nauarra. Spino.

84. Tertia ſententia. Card. Lugo.

Tertiam ſententiam ingenioſè excogitauit Lugo Cardinalis *tom.* 1. *de iuſt. diſp.*16. *ſect.*7. *num.*142. & 153. nempe in poſſidente non eſſe debitum iuſtitiæ, quo teneatur ſuccurrere indigenti: in hoc autem eſſe verum ius iuſtitiæ ad accipiendum ea quæ ſibi neceſſaria ſunt ad conſeruandam, & alendam vitam, eo modo, quo ante rerum diuiſionem vnuſquiſque habebat ius adquirendi ſibi hæc bona; quamvis nullus teneretur ea præbere. Quem ſequitur P. Tamburinus *lib.* 8. *in Decalog. tract.*1. *cap.*6. *§.*2. *num.*5. & 6. Tamburin.

Articvlvs II.

Præfertur ſecunda ſententia.

Cenſeo probabiliorem ſecundam ſententiam, quæ docet, quoties adeſt obligatio grauis ſuccurrendi egeno, diuitem obligari ad id ex iuſtitia, & in egeno eſſe verum ius iuſtitiæ ad eam ſubuentionem exigendam. Quam præter citatos Authores tenuit Diuus Thomas 2.2. *quæſt.* 118. *art.*4. *ad* 2. De cuius mente, ſi placet, lege P. Petrum Hurtado *ea diſputatione* 159. §. 23. 85. *Tenetur ex iuſtitia opitulari grauiter indigenti.*

Communis probatio huius ſententiæ eſt, quod diuiſio rerum iure gentium introducta, non potuit præiudicium afferre inſtitutioni diuinæ, & naturali iuri, quo hæc bona inſtituta ſunt ad communes hominum miſerias ſubleuandas. Ideóque ſicut ante rerum diuiſionem quilibet poterat prædicta bona ſibi vendicare; ita & poſt illam, quando concurrit extrema, vel grauis neceſſitas illorum. 86.

Reſpondet Lugo Cardinalis, ex eo ſolùm probari neceſſitatem dare ius indigenti, vt poſſit rem alienam accipere, & vt acceptione ipſa adquirat ius in re, vel in vſu eius, provt neceſſitas exegerit; non verò probari, ipſum dominum habere obligationem ex iuſtitia rem illam offerendi indigenti. Et ita eo *num.* 142. ait: [Sicut circa rem communem, ante eius occupationem, Petrus non habet ius iuſtitiæ, ratione cuius alij obligentur ad eam Petro offerendam: ſic ratione neceſſitatis; & indigentiæ pauper non habet ius iuſtitiæ impediens alios, ne re illa vtantur, vel cogens illos ad eam pauperi offerendam, ſed habet titulum, vt eam occupatione poſſit ſibi propriam facere.] 87.

Vt ergo hæc euaſio præcludatur, alia via argumentum inſtituo deſumptum ex ratione, quam præbent Sancti Patres. Et ſic probo. Qui concedit alteri dominium ſub onere dandi, vel faciendi, init cum eo contractum innominatum, qui exprimitur per hæc verba, *Do, vt des:* vel, *Do, vt facias:* ſed Deus dedit hominibus dominium harum rerum, quæ vocantur bona fortunæ cum eo onere opitulandi extremis, & grauibus hominum neceſſitatibus, vt conſtat *ex cap.*2. *art.*3. *à num.*43. ergo dum Deus illis dominium conceſſit, vtique conceſſit cum obligatione opitulandi, ex eo contractu innominato. Sed qui tenetur ex contractu, tenetur ex iuſtitia: ergo diues tenetur ex iuſtitia ſuccurrere extremis, & grauibus neceſſitatibus. 88. *Deus hæc bona conceſſit homini ſub onere leuandi neceſſitates proximi.* Et ex contractu innominato.

Digitized by Google

89. *Eſt commune SS. Patrũ.* Hic diſcurſus continetur in verbis Sanctorum Patrum: ex quo deducunt, panem, qui ſuperfluit in domo diuitis, non ſuum eſſe, ſed mendici; & nudi eſſe veſtimentum, quod in domo diuitis ſuperabundat. Ad quorum teſtimonia reſpondent oppoſitæ partis patroni, *Reſpõdẽt Patres loqui per hyperbolem.* Sanctos Patres loqui per hyperbolem. Cui aſſerto facilè annuerem, ſi ipſi Patres non poſuiſſent principium, ex quo prædicta concluſio legitimè infertur: neque enim loquitur in concluſione per hyperbolem, qui concluſionem ex antecedenti legitimè infert.

90. *Ponunt SS. Patres antecedens, vnde concluſio infertur.* Quod verò Sancti Patres legitimè inferant, patere videtur. Dicunt enim, ea bona à Deo donata eſſe diuitibus ſub eo onere, vt quæ ſibi ſuperflua ſunt, diſpenſent egenis. Inde autem rectè infertur, quod ex eo contractu egenus habeat verum ius ad panem, veſtimentum, & reliqua bona diuiti ſuperflua, quibus indiget egenus, ſaltem extremè, aut grauiter.

91. *S. Baſil.* Et ita Sanctus Baſilius *hom. in* 12. *Luc.* (apud Sanct. Thom. citat. ſuprà *cap.* 2. *art.* 3.) ait: *Si fateris, ea tibi diuinitus proueniſſe, an iniuſtus eſt Deus, inæqualiter nobis diſtribuens? Cur tu abundas, ille verò mendicat, niſi vt tu bona diſpenſationis merita conſequaris;* (ecce inſtitutio diuina bonorum ſub eo onere) *ille verò patientiæ brauiis decoretur. Eſt panis famelici,* (ecce concluſio elicita ex ea Dei inſtitutione, & contractu) *quem tu tenes; nudi tunica, quam in conclaui conſeruas; diſcalceati calceus, qui penes te marceſcit,* &c. *Quocirca tot iniuriaris,* (elicit clariorem concluſionem de formali iuſtitia) *quot dare valens es.* Vide apud P. Hurtado alia Baſilij verba, quæ mentem eius euidentem efficiunt, neque vllam patiuntur tergiuerſationem.

92. *S. Ambroſ.* Eodem modo diſcurrit Sanctus Ambroſius *ſerm.* 81. relatus *in capite Sicut hi,* 47. *diſt. Numquid iniquus eſt Deus, vt nobis inæqualiter diſtribuat vitæ ſubſidia,* (vide inſtitutionem diuinam, & onus diuitibus in ipſa inſtitutione impoſitum) *vt tu quidem eſſes affluens, & abundans; aliis verò deeſſent, & egerent? Tu verò ſuſceptis Dei muneribus, & in ſinum tuum redactis, nihil te reputas agere iniquum* (ex ea Dei inſtitutione infert formalem iniuſtitiam) *ſi tam multorum vitæ ſubſidia ſolus obtineas? Eſurientium panis eſt,* (vide concluſionem elicitam ex præcedentibus) *quem tu detines; nudorum indumentum eſt, quod tu recludis,* &c. *Tantorum te ergo* (ecce aliam concluſionem) *inuadere ſcias bona, quantis poſſis præſtare, quod velis.* Vide infrà *num.* 96.

93. *S. Auguſt.* Sanctus Auguſtinus *ſerm.* 219. *de temp.* antecedens poſuit, & conſequentiam elicuit: *Quidquid enim Deus nobis plus, quàm opus eſt, dederit, non nobis ſpecialiter dedit, ſed per nos aliis erogandum tranſmiſit.* (Vide concluſionem inde elicitam:) *Quod ſi non dederimus, res alienas inuaſimus.* Vide infrà *num.* 96.

94. *S. Gregorius.* Sanctus Gregorius Magnus 3. *part. Paſtoral. admonit.* 22. eodem modo diſcurrit: *Admonendi ſunt, qui nec aliena appetunt, nec ſua largiuntur, vt ſciant ſollicitè, quod ea, de qua ſumpti ſunt, omnibus hominibus terra communis eſt; & idcircò alimenta quoque omnibus communiter profert. In caſſum ergo ſe innocentes putant, qui commune Dei munus* (terra communis, alimenta communia, & commune Dei munus, inſtitutionem Dei circa hæc bona in ſubſidium egenorum miniſtranda declarant) *ſibi priuatum vendicant, qui cùm accepta non tribuunt, in proximorum nece graſſantur;* (ecce qualiter dicuntur cauſæ morales damnorum) *quia tot penè quotidie perimunt, quot morientium pauperum apud ſe ſubſidia abſcondunt.* (Attende conſequentiam, quam immediatè infert.) *Nam cùm qualibet neceſſaria indigentibus miniſtramus, ſua illis reddimus, non noſtra largimur: iuſtitiæ debitum potiùs ſoluimus* (quid clariùs aſſertum, vel clariùs illatum) *quàm miſericordiæ opus implemus.* In cuius confirmationem multa alia fusè proſequitur.

Hinc Sanctus Hieronymus relatus à Gratiano *in cap. Hoſpitalem,* 42. *diſt.* dixit: *Aliena rapere conuincitur, qui vltra neceſſaria ſibi retinere probatur.* Qui dum cæteris Patribus conſentit, ex eodem principio diuinæ inſtitutionis, & iuris naturalis eam concluſionem deducere creditur. 95. *S. Hieron.*

Eandem concluſionem (quod attinet ad caſum extremæ neceſſitatis) probat P. Hurtado *eo* §. 28. in hæc verba: [Omne homicidium eſt contra iuſtitiam: ſed detractio eleemoſynæ in extrema neceſſitate eſt homicidium: ergo eſt contra iuſtitiam. Maior negatur à nemine. Minor probatur, tum ex Sancto Ambroſio, quem allegat Gratianus 86. *diſt. cap. Paſce:* his verbis: *Paſce fame morientem. Quiſquis enim paſcendo hominem ſeruare poteras, ſi non paſciſti, occidiſti.* Idem ſentit Sanctus Auguſtinus *tom.* 1. *ſerm.* 219. *de temp.* & allegatur à Gratiano 16. *quæſt.* 1. *cap. Decimæ,* his verbis. *Decimæ enim ex debito requiruntur, & qui eas dare noluerit, res alienas inuaſit. Et quanti pauperes in locis, vbi ipſe habitat, illo decimas non dante, fame mortui fuerint, tantorum homicidiorum reus ante Tribunal æterni Iudicis apparebit: quia rem à Deo pauperibus delegatam, ſuis vſibus reſeruauit.* Idem conſtat ex *cap. Immolans* 14. *quæſt.* 5. & *c.* 34. *Eccleſiaſtici. Panis egentium vita pauperis eſt: qui defraudat illum, homo ſanguinis eſt.*] Et affert Lyram exponentem illud Eccleſiaſtici, de eo, qui negat pauperi alimentum in neceſſitate extrema. Et poteſt afferri is textus Sancti Gregorij relatus ſuprà *n.* 94. 96. *Qui negat alimenta extremè indigenti, eſt cauſa mortis eius.* *S. Ambroſ.* *S. Auguſt.*

ARTICVLVS III.

Satisfit argumentis primæ ſententiæ.

AD primum argumentum reſpondeo, egeno debere diuitem opitulari ex miſericordia; id tamen nihil obeſſe, quominus etiam debeat ex iuſtitia. Ex vtroque enim titulo poſſe deberi aliquid, neque vnum titulum eſſe cum alio incompoſſibilem, videtur certum. Nam qui ex contractu debes Petro centum, ſi incidat in vrgentem neceſſitatem, debes quoque eorum ſolutionem ex miſericordia, & charitate. Et qui peccares contra iuſtitiam, ſi extra neceſſitatem non ſolueres, peccas etiam contra charitatem, quia vrgente neceſſitate negas illi, quod ſuum eſt, per quod euadere poſſet præſentem calamitatem. Et quidem quæ repugnantia eſt in eo, quod præcipiat Antiſtes Eccleſiaſticus propter motiuum charitatis, quod debita æris alieni ſoluantur: putà in 97. *An alimenta debeantur ſimul ex miſericordia, & iuſtitia?* *Eadem pecunia poteſt deberi ex vtroque titulo.*

Digitized by Google

in magna annonæ inopia præcipiat, vt quotquot debent aliquid pauperibus, ſtatim ſoluant, ne pauperes fame opprimantur. In quo caſu æs alienum deberetur pauperibus titulo iuſtitiæ, & titulo charitatis.

98. *Prima ratio importat titulum iuſtitia. Secunda charitatis.* Et quidem capite præcedenti, *articulo* 3. duas attulimus rationes ad probandum, teneri diuitem opitulari grauibus pauperum neceſſitatibus. Primam, quòd Deus deſtinauerit hæc bona ad commune hominum ſubſidium, & alimentum. Secundam deſumptam ex præcepto charitatis diligendi proximum opere, & veritate. Cùm ergo prima contineat contractum innominatum obligantem ex iuſtitia, & ſecunda contineat præceptum charitatis, dicendum eſt obſtringi diuitem ex vtroque titulo. Quare ad argumentum neganda eſt minor: eſt enim eleemoſyna, & ſimul debita ſolutio.

99. Ad ſecundum patet ex dictis. Conceſſis enim antecedente, & conſequentia, nego antecedens ſubiunctum, quod conceptus eleemoſynæ excludat rationem iuſtitiæ, propter proximè dicta.

100. *Tranſacta neceſſitate, non tenetur diues ad reſtitutionem.* Ad tertium reſpondeo, illum, qui omiſerit ſuccurrere in graui neceſſitate, ea tranſacta, ad nihil teneri. Id enim debitum, quantumvis ex iuſtitia, eſt in ſubſidium, & conditionale, vt appellauit Sanctus Thomas relatus ſuprà *num.* 2. ſcilicet ſub ea conditione, quod adſit grauis neceſſitas: qua conditione deficiente, diſparet omninò obligatio.

101. *Tenetur tamen ad reſarcienda damna præuiſa.* Ad id, quod additur, teneri diuitem ad damna inde reſultantia, reſpondeo, ita verum eſſe, ſi diues præuidit damna ſubſecutura. Et ideò bene dixit P. Hurtado relatus ſuprà *num.* 96. eum, qui in extrema neceſſitate negat alimentum, eſſe homicidam, iuxta id Ambroſij, *Si non paviſti, occidiſti*: atque adeò teneri ad damna præuiſa ex ea calamitate dimanantia, vt concedit P. Hurtado citatus.

102. *Hæc bona, in extrema, aut graui neceſſitate non manent communia formaliter, ſed virtualiter. Et quomodo.* Ad quartum reſpondeo, hæc bona in extrema, aut graui neceſſitate non manere communia formaliter, ſed virtualiter, ſeu æquiualenter. Non formaliter, quia non quilibet poteſt ea occupare, niſi ſolus egenus. Virtualiter quidem, ſeu æquiualenter, quia egenus habet ius ad illa bona, in ſubſidium ſuæ egeſtatis, ac ſi eſſent bona communia: & ſicut ſi bona eſſent communia, illa quidem manerent ſub dominio primi occupantis; ita egenus habet ius ad illa bona, quantum requirit ſubſidium neceſſitatis, vt ſub dominio ipſius egeni occupantis remaneant, ac ſi illa eſſent communia.

103. Hinc maior diſtinguenda eſt, quia in extrema neceſſitate manent communia [formaliter] nego; quia manent communia [virtualiter,] concedo. Ad probationem nego, illa fieri primò occupantis, ſed ſolius egeni occupantis. Ad dilemma, quod ſubiungitur, non manere formaliter communia reſpectu poſſidentis; ſed eſſe ſub dominio poſſidentis, & illius propria; communia verò virtualiter ſoli indigenti, id eſt, habentia reſpectu indigentis eundem effectum, quem haberent reſpectu omnium, ſi eſſent communia. Hinc nego ſequi, quod qui primus poſſederit, fiat dominus; quia non ſunt formaliter communia. Ad id, quod additur, ſi communia ſint ſoli indigenti, poſſeſſorem amittere dominium, reſpondeo, id bene inferri, ſi eſſent formaliter communia, non autem reipſa inferri, quia ſolùm dicuntur communia in eo ſenſu, quod egenus habeat verum ius ad illa. Poſſeſſor ergo manet dominus, donec egenus occupet illa tanquam habens ius ad illa occupanda.

Ad quintum ſimiliter diſtinguo antecedens: Bona diuiſa non ſunt [formaliter] communia quoad dominium, concedo; non ſunt [virtualiter] communia, nego. Ad probationem, conceſſa maiori, nego minorem. Ad probationem reſpondeo, eſſe quidem ea bona ſub dominio poſſidentis, antequam egenus occupet illa: ſi tamen prædictus dominus alienet, peccat contra iuſtitiam, quia alienat contra ius, quod habet egenus. Tamen non ſunt ſub dominio egeni, quia ille ſolus habet ius ad rem, donec eam rem ſibi vindicet. 104.

Dices. Nemo poteſt vindicare aliquid, niſi habeat ius in re: ergo ſi egenus habet dumtaxat ius ad rem, non poteſt illam vindicare, & per ſemetipſum occupare: vel habet ius in re, atque adeò dominium; & ſic erit dominium adæquatum in vtroque: quod, niſi pro vnico inſtanti, apertè repugnat. 105. *An egenus habeat ius in re, vel ad rem?*

Reſpondeo, in aliquibus caſibus illum, qui habet ius ad rem, poſſe propria authoritate compenſare, vt communiter fatentur Doctores de eo, qui habet ius euidens ad rem, & nequit alia via ad ius ſuum peruenire. Hoc ergo modo natura dedit ius extremè, imò & grauiter indigenti, vt rem illam occupet, qua ad alendam vitam, aut ſimilem neceſſitatem indiget. 106.

Ad ſextum facilis eſt reſponſio, cùm non concedamus egeno dominium, antequam rem occupet. Habet quidem ius ad ea bona indeterminatè cum iure determinandi, & eligendi, quod maluerit. 107.

CAPVT IV.

An grauiter indigens poſſit propria authoritate bona diuitis quibus eget, ſibi vſurpare?

ARTICVLVS I.

Argumenta Caramuelis pro parte negante diſſoluuntur.

Laborantem extrema neceſſitate, poſſe ſubripere à diuite ea, quibus eget, omnes admittunt, etiam illi, qui negant, id ſibi eſſe debitum ex iuſtitia. Quare ſolùm eſt quæſtio de iis, qui laborant neceſſitate graui, qualem expoſuimus initio capitis primi. 108.

Igitur Caramuel *in Theologia fundamentali, num.* 1766. *fundam.* 59. Sic ait, obiiciens primò contra partem affirmantem: [Inquiris, an pauper, non ſolùm neceſſitate extrema, ſed etiam graui poſſit ab opulentis neceſſaria ſubripere? Reſpondet affirmatiuè Diana *part.* 2. *tract.* 17. *reſolut.* 19. & citat Bonacinam, Maldecum, Leſſium, Petrum à Nauarra, Angelum, Emmanuelem Sà, Medinam, Nauarrum, Syluestrum, 109.

Digitized by Google

Syluestrum. Infero: ergo multi Europæ patibula onerant, dicuntur fures, & habentur infames, qui ſunt innocentes omninò, poſſuntque, & deberent excuſari, & ſaluari. Ergo in Tribunalibus audiendus eſſet reus, qui contrà aſſeueret, ſe graui neceſſitate laboraſſe.

110. Progredior. Sacerdos pauper, qui ex ſolo Miſſarum ſtipendio victitat, ſatis eſt miſerabilis, & in graui eſt neceſſitate conſtitutus, ſi non habet quantum ſit neceſſarium ad ſuſtentationem diurnam. Ergo ſtando doctrinæ Dianæ, ſi nemo illi offerat ſtipendium pro Miſſa, ſubripere à diuitibus poterit, quantum ſit neceſſarium, vt ex neceſſitate illa graui egrediatur. Ergo poterit pro vnica Miſſa accipere tot ſtipendia, quot ſufficiant ad eius diurnam ſuſtentationem. Et quid ad hoc vltimum Diana? *Hac opinio*, ait *part. 2. tract. 14. reſol. 8. modò corruit; nam ſacra Congregatio in decretis*, &c. Et me iudice, inconſequenter: nam vel corruit reſolutio illa 29. tractatus 17. aut corruit hæc Cardinalium declaratio. (*Malè vocat Caramuel declarationem Cardinalium, cum verè ſit decretum Vrbani VIII.*)

111. Adhuc progredior, & inquiro, quid intelligat Diana nomine grauis neceſſitatis? *Per grauem neceſſitatem intelligo*, ait Diana, *non quouis modo grauem, ſed valde grauem, etſi non extremam; putà ſi fuerit neceſſitas morbi, famis, nuditatis*, &c. Ergo ſi æger poteſt ſubripere à diuite, quantum ſit opus, vt habeat medicos, & medicinas; famelicus, vt expleat appetitum; nudus, vt habeat decenter veſtes, poterit debitor vt creditori ſatisfaciat; miles vt habeat arma; captiuus, vt litrum; reus vt Aduocatum, &c. Et aperietur latiſſimus campus, & vix manebunt furta in mundo.] Hucvſque Caramuel.

112. Sed hæc parum vrgent, ſi ſententia affirmatiua bene intelligatur, & explicetur. Ad primum Diana *part. 11. tract. 1. reſol. 13.* reſpondet in hæc verba. [Fures, qui patibula onerant, vt ipſe vult, non ſunt, qui furantur preſſi graui neceſſitate, vt ex praxi, & eorum proceſſibus apparet. Nec talis excuſatio admittitur in foro externo.] Sed materia eius obiectionis maiori eget explicatione.

113. *Non patitur grauem neceſſitatem, qui habet alium modũ ſibi conſulendi.*

Pro qua noto primò, non opprimi graui egeſtate, etiamſi fame, vel nuditate prematur, qui habet alium modum ſubueniendi propriæ egeſtati, & non vult eo vti: nam ſi alius illi ſupereſt modus egrediendi ab ea egeſtate, & non egreditur; non neceſſitate, ſed voluntate egenus eſt. Hinc fit primò, eum qui habet alia bona vel ſuppellectilia non omninò ſibi neceſſaria, quibus venditis poteſt egeſtatem euertere, non eſſe conſtitutum in graui neceſſitate, ſed potiùs in vltronea egeſtatis voluntate, cui non tenentur diuites opitulari. Fit ſecundò, ei, qui laborando poteſt ſibi alimenta comparare, & tamen otio indulget, egeſtatẽ non eſſe neceſſariam, ſed voluntariã. Fit tertiò, eum, qui abſq; ignominia poteſt mendicare, nec vult, non opprimi neceſſitate graui. Fit quartò, eum, qui ob nobilitatem ſuam non poteſt abſque ignominia mendicare, poſſe plerumque occultis modis per ſe, vel per alium petere ab Epiſcopo, vel à diuitibus alimenta neceſſaria abſque vlla ignominia: quod ſi præſtare nolit, non patitur neceſſitatem, ſed voluntaria ſibi eſt ea egeſtas.

Noto ſecundò, non poſſe egenum ſubripere à diuite, niſi quando diues tenetur ſub mortali ſuccurrere; vel potiùs quando egeno certitudine morali conſtat, quod diues tenetur. Hinc fit primò, quod non poteſt ſubripere, niſi quando ei conſtat, quod diues habet ſuperflua naturæ & ſtatus. Fit ſecundò, quod non poteſt, niſi quando ei conſtat, computatis ſumptibus omnium domeſticorum, quos diues alit, ei adhuc eſſe ſuperflua; & conſtat, hæc ſuperflua non eſſe debita ex ære alieno; & hæc ſuperflua non eſſe reſeruata in alimentum cõſanguineorum pauperum, qui præferendi ſunt à diuite; & hæc ſuperflua non deberi, nec deſtinari ad donationes remuneratorias reuerà debitas ex gratitudine. Fit tertiò, quod non poteſt, quando tot pauperes occurrunt æqualis neceſſitatis, quibus omnibus diues non poteſt ſatisfacere: tunc enim electio eſt penes diuitem. 114. *Non poteſt egenus ſubripere à diuite, niſi cùm certus eſt, diuitem teneri.*

Noto tertiò, ſummam ſubreptam non debere excedere quantitatem requiſitam ad præſentem calamitatem auertendam: ſi enim excedit, contra iuſtitiam peccat, qui ita ſubripit. 115. *Subſidium cõmenſurandũ neceſſitati.*

Hinc patet ad primum argumentum Caramuelis, negandum eſſe illud antecedens, fures multos onerare patibula, qui graui neceſſitate preſſi ſubripuerunt, adeóque innocentes ſunt. Tum quia non ſubeunt patibula, niſi ob quantitates ingentes, non ob modicas, quæ ſufficere ſolent ad præſentem neceſſitatem ſubleuandam; eſto alias conſtituant materiam peccati mortalis. Tum etiam, quia qui furti cauſâ ſubeunt patibula, viri robuſti ſunt, qui proprio labore, & induſtria poſſent ſibi alimenta comparare. 116. *Quare fures non excuſentur à patibulo, prætextu neceſſitatis.*

Ideò autem in foro externo ea excuſatio non admittitur, quia moraliter impoſſibile eſt probare, quod concurrerint omnes circunſtantiæ requiſitæ, & ſuprà in tribus notationibus proximis enumeratæ. Nam reus, qui eam excuſationem prætenderet, deberet probare primò, ſe ineptum eſſe ad laborem, quo ſufficienter aleretur. Secundò, nihil eſſe in bonis illius, quo vendito poſſet præſentem neceſſitatem ſuperare. Tertiò, eum eſſe nobilem, ideóque abſque graui ignominia non potuiſſe mendicare. Quartò, etiamſi illud ſibi ſit ignominioſum, non potuiſſe arcano modo per ſe, neque per alium ab Epiſcopo, aliiſque Eccleſiaſticis, & laicis diuitibus petere; vel illum ita petentem, repulſam paſſum fuiſſe. Quintò, illum diuitem, à quo furatus eſt, habuiſſe ſuperflua naturæ, & ſtatus. Pro cuius rei probatione longiſſimæ ſupputationes faciendæ eſſent. Si enim diues ille poſſideret agros, vineas, oliueta, computandum eſſet quinquennium, vel fortè decennium ad ſupputandos annuos prouentus; examinandi ſumptus fieri ſoliti, inquirenda naturalia fructuum infortunia, &c. Quod ſi diues mercaturam ageret? Quàm difficilè annuos prouentus ſupputare! Sextò probare deberet, non eſſe diuiti conſanguineos pauperes æqualis neceſſitatis, omninò præferendos. Septimò, ea, quæ diuiti ſuperfluunt, non eſſe neceſſaria ad æs alienum ſoluendum; neque illi eſſe debita legalia eis ſuperfluis æquiualentia. Octauò, non eſſe illi obligationem faciendi donationes remuneratorias. Nonò, 117. *Decem requiſita, ne peccet egenus ſubripiendo, quæ ſibi ſunt neceſſaria.*

Digitized by Google

nò, ſummam ſubreptam non excedere quantitatem requiſitam ad ſuæ præſentis neceſſitatis leuamen. Decimò, tunc non comparere alios pauperes eiuſdem neceſſitatis, quorum electio eſt penes diuitem, quando illi ſunt plures, nec poteſt diues omnibus ſatisfacere. Quas omnes circumſtantias probare eſt moraliter impoſſibile.

118. Quod ſi dicas, hinc probari, non poſſe quem in graui neceſſitate ſibi ſubripere à diuite neceſſaria, quia eſt moraliter impoſſibile, quod omnes eæ circunſtantiæ ſibi priuatim notæ ſint, cùm tamen earum notitia neceſſaria ſit, vt liceat ab eo neceſſaria ſubripere; huic obiectioni ſatisfaciam articulo ſequenti.

119. *Sacerdos ex ſolo Miſſarum ſtipendio viuens, non eſt eo ipſo in graui neceſſitate.*

Ad ſecundum argumentum reſpondeo, Sacerdotem pauperem, qui ex ſolo Miſſarum ſtipendio victitat, eſſe eo ipſo conſtitutum in neceſſitate graui. Primò, quia poteſt honeſto alio labore alimenta neceſſaria ſibi comparare; vel acu pingens, vel tranſcribens, &c. Vel Eccleſiaſticæ Ædi ſubſeruiens, vel Optimatibus Eccleſiaſticis, & fortè etiam laicis, decenter ſeruiens. Secundò, ſi ad hæc omnia viribus deficiat, vel quia æger, vel quia penitus ineptus, adhuc poteſt à diuitibus arcano, & decenti modo petere alimenta neceſſaria.

120. *An Sacerdos in graui neceſſitate poſſit accipere plura ſtipendia pro ſingulis Miſſis?*

Quod ſi omnia ſibi oſtia claudantur, & omnibus circumſtantiis circumdetur, in quibus diues tenetur ſub mortali opitulari Sacerdoti, ſanè incurrit diues debitum legale, ſiue ex iuſtitia, dandi ei viginti regales v.g. neceſſarios ad præſentis neceſſitatis leuamen. Quod ſi det illos cum onere decem Miſſarum, v. g. caſu, quo iam habeat illas Miſſas applicatas ex altero ſtipendio; licèt diues putet, illud eſſe ſtipendium, reuerà non eſt ſtipendium, ſed debitum legale, & datum in circumſtantiis, in quibus reſpectu iſtius pauperis omnia ſunt communia. Decretum autem Vrbani VIII. non loquitur de eo, quod alias eſt debitum iure naturæ pro circumſtantiis, in quibus omnia ſunt communia: loquitur quidem de vero ſtipendio Miſſarum, non de eo, quod per deceptionem putatur eſſe ſtipendium. Etenim ſi mihi deberes centum Regales ex contractu, & debitum meum recuperare non poſſem, dareſque mihi prædictos centum cum onere quinquaginta Miſſarum; ſanè non tenerer ad eas Miſſas pro te celebrandas, neque id præſcribit decretum Vrbani VIII. quia illud non eſſet ſtipendium, licèt falsò tale reputatum; ſed verum debitum legale. Deberet tamen monere, ſi poſſet, eas Miſſas non eſſe celebratas. Vnde patet, neque prædictam reſolutionem, neque ſacræ Congregationis decretum corruere.

121. *Rariſſimè concurrunt omnes circumſtantiæ, vt egenus poſſit ſubripere.*

Ad tertium reſpondeo, in omnibus illis caſibus poſſe egenum ſibi ſubripere neceſſaria, ſi omnes circumſtantiæ concurrant, in quibus diues teneatur ſub mortali ſubuenire. Nego tamen, propterea *latiſſimum aperiri campum, & vix manere furta in mundo:* nam rariſſimè concurrunt omnes circumſtantiæ ſuprà enumeratæ. Et quidem qui debet ducentos aureos, & à creditore duriſſimo, & diuturno carcere eſt opprimendus, in graui eſt neceſſitate conſtitutus. Si tamen eos velit ſubripere à diuite, eo quod ſibi videntur ſuperfluere diuiti, difficillimum erit, illud ſibi compertum facere. Quid ſi diuiti ſint pro ſoluendo ære alieno, quo grauatur? Quid ſi pro alendis conſanguineis pauperibus, omninò præferendis? Quid ſi pro colendis agris, & vineis, vt ſuos prouentus ſibi neceſſarios habeat? Quod idem de captiuo, qui magnum litrum ſibi vult ex alieno comparare.

Præcipuè quantitatem ingentem.

Quod ſi tandem obiectionem Caramueli familiarem opponas, eius aſſertiones non niſi euidentibus impugnandas eſſe; quia ipſe ſemper loquitur per propoſitiones de modo *Probabile:* probabilitatem autem opinionis non niſi euidentibus deturbari. 122.

123. *An Caram. impugnet opinionem Dianæ tanquam improbabilem, vel vt minùs probabilem.*

Contrà eſt. Nam vel impugnat eam opinionem Dianæ tanquam improbabilem, vel tanquam minùs probabilem? Si tanquam improbabilem: ergo per principia certa, & euidentia, ſaltem moraliter: ergo non per propoſitiones modales de modo *Probabile*, ſed per modales de modo *Certum*. Atqui modalis de modo *Certum*, impugnatur, ſi probetur eius oppoſitam eſſe probabilem; cùm ex duabus contradictoriis non poſſit vna eſſe certa, & altera probabilis, vt demonſtraui *diſp. 4. cap. 1.* Ergo ſi dicat Caramuel, eam opinionem eſſe improbabilem, ſatis impugnatur, dum oſtenditur, eam eſſe probabilem.

Vtrouis modo impugnet, ipſe efficaciter impugnatur.

124. Si verò dicat, ſe impugnare opinionem Dianæ tanquam minùs probabilem; infero primò: ergo ipſe non pugnat cum Diana per propoſitionem modalem de modo *Probabile*, ſed per propoſitionem modalem de modo *Probabilius.* Infero ſecundò: ergo ſufficienter impugnatur ipſe, dum oſtenditur, oppoſitam opinionem eſſe probabiliorem: minor enim probabilitas aſſerta impugnatur, dum eam eſſe non minorem, ſed maiorem oſtenditur. Et hæc ſint in confirmationem eorum, quæ diximus *diſputatione 2.*

Articvlvs II.

Exponitur vera ſententia, qualiter in graui neceſſitate poſſis à diuite neceſſaria ſubripere.

125. *Sententia negans.*

NEgant Caietanus, Bañez, Sotus, Couarruuias, P. Suarez, P. Valentia, P. Azor, P. Torres, P. Reginaldus, quos refert Leander à SS. Sacr. *part. 6. tract. 5. diſp. 2. quæſt. 35.* & licèt pro hac ſententia citet Patrem Granado, immeritò quidem; nam abſolutè affirmatiuam docet caſu, quo concurrant omnes debitæ circumſtantiæ.

126. *Sententia affirmans.*

His concurrentibus, poſſe egenum ſibi ſubripere ea, quæ ad ſubleuandam eiuſmodi neceſſitatem grauem neceſſaria ſunt, affirmant P. Vaſquez *opuſc. de eleemoſyna, cap. 1. num. 6.* P. Leſſius *lib. 2. cap. 12. dub. 12. num. 71.* P. Petr. Hurt. *2. 2. tom. 2. diſp. 159. §. 92.* P. Lugo Cardin. *tom. 1. de iuſt. diſp. 16. ſect. 7. num. 154.* præcipuè ſi neceſſitas grauis verſetur circa ea bona, quæ natura voluit eſſe communia. Et aſſerens vt certum P. Tamburinus *lib. 8. in Decalogum, cap. 7.* (non *lib. 7. cap. 6.* qualiter citat Leander referendus) §. 1. *num.* 2. P. Granado *2. 2. controu. 3. tract. 11. diſput. 7. num. 4.* P. Caſtro Palao *tom. 1. diſput. 2. de Charit. punct. 9. num. 3.* Diana citatus ſuprà *num. 109.* & *part. 5. tract. 8. reſol. 23.* & *part. 11. tract. 1. reſolut. 13.* Item P. Dicaſtillo, Angelus, Syluester, Nauarrus, Medina,

Vaſquez. Leſſius. Petr. Hurt. Lugo. Tamburin. Granado. Caſtro Palao. Diana. Dicaſtillo. Angelus. Syluester. Nauarrus. Medina. Nauarra. Conink.

Digitized by Google

Malderus. Sà. Vvigers. Duualius, Bonacina. Leand. à SS. Sacram.

Medina, Nauarra, P. Coninx, Malderus, P. Sà, Vvigers, Duualius, & Bonacina, quos refert, & ſequitur Leander à SS. Sacr. *part.6. tract.5.diſp.2.quæſt.35.*

127. *Egenus poteſt ſubripere, quoties diues tenetur opitulari.*

Sit prima concluſio cum Authoribus ſecundæ ſententiæ. Quoties diues tenetur (iuxta dicta *cap.2. articul.2. & 4.*) opitulari neceſſitati graui, poteſt egenus ſibi ſubripere quidquid eſt ſimpliciter neceſſarium ad eam auertendam. Probatur primò. Licitum eſt ſubripere diuiti id, de cuius ſubreptione diues non eſt rationabiliter inuitus: ſed cùm diues tenetur dare aliquid egeno ratione grauis neceſſitatis, de illius ſubreptione diues non eſt rationabiliter inuitus: ergo cùm diues tenetur dare aliquid pauperi ratione grauis neceſſitatis, licitum eſt egeno id ſubripere diuiti.

In eo caſu diues non eſt rationaliter inuitus.

128. Conſequentia legitima eſt: maior admittitur ob omnibus. Nam, vt optimè notauit P. Petrus Hurtado 2.2. *diſp.* 159. §. 59. [Quando furtum dicitur eſſe detractio rei alienæ inuito domino, intelligitur de inuito domino rationabiliter: ſi autem apertè ſit contra dictamen rectæ rationis, illum eſſe inuitum, tunc detractio rei alienæ non eſt furtum.] Minor autem ex terminis patet. Non enim eſt rationabile, quod ſit inuitus in hoc ipſo, ad quod ipſe tenetur eſſe voluntarius: neque rationabile eſt, quod ſuæ obligationi graui nolit ſatisfieri.

129. Probatur ſecundò concluſio. Quoties aliquis habet verum ius iuſtitiæ ad aliquam rem, poteſt illam ſibi accipere, ſi alia viâ illam habere non poteſt: ſed quoties diues tenetur ſuccurrere egeno, iſte habet ad illam verum ius iuſtitiæ: ergo quoties diues tenetur ſuccurrere egeno, iſte poteſt illam ſibi accipere, ſi non ſit alia via eam habendi. Maior certa eſt in materia iuſtitiæ. Minor conſtat ex capite tertio, & conſequentia eſt ineuitabilis.

130. *Vt egeno liceat ſubripere, debet eſſe moraliter certus de obligatione diuitis.*

Secunda concluſio. Vt pauperi liceat accipere ſibi rem, cuius grauiter indiget, debet eſſe moraliter certus de obligatione diuitis circa ſubuentionem eius neceſſitatis. Pro quo aduerte, eam certitudinem maiori ex parte eſſe certitudinem facti, nempe qua egeno conſtet, diuitem habere ſuperflua, & ea ſuperflua non reſeruari ad æs alienum ſoluendum, neque ad conſanguineos in eadem neceſſitate conſtitutos ſubleuandos, aliaſque eiuſmodi circumſtantias propoſitas ſuprà à *numero* 117.

131. *Hæc certitudo debet conſtitui ex motiuis, quæ æquiualeant plenæ probationi.*

Certitudo autem facti habetur per motiua æquiualentia plenæ probationi, ſiue per motiua, quæ in iudicio propoſita facerent plenam probationem. Si autem motiua ſemiplenæ probationi æquiualeant, non ſufficiunt. Et multò minùs ſi ex vtraque parte ſint motiua æqualia, aut quaſi æqualia. Ea enim non modò non conſtituunt certitudinem, ſed neque probabilitatem, ſed merum dubium, vt conſtat ex diſputatione ſexta, capite ſexto.

132. Probatur concluſio primò; quia iniquum eſt, quod diues mulctetur abſque probatione plena obligationis: ergo quando ſolùm eſt probabilitas facti, purà, quod ſuperflua non ſunt reſeruata ad alendos conſanguineos eiuſdem neceſſitatis, aut ad æs alienum ſoluendum, non poteſt licitè diues ſpoliari.

Probatur ſecundò. Nam vt ſuprà tanquam certum docui *diſputat.* 16. qui habet proprietatem dumtaxat probabilem rei, non poteſt illam auferre à poſſeſſore habente poſſeſſionem legitimam certam: atqui pauper habens probabilitatem de obligatione diuitis ſibi opitulandi, habet ius dumtaxat probabile, & diues habet poſſeſſionem legitimam certam: ergo pauper in eo euentu non poteſt illa ſibi ſubripere à diuite. 133.

Si egenus habeat probabilitatem de obligatione diuitis, ob hoc nequit diuitem ſpoliare.

Cum maiori latitudine loquendum eſt cùm neceſſitas eſt extrema, aut ferè extrema. Natura enim conceſſit ius hominibus conſeruandi vitam, deditque illis ius ad bona, quæ communia ſunt ad vitam alendam, quantum neceſſitas conſeruandæ vitæ poſtulat. De quo vide Patrem Petrum Hurtado 2. 2. *diſput.* 159. *à num.* 59. Et ratio eſt, quia etiam extremè indigens habet ius conſeruandi vitam ex bonis diuitis, etiam neceſſariis ad ſtatum illius. Id enim multi Authores dicunt eſſe certum; & ita ſi videas, tibi impendere proximum periculum vitæ, tuo iuri conſulis, dum id ius tibi eſſe certum perſuades. 134.

Cum maiori latitudine loquendum eſt pro paupere, cùm neceſſitas eſt ferè extrema.

Dices contra hanc ſecundam concluſionem: Qui habet ius dumtaxat probabile ad bona diuitis, non poteſt diuitem illis ſpoliare propter ius poſſeſſionis certum exiſtens in diuite: ſed hoc ius ſemper eſt dumtaxat probabile in egeno: ergo iſti nunquam licet diuitem ſpoliare. Probatur minor. Nam multi Doctores affirmant, non teneri diuitem opitulari indigenti grauiter, & non extremè. 135.

Reſpondeo negando minorem. Nam vt conſtat *ex cap. 2. art. 2.* certum eſt, ſaltem à principiis intrinſecis, teneri diuitem ſuccurrere grauiter indigenti ex bonis ſuperfluis naturæ, & ſtatus in his, quæ ſpectant ad vitæ ſuſtentationem. Et ita eſſe certum, affirmant P. Suarez, P. Granado, P. Petrus Hurtado, P. Vaſquez, & Mag. Bañez ibidem relati. 136.

Grauiter indigens, aliquando habet ius certum ad ſubripiendum à diuite.

Tertia concluſio. Rarò concurrunt circumſtantiæ, in quibus graui indigentia laborans poſſit immodicam quantitatem ſubripere à diuite. Hanc concluſionem probat obiectio propoſita *art. præced. num.* 118. Eſt enim difficillimum, quod pro magna quantitate ſubripienda, certior fiat egenus, quod diuiti ſint bona ſuperflua, & non neceſſaria ad alendos omnes ſuos domeſticos; & ſi hoc conſtare poſſit, difficillimum eſt, quod illi conſtet, ea non reſeruari ad æs alienum ſoluendum: non enim eſt facile inquirere, quantum diues habeat de credita ſibi pecunia. Item difficillimum eſt, quod illi conſtet, ea ſuperflua non reſeruari in alimentum aliorum pauperum, qui diuiti ſanguine iuncti ſunt; vel in donationes remuneratorias, quas excuſare non poteſt: & ſic de aliis circumſtantiis enumeratis ſuprà *n.* 117. 137

Rarò ſunt circumſtantiæ, in quibus poſſit ſubripere magnam quantitatem.

Quarta concluſio. Frequenter concurrunt circumſtantiæ, in quibus grauiter indigentes poſſint ſibi modicam quantitatem ſubripere à diuite, etſi aliàs illa quantitas conſtituat materiam peccati lethalis. Explicatur concluſio. Facilè enim conſtare poteſt egeno, in domo hominis valde diuitis prodigos ſumptus fieri, vel quia ad domum diuitis copioſiora alimenta afferuntur, quàm neceſſitas poſtulat; vel quia, 138.

Frequenter ſunt circumſtantiæ, in quibus poteſt ſubripere modicam.

quia vt loquuntur Sancti Patres, multiplices veſtes ſunt, quæ ferè deferuntur ad vetuſtatem; multiplices calcei, qui in domo diuitis putreſcunt: ſumptus etiam alij prodigè fiunt. Si ergo ex prædictis domibus ille, qui grauiter indiget, pro vno, vel altero die ſibi quandoque accipiat alimenta; ſi nudus veſtem veteraſcentem accipat; ſi æger quinquaginta argenteos, quibus pro ſuæ ægritudinis leuamine indiget, quíque ſolent in ea domo facilè prodigi ad conuiuia, vel ludum, &c. ſibi ſubripiat, iure ſuo vtetur: quia facilè conſtare ſibi poteſt, ea diuiti eſſe omninò ſuperflua, cùm ſibi conſtare poſſit, ſimilia in ea domo facilè prodigi.

139 Probatur ſecundò concluſio. Nam in rebus modici præiudicij ad certitudinem facti non requiritur tanta probatio, ac in rebus magni præiudicij, vt docent Iuriſprudentes. De quo conſulendus eſt Cardinalis Thuſcus *litt. P. concluſione* 179. & apud illum Romanus *conſil.* 349. *num.* 2. In prædictis ergo quantitatibus modicis non eſt requirenda ab indigente tanta probatio, vt ſit, & reputetur certus de ea ſuperfluitate bonorum diuitis, quanta requiritur ad quantitatem magnam ſubripiendam. Et hinc patet ad obiectionem propoſitam *art. præced. num.* 118.

DISPVTATIO XXI.

An ſit valida donatio omnium bonorum facta Eccleſiæ? Vbi an liceat patri magnam partem bonorum donare Eccleſiæ, aut pauperibus, in præiudicium legitimæ filiorum?

CAPVT PRIMVM.

Deciditur prior pars quæſtionis.

ARTICVLVS I.

Sententia Caramuelis proponitur.

1. QVAMVIS poſteriorem partem diſputationis in Caramuelis operibus expreſsè non inuenerim, placuit tamen eam priori parti à Caramuele tractatæ adiungere, quia cenſeo vtramque ex iiſdem principiis decidendam; & propoſitiones à Caramuele conſtitutas in priori, corruere ex dicendis à nobis in poſteriori. Dixi poſteriorem *non inueneri expreſsè*: quia quæſtionem valde ſimilem habet vtique, vt referam *n.* 53. & 54.

2. Igitur Caramuel *lib. 2. Theologiæ intentionalis, diſp.* 10. *art.* 3. *n.* 628. hæc ſcribit: [Petrus omnia bona ſua donauit Eccleſiæ. Donationem eſſe validam contendunt Reginaldus *lib.* 25. *n.* 257. Azorius, Molina, Rebellius, Leſſius, Iulius Clarus, Bartolus, Socinus, Dicaſtillus, & alij, qui putant eſſe communem ſententiam.

R. P. Ioan. de Carden. Criſis Theolog.

Puto tamen, hoc poſſe defendi, ſtando iuri communi, non verò prouinciarum legibus ſpecialibus. In Belgio enim nequidem profeſſurus poteſt omnia ſua bona donare Monaſterio. Quam ob rem diſplicet illa ratio, qua vtuntur aliqui ex his Authoribus. Ius ciuile, inquiunt, impedire non poteſt opera pia, & conſilia euangelica, qualia ſunt dare omnia bona ſua cauſæ piæ: ergo. Et tu diſtinguis antecedens: ex rationabili cauſa non poſſe interdicere, negas; ſine cauſa, concedis. Caſtitas enim à Deo ipſo conſulitur; & tamen Reſpublica matrimonium contrahere vult eum, qui promiſit; & alicubi, tametſi non promiſerit, modò virginem oppreſſerit. Lamegenſes Luſitanorum leges *n.* 17. *Si quis sforziauerit* (oppreſſerit) *virginem nobilem, moriatur, & totum ſuum avere* (hoc eſt omne, quod habet, & legitimè habere, & prætendere poteſt) *ſit de virgine sforziata: ſi non eſt* (ipſa) *nobilis, maritentur ambo, ſiue homo nobilis ſit, ſiue non ſit.* An taliter condemnatus poſſet ſententiam ſubterfugere, euangelici conſilij prætextu? Sed etſi hanc legem iniuſtam audeas iudicare, ad Sanctiſſimam Ieſuitarum Religionem conuerte oculos, in qua ſtatutum de fraterna correctione, tametſi à Deo conſulta, omittenda: quia fortè ſub illis circumſtantiis à Chriſto non conſulitur, vel ſi conſulitur, debet non ſeruari, cùm iure illo ſecreti ceditur: cedit autem, qui legem contrarium præcipientem acceptat. Igitur ſi prudenter Reſpublica inſtituat, ne quis omnia bona ſua Eccleſiæ donet, contra legem acceptam nulla donatio erit valida.

Confirmatur. Quia in omni lege politica nos ad acceptationem recurrimus: ergo ſi lex iubeat, vt ſaltem mediam bonorum partem des cognatis ſæcularibus, & tu hanc legem acceptas, ipſa te acceptatione publica obligas: ergo & cognati ſæculares adquirunt ius ad habendam poſt mortem tuam illam bonorum partem, quam te volente & conſentiente, illis adiudicauit Reſpublica. Ergo ſi poſteà omnia bona tua Eccleſiæ dares, dares illa, quæ cognatorum tuorum ſunt, in quæ ad vitam habes vſum, & poſt vitam poteſtatem non habes.] 3.

Et ne Caramuel arguat nos de inutili modo impugnandi, eo quod omnes propoſitiones ſuas dicere ſolet eſſe modales de modo *Probabile*, atque adeò euidentibus impugnandas; oportet vt inquiramus, an id doceat vt probabile, an vt certum? Attende ergo verba ſuprà relata: *Puto tamen, hoc poſſe defendi, ſtando iuri communi; non verò prouinciarum legibus ſpecialibus.* Ait itaque, illam opinionem defendi non poſſe, ſtando legibus prouinciarum. Sed cùm quælibet opinio probabilis ſemper defendi poſſit, ſemper ad praxim deduci, vt millies clamat *in apolog. de Probabilitate, & in Theolog. fundam.* & ſæpe alibi; ſi hæc ſtando legibus prouinciarum defendi non poteſt, manifeſtè affirmat, ſtando legibus prouinciarum, & reſpectiuè ad ipſas, illam non eſſe probabilem. Vnde in hac quæſtione non per modales de modo *Probabile*, ſed de modo *Certum*, loquitur: ideò ſatis impugnabitur, ſi oſtendatur, argumenta Caramuelis non modò demonſtratiua non eſſe, ſed nec alicuius momenti; vt abſtraham ab inquirendo, an argumenta, quæ pro re præſenti allaturi ſumus, ſupra probabilitatem euehantur. 4.

Digitized by Google

ARTICVLVS II.

Traditur vera ſententia, & doctrina Caramuelis impugnatur.

5. *Sententia affirmans.* Leſſius. Molina. Fagundez. Couarru. Lugo. Ant. Gom. Bartolus. Iaſon. Baldus. Panormit. Palacios Rub. Tiraquellus. Fulgoſus. Felinus. Decius. Cardin. Florenus. Marianus. Alexand. Capra.

DOnationem omnium bonorum factam Eccleſiæ, aut cauſæ piæ, validam eſſe, & licitam, affirmant P. Leſſius *lib. 2. de iuſtit. cap.* 18. *num.* 102. P. Molina *diſp.* 280. P. Fagundez *lib. 4. de iuſt. cap.* 10. *num.* 10. Couarruuias *de teſtam. part. 2. num.* 5. Card. Lugo *tom. 2. de iuſt. diſput.* 23. *num.* 166. & eſſe communem teſtatur Antonius Gomez *ad legem 69. Tauri, num.* 6. & apud iſtum Bartolus, Iaſon, Baldus, Panormit. Palacios Rubios, & alij ſuprà relati à Caramuele. Item Tiraquellus *tract. de cauſa pia, priuileg.* 100. & apud ipſum (præter citatos) Fulgoſus, Felinus, Decius, Cardin. Florenus, Marian. Alexander, & Benedictus Capra.

6. Probatur concluſio. Ius ciuile, vel prouinciale non poteſt diſponere in præiudicium cauſæ piæ, vt latè oſtendam *cap. ſequenti*; neque in præiudicium conſilij euangelici, vt probabo *cap.* 8. ergo non poteſt interdicere donationem factam Eccleſiæ, aut cauſæ piæ.

7. *Licita eſt donatio omniũ bonorum facta Eccleſiæ.* Vidiſti ſuprà relatam diſtinctionem Caramuelis, quæ [abſque rationabili cauſa] non poſſe interdicere concedit; negat verò, non poſſe interdicere [cum cauſa rationabili.] Vidiſti exempla in confirmationem diſtinctionis allata. Et oſtendenda priùs eſt falſitas aſſertionis; & deinde conuincendum, non eſſe ad rem exempla allata. Et quidem, quidquid ſit de probabilitate eius ſententiæ, hæc reſponſio, & doctrina eius videtur eſſe magni præiudicij; probat enim plus, quàm ipſa opinio aduerſa contendir: videtur enim probare, expreſsè prohiberi poſſe donationes Eccleſiæ faciendas, eleemoſynas pauperum, & alia opera pia.

8. Pro impugnatione diſtinctionis, & doctrinæ in illa incluſæ, has poſitiones ſubiicio, (poſitiones vocat Ariſtoteles, non quaſlibet aſſertiones, ſed prima, aut quaſi prima principia) ex quibus vera doctrina colligatur.

9. *Implicat cauſa rationabilis contra cõſilium Chriſti formaliter vt tale.* Poſitio prima. Implicat, quod detur cauſa rationabilis, ob quam valeant leges humanæ interdicere, ne impleatur conſilium Chriſti Domini formaliter vt tale. Hæc poſitio eſt ex terminis nota, ſi termini ipſi penetrentur. Nam pro illis ipſis circumſtantiis, in quibus Chriſtus conſulit aliquid faciendum, & ad quas extenditur conſilium Chriſti, impium eſſet concedere, poſſe leges oppoſitum præcipere. Alioqui leges humanæ poſſent præcipere, ne quis ſequeretur conſilia Chriſti, etiam in ipſis circumſtantiis, de quibus loquitur conſilium Chriſti: quod eſſet Chriſto formaliter, & expreſsè contradicere.

10. *Si donatio eſt contra legem naturalem, tunc non eſt conſilium Chriſti.* Poſitio ſecunda. Quoties quis lege naturali impeditur, ne donet bona ſua Eccleſiæ, tunc non eſt conſilium Chriſti Domini, quod ea dones Eccleſiæ. Patet. Quia non poteſt eſſe conſilium Chriſti, quod dones Eccleſiæ in circumſtantiis, in quibus ea donatio eſt illicita.

11. *Donare Eccleſiæ, poteſt eſſe contra legẽ naturæ.* Quod autem ipſa lege naturali arceri quis poſſit ab ea donatione Eccleſiæ facienda, etiam pater, caſu, quo adſit extrema neceſſitas publica, vel priuata, cui iure naturali teneris opitulari. V. g. ſi Reſpublica Chriſtiana obſideatur à Mauris, vel ſi proximus ſit in extrema neceſſitate, & periculo vitæ, vel captiuus ſit in periculo proximo abnegandi fidem, nempe ad id ab infidelibus vrgentiſſimè impulſus.

Poſitio tertia. In circumſtantiis, in quibus maius Dei obſequium eſt, quod omittas hanc actionem, tunc non eſt conſilium Chriſti, quod eam executioni mandes; nec iſtud extenditur ad eas circumſtantias. Hæc etiam clarè conſtat, quia conſilia Chriſti Domini ſemper tendunt ad id, quod perfectius eſt, & ad ea, quæ maius Dei obſequium reſpiciunt. Et ita *Matth.* 5. ait Chriſtus Dominus: *Eſtote ergo & vos perfecti, ſicut Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* Id eſt, accedite ad perfectionem Patris, quantum potueritis, *imitatione, non æqualitate*: vt ait interlinearis. Quod Paulus etiam didicit, & docuit 1. *Corinth. cap.* 12. *Æmulamini autem chariſmata meliora.* 12. *Cùm perfectius eſt omittere donationem, hæc nequit eſſe conſilium Chriſti.*

Poſitio quarta, quæ ex duabus proximis colligitur. Quoties lege naturali impedimur, ne eam donationem Eccleſiæ faciamus, vel maius Dei obſequium relucet in ea donatione omittenda, quàm in præſtanda; tunc poteſt dari rationabilis cauſa, ob quam lex humana poſſit interdicere eam donationem, ſi cæteræ conditiones adſint requiſitæ ad legem. Ratio eſt: tum quia ad eas circumſtantias non extenditur conſilium Chriſti Domini, vt patet ex poſitione ſecunda, & tertia. Tum etiam, quia lex humana poteſt prohibere, quod eſt illicitum; & indicere ex cauſa iuſta, reliquis conditionibus interuenientibus, quod perfectius eſt. 13. *Cùm donare Eccleſiæ, eſt illicitum, vel minus perfectum, tunc cauſa rationabilis eſſe poteſt, vt prohibeatur.*

Poſitio quinta. Si antecedenter ad talem donationem omnium bonorum à Petro faciendam Eccleſiæ, aliquis habet ius adquiſitum ad aliqua eorum, illicitum eſt donare omnia illa bona Eccleſiæ; atque adeò non poteſt eſſe conſilium Chriſti Domini donare omnia illa bona Eccleſiæ. Patet, quia res illicita non poteſt eſſe conſilium Chriſti Domini. Eſſet autem illicita ea donatio omnium bonorum illorum, quia fieret cum iniuria eius, qui ius adquiſierat in aliqua eorum. Sed aduerte, cum hoc ſtare, quod etiam in eo caſu poſſet Petrus donare *omnia ſua* Eccleſiæ: quia abſolutè non dicuntur *ſua*, in quæ alius habet ius adquiſitum. An autem leges ciuiles poſſint dare hoc ius alteri in bona Petri in præiudicium Eccleſiæ, vel cauſæ piæ, pertinet ad ſecundam partem huius diſputationis; quam incipiam à *cap.* 2. 14. *Si alter habet ius antecedenter ad ea bona, illicitum eſt donare Eccleſiæ.*

Ideò dum Authores dicunt, poſſe quem donare Eccleſiæ omnia bona ſua, neque poſſe impediri à iure ciuili, non loquuntur de bonis, in quæ tertius alius habet ius, ſed de illis bonis, quæ omninò ſua ſunt, & de quibus poteſt liberè diſponere. 15.

Item dum ius ciuile præcipit, ne quis donet omnia bona ſua, non loquitur de illis bonis, ad quæ tertius alius habet ius; ſupponit enim, quod Petrus non poteſt donare ea bona Eccleſiæ: ſed prohibet donationem omnium, etiamſi nullus alius habeat ius ad illa. Prohibet enim donationem omnium bonorum, non tanquam iniuſtam, ſed tanquam prodigam, ſiue tanquam ex prodigalitate profectam. 16.

Poſitio

Digitized by Google

17. *Cùm cauſa (vt vocas) rationabilis non eſt cauſa pia, ſed profana, præualet contra illam conſilium Chriſti.*

Poſitio ſexta. Quoties cauſa, vt vocas, rationabilis non eſt cauſa pia, ſed profana, adhuc contra illam militat conſilium Chriſti Domini, & ad illius circumſtanſtias iſtud extenditur. Probatur. Conſilium Chriſti Domini ſemper ſtat, niſi pro illis circumſtantiis, quibus actio conſulta fit illicita, aut omiſſio eius actionis cedit in maius Dei obſequium: ſed ob cauſam profanam actio conſulta a Chriſto Domino non fit illicita, nec eius omiſſio cedit in maius Dei obſequium: ergo dum cauſa eſt profana, conſilium Chriſti Domini perſiſtit, & ad illius circumſtantias extenditur.

18. Maior patet. Quia conſilium Chriſti Domini extenditur ad omnes eas circumſtantias, in quibus illud maius Dei obſequium reluceat: in illis autem circumſtantiis, in quibus actio conſulta manet licita, & non eſt maius Dei obſequium illam omittere; maius Dei obſequium eſt illam præſtare: vbi autem maius Dei obſequium eſt præſtare illam actionem, ibi perſiſtit conſilium Chriſti Domini, cùm ſit conſilium Chriſti Domini, ad maiorem perfectionem tendere.

19. Minor verò probatur. Nam cauſa profana non poteſt facere, quod ſit illicitum donare Eccleſiæ, vel pauperibus. (Et ſemper ſuppono, neminem habere ius ad ea bona Petri, neque hanc eſſe cauſam, de qua loquimur.) Item cauſa profana non poteſt facere, quod ſit maius Dei obſequium (imò nec æquale) omittere actionem a Chriſto conſultam. Primò. Nam cauſa profana non ponit circumſtantias, in quibus ceſſet conſilium Chriſti; quia ſemper eſt melius, & perfectius erogare eleemoſynam pauperibus, quam illam omittere ob cauſam profanam. Secundò. Nam ſi illa cauſa faceret, quod omiſſio actionis aliàs à Chriſto conſultæ eſſet maius Dei obſequium; illa non eſſet cauſa profana, ſed potiùs reſpiceret finem ſupernaturalem; quidquid enim promouet maius Dei obſequium, quis dubitat, id ad finem ſupernaturalem ordinari, & non ſolùm ad profanum, vel merè politicum?

Itaque ſemper conſiderandum eſt, an circumſtantiæ, in quibus ponitur actio conſulta à Chriſto, faciant, quod ea actio à Chriſto Domino conſulta, hic & nunc non ſit quid melius, & perfectius, nec maius Dei obſequium: ſic enim in his circumſtantiis non erit conſilium Chriſti. Quia ergo cauſa merè profana non ponit circumſtantias, in quibus actio à Chriſto Domino conſulta non ſit quid melius, & perfectius, etiam illa cauſa ſubſiſtente, ſtat conſilium Chriſti in illius circumſtantiis.

20. Hinc conficitur primum argumentum contra doctrinam eius diſtinctionis. Nam vel hæc cauſa rationabilis, ob quam leges interdicunt fieri donationem Eccleſiæ, eſt cauſa pia, vel cauſa profana: Si ſecundum, in eius circumſtantiis non ceſſat conſilium Chriſti Domini, quin potiùs ad eius circumſtantias extenditur, vt conſtat ex poſitione ſexta: ergo ſi ob eam cauſam profanam præcipit lex humana, omitti actionem à Chriſto conſultam, lex humana formaliter reſiſtit conſilio Chriſti, cùm prohibeat, eam actionem fieri in circumſtantiis, ad quas Chriſti conſilium extenditur.

Si verò dicas primum, nempe, eam cauſam rationabilem eſſe cauſam piam, rurſus inquiro, an hæc cauſa pia contineat maius Dei obſequium, vel æquale, vel minus? Si minus, non ceſſat in eius circumſtantiis conſilium Chriſti, quod ſemper ad perfectiora tendit. Si verò maius, (vel æquale) putà, quia maius Dei obſequium (vel æquale) creditur hîc & nunc alere pauperes, vel infantes à parentibus deſertos; dato, quod lex ciuilis poſſit præcipere id, quod perfectius eſt, aut æquè perfectum (quod non caret difficultate) id non erit vetare, quod donet cauſæ piæ, ſed commutare vnam cauſam piam in aliam ratione maioris, vel æqualis vtilitatis. 21.

Hæc cauſa, vt vocas, rationabilis, nec eſt pia, nec profana.

Quare ſi Princeps, vel Reſpublica ita præciperet: [Dum volueris donare Eccleſiæ omnia bona, reſerua tertiam partem pro his pauperibus alendis:] hoc non eſſet contra conſilium Chriſti, ſi hoc eſſet maioris, vel æqualis obſequij Dei. Adhuc tamen verificaretur, quod iſte poteſt, non ſolùm fauore cauſæ piæ, ſed & fauore Eccleſiæ donare omnia ſua: nam donata pauperibus tertia parte, omnia reliqua donaret Eccleſiæ. Et ſi Reſpublica ita præciperet: [Dum volueris donare Eccleſiæ omnia bona, ne dones Eccleſiæ, ſed pauperibus;] caſu quo hæc diſpoſitio eſſet maioris, vel æqualis obſequij Dei, non eſſet contra conſilium Chriſti de renuntiando omnia, & donando pauperibus; ſed ſolùm eſſet commutatio vnius cauſæ piæ in aliam. 22.

Confirmatur primò hoc argumentum. Cauſa profana (quam vocas rationabilem) non præualet contra cauſam piam, ita vt faciat, hanc non eſſe piam: ergo non tollit ab illa rationem conſilij euangelici. Sed præcipere formaliter contra conſilium euangelicum, impium eſſet: ergo impiæ eſſent leges ciuiles, ſi ob cauſam profanam impedirent cauſam piam. 23.

Confirmatur ſecundò. In circumſtantiis, in quibus cauſa pia non deſinit eſſe pia, perſiſtit formaliter conſilium Euangelicum: ſed cauſa rationabilis profana, non extrahit cauſam piam à conceptu cauſæ piæ (ideóque illa cauſa profana non eſt rationabilis:) ergo non extrahit illam à conceptu conſilij euangelici: ergo ſi lex ciuilis ob cauſam profanam (quam vocas rationabilem) prohibet illam cauſam piam, prohibet formaliter conſilium euangelicum. Id autem eſſe iniquum, & impium, patet ex poſitione prima. 24.

Confirmatur tertiò. Dum cauſa pia non deſinit eſſe pia, non poſſunt leges ciuiles illam inhibere: ſed dum cauſæ piæ opponitur cauſa profana, cauſa pia non deſinit eſſe pia: ergo leges ciuiles non poſſunt inhibere cauſam piam ob cauſam profanam, ſiue opponendo cauſæ piæ cauſam profanam. 25.

Secundum argumentum contra præfatam doctrinam eſt. Lex ciuilis nequit diſponere ob aliquam cauſam rationabilem, ne homo fiat Religioſus (niſi aliàs ipſe obligatus ſit ex delicto, vel ex contractu, aut ſimili cauſa ad ſtatum, vel modum viuendi incompoſſibilem;) quia fieri Religioſum, eſt conſilium Chriſti: ergo lex ciuilis nequit diſponere ob aliquam cauſam rationabilem, vt nemo donet omnia bona 26.

ſua Eccleſiæ, vel pauperibus (niſi aliàs ad ea bona tertius alius habeat ius;) quia hæc donatio eſt conſilium Chriſti. Antecedens eſt certum, & conſequentia patet à paritate rationis.

28. Cætera autem argumenta pro concluſione præcipua, nempe validam eſſe donationem omnium bonorum factam Eccleſiæ vel cauſæ piæ, vide apud P.Leſſium, & P.Fagundez ſuprà relato.

Articvlvs III.

Exempla à Caramuele allata nihil prodeſſe aduerſæ doctrinæ.

29. *Inualidà eſt lex Belgica, prohibens profeſſuro, ne omnia bona det Monaſterio.*

AD primum exemplum, quod affert de lege Belgica interdicente, ne etiam profeſſurus omnia bona ſua donet Monaſterio; reſpondeo, ſi talis illa eſt, qualis à Caramuele refertur, eam eſſe inualidam. Tum quia eſt contra conſilium Chriſti Domini; tum etiam, quia irrogat iniuriam Monaſterio, quia operatur contra ius, quod habet Monaſterium, ne vllus vi impediat donationes ſibi licitè factibiles.

30. *Caſtitas non eſt conſilium Chriſti, reſpectu eius, qui promiſit matrimonium validè.*

Pergit ad ſecundum illis verbis: [Caſtitas à Deo ipſo conſulitur; & tamen Reſpublica matrimoium contrahere vult eum, qui promiſit.] Et diſtinguo primam propoſitionem: Caſtitas à Deo ipſo conſulitur [in circumſtantiis, in quibus promiſit matrimonium,] nego; [in aliis,] concedo. Ideò quando Reſpublica iubet contrahere matrimonium eum, qui promittit, non diſponit contra conſilium Chriſti; quia in iis circumſtantiis nunquam Chriſtus caſtitatem conſulit.

31. *Chriſtus non conſulit donationem omnium bonorum, cùm pars eorum ex contractu debetur alicui*

Sed quid opus erat recurrere ad caſtitatem, cùm in eadem materia donationis bonorum idem contingat? Nam qui ex contractu promiſit Petro partem bonorum, non poteſt donare pauperibus omnia bona. Et ratio eſt, quia nunquam conſulit Chriſtus donare pauperibus ea, ad quæ tertius alius habet ius. Et quæſtio præſens, vt notaui ſuprà *num.* 14. non procedit in his circumſtantiis: ergo neque exemplum eſt ad rem.

32. *Caſtitas non eſt conſilium Chriſti, reſpectu eius, qui ex delicto cōtraxit obligationem matrimonij.*

Procedit vlteriùs in eodem exemplo, Rempublicam velle, quod ducat matrimonium is, qui [tametſi non promiſerit, modò virginem oppreſſerit.] Affertque legem Lamegenſem de ducenda virgine oppreſſa; & ſubdit: [An taliter condemnatus poſſet ſententiam ſubterfugere, Euangelici conſilij prætextu?] Poſſet autem afferre idem genus probationis in eadem materia donationis. Nam ſi quis mulctetur mille aureis ex delicto, non poteſt eos mille aureos donare pauperibus. Et in confirmationem poſſet ſimiliter interrogare; an taliter mulctatus poſſet ſententiam ſubterfugere Euangelici conſilij prætextu?

33. *Donatio non eſt conſilium Chriſti, reſpectu eius, qui ex delicto contraxit reatum amittendi bona.*

Reſpondeo ergo, quod ſicut taliter mulctatus ex delicto amittit ius ad illos mille aureos, ideóque nequit diſponere de illis; ita lex humana (Eccleſiaſtica ea ſit, an ciuilis, modò abſtraho) poteſt diſponere, quod ex delicto oppreſſionis virginis amittat ius libertatis quoad matrimonium. Et ſicut lex humana poteſt ob delictum eius dare ius alteri ad eos mille aureos; ita poteſt ob delictum oppreſſionis dare ius virgini oppreſſæ ad matrimonium oppreſſoris. Et ſicut conſilium Chriſti non eſt, quod dones pauperibus eos aureos, in quos alius habet verum ius, ita non eſt conſilium Chriſti, quod ſeruet caſtitatem ille, qui ex proprio delicto, & obligatione reſarciendi damnum datum, incurrit debitum ducendi virginem oppreſſam. Quod autem lex humana prohibeat fieri Eccleſiæ, aut cauſæ piæ donationem eorum bonorum, in quæ nullum ius habet tertius alius, de quo eſt præſens quæſtio; aut quod ad id detur cauſa rationabilis, id contra conſilium Chriſti eſt: ſicut eſt contra conſilium Chriſti prohibere, ne quis ſeruet cœlibatum, dum nulla fœmina habet ius ad matrimonium cum illo ineundum.

Tertium exemplum deſumit à correctione fraterna Ieſuitarum. Oportet verba formalia reproducere, etſi ſuprà relata: [Ad ſanctiſſimam Ieſuitarum Religionem conuerte oculos, in qua ſtatutum laudabile de fraterna correctione, tametſi à Deo conſulta, omittenda. (*Non omittitur in Societate correctio fraterna: frater enim fratrem corrigit, media prudentia Patris.*) Quia fortè ſub illis circumſtantiis à Chriſto non conſulitur; vel ſi conſulitur, debet non ſeruari, cum iure illo ſecreti ceditur: cedit autem, qui legem contrarium præcipientem acceptat. Igitur ſi prudenter Reſpublica inſtituat, ne quis omnia bona Eccleſiæ donet, contra legem ſemel acceptam nulla donatio erit valida.] 34.

Quod ſic poteſt ad formam argumentationis clariorem redigi: Quamvis ſit conſilium Chriſti, ordo ſecretus præmittendus in correctione fraterna, non eſt contra conſilium Chriſti, illum ordinem non ſeruare, ſi cedant iure ſecreti: ergo quamvis conſilium Chriſti ſit, donare omnia bona pauperibus, non erit contra conſilium Chriſti, ſi cedant iure ſuo. Sed qui acceptant legem ciuilem de non donando omnia pauperibus, cedunt iure ſuo illam acceptando: ergo in caſu talis ceſſionis non erit contra conſilium Chriſti, quod non donentur omnia pauperibus, & quod ſtatuto acceptato obligentur ad non donandum omnia pauperibus. 35.

Reſpondeo (quidquid ſit de præcepto, vel conſilio correctionis ſecretæ tradito à Chriſto Domino; de quo videndus eſt P. Petrus Hurtado 2.2. *diſp.* 163. *ſect.* 5. *à ſubſect.* 21. *vſque ad* 27.) admiſſo antecedenti, & negando conſequentiam, & reddendo diſparitatem Sole clariorem. Quæ quidem continetur in his duabus propoſitionibus: prima, *Chriſtus conſulit correctionem ſecretam, ſi non ceſſerint iure ſecreti.* Secunda, *Chriſtus conſulit renuntiationem omnium bonorum, & donationem eorum pauperibus independenter ab eo, quod cedant, vel non cedant iure donandi.* 36.

Diſparitas inter correctionem, & donationem.

Et quia Caramuel admittit primam, veniamus ad ſecundam. B.Franciſcus ingrediens Eccleſiam audiuit in Euangelio id conſilium Chriſti, *Vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus*, &c. & inſpiratione præuentus eſt, vt conſilium Chriſti ſequeretur. Nunquid ceſſaret conſilium Chriſti, & eius inſpiratio, ſi B. Franciſcus diceret: *Ego cedo iure donandi omnia pauperibus.* In nullius prudentis hominis mentem id venire poteſt. 37.

Primò, quia id non conſulit Chriſtus in fauorem iuris donandi, ſed in fauorem animæ tuæ, 38.

Digitized by Google

Chriſtus conſulit, vel præcipit correctionem ſecretam fauore iuris ad ſecretum. Non ita donationem.

tuæ, cui melius eſt præſtare ea, quæ maius Dei obſequium reſpiciunt. Atque ita conſulit correctionem ſecretam, ne violetur ius ſecreti: non autem conſulit donare omnia pauperibus, ne violetur ius, quod quis habet ad donandum, ſed vt perfectius Deo obſequium præſtes.

39. Secundò. Conſilium Chriſti extenditur ad eas circumſtantias, in quibus eſt maius Dei obſequium illam actionem conſultam præſtare, vt conſtat ex dictis, præcipuè poſitione 6. Sed quamvis B. Franciſcus dixiſſet, *ego cedo iure donandi omnia pauperibus*; adhuc maius Dei obſequium præſtaret renuntiando omnia bona, & donando pauperibus: ergo quamvis cederet iure donandi omnia pauperibus, adhuc viget conſilium Chriſti, & ad eas circumſtantias extenditur.

40. Tertiò, quia ſi eodem modo ſe haberent conſilium Chriſti de correctione ſecreta, & conſilium Chriſti de donando omnia pauperibus; ſicut primum eſt conditionale, ita & ſecundum, & hoc ita eſſet: *Vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, ſi iurè donandi non ceſſeris.* Hoc autem abſurdum eſſe, ex terminis patet: & etiam ex ratione, quam ſubiicio. Etenim conſilium conditionale æquiualet diſiunctiuo: & ita iſtud conſilium, *Corrige ſecretò fratrem, niſi ipſe ceſſerit iure ſecreti*; æquiualet virtualiter huic diſiunctiuo: *Corrige ſecretò in caſu, quo ipſe cedat iure ſecreti.* Ergo ſi illud conſilium de donando omnia pauperibus, eſt conditionale, æquiualet quoque diſiunctiuo, hoc pacto: *Da omnia pauperibus, vel cede iure tuo dandi pauperibus.* Vnde cùm Chriſtus conſulat id, quod perfectius eſt, fieret, quod tam perfectum eſſet cedere iure donandi pauperibus, atque donare omnia pauperibus.

Conſilium de correctione ſecreta, eſt conditionale. Non autem conſilium de donatione.

41. Vnde vlteriùs fieret, quod diuites huius ſæculi, qui diuitias amant, poſſent reſpondere, ſe æquè perfectè amplecti conſilium Chriſti, ac illi, qui omnia pauperibus erogarunt. Nam ſi vos, inquiunt, omnia pauperibus dediſtis, & ſic primam partem conſilij diſiunctiui impleuiſtis; nos ſecundam partem eiuſdem conſilij impleuimus, cedendo iure donandi omnia pauperibus.

42. Item adoleſcens ille, cui *Matth.* 19. dixit Chriſtus; *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus*, &c. ſine cauſa abiit triſtis. Potuiſſet enim reſpondere Chriſto: [Domine, ego cedo iure donandi omnia mea pauperibus; ad has enim circumſtantias non extenditur conſilium tuum.] Quo quid abſurdius excogitari poteſt?

43. Ex quibus omnibus clariſſimè conſtat, conſilium de correctione ſecreta eſſe propter ſeruandum ius ſecreti illæſum; ideóque non extendi ad circumſtantias, in quibus corrigendus cedat iure ſecreti: & conſilium de donando omnia pauperibus, non eſſe propter ſeruandum ius donandi; ideóque extendi etiam ad circumſtantias, in quibus quis cedat iure donandi omnia pauperibus. Et memineris, quod ſæpe notaui, non loqui nos de caſu, in quo quis cedat eo iure in fauorem tertij ex contractu, quo obligatus maneat, partem bonorum ei tertio addicere. Nam poſtquam verè ſe obligauit ad dandum ei tertio, non habet locum conſilium Chriſti de donando pauperibus ea bona, vtpote, ad quæ tertius ille habet ius.

Vbi notandum eſt primò, malè procedere argumentum, dum ait: *Cedit autem* (iure ſuo) *qui legem contrarium præcipientem acceptat.* Vbi contendit, per acceptationem legis ciuilis, quæ interdicit donationem omnium bonorum Eccleſiæ faciendam, te cedere iure donandi; atque adeò manere obligatum ad non donandum. 44.

45. Reſpondeo enim, ibi eſſe duo iura: vnum donatoris, alterum Eccleſiæ acceptaturæ: habet enim Eccleſia ius, ne quis per vim impediat, quidquid ſibi eſt donabile. Poteris ergo acceptando legem (do, & non concedo) cedere iure tuo; non tamen poteris cedere iure Eccleſiæ, cui iuri lex infert vim, quia id ius non eſt tuum. Vide infrà *art.* 4. *num.* 51.

Per acceptationem legis, licèt quis cedat iure ſuo, non tamen iure Eccleſiæ.

46. Nota ſecundò, in illis verbis Caramuelis, [Igitur ſi prudenter Reſpublica inſtituat, ne quis omnia bona donet Eccleſiæ:] perperam poſitam eſſe eam dictionem *Prudenter.* Falsò enim ſupponit, id prudenter poſſe à Republica inſtitui; eo fundamento nixus, quòd fideles poſſint cedere iure donandi omnia pauperibus; & conſilium Chriſti non extendi ad caſum eius ceſſionis: cùm tam clarè conſtet, hoc fundamentum eſſe falſum, & abſurdum.

47. Confirmationem huius argumenti, quam ſubdit Caramuel, non eſſe ad rem, conſtat ex poſitione quinta. Authores enim dum affirmant, poſſe quemlibet donare omnia pauperibus ex conſilio Chriſti, & ad id impediri non poſſe iure ciuili communi, vel prouinciali, ſupponunt, quod ſi antecedenter ad eam donationem omnium bonorum, filij, parentes, vel cognati, aut quicumque alij habeant ius ad ea bona, non poſſunt facere donationem eorum; neque quod Chriſtus conſuluerit, vt donet pauperibus ea, de quibus non poteſt liberè diſponere ſine iniuria alterius.

48. Quare dum ait: [Si lex iubeat, vt ſaltem mediam bonorum partem des cognatis ſæcularibus, & tu hanc legem acceptas, ipſa te obligatione publica obligas: ergo & cognati ſæculares adquirunt ius,] &c. omittendum eſt totum. Si enim cognati verè adquiſierunt ius, illa bonorum medietas non eſt omninò tua, neque talis, vt poſſis de illa liberè diſponere. Et cum hoc ſtat, quod poſſis donare pauperibus ea omnia, quæ omnino tua ſunt; non verò ea, quæ aliqua ratione ſunt aliena.

ARTICVLVS IV.

Duo corollaria ex dictis.

INferes primò, etſi eſſet probabilis probabilitate directa oppoſita doctrina, nempe, quod poſſit ius ciuile impedire, ne quis donet omnia bona ſua Eccleſiæ, eam tamen probabilitatem limitari reflexè per legem canonicam, quæ præſcribit legem fauorabilem Religioni ampliandam eſſe, & odioſam Religioni reſtringendam; iuxta ea, quæ docui *diſputat.* 17. Quod etiam videtur adnotaſſe P. Fagundez *lib.* 4. *de Iuſt. cap.* 10. *num.* 10. 49.

A principio reflexo eſt certò falſa opinio, quæ excludit donationem omnium bonorum, Eccleſiæ.

Inferes ſecundò, prædictam doctrinam oppoſitam, 50.

Digitized by Google

Oppoſita opinio eſt aduerſa immunitati.

oppoſitam, eſſe aduerſam immunitati Eccleſiaſticæ. Etenim leges diſponentes contra ius Eccleſiæ, lædunt immunitatem Eccleſiaſticam, vt ex *cap. Nouerit, de ſentent. excommun.* & multis ſacris Canonibus conſtat, renouatis à Tridentino *ſeſſ. 25. cap. 20. de Reformat.* & præcipuè ex Bulla quotannis promulgata in die Cœnæ Domini, vbi excommunicantur, [Qui ſtatuta, ordinationes, conſtitutiones, præeminentias, ſeu quæuis alia decreta in genere, vel in ſpecie, ex quauis cauſa, & quouis quæſito colore, atque etiam prætextu cuiuſvis conſuetudinis, aut priuilegij, vel aliàs quomodolibet, fecerint, ordinauerint, vel publicauerint, vel factis & ordinatis vſi fuerint, *vnde libertas Eccleſiaſtica tollitur*, ſeu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut alias quouis modo reſtringitur.] De quo vide P. Suarez *tom. 5. in 3. part. diſput. 11. ſection. 2. à numero 79.* & *lib. 3. de legib. cap. 34. n. 2.*

51. Atqui ſicut quilibet habet ius, ne quis vi, vel dolo impediat donationes ſibi licitè, & validè factibiles; ita & Eccleſia. Et cùm conſtet ex dictis, licitè, & validè fieri poſſe Eccleſiæ donationem omnium bonorum, vtique Eccleſia habet ius, ne quis per vim, vel dolum, eam ſibi faciendam impediat. Lex ergo ciuilis, quæ interdixerit donationem omnium bonorum Eccleſiæ faciendam, vim facit, & per vim impedit eiuſmodi donationem: ergo ius Eccleſiæ violat: ergo doctrina, quæ tradit poſſe legem ciuilem interdicere eiuſmodi donationem Eccleſiæ faciendam, aduerſa eſt prædictæ immunitati.

52. Itaque lex ciuilis, quæ prohibet donationem omnium bonorum, non exprimendo donationem Eccleſiæ faciendam, non eſt aduerſa immunitati; quia dum vniuerſaliter loquitur, intelligenda eſt iuxta materiam ſibi ſubditam; & ideò extra caſum in Euangelio conſultum. Si autem lex interdicat expreſsè, aut ſub aliquo modo implicito donationem omnium bonorum Eccleſiæ faciendam, ius Eccleſiæ lædit, & immunitati Eccleſiaſticæ planè aduerſatur.

CAPVT II.

Pro ſecunda parte diſputationis refertur ſententia negans, poſſe patrem eleemoſynam facere in præiudicium legitimæ filiorum.

53. QVia Caramuel in extrema clauſula relata, nempe in confirmatione, tanquam indubitatum ſupponere videtur, legem præcipientem, vt mediam bonorum partem des cognatis, ſi acceptetur, conferre ius cognatis ad prædictam medietatem bonorum; oportet rem altiùs diſcutere, & verſare eam quæſtionem, his temporibus non parum controuerſam; an leges ciuiles poſſint conferre ius filiis, aut parentibus ad aliquam bonorum quotam iure naturali indebitam in præiudicium cauſæ piæ? Vel potiùs, an non obſtante diſpoſitione legum ciuilium circa legitimam filiorum, vel parentum, poſſint parentes, vel filij ſumptus facere in fauorem cauſæ piæ, & in præiudicium legitimæ filiorum, vel parentum.

54. Dixi, illud videri ſupponi à Caramuele tanquam indubitatum, propter ea, quæ notaui *cap. præcedent. articul. 1. num. 4.* affirmat enim, illam ſententiam *non poſſe defendi*, (id eſt non eſſe probabilem) *ſtando prouinciarum legibus ſpecialibus.* Quod in ea extrema clauſula confirmat ex eo, quod lex ſpecialis acceptata de danda cognatis ſæcularibus tali quota bonorum, det ius prædictis cognatis in eam bonorum partem.

55. Præmittendum ergo eſt, iuxta leges ciuiles huius Regni Caſtellæ, Patrem non poſſe diſponere vltra quintum in vita, aut in morte, de bonis ſuis; quia quatuor aliæ partes ex diſpoſitione prædictarum legum pertinent ad legitimam filiorum. Item filium, qui caret liberis, habet tamen ſuperſtites parentes, aut vtrumlibet horum, non poſſe diſponere de bonis ſuis vltra tertium: nam duæ aliæ tertiæ partes iure huius Regni pertinent ad aſcendentes.

Pater non poteſt diſponere de bonis ſuis, vltra quintum.

56. Quare communis Iuriſperitorum opinio eſt, non poſſe patrem inſumere vltra quintum bonorum in opera pia, in præiudicium legitimæ filiorum, in hoc Regno: & in quolibet Regno, vltra eam quantitatem, de qua poteſt iuxta eius Regni leges liberè diſponere. Ita Ioannes Gutierrez *lib. 3. practicar. quæſt. 61.* & *tract. de iuram. part. 1. cap. 5. n. 28.* Rodericus Suar. *lege quoniam in prioribus, in declaratione legis Regni, limitatione 1. Cod. de inofficioſo teſtament.* Baëza *de non meliorandis filiabus, cap. 27. num. 9.* Azeuedo *lib. 5. nouæ compilationis, tit. 6. leg. 1. n. 67.* quos refert, & ſequitur P. Thom. Sanchez *lib. 6. de Matrim. diſp. 36. num. 6.*

Sententia negans.

57. Eiuſdem ſententiæ ſunt omnes illi, qui dicunt, non poſſe filium profitentem in Religione, relinquere bona ſua Monaſterio in præiudicium legitimæ parentum, ſed parentibus deberi ſuam integram legitimam. Ita P. Thom. Sanchez *lib. 7. ſum. cap. 9. num. 19.* & apud ipſum P. Leſſius, P. Molina, Rodriguez, Ludouicus Lopez, & ex Iuriſperitis Placentinus, Odofredus, Burrigarius, Bartolus, Albericus, Paulus, Salicetus, Iaſon, Speculator, Baldus, Cardinalis, Innocentius, Ioannes Andr. Hoſtienſis, Antonius, Abbas, Bellamera, Beroius, Nauarrus, Bertrandus, Gregorius Lopez, Menchaca, Molina Iuriſconſultus, Rojas, Aſcanius Clemens, Auendaño iunior, Azeuedo, Tapia, Gutierrez, Benedictus Ægid. Ioan. de Monteſperello, Caſtillo, Velaſco, Villadiego iunior, Lælius Zecchius, Ceuallos; & ex Summiſtis Angelus, Sylueſter, Tabiena, & Armilla.

58. Mouentur primò *ex cap. fin. 17. quæſt. 4.* vbi S. Auguſtinus (*ſerm. 49. de diuerſis, cap. 4.*) ait: *Quicunque vult, exhæredato filio, hæredem facere Eccleſiam, quærat alterum, qui ſuſcipiat, non Auguſtinum: imò Deo propitio neminem inueniet. Quàm laudabile factum Sancti, & venerandi Epiſcopi Aurelij Carthaginenſis! quo modo impleuit os omnium, qui ſciunt, laudibus Dei. Quidam enim cùm filios non haberet, nec ſperaret, res ſuas omnes, retento ſibi vſufructu, donauit Eccleſiæ. Nati ſunt ei filij poſteà, & reddidit Epiſcopus, nec etiam opinanti illi, quæ donauerat. In poteſtate habebat Epiſcopus non reddere, ſed iure fori, non iure poli.* Ex quibus conſtat, patrem non poſ-

ſe,

Digitized by Google

ſe, exhæredato filio, hæredem facere Eccleſiam: & iure poli non poſſe retinere Eccleſiam bona ſtabilia ſibi donata à Titio antequam ei naſcerentur filij, ſi poſteà ei ſuperueniant: ergo multò minùs licebit Titio donare Eccleſiæ bona in præiudicium filiorum iam exiſtentium.

59. Mouentur ſecundò, quia leges Cæſareæ, & ſpeciales huius Regni determinant quotam, in qua filij neceſſariò hæredes inſtituendi ſunt, & ſpecialiter *leg. 3. Tauri*, diſponitur, legatum pro ſacrificiis celebrandis, & alia legata pia, ex quinto bonorum deducenda eſſe, quando Teſtator habet liberos ſuperſtites: hæ tamen leges iuſtæ ſunt, & vt tales conferunt ius filiis, vt pater non valeat eam quantitatem ab eis auferre, niſi quando exhæredatione digni ſunt; alioqui poſſet pater auferre eam quantitatem legitimam, & donare extraneo ſine iniuria filiorum; quod eſt abſurdum: ergo tales leges omninò in conſcientia ſeruandæ ſunt.

60. Mouentur tertiò: etenim non placent Deo eleemoſynæ ex bonis alienis, aut ex illis, ad quæ alij ius habent; nam ſi debeo Petro centum, non poſſum ea à Petro auferre, vt dem pauperibus; ſed legitima eſt debita filiis non minùs, quàm æs alienum creditori: ergo non poteſt pater eam à filiis auferre, vt det pauperibus; neque hæc eleemoſyna Deo placere poteſt.

61. Mouentur quartò, quia pater non poteſt facere donationes remuneratorias, quæ ſolùm ex gratitudine debentur pro obſequiis ſibi præſtitis in præiudicium legitimæ filiorum, vt docet P. Thomas Sanch. *lib. 6. de Matrim. diſp. 36. num. 4.* cum pluribus aliis: & tamen donatio remuneratoria magis obligatoria eſt, quàm eleemoſyna: ergo multò minùs poterit eleemoſynas facere in præiudicium legitimæ filiorum.

62. Mouentur quartò: nam legitima eſt iure naturali debita tam filiis, quàm parentibus; vt latè defendit Annæus Robertus *lib. 1. rerum iudicatar. cap. 1.* & habetur *leg. vltim. Cod. quorum bonorum*, ibi: *Et lex ipſa natura ſucceſſores eos facit.* Et *Authent. de hæredibus, & falcid. §. primum itaque, collat. 1. Primum itaque illud eſt cogitandum, quia teſtantibus aliis quidem neceſſitatem imponit lex diſtribuere quandam partem perſonis quibuſdam, tanquam hoc ſecundùm ipſam naturam eis debeatur, quale eſt filiis, & nepotibus, & patribus, atque matribus.* Et *cap. Si pater, de teſtament. in 6. Licèt autem filius teſtamento ſuo matrem portione iure naturæ debita priuare non poſſit.* Vbi loquitur de hæreditate matris, & in caſu, quo pauperes ſubſtituti ſunt. Et *leg. 1. tit. 11. partit. 6. Mas ſi los herederos fueſſen de los que decienden, ò ſuben por linea derecha del facedor del teſtamento; aque llaman en Latin debitum iure naturæ.* Quod ſic in Latinum vertes: [Sed ſi hæredes ſint ex deſcendentibus, vel aſcendentibus per lineam rectam teſtatoris: quod Latinè appellatur debitum iure naturæ.] Ergo cùm pater iure naturæ teneatur ad legitimam, & non ad eleemoſynas, non licet patri eleemoſynas facere in præiudicium eius, quod debetur iure naturæ.

63. Mouentur ſextò *ex Authent. ſi qua mulier, Cod. de Sacroſanctis Eccleſ.* ibi: *Si perſona liberos habens, antequam de rebus ſuis inter eos diſponat, Monaſterium intret, liceat ei poſteà inter eos diuidere, legitima portione nulli diminuta; & quod eis non dederit, Monaſterio competet.* Et idem habetur *leg. 17. titul. 1. partit. 6.* Et idem ſtatuitur *in Authent. vt nulli iudicum, §. adulteram, collat. 9.* ſed donatio facta Monaſterio, eſt opus pium: ergo non licet diminuere legitimam filiorum, aut parentum, vt detur in opus pium.

64. Neque valet dici, diſpoſitionem iuris ciuilis, qualis eſt hæc, non poſſe ſphæram ſuam protendere ad loca religioſa, & Eccleſiaſtica. Tum, quia hæc Authentica inſerta eſt in iure canonico, ſcilicet in decreto Gratiani, *cap. ſi qua mulier. 19. quæſt. 3.* Tum etiam quia, vt ait P. Thom. Sanch. citatus *eo cap. 9. n. 7.* illa Authentica habet tacitam approbationem Pontificum.

65. Mouentur ſeptimò, quia alimenta iure naturæ debita ſunt filiis, & parentibus: legitima autem ſucceſſit loco alimentorum: ergo legitima debita eſt iure naturæ: ergo illa minui non poteſt propter eleemoſynas faciendas; cùm debitum iure naturæ non debeat cedere voluntariæ donationi.

66. Mouentur octauò ex Euangelio Matthæi *cap. 15.* vbi cùm Phariſæi, & Sacerdotes ſuaderent hominibus auferre à parentibus ſuis, vt donarent Templo, & Sacerdotibus, aſſerentes, eos quidem ſatisfacere obligationi honorandi parentes, ſi Deo, & Templo darent, quæ parentibus daturi erant, quia parentibus id proderat ad ſalutem animæ; Chriſtus Dominus eos grauiter corripit, dicens: *Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram? Nam Deus dixit: Honora patrem, & matrem: & qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur. Vos autem dicit: Quicumque dixerit patri, vel matri, Munus quodcumque ex me tibi proderit: & non honorificabit patrem ſuum, [aut matrem ſuam: & irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram.* Ergo contra ius diuinum eſt defraudare parentes legitima ipſis debita, vt detur pauperibus.

67. Denique confirmatur hæc ſententia ea extrema periodo Caramuelis relata *cap. præced. art. 1.* Nam ſi lex ciuilis præcipiat, vt talem quotam bonorum relinquas filiis, & tu acceptas hanc legem, ipſa acceptatione te obligas ad dandum filiis eam quotam: ergo filij adquirunt ius in eam quotam: ergo ſi partem eius quotæ donas pauperibus, donas illis bona, quæ ſunt filiorum; atque adeò cum iniuria illorum.

68. Hæc ſententia probabilis eſt, propter magnam authoritatem, qua fulcitur, & propter rationes non leues. Adhuc tamen oppoſitam cenſeo probabiliorem, quam iam explico, & confirmo.

CAPVT III.

Præmittitur, patrem non poſſe inſumere in cauſas pias in præiudicium alimentorum, quæ filiis debet.

69. PRæmittendum ergo eſt tanquam certum, patrem non poſſe facere eleemoſynas, ne-

Oppoſita opinio eſt aduerſa immunitati. oppoſitam, eſſe aduerſam immunitati Eccleſiaſticæ. Etenim leges diſponentes contra ius Eccleſiæ, lædunt immunitatem Eccleſiaſticam, vt ex *cap. Nouerit, de ſentent. excommun.* & multis ſacris Canonibus conſtat, renouatis à Tridentino *ſeſſ. 25. cap. 20. de Reformat.* & præcipuè ex Bulla quotannis promulgata in die Cœnæ Domini, vbi excommunicantur, [Qui ſtatuta, ordinationes, conſtitutiones, præeminentias, ſeu quæuis alia decreta in genere, vel in ſpecie, ex quauis cauſa, & quouis quæſito colore, atque etiam prætextu cuiuſvis conſuetudinis, aut priuilegij, vel alias quomodolibet, fecerint, ordinauerint, vel publicauerint, vel factis & ordinatis vſi fuerint, *vnde libertas Eccleſiaſtica tollitur*, ſeu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut alias quouis modo reſtringitur.] De quo vide P. Suarez *tom. 5. in 3. part. diſput. 11. ſection. 2. à numero 79. & lib. 3. de legib. cap. 34. n. 2.*

51. Atqui ſicut quilibet habet ius, ne quis vi, vel dolo impediat donationes ſibi licitè, & validè factibiles; ita & Eccleſia. Et cùm conſtet ex dictis, licitè, & validè fieri poſſe Eccleſiæ donationem omnium bonorum, vtique Eccleſia habet ius, ne quis per vim, vel dolum, eam ſibi faciendam impediat. Lex ergo ciuilis, quæ interdixerit donationem omnium bonorum Eccleſiæ faciendam, vim facit, & per vim impedit eiuſmodi donationem: ergo ius Eccleſiæ violat: ergo doctrina, quæ tradit poſſe legem ciuilem interdicere eiuſmodi donationem Eccleſiæ faciendam, aduerſa eſt prædictæ immunitati.

52. Itaque lex ciuilis, quæ prohibet donationem omnium bonorum, non exprimendo donationem Eccleſiæ faciendam, non eſt aduerſa immunitati; quia dum vniuerſaliter loquitur, intelligenda eſt iuxta materiam ſibi ſubditam; & ideò extra caſum in Euangelio conſultum. Si autem lex interdicat expreſsè, aut ſub aliquo modo implicito donationem omnium bonorum Eccleſiæ faciendam, ius Eccleſiæ lædit, & immunitati Eccleſiaſticæ planè aduerſatur.

CAPVT II.

Pro ſecunda parte diſputationis refertur ſententia negans, poſſe patrem eleemoſynam facere in præiudicium legitimæ filiorum.

53. QVia Caramuel in extrema clauſula relata, nempe in confirmatione, tanquam indubitatum ſupponere videtur, legem præcipientem, vt mediam bonorum partem des cognatis, ſi acceptetur, conferre ius cognatis ad prædictam medietatem bonorum; oportet rem altiùs diſcutere, & verſare eam quæſtionem, his temporibus non parum controuerſam; an leges ciuiles poſſint conferre ius filiis, aut parentibus ad aliquam bonorum quotam iure naturali indebitam in præiudicium cauſæ piæ? Vel potiùs, an non obſtante diſpoſitione legum ciuilium circa legitimam filiorum, vel parentum, poſſint parentes, vel filij ſumptus facere in fauorem cauſæ piæ, & in præiudicium legitimæ filiorum, vel parentum.

Dixi, illud videri ſupponi à Caramuele tanquam indubitatum, propter ea, quæ notaui *cap. præcedent. articul. 1. num. 4.* affirmat enim, illam ſententiam *non poſſe defendi*, (id eſt non eſſe probabilem) *ſtando prouinciarum legibus ſpecialibus.* Quod in ea extrema clauſula confirmat ex eo, quod lex ſpecialis acceptata de danda cognatis ſæcularibus tali quota bonorum, det ius prædictis cognatis in eam bonorum partem. 54.

Præmittendum ergo eſt, iuxta leges ciuiles huius Regni Caſtellæ, Patrem non poſſe diſponere vltra quintum in vita, aut in morte, de bonis ſuis; quia quatuor aliæ partes ex diſpoſitione prædictarum legum pertinent ad legitimam filiorum. Item filium, qui caret liberis, habet tamen ſuperſtites parentes, aut vtrumlibet horum, non poſſe diſponere de bonis ſuis vltra tertium: nam duæ aliæ tertiæ partes iure huius Regni pertinent ad aſcendentes. 55. *Pater non poteſt diſponere de bonis ſuis, vltra quintum.*

Quare communis Iuriſperitorum opinio eſt, non poſſe patrem inſumere vltra quintum bonorum in opera pia, in præiudicium legitimæ filiorum, in hoc Regno: & in quolibet Regno, vltra eam quantitatem, de qua poteſt iuxta eius Regni leges liberè diſponere. Ita Ioannes Gutierrez *lib. 3. practicar. quæſt. 61. & tract. de iuram. part. 1. cap. 5. n. 28.* Rodericus Suar. *lege quoniam in prioribus, in declaratione legis Regni, limitatione 1. Cod. de inofficioſo teſtament.* Baeza *de non meliorandis filiabus, cap. 27. num. 9.* Azeuedo *lib. 5. nouæ compilationis, tit. 6. leg. 1. n. 67.* quos refert, & ſequitur P. Thom. Sanchez *lib. 6. de Matrim. diſp. 36. num. 6.* 56. *Sententia negans.*

Eiuſdem ſententiæ ſunt omnes illi, qui dicunt, non poſſe filium profitentem in Religione, relinquere bona ſua Monaſterio in præiudicium legitimæ parentum, ſed parentibus deberi ſuam integram legitimam. Ita P. Thom. Sanchez *lib. 7. ſum. cap. 9. num. 19.* & apud ipſum P. Leſſius, P. Molina, Rodriguez, Ludouicus Lopez, & ex Iuriſperitis Placentinus, Odofredus, Burrigarius, Bartolus, Albericus, Paulus, Salicetus, Iaſon, Speculator, Baldus, Cardinalis, Innocentius, Ioannes Andr. Hoſtienſis, Antonius, Abbas, Bellamera, Beroius, Nauarrus, Bertrandus, Gregorius Lopez, Menchaca, Molina Iuriſconſultus, Rojas, Aſcanius Clemens, Auendaño iunior, Azeuedo, Tapia, Gutierrez, Benedictus Ægid. Ioan. de Monteſperello, Caſtillo, Velaſco, Villadiego iunior, Lælius Zecchius, Ceuallos; & ex Summiſtis Angelus, Syluester, Tabiena, & Armilla. 57.

Mouentur primò *ex cap. fin. 17. quæſt. 4.* vbi S. Auguſtinus (*ſerm. 49. de diuerſis, cap. 4.*) ait: *Quicumque vult, exhæredato filio, hæredem facere Eccleſiam, quærat alterum, qui ſuſcipiat, non Auguſtinum: imò Deo propitio neminem inueniet. Quàm laudabile factum Sancti, & venerandi Epiſcopi Aurelij Carthaginenſis! quo modo impleuit os omnium, qui ſciunt, laudibus Dei. Quidam enim cùm filios non haberet, nec ſperaret, res ſuas omnes, retento ſibi vſufructu, donauit Eccleſiæ. Nati ſunt ei filij poſteà, & reddidit Epiſcopus, nec etiam opinanti illi, quæ donauerat. In poteſtate habebat Epiſcopus non reddere, ſed iure fori, non iure poli.* Ex quibus conſtat, patrem non poſſe, 58.

Digitized by Google

ſe, exhæredato filio, hæredem facere Eccleſiam: & iure poli non poſſe retinere Eccleſiam bona ſtabilia ſibi donata à Titio antequam ei naſcerentur filij, ſi poſteà ei ſuperueniant: ergo multò minùs licebit Titio donare Eccleſiæ bona in præiudicium filiorum iam exiſtentium.

59. Mouentur ſecundò, quia leges Cæſareæ, & ſpeciales huius Regni determinant quotam, in qua filij neceſſariò hæredes inſtituendi ſunt, & ſpecialiter *leg. 3. Tauri*, diſponitur, legatum pro ſacrificiis celebrandis, & alia legata pia, ex quinto bonorum deducenda eſſe, quando Teſtator habet liberos ſuperſtites: hæ tamen leges iuſtæ ſunt, & vt tales conferunt ius filiis, vt pater non valeat eam quantitatem ab eis auferre, niſi quando exhæredatione digni ſunt; alioqui poſſet pater auferre eam quantitatem legitimam, & donare extraneo ſine iniuria filiorum; quod eſt abſurdum: ergo tales leges omninò in conſcientia ſeruandæ ſunt.

60. Mouentur tertiò: etenim non placent Deo eleemoſynæ ex bonis alienis, aut ex illis, ad quæ alij ius habent; nam ſi debeo Petro centum, non poſſum ea à Petro auferre, vt dem pauperibus: ſed legitima eſt debita filiis non minùs, quàm æs alienum creditori: ergo non poteſt pater eam à filiis auferre, vt det pauperibus; neque hæc eleemoſyna Deo placere poteſt.

61. Mouentur quartò, quia pater non poteſt facere donationes renumeratorias, quæ ſolùm ex gratitudine debentur pro obſequiis ſibi præſtitis in præiudicium legitimæ filiorum, vt docet P. Thomas Sanch. *lib. 6. de Matrim. diſp. 36. num.* 4. cum pluribus aliis: & tamen donatio renumeratoria magis obligatoria eſt, quàm eleemoſyna: ergo multò minùs poterit eleemoſynas facere in præiudicium legitimæ filiorum.

62. Mouentur quartò: nam legitima eſt iure naturali debita tam filiis, quàm parentibus; vt latè defendit Annæus Robertus *lib. 1. rerum iudicatar. cap. 1.* & habetur *leg. vltim. Cod. quorum bonorum*, ibi: *Et lex ipſa natura ſucceſſores eos facit.* Et *Authent. de heredibus, & falcid. §. primum itaque, collat. 1. Primum itaque illud eſt cogitandum, quia teſtantibus aliis quidem neceſſitatem imponit lex diſtribuere quandam partem perſonis quibuſdam, tanquam hoc ſecundum ipſam naturam eis debeatur, quale eſt filiis, & nepotibus, & patribus, atque matribus.* Et *cap. Si pater, de teſtament. in 6. Licèt autem filius teſtamento ſuo matrem portione iure naturæ debita priuare non poſſit.* Vbi loquitur de hæreditate matris, & in caſu, quo pauperes ſubſtituti ſunt. Et *leg. 1. tit. 11. partit. 6. Mas ſi los herederos fueſſen de los que deciendem, ò ſuben por linea derecha del ſucedor del teſtamento; aque llaman en Latin debitum iure naturæ.* Quod ſic in Latinum vertes: [Sed ſi hæredes ſint ex deſcendentibus, vel aſcendentibus per lineam rectam teſtatoris: quod Latinè appellatur debitum iure naturæ.] Ergo cùm pater iure naturæ teneatur ad legitimam, & non ad eleemoſynas, non licet patri eleemoſynas facere in præiudicium eius, quod debetur iure naturæ.

63. Mouentur ſextò *ex Authent. ſi qua mulier, Cod. de Sacroſanctis Eccleſ.* ibi: *Si perſona liberos habens, antequam de rebus ſuis inter eos diſponat, Monaſterium intret, liceat ei poſteà inter eos diuidere, legitima portione nulli diminuta; & quod eis non dederit, Monaſterio competet.* Et idem habetur *leg. 17. titul. 1. partit. 6.* Et idem ſtatuitur *in Authent. vt nulli iudicum, §. adulteram, collat. 9.* ſed donatio facta Monaſterio, eſt opus pium: ergo non licet diminuere legitimam filiorum, aut parentum, vt detur in opus pium.

64. Neque valet dici, diſpoſitionem iuris ciuilis, qualis eſt hæc, non poſſe ſphæram ſuam protendere ad loca religioſa, & Eccleſiaſtica. Tum, quia hæc Authentica inſerta eſt in iure canonico, ſcilicet in decreto Gratiani, *cap. ſi qua mulier. 19. quæſt. 3.* Tum etiam quia, vt ait P. Thom. Sanch. citatus *eo cap. 9. n. 7.* illa Authentica habet tacitam approbationem Pontificum.

65. Mouentur ſeptimò, quia alimenta iure naturæ debita ſunt filiis, & parentibus: legitima autem ſucceſſit loco alimentorum: ergo legitima debita eſt iure naturæ: ergo illa minui non poteſt propter eleemoſynas faciendas; cùm debitum iure naturæ non debeat cedere voluntariæ donationi.

66. Mouentur octauò ex Euangelio Matthæi *cap. 15.* vbi cùm Phariſæi, & Sacerdotes ſuaderent hominibus auferre à parentibus ſuis, vt donarent Templo, & Sacerdotibus, aſſerentes, eos quidem ſatisfacere obligationi honorandi parentes, ſi Deo, & Templo darent, quæ parentibus daturi erant, quia parentibus id proderat ad ſalutem animæ; Chriſtus Dominus eos grauiter corripit, dicens: *Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram? Nam Deus dixit: Honora patrem, & matrem: & qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur. Vos autem dicit: Quicumque dixerit patri, vel matri, Munus quodcumque ex me tibi proderit: & non honorificabit patrem ſuum, aut matrem ſuam: & irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram.* Ergo contra ius diuinum eſt defraudare parentes legitima ipſis debita, vt detur pauperibus.

67. Denique confirmatur hæc ſententia ea extrema periodo Caramuelis relata *cap. præced. art. 1.* Nam ſi lex ciuilis præcipiat, vt talem quotam bonorum relinquas filiis, & tu acceptas hanc legem, ipſa acceptatione te obligas ad dandum filiis eam quotam; ergo filij adquirunt ius in eam quotam: ergo ſi partem eius quotæ donas pauperibus, donas illis bona, quæ ſunt filiorum; atque adeò cum iniuria illorum.

68. Hæc ſententia probabilis eſt, propter magnam authoritatem, qua fulcitur, & propter rationes non leues. Adhuc tamen oppoſitam cenſeo probabiliorem, quam iam explico, & confirmo.

CAPVT III.

Præmittitur, patrem non poſſe inſumere in cauſas pias in præiudicium alimentorum, quæ filiis debet.

69. PRæmittendum ergo eſt tanquam certum, patrem non poſſe facere eleemoſynas, ne-

que inſumere in cauſas pias in graue præiudicium alimentorum, quæ filiis debet, niſi filij aliunde habeant, vnde competenter alantur ipſi, & domeſtici ſui præſentes, & futuri. Hæc concluſio eſt de mente omnium Doctorum, tum eorum, qui dicunt, patrem non poſſe inſumere aliquid in cauſas pias in præiudicium legitimæ filiorum; quos citaui *cap. præced.* Tum præcipuè eorum, qui docent, alimenta eſſe debita filiis ſtrictiſſimo iure naturæ. In hoc enim nulla eſt controuerſia inter Authores, tam Theologos, quàm iuris vtriuſque conſultos. Et idem eſt de alimentis, quæ filij debent parentibus, ad quæ præſtanda obſtringuntur iure Decalogi diuino, dum iubentur honorare parentes.

70. *Alimenta ſunt, quæ requiruntur ad vitam, & ad ſtatum.*

Vbi obſeruandum eſt, nomine alimentorum non intelligi ea dumtaxat, quæ ad vitæ ſuſtentationem requiſita ſunt, ſed ea etiam, quæ ad ſtatum ſuum conſeruandum. Quia tamen ea vox *ſtatus*, magnam habere ſolet latitudinem, non intelligendum eſt, eſſe filiis debita iure naturæ alimenta, ad ſuperbiam, & vanitatem actionum ſuſtinendam; ſed quæ ſufficiant tum ad alendam commodè vitam ſuam, & ſuorum: tum etiam vt degant inter æquales ſuos abſque ignominia.

71. *In modicum præiudicium alimentorum poteſt.*

Dixi, non poſſe inſumere in cauſas pias *in præiudicium graue* alimentorum. Nam eleemoſynas, quæ ſint in modicum præiudicium alimentorum, non prohibentur facere parentes. Nam id, quod modicum eſt, non reputatur præiudicium.

72. *Quomodo alimenta filij includat alimentam domeſticorum eius?*

Dixi etiam, deberi alimenta *pro ipſis filiis, & domeſticis ſuis.* Quod non ita intelligendum eſt, vt debeantur pro alendis domeſticis, quorquot tales filij alere voluerint; ſed quotquot iuxta ſtatum ſuum ſibi neceſſarij ſunt ad honeſta commoda vitæ.

73. *Et quomodo id ſit etiam pro domeſticis futuris?*

Dixi præterea, deberi alimenta filiis *pro domeſticis eorum præſentibus, & futuris.* Nam ſi filius duxit vxorem, vel ducturus ſit, debet pater relinquere filio, vnde poſſit *partim* alere filios, qui geniti fuerint; & domeſticos ad eorum educationem neceſſarios: *partim* dixi ad menſuram prudentiæ; cùm etiam partim alendi ſint ex dote, & partim ex induſtria filij, quam debet ad filios, qui ei naſcentur, adhibere.

74. *Diſcrimē inter alimenta & legitimā.*

Hinc conſtat, magnam eſſe diuerſitatem inter alimenta debita filiis, & inter legitimam. Primò, quia alimenta ſunt dumtaxat ea, quæ requiruntur ad alendam vitam, & ſuſtinendum ſtatum: legitima autem eſt integra quota deſignata à lege, quantumvis plurimùm excedat quantitatem ad alimenta requiſitam. Secundò. Alimenta iure naturæ ſunt debita filiis: legitima autem ſi excedat alimenta, quoad eum exceſſum non debetur iure naturæ, ſed iure humano ita diſponente.

75. Eſt ergo quæſtio præſens, an pater poſſit inſumere in opera pia in præiudicium legitimæ filiorum, quatenus hæc legitima excedit alimenta iure naturæ debita?

76. *Quæſtio non habet locum in ſubſtantia mediocri, ſed in exorbitantia.*

Et quidem in praxi non habet locum quæſtio caſu, quo pater habeat mediocrem bonorum quantitatem; præcipuè ſi pater plures habeat liberos. Nam ſi hæc quantitas bonorum mediocris eſt reſpectu parentis, cum tota quantitas bonorum contineatur intra terminos vnius domus, non eſt credibile, quod excedat alimenta requiſita filiorum, dum filij aſſumant ſtatum, & in plures domos ea quantitas diuidenda ſit. Quare in praxi hæc quæſtio ſolùm habet locum, quando quantitas bonorum parentis eſt apertè exorbitans. V. g. ſi Petrus ſit ex communi ſtatu nobilium, & habeat annua decem millia aureorum, habeatque vnum, vel duos liberos, quibus ſingulis ad alimenta iuxta ſtatum ſuum ſufficerent mille aurei; an in præiudicium prædictæ exceſſiuæ legitimæ, poſſit ſumptus facere notabiles in eleemoſynas, & opera pia. Et idem eſt de filio prædiuite reſpectu legitimæ parentum.

CAPVT IV.

Propugnatur pars affirmatiua quæſtionis.

Aſſero ergo, ſententiam eſſe probabiliorem, quæ affirmat, patrem inſumere poſſe magnas quantitates in eleemoſynas, & opera pia, in præiudicium legitimæ filiorum, quà hæc dicit exceſſum ſupra alimenta iure naturæ debita. Ita Nauarrus *in ſumma cap.* 26. *num.* 39. *ad* 4. Cui aſſertioni hæc verba ſuperaddit: [Per quam conſiderationem bis defendimus à murmure quorumdam eruditorum illuſtriſſimam, eamque pientiſſimam Dominam Mariam de Mendoza, quæ iuuandis piis operibus, & elargiendis multis, & magnis eleemoſynis cuiuſque ordinis pauperibus Deo deuotis, & ſæcularibus, ſuperare mihi videtur omnes, quotquot à quinque ſæculis viderim, audierim, & legerim, etiam Reges, & Reginas, optimo cum exemplo ſæcularium Magnatum, & non parua reprehenſione Eccleſiaſticorum, in ea re plus ſatis dormitantium.] 77. *Pater poteſt donare cauſa pia in præiudicium legitimæ.* Nauarrus.

Eandem ſententiam propugnat Ludouicus Lopez *in Inſtructorio conſcientiæ* 1. *part. cap.* 170. *concluſ.* 7. & *in Inſtruct. negotiant. lib.* 2. *cap.* 42. §. *Præterea.* Emanuel Rodriguez *tom.* 1. *Sum. cap.* 93. *num.* 2. Vega *part.* 2. *cap.* 22. *verb. Legitima*, *caſu* 5. Marcus Antonius Genuenſis *in practicabilibus*, *quæſt.* 168. docens, legata pia minuere legitimam. Corduba *in ſumma caſu* 125. & vt probabilem docet Machado *tom.* 2. *lib.* 6. *part.* 7. *tract.* 6. *docum.* 20. *num.* 5. 78. Ludou. Lop. Rodriguez. Vega. Genuenſis. Corduba. Machado.

Neque leue argumentum authoritatis in hac materia eſt negatiuum; quod deſumitur ex eo, quod quamplurimi Theologi inquirentes, quinam poſſint eleemoſynas facere, inductione facta per ſingula perſonarum genera, vel mentione facta patrumfamilias, dixerunt, eos poſſe eleemoſynas facere, nulla limitatione adhibita; vel nullam patrumfamilias mentionem fecerunt, quaſi in eo ipſo ſupponerent, id illis cum amplitudine licere. Sicut enim ibi limitant in vxoribus, filiis, Religioſis, &c. ita limitarent in parentibus, ſi crederent, eis non licere facere eleemoſynas in detrimentum legitimæ. 79. *Argumentum negatiuum valet in hac materia.*

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT V.

Probatur concluſio authoritate Sanctorum Patrum.

ARTICVLVS I.

Doctrina Diui Auguſtini.

80. AVthoritas Sanctorum Patrum in hac materia magni momenti eſſe debet, cùm verſemur in materia eleemoſynæ erogandæ, ſæpe in Euangelio repetita. At Sanctos Patres circa intelligentiam Euangelij, vt præcipuos interpretes, & à Deo ſpecialiter ad eius intelligentiam illuminatos, veneramur. Et in primis S. Auguſtinus apertè fauet huic ſententiæ multis in locis. Primò, dum docet, eam portionem rei familiaris, quæ vni filio ſeruabatur, eo mortuo non debere cæteris fratribus accreſcere, ſed Chriſto in eius pauperibus. Ita *lib. de decem chordis, cap. 12. in tom. 9.* [Quare non facit eleemoſynam? *Quia ſeruat filiis ſuis.* Contingit, vt amittat vnum. Si propter filium ſeruabat; *mittat poſt illum partem ſuam.* Quare illam tenet in ſacculo, & illum relinquit ab animo? *Redde illi, quod ſuum eſt: redde, quod illi ſeruabas.* Mortuus eſt, inquit, ſed præceſſit ad Deum: *pars illius debetur pauperibus*; *illi debetur, ad quem perrexit: Chriſto debetur*; ad illum enim perrexit; & ille dixit: Qui vni ex minimis iſtis fecit, mihi fecit; & qui vni ex minimis iſtis non fecit, mihi non fecit. Sed quid dicis? Seruo fratribus ipſius. Si viueret ille, non erat cum ſuis fratribus diuiſurus? O fides mortua! Mortuus eſt enim filius tuus. Quidquid dicas, *mortuo debes, quod viuo ſeruabas.* Mortuus eſt filius meus; ſed tamen partem filij ſeruo fratribus ipſius. Sic credis, quia mortuus eſt? Si pro illo Chriſtus mortuus non eſt, mortuus eſt ipſe. Si autem in te fides eſt, viuit filius tuus. Viuit prorſus: non deceſſit, ſed præceſſit. Qua fronte venturus es ad filium tuum, qui præceſſit, *cui præcedenti non mittis partem ſuam in cælum?* An non poteſt mitti in cælum? Poteſt prorſus. Audi ipſum Dominum dicendum, *Theſaurizate vobis theſauros in cœlo.*]

Portio filij defuncti non debet accreſcere fratribus, ſed Chriſto.

81. Eadem habet *ſerm. 43. de diuerſis, cap. 10. in tom. 10.* vbi inter alia hæc habet. [Chriſtianum filium amiſiſti: non ergo amiſiſti, ſed præmiſiſti. Neque enim ille deceſſit, ſed præceſſit. Interroga fidem tuam. Certè & tu illò iturus es, quò ille anteceſſit. Rem breuem dico, cui puto, quod nemo reſpondeat. Viuit filius tuus? Interroga fidem tuam. Si ergo viuit; quare *inuaditur pars eius à fratribus eius?* Sed dices: Numquid rediturus eſt, & poſſeſſurus? *Mittatur ergo illi, quò præceſſit ille.* Ad rem ſuam venire non poteſt: res eius ad eum ire poteſt.]

82. Et ibidem *cap. 11.* diſſerit in hæc verba. [Abſit ergo, vt dicam tibi, Da (defuncto) quod habes: ſed dico tibi, *redde, quod debes.* Sed habebunt illud, ais, fratres illius. O mala doctrina, docens mortem optare fratribus ſuis! Si de re fratris ſui mortui ditiores erunt, vide quemadmodum ſe attendant in domo tua. Quid ergo facies? Patrimonium diuidis, & parricidia doces.]

Ex qua Diui Auguſtini doctrina manifeſtè colligitur, portionem legitimam filij non eſſe menſurandam penes maiorem, vel minorem ſubſtantiam patris (quando videlicet hæc ſuperabundans eſt) ita vt ſemper maior debeat eſſe legitima ſeruanda filio, quantò maior fuerit paterna ſubſtantia. Nam ſi filij portio ita menſuranda eſſet, mortuo vno filio, portio legitima huius deberet accreſcere ſuperſtitibus filiis, vt Iuriſperiti affirmant, (& concedendum eſt, caſu, quo pater non inſumat in opera pia) atqui oppoſitum docet Auguſtinus, docens, eam portionem Chriſto ſeruandam, & pauperibus largiendam, vt eam defunctus habeat. Ex quo planè infertur, legitimam filij, fauore pauperum, menſurandam eſſe penes indigentiam, & ſufficientiam ſtatus filij; atque adeò filium non habere ius ad ea bona, quæ pater inſumit in eleemoſynas; haſque conſequenter fieri ſine iniuria filij. 83.

Secundò patrocinatur huic ſententiæ Sanctus Auguſtinus, dum docet, patrem habentem filios, debere reputare Chriſtum quaſi alterum filium, vt ſic ei in ſuis pauperibus portionem ſuam diſtribuat: ita vt ſi vnum filium habeat, Chriſtum reputet ſecundum; ſi duos, Chriſtum reputet tertium, &c. Hinc enim clarè fit, tunc licere patri donare pauperibus medietatem bonorum, quando vnicum filium habet, & prædiues eſt: (intellige, dummodo integra ſeruentur alimenta, modo explicato;) tum etiam portiones ſubſtantiæ filiis à patre deſtinatas, & lege taxatas, minui poſſe in fauorem pauperum. 84.

Pater debet reputare Chriſtum inter filios, vt cum illo diuidat hæreditatem.

Illud enim docuit Auguſtinus *ſerm. 43. de diuerſis, cap. 11.* his verbis. [Computa, quia *vnum plus habes.* Fac locum Chriſto cum filiis tuis; accedat familiæ tuæ dominus tuus; accedat ad prolem creator tuus: *accedat ad numerum filiorum tuorum frater tuus.* Cùm enim tantum interſit, & pater eſſe dignatus eſt. Et cùm ſit pater vnicus, voluit habere cohæredes. Ecce ille quàm largiter! Tu quare tam ſteriliter? *Duos filios habes, tertium illum computa: tres habes, quartus numeretur: quintum habes, ſextus dicatur: decem habes, vndecimus ſit.* Nolo ampliùs dicere. *Vnius filij tui ſerua locum Domino tuo.* Quod enim dabis Domino tuo, & tibi proderit, & filiis tuis. Quod autem malè ſeruas filiis tuis, & tibi oberit, & filiis.] 85.

Idem docet *tract. de Doctrina Chriſtiana, cap. 8. in tom. 9.* in hæc verba: [Chriſtus petit, & non accipit; & obtendis nomen pietatis crudelibus vocibus, & dicis, & quid ſeruo filiis meis? Chriſtum illi oppono; filios ſuos mihi reponit. Ecce, quis eget; & filios tuos numeras? Poſtremò numera filios tuos; adde vnum inter illos Dominum tuum. *Vnum habes, ſit ille ſecundus*; *duos habes, ſit ille tertius*; *tres habes, ſit ille quartus.*] Vbi notabis Auguſtinum reputare impiam crudelitatem, quod cùm Chriſtus in pauperibus ſuis egeat, parentes opponant filios ſuos, eo quod demptis neceſſariis ad vitam, & ſtatum, reliqua debeantur Chriſto. 86.

Eandem doctrinam de Chriſto inter filios numerando in ordine ad eleemoſynam repetit *ſermon. 49. de diuerſis, cap. 3. & in Pſalm.* 87.

Pſalm. 48. *in ea verba, Et relinquent alienis diuitias ſuas.*

88. Tertiò ſuffragatur S. Auguſtinus, dum exhortatur patres diuites, vt medietatem bonorum Chriſto tribuant. Ex quo ſequitur, non totam legitimam lege taxatam dandam eſſe filiis, ſed ſufficere, ſi medietatem bonorum reſeruet filiis. Ita enim ſignificat *tract. de decem chordis, cap.* 12. loquens enim cum patribusfamilias, ait: [Cur in opere bono non attenditur ille Zaccheus, qui *dimidium rerum ſuarum* dedit pauperibus? Filiis, inquis, meis ſeruo. Magna excuſatio! Filiis meis ſeruo.]

Pater diues medietatem bonorum donet Chriſto.

89. Quartò fauet eidem ſententiæ, dum docet, patrem non debere relinquere filiis multas diuitias, quibus luxuriari poſſint, & vanitati inſeruire; vitioque verti parenti, quod relinquat filio, vnde iſte luxurietur, & pereat. Hinc enim fit, vt ſi magna ſit diuitiarum copia, non debeat filio relinqui tota legitima lege taxata, ſed ea fauore pauperum minuenda ſit, ne diuitiarum copia ſit filio in ſcandalum; & dum relicta ipſi fuerint multa ſuperflua, ſint illi fomenta luxuriæ.

Vitio vertitur patri, quod multas diuitias relinquat filiis.

90. Illud tradit *ſerm.* 43. *de diuerſis, cap.* 8. vbi ſuadens largas Chriſto eleemoſynas erogandas, ait: [Conſule in poſterum. In quod poſterum? Iam exſpirans loquitur. Propter filios tuos, inquit. Illos videamus, qui filios habent, vtrum certi ſint, filios ſuos poſſeſſuros eſſe quæ reliquerint. Intendant, cùm viuunt, filios aliorum: alios alienis improbitatibus, quod habuerant amittentes, alios *propria nequitia, quod habuerant* conſumentes.]

91. Et *lib. de diſciplina Chriſtiana, cap.* 8. *in tom.* 9. [Iſtáne verò magna iuſtitia, vt habeat *vnde luxurietur filius tuus*, egeat verò Dominus tuus? Cùm enim vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Et cùm vni ex minimis meis non feciſtis, nec mihi feciſtis. Non legiſti? Non timuiſti? Ecce quis eget, & filios tuos numeras?]

92. Et *ſerm.* 50. *de temp. cap.* 3. agens de excuſatione diuitum opponentium filios, ne liberales ſint in pauperes, ait: [Omitto dicere, qualibus filiis; ne fortè quod congregauit auaritia, *perdat luxuria.* Alius *fluendo perdit*, quod tu laborando congregaſti.]

93. Quintò fauet huic ſententiæ Auguſtinus, dum vitio vertit parentibus, quod theſaurizent filiis, & non potiùs largas pauperibus eleemoſynas faciant. Quod non diceret Auguſtinus, ſi filij haberent ius in omnes eas diuitias, etiam in præiudicium pauperum. Illud diſertis verbis tradit S. Auguſtinus *ſerm.* 50. *de temp. cap.* 3. [Si non vanè conturbaris, dic cui theſaurizas? Mihi, inquis. Hoc audes dicere moriturus? *Magna pietas; theſaurizat pater filiis. Imò magna vanitas; theſaurizat moriturus morituris.* Si propter te, quia moriturus dimittis; quid colligis? Hæc cauſa & filiorum: ſucceſſuri ſunt, non permanſuri.] In qua ratione ſatis clarè aſſerit S. Doctor, non eſſe filiis theſaurizandum, ſed id ſolùm eis relinquendum, quod pro tempore vitæ breuis opus eſt illis: cùm & ipſi filij mortales ſint. Quare ſolùm in cælo per manus pauperum theſaurizandum.

Vitio vertitur patri, quod theſaurizet filiis, & non Chriſto.

94. Sextò fauet, dum ſuadet parentibus, vt vberes eleemoſynas erogent, & ſimul confidant, non propterea defutura eſſe illis alimenta neceſſaria. Ita *homil.* 48. *cap.* 1. *ex lib. quinquaginta homiliarum, tom.* 10. in hæc verba: [Sed dicturus es, Habeo filios, quibus laborem; habeo, quibus proſpiciam; habeo quibus curam maximam geram. Quam curam geris filiorum, vt eos obruas lacrymis miſerorum? (ſcilicet eiulantium præ fame) *Non eſt hoc filios amare, ſed potiùs necare.* Neſcis, quia arbor in fruge dignoſcitur? Neſcis, quia quod in radice calcatur, in ramis declaratur; & quod latet in foliis, eniteſcit in pomo? Nolo te talem patrem ſentiant filij tui; *nolo ſic prouideas, vt magis inuideas.* O quanti pauperes naſcuntur, & poſtmodùm diuites efficiuntur! Quanti, quibus magna hæreditas dimittitur, & poſtmodùm ad penuriam rediguntur! Si ergo Dei eſt pauperem facere, Dei eſt & ditare; cur prouidus filiorum exiſtis?] Scilicet vano prouidentiæ timore, quo ſupra id, quod illis neceſſarium eſſe creditur, filiis relinquitur.

Pater largas eleemoſynas det, ſperans, non defutura filiis alimenta.

Septimò fauet huic ſententiæ, dum aſſerit, filiis relinquenda dumtaxat eſſe, quæ ſufficiunt ad alendam vitam. Ita *epiſt.* 199. *ad Ecdiciam*, quæ ſine licentia coniugis omnia bona Monacho tradiderat, eleemoſynæ causâ. Quam ibi corripit Auguſtinus, eo quod de conſenſu viri, & pariter cum illo diſponere debebat de bonis ſuis. Et inter alia hæc ſcribit: [Cum verò de faciendis ipſis eleemoſynis, ait (S. Paulus) non vt aliis refectio ſit, vobis autem anguſtia. Pariter ergo conſilium de omnibus haberetis, pariter moderaremini, quid theſaurizandum eſſet in cælo, *quid ad vita huius ſufficientiam*, vobis, & veſtris, *veſtroque filio* relinquendum: ne aliis eſſet refectio, vobis autem anguſtia.] Quaſi dicat, reliqua theſaurizanda in cælo præter ea, quæ ad ſui, ſuorumque filiorum ſufficientiam requiruntur. 95.

Filiis ſolùm relinquenda, quæ ſufficiunt ad alendam vitam.

ARTICVLVS II.

Diui Hieronymi ſententia.

HVic ſententiæ fauet Doctor maximus multis in locis. Primò, dum docet, patrem debere animam ſuam cum filiis cohæredem inſtituere, vel (quod idem eſt) Chriſtum. Ita enim ſcribit *epiſt.* 150. *ad Hedibiam, quæſt.* 1. in hæc verba: [Si qua autem vidua habet liberos, & maximè ſi nobilis familiæ eſt, egentes filios non dimittat, ſed æqualiter eos amet: & vt meminerit primùm *animæ ſuæ, & ipſam putet eſſe de filiis: & partiatur* potiùs cum liberis, quàm *omnia filiis* derelinquat. Imò *Chriſtum* liberorum ſuorum faciat *cohæredem.*] Itaque Hieronymus non vult, liberos manere egentes, nec nimium diuites, & animam ſuam cohæredem eſſe cum filiis, relinquendo Chriſtum cohæredem in ſuis pauperibus. 96.

Pater debet relinquere Chriſtum cohæredem cum filiis.

Secundò, dum aſſerit, patrimonium duplicis filiæ defunctæ non debere accreſcere alteri filiæ ſuperſtiti, ſed inſumi debere à parente pro anima ſua. Quæ doctrina militat contra oppoſitam ſententiam aſſerentem, accreſcere debere alteri, neque diminui poſſe in fauorem pauperum. Illud tradit Hieronymus 97.

Patrimonium vtriuſque filia defunctæ non debuit accreſcere alteri filiæ.

epiſt. 44.

Digitized by Google

epiſt.44. ad Iulianum, cap.2. his verbis: [Bona liberis pares, qui te ad Dominum præceſſerunt: vt *partes eorum non in diuitiis ſororis proficiant*, ſed in redemptionem *animæ tuæ*, atque *alimenta* miſerorum.]

98. *Reprehenditur pater, quòd multas diuitias congreget filiis, & non pauperibus.*

Tertiò, dum reprehendit eos, qui congregatas diuitias relinquunt filiis, nec partiuntur pauperibus: contra ſententiam oppoſitam aſſerentem, omnes diuitias, excepto quinto, filiis, non pauperibus impertiendas eſſe. Sic enim *in cap.13. Prouerb.* ad ea verba: *Multi cibi in noualibus patrum, & aliis congregantur abſque iudicio*, &c. ita ait: [Abſque iudicio recto facit, qui diuitiis congregandis ſedulus inſiſtit, & has aggregatas *non ipſe pro redemptione animæ ſuæ* pauperibus diſpenſat, ſed *aliis* (id eſt, filiis) *poſt ſe diſpenſandas* reſeruat.] Cardinalis Bellarminus *lib. de Scriptoribus Eccleſiaſtic.* ait, hoc opus eſſe S.Bedæ. Quod mihi non minoris eſt authoritatis.

99. *Laude dignus Iulianus, cui vnus erat filius, quòd ingentes eleemoſynas dederit.*

Quartò, dum *epiſt. 44. ad Iulianum, cap.3.* illum laudat, quòd ingentes fecerit eleemoſynas; cùm tamen ipſi Iuliano vnus ſuperſtes eſſet filius. Ecce eius verba. [Et tu quidem *bene facis, quod Sanctorum diceris vſibus miniſtrare, fouere Monachos, Eccleſiis offerre quamplurima.* Sed hæc rudimenta ſunt militiæ tuæ.] & paulò inferiùs. [Extruis Monaſteria, & multus à te per inſulas Dalmatiæ *Sanctorum numerus* ſuſtentatur.] Et ſanè reprehenderetur Iulianus à multis Iuriſconſultis oppoſitam ſententiam tuentibus, ob illud ipſum, propter quod à Sancto Hieronymo adeò commendatur.

100. *Habenti filios, ingentes conſulit eleemoſynas.*

Quintò fauet Hieronymus, dum habenti filios, ingentes eleemoſynas conſulit. Sic *epiſt. 150. ad Hedibiam, quæſt. 1.* his verbis: [Igitur & tu, *quia paucos habes filios, plurimos fac tibi amicos de iniquo mammona*, qui te recipiant in æterna tabernacula.] Iuxta ſententiam autem oppoſitam, ſiue filij ſint pauci, ſiue plures, nihil detrahendum eſt de portione lege taxata, etiam in fauorem pauperum; cuius contrarium docet Hieronymus.

101. *Pauperes filiis præferendi.*

Scilicet demptis alimentis.

Sextò, dum docet, pauperes filiis præferendos: quod intelligitur, demptis eis, quæ ad filiorum alimoniam requiruntur. Sic enim ait *epiſt. 150. ad Hedibiam, quæſt.1.* agens de conſilio Chriſti: [Non dixit, *Da filiis*, da fratribus, da propinquis, quos etiam ſi haberes, iure iis Dominus præferretur: ſed da pauperibus, imò da Chriſto, qui in pauperibus paſcitur.] Quod idem repetit ferè eiſdem verbis *epiſt.44. ad Iulianum, cap.2.*

ARTICVLVS III.

Suffragium Sancti Cypriani pro eadem ſententia.

102. *Quo plures filios habet, eo plures eleemoſynas facere debet pro redimendis peccatis eorum.*

SAnctus Cyprianus multis modis ſuffragatur eidem ſententiæ. Primò, quatenus docet, quantò plures filios habet homo diues, tantò plures, & vberiores eleemoſynas eum facere debere pro redimendis peccatis ſingulorum filiorum; quaſi vberes eleemoſynæ pertineant ad alimenta filiorum vtrique ſpiritualia. Ita *lib. de opere, & eleemoſ. col.8.* his verbis: [Sed enim multi ſunt in domo liberi; & *retardat te numeroſitas filiorum*, quominus largiter bonis operibus inſiſtas. Atquin *hoc ipſo operari amplius debes, quo multorum pignorum pater es.* Plures ſunt, pro quibus Dominum depreceris, multorum delicta redimenda ſunt, multorum purgandæ ſunt conſcientiæ, multorum animæ liberandæ.] Et nota verba operandi, apud Cyprianum eleemoſynam deſignare. Iuxta quem de filiorum legitima detrahendum eſt, vt ſpirituali eorum vtilitati conſulatur.

103. *Eleemoſyna inter ſumptus neceſſarios computanda.*

Secundò, dum docet, inter ſumptus neceſſarios, & familiæ debitos numerari debere à patrefamilias ſumptus eleemoſynarum pro ſalute filiorum impendendos. Ita *ibid. colum.8.* ait: [Vt in hac vita ſæculari *alendis, ſuſtinendiſque pignoribus*, quo maior eſt numerus, hoc *maior & ſumptus* eſt; ita in vita ſpirituali, atque cæleſti, quo maior fuerit pignorum copia, eſſe & *operum* (ideſt eleemoſynarum) debet *maior impenſa.* Sic & Iob ſacrificia numeroſa pro liberis offerebat: quantuſque erat in domo pignorum numerus, tantus dabatur Deo & numerus hoſtiarum.]

104. Si ergo eleemoſynæ pro filiis datæ inter ſumptus neceſſarios computandæ ſunt; ſicut in præiudicium ligitimæ poteſt pater facere ſumptus neceſſarios, & congruos ſuæ familiæ; ita & ſumptus eleemoſynarum. Et vt cum maiori proprietate loquamur, quantumvis magni fiant ſumptus in eleemoſynas, non præiudicatur ligitimæ filiorum: hæc enim computatur, demptis ſumptibus neceſſariis ad ſuſtentationem familiæ; ad hanc autem pertinent eleemoſynarum ſumptus.

105. *Plus diligit filium, qui pro eo dat eleemoſynas, quàm qui ei relinquit diuitias.*

Tertiò, dum docet, patrem plus diligere filios, dantem pro eis eleemoſynas, quàm eis relinquentem diuitias. Ita *ibid.* [Si ergo verè *filios tuos diligis*, ſi eis exhibes veram, & paternam dulcedinem charitatis, *operari* (ideſt eleemoſynas facere) *magis debes*, vt filios tuos Deo iuſta operatione commendes. Nec eum liberis tuis cogites Patrem, qui & temporarius, & infirmus eſt: ſed illum patrem pares, qui æternus, & firmus filiorum ſpiritualium pater eſt. Illi aſſigna facultates tuas, quas hæredibus ſeruas. Ille ſit liberis tuis tutor, ille curator, ille contra omnes iniurias ſæculares diuina Maieſtate protector.] Si ergo maior dilectio exhibetur filiis per eleemoſynarum ſumptus, per hos meliùs filiis conſulitur, quàm per opulentam hæreditatem illis relictam.

106. *Tutiora alimenta relinquit filio, qui multas dat eleemoſynas.*

Quartò, quatenus ſuadet vberiora, & tutiora alimenta manere filium, ſi pater vberes faciat eleemoſynas, quàm ſi parcus erga pauperes diuitias filio relinquat. Ita diſertè aſſeruit in verbis proximè relatis. Item ibidem ait: [Patrimonium Deo creditum nec Reſpublica eripit, nec fiſcus inuadit, nec calumnia aliqua forenſis euertit. *In tuto hæreditas ponitur, quæ Deo cuſtode ſeruatur. Hoc eſt charis pignoribus in poſterum prouidere:* hoc eſt futuris hæredibus paterna pietate conſulere, ſecundùm fidem Scripturæ ſanctæ dicentis: *Iunior fui, & ſenui, & non vidi Iuſtum derelictum, neque ſemen eius egens pane. Tota die miſeretur, & fœnerat, & ſemen eius in benedictione erit.*] Quibus addit plurima in eandem ſententiam. Si ergo licet patri, pro aſſecuranda, & ſine litigio retinenda filiis hæreditate legitima, eandem hæreditatem minuere; licebit etiam,

Digitized by Google

etiam, ſecundùm Cypriani doctrinam, eandem minuere pro aſſecuratione, quam fides nos docet.

107. Quintò quatenus docet, peccare dupliciter parentes in relinquendo filiis multas diuitias. Ita *ibid. col.* 9. ait: [Qui ſtudes terreno magis, quam cæleſti patrimonio filios tuos diabolo magis commendare, quàm Chriſto, *bis delinquis*, & geminum, *ac duplex crimen* admittis, & quòd *non præparas filiis tuis Dei Patris auxilium*, & quod *doces* filios patrimonium plus amare, quàm Chriſtum.]

Duplicis culpa reus eſt, qui omnias relinquit filiis.

108. Sextò, dum docet, Chriſtum in pauperibus præferendum eſſe filiis, id eſt, pauperes præferendos eſſe ſuperfluitati, & abundantiæ filiorum. Ita *in eodem lib. de opere, & eleemoſ. colum.* 7. his verbis: [Sed nec illa res, fratres chariſſimi, à bonis operibus (id eſt, eleemoſynis) & iuſtis refrænet, & reuocet Chriſtianum, quòd *excuſari ſe poſſe aliquis exiſtimet beneficio filiorum*, quando in impenſis ſpiritualibus Chriſtum cogitare, qui accipere ſe profeſſus eſt, debeamus: nec conſeruos *liberis noſtris*, ſed *Dominium præferamus*, ipſo inſtruente, & monente: *Qui diligit*, inquit, *patrem, aut matrem ſuper me, non eſt me dignus.* Item in Deuteronomio ad corroborationem fidei, & dilectionis Dei paria conſcripta ſunt: *Qui dicunt patri, aut matri, Non noui te, & filios ſuos non agnouerunt, hi cuſtodierunt præcepta tua, & teſtamentum tuum ſeruauerunt.* Nam ſi Deum toto corde diligimus, nec parentes, *nec filios Deo præferre debemus.*] Itaque ſecundùm Cyprianum filios Deo præfert, qui locupletationem filij præfert pauperum eleemoſynis: Deum verò præfert filiis, qui poſtquam filius habet, quod ſatis eſt ad naturam, & ſtatum conſeruandum, reliqua, quantumuis opulenta, pauperibus diſtribuit.

Pauperes præferendi filiis.

ARTICVLVS IV.

Suffragantur eidem ſententiæ Chryſoſtomus, & Baſilius.

109. Sanctus Ioannes Chryſoſtomus multiplici ſuffragio noſtræ fauet ſententiæ. Primò dum ait, multa à parentibus donanda eſſe Deo, vt ſic Deus cuſtodiat ſubſtantiam filiorum, eiſque conſeruet alimenta, ne egeant. Eo quod portio filij in fauorem pauperum diminuta, ſecurior reddatur, & firmior ad alendum filium: eſt autem licitum patri ſumptus facere pro maiori ſecuritate portionis legitimæ filij, etiam cum diminutione ipſius legitimæ. Ita *homil.* 53. *ad populum Antioch.* ait: [At, inquies, infantum me cœtus circumit, & illos diuites relinquere cupio. Quam igitur ob rem eos faciamus pauperes? (id eſt, relinquendo illis omnes diuitias, facimus eos pauperes: huius enim rationem ſubdit Chryſoſtomus.) Nam *ſi ipſis* quidem *omnia dimittas, periculoſæ* rurſum *cuſtodiæ tua cuncta* commendaſti. *Si verò Deum illis relinquas heredem, & tutorem, innumeros reliquiſti theſauros.*] Et paulò inferiùs ait: [Itaque ſi vis (filios) diuites in toto relinquere, *Deum* ipſis relinque *debitorem*, & hoc eis *chirographum* trade.] In quam ſententiam multa ibidem proſequitur.

S. Chryſoſt. Pater debet dare multa Deo, vt cuſtodiat alimenta filiorum.

110. Et *ſerm. de gratiis reddendis, in tom.* 5. in confirmationem eiuſdem ſecuritatis ſubſtantiæ filiorum hæc habet: Proinde (Deus) cohæres per te conſtitutus, & liberorum leuabit orbitatem, inſidias ſoluet, & moleſtias propulſabit, & calumniantium ora occludet: quodque vel filij nequeunt, teſtamentum tutabitur, corrumpique haud ſinet.] Idque pluribus fusè proſequitur. Quæ omnia ad ſecuritatem portionis legitimæ filiorum ſpectant.

Secundò, quatenus docet, filiis non eſſe relinquendas multas diuitias, ne eis relinquatur maxima occaſio peccandi, quæ copiam diuitiarum comitatur; ſed potiùs pauperibus largiter tribuendas. Ita *hom.* 53. *ad populum Antioch.* inquit: [Hoc itaque *ne conſideremus, quomodo filios diuites relinquamus*; ſed quomodo virtute præditos. Nam ſi diuitiis confidant, nihil aliud curabunt, *habentes vnde morum malitiam obumbrent pecuniarum abundantia.*] Et paulò poſt ſubiungit: [Atqui viuentes quidem, & pœnas exigere (à filiis) poterimus, & malè rebus vtentes (filios) cohibere, & refrænare. Si verò morientes, præter orbitatem, & iuuentam, *diuitiarum quoque potentiam præbeamus, in mille præcipitia miſeros impellemus, & infelices illos*, ignem igni adiiciemes, & atroci oleum inſtillantes fornaci.] In cuius rei confirmationem ibi latè progreditur. 111.

Filiis non relinquendæ diuitiæ, ne eos maneat multa occaſio peccandi.

Tertiò, quatenus docet, Chriſtum inter filios debere relinqui cohæredem, copioſa illi hæreditate relicta. Ita *ſerm. de gratiis reddendis*: [Qua enim ipſe fueris ratione excuſandus, *ſi eum ad hæreditatis cum filiis non admiſeris communicationem*, qui tibi & cælos communicauerit? Præbe itaque illi abundè pecunias, nec vſui tibi futuras in poſterum, nec vltra in tua poteſtate permanſuras.] Vbi loquitur Chryſoſtomus de teſtamento morientis. 112.

Chriſto abundè donandum, vt cohæredi.

S. Baſilius Magnus *homil.* 7. contra diuites auaros duobus aſſertis ſuffragatur noſtræ ſententiæ. Primò dum docet, peccare parentes, qui filiis copioſas opes relinquunt, tanquam materiam, & occaſionem multorum vitiorum eis ſubminiſtrantes. Secundò, dum docet, maiorem patri ineſſe obligationem conſulendi animæ ſuæ, quàm commodis filiorum; ideoque patrem plus attendere debere eleemoſynis pauperum pro anima ſua, quàm filiorum commodis. Ecce verba Baſilij: [Quouſque igitur opes erunt animarum laqueus, mortis hamus, peccati eſca? Quouſque diuitiæ erunt belli materia, per quas fabricantur arma, & enſes acuuntur? Quis mendacij pater eſt? Quis falſæ accuſationis miniſter? Quis periurij genitor? Nonne diuitiæ, ac circa diuitias ſtudium? Sed, inquis, ob filios neceſſaria eſt. Plauſibilis eſt iſta auaritiæ excuſatio: liberos prætexitis, ac intereà cordibus veſtris ſatisfacitis. Ex alio vitam accepit, non ex teipſo vitæ ſubſidia expectat. Cùm Deum oraſti, vt fieres liberorum pater, addidiſtine illud? *Da liberos, ne veniam in Regnum Dei.* (Damnandum Patrem ait, qui vt multas diuitias relinquat filio, eas negat Chriſto; cuius ſubdit rationem.) Prætereà quis tibi ſponſor de ipſorum (filiorum) fuerit voluntate, ac ingenio, vt rectè datis, relictiſque vtantur? An non audiſtis Eccleſiaſtem dicentem: *Vidi ſtultitiam magnam, & grauem, diuitias in malum cuſtodientibus ipſas conuerti.* Et rurſus: *Relinquo ego hominem poſt me: & quis nouit,* 113.

Peccat pater relinquendo diuitias filio, tanquam materiam ingentem peccandi.

ſi

Diues potiùs animæ ſuæ, quàm filiis conſulat.

ſi ſapiens erit, aut ſtultus? Conſidera, ne cum multis ærumnis *opes cumulatas peccatorum materiam aliis tradas*, duplicique plectaris poſtmodum pœna, & tuorum criminum cauſa, & aliorum, quibus cauſam dederis. Nonne cunctis liberis coniunctior eſt tibi anima tua?]

114. Hæc ſufficiant pro mente Sanctorum Patrum indaganda, quæ clariſſima eſt: nam plurima his ſimilia in cæteris Eccleſiæ Patribus facile inuenies.

ARTICVLVS V.

Ad argumentum ex authoritate Sanctorum Patrum reſponſio confutata.

115. FOrtè reſpondebit aliquis, tempore eorum Patrum non eſſe taxatam per leges portionem legitimam filiorum; atque adeò filios non habuiſſe ius ad tantam determinatam quantitatem: ideóque conſuluiſſe Sanctos Eccleſiæ Doctores, vt parentes largiſſime donarent pauperibus, quia id poterant præſtare abſq; iniuria filiorum. Quod non ita conſulerent in præſenti tempore, in quo patres non poſſunt liberè diſponere, niſi de modica portione ſubſtātiæ ſuæ.

Sed reiicitur primò. Nam abſque vllo dubi-
116. tationis veſtigio, eo tempore vigebant leges
Tempore SS. Patrum, quota legitima erat taxata legibus.
imperij Romani ita in immenſum profuſæ, vt Iuſtinianus Imperator eas ad breuitatē reducere conatus, in ea iuris volumina, quæ hodie videmus, redegerit. Quæ leges per mille, & quingentos annos ante tempora Iuſtiniani conditæ fuerant, vt ipſe Iuſtinianus ait *in leg. 2. Cod. de veteri iure enucleādo.* Quas quidem leges Sancti Patres ignorare non potuerunt; cùm hæc res de hæreditate filiorum adeò communis, & vulgata ſit omni populo; & quidquid de hac re diſpoſitum eſt, ferè nemo ſit, qui ignoret.

Imò hinc maior confirmatio deſumitur no-
117. ſtræ ſententiæ: quia cùm eo tempore adeſſent
Quare SS. Patres legum ciuilium non meminerunt.
leges ciuiles de hac materia, Sancti Doctores earum nullatenus meminerunt, neque ad eas vnquam recurrunt: ſignum ergo eſt, hanc materiam de eleemoſyna pauperibus eroganda in præiudicium legitimæ filiorum, non eſſe decidendam ex legibus ciuilibus, ſed ex iure naturali, & Euangelico.

Reiicitur ſecundò. Nam quando Sancti Pa-
118. tres docent, eum, qui habet filios, debere lar-
Quare, niſi quia non niſi ex Euangelio hæc quæſtio decidenda?
S. Auguſt.
giſſimas eleemoſynas erogare pauperibus, id colligi dicunt ex Euangelio. Sic Auguſtinus *lib. de decem chordis, cap. 12. cit. ſup. n. 80.* dum conſulit, portionem filij defuncti, non alteri filio ſuperſtiti accreſcere debere, ſed pauperibus diſtribuendam eſſe, id ex Euangelio probat. Et ſimiliter *lib. de Diſciplina Chriſt. cap. 8. cit. n. 91.* dum docet, non eſſe relinquendum filiis, vnde luxurientur, & in alia peccata prolabantur; id etiam ex Euangelio colligit, & confirmat, dicens: *Cum vni ex minimis meis non feciſtis, nec mihi feciſtis. Non legiſti? Non timuiſti? Ecce quis eget, & filios tuos numeras?* Et *ſerm. 43. de diuerſis*, agens de diuite illo Euangelij, qui nolens omnia vendere, & dare pauperibus, abiit triſtis, addit: *Et dicet tibi fortè, ille diues ideò male fecit, non vendere omnia, & dare pauperibus, quia filios non habebat; ego autem filios habeo.* (Reiicit autem eam excuſationem vt vanam:) *Intendite, quia auaritia excuſationem non habet, neque hic, neque in futuro ſæculo.* Et poſteà ſuadet, vt ſaltem portio vnius filij defuncti non accreſcat aliis filiis, ſed expēdatur tota in eleemoſynas pro anima defuncti; tanquā omnia, quæ ſuperſunt de alimentis filiorum, ex euangelico præcepto, aut conſilio, Deo in ſuis pauperibus præſtanda ſint. Et *lib. de decem chordis, cap. 12.* verbis referendis infrà *num..* manifeſtè aſſerit, præceptū eleemoſynæ in Euangelio prolatū obligare etiam patrēfamilias. Quod aſſerit immediatè poſtquam conſulit omnibus diuitibus, vt medietatem bonorū cum Zachæo elargiantur.

Similiter Hieronymus *epiſt. 34.* ad Iulianum, 119.
illud Chriſti conſilium, *Vade, & vende omnia,* S. Hieron.
quæ habes, & da pauperibus, intelligit etiam de eo, qui habet filios; ad eum enim docet dirigi etiam conſilium Chriſti, dandi omnia pauperibus. Quod intelligitur, ſuppoſito, quod dederit filio alimenta neceſſaria. Ait enim Hieronymus pro commentario, & explicatione eius conſilij, hæc verba: [Vade, & vende non partem ſubſtantiæ, ſed *vniuerſa*, quæ poſſides: *da* non amicis, non conſanguineis, non propinquis, non vxori, *non liberis: ſed da cuncta pauperibus*, & fac tibi amicos de iniquo mammona, qui te recipiant in æterna tabernacula.] Quod repetit *epiſt. 150. ad Hedibiam, quæſt. 1.* verbis relatis ſuprà, *num.* 101. Non dixit, *Da filiis, da fratribus*, &c. vbi etiam dum dixit, pauperes præferendos filiis (modo explicato) id probat ex Euangelio.

Idem, dum conſulit habenti filios copioſas 120.
erogare eleemoſynas, probat ex Euangelio *in relata epiſt. ad Hedibiam, quæſt. 1.* verbis relatis ſuprà *num.* 100. Sicut & cætera omnia, quæ retulimus *art. 2.* omnia quidem ex euangelio confirmat, nempe, animam cohæredem inſtituendam eſſe cum filiis: item patrimonium duplicis filiæ defunctæ non debere accreſcere alteri filiæ ſuperſtiti, ſed pauperibus: item dum reprehendit eos, qui filiis coaceruant diuitias; & laudat eos, qui in eleemoſynas pauperum multa inſumunt, quamvis liberos habeant.

Sanctus Cyprianus non ad leges ciuiles, ſed 121.
ad Euangelium recurrit, cùm aſſerit, pauperes S. Cyprianus.
filiis (modo explicato) præferendos. Ad Scripturam ſacram recurrit, dum ait, ad ſumptus familiæ neceſſarios pertinere eleemoſynas, quæ pro incolumitate ſpirituali filiorum impendentur abundanter ſunt. Ex Scriptura ſacra infert, tutiora manere alimenta filiorum, ſi copioſè effundantur in pauperes diuitiæ.

S. Baſilius quoque ex Scriptura ſacra colli- 122.
git, peccare parentes, qui multas diuitias filiis S. Baſilius.
conſeruant, & relinquunt: nec meminit legum ciuilium in hac quæſtione decidenda.

Si ergo Sancti Patres docent, præcipi, vel 123.
ſaltem conſuli in Euangelio, eam abundantem diuitiarum effuſionem in pauperes, faciendam etiam à parentibus in præiudicium ſuperabundantiæ filiorū, quomodo recurrerēt, aut attenderent ad leges ciuiles? Cùm omnes leges, quæ contra præceptum, vel conſilium euangelicum aliqua diſponunt, nullæ prorſus ſint, & iniquæ. Quas ne iniquas dicamus, dicendum eſt, eas non loqui de legitima copioſa in beneficium piorum operum relinquenda.

Reiicitur tertiò. Nam Sancti Patres docent, 124.
eſſe peccatum relinquere filiis hæreditatem *Non poſſunt*
prædiuitem, eo quod ſic eis relinquitur magna *recurrere ad*
occaſio peccandi. Ita S. Auguſtinus *lib. de Diſci-* *leges, dum di-*

cunt, eſſe culpam relinquere diuitias filiis.

plina Chriſt. cap.* 8, verbis relatis *n.* 91. Et S. Hieronymus (vel ſi mauis S. Beda) *in cap.* 13. *Prouerb.* verbis relatis *num.* 98. Et S. Chryſoſtomus *homil.* 53. *ad popul. Antiochen.* relatus *num.* 111. Et S. Cyprianus *lib. de opere, & eleem. cit. num...* Et S. Baſilius *homil.* 7. *contra diuites auaros*, relatus *num.* 107. Item S. Auguſtinus *ſerm.* 50. *de temp. cap.* 3. verbis relatis ſuprà *num.* 93. ait, vanitatem eſſe relinquere diuitias filiis morituris. Et *lib. de Diſciplina Chriſt. cap.* 8. relatus *num.* 96. crudelitatem vocat, non numerare Chriſtum inter filios, vt ſua ei portio detur in ſuis pauperibus. Ex quibus omnibus concluditur, leges ciuiles non potuiſſe præcipere, quod legitima ſuperabundans relinquatur filiis; cùm non potuerint præcipere peccatum, vanitatem, crudelitatem; atque adeò non habere locum eam reſponſionem, quod Patres loquebantur de hac materia, dum leges ciuiles nihil de prædicta materia diſpoſuerant; cùm etiamſi diſpoſuiſſent contra illam, iniquæ, ex mente Sanctorum Patrum, cenſendæ eſſent.

125. *An ita docēt SS. Patres, quia parent poterat diſponere de medietate bonorum?*

Et eodem prorſus modo reiicienda eſt alia reſponſio ſimilis, nempe, quod olim per leges ciuiles antiquas licebat parentibus diſponere de duabus tertiis partibus, vel ſaltem de medietate bonorum; cùm hæreditas legitima filiorum, vel tertia parte, vel ad ſummum medietate bonorum concluderetur. In quo rectè eis poterant conſulere copioſam eleemoſynarum largitionem: quam vtique facerent, ſi dimidium bonorum largirentur pauperibus.

126. *Reſponſio clare rédarguitur.*

Eodem, inquam, modo reiicitur. Tum quia Sancti Patres recurrunt ad conſilia,& præcepta euangelica, vt vidimus. Tum quia, iuxta leges ciuiles antiquas, de portione filij defuncti aliquid debebat accreſcere filio ſuperſtiti: at ſecundum Auguſtinum, & alios Eccleſiæ Doctores, nihil. Tum etiam, quia ſecundum eas leges ciuiles hæreditas filij poterat, & debebat eſſe prædiues, non ſecundùm Sanctos Patres. Hi enim aſſerunt, peccatum eſſe relinquere filiis copioſas diuitias, atque adeò non conſulebant Sancti Patres eam vberem eleemoſynarum largitionem, propter licentiam conceſſam parentibus per iura ciuilia.

CAPVT VI.

Duo argumenta pro concluſione ex Euangelio deſumuntur.

127 *In graui neceſſitate tenetur pater ad eleemoſynam ex ſuperfluis.*

PRimum argumentum eſt. Ex lege euangelica tenentur omnes diuites in neceſſitatibus extremis, & grauibus pauperum, largas erogare eleemoſynas, ſaltem ex ſuperfluis naturæ, & ſtatus, vt conſtat *ex diſp. præced.* imò & iuxta communiorem Theologorum ſententiā, tenetur pater erogare quod ſupereſt, etiam in communibus pauperum neceſſitatibus: ſed hæreditas legitima filij, ſi diues valdè ſit, continet ſuperflua naturæ,& ſtatus: ergo etiam ex hæreditate legitima filij tenetur pater (& non ſolùm poteſt) largas erogare eleemoſynas; atque adeò tenetur hæreditatem filij minuere, eleemoſynæ causâ.

128. *Ideò poteſt, in præiudicium*

Conſequentia rectè deducitur. Maior ex diſputatione præcedenti certa eſt. Et minor etiam patet. Illa enim eſt hæreditas diues filij, quæ continet multùm ſubſtantiæ vltra id, quod requiritur ad alendam naturam, & ſuſtinendum ſtatum: ſed hoc eſt habere ſuperflua naturæ, & ſtatus: ergo hæreditas diues filij continet ſuperflua naturæ, & ſtatus. Cùm ergo præceptum ſit Euangelicum, largas erogare eleemoſynas, etiam in communibus neceſſitatibus, ſecundùm communiorem ſententiam; & ſaltem in extremis,& grauibus, ſecundum ſententiam omninò certam, nempe ex ſuperfluis naturæ,& ſtatus; vtique præceptum vrget ad illas erogandas ex legitima hæreditate prædiuite filij.

legitima filiorum.

Nec prodeſt ſi dicas, præceptum euangelicum non obſtringere ad erogandam eleemoſynam ex bonis alienis: legitimam autem filiorum reputandam eſſe tanquam bona aliena, quandoquidem filij habent ius ad illa. 129.

130. *Leges non potuerūt dare id ius filiis in præiudiciū præcepti euāgeli.i.*

Etenim leges humanæ non potuerunt dare hoc ius filiis contra præceptum euangelicum ſuccurrendi pauperibus, & inſumendi in eleemoſynis quidquid ſupereſt, ſaltem in neceſſitatibus grauibus,& extremis. Et quidem ſi lex ita iuberet: [Nemo impendat in eleemoſynis pauperum, etiam in neceſſitatibus grauibus eorum, aliquid eorum, quæ reſeruātur in legitimâ filiorū ſuorum, quantumvis ea ligitima ſuperabundās ſit,& prædiues:] ſanè ea lex iniqua eſſet,& cōtraria Euangelio: ergo ſi lex determinās legitimā filiorū in eodē ſenſu accipiatur, eodē modo erit iniqua,& cōtraria præcepto euāgelico.

Confirmatur primò. Ante talem legem impoſitam patri vrgebat patrem præceptum euangelicum donandi pauperibus in neceſſitatibus grauibus quidquid ſupereſt, ſine attentione ad conſeruandam filiis legitimam ſuperabundantem: (voco legitimam ſuperabundantem eam, quæ excedit alimenta filiorum iure naturæ debita:) ergo lex, quæ præciperet, non ſuccurri pauperibus in grauibus neceſſitatibus eorum, militaret contra præceptum euangelicùm, cùm illi directè, & immediatè opponeretur. 131.

Confirmatur ſecundò. Filius accipiens à patre prædiuite ſuam legitimam ſuperabundantem, tenetur dare pauperibus quidquid ſupereſt de requiſitis ad naturam, & ſtatum: ergo pater antequam filio daret eam ſuperabundantem legitimam, tenebatur dare pauperibus, in grauibus neceſſitatibus eorum prædictum exceſſum. Probatur conſequentia. Nam hoc præceptum priùs reſidebat (vt ita loquar) in patre, quam in filio: vel (vt meliùs dicam) priùs vrgebat patrem, quàm filium. Cùm enim ratione ſuperfluitatis debeantur grauibus pauperum neceſſitatibus, ſtatim atque ſuperflua ſunt, deberi incipiunt; atque adeò dum ſunt ſuperflua in poteſtate patris, pater obſtringitur ad opitulandum grauibus pauperum neceſſitatibus. 132.

Egregiè in rem hanc loquitur Auguſtinus exprobrans parentibus hanc excuſationem, quam afferunt de legitima filiis debita, ne eleemoſynas erogent. Nam *lib. de decem. chordis, cap.* 12. ait: [Noli ſub imagine pietatis augere pecuniam. *Filiis, inquis, meis ſeruo. Magna excuſtio! Filiis meis ſeruo. Videamus. Seruat tibi pater tuus, ſeruas tu filiis tuis, filij tui filiis ſuis, & ſic per omnes; & nullus facturus eſt præcepta Dei?*] Quod idem repetit *in Pſalm* 48. ad ea verba: *& relinquent alienis diuitias ſuas.* Vbi etiam alienos, & extraneos eſſe dicit eos filios, qui diuitias à patre relictas nolūt inſumere in eleemoſynas pauperum, 133.

Qui negat eleemoſynam prætextu filiorum, fraudem facit præcepto.

Digitized by Google

perũ, atq; adeò neq; patribus ſuis defunctis per prædictas eleemoſynas ſpiritualiter opitulari.

134. Confirmatur tertiò ex prædictis verbis Auguſtini. Si enim nihil de legitima ſuperabundante impendendum eſſet in neceſſitatibus grauibus pauperum ſubleuandis, fieret fraus præcepto euangelico, dum pater excuſationem prætenderet propter legitimam filij, & filius eandem prætenderet ob legitimam ſui filij; & ſic deinceps: atque adeò nullus in linea deſcendentium implere deberet præceptum euangelicum; cùm tamen conſtet, præceptum euangelicum vrgere, quoties adſunt ſuperflua ſtatus, & graues pauperum neceſſitates.

135. Confirmatur quartò. Nam dum ſtatuũt Theologi, obligationem euangelicã opitulandi pauperibus in neceſſitatibus grauibus eorum, nempe ex ſuperfluis ſtatus, ſuperflua ſtatus dicunt eſſe ea, quæ non requiruntur ſimpliciter ad naturam, & ſtatum ſuum, & ſuorum: ergo ſuperflua ſtatus ſunt ea, quæ non requiruntur ſimpliciter ad naturã, & ſtatum etiam filiorum. Ergo dum affirmant tanquam certum, in eiuſmodi neceſſitatibus ex præcepto ſuccurrendum eſſe pauperibus ex iis, quæ non requiruntur ſimpliciter ad naturam, & ſtatum ſuorum, affirmant vtique tanquam certum, ſuccurrendum eſſe illis ex præcepto ex iis, quæ non requiruntur ſimpliciter ad naturam, & ſtatum, etiam filiorum.

136.
In neceſſitate graui poteſt quis ſuccurrere ex alienis.

Confirmatur quintò. In graui neceſſitate pauperis circa ea, quæ neceſſaria ſunt ad vitæ ſuſtentationem, Petrus poteſt ſuccurrere ex ſuperfluis alienis, ſi ipſe non habeat ſuperflua propria, ex quibus opituletur, vt tenet communis ſententia. Ita P. Leſſius *lib.* 2. *de iuſtit. cap.* 16. *dub.* 1. *num.* 15. P. Vaſquez *cap.* 2. *de eleemoſ. dub.* 1. *&* 2. Lugo Cardin. *tom.* 1. *de iuſtit. diſp.* 16. *n.* 174. & multi alij: ſed pater, apud quem ſunt ligitimæ filiorum ſuperabundantes, quamvis illæ legitimæ dicantur eſſe bona aliena, habet ſuperflua bona filiorum in prædictis legitimis: ergo ex ſuperfluis legitimæ filiorum poteſt ſuccurrere ei graui neceſſitati pauperis.

137.
Conſilium euangelicum eſt dare pauperibus quidquid ſupereſt.

Secundum argumentum eſt. Etenim, licèt non daretur præceptum de eleemoſyna erogan da, eſt tamen conſilium euangelicum, quod des pauperibus quidquid ſuperfluit: *Quod ſupereſt, date eleemoſynam. Luc.* 11. Lex autem ciuilis, ſi diſponat, legitimam ſuperabundantem reſeruari filiis in præiudicium pauperum, diſponit id, quod ſupereſt, non dari in eleemoſynam, ſed reſeruari filiis: ergo expreſsè contradicit conſilio euangelico. Atqui lex contradicens conſilio euangelico, iniqua eſt: ergo ſi lex ciuilis ita diſponeret, eſſet iniqua.

138. Vidimus *cap.* 1. quid in ſimili materia reſpondeat Caramuel huic argumento, nempe ex rationabili cauſa poſſe Rempublicam præcipere oppoſitum: in quo caſu non militat conſilium euangelicum. Sed ex ibidem dictis, præcipuè *art.* 2. *&* 3. ſatis conſtat, eam reſponſionem omninò euaneſcere.

139 Dices primò. Ob delictum poteſt Reſpublica præcipere, vt delinquens det fiſco tantam quantitatem: qua pœna ita à iudice conſtituta, non poterit Petrus prædictam quantitatem dare pauperibus, quantumvis ſibi ſuperfluam: ergo non obſtante conſilio euangelico, poteſt Reſpublica præcipere pro aliquo caſu, ne ſuperfluum detur pauperibus.

Et quidem omitto modò, an Petrus ita ex ſententia iudicis mulctatus poſſit in conſcientia prædictam mulctam defraudare fiſco ad ſuccurrendum pauperi grauiter indigenti, caſu quo ea mulcta eſſet fiſco ſuperflua, nec ipſe Petrus haberet alia bona ſuperflua, vnde ei neceſſitati opitularetur? Dependet enim huius quæſtionis reſolutio ab altera, qua inquiritur, an in neceſſitate graui poſſit quis opitulari grauiter indigenti ex bonis ſuperfluis alienis? Vide *num.* 136. Quia autem hæc obiectio non procedit modò in caſu, in quo vrget præceptum de eroganda eleemoſyna grauiter indigenti, ſed ſolùm in caſu, quo adeſt conſilium de illa eroganda; ideò alia viâ ei ſatisfaciendum eſt. 140.

An mulctatus pecunia, poſſit ex illa mulcta ſuccurrere grauiter indigenti?

Aſſero ergo in prædicto caſu, prudenter, & licitè operari Rempublicam. Nam ſubditus ex delicto iure naturali incurrit reatum pœnæ; ideóque iuſtè priuatur dominio. Quo iuſtè priuatus, nequit ea bona, quæ iam ſua non ſunt, donare pauperibus. At verò licèt habeat filios, non propterea filij adquirunt ius ad bona ſuperflua, etiam ex lege Reipublicæ: quia hæc ex conſilio euangelico potiùs pauperibus, quàm filiis donanda ſunt. Præcipuè cùm iuxta mentem Sanctorum Patrum, quos produxi capite præcedenti, ſit conſilium euangelicum, ne pater nimias diuitias relinquat filio, vtpote originem multorum vitiorum. 141.

Diſparitas quoad hoc inter mulctam, & legitimã.

Dices ſecundò. Poteſt Reſpublica indicere gabellas pro neceſſitatibus publicis, etiam ex illis ſuperfluis, quæ danda eſſent pauperibus; quo caſu eas gabellas non poſſunt ſubditi impertiri pauperibus: ergo in aliquo caſu poteſt Reſpublica indicere, ne ſuperflua dentur pauperibus, non obſtante conſilio euangelico, quod eo ipſo non militat in tali caſu. 142.

An Reſpub. poſſit exigere gabellas ex ſuperfluis donãdis pauperibus?

Contrà tamen eſt. Nam Reſpublica habet verum ius exigendi gabellas pro bono publico: ideò quando eas exigit cum circumſtantiis debitis, habet ius proximum, & immediatum ad eam quantitatem, de qua Petrus ſine iniuria Reipublicæ non poteſt liberè diſponere. At Reſpublica nullum ius habet ad hoc, vt filij habeant à parentibus bona ſuperflua, & diuitias nimias; & aliunde hæ ex conſilio euangelico pauperibus impertiendæ ſunt: ergo iniqua erit lex, & conſilio euangelico aduerſa, ſi præcipiat, diuitias nimias non pauperibus diuidi, ſed filiis relinqui. 143.

Diſparitas quoad hoc inter gabellas & legitimã.

Dices tertiò. In circumſtantiis, in quibus filij habẽt ius ad bona patris, non poteſt pater donare pauperibus illa, nec in illis circumſtantiis militat conſilium Chriſti: ſed leges ciuiles dant eiuſmodi ius filiis: ergo in talibus circumſtantiis non habet locum conſilium Chriſti. 144.

Sed contrà eſt. Nam leges non poſſunt dare ius filiis, ſi antecedenter ad leges vim ſuam habet conſilium Chriſti: ſed antecedenter ad vim ſuam habet conſilium Chriſti: ergo leges non poſſunt dare id ius filiis. Probatur minor: dum filij non habẽt ius ad illa bona, militat, & leges vim ſuam habet conſilium Chriſti: ſed ante legem conferentẽ ius, filij non habent ius ad talia bona: ergo antecedenter ad talem legem militat, & vim ſuam habet conſilium Chriſti. 145.

Leges nequeunt dare ius filiis contra conſilium euangelicum.

Quod ſi dicas, leges ex rationabili cauſa poſſe dare ius filiis, etiamſi antecedenter ad leges vim ſuam habeat conſilium Chriſti, quia per eam rationabilem cauſam mutantur cir- 146.

Digitized by Google

cumſtantiæ conſilij; id ſatis, ſuperque impugnatum eſt ſuprà *cap.* 1. præcipuè *art.* 2.

CAPVT VII.

Tertium argumentum ex eo, quod per prædictas eleemoſynas non minuitur legitima filiorum.

147. *Quæ inſumuntur in eleemoſynis, non pertinent ad legitimã.*

TErtium argumentum eſt. Quilibet ſumptus eleemoſynarum, quantumvis copioſi, impenſi à patre ex ſuperfluis ad ſtatum ſuum, & ſuorum, non pertinent ad legitimam filiorum: ergo quamvis pater impendat prædictos ſumptus in beneficium pauperum, non lædit legitimam filiorum: ergo licet patri eos ſumptus facere in beneficium pauperum ſine iniuria filiorum. Vtraque conſequentia patet: nam ſi prædicti ſumptus non pertinent ad legitimam filiorum, nec filij habebunt ius ad illos, qui ſolùm habent ius ad ſuam legitimam; nec pater illos faciet cum iniuria filiorum, qui poteſt liberè diſponere de iis, quæ ad legitimam filiorum non ſpectant.

148. *Ad prudentem adminiſtrationem ſpectat larga eleemoſynarũ largitio.*

Iam verò antecedens probatur. Etenim non pertinent ad legitimam filiorum, niſi ea, quæ remanent ex bonis patris, poſt prudentem, & chriſtianam adminiſtrationem eorum bonorum: ſed dum pater ex ſuperfluis naturæ, & ſtatus ſui, & ſuorum largas impendit eleemoſynas, prudentem, & chriſtianam gerit adminiſtrationem eorum bonorum, & conformem præceptis, & conſiliis euangelicis: ergo non pertinent ad legitimam filiorum, niſi ea bona, quæ remanent poſt prædictos ſumptus copioſos eleemoſynarum: ergo prædicti ſumptus non pertinent ad ipſam legitimam filiorum.

149. *Ad legitimã nõn ſpectant, niſi quæ remanent poſt prudentem adminiſtrationem.*

Maior eſt omnium; & ideò P. Thom. Sanch. *lib.* 6. *de Matrim. diſp.* 36. *n.* 11. cum P. Molina, Gutierrez, Angelo, & aliis docet, eleemoſynas non immodicas, paulatim impenſas, etiamſi ſimul ſumptæ excedant quintum, non debere computari in quintum, de quo pater poteſt liberè diſponere, ſed de legitima filiorum detrahendas eſſe; quia illæ pertinent ad prudentem bonorum adminiſtrationem. Minor autem conſtat tum ex proximè dictis, tum ex mente Sanctorum Patrum, quos retuli *cap.* 5. Conſequentia verò obligat.

150. *Cur ad prudentem adminiſtrationẽ ſpectabit ædificare ſuperba, non autem largiri pauperibus?*

Confirmatur primò. Multi cenſent, pertinere ad rectam, & prudentem adminiſtrationem bonorum in patrefamilias diuite, quod ædificia ſuperba extruat; quod ſepulcrum adinſtar Mauſolæi ad famam futuram ſibi erigat; quod non modica in ludo inſumat; quod multa ad vanitatem & inanem gloriam impendat: ſed hæc multò inutiliora ſunt, quàm pauperum eleemoſynæ, imò & hæ vtiliſſimæ; illa omninò inutilia: ergo potiori iure ſumptus eleemoſynarum ex ſuperfluis ſtatus ſui, & filiorum ſuorum, pertinere debent ad rectam, & prudentem adminiſtrationem bonorum.

151. Et quidem in Hiſpania viri nobiles, & prædiuites quandoque viginti aureorum millia impenderunt pro honore comparando Religionis Militaris S. Iacobi, aut alterius ſimilis (quod non ſemel vidi) quin propterea cenſeatur, iniuriam fieri legitimæ filiorum; quin potiùs id pertinere ad rectam, & prudentem adminiſtrationem rei familiaris: nunquam ergo credituris ſum, ſi iſti non peccant, peccaturum eſſe virum æquè diuitem, qui totidem aureorum millia impenderit in eleemoſynis pauperum. Summè enim repugnat intellectui meo iudicare, quod ſit dignus pœna æterna pater prædiues, qui viginti aureorum millia impendit in eleemoſynas pauperum; & quod ſit innocens pater æquè diues, qui ea viginti millia expendit in honore illo ad vanitatem adquirendo: quod non pertineat ad rectam, & prudentem adminiſtrationem, pro ſalute animæ ſuæ, & filiorum ea expendere; & quod pertineat ad rectam, & prudentem adminiſtrationem, eadem viginti millia pro fama, & ſtirpis gloria expendere.

Si non peccat, qui pro honore impendit, 20. mille aureos; cur peccat, qui inſumit in alendis pauperibus?

152. *Prudens eſt adminiſtratio, quæ à Sanctis Patribus laudatur.*

Confirmatur ſecundò. Illa eſt recta, & prudens adminiſtratio bonorum, quæ ſummis laudibus commendatur à Sanctis Patribus & Eccleſiæ Doctoribus, quos vt vitæ, & morum Magiſtros Eccleſia colit, & veretur: ſed hæc adminiſtratio, qua parentes prædiuites largiſſimas eleemoſynas impendunt in neceſſitatibus pauperum ſubleuandis, ſummis laudibus commendatur à Sanctis Patribus, vt conſtat ex toto capite quinto: ergo ea adminiſtratio, qua parentes eas largiſſimas eleemoſynas impendunt, eſt recta, & prudens adminiſtratio: ergo cùm legitima filiorum ſit ea pars bonorum, quę remanet poſt rectam, & prudentem adminiſtrationem, ij ſumptus eleemoſynarum non pertinent ad legitimam.

Ideò ad prudentem adminiſtrationem ſpectant eleemoſynæ multæ.

153. *Theſaurizare filiis eſt imprudens adminiſtratio, iuxta SS. PP.*

Confirmatur tertiò. Ea bonorum adminiſtratio, qua parentes theſaurizant, & relinquunt filiis nimias diuitias in præiudicium pauperum, reprehenditur à Sanctis Patribus, vt conſtat ex toto capite quinto, tanquam ea, in qua filiis relinquitur materia vitiorum luxuriæ, auaritiæ, ſuperbiæ, &c. Ergo recta, & prudens adminiſtratio eſt illa, in qua eiuſmodi ſuperflua inſumuntur in vſus pios, & neceſſitates pauperum, ne nimiæ diuitiæ filiis præbeant occaſionem ſpiritualis ruinæ: ergo eiuſmodi adminiſtratio, qua ſuperflua inſumuntur in neceſſitatibus pauperum ſubleuandis, nullam irrogat iniuriam legitimæ filiorum.

154. *Ad neceſſarios ſumptus pertinent, quos inſumit, ſicut pro valetudine, ita pro ſalute æterna.*

Confirmatur quartò. Sicut ea, quæ pater inſumit ad procurandam ſuam, & filiorum valetudinem, inter ſumptus neceſſarios familiæ computantur, pertinentque ad rectam, & prudentem rei familiaris adminiſtrationem, etſi ſumptus illi ingentes ſint; ita etiam ſumptus, quos pro animæ ſuæ, & filiorum ſalute, & incolumitate ſpirituali: ſed ſumptus ingentes, quos pater prædiues impendit in eleemoſynas pauperum, fiunt pro ſalute, & incolumitate ſpirituali animæ ſuæ, & filiorum: ergo hi ſumptus computandi ſunt inter ſumptus neceſſarios familiæ, adeóque ſpectant ad rectam, & prudendem rei familiaris adminiſtrationem; & conſequenter nullam legitimæ filiorum iniuriam irrogant. Maior eſt Sancti Cypriani *lib. de opere & eleemoſ.* verbis relatis *cap.* 5. *num.* 103. & paritas rationis vrget. Minor autem, & conſequentia manifeſtæ ſunt.

155. *Eleemoſynis aſſecurantur alimenta filiorum.*

Confirmatur quintò. Illi ſumptus pertinent ad rectam, & prudentem adminiſtrationem rei familiaris, qui fiunt pro aſſecurandis, & in tuto ponendis alimentis filiorum futuris; vel, ſi mauis,

Digitized by Google

manis, pertinent ad ipſas legitimas filiorum: ſed (ſi credimus Chryſoſtomo *homil. 53. ad pop. Antioch.* & *ſerm. de gratiis reddendis*, verbis relatis *cap. 5. num. 109. & 110.* & Sancto Cypriano *lib. de opere, & eleemoſ.* verbis poſitis *num. 106.* qui id ex ſacris Scripturæ oraculis confirmant) ſumptus, qui impenduntur in eleemoſynas pauperum, ſecutiora reddunt, & in tuto ponunt futura alimenta filiorum: ergo eiuſmodi ſumptus, quos ita expendit pater, vel pertinent ad prudentem adminiſtrationem rei familiaris, vel pertinent ad legitimas filiorum. Atqui neutro modo irrogatur iniuria legitimæ filiorum. Nam ſi primo modo res hæc intelligatur, vt filius ratione legitimæ non habet ius ad ea, quæ ſpectant ad prudentem adminiſtrationem; ita neque ad eos ſumptus. Si verò ſecundo modo intelligatur, quæ fiunt in vtilitatem legitimæ, non irrogant iniuriam legitimæ.

156. Dices, in hac doctrina videri nos repugnantia docere. Concedimus enim has duas propoſitiones: primam, *Pater poteſt inſumere in eleemoſynis multa in præiudicium legitimæ filiorum.* Secundam, *Quæ pater inſumit in eleemoſynis, non pertinent ad legitimam filiorum, ſed ſunt extra illam.* Quod ſi ea, quæ inſumuntur in eleemoſynis, non pertinent ad legitimam filiorum, fit, quod legitima filiorum non minuatur per illas; atque adeò, quod illæ non fiant in præiudicium legitimæ filiorum: hæc autem vltima propoſitio contradicit primæ.

Si eleemoſynæ ſunt extra legitimam, quomodo fiũt in præiudiciũ legitimæ.

157. Sed hæc obiectio non habet ſpecialem difficultatem contra noſtram ſententiam; cùm eodem modo habeat locum in ſententia P. Thomæ Sanchez, iuxta quam pater poteſt facere eleemoſynas paulatim, licèt ſimul computatæ excedant quintum bonorum, de quo pater poteſt liberè diſponere iure Hiſpano: quæ proptereà eleemoſynæ non ſunt computandæ in quintum, ſed detrahendæ ex legitimis filiorum; eo quod ij ſumptus pertineant ad rectam, & prudentem bonorum adminiſtrationem. Si ergo ij ſumptus pertinent ad adminiſtrationem, non pertinebunt ad legitimam: ergo non erunt in præiudicium ligitimæ, neque ex legitimis detrahendi erunt.

158. Reſpondeo ergo, legitimam dupliciter conſiderari. Primò, vt iam determinatam ad talem quotam poſt ſumptus factos prudenter à patre in adminiſtratione. Secundò, antequam conſiderentur prædicti ſumptus facti prudenter à patre: quo pacto ſumptus omnes, qui omittuntur à patre, etiam neceſſarij ad familiæ ſuſtentationem, accreſcunt legitimæ. Dum ergo dicimus, ſumptus, quos pater expendit in eleemoſynis, eſſe in præiudicium ligitimæ filiorum, id aſſerimus, ſumpta legitima ſecundo modo: quia ſi pater omiſiſſet eos ſumptus, illi accreſcerent legitimæ: & in hoc ſenſu, dum fiunt, ſunt in præiudicium legitimæ, quia legitima ex omiſſione eorum augenda erat; non verò quia fiant cum iniuria legitimæ. Cùm verò dicimus, ſumptus eleemoſynarum non pertinere ad legitimam, id intelligimus ſumpta ligitima primo modo: nam poſtquam facti ſunt prædicti ſumptus, illi pertinent ad prudentem adminiſtrationem, & non ad legitimam iam determinatam, & computatam: quia huius quantitas non determinatur, niſi poſt rectam, & prudentem rei familiaris adminiſtrationem, ad quam illæ copioſæ eleemoſynæ patris prædiuitis ſpectant.

CAPVT VIII.

Quartum argumentum, ex eo quod ius ciuile nihil diſponat in præiudicium cauſæ piæ.

PRænotandum eſt, quoties loquimur de diſpoſitione iuris ciuilis circa legitimam filiorum, ſemper intelligere nos de legitima, prout hæc excedit alimenta filiorum requiſita ad naturam alendam, & ſtatum ſuſtinendum. Quo poſito. 159.

Quartum argumentum eſt. Ius ciuile non poteſt expreſsè diſponere, vt pater reſeruet tantùm legitimam filiis in præiudicium cauſæ piæ: expreſsè, inquam, præcipiendo, vt id largiatur filiis, & non cauſæ piæ: ergo neque poteſt id implicitè diſponere in præiudicium cauſæ piæ: ergo non obſtante iure ciuili id diſponente, poteſt pater fauore cauſæ piæ minuere legitimam ſuperabundantem filiorum. 160.

Prima conſequentia patet; quia quod id non poſſit diſponere in præiudicium cauſæ piæ, non eſt quia non poſſit mentionem facere cauſæ piæ; ſed quia aut in hoc defert, aut ſphæra Iuris ciuilis non protenditur ad cauſam piam. Secunda etiam conſequentia euidens eſt: quia dum lex inualidè diſponit, nihil facit illicitum, qui operatur contra legem. 161.

Antecedens verò ex alia vniuerſaliori propoſitione infertur, nempe, quod ius ciuile nihil poteſt diſponere in præiudiciũ cauſæ piæ. Quæ propoſitio eſt communis Doctorum ſententia. Quod innumeris exemplis oſtendi poteſt. 162.

Sententia omnium, Ius ciuile nequit diſponere in præiudicium cauſæ piæ.

Primò. Teſtamentum ſolo nutu factum, iure ciuili eſt inualidum, *leg. Iubemus, Cod. de teſtam.* & *leg. 6. tit. 3. part. 6.* At ſi fiat ad cauſas pias, validum eſt, quia id in præiudicium cauſæ piæ leges ciuiles non potuerunt diſponere. Ita Couarru. *tom. 1. variar. tract. de teſtam. cap. 13. num. 8.* apud quem idem tenent Gloſſa *cap. cum tibi, de teſtam.* Abbas, & communiter Doctores *ibid.* Baldus *leg. 1. Cod. de ſacroſanctis Eccleſ. lect. 1. colum. 3.* Iaſon *leg. Iubemus, Cod. de teſtam. colum. 2.* & ibi Angelus, Alexander, Corneus, & alij. Et eſſe opinionem communem, fatentur ibi Iaſon, & Corneus. Idem docet P. Molina *de iuſtit. tom. 1. diſp. 134. §. ex eodem.* Antonius Gomez *leg. 3. Tauri, num. 110.* & alij apud ipſos. 163.

Teſtamentum nutu factum, iure ciuil eſt inualidum.

Valet tamen ad cauſas pias.

Secundò. Ob eandem rationem, licèt iure ciuili inualida ſit inſtitutio hæredis, ſi alterius meræ voluntati committatur, iuxta *leg. 32. ff. de hæredibus inſtituendis*, & *leg. 11. tit. 3. part. 6.* & *leg. 31. Tauri*: at ſi cauſa pia hæres inſtituatur, valet inſtitutio, quia de hoc diſponere non ſpectat ad authoritatem laicam. Et ita docent Cauarru. *tom. 1. variar. tract. de teſtam. cap. 13. n. 15.* vbi ita rationem reddit: [Idem tamen erit dicendum quoad inſtitutionem hæredis fauore piæ cauſæ; quæ iuris ciuilis ſubtilitatibus minimè ſubiacet.] Quare ergo ſubiacebit circa diſpoſitionem ſuperabundantis legitimæ in fauorem cauſæ piæ? Idem quod Couarru. apud ipſum tenent Bartolus *in leg. captatorias, ff.* 164.

Inſtitutio hæredis, alterius voluntati cõmiſſa, non valet.

Præterquam ſi ſit hæres cauſa pia.

Digitized by Google

ff. de heredibus inſtit. & Imola *ibid. n.* 10. Alexander *n.*6. Corneus *in leg. captatorias, Cod. de teſtam.militis, n.* 4. Item P.Molina *tom.*1. *diſp.* 157.§.*legatum*, qui affirmat eſſe communem, & Antonius Gomez *leg.*31. *Tauri, n.*1.

165. Neque obſtat, ſi dicas, valere inſtitutionem ad pias cauſas, etiamſi committatur meræ voluntati alterius; non quia leges ciuiles non diſponant de cauſa pia, neque in præiudicium illius; ſed quia ita expreſsè deciditur in iure Canonico, nempe *cap. cum tibi, de teſt.* illis verbis. *Qui extremam voluntatem in alterius diſpoſitionem committit, non videtur decedere inteſtatus.*

166. Id, inquam, non obſtat, quia ſi authoritas laica poſſet de hoc diſponere, vtique leges eius obligarent, etiam contra leges Põtificum; ſicut non obſtante eo canone, de facto obligant circa teſtamentum merè profanum. Quia ſacri Canones non tollunt Principibus laicis eam poteſtatem condendi leges vtiles, quam hic & nunc, & pro cauſis ſibi ſubiectis habent.

Ius canonicũ non valet in materia profanam terris Principum laicorum.

167. Tertiò. Licèt iure ciuili reddatur inualidum, ſaltem pro foro externo, teſtamentum, quod non habuerit maiorem numerum teſtium; tamen ſi teſtamentum ſit ad cauſas pias, ſufficiunt duo teſtes, in quibus iure naturali ſtat omne verbum. Quia teſtamentum, eo ipſo quod ſit ad cauſas pias, non poteſt inualidari à lege ciuili. Et ita de teſtamento ad cauſas pias propugnat communis Doctorum ſententia. Tiraquellus *tract. de priuilegiis cauſæ piæ, priuil.* 1. & apud ipſum Bartolus, Baldus, Ioannes Faber, Salicetus, Fulgoſus, Paulus Caſtro, Franciſcus Aret. *leg.*1. *Cod de ſacroſanctis Eccleſ.* & aliis in locis; ſicut & Raphael Cuman. Alexander, & Corneus, *& plerique omnes vbique.* Quæ ſunt verba Tiraquelli. Item id affirmat Couartuuias *tom.* 1. *variar. c.*10. *de teſtam. n.*1. & rationẽ reddit *n.*5. quia in teſtamentis piis, iuris gentium tantum ſolemnitas ſufficit. Addens, idem dicendum eſſe de legatis piis relictis in teſtamento, quod inualidum eſt defectu ſolemnitatis iure ciuili requiſitæ. Et ob ſimilem rationem aſſerit, non eſſe opus teſtibus rogatis, ſi teſtamentum ſit ad cauſas pias; quãvis ius ciuile poſtulet teſtes rogatos. Item in teſtamento ad cauſas pias, fœminas poſſe eſſe teſtes, quæ quidem iure ciuili excluduntur. Pro quibus, & ſimilibus aſſertionibus, quæ continent doctrinam communem, quamplurimos Doctores refert *ibid.* Eaſdem aſſertiones ſtatuit P.Molina *to.*1. *diſp.*134. & Tiraquellus *tract. de cauſa pia, priu.*3. & 5. cum plurimis. Addens, in teſtamento ad pias cauſas ſolum ius gentium, aut diuinum attendendum eſſe. Quare ergo non idem dicendum erit circa diſpoſitionem legitimæ ſuperabundantis taxandæ in præiudicium cauſæ piæ?

Teſtamentum cum duobus teſtibus iure ciuili eſt nullum.

Et valet ad cauſas pias.

168. Quartò. Iure ciuili non valet teſtamentum ſine inſtitutione hæredis, §. *ante heredis, Inſtit. de legatis.* Sed excipiendum eſt teſtamentum ad cauſas pias, de quibus lex ciuilis non diſponit. Quod docet Tiraquellus *tract. de cauſa pia, priuil.*15. & ibi Bartolus, Barbat. Panormit. Paulus Caſtr. & Firmianus.

Teſtamentũ ſine inſtitutione hæredis.

Valet ad cauſas pias.

169. Quintò. Nihil in iure ciuili magis celebre, quàm, non poſſe eundem hominem decedere ex parte teſtatum, & ex parte inteſtatum. Ita §. *hereditas, Inſtitut. de heredibus inſtit.* & tamen poteſt in fauorem cauſæ piæ. Ita Tiraquellus *tract. de cauſa pia, priuil.*13. & apud ipſum Bartolus, Ancharanus, Imola, Panormitanus, Alexander, Corneus, Iaſon, Philippus Decius. Rationem ſubdit Tiraquellus, quia *pia cauſa nullis ciuilibus legibus coarctantur.* Cur ergo reſpectu patris cauſa pia legibus ciuilibus coarctabitur?

Nemo decedit ex parte teſtatus.

Excipe fauore cauſæ piæ.

Sextò. Inualidum eſt teſtamentum; in quo filio relinquitur legitima alio titulo, quàm hæreditatis. *Auth. vt cum, de appellat.* §. *aliud quoque, collat.*8. & *leg.*5. *tit.*8. *part.*6. Et tamen valet, ſi hæres inſtituatur cauſa pia, vt tuentur Tiraquellus *de cauſa pia, priuil.* 14. & ibi Bartolus, Flor. Anchar. Imola, Fulgoſ. & Alexander. Cuius aſſumpti in materia teſtamentorum poteris videre multa alia exempla apud eundem Tiraquellum in prædicto tractatu. Quale eſt, in legatis piis non habere locum Falcidiam, iure ciuili in omnibus legatis introductam, neque Trebellianicam in fideicommiſſo vniuerſali ad pias cauſas. Item inhabilem iure ciuili ad teſtandum, poſſe teſtari ad pias cauſas, & multa alia ſimilia. Sed & in aliis materiis non pauca ſunt exempla. Quare. 170.

Non valet, ſi legitima relinquitur filio, alio titulo, quàm hæreditatis.

Valet, ſi hæres eſt cauſa pia.

Septimò. Licèt iure ciuili inualida ſit donatio omnium bonorum, valet tamen ad pias cauſas, vt conſtat ex capite primo, vbi pro hac ſententia reperies citatos plurimos Authores, *num.* 5. 171.

Non valet donatio omnium bonorũ.

Niſi pro cauſa pia.

Octauò. Abſque traditione non adquiritur dominium ex contractu, §. *per traditionem, Inſt. de rerum diuiſione.* Et tamen id non intelligitur de cauſa pia, vt ex communi omnium tradit Tiraquellus *citat. priuil.*167. & P.Molina *tom.*1. *diſp.*3. §. *excipiuntur.* 172.

Abſque traditione non adquiritur dominium ex contractu.

Niſi in cauſa pia.

Nonò. Donatio inter virum, & vxorem non valet, *ff. & Cod. de donatione inter virum, & vxorem.* Adhuc tamen valet, ſi donetur ad cauſas pias, vt aſſerunt Tiraquellus *ibid. priuileg.*128. & apud ipſum Cuman. Bartolus, & Alexander. Et idem eſt de donatione patris reſpectu filij, vt idem Tiraquellus docet *priuil.* 129. apud quem multa alia exempla reperies. 173.

Non valet donatio inter virum & vxorem.

Niſi ad cauſam piam.

Decimò. Hæreditas non poteſt dari ſolo pacto, *leg. hereditas, ff. de pactis conuentis:* niſi inter milites, *leg. licet, Cod. eod.* Bene tamen poteſt dari ſolo pacto, ſi ſit hæres cauſa pia. Ita P. Thom. Sanch. *lib.*7. *ſum. cap.*2. *num.*51. quod latè probat. 174.

Hæreditas non datur ſolo pacto.

Excipe cauſam piam.

Et quidem principium generale huius fundamenti, quod leges ciuiles nequeant diſponere aliquid in cauſis piis, diſertis verbis tradit Tiraquellus *de cauſa pia, priuil.* 164. cui hunc titulum præfigit: [In piis cauſis, diuini tantùm iuris, & naturalis habetur ratio.] Id quod multis confirmat: nec tamen excludit ius canonicum, ſed ciuile, municipale, &c. Et apud Tiraquellum id principium generale ſtatuunt Bartolus, Baldus, Fulgoſus, *leg.*1. *de ſacroſanctis Eccleſ.* Idem Fulgoſus *in leg. generali, Cod. eod.* Cardin. & Panormit. *in cap. cum eſſes, & cap. relatum, de teſtam.* Cumanus *conſil.* 115. *col. penult.* Paulus Caſtr. *conſil.* 93. *col.*1. *lib.*1. & *conſil.* 456. *col.*2. *lib.*1. Alexand. *conſil.* 210. *per totum, lib.* 2. Archidiaconus *cap. ſcriptum*, 6. *quæſt.* 3. Idem principium generale tradunt P. Thom. Sanch. *lib.* 7. *ſum. cap.* 2. *num.* 51. & P.Molina *tom.*1. *diſp.* 134. §. *ratio cur*; & *tom.*2. *diſp.*279. §. *His tamen*, & *diſp.*28?. §. *noſtram.* 175.

In cauſis piis non habetur ratio iuris ciuilis.

Quod confirmat Tiraquellus eo aſſerto Archidiaconi ſuprà citati, quod vbi agitur de ſalute animæ, non attenduntur apices iuris. 176.

Quod

Quod dictum approbat Philippus Decius *cap. cùm dilecta, de reſcript.* & idem ferè dicunt Baldus *conſil. 216. in fine, lib. 1.* Panormitanus *in cap. virtutis, de dolo, & contum. col. 5.* & Catellus Cotta *in memoriali apic. iuris.*

177. *Extra ſpheram poteſtatis laica eſt diſponere de cauſis piis.* Cuius ratio ea eſt, quod poteſtas laica non diſponit de rebus Eccleſiaſticis, cauſis piis, & de iis, quæ ſpectant ad ſalutem animæ, & ad finem ſupernaturalem. Quod clarè conſtat *ex cap. Eccleſia Sancta Mariæ, de conſtitut.* Vbi ſic ait Innocentius III. *Nos attendentes, quod laicis, etiam religioſis, ſuper Eccleſiis, & perſonis Eccleſiaſticis nulla ſit attributa facultas; quos obſequendi manet neceſſitas, non authoritas imperandi: à quibus ſi quid motu proprio ſtatutum fuerit, quod Eccleſiarum etiam reſpiciat commodum, & fauorem, nullius firmitatis exiſtit, niſi ab Eccleſia fuerit approbatum. Vnde ſtatutum Baſily de non alienandis prædiis ruſticis, vel vrbanis, miniſteriis, & ornamentis Eccleſiarum; illa reprobatum fuit potiſſima ratione, quòd authoritate non fuit Romani Pontificis roboratum.*

178 *Leges ciuiles, facientes mentionem de Eccleſiaſticis, non valent.* Et propter hunc textum communis Doctorum ſententia fert, leges ciuiles facientes mentionem de rebus, aut perſonis Eccleſiaſticis, nullam habere vim obligandi. Ita P. Th. Sanch. *lib. 7. ſum. c. 9. n. 4.* & apud ipſum Panormit. Decius, Felinus, Beroius, Salicetus, Francus, Menchaca, Sarmiento, Caldas, Sfortia, & multos alios allegans Hondedeus. Tenet etiam Nauarrus *conſil. 2. de Regular. num. 53.*

179. Dices primò. Leges taxantes legitimam non facere ſpecialem mentionem Eccleſiæ, vel cauſæ piæ; ſed in generali diſponere, quod ea quantitas filiis, & aſcendentibus danda ſit; ex eo autem cōſequenter infertur, ſic ea quantitate nihil dandū eſſe cauſis piis, niſi fortè modica aliqua.

180. Contra tamen eſt. Nam vel leges ciuiles intendunt comprehendere id præiudicium cauſæ piæ, vel non intendūt? Si dicatur hoc ſecundū, infero; poſſe minui legitimam in fauorem cauſæ piæ, cùm leges ciuiles non intendant determinare legitimam in præiudicium cauſæ piæ. Si verò dicatur primum, nempe leges ciuiles intendere taxare legitimam in præiudiciū cauſæ piæ, iam extendunt poteſtatem ſuam vltra ſuam ſphæram; atque adeò tales leges non habent vim obligandi, cùm extra ſphæram ſuam nihil operentur. Et ſanè idem eſt, quod verbis generalibus diſponant de rebus Eccleſiaſticis, vel piis, intendendo illas ſpecialiter cōprehendere; & quod de illis diſponant verbis ſpecialibus. Nam ſiue verba generalia ſint, ſiue ſpecialia, defectus poteſtatis idem eſt, ad diſponendum in cauſa pia, aut Eccleſiaſtica.

Et ſi verbis generalibus agant, non valent circa piā cauſam.

181. Dices ſecundò, illud caput *Eccleſia Sancta Mariæ*, ſolùm loqui de rebus, & perſonis Eccleſiaſticis; non verò de quacumque cauſa pia.

182. Sed contrà eſt primò. Nam hinc ſaltem infertur, poſſe minui legitimam in fauorem Eccleſiæ, & perſonæ Eccleſiaſticæ.

183. *Cauſa pia, & Eccleſia in iure æquiparantur.* Contrà eſt ſecundò. Quia cauſa pia, & Eccleſia in iure æquiparantur, & gaudent eiſdem priuilegiis, vt docet Tiraquellus *de cauſa pia, priuil. 140.* & apud ipſum Ioannes Andr. Ancharanus, & Dominicus *in c. 1. de in integrum reſtitut.* & Innocent. *in cap. Relatum, de teſtam.* & ibi Panormit. *col. vltim.* & *cap. nulli, de Rebus Eccleſiæ non alienandis*: vbi id probat ex eo, quod Eccleſia, & pia cauſa repetiuntur in iure æquiparata, per caput *requiſiſti, §. ſecus autem, de teſtam.* Ancharanus *in Clem. cauſam, de elect.* & *Clem. diſpendioſam, de iudiciis.* Barbat. *cap. vlt. de teſtam.* Francus, *c. 1. de rebus Eccleſiæ non alienandis, in 6. col. 2.* Anchar. Card. & Floren. *cap. grandi, de ſupplendis neglig. Prælat.*

Ideò cauſa pia non ſoluit vectigalia, vt tenet communis ſententia, quæ omninò ſeruatur in praxi. De quo vide Card. Lug. *tom. 2. de iuſt. diſp. 36. ſect. 6. n. 102.* & P. Molina *de iuſt. diſp. 671.* Item Xenodochia reputantur ſacræ, & religioſæ domus, & Epiſcopo ſubiectæ, *c. 3. & 4. de religioſ. domib.* ex eo ſolùm, quod ad pios vſus ſunt deſtinata. Item *c. 12. de elect. in 6.* æquiparantur Eccleſiæ, Monaſteria, & loca pia: & æqualiter excommunicantur, qui vexant electores, eo quod nolint eligere aliquem ad præfecturam Eccleſiæ, Monaſterij, aut alterius loci pij. Et eodem modo æquiparantur *cap. generali, eod. tit.* & *cap. grandi, de ſupplendis neglig. Prælat.* 184.

Cauſa pia non ſoluit vectigalia.

CAPVT IX.

Tria alia argumenta pro eadem ſententia.

QVintum argumentum deſumitur ex iis, quæ poſui *diſp. præced. c. 2. art. 3.* etenim Deus hæc exteriora bona inſtituit, vt ex illis homines ſibi ſumerēt neceſſaria ad vitam alendam; atque adeò ipſo iure naturali hæc bona ad eum finem inſtituta ſunt: quam inſtitutionem nullo iure humano amittere poſſunt. Hinc fit, nullum humanum ius poſſe ita decernere legitimam filiorum, vt præiudicet neceſſitatibus grauibus pauperum, ſi ea legitima ſuperabundans ſit, & conſtans ex ſuperfluis ſtatus: quia leges id non potuerunt decernere contra inſtitutionem naturalem eorum bonorum. Vide verba Sancti Thomæ relata *diſp. præced c. 2. art. 3. n. 46.* vbi hanc bonorum inſtitutionem diſertè tradit, & ſubdit: *Ideò per rerum diuiſionem, & appropriationem ex iure humano procedentem non impeditur, quin hominis neceſſitati ſit ſubueniendum ex huiuſmodi rebus.* Vide S. Baſilium, S. Ambroſium; S. Auguſtinum, & Theophilactum, & verba eorum relata *diſp. præced. c. 2. art. 3.* qui eandem diuinam inſtitutionem eorum bonorum cognoſcunt. 185.

Hæc bona inſtituit Deus ad ſubleuandas miſerias hominum. Cui inſtitutioni leges humanæ præiudicare nequeunt.

Ideò non potuit taxari legitima in præiudicium pauperum.

Confirmatur primò. In graui pauperum indigentia bona appropriata fiunt communia, quantum ea indigentia requirit, vt conſtat *ex diſp. præced. n. 102.* ſed filius non habet ius negādi bona communia: ergo filio non irrogatur iniuria, ſi pater det pauperi ea bona legitimæ, quando ratione indigentiæ fiunt communia. 186.

Nemo habet ius negandi ea quæ fiunt communia.

Confirmatur ſecundò. Filius non eſſet rationabiliter inuitus, ſi nollet dari grauiter indigenti, in eo caſu, in quo ipſe tenetur impendere: ſed ſi filius poſſideret bona, in eo caſu teneretur impendere: ergo in eo caſu non erit rationabiliter inuitus. Ergo pater donat pauperi, quando filius non eſt rationabiliter inuitus: ergo nullam irrogat iniuriam filio. 187.

Filius non eſt rationabiliter inuitus circa largitionem, ad quam ipſe teneretur.

Confirmatur tertiò. Pauper in caſu grauis indigentiæ habet ius iuſtitiæ ad ea, quæ redundant in legitima filij, vt conſtat *ex diſp. præced. cap. 3. art. 2.* ſed pater non peccat dando illis ius ſuum: ergo non peccat minuendo legitimam in filij cauſâ eius grauis indigentiæ. 188.

Grauiter indigens habet ius ad ea, quæ ſuperſunt in legitima.

Digitized by Google

189. Dices, hoc argumento ſolùm probari, quod in extremis, vel grauibus neceſſitatibus pauperum poſſit pater erogare copioſas eleemoſynas in præiudicium legitimæ filiorum; non verò poſſe in neceſſitatibus communibus.

190. *Pater facere poteſt donationes remuneratorias in præiudicium legitimæ.* Et reſpondeo, id verum eſſe vi huius argumenti? Cæterùm eſſe argumenta propoſita, quæ probant, non ſolùm poſſe in grauibus, ſed etiam in communibus.

Sextum argumentum, quo vnico vtuntur Authores huius ſententiæ, eſt. Licet parentibus facere donationes remuneratorias in præiudi-
191. *Eleemoſyna computatur inter donationes remuneratorias.* cium legitimæ filiorum: ergo licet parentibus facere eleemoſynas, & alias donationes pias in præiudicium legitimæ filiorum. Conſequentia probatur. Nam eleemoſyna eſt veluti quædam donatio remuneratoria facta Deo, cui pro innumeris beneficiis in nos collatis maxima obſequia debemus. Ideò optimè rationem reddit Nauarrus citandus: *Quia hoc non eſt vera donatio, ſed donatio ob cauſam, & tantam, quæ omnes fortunas hominis ſuperat.*

192. Quod verò licitum ſit parentibus facere donationes remuneratorias in præiudicium legitimæ filiorum, quod erat primum argumenti antecedens, optimo eſt, quam defendunt Nauarrus *in ſum. c. 26. n. 39.* P. Molina *tom. 1. de iuſt. diſp. 224.* Item Ludouicus Lopez, Vega, Rodriguez, Ioannes Lupus, Caſtillo, Gomez Arias, Azeuedo, & Antonius Gomez, apud P. Thom. Sanch. *lib. 6. de matrim. diſp. 36. n. 2.* & ideò prohibitum donare, poſſe facere donationes remuneratorias, latè probat cum multis Lugo Card. *tom. 2. de iuſt. diſp. 23. à n. 130.* Rationem reddunt prædicti Authores: nam remuneratio debita ex gratitudine non eſt liberalis donatio, ſed potiùs debiti ſolutio, vt probat P. Thom. Sanch. *lib. 6. de Matrim. diſp. 6. n. 2.* Et ideò dum pater prohibetur facere donationes in præiudicium legitimæ filiorum, non cenſetur prohibitus remunerari, nec ſoluere debita gratitudinis; atque adeò non eſt prohibitus ſoluere Deo, quæ debet ex grauiſſima gratitudinis obligatione.

Septimum argumentum eſt. Licet parenti
193. *Patri licet inire contractus onerosos in præiudicium legitimæ.* inire contractus onerosos in præiudicium legitimæ filiorum, vt tenent indubitanter iuriſprudentes, *ex leg. 1. Cod. de inofficioſ. teſtam.* Vbi dicitur, ſi parens conſumpſit in vita multis donationibus ſubſtãtiam ſuam, filios habere querelam inofficioſæ donationis, vſque ad legitimam ſuam recuperandam. Vnde colligunt à cõtrario ſenſu, ſi contractibus onerosis conſumpſerit, nullam querelam, vel actionem filios habere poſſe. Et ita in hanc legem Gloſſ. Cynus, Paulus, Baldus, Salicetus, & cæteri Interpretes, apud Ayoram *de partitionib. part. 3. q. 23.*

194. *Eleemoſyna eſt contractus cum Deo initus.* Sed eleemoſyna, & ſumptus pius ſi reuerà, & non ſecundùm humanas dũtaxat leges penſetur, eſt verè contractus onerosus: ergo per eleemoſynas poteſt pater minuere legitimam filiorum. Hæc minor probatur. Nam ſecundùm veriorem, & communiorem ſententiam Theologorum, eleemoſyna, ſicut & quodlibet opus meritorium, eſt quidam contractus iuſtitiæ rigoroſæ cum Deo initus; in quo homo dat eleemoſynam in obſequium Dei, vt à Deo accipiat augmentum gratiæ, & Regnum cælorum: de quo vide P. Suar. *tom. 3. de gratia.* Quod intelligitur de eo, qui confert eleemoſynam, prudenter putans, ſe eſſe in ſtatu gratiæ. Quare ergo licebit contractibus onerosis inter homines celebratis minuere legitimam filiorum, non verò contractibus onerosis cum Deo initis?

Et quidem incredibile eſt primò, quod liceat fundare Capellam, & ſepulcrum honorificum emere in præiudicium legitimæ filiorum; non verò liceat ſumptus illos in alimenta pauperum inſumere; eò quod primus ſit contractus onerosus, non ſecundus, vt ex communi Iuriſprudentum voluit Ayora citatus. 195. *Incredibile eſt, quod liceat emere ſuperba, non autem alere pauperes.*

Incredibile eſt ſecundò, quòd liceat in præiudicium legitimæ filiorum emere præfecturam, causâ honoris dumtaxat, inſumendo in ea multa aureorum millia; & quod non ſit licitum (abſtinendo ab eius præfecturæ ambitu) ea aureorum millia in cibos pauperum expendere. Quod qui dixerit, videat, an hæc doctrina à Chriſti aſſertoris noſtri Euangelio diſſonet. 196.

Incredibilius eſt tertiò, quod liceat patri in præiudicium legitimę filiorum cõſumere multa bona ludendo, eo quod ludus ſit contractus onerosus; & quod non liceat ei (abſtinendo à ludo) ſumptus eius ludi in eleemoſynas pro æterna ſalute ſua conſequenda conuertere. 197. *Incredibile, quod liceat conſumere multa ludendo, non autẽ largiendo egenis.*

Vbi notandum eſt primò, ſæpiſſimè parentes irrogare iniuriam legitimæ filiorum per celebrationem contractus onerosi: v.g. per ludum, per contractum meretricium, per emptionem rerum ſuperfluarum, quæ non permanent in ſubſtantia rei familiaris. In quo caſu ſatisfacere debent filiis ex quinto bonorum, de quo poſſunt liberè diſponere, ni velint illud in opera pia expendere pro ſalute animæ, caſu quo remaneant filiis alimenta ſufficientia. 198. *Sæpe Patres irrogant iniuriam legitimæ, contractibus onerosis.*

Notandum eſt ſecundò, illicitum eſſe parenti celebrare contractus onerosos in præiudicium alimentorum, quæ iure naturæ debentur filiis, niſi ij contractus onerosi valde neceſſarij ſint ipſi parenti. Ita filiis pater irrogat iniuriam, cùm filiam dotat cum exceſſu in præiudicium alimentorum, quæ aliis filiis debita ſunt. Sic etiam, cùm fundat Capellaniam vni filio, vel ſibi emit præfecturam in præiudicium alimentorum, quæ cæteris debentur. 199. *Neque pater celebrare cõtractus onerosos in præiudicium alimentorum.*

Notandum eſt tertiò, cùm Iuriſprudentes dicunt generaliter, poſſe parentem per contractus onerosos præiudicare legitimæ filiorum, piè interpretandos eſſe; & intelligendos loqui tum reſpectu legitimæ copioſæ, non verò reſpectu alimentorum; tum etiam quantum ad actionem habendi querelam donationis inofficioſæ, ſiue quantum ad ius repetendi, quæ conſumpta ſunt per eiuſmodi contractus: non verò quia liceat parentibus per leges. Nam lex naturæ, quæ præſcribit, vt pater procuret alimenta filiorum, præſcribit etiam, ne faciat alienationes, aut contractus onerosos, qui ea alimenta defraudent, niſi ea contractus celebratio valdè ſit neceſſaria parenti, vel filiis; vel niſi prudenter pater ſperet, ſe deinceps adquiſiturum alimenta filiorum. 200.

CAPVT X.

Satisfit argumentis capite ſecundo propoſitis.

AD primum argumentum ex Auguſtino reſpondeo, illum nobis nihil aduerſari. 201.

Peto

An nemo poſſit, exhæredato filio, hæredem facere Eccleſiam.

Peto enim à Doctoribus oppoſitæ partis, de qua hæreditate loquatur ibi S. Auguſtinus; de hæreditaténe taxata per leges ciuiles, an verò de illa ſecundùm quantitatem debitam iure naturæ, id eſt, ſecundùm quantitatem, quæ requiritur ad vitam, & ſtatum? Si primum dicatur, id falſum eſt, vt ſuprà ſatis oſtendimus. Si verò nomine hæreditatis illud ſecundum intelligas, id quidem eſt, quod nos aſſeruimus *c.3.* Dicimus ergo, neminem poſſe exhęredato filio, hæredem facere Eccleſiam; quia ſtrictiſſimum ius naturæ eſt, relinquere filio hæreditatem, ſecundùm quantitatem ad alimenta requiſitam; de qua quãtitate non poteſt pater Eccleſiæ aliquid donare, nedum hæredem eam facere. Addimus tamen ex Euangelio, poſſe patrem, quod inde ſupereſt, donare eleemoſynam: contra quod euangelicum, ſiue præceptum, ſiue conſilium, nullæ ciuiles leges præualere poſſunt.

202. Quod autem hæc ſit mens Auguſtini, patet ex multis, quæ tradit Sanctus Doctor *in ſerm. 49. de diuerſis.* Nam *c.2.* ſcribit euentum de Ianuario Presbytero, qui cùm haberet filium, & filiam, exhæredauit vtrumque: & argentum quoddam; quod tanquam proprietarius (profitebatur enim paupertatem ex voto) apud ſe retinuerat, reliquit Eccleſiæ. Et inter alia ait Auguſtinus: [Ambos *exhæredauit*; illam cum laude; iſtum cum elogio, id eſt, cum vituperatione. Commendaui autem Eccleſiæ, vt non accipiant ipſas *portiunculas*, quæ pertinent ad exhæredatos, niſi cùm ad legitimam ætatem peruenerint. Hoc eis reſeruat Eccleſia.] Ex quibus clarè conſtat, argentum illud, quod reliquit Ianuarius Eccleſiæ, modicam eſſe hæreditatem, & partes filiorum fuiſſe portiunculas; atque adeò ad eorum ſuſtentationem requiſitas, & ideò iure naturæ debitas. Quod ius naturæ violauit Ianuarius, dum per exhæredationem voluit, illud à filiis auferri.

203. *Conſulit Auguſtinus, vt Eccleſiam inſtituant cohæredem.* Deinde id conſtat etiam *ex c. 3.* vbi dicens, quo modo cùm pater exhæredat filium, nolit ipſe eam hæreditatem Eccleſiæ acceptare; ait, ſe conſuluiſſe parentibus, vt non exhæredẽt filios ad donãdum Eccleſiæ; ſed vt diuidant ſubſtantiam ſuam cum filiis, & cum Eccleſia: ita vt ſi pater habuerit vnum filium, Chriſtum reputet ſecundum, & medietatem bonorum det cuilibet. Quod ſi duos filios habeat, tertium reputet & Chriſtum, &c. Id itaque deteſtatus eſt ſemper Auguſtinus, ſcilicet, quod filio exhæredato hæres fieret Eccleſia; non verò quod Eccleſia cohæres fieret in illis, quæ ſuperant de portione debita filiis, ſcilicet iure naturæ.

204. Quia tamen poſſet aliquis dicere, potuiſſe Auguſtinum, & fortè debuiſſe reſtituere eam partem hæreditatis, quæ iure naturæ debita eſt filiis, & quod de hæreditate ſuperetat, relinquere in Eccleſia, ſi vera eſt noſtra ſententia; cuius oppoſitum feciſſe videtur Auguſtinus, reſtituens totam hæreditatem filio exhæredato: (quamvis reſponderi poſſet, fortè hæreditatem non exceſſiſſe quantitatem alimentorum, vel noluiſſe Auguſtinum conſtituere ſe iudicem eius ſupputationis) huius ſui inſtituti (vt ipſe vocat) aliam reddit rationem, ſcilicet, cùm ipſe futurus eſſet Author pacis inter patrem exhæredantem, & filium exhæredatum, oportuiſſe, vt hæreditatem non tangeret, ſed ſaluam, & integram filio relinquẽret.

Sed præſtat audire verba Sancti Auguſtini ex eo capite ſecundo, & tertio. *Multi laudant, quod dicturus ſum; ſed & aliqui reprehendunt. Vtriſque ſatisfacere valdè difficile eſt. Audiſtis modo, cùm Euãgelium legeretur: Cantauimus vobis, & non ſaltaſtis; planximus, & non luxiſtis. Venit Ioannes non manducans, neque bibens; & dicunt: Dæmonium habet. Venit filius hominis manducans, & bibens; & dicunt: Ecce homo vorax potator vini, publicanorum, & peccatorum amicus. Quid ergo facio inter illos, qui parant me reprehendere, & dentes in me ducere, ſi ſuſcepero hæreditatem eorum, qui filios ſuos irati exhæredant? Iterum quid facturus ſum eis, quibus canto, & nolunt ſaltare? Qui dicunt: Ecce quare nemo donat Eccleſiæ Hipponenſi aliquid: ecce quare non eam faciunt, qui moriuntur, hæredem: quia Epiſcopus Auguſtinus de bonitate ſua (laudando enim mordent, labiis mulcent, dentem figunt) donat totum, non ſuſcipit. Planè ſuſcipio: profiteor, me ſuſcipere oblationes ſanctas.* (Sed quare oblationes patrum exhæredantium filios non ſunt ſanctæ, nec dignæ, quæ ab Auguſtino ſuſcipiantur? Rationem reddit.) *Si quis autem iraſcitur filio ſuo, & moriens exhæredat eum, ſi viueret non eum placarem? Non ei filium ſuum reconciliare deberem? Quomodo ergo cum filio ſuo volo vt habeat pacem, cuius appeto hæreditatem? Sed planè ſi faciat, quod ſæpe hortatus ſum, vnum filium habet, putet Chriſtũ alterum. Suſcipio.*

205.

Vbi notandum eſt primò, Auguſtinum ſuſcipere donationes Eccleſiæ factas à parentibus, quando parentes non exhæredebant filios, ſed cum filiis cohæredem eſſe volebant Eccleſiam: quia exhæredatio filij includit negationem alimentorum, quo pacto iniqua eſt, niſi in aliquibus circumſtantiis rarò euenientibus. Secundò, noluiſſe Auguſtinum ſuſcipere donationes parentum Eccleſiæ factas, quando parentes inimicitiæ cauſa erga filios, ea Eccleſiæ offerebant: nolebat enim opera pietatis eſſe fomenta vindictæ. Ex quibus omnibus conſtat, non docere Auguſtinum, legitimam ſuperabundantem reſeruandam eſſe filio, ſed illi reſeruandam partem ſuam, nempe requiſitam ad alimenta eius. 206. *Exhæredatio filij includit denegationẽ alimẽtorum.*

Ad ſecundum argumentum reſpondeo id, quod ſæpe dixi, non poſſe leges ciuiles præcipere, vt id, quod ſupereſt, non detur in eleemoſynam, cùm non poſſint aduerſari Euangelio: & ideò non poſſe præcipere, quod filiis relinquatur legitima ſuperabundans, in præiudicium pauperum. Et hac ratione intellectæ leges iuſtę ſunt. Lex autem trigeſima Tauri, quod de quinto deducenda ſint opera pia, legata in teſtamento parentis, intelligitur, quando legitima non eſt ſuperabundans, neque habet aliquid ſuperfluum filio; item quando dubium eſt, an ſit ſuperabundãs, an omninò requiſita ad alimẽta. 207. *Leges ciuiles nequeũt prohibere eleemoſynam ex iis, quæ ſuperſunt.*

208. *Quod redundat in legitima, nequit pater dare extraneo.* Neque inde rectè infertur, quod poſſit pater illud, quod ſuperabundat in legitima, donare extraneo diuiti, aut habenti alimenta ſufficientia, quia hoc prohibent, & prohibere poſſunt leges ciuiles.

209. *An poſſit dare extraneis, ne filius relinquat fomenta vitiorum.* Dices. Peccatum eſt relinquere filio nimias diuitias, quia filio ſunt fomenta vitiorũ, vt tradunt SS. Patres relati *c.5.* ergo ſiue pater donet pauperibus, ſiue non donet, id eſt peccatum: ergo ſiue donet, ſiue non donet pauperibus, non poſſunt leges præcipere, quod relinquat filio legitimam prædiuitem: cùm leges præcipientes

Digitized by Google

picntes peccatum inualidæ ſint. Si ergo eæ leges inualidæ ſunt, quid obſtat, quominus pater prædiues poſſit ſuperabundantiam legitimæ donare extraneo?

210. *Non minor culpa eſt, ditare extraneum, quàm filium.*

Pro ſolutione præmitto primò, non minus peccatum eſſe ditare extraneum, quàm ditare filium, vt per ſe patet: tam enim ſunt diuitiæ fomenta vitiorum reſpectu extranei, quàm reſpectu filij. Vel ergo extraneus, cui ſuperabundantia legitimæ legaretur, haberet alimenta ſufficientia, vel non haberet? Si primum, id eſſet ditare extraneum. Si ſecundum, ille quidem pauper eſſet: eſt enim pauper, qui caret alimentis requiſitis. Et ſi quidem quantitas legata extraneo adæquaret, vel non pertingeret ad alimenta requiſita extranei, eleemoſyna eſſet: ſi verò nimis excederet, iam id eſſet ditare extraneum.

211. *SS. PP. præſumunt ruinã ſpiritualem in diuitiis.*

Præmitto ſecundò, Sanctos Patres eam doctrinam ſtatuentes, ex communiter accidentibus præſumere, nimias diuitias afferre nocumentum ſpirituale filio: non quia non poſſit pater in aliquibus circumſtantiis eas relinquere filio abſque eo periculo ſpirituali; ex cauſa enim rationabili poteſt, vbi prudenter credit pater filium non abuſurum nimiis diuitiis: ſed quia ex cõmuniter accidentibus id timendũ eſt.

212. *Id leges non præſumunt. Et quare?*

Præmitto tertiò, leges ciuiles id non præſumere: quia ſicut ad Principem laïcum non ſpectat vitare peccata venialia patris, neque occaſiones remotas prodigalitatis, aut aliorum vitiorum; ita neque ad id attendere, neque ſuper eo præſumptionem facere. Id enim magis ſpectat ad finem ſupernaturalẽ, quàm ad politicũ.

213. *In hoc puncto aliter in foro externo, & aliter in interno iudicandum.*

Præmitto quartò, in hoc puncto aliter iudicandum eſſe in foro interno, atque in externo. Nam in foro externo ferè nunquam habebit locum ea ratio, quod diuitiæ erunt filio occaſio vitiorum; quia ferè nunquam poterit probari, quod filius iis diuitiis nimiis eſſet abuſurus. Et ideò ſi pater extraneo diuiti relinqueret eas diuitias, filio exhæredato, ſub eo prætextu, quod filius eis eſſet abuſurus, extraneus ille probare deberet, quod filius reipſa abuſurus eſſet; quod difficillimè probare poſſet, cùm probationes de euentu futuro ferè ſemper ſint impoſſibiles. Et hinc patet, materiam huius obiectionis dũtaxat habere locum pro foro interno.

214. *Nequit eſſe culpa dare potiùs filio, quàm extraneo diuitias.*

Præmitto quintò, licèt iuxta doctrinam Sanctorum Patrum relatam, vt in plurimò ſit peccatũ relinquere nimias diuitias filio; at ex ſuppoſitione, quod pater non donet illas pauperibus, aut cauſæ piæ, non eſt peccatum relinquere potiùs filio, quàm extraneo. Quia ex ſuppoſitione, quod non donet cauſæ piæ, neceſſe eſt quod poſt mortem ſuam eas relinquat, vel filio, vel extraneo.

215. *Potuerunt leges obſtringere, vt diuitiæ dentur potiùs filio, quàm extraneo.*

Et hinc fit, quod ex ſuppoſitione, quod pater non donet eam diuitiarum nimietatem cauſæ piæ, potuerunt leges ciuiles conferre ius potiùs filio, quàm extraneo, licèt non potuerint conferre in præiudicium cauſæ piæ. Quia cùm ex ſuppoſitione non ſit peccatum, relinqui eas nimias diuitias potiùs filio, quàm extraneo, non eſt vnde eiuſmodi leges inualidentur.

216. Hinc reſpondetur obiectioni, concesso antecedẽti modo ſuperiùs explicato, & diſtinguendo conſequens: ergo id eſt peccatum [abſolutè] concedo; [ex ſuppoſitione, quod non donet cauſæ piæ,] nego. Quia ſuppoſito priori peccato, ſaltem veniali, non donandi pauperibus eam exorbitantiam diuitiarum, non eſt nouum peccatum relinquere eas potiùs filio, quàm extraneo; & ideò ex hac ſuppoſitione potuerunt leges ciuiles conferre id ius potiùs filio, quàm extraneo: præſcribentes, vt ſi non dederis cauſæ piæ, des filio potiùs, quàm extraneo.

Inſtabis: Maior obligatio eſt in patre vitandi occaſionem vitiorum in filio, quàm in extraneo: ſed nimietas diuitiarum eſt occaſio vitiorum: ergo maiorem obligationem habet auferendi eas à filio, quàm ab extraneo: ergo ſi fomenta vitiorum ſunt, potiùs extraneo, quàm filio relinquere poteſt. 217. *An Pater magis obligetur vitare fomenta vitiorum in filio, quàm in extraneo?*

218. Pro reſponſione ſuppono, eam occaſionem non eſſe proximam, ſed remotam; ideò eam obligationem non eſſe ſub mortali, ſed ſub veniali. Deinde quæ ex eo capite videtur eſſe maior obligatio patris reſpectu filij, quàm reſpectu extranei, ex alio capite compenſari, & exæquari videtur; nempe quia diuitiæ ex alieno habitæ faciliùs prodiguntur, quàm habitæ ex hereditate paterna, quæ tanquam propriæ conſiderantur. Quod videtur ſufficere pro obligatione leui, & quæ ſolùm ſub veniali obſtringit.

219. *Filius non habet ius ad ea, quæ redundant in legitima, in præiudicium cauſæ piæ.*

Ad tertium argumentum nego, filium habere ius rigoroſum ad ea, quæ ſuperſunt in legitima ſuperabundanti, in præiudicium pauperum, vel cauſæ piæ. Si enim hoc ius haberet, id eſſet ex lege ciuili; lex autem ciuilis non potuit dare illis tale ius in præiudicium cauſæ piæ, & contra præceptum, vel conſilium Euangelij. Præterea leges non conferunt ius ad legitimam, niſi ex eis, quæ ſuperſunt ex recta, & prudenti adminiſtratione bonorum ſuorum: ad hanc autem pertinent eleemoſynæ, quæ nihil detrahunt alimentis requiſitis ad ſuſtentationem vitæ, & ſtatus filiorum, vt conſtat *ex cap. 7.* Vnde optimè poteſt pater facere eiuſmodi eleemoſynas pro recta adminiſtratione bonorum ſuorum, atque adeò abſque iniuria legitimæ filiorum.

220. *Licent donationes remuneratoriæ in præiudicium legitimæ.*

Ad quartum reſpondeo primò, negando, patrem non poſſe facere donationes remuneratorias in præiudicium legitimæ filiorum, quando illæ reuerà debentur ex gratitudine, vt ex mente multorum Doctorum dixi *cap. 9. à n. 191.*

221. *Duplex diſcrimen inter donationes remuneratorias, & eleemoſynas.*

Reſpondeo ſecundò omittendo, patrem non poſſe facere eas donationes remuneratorias extra cauſam piam; negando verò conſequentiam deductam circa eleemoſynam. Et multis ex capitibus poteſt aſſignari diſcrimen. Primò, quia leges ciuiles poſſunt prohibere ex cauſa iuſta donationes remuneratorias non pias, factas in præiudicium legitimæ filiorum, quia id ſpectat ad poteſtatem ſuam ciuilem: non autem eleemoſynas, quia cauſa pia eſt extra poteſtatem ciuilem. Secundò. Nam erogare eleemoſynas eſt conſilium euangelicum: non autem facere donationes remuneratorias, quæ iuxta oppoſitam ſententiam abſolutè non ſunt debitæ. Ideò has prohibere poteſt ciuilis poteſtas, non autem illas.

222. *An donatio remuneratoria ſit magis obligatoria, quàm eleemoſyna?*

Quod autem donatio remuneratoria ſit magis obligatoria, quàm eleemoſyna, quæ erat minor eius obiectionis, falſum quidem eſt, ſi ſit ſermo de iis remuneratoriis donationibus, ad quas quis nequidem ſub culpa veniali tenetur. Si autem ſint aliquæ remunerationes, ad quas quis, ſaltem ſub veniali teneatur, non poteſt lex

ciuilis

Digitized by Google

ciuilis eas prohibere in eiſdem circumſtantiis, in quibus ſub veniali obligant: cùm non poſſit lex ciuilis præcipere id, quod peccatum veniale eſt.

223. *Retorquẽtur argumentum in ſuos Authores.* Ad quintum reſpondeo primò, retorquendo argumentum in ſuos Authores. Nam ſi legitima filiorum eſt iure naturæ debita, & ideò non poteſt pater ei præiudicare per eleemoſynas; ſimiliter neque poterit præiudicare emendo ſepulcrum honorificum, vel præfecturam ad honorem. Item infero: ergo non poteſt pater præiudicare legitimæ alterius filij, faciendo ſumptus pro ſtudio alterius filij; quod aduerſarij admittunt.

224. *Etiamſi legitima ſit debita iure naturæ, poteſt facere Pater vberes eleemoſynas.* Quod ſi dicas, ſumptus emptæ præfecturæ, & expenſas filij ſtudentis, eo ipſo quod patri permittantur à lege ciuili in detrimẽtum aliorum filiorum, non ingredi legitimam filiorum iure naturæ debitam: idem & ego reſpondebo. Omittendo itaque, quod legitima ſit debita iure naturæ, nego, eam legitimam computari, niſi poſt rectam, & prudentem patris adminiſtrationem, intra quam computantur ſumptus eleemoſynarum. Ea ergo legitima, etſi iure naturali debita, computanda eſt, exceptis eleemoſynis de ſuperfluo factis.

225. *Legitima non eſt debita iure naturæ quoad exceſſum.* Reſpondeo ſecundò, legitimam eſſe debitam iure naturæ, quoad alimenta requiſita, non verò quoad exceſſum ſuperabundantiæ. Et ideò quoad hunc poſſe legitimam filiorum, vel parentum, ſtatuto, & conſuetudine tolli omninò, dummodo integra alimenta retineantur, communis ſententia eſt inter Iuriſprudentes, vt affirmat illam ſequens Ioannes Gutierrez *lib. 3. practic. tr. q. 82. n. 7.* & apud ipſum Coſta, Ripa, Antonius Gabr. Rojas, Ioannes Garcia, Alexander, Abbas, Rolandus, & Iaſon. Sequitur etiam Petrus Surdus *de aliment. tit. 9. q. 2. num. 5.* & apud ipſum Decius, & Cagnolus *in leg. iura ſanguinis, ff. de regulis iuris.*

226. Ad textus autem in obiectione allegatos reſpondeo, in eo ſenſu legitimam dici iure naturæ debitam, quatenus legitima includit alimenta, quæ iure naturæ debita ſunt. Et textus ex capite ſi pater, expreſſiùs, & clariùs loquitur de alimentis matri debitis iure naturæ, non de legitima taxata per legem ciuilem.

227. *An ea Authentica ſit approbata ab Eccleſia?* Ad ſextum. Eam Authenticam habere vim obligandi, non videtur certum. Nauarrus enim *de Regular. conſil. 2. n. 53.* (apud P. Thom. Sanch. *lib. 7. ſum. c. 9. n. 5.*) dixit, facilè defendi poſſe, eam non habere vllam vim, eo quod diſponat de perſonis, & rebus Eccleſiaſticis, & à Pontifice non inueniatur approbata. In quo caſu legem ciuilem non habere vim obligandi, deciditur *in cap. Eccleſia Sanctæ Mariæ, de conſtitutionibus*, relato ſuprà *num. 177.* & Decius *leg. Senatum n. 14. Cod. qui teſtam. fac. poſ.* (apud eundem ibid.) ait, nullam vim habere eas leges, quæ continentur in Codice *de ſacroſanctis Eccleſ.* & Codice *de Epiſcopis, & Cler.* ob eandem rationem.

228. *Non eſt approbata, etiã contenta in Decreto Gratiani.* Bene autem reiicit P. Thom. Sanch. *loco cit. n. 6.* eos, qui dicunt, approbatam eſſe à iure canonico, eo quod decreto Gratiani inſerta ſit. Quomodo enim poteſt habere vim canonis, ex eo quod priuatus Author eam inter canones ſcripſerit?

229. Dando ergo id, quod ait P. Thom. Sanch. *n. 7.* quod tacitè à Pontificibus approbata ſit, ea verba, *legitima portione nulli diminuta*; interpretanda ſunt de legitima, quæ non ſit manifeſtè ſuperabundans filiis, quæque non contineat aliquid ſuperflui, attento illorum ſtatu; non verò de legitima, quæ aliqua continet filiis ſuperflua. Idque, ne dicamus, eam Authenticam contradicere Euangelio, iuxta quod id, quod ſupereſt, à Chriſto iubemur, aut inducimur dare eleemoſynam. *Exponitur ea Authentica.*

Ad ſeptimum reſpondeo primò, conceſſa maiori, & minori, & negando conſequentiam. Quia id, quod ſuccedit loco alterius, non debet habere eaſdem omninò qualitates, quas habet illud alterum. 230.

Reſpondeo ſecundò diſtinguendo minorem: legitima ſucceſſit loco alimentorum, [quantum ad eam partem, quæ requiſita eſt ad ſuſtentationem naturæ, & ſtatus,] concedo; [quantum ad ſuperabundatiam,] nego. Nam ſicut alimenta non ſunt iure naturæ debita, niſi ſub ea conditione, quod filius non aliunde habeat, vnde competenter alatur, & quatenus ea alimenta ad vitam, & ſtatum requiruntur, ita legitima ſuccedet loco alimentorum ex iure naturali ſub eadem conditione, & ſecundùm eam partem, quæ ad vitam, & ſtatum requiſita eſt. 231. *Legitima ſucceſſit loco alimentorũ, ſed non quãtum ad exceſſum.*

Reſponderi poteſt tertiò, negando minorem, quod legitima ſuccedat loco alimentorum. Ita enim negat Petrus Surdus *tract. de alimentis, tit. 9. q. 2. n. 3.* & apud ipſum Berengarius, Tiraquellus, & Cagnolus. 232. *Succedere, negant aliqui.*

Ad octauum reſpondeo, obligationem honorandi parentes in Decalogo iniunctam, non eſſe obligationem donandi illis legitimam, ſed largendi alimenta requiſita: non eſſe obligationem largiendi ſubſtantiam prædiuitem, & multa ſuperflua; ſed dandi ea, quæ ad vitam, & ſtatum parentum neceſſaria ſunt. Meritò ergo corripiuntur Phariſæi à Chriſto Domino, eo quod conſulerent filiis, vt prætextu Religionis non honorarent parentes, id eſt, vt negarent parentibus neceſſaria ad vitam, & ſtatum: non autem corripit Chriſtus eo quod conſulerent hominibus, vt parentibus negarent ſuperflua, eleemoſynæ causâ; ſic enim reprehenderet, quod ipſe Dominus conſuluerat, quod eſt immane abſurdum. 233. *Præceptum honorandi parentes non obligat ad legitimam, ſed ad alimenta.*

Ad confirmationem ex Caramuele reſpondeo, nullam legis acceptationem ſufficere, vt valeat lex, ſi hæc opponitur conſilio, vel præcepto Euangelico, quia nemo poteſt ſeipſum validè obligare, neque ex acceptatione, neque ex contractu ad id, quod iniquum eſt; neque ad non ſequendum conſilium Chriſti in circumſtantiis, in quibus vim ſuam habet tale conſilium. Quando lex eſt iniqua, eo quod violat ius ſubditi, tunc acceptatione legis ſpontanea obligatus manet ſubditus ad ſeruandam legem; quia ea acceptatione cedit ſubditus iure ſuo: & tunc lex deſinit eſſe iniqua, quia vbi ſubditus ceſſit iure ſuo, iam lex non violat ius ſubditi. At quando lex eſt non tantummodò contra ius ſubditi, ſed contra ius naturæ, vel diuinum, parum prodeſt acceptatio ſubditi, vel ceſſio iuris, quia non poteſt cedere, niſi iure ſuo. 234. *Acceptatio legis non ſufficit, vt obliget, ſi repugnat conſilio Euangelico.*

Digitized by Google

CAPVT XI.

Criſis doctrinæ traditæ, & corollaria.

235. ROgabis primò, an doctrina tradita, cui tam grauia fundamenta ſuffragantur, cenſenda ſit omninò certa, ſaltem à principiis intrinſecis; an dumtaxat probabilis.

236. *Doctrina tradita eſt certa, quà reſpicit neceſſitates graues, & extremas. Quà autem reſpicit neceſſitates cõmunes, eſt probabilior.*

Et reſpondeo, qua parte tradidimus, parentes poſſe, & teneri diſtribuere eleemoſynam grauiter, aut extremè indigentibus, quoad alimenta vitæ, in præiudicium legitimæ filiorum, illam quidem à principiis intrinſecis eſſe certam. At verò, qua parte docuimus, poſſe parentes eleemoſynam copioſam largiri in communibus neceſſitatibus, & donare fauore cuiuſlibet cauſæ piæ, non eſt omninò certum, ſed dumtaxat probabile, & (mea opinione) probabilius.

237. Prima pars huius cenſuræ patet ex diſputatione præcedenti, *c.2.art.2.* Vbi cum Patribus Suario, Granado, Petro Hurtado, Vaſquio, & Magiſtro Bañez ſtatui, eſſe certum, quod in iis, quæ ad vitæ ſuſtentationem ſpectant, omnes diuites tenentur ad opitulandum grauibus pauperum neceſſitatibus, ex ſuperfluis ſuis, & ſuorum, nempe ex præcepto euangelico clariſſimè propoſito. Atqui in hac concluſione certa continetur manifeſtè doctrina huius diſputationis, nempe, poſſe, & teneri parentes opitulari graui pauperum indigentiæ in præiudicium legitimæ ſuperabundantis filiorum; cùm nomine ſuperabundantiæ intelligantur ea, quæ ſuperflua ſunt naturæ, & ſtatui filiorum.

238. Exiſtimo autem, Authores oppoſitæ ſententiæ hoc non negare, dum dicunt, non licere parenti minuere legitimam filiorum fauore cauſæ piæ; loquuntur enim de cauſa pia, quæ ex conſilio eſt, non autem de graui indigentia. In hac enim etiam oppoſitæ ſententiæ patroni affirmant, eſſe præceptum graue ſuccurrendi grauiter indigenti cum præiudicio ſuperfluorum ſtatus ſui, & ſuorum.

239. *Quomodo in his iudex gerere ſe debeat.*

Rogabis ſecundò, quomodo ſe gerere debeat iudex in foro externo, qui hanc noſtram ſententiam ſequatur, putà in caſu, quo Petrus dedit Eccleſiæ medietatem bonorum ſuorum, & filius, mortuo Petro, poſtulat ſibi reſtitui prædictam medietatem, excepto quinto bonorum, de quo pater poteſt libere diſponere iure Hiſpaniæ.

240. Et quidem Iudex debet attentè conſiderare, an filius, non adepta ea medietate bonorum, habeat alimenta ſufficientia pro ſe, & ſuis; an potiùs grauem patiatur neceſſitatem? Secundò, an Eccleſia neceſſitatem grauem patiatur quoad alimoniam miniſtrorum ſuorum, an potiùs ad id habeat ſufficientia bona, conſideratis redditibus annuis, & conſuetis eleemoſynis Eccleſiæ fieri ſolitis?

241. *Si filius habet alimenta integra, ſtet iudex pro donatione.*

Dico ergo primò. Si filius Petri habeat alimenta ſufficientia ad vitam, & ſtatum pro ſe, & pro ſuis, ſiue Eccleſia patiatur, ſiue non patiatur neceſſitatem, iudex debet ſtare pro valore donationis. Patet ex dictis; quia iuxta conſilium Chriſti valida fuit donatio, cùm pater non teneatur relinquere filio ſuperflua. Et quia copioſæ donationes fauore cauſæ piæ factæ de ſuperfluis ſuis, & ſuorum pertinent ad rectam, & prudentem adminiſtrationem patris: & filius non debet computare legitimam ſuam, niſi ex iis, quæ remanent poſt rectam, & prudentem patris adminiſtrationem; & ob alias rationes in decurſu totius diſputationis propoſitas. Quæ quidem magis vrgent, ſi Eccleſia laboret graui indigentia in ſuis miniſtris; filius verò habeat ſufficientia alimenta.

Dico ſecundò. Si filius patiatur grauem neceſſitatem, & ſimul Eccleſia quoad alimenta miniſtrorum graui etiam indigentia laboret, Iudex ſtare debet pro filio, vſque dum illi reſtituatur quantitas requiſita ad ſufficientiam ſtatus ſui, & ſuorum domeſticorum. (Qui ſint ſui domeſtici, explicui *c.* 3) Patet etiam ex dictis: nam alimenta requiſita ad ſuſtentationem vitæ, & ſtatus, debita ſunt filio iure naturæ: & ideò cum eorum præiudicio non valet donatio patris facta Eccleſiæ. Idque etiamſi ſit maior neceſſitas Eccleſiæ; quia obligatio ſtrictior incumbit parenti alendi filium, quàm ſuccurrendi extraneo, etſi hæc opitulatio extranei ſit cauſa pia. 242.

Si filius grauiter egeat, ſtet iudex pro filio.

Dico tertiò. In dubio, an filius habeat alimenta ſufficientia ad vitam, & ſtatum, ſtandum eſt pro filio. Quia lex naturalis, quæ obſtringit patrem ad largiendum filio alimenta ſufficientia, obſtringit ad largiendum ea, quæ ſint certò ſufficientia, & quæ moraliter non exponant illum graui indigentiæ. Dum ergo pater non relinquit filio alimenta certò ſufficientia, actionem habet filius contra donationes patris, quæ in notabili quantitate factæ fuerint. Actionem, inquam, habet ad eam quantitatem, quæ alimenta ſua reddat certò ſufficientia. 243.

In dubio, an filius egeat, ſtandum eſt pro filio.

Rogabis tertiò, quid dicendum ſit in eo caſu, quo pater meliorauit in tertio, & quinto, iure Hiſpaniæ, vnum ex filiis; ob quod fratres huius coguntur graui inopiâ laborare? Et reſpondeo, reliquos fratres habere actionem, vt poſtulent in iudicio æquam diuiſionem bonorum, quantum requiritur, vt illi non laborent graui indigentia. Ratio eſt, quia pater non potuit præiudicare alimentis, quæ iure naturæ cæteris filiis debita ſunt. Et quando lex Hiſpaniæ id indulget parentibus, intelligenda eſt, caſu quo ius naturæ non reſiſtat. Aliud eſt, ſi pater, quo tempore donauit filio meliorationem, habebat bona ſufficientia ad alimentum reliquorum filiorum, eaque poſtmodum amiſit. Tunc enim donatio meliorationis valuit, vtpote facta nullo iure naturali reſiſtente. 244.

Pater nequit meliorare vnum in præiudicium alimoniæ aliorum.

Similiter, ſi è duobus fratribus vnus ſit diues, & alter inops, & pater teſtamento iubeat æqualiter diuidi hæreditatem inter vtrumque, & medietas ea hæreditatis non extrahat ex inopia graui filium pauperem; frater diues non poteſt ingredi ſuam hæreditatis partem, ſed debet relinquere fratri quantum ſatis ſit ad alimenta. Ratio eſt, quia pater non debet alimenta filio diuiti: filius autem inops habet ius ad alimenta, atque adeò pater obſtringitur relinquere filiò inopi, quantum ſatis eſt ad eius alimenta, etiam in præiudicium filij diuitis. 245.

An frater diues poſſit accipere æqualem partem hæreditatis cum fratre inope?

FINIS.

Digitized by Google

R. P. IOANNIS DE CARDENAS,

E SOCIET. IESV,

CRISIS THEOLOGICÆ;

SIVE

DISPVTATIONVM SELECTARVM ex Morali Theologia,

PARS ALTERA.

Digitized by Google

Digitized by Google

TRACTATVS III.

DE LEGIBVS, ET PRÆCEPTIS.

DISPVTATIO XXII.

An ſit certiſſimum, in Prælatis Eccleſiaſticis eſſe poteſtatem obligandi ſubditos in conſcientia?

CAPVT PRIMVM.

Proponitur aſſertio Caramuelis.

1\. *Lex diuiditur in purè pœnalem, moralem, & mixtam.*

CARAMVEL *in Theologia Regul. diſputat. 3. num. 29.* legem diſtribuit in purè pœnalem, moralem, & mixtam. Purè pœnalem dicit, quæ obligat dumtaxat ad pœnam; moralem eam, quæ obligat conſcientiam; mixtam, quæ habet vtrumque, quæ ſcilicet conſcientiam obſtringit, etiam cum obligatione ad pœnam. Et *num. 35. §. ſcio adhuc*, hæc habet: [Scio, adhuc ſuboriri poſſe nonam difficultatem: bene enim ſtat, quod moraliter teneamur Deo nobis præcipienti, vt ſuperioribus obediamus; & tamen iſtis non, niſi pœnaliter, teneri. Nam & votum factum Deo, & moraliter obligans, poteſt inducere obligationem purè pœnalem; vel ſi moralem, non abſolutam, ſed hypotheticam. Vel dicito, cur non poſſet Deus hanc legem ferre: Præcipio moraliter, quod vel Regi obedias, vel pœnam ſubeas.] Hucuſque bene procedit Caramuel, dum de poſſibili admittit, poſſe Deum obligare homines in conſcientia ad obediendum præcepto pœnali diſiunctiuo humano: v. g. [Vel confitere quotannis peccata tua, vel ſubi pœnam imponendam.] In quo caſu licèt homo nunquam confiteretur, dum tamen pœnam impoſitam ſubiret, impleret præceptum: peccaret tamen grauiter, ſi neutrum præſtaret. Sicut ſi quis voueret, ſe vel non luſurum alea,

2\. vel induturum ſe cilicio: quo caſu etſi luderet omnibus diebus, non peccaret; ſi tamen ſe indueret cilicio promiſſo: ſi autem neutrum præſtaret, eſſet irreligioſitatis reus contra promiſſionem Deo factam. Hucuſque de poſſibili.

Sed numquid de facto ita obligant præcepta Eccleſiaſtica, vt non obligent determinatè ad materiam præcipuam præcepti, ſed ſub diſiuncto ad illam, vel ad pœnam ſubeundam? Reſpondet Caramuel *ibid.* ſic: [Iudico certum, Deum dediſſe hominibus populo præpoſitis authoritatem præcipiendi ſub pœna, & potuiſſe præcipiendi ſub culpa. Nimirum aut ſuam infinitam authoritatem ſecundùm recipientis capacitatem delegando, aut præcipiendo ea, quæ ſuperiores prudenter iubenda iudicauerint, aut fortè etiam diuerſis aliis modis.] Conſidera attentè, quid ſit certum apud Caramuelem, nempe, datam eſſe de facto Principibus poteſtatem præcipiendi ſub pœna, & potuiſſe Deum dare illis poteſtatem præcipiendi ſub culpa.

3\. *Non eſſe euidens, datam eſſe Prælatis poteſtatem præcipiendi ſub culpa.*

Sed nunquid certum eſt, quod de facto dedit illis Deus poteſtatem præcipiendi ſub culpa? Reſpondet immediatè. [Quid autem fecerit (Deus) qui vtramque authoritatem dare, & negare potuit, non ita clarè oſtenditur: omnibus enim probationibus ſimul compoſitis, adhuc meridies eſt multò clarior. Sed quia communis Doctorum ſententia tuetur communicaſſe Deum hominibus, tam ſæcularibus, quàm Eccleſiaſticis vtramque authoritatem; dicimus, poſſe Pontifices, Imperatores, Reges, & patresfamilias vniuerſos obſtringere ſuos ſubditos legibus, tam purè pœnalibus, quàm moralibus, imò & mixtis.]

4\. Sed quid ſibi vult, *Non ita clarè oſtenditur?* Quid ſignificat, *Adhuc meridies eſt multò clarior?* Confer cum antecedentibus, & mentem verborum comperies. Itaque ſecundùm Caramuelem *certum eſt*, Deum dediſſe Præpoſitis authoritatem præcipiendi *ſub pœna*; ſed *non ita clarè oſtenditur*, nec tam clarum eſt, ac *meridies*, dediſſe illis poteſtatem præcipiendi ſub culpa: id eſt, licèt primum ſit certum, ſecundum non eſt omninò certum.

5. Sed quare Caramuel defendit, quod Deus illis dederit authoritatem præcipiendi ſub culpa, cùm probationes eius ſententiæ non excedant meridiem? *Quia communis Doctorum ſententia tuetur.* Communem autem ſententiam non facere certitudinem, ſæpe inculcat Caramuel. Lege in Theologia fundamentali fundamentum 10. initio, vbi ſententiis communibus multùm detrahit; & hæc nota marginalis ibi ponitur: [Multæ communes opiniones euidenter ſunt falſæ.]

6. Si ego dicerem, [Caramuelem eſſe ingenioſum, non ita clarè oſtenditur; adhuc meridies eſt multò clarior: ſed quia Docti communiter dicunt eum ingenioſum, ideò & ego id aſſero;] vtique de inuidia accuſarer, & meritò: quia dum ita loquerer, certitudinem negarem, in controuerſiam traherem. Itaque authoritati Prælatorum præcipiendi ſub culpa, certitudinem denegat Caramuel, & eam intra terminos controuerſiæ relinquit. Ex eo autem, quod non ſit certa authoritas Eccleſiæ ad præcipiendum ſub culpa, ſed ſolùm ſub pœna, infertur manifeſtè iuxta principia Caramuelis, nullum Eccleſiæ præceptum obligare in conſcientia. Etenim ſæpe inculcat, vbi præceptum non eſt certum, nullatenus obligare; eo quod vbi certum non eſt, non eſt ſufficienter propoſitum, nec promulgatum. Ita *in Reg. diſp.* 102. *n.* 1347. [Lex debet euidenter cognoſci; quia ſi hæc eſſet tantùm probabilis, obligatio, quæ ex illa dimanaret, probabiliter negari poſſet.] Et paulò inferiùs: [vt peccati grauis aliquem arguas, non ſufficit lex dubia, quia fauores ſunt ampliandi, & libertas eſt fauor. Nec etiam ſufficit probabilis lex: nam ſi ius tantùm probabile ſit, probabiliter poterit reus excuſari. Opus eſt, vt ius ſit *valdè clarum:* hoc eſt, *tam euidens*, vt non poſſit probabilem exceptionem pati.] Præceptum autem non poteſt eſſe certum, vbi authoritas præcipiendi non eſt certa.

7. Imò ex alio principio Caramuelis infertur, neminem peccare mortaliter violando præcepta Eccleſiæ. Sic *in fundam. Theolog. fundam.* 11. *n.* 453. illis verbis, quæ retuli *diſp.* 10. *n.* 1. illis præcipuè: [Qui rem aſſerit eſſe illicitam, ad multa tenetur. Primò enim debet oſtendere, rationes, quæ malitiam probant, eſſe demonſtratiuas, ſcilicet realiter, vel moraliter.] Itaque vt aſſeratur, aliquid eſſe peccatum contra præceptum Eccleſiæ, debet oſtendi euidenter, dari præceptum obligans in conſcientia; nam vbi non eſt præceptum obligans Eccleſiæ, non poteſt eſſe peccatum contra præceptum Eccleſiæ. Atqui non eſt præceptum euidenter obligans, vbi non eſt euidens authoritas obligans in conſcientia.

An inde infertur, nullum præceptum obligare ſub culpa.

8. Sed vt manifeſtè videas falſitatem doctrinæ, nota eius contrarietatem. Nam cùm loco citato dixerit, non eſſe certam authoritatem Eccleſiæ ad præcipiendum ſub culpa, & non niſi pœnaliter; tamen *in apologia de probabilit. n.* 180. cùm retuliſſet ſententiam hæreticorum negantium Eccleſiæ poteſtatem præcipiendi in conſcientia, addit: [Et quid hic catholici, vt ſe impetui hæreticorum fortiùs, & ſecuriùs opponerent? Vt potentiam probarent, ſtatuerunt actum; quia ab actu ad potentiam legitimè dialecticamur. Dixerunt ergo: iubet.: ergo iubere poteſt. Adnuit illis Apoſtolica Sedes, & ceſſauit quæſtio. Hodieque improbabile eſt, Eccleſiaſticas leges non obligare conſcientias.] Quod ſi improbabile eſt: ergo oppoſitum eſt certum. Nam ex duabus propoſitionibus contradictoriis, ſi vna eſt improbabilis, oppoſita eſt certa, & iuxta eius Dialecticam, ab actu ad potentiam, ſi improbabile eſt, quod leges Eccleſiaſticæ non obligant conſcientias, improbabile etiam eſt, quod Eccleſia non habeat authoritatem obligandi conſcientias.

Certum eſſe, leges Eccleſiaſticas obligare ſub culpa.

9. Imò & *n.* 110. contendit, eſſe certum, quod Eccleſiaſtici Prælati poſſint obligare in conſcientia, etiam in materia probabili. Ita enim ait inter alia: [Te non debere obedire Pontifici in materia probabili, improbabile eſt; te debere obedire, certum eſt.] Patet autem ex toto contextu, non loqui ſolùm de obligatione obediendi ſub pœna, ſed etiam ſub culpa, & in conſcientia.

10. Dices, hanc non eſſe contrarietatem doctrinæ, ſed reuocationem. Nam in ea apologia maturiori conſilio retractauit id, quod priùs docuerat loco citato commentarij *in Regul.* iam aſſerendo, certam eſſe authoritatem Eccleſiæ ad obligandum conſcientias. Admitto reſponſionem; eſt enim magna confirmatio veritatis, quod falſitatem ipſe Author reuocauerit. Sed quia aliqui Caramuelis ſectatores has reuocationes eius, non eſſe ex animo factas credunt, & (iure, vel iniuria) ſuadere conantur; operæpretium eſt debellare concluſionem ipſam, ſiue à ſuo Authore deſertam, ſiue retentam. Oportuiſſet autem, Caramuelem in re tanti præiudicij profiteri, eam aſſertionem à ſe eſſe reuocatam; vt ita fortè ſatisfaceret Caramuel iſtis, qui priſtinis eius opinionibus laxioribus adhuc ſeruiunt.

11. Porrò fundamentum, quo nititur Caramuel ad negandam certitudinem authoritatis Eccleſiæ præcipiendi ſub culpa, & in conſcientia, eſt. Etenim tota obligatio obediendi Prælatis ſtat in quarto Decalogi præcepto, quo iniungitur nobis à Deo, præſtandam eſſe Maioribus obedientiam: atqui hæc obedientia quarti præcepti ſufficienter ſaluatur, etiamſi Deus non dederit Eccleſiæ authoritatem præcipiendi ſub culpa, per hoc ſolùm, quod dederit authoritatem præcipiendi ſub pœna; & non conſtat aliunde, quod Chriſtus dederit Eccleſiæ poteſtatem præcipiendi ſub culpa: ergo eiuſmodi authoritas præcipiendi ſub culpa, & ligandi conſcientias, non certò conſtat.

12. Et vt meliùs impugnetur Caramuel, præ oculis habenda eſt acoluthia doctrinæ eius. Aſſerit regulas Religionis, quæ non obligant ſub peccato, eſſe leges merè pœnales, etſi non expreſsè contineant pœnam, quia illam continêt virtualiter, & æquiualêt huic, v.g. [vel ſerua ſilêtium, vel ſubi pœnam deſignandam.] Quam regulam non violat Religioſus, qui rumpit ſilentiû, dum tamen ſubit pœnâ ſibi impoſitam. Ad hûc modum dicit, potuiſſe fieri, vt Chriſtus daret poteſtatem præcipiendi Eccleſiæ ſuæ, ſcilicet, *vel confitere, vel ſubi pœnam.* Et non probari clarè, quod dederit poteſtatem obligandi ſub culpa, & non duntaxat ſub pœna. Conſtare quidem dediſſe poteſtatem præcipiendi ſaltem pœnaliter, ſed præcipiendi ampliùs, quàm pœnaliter, & quàm eo modo diſiunctiuo, non clarè conſtare.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT II.

Certiſſimam eſſe ex fide in Prælatis Eccleſiaſticis authoritatem præcipiendi ſub culpa, affirmant Theologi.

13. *Eſſe de fide Prælatos Eccleſiaſticos habere poteſtatem præcipiendi ſub culpa.* Bellarm.

ESſe de fide Catholica, quod Prælati Eccleſiaſtici habent authoritatem præcipiendi ſub culpa, & condendi leges, quæ obligent in conſcientia, aſſerunt communiter Doctores, neque vllum vidi, qui diſſentiret, aut dubitaret. Cardin. Bellarmin. *tom. 2. lib. 4. de Summo Pontif.ce, cap. 15.* ſic ait: [In Eccleſia Catholica ſemper creditum eſt, Epiſcopos in ſuis diœceſibus, & Romanum Pontificem in tota Eccleſia eſſe veros Principes Eccleſiaſticos, qui poſſunt ſua authoritate, & ſine plebis conſenſu, vel Presbyterorum conſilio leges ferre, quæ in conſcientia obligent.]

14. Azor.

Azor. *tom. 1. inſtitut. moral. lib. 5. c. 6.* aſſerit, definitum eſſe ab Eccleſia [penes Eccleſiam eſſe poteſtatem ſanciendi leges, quæ hominum conſcientias obſtringant.]

15. Granado.

P. Granado 1. 2. *controuerſia 7. tract. 3. part. 1. diſp. 2. ſect. 1. num. 2* ait: [Doctrinæ tamen Eccleſiæ Catholicæ eſt, in hominibus, ſiue Eccleſiaſticis, ſiue ſæcularibus, eſſe poteſtatem condendi veras leges, quæ obligent ſubditos in conſcientia.]

16. Suarez.

P. Suarez *lib. 3. de legibus, cap. 21.* affirmans, poteſtatem Principum ſæcularium ad condendas leges ciuiles, quæ obligent in conſcientia, ait: [Et videtur aſſertio vel de fide, vel fidei proxima.] Quod multò amplius vrget in poteſtate Eccleſiæ ad leges Eccleſiaſticas ſtatuendas. Aſſertio autem fidei proxima eſt, quæ infertur euidenter ex vna præmiſſa de fide, & altera euidenti. Et *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 8. num. 3.* ait: [Vnum eſt de iure, ſcilicet Eccleſiaſticam iuriſdictionem eſſe ſufficientem ad obligandum in conſcientia per leges, ſiu præcepta; & hoc eſt de fide certum.]

17. Vaſquez.

P. Vaſquez 1. 2. *tom. 2. diſp. 152. cap. 2. num. 1.* ait: [Catholica doctrina eſt, non ſolùm Summo Pontifici, aliiſque inferioribus Epiſcopis, & Conciliis, verùm etiam Principibus, & Regibus ſæcularibus, & Rebuſpublicis authoritatem condendi leges conuenire. Leges autem intelligo non modò ordinationes, quibus parere, aut non parere liberum ſit ſubditis; ſed etiam ſtatuta, & præcepta, quibus conſcientias inferiorum ligent, vt pareant.] Et paulò pòſt [Fide Catholica hæc poteſtas ſæcularis aſſerenda eſt, ſicut etiam Eccleſiaſtica.]

18. Valentia.

P. Valentia 1. 2. *diſp. 7. quæſt. 5. punct. 6. §. 1. verſ. His non obſtantibus*, ait: [Firmiſſimè tenendum eſt, vtraque poteſtate, ciuili, & Eccleſiaſtica poſſe condi legem, quæ obliget etiam ſub mortali. Et quidem quod attinet ad poteſtatem Eccleſiaſticam, ſine controuerſia iam docent Authores Catholici, aſſertionem eam eſſe certam de fide, propter multa teſtimonia, tum Scripturæ, tum Conciliorum, puncto ſecundo citata, quibus hoc in primis probatur.]

19. Arriaga. Caſtro Palao. D. Thom. Caſtrus.

Alij autem Authores, qui non exprimunt, hanc doctrinam eſſe de fide catholica, affirmant tamen eam eſſe omninò certam. Ita P. Arriaga 1. 2. *tom. 2. diſp. 16. n. 4. & diſp. 18.* P. Caſtro Palao *tom. 1. tract. 3. diſp. 1. punct. 14. n. 2.* pro qua con-

R. P. Ioan. de Card. Criſis Theol. P. I I.

cluſionis certitudine præter ſuprà allegatos citat D. Thomam 1. 2. *q. 96. art. 4.* Caſtrum *lib. 1. de lege pœnali, c. 4. & 5.* Nauarrum *in ſum. c. 23. n. 54.* P. Salas *diſp. 10. de legibus, ſect. 1. n. 6.* Boacicinam *diſp. 1. de legibus, q. 1. punct. 7. n. 1.* Sayrum *lib. 3. c. 4. & 7.* P. Reginaldum *in ſum. lib. 13. num. 174.* Mirandum ergo eſt, Caramuelem vertere in dubium doctrinam, quam tam magni Theologi affirmant eſſe certam, & de fide catholica.

Nauarrus. Salas. Bonacina. Sayrus. Reginaldus.

Dices. Lex merè pœnalis poteſt dari, quæ obliget in conſcientia, nempe ad pœnam ſubeundam, non autem ad materiam præcipuam legis. Quid ergo vetat aſſerere, quod Eccleſia habet poteſtatē duntaxat ad legem merè pœnalem, quamvis ſit de fide, quod habet poteſtatem obligandi in conſcientia, cùm per legem merè pœnalem poſſit obligare in conſcientia, nempe ad pœnam acceptandam.

20. *An lex pœnalis poſſit obſtringere conſcientiam ad pœnam ſubeundam?*

Contrà eſt primò. Quia non eſt minùs contra fidem limitare poteſtatem Eccleſiæ ad vnam materiam, quàm illam vniuerſaliter negare. Ille contra fidem ageret, qui diceret, Eccleſiam habere poteſtatem obligandi conſcientiam in materia vſurarum, non verò in materia Religionis, decimarum, Miſſæ, nec in vlla alia materia. Nam vt conſtat ex communi ſententia, & Authoribus ſuprà relatis, de fide eſt, poſſe Eccleſiam obſtringere conſcientias in omni materia, ſcilicet conducente ad finem ſpiritualem. Atqui ſi Eccleſia non habet poteſtatem obſtringendi conſcientias, niſi ſolùm ad pœnam ſubeundam, ſummè limitatur poteſtas Eccleſiæ; & cùm illam eſſe vniuerſalem conſtet ex fide, contra fidem aget, qui aſſereret limitandam eſſe poteſtatem Eccleſiæ ad ſolam acceptationem pœnæ præcipiendam. Quod magis patet ex textibus ſacræ Scripturæ ſubiiciendis, & demonſtrationibus per totam diſputationem inſtruendis.

21. *An ſit contra fidem limitare poteſtatem Eccleſiæ ad vnam materiam?*

Contra eſt ſecundò. Nam quartum Decalogi præceptum (vt admittit Caramuel) obſtringit conſcientias ad obediendum Prælatis, & Principibus, etiam ſæcularibus: atqui hoc præceptū vniuerſaliſſimum eſt, ideòq; illud violaret, qui ſolùm obediret Prælatis in vna materia, putà vſurarum; & in reliquis non obediret: & contra certiſſimum ſenſum eius quarti præcepti ageret, qui aſſereret, Prælatis obediendum in ſola materia vſurarum, non in reliquis: ergo ſimiliter aget contra legitimū ſenſum præcepti, qui dixerit, illud ſolùm obligare conſcientiam ad hanc ſolam materiam ſubeundi pœnam, & non ad aliam.

22.

Quod autem quartum Decalogi præceptum obſtringat conſcientias ad obediendum, de fide eſt. Nam Paulus *ad Eph. 6. v. 1. & 2.* ex quarto Decalogi præcepto probat obedientiam parētibus exhibendam: *Filij obedite parētibus veſtris in Domino; hoc enim iuſtum eſt. Honora patrem tuum, & matrem tuam; quod eſt mandatum primum in promiſſione.* Nam ea vox *Honora*, non affertur à Paulo tanquam textus proprius, ſed tanquam textus ex Decalogo aſſumptus: nam ſi illam tāquam textū proprium vſurparet, eodem tenore proſequeretur, dicens: *Obedite, Honorate.* Quod verò hæc obedientia in eo quarto præcepto indicta intelligenda ſit non ſolùm reſpectu Parētum naturalium, ſed etiam reſpectu Prælatorū, & Principum, & tenet Caramuel, & omnes Doctores tanquam certum ſupponunt.

23. *De fide eſt, quarta Decalogi tabula præcipi obedientiam Maiorum.*

Digitized by Google

CAPVT III.

Ex ſacra Scriptura euidenter infertur eadem veritas.

24. MVltos ſacræ Scripturæ textus adducunt Authores citati, ſcilicet, Patres Bellarminus, Suarius, Azor, Valentia, Vaſquez, & Granadò contra Vviclephum, Ioannem Hus, Lutherum, Caluinum, & alios Hæreſiarchas negantes Eccleſiæ poteſtatem præcipiendi Fidelibus. Oſtendam breuiter, eoſdem vim habere contra aſſertionem Caramuelis.

25. *Verbo ligandi omnes intelligunt obligationem legis.*

Primus eſt Matthæi 18. *Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus. Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo.* Quod de legis obligatione intelligunt omnes Doctores Catholici. Et patet ex alio textu Euangelij Matthæi 23. vbi de Phariſæis loquitur Chriſtus, aiens: *Alligant enim onera grauia, & importabilia ſuper humeros hominum.* Vbi de legibus, & præceptis Phariſæorum loquitur Chriſtus ſub eo verbo alligandi: & etiam patet ex iis verbis, *Si Eccleſiam non audierit.* Quod de obedientia intelligi, & de poteſtate Eccleſiæ ad præcipiendum, & corrigendum, manifeſtum eſt.

26. *Ea verba improbabiliter limitantur ad ſolam pœnam.*

Atqui non poteſt intelligi eo verbo ſola obligatio ad pœnam: nam cùm Chriſtus det Petro poteſtatem vniuerſalem ſignificatam eo termino, *Quæcumque*; improbabile eſt, quod non poſſint ligare quodcumque onus, ſed ſolùm onus pœnæ. Quando autem conſtat, eſſe improbabilem aliquem ſenſum ſacræ Scripturæ ab aliquo attributum, de fide eſt, non contineri talem ſenſum in verbis Scripturæ. Eſt enim de fide, Scripturam ſacram non poſſe trahi ad ſenſum improbabilem, & certiſſimè illi repugnantem. Hinc colliges ex vi huius textus eſſe de fide, quod Eccleſia habet poteſtatem alligandi conſcientias, & non ſolùm quoad pœnam: nam Eccleſia ſemper intellexit hunc locum in ſenſu vniuerſaliſſimo, ſcilicet, in ordine ad omnia conducentia ad finem ſpiritualem.

27. Secundus textus à Doctoribus allatus aduerſus hæreticos, eſt Pauli ad Romanos 13. *Omnis anima Poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: non enim eſt poteſtas, niſi à Deo. Quæ autem ſunt, à Deo ordinata ſunt. Itaque qui reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem adquirunt.* Et mox: *Ideò neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.* Qui textus non minùs euidenter loquitur contra negantes poteſtatem Principum ad præcipiendum in conſcientia, quàm contra aſſertionem Hæreſiarcharum, omnem omninò poteſtatem præcipiendi Principibus Eccleſiæ negantem. Et primo quidem modo, quamvis de omnibus Principibus generaliter loquatur, ſpecialiter etiam loquitur de Principibus ſæcularibus, vt denotant ea verba ſubſequentia: *Cui tributum, tributum.* Cùm autem iſti præcipiant ſub pœna infligenda per miniſtros ſuos; atque adeò infligenda inuitis, ineptè exhortaretur Paulus fideles ad ſubeundas pœnas eiuſmodi, cùm etiam inuiti eas ſubituri eſſent.

28. Secundò, quia reſiſtere præcepto dicitur ille, qui non vult exequi materiam præcipuam præcepti, & non ſolùm ille, qui pœnam non ſubit. Quod magis patet ex verbis ſequentibus. *Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem adquirunt.* Damnationem quidem temporalem, & æternam, ſiue coram hominibus, & coram Deo, vt omnes intelligunt, & contextus ipſe poſtulat. Et quidem *qui reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem temporalem adquirunt*: ergo reſiſtere non eſt refugere damnationem temporalem (id eſt non acceptare pœnam legis;) ſed præſtare aliquam actionem; quæ antecedit ad damnationem temporalem. Sed actio quæ antecedit ad damnationem temporalem, eſt inobedientia: ergo inobedientia eſt reſiſtentia, de qua loquitur Paulus, diſtincta ab incurſione pœnæ, & à non acceptatione illius. Sed *qui reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit*: ergo qui præſtat inobedientiam antecedentem ad incurſionem pœnæ, Dei ordinationi (ſcilicet quarto Decalogi præcepto) reſiſtit: ergo peccat: ergo antecedenter ad incurſionem pœnæ, & ad non acceptationem illius, obligatur ad non reſiſtendum. Et cùm ea vox *damnatio*, intelligatur de damnatione coram Deo, patet, loqui Paulum, aut de reatu pœnæ æternæ, aut ſaltem de reatu culpæ. Quod ſi de reatu pœnæ æternę, hæc quidem non incurritur, niſi propter grauem obligationem conſcientiæ. De hac damnatione videndus eſt P. Bellarminus *tom. 1. contr. 5. lib. 2. de Monachis, cap. 24. §. At nos.*

Confirmatur: Nam Caramuel aſſerit, fortè præceptum eſſe disiunctiuum (aut ſaltem non oſtendi clarè, quod non ſit tale.) V. g. [vel ieiuna in Quadrageſima, vel ſubi pœnam.] Quis ergo reſiſtit præcepto ieiunij; qui non ieiunat, vel qui non ſubit pœnam? Si primum: ergo qui non ieiunat, Dei ordinationi reſiſtit: ergo peccat: ergo fidelis tenetur ſub culpa ad ieiunandum: ergo Eccleſia habet poteſtatem ad præcipiendum ſub culpa. Si ſecundum, contrà. Nam qui reſiſtit, ſubit damnationem temporalem, ſiue pœnam; ergo reſiſtere, aliquid diuerſum, & antecedens eſt ad incurſionem pœnæ latæ, vel ferendæ contra non ieiunantes. 29.

Dices illum, qui nec ieiunat, nec vult acceptare pœnam, reſiſtere legi ob hoc ſecundum, ſcilicet quatenus non vult acceptare pœnam: ex hoc autem, quod ille non acceptat pœnam, fit dignus pœna. Vnde fit, & quod non acceptans pœnam, incurrat damnationem temporalem; & quod non acceptatio pœnæ ſit antecedens ad incurſionem damnationis temporalis. 30.

Sed contrà eſt. Nam poſito eo præcepto diſiunctiuo, ille, qui non ieiunat, incurrit eo ipſo damnationem temporalem vi diſiunctionis, cùm præceptum ſic procedat: [Vel ieiuna, vel ſi non ieiunas, ſubi pœnam.] Et conſequenter ſtatim atque non ieiunaret, pœna incurſa eſt. Ergo pœna temporalis non incurritur propter non acceptationem pœnæ, cùm antea ſit incurſa; ſed propter non ieiunium. Sed pœna temporalis incurritur propter reſiſtentiam, iuxta Diuum Paulum: *qui enim reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem adquirunt*: ergo reſiſtentia non conſiſtit in non acceptatione pœnæ: ergo reſiſtentia aliquid diuerſum eſt à non acceptatione pœnæ: ergo reſiſtentia eſt non ieiunare: 31.

Digitized by Google

ieiunare: cùm reſiſtentia ſit vnum è duobus, & non ſit ipſa non acceptatio pœnæ. A diſiunctiua enim, & negatiua vnius partis ad alteram partem, eſt euidens conſequentia.

32. Quod ſi nomine damnationis intelligatur damnatio æterna, ſiue damnatio coram Deo, etiam vrget argumentum. Etenim hæc damnatio, ſecundùm Paulum, incurritur propter reſiſtentiam: reſiſtentia autem, qua reſiſtitur legibus Principum ſæcularium (de quibus etiam euidenter loquitur Paulus) non conſiſtit in non aſſumptione pœnæ; nam pœnam Principum ſæcularium rei ſubeunt inuiti, & coacti, vtpote exercitam manibus miniſtrorum; & conſequenter non eſt liberum ſubditis aſſumere, vel relinquere illam; atque adeò non peccant ſubditi, ſi illa non plectantur. Si ergo in eo non peccant, vtique in eo non conſiſtit ea reſiſtentia, propter quam ſecundum Paulum, *ipſi ſibi damnationem æternam adquirunt*: cùm damnatio æterna incurri non poſſit, niſi propter peccatum.

33. Tertiò perpende in eo textu Pauli ea verba; *Ideò neceſſitate ſubditi eſtote.* Si enim Princeps ad ſolam pœnam obligare poſſet, non eſſet neceſſitas obedientiæ, ſed ſolius pœnæ ſubeundæ, maximè reſpectu Principum ſæcularium, quorum pœnæ per miniſtros exercentur in inuitos.

34. Quartò id magis expoſuit Paulus, dum dixit: *Ideò ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.* Notauit autem S. Ambroſius (apud Salmeronem *diſputat. 5. in hunc locum, §. Et appellatione,*) quod non ſolet Paulus vti nomine conſcientiæ, niſi vbi agitur periculum animæ. Et ideò id verbum, *Propter conſcientiam*, idem eſt, ac propter obligationem conſcientiæ. Præcipuè cùm hæc explicatio cohæreat ſenſui verborum antecedentium, in quibus obligatio ſub culpa ſignificatur.

35. Neque hìc habet locum ea reſponſio, quod tenetur quis ſub culpa ad ſubeundam pœnam; atque adeò teneri ad ſubeundam pœnam propter conſcientiam. Cùm id non habeat locum in pœna, quam imponunt, vt dixi, Principes ſæculares, exercendam ab eorum miniſtris, etiam in inuitos.

36. Et quod aliqui explicant, conſcientiam beneficiorum, quæ Principes conferunt in ſubditos, vt probabile poteſt admitti tanquam ſenſus ſecundarius: Non eſt tamen probabile, quod excludatur ſenſus proprius verborum ſignificans obligationem conſcientiæ. Nam in interpretatione Sacræ Scripturæ, ſemper inhærendum eſt ſignificationi propriæ verborum, vbi ea nullam repugnantiam affert. Et ideò de conſcientiæ obligatione ſub culpa exponunt S. Auguſtinus, S. Ambroſius, S. Beda, S. Anſelmus, Theodoretus, & communiter Patres, quos videbis apud Bellarminum citatum.

37. Tertius textus eſt *Act.* 15. vbi S. Petrus ait: *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis, nihil vltra vobis imponere oneris, niſi hæc neceſſaria, vt abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, à ſuffocato, & ſanguine.* Vbi præcipit Sanctus Petrus abſtinentiam ab illis cibis: quod eo tempore ita expediebat. Ea ergo abſtinentia vocatur onus ab Apoſtolo, & dicitur eſſe neceſſaria, ideſt neceſſariò obligans. Si autem ad ſolam pœnam obligaret ea lex, pœna eſſet onus, & eſſet neceſſaria: abſtinentia autem ciborum neque eſſet onus, neque eſſet neceſſaria.

Nomine oneris ſignificatur lex.

38. Quod autem illis verbis *onus*, & *neceſſaria*, ſignificentur præcepta Apoſtolorum, eaque abſtinentia ciborum ita præcepta ac decreta fuerit ab Apoſtolis, patet ex eodem capite, vbi S. Lucas aſſerit, S. Paulum intimauiſſe hæc præcepta Fidelibus: *Pertranſiens ciuitates præcipiebat eis cuſtodire præcepta Apoſtolorum, & Seniorum.* Et *capite* 16. *Tradebant eis cuſtodire dogmata, quæ decreta erant ab Apoſtolis, & Senioribus, qui erant in Hieruſalem.* Neque enim alia decreta erant ab Apoſtolis, niſi hæc neceſſaria, vt abſtineatis, &c.

39. Nec ſatisfacies, ſi dicas, fortè præceptum Apoſtolorum fuiſſe diſiunctiuum, ſcilicet: [vel abſtinete ab idolothytis, vel ſubite pœnam.]

40. Nam contrà eſt primò. Quia ea verba *onus*, & *neceſſaria*, quæ denotant obligationem, non cadunt ſupra pœnam; ſed ſupra abſtinentiam ab idolothytis, vt ex ipſo textu patet. Contrà eſt ſecundò. Quia propoſitionem abſolutam trahere ad ſenſum diſiunctiuum, eſt peruertere, & deſtruere ſenſum Scripturæ. Contrà eſt tertiò. Quia Apoſtoli nunquam imponebant pœnam corporalem, ſed duntaxat ſpiritualem, ſcilicet excommunicationis, vt quando Paulus dicitur reos tradidiſſe Sathanæ. Quomodo autem repugnet ea lex diſiunctiua, v.g. [vel ieiuna, vel ſubi excommunicationem,] ex infra dicendis conſtabit.

Leges Apoſtolorum non poſſũt afferre ſub diſiunctõ actionem, vel pœnam.

41. Quartus textus eſt *Ioan.* 21. vbi Chriſtus dixit ſpecialiter Petro, *Paſce oues meas.* Loqui autem Chriſtum de vniuerſaliſſimo Catholicæ Eccleſiæ regimine Petro commiſſo, demonſtrant P. Suarez *lib. 3. contra Regem Angliæ, cap. 10. à num. 16.* tum ex collatione cum aliis textibus ſacræ Scripturæ; tum ex communi ſenſu Sanctorum Patrum. Regimen autem vniuerſaliſſimum repugnat coarctari ad leges purè pœnales. Vbi ponderandum eſt, ex ipſa apprehenſione terminorum, eſſe euidenter falſum, quod Petrus Apoſtolus vi ſui muneris, & ampliſſimæ poteſtatis non potuerit mittere Prædicatores ad conuertendas gentes (etiam ordinatos Epiſcopos earum) niſi dicendo, [vel vade in Ægyptum, vel ſubi pœnam.]

42. Textus alios omitto, quia videri poſſunt in præcitatis Doctoribus; & ex dictis facilè conſpicitur, eos eandem vim habere contra id aſſertum Caramuelis, atque contra Hæreticos.

CAPVT IV.

Rationibus demonſtratur certiſſima Eccleſiæ poteſtas ad præcipiendum pluſquam pœnaliter.

43. DEmonſtratur primò. Multa præcepit Eccleſia ſub excommunicatione latæ ſententiæ: ſed hæc non cadit, niſi ſupra culpam mortalem: ergo multa præcipit Eccleſia ſub culpa mortali: ergo Eccleſia vniuerſalis hoc ſibi habet perſuaſum, ineſſe ſibi hanc poteſtatem præcipiendi ſub culpa mortali: ergo reipſa habet hanc poteſtatem.

Ex poteſtate excommunicandi eſt euidens poteſtas obligandi ſub culpa.

44. Prima conſequentia ex præmiſſis euidenter

infertur, ſcilicet ex connexione excommunicationis latæ ſententiæ cum culpa mortali. Quia ſi nequit ſtare excommunicatio latæ ſententiæ ſine culpa mortali, euidens eſt, quod nequit ſubſiſtere præceptũ ſub excommunicatione latæ ſententiæ ſine culpa mortali. Quod patet ex hoc ſyllogiſmo. Incurſio excommunicationis latæ ſententiæ præſupponit culpam mortalem: ſed violato hoc præcepto incurritur excommunicatio latæ ſententiæ: ergo violato hoc præcepto adeſt culpa mortalis: ergo præceptum obligat ſub culpa mortali.

45. Maior tam euidens eſt, quàm eſt euidens, reperiri in Conciliis Generalibus, & ſacris Romanorum Pontificum Canonibus, quamplurimas leges, ſeu præcepta impoſita ſub excommunicatione latæ ſententiæ.

46. Minor autem, quod ſcilicet excommunicatio latæ ſententiæ non cadat, niſi ſuprà culpam mortalem, admittitur à Caramuele *in Theolog. fundam. num. 979. littera VV.* & certiſſima eſt inter Doctores, & definita in ſacris Canonibus: *cap. Certum eſt, 24. quæſt. 3.* ex V. Synodo Generali dicitur: *Ille qui anathematizatus, nunquam impius ſeparatus eſt.* Et *cap. Comperimus, eod.* S. Gregorius declarat, Epiſcopum quemdam non incurriſſe excommunicationem, qua eum perculit Laurentius Epiſcopus, eo quod nullius culpæ fuiſſet reus, his verbis: [Laurentius quondam frater, & Coepiſcopus noſter, *nullis te culpis exigentibus*, communione priuauerit. Ideò huius præcepti noſtri authoritate munitus, officium tuum ſecurus perage, & communionem ſine aliqua ſume formidine.] Et S. Hieronymus *cap. Si quis non, eod.* [Si quis non recto iudicio eorum, qui præſunt Eccleſiæ depellatur, & foras mittatur; *ſi ipſe non ante exiit*, hoc eſt, *ſi non ita egit, vt mereretur exire*, nihil læditur in eo, quod non recto iudicio ab hominibus videtur expulſus.] Expelli autem ab Eccleſia, & foras mitti, idem eſſe, ac excommunicari, nemo eſt, qui neſciat. Et *cap. Romana, de ſententia excommunicationis, in 6.* Innocent. IV. in Concilio Lugdunenſi prohibet, fulminari excommunicationem in vniuerſitatem, vel collegium: ne ſententia excommunicationis, quæ fulminatur in reos culpæ, intendatur in eos, qui nullius culpæ conſcij ſunt, quorum aliqui in vniuerſitate, vel collegio non deerunt, his verbis; [Cùm nonnunquam contingeret, *innoxios* huiuſmodi ſententia irretiri; ſed in illos dumtaxat de collegio, vel vniuerſitate, *quos culpabiles eſſe* conſtiterit, promulgetur.] Idem conſtat *ex cap. Sacro de ſent. excommunicat.* & paſſim alibi.

Excommunicatio latæ ſententiæ non cadit, niſi ſupra culpam mortalem.

47. Iam verò ſecunda conſequentia manifeſtè infertur ex prima. Nempe, [Multa præcipit Eccleſia obligando ſub culpa: ergo perſuaſum eſt in Eccleſia, quod ſibi data eſt à Chriſto poteſtas præcipiendi, & obligandi ſub culpa.] Et quidem mihi eſt indubitabile, quod perſuaſum ſemper fuit in Eccleſia, ſe accepiſſe à Chriſto hanc poteſtatem, ex ea vniuerſaliſſima forma, *Quæcumque alligaueritis*, &c. Modò autem contendo, hanc perſuaſionem vniuerſalis Eccleſiæ manifeſtè inferri ex tot actibus obligandi conſcientias toties repetitis.

An valeat hæc conſequentia?

48. Etenim iniquè procederet iudex, qui exerceret actum iuriſdictionis, ſi non eſſet ſibi perſuaſum, fungi ſe tali iuriſdictione; & vt cum æquitate procedat, exercendo illam, debet ſibi perſuadere, ſe habere talem poteſtatem: ſi ergo conſtat, ab initio naſcentis Eccleſiæ, Prælatos eius exercuiſſe hanc iuriſdictionem præcipiendi ſub culpa, manifeſtum fit, quod Eccleſia ſibi perſuaſit, apud ſe eſſe talem iuriſdictionem præcipiendi ſub culpa, & obligandi conſcientias.

Dices. Si iudex ſibi probabiliter perſuaderet, apud ſe eſſe talem iuriſdictionem, licitè poſſet vti tali iuriſdictione: ergo ſi Eccleſia ſibi probabiliter perſuaderet, apud ſe eſſe iuriſdictionem obligandi conſcientias, poſſet licitè præcipere intendendo obligare conſcientias: ergo ex eo, quod præcipiat intendendo obligare conſcientias, non infertur, quod ſibi certiſſimè perſuaſerit, apud ſe eſſe talem iuriſdictionem obligandi conſcientias. 49.

Retorqueo argumentum in aduerſarium, qui doctrinam Tridentini negare non poteſt. Si Eccleſia ſibi probabiliter perſuaderet, quod poteſt reſeruare caſus, & prohibere Epiſcopis abſolutionem grauiorum criminum, licitè illos reſeruaret, & hanc prohiberet: ergo ſtat, quod ſemper fuerit perſuaſum in Eccleſia Dei, eſſe ſibi poteſtatem reſeruandi caſus; & quod hæc perſuaſio fuerit dumtaxat probabilis; cùm ex ſola perſuaſione probabili potuerit licitè eam reſeruationem iniungere. Quod eſt apertè contra Tridentinum *ſeſſ. 14. cap. 7. de Sacramento Pœnitentiæ.* 50.

Reſpondeo ergo, verum eſſe antecedens, & primam conſequentiam conditionalem; ſecundam verò falſam. Etenim perſuaſio vniuerſæ Eccleſiæ facit certitudinem omnimodam in materia fidei; quia ex ſpeciali aſſiſtentia Spiritus Sancti in tali materia errare non poteſt. Id quod euidenter colligitur ex loco proximè citato Concilij Tridentini. Itaque ex eo quod detur praxis in Eccleſia obligandi conſcientias fidelium, colligitur, eſſe perſuaſum in Eccleſia, quod ſibi data eſt poteſtas obligandi eo modo. Perſuaſio autem Eccleſiæ in materia fidei eſt regula infallibilis. 51.

Perſuaſio totius Eccleſiæ facit euidentiam in materia fidei.

Et quidem aliud eſt, quod perſuaſio probabilis, ſi detur, ſufficiat, vt Eccleſia exerceat licitè actum iuriſdictionis; & aliud eſt, quod perſuaſio Eccleſiæ in materia fidei circa vſum iuriſdictionis poſſit eſſe dumtaxat probabilis. Primum enim eſt certum, & ſecundum eſt certò falſum. Ex illo exercitio iuriſdictionis euidenter infertur perſuaſio Eccleſiæ circa talem iuriſdictionem ſibi conuenientem; ex aſſiſtentia verò Spiritus Sancti, ratione cuius errare non poteſt in materia fidei, colligitur, illam perſuaſionem eſſe non poſſe dumtaxat probabilem. Vnde ex illo exercitio iuriſdictionis, & ex aſſiſtentia Spiritus Sancti in materia fidei colligitur certiſſimè, quòd datur in Eccleſia perſuaſio certa, & infallibilis de tali iuriſdictione obligandi conſcientias. 52.

Quod autem perſuaſio Eccleſiæ Catholicæ, [Quod ſibi data eſt poteſtas præcipiendi ſub culpa, & obligandi conſcientias fidelium,] ſit in materia fidei, patet. Nam cùm de fide conſtet, datam eſſe Eccleſiæ poteſtatem ad ferendas leges, quæſtio, quæ inquirit, an hæc poteſtas à Chriſto conceſſa extendatur ad obligandum in conſcientia, vtique verſatur in materia fidei. Nam, vt benè notauit Caramuel 53.

Digitized by Google

muel *in apolog. de Probabilitate, n.152.* quia de fide eſt, omnem hominem in Adam peccauiſſe; ideò quæſtio, quæ inquirit, [An B. Virgo in Adam peccauerit?] Eſt quæſtio, quæ verſatur in materia fidei. Et, vt rectè etiam notauit *ibid. num.129.* quia de fide eſt, quòd Verbum Diuinum *propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis*, quæ ſunt verba Symboli; ideò quæſtio, quæ inquirit, [An ſi Adam non peccaret; Verbum incarnaretur,] procedit in materia fidei.

54. *Ex perſuaſione Eccleſiæ euidenter infertur poteſtas præcipiendi ſub culpa.*

Hinc fit, poſtremam conſequentiam euidenter inferri ex ſecunda; nempe ex perſuaſione, quam habet Eccleſia de poteſtate ſibi tradita à Chriſto ad obligandum conſcientias, euidenter inferri, quod habet talem poteſtatem. Nam vt ſuprà dixi, hæc perſuaſio Eccleſiæ in materia fidei conſtituit regulam infallibilem. Quod abundè patet ex Concilio Tridentino, quod frequenter in multis materiis doctrinalibus hac regula vtitur. Ita *ſeſſ. 14. cap.5. de Sacram. Pænit. Vniuerſa Eccleſia ſemper intellexit, inſtitutam eſſe à Domino integram peccatorum confeſſionem.* Et inferiùs: [Neque enim per Lateranenſe Concilium *Eccleſia* ſtatuit, vt Chriſti fideles confiterentur, quod iure diuino neceſſarium, & inſtitutum eſſe intellexerat.] Et *cap.7. Perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, & verißimum eſſe Synodus hæc confirmat, nullius momenti abſolutionem eam eſſe*, &c. Et *ſeſſ. 13. cap.1. de Sacram. Euchar.* vbi *vniuerſus Eccleſiæ ſenſus* dicitur eſſe *columna, & firmamentum veritatis.* Quod idem habet *ſeſſ. 25. in decreto de Inuocatione Sanctorum.* Cùm ergo Eccleſia Catholica ſibi perſuaſerit, apud ſe eſſe poteſtatem obligandi conſcientias, ſicut & præcipiendi ſub excommunicatione latæ ſententiæ ipſo facto incurrendæ, & hæc perſuaſio procedat in materia fidei, dicendum eſt, ex illa perſuaſione euidenter inferri hanc poteſtatem.

55. *Leges excommunicantes repugnat eſſe diſiunctiuas.*

Demonſtratur ſecundò eadem veritas. Eccleſia habet poteſtatem ferendi leges ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ: ſed repugnat, tales leges eſſe diſiunctiuas: v. g. [vel ieiuna, vel ſubi excommunicationem:] ergo habet poteſtatem ferendi leges ſub excommunicatione latæ ſententiæ, determinatè, & ſine diſiuncto pœnæ: ergo habet poteſtatem ferendi leges ſub culpa.

56. Hæc poſtrema conſequentia patet ex prima, attentis iis, quæ dicta ſunt in demonſtratione prima, *num.46.* cùm inde certò conſtet, incurſionem excommunicationis maioris neceſſariò præſupponere culpam mortalem. Prima verò conſequentia manifeſta eſt, quia illæ leges vno ex duobus modis neceſſariò procedere debent, ſcilicet, aut ſub diſiunctione, aut determinatè: vnde ſi repugnat, eas procedere diſiunctiuè, euidens eſt, quod procedant determinatè.

57. *De fide eſt, eſſe in Eccleſia poteſtatem excommunicandi.*

Quod attinet ad maiorem, ea quidem admittitur à Caramuele. Et in primis de fide eſt, Eccleſiam habere poteſtatem excommunicandi, & ferendi cenſuras. Id quod expreſsè tradit, & demonſtrat P. Suarez *tom.5. in 3. part. diſp.1. ſect.2. num.14. & diſp.8. initio* aſſerit, id conſtare ex Eccleſiæ Catholicæ traditione. Suppoſito autem quod Eccleſia habeat hanc poteſtatem imponendi prædictam pœnam, certiſſimum eſſe debet Caramueli, quod præcipere poteſt Eccleſia ſub pœna excommunicationis incurrendæ. Aſſerit enim in loco, quem retuli initio huius diſputationis: [Iudico *certum*, Deum dediſſe hominibus populo præpoſitis authoritatem præcipiendi ſub pœna.

Minor verò eius ſyllogiſmi apertè oſtenditur. 58. Repugnat enim aliquem ligari excommunicatione maiori, niſi propter peccatum mortale antecedenter commiſſum, vt patet *ex n.46.* Sed qui ſubiret excommunicationem vi eius præcepti diſiunctiui, [vel ieiuna, vel ſubi excommunicationem,] non committeret peccatum mortale; quia cum ieiunium præcipiatur ibi ſub diſiunctione, ille, qui omitteret ieiunium, non peccaret; cùm illa lex non obliget determinatè ad ieiunium: ergo repugnat lex, quæ deſiunctiuè afferat pœnam excommunicationis.

Demonſtratur tertiò. Ritus receptos, & 59. approbatos, quos adhibere ſolet Eccleſia Catholica in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione, ius Eccleſiaſticum induxit; & tamen omitti non poſſunt ſine peccato: ergo ius humanum obligat in conſcientia ad illos adhibendos, & non ſolùm ſub pœna.

Conſequentia eſt euidens. Maior autem, & 60. minor definitæ ſunt in Tridentina Synodo. Maior quidem *ſeſſ.22.* præcipuè *cap.5. de Sacrificio Miſſæ*, vbi ait: *Pia Mater Eccleſia ritus quoſdam, vt ſcilicet quædam ſubmiſſa voce, alia verò elatiori in Miſſa pronunciarentur, inſtituit. Cæremonias item adhibuit, vt myſticas benedictiones, lumina, thymiamata, veſtes, aliaque id genus multa ex Apoſtolica diſciplina, & traditione.* Et *cap.7. Monet deinde ſancta Synodus, præceptum eſſe ab Eccleſia Sacerdotibus, vt aquam vino in calice offerendo miſcerent.*

Conſtat ex Tridentino, ritus in Sacramentis obligare ſub culpa.

Minor verò definita eſt *in can.13. de Sacram.* 61. *in genere*, his verbis: [Si quis dixerit, receptos, & approbatos *Eccleſiæ Catholicæ ritus* in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos, aut contemni, *aut ſine peccato à Miniſtris pro libito omitti*, aut in nouos alios per quemcunque Eccleſiarum Paſtorem mutari poſſe, anathema ſit.]

CAPVT V.

Aliis demonſtrationibus eadem veritas roboratur.

DEmonſtratur quartò. Eccleſia declarauit 62. eſſe peccatum mortale violationem immunitatis Eccleſiaſticæ in extractione reorum ab Eccleſia: hoc ſtare non poteſt, niſi Eccleſia poſſit obligare ſub culpa, & non ſolùm ſub pœna: ergo Eccleſia poteſt obligare ſub culpa, & non ſolùm ſub pœna.

Definiuit Eccleſia, violationem immunitatis eſſe peccatū mortale.

Conſequentia eſt ineuitabilis: maior patet 63. *ex diſp.19. cap.16. num.210. & cap.22. n.266.* vbi videbis, quod ſacri Canones hanc violationem immunitatis Eccleſiarum appellant temerariam profanationem, ſacrilegium, contumeliam Religionis, iniuriam Sanctorum locorum, actionem illicitam. Repugnat autem, Romanum Pontificem, dum docet Eccleſiam, proponere tanquam peccatum & ſacrilegium eam actionem, quæ licita eſt, & ſine peccato fit, vt conſtat *ex diſp.9. à num.49.*

Inde euidens Eccleſiā obligare ſub culpa.

Minor

64. *Protectio reorum eſt de iure Eccleſiaſtico.*

Minor oſtenditur. Etenim immunitas Eccleſiarum quoad protectionem reorum, cùm omnibus circumſtantiis, & adiunctis, quæ in ſacris Canonibus continentur, non eſt de iure diuino, ſed de iure Eccleſiaſtico: ſed in violatione illius committitur peccatum mortale: ergo contra ius Eccleſiaſticum committitur peccatum mortale: ergo ius Eccleſiaſticum obligat ſub peccato mortali.

65. Dices. Aliqui admittunt, hanc Eccleſiarum immunitatem eſſe de iure diuino: ergo ſolùm eſt probabile, quod ſit de iure Eccleſiaſtico: ergo non eſt certum, quod ſit de iure Eccleſiaſtico: ergo hæc, quæ à nobis propoſita eſt, non eſt demonſtratio, cùm inuitatur in principio non certo.

66. Reſpondeo, licèt nonnulli Iuriſperiti contendant eſſe de iure diuino hoc genus immunitatis, id nihil obſtat certitudini aſſertionis, quæ defendit, eam non eſſe propriè, & ſtrictè de iure diuino. Tum quia ſi rectè attendantur, ſolùm intendunt, hanc immunitatem fundari in iure diuino, non verò, quod lex ipſa præſcribens hanc protectionem reorum cum omnibus ſuis adiunctis, & circumſtantiis, iure diuino ſtatuta ſit. Tum quia nullum oſtendunt ius diuinum, quod illam ita præſcribat: nam ius Teſtamenti veteris, quod afferunt, cum lege ipſa veteri expirauit.

67. Cùm ergo ex Eccleſiæ declaratione certum ſit, eam violationem eſſe peccatum mortale, & ſit etiam certum, non ex iure diuino, ſed ex Eccleſiaſtico ortam eſſe obligationem; ſit ſacros Canones præſcribentes hanc Templorum immunitatem, obligare ſub culpa, & non dumtaxat ſub pœna: ergo certum eſt, eſſe penes Eccleſiam poteſtatem obligandi ſub culpa.

68. Demonſtratur quintò. Certiſſimum eſt, peccare mortaliter eos, qui non ſoluunt Eccleſiæ decimas: ergo certiſſimum eſt, dari legem præcipientem ſub mortali, decimas ſolui. Item certum eſt, hanc legem, ſaltem quoad quotam, non eſſe iuris diuini: ergo iuris Eccleſiaſtici. Ergo certiſſimum eſt, dari poteſtatem in Eccleſia præcipiendi ſub mortali ſolutionem decimarum; implicat enim contradictionem lex valida, quæ procedat à non habente authoritatem imponendi illam.

69. *Definit Trid. peccare, qui decimas non ſoluunt.*

Antecedens conſtat ex Trident. *ſeſſ.* 25. *c.* 12. *de reformat.* vbi ait: *Qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas inuadunt.* Et mox: *Neque ab hoc crimine, niſi plena reſtitutione ſecuta, abſoluantur.* Eſt itaque crimen, & inuaſio rei alienæ, non ſoluere, & non reſtituere plenè decimas: ſed non eſt crimen ratione iuris diuini, quod non obligat ad quotam: ergo ratione iuris Eccleſiaſtici: ergo ius Eccleſiaſticum obligat ad illam quotam ſoluendam ſub reatu criminis: ergo habet hanc poteſtatem ad obligandum ſub reatu criminis, cùm implicet contradictionem, legem validam procedere à non habente poteſtatem illam ferendi. Maior eſt Tridentini: minor eſt euidens; & conſequentiæ euidenter illatæ, vt perpendenti conſtabit.

Decimæ quoad quotam non ſunt iuris diuini.

70. *Euidens eſt, potuiſſe prohiberi matrimonia aliqua pluſquam pœnaliter.*

Demonſtratur ſextò. Meridiana luce clarius eſt, Eccleſiam habere authoritatem prohibendi pluſquam pœnaliter matrimonium inter conſanguineos: item authoritatem prohibendi matrimonium abſque Parocho, & teſtibus: ergo authoritatem prohibendi ſub culpa, & non ſolùm ſub pœna. Conſequentia euidens eſt, & antecedens patet ex Trident. *ſeſſ.* 24. *can.* 4. *de Matrimonio. Si quis dixerit, Eccleſiam non potuiſſe conſtituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis conſtituendis erraſſe, anathema ſit.*

Id definitur à Trident.

71. *Nequit ſtatui impedimentum dirimens lege disiunctiua.*

Ego enim interrogo, an ſufficienter conſtituatur impedimentum dirimens per iſtam legem diſiunctiuam, [Vel non ducas vxorem conſanguineam intra quartum gradum, vel ſubi talem pœnam.] Meridiana luce clarius eſt, ex hac lege diſiunctiua licitum manere coniugium inter conſanguineos, dummodo pœna ſubeatur. Dum autem matrimonium eſt licitum, non dirimitur, nec eſt inualidum; cùm nunquam licitum ſit inire matrimonium inualidum: ergo meridie clarius eſt, quod Eccleſia habet poteſtatem prohibendi matrimonium inter conſanguineos prohibitione abſoluta, & obſtringente conſcientias; & non dumtaxat pœnali, & diſiunctiua.

72. *Eſt euidens peccatum, quod accipias Euchariſtiã non ieiunus.*

Demonſtratur ſeptimò. Meridie clarius eſt, eſſe peccatum mortale, quod extra caſum neceſſitatis accipias Euchariſtiam non ieiunus: ſed hoc peccatum non eſt contra ius diuinum: ergo contra ius Eccleſiaſticum. Sed peccatum non poteſt eſſe contra ius Eccleſiaſticum, niſi Eccleſia id prohibeat ſub culpa: ergo Eccleſia id prohibuit ſub culpa. Sed non potuit prohibere ſub culpa, niſi haberet à Chriſto poteſtatem prohibendi ſub culpa: ergo hanc authoritatem à Chriſto accepit.

Et inquiro, quænam ex his propoſitionibus non ſit euidens? Maior quidem eſt indubitabilis. Quia Eccleſiaſtica conſuetudo vniuerſalis, 73.
quæ ex traditione Apoſtolorum inualuit in tota Eccleſia, cum certa perſuaſione de obligatione graui euidentiam facit. Hanc vniuerſalem conſuetudinem, & traditionem Apoſtolicam teſtantur Sancti Patres, Epiphanius, Nazianzenus, Chryſoſtomus, Baſilius, Iſidorus, Cyprianus, Ambroſius, Tertullianus, Auguſtinus, apud P. Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. diſput.* 68. *ſect.* 3. Notatione digna ſunt verba Sancti Auguſtini relata *in cap. liquidò, de conſecrat. diſt.* 2. [Liquidò apparet, quando primò acceperunt Diſcipuli corpus, & ſanguinem Domini, non eos accepiſſe ieiunos. Numquid tamen propterea calumniandum eſt *vniuerſa Eccleſiæ, quod à ieiunis* ſemper accipiatur? Ex hoc enim *placuit Spiritui Sancto per Apoſtolos*, vt in *honorem* tanti Sacramenti in os Chriſtiani prius Dominicum Corpus intraret, quàm cæteri cibi. Nam ideò *per totum orbem* mos iſte ſeruatur.] Et mox aſſerit, D. Paulum dediſſe præceptum.

Ex quibus verbis patet primò, hanc eſſe conſuetudinem *vniuerſæ Eccleſiæ*, obſeruatam *per totum orbem.* Secundò, eſſe traditionem Apoſtolorum; *placuit* enim *Spiritui Sancto per Apoſtolos.* Tertiò, eſſe in materia graui, cùm ab Apoſtolis fuerit inſtituta *in honorem tanti Sacramenti.* Quartò eſſe obligatoriam, denotat ea vox *ſemper*, quæ denotat neceſſitatem ita faciendi. Nam ſi liberum eſt fidelibus, quod ieiuni accipiant, & quod non ieiuni, vnde ſcimus, ſemper per totum orbem ita obſeruari? Et *epiſt.* 128. inquirens, an feria quinta maioris hebdomadæ poſt cœnam accipienda ſit Euchariſtia, 74.
quia

quia Chriſtus poſt cœnam inſtituit Sacrificium; pro ſolutione quæſtionis reſpondet, inter alia, his verbis: *Similiter etiam, ſi quid horum tota per orbem frequentat Eccleſia. Nam hoc quin ita faciendum ſit, diſputare, inſolentiſſima inſania eſt.* Supponendo enim, quod tota Eccleſia obſeruat, vt quilibet accipiat Euchariſtiam ieiunus, ait eſſe inſolentiſſimæ inſaniæ tenere oppoſitum.

75. Et quidem euidentiâ facti conſtat, hanc vniuerſæ Eccleſiæ conſuetudinem eſſe, & fuiſſe ſemper cum vniuerſali perſuaſione de obligatione ſub culpa, & traditionem Apoſtolicam ita ſemper fuiſſe in Eccleſia vniuerſali intellectam. Vide quæ dicam *diſp. ſequenti*, circa euidentiam traditionis vniuerſalis, *c.* 5. Hoc autem præceptum vltra præfatam traditionem, patet ex Concilio Nicæno, ex ſexta Synodo Generali, & ex Concilio Carthaginenſi approbato à Leone IV. & ex aliis Conciliis Prouincialibus. De quo vide Patrem Suarium citatum. Vide etiam quæ dixi *diſp.* 12. *à num*...

76. *Id non eſt iuris diuini.* Quod autem communio Euchariſtiæ poſt cibum ſumptum non ſit contra ius diuinum, omninò certum eſſe, aſſerit P. Suarez initio ſectionis citatæ; cùm neque ex Scriptura ſacra, neque ex traditione Eccleſiæ tale ius diuinum conſtet. Ex teſtimonio enim Sanctorum Patrum, quos ſuprà retuli, conſtat, id præceptum ab Apoſtolis impoſitum, & traditum eſſe. Conſequentia autem huius ſeptimæ demonſtrationis, & reliquæ propoſitiones ſubſumptæ indubitabiles ſunt.

77. Iam verò ſi de ſingulis præceptis Eccleſiaſticis, quæ certiſſimè obligant ſub culpa, ſingulas velimus conſtruere demonſtrationes, abibit in immenſum hæc pagina. Si autem illa certiſſimè obligant ſub culpa, meridie clarius eſt, in Eccleſia eſſe poteſtatem ad obſtringendum conſcientias, & præcipiendum non ſolùm pœnaliter, & diſiunctiuè, ſed etiam abſolutè, & ſub culpa.

78. *Euidens eſt, peccare, qui cum excommunicatione celebrat.* Numquid non eſt certiſſimum, excommunicatum denunciatum accedentem (extra caſum rariſſimum) ad celebrandum, vel ad recipiendum Sacramenta, peccare mortaliter? Cùm de fide certum ſit, Eccleſiam habere poteſtatem excommunicandi. Numquid non eſt euidens, hoc præceptum non eſſe diſiunctiuum, ſic: [Vel excommunicatus non accedat ad Sacramenta, vel ſubiiciatur pœnæ.

79. Nec ſatisfacies, ſi dicas, excommunicationem eſſe pœnam, & ideò eſſe debere ſecundam partem diſiuncti, ſic: [Vel fac hoc, vel excommunicationem incurre.] Primò. Nam vt conſtat *ex num.* 55. repugnat excommunicationem poni vt pœnam ſub diſiuncto, in præcepto Eccleſiaſtico; quia ſic incurreret excommunicationem, qui non peccaſſet mortaliter. Secundò, quia excommunicatio, reſpectu aliorum fidelium, quibus prohibetur communio cum excommunicato, non eſt pœna: qui quidem indubitanter peccant mortaliter communicando in diuinis cum excommunicato: ergo Eccleſia habet poteſtatem præcipiendi fidelibus ſub culpa, ne communicent cum excommunicato.

80. *Euidenter peccat mortaliter qui celebrat, faciendo ea ſolùm, quæ ſunt iuris diuini.* Numquid eſt meridie clarius, peccaturum mortaliter Sacerdotem, qui velit celebrare Miſſam, conficiendo dumtaxat ea, quæ ſunt iuris diuini, nempe ſolam conſecrationem, & ſumptionem Euchariſtiæ, & cætera omnia omittendo, quæ ſunt iuris Eccleſiaſtici? Numquid non eſt meridie clarius, peccare mortaliter Sacerdotem, qui in calice ligneo conſecraret Sanguinem Domini? (vide P. Henao *tom.* 2. *de ſacrif. Miſſ. diſp.* 26. *num.* 11.) vel extra aram conſecratam, vel omninò ſine veſtibus ſacris; aut ſi mauis, cum habitu ſæculari, etiam ſecluſo ſcandalo?

Numquid non eſt indubitabile, peccare mortaliter eum, qui non implet præceptum annuæ confeſſionis? De cuius certitudine vide *diſp. ſequenti, num.* 201. Numquid non eſt certiſſimum, peccare mortaliter bigamum, qui ad ſacros Ordines aſcendit, & Epiſcopum, qui ad eoſdem illum aſſumit? ex *cap.* 2. *de bigamis*, ex *can.* 16. *Apoſtol.* & ex multis aliis textibus. Hoc autem non eſſe præceptum diuinum, conſtat, ſed ad ſummum ab Apoſtolis traditum: ergo indubitabile eſt, hoc præceptum non eſſe diſiunctiuum ſic: [Vel bigamus non ordinetur, vel pœnam ſubeat;] ſed determinatè, & abſolutè ab Apoſtolis, & à Romanis Pontificibus prohibitum. 81.

Item manifeſtè conſtat hæc poteſtas Eccleſiæ ad obſtringendum conſcientias, ex Concil. Trid. *ſeſſ.* 7. *can.* 8. *de Baptiſm. Si quis dixerit, baptizatos liberos eſſe ab omnibus Sanctæ Eccleſiæ præceptis, quæ vel ſcripta, vel tradita ſunt, ita vt ea obſeruare non teneantur, niſi ſe ſua ſponte illis ſubmittere voluerint, anathema ſit.* Vbi apertè ſignificatur obligatio conſcientiæ, & pluſquam pœnalis, quam afferunt Eccleſiæ præcepta: tum ex voce *præceptum*, tum ex verbo *teneantur*, vt certò conſtabit *diſp.* 24. 82. *Poteſtas obſtringendi conſcientias conſtat euidenter ex Trid.*

Denique ex nouiſſimis decretis Alexandri VII. quæ propoſui *diſp.* 9. *cap.* 20. eadem veritas meridiano fulgore clarior eſt. Nam vigeſima tertia propoſitio (quam, ſicut & reliquas, vtminimùm tanquam ſcandaloſam condemnat) hæc eſt: *Frangens ieiunium Eccleſiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter; niſi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat; putà, quia non vult ſe ſubiicere præcepto.* Quanta certitudine polleat hæc damnatio, manifeſtè conſtat *ex eo cap.* 20. & prioribus eius articulis. 83. *Eſt etiam euidés ex decreto Alexandri VII.*

Iuxta eam ergò damnationem certiſſimè falſum eſt, non peccare mortaliter eos, qui ieiunium Eccleſiaſtico præcepto indictum frangunt: ergo certiſſimè verum eſt, quod Eccleſiaſticum præceptum obligat ſub culpa, & non dumtaxat pœnaliter. 84.

Quod idem reperies circa multas alias propoſitiones damnatas in illis duobus decretis Alexandri VII. quæ propoſitiones loquuntur in materia iuris humani Eccleſiaſtici; quod quidem ſi obligaret ſolùm pœnaliter, illæ propoſitiones ſubſiſterent; quæ tamen damnantur (vtminimùm) tanquam ſcandaloſæ. Tales ſunt quinta, octaua, nona, decimaquarta, vigeſima, vigeſima octaua, vigeſima nona, trigeſima, trigeſima prima, trigeſima ſecunda, trigeſima tertia, trigeſima quarta, trigeſima quinta, & trigeſima octaua. 85.

DISPVT

Digitized by Google

DISPVTATIO XXIII.

An ſint merè pœnales leges Eccleſiaſticæ, in quibus non exprimitur, eas obligare in conſcientia?

CAPVT PRIMVM.

Refertur, & improbatur dictamen vniuerſale Caramuelis circa obligationem legum.

1\. HOc generale dictamen auferendi præcepta Eccleſiaſtica propoſuit Caramuel *in Regul. diſp.* 55. *n.* 883. in hæc verba: [Dices, ex his colligi, paupertatis votum benignius eſſe, quàm multi exiſtimabant. Fateor: vtinam & adhuc id benignius fieri poſſet. Quia experientia docet, creſcentibus obligationibus creſcere culpas. Non ſunt præcepta in cauſa; nihilominus ſunt in occaſione, ſaltem remota. Vnde ego nullum præceptum ponerem, tollerem quæ poſſem. Vidi doctiſſimos in hac ſententia. Vtinam nulli ſequerentur contrariam: faciliùs Deo ſeruire poſſent.]

An ſit dictamen prudens, auferre leges, vt auferantur peccata?

2\. Sed ſi hoc dictamen prudens eſt, & Sanctum, precemur Deum, vt in eo perſiſtat Author. Sed ſuſpicor, prudentiam, & bonitatem dictaminis inconſtantiâ dicentis labefactandam. Audi ipſum Authorem poſt duos numeros, nempe ibidem *num.* 886. [Non peccat contra paupertatem, qui inſcio Abbate ab externis pecuniam accepit, & libros emit, dummodo habeat eos in cubiculo expoſitos, & omnibus obiectos. Idem à fortiori dicendum eſt, ſi accipiat ipſos libros. Sed hæc omnia ſummis ſunt expoſita periculis; ideóque *omninò interdicenda.*]

3\. Numquid interdictio non eſt præceptum prohibens? Ergóne tam citò euanuit illa experientia docens, *creſcentibus obligationibus, creſcere culpas?* Ergóne præceptum eſt *in occaſione, ſaltem remota*, quod creſcant culpæ; & interdictio non eſt in occaſione? Ergo qui *nullum præceptum poneret, tolleret quæ poſſet*, interdictionem deſiderat? Vbi eſt *ſententia* illa *Doctiſſimorum*, tollendi præcepta, cùm præcepta interdictiua deſiderantur? Et *ſi faciliùs ſeruitur Deo* ſublatis præceptis, difficiliùs ſeruietur poſitis legibus omninò interdicentibus.

4\. Quod ſi illa interdicenda fuerunt, quia *ſummis ſunt expoſita periculis:* ergo vbi ſummis ſunt expoſita periculis, non docet experientia, *creſcentibus obligationibus creſcere culpas:* ergo vbi ſummis ſunt expoſita periculis, præcepta non ſunt in *occaſione* remota culparum, vel talis occaſio non eſt reputanda. Ergo vbi ſummis ſunt expoſita periculis, non tolleret Caramuel præcepta, vel indicentia, vel interdicentia; imò & aliqua præcepta poneret. Ergo in talibus caſibus præceptorum impoſitio, aut manutentio non eſt contra ſententiam doctiſſimorum; nec faciliùs ſeruitur Deo per ablationem præceptorum. Et ne pro euaſione ad diuerſas ſignificationes confugiatur, nota, Caramuelem *in Reg. num.* 789. conſtituere in eodem parallelismo ſignificationis *præceptum*, & *interdictionem.*

Et quidem id dictamen prauum eſt, ſi quanta generalitate verborum profertur, intelligitur. Tenet medium locum prudentia; ideò extrema fugit. Onerat ſpiritum multitudo, laxat illum paucitas præceptorum. Si longiſſimè velis à Scylla diſcedere, Caribdis deuorabit te. Medium ſuſtine iter, & ſecurus procedes. 5.

Et quidem quamplurima ſunt præcepta, quæ licet occaſiones remotæ ſint ad peccata, quia violatio eorum ſecum affert peccatum; illa tamen talia ſunt, vt ſi obſeruentur, plurima eradicent peccata, & quamplurimas peccandi occaſiones. Præcepta annuæ confeſſionis, & communionis, occaſiones remotæ ſunt peccandi violatoribus eorum; obſeruatoribus tamen ſunt occaſiones proximæ, & cauſæ efficaces ad tollendas quamplurimas peccandi occaſiones, etiam proximas, & quamplurima peccata. In quot enim, & in quanta peccata prolabetur, qui quatuor, aut ſex annos à Sacramentis abſtinuerit! 6.

Multa præcepta ſunt cauſa tollendi peccata.

Præceptum ieiunij occaſio remota eſt peccandi violatoribus ieiunij; illud tamen cauſa eſt tollendi multa peccata, quia corporale ieiunium vitia comprimit, mentem eleuat, virtutem largitur, & præmia. Præceptum Clericis prohibens negotiationem, licèt violantibus illud ſit occaſio remota peccandi; tollit tamen radicem cupiditatis, & auaritiæ, & impedit, ne dum cupiunt diuites fieri, incidant in tentationes, quæ mergunt hominem in perditionem. 7.

Et ne diſcedamus à materia, cui ſuum dictamen accommodauit Caramuel, pone in vno Monaſterio eſſe præceptum graue, ne vllus Religioſus habeat apud ſe depoſitum laici, quo poſſit prædictus Religioſus vti ad omnia, quæ ſibi libuerint: & in altero non eſſe tale præceptum graue. In primo habet Religioſus quidam depoſita duo aureorum millia pro libito alienanda, non in ſecundo. Et inquiro, in quo eſt maior occaſio peccandi? Iuxta tuum dictamen dices, eſſe maiorem peccandi occaſionem in eo, quod tali præcepto non oneratur. Ego tamen oppoſitum reputo moraliter euidens. Creſcit enim amor diuitiarum, quantum ipſa pecunia creſcit: vnde prædictus Religioſus pro humana fragilitate cupidus diuitiarum, dum vult inter pauperes fieri diues, incurrit ſententiam Pauli 1. *ad Timoth.* 6. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa, & nociua, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem.* 8.

Sed attende diuerſos caſus, in quibus oppoſita dictamina prodierunt à Caramuele. Eſt enim mihi maximæ admirationi, quod in priori loco, vbi propoſuit tanquam licitum, quod Religioſus habeat apud ſe depoſitum pecuniæ, nomine ſæcularis pro libito ſuo inſumendum, ibi deſideret ablationem præceptorum: & in poſteriori loco, vbi propoſuit, Religioſum accipientem ſine licentia Prælati libros à ſæculari, Prælati oculis expoſitos; hìc deſideret præcepta, & interdictiones. In primo caſu Religioſus habens mille aureos viri laici apud ſe depoſitos, 9.

Digitized by Google

depoſitos, à ſe pro libito expendendos, non habet pro vtilitate Communitatis; imò habet materiam multorum vitiorum, auaritiæ, ambitionis, nimij luxus, vel fortaſſe luxuriæ: in ſecundo caſu habet Religioſus rem valde vtilem Communitati, & materiam multarum virtutum; cùm labia Sacerdotum cuſtodire debeant ſcientiam, & libri ſint inſtrumenta huius ſcientiæ. Et in hoc ſecundo reperit Caramuel ſumma pericula, quæ interdictionem poſtulent; & in priori nulla, imò verò rationes, quæ poſtulent non ſolùm eam, verùm etiam multò maiorem laxitatem. Quomodo hæc componenda ſint, alius viderit.

CAPVT II.

Quid ſenſerit Caramuel in puncto quæſtionis?

10. TRia animaduerſione digna ſcripſit Caramuel circa hanc quæſtionem. In *comment. in Reg. diſp.* 102. *num.* 1329. primum ita aſſerit. [Doctores aliqui, teſte Seruatio de Lairuelz *in Optica Regularium ſpeculo* 58. *inſtruct.* 1. *pag. mihi* 207. aſſerunt, Eccleſiaſticas leges eſſe merè pœnales, nec mortaliter obligare, niſi expreſsè aſſeratur, ſanctionem aliquam moralem eſſe. Hanc opinionem citatus Seruatius cenſet eſſe probabilem: nam contrariam, cui ſubſcribit, vocat probabiliorem.]

11. Secundum *ibid.* [Sanè ſi ea probabilis eſſet, teneremur aſſerere, non peccare eos, qui non ſolùm ſemel, aut iterum, ſed etiam ſemper omitterent diuinum officium. Præterea eos non peccare, qui nunquam audirent Miſſam, nunquam ieiunarent, ſemper carnes comederent. Et tandem quinque illa præcepta Eccleſiæ, quæ moralia paſſim audiunt, eſſent merè pœnalia, nec quemquam intrinſecè obligarent.]

12. Tertium *ibid.* [Vidi anno 1638. quempiam hæreſeos nota inuri, quòd ſubſcriberet huic opinioni. Sanè inciderat in manus ſeueri, & imperiti iudicis, qui neſciebat diſtinguere inter lepram & lepram. Primò igitur dicendum eſt, hanc aſſertionem non eſſe contra fidem, in cuius dogmatibus non reperitur: Sacerdotes peccare grauiter, ſi ſemper Canonicas horas omittant; niſi fortè hæc conſuetudo in contemptum tranſeat, aut ſcandalum magnum inducat. Secundò hanc eſſe improbabilem, Seruatius de Lairuelz non dicit: vtrum talis ſit, iudicant alij.] Et *num.* 1338. agens de hac eadem opinatione, ait: [Prima ſententia, an probabilis ſit, eſto aliorum iudicium; quia ei ego non auderem ſubſcribere.] Vbi loqui videtur tam de doctrina vniuerſali, quod præceptum non obligat in conſcientia, niſi vbi ea obligatio exprimitur; quàm de ſpeciali materia eius diſputationis, an ſcilicet obliget in conſcientia præceptum officij canonici recitandi ratione Sacerdotij.

13. Et ſanè videtur mihi, ingenium hominis inter pleraque certiſſima vacillare, & in portu, vbi firma ſtatio eſt, fluctuare. Ait, ſe non audere ſubſcribere primæ ſententiæ: cæterùm illam non damnat. Ait, Seruatium non dicere illam improbabilem; & an ſit probabilis, aliorum iudicio committit. Et per illegitimam conſequentiam infert, quæ nullatenus inferenda ſunt, imò quorum oppoſita per manifeſtam conſequentiam inferuntur.

Equidem nonnullos Theologos audiui, qui non ſine fundamento exiſtimant, Caramuelem cenſere, eam opinionem relatam ex Lairuelzio eſſe probabilem: tum quia illam non reprobat: tum quia illam vult relinqui ſub iudice, illis verbis ex *num.* 1338. *An probabilis ſit, eſto aliorum iudicium:* repetitis *num.* 1329. Tum etiam, quia illi dat authoritatem Lairuelzij, & aliorum apud ipſum. His ergo motiuis probabilitatis adiunctis ei opinioni, aſſerit, ex illa inferri per legitimam conſequentiam, præceptum de recitando officio Canonico, & quinque Eccleſiæ præcepta non eſſe leges morales, neque obſtringere conſcientiam. Et ideò nonnulli credunt, Caramuelem in eo loco eius eſſe opinionis, quod prædictæ leges non obligent conſcientias. Maximè cùm loco relato *diſp. præced. cap.* 1. dixerit Caramuel, poteſtatem Eccleſiæ ad præcipiendum ſub reatu culpæ, non eſſe clariorem meridiana luce, ſed potiùs meridiem eſſe clariorem ea poteſtate. 14.

An cenſeat omnes leges Eccleſiæ eſſe merè pœnales?

Sed cùm Caramuel, vt vidimus *diſp. præced. num.* 10. eam ſententiam reuocauerit, precemur Deum, vt eam reuocationem credant priſtinarum eius opinionum aſſeclæ. Satisfecit quidem Caramuel. Vtinam illi aſſeclæ ſibi ſatisfaciant. In quorum obſequium operæpretium eſt, Caramuelis diſcurſus relatos ad criſim trahere. 15.

CAPVT III.

Examinatur prima periodus Caramuelis, ſcilicet qualiter leges obligent, ſi non exprimunt obligationem conſcientiæ?

QVoad primam periodum, eam ſententiam relatam à Seruatio Lairuelzio, ſi ſano ſenſu intelligatur, veriſſimam reputo. Etenim lex non obligat, niſi quantum verba legis ſignificant; ſcilicet attentis aliis adiunctis in iure expreſſis, ex quibus interpretatio legis deſumenda eſt. Quid enim nocet, ſi ex vna lege nudè conſiderata non conſtet euidenter obligatio conſcientiæ, dummodo ex alia lege authenticè interpretante primam, conſtet apertè obligatio. Quia ergo verba legis quandoque dubia eſſe ſolent, ſtatuerunt Principes Eccleſiæ regulas authenticas, ex quibus legitima legum intelligentia deprehendatur. Itaque ſi ſententia relata à Lairuelzio ita intelligatur, vt ſolùm attendendum ſit, an verba huius determinatæ legis afferant obligationem grauem conſcientiæ, & non ſit attendendum ad regulas authenticas iuris; illa quidem ſententia improbabilis eſt; vel, vt potius loquar, ea improbabiliter intelligitur. Nullus enim Author aſſeruit, regulas iuris authenticas non eſſe attendendas. 16.

Ea ſententia ſano ſenſu intellecta, vera eſt.

Ex regulis iuris dignoſcitur, an lex obliget ſub culpa.

Hinc fit, plerumque contingere, vt quamuis verba legis non afferant expreſsè grauem obligationem conſcientiæ, collata tamen cum aliis legibus, ſiue Regulis authenticis iuris, interpre- 17.

Digitized by Google

interpretantibus primam legem, conſtet euidenter prædicta obligatio.

18. *Ad ſenſum legis penetrandum, attendenda eſt conſuetudo.* Sed præcipuè ante omnia ad colligendum ſenſum legis, & modum obligandi illius, attendenda eſt conſuetudo, tanquam regula authentica interpretationis. Nam vt conſtabit *capit. 4. ex cap. Cùm dilectus, de conſuetudine*, conſuetudo habet vim authenticam interpretandi legem, ita vt certiſſimè accipienda ſit lex in eo ſenſu, quem præfert conſuetudo. Nam eius eſt legem interpretari authenticè, cuius eſt condere: habet ergo Eccleſia poteſtatem interpretandi authenticè ſuas leges. Atqui in prædicto capite *cùm dilectus*, tanquam interpretationem legitimam deſignauit conſuetudinem: ergo poſita lege, & conſuetudine declarante legem, dicendum eſt, verba legis importare grauem obligationem, quando conſuetudo obſeruat illam vt grauem obligationem, ſcilicet attenta grauitate materiæ.

CAPVT IV.

Præmittitur tanquam principium certum vis conſuetudinis interpretandi legem authenticè.

ARTICVLVS I.

Statuitur, & firmatur concluſio.

19. AVthoritas ergo conſuetudinis ad interpretationem legis conſtat *ex cap. Cùm dilectus, de conſuetudine*, vbi dicitur: *Conſuetudo eſt optima legum interpres.* Et conſonat iuri ciuili *in leg. nam Imperator, ff. de legibus*, vbi ſic ſtatuitur: *in ambiguitatibus, quæ ex legibus proficiſcuntur, conſuetudinem, aut rerum perpetuò ſimiliter iudicatarum authoritatem, vim legis obtinere debere.* Quod idem traditur *in leg. minimè*, & *l. de interpretatione, ff. de legibus.*

20. *Tam certa eſt interpretatio conſuetudinis, ac ſi lex illam exprimeret.* Ex his conſtat, quando lata eſt lex, & de intelligentia illius dubitatur, ita ſtandum eſſe conſuetudini verſanti in materia eius legis, ac ſi lex exprimeret illam ipſam interpretationem, quam dat conſuetudo. Vnde fit, quod hæc interpretatio, quam dat conſuetudo, non eſt interpretatio coniecturalis, & probabilis; ſed interpretatio authentica, vtpote habens vim legis, vt exprimitur clariùs *in leg. nam Imperator, cit.*

21. Patet primò. Nam eius eſt legem interpretari authenticè, cuius eſt condere: habet ergo Eccleſia poteſtatem interpretandi authenticè ſuas leges. Atqui *in prædicto cap. Cùm dilectus*, tanquam interpretationem legitimam ſuarum legum deſignauit conſuetudinem: ergo habenda eſt tanquam interpretatio authentica.

22. Patet ſecundò. Lex obligat, quantum intendit, & ſignificat legiſlator: ſed legiſlator Eccleſiaſticus intendit, legem ſuam obligare iuxta interpretationem conſuetudinis, & id ſignificat *in eo cap. Cùm dilectus*: ergo lex obligat iuxta interpretationem conſuetudinis.

Patet tertiò. Nam interpretatio, quæ procedit à iure, eſt authentica, & habet vim legis; implicatorium enim eſt, quod procedat à iure, & quod non habeat vim legis: ſed interpretatio, quam dat conſuetudo, procedit à iure ita ſtatuente: ergo ea interpretatio authentica eſt, & habet vim legis. 23.

Patet quartò. Omnis lex ſtabilita à legitimo Principe, promulgata, & acceptata, & de materia ſibi ſubiecta, facit euidentiam obligationis in caſu expreſſo: ſed hæc lex *cap. Cùm dilectus*, de interpretatione legis ſumenda ex conſuetudine, ſtabilita eſt à legitimo Principe, nempe à Romano Pontifice; promulgata, & acceptata eſt, vt omnibus eſt notum, & de materia ſibi ſubiecta, nempe de interpretatione propriarum legum: ergo hæc lex facit euidentiam obligationis in caſu expreſſo. Sed caſus expreſſus huius legis eſt ille, in quo dubitatur de intelligentia alicuius legis, & datur conſuetudo certa recepta tanquam obligatoria: ergo vbi hoc interuenit, datur euidentia moralis de tali interpretatione, & intelligentia legis ſecundùm talem conſuetudinem. Et hic eſt communis ſenſus Doctorum, qui id tanquam certum ſupponunt. Vide P. Thom. Sanch. *lib. 6. ſum. cap. 4. num. 27.* 24.

Id ita expreſſit Caramuel *fundam. 31. numero 764.* [Non licet vnica Matutinorum, & Laudum lectione, duorum dierum obligationi ſatisfacere. Probatur clariſſimè: quia conſuetudo, & vſus communis Eccleſiæ eſt quædam *certiſſima, & ſecuriſſima legis interpretatio:* atqui omnes legunt bis Matutinas & Laudes, vt ſatisfaciant duobus diebus; & omnes iudicant, ſe teneri ad hoc ſub peccato mortali: ergo iſte eſt verus ſenſus Eccleſiaſticæ legis; nec contrarius poteſt dici probabilis.] Quod idem tradit *numero 779. & 1387. & in Reg. diſputat. 102. num. 1338. §. Quinta.* 25.

Itaque lex, etſi verbis ſcriptis non exprimat clarè obligationem conſcientiæ, adiuncta conſuetudine, qua omnes legem tanquam certò obligantem in conſcientia practicant, tanquam certiſſima, & ſecuriſſima interpretatione, certò tenenda eſt tanquam conſcientiam obſtringens. 26.

Vbi notandum eſt cum Patre Suar. *lib. 7. de legib. cap. 17.* dupliciter poſſe conſuetudinem deſeruire ad interpretationem legis. Primò, quatenus eſt ſignum, vel indicium mentis legiſlatoris; creditur enim non aliter intendiſſe legiſlatorem, quando hoc pacto conſuetudo obſeruata eſt. Quod quidem conuenit conſuetudini independenter à diſpoſitione capitis *Cùm dilectus*, & aliarum legum ciuilium, quas ſuprà retuli. Et hoc modo licèt quoad aliqua poſſit conſuetudo facere euidentiam moralem, præcipuè circa ſignificationem verborum, vt dicam *diſput. ſequenti*; vt in plurimùm tamen eſt ſolùm indicium probabile, ex quo colligitur, fuiſſe talem intentionem legiſlatoris. 27. *Duplex mos interpretādi legem, in conſuetudine. Primus coniecturalis.*

Secundò quatenus ex diſpoſitione iuris habet vim interpretandi legem: & hoc pacto non eſt indicium probabile, ſed regula certiſſima, & ſecuriſſima, vt dixit Caramuel citatus, 28. *Secundus authenticus, & certus.*

Romanus

Digitized by Google

Romanus namque Pontifex habet authoritatem interpretandi certò leges Pontificias, & de facto voluit *in eo cap. Cùm dilectus*, quod reipſa interpretationem acciperent à conſuetudine.

29. *An requiratur approbatio Principis, vt conſuetudo interpretetur legem?*

Et licèt P. Suar. citatus, attentis etiam iis, quæ docuit *cap.* 13. videatur aſſerere, vt conſuetudo habeat vim interpretandi legem authenticè, talem conſuetudinem debere eſſe approbatam à Principe in ordine ad interpretandam legem, ſicut debet eſſe approbata in ordine ad inducendam nouam legem: at hæc conditio non deeſt de facto, quia non requiritur, quod Princeps cuilibet conſuetudini in particulari det eiuſmodi vim interpretandi. Sic enim otioſè dediſſet ius conſuetudini in generali vim interpretandi legem authenticè, ſi neceſſe eſſet, quod Princeps eandem daret cuilibet ſingulari conſuetudini: & hæc eſt mens Patris Suarij, ſi attentè legatur: agit enim in eo loco de conſuetudine interpretante, independenter ab eo, quod de facto diſpoſitum eſt in iure. Deinde quia tam poteſt Princeps dare in generali vim interpretandi legem conſuetudini, ſicut cuilibet conſuetudini poteſt dare in particulari eandem vim. Et, vt diximus *in prædicto cap. Cùm dilectus*, dedit in generali eam vim: & ideò quælibet conſuetudo illam habet, ac ſi illi in particulari Princeps eam authoritatem conceſſiſſet.

30. *Conſuetudo accedens legi, facit euidentiam de modo obligationis.*

Ex dictis infertes, conſuetudinem accedentem legi ſcriptæ facere euidentiam moralem de obligatione, aut non obligatione in conſcientia, iuxta qualitatem conſuetudinis. V.g. eſt lex diœceſana de ieiunio Sabbathi, dubitatur autem, an obliget in conſcientia, necne; & an conſuetudo diœceſana vniuerſalis practicet ieiunium tanquam obligatorium in conſcientia: in eo euentu ſit moraliter euidens, legem eſſe obligatoriam conſcientiæ. Patet. Nam vis interpretandi leges, quam ius tribuit conſuetudini, non eſt vt interpretetur legem certam; quod enim certum eſt, non eget interpretatione; ſed vt interpretetur legem, de qua dubitatur, aut dubitari poteſt. Cùm ergo ex diſpoſitione iuris optima ſit interpretatio conſuetudinis, atque adeò authentica; tanta certitudine conſtat de obligatione legis, quando hoc importatur per conſuetudinem, quanta conſtaret de eadem obligatione, ſi lex illam verbis certiſſimis præferret.

ARTICVLVS II.

Obiectio, & imbecillis diſcurſus Franciſci Verde circa abſtinentiam à lacticiniis in Quadrageſima.

31. OPpones. Poteſt fieri, quod feratur lex à legiſlatore non intendente obligationem conſcientiæ, & quod populus per deceptionem exiſtimet, legem præſcribere obligationem conſcientiæ; atque adeò, quod per eiuſmodi deceptionem introducatur conſuetudo tanquam obligatoria. In quo caſu conſuetudo non eſt optima legis interpres, quandoquidem opponitur menti legiſlatoris: ergo poteſt fieri, quod conſuetudo non ſit certiſſima regula interpretandi legem.

Hinc Franciſcus Verde *in apolog. pro Theolog. fundam. Caramuelis, quæſt.* 12. *n.*618. contendit, nullam eſſe obligationem abſtinendi à lacticiniis in ieiunio Quadrageſimali, eo quod neque ex iure; neque ex conſuetudine talis obligatio oriatur. 32.

Non ex iure, ſcilicet *ex cap. denique, diſt.*4. vbi S. Gregorius ait: *Par autem eſt, vt quibus diebus à carne animalium abſtinemus, ab omnibus quoque, quæ ſementinam carnis trahunt originem, ieiunemus.* Nam, vt probat P. Fagundez *lib.* 1. *in* 4. *præcept. Eccleſ. cap.*2. ea vox *Par eſt*, non denotat præceptum, ſed congruentiam. Sed neque ex conſuetudine. Pro quo. 33.

Audienda ſunt verba Franciſci Verde. [Iure non prohiberi ſub mortali, probauit Fagundez vbi ſuprà, & in apologia citata, & optimè confirmat Tamburinus *loco citato* (*lib.*4. *cap.*5. §.1.) *num.*23. 34.

Tota difficultas eſt, an conſuetudo obtinuerit ſub graui abſtinentiam prædictam? Hæc meum in præſenti vehementer torquet ingenium: & placet illam innuere, & aliis diſcutiendam relinquere. 35.

Illa conſuetudo eſt obligatoria, quæ euidenter eſt introducta cum animo ſe obligandi: ſed prædicta conſuetudo non eſt euidenter introducta cum animo obligandi: ergo prædicta conſuetudo non eſt obligatoria. (Et notat in margine, ſyllogiſmum eſſe in Baroco.) 36.

Maiorem non negabit, qui ponderat, quantus ſit libertatis fauor; & ſcit, quod in dubio factum non præſumitur. 37.

Minorem probo. Illud eſt euidenter introductum cum animo ſe obligandi, quod poteſt colligi ex motiuis per ſe notis, & moraliter euidentibus, arguentibus, talem animum obligandi: ſed in re noſtra non poſſunt aſſignari talia motiua, ex quibus colligatur animus obligandi: ergo, &c. 38.

Inſuper illa conſuetudo obligat euidenter, quæ introducta eſt cum animo ſe obligandi, de qua conſtat euidenter, quod non ſit introducta per errorem: ſed in caſu noſtro non conſtat euidenter, prædictam conſuetudinem non eſſe introductam per errorem: ergo. Minor patet: nam quod omnes ſeruent conſuetudinem, poteſt eſſe ex eodem errore: ex quo credunt obligatos. 39.

Nec quia docti, & timorati ſentiunt de tranſgreſſoribus. Nam hoc poteſt eſſe, quia putant, iure eſſe expreſſum, quod multi docuerunt. 40.

Nec quia Superiores puniunt tranſgreſſores. Quia hoc faciunt primò politicè. Secundò ad manutenendum rigorem Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & fundati in contraria ſententia. 41.

Et quod docti hoc doceant, non eſt argumentum, quod ita ſentiant. (Quare citat Verde Authores pro opinionibus, ſi non eſt argumentum, quod ita ſentiant? cùm multi vnum teneant, aliud ſcribant, vt dixit Lacides Philoſophus: *Nos aliter in ſcholis diſputamus, aliter domi viuimus.* Numquid hoc eſt ad rem, quod aliter viuebant, quàm docebant?) apud Drexelium *de Æternitate part.* 3. *capite* 1. §.18. 42.

Non eſt ergo euidens, talem conſuetudinem obligare; cùm non poſſit aſſignari principium euidens, ex quo obligatio colligatur.] 43.

Huc vſque diſcurrit Verde, & hunc diſcurſum didicit à Caramuele, qui in variis materiis ſic diſcurrit circa vim obligationis præcedentis ex conſuetudine. Ita *in comment. in Reg. n.* 1354.

44. *Ea aſſertio damnata eſt ab Alexandro VII.* Circa quem diſcurſum in primis notandum eſt, concluſionem eius eſſe damnatam tanquam ſcandaloſam ab Alexandro VII. in decreto nouiſſimè edito die 18. Martij huius anni 1666. & eſſe ex damnatis trigeſimam ſecundam, vt habes *diſp. 9. cap. 20. in 2. decreto.* Ecce propoſitionem damnatam. *Non eſt euidens, quod conſuetudo non comedendi oua, & lacticinia in Quadrageſima, obliget.*

45. *Qualis ſit ea conſequentia.* Deinde diſcurſus in eo præcipuè peccat, quod putetur hæc eſſe bona conſequentia. *Neque obligat praciſè ex iure, neque obligat ex conſuetudine: ergo non obligat.* Cùm tamen debuiſſet addere in antecedente, *neque ex vtroque ſimul*; vt conſequentia rectè procederet. *Licèt nō obliget ex alterutro, poteſt obligare ex vtroque ſimul.* Admitto itaque, quod non obliget abſtinentia à lacticiniis in Quadrageſima præciſè ex iure ſcripto; & omitto, pro re præſenti, quod non obliget præciſè ex conſuetudine; & nego conſequentiam: quia obligat ex vtroque ſimul.

46. Patet ex dictis in hoc capite. Nam lex ſcripta, quæ non importat verba certò præceptiua, interpretanda eſt iuxta conſuetudinem, quæ reipſa practicatur tanquam obligatoria, ex diſpoſitione iuris *in prædicto cap. Cùm dilectus*: quæ interpretatio authentica eſt, atque adeò certiſſima.

47. Nec valet ſi dicas, conſuetudinem, quæ legem interpretatur, debere eſſe introductam cum animo ſe obligandi.

48. *An conſuetudo interpretans legem, introduci debeat cum animo obligandi.* Primò. Quia vt conſuetudo habeat vim obligandi ad inſtar legis poſitiuæ, aliqui Authores poſtulant, quod fuerit introducta cum animo ſe obligandi; vt autem conſuetudo interpretetur legem ſcriptam, id Authores non poſtulant.

49. Secundò. Nam legiſlator Eccleſiaſticus *in eo cap. Cùm dilectus*, non recurrit pro interpretatione legis ſcriptæ ad animum ſe obligandi ſubditorum; id enim non eſt ad rem: cùm in eo caſu non inueſtigetur animus ſe obligandi in ſubditis; ſed inueſtigatur animus obligandi in legiſlatore. Diſponitur ergo in eo capite *Cùm dilectus*, in dubio v. g. de obligatione legis ſcriptæ, attendendum eſſe, an conſuetudo practicetur vt obligatoria; & hanc conſuetudinem practicatam vt obligatoriam, eſſe legitimam legis ſcriptæ interpretem.

50. Itaque ſi verba legis dumtaxat attendas, incertum eſt, an Pontifex intendat obligare Fideles: cæterùm ea incertitudo tollitur, cùm aduertis conſuetudinem abſtinendi à lacticiniis practicatam vt obligationem: quia Pontifex *in prædicto capite cùm dilectus*, iubet, vt conſuetudo adiuncta legi ſit ad inſtar interpretationis authenticæ dimanantis à Principe.

51. *Quomodo conſuetudo, licèt introducta per errorem, interpretetur legem?* Neque obſtat id, quod dicitur, poſſe fieri, vt populus eam conſuetudinem introduxerit per deceptionem, qua credit, legem ex ſuorum tenore verborum obligare. Nam etiamſi dubitetur de ea deceptione populi, ſtandum eſt conſuetudini, & praxi tanquam legitimæ interpreti. Patet. Nam authoritas interpretandi legem, quæ ineſt conſuetudini, eſt pro quolibet dubio verſante circa obligationem legis; non enim habet locum interpretatio in iis, quæ certa ſunt: ergo dum incertum eſt de mente legiſlatoris (vndecunque proueniat ea dubitatio) in tali dubitatione conſuetudo interpretatur legem.

Confirmatur primò. Etenim ſi verba legis ſignificant obligationem conſcientiæ, quamvis mens interna legiſlatoris (occulta tamen nobis) ſit à parte rei, non obligare in conſcientia, verè tenemur ſubditi in conſcientia; tenemur enim ſecundum intentionem legiſlatoris prout ſignificatam per verba: atqui conſuetudo eodem modo explicat, & interpretatur legem, ac explicarent ipſa verba legis clara, & expreſſa, quæ affirmarent idem, quod declarat ipſa conſuetudo, vt conſtat ex ſuprà dictis à *num.* 20. ergo licèt interna mens legiſlatoris alia fuerit, dum tamen id non conſtat, conſuetudo ex diſpoſitione iuris explicat mentem legiſlatoris eodem modo, ac explicarent verba clara, & expreſſa; & prædicta conſuetudo manet tanquam Regula certiſſima obligationis legis, tanquam ſi obligatio legis verbis clariſſimis exprimeretur. 52.

Confirmatur ſecundò. Nam ſi hæc non eſſent certa, & valeret ea exceptio contra conſuetudinem interpretatricem legis, nempe quod ea conſuetudo fortè introducta eſt ex errore populi, putantis legem obligare, fruſtraretur ea diſpoſitio capitis *Cùm dilectus*: nullus enim eſſet caſus, in quo conſuetudo practicata vt obligatoria non poſſet reiici, eo quod fortè eodem modo ex errore putatæ obligationis introducta eſſet. Cùm ergo expedientiſſimum fuerit, quod amputarentur ambiguitates legum, & ad has amputandas ius canonicum diſpoſuerit, quod fiat interpretatio legum per euidentiam conſuetudinis reipſa introductæ; illud abſque dubio intelligitur taliter, vt non alia maiori ambiguitate inuoluatur; id eſt, per ipſam realem conſuetudinem, ſiue hæc introducta fuerit ex errore populi, ſiue abſque illo. 53.

Confirmatur tertiò. Nam ſi in conſuetudine ad interpretationem legis attendendum eſſet, an talis conſuetudo introducta eſſet ex errore populi putantis, legem obligare, necne; ſanè ius canonicum diſponeret, quod lex obſcura explicaretur per interpretationem obſcuriorem. Etenim multò obſcurius eſt & ſcitu difficilius, an populus cum inuexit conſuetudinem, putauerit ſe obligatum vi legis, necne; & an in eo errauerit, vel veritatem attigerit. 54.

Ad obiectionem ergo dicendum eſt, poſſe fieri, quod alia fuerit mens legiſlatoris, & quod populus errans in cognitione mentis legiſlatoris, introduxerit talem conſuetudinem, & quod practicauerit illam vt obligatoriam. In quo caſu ſi non daretur diſpoſitio capitis *Cùm dilectus*, ſtatim atque dubitaretur, an talis eſſet ea conſuetudo, iſta non interpretaretur prædictam legem. Aſt cùm *in eo cap. Cùm dilectus*, decernatur, vbi incerta eſt mens legiſlatoris, ſtandum eſſe conſuetudini, tanquam legitimæ interpreti, conſuetudo præualet pro interpretatione dubij. Vide *cap. ſeq. art.* 14. *in ſolutione ſecundæ obiectionis.* Vbi videbis, hæc intelligi, niſi poſitiuè conſter de deceptione. 55.

Quàm autem infirmus ſit diſcurſus Franciſci Verde, patet ex dictis, & patebit ampliùs ex dicendis *cap. ſequent. art.* 10. 56.

ARTICV

ARTICVLVS III.

Quomodo peccet Verde contra Logicam?

57. *In ſyllogiſmus nec ſeruat modum, nec figuram.*

SEd non omittam, Franciſcum Verde peccare in artem ſyllogiſticam, dum ſyllogiſmum illum relatum *num.* 36. conſtituit in *Baroco*; cùm reuerà non ſeruet figuram, nec modum. Et quidem Barocò pertinet ad ſecundam figuram; & ſyllogiſmus ille ſi ad aliquam pertinet, vtique pertinet ad primam. Etenim illa oratio, *quæ euidenter inducta eſt cum animo obligandi*, non ſe tenet ex parte prædicati, ſed ex parte ſubiecti; vocaturque à Dialecticis copula implicationis. Nam de conſuetudine, quæ euidenter inducta eſt cum animo obligandi prædicatur, quod ſit obligatoria. Vnde vt rectè diſponatur ſyllogiſmus, ſic debet inſtrui: [Omnis illa conſuetudo, quæ euidenter eſt introducta cum animo obligandi, eſt obligatoria: ſed conſuetudo A. non eſt euidenter introducta cum animo obligandi: ergo conſuetudo A. non eſt obligatoria.] Vbi vides, medium (quod bis repetitur in præmiſſis) eſſe *conſuetudo, quæ euidenter eſt introducta cum animo obligandi*: quod cùm ſubiiciatur in maiori, & prædicetur in minori, facit, ſyllogiſmum conſtitui in prima figura, in qua non eſt *Baroco*.

Detegitur vitium eius.

58. Rurſus. Prima figura nullum modum habet directè concludentem, cuius maior ſit vniuerſalis affirmatiua, & minor particularis, (vel ſingularis) negatiua. Solùm enim habet quatuor modos directè concludentes, inter quos nullum talem inuenies, ſi conſulueris rudimenta artis ſyllogiſticæ.

59. Sed & in ſimili forma inuenies præmiſſas veras, & concluſionem falſam. Accipe hunc: [Omnis ille homo, qui currit, eſt albus: Petrus non eſt homo, qui currit: ergo Petrus non eſt albus.] Nam caſu quo viginti homines albi currant, & nullus niger; Petrus verò homo albus ſedeat, verificantur præmiſſæ: & tamen cōcluſio eſt falſa. Neq; amplius licet immorari in his, quæ ſunt infra metas inſtituti noſtri.

CAPVT V.

Præmittitur etiam, an, & quomodo conſuetudo Eccleſiaſtica habeat vim legis obligatoriæ?

ARTICVLVS I.

Eſſe conſuetudines Eccleſiaſticas euidenter obligatorias, & fuiſſe ab initio naſcentis Eccleſiæ.

60. *Conſtat aſſertio ex decreto Alexandri VII.*

ASſertio in fronte articuli præfixa indubitabilis eſt. Et in primis conſtat ex decreto nouiſſimo Alexandri VII. relato ſuprà *n.* 44. vbi damnata eſt vt ſcandaloſa ea propoſitio trigeſima ſecunda. *Non eſt euidens, quod conſuetudo non comedendi oua, & lacticinia in Quadrageſima obliget.* Ex quo conſtat, eam conſuetudinem eſſe euidenter obligatoriam, ex dictis *diſp.* 9. *cap.* 20.

61. *Conſuetudo conſecrandi in azymo, eſt euidēter obligatoria.*

Conſuetudinem Eccleſiæ Latinæ conſecrandi corpus Domini in pane azymo, eſſe euidenter obligatoriam, patet ex Concilio Florentino in decreto de Armenis, §. 2. vbi ſic dicitur:

[Definimus, in azymo, ſiue fermentato pane triticeo corpus Chriſti veraciter confici; Sacerdoteſque in alterutro ipſum Domini corpus conficere *debere*, vnumquemque iuxta Eccleſiæ ſuæ Occidentalis, ſiue Orientalis *conſuetudinem*.] Nota eas duas dictiones, *debere*, & *conſuetudinem*: quæ clariſſimè ſignificant, conſuetudinem obligatoriam.

Tertiò. Ex conſuetudine Eccleſiaſtica grauiter obligantur Sacerdotes ad proferendum in conſecratione calicis omnia verba conſueta: de quo quidem non reperitur præceptum ſcriptum. Eſt enim certiſſimum in Eccleſia, peccare mortaliter Sacerdotem, qui aliqua verba conſecrationis Calicis omittit; cùm tamen non omnia ſint eſſentialia ſacrificio, nec reperiatur præceptum ſcriptum; atque adeò hæc obligatio non ex alia radice, quàm ex conſuetudine antiquiſſima oriri debeat. 62. *Et conſuetudo proferendi omnia verba conſueta in conſecratione Calicis.*

Quartò. In ſacrificio admixtionem vini cum aqua faciendam eſſe, etſi multi canones præſcribant; conſtat tamen eam fuiſſe conſuetudinem obligatoriam ante omnes eos canones, nempe ab initio naſcentis Eccleſiæ. De quo vide P. Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. diſp.* 45. *ſect.* 5. Ægidium de Conink 3. *part. q.* 74. *art.* 8. *n.* 142. Bonacinam *diſp.* 4. *de Euchariſt. q.* 2. *punct.* 4. *n.* 5. 63. *Et conſuetudo admiſcendi vino aquã.*

Quintò. Peccare mortaliter Sacerdotes, qui omittunt formas, & materias conſuetas Sacramentorum, & ſubſtituere alias ſimiles, eſt certum apud omnes Doctores. Cuius rationem exhibet Diana *part.* 11. *tract.* 1. *reſolut.* 18. *fine*: [Non prouenire, ait, ex defectu opinionis, aut ratione periculi, & irreuerentiæ Sacramenti; ſed quia contrauenitur Eccleſiæ conſuetudini, quæ vim præcepti habet.] Quæ verba commendat Caramuel *in Theolog. fundam. n.* 2011. *fundam.* 68. Eſt ergo hæc antiquiſſima conſuetudo Eccleſiaſtica grauiter obligatoria. 64. *Et conſuetudo adhibendi in Sacramētis formas, & materias ſolitas.*

Sextò. Ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 13. *in decreto de Euchariſtia, cap.* 7. conſtat, ante prædictum Concilium fuiſſe in Eccleſia antiquiſſimam conſuetudinem euidenter obligatoriam præmittendi cōfeſſionem mortalium ante ſumptionem Euchariſtiæ, vt patet ex illis verbis, *Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat*, &c. 65. *Et conſuetudo præmittendi confeſſionem communionis. Ex Trident.*

Septimò. Ex eodem Concilio, eiſdem ſeſſione, & decreto *cap.* 8. conſtat, ſemper in Eccleſia fuiſſe conſuetudinem obligatoriam, vt laici non à ſeipſis, ſed à Sacerdotibus communionem accipiant. 66. *Et quod laici accipiant Euchariſtiam à Sacerdote.*

Has vniuerſales conſuetudines Eccleſiæ meminiſſe ſufficiat, quas ideò præmiſi, quia ex illis deſumenda ſunt argumenta, quæ ſubiicientur in puncto præcipuæ quæſtionis. 67.

ARTICVLVS II.

An requiratur conſenſus legiſlatoris, & qualis, vt conſuetudo Eccleſiaſtica vim habeat obligandi? Et referuntur Authorum placita.

68. *Conſuetudo populi ſeorſim à Capite non obligat.*

COnſuetudinem, ſiue frequentiam actuum à populo exercitam, etiam cum intentione obligandi, per ſe ſolam non ſufficere ad inducendam obligationem in materia Eccleſiaſtica, certum eſt apud omnes. Nam cùm ad inducendam obligationem requiratur authoritas præcipiendi, & hæc non reperiatur

periatur in populo, vel communitate ex ſe, non poteſt eius conſuetudo habere vim obligandi, niſi à legiſlatore concedatur populo ea authoritas, vel niſi legiſlator eam conſuetudinem vt obligatoriam ſua authoritate confirmet. Quare quæſtio eò deuoluitur, vt inquiratur, an conſuetudines Eccleſiaſticæ, quæ reipſa obligatioriæ ſunt, & habent vim legis obſtringentis conſcientiam, id habeant ab ſpeciali conſenſu, ſeu imperio legiſlatoris, an potiùs detur aliqua lex Eccleſiaſtica generalis, vi cuius conſuetudines Eccleſiaſticæ ſecluſo nouo conſenſu, imò & ſcientia legiſlatoris vim habeant obligandi, & obſtringendi conſcientias.

An conſuetudines obligatoria ſuam vim habeant ab aliqua lege generali?

69. Et prima quidem ſententia affirmat, conſuetudinem Eccleſiaſticam non habere vim obligandi, niſi aſſocietur approbatione, aut imperio legiſlatoris. Ita P. Vaſquez 1.2. *diſputat.* 177.*c.*2.*&* 3.& Baſilius Legionenſis *lib. 6. de matrim. cap.* 6. *num.* 7.& alij.

Prima ſent.

70. Secunda ſententia communior ait, ad hoc vt conſuetudo habeat vim legis obligantis, non requiri nouum conſenſum, imò neque ſcientiam legiſlatoris; ſed ipſo inſcio habere vim legis, eo quod ſit lex vniuerſalis Eccleſiaſtica præſcribens, conſuetudines rationabiles & præſcriptas habere vim obligandi adinſtar legum. Ita P. Thom. Sanch. *lib.* 7. *de matrim. diſp.* 4. *num.* 11. P. Suarez *lib.* 5. *de legib. cap.* 13. *à num.* 6. P. Salas *diſp.* 19. *à ſect.* 3. P. Caſtro Palao *tom.* 1. *tract.* 3. *diſp.* 3. *punct.* 2.§.4. *num.* 3. & alij apud ipſos.

Secunda ſent.

71. Legem autem vniuerſalem Eccleſiaſticam, quæ eam vim tribuit conſuetudini legitimè introductæ, dicunt eſſe *cap. final. de conſuetudine:* vbi Gregorius IX. ait: *Licèt etiam longevæ conſuetudinis non ſit vilis authoritas, non tamen eſt vſque adeò valitura, vt vel iuri poſitiuo debeat præiudicium generare, niſi fuerit rationabilis, & legitimè ſit præſcripta.* Vbi licèt Pontifex videatur loqui duntaxat de vi conſuetudinis ad abrogandam legem, Authores extendunt ad vim nouæ obligationis inducendæ à paritate rationis. Quod explicans P. Suar. *cit. num.* 2. ait: [Reſpondeo, à fortiori ius illud comprehendere conſuetudinem inductiuam legis non ſcriptæ, quia quoad poteſtatem tanta requiritur ad abrogandam legem Principis, ſicut ad introducendum ius nouum non contrarium antiquo. Aliunde verò magis neceſſarius videri poterat conſenſus Principis ad permittendam reuocationem ſuæ legis, quàm ad inducendum nouum ius; quia magis eius voluntati, & authoritati derogare videbatur. Et ideò cum emphaſi dicitur in illo textu, *Licèt non ſit vilis longevæ conſuetudinis authoritas,*] &c.

Quæ ſit lex generalis, cui tribuatur vis obligandi cõſuetudinis.

72. Caramuel *lib.* 2. *Theolog. intention. diſp.* 4. *à num.* 1101. contendit, nunquam conſuetudinem habere vim legis obligantis. Nam ſi legiſlator præbeat conſenſum legiſlatiuum, quo approbet conſuetudinem vt obligatoriam, ipſa conſuetudo formaliter non obligat, ſed conſenſus legiſlatoris, qui per illam fert legem formalem. Quod ſi detur lex vniuerſalis, quæ præſcribat. [Vt conſuetudo cum talibus conditionibus introducta obſeruetur ab omnibus,] iam hæc conſuetudo ſolùm eſſet conditio requiſita, vt lex de illa materia obſeruetur, non verò eſſet formaliter lex.

An conſuetudo formaliter vt talis non habeat vim obligandi?

73. Sed hæc ad praxim inutilia ſunt, nec intereſt, an dicatur ipſa conſuetudo formaliter obligatoria, an materialiter, tanquam conditio, vel applicatio ipſius legis vniuerſalis, vel ſpecialis, in qua vis conſuetudinis fundatur. Ideò admittimus conſuetudines obligatorias in Eccleſia, & originem obligationis earum inquirimus; ſiue ipſæ conſuetudines formaliter, ſiue materialiter dicantur eſſe leges obſtringentes conſcientiam.

Quæſtio procedit de conſuetudine materialiter ſumpta.

Articvlvs III.

Modus diſcurrendi Recentiorum circa animum ſe obligandi in conſuetudine requiſitum: & ad quàm abſurdas conſequentias manuducat.

74. Admiſſa ſecunda ſententia articulo præcedenti relata, conſuetudinem Eccleſiaſticam legitimè introductam habere vim legis obligantis, nempe *ex eo cap. final. de conſuetudine*, de cuius veritate, & probabilitate inferiùs producam iudicium meum, notandum eſt, eius Authores aduertere, non ſufficere frequentiam actuum, vt ipſa ſit obligatoria: eſt enim conſuetudo recitandi ſingulis noctibus ternas ſalutationes Angelicas ad campanæ ſignum, & preces fundendi pro animabus Purgatorij; & tamen ea conſuetudo non eſt obligatoria.

75. Aſſerunt ergo, requiri in inducentibus conſuetudinem, animum ſe obligandi; ſicut in legiſlatore requiritur animus obligandi ſua lege: qui ſi deficeret, minimè lex obligaret. Quod non ita intelligendum eſt in inducentibus conſuetudinem, vt vnuſquiſque habeat animum obligandi ſeipſum; quia non eſt intelligibile, quo modo Petrus poſſit obligare ſeipſum, niſi voto, vel contractu. Itaque id intelligendum eſt, ita vt operantes per conſuetudinem cuncti obligent cæteros omnes, ſicut cùm communitas legiſlatrix fert legem, quæ omnes, & ſingulos obligat; tunc enim ſinguli ex communitate (ſiue ex maiori parte communitatis) debent habere intentionem obligandi omnes, & ſingulos. Quare ſinguli debent habere intentionem (per modum partialis ſuffragij) obligandi cæteros omnes.

Vt ſit obligatoria, requirunt, quòd introducatur cum animo ſe obligandi.

76. Iam verò nonnulli Recentiores ex hac conditione requiſita ad conſuetudinem viam inuenerunt ad abolendas quamplurimas conſuetudines obligatorias, quæ vt tales in Eccleſia receptæ ſunt, ſcilicet per diſcurſum ſummâ æquiuocatione laborantem, vt ex dicendis conſtabit.

In quæ abſurda deduxerit aliquos hic modus diſcurrendi?

77. Hic autem diſcurſus eſt ille, quem ex Franciſco Verde retuli *cap. præced. num.* 36. quo probare conabatur, non eſſe euidenter obligatoriam conſuetudinem abſtinendi à lacticiniis in Quadrageſima. Vt enim conſuetudo ſit obligatoria, debuit introduci cum animo ſe obligandi: ſed non conſtat de animo obligandi, quo prædictam conſuetudinem inuexerunt primi Authores conſuetudinis; cùm nullum principium certum detur, vnde id colligi poſſit: ergo non conſtat de obligatione eius conſuetudinis.

Franciſcum Verde.

78. Satisfecit hic diſcurrendi modus Zachariæ Paſqua

Digitized by Google

Paſqualig. Paſqualigo: & illo innixus *deciſ.169.de ieiunio, num. 3.* (apud Leandrum à SS.Sacram. *part.3. tract.5.diſp.7.quæſt.6.*) aſſeruit, ieiunia quatuor temporum non obligare ſub mortali. Item ieiunium vigiliæ Pentecoſtes *deciſ.171.* quamvis in fine dicat, ſe nolle decernere, an ſit ea aſſertio amplectenda in praxi. Et *deciſ. 172.* quamvis cum timore, affirmat, non obligare ieiunium in peruigiliis Sancti Ioannis Baptiſtæ, S.Laurentij, & omnium ſanctorum; quia hæc omnia ieiunia non conſtant ex iure: de conſuetudine autem non conſtat, quod ea inducta fuerit animo ſe obligandi. Vnde enim poteſt conſtare, quod primi conſuetudinis authores eum animum habuerint? Et idem videtur aſſerere Verde in Apologia pro Caramuele *quæſtione 12.n.621.* quoad peruigilia Pentecoſtes, S.Ioannis Baptiſtæ, S.Laurentij, & omnium Sanctorum; quatenus refert ſententiam, & probationes Paſqualigi: nec refragatur.

79. *Suffragatur Caramuel.* Vterque didicit hunc diſcurſum à Caramuele, qui variis in locis illo vtitur, quamvis illum non applicuerit (quod viderim) ad conſuetudines vniuerſales Eccleſiæ. *Commentario in Regulam diſp. 102.à num. 1351.* quæſtionem verſat, an conſuetudine recitandi priuatim officium canonicum teneantur Religioſi choro addicti, quando in choro non recitarunt: & quod attinet ad Ciſtercienſes ſuos (nam à cæteris abſtrahit) affirmat, non conſtare de obligatione conſuetudinis; quia *vtrum Choriſtæ veteres tali animo recitauerint extra chorum, Deus ſcit, nos neſcimus.* A concluſionis approbatione abſtineo, diſcurſum autem reprobandum eſſe ex dictis conſtabit.

Articvlvs IV.

In conſuetudinibus vniuerſalibus Eccleſiæ non oriri vim obligandi, ex intentione fidelium obligandi ſe, certum oſtenditur.

80. *Conſuetudines alia vniuerſales, alia particulares.* PRæmitto primò, me in præſenti loqui dumtaxat de conſuetudinibus Eccleſiæ vniuerſalibus, id eſt, de iis, quæ tota, vel ferè tota Eccleſia obſeruat, aut ſaltem tota Eccleſia Latina, aut tota Eccleſia Græca. Nam de ſpecialibus conſuetudinibus Prouinciarum, oppidorum, aut communitatum, deinceps dicendum eſt.

81. *Alia antiquiores, & alia minùs antiqua.* Præmitto ſecundò, diuidere me in duas claſſes conſuetudines vniuerſales Eccleſiæ. Ad primam reuoco antiquiores, id eſt eas, quæ ante promulgationem Decretalium conſtitutionum factam à Gregorio IX. introductæ ſunt, id eſt, ante annum circiter 1230. Ad ſecundam minùs antiquas, quæ poſt præfatum annum inuectæ ſunt.

82. *Probabilius eſt, nullam legem canonicam tribuere eam vim cõſuetudini.* Præmitto tertiò, apud me veriorem eſſe ſententiam, quæ docet, nullam eſſe legem in iure canonico, quæ conſuetudini tribuat vim inducendi legem obligatoriam, aut prohibitoriam. Authores enim oppoſitæ ſententiæ eam vim tribuunt conſuetudini *ex illo cap.final. de conſuetudine*, relato *ſup.num.71.* vbi dicitur, non eſſe vilem authoritatem conſuetudinis: qui textus ſi attentè conſideretur, nihil tale præſcribit. Neque vllum alium textum adducunt prædicti Authores.

Sed quia nobiliſſimi ſunt Authores, qui id aſſerunt, eius rei probabilitas negari non poteſt. Admitto ergo eſſe probabile, conſuetudinem habere vim inducendi legem obligatoriam, ex relato capite finali, *de conſuetudine*. 83.

His poſitis aſſero, eſſe conſuetudines vniuerſales in Eccleſia euidenter obligatorias, quarum vis obligandi non poteſt naſci ex eo, quod introducentes conſuetudinem habuerint animum ſe obligandi. 84. *Concluſio in titulo præfixa.*

Demonſtratur primò. Multæ ſunt conſuetudines in Eccleſia euidenter obligatoriæ, quæ introductæ ſunt cum ea obligatione ante tempus Gregorij IX. ſed quæ obligabant ante illud tempus, non habebant vim obligandi ex eo, quod fideles introduxiſſent eas cum animo obligandi: ergo multæ ſunt conſuetudines in Eccleſia euidenter obligatoriæ, quæ vim obligandi non habeant ex eo quod fideles eam inuexerint cum animo ſe obligandi. Maior patet *ex art.1.* 85. *Ante Gregor. IX. non habuit populus authoritatem inducendi conſuetudines obligatorias.*

Minor etiam conſtat ex proximè dictis *numero 71. & 82.* Nam ante illam legem, quam *in cap.finali, de conſuetudine*, ſtatuit Gregorius IX. non erat lex aliqua in Eccleſia, quæ daret fidelibus eam vim ſe obligandi in ipſa conſuetudine; vt patet ex ipſis Authoribus oppoſitæ ſententiæ, qui nullam aliam legem referunt: atqui fideles non potuerunt authoritate propria ſtatuere conſuetudines obligatorias, niſi id à Principe Eccleſiæ per aliquam legem ſit conceſſum: ergo conſuetudines Eccleſiæ, quæ erant euidenter obligatoriæ ante tempus Gregorij IX. non potuerunt habere vim obligandi, ex intentione fidelium ſe obligandi; cùm deficeret authoritas in fidelibus ad ſe obligandum. 86.

Obligabat quidem in Eccleſia conſuetudo proferendi omnia verba conſueta in conſecratione vini in Miſſa; ea tamen obligatio prouenire non potuit ex eo quod Sacerdotes habuerint animum ſe obligandi in illa conſuetudine; quia vſque ad conſtitutionem Gregorij IX. non habuerunt Sacerdotes, nec cæteri authoritatem ſtatuendi conſuetudinem obligatoriam, atque adeò neque cum animo ſe obligandi. 87.

Demonſtratur ſecundò. Euidens eſt, quod conſuetudo non comedendi oua, & lacticinia in Quadrageſima, obligatoria eſt, cùm oppoſitam propoſitionem, quæ euidentiam eius obligationis negat, damnauerit Alexander VII. tanquam ſcandaloſam, vt dixi *art.1. num.60.* Sed quod fideles eam introduxerint cum animo ſe obligandi, non eſt euidens: ergo ea euidens obligatio non oritur ex eo, quod fideles eam inuexerint cum animo ſe obligandi, ſed ex alio capite. 88. *Euidenter obligatoria eſt conſuetudo non comedẽdi oua, &c.* *Non eſt euidens, inductã eſſe à populo cum animo ſe obligandi.*

Minor patet. Quis enim de hoc animo ſe obligandi (quæ eſt res facti) teſtatur? Aut quis teſtari poteſt? Et, vt loquitur Paſqualigus *deciſ. 171. de ieiunio, num.3. De quo animo deponere non poſſunt Doctores, qui non adfuerunt tunc.* Ex quo autem capite proueniat ea euidens obligatio, ex infra dicendis conſtabit. 89.

Demonſtratur tertiò. Si conſuetudines Eccleſiæ ſuam obligandi vim haberent, ex eo quod inuectæ eſſent à fidelibus cum animo ſe obligandi, multæ conſuetudines vniuerſales euidenter obligatoriæ, quæ vigent in Eccleſia, 90. *Nulla eſſet euidenter obligatoria, ſi oriretur obligatio ex eo animo.*

Ii 4 non

Digitized by Google

non eſſent obligatoriæ : id tamen affert manifeſtam implicationem terminorum : ergo conſuetudines Eccleſiaſticæ non inde accipiunt obligandi vim. Maior probatur. Nam in illis omnibus eſt dubium, an fideles inuehentes conſuetudinem, eum animum habuerint, vt conſtat ex demonſtratione præcedenti : ergo vis obligandi earum dubia eſt, ſi vis obligandi earum oritur ex ea intentione ſe obligandi. Sed obligatio dubia, non eſt obligatio : ergo illæ conſuetudines non erunt obligatoriæ.

Articvlvs V.

Conſuetudines vniuerſales antiquiores, eſſe obligatorias ex traditione præcepti, doctrina eſt Sanctorum Patrum.

91. *Quid ſit traditio.* PRæmitto primò, traditionem, vt communiter accipitur, eſſe doctrinam verbo traditam, & non ſcriptam à ſuo Authore. Id quod manifeſtè patet ex S. Irenæo *lib. 3. cap. 2.* & Tertulliano *lib. de Corona militis*, & S. Cypriano *lib. 2. epiſt. 3.* & cæteris antiquis Patribus, & Scriptoribus, vt inuenies apud P. Bellarminum *tom. 1. controu. 1. lib. 4. cap. 2.*

92. *Traditiones alia pertinẽt ad fidẽ, alia ad mores.* Præmitto ſecundò, eſſe duplicis ordinis traditiones : aliæ ſunt, quæ pertinent ad fidem, & aliæ, quæ ad mores. Eſſe autem in Eccleſia traditiones præceptorum, ſiue præcepta tradita non ſcripta, patet ex Tridentino *ſeſſ. 7. can. 8. de Baptiſmo*, vbi dicitur. [Si quis dixerit, baptizatos liberos eſſe ab omnibus Sanctæ Eccleſiæ *præceptis*, quæ vel ſcripta, vel *tradita* ſunt, ita vt ea *obſeruare non teneantur*, niſi ſe ſua ſponte illis ſubmittere voluerint, anathema ſit.] Ex quibus verbis conſtat, eſſe in Eccleſia aliqua præcepta obſtringentia conſcientias, quæ ſola traditione conſtant : vt denotant ea verba, *Præcepta tradita*, & *obſeruare teneantur*. Hæc enim verba certò importare obligationem conſcientiæ, conſtabit ex diſputatione ſequenti. *Eſſe præcepta humana ſola traditione ſubſiſtentia, conſtat ex Trid.*

93. Et Concilium Nicænum II. *act. 7.* ait : [Si quis *traditionem Eccleſiæ*, ſiue ſcripto, ſiue *conſuetudine valentem* non curauerit, anathema ſit.] Vbi manifeſtum eſt, loqui etiam de traditione ad mores pertinente ; hæc enim eſt, quæ conſuetudine inualeſcit. Conſtat etiam ex D. Paulo 1. *Corinth. 11.* illis verbis : *Sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.* Et ex aliis Pauli textibus, quos affert P. Bellarminus *cit. cap. 5.* qui non ſolùm agunt de dogmatibus fidei, ſed etiam de præceptis ad mores pertinentibus.

94. *Concluſio in titulo præfixa.* Iam verò dicendum eſt, conſuetudines vniuerſales antiquiores, quæ in Eccleſia ſunt euidenter obligatoriæ, ſuam vim obligandi habere ex præcepto non ſcripto, ſed tradito. Et hæc eſt expreſſa ſententia S. Auguſtini ; qui quoties meminit conſuetudinis vniuerſalis Eccleſiaſticæ, nunquam tribuit vim obligandi ipſi conſuetudini, ſed recurrit ad præceptum traditum. Si enim conſuetudo ipſa haberet vim obligandi ex ſe, quid neceſſe eſſet recurrere ad præceptum traditum Apoſtolorum, aut Conciliorum ? *Pro ea ſtat expreſſè S. Auguſtinus.*

95. *Conſuetudo, cuius initium ignoratur, ab Apoſtolis traditione manauit.* Ita *lib. 4. contra Donatiſtas, cap. 6.* his verbis : *Illa conſuetudo, quam & tunc homines ſurſum verſus aſpicientes non videbant à poſterioribus inſtitutam, rectè ab Apoſtolis tradita creditur.* Vult ergo Auguſtinus, conſuetudinem ab aliquo inſtitutore authoritatem habente procedere : & ideò conſuetudines, quarum non agnoſcitur initium, non ab ipſis fidelibus aſſueſcentibus, ſed ab eorum Prælatis Apoſtolis initium ſumpſiſſe affirmat. Et ideò eodem *lib. 4. cap. 24.* ait : *Quod vniuerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi authoritate Apoſtolica traditum rectiſſimè creditur.* Vbi vides, conſuetudines antiquiſſimas Eccleſiæ tribui ab Auguſtino inſtitutioni, & authoritati Apoſtolorum.

Quod etiam dilucidiùs docuit *lib. 5. cap. 23.* 96.
his verbis : *Conſuetudo illa, quæ opponebatur Cypriano, ab eorum* (Apoſtolorum) *traditione exordium ſumpſiſſe credenda eſt : ſicut ſunt multa, quæ vniuerſa tenet Eccleſia, & ob hoc ab Apoſtolis præcepta bene creduntur, quamquam ſcripta non reperiantur.* Vbi in primis nota, agere Auguſtinum de conſuetudinibus : deinde ſimiles conſuetudines eſſe in Eccleſia multas. Tertiò, illas eſſe præcepta Apoſtolorum. Quartò eſſe præcepta tradita, non ſcripta.

Cæteras autem conſuetudines, quæ non ab 97. *Illa, quæ non ab initio Eccleſiæ, à Conciliis per traditionem orta ſunt.*
initio naſcentis Eccleſiæ prodierunt, ſed decurſu temporis inductæ ſunt, à Conciliis Generalibus traditas eſſe, quamvis non ſcripto, ſed ſolo verbo, affirmat. Ita enim *epiſt. 118.* & refertur *in cap. illa, diſt. 12.* inquiens : *Illa autem, quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus* (ergo non cuſtodimus niſi vel ſcripta, vel tradita) *quæ quidem toto terrarum orbe ſeruabantur* (nota in hoc verbo conſuetudinem) *datur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenariis Conciliis, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima authoritas, commendata, atque ſtatuta retineri. Sicut quod Domini paſſio, & reſurrectio, & aſcenſio in cœlum, & aduentus de cœlo Spiritus Sancti anniuerſaria ſolemnitate celebrantur. Et ſi quid aliud tale occurrerit, quod ſeruatur ab vniuerſa, quacumque ſe diffundit, Eccleſia.* Ex ſecunda parentheſi interſerta textui notabis, loqui Auguſtinum de iis, quæ in tota Eccleſia practicantur, & ad vſum, praximque deducta ſunt. In prima verò parentheſi notatur, non agnoſcere Auguſtinum praxim, & conſuetudinem vniuerſalem Eccleſiæ, niſi eorum, quæ vel ſcripta, vel tradita ſunt. Deinde ea non eſſe tradita, niſi ab Apoſtolis, vel à Conciliis Generalibus. Vnde fit, quod conſuetudines vniuerſales antiquæ poſt tempora Auguſtini ſucceſſione temporum obſeruatæ, procedere debeant vel à Conciliis Generalibus, vel à Romanis Pontificibus, quandoquidem ſummam habent in Eccleſia præcipiendi authoritatem. Vide infrà num. 144.

Tertullianus *lib. de Corona militis, cap. 3.* diſertè tradit, hanc vim obligatoriam conſuetudinis à traditione proficiſci ; vbi agens de antiqua obſeruatione Eccleſiæ, ſiue, vt ipſe loquitur, de obſeruatione inueterata, ait : *Hanc ſi nulla Scriptura determinauit, certè conſuetudo corroborauit, quæ ſine dubio de traditione manauit.* (Vide quàm *ſine dubio* id aſſerat Tertullianus.) *Quomodo enim vſurpari quid poteſt, ſi traditum prius non eſt?* Id eſt, quomodo habebit vim conſuetudinis obligatoriæ, ſi non præceſſit traditio præcepti, in iis ſcilicet, in quibus ſupponimus non eſſe legem ſcriptam. Et mox addit : *Planè negabimus recipiendam* (traditionem.) *ſi* 98. *Tertullian.*

nulla exempla præiudicent aliarum obſeruationum, quas ſine vllius Scripturæ inſtrumento, ſolius traditionis titulo, exinde conſuetudinis patrocinio vindicamus. Nota ea verba, *ſolius traditionis titulo*; quia nullus alius eſt titulus, vt antiquæ conſuetudines nos teneant. Nota etiam *conſuetudinis patrocinio*; quia conſuetudo firmat traditionem, modo inferiùs exponendo.

99. Et *cap.* 4. poſtquam aliquas conſuetudines, & obſeruationes enumerauit, ſubdit: *Harum, & aliarum eiuſmodi diſciplinarum ſi legem expoſtules ſcripturarum, nullam inuenies; traditio tibi prætendetur auctrix*, (quia à tradente præceptum tanquam ab Auctore dimanat,) *conſuetudo confirmatrix, & fides obſeruatrix.* Et inferiùs: *His igitur exemplis renuntiatum erit, poſſe etiam non ſcriptam traditionem in obſeruatione defendi, confirmatam conſuetudine, idonea teſte probata tunc traditionis, & perſeuerantia obſeruationis.* Vide quomodo conſuetudo ſit teſtis idonea traditionis; & quomodo probetur, & arguatur traditio ex perſeuerantia obſeruationis, id eſt, ex conſuetudine perſiſtente.

100. Origenes. Origenes *homil.* 5. *in Numeros*, infert aliquas Eccleſiæ conſuetudines circa ritus *percipiendi*, & *explicandi* Euchariſtiam, & circa ritus, qui conſueuerunt vſurpari in Baptiſmo ſolemni: quarum vim traditioni attribuit. *Et tamen omnia hæc operta, & velata portamus ſuper humeros noſtros, cùm ita implemus ea, & exequimur, vt à magno Pontifice, atque eius filij tradita, & commendata ſuſcepimus.*

101. S. Hieron. Hieronymus *in Dialogo aduerſus Luciferianos col.* 8. *Etiamſi ſcripturæ authoritas non ſubeſſet, totius orbis in hanc partem conſenſus inſtar præcepti obtineret. Nam & multa alia, quæ per traditionem in Eccleſiis obſeruantur, authoritatem ſibi ſcriptæ legis vſurpauerunt, velut in lauacro ter caput mergitare, deinde egreſſos lactis, & mellis prægustare concordiam ad infantiæ ſignificationem: die Dominico, & per omnem Pentecoſten, nec de geniculis adorare, & ieiunium ſoluere.* Nota primò *inſtar præcepti*. Nota ſecundò, hæc omnia non aliter obſeruari in Eccleſiis, quàm per traditionem. Quæ verba etſi ſint dicta nomine Luciferiani, at ea approbat orthodoxus, & ex illis arguit contra Luciferianum.

102. S. Baſilius. S. Baſilius *lib. de Spiritu Sancto, cap.* 27. *Dogmata, quæ in Eccleſia ſeruantur, ac prædicantur, partim ex conſcripta doctrina habemus, partim ex Apoſtolis traditione ad nos delata in myſterio recepimus. Quæ vtraque eandem ad pietatem vim habent, & nemo his contradicit, qui vel modicam ſaltem Eccleſiaſticarum iurium experientiam habet.* Et ne exiſtimares loqui ſolùm de dogmatibus fidei, & non de conſuetudinibus, immediatè ſubdit: [*Si enim aggrederemur, non ſcripto proditas conſuetudines, velut non magnam vim habentes reiicere, imprudentes etiam ipſis principalibus Euangelij partibus, damnum inferremus.*] Et inter alias conſuetudines recenſet has. [*Benedicimus aquam Baptiſmatis, & oleum Vnctionis, inſuperque ipſum, qui baptizatur. Ex quibus ſcriptis? Nonne à tacita, & arcana traditione? Ipſam verò olei illitionem, quæ doctrina ſcripta docuit? At ter immergi hominem vnde eſt? Reliqua item, quæ circa Baptiſma fiunt, renuntiare Sathanæ, & Angelis eius, ex qua ſunt ſcriptura? Nonne ex hac non publicata & arcana doctrina?* Vocat non publicatam eam, quæ non ſcripta. Vide S. Leonem infrà *art.* 11.

Articvlvs VI.

Rationibus oſtenditur doctrina tradita.

Igitur conſuetudines vniuerſales antiquiores vim ſuam obligandi habere non aliundè, niſi à traditione præcepti, ſiue Apoſtolorum, ſiue Concilij Generalis, ſiue Romani Pontificis, oſtenditur primò. Euidens eſt, eſſe in Eccleſia conſuetudines vniuerſales obligatorias antiquiores, quæ cœperunt ante tempus Gregorij IX. hæ autem non potuerunt accipere vim obligandi ab ipſo populo ſeorſim à Capite, qui nullam habet poteſtatem ex ſe ad obligandum conſcientias: item neque à lege aliqua Eccleſiaſtica tribuente eam vim conſuetudini: talis enim lex (ſi qua datur) lata fuit à Gregorio IX. *in cap. final. de conſuetudine*, vt conſtat *ex num.* 71. ergo eam vim habent à præcepto legiſlatoris non ſcripto, ſed tradito; cùm conſtet non reſtare aliam originem eius obligationis. *Non ſcripto*, dixi: loquimur enim de iis conſuetudinibus, quæ non reperiuntur ſcriptæ in decretis Romanorum Pontificum, ſaltem tanquam Authorum earum. 103. *Populus ſeorſim à capite non habet authoritatem inducendi obligationem.* *Ante Gregor. IX. nulla lex dedit populo hanc authoritatē.*

Et confirmatur in conſuetudine abſtinendi à lacticiniis in Quadrageſima, quam eſſe euidenter obligatoriam, conſtat ex decreto Alexandri VII. quo damnauit, & prohibuit propoſitionem oppoſitam. Ea enim conſuetudo eſt euidenter obligatoria, & non eſt talis, non quia conſtet de animo ſe obligandi eorum, qui eam conſuetudinem inuexerunt, vt conſtat *ex art.* 4. *num.* 89. neque quia conſtet ex ſcripto, ſi verum eſt, quod P. Fagundez *in* 4. *præc. Eccleſ. lib.* 1. *c.* 2. & alij volunt: ergo ex præcepto tradito, cùm non reſtet aliud, vnde obligatio eius conſuetudinis poſſit eſſe euidens. 104.

Dices, eas conſuetudines eſſe obligatorias, non ex præcepto tradito, ſed ex approbatione legiſlatoris, prædictas conſuetudines vt obligatorias approbantis, aut ſaltem ex conſenſu prædicti legiſlatoris. 105.

Sed contrà eſt. Nam vel iſte conſenſus Principis eſt legiſlatiuus, vel ſolùm permiſſiuus frequentiæ actuum? Si ſecundum dicas, nullus in eo apparet titulus obligationis. Nam permittere frequentiam actuum, non eſt imponere obligationem, neque conferre authoritatem populo ad illam imponendam. Si verò dicas primum, nempe, eum conſenſum Principis eſſe legiſlatiuum, hoc eſt, quod dicimus præceptum traditum. 106.

Oſtenditur ſecundò. Concilium Tridentinum non agnoſcit in Eccleſia alia præcepta Eccleſiaſtica, niſi ſcripta, vel tradita (relege ea verba *ſeſſ.* 7. *can.* 8. *de Bapt. Si quis dixerit, baptizatos liberos eſſe ab omnibus Sanctæ Eccleſiæ præceptis, quæ vel ſcripta, vel tradita ſunt, &c.*) Sed conſuetudines obligatoriæ habent vim præcepti, & non præcepti ſcripti: ergo præcepti traditi: ergo eiuſmodi conſuetudines obligant, non aliunde, quàm ex traditione præcepti, ſcilicet vel ab Apoſtolis, vel à Romano Pontifice, vel à Concilio Generali impoſiti, ſi conſuetudines vniuerſales ſunt. 107. *Tridentinum non agnoſcit alia præcepta, niſi ſcripta, vel tradita.*

Confirmatur. Nam Concilium Tridentinum 108.

num *ſeſſ.*13.*cap.*8.*de Euchariſt.* cùm refert conſuetudinem Eccleſiæ, quod laicus de manu Sacerdotis communicet; in ea non aliam vim obligandi agnoſcit, quàm à traditione præcepti, vt patet illis verbis: *In Sacramentali autem ſumptione ſemper in Eccleſia Dei mos fuit, vt Laici à Sacerdotibus communionem acciperent; Sacerdotes autem celebrantes ſeipſos communicarent: qui mos tanquam ex traditione Apoſtolica deſcendens, iure, ac merito retineri debet.*

109. *Conſuetudines vocantur à PP. & Theologis traditiones.* Oſtenditur tertiò. Nam, vt notauit P. Bellarminus *tom.*1.*contro.*1.*lib.*4.*cap.*2. Conſuetudines vniuerſales Eccleſiæ, traditiones dicuntur à Patribus, & Theologis: quod non alia ratione fieri poteſt, niſi quia prædictæ conſuetudines vim ſuam hauriunt à traditione præcepti verbo tenus impoſiti ab Eccleſiæ Prælatis.

110. *Cùm omnes fideles obſeruant, quod ipſi inſtituere non potuerũt, ibi eſt præceptum traditum.* Oſtenditur quartò. Quoties omnes fideles ſeruant aliquid iuris humani vt obligatorium, (ſine ſcripto) quod ipſi vt condiſtincti à capite inſtituere non potuerunt; in illa obſeruatione neceſſariò includitur præceptum traditum: ſic ſe habent omnes conſuetudines vniuerſales antiquæ, quas fideles ſeruant vt obligatorias: ergo in illis inuoluitur præceptum traditum.

111. *Huius ordinis ſunt conſuetudines antiquiores.* Minor patet. Nam fideles non potuerunt inſtituere conſuetudines obligatorias, niſi ad ſummum (ſecundùm opinionem probabilem) authoritate Gregorij IX. *in cap. final. de conſuetud.* Conſuetudines autem antiquas, & antecedentes tempora Gregorij non potuerunt fideles inſtituere virtute eius legis Gregorianæ, quæ nondum erat lata.

112 Maior verò, ſi penetrentur termini, eſt manifeſta. Nam obligatio iuris humani, vel à Prælatis procedere debet, vel à popularibus habentibus ad id authoritatem. Quod ſi præceptum adeſt Prælati, & non ſcriptum, quodnam teſtat, niſi traditum?

113. *S. Auguſt. Quomodo mos populi Dei pro lege tenendus ſit?* Denique S. Auguſtinus *epiſt.* 86. *ad Caſulanum, tom.*2. ait: *In his enim rebus, de quibus nihil certi ſtatuit Scriptura diuina, mos populi Dei, vel inſtituta maiorum pro lege tenenda ſunt.* Et inquiro à Doctoribus oppoſitæ ſententiæ, qui dicunt, ex illo canone Gregorij IX. ſcilicet *cap. final. de conſuet.* mores Eccleſiæ accipere vim obligandi, & tenendos eſſe pro legibus; quomodo tempore Auguſtini mos populi Chriſtiani habendus eſſet pro lege, ſcilicet octingentis annis antequam Gregorius IX. eum canonem tuliſſet? Ex quo claré infertur, ſi tempore Auguſtini conſuetudo Eccleſiaſtica habenda erat pro lege; & tunc non aderat lex Eccleſiaſtica, quæ eam authoritatem daret populo ad inducendas conſuetudines obligatorias, & vim legis habentes; dicendum eſſe, eas conſuetudines ſuam vim obtinuiſſe, quia introducebantur ex præſcripto Principis Eccleſiæ, non ſcripto, ſed tradito.

114. Imò id videtur ſignificare Auguſtinus, cùm ait: *Mos populi Dei, vel inſtituta maiorum, pro lege tenenda ſunt.* Quaſi dicat: [Mos populi Dei, vel quod idem eſt, inſtituta Maiorum;] id eſt, inſtituta Prælatorum, eo quod omnes conſuetudines introductæ fuerint ex inſtituto Prælatorum, licèt non ſcripto, at ſaltem tradito.

ARTICVLVS VII.

Vnde oriatur euidentia obligationis, ſeu præcepti traditi in conſuetudinibus antiquis?

ITerum moneo, conſuetudines vocari à me antiquas, quæ vires ſuas ſumpſerunt ante illud cap. finale, *de conſuetudine*, latum à Gregorio IX. 115.

Et quidem quando conſtat euidenter conſuetudinem antiquiorem eſſe obligatoriam, ex dictis conſtat manifeſtè, eam obligationem procedere à præcepto tradito, ſiue voce tenus à Prælatis impoſito; cùm non ſit aliud caput, vnde ea obligatio poſſit oriri. Quod claré cernitur in conſuetudine vniuerſali abſtinendi à lacticiniis in Quadrageſima: quæ ex oraculo Alexandri VII. relato ſuprà *num.*60. eſt euidenter obligatoria: quæ cùm ſit ex antiquioribus, non poteſt ſuam obligationem haurire ab animo ſe obligandi, neque ab eo canone Gregorij IX. propter dicta. Suppoſito ergo, quod eſt antiqua, & euidenter obligatoria, euidenter arguit traditionem præcepti. 116.

Dixi, eam eſſe conſuetudinem vniuerſalem, quia quamvis in vna, vel altera Prouincia ei derogatum ſit, inualeſcente oppoſita conſuetudine; tamen ad eius vniuerſalitatem conſiderandam non attenditur derogatio denuò adueniens, ſed prima conſuetudinis introductio. 117. *Conſuetudo abſtinendi à lacticiniis eſt vniuerſalis.*

Eſt ergo præſens difficultas, vnde dignoſcamus, hanc conſuetudinem A, vniuerſalem, & antiquam, eſſe euidenter obligatoriam, vt inde nobis conſtet, innolui in illa eiuſmodi traditionem præcepti? 118.

Sit concluſio. Quoties apud omnes, vel ferè omnes fideles inualuit aliqua conſuetudo, cum firma omnium, aut ferè omnium perſuaſione de obligatione eius conſuetudinis (quæ non ſit obligatio iuris naturalis) ea omnium perſuaſio facit euidentiam moralem de obligatione; atque adeò (cùm hæc non poſſit aliunde prouenire) de traditione præcepti. 119. *Perſuaſio omnium de obligatione conſuetudinis, facit euidentiam de traditione, & obligatione.*

Pro hac concluſione ſtat P. Arriaga *tom.* 8. *diſp.* 31. *num.*28. & 29. vbi in ea quæſtione, an peccata dubia ſint ex obligatione confitenda, quam putat eſſe quæſtionem de facto, ſcilicet, [Vtrum Chriſtus præceperit confiteri peccata dubia?] affirmat, in ea quæſtione communem ſenſum fidelium facere certudinem moralem. Quod didicit à P. Thom. Sanch. *lib.*1. *ſum. cap.* 10. *num.*66. qui eandem concluſionem de præcepto Chriſti confitendi peccata dubia, dicit eſſe certam, propter praxim omnium fidelium, quam vniuerſi Doctores antiqui, & neoterici affirmant. Tenet etiam Lugo Cardinalis, qui cùm eandem concluſionem de peccatis dubiis confitendis cenſeat eſſe certam, ait: [Potiſſimum ergo fundamentum eius doctrinæ deſumendum eſt ex vſu, & praxi totius Eccleſiæ, cuius initium non agnoſcitur.] Cuius etiam ſententiæ ſunt Doctores alij. An autem præfati Authores rectè applicent id principium prædictæ materiæ de confitendis peccatis dubiis, conſtabit *ex diſp.*46.*cap.*4. 120. Arriaga. Th. Sanch. Card. Lugo.

Probatur primò. In conſuetudine antiqua 121.

præmit

Conſuetudo præmittendi confeſſionem communioni, cum perſuaſione omnium facit euidentiam.

præmittendi confeſſionem ſumptioni Euchariſtiæ, perſuaſio fidelium de obligatione ante Tridentinum faciebat euidentiam obligationis: ergo in quavis conſuetudine antiqua vniuerſali perſuaſio omnium fidelium de obligatione (ſaltem quæ non ſit iuris naturalis) facit euidentiam obligationis; cùm in illa, & cæteris militet eadem omnino ratio. Patet ergo conſequentia ab identitate rationis. Et antecedens etiam patet. Teſtatur enim Tridentinum, illam conſuetudinem afferre euidentiam obligationis, illis verbis: *Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat*, &c. in quibus non loquitur de ea conſuetudine vt eo decreto Tridentini firmata, ſed de ea conſuetudine, qualis anteà apud fideles vigebat: cùm in ipſa conſuetudine antecedente manifeſtam declarationem, ſiue euidentiam obligationis reperiterit Tridentinum.

122. Nec dicas, eam vniuerſalem perſuaſionem facere euidentiam, quia eſt in materia fidei, aut iuris diuini. Quia non eſt certum, eam probationem eſſe obligatoriam independenter à iure humano. De quo vide P. Suarez *tom.3.in 3. part.diſp.66.ſect.3.§.ſed quæres.* Et videtur probabilius, id præceptum non eſſe iuris diuini, ſed ex antiquiſſima conſuetudine inuoluente traditionem Apoſtolicam.

Non eſt iuris diuini, ſed humani.

123. Confirmatur. Conſuetudinem Eccleſiæ Latinæ conſecrandi in pane azymo eſſe obligatoriam, colligit Concilium Florentinum ex ipſamet conſuetudine vtentium, nempe cum perſuaſione vniuerſali de tali obligatione, vt patet ex verbis relatis ſuprà *num.* 61. ergo vniuerſalis perſuaſio fidelium de obligatione incluſa in conſuetudine, euidentiam facit: aliàs conſuetudo Eccleſiæ Latinæ conſecrandi in azymo, non feciſſet euidentiam Florentinis Patribus.

Conſuetudo conſecrandi in azymo, cum perſuaſione omniū, facit euidentiam obligationis.

124. Probatur ſecundò. Quod reipſa detur, aut quod impoſita fuerit obligatio (extra ius naturale) eſt quæſtio facti; ſcilicet, an reipſa, & de facto impoſita fuit talis obligatio obſtringens conſcientiam? In quæſtione autem facti ſit probatio plena, & moraliter euidens per teſtes expreſsè, vel tacitè deponentes de tali facto. Cùm autem omnes fideles conueniunt in eo, quod detur talis obligatio poſitiua, teſtes ſunt, qui plenè probant, quod ita ſemper audierint à ſuis maioribus. In qua quæſtione facti moraliter eſt incredibile, decipi omnes fideles, omnes Epiſcopos, omnes Parochos, omnes Theologos, omnes Scriptores. Quando enim omnes conueniunt in ea obligatione poſitiua, nituntur certo fundamento communis authoritatis omnium maiorum.

Quod impoſita ſit obligatio, eſt res facti.

Perſuaſio omnium fideliū in quæſtione facti, facit pleniſſimam probationem.

225. Confirmatur primò. In quæſtione facti fit probatio plena moraliter certa per magnum numerum teſtium ſine contradictione affirmantium. Ita certum moraliter eſt, Imperium Romanum Conſtantinopolin tranſlatum eſſe, & ſexcenta alia ſimilia, quæ ex multis Auctoribus ſine contradictione affirmantibus, certiſſimè conſtant. Atqui vniuerſalis perſuaſio de impoſitione alicuius obligationis continet innumerabiles teſtes, & eſt in quæſtione facti: ergo vniuerſalis perſuaſio de obligatione impoſita certitudinem facit.

In quæſtione facti fit plena probatio per multos teſtes ſine contradictione.

126. Confirmatur ſecundò. Sententia communis omnium, aut ferè omnium Theologorum in quæſtione facti ad eos pertinente, facit certitudinem moralem, vt oſtendi *diſp.* 12. *cap.* 4. Sed vbi circa obligationem conſuetudinis eſt vniuerſalis perſuaſio omnium fidelium, vtique in quæſtione facti omnes Theologi illam vt obligatoriam affirmant: ergo affert certitudinem obligationis conſuetudo, cui adeſt firma perſuaſio omnium fidelium.

Sententia omnium Theologorum in re facti facit certitudinem.

Probatur tertiò. Certum eſt, eſſe in Eccleſia præcepta tradita, vltra ſcripta, vt patet ex Tridentino ſuprà relato *num.*92. Sed illa nobis conſtant in particulari, ex vniuerſali perſuaſione omnium fidelium: ergo hæc vniuerſalis perſuaſio omnium fidelium facit certitudinem de talibus præceptis in particulari: ergo vniuerſalis perſuaſio omnium fidelium de impoſitione obligationis, quæ inuoluitur in conſuetudine vniuerſali, facit certitudinem de illa. 127.

Præcepta tradita non aliunde conſtant, quàm ex firma perſuaſione omnium.

Dices, ad hæc omnia potuiſſe conſuetudinem introduci ex errore, nempe à fidelibus putantibus ſe eſſe obligatos. Quo caſu conſuetudo non poteſt conſcientiam obſtringere. 128.

Sed hæc reſponſio non eſt ad rem præſentem. Non enim arguimus præciſè ab exiſtentia conſuetudinis, ſed ab ea vniuerſali perſuaſione fidelium de impoſitione obligationis poſitiuæ. Hanc autem vniuerſalem perſuaſionem dicimus arguere moralem certitudinem, & eſſe pleniſſimam probationem, neque illam poſſe prudenter argui de errore. Sed hoc latiùs dicam *articul.* 14. in ſolutione ſecundæ obiectionis. 129.

Quartò. Conſuetudines, quæ obſeruantur in tota Eccleſia tanquam obligatoriæ, docet Auguſtinus, attribuendas eſſe vel Apoſtolis, vel Conciliis Generalibus (vide verba eius ſuprà *art.*5.& infrà *art.*9.) ergo eo ipſo quod ſeruabantur ab omnibus fidelibus tanquam obligatoriæ, euidens erat Auguſtino, eas eſſe obligatorias. Hæc conſequentia eſt manifeſta. Ideò enim dabat Auguſtinus iis conſuetudinibus authores obligationis earum, quia comperiebat, eas eſſe euidenter obligatorias: quæ ſi tales non eſſent, ad quem finem attribuenda erat Apoſtolis, aut Conciliis inſtitutio obligationis earum? 130.

Tum ſic. Ergo hæc eſt legitima conſequentia: [Conſuetudo A. ſeruatur ab omnibus fidelibus vt obligatoria: ergo illius obligatio euidens eſt.] Sed quid eſt ſeruari conſuetudinem ab omnibus fidelibus vt obligatoriam, niſi ſeruari conſuetudinem cum firma perſuaſione omnium fidelium de eius obligatione? Ergo conſuetudo vniuerſalis cum firma perſuaſione omnium fidelium de eius obligatione, facit euidentiam moralem de tali obligatione. 131.

Ea conſequentia eſt legitima.

Pro cuius clariori intelligentia, aduerte, duplicis generis eſſe conſuetudines, quas affirmat Auguſtinus irrefragabiles regulas. Aliæ ſunt, quas ſeruat omnis populus Chriſtianus, non vt obligatorias, ſed vt honeſtas, & pias: v.g. aſpergere ſe aqua benedicta, munire frontem ſigno crucis initiò cuiuſlibet pij operis, &c. Seruare autem has conſuetudines vt honeſtas, & pias, eſt ſeruare illas cum firma perſuaſione de honeſtate, & pietate earum. Aliæ ſunt, quas ſeruat omnis populus Chriſtianus vt obligatorias, vt conſuetudo vſurpandi in Baptiſmo ſolemni ſacros ritus, qui ex obligatione adhibendi ſunt: conſuetudo ieiunij quadrageſimalis, 132.

Duo ordines conſuetudinū irrefragabilis authoritatis.

Aliæ, quas ſeruat populus vt pias.

Aliæ, quas ſeruat vt obligatorias.

Digitized by Google

drageſimalis, ex neceſſitate obligationis aſſumendi; conſuetudo celebrandi Paſſionem, Reſurrectionem, & Aſcenſionem Domini, ad quam celebrationem in tota Eccleſia tenentur fideles. Quod autem totus populus Chriſtianus illas ſeruet vt obligatorias, eſt, quod ſeruet prædictas conſuetudines cum firma perſuaſione omnium de obligatione earum.

133. Iam verò Auguſtinus nos docet, conſuetudines vniuerſales omnium fidelium eſſe irrefragabilis authoritatis, vnamquamque in ſuo genere. Nam eo ipſo, quod omnes fideles adhibeant aſperſionem aquæ benedictæ cum firma perſuaſione de honeſtate & pietate eius aſperſionis, irrefragabiliter certum eſt, eam conſuetudinem eſſe honeſtam, & piam. Et eo ipſo quod omnes fideles conſuetudinem habeant ieiunij Quadrageſimalis cum firma perſuaſione de eius obligatione, irrefragabiliter certum eſt, eam conſuetudinem eſſe obligatoriam. Vnde in vtrolibet genere conſuetudinis ea firma perſuaſio omnium fidelium facit irrefragabilem certitudinem.

134. Vnde coram Auguſtino hæ duæ conſequentiæ ſunt ineuitabiles. Prima: [Omnes fideles in tota Eccleſia ſeruāt hoc vt pium & honeſtum: ergo id eſt pium & honeſtum.] Secunda: [Omnes fideles in tota Eccleſia ſeruant hoc vt obligatorium: ergo id eſt obligatorium.]

135. Hinc clarius intelligitur, quod Auguſtinus docuit *epiſt.* 118. in ea quæſtione, [Quid faciendum ſit in materia Eccleſiaſtica?] Vbi poſtquam primo loco poſuit regulam infallibilem Scripturæ, ſecundo loco docet, adhibendam eſſe pro regula praxim, & conſuetudinem Eccleſiæ. Et ita ait: *Similiter etiam, ſi quid horum tota frequentat Eccleſia. Nam hoc, quin ita faciendum ſit, diſputare, inſolentiſſima inſania eſt.* Itaque ſi tota Eccleſia frequentat aliquid vt pium, & honeſtum, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt, diſputare, an illud ſit pium, & honeſtum; & ſi tota Eccleſia frequentat aliquid vt obligatorium, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt diſputare, quin ita faciendum ſit, aut, an non ſit executioni mandandum. Et ſi vtrumlibet frequentat vel cum firma perſuaſione de honeſtate, & pietate; vel cum firma perſuaſione de obligatione talis conſuetudinis, ea firma perſuaſio omnium fidelium in vtrolibet genere irrefragabilem certitudinem importat.

136. Quod efficaciſſimè confirmatur ex verbis Auguſtini *in epiſt.* 87. *ad Caſulanum*, relatis ſuprà *art.* 6. *num.* 113. quibus ait, morem populi Dei pro lege tenendum eſſe. Vtique pro lege obligatoria. Sed quem morem? Sanè obſeruatum à populo Dei tanquam obligatorium; id eſt, obſeruatum à populo Dei cum firma perſuaſione de eius obligatione. Ergo hæc firma perſuaſio totius populi Dei facit certitudinem de obligatione.

ARTICVLVS VIII.

Quid de conſuetudinibus Eccleſiæ vniuerſalibus minùs antiquis?

137. DIxi iam, conſuetudines minùs antiquas à me appellari illas, quæ poſt tempus Gregorij IX. inualuerunt, id eſt, poſt latum ab eo canonem *in cap. final. de conſuetud.* cui probabilis ſententia attribuit, quod dederit populis authoritatem ad introducendam conſuetudinem obligatoriam, etiam ſine conſenſu, vel ſcientia Principis. Hæ autem conſuetudines poſteriores non videntur arguere traditionem præcepti ſpecialis, cùm ſecundum eam ſententiam potuerint introduci abſque præcepto ſpeciali.

Dicendum tamen eſt primò, etiam has conſuetudines poſteriores, ſi vniuerſales ſint, & euidenter obligatoriæ, afferre traditionem præcepti ſpecialis. Probatur primò. Non poſſunt eſſe euidenter obligatoriæ vi prædicti capitis finalis *de conſuet.* cùm ſolùm ſit probabile (imò minùs probabile) in prædicto capite conferri populis authoritatem ad inducendas conſuetudines denuò obligatorias; & ex titulo merè probabili non poſſit oriri obligatio euidens: ergo ſi ſunt euidenter obligatoriæ, & non prouenit obligatio à præcepto ſcripto, rectè infertur, quod ea proueniat à præcepto tradito. 138. *Etiam minùs antiquæ afferunt traditionem præcepti.* *Ex titulo probabili nequit oriri obligatio euidens.*

Probatur ſecundò. Nam vt tales conſuetudines ſint obligatoriæ abſque ſpeciali præcepto Principis ſcripto, vel tradito, requiritur, quod fideles introducant conſuetudinem cum animo obligandi: atqui vt in plurimum difficile eſt, quod conſtet, introductam eſſe à fidelibus cum animo obligandi; & vt in plurimum res eſt maximè dubitabilis, cùm de eo animo nullus ſit qui teſtetur: ergo ſi ſunt euidenter obligatoriæ, & non ab euidenti intentione obligandi, neq; à præcepto ſcripto, manifeſtè infertur, quod à traditione præcepti tales ſunt, cùm nihil aliud relinquatur, vnde oriatur ea euidens obligatio. 139. *In conſuetudinibus animus ſe obligandi non conſtat euidenter.*

Probatur tertiò. Conſuetudines antiquiſſimæ vniuerſales euidenter obligatoriæ extiterunt in Eccleſia per mille ducentos annos afferentes vim ſuam obligandi ortam ex traditione præcepti, vt conſtat ex dictis: ſed modus actualis introducendi conſuetudines vniuerſales obligatorias non eſt variatus in Eccleſia: ergo conſuetudines vniuerſales minùs antiquæ ex eadem traditione præcepti ſunt obligatoriæ. Probatur minor. Nam vt fideles variarent modum introducendi conſuetudines obligatorias, deberent id facere vi alicuius principij certi: atqui nullum datur certum, cùm ſolùm illud detur *ex cap. final. de conſuetud.* quod, vt dixi, dumtaxat eſt probabile. 140. *Modus introducendi conſuetudines vniuerſales, non eſt variatus in Eccleſia.*

Dicendum eſt ſecundò, illas conſuetudines vniuerſales minùs antiquas eſſe euidenter obligatorias, quæ ſunt cum vniuerſali omnium, aut ferè omnium fidelium perſuaſione de obligatione earum. Hæc concluſio patet ex articulo præcedenti, ex quo conſtat, perſuaſionem omnium, aut ferè omnium fidelium de obligationis impoſitione (extra ius naturale) facere euidentiam. 141. *Etiam in minùs antiquis perſuaſio omnium facit euidentiam obligationis.*

ARTICVLVS IX.

Corollaria ex Sancto Auguſtino.

EX dictis deduces primò, conſuetudinem totius Eccleſiæ (quæ ſcilicet non ſpectat ad ius naturale) quam ſemper retinuit Eccleſia, includere traditionem præcepti ab Apoſtolis impoſiti. Ita S. Auguſtinus *lib.* 4. *contra Donatiſtas, cap.* 24. *Quod vniuerſa tenet Eccleſia, nec à Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum* 142. *Conſuetudo ſemper retenta arguit traditionem Apoſtolicam.*

Digitized by Google

retentum eſt, non niſi authoritate Apoſtolica traditum, rectiſſimè creditur. Quod idem docet Auguſtinus de ea conſuetudine vniuerſali, cuius initium non agnoſcitur. Quod aſſeruit *eodem lib. cap. 6. Illa conſuetudo, quam & tunc homines ſurſum verſùs aſpicientes, non videbant à poſterioribus inſtitutam, rectè ab Apoſtolis tradita creditur.*

143. *Eam regulā ſecuta eſt Synodus Trident.*

Hanc Auguſtini Regulam ſecuti ſunt Tridentini Patres, præcipuè *ſeſſ. 13. cap. 8. de Euchariſtia*, illis verbis. [In ſacramentali autem ſumptione *ſemper in Eccleſia Dei mos fuit*, vt laici à Sacerdotibus communionem acciperent; Sacerdotes autem celebrantes ſeipſos communicarent: qui mos tanquam *ex traditione Apoſtolica deſcendens*, iure, ac merito retineri debet.] Vides, quia mos ille ſemper in Eccleſia Dei fuit, cenſuiſſe Tridentinam Synodum, morem illum ex traditione Apoſtolica deſcendere.

144. *Quæ non ſemper retenta, arguit traditionem, vel Apoſtolicam, vel Concil. &c.*

Deduces ſecundò, conſuetudinem antiquiſſimam totius Eccleſiæ (extra obligationem iuris naturalis) quæ vel non ſemper retenta eſt in Eccleſia, vel dubitatur, an non ſemper retenta fuerit, importare ſub diſiuncto traditionem præcepti Apoſtolici, vel præcepti Conciliorum, aut etiam Romanorum Pontificum. Hæc etiam Regula eſt S. Auguſtini *in cap. illa, diſt. 12. Illa autem, quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obſeruabantur, datur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenariis Conciliis, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima authoritas, commendata, atque ſtatuta retineri.* Et quamvis ſolùm meminerit Auguſtinus Apoſtolorum, & Conciliorum generalium, eadem tamen ratio eſt de traditione præcepti Pontificij.

145. Deduces tertiò, ex hac proxima Regula Auguſtini, omnes conſuetudines obligatorias, quæ per mille ducentos annos introductæ ſunt in Eccleſia, ſcilicet ante tempus Gregorij IX. quæ non cōſtant ex ſcripto authentico, importare traditionē præcepti, vel Romanorum Pontificum, vel Conciliorum Generalium. Cùm de hac Regula, & de proxima præcedenti eadem ſit omninò ratio, attentis præcipuè iis omnibus, quæ diximus in articulis præcedentibus.

Quid verò dicendum ſit de conſuetudinibus vniuerſalibus introductis poſt Gregorium IX. conſtat ex articulo præcedenti.

ARTICVLVS X.

Corollarium aduerſus Franciſcum Verde, circa abſtinentiam lacticiniorum.

146. INferes primò, diſcurſum Franciſci Verde propoſitum in fine capitis præcedentis circa conſuetudinem obligatoriam abſtinendi à lacticiniis in Quadrageſima, in æquiuoco laborare, dum contendit eam obligationem non eſſe euidentem, quia animus ſe obligandi eorum, qui conſuetudinem inuexerunt, non certò conſtat. Nam licèt probabile ſit, quod ita poſſint fideles introducere conſuetudinem obligatoriam; tamen, vt diſcurſus valeret, debebat probare eam obligationem non poſſe naſci ex alio capite, & conſuetudinem obligatoriam vniuerſalem non arguere traditionē præcepti.

147. Eam conſuetudinem vniuerſalem eſſe euidenter obligatoriam, ex eo conſtat, quod eſt, & fuit apud omnes, aut ferè omnes fideles firma perſuaſio de impoſitione eius obligationis: quæ perſuaſio in quæſtione facti facit euidentiam moralem, vt conſtat *ex art. 7.* Conſuetudinem autem euidenter obligatoriam, quæ eſt ſine præcepto ſcripto, includere neceſſariò traditionem præcepti, abundè conſtat ex dictis.

Conſuetudo de abſtinentia ouorum eſt euidenter obligatoria ex perſuaſione fidelium, vt in re facti.

Deinde conſuetudines antiquiſſimas Eccleſiæ inuoluere traditionem præcepti, vel Apoſtolici, vel Concilij Generalis, vel Pontificij, teſtantur Sancti Eccleſiæ Patres, vt patet *ex art. 5.* & præcipuè Auguſtinus, vt conſtat ex *art. 5. & 9.* qui cùm procedant in quæſtione de facto, ſunt idonei teſtes, qui plenam fidem faciunt. 148.

149. *Fuit conſuetudo antiquiſſima in Eccleſia.*

Hanc autem conſuetudinem obligatoriam abſtinendi à lacticiniis in Quadrageſima fuiſſe antiquiſſimam in Eccleſia, nempe ante mille annos, conſtat *ex canon. 56.* ex illis, qui attribuuntur ſextæ Synodo Generali Conſtantinopolitanæ, & reuerà ſunt illius Synodi Quiniſextæ, ſiue Trullanæ, celebratæ anno 692. Dato enim, quod prædicti canones nullam vim obligandi habeant (quod magni Doctores negant) tamen negari non poteſt, eos centum & duos Epiſcopos in Trullo congregatos eſſe totidem teſtes idoneos in quæſtione de facto pleniſſimè probantes eam conſuetudinem obligatoriam.

Plenè probata per centum & duos teſtes.

Verba canonis ſunt. [Accepimus, in Armeniorum regione, & in aliis locis, *in Sabbatis, & Dominicis diebus Sanctæ Quadrageſimæ*, quoſdam oua, & caſeum comedere. Viſum eſt ergo, *vt omnis Dei Eccleſia, quæ eſt in vniuerſo terrarum orbe vnum ordinem ſequens, ieiunium* perficiat, & abſtineat, ſicut ab omni mactabili, ſic & ab ouis, & caſeo: quæ quidem ſunt fructus, & fœtus eorum à quibus abſtinemus. Si autem hoc non ſeruauerit, ſi ſint Clerici, *deponantur*; ſi laici, *ſegregentur.*] 150.

Ex quibus verbis patet primò, eo tempore in vniuerſa Eccleſia, præterquam in locis ibi memoratis, tunc temporis ſeruari eam abſtinentiam à lacticiniis in ieiunio Quadrageſimali. Id quod clarè ſignificant ea verba: *Vt omnis Dei Eccleſia, quæ eſt in vniuerſo terrarum orbe, vnum ordinem ſequens, ieiunium perficiat*, id eſt, ne Armenij, & aliorum locorum incolæ in hoc ordine ieiunij ſingulariter difformentur ab Eccleſiæ reliquæ more. 151.

Patet ſecundò, in reliquis diebus Quadrageſimæ præter Sabbata & Dominicas, ne Armenos quidem difformari à reliquo Eccleſiæ cœtu; ſed in cæteris diebus fuiſſe conſuetudinem vniuerſaliſſimam omnium fidelium. 152.

Patet tertiò ex his duabus adnotationibus, eos Epiſcopos non impoſuiſſe aliquam nouam, & inuſitatam obſeruationem, ſed potiùs eam, quam videbant in tota ferè Eccleſia introductam. 153.

Patet quartò, eos Epiſcopos iudicaſſe grauem eam obligationem prædictæ conſuetudinis; ſiquidem contra eius violatores impoſuerunt pœnam depoſitionis, & excommunicationis; quæ ſignificantur per ea verba, *deponantur, ſegregentur.* 154.

Hinc facilè ſoluitur argumentum propoſitum *art. 3. num. 36. & 77.* Nam diſtinguo maiorem. Vt conſuetudo ſit obligatoria, debuit 155.

introduci cum animo ſe obligandi, [quando introducitur à ſubditis, vi authoritatis ſibi conceſſæ à Principe,] concedo; [quando introducitur vi præcepti traditi à Principe, voce tenus,] nego. Hoc autem poſteriori modo introductam eſſe eam conſuetudinem abſtinendi à lacticiniis in Quadrageſima, patet ex dictis.

156. Denique Alexander VII. in nouiſſimo decreto anni 1666. (vide *diſp. 9. cap. 20.*) definiuit, hanc conſuetudinem abſtinendi à lacticiniis in Quadrageſima eſſe euidenter obligatoriam: damnans vtminimùm tanquam ſcandaloſam oppoſitam propoſitionem, quæ eſt trigeſima ſecunda ex damnatis. Vide verba damnationis ſuprà *n.* 60.

ARTICVLVS XI.

Corollarium contra Paſqualigum, circa ieiunia quatuor Temporum.

157.
Conſuetudo ieiunij quatuor temporũ eſt euidenter obligatoria.

INferes ſecundò contra Paſqualigum relatum *art. 3. num.* 78. conſuetudinem vniuerſalem Eccleſiæ ieiunandi in quatuor temporibus, obligare ſub mortali, & eſſe euidenter obligatoriam. Primò. Etenim perſuaſio firma omnium fidelium de impoſitione obligationis facit euidentiam moralem de illa, vt conſtat *ex art.* 7. Eſt autem firma omnium fidelium perſuaſio de impoſitione obligationis grauis circa eiuſmodi ieiunia: ea ergo eſt grauiter obligatoria euidenter.

Perſuaſio omnium fidelium in re facti facit euidentiam.

158.
Antiquitas eius arguit traditionem Apoſtolicam, ex reg. S. Auguſtini.

Secundò. Nam *ex cap. Ieiunium, diſt.* 76. conſtat, tempore Calixti I. id eſt anno 121. fuiſſe conſuetudinem ieiunij trium temporum, illis verbis: *Ieiunium, quod ter in anno apud nos celebrari didiciſti,* &c. ergo iuxta regulam Auguſtini ea conſuetudo inuoluit traditionem præcepti Apoſtolici, ex dictis *art.* 9.

159.
Eſt euidenter obligatoria, ex conſuetu ine interpretãte.

Tertiò. Nam Calixtus I. *in eo cap. Ieiunium,* præcipit id ieiunium quatuor temporum, ibi: *Nunc per quatuor tempora fieri decernimus.* Cùm autem conſuetudo ſit authentica legum interpres, *ex cap. Cùm dilectus, de conſuetudine,* (vide quæ dixi *cap. præcedent.*) & conſuetudo vniuerſæ Eccleſiæ illud tanquam graue præceptum reputauerit, manifeſtè conſtat, hanc eſſe grauem obligationem.

160.
Iuxta S. Leonem, hæc conſuetudo inuoluit traditionem præcepti.

Quartò. S. Leo Magnus *ſerm.* 1. *&* 3. *de ieiunio decimi menſis, & ſerm.* 1. 7. *&* 9. *de ieiunio ſeptimi menſis, & ſerm.* 2. *de Pentecoſte*, affirmat, hæc prædictorum trium temporum ieiunia eſſe in Eccleſia ex traditione Apoſtolica, ſiue ex præcepto ab Apoſtolis tradito, licèt non ſcripto. Præcepta autem Apoſtolica obligare Eccleſiam, quis dubitabit? Notanda ſunt verba S. Leonis *ſerm. 9. de ieiunio ſeptimi menſis*, vbi agens de prædicto ieiunio, ait; *Quod enim dudum & traditio decreuit, & conſuetudo firmauit, nec eruditio ignorat, nec pietas prætermittit.* Vbi vides, vim obligatoriam conſuetudinis à traditione procedere. Et verbum *decreuit*, ſatis clarè ſignificat vim obligandi: quam etiam denotant verba illa *in ſerm.* 1. *de ieiunio ſeptimi menſis:* [Quam *ex authoritate indicimus*, & ex charitate ſuademus.] Et *ſerm.* 3. *de ieiunio decimi menſis*, ait: [Pium eſt agere (ieiunium) non indictum; *impium eſt negligere prædicatum.*]

Quintò. Communis ſententia omnium, aut ferè omnium Theologorum in quæſtione facti ad eos pertinente facit certitudinem moralem, vt oſtendi *diſp.* 2. *cap.* 4. Sed quod impoſita fuerit obligatio ieiunandi in quatuor temporibus, eſt quæſtio facti, & eam affirmant omnes Theologi: ergo certa moraliter eſt prædicta obligatio. 161.

In quæſtione facti ſententia omnium Theol. facit certitudinẽ.

Sed obiectionem Paſqualigi attende, quam propono verbis Leandri à SS. Sacr. *part.* 3. *tract.* 5. *diſp.* 7. *quæſt.* 6. [Probat (Paſqualigus) quia dicta ieiunia ſolùm habent originem ex traditione Apoſtolica: at hæc traditio nec ratione ſui, nec ratione conſuetudinis obligat ad mortale: ergo. Minorem quoad primam partem, nempe quod prædicta traditio Apoſtolica non obligat ad mortale, probat. Tum ex verbis conſtitutionis Apoſtolicæ, quam refert Clemens Romanus *lib.* 5. *cap.* 18. (corrige 19.) vbi loquens de ieiunio quatuor temporum Pentecoſtes, ſolùm ait, æquum eſſe, & lætari de Dei dono, & ieiunare poſt hilaritatem: ergo ſolùm de æquitate, non de præcepto hoc ieiunium obſeruare tenemur. Tum etiam, quia id expreſsè docet Franciſcus Turrianus *in ſchol. num. 2. circa caput* 19. *Conſtit. Apoſt.* apud D. Clementem, aſſerens, talem traditionem non continere præceptum. Secundam verò partem minoris... ſic probat. Quia ſi hæc ieiunia non obligant ad mortale ratione ſuæ inſtitutionis, vt dictum eſt, non poſſunt ad illud obligare ratione conſuetudinis; quoniam quando per conſuetudinem aliquid recipitur, vt inſtitutum ab alio, tunc conſuetudo non obligat, ſi aliàs inſtitutio non obligat: nam conſuetudo recipitur ſecundùm menſuram inſtitutionis; nec adeſt animus ſe obligandi, quia recipitur cum animo ſeruandi inſtitutionem, & animus conformatur intentioni inſtituentis.] Huc vſque Paſqualigus apud Leandrum citatum. 162.

Sed debuiſſet aduertere Paſqualigus, Kemnitium Hæreſiarcham acri audacia impugnaſſe ieiunia quatuor temporum, contra quem inſurrexerunt Catholici Doctores, & præcipuè P. Bellarminus *tom.* 3. *controuerſiarum lib.* 2. *de bonis operibus, cap.* 19. manutenentes euidentiam præcepti, quam ſibi fideles omnes firma perſuaſione tenuerunt. Circa materiam autem huius argumenti egregiè decipitur Paſqualigus. Nam traditio Apoſtolica, quam refert D. Clemens loco citato, & quam P. Franciſcus Turrianus dicit eſſe non obligatoriam, ſed voluntariam, ea eſt, vt fideles vnam integram hebdomadam, id eſt, ſex dies ieiunarent. Ecce verba S. Clementis: *Itaque poſt celebratam Pentecoſten, celebrate hebdomadam vnam, & poſt illam ieiunate item vnam: æquum enim eſt, tum lætitiam de dono Dei capere, tum poſt relaxationem corporis rurſus ieiunare.* Verba autem Patris Turriani ſunt: [Conſtitutio de celebranda vna hebdomada poſt diem Pentecoſtes, id eſt, quinquageſimum, & de ieiunando altera proxima, de numero traditionum eſt, quas S. Epiphanius... vocat traditiones non ex præcepto, ſed ex ſuſceptione voluntaria.] Ieiunium ergo totius hebdomadæ meritò dicitur à P. Turriano eſſe traditionem Apoſtolicam, non ex præcepto, ſed ex ſuſceptione voluntaria. 163.

Kemnitius impugnauit ieiunium 4. Temp.

Traditio voluntaria relata à D. Clem. fuit de ieiunio totius hebdomadæ.

Deinde traditio Apoſtolica ieiunandi in tribus, 164.

Digitized by Google

Hæc traditio non eſt accipienda ex libro incerti Authoris.

bus, quatuor temporibus anni, non eſt recipienda ex libro conſtitutionum Sancti Clementis, propter incertitudinem Authoris eius libri. De quo Cardinalis Bellarminus *lib. de Scriptoribus Eccleſiaſt.* vbi de Sancto Clemente Romano, cùm de libris Recognitionum hæc dixiſſet: [De Recognitionibus eiuſdem Clementis non habeo aliquid certi, quamvis non pauca vtilia documenta contineant, & à viris doctis aliquando citentur: tamen probabile exiſtimo, vel eſſe Clementis, vel eſſe idem opus cum eo, quod Itinerarium, vel Circuitus Petri aliqui vocant. Quod opus, teſte Epiphanio *hær.* 30. Clemens ipſe teſtatur, circuitus Petri à ſe conſcriptos, ab hæreticis deprauatos fuiſſe,] paulò poſt ſubiungit: [De libris Conſtitutionum Apoſtolicarum, quæ Clementi Authori tribuuntur, idem ferè iudicium fieri debet, ac de libris Recognitionum. Multa enim in illis vtilia ſunt, & à Græcis veteribus magni fiunt: ſed in Eccleſia Latina nullum ferè nomen habent. Et ipſi etiam poſteriores Græci in Concilio Trullano *canon.* 2. improbant has conſtitutiones, vt ab hæreticis deprauatas.] In quam cenſuram multa alia ſubiungit. Et quamvis P. Franciſcus Turrianus Conſtitutiones has multis obiectionibus vindicare doctiſſimè laborauerit; tamen hæc probant, rem iſtam adhuc eſſe ſub Iudice.

165. Cùm ergo Paſqualigus inueſtigare debuiſſet hanc obligationem ex traditione præcepti, potiùs in animis fidelium, quàm in monumentis (vt in cæteris traditionibus contingit) exarata; item ex monumentis Sancti Leonis, quæ tanquam legitima eius opera ab omnibus recipiũtur; & ex quatuor temporum ieiunia eſſe grauiter obligatoria clariſſimè affirmat, teſtis irrefragabilis: cùm ſimiliter ex vniuerſali fidelium omnium perſuaſione, quæ in quæſtione facti euidentiam facit; & ex communi Theologorum ſententia, quæ in quæſtione facti ad eos pertinente etiam euidentiam facit, vt conſtat *ex diſp.* 12. *c.* 4. exquirere debuiſſet: item ex decreto Calixti I. euidenter (attenta vniuerſalis Eccleſiæ intelligentia) id præcipientis: cùm ex his, inquam, irrefragabilibus teſtimoniis exquirere veritatem debuiſſet, eam in lubricæ authoritatis inſtrumento ſe deprehendiſſe putauit; quaſi certa ab incertis ſuperari valeant, aut obſcurari.

166. Sed eſto liber Clementis ſit authenticus; loquantur in eo Apoſtoli de ieiunio triũ dierum poſt Pentecoſten, & non de tota hebdomada: adhuc ex multis capitibus deficit probatio Paſqualigi. Primò, quia in lege, quæ refertur ab hiſtoriographo, non ſunt ad amuſſim perpendenda verba hiſtoriographi, qui non alligatur verbis formalibus imperantis: ideò non inſiſtendum in vltimis apicibus verborum Clementis, qui fortè non referebat verba formalia Apoſtolorum. Secundò, quia etſi eſſent verba formalia, & textus authenticus, interpretanda eſſent iuxta conſuetudinem, ſecundum quam recepta ſunt à communi fidelium, *ex cap. Cum dilectus, de conſuetud.* vt conſtat *ex cap. præced.* Tertiò quia, vt notauit Cardinalis Bellarminus citatus, potuit fieri, quod traditio Apoſtolica eſſet ex conſilio: quod non obſtabat, quominus Calixtus I. aliique Pontifices id Eccleſiæ ex præcepto iniunxiſſent. Quod autem de facto iniunxerint, vel ex traditione Apoſtolica, vel ex præcepto proprio, conſtat, vt dictum eſt, ex decreto Calixti, attenta interpretatione cõſuetudinis vniuerſalis; & etiam ſecluſo decreto Calixti, ex firma perſuaſione omniũ fideliũ de impoſitione talis obligationis facta in Eccleſia.

In quo aduertat, obſecro, ſtudioſus lector, in quæſtione facti, teſtimonium, quod aliàs fidem probabilem faceret, ſi opponatur probationi pleniſſimæ, non ſolùm non facere fidem probabilem, quin potiùs id teſtimoniũ obrui, & confundi per probationem pleniſſimam. Quare in hac quæſtione facti, An impoſita ſit in Eccleſia obligatio ieiunij quatuor temporum, etſi textus Sancti Clementis facere poſſet fidem probabilem; at in congreſſu talium probationum, quales numerauimus, omninò obruitur, & confunditur fundamentum ex eo textu deductum. Sic ſi omnes incolæ huius vrbis teſtarentur, ſe ſemper audiuiſſe à maioribus, hanc domum eſſe Petri, & ex his teſtimoniis, & aliis inſtrumentis, pleniſſima eſſet probatio pro Petri proprietate in eam domum; quamvis Ioannes contra eam probationem afferret vnum teſtimonium aliàs probabile, nihil probabilitatis afferret contra Petrum, cuius pleniſſima probatio obruit oppoſitam. Vide *diſp.* 6. *cap.* 6. 167.

In quæſtione facti fides probabilis vnius confunditur per probationem pleniſſimam opp.

ARTICVLVS XII.

Corollarium aduerſus Paſqualigum, & Verde, circa ieiunia peruigiliorum.

INferes tertiò contra Paſqualigum, & Verde, certiſſimam eſſe obligationem grauem ieiunandi in peruigiliis Pentecoſtes, S. Ioannis Baptiſtæ, S. Laurentij, & Omnium Sanctorum. Quod ex eiſdem ferè fundamẽtis conſtat, atque corollarium præcedens. Eſt enim firma perſuaſio omnium fidelium (qui ita ab omnibus Doctoribus, Epiſcopis, Parochis audierunt) eſſe impoſitam grauem obligationẽ de his ieiuniis. Quæ omnium fidelium perſuaſio in quæſtione facti, ſcilicet in materia obligationis conſcientiæ, plenam fidem, & euidentiam moralem facit, vt conſtat *ex art.* 7. Sicut & atteſtatio omnium Theologorum ex dictis *diſp.* 12. *cap.* 4. 168.

In illis eſt certa obligatio ieiunij.

Ex firma perſuaſione fidelium in quæſtione facti.

Ex teſtimonio omniũ Theol. in quæſtione facti.

Sed audiamus quæ obiicit Paſqualigus. Nam ex illo Franciſcus Verde *in apolog. pro Caram. q.* 12. *n.* 611. ſic diſſerit contra obligationem ieiunij in peruigilio Pentecoſtes. [Quia iure hoc non eſt expreſſum *in cap. Scire, §. neceſſaria, diſt.* 76. & D. Thomas 2. 2. *q.* 147. *art.* 5. *ad* 3. docet, quod *non poſſit* cadere ſub præcepto: ergo nec præſumi confirmata à Superiore, *l. de quibus, & l. ſed & eo ff. de legibus.* Atqui prædicta cõſuetudo non poteſt præſumi cõfirmata à Superiore, qui lege prohibuit ieiunia pro toto tẽpore Paſchali, *cap. Scire, diſt.* 76. & hinc excluſit ab onere ieiunandi, vigiliam Sanctorum Apoſtolorum Philippi, & Iacobi, *cap. Conſilium,* 2. *de obſeruat. ieiun,* ibi: *Quoniam ipſorum ſolemnitas infra ſolemnitatem Paſchalem celebratur.* Confirmat: quia dubium eſt, an talis conſuetudo fuerit introducta cum animo obligandi: de quo animo deponere non poſſunt Doctores, qui non adfuerũt tunc, quãdo introducebatur talis conſuetudo.] 169.

Sed inquiramus, vbi eſt iſta prohibitio, quæ comprehendat etiam peruigilium Pentecoſtes? *In cap. Scire,* inquiunt, *diſt.* 76. Pro quo ſciendum eſt, 170.

An ſit prohibitum ieiu-

nium tempore Paſchali? Quàm male probetur ex eo cap. Scire?

eſt, hunc canonem eſſe Sancti Ambroſij; at non potuit eſſe legiſlator pro tota Eccleſia Epiſcopus Mediolanenſis. Sed demus, Ambroſium ius dixiſſe toti Eccleſiæ. Idem Ambroſius in canone ſequenti, ſcilicet *in cap. Noſſe*, dicit ieiunandum in Sabbato Pentecoſtes. Itaque *in cap. Scire* 8. ait S. Ambroſius: *Per hos quinquaginta dies eſt nobis iugis, & continuata feſtiuitas, ita vt hoc omni tempore, neque ad obſeruandum indicamus ieiunia.* Et *cap. Noſſe* 9. *ead. diſt.* ait: *Non minore lætitia celebramus diem Pentecoſtes, quàm Sanctum Paſcha curauimus. Tunc enim, ſicut modo fecimus, ieiunauimus Sabbato, vigilias celebrauimus, orationibus pernoctantes inſtitimus: vnde neceſſe eſt, ſimilem obſeruantiam ſimilis lætitia ſubſequatur.* Et quia Gratianus ibi, verbo *Neceſſe*, dixit, hoc tantum eſſe de conſilio (præterquam quod verbum *Neceſſe*, ſignificat obligationem) gloſſa verbo *Obſeruantia*, ait: *Conſuetudo tamen Eccleſiæ præiudicat ei, quod Gratianus dicit* deponens de conſuetudine obligatoria. Vide ergo quomodo corruat ea prohibitio, qualis à Paſqualigo, & Verde intentabatur.

171. *In cap. Conſiliũ, non prohibetur ieiunium tempore Paſchali.* *In cap. Conſilium*, excluditur ieiunium in peruigilio Apoſtolorum Philippi, & Iacobi, cuius excluſionis redditur ea ratio; *quoniam ipſorum ſolemnitas infra ſolemnitatem Paſchalem celebratur*; non tamen fertur lex prohibens, ſed ſupponitur non eſſe morem Eccleſiæ indicere ieiunium in illis diebus. Cum quo ſtat, quod adhuc poſſit Eccleſia ex cauſa graui indicere ieiunium præcepto tradito, vel ſcripto, maximè occurrente ſpeciali ratione, qualis occurrit in Sabbato Pentecoſtes. Quod autem affertur *ex cap. Scire, § neceſſariò, diſt.* 76. eſt textus Gratiani priuati Authoris, qui nihil probat, & cui contradicit gloſſa.

172. Hinc patet, quantum valeat ea propoſitio ſubiuncta: [Prædicta conſuetudo non poteſt præſumi confirmata à Superiore, qui lege prohibuit ieiunia toto tempore Paſchali.] Claudicat enim ex vtroque pede. Primò, quia non eſt talis prohibitio vniuerſalis, cùm conſuetudo vniuerſalis non indicendi ieiunium in illis quinquaginta diebus limitetur per conſuetudinem ſpecialem indicendi ieiunium in Sabbato Pentecoſtes. Secundò, quia ad talem conſuetudinenem obligatoriam ieiunandi in peruigilio Pentecoſtes non indigemus præſumptione, cùm talis conſuetudo obligatoria detur præcepti non ſcripti, ſed traditi: idque probetur euidentia morali ex perſuaſione firma omnium fidelium de impoſitione talis obligationis ex legitimo titulo. Et vbi eſt euidentia moralis, quid prodeſt præſumptio in contrarium, quæ eo ipſo extinguitur, & obruitur?

173. *Verba S. Thomæ referuntur vitiata.* Verba Sancti Thomæ referuntur vitiata, qui non dixit, ieiunium temporis Paſchalis non debere cadere ſub præcepto, ſed ieiunium exultationis. Quod quàm diuerſum ſit, conſtabit ex notationibus ſubiiciendis.

174. Pro cuius intelligentia notabis primò, verba tertij argumenti, ad quod ibi reſpondet S. Thomas: *Secundùm Auguſtinum lib. de conſenſu Euangeliſtarum, ſicut eſt ieiunium afflictionis, ita eſt ieiunium exultationis: ſed maximè exultatio ſpiritualis imminet fidelibus ex Chriſti reſurrectione: ergo in tempore Quinquageſimæ* (id eſt quinquaginta dierum Paſchalium) *in quo Eccleſia ſolemnizat propter Dominicam Reſurrectionem, & in diebus Dominicalibus, in quibus memoria Reſurrectionis agitur, debent aliqua ieiunia indici.* Itaque difficultas eſt, ſuppoſito, quod detur ieiunium exultationis, quare hoc ieiunio exultationis non oportebit ieiunari dies aliquot intra illam quinquageſimam, & inſuper in dominicis diebus, quibus licèt non conueniat ieiunium afflictionis, conuenit tamen ieiunium exultationis.

Notabis ſecundò ex eo loco Auguſtini *ex lib. 2. de conſenſu Euangeliſtarum, c.* 27. ieiunium exultationis eſſe illud, *quod pertinet ad gaudium mentis in ſpiritualia ſuſpenſæ, & ob hoc alienatæ quodammodo à corporalibus cibis.* Quæ ſunt formalia verba Auguſtini. Ideò dixit S. Thomas, illud non debere cadere ſub præcepto, quia res eſt maximæ perfectionis, ita ſe ad ſpiritualia ſuſpendere, & à materialibus abalienare. Et ideò dixit, *ex inſtinctu Spiritus Sancti procedere, qui eſt Spiritus libertatis.* Quare malè inferunt Paſqualigus, & Verde, ieiunium Sabbati Pentecoſtes non cadere ſub præcepto; quia illud ieiunium Sabbati eſſet ieiunium exultationis; quod non dixit, nec dicere potuit S. Thomas, iuxta mentem Auguſtini. 175. *Quid ſit ieiuniũ exultationis? Et quare non cadat ſub præcepto.*

Notabis tertiò, S. Thomam in eo articulo componere hæc duo. Primum: *Quod non eſt ieiunium ab Eccleſia inſtitutum in toto Paſchali tempore, ſiue in illa Quinquageſima Paſchali.* Secundum, oportere inſtitui ieiunium in vigiliis præcipuarum feſtiuitatum. Verba eius in corpore articuli ſunt. [In feſto etiam Paſchæ oportet maximè mentem hominis per deuotionem eleuari ad æternitatis gloriam, quam Chriſtus reſurgendo inchoauit. Et ideo immediate ante ſolemnitatem Paſchalem Eccleſia ſtatuit eſſe ieiunandum. Et *eadem ratione in vigiliis præcipuarum feſtiuitatum, in quibus præparari nos oportet ad feſta futura deuotè celebranda.*] 176.

Itaque ſecundùm Sanctum Thomam, *Ieiunia, quæ præcepto Eccleſiæ inſtituuntur, ſunt magis ieiunia afflictionis, quæ non conueniunt in diebus lætitiæ*; atque adeò neque in tempore Paſchali. Quam propoſitionem componit cum hac, quod id ieiunium afflictionis inſtituitur ab Eccleſia in vigiliis præcipuarum feſtiuitatum, in quibus præparari nos oportet ad feſta ventura celebranda. Debet ergo intelligi vniuerſalitas totius temporis Paſchalis cum exceptione vigiliæ eius feſtiuitatis, quæ inter præcipuas præcipua eſt. Maximè cùm S. Thomas non dixerit, non poſſe præcipi; ſed non conuenire, id eſt, non expedire in diebus lætitiæ ieiunium afflictionis, quod intellige, niſi adſit ſpecialis ratio conuenientiæ & congruitatis præparandi nos ad celebrandam maximam feſtiuitatem Pentecoſtes. Propoſitiones autem vniuerſales aliquando tradi cum exceptione ſubintellecta in rebus moralibus, nemo eſt, qui neſciat. Et in hac materia patet. Nam S. Ambroſius, qui *in cap. Scire*, *diſt.* 76. dixit, per eos quinquaginta dies non ieiunari; *in cap. ſequenti Noſſe, ead. diſt.* dixit in vigilia Pentecoſtes ieiunari. Vide ſuprà num. 170. 177.

Nec dicas, conſuetudinem ieiunandi introductã fortaſſe fuiſſe poſt tempora S. Thomæ. Id enim nullam habet probabilitatem. Cùm tempore Sancti Ambroſij, id eſt circa annũ circiter 360. inualuerit in Eccleſia, ſcilicet non gẽtis annis 178. *Id ieiunium fuit 900. annis ante tempora S. Thomæ.*

Digitized by Google

nis ante tempora Sancti Thomæ, vt conſtat ex relato capite *Noſſe, diſt.* 76. vt dixi ſuprà *n.* 170.

179. Conſtat ergo ſatis claré, ſententiam Diui Thomæ hanc eſſe. Primò, ieiunium exultationis (quod tunc datur, quando mens gaudio plena ſuſpenditur in ſpiritualia, ideòque cibos materiales faſtidit) non cadere ſub præcepto, ratione maximæ perfectionis, quam continet. Deinde ieiunium afflictionis eſſe, quod ſemper iniungitur ab Eccleſia. Tertiò, ieiunium afflictionis non expedire in diebus lætitiæ, ſcilicet in quinquageſima Paſchali, ideòque non præcipi ab Eccleſiâ. Quartò, id intelligi, quando non fuerit alia cauſa grauis, ſcilicet præparationis ad magnam ſolemnitatem celebrandam, vt fit in peruigiliis præcipuarum ſolemnitatum. Imò quamvis dicat, ieiunium afflictionis non expedire in diebus lætitiæ; ſed non negat, quod in aliquo ex diebus lætitiæ poſſit Eccleſia, ſaltem ex cauſa graui, ieiunium afflictionis iniungere: alioqui in die Incarnationis Dominicæ concurrente cum ieiunio Quadrageſimali ieiunandum non eſſet, cùm dies Incarnationis Dominicæ ſit dies magnæ lætitiæ. Et ex dictis patet ad argumentum Paſqualigi, & Franciſci Verde.

180. Ad confirmationem conſtat *ex art.* 4. conſuetudines euidenter obligatorias non haurire vim obſtringendi conſcientias, ex eo quod fideles introducentes conſuetudinem, eam induxerint cum animo obligandi; ſed ex traditione præcepti, quæ ex firma fidelium perſuaſione pleniſſimè probatur.

ARTICVLVS XIII.

Quid dicendum ſit de conſuetudinibus particularium Eccleſiarum, & Communitatum.

181. IN conſuetudinibus particularium Eccleſiarum, vel communitatum, v.g. vnius Prouinciæ, Diœceſis, aut Cœnobij Religioſi, quæ obſeruantur tanquam obligatoriæ, non datur tanta certitudo moralis de earum obligatione, quanta in conſuetudinibus vniuerſalibus totius Eccleſiæ: in has enim difficilius eſt cadere deceptionem, quàm in illas. Adhuc tamen reperiuntur conſuetudines particulares obligatoriæ, & quæ habeant vim legis.

182. *Conſuetudo circa feſta, & ieiunia diœceſium, conſtat ex Synodis diœc.*

Et quidem circa feſta, & ieiunia diœceſium, & ſimilia alia, iam ferè nulla eſt difficultas; cùm in ipſis Synodis Diœceſanis declarentur eiuſmodi conſuetudines obligatoriæ, quæ ſaltem vi conſtitutionum Synodalium accipiunt vires obſtringendi conſcientias.

183. *Perſuaſio omniũ diœceſanorum facit certitudinem de obligatione conſuetudinis diœceſanæ.*

His poſitis, dico primò. Si omnibus diœceſanis ſit firma perſuaſio de præcepto tradito, ſiue de approbatione Prælatorum legiſlatiua, id eſt, de approbatione conſuetudinis vt obligatoriæ; ſiue de impoſitione obligationis ex legitimo titulo (quæ tria ex parte obiecti in idem recidunt; quamvis ex modo concipiendi aliquam diuerſitatem afferre poſſint) aſſerentibus, ſic ſemper auditum eſſe à maioribus, nemine refragante, aſſerentibus omnibus Parochis, & Theologis, reſultat inde euidentia moralis de obligatione; atque adeò talis conſuetudo indubitanter cenſenda eſt obligatoria.

184. Hæc concluſio patet ex ſuprà dictis. Nam hæc firma perſuaſio omnium diœceſanorum, omnium Parochorum, & Theologorum facit probationem pleniſſimam, quando nullus, aut ferè nullus refragatur, cum verſemur in quæſtione facti. In qua ſumma conſenſio teſtium ex auditu Maiorum facit in qualibet materia antiqua pleniſſimam probationem.

Dico ſecundò. Si non ſit hæc ſumma conſenſio, præcipuè inter Parochos, & Theologos, ſed potius diſcors iudicium de præcepto tradito, ſiue de approbatione legiſlatiua conſuetudinis, ſiue de impoſitione obligationis ex legitimo titulo, obligatio conſuetudinis dubia cenſenda eſt; atque adeò non obſtringere conſcientias. Hæc concluſio conſtat ex dictis. Nam vbi eſt teſtimoniorum mutuò refragantium diuerſitas, in quæſtione facti, non eſt probatio plena, niſi vna pars adeò ſuperet aliam, vt hæc ferè nulla cĕſeatur reſpectu illius. Quod autem obligatio cõſuetudinis particularis non aliunde oriatur, quàm à traditione præcepti, ſiue approbatione legiſlatiua conſuetudinis, ſiue impoſitione obligationis ex legitimo titulo; probatur iiſdĕ rationibus, quibus id circa cõſuetudinĕ vniuerſalĕ probauimus ſuprà *art.* 4. 6. & 8. 185. *Si non conueniant omnes, aut ferè omnes, dubia eſt obligatio.*

Dico tertiò. Probabile eſt, quod conſuetudo particularis introducta poſt tempora Gregorij IX. ſi certò conſtet eſſe introductam à populo cum animo obligandi, etiam inſcio legiſlatore, eſt obligatoria. Sed probabilius eſt, eam non eſſe obligatoriam. Prima pars eſt ad mentem Authorum ſecundæ ſententiæ relatæ ſuprà *art.* 2. ex canone Gregorij IX. *in cap. final. de conſuet.* Secunda autem pars eſt ad mentem Authorum primæ ſententiæ ibidem relatæ: iuxta quos id caput finale non tribuit populo authoritatem ad hoc vt ſine ſpeciali ſcientia, & conſenſu legiſlatiuo Prælatorum introducat conſuetudinem habentem vires obſtringendi cõſcientias. 186. *Probabile eſt, conſuetudinĕ particularem minùs antiquam, eſſe obligatoriam, etiam abſque traditione. Probabilius eſt oppoſitum.*

ARTICVLVS XIV.

Obiectiones aduerſus doctrinam in hoc capite traditam ſoluuntur.

OBiicies primò. In iure ciuili conſuetudo habet vim legis obligatoriæ, etiam ſine approbatione ſpeciali, imò & ſine ſciĕtia Principis: ergo etiam in iure canonico. Probatur antecedĕs. Id enim conſtat ex iure Cæſareo, *l. de quibus, ff. de legibus*, illis verbis: *Inueterata enim conſuetudo pro lege non immeritò cuſtoditur: & hoc eſt ius, quod dicitur moribus conſtitutum. Nam cùm ipſæ leges nulla alia ex cauſa nos teneant, quàm quod iudicio populi receptæ ſunt, meritò & ea, quæ ſine vllo ſcripto populus probauit, tenebunt omnes. Nam quid intereſt, ſuffragio populus voluntatem ſuam declaret, an rebus ipſis, & factis?* Conſtat etiam *ex leg. diuturna, ex leg. ſed ea, ex leg. imò, ff. de legibus:* & ex iure Hiſpano *leg.* 3. 4. 5. & 6. *tit.* 2. *Partita* 1. 187.

Conſequentia verò primi enthimematis probatur. Nam, vt ait P. Thom. Sanch. *lib.* 1. *de matrim. diſp.* 6. *n.* 24. vbi leges non ſunt canonibus contrariæ, iudicandum eſt ſecundùm leges. Quod probari videtur *ex c.* 1. *de noui operis nunciat.* illis verbis: *Sacrorum inſtituta canonum, Principum conſtitutionibus adiuuantur:* ergo ex Principum ſæcularium conſtitutionibus, quæ antiquiſſimæ ſunt, etiam conſuetudines Eccleſiaſticæ potuerunt accipere vires obligandi ſine ſpeciali ſciĕtia, vel cõſenſu Principis Eccleſiaſtici. 188. *An vbi leges non ſunt Canonibus contrariæ, iudicandum ſit ſecundùm leges?*

Reſpondeo, conceſſo antecedenti, negando conſe- 189.

Digitized by Google

Iure ciuili conſuetudo habet vim legis obligatoria.

conſequentiam, & aſſignando diſcrimen. Quia leges ciuiles id ſtatuerunt de conſuetudine præſcripta: leges autem canonicæ non ita, ſaltem ante tempus Gregorij IX. Ad probationem conſequentiæ dicendum eſt, id intelligi, quando leges ciuiles ſunt expreſsè approbatæ ab Eccleſia, vt conſtat *ex cap. Eccleſia Sanctæ Mariæ, de conſtitut.* de quo vide ſupra *diſp.* 21. *cap.* 3. *num.* 177. & tradidit P. Thom. Sanch. *lib.* 7. *Sum. c.* 9. & aduerte circa ius ciuile Caſtellæ, quod lex 5. relata requirit ſcientiam, & approbationem legiſlatoris reſpectu conſuetudinis, vt iſta habeat vim legis.

Ius Caſtellæ requirit approbationem legiſlatoris.

190. Obiicies ſecundò. Conſuetudo, quæ inchoatur ab illis, qui per deceptionem putant, ſe eſſe obligatos, non obſtringit conſcientias: ſed potuit fieri, quod hæc conſuetudo A, ſic inchoata fuerit: ergo poteſt fieri, quod non ſit obligatoria. Sed non eſt vnde conſtet, quod inchoata fuerit à ſcientibus, ſe non eſſe obligatos: ergo non eſt vnde conſtet, hanc conſuetudinem A, eſſe obligatoriam.

191. *Certitudo moralis in quæſtione facti poteſt cum deceptione ignorata cõponi.*

Nota, hac obiectione impugnari omnes conſuetudines Eccleſiæ, etiam eas, quæ ab omnibus recipiuntur tanquam euidenter obligatoriæ. Pro cuius ſolutione aduertendum eſt, certitudinem moralem in quæſtione facti poſſe à parte rei, & phyſicè in deceptione fundari; quamvis reſpectu intellectus prudentis motiua cenſeantur adeò firma, vt oppoſitum fiat prudenter incredibile, & imprudenter negabile. Sanè Petrus ex quarto Decalogi præcepto tenetur honorare Ioannem parentem ſuum, ſcilicet dum habet moralem certitudinem de filiatione ſua. Da ergo, Petrum decipi, quia reuerà non eſt filius Ioannis, ſed filius adulteri. Teneturne Petrus ex quarto Decalogi præcepto honorare Ioannem, cuius ſe putat eſſe filium? Reſpondebunt omnes, Petrum teneri quarto Decalogi præcepto ad honorandum Ioannem tanquam Patrem ſuum, dum ex motiuis ſufficientibus ad plenam probationem putat, ſe eſſe filium eius.

Filius tenetur honorare, quem ex firmis motiuis putat parentem ſuum.

192. *Conſuetudo obligat, cùm omnes per errorem putant eſſe præceptũ traditum.*

Eodem ergo modo contingit, quando ex deceptione introduxerunt conſuetudinem, putantes adeſſe præceptum. Nam vel ſunt cum firma perſuaſione de præcepto tradito, vel cum firma perſuaſione de præcepto ſcripto? Si primum, firma perſuaſio omnium fidelium, & omnium Doctorum, qui affirmant, adeſſe præceptum traditum, facit pleniſſimam probationem; quia teſtimonia omnium fidelium ſumma conſenſione aſſerentium, ſe audiuiſſe à maioribus, ſunt motiua, quibus nullus vir prudens cõtradicere poteſt: & vbi adeſt pleniſſima probatio præcepti, obligatio ſubſiſtit, quamvis à parte rei id ſit falſum. Prudentia enim humana dictat, fidendum eſſe pleniſſimæ probationi in quæſtione facti, in ordine ad gubernãdam conſcientiam. Si enim non ſufficeret pleniſſima probatio præcepti, quodnam præceptum humanum poſſet ſubſiſtere? Ideò enim ad cõſcientiæ regimen, & ad obligationem ſubeundam non exigitur euidentia phyſica, aut metaphyſica, ſed ſatis eſt euidentia moralis, quantumvis phyſicè expoſita ſit deceptioni.

193. *Si Princeps tulit legem abſque intentione obligandi, adhuc cõſuetudo interpretatur in dubio.*

Si verò dicas, firmam perſuaſionem fidelium eſſe de præcepto ſcripto, quod cum à parte rei latum fuerit à legiſlatore ſine intentione obligandi conſcientiam, fideles tamen, & Doctores omnes per deceptionem putant, illud obligare, etiam in hoc caſu obligat abſque dubio. Nam vt conſtat *ex cap. præced.* dum inſurgit dubium de obligatione præcepti ſcripti, illud reuerà obligat eo modo, quo deductum eſt ad praxim per conſuetudinem vt obligatoriam; cùm id ita decreuerit Pontifex *in cap. Cùm dilectus, cit.* ita vt in eo caſu conſuetudo exercitá vt obligatoria eundem effectum præſtet, quem præſtarent verba clariſſima expreſsè indicentia eam obligationem. Vide ſuprà *cap. præced. art.* 3.

Et ea interpretatio obligat.

Ad obiectionem ergo diſtinguo maiorem. Conſuetudo, quæ inchoatur ab illis, qui per deceptionem putant, ſe eſſe obligatos, verè non obligat, [ſi adſint motiua conſtituentia plenam probationem obligationis,] nego; [ſi talia motiua non adſint,] concedo. Poteſt enim fieri, quod à parte rei decipiantur, & quod ſimul adſit plena probatio morali euidentia ſuadens, quod datur talis obligatio, atque adeò ſuadens, quod non datur deceptio. In quo caſu tenetur vir prudens ſtare motiuis, & euidentiæ morali, qualis eſt firma perſuaſio omnium fidelium de obligatione impoſita. Id quidem ita eſt de præcepto tradito, ſiue (quod idem eſt) de approbatione Principis legiſlatiua, qua approbata eſt conſuetudo vt obligatoria: approbatione, inquam, ſpeciali, vel generali. 194.

De præcepto autem ſcripto illa maior abſolutè eſt falſa, niſi certò conſtet de deceptione. Nam in dubio ſtandum eſt, vt dixi, ipſi conſuetudini vt obligatoriæ, propter dicta ſuprà *n.* 193. & à fortiori ſi adſunt motiua conſtituentia plenam probationem de obligatione præcepti ſcripti. 195.

196. *Non ex quauis conſuetudine, ſed ex poſſeſſione acquiritur ius.*

Obiicies tertiò. Ex conſuetudine non ſcripta adquiritur ius in multis, etiam ſecluſo præcepto, aut approbatione legiſlatoris ſpeciali, vel generali: ſed vbi ius eſt in vno, eſt obligatio in aliis non violandi illud: ergo ex præciſa conſuetudine, & ſecluſo præcepto, aut approbatione legiſlatoris, oritur obligatio. Maior probatur. Nam ex præciſa conſuetudine, & frequentia actuum oritur ius præcedentiæ in Canonicis, & in multis aliis collegiis, & communitatibus: item ex conſuetudine tranſeundi per prædium alienum, etiam Eccleſiaſticum, oritur ius ad illam ſeruitutem. Quod verò id ſit ſecluſo præcepto, aut approbatione conſuetudinis facta ab habente authoritatem, probatur. Nam qui pro iure ſuo in prædictis caſibus probant conſuetudinem, non probant approbationem conſuetudinis factam à legiſlatore, ſed ſolùm probant frequentiam actuum; & hac præciſè probata manutenentur à iudice in iure ſuo.

Reſpondetur, in illis, & ſimilibus caſibus non adquiri ius ex præciſa conſuetudine, aut frequentia actuum, & ſecluſa lege, & approbatione legiſlatiua conſuetudinis; ſed adquiri ex poſſeſſione, aut quaſi poſſeſſione, quæ illam actuum frequentiam comitatur. Nemo enim poſſidens ſiue bona corporalia, ſiue bona incorporalia, poteſt illis ſpoliari, niſi probato fortiori iure in oppoſitum. Cui poſſeſſioni omnia iura ciuilia, & canonica ſuffragantur. Qui ergo habet conſuetudinem tranſeundi per prædium alienum, etiam Eccleſiaſticum, eſt in poſſeſſione illius iuris; à qua poſſeſſione oritur, quod illo iure ſpoliari non poſſit. Et idem eſt in reliquis ſimilibus caſibus. 197.

Obiicies

Digitized by Google

198\. Obiicies quartò. Ius canonicum ſcriptum quandoque præcipit obſeruari aliquas conſuetudines iam introductas, quæ fortè ante præceptum ſcriptum non erant obligatoriæ: ergo vis obligandi, quæ datur in conſuetudine, non ſemper oritur à præcepto tradito, ſed quandoque ab ſcripto. Antecedens patet ex multis textibus. Nam Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 24. *cap.* 12. *de reformat.* ait: *Vbi verò conſuetudo laudabilior habet, vt plures, vel omnes* (Canonici) *ſint Presbyteri, omnino obſeruetur.* Et *cap. conſilium, de obſeruat. ieiunior.* præcipit Pontifex, vt circa ieiunium vigiliæ S. Bartholomæi ſeruetur conſuetudo regionis. Et paſſim alibi ſimilia reperies.

199\. *Poſſunt conſuetud. non obligare ex præcepto ſcripto.* Reſpondetur, cùm dicimus, conſuetudines Eccleſiaſticas obligatorias habere vim obligandi à præcepto tradito, loqui nos de illis, quæ abſque ſcripto obligant. Quare ſi conſuetudines illæ, quarum fit mentio in argumento, ante eas leges ſcriptas obligabant, vim ſuam obligandi habebant à lege non ſcripta, ſed tradita. Quod ſi antea non erant obligatoriæ, & cœperunt obligare vi legis ſcriptæ, tales conſuetudines non ſunt ex eis, de quibus loquimur in præſenti.

CAPVT VI.

Quàm illegitimæ ſint illationes Caramuelis circa quinque Eccleſiæ præcepta?

200\. HIs præſuppoſitis, quæ pro dignitate materiæ oportuit fuſius pertractari, ex illa ſententia, quam refert Lairuelzius, ſuprà propoſita initio capitis ſecundi, nempe [eas leges Eccleſiaſticas eſſe duntaxat pœnales, & non morales, in quibus non aſſeritur expreſsè, eas eſſe obligatorias conſcientiæ;] peſſimè infert Caramuel, teneri nos aſſerere, quinque Eccleſiæ præcepta non obligare in conſcientia, neque eſſe mortale peccatum omiſſionem officij Canonici: tum quia ex his aliqua expreſſis verbis declarauit grauem obligationem conſcientiæ: tum quia alia, attentâ regulâ authenticâ conſuetudinis, eam obligationem declarant: tum etiam ex conſuetudine ipſa euidenter obligatoria conſcientiæ.

201\. *Lex decimarum eſt euidenter obligatoria.* *Conſtat ex Trid.* Id conſtat primò manifeſtè in præcepto ſoluendi decimas, quæ ſaltem quoad quotam ſunt de iure Eccleſiaſtico. Traditur enim expreſsè hæc obligatio grauis conſcientiæ in Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 12. *de reformat.* iis verbis: *Qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas inuadunt.* Et mox: *Neque ab hoc crimine, niſi plena reſtitutione ſecuta, abſoluantur.* Quid euidentius? cùm nequeat abſolutio negari, ſiue à cenſura, ſiue à culpa, niſi propter grauem obligationem violatam, ſiue nondum impletam. Ergo quamvis probabilis ſit ſententia aſſerens, leges Eccleſiaſticas non obligare conſcientias, niſi quando exprimunt obligationem conſcientiæ, dici non poteſt, legem de decimis ſoluendis non obſtringere conſcientias, cùm lex de decimis ſoluendis tam clarè importet obligationem conſcientiæ: ergo falſa eſt propoſitio Caramuelis, quod quinque Eccleſiæ præcepta non obſtringant conſcientias, ſi probabilis eſt ſententia, quæ dicit, eam non eſſe conſcientiæ obligatoriam, quæ talem obligationem non exprimit.

Conſtat ſecundo certiſſimè in præceptis annuæ confeſſionis, & communionis. Nam *in cap. Omnis vtriuſque ſexus, de Pœnit. & remiſſ.* ita ſtatuitur annua confeſſio, & communio, vt qui eas omiſerit, *moriens Eccleſiaſtica careat ſepultura.* Quam pœnam non dat Eccleſia, niſi enormiſſimè peccantibus. Si enim per omiſſionem communionis annuæ non peccaſſet, fieri poſſet, quod iuſtus moriens, cognitus vt talis, excluderetur à ſepultura Eccleſiaſtica: quod eſt abſurdum. Deinde, quia vt probaui *cap.* 4. conſuetudo habet tantam vim interpretandi legem authenticè, ac ſi lex verbis exprimeret illam ipſam interpretationem, quam dat conſuetudo. Atqui hanc legem confeſſionis & communionis annuæ, vniuerſalis Eccleſiæ conſuetudo declarat, afferre grauem obligationem conſcientiæ; cùm in tota Eccleſia ſit admiſſum præceptum tanquam obligatorium, & vt tale ad praxim deductum. Et nonnulli veteres, qui oppoſitum aſſeruerunt, errauerunt contra euidentiam facti, ex qua dependebat euidentia iuris. Et ideò iam ab omnibus Doctoribus ſunt reiecti. 202. *Lex annuæ confeſſionis, & communionis eſt euidenter obligatoria.* *Ex c. Omnis vtriuſque.* *Ex authentica interpretatione conſuetudinis.*

Præterea, nam vt oſtendi *cap. præcedenti, art.* 7. Perſuaſio vniuerſalis omnium fidelium de impoſita obligatione, quæ non ſit iuris naturalis, facit euidentiam moralem: atqui omnes fideles vniuerſalem perſuaſionem habent de impoſita ſibi obligatione; ergo hæc obligatio eſt moraliter euidens. Ad hæc in quæſtione facti communis ſententia omnium, aut ferè omnium Theologorum facit euidentiam moralem, vt oſtendi *diſp.* 12. *cap.* 4. Sed, an impoſitum ſit præceptum de confeſſione, & communione annua cum intentione obſtringendi conſcientias, eſt quæſtio facti; & in ea omnes Theologi, aut ferè omnes, tenent, tale præceptum fuiſſe impoſitum: ergo euidens moraliter eſt, dari tale præceptum grauiter obligatorium. 203. *Ex perſuaſione omnium fidelium in quæſtione facti.* *Ex ſententia omniũ Theologorum in quæſtione facti.*

Conſtat tertiò indubitanter, in præcepto ieiunij Quadrageſimalis. Primò, Quia ſunt plures textus in iure, quorum verba ſignificant obligationem grauem conſcientiæ. S. Gregorius *in cap. Quadrageſima, de conſecrat. diſt.* 5. ait: [Quadrageſima *ſumma obſeruatione eſt obſeruanda:* vt ieiunium in ea... niſi quem infirmitas impedierit, nullatenus ſoluatur.] Nam ipſa verbi *obſeruandi* repetitio, & quod in materia legis exigat ſummam, vtique maximam, obſeruationem, manifeſtè ſignificat, non qualemcumque, ſed maximam obligationem: & poſtrema verba ſignificant neceſſitatem, nec componuntur cum libertate. Et Martinus Papa *in cap. Non liceat, de conſecrat. diſt.* 3. [Non liceat quinta feria nouiſſimæ ſeptimanæ ieiunium ſoluere, & omnem *exhonorare* Quadrageſimam.] In quo canone verbum *exhonorare*, grauitatem culpæ deſignat: ſicut non poteſt dici, quod exhonorat feriam ſextam, qui in illa ex deuotione voluntaria non ieiunat. Et B. Gregorius *cap. Denique, diſt.* 5. cum indiceret Eccleſiaſticis inchoationem ieiunij quadrageſimalis ducendam eſſe à Quinquageſima, dubitareturque de die Dominica Quinquageſimæ, addit: [De ipſa verò die Dominica hæſitamus, 204. *Lex ieiunij quadrageſimalis eſt euidenter obligatoria.* *Ex iure ſcripto.*

Digitized by Google

quid dicendum ſit; cùm omnes laici, & ſæculares plus ſolito cæteris diebus accuratius cibos carnium appetant... vnde nec à tali conſuetudine auerti poſſunt: & ideò cum venia ſuo ingenio relinquendi ſunt, ne fortè *peiores* exiſtant, ſi à tali conſuetudine prohibeantur. Vt enim ait Salomon, qui multùm emungit, elicit ſanguinem.] Neque enim poſſent fieri peiores, ſi prohibitio carnium non obligaret ſub culpa; cùm ex textu conſtet, Sanctum Gregorium eodem modo obligare Eccleſiaſticos ad inchoandum ieiunium in Quadrageſima, ac obligantur fideles cæteri ad Quadrageſimam. Patet etiam *ex capite Ieiunia, de conſecr. diſt.*5. & ex aliis textibus.

205\. *Ex authentica interpretatione conſuetudinis.* Secundò, quia licèt non ita clarè conſtaret ex ſacris Canonibus grauis obligatio ieiunij; conſtat illa manifeſtè ex conſuetudine, & praxi totius Eccleſiæ, quæ ſupra omnem probabilitatem interpretatur authenticè eos ſacros canones, iuxta proximè dicta *cap.*4.

206\. *Ex traditione Apoſtolica.* Tertiò conſuetudo ieiunij Quadrageſimalis obligauit grauiter fideles ab initio naſcentis Eccleſiæ ex traditione Apoſtolica: cuius rei teſtes omni exceptione maiores, & pleniſſimam probationem conſtituentes producit Cardinalis Bellarminus *tom.*1. *controu.lib.*4.*de verbo Dei non ſcripto, cap.*9.*regul.*3. & *tom.*3.*lib.*2. *de bonis operib. cap.*7. nempe Clementem Romanum, Ignatium, Teleſphorum Papam, Irenæum, Origenem, Cyrillum Hieroſolymitanum, Nazianzenum, Baſilium, Epiphanium, Ambroſium, Chryſoſtomum, Paulinum, Hieronymum, Auguſtinum, Leonem Magnum, Gregorium, & Bernardum. Qui teſtes in quæſtione facti, qualis eſt, tradidiſſe Apoſtolos hoc præceptum obligatorium conſcientiæ, quomodo poſſunt non pleniſſimam probationem conſtituere, atque adeò moraliter euidentem?

Teſtes præcepti traditi. S. Clemẽs R. S. Ignatius. S. Teleſphorus. S. Irenæus. Origenes. S. Cyrill. H. S. Nazianz. S. Baſilius. S. Epiphanius. S. Ambroſ. S. Chryſoſt. S. Paulinus. S. Hieron. S. Auguſt. S. Leo M. S. Gregor. S. Bernard.

Baſilius dilucidè hanc grauem obligationem præcepti aſſeruit *orat.*2. *de Ieiunio*, illis verbis: *Vide, ne propter paruam eduliorum voluptatem damnum incurras, vt ne ab Angelo in numerum adſcribaris, & te ipſum criminis deſertoris reum ab exercitus luſtratore ſtatuas.* Nota ea verba, *Criminis deſertoris reum.*

207\. S. Baſilius.

208\. S. Ambroſ. Ambroſius *ſerm.* 34. *Quiſquis Chriſtianus ieiunando non impleuerit Quadrageſimam, præuaricationis & contumaciæ reus tenebitur.*

209\. S. Hieron. S. Hieronymus *epiſt. ad Marcellam*, aduerſus errores Montani. *Nos vnam Quadrageſimam, ſecundum traditionem Apoſtolorum, tempore nobis congruo ieiunamus. Non quod & per totum annum, excepta Pentecoſte, ieiunare non liceat; ſed quod aliud ſit neceſſitate, aliud voluntate munus offerre.* Vbi vides quantum obliget traditio Apoſtolica ieiunij Quadrageſimalis, vt non voluntate, ſed neceſſitate implendum ſit.

210\. S. Auguſtinus. S. Auguſtinus *ſerm.*62. *de Temp. Aliis diebus ieiunare, remedium eſt, aut præmium; in Quadrageſima non ieiunare, peccatum eſt.* Quod etiam clariſſimè affirmat Chryſoſtomus *homil.* 6. *ad Populum Antioch.*

211\. In pleniſſima ergo probatione tot, tamque illuſtrium teſtium in quæſtione facti de traditione præcepti grauiter obligantis facta ab Apoſtolis, quid ad euidentiam moralem deſideratur?

212\. Quartò. Nam Alexander VII. in decreto, quod ſtatuit die 24. Septembris anni 1665. (vide *diſp.*9. *cap.* 20.) inter alias hanc propoſitionem damnauit vt ſcandaloſam, quæ eſt vigeſima tertia ex damnatis. *Frangens ieiunium Eccleſiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, niſi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult ſe ſubiicere præcepto.* Quantam autem euidentiam faciat hæc damnatio, vide *in præcitata diſp.*9. *cap.*20. præcipuè *art.*8. *&* 9. & *cap.*21. *Eſt etiam euidens ex decreto Alexandri VII.*

Deinde etiam præceptum audiendi Miſſam diebus Dominicis, & Feſtis, conſtat euidenter obligare in conſcientia propter eandem conſuetudinem, eandem perſuaſionem totius Eccleſiæ, & eandem traditionem. Item propter ſacros Canones id præcipientes, *cap. Omnes fideles, de conſecrat. diſt.* 1. & alios, qui accedente interpretatione authentica conſuetudinis, *ex cap. Cùm dilectus*, manifeſtiſſimè afferunt obligationem conſcientiæ. Quam obligationem grauem audiendi Miſſam diebus feſtis P. Suar. *tom.*3. *in* 3. *part. diſp.*88. *ſect.*1. dixit, eſſe certam de fide. Quod quo pacto intelligendum ſit, dicam *cap.*8. *num.*235. 213. *Præceptũ audiendi Miſſã eſt euidenter obligatorium. Ferè ex eiſdẽ capitibus.*

Vniuerſaliter autem conſtat euidenter de omnibus quinque Eccleſiæ præceptis. Etenim vniuerſalis perſuaſio omnium fidelium de impoſitione obligationis facit euidentiam moralem, vt conſtat *ex cap.*5. *art.*7. atqui eſt vniuerſalis perſuaſio totius Eccleſiæ de impoſitione quinque præceptorum afferentium grauem obligationem: ergo in eo datur euidentia moralis. Minor patet, cùm in tota Eccleſia per totum terrarum orbem diffuſa, dum fideles catechiſmum docentur, quinque ea præcepta vt grauiter obligatoria inter doctrinæ Chriſtianæ rudimenta proponantur. 214. *Perſuaſio omniũ fidelium de obligatione 5. præceptorũ facit euidentiam in quæſtione facti.*

Peccat tandem Caramuel in modo arguendi, in quo inuerſo ordine procedit. Nam cùm euidens ſit, quinque Eccleſiæ præcepta obligare conſcientiam ſub mortali, inferri debet, eſſe euidenter falſum quodlibet antecedens, ex quo oppoſita aſſertio colligitur; cùm ab oppoſito contradictorio conſequentis valeat ad oppoſitum contradictorium antecedentis. Et ideò ſic debuit diſcurrere: [Ex probabilitate primæ aſſertionis infertur, quinque Eccleſiæ præcepta non obligare grauiter conſcientiam: ſed euidens eſt, quinque Eccleſiæ præcepta obligare grauiter conſcientiam: ergo euidens eſt, nullam eſſe probabilitatem primæ aſſertionis.] 215. *Ex conſequentia inuerſo ordine procedit.*

Sanè non eſt probabilis ea prima aſſertio, ſi in eo ſenſu proferatur, quod non ſit attendenda conſuetudo, neque ille ſenſus, in quo populus intellexit, & acceptauit legem, neque alia quælibet interpretatio authentica. Authores autem illam primam aſſertionem propugnantes, non negant, vt ſuprà notaui, etiam attendendum eſſe ad conſuetudinem, & ad alias leges authenticè interpretantes. 216.

CAPVT VII.

Quid dicendum ſit de certitudine obligationis recitandi officium canonicum?

QVod verò attinet ad obligationem ſub mortali, qua omnes Sacerdotes, & Clerici in 217. *Obligatio recitandi Offi-*

cium canonicum eſt euidens. Ex ſacris Canonibus.

in ſacris tenentur ad recitandum officium canonicum; aſſero, eam euidenter conſtare primò. Nam Innocentius III. in Concilio Lateranenſi *cap. Dolentes, de celebratione Miſſarum*, ait: *Hæc igitur, & ſimilia ſub pœna ſuſpenſionis penitus inhibemus, diſtriƈtè præcipientes in virtute obedientiæ, vt diuinum officium, noƈturnum pariter & diurnum, quantum eis Deus dederit, ſtudioſè celebrent, pariter & deuotè.* Perſonæ autem, de quibus loquitur, ſunt *non ſolùm quidam minores Clerici, verum etiam aliqui Eccleſiarum Prælati.* Nomine autem minorum Clericorum, qui ita dicuntur comparatiuè ad Prælatos, intelliguntur ſaltem Sacerdotes. Ex praxi autem vniuerſalis Eccleſiæ intelliguntur omnes Clerici in ſacris conſtituti. Et licèt quidam dubitent, an loquatur ea conſtitutio de officio priuato, imò opinentur loqui de officio publico; tamen cùm vniuerſalis conſuetudo Eccleſiæ admiſerit præceptum de recitatione horarum tanquam obligatorium, imò tanquam grauiter obligatorium ob grauitatem materiæ; indubitabile fit *ex cap. Cùm dileƈtus, de conſuetud.* hanc conſuetudinem vniuerſalem eſſe authenticam interpretationem eius legis, tam quoad recitationem extra chorum, quàm quoad obligationem conſcientiæ; nam cùm dubitatio poſſit verſari circa vtrumque, vtramque dubitationem extinguit interpretatio authentica conſuetudinis.

Conſuetudo cum firma perſuaſione de obligatione facit euidentiam.

218\. *Eſt euidens ex Concilio Baſileenſi, propter multitudinem teſtium in quæſtione faƈti.*

Deinde Concilium Baſileenſe *ſeſſ. 21. ſub titulo, Qualiter horæ canonicæ extra chorum dicendæ ſint*, ſupponit, imò affirmat, omnes in ſacris conſtitutos teneri ad recitãdum extra chorum. Verbum autem *teneri*, ſignificare obligationem grauem conſcientiæ, attenta grauitate materiæ, conſtabit ex diſputatione ſequenti. Licèt autem Concilium Baſileenſe ex parte reprobatum fuerit; tamen Nicolaus V. *conſtitut. ſua* 1. quæ incipit, *Ad ſacram*, approbauit omnia decreta de beneficiis, & cauſis beneficialibus. In quibus decretis continetur id, quod de obligatione recitandi extra chorum dicitur. Verba autem Concilij (apud P. Suar. *tom. 2. de Relig. tract. 4. lib. 4. cap. 16. num. 9.*) ſunt: *Quoſcumque alibi beneficiatos, ſeu in ſacris conſtitutos, cùm ad horas canonicas teneantur, admonet hæc ſanƈta Synodus*, &c.

219\. Sed demus, ea decreta Concilij Baſileenſis nullam habere vim obligatoriam, adhuc verba eius videntur facere certitudinem. Nam in quæſtione facti pars affirmatiua plenè probatur per ingentem numerum teſtium. Quæſtio autem, in qua inquiritur, [An teneantur iure poſitiuo ad talem actum;] inuoluit quæſtionem facti, nempe, [An talis lex lata fuerit?] Fuit autem ingens numerus virorum Doctorum in Concilio Baſileenſi, qui affirmarunt, prædiƈtam obligationem, & legem obligatoriam.

220\. *Eſt euidens eodem modo ex Concilio Viennenſi.*

Præterea *Clement. 2. de celebr. Miſſar.* Clemens V. in Concilio Viennenſi indulget Clericis, & Religioſis, qui fuerint *commenſales domeſtici* Cardinalium, & Epiſcoporum, vt poſſint recitare officium, quod ipſi Cardinales & Epiſcopi recitant (non erat eo tempore vnum omnium Breuiarium, & modò in aliquibus Religionibus eſt diuerſum.) Et addit: *Vt illud, quod iidem Cardinales, ſeu Pontifices dicent officium, licitè dicere valeant: nec ad dicendum aliquid aliud teneantur, ſacri approbatione Concilij indulgemus.* Supponit ergo Concilium, Clericos, & Religioſos teneri. In quibus ſi nulla eſſet obligatio recitandi, non eſſet opus Concilij indulgentia. Qui autem veniant in ea conſtitutione nomine Clericorum, ex conſuetudine & praxi vniuerſæ Eccleſiæ deducendum; nempe illi, qui ſunt in ſacris conſtituti. Et licet de eo punƈto nihil ſtatuat Concilium, ſed ſupponat; tamen Patres Concilij certitudinem faciunt: quia ingens eorum numerus in quæſtione facti facit pleniſſimam probationem, iuxta dicta ſuprà *num.* 119.

221\. *Ex Concilio Agathenſi, & canone Gregorij IX.*

Quartò. Concilium Agathenſe Prouinciale celebratum anno 506. ſub Symmacho Papa *in cap. Presbyter, diſt.* 92. præcipit, vt Presbyter, qui ad ruralia opera profectutus ſit, priùs manè poſt recitatum Matutinum perſoluat Primam, Tertiam, & Nonam, dummodo conetur, vt per ſe, vel per alios horæ publicè cantentur tempore ſuo. Hanc conſtitutionem (quæ quia cùm eſſet Concilij Prouincialis, poterat obſtringere totam Eccleſiam) Gregorius IX. ſub anno 1227. intulit in decretales iuris communis. Et cùm Concilium Prouinciale appoſuerit verbum *Canendo*, Gregorius IX. illud abſtulit, vt pateret, non eſſe ſermonem de cantu publico, additque horam veſpertinam. Quæ decretalis ſic habet, *Presbyter manè, matutinali officio expleto, penſum ſeruitutis ſuæ, videlicet Primam, Tertiam, Sextam, & Nonam, Veſperamque perſoluat; ita tamen vt horis competentibus, aut à ſe, aut à ſcholaribus publicè compleantur. Deinde peractis horis, & infirmis viſitatis, ſi voluerit, exeat ad opus rurale.* Quia tamen dubitari poteſt, an conſtitutio loquatur ſolùm de Presbytero Reƈtore, & an ſit lex obligans in conſcientia; prædiƈta lex ex vniuerſali praxi, & conſuetudine Eccleſiæ venit authenticè interpretanda, *ex præcitato cap. Cùm dileƈtus.*

222\. *Ex canone Gregorij VII.*

Quintò. *In cap. In die, de conſecr. diſt. 5.* Gregorius VII. ſtatuit quot Pſalmi dicendi ſunt in Dominicis, & feſtiuitatibus, & feriis, & ſpecialiter in hebdomada Reſurreƈtionis. Præcipitque morem Eccleſiæ Romanæ in his obſeruandum eſſe. Vide eius verba infrà *diſp.* 53. *num...*

223\. *Hæc obligatio eſt euidens ex conſuetudine antiquiſſima, cum traditione.*

Hæc tamen obligatio recitandi officium canonicum (ſi originem inſpiciamus) conſtat traditione præcepti. Nam vt notaui *c. 5. art. 5.* præceptum traditum eſt illud, quod non reperitur ſcriptum à ſuo authore. Quamvis ergo tot textus reperiantur in iure canonico, præcipientes recitationem officij cum hac, vel illa circumſtantia; at omnes textus relati ſignificant, & præſupponunt obligationem antiquiorem. Et quidem prima ſcriptura huius obligationis eſt, quæ reperitur *in cap. Presbyter, diſt. 92.* ex Concilio Agathenſi. Hic autem canon ſuponit, antiquiorem eſſe obligationem recitandi officium.

224\. *Impoſitio huius obligationis eſt cauſa facti, & plenè probatur multitudine teſtium.*

Obligat ergo officium canonicum ex conſuetudine antiquiſſima: cuius obligatio, vtpote cauſa facti, pleniſſimè probatur primò per teſtes, authores textuum relatorum: nempe S. Cæſarium Arelatenſem, cum aliis triginta, quinque Epiſcopis in Concilio Agathenſi, à quibus canon *Presbyter*, ſtatutus eſt: Innocentium III. in Concilio Lateranenſi generali quarto,

Digitized by Google

quarto, *in cap. Dolentes*, relato; qui ſatis clarè ſignificat obligationem priſtinam illis verbis: [*Dolentes* referimus, quod non ſolùm quidam minores Clerici, verùm etiam aliqui Eccleſiarum Prælati... tranſcurrendo vtique continua ſyncopa Matutinum,] &c. Vbi verbum *Dolentes*, ſignificat præuaricationem ab obligatione priſtina. Et quidem eſſe antiquiorem eam obligationem, notauit Gloſſa *verſ. Diuinum officium*, ſubdens: *Ad quod etiam ſine iſto præcepto tenentur.* Et in hac quæſtione facti teſtes ſunt quadraginta Epiſcopi, qui interfuerunt Concilio; & octingenti alij Patres, Abbates, Decani, & Priores. Teſtes quoque ſunt impoſitæ huius obligationis Patres Concilij Baſilienſis, in ea parte, quæ approbata eſt a Nicolao V. Teſtes etiam ſunt huius obligationis, quam ſatis clare ſupponunt, pluſquam trecenti Epiſcopi, qui in Concilio Vienenſi eum canonem ſtatuerunt, relatum ſuprà *num.* 220.

225. *Eadem obligatio eſt euidens ex perſuaſione fidelium, in re facti.*

Præterea eſſe in Eccleſia eam antiquiſſimam conſuetudinem obligatoriam, eſt conſtans, & firma perſuaſio omnium fideliũ. Item omnium Authorum, tam Theologiæ, quàm iuris Canonici peritorum. Quæ vniuerſalis perſuaſio à maioribus accepta, cùm ſit de antiqua exiſtentia obligationis, atque adeò in quæſtione facti, facitur probationem pleniſſimam, atque adeò euidentiam moralem, iuxta dicta *cap. 5. art. 7.* & *diſp. 12. cap.* 4. Conſuetudinem autem antiquiſſimam obligatoriam afferre traditionem præcepti, conſtat *ex cap. 5. art. 5. & 6.*

CAPVT VIII.

Qua cenſura dignum ſit affirmare, vel quinque Eccleſiæ præcepta, vel legem officij canonici non obligare grauiter conſcientiam?

226. IAm ad tertiam periodum Caramuelis deueniamus, relatam initio capitis ſecundi: quam ſcilicet cenſuram mereatur illa propoſitio, quam rigidus cenſor dixit hæreticam. Et quidem non ſatis declarat, an ea cenſura generaliter loquatur de illis quinque præceptis Eccleſiæ, an de ſolo præcepto recitandi officium canonicum. Et loquendo generaliter.

227. *Erronea eſt propoſitio, quæ negat peccatum mortale in violatione 5. præceptorum.*

Dico primò. Hæc propoſitio: [Non eſt peccatum mortale violare quodlibet ex quinque præceptis Eccleſiæ,] eſt erronea. Pro hac concluſione ſtat Amadæus Guimenius, dum *tract. de Sacrif. Miſſ. propoſit. 5. num. 4.* loquens de iis, qui dixerunt, non eſſe peccatum mortale omittere auditionem Miſſæ in die feſto, ſubdit: [Hanc enim opinionem non pauci erroris inſimulant.] Probatur. Illa eſt propoſitio erronea, quæ opponitur concluſioni Theologicæ, id eſt, concluſioni deductæ ex vna præmiſſa de fide, & altera euidenti, vt tradit communis Theologorum definitio, de qua vide P. Suar. *diſput. 19. de fide, ſect. 2. num. 14.* & P. Petrum Hurtado *diſp. 81. de fide, §. 13.* ſed prædicta propoſitio directè opponitur tali concluſioni Theologicæ: ergo erronea eſt.

Erronea eſt, quæ opponitur concluſioni Theologicæ.

228. Minor oſtenditur in hoc ſyllogiſmo: [Eccleſia habet poteſtatem obligandi grauiter conſcientias fidelium ad ieiunium, confeſſionem, &c. Sed reipſa obligauit grauiter conſcientias fidelium ad ea: ergo fideles ſunt grauiter obligati ad ea obſeruanda, conſequenterque peccant grauiter, ſi violant.] Concluſio euidenter deducitur ex præmiſſis, quamvis iſtæ non ſint diſpoſitæ in formam Ariſtotelicam. Maior autem eſt propoſitio de fide, vt conſtat ex diſputatione præcedenti, præcipuè *cap. 2. & 3.* Minor eſt euidens ex dictis tota hac diſputatione, ſcilicet euidentia morali: ergo concluſio eius ſyllogiſmi eſt concluſio Theologica. Sed illi directè opponitur illa prima propoſitio damnabilis: eſt ergo erronea.

Et in materia decimarum ſpeciali euidentia conſtat illa minor ſyllogiſmi Theologici, nempe ex Tridentino *ſeſſ. 25. cap. 12. de reformat.* vbi dicitur, qui decimas non ſoluunt, inuadere res alienas, & ab eo *crimine* non eſſe abſoluendos, donec reipſa reſtituant. 229.

Dico ſecundò. Hæc propoſitio: [Sacerdotes non recitantes officium canonicum, non peccant mortaliter,] eſt ſimiliter propoſitio erronea. Ratio eſt eadem, quæ in præcedenti. Nam in hoc ſyllogiſmo, [Eccleſia habet poteſtatem obligandi grauiter Sacerdotes ad officium canonicum, & reipſa illos obligat: ergo Sacerdotes ſunt ad id grauiter obligati, conſequenterque peccant grauiter, ſi omittant;] concluſio, quæ euidenter deducitur ex præmiſſis, eſt concluſio Theologica, cùm maior ſit de fide, vt conſtat ex diſputatione præcedenti: & minor ex dictis in hac diſputatione ſit euidens moraliter. Iſti autem concluſioni opponitur directè illa prima propoſitio damnabilis. 230.

Erronea eſt propoſitio, quæ negat obligationem Officij Canonici.

Dices, neque in hoc proximo ſyllogiſmo, neque in præcedenti maiorem eſſe immediatè de fide: quia licèt ſit immediatè de fide propoſitio vniuerſalis, quod Eccleſia habet poteſtatem obligandi conſcientias fidelium; non tamen eſt immediatè de fide propoſitio particularis, quod Eccleſia habeat poteſtatem obligandi grauiter ad confeſſionem annuam, ad ieiunium, ad officium canonicum, &c. ergo concluſio inde deducta non eſt concluſio Theologica. 231.

Sed contrà eſt. Nam quando propoſitio vniuerſalis eſt de fide, omnes ſingulares euidenter contentæ in vniuerſali ſunt etiam de fide. Sic enim quia de fide eſt, quod Deus vult, omnes homines ſaluos fieri; eſt etiam immediatè de fide, Deum velle, Petrum ſaluum fieri. Et ratio eſt, quia vniuerſalis non diſtinguitur ab omnibus ſingularibus, ſed potiùs eſt idem formaliſſimè cum illis. Quod non ſolùm eſt verum, quando eſt euidens phyſicè, aut metaphyſicè, propoſitiones ſingulares contineri in vniuerſali, ſed etiam quando eſt euidens moraliter, vt multis probat P. Petrus Hurtado *diſputatione 11. de fide, ſect.* 3. Atqui in hac propoſitione vniuerſali de fide, [Eccleſia habet poteſtatem obligandi grauiter conſcientias fidelium legibus iuſtis,] continetur hæc ſingularis, [Eccleſia habet poteſtatem obligandi grauiter conſcientias fidelium lege ieiunij, confeſſionis annuæ, &c. continetur, inquam, euidenter euidentia morali, vt ex huc vſque dictis notum 232.

Cùm vniuerſalis eſt de fide, omnes ſingulares euidenter in illa incluſæ ſunt de fide.

notum eſt: ergo etiam hæc ſingularis eſt immediatè de fide.

233. *An poſſit negare concluſionem Theologicam abſque errore?*

Vbi notandum eſt, ideò erroneam eſſe propoſitionem directè oppoſitam concluſioni Theologicæ, quia cùm minor ſit euidens, ille qui negat concluſionem Theologicam, cogitur negare maiorem, quæ eſt de fide. Hinc fit, aliud eſſe, propoſitionem ſecundùm ſe eſſe erroneam; & aliud, propoſitionem, vt ab iſto homine aſſeritur, eſſe erroneam: poteſt enim ſtare primum ſine ſecundo. Nam ſi aliquis hebetaretur ad euidentiam minoris, & negaret concluſionem Theologicam, quia errans in minori, hanc negaret, aſſerendo, minorem eſſe falſam; hoc modo propoſitio ab illo prolata, contradictoria ſcilicet concluſionis Theologicæ, non diceretur erronea, quatenus ab illo profertur; licèt verè ſecundùm ſe erronea ſit. Et ita ſi quis concedendo poteſtatem Eccleſiæ ad præcipiendum grauiter officium canonicum Sacerdotibus, aſſereret, Eccleſiam re ipſa non præcepiſſe illud, quamvis aſſereret contra euidentiam moralem, non damnaretur de errore, dum diceret, omiſſionem officij canonici non eſſe mortalem; quia hac aſſertione non cogitur negare poteſtatem Eccleſiæ: in foro tamen exteriori aliæ coniecturæ attendendæ erunt ad cognoſcendum, qua parte vacillat, qui negat concluſionem Theologicam.

234. *An ſit hæreſis negare obligationem officij canonici?*

Hinc inferes primò, exceſſiſſe in cenſura eum rigidum cenſorem, quem meminit Caramuel in ea tertia periodo. Non enim eſt veritas à Deo reuelata, neque contenta in propoſitione vniuerſali reuelata, quod Sacerdotes tenentur ſub mortali ad officium canonicum.

235. *Quo ſenſu dicatur certa ex fide obligatio audiendi Miſſam?*

Inferes ſecundò, qua ratione intelligendum ſit quod dixit P. Suar. *tom. 3. in 3. part. diſp.* 88. *ſect.* 1. eſſe *de fide certum*, ſcilicet [eſſe in Eccleſia præceptum impoſitum fidelibus audiendi Miſſam certis diebus, quos feſtos appellamus.] Videtur enim in eo ſenſu loqui, quod ea propoſitio ſit certa ſecundùm fidem, quatenus euidenter infertur ex vna præmiſſa de fide, adiuncta ſcilicet ad illationem alia præmiſſa euidenti. Et hac ratione concluſio Theologica dicetur certa ſecundum fidem, propter eiuſmodi illationem ex vna præmiſſa de fide: id eſt, certa illatiuè ex fide.

236. Inferes tertiò, quamvis Caramuel in ea tertia periodo relata dubitare videatur de probabilitate eius aſſertionis, quod [non eſt peccatum mortale, Sacerdotem omittere officium canonicum;] & iudicium de probabilitate, vel improbabilitate prædictæ aſſertionis committat aliis; firmiter tenendum eſt, eam propoſitionem eſſe improbabilem poſitiuè, id eſt, certò falſam; cùm euidentiâ morali oſtenſum ſit capite præcedenti, oppoſitam propoſitionem eſſe veram; & cùm ex concluſione ſecunda huius capitis conſtet, illam propoſitionem eſſe erroneam.

DISPVTATIO XXIV.

Quæ verba in legibus ſignificent obligationem conſcientiæ?

CAPVT PRIMVM.

Quid ſenſerit Caramuel de hac voce Præceptum, *& æquipollentibus?*

PRÆCIPVA difficultas huius quæſtionis ſtat in voce *Præceptum*, & æquipollētibus: deinde, an eius æquipollentia ſint *Iubeo, mando, ſtatuo, conſtituo, tenentur, neceſſe eſt.* Similiter etiam de his vocibus prohibitiuis, *Non licet, veto, prohibeo, interdico, impoſſibile eſt.* Nam de his verbis, *Moneo, hortor, conſulo*, & ſimilibus, nulla eſt quæſtio; cùm ea ſolum conſilium importent, non autem obligationem conſcientiæ. 1.

2. *Grauitas obligationis non tam à verbis, quàm à grauitate materiæ deſumitur.*

De conſilio non propoſui in titulo [quæ verba ſignificent obligationem grauem conſcientiæ,] ſed ſolùm quæ verba ſignificent obligationem conſcientiæ; quia grauitas, vel leuitas obligationis non tam deſumitur ab ipſis verbis, quàm à grauitate, vel leuitate materiæ. Nec propterea negandum eſt eſſe aliqua verba, quæ ſignificent obligationem grauem, & implendam ſub reatu culpæ grauis: quale eſt cùm præcipit Eccleſia ſub indignatione Omnipotentis Dei, ſub interminatione diuini iudicij, ſub excommunicatione latæ ſententiæ, & ſimilibus.

3. Igitur Caramuel multis in locis aſſerit, has voces *Præcipio, præceptum*, & æquipollentes, non ſignificare obligationem conſcientiæ, ſed eſſe indifferentes ad ſignificandum leges purè pœnales; quas leges purè pœnales aſſerit eſſe præcepta, ſtatuta, conſtitutiones, prohibitiones, &c. Ita aſſerit *diſputat. 55. in Regul. num.* 789. 791. 792. Et ſi quidem loqueretur de modo præcipiendi Benedictinorum (vt videtur aliquando loqui) imò & multorum ordinum Regularium, libenter annuerem; quia ita in multis ordinibus Regularibus conſuetum eſt, vt non intelligantur Prælati Regulares obligare in conſcientia ſubditos, niſi dicant, ſe præcipere in virtute obedientiæ, aut in virtute Spiritus Sancti, vel ſimilibus formulis. Vult tamen Caramuel, quod ita intelligendum ſit in legibus iuris communis. Et ita *num.* 788. *fine* ait: [Reſpondebo ex regulis iuris ad noſtram materiam accommodatis.] Et deinde numeris ſequentibus affirmat, nomen *præcepti*, extendi ad leges purè pœnales, & ad regulas Religioſorum, quæ ſub nullo culpæ reatu obligant: has enim ſæpiſſimè affirmat eſſe præcepta. Et item vocem *præcepti* ex ſe eſſe indifferentem ad legem pœnalem, & ad legem moralem, ſeu conſcientiæ obligatoriam. Ad quod probandum nihil rationis adducit, nihil authoritatis; ſed illud ſupponit, quaſi eſſet oraculum.

CAPVT II.

Hanc vocem Præceptum, *in iure communi ſignificare obligationem conſcientiæ, tanquam certum ſtatuitur, & probatur.*

4. *Prima conclusio.*

DIco primò tanquam certum, & indubitabile. Hæc vox *Præceptum*, vel *Præcipio*, in iure canonico (idem opinor de ciuili) ſignificat obligationem conſcientiæ, & non ſolam obligationem pœnalem, niſi ex aliquo adiuncto ſignificatio minuatur. Ita P.Suar. *lib.3. de legib. cap.26. à num.5.* & apud ipſum Sotus, Syluester, Armilla, Medina, Caſtro, & Nauarrus. Item P.Thom.Sanch. *lib.8. ſum. cap.4. à num.29.* & apud ipſum præter citatos P.Vaſquez, P.Valentia, P.Sà, P.Azor, Philiarchus, Sayrus, Gutierrez, Panormitan. Gabriel, Caietanus, Euerardus, Angelus, Carbo, & Nauarrus *in ſum. cap.23. num.52.* ait eſſe communem Canoniſtarum ſententiam *in cap. Nam concupiſcentiam, de conſtitut.* & addit Nauarrus *ibid.* [Nam de accidentali (ſignificatu) quem vſus Eccleſiaſticus, & communis interpretatio Conciliorum, Pontificum, & aliorum Prælatorum, & Doctorum illis tribuit, omnia, & ſingula verba præceptiua, & prohibitiua, poſita in lege Eccleſiaſtica ſignificant in dubio, conditorem eius habere animum obligandi ad mortale, niſi aliud in ea poſitum, contrarium indicet.] Quod intellige attenta grauitate materiæ.

Suarez. Sotus. Syluest. Armilla. Medina. Caſtro. Nauarrus. Th. Sanch. Vaſquez. Valentia. Sà. Azor. Philiarcus. Sayrus. Gutierrez. Panorm. Gabriel. Caiet. Euerard. Angelus. Carbo.

5. *Qui in ſignificato vocum à communi acceptione recedit, improbabilia dicit.*

Probatur primò. Qui in ſignificatione vocum à communi acceptione recedit, improbabilia dicit: ſed qui vocem *Præcepti*, pro lege pœnali, non autem pro obligatione conſcientiæ accipit, à communi acceptione recedit; ea enim non eſt communis acceptio, ſed priuata ſolius Caramuelis: ergo certum eſt, vocem *Præcepti*, ſtare pro obligatione conſcientiæ, & non poſſe ſtare pro obligatione purè pœnali. Minor patet, quia communis vocum ſignificatio comprobatur ex communi vſurpatione peritorum: atqui nullus eſt peritorum, qui hanc vocem *Præceptum*, accipiat in iure canonico pro lege dumtaxat obligante ad pœnam: nullum enim citat Caramuel, nullum citare poteſt; oppoſitum enim manifeſtè conſtat ex iuris canonici Interpretibus, ac Theologis: ergo qui pro lege dumtaxat pœnali, & non determinatè pro obligatione conſcientiæ accipit eam vocem, à communi vſurpatione recedit.

Nullus peritorum Præceptum alter vſurpat.

6. *In quæſtione de ſignificatione, communis ſententia peritorum facit euidentiam.*

Explicatur, & confirmatur ampliùs robur huius argumenti. Etenim in quæſtione de ſignificatione vocis, conſenſus communis peritorum teſtantium de communi vſurpatione vocis facit euidentiam moralem, vt oſtendi *diſp.12. cap.4.* Atqui omnes periti iuris Canonici conueniunt in hoc, quod vox præcipiendi in eodem iure Canonico ſignificat obligationem conſcientiæ: ergo euidentiam moralem faciunt, quod hæc eſt communis acceptio: ergo & quod hæc eſt vocis ſignificatio. Relege verba doctiſſimi Nauarri ſuprà poſita *num.* 4. vbi aſſerit, hunc eſſe vſum Eccleſiaſticum, & communem interpretationem Conciliorum, Pontificum, Prælatorum, & Doctorum.

Confirmatur ſecundò. Nam licèt in aliis materiis ſententia vnius, aut alterius doctoris faciat opinionem probabilem contra communem; at in ſignificatione vocum ſententia vnius, vel paucorum contra communem non poteſt facere opinionem probabilem, quia ſignificatio eſſentialiter conſtituitur ex vſu communi, non ex vſu priuato ſingularis cerebri vnius, vel paucorum. Sicut enim in valore monetæ, aut mercium, non valet paucorum quorumdam æſtimatio, quando conſtat, communem æſtimationem aliter cenſere; quia valor extrinſecus conſiſtit in æſtimatione communi: ſimiliter contingit in ſignificatione vocum, quæ eſſentialiter conſiſtit in communi exiſtimatione, & vſu. Non ergo facere poteſt opinionem probabilem vnus Author in ſignificatione eius vocis *Præceptum*; cùm conſtet, ſtare in oppoſitum communem vſum, & exiſtimationem. 7.

In quæſtione de ſignificatione, ſententia vnius non facit probabilitatem.

Dixi in concluſione [Niſi ex aliquo adiuncto ſignificatio minuatur.] Nec enim inficior, poſſe quandoque ex contextu, aut ex adiunctis verbis limitantibus vocem *præcipiendi*, ſignificare legem dumtaxat pœnalem. Sic enim vox *homo*, hominem viuum ſignificat; & aliquando vſurpatur pro homine mortuo (qui verè non eſt homo) propter additum diminuens, quod ei voci adiungitur. Et ideò ſi in iure diceretur, *Præcipio dumtaxat pœnaliter*, iam vox *Præcipio*, per additum diminuens tranſit ad impropriam ſignificationem. 8.

Hæc vox quandoque limitatur ex aliquo addito.

Probatur ſecundò. Conſuetudo habet vim interpretandi legem, *cap. Cum dilectus, de conſuetudine: leg. ſi de interpretatione, ff. de legibus:* quæ eſt regula certa, & authentica interpretandi, vt ab ipſo iure data. Vide *diſp.23. cap.4.* Hæc autem conſuetudo, vt notauit P. Thom. Sanch. *lib.6. Sum. cap.4. num.27. Dignoſcitur ex communi iudicio, & ſenſu bonorum, & peritorum.* Sed hoc verbum, *Præceptum*, in iure canonico repertum, conſuetudo accipit tanquam importans obligationem conſcientiæ; & hæc communis conſuetudo dignoſcitur, & comprobatur ex iudicio, & ſenſu communi bonorum, & peritorum, nempe Authorum de hac materia diſſerentium, vt ex ſuprà dictis conſtat: ergo hæc eſt certiſſima iuris canonici interpretatio quoad hanc vocem *Præceptum*. 9.

Ex interpretatione authentica conſuetudinis, præceptū importat obligationem conſcientiæ.

Imò & ex ipſo Caramuele id ipſum comprobatur. Nam ſuæ huius doctrinæ (vt videtur) immemor, probat obligationem grauem ex voce *Præcepti, comment. in Reg. diſp.104. num.1364. litt.OO. §. Primò epiſtola.* Probat enim, fuiſſe olim quibuſdam Benedictinis obligationem grauem recitandi officium Marianum, quia titulus cuiuſdam epiſtolæ Petri Damiani eſt, *Ad Fratres præcepti tranſgreſſores.* Atqui ſi vox *Præceptum*, poteſt ſignificare legem dumtaxat pœnalem, tranſgreſſores eius non peccarent mortaliter. Si enim vox *Præceptum*, indifferens eſt, & communis ad leges etiam purè pœnales; cur etiam vox *tranſgreſſores*, non erit indifferens? Præcipuè cùm tranſgreſſores Regulæ dicantur, qui Regulam violant, etiamſi Regula non obliget ſub reatu culpæ. Et patet etiam *ex Clement. exiui, de verborum ſignificatione*, verbis numero ſequenti referendis, verbo *trangreſſio*; quod tam violationi præceptorum, quàm non præceptorum accommodatur. Imò 10.

Ex Caramuele eadem concluſio confirmatur.

&

& ex voce *ſtatutum*, quæ minorem deſignat obligationem, quàm *præceptum*, colligit Caramuel obligationem grauem, *ibid.* §. *ſecundò illud.*

11. Probatur tertiò. Concilia, & Pontifices, dum intendunt obligare conſcientias, id ſignificant per verbum præcepti: ergo in iure canonico verbum præcepti ſignificat obligationem conſcientiæ; ſi enim id verbum non ſignificaret obligationem conſcientiæ, alio termino vterentur, vt illam ſignificarent. Antecedens innumeris textibus comprobari poteſt, quos longum eſſet recenſere. Ecce paucos aliquos, inter quos primum locum tenet Clement. *Exiui, de verborum ſignificatione.* Vbi conſultus Pontifex, quæ ſtatuta Regulæ Franciſcanæ obligarent ſub mortali, & quæ non; declarat, quæ ſignificantur voce præcepti, aut æquiualenti, ſignificare obligationem ſub reatu culpæ mortalis, (intellige, attenta grauitate materiæ.) Ita enim ait: [Apertè diſcreuit, quod quoad quædam ipſorum, *ex vi verbi* tranſgreſſio *eſt mortalis*; & quoad quædam alia, non: cùm quoad quædam ipſorum verbum apponat *præcepti*, vel *æquipollentis* eidem; & quoad aliqua verbis aliis ſit contentus.] Nota id, *ex vi verbi*: ergo ſi ex vi verbi *Præcepti* obligat ſub mortali, ſcilicet attenta grauitate materiæ; planè infertur, quod vis ſignificatiua vocis *Præceptum*, importet obligationem conſcientiæ.

Idem conſtat ex ſacris Canonibus.

12. Id, quod decernitur in prædicta Clementina, in actu exercito præſtat Concilium Tridentinum frequentiſſime, *ſeſſ.* 7. *cap.* 8. *de Baptiſmo*: [Si quis dixerit, baptizatos *liberos eſſe ab omnibus Sanctæ Eccleſiæ præceptis*, quæ vel ſcripta, vel tradita ſunt, ita vt ea *obſeruare non teneantur*, niſi ſe ſua ſponte illis ſubmittere voluerint, anathema ſit.] Vbi euidenter loquitur de præceptis conſcientiam obſtringentibus. Nam ſi ea præcepta non dicerent obligationem conſcientiæ, cum veritate dici poſſet, homines eſſe liberos ab eis. Tunc enim poteſt dici aliquis liber à lege, cùm poteſt licitè operari contra illam. Eam ergo conſcientiæ obligationem ſignificat Concilium per verbum *Præcepti.*

Ex Trident.

13. Item *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. *de Sacram. Pænitentiæ.* [Neque enim per Lateranenſe Concilium Eccleſia ſtatuit, vt Chriſti fideles confiterentur; quod iure diuino neceſſarium, & inſtitutum eſſe intellexerat: ſed vt præceptum confeſſionis, ſaltem ſemel in anno ab omnibus, & ſingulis, cùm ad annos diſcretionis perueniſſent, impleretur.] Vbi ad ſignificandam obligationem conſcientiæ, qua omnes fideles tenentur, cenſuit Concilium, ſatis, ſuperque eſſe vocem *Præcepti.*

14. Et *ſeſſ.* 25. *cap.* 1. *de Regularibus.* [Neceſſarium eſſe (ſancta Synodus) cenſuit,.. præcipere, prout hoc decreto præcipit, vt omnes Regulares, tam viri, quàm mulieres, ad regulam, quam profeſſi ſunt, & præſcriptum, vitam inſtituant.] Intellige eo modo, quo Regula obligat reſpectiuè. [Atque in primis quæ ad ſuæ profeſſionis perfectionem, vt obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis, ac ſi quæ alia ſunt alicuius regulæ, & Ordinis *peculiaria vota, & præcepta.*] Quo vltimo verbo non intelligit quaſcumque regulas, vel conſtitutiones, ſed ea ſtatuta, quæ votis parallela ſunt, id eſt, grauem obligationem importantia, ſicut vota, vt ex contextu eſt euidens: quæ quidem tanquam parallela apponit Concilium ipſis ſubſtantialibus votis obedientiæ, paupertatis, caſtitatis.

Et *cap.* 12. *de reformat.* vt adſtruat grauem obligationem ſoluendi decimas, quam eſſe grauem obligationem conſcientiæ ex eodem Sanctæ Synodi capite euidenter conſtat, vt patet *ex diſp. præced. cap.* 6. per verbum *præcipiendi*, eam ſatis ſignificari exiſtimat, dum ait: [Præcipit igitur ſancta Synodus omnibus cuiuſcumque gradus & conditionis ſint,] &c. quod idem tertio quoque decreto Concilij inuenies. 15.

Maneat ergo, certiſſimum eſſe, quod ait Nauarrus citatus, eſſe vſum eccleſiaſticum, & communem interpretationem Conciliorum, Pontificum, & aliorum Prælatorum, & Doctorum, quæ verbo *præcipiendi*, & æquipollentibus tribuit vim ſignificandi obligationem conſcientiæ. Quem vſum deſumpſit Eccleſia ex Diuo Paulo, qui tum aliàs, tum 1. *Corinth.* 7. nomen *præcepti* vſurpat pro ea lege, quæ affert obligationem conſcientiæ. *De Virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do.* Vbi contraponit præceptum conſilio, vtique pro conſcientiæ foro, quam præcipuè inſtruere intendebat Apoſtolus. 16.

Dices. In multis Religionibus declaratum eſt, non intendi obligationem ſub culpa, niſi dicatur, *Præcipio in virtute obedientiæ*; vel, *Præcipio in virtute Spiritus Sancti*, aut alio modo ſimili: ergo in illis verbum *Præcipio*, licèt ponatur in lege, ſine alio adiuncto non ſignificat obligationem conſcientiæ: ergo verbum *Præcipio* indifferens eſt. 17.

Reſpondeo interrogando, quam dependentiam habeat ſtylus, & modus loquendi Pontificum, & iuris canonici à ſtylo, & modo loquendi Religionum? Si Prælati Religionum voluerunt ſub ea forma inducere ſua præcepta, quomodo id præiudicium afferre poteſt ſignificationi, & communi acceptioni iuris canonici? Nam ſicut in qualibet Facultate ſunt diuerſi termini, ita vt terminus, qui in vna Facultate aliud ſignificat, aliud ſignificet idem terminus in altera; ita contingit in iure communi, & in iure ſpeciali Religionum. Sic *conſuetudo* familiarem aliquorum conuerſationem ſignificat apud Grammaticos; in iure autem non niſi repetitionem actuū. Sic etiam *odium* apud Grammaticos actum voluntatis ſignificat, quo aliquid deteſtamur; in iure autem ſignificat quidquid pœnale eſt, & grauamen importat; & in ſexcentis aliis. 18.

Vſus Prælatorum Regularium variat vocem Præceptum.

Nec eſt paritas ab vno ad aliud.

CAPVT III.

Statuitur ſecunda concluſio.

Dico, ſecundò tanquam certum, Verba æquipollentia verbo *præcipiendi*, ſignificant obligationem conſcientiæ. Hæc conſtat ex Clement. *Exiui, de verborum ſignificatione*, verbis *cap. præced.* relatis. Vbi aſſerit Pontifex ex vi verbi præcepti, *vel æquipollentis eidem*, ſignificari obligationem conſcientiæ. 19.

Secunda concluſio. Verba æquipollentia præcepto importat obligationem conſcientiæ.

Verba autem æquipollentia *præcepto*, ſunt *impero*, *edico*, *iniungo*, *veto*, *interdico*, & *mando*, cùm ſumitur non pro commiſſione, ſed pro imperio. De quo vide P. Thom. Sanch. 20.

Quæ verba æquipolleant præcepto?

Digitized by Google

*lib.6.ſum.cap.4.num.*33. 34.*&* 35. Item verbum *Debeo*, quando ſubiecta materia non poſtulat intelligi de debito honeſtatis. De quo vide eundem *num.*36.

21. Æquipollet ſimiliter verbum, *teneantur*: cóque vtitur ſemper Concilium Tridentinum ad ſignificandam obligationem conſcientiæ, vt verbis ſuprà relatis *num.* 12. *Ita vt ea obſeruare non teneantur, niſi ſe illis ſubmittere voluerint, anathema ſit.* Et *ſeſſ.* 25. *cap.* 12. *de reformat.* Et ita ſine controuerſia tenent Doctores, & ſequitur Thom. Sanch. *citat. num.*38. quod idem docet de verbo *obligentur*.

22. Idem dicendum eſt de voce *neceſſe*. Ideò Trident. *ſeſſ.*13.*cap.*7. *de Euchar.* ait: *Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat, eam probationem neceſſariam eſſe*, &c. Qui loquendi modus circa præcepta conſcientiam obſtringentia deſumptus eſt in Eccleſia ex actibus Apoſtolorum *cap.* 15. *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis, nihil vltra vobis imponere oneris, niſi hæc neceſſaria, vt abſtineatis*, &c. Et idem eſt de verbo, *Non poteſt*; quod præciſam neceſſitatem importat, vt multis oſtendit P. Thom. Sanchez *lib.* 6. *de matrim.diſp.*38. *num.*20. & eo loco ſummæ ſuprà citato *num.*38. vbi idem abſque controuerſia docet de verbo, *Non licèt*.

23. De aliis autem formulis imperandi, aut legem ferendi, de quibus non conſtat inter Authores, an ſint æquipollentes verbo *Præcipiendi*, conſule Authores citatos, & præcipuè Thom. Sanch. *vbi ſuprà*. Et memineris in dubio legitimam interpretem obligationis legum eſſe conſuetudinem, *ex cap. Cum dilectus, de conſuetud.*

DISPVTATIO XXV.

An obliget præceptum de actu externo, habens pro fine actum internum?

CAPVT PRIMVM.

Proponitur ſententia Caramuelis,

1. *Negat, valere id præceptum.*

DISPVTAT. 51. *Theolog. Regul. num.* 725. ſic aſſerit: [Non dantur præcepta humana de actibus merè internis, neque externa propter merè interna poſſunt præcipi humana authoritate. Ergo non poteſt tibi interdici acceſſus ad talem domum, vel locum, ne aſſenſum merè internum præbeas adulterio. Poteſt tamen legitimè interdici, ne extrinſecè adultereris, aut ne te exponas periculo euidenti extrinſecè moraliter (illud eſt, quod dicitur proximum) adulterandi.] Quæ autem ſit occaſio habendi conſenſum internum, explicuit paulò ante: [Eſt in periculo conſentiendi, & non faciendi, ille, qui remanet in occaſione, in qua ſcit, ſe conſenſurum eſſe, non tamen facturum propter impedimentum tale.]

2. Huius aſſertionis nullum producit Authorem, nullam ibi affert rationem. Solùm adducit id principium generale: *Non dantur præcepta humana de actibus merè internis*: & ex illo vult inferri ſubiunctam propoſitionem: *Neque externa propter merè interna poſſunt præcipi humana authoritate.* Eius autem fundamentum eſt id, quod in ſimili aſſumit *diſputat.* 118. *in regul. num.* 1453. ſcilicet quia medium ſumit ſpeciem à fine. Ita enim ait: [Quando res magnæ præcipiuntur ob leuem finem, leuiter obligant, vt ſuperiùs expoſui *num.* 718. *diſputat.* 51. ibi enim reſolutione prima aſſerui, media ſumere ſpeciem à fine: & addidi, regularia ob finem irregularem præcepta reddi irregularia.] Itaque *loco citat.* ea *reſolut.* 1. *num.* 719. hanc ponit concluſionem: [Omnia, quæ præcipiuntur propter aliud, ſi finis exprimatur, habent à fine ſpeciem. De hoc nullus dubitat, qui legerit Authores diſputantes de bonitate, & malitia humanorum actuum.] Et deinde tanquam corollarium infert ea verba initio relata *ex num.* 725.

Confirmari autem poteſt hæc aſſertio ex alia eius aſſertione proximè relata *ex diſp.* 118. *in regul.* Ideò res magnæ præceptæ ob finem leuem, leuiter obligant, quia media ſumunt ſpeciem à fine: ſed quando præcipiuntur externa propter interna, externa ſunt media in ordine ad finem internum, atque adeò ſpecificantur ab illo: ergo externa ſumunt ſpeciem à fine interno, atque adeò obligabunt, ſicut res internæ, reſpectu quarum nihil poteſt præcipere humana poteſtas.

Et nota, illum *in Theol. fundam. num.* 691. dixiſſe, opinionem, quæ docet, Eccleſiam non poſſe præcipere actus internos, ſe nunquam intelligere potuiſſe. Et poſteà latè probat, Prælatum Regularem poſſe præcipere ſubditis virtute voti obedientiæ actus internos; item independenter etiam à voto obedientiæ poſſe Eccleſiam præcipere actus internos. De qua aſſertione dicit *num.*698. [Quia habet rationes fortiſſimas, eſt ab intrinſeco defendenda.] Et nota etiam, apud Caramuelem idem eſſe, *Nunquam potui intelligere iſtam ſententiam*, ac *Certam iudico oppoſitam.* Nam *in Theolog. fundam. num.* 636. *fundament.* 17. ait: [Ita Diana vbi ſuprà, §. *ſed vt verum*: qui tam certam iudicat noſtram ſententiam, vt oppoſitam dicat, ſe nunquam potuiſſe intelligere.] *In Theolog.* verò *Regul. num.* 724. cùm ventum eſt ad hanc quæſtionem, in qua ſententia illa, quæ negat Eccleſiæ poteſtatem imperandi interna, erat extendenda ad alia hactenus inaudita; ſententiam, quam ibi impugnauerat, nec intelligere potuerat, hîc vocat probabiliſſimam. 3.

Vt ergo rem hanc penitiùs inquiramus, duæ quæſtiones in præſenti verſandæ ſunt, quas ſub vno cortice inuoluit ille Author. Prima eſt generalis, an Eccleſia poſſit præcipere actus externos in ordine ad internos, ſiue reſpiciendo internos tanquam finem intentum, ad quem legiſlator ordinat externos. Secunda eſt ſpecialis, an Prælatus poſſit ſubdito præcipere, ne adeat domum ſuſpectam, in qua licèt non ſit periculum adulterandi, eſt tamen periculum labendi in delectationes moroſas internas: in quo Prælatus intendat vitari has delectationes. 4.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT II.

Examinatur fundamentum eius ſententiæ.

5\. PRædictum fundamentum, quo ea ſententia nititur, plenum eſt æquiuocatione; qua ſublata, fundamentum corruere, manifeſtum erit. Pro cuius claritate.

6\. *An electio medij attingat intrinſecè finem?* *Et an ſumat ſpeciem phyſicam per ordinem ad finem?*

Præmitto primò, electionem medij, ſecũdum aliquos Authores, non attingere intrinſecè finem. Iuxta quos, in intentione finis, & electione medij concurrunt duo actus voluntatis, imperans, & imperatus. Actus imperans eſt intentio finis; actus imperatus electio medij. Iuxta quam ſententiã, electio medij non ſpecificatur à fine. Etenim actus ſpecificatur ab eo obiecto ſolùm quod immediatè attingit (ab obiecto formali ſecundùm aliam ſententiã; & ſecundùm meam ſententiam, loquendo de ſpecificatione phyſica actuum, tam ab obiecto formali, quàm à materiali.) Si ergo electio medij non attingit immediatè finem, non poteſt ſpecificari ab illo.

7\. Secundùm alios Authores, formalis electio medij neceſſariò attingit intrinſecè, & immediatè finem: quam ſententiam veriorem reputo. Nam materialis voluntas aſcendendi ſcalam eſt formalis electio medij ad ſpeculandos hoſtes de longè venientes. Vnde formalis electio medij eſt voluntas aſcendendi propter eum finem conſequendum. Iuxta quam ſententiam veriſſimum eſt, quod electio medij ſpecificatur à fine. Actus enim ſpecificatur per ordinem realem (an realem voces, an intentionalem, parum refert) ad obiectum, ſeu terminũ reſpectum, vt latè explicui *lib. 3. de Anima.* Sed electio medij habet ordinem realem ad finem tanquam ad obiectum immediatum: ergo ſpecificatur à fine.

8\. *Quod ſpecificetur à fine, non eſt quod conſtituatur per finem, ſed per ordinem ad finem.*

Præmitto ſecundò. Quod electio medij ſpeciem ſumat à fine, non eſt, quod conſtituatur in ſua ſpecie per ipſum finem, ſed per ordinem ad finem. Patet. Nam quod homo ſpeciem ſumat ab actibus rationis, non eſt quod conſtituatur per ipſos actus, ſed per rationale, id eſt, per ordinem realem ad actus ratiocinij. Et quod actio ſpecificetur ab agente, non eſt, quod cõſtituatur per ipſam entitatem agentis (aliàs actio creata procedens à Deo conſtitueretur per eſſe diuinũ) ſed quod conſtituatur per ordinem ad agens.

9\. *Licèt ſpecificetur à fine, non participat prædicata finis.*

Præmitto tertiò. Quamuis electio medij habeat ſpeciem à fine, non propterea participat prædicata ipſius finis. Patet ex præcedẽti. Nam cùm actus ſpecificatus ab aliquo obiecto, ſiue termino non conſtituatur per illud, ita etiam non participat prędicata illius intrinſeca. Alioqui ſi eo ipſo participaret prædicata intrinſeca obiecti, conſtitueretur per illa in ſuo eſſe. Ita licèt actus cognoſcens negationem, aut illam volens, ſpecificetur ab ente negatiuo, non propterea participat prædicatum entis negatiui. Et vt ad præſentem materiam magis accedamus, cùm præcipitur flagellatio propter vitandam luxuriam, præcipitur poſitiuum propter negatiuum; & electio medij poſitiui ſpecificatur à negatiuo; & tamen neque medium, neque electio medij participat prædicatum negatiui. Similiter ſi præcipiatur clauſura Monialibus propter cuſtodiam caſtitatis Deo promiſſæ, atque adeò electio eius medij ſpecificetur à caſtitate promiſſa, non propterea clauſura eſt materia promiſſa: & quamuis caſtitas promiſſa, quæ eſt finis præcepti clauſuræ, ſit conſtitutiuum eſſentiale ſtatus Religioſi, non propterea clauſura præcepta eſt vt conſtitutiuum eſſentiale ſtatus Religioſi.

Præmitto quartò, electionem medij, quamuis ſit diſtincta realiter ab intentione finis, ſumere ſpeciem moralem (nam ſuprà *num.* 30. *& ſeq.* egimus de ſpecie phyſica,) ab intentione; id eſt, participare ab hac bonitatem, ſiue malitiam moralem. Sed non propterea participat reliqua prædicata. Nam auditio Miſſæ ob inanem gloriam, non eſt actus internus, quamuis actus inanis gloriæ ſit internus. 10.

11\. *Peſſima conſequentia.*

His poſitis, inquirimus in præſenti capite, an hæc ſit bona conſequentia, an potiùs mera æquiuocatione ſubſiſtens: [Eccleſia non poteſt præcipere actum internum: ſed actus externus præceptus propter internum ſpecificatur ab actu interno: ergo neque poteſt præcipere actum externum propter internum.]

12\. *Actus externus præceptus propter internum, non participat eſſe internum.*

Aſſero ergo tanquam certum, hanc conſequentiam nullam eſſe. Et ſi tanquam legitima admittatur, incidendum eſſe in abſurda quamplurima. Probatur primò. Quod præceptũ actus externi ſit propter internum, & ſpecificetur ab interno, non facit, quod actus externus ſit internus, neq; dat illi formale conſtitutiuum, aut prædicatum proprium actus interni, vt patet ex prænotatione 2. 3. & 4. ſed ſolus internus excluditur à poteſtate Eccleſiæ: ergo externus propter internum non excluditur à poteſtate Eccleſiæ.

Confirmatur. Quod externus ſpecificetur ab interno, non eſt, quod externus ſit in ſpecie formaliter & reduplicatiuè interni: ergo reipſa non eſt in ſpecie interni: ergo quamuis internus ſit extra ſphæram poteſtatis Eccleſiæ, non tamen externus ordinatur ad internũ. Primum antecedens patet. Nam licèt homo ſpecificetur ab actibus ratiocinij, non eſt in ſpecie actuum ratiocinij, alioqui eſſet accidẽs, ſicut tales actus ſunt accidentia. Et licèt materia ſpecificetur à forma, non tamen eſt in ſpecie formæ. Et licèt ſol ſpecificetur à luce, & ignis à calore, nec ſol in ſpecie lucis, nec ignis in ſpecie caloris verſantur; cùm ſubſtantiæ repugnet eſſe in ſpecie accidentis. 13.

14\. *Praua conſequentia.* *Nihil poſſet præcipere Eccleſia propter cultum Sacramẽtorum.*

Probatur ſecundò. Et propono hunc ſyllogiſmum ſimilem ſyllogiſmo Caramuelis. [Eccleſia non habet poteſtatem circa ius diuinum ſacramentale: ſed ea, quæ præcipit propter ius diuinum Sacramentale promouendum, ſpecificantur à iure diuino ſacramentali tanquam à fine: ergo non habet poteſtatem ad ea, quæ præcipit propter ius ſacramentale promouendum.] Similitudo propoſitionum cum propoſitionibus alterius ſyllogiſmi à Caramuele propoſiti, maior eſſe non poteſt; cùm ſolùm habeat mutatam materiam, & in reliquis ſeruet eandẽ formam. Quare conſequẽtia eodẽ modo infertur.

Conſequens autem abſurdiſſimum eſt, cùm certò conſtet, Eccleſiam habere poteſtatẽ præcipiendi, & reipſa præcipit quamplurima propter eum finem, ſcilicet vt dignè adminiſtrentur, ſuſcipiantur, & colantur Sacramenta à Chriſto Domino inſtituta. Maior indubitabilis eſt. Et minor eſt tam certa, quàm eſt certum, electionem medij ſpecificari à fine: vel ſi 15.

ſi hæc non eſt vera, neque verum erit quod actus externus præceptus propter internum, ſpecificetur ab interno.

16. Confirmatur primò, proponendo idem argumentum ad normam omnimodæ paritatis. Ideò Eccleſia non habet poteſtatem ad præcipiendum actus externos propter internos, quia tales externi ſpecificantur ab internis tanquam à fine intento, & Eccleſia non habet poteſtatē in internos: ſed ſi præcipiantur media propter ius diuinum ſacramentale promouendum, illa media ſpecificantur ab illo iure diuino ſacramentali tanquam à fine intento; & Eccleſia non habet poteſtatem in ipſum ius diuinum ſacramentale: ergo Eccleſia non habet poteſtatem ad præcipiendum media propter ius diuinum ſacramantale promouendum.

17. Itaque in eum finem, vt in ſacrificio Miſſæ impleantur digniùs ea quæ ſunt iuris diuini, præcipit Eccleſia multos ritus, ornatum veſtium, orationes, &c. Cùm hæc Eccleſiæ præcepta ordinentur ad ſacrificium tanquam ad finem, ab eo quidem ſpecificantur: ergo ſi Eccleſia non habet poteſtatem in finem, ſcilicet in eſſentiam ſacrificij, neque habebit illam in adhibenda media, quæ ſpecificanturà tali fine.

18. Confirmatur ſecundò. Quando Eccleſia non habet poteſtatem in finem, ad quem diriguntur media, neque habet poteſtatem in media: ſed Eccleſia non habet poteſtatem in eſſentiam ſacrificij, ad quod dignè adminiſtrandum adhibet tanquā media ritus, veſtes, orationes, &c. ergo neque habet poteſtatem in ea media: ergo Eccleſia non poteſt pręcipere, quod in ſacrificio Miſſæ vtamur veſtibus ſacris, ritibus, orationibus. Quo conſequēti quid abſurdius eſſe poteſt? Ambæ conſequentiæ legitimè inferuntur. Minor indubitabilis eſt. Et maior eſt Caramuelis; qui ideò dicit, Eccleſiam non habere poteſtatem in actum externum ordinatum ad internum, quia cùm internus ſit finis inténtus, & non habeat poteſtatem in illum, neque habere valet poteſtatem in media ad illum.

19. Obiicies. Cùm legiſlator Eccleſiaſticus præcipit materiam magnam propter finem, id præceptum leuiter obligat, & leue iudicatur: & ſimiliter cùm præcipit materiam de ſe leuem ob finem magnum, vt cùm iubet, ne micam panis comedas, Euchariſtiam ſuſcepturus, præceptum obligat grauiter, & graue cenſetur: ergo quando præcipit medium externum propter finem internum, præceptum obligabit ſicut de materia interna. Probatur conſequentia. Ideò præceptum de materia magna propter finem leuem leuiter obligat, quia ſpecificatur à fine leui: ſed etiam quando præceptum eſt de actu externo propter internum, præceptum ſpecificatur ab actu interno: ergo reputandum eſt præceptum tanquam de obiecto interno.

20. Reſpondetur omittendo antecedens, quoad vtramque partem, & negando conſequentiam. Et ad probationem neganda eſt maior. Non enim verificatur, ideò præceptum eſſe leue, aut graue, quia ſpecificatur à fine leui, aut graui. Nam præceptum de materia leui, & leuiter conducente ad finem grauem, ſpecificatur à fine graui; & tamen præceptum non obligat grauiter, ſed leuiter. Eſt ergo diſparitas inter vtrumque: nam quando præcipitur materia magna propter finem leuem, medium in ratione medij eſt leue; at verò quando externum præcipitur propter finem internum, medium in ratione medij non eſt internum, ſed manet externum. Prima pars diſparitatis eſt certa: illud enim medium eſt graue in ratione medij, quod poteſt efficaciter conſequi aliquid graue: quare ſi vel finis conſequendus ſit leuis, vel leuiter conducat ad finem, non verificatur, quod poteſt conſequi efficaciter aliquid graue. Secunda etiam pars diſparitatis manifeſta eſt; nam reuerentia exterior v. g. quantumvis ordinetur ad interiorem tanquam ad finem, exterior manet. Præſertim cùm lex non præcipiat reuerentiam exteriorem, quatenus ordinatam ad interiorem, reduplicatiuè, vt explicabo *cap. 5.*

CAPVT III.

Eccleſiam poſſe præcipere actus externos in ordine ad internos, oſtenditur ex Tridentino.

Hanc aſſertionem certam eſſe, iam diu mihi perſuaſi. Et exiſtimo, eam definitam eſſe in Concilio Tridentino *ſeſſ. 22. cap. 5. de Sacrificio Miſſæ.* In quo viſum eſt Spiritui Sancto, & Patribus Concilij definire, ritus, & cæremonias, quas in Sacrificio Miſſæ inſtituit Eccleſia, in eum finem præceptas eſſe, vt mentes fidelium ad meditationem rerum diuinarum eleuarentur, & ad contemplationem myſteriorum in ſacrificio latentium excitarentur. Ecce verba Sacroſanctæ Synodi: [Cúmque natura hominum ea ſit, vt non facilè queat ſine *adminiculis exterioribus* ad rerum *diuinarum meditationem ſuſtolli*; *propterea* pia mater Eccleſia *ritus* quoſdam, vt ſcilicet quædam ſubmiſſa voce, alia verò elatiori, in Miſſa pronuntiarentur, inſtituit. *Cæremonias* item adhibuit, vt myſticas benedictiones, lumina, & thymiamata, veſtes, aliaque id genus multa ex Apoſtolica diſciplina, & traditione; quo & maieſtas tanti ſacrificij commendaretur, & *mentes* fidelium per hæc *viſibilia* Religionis, & pietatis ſigna, ad rerum *altiſſimarum*, quæ in hoc ſacrificio latent, *contemplationem* excitarentur.] Quo modo clariùs definiri potuit, actus externos, (nempe ritus, & cæremonias, & ſigna viſibilia pietatis, & Religionis) inſtitutos fuiſſe propter actus internos meditationis, & contemplationis rerum diuinarum? 21.

Conſtat ex Trid. Eccleſiam inſtituiſſe ritus Miſſæ propter finem internum.

Dices primò, in eo textu non eſſe verbum præcipiendi, ſed ſolùm verbum *inſtituit*, & *adhibuit.* Vnde fit, quod non loquitur Concilium de præceptis iniungentibus externa propter interna. 22.

Hæc tamen reſponſio manifeſtè redarguitur. Conſtat enim *ex ſeſſ. 7. canon. 3. de Sacrament. in genere*, hanc rituum, & cæremoniarum Eccleſiæ inſtitutionem eſſe præceptum, illis verbis: [Si quis dixerit, receptos, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos, aut contemni, aut *ſine peccato* à Miniſtris pro libito *omitti*... poſſe, anathema ſit.] Euidens autem eſt, ea, quæ ſine 23.

Ritus Miſſæ iniunguntur ab Eccleſia ſub præcepto.

Digitized by Google

ſine peccato omitti non poſſunt, eſſe ſub præcepto iniuncta.

24. *An præcipiat ritus, etiam propter alios fines?*

Dices ſecundò. Ritus, & cæremonias Miſſæ præceptas eſſe propter eum finem ſuſtollendi mentes fidelium ad rerum diuinarum contemplationem; cum tamen finem eſſe parrialem; poſſunt enim conſiderari alij fines partiales externi, propter quos is ritus, & cæremoniæ inſtitutæ ſint, v.g. propter reuerentiam externam conciliandam, &c.

25. Contrà eſt primò. Nam vbi legiſlator declarat finem à ſe intentum in lege, non licèt ſubditis illam ad alios fines traducere: alioqui ſi cuilibet liceret diuinare fines alios diſtinctos ab eo, quem legiſlator expreſſit, nihil erit firmum in legibus. Cùm ergo Eccleſia ipſa declarauerit in Tridentino finem ſuum, non licet fines alios ſupponere.

26. *Electio medij poteſt reſpicere duos fines adæquatos.*

Pro ſecunda impugnatione præmitto, poſſe voluntatem habere duos fines adæquatos in electione vnius medij. Patet. Quis enim dubitet, eſſe duos fines adæquatè diuerſos, cùm quis intendit ſanitatem, & concionem commendare memoriæ? Et tamen vnica deambulatione vtrumque intendo, quam ſanitati propitiam, & faciliori exercitio memoriæ opportunam experior. Item duo fines ſunt adæquatè diuerſi dignitas Eccleſiaſtica, & dignitas laica, ad quas aſpiras; quas tamen vnico medio amicitiæ cum Principe obtinere ſperas. Potes ergo eligere vnicum medium propter ambos fines adæquatos: qui ideò ſunt adæquati, quia vnuſquiſque eorum ſufficiens eſt, etiam in actu ſecundo, ad eligendum illud medium: taliter enim primus finis te obligat ad illud medium ponendum, vt reipſa ponas independenter ab alio, id eſt, etſi aliud non eſſet ponendum. Quod etiam in ſecundo fine contingit.

27. *Finis deſignatus à Concilio eſt adæquatus.*

Impugnatur ergo ſecundò ea reſponſio. Nam licèt alij fines ſubſint ei præcepto Eccleſiæ, non poteſt negari, finem in eo capite Concilij deſignatum, eſſe finem adæquatum, & per ſe ſufficientem ad præcipiendum ritum, & cæremonias ſacrificij. Dicere autem, præceptum Eccleſiæ de ritibus ſacrificij non obligare, quà reſpicit finem illum internum, ſed ſolùm quà reſpicit externum, ſuſtineri non poteſt. Nam ſi ſemel ſtatuatur, Eccleſiam non habere poteſtatem ad præcipiendum externa propter interna, nullatenus licebit Eccleſiæ præceptum ſuum aliqua ratione ordinare ad finem internum: ergo non licuit Eccleſiæ ordinare præceptum de ritibus ſacrificij ad eum finem, vt mentes fidelium ad contemplationem diuinarum erigerentur. Hoc autem aſſerere eſt expreſsè contra Tridentinum, in quo aſſeritur, de facto Eccleſiam eum finem intendiſſe, & conſequenter, licitum fuiſſe Eccleſiæ, talem finem ſibi propoſuiſſe.

28. *Sequitur, quod neque poſſet ordinare partialiter ritus ad finem internũ.*

Quod argumentum ſimiliter militat etiamſi protervè contendas, eum non fuiſſe finem adæquatum, ſed partialem. Quod ſic inſtauratur. Nam ſi ſemel ſtatuatur, eſſe ſupra ſphæram poteſtatis Eccleſiæ, præcipere externa propter interna, nullo modo licebit Eccleſiæ, eum finem ſibi proponere, etiamſi illum dicas inadæquatum, & partialem.

CAPVT IV.

Certitudo eiuſdem aſſertionis aliis argumentis demonſtratur.

Tertium argumentum eſt. Multa media poteſt præcipere, & de facto præcipit Eccleſia, vt fideles diſcant doctrinam Chriſtianam, & retineant fidei Catholicæ puritatem: ſed media ſunt externa, & finis eſt internus: ergo poteſt præcipere, & præcipit externa propter finem internum. Conſequentia eſt euidens, minor indubitabilis, cùm per actus internos exerceatur, & adquiratur fides, & adquiratur ſcientia doctrinæ Chriſtianæ. 29. *Multa præcipit propter finem internũ retinendum.*

Maior oſtenditur primò. Pontifices Romani habent poteſtatem congregandi Concilia generalia, & præcipiendi Epiſcopis, vt ad illa confluant, tanquam medium opportuniſſimum, vt puritas fidei retineatur in mentibus fidelium; & de facto congregauerunt, & præceperunt: ergo poſſunt præcipere, & de facto præceperunt media externa ad fidem retinendam in mentibus fidelium. 30.

Oſtenditur ſecundò. Nam in Concilio Tridentino *ſeſſ. 5. cap. 2.* præcipitur Parochis, vt omnibus Dominicis, & feſtis ſolemnioribus doceant populos ea, quæ ſcire oportet fideles ad ſalutem neceſſaria, illis verbis: [*Archipresbyteri* quoque, *Plebani*, & quicumque parochiales, vel alias curam animarum habentes Eccleſias quocumque modo obtinent, per ſe, vel alios idoneos, ſi legitimè impediti fuerint, diebus ſaltem Dominicis, & feſtis ſolemnibus *plebes* ſibi commiſſas pro ſua, & earum capacitate paſcant ſalutaribus verbis, *docendo ea, quæ omnibus neceſſaria ſunt ad ſalutem,*] &c. Et *ſeſſ. 24. cap. 4. de reformat.* [Idem (Epiſcopus, & Parochi) etiam ſaltem Dominicis, & aliis feſtiuis diebus *pueros* in ſingulis Parochiis *fidei rudimenta*, & obedientiam erga Deum, & parentes, diligenter ab iis, ad quos ſpectabit, *doceri* curabunt.] Quæ externa doctrinæ Chriſtianæ traditio propter ſcientiam veritatum fidei (quæ quid internum eſt) præcipitur ab Eccleſia. 31.

Oſtenditur tertiò. Eccleſia habet poteſtatem prohibendi, & de facto prohibet libros hæreticos, vt fidei puritas conſeruetur in mentibus fidelium: ergo prohibet externa propter finem internum. 32. *Prohibet libros hæreticos propter finem internum fidei retinẽdæ.*

Et caue, ne efformes argumentum vice verſa, dicens. Iuxta aſſertionem Caramuelis probabile eſt, non poſſe Eccleſiam præcipere, vel prohibere externa in ordine ad finem internum: ſed ſi prohibeat lectionem librorum hæreticorum propter puritatem fidei conſeruandam, prohibebit aliquid externum propter finem internum: ergo probabile eſt, quod Eccleſia non poteſt prohibere lectionem librorum hæreticorum propter puritatem fidei conſeruandam. Quæ concluſio euidenter falſa eſt, cùm ab initio naſcentis Eccleſiæ Romani Pontifices, & ſacra Concilia generalia, & prouincialia combuſtionem librorum hæreticorum accuratè præceperint, vt patet ex Concilio Carthaginẽſi IV. *can. 16. an. 258.* & ex Leone X. *ep. 48. ad Marianum Imperatorem*, anno circiter 440. & ex quinta Synodo Generali, an. 553. & ex Cõcilio Hieroſoly 33. *Poteſtas Eccleſiæ comburendi libros hæreticos, propter fidem puram retinendam.*

Digitized by Google

Hieroſolymitano ſub Petro Hieroſolymitano Epiſcopo ; & Concilio Nicæno ſecundo, *can.9.* an. 787. & Concilio Conſtantienſi *ſeſſ. 5.& ſeſſ.15.* & ex innumeris aliis decretis. Fuit ergo perſuaſum ſemper in Eccleſia, eſſe ſibi poteſtatem prohibendi lectionem librorum hæreticorum ad fidei puritatem conſeruandam in mentibus fidelium : quæ vniuerſalis perſuaſio Eccleſiæ euidentiam facit, cùm verſetur in materia fidei, id eſt, in materia poteſtatis Eccleſiaſticæ Petro, & ſucceſſoribus traditæ in Euangelio.

34. Vnde argumentum vrgeo contra aſſertionem, quam in præſenti diſputatione refello. Bene valet ab oppoſito contradictorio conſequentis ad oppoſitum contradictorium antecedentis : ſed oppoſitum contradictorium conſequentis præcedentis proximi ſyllogiſmi eſt, [Non eſt probabile, quod Eccleſia caret poteſtate prohibendi lectionem librorum hæreticorum propter puritatem fidei conſeruandam,] quæ propoſitio, vt dixi, euidens eſt ex perpetua perſuaſione vniuerſali Eccleſiæ Catholicæ : ergo certum etiam eſt, verum eſſe oppoſitum contradictorium antecedentis. Sed illud antecedens conflatum ex maiori, quoad minorem eſt certiſſimum, vt ex terminis patet : ergo certò falſum eſt quoad maiorem, quæ aſſerit, probabile eſſe, quod Eccleſia non poſſit præcipere externa propter internum finem.

CAPVT V.

Eadem aſſertio aliis argumentis oſtenditur.

Cùm præcipitur externus propter internum, nihil internum præcipitur.

Cùm mediũ præcipitur propter finẽ, non præcipitur finis.

PRobatur quartò concluſio. Quando Eccleſia præcipit actum externum in ordine ad internum, quidquid præcipit, eſt externum : ergo poteſt ita præcipere. Probatur conſequentia, quia id, quod non præcipitur, quid intereſt, quod non ſit externum ? Antecedens eſt Caramuelis, qui rectè docet, quando medium præcipitur propter aliquem finem, præcipi medium, non finem. Ita *in Theolog. Regul. n.722.* [Hîc obiter notandum eſt, Prælatum, cùm præcipit medium propter aliquem finem, non præcipere ipſum finem, neque entitatem abſolutam medij, ſed entitatem medij relatiuam, hoc eſt ipſum medium, quà tale.] Quod idem docuit *num.728.*

36. *Quomodo præcipiatur medium in ratione medij.*

Quod poſtremum vt rectè intelligas, aduerte, quando præcipitur v. g. ieiunium propter cuſtodiam caſtitatis, non præcipi, quod habeas intentionem referendi ieiunium ad Caſtitatem ; ſed ſolùm quod exerceas ieiunium, quando caſtitati prodeſt, vel prodeſſe poteſt. Quod terminis ſcholaſticis dicitur non præcipi vt medium reduplicatiuè, ſed vt medium ſpecificatiuè. Vnde fit, quod quidquid præcipitur, eſt externum. Nam ſi ieiunium præcipiatur propter cohibendas delectationes moroſas, hoc præcepto non obligamur ad eas delectationes cohibendas, ſed ſolùm ad opus externum ieiunij, quando videlicet habet proportionem ad illas cohibendas. Ieiunium autem quid externum eſt ; imò & proportio, quæ conſiſtit in potentia ad mortificandam carnem: hac enim mortificata illæ compeſcuntur. Potentia autem ad mortificandam carnem, eſt quid externum, vtpote cum ieiunio identificatum.

Probatur quintò. Illud poteſt Eccleſia præcipere, de quo poteſt iudicare, & cuius defectum poteſt cognoſcere, & punire : ſed cùm præciperet ieiunium propter cohibendas delectationes ſenſibiles internas, poſſet de hoc iudicare, & eius defectum cognoſcere, & punire : ergo reipſâ poteſt ita ieiunium præcipere in ordine ad eum finem internum. Conſidera ſingulatim, & perpende omnes ſyllogiſmi propoſitiones, & animaduertes, omnes eſſe certas. In primis enim conſequentia legitimè infertur. Maior verò manifeſta eſt : ratio enim, ob quam excluduntur actus interni à materia legum, eſt quia de illis vtpote omninò & per ſe occultis, non poteſt Eccleſia iudicare per iuriſdictionem coactiuam, ſiue punitiuam. Vnde vbi conſtiterit, tale eſſe præceptum, vt poſſit Eccleſia plenè de illo iudicare, & eius violationem cognoſcere & punire, non poterit ei obſtare, quod habeat aliquam circumſtantiam internam, ſi illa non impedit, quominus Eccleſia plenè iudicet de eius violatione. Minor verò etiam conſtat. Nam præceptum ieiunij datum propter cohibendas delectationes internas, tantummodo violaretur externa fractione ieiunij, non enim violaretur, ſi ieiunans præſtaret conſenſum delectationi internæ, neque ſi non haberet intentionem dirigendi ieiunium ad caſtitatem internam, vt conſtat ex dictis *num. præcedenti* : ergo cum tota eius violatio ſit externa, poſſet Eccleſia plenè iudicare de illa, & illam punire. 37. *Cum præcipit externum propter internum, poteſt de violatione iudicare.*

Probatur ſextò. Ex oppoſita doctrina infertur, probabile eſſe, quod nulla prorſus præcepta Eccleſiæ obligent : hoc eſt erroneum: ergo doctrina, ex qua id infertur, eſt abſurda, & pluſquam improbabilis. Probatur maior. Probabile eſt, quod omnia præcepta dirigit Eccleſia ad finem charitatis : iſte finis internus eſt : ergo probabile eſt, quod omnia Eccleſiæ præcepta diriguntur ad finem internũ. Sed præcepta, quæ diriguntur ad finem internum, non obligant, ſecundum Caramuelem : ergo nulla Eccleſiæ præcepta obligant. Sola maior eget probatione, vel potiùs explicatione, quæ ſic probatur ſimul, & explicatur. Credibile enim eſt, ſemper Eccleſiam in præceptis ſuis reſpicere illum finem, quem Chriſtus præfixit, quando illi poteſtatem contulit erga fideles, ſcilicet ducendi illos ad perfectionem vitæ Chriſtianæ : atqui perfectio vitæ Chriſtianæ conſiſtit in charitate : credibile ergo eſt Eccleſiam omnia ſua præcepta dirigere in finem charitatis. 38. *Abſurdum illatum ex oppoſita ſententia.* *Probabile eſt, quod omnia præcepta dirigit Eccleſia in finem charitatis in Deum.*

Confirmatur primò. Omnia enim præcepta Eccleſiæ ſunt media ad charitatem obtinendam ; omnia enim præcepta ſunt vel de actibus virtutum, vel de fuga vitiorum : quis autem dubitet, actus virtutum, & fugam vitiorum eſſe media ad charitatem obtinendam. Iam verò ſi omnia præcepta ſunt media ad charitatem obtinendam, & Eccleſia id potiſſimùm in ſuis fidelibus vehementer exoptat, vt perfectionem charitatis obtineant, vtpote mandatum ſibi à Chriſto potiſſimè commiſſum, valde credibile 39.

Digitized by Google

credibile eſt, quod ſemper dirigit ea media ad eum finem.

40. Exemplo rem confirmo. Eſt paterfamilias, qui vehementer deſiderat filiis diuitias relinquere, quibus commodam vitam degant, cuius deſiderium vehemens crebro ſermone amicis ſignificat. Cernitur iſte multa media adhibere ad congregandas diuitias. Quis non perſuadeat prudenter ſibi, iſtum habere pro fine in congregandis diuitiis ditationem filiorum? Cùm videamus deſiderium efficax, & media proportionata adhiberi; quis non credat, eum ordinare talia media ad talem finem, quem adeò deſiderat? Mater Eccleſia filiis ſuis vehementer exoptat theſaurum charitatis: videmus etiam operari multa, quæ media ſunt ad illum theſaurum comparandum, qualia ſunt præcepta, quæ illis imponit. Quis non credat, Matrem ordinare ea media ad theſaurum charitatis filiis comparandum, & præcepta ſua dirigere ad finem charitatis obtinendum?

41. Confirmatur ſecundò. Chriſtus dedit Eccleſię poteſtatem in ſuos fideles in ędificationem, vt loquitur D. Paulus 2. *Corinth.* 13. *verſ.* 10. ideſt, reſpiciendo ædificationem pro fine eius poteſtatis. Hæc autem ædificatio, ſecundùm Auguſtinum, eſt charitas: dedit ergo Chriſtus Eccleſiæ poteſtatem hanc in finem charitatis: ergo credibile eſt, quod Eccleſia in vſu eius poteſtatis reſpicit ſemper finem à Chriſto præfixum: ſed is finis eſt internus: ergo ſua poteſtate vti poteſt Eccleſia, dirigendo vſum eius in finem internum.

42. Et quidem nemo negare poteſt, his omnibus id ſaltem conuinci, quod videlicet probabile ſit, Eccleſiam in ſuis præceptis reſpicere ſemper finem charitatis, atque adeò finem internum. Si autem ſecundùm Caramuelem, præcepta Eccleſię, quæ reſpiciunt finem internum, non obligant; infertur manifeſtè, probabile eſſe, quod nulla Eccleſiæ præcepta obligant. Et quidem dubitari non poteſt, præceptum confeſſionis, & communionis annuæ (non ſolùm quà Chriſti præceptum eſt de ſubſtantia confeſſionis aliquando ponenda, ſed etiam quà Eccleſiæ præceptum eſt de non differendo plus quàm ſpatium vnius anni) reſpicere finem charitatis, qui internus eſt: dicere autem, præceptum confeſſionis, & communionis annuæ non obligare fideles, erroneum eſt, vt conſtat *ex diſp.* 13. *cap.* 8. ergo falſum eſt id, vnde tale abſurdum infertur.

CAPVT VI.

Validum eſſe præceptum non ingrediendi domum fœminæ ad vitandum delectationes internas, vt omninò certum ſtatuitur.

43. CAſus præſentis capitis eſt ille, in quo Prælatus videns, ſubditum ingredi ſolere domum fœminæ, in qua nulla occaſio eſt labendi in opera externa luxuriæ propter continuam frequentiam ingredientium; cognoſcit tamen, leuitatem fœminæ eam eſſe, vt proxima occaſio ſit labendi in delectationes internas. Negauit Caramuel, in hoc caſu validum eſſe præceptum Prælati prohibentis ingreſſum, eo quod præceptum dirigatur, tanquam ad finem, ad vitandos actus internos, qui ſunt extra ſphæram præcipientis. Eam tamen reſolutionem eſſe falſam, certò conſtat ex dictis capite præcedenti. Adhuc tamen in hoc caſu eſt ſpecialis ratio, qua ea reſolutio debelletur.

Et quidem, ſi præceptum eſſet non intrandi domum eius fœminæ propter vitandam occaſionem proximam labendi in delectationes internas, certum eſt, nec poteſt negari à Caramuele, illud præceptum eſſe validum. Probatur: materia præcepta eſt externa, & finis intentus eſt externus: ergo nihil obſtat, quominus præceptum ſit validum. Conſequentia patet, cùm ex eo ſolùm capite poſſet infirmari, quod reſpiceret finem internum. Prima pars antecedentis patet: quia materia præcepti eſt ingreſſus, qui eſt actus externus. Secunda verò pars non eſt minùs certa: nam finis prohibitionis eſt occaſio proxima labendi in delectationes internas, ſiue vitatio eius: hæc autem occaſio eſt aliquid externum, cùm ea occaſio diſtinguatur ab actibus internis; & nihil aliud ſit, quàm videre fœminam, & colloqui cum ea; & proportio viſus, & collocutionis cum excitatione delectationis internæ: ergo finis eius præcepti eſt externus. 44. *Finis eius præcepti eſt externus.* *Occaſio incidendi in voluptates internas, eſt aliquid externum.*

Hinc autem conuincitur, etiamſi præceptum in hunc tenorem verborum efformetur; [Præcipio tibi, ne ingrediaris domum fœminæ, vt ſic vites delectationes internas,] illud eſſe validum, eoque ſubditum ligari. Etenim præceptum in hanc formam diſpoſitum etiam habet pro fine fugam occaſionis proximæ labendi in delectationes internas: ſed, vt patet ex proximè dictis, fuga eius occaſionis eſt aliquid externum, ſicut & ipſa occaſio: ergo præceptum, etiam hoc modo diſpoſitum, habet finem externum: nihil ergo illi deeſt, vt ſit validum. Probatur maior, primò. Intentio Prælati, verbis declarata, ita præcipientis, eſt tollere à ſubdito occaſionem peccandi, ſiue verba formaliter exprimant occaſionem, ſiue æquiualenter, cùm ſenſus verborum attendendus ſit: ergo finis illius eſt tollere occaſionem, cùm intentio, & finis intentus idem ſint, quoad præſentem materiam attinet. 45. *Id præceptum ſemper tendit in fugam occaſionis externæ.*

Probatur ſecundò eadem maior. Quia in hoc præcepto, [Præcipio, ne ingrediaris domum fœminæ, ne labaris in delectationes internas,] deſunt aliqua verba, quæ neceſſariò ſupplenda ſunt ad perfectum ſenſum: quare enim domus fœminæ non eſt adeunda, niſi ne talis ingreſſus ſit cauſa labendi in eas delectationes: ergo ea verba ſupplenda ſunt, [ne ingreſſus ſit tibi cauſa labendi in delectationes internas:] ergo id præceptum, quamvis verbis non exprimat formaliter cauſam, vel occaſionem; in ſenſu continet talem cauſam; atque adeò finis illius eſt vitare cauſam, vel occaſionem: & cùm hæc ſit aliquid externum, tale præceptum pro fine habet aliquid externum. 46.

Digitized by Google

CAPVT VII.

Breuis reſolutio incidentis quæſtionis ; an lex humana poſſit directè præcipere actus internos?

47. *Quid ſit præcipi indirectè?*

PRæmitto primò, illud indirectè præcipi, quod eſt præſciſè neceſſarium ad implendum id, quod formaliter præcipitur. Si enim tibi præcipitur audire ſacrum, & non poſſis illud audire ſine voluntate interna, conſequenter hæc præcipitur indirectè. Quo pacto nemo negat, actus internos ab Eccleſia præcipi.

48. *Actus interni, externi, & mixti.*

Præmitto ſecundò, actus eſſe in triplici differentia, internos, externos, & mixtos: mixti enim ſunt, qui componuntur ex internis, & externis. Ita mendacium eſt actus mixtus, quia mendacium præter falſitatem exteriùs prolatam, includit, quod detur in mente conceptus aliter iudicans, quàm per verba manifeſtat. Item confeſſio Sacramentalis componitur ex actu externo pronuntiandi peccata coram confeſſario, & actibus internis contritionis, & propoſiti non peccandi.

49. *Conſtat, poſſe præcipi indirectè actus internos.*

Præmitto tertiò, legem humanam præcipere actus internos indirectè; cùm enim externi ſine internis fieri non poſſint, cùm præcipiuntur externi, indirectè manent præcepti intern.

50. Prima ſent.

Prima ſententia, eaque communis, docet, nulla lege humana poſſe præcipi actus internos. Ita D.Thom. 1.2. *quæſt.* 91. *art.* 4. & *quæſtione* 100. *art.* 9. Nauarr. *ſum. cap.* 27. *num.* 17. P.Suar. *lib.* 3. *de legib. cap.* 13. & *lib.* 4. *cap.* 12. P. Vaſquez 1.2. *diſp.* 160. *cap.* 2. & multi alij communiter.

Secũda ſent.

Secunda ſententia docet, actus mixtos poſſe præcipi, atque adeò actus internos iunctos cum externis. Ita P.Suar. *lib.* 4. *de legib. cap.* 13. P. Vaſquez *cit. cap.* 5. P. Caſtro Palao *tom.* 1. *tract.* 3. *diſp.* 1. *punct.* 6. *num.* 3. & alij apud ipſum. Tertia ſententia docet, actus internos, etiam per ſe ſolos, ſubiici legibus, præcipuè Eccleſiaſticis. Ita gloſſa *in cap. cogitationis, de Pœnit. diſt.* 1. Medina *cap. de oratione, quæſt.* 15. Roſella *verb. abſolutio* 1. *num.* 28. Caramuel *in Theolog. fundam. num.* 698.

51. *Eccleſia poteſt præcipere actus internos directè.*

Dico primò. Leges Eccleſiaſticæ poſſunt directè præcipere actus internos. Probatur primò. Poteſtas, quam Chriſtus Dominus dedit Petro, non eſt limitanda ſine vrgenti fundamento, cùm ea vniuerſaliſſima ſit; *Quidquid ligaueris ſuper terram*, &c. Sed non eſt vrgens fundamentum ad limitandam eam poteſtatem ad actus externos, vel ad mixtos: ergo ea poteſtas non eſt ita limitanda. Probatur minor. Ex dicendis enim conſtabit, quàm leue ſit fundamentum, quo nituntur Authores eam poteſtatem limitantes.

52.

Probatur ſecundò. Chriſtus contulit Petro hanc poteſtatem in ordine ad finem ſupernaturalem charitatis habendæ, & conſequendæ æternæ beatitudinis: ſed ad hunc finem multò magis conducunt actus interni, quàm externi; externi enim non ſunt meritorij per ſe ipſos (id eſt independẽter ab internis charitatis, & beatitudinis ſupernaturalis: ergo eredendum eſt, Chriſtum multò magis dediſſe poteſtatem Petro ad actus internos, vtpote potiora media ad finem ſupernaturalem, quàm ad externos.

53. *Poteſt præcipere ea, de quibus non poteſt iudicare.*

Probatur tertiò. Si propter aliquid non poſſet Eccleſia præcipere actus internos, maximè quia non iudicat de illis: ſed hæc ratio nulla eſt: ergo poteſt præcipere actus internos. Probatur primò minor, quia nulla eſt connexio inter poteſtatem directiuam, & coactiuam; optimè enim poteſt intelligi poteſtas præceptiua ſine punitiua, præcipuè in ordine ad finem ſupernaturalem, in ordine ad quem magis operatur conſcientia delicti, quàm ſupplicium; & homines deſiderantes finem ſupernaturalem beatitudinis, magis timent conſcientiam delicti, quàm temporale ſupplicium: poteſt ergo Eccleſia imponere legem in ordine ad finem ſupernaturalem, qua terreatur conſcientia, licèt non poſſit inferre ſupplicium pro violatione legis.

54.

Eadem minor probatur ſecundò. Quamvis Eccleſia non poſſit imponere pœnam pro delicto interno commiſſo, quia non poteſt illud cognoſcere; at poteſt inferre pœnam incurrendam in foro interno, vt cùm præcipit aliquid ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, quam ante aliam ſententiam incurrit committens delictum: ergo hoc pacto poteſt iudicare de interno: ergo ſi poteſt de illo iudicare, poteſt illum præcipere.

55. *Eccleſia de facto punit actum internum.*

Probatur tertiò eadem minor. Eccleſia de facto punit delictum internum commiſſum, etiam alio modo condiſtincto à cenſura: ergo poteſt iudicare de actu interno, atque adeò iudicare de illo. Probatur antecedens. Nam illi, qui occidit coniugem ſuum cum intentione aſſumendi alium coniugem determinatum, in pœnam delicti imponit Eccleſia impedimentum dirimens: ſed ea intentio eſt actus internus: ergo punit Eccleſia actum internum. Neque neceſſe eſt, intentionem poſſe exteriùs conſtare; quia cùm iſtud delictum (incurrendo impedimentum) non puniatur per ſententiam iudicis, quæ requirit cognitionem cauſæ, ſed per ipſam legem, quæ talem cognitionem non requirit, non eſt opus ad id, quod intentio exteriùs manifeſtetur. Vide Thom. Sanch. *lib.* 7. *de matrim. diſp.* 78. Iudicat ergo Eccleſia de actu interno, & punit illum. Textus autem, in quibus dicitur, Eccleſiam non iudicare de occultis, intelligendi ſunt per ſententiam iudicis, & cum cognitione delicti patrati.

56. *Poſſe præcipere actus mixtos, iam eſt certum.*

Probatur quartò concluſio. Eccleſia poteſt præcipere actus mixtos directè, vt tenent Authores plurimi, & conſtat iam euidenter poſt decretum Alexandri VII. vt conſtat *ex diſp.* 9. *cap.* 20. *art.* 12. ergo directè poteſt præcipere actus internos. Probatur conſequentia: nam licèt ad confeſſionem Sacramentalem requirantur confeſſio oris, & contritio; at cùm iſti duo actus ſint ſeparabiles, ad confeſſionem oris exercendam phyſicè, non eſt neceſſaria contritio: vnde cùm Eccleſia præcipit confeſſionem Sacramentalem, præcipit duos actus diſtinctos, & ſeparabiles, vt conſtat ex præfatis decretis ibidem; ergo præcipit, coniungi vnum actum externum, & vnum internum: ergo præcipit vnum internum ſeparabilem ab externo: ergo poteſt præcipere talem actum internum reipſa ſeparatum ab externo, cùm

inde

Digitized by Google

inde colligatur habere veram iuriſdictionem in illum.

57. Confirmatur. Eccleſia enim prohibet contractum, ſiue promiſſionem fictam ſponſalium, & matrimonij: ſed ibi non prohibet promiſſionem oris, ſed ſolam fictionem, ſiue animum fictum, qui eſt actus internus: ergo prohibet actum internum.

58. *Præcipit, quod Capellanus celebret pro fūdatore.* Probatur quintò. Eccleſia præcipit, quod Capellanus celebret Miſſas pro fundatore Capellaniæ; & de hac materia multa diſponit. De quo vide decretum Vrbani VIII. editum anno 1625. ſed dum præcipit, celebrare Miſſam pro fundatore, non ſolùm præcipit actum externum celebrationis, ſed etiam intentionem applicandi ſacrificium fundatori: qui duo actus, externus ſcilicet, & internus, ſunt ſeparabiles: ergo præcipit actum internum intentionis. *Ea intentio eſt actus internus.* Item prohibet Vrbanus VIII. ne Sacerdos vnam Miſſam applicet pro duobus erogantibus duas eleemoſynas adæquatas: ibi autem ſolùm prohibetur intentio applicandi Miſſam duobus; non enim prohibetur celebratio Miſſæ, quæ intentio eſt actus internus: ergo Eccleſia prohibet actus internos.

59. *Nō poſſe præcipi actus internos, etiam mixtos, eſt opinio antiquata.* Quomodo autem antiquata iam ſit opinio, quæ docet, non poſſe præcipere Eccleſiam actus internos, etiam mixtos; nempe ex decretis nouiſſimis Alexandri VII. conſtat *ex diſp. 9. cap. 20. art. 12. cit.*

60. *Regularibus poſſunt præcipi directè actus interni.* Dico ſecundò. Prælati Regulares ſpeciali titulo poſſunt præcipere actus internos. Pro quo ſuppono vt certum, votum extendi poſſe ad actus internos: quilibet enim poteſt promittere Deo actus virtutum internos, vt omnes admittunt. Hinc probatur concluſio. Religioſus voto obedientiæ ſe obligauit obedire Prælato ſecundum regulam: ſed regula multarum Religionum præcipit orationem mentalem, examen conſcientiæ frequens, & ſimiles actus internos: ergo per votum ſe obligauit ad obediendum Prælato quoad eos actus internos.

61. *An leges ciuiles extendantur ad actus internos?* De ciuilibus legibus nihil in præſenti decerno. Fortè probabilius eſt, non poſſe extendi ad actus internos. Eſt enim magna diſparitas inter leges ciuiles, & canonicas: hæ enim habent pro fine charitatem, & beatitudinem ſupernaturalem, ad quam principaliora media ſunt actus interni virtutum. Leges autem ciuiles ſolùm habent pro fine pacem ciuium, & regimen politicum, ad quod ſufficit rectè componere actiones externas.

DISPVTATIO XXVI.

An in præceptis Eccleſiaſticis gubernari debeamus per horologia ſonantia?

CAPVT PRIMVM.

Singulare placitum Caramuelis.

1. VERBISSIME' fero, in materiis ad conſcientiā ſpectantibus ea dici euidentia, & demonſtrabilia, quæ vix ſpeciem probabilitatis attingunt. Id ita præcipuè aſſero propter ea, quæ Caramuel *in Theolog. fundamentali, fundam.* 10. *à num.* 340. diſſeruit: vbi loquens de præceptis Eccleſiaſticis reſpicientibus tempus, annos, dies, & horas, vehementer inuehitur in eos Authores, qui horologiis ſonantibus, eorum ſonitu præcisè reguntur, noſque præcisè gubernari præcipiunt: ſiue dicant, mediam noctem computandam ex priori horologio, ideſt, ex eo, quod priùs ſonat; ſiue dicant, poſſe computari ex ſonitu cuiuſlibet prioris, vel poſterioris; tanquam in eos, qui docent euidenter falſa. Nam cùm prolixa præfatione execrauerit eos, qui *arrogantiam tyrannicam* exercent in intellectus hominum, ideſt, qui volunt opiniones ſuas ſine contradictione teneri, & ſolùm ex libris, & Authoribus veritatem erui, totum increpationis virus in Authores earum opinionum euomuit, quæ ſuſtinent, ſtandum eſſe in obſeruatione legum, & acquieſcendum omninò horologiis ſonantibus. Ita enim ait *num.* 341. [Acturo de opinionibus communibus, quæ vulgò iudicantur probabiles, quæ tamen mera *indoctorum ignorantia* ſubſiſtunt; primò ſuccurrit illa, quæ horologia tuetur, qua *nulla falſior eſt, & indignior.*]

Igitur vt det nobis doctrinam non *mera indoctorum ignorantia ſubſiſtentem*, qualem præcedentes omnes Doctores tradiderant; ſed euidentem & demonſtrabilem, hanc ſtatuit concluſionem *num.* 356. quam priùs tradiderat *diſp.* 101. *in Regul. num.* 1328. eiſdem ferè terminis formalibus: niſi quod *in Theolog. fundam.* in editione anni 1657. typographus omiſit tria verba, quæ ſenſum reddunt mutilum. Quare ex loco commentarij in Regulam huc transferre placuit. Quæ ſic ſe habet: [Horologia accurata horæ quadrante à veritate ſæpius deuiant. Imò dum actualiter hæc ſcribo in noſtro Dunenſi Monaſterio ſito intra mœnia ciuitatis Brugenſis, experior tribus quadrantibus aliquot horologia, quæ bene regulata dicuntur, ab aliis diſſidere. Ergo temerarius non erit, qui cenſuerit, vrbis horologia, quæ à ſtolidis ſæpius diriguntur, integro quadrante exorbitare. Ideò quadrante horæ antequam ſonet duodecima, incipit dies ſequens probabiliter; & æquè probabiliter antecedens dies finitur quadrante poſtquam ſonuerit hora. Qui in pago, aut in eremo fuerit, vbi ſolum eſt vnum horologium bene regulatum, probabiliter poteſt credere, illud pluſquam horæ quadrante à veritate exorbitare.] 2.

Cùm ſonat 12. eſſe probabiliter vnū quadrantem ante 12. & eſſe probabiliter vnū quadrantem poſt duodecimam.

Incidit in hanc reſolutionem Antonius Diana *part.* 7. *tract.* 11. *reſol.* 15. (vt refert ipſe Caramuel *eo fund.* 10. *num.* 376.) & de illa hoc fert iudicium. [Hæc opinio videtur communiter reprobata à Doctoribus, dum loquuntur de præcepto horarum canonicarum, de præcepto ieiunij, feſtorum obſeruatione, & ſimilibus. Ex illa enim ſequeretur, quod quis ſtatim poſt horam duodecimam noctis poſſet Completorium dicere, & ſatisfacere præcepto horarum canonicarum; vel poſſet comedere carnes, & obſeruare ieiunium, imò manè communionem ſumere, & ſatisfacere præcepto ieiunij naturalis pro ſumptione Euchariſtiæ. Et tamen Doctores controuertunt, vt alibi viſum eſt, ſi etiam dato primo ictu horæ duodecimæ, media 3.

Digitized by Google

media nox dicenda ſit elapſa; ita vt præcepta præteriti diei, vel futuri dicantur elapſa, vel incepta: & omnes concordant, quod finito vltimo pulſu horæ duodecimæ exſpirent, & incipiant præcepta affixa diebus.]

4. Et *num.* 377. hæc addit Caramuel: [Sed quid hic Caramuel dicet, facietve vniuerſis oppoſitus? An ſe tuebitur nomine Paſqualigi viri doctiſſimi, qui *deciſ.* 238. *num.* 6. *& ſequentibus*, ſuam ſententiam propugnat? Minime. Sed ſuam dicet *tam certam, tam claram, & tam demonſtratam*, vt nec Paſqualigi, nec alterius authoritate indigeat, ſi ſinceritas adſit. Sed ſingularis eſt Caramuelis ſententia, ais; ſiquidem, teſte Diana, vniuerſis oppoſita. Sed quid inde? Non dicit Caramuel, eam non eſſe ſingularem, ſed eſſe *euidenter veram, & futuram communem, & vnicam in ſcholis*, ſi eius fundamenta legantur.]

5. *Qui quadrante post 12. noctis comedit, poſſe communicare manè.*

Et ſic in ſimilibus.

In ea ergo quæſtione, an qui poſt vltimum pulſum vltimi horologij, & toto quadrante ſequenti comedit, poſſit die ſequenti ſacram communionem accipere; ſecundum Caramuelem dicendum eſt, illum quidem poſſe ad ſacram Synaxim accedere: & ſic in ſimilibus quæſtionibus, quia probabile eſt, quadrantem ſubſequentem pertinere ad diem antecedentem. Hæc eſt ſententia Caramuelis *tam certa, tam clara, & tam demonſtrata, vt nullius authoritate indigeat*; vtpote *euidenter vera, & futura communis, & vnica in ſcholis*. Et quamuis in fine quæſtionis videatur hanc ſententiam deſerere, modò eos textus non refero, quia ſuis in locis eos proponam.

6. Si qua diſputatio eſt in toto hoc volumine, in qua accuratam lectoris mei attentionem deſidero, hæc eſt. Duo ergo in hac diſputatione proponenda ſunt. Primum. Oſtendam manifeſtè omnia fundamenta huius ſententiæ inania eſſe, contra Dialecticam euidenter peccare, & mera æquiuocatione ſubniti. Secundum. Certiſſimum eſſe, oſtendam, horologiis ſonantibus bene regulatis præciſè ſtandum eſſe, non excluſis ſolaribus.

CAPVT II.

Fundamenta eius ſententiæ vocantur ad criſim.

ARTICVLVS I.

Criſis primi argumenti.

7. PRimum argumentum pro hac ſententia eſt id, quod ſuprà retuli *num.* 2. in ipſa concluſione. Cuius propoſitiones iterum referam, cum notariunculis, quæ lectorem manuducant ad fallaciam argumenti dignoſcendam.

8. Ecce concluſionem. [Horologia accurata horæ quadrante *à veritate* ſæpius deuiant.] Nota, in illo termino *à veritate*, diſiunctionem contineri. Ideſt, vel verſus horam antecedentem, vel verſus horam ſubſequentem.

9. Inde colligit hanc conſequentiam: [Ergo temerarius non erit, qui cenſuerit, vrbis horologia integro quadrante exorbitare. Nota has tres propoſitiones ſequentes. Primam: [Non erit temerarius, qui cùm ſonuerit hora duodecima, dicat: *Nunc eſt hora duodecima, vno quadrante plus, vel vno quadrante minus.*] Secundam: [Erit temerarius, qui dicat: *Nunc eſt hora duodecima, vno quadrante plus.*] Tertiam. [Erit temerarius, qui dicat: *Nunc eſt hora duodecima, vno quadrante minus.*] Infero: ergo ſola diſiunctiua eſt probabilis: ergo neutra ſeorſim eſt probabilis.

Vide ergo, quàm illegitimè inferat, & quàm contra Dialecticam, hanc conſequentiam. [Ideò quadrante horæ, anteqnam ſonet duodecima, incipit dies ſequens probabiliter; & æquè probabiliter antecedens dies finitur quadrante poſtquam ſonuerit hora.] Et quidem ex iis breuiſſimis notationibus ſatis intelligitur fallacia, & æquiuocatio argumenti. Eam tamen dilucidiùs ſic. 10.

Aperio primò. Ille, qui arguit à diſiunctiua ad vnam partem determinatam diſiuncti, peccat contra Dialecticam: hoc argumentum arguit à diſiunctiua ad vnam partem determinatam diſiuncti: ergo hoc argumentum peccat contra Dialecticam. 11.

Peccat contra Logicam, qui arguit à diſiunctiua ad vnam partē diſiuncti.

Conſequentiam non negabis; eſt enim in tertio modo primæ figuræ. Maiori nihil euidentius in Dialectica. Minorem oſtendo primò. Quodlibet enim antecedens in argumento aſſumptum eſt propoſitio æquiualens diſiunctiuæ; quæ ſi non ſumatur in ſenſu diſiunctiuo, ſubſiſtere non poteſt. In primis enim illa prima propoſitio: [Horologia accurata horæ quadrante à veritate ſæpiùs deuiant,] in hoc ſenſu eſt vera: [Horologia accurata à veritate deuiant vel vno quadrante poſt horam mathematicam, vel vno quadrante ante horam mathematicam.] Quod ſi tollas ſenſum diſiunctiuum, & exprimas vnam partem determinatam ſic, [Horologia accurata à veritate deuiant vno quadrante poſt horam mathematicam,] & inde inferas: [ergo horologium hic & nunc deuiat vno quadrante poſt horam mathematicam;] id antecedens nullo penitus fundamento probabis. 12.

Id argumentum procedit à diſiunctiua ad vnā partem diſiuncti.

Tum ſic. Illa prima propoſitio eſt diſiunctiua: & ab illa ſumis argumentum ad quamlibet partem determinatam ſeorſim, cùm quamlibet ſeorſim dicas eſſe probabilem: ergo in eo argumento procedis à tota diſiunctiua ad partem vnamquamlibet determinatam. 13.

Similiter altera propoſitio: [Ergo temerarius non erit, qui cenſuerit, vrbis horologia integro quadrante exorbitare; ſenſum habet diſiunctiuum, ſi eſt probabilis, vel certa, nempe iſtum: [Temerarius non erit, qui cenſuerit, horologium exorbitare, vel integro quadrante poſt horam mathematicam, vel integro quadrante ante horam mathematicam.] Inde autem colligit argumentum, quamlibet partem determinatam ſeorſim prudenter iudicari, & non temerè: ergo procedit argumentum à diſiunctiua ad quamlibet partem determinatam diſiuncti. 14.

Oſtendo ſecundò eandem minorem. Aſſeris enim, poſt duodecimam horam noctis in horologio ſonantem, toto quadrante ſequenti te poſſe cœnare, & die ſequenti Sacram ſynaxim ſuſcipere. Quare? Quia probabile eſt, inquis, quod totus ille quadrans pertinet ad diem præcedentem; 15.

cedentem;

cedentem; ſiue quia prudenter, & non temerè iudicatur, horologium ſonuiſſe vno quadrante ante horam duodecimam mathematicam. Sed vnde colligis, horologium ſonuiſſe vno quadrante ante horam duodecimam mathematicam? Reſpondes: Quia nunquam, aut ferè nunquam horologium correſpondet exactè horæ mathematicæ, ſed ſemper, aut ferè ſemper, vel poſt horam mathematicam, vel ante horam mathematicam. Lege totum diſcurſum Caramuelis, & in eo reperies millies repetitam hanc rationem. Ergo aſſerit horologium ſonuiſſe vno quadrante ante duodecimam mathematicam, & id eſſe probabile; quia ſemper horologium ſonat vel poſt horam mathematicam, vel ante horam mathematicam: ergo concluſionem determinatam, vnam ſcilicet partem diſiuncti, colligit ex propoſitione diſiunctiua.

16. *A diſiunctiua, negata vna parte, valet ad alteram.*

Eandem argumenti fallaciam aperio ſecundò. Vt valeat conſequentia à diſiunctiua ad vnam partem determinatam diſiuncti, opus eſt negare alteram diſiuncti partem, vt eſt euidens Dialecticæ regula. Ita bene valet: [Petrus currit, vel ſedet: ſed non currit: ergo ſedet.] Sed quando ſonat hora duodecima, dicitur, horam ſonantem exorbitare vno quadrante ab hora cæleſti; quæ propoſitio affert ſenſum diſiunctiuum, ideſt, [vel vno quadrante ante horam cæleſtem, vel vno quadrante poſt horam cæleſtem:] ergo vt inferatur iſta propoſitio, [Nunc eſt hora duodecima vno quadrante minùs,] neceſſe eſt, quod negetur altera pars diſiuncti, adeóque vera ſit hæc negatiua, [Nunc non eſt hora duodecima vno quadrante plus.]

17. *In hac diſiunctiua, temerè negatur altera pars.*

Admittis vt veram hanc negatiuam? Quo fundamento? Proba mihi tantillo fundamento; & dicam, illud eſſe grauiſſimum. Sed quia probare non potes, malè ex propoſitione diſiunctiua arguis ad vnamquamlibet partem determinatam. Et ſi temerarius non es, dum dicis, horam ſonantem diſtare à cæleſti vno quadrante plus, vel vno quadrante minùs; tamen temerarius es, dum aſſeris diſtare ab hora cæleſti vno quadrante minùs. Atqui dum dicis, cœnantem vno quadrante poſt duodecimam noctis ſonantem, poſſe communicare die ſequenti, aſſeris determinatè, horam duodecimam deuiare à cæleſti vno quadrante minùs: ergo temerarius es, dum aſſeris, eo tempore cœnantem poſſe communicare die ſequenti.

18. Hinc collige, quantum olei, & operæ perdiderit Author, quantum chartæ, & atramenti, in ea congerie experimentorum, quæ prolixè congeſſit ad probandum euidenter, quod horologia bene regulata ſemper exorbitant ab hora mathematica. Id enim illi abſque vlla probatione daremus. Neque ad id fatendum neceſſarium eſt recurrere ad exquiſita illa experimenta mathematica, cùm quotidie videamus, horologij pulſum ab ipſo ſolari horologio deuiare, nedum à cæleſti. Hinc etiam vehementer admiramur, quòd ita acriter inuehatur Caramuel in Authores oppoſitæ ſententiæ, qui docent, regulandas eſſe actiones præceptas ex ſonitu horologiorum, quaſi doceant, horologia nihil omnino deuiare ab hora cæleſti; cùm quotidie auribus percipiamus, horologia diſſidere inter ſe: ex quo euidentiſſimè colligitur, aliquod eorum diſſidere debere ab vno tertio, ideſt, ab hora cæleſti. Solùm ergo docent Authores, ex conſuetudine Eccleſiaſtica ſonitum horologiorum firmiter attendi; quamvis ipſa horologia non adhæreant firmiter horæ cæleſti.

Sunt autem multi textus Caramuelis, in quibus ita in eos Authores inuehitur. Ita *in eo fundam.* 10. *num.* 354. [Vnde non poſſum ſine admiratione legere Iuniorum aliquot reſolutiones, qui horologiis fidem neceſſariò adhibendam ſupponunt.] Et *num.* 368. cum multa experimenta propoſuiſſet incertitudinis horologiorum, ſubdit: [Hæc poſſunt omnino ſufficere, ſi à Doctis accuratè legantur. Attamen tanta eſt vnius præiudicij potentia, vt nec ſic quieſcant aliqui puri Theologi, qui neſcire volunt, quanta ſit automatum incertitudo. Hanc ergo ob cauſam, vt meam opinionem firmarem, doctos conſului, ſi fortè illis crederent, qui ſuis propriis oculis & auribus ſemper decredunt.] Et *num.* 381. cùm plura alia experimenta eiuſmodi produxiſſet, ait: [Dediſcant igitur præſcriptum ſuum errorem, quotquot automatis nimium confidunt: & in Aſtronomica materia, quam non examinarunt, Aſtronomorum oculis, & demonſtrationibus tandem aliquando ſubſcribant.] Et *num.* 383. [Valebam hîc calamum ponere: ſed quia dantur ingenia mirabilia, quæ neque ſuis, neque alienis oculis credere volunt, ſed malunt errores aliquos tueri, quàm notam fateri veritatem, non grauabor,] &c. 19.

Vide quàm iniquè attribuat Doctoribus Theologis aſſertionem, quam nunquam cogitarunt: quorum ne vnus quidem dixit, horam ſonantem certò correſpondere horæ cæleſti; quorum plures aſſeruerunt, ob incertitudinem, qua inter ſe diſſonant horologia, eſſe teſtes probabiliter loquentes. Vide quàm immeritò eis iubeat, vt dediſcant præſcriptum ſuum errorem. Dediſcat potiùs Caramuel præſcriptam ſuam opinionem, qua attribuit Authoribus ea, quæ ne ſomniarunt quidem. 20.

Articvlvs II.

Criſis ſecundi argumenti.

Secundum argumentum proponit *num.* 378. poſtquam retulerat cenſuram Dianæ poſitam ſuprà *num.* 3. & cenſuram propriæ doctrinæ, qua illam appellat *certam, claram, & demonſtratam, & eſſe euidenter veram, & futuram communem & vnicam in ſcholis, ſi eius fundamenta legantur:* & immediatè ſubiungit hoc argumentum: [Sonat horologium vrbis duodecimam, & dicit Petrus; *Nunc in hoc inſtanti A, eſt duodecima: hoc inſtans A, eſt finis præcedentis diei, & ſequentis initium.* Et peto à Diana, vtrum hæc propoſitio ſit per ſe nota? vtrum ſit demonſtrabilis? vtrum ſit probabiliter vera? vtrum ſit falſa? vel tandem, in quo ipſa gradu certitudinis, vel incertitudinis ponenda ſit? Et quia meus doctiſſimus Diana multùm diſtat, expectaturus, quid illi reſpondere placeat, meam mentem expendo, & reſpondeo. Dico primò: Hæc propoſitio, *Nunc eſt hora duodecima*; quæ cenſuræ ſubiicitur, non eſt per ſe nota, vel vt alij loquuntur, veritatis æternæ; non enim eſt neceſſaria, ſed contingens, 21.

gens, quæ poteſt aliter ſe habere, ac forſitan aliter ſe habet. Sed nec eſt demonſtrabilis, vel demonſtranda; qui enim Dialecticus ſyllogiſmum formauerit in forma legitima, qui ex per ſe notis inferat illam propoſitionem, erit mihi magnus Apollo. Ergo vel erit falſa, vel ſolùm probabiliter vera. Sanè certò falſa non eſt: ergo merè probabilis, ſi illud *Nunc*, ſumatur pro inſtanti aliquo moraliter laxo, putà pro integro primo minuto. Nam ſi ſumatur pro inſtanti mathematico (imò ſi ſumatur pro ſecundo temporis) erit falſa certò moraliter. Quod ſic oſtendo.] Proſequitur probans hanc poſtremam propoſitionem. Quæ probatio, quia non conducit ad punctum ſcopi præcipui de differendo, vel anteponendo vnum horæ quadrantem, modò omitto, poſteà ad illud rediturus.

22. Deinde immediatè enumerat horologiorum ſonantium defectus, ratione quorum deuiant ab hora cæleſti. Et immediatè in hanc conſequentiam deſinit: [Dediſcant igitur præſcriptum ſuum erroneum, quotquot automatis nimium confidunt, & in Aſtronomica materia, quam non examinarunt, Aſtronomorum oculis, & demonſtrationibus aliquando ſubſcribant. Et quando ſonat noctu duodecima, dicant nobiſcum: *Nunc eſt media nox, aliquibus minutis plus minùs.*

23. Hæccine eſt Herculea ratio, quæ immani claua atterit hoſtem? Hæccine eſt illa, quæ *tam certam, tam claram, & tam demonſtratam reddit concluſionem?* Nota cum Grammaticis, quod *Plus minùs*, ſignificat, *vel plus, vel minùs.* Et nota cum Caramuele, non eſſe dicendum, *Nunc eſt media nox, aliquibus minutis minùs*; ſed, *aliquibus minutis plus, vel minùs.* Nota iterum cum Caramuele, non eſſe dicendum, *Nunc eſt media nox, aliquibus minutis plus*; ſed dicendum, *Nunc eſt media nox, aliquibus minutis plus, vel minùs.*

24. Illam mera æquiuocatione ſubniti, oſtendo primò. Cùm ſonat horologium duodecimam noctis horam, nemo prudens dicit aſſertiuè, *Nunc eſt media nox, aliquibus minutis minùs:* nemo prudens dicit aſſertiuè, *Nunc eſt media nox, vno quadrante minùs:* ſed non poteſt eſſe probabile, quod poſt duodecimam ſonantem reſtat adhuc vnus quadrans ante mediam noctem, niſi prudens dicere poſſit aſſertiuè, *Nunc eſt media nox vno quadrante minùs:* ergo cùm ſonat horologium duodecimam noctis horam, non eſt probabile, quod reſtat adhuc vnus quandrans ante mediam noctam.

Non eſt probabilis vna pars determinata disiunctiua.

25. Conſequentia ligat, quia in hypothetica aſſerente requiſitum omninò neceſſarium ad aliquid, negato requiſito, negatur illud aliquid. Vt ſi dicas: [Petrus non poteſt currere, niſi habeat pedes: non habet pedes: ergo non poteſt currere.] Et vi formæ eodem modo vrget hæc conſequentia: [Petrus non poteſt currere, niſi habeat capillos: ſed non habet capillos: ergo non poteſt currere.] Quod contingit in hoc ſyllogiſmo. Secunda enim propoſitio eſt hypothetica, quæ, vt ille quadrans ſuperaddendus ſit probabiliter, dicit, eſſe neceſſarium illud iudicium prudentis. Prima verò propoſitio aſſerit, deficere illud iudicium prudentis, quod dicebatur requiſitum neceſſarium.

Minor eſt euidens, & ferè identica, quia vt aliquid ſit probabile, iudicio prudentis tale eſſe debet: & quidquid eſt probabile, prudens poteſt illud aſſertiuè proferre. Et vbi prudens aliquid non poteſt aſſertiuè proferre, temerarius erit, & non prudens, ſi illud proferat: quod autem temerarius profert, nullo modo eſt probabile: ergo vt probabiliter dicas, quod poſt duodecimam ſonantem reſtat adhuc vnus quadrans ante mediam noctem, iudicium prudens debebit aſſerere, *Nunc eſt media nox, vno quadrante minùs:* vel, quod idem eſt, *Nunc quadrans reſtat ante mediam noctem.* 26.

Quod temerè aſſeris, non eſt probabile.

Maior verò euidenter colligitur ex argumento, & concluſione Caramuelis. Iuxta quem cùm ſonat hora noctis duodecima, non eſt dicendum, *Nunc eſt hora duodecima, aliquibus minutis minùs:* ſed, *Nunc eſt hora duodecima, aliquibus minutis plus, vel minùs.* Deinde, quia licet magnum fundamentum detur ad id aſſerendum, cùm ſonat hora duodecima, eſſe mediam noctem, vno quadrante plus, vel vno quadrante minus, nempe ſub disiunctione: atqui nullum penitus fundamentum datur ad aſſerendum determinatè, quod eſt media nox, vno quadrante minùs. Etenim quando eſt omnimoda contingentia, vt ſit vnus quadrans plus, & vt ſit vnus quadrans minùs, nihil eſt, quod determinet vnam partem; alioqui non eſſet omnimoda contingentia circa vtramque partem: ſed datur omnimoda contingentia, vt cùm horologium ſonat duodecimam noctis, ſit vnus quadrans plus, & vt ſit vnus quadrans minùs; (vel dic, quid eſt, quod determinet vnam partem potiùs quàm alteram:) ergo nihil eſt, quod determinet ad hanc partem, quod reſtet adhuc vnus quadrans ante mediam noctem: ergo hæc pars determinatè nullo fundamento nititur: ergo non erit prudens, ſed temerarius, qui dicat, *Nunc eſt media nox, vno quadrante minùs.* Ergo non eſt probabile, quod potes poſtponere cœnam vno quadrante, communicaturus die ſequenti. 27.

Contra Logicam arguit à disiunctiua ad vnã partem.

Oſtendo ſecundò, quid eſt, quod probat tandē hoc argumentum Caramuelis? Nullam enim propoſitionem eius argumenti negamus, qui defendimus, ſtandum eſſe horologiis in præceptis iniungentibus tales, aut tales horas. Imò neque vltimam conſequentiam negamus, nempe dicendum eſſe, quod non eſt media nox plus, vel minùs, loquendo de hora mathematica; nam de hora eccleſiaſtica, & practica, poſteà dicetur. 28.

Dices. Quamvis in ea conſequentia ſteterit Caramuel, dum id argumentum propoſuit; at ſubintelligendam aliam conſequentiam, quam priùs *num.* 356. ſtatuerat: nempe, probabile eſſe, quod tunc ſit vnus quadrans plus, & probabile eſſe, quod tunc ſit vnus quadrans minùs. 29.

Contrà. Ergo cùm quis dicit, *Petrus ſcribit, vel legit*; ex ea disiunctione rectè colliges: [Ergo probabile eſt, quod Petrus ſcribit;] & item: [Ergo probabile eſt, quod Petrus legit.] Si affirmas, edoce ergo nos iſtum arguendi modum à disiunctiua ad probabilitatem cuiuſlibet partis, quem Dialectici adhuc ignorant. Si negas: ergo negare etiam debes hanc conſequentiam: [Modò eſt duodecima plus, 30.

vel

Digitized by Google

vel minùs ergo probabile eſt, quod eſt duodecima, & aliquid plus;] & item: ergo probabile eſt, quod eſt duodecima, & aliquid minùs.] Vel aſſigna diſparitatē, quæ ſtatuat nobis aliam regulam dialecticam huc vſque ignoratam.

31. Dices iterum. Quando ſonat hora duodecima noctis, hæc propoſitio, *Nunc eſt media nox*, eſt dumtaxat probabiliter vera; ergo etiam oppoſita eſt probabiliter vera; ſcilicet *Nunc non eſt media nox*: quæ quidem ſolum erit probabiliter vera, non ratione longi interualli, ſed alicuius paruæ moræ: ergo etiam eſt probabile, quod eſt media nox paulò ante, vel quod eſt media nox paulò poſt.

32. Iterum redis ad diſiunctiuam, & nunquam ex diſiunctiua probas probabilitatem vnius partis determinatæ, nec probabis, donec Dialectica retinuerit præcepta ſua. Et ita fateor, eſſe probabile, quod ſit media nox mathematica paulo minùs, vel paulò poſt diſiunctiuè: ex quo malè colligis, eſſe probabilem quamlibet partem determinatè. Vt omittam, primam conſequentiam eſſe prauam, vt demonſtraui *diſp.* 2.

33. Oſtendo tertiò. Nam Diana relatus à Caramuele *n.* 376. dixit, hanc aſſertionem Caramuelis [videri communiter reprobatam à Doctoribus, dum loquuntur de præcepto horarum Canonicarum, de præcepto ieiunij,] &c. Ponamus claritatis gratiâ, exemplum in eo, qui die Sabbati abſtinet à carnibus, & vno quadrante ante ſonitum duodecimæ vult comedere carnes ex præſcripto Caramuelis, qui hanc aſſertionem fauorabilem dicit *certam, claram, & demonſtratam*. Vnde ergo demonſtratur, quod vno quadrante ante ſonitum duodecimæ poteſt comedere carnes? Reſpondet. Quia cùm ſonat duodecima, ſolùm eſt probabile, quod eſt media nox: & quia cùm ſonat duodecima, debemus dicere, *Nunc eſt media nox vno quadrante plus, vel vno quadrante minus*. Hoc eſt totum eius argumentum.

34. *Diſiunctiua ponit caſum in ſtatu meri dubij.* Tum ſic: hæc propoſitio ſolùm conſtituit in ſtatu dubij quamlibet partem ſeorſim: ſed in caſu dubij Petrus non poteſt comedere carnes pro die ſequenti: ergo vi eius argumenti Petrus non poteſt comedere carnes pro die ſequenti.

35. Conſequentia patet. Maior etiam ex dictis. Nam vi propoſitionis diſiunctiuæ nequit intellectus inclinare potius in vnam partem diſiuncti, quàm in alteram; hæret enim inter vtramque, cùm neutram determinatè in intellectu affirmet, ſed ſolùm particulam *vel*, & quod per illam ſignificatur.

36. Minor etiam conſtat, Dum enim dubium eſt, an aduenerit media nox, in qua ceſſat præceptum abſtinendi à carnibus, non ſtat poſſeſſio pro libertate, ſed pro præcepto. Nam præceptum eſt certum, & libertas præcepto coarctata, cùm incipit dubium. In dubio enim ſtandum eſſe pro poſſeſſione, ſæpe Caramuel admittit. Et qui hoc non admittit in aliis materiis à iuſtitia, fortiùs ligatur alia iuris regula, quod in dubiis tutior pars amplectenda eſt.

37. Vide cætera, quæ articulo præcedenti propoſui contra primum argumentum; militant enim pariter contra hoc ſecundum.

38. *Peſſima conſequentia.* Denique conſiderare oportet vim eius conſequentiæ, quam in argumento proponit. Vide *n.* 21. agens de hac propoſitione, *Nunc eſt hora duodecima*, ita ait: *Sanè certò falſa non eſt: ergo* merè probabilis. Quæ quidem conſequentia peſſima eſt, vel ſequentes conſequentiæ valent, *Hæc propoſitio: Turca domit, non eſt certò falſa: ergo eſt probabilis.* Item, *Hæc propoſitio: Crines Adami fuerunt rubri, non eſt certò falſa: ergo eſt probabilis.* Eſt ergo praua illa conſequentia, ſicut & iſtæ duæ; quia dari poſſunt propoſitiones, quæ nec certò falſæ ſint, nec probabiles. In qua claſſe reperiuntur iudicia temeraria, ſiue propoſitiones temerè, & ſine fundamento enunciatæ.

Dicendum ergo eſt, illam propoſitionem, *Nunc eſt hora duodecima noctis*, ſi loquatur de inſtanti, vel minuto mathematico, eſſe temerariam, ſiue abſque fundamento prolatam. Si autem loquatur de puncto horæ practicæ, dicetur poſteà in ſecunda parte huius diſputationis. 39.

ARTICVLVS III.

Criſis tertij argumenti.

TErtium argumentum eſt, quod proponit Caramuel *num.* 384. alia inſigni æquiuocatione notabile, Dixerat, vnum horæ quadrantem hinc & inde aſſignandum eſſe ad quamlibet horam ſonantem: [Non quod diſtantiores limites (aſſignare) non poſſimus, ſed quod nolimus, & tanta ſimus varietate contenti.] 40.

Hinc procedit ad argumentum. [Poſſe maiorem diſtantiam interponi, demonſtro clarè. Audio horam duodecimam, & inquiro à Diana, quæ ſit hora? Duodecimam eſſe reſpondet. Et peto iterum ab illo, vnde ſciat? An audebit, id quod dicit, iuramento firmare? Et ſi quidem id non audebit, certum eſt, ſuam reſponſionem eſſe incertam; certò enim vera firmari iuramento poſſunt. Eodem inſtanti ego dico: *Eſt duodecima, quindecim minutis plus minùs*. Hoc eſt, nec temporius eſt hora 11.45. nec tardius 12.15. (*quindecim conſtituunt vnum quadrantem.*) Quid mihi ipſe? Me errare. Et audebitne iurare, me decipi? Non puto, Ergo *omnia* ſunt incerta, debentque aut ad dubium, aut ad probabilitatem reduci. Non ad dubium, quia horologium bene gubernatum grauis authoritatis eſt, tametſi non ſit infallibilis: ergo manere debemus in notitia probabili; dicendumque, oppoſitam opinionem fulciri experientiæ defectu.] 41.

Omitto, quod in argumento oblitus eſt ſcopi propoſiti. Propoſuit enim demonſtrare, maiorem diſtantiam, quàm vnius quadrantis antecedentis, & vnius ſubſequentis poſſe interponi. Et argumentum ſolùm loquitur de diſtantia vnius quadrantis, ſiue quindecim minutorum antecedentium, & quindecim ſubſequentium. Tranſeo ad grauiorem defectum. 42.

Conſidera attentè periodum, & in illa eam orationem: *Ergo omnia ſunt incerta*. Quæ omnia? Sanè tria ſunt, de quibus loquitur: v.g. cùm horologium ſonat duodecimam noctis; primum eſt, quod, [Nunc eſt duodecima hora noctis:] ſecundum, quod [Nunc eſt duodecima hora, vno quadrante plus, vel vno quadrante minùs.] Tertium, quod [Nunc eſt duodecima hora, vno quadrante plus;] & item, quod [Nunc eſt duodecima vno quadrante minùs.] Hæc ſunt omnia, quæ vult Caramuel eſſe incerta, & probabilia. 43.

Hæc omnia, quia incerta, reducenda dicit vel ad dubium, vel ad probabilitatem; quia quæ incerta ſunt, vel ſunt dubia, vel probabilia. 44.

Digitized by Google

Quia horologium eſt grauis authoritatis, vtquid debet eſſe probabile, quod non dicit?

Addit, non eſſe reducenda ad dubium, ſed ad probabilitatem. Quare? Quia horologium bene gubernatum grauis authoritatis eſt. Attende obſecro. Horologium bene gubernatum grauis authoritatis eſt ad ea ſolùm, quæ dicit: an etiam ad ea, quæ non dicit? Sanè neque horologium, neque teſtis aliquis, etiam omni exceptione maior, eſt grauis authoritatis, niſi in iis, quæ dicit, & atteſtatur. Quid ergo eſt, quod dicit horologium, cùm ſonat duodecimam? *Nunc eſt hora duodecima.* Atteſtaturne amplius? Dicitne ſecũdam propoſitionem? nempe, *Nunc eſt hora duodecima vno quadrante plus, vel vno quadrante minus.* Nihil tale atteſtatur horologium, ſed ab experientia id colligitur. Quare ergo dicis, omnia ea eſſe incerta, eaque non eſſe reducenda ad dubiũ, ſed ad probabilitatem, propter grauem authoritatem horologij; cùm horologium non dicat ea omnia. Ergo vel horologium habet authoritatem ad ea, quæ non dicit; vel ea, quæ non dicit, non ſunt probabilia propter authoritatem horologij. Imò ea ſecunda propoſitio non ſolùm non eſt probabilis propter authoritatem horologij, ſed ſi quam probabilitatem habet, ea illi prouenit ob defectum authoritatis horologij, ſcilicet, quia experientia docet, quod ſæpiùs horologium aliter ſonat, quàm eſt.

45. Deinde neque horologium dicit alias duas propoſitiones, quæ ſine diſiunctione proferuntur, ſcilicet, *Nunc eſt duodecima hora, vno quadrante plus:* item, *Nunc eſt duodecima hora, vno quadrante minus.* Incertas dicis, quia oppoſitum non audebit iurare Diana. Sed tamen vis, non ad dubium, ſed ad probabilitatem reuocandas. Sed quare? quia *horologium bene gubernatum grauis authoritatis eſt.* Ergo vel horologium eſt grauis authoritatis in iis, quæ non dicit; vel illæ duæ propoſitiones non ſunt probabiles propter grauem authoritatem horologij. Sed non affers in argumento aliquid aliud, vnde non ad dubium, ſed ad probabilitatem reducantur, præter authoritatem grauem horologij: ergo cùm hæc authoritas horologij non interponatur in iſtis propoſitionibus, in hoc argumento nihil affertur, vnde iſtæ propoſitiones fiant probabiles.

46. Dices. In hoc argumento Caramuelis nõ afferuntur iſtæ duæ propoſitiones determinatè loquẽtes, cùm illas Author nõ ponat expreſsè; ſed ſolùm affertur ea propoſitio diſiunctiua, *Nunc eſt hora duodecima, vno quadrante plus, vel vno quadrante minus*; & hanc dicitur, non ad dubium, ſed ad probabilitatem eſſe reducendam.

47. Sed fruſtrà id reſpondes. Primò. Quia ſi non afferas illas duas propoſitiones in argumento, illud non eſt ad rem. Quid enim intereſt, quod ſit probabilis illa diſiunctiua, vt comeſtionem diei ſequentis poſſis in die ieiunij anteponere vno quadrante ante duodecimam ſonantem, ſi non euadit probabilis iſta propoſitio; *Nunc eſt hora duodecima, vno quadrante plus.*

48. Secundò. Quia, vt patet ex impugnatione facta, neque illa diſiunctiua redditur probabilis per authoritatem grauem horologij bene gubernati; cùm horologium non dicat propoſitionem diſiunctiuam, ſed dumtaxat dicat, *Nunc eſt hora duodecima.* Manet ergo certum, hoc argumento ab authoritate horologij deſumpto, nihil aliud remanere probabile, niſi quod *Nunc eſt hora duodecima*, quando horologiũ ſonat horam duodecimam; cùm deberet nobis oſtendere Caramuel, eſſe probabilem hãc propoſitionem, *Nunc eſt hora duodecima, vno quadrante plus.*

Vide ergo, in quo ſita ſit insignis argumenti æquiuocatio; cùm velit, omnia eſſe incerta, illa non ad dubium, ſed ad probabilitatem reuocat: omnia illa probabilia vult propter authoritatem grauem horologij bene gubernati, cùm horologium non dicat ea omnia. Debuit ergo diſtinguere argumentans ea, quæ horologium atteſtatur, ab illis quæ non atteſtatur. Nam quæ atteſtatur, fiunt probabilia eius authoritate, non ea, quæ non atteſtatur. Quia ergo non diſtinxit, æquiuocationem paſſus eſt. 49.

Et quidem illo argumento Caramuelis vires reſumit oppoſita ſententia cõtra illum. Etenim cùm horologium ſonat duodecimam, quod [Nunc ſit duodecima, vno quadrãte plus:] item quod [Nunc ſit duodecima vno quadrante minùs,] omnia ſunt incerta: ergo vel ad dubium, vel ad probabilitatem reducenda: ſed non ad probabilitatem: ergo ad merum dubium: ergo ſolùm eſt dubium, & nequiquam probabile, quod [Nunc ſit hora duodecima vno quadrante plus.] Quod autem non poſſint ad probabilitatem reduci, probatur. Nam ſecundùm Caramuelem non aliunde reducuntur ad probabilitatem, niſi quia horologium bene regulatum eſt grauis authoritatis: hoc autem, vt demonſtratum eſt, non dat authoritatem ei propoſitioni [Nunc eſt duodecima vno quadrante plus:] ergo hæc incertitudo nequit ad probabilitatem reduci. 50.

Articvlvs IV.

Criſis quarti argumenti.

Pro incertitudine horologiorum ſonantium laborans Author, multis conatur eam promouere, vt ex illa deducat tandem, poſſe probabiliter quamlibet horam reputari vno quadrante minutam, aut vno quadrante auctam. Inter alia *num.* 370. examinandas à Mathematicis proponit has quinque propoſitiones. [Prima. *Cùm auditur vndecima, nec eſt minùs quàm decima, nec plus quàm duodecima.* Secunda. *Cùm auditur vndecima, nec eſt minùs quàm medium vndecimæ, nec plus quàm medium duodecimæ.* Tertia. *Cùm auditur vndecima, nec eſt minus quàm decima hor. 45. nec plus quam vndecima hor. 15.* Quarta. *Cùm auditur vndecima, eſt hora vndecima, quatuor minutis tantummodò plus minùs.* Quinta. *Cùm auditur vndecima, eſt vndecima hora præciſè.* Et interrogo, in quanto certitudinis gradu ſingulas has poſitiones collocare poſſimus? hoc eſt, quænam ex illis ſit certa moraliter? quænam probabilis? quænam dubia? & tandem quænam ſit falſa?] Subdit iudicium Moreti Mathematici, qui primam dixit certam moraliter, de ſecunda dubitauit, quartam verò ſimilem cenſuit (videtur typorum error, loquitur enim de tertia) quintam riſu excepit. Deinde iudicium Ioannis Marij Mathematici, qui dixit, primam minorem certitudinem habere, quàm duas ſequentes: ſecundam dubiam: quintam certò moraliter falſam: quartam eſſe falſæ ſimilem: & tertiam debere vt probabilem admitti, quæ horam ſonantem dicit vno quadrante plus, vel vno quadrante minùs 51.

Digitized by Google

minùs diſſonare ab hora mathematica. Quæ omnia ſatis prolixè proſequitur, vt probet, eſſe probabile, quod poteſt differri actio præcepta vno quadrante poſt horam ſonantem, & quod poteſt anteverti vno quadrante ante illam.

52. Sed hæc omnia in articulis antecedentibus manifeſtè refutata ſunt. Et ſolùm pro extrema confuſione eius diſcurſus Caramuelis, reſtat exponere, tres illas priores propoſitiones, quibus vis ſui diſcurſus nititur, eſſe disiunctiuas quoad ſenſum. (Nã quartam eſſe disiunctiuam expreſsè & formaliter, & quintam non eſſe disiunctiuam, euidens eſt.) Hæc enim propoſitio, v. g. *Cùm auditur vndecima, nec eſt minùs quàm medium vndecimæ, nec pluſquàm medium duodecimæ:* habet hunc ſenſum; [Nunc eſt vndecima, vel media hora ante, vel media hora poſt.]

53. Quod in ſimilibus propoſitionibus apertè deprehenditur, v. g. in hac propoſitione, [Cùm audis in cohorte eſſe centum milites, nec ſunt pauciores quàm nonagintanouem, nec plures quàm centum & vnus;] quæ certiſſimè æquiualet disiunctiuæ huic: [In cohorte, in qua audis eſſe centum, vel ſunt centum, vel nonaginta nouem, vel centum & vnus.] Item in hac propoſitione, [Cùm audis decem Authores eſſe pro vna concluſione, nec ſunt plures quàm vndecim, nec pauciores, quàm nouem;] ſenſus eſt, [Cùm audis eſſe decem Authores, vel ſunt nouem, vel decem, vel vndecim.]

54. *Arguit à disiunctiua ad vnam partẽ, contra Logicam.* Cùm ergo conſtet, eas omnes propoſitiones eſſe disiunctiuas, & à disiunctiua ad partem ſolùm arguere poteſt quis mera æquiuocatione vacillans; dicendum, id argumentum, ſicut & cætera, & in caſſum laborare, & peccare in Dialecticam. Sicut enim, ſi propoſita hac enuntiatione, [Cùm audis decem Authores eſſe pro concluſione, nec ſunt plures quàm vndecim, nec pauciores quàm nouem,] inferres, [Ergo Authores ſunt vndecim,] peccares in Logicam, quia à disiunctiua ad determinatam argueres: ita & in hora contingit. Dic ergo, propoſitionem illam disiunctiuam de vno quadrante ſupperaddendo, vel auferendo disiunctiuè, ſonante hora, probabilem eſſe; propoſitionem verò determinatè loquentem de vno quadrante ſuperaddendo, non eſſe probabilem, ſed merè dubiam; & propoſitionem loquentem de vno quadrante auferendo, non eſſe probabilem, ſed dumtaxat dubiam.

CAPVT III.

Proponitur, & explicatur vera ſententia. Vbi, an Caramuel priorem reuocauerit?

55. *Certum eſt, attendendã eſſe horam ſonantẽ præcisè, pro hora legibus præſcripta.* CErtiſſima ſententia, & ante Caramuelem à nemine dubitata, eſt, in præceptis Eccleſiaſticis, quæ horam requirunt, attendendam eſſe præcisè horam ſonantem in horologio bene regulato; certiſſimè, ſi fuerit vnicum; & probabiliter in vnoquoque, ſi fuerit multiplex. Probabiliter, inquam: nam vnumquodque horologium probabiliter loquitur, ſecundùm communem ſententiam, in iis, in quibus non omnia horologia conueniunt. Et probabile eſt, quod vnumquodque probabiliter loquitur; nam etiam eſt probabile, quod vnumquodque dubiè loquitur in iis, in quibus non omnia horologia conueniunt, vt dicam *cap. 6.* & etiam eſt probabile, ſecundùm aliquos, primum adinſtar certi eſſe attendendum. Hoc ergo modo, & ſub hac explicatione certum eſt, attendendum eſſe ad horam ſonantem.

Sed non poſſum non vehementer admirari, 56.
Caramuelem, qui oppoſitam ſententiam tam certam, tam claram, tam demonſtratam aſſeruit, vt notauimus ſuprà *num. 4.* in fine eiuſdem quæſtionis Theologiæ fundamentalis, ſubſcripſiſſe tandem noſtræ ſententiæ. Sic enim habet *num. 396.* [Concluſio prima. Aliud eſt quærere horam cæleſtem, & mathematicam; & aliud Eccleſiaſticam, moralemque, iuxta quam debemus gubernari in praxi. Cùm agitur de mathematica horologiorum veracitate, ſtandum experientiæ eſt. Si quis haberet horologium, quod quoties cum cælo collatum, exactè reſpondere deprehenderetur, eidem ſtare deberet, & dies diſtinguere, non duodecimæ vltimo, ſed primo ictu.] In reliquis, quæ non reſpondent exactè cæleſti horæ, dicit, ſtandum eſſe experientiæ. Et deinde addit ſequentia: [Concluſio ſecunda. Cùm agitur de hora practica, (hoc eſt, morali, aut Eccleſiaſtica, iuxta quam actiones noſtras gubernare tenemur) reſpicere poterimus primum, vltimum, aut quodcunque horologium bene directum. Singula enim habent vim opinionis probabilis. Si vnicum ſit, illi erit ſtandum, quandiu non conſtet eius error: quia illud admittit conſuetudo Eccleſiaſtica tanquam arbitrum, iudicemque, vt horas ab horis diſtinguat.]

Quomodo autem hæc componenda ſint, non 57.
percipio. Nunquid hanc defendit vt probabilem, & oppoſitam vt euidentem? Sed hoc manifeſtam inuoluit contradictionem: implicat enim, è duobus contradictoriis vnam eſſe euidentem, & alteram non eſſe euidenter falſam. Nunquid hanc vt certam practicè, & oppoſitam vt certam ſpeculatiuè? Sed relege ſuprà *num. 3.* quod aſſerit Diana, illam aſſertionem Caramuelis de vno quadrante ſuperaddendo, & diminuendo ab hora horologio deſignata, eſſe communiter reprobatam in praxi de horis Canonicis, de ieiunio, & de feſtorum obſeruatione; & Caramuel è contrà dicit, ſuam ſententiam eſſe certam, claram, & demonſtratam. Quare neſcio quomodo de ſola ſpeculatione loqui poſſit.

Niſi fortè dicas, adhuc in hac praxi loqui 58.
eum de dictamine ſpeculatiuo, non de practico; id eſt, loqui ibi de non habenda præciſa attentione ad horologia, ſecluſa conſuetudine Eccleſiaſtica: at in poſtrema periodo loqui de hora practica, quæ attenditur ex conſuetudine Eccleſiaſtica, qua ad horologia præcisè attenditur, ſine additione alterius quadrantis ante, vel poſt horam ſonantem. Sed communiter non creditur, hanc eſſe mentem Caramuelis. Nam poſtquam propoſuit eam concluſionem ſecundam, vbi aſſeruit, ſi vnicum eſt horologium, illi ſtandum eſſe, *quia illud admittit conſuetudo Eccleſiaſtica, tanquam arbitrum, iudicemque, qui horas ab horis diſtinguat:* vbi videtur practicè ſtandum exactè pro hora, quæ illo vnico horologio deſignatur, immediatè poſt illa verba, ſubdit: [Ex diſcuſſis manifeſtè colligitur, caruiſſe notitia Aſtronomiæ Theologos, qui Eccleſiaſtica præcepta ad momenta tempotis

Digitized by Google

temporis reduxerunt. Ego enim poſt multos annos ſtudij & laboris Herculei vellem videre vnicum momentum deſignandum: certò enim ſcio à cælo illos aberraturos toto cælo. Hinc eſt, quod nullis caſibus aliter reſpondêdum ſit, quàm exiſtimant puri Theologi.] Sed ſi dixit Caramuel ex conſuetudine Eccleſiaſtica attendendum eſſe non ad momenta mathematica, ſed ad momenta practica, & Eccleſiaſtica, qualia per horologia deſignantur, & conſequenter Theologos ad illa attendentes non errare; cur iterum redit ad poſtulandum momenta mathematica, & ad coarguendum Theologos de inſcitia Aſtronomiæ. Alius me ſubtilior componat; ego enim inſipientiam meam fateor.

59. Sed & Franciſcus Verde in apologia nouiſſima, quam pro ipſius aſſertionibus edidit *num.* 488. adhuc putat, hanc eſſe ſententiam Caramuelis, ait enim: [Et ſubdo, veram mihi videri ſententiam Caramuelis, quam propugnat *à num.* 376. *vſque ad* 397. *fund.* 10. ſcilicet, quod licèt ſit vnum horologium bene regulatum, adhuc quis poteſt probabiliter credere per quadrantem à veritate deuiare; & ſic poteſt tenere, quod pro illo quadrante ſit, vel non ſit tranſlata media nox, poſt vltimum ictum horologij.] Cuius nullam affert confirmationem. Quod ſi interroges, an ſecundus iſte Author addat illi ſententiæ probabilitatem: interrogo & ego, an Author addat probabilitatem, dum ſolùm reperit aſſertionem, quam in alio ſcriptam reperit? Nam ſecundùm Caramuelem, & alios citatos *diſp.* 11. *cap.* 2. *art.* 4. qui ex aliis exſcribunt, non addunt probabilitatem, ſed in eodem gradu relinquunt ea, quæ ſcripſerunt.

60. Ab aliquibus cenſetur Caramuel priorem ſententiam reuocaſſe. Sed adhuc id mihi difficile eſt, cùm ſententiam priſtinam, & reuocationem exiſtimatam in eadem editione, & ſub eodem quæſtionis titulo continuerit. Quidquid illud ſit, ſi nobiſcum ſentit, plaudimus; ſi à noſtra ſententia, quæ certiſſima eſt, alienatur, impugnamus.

CAPVT IV.

Sententia propoſita roboratur.

61. IGitur certitudo præfatæ ſententiæ oſtenditur primò. In qualibet quæſtione, vel dubio præcepti Eccleſiaſtici, conſuetudo Eccleſiaſtica vniuerſalis, recepta ab omnibus tanquam obligatoria, habet tantam vim interpretandi præceptum, ac ſi lex ſcripta eam interpretationem expreſſiſſet: ſed datur conſuetudo Eccleſiaſtica recepta ab omnibus tanquam obligatoria, quæ pro præceptis Eccleſiaſticis deſignantibus horam, admiſit horologia bene regulata tanquam arbitros horarum: ergo hæc conſuetudo habet vim interpretandi præcepta horam præſcribentia, ita vt reſpiciantur horologia bene regulata tanquam arbitri horarum; idque eodem modo, ac ſi lex Eccleſiaſtica ſcripta, verbis expreſſis eam attentionem ad horologia præſcripſiſſet.

62. *Conſuetudo habet vim interpretandi*

Conſequentia ineuitabilis eſt. Maiorem tradit Caramuel *in Theolog. fund. n.* 764. *fund.* 31. his verbis: [Conſuetudo, & vſus communis Eccleſiæ eſt quædam *certiſſima*, & ſecuriſſima legis interpretatio.] Non ergo probabilis dumtaxat, ſed *certiſſima* regula eſt conſuetudo quoad vim interpretandi præcepta. Cuius maioris omnimodam certitudinem oſtendi *diſputat.* 23. *cap.* 4. *ex cap. Cùm dilectus, de conſuetudine.* Vbi dicitur: *Conſuetudo eſt optima legum interpres.* Nam cùm Eccleſia potuerit hanc interpretationem ſuis legibus adhibere, & de facto ſtatuerit, eam adhiberi; illa quidem interpretatio authentica eſt, vtpote à iure ſtatuta.

ſupra omnem probabilitatem.

Minor autem non eſt minùs indubitabilis. Sic enim in tota Eccleſia receptum eſt, vt ſi quis die ſequenti communicaturus ſit, ita ad ieiunium naturale reguletur, vt poſt ſonitum horologij (ſaltem poſtremi) indicantis mediam noctem, nemo audeat quidquam guſtare. Item in tota Eccleſia receptum eſt, vt qui hodie ieiunat, & iam ſemel comedit, & ientaculum conſuetudine inductum accepit, non audeat amplius comedere, ſaluo ieiunio, donec horologium indicauerit mediam noctem. Idem enenit in tota Eccleſia circa recitationem horarum minorum, ſiue diurnarum. Idem circa exercitium operum ſeruilium; & circa alia ſimilia. Quare prædicta conſuetudo euidens eſt euidentia facti. 63.

Conſuetudo Eccleſiaſtica reſpicit præcisè ſonitum horologij.

Nec poteſt dici, prædictam conſuetudinem vniuerſalem fundari in ignorantia iuris. Nam quamvis hæc exceptio poſſit habere locum contra conſuetudinem quoad effectum inducendi obligationem, de quo vide *diſp.* 23. *cap.* 5. *art.* 7. & 14. Quoad effectum tamen interpretandi legem ſcriptam, non poteſt id opponi contra conſuetudinem, vt conſtat ex eadem *diſput.* 23. *cap.* 4. *art.* 2. præcipuè *à num.* 15. 64.

Eſt inanis exceptio, quod conſuetudo fortè nitatur ignorantia iuris.

Deinde omnes Authores ante Caramuelem hanc conſuetudinem ſupponunt. Et cùm exiſtentia conſuetudinis ſit quæſtio de facto, illâ plenè probatâ ex teſtimonio concordi teſtium, vnus, vel alter contradicens nihil officit: nam ante illum teſtem erat plenè probata, & in ſuæ certitudinis poſſeſſione. Ergo cùm omnes Authores hanc conſuetudinem firmiter teneant, non obſtabit, quod vnus, vel alter illi poſteà contradicat. Imò ipſe Caramuel de ea conſuetudine deponit. Ait enim *in eo loco Theol. fund.* in concluſione ſecunda, relatâ *cap. præced.* [Illud (horologium bene directum) admittit conſuetudo Eccleſiaſtica tanquam arbitrum, iudicemque, vt horas ab horis diſtinguat:] & priùs dixerat *num.* 392. [Illis enim gubernari debebimus, vt dixi, quandiu eadem erroris non poſſint conuinci. Sic tenet fidelium conſuetudo, quæ eſt Eccleſiaſtici præcepti integerrima interpres.] Et ideò optimè Leander à Sanctiſſimo Sacram. *in quinque Eccleſiæ præcep. tract.* 5. *diſputat.* 6. *quæſt.* 27. ait: [Indicant tamen (horologia) horam, cui intendere Fideles debent ex præſcripto & conſuetudine Eccleſiæ. 65.

Confirmatur primò. Si propter aliquid non eſſet attendendus in vnico horologio ſonitus præciſus mediæ noctis, ne iam recitetur completorium, ne comedat carnes ieiunaturus die ſubingrediente, &c. maximè, quia horologium, quamvis bene regulatum aliquando exorbitat ab hora: ſed tale horologium ſolummodò exorbitat ab hora cæleſti & mathematica; non autem ab hora practica & Eccleſiaſtica: ergo nulla 66.

Horologium exorbitat ab hora cæleſti, non ab hora practica.

nulla eſt ratio, ob quam non ſit attendendus præciſè ille ſonitus horæ mediæ noctis.

67. Conſequentia patet, & maior eſt Caramuelis, qui omnes ſuas demonſtrationes eò dirigit. Minor etiam eſt manifeſta, cùm hora practica, & Eccleſiaſtica ſit illa, quam deſignat horologium, quamque admiſit conſuetudo Eccleſiaſtica ad actiones dirigendas, teſte ipſo Caramuele, qui vt vidimus, ait, quod horologium bene regulatum admiſit Eccleſiaſtica conſuetudo tanquam arbitrum horarum ad actiones præceptas.

68. *Hora practica quid diſtinctum eſt ab hora cœleſti.* Confirmatur ſecundò. Hora practica, & Eccleſiaſtica non eſt hora mathematica, vt ipſe Caramuel ſupponit, & diſtinguit: ergo ex eo quod erret horologium in hora mathematica, non infertur, quod erret in hora practica, & Eccleſiaſtica; imò cùm hora practica & Eccleſiaſtica ſit illa, quæ ſonat in horologio, vtpote admiſſa à conſuetudine Eccleſiaſtica; certiſſimum remanet, quod horologium non errat in hora practica, & Eccleſiaſtica. Ergo ad illam horam præciſè attendendum eſt ad regulandas actiones præceptas. Patet conſequentia. Quia vbi non eſt error horologij, non eſt ratio excludendi ſonitum illius ad actiones præceptas dirigendas.

CAPVT V.

Concluſio huius materiæ, & notationes nonnullæ.

69. PRo integra ergo comprehenſione, & concluſione huius materiæ, attentè aduertendum eſt, certitudinem noſtræ ſententiæ in duobus inconcuſſis cardinibus verti. Nam vel loqueris de hora mathematica & cæleſti, vel de hora practica & Eccleſiaſtica, iuxta quam iubentur regulari actiones. Primo quidem modo nunquam eſt probabile, quod audita hora mediæ noctis in horologio, illa eſt hora mediæ noctis, vno quadrante minùs; quia tunc nullum penitus eſt fundamentum, vt ſit vno quadrante minùs, potiùs quàm vno quadrante plus; & ita nullus prudens poteſt id determinatè aſſerere, & temerarius erit, ſi id determinatè aſſerat. Et ſolùm eſt probabilis disiunctiua propoſitio, quod tunc eſt hora mathematica mediæ noctis vno quadrante plus, vel vno quadrante minùs. Quæ disiunctiua non facit probabilem alteram partem determinatam disiuncti, & conſequenter neque vtramliber. Et quia id non aduertit Caramuel, incidit in tam grauem æquiuocationem. Quæ omnia indubitanter conſtant ex toto capite ſecundo, & quatuor eius articulis. Ex hoc ergo primo capite manet certiſſimum, quod vno quadrante antequam ſonet hora noctis duodecima, non poteſt ſuperaddi vnus quadrans, quaſi iam ſit hora duodecima cæleſtis; atque adeò non eſſe probabile, quod hodie ieiunans, poſſis iam comedere pro die ſequenti, neque quod poſſis iam recitare horas diurnas diei ſequentis; & ſi dies hodierna eſt Dominica, quod non poſſis vacare ſeruilibus abſque peccato (præcipuè ſi totum tempus pertinens ad paruitatem materiæ, vacaſti ſeruilibus) & ſic de ſimilibus aliis.

Loquendo de hora caleſti, cùm ſonat 12. non eſt probabile, quod eſt 12. vno quadrante plus.

70. *Loquendo de hora practica, cùm ſonat 12. certũ eſt, quod nec eſt plus, nec minus.* Loquendo autem de hora practica, & Eccleſiaſtica, iuxta quam actiones præceptas gubernare debemus, ex conſuetudine vniuerſali totius Eccleſiæ, quæ vbique gentium recepta eſt tanquam obligatoria, vtpote ex interprete authentica legum Eccleſiaſticarum; certiſſimum manet, attendendum eſſe modo explicato ad horologia ſonantia. Quæ enim gens eſt inter Catholicos, in qua audita hora mediæ noctis non ſit conſuetudo communicaturis, vt non amplius quidquam guſtent, tanquam quid maximè obligatorium?

71. *Pro horologiis ſolaribus ſtat etiam conſuetudo.* Notabis primò etiam horologia ſolaria, quæ non creduntur exorbitantia, admiſſa eſſe ex conſuetudine Eccleſiæ. Hæc autem in pauciſſimis præceptis locum habere ſolent; quia plures, & præcipuæ difficultates ſunt circa mediam noctem, & in præceptis incipientibus, & deſinentibus in media nocte; quia hæc finis antecedentis, & initium ſubſequentis diei eſt. Sed neque excludit conſuetudo Eccleſiaſtica horologia nocturna; ſi conſtet, illa non exorbitare nimis.

72. *Probabile eſt, vbi ſunt plura horologia, cuilibet poſſe attendi.* Notabis ſecundò, eſſe probabilem ſententiam communem, quæ docet, quando plura ſunt horologia, quodlibet eſſe ad inſtar teſtis facientis probabilitatem, atque adeò ſtari poſſe pro quolibet eorum, nec teneri te ſequi vnum potiùs, quàm aliud. Ratio eſt, quia conſuetudo Eccleſiaſtica ſolùm induxit (ex vi ſua interpretandi leges Eccleſiæ) obligationem attendendi horologia bene regulata; non autem attendendi vnum præ alio, vbi plura ſunt.

73. *Probabile, eſt conſeri mediã noctem, donec ſonat vltimus pulſus.* Notabis tertiò, eſſe probabilem ſententiam Patris Breſſeri *de Conſcientia lib.* 4. *cap.* 11. *n.* 107. quem ſequitur Leander à SS. Sacr. *tract.* 7. *de Euchar. diſp.* 5. *q.* 7. & apud ipſum P. Dicaſtillo, Narbona, Paſqualigus, & alij. Qui omnes aſſerunt, eum, qui ieiunaturus eſt die ſequenti ieiunio Eccleſiaſtico, vel obſeruaturus ieiunium naturale ad communionem ſacram, non teneri abſtinere à cibo, donec vltimus pulſus horæ duodecimæ noctis ſonet. Videtur enim hæc opinio ea ratione fulciri poſſe, quod cùm horologium accipiatur adinſtar teſtis, non videtur proferre ſuum teſtimonium, donec illud integrè indicauerit; ſicut non valet teſtimonium teſtificantis, vſquedum poſtrema verba ſuæ declarationis protulerit. Et quamvis per primum pulſum denotet, horam iam eſſe completam, at non denotat per primum pulſum, quota hora ſit completa. Quare ille primus pulſus non eſt ſufficiens ad notificandam horam illis, qui eam ignorant. Ad primum ergo pulſum impleta eſt hora, ſed nondum datum eſt ſignum ſufficienter illam deſignans: nam per illum primum pulſum ignorantes horam non poſſunt cognoſcere, quota ea ſit.

Et confirmatur, quia cùm ſonat primus pulſus, non incipit hora, ſed paulò ante inceperat; nam poſtquam tranſacta eſt rota horæ, datur interuallum non minimum, antequam moueri incipiat malleus pulſans; & tamen vſque ad primum pulſum non incipit computari hora ſequens; quia ante primum pulſum non ſonuit ſignum horæ ſubſequentis: ergo cùm ante vltimum pulſum non ſonuerit ſignum manifeſtatiuum horæ duodecimæ, vſque ad illum hora non eſt computanda; licèt reuerà in horologio paulò antè inceperit. 74.

Mm 3 Notabis

75. Notabis quartò. Cùm plura ſunt horologia bene gubernata, id in quo omnia conueniunt, eſſe practicè certum; nam ſi omnia intra interuallum vnius quadrantis ſonant, primum conuenit cum reliquis in eo quod vndecima cum tribus quadrantibus tranſacta eſt: quare id remanet practicè certum. De opinione verò eorum, qui dicunt, ad primum horologium attendendum eſſe, dicam *cap.ſequenti.*

Cum ſunt plura, id, in quo conueniunt, eſt practicè certum.

CAPVT VI.

Deciditur quæſtio appendix: An vbi ſunt plura horologia bene regulata, ea conſtituant probabilitatem, an dubium?

76. Dixi capite præcedenti, notatione ſecunda, eſſe probabilem ſententiam, quæ affirmat, vbi concurrunt plura horologia bene regulata, ſingula conſtituere opinionem probabilem circa horam, quam deſignant; ſunt enim Authores grauiſſimi pro ea parte. Sed qui dicit, opinionem eſſe probabilem, non dicit, eam eſſe veram; & adhuc relinquit locum quæſtioni, an oppoſita pars ſit probabilior?

77. Cenſeo ergo multò probabilius, vbi ſunt plura horologia, ſi æquè bene regulentur, illa non conſtituere probabilitatem, ſed dubium: & ita in eo caſu quæſtiones practicas circa horam non eſſe decidendas ſicut in hora probabili, ſed ſicut in hora dubia. Pro hac concluſione ſtant P. Ioannes de Salas, & Emanuel Rodriguez mox referendi, & Merolla *tom.*1. *diſput.*3.*num.*139. apud Dianam 4.*part. tract.*3. *reſol.* 19. Nam vt probaui *diſputat.* 6.*cap.* 6. in quæſtione facti motiua vtrimque æque probabilia non conſtituunt probabilitatem, ſed dubium. Etenim quando ſunt duo teſtes æqualis authoritatis, qui res omninò oppoſitas teſtantur in quæſtionibus de facto, quæſtionem relinquunt in ſtatu dubij. Et idem eſt, ſi ex vtraque parte ſint bini, vel terni teſtes æqualis authoritatis.

Plura horologia diſcrepantia non faciũt probabilitate, ſed dubium.

Duo teſtes ſibi inuicem contradicentes poſitiuè, cauſam conſtituunt in dubio.

78. Etenim ſi fœmina nupta habeat tres teſtes oculares de morte coniugis, & alios tres oculares æqualis authoritatis de vita ipſius pro eodem tempore, de quo alij teſtantur, res manet in ſtatu dubij; neque vllus iudex permitter, illam tranſire ad ſecundas nuptias, donec de morte coniugis appareant clariora teſtimonia, vel indicia. Similiter ſi contingat, Petrum accuſati de delicto, & contra ipſum ſint duo teſtes, & pro ipſo duo alij æqualis authoritatis deponentes de actione incompoſſibili cum delicto, iudex hæret dubius. Quod in cæteris quæſtionibus de facto ſemper contingit. Cùm ergo quæſtio hæc, [an ſit hora duodecima noctis,] ſit quæſtio de facto, eodem modo reſoluenda eſt, & dicendum, illam manere in ſtatu dubij.

79. Confirmatur vrgentiſſimè. Ponamus duos caſus. In primo inquirit iudex, an Petrus homicidium commiſerit; & ſunt duo teſtes æqualis fidei, quorum vnus affirmat delictum Petri, alter verò affirmat aliquid phyſicè incompoſſibile cum delicto. In ſecundo inquirit iudex, qua noctis hora Paulus ingreſſus fuerit plateam, tanquam circumſtantiam, à qua dependet inueſtigatio cuiuſdam delicti. Et comparent duo teſtes æqualis authoritatis, quorum alter ait, ſe vidiſſe Petrum ingredientem in puncto noctis mediæ: alter teſtatur, ſe vidiſſe Petrum ingredientem vna hora poſt mediam noctem, & vidiſſe non ingreſſum antea.

Tum ſic. Quando dantur duo teſtes æqualis fidei, qui contraria teſtantur circa id homicidium Petri, iudex manet omninò dubius: ergo quando duo teſtes æqualis fidei teſtantur contraria circa horam, qua Paulus ingreſſus eſt plateam, etiam conſtituunt dubium iudicem. Conſequentia patet: nam inquiſitio iudicis circa homicidium, aut circa horam, ſolùm mutat materiam. Iam verò duo horologia accipiuntur tanquam duo teſtes deponentes de hora: ergo ſi duo horologia ſint æquæ fidei, quia æquè bene regulata, & vnum teſtetur eſſe duodecimam, & alterum teſtetur eſſe duodecimam dimidiatam; etſi vnumquodque ſeorſim faciat fidem probabilem, tamen collata inter ſe non faciunt probalitatem, ſed dubium. 80.

Quare id, in quo conſonant omnia horologia, dicendum eſt practicè certum: id verò, in quo diſſonant, ſi ſint æqualis authoritatis, dicendum eſt, eſſe in ſtatu dubij, niſi pro altera parte adſit aliquod indicium, quod illam reddat probabiliorem. Et ita ſi ſint quinque horologia æqualis authoritatis in vrbe, & duo ſtent pro vna parte, & pro altera conſonent tria, hæc ſecunda pars manet probabilis, & altera dubia, quantum eſt ex parte illorum duorum: vel potiùs dices, ea duo manere ſine ſufficienti authoritate in eo, in quo diſſonant, eodem modo ac ſi ex quinque teſtibus duo pro vna parte teſtentur, & tres alij æqualis authoritatis pro oppoſita. 81.

Si plura horologia ſint pro tali hora, pro ea ſola ſtat probabilitas.

Dices, conſuetudine introductum eſſe, vt vnumquodlibet eorum admittatur, tanquam probabiliter opinans, & non tanquam teſtis in quæſtione de facto. 82.

Si firmo aliquo fundamento probaretur, talem eſſe conſuetudinem, cederem vtique. Atqui difficilè id probabis. Ex conſuetudine enim Eccleſiaſtica ſolùm conſtat, horologia attendenda; & vbi ſunt æqualis authoritatis, non vnum præ alio determinatum eſſe. Hoc autem non probat, vnumquodlibet conſtituere potiùs probabilitatem, quàm dubium quoad id, in quo diſſonat ab alio. 83.

Hinc colliges, quàm malè Caramuel appellauerit clarum & manifeſtum errorem ſententiam Patris Salas, & Emmanuelis Rodriquez. Ecce verba illius *in Theolog. fundam. num.* 341. *fundam.* 10. Incipiam ab illa ſententia (ſi hoc nomine honoranda eſt aſſertio, quæ eſt *clarus, & manifeſtus error:*) ab illa, inquam, quæ docet, primo horologio neceſſariò eſſe ſtandum. Illam habuit Emmanuel Rodriquez in noua editione ſuæ ſummæ *tom.* 1. *cap.*105 *num.*6. vbi ait: *Qui audiens horam duodecimam media nocte, adhuc edit, aut bibit, non poteſt communicare die ſequenti, quia præceptum non communicandi poſt cibum ſumptum, obligat etiam cùm quis dubitat, vtrum ſit media nox; ſumpta dubitandi occaſione ex eo, quod alia horologia poſt cibi ſumptionem ſonuerunt. Hæc concluſio eſt contra Thomam Sanchez*, &c. ſubſcripſit Emmanuel Rodriguez 84.

Iniuſtè vocat Caram. manifeſtum errorem.

Ioanni

Ioanni Salas *in 1.2. tract.8. diſputat.1. ſect.25. num.* 264. At ego contra Rodriquez, & Salas dico primò. Nullum rotarum horologium eſt infallibile, hoc eſt, mathematica temporis momenta diſtinguens; adeoque nulli neceſſariò eſt ſtandum.] Huc vſque Caramuel.

85. Et vt à poſterioribus verbis incipiam, fallitur, dum putat, hanc ſuam primam concluſionem eſſe *contra Rodriguez, & Salas.* Ipſi enim non dicunt, ideò ſtandum eſſe primo horologio, quia infallibiliter mathematica temporis momenta diſtinguat, ſed potiùs, quia diuerſitas, & diſſonantia horologiorum facit dubium, non autem probabilitatem. Attende verbis Emmanuelis, *ſumpta dubitandi occaſione ex eo, quod alia horologia*, &c. Quæ aſſertio non clarus, & manifeſtus error, vt vult Caramuel, ſed probabiliſſima ſententia eſt, quam valido fundamento firmaui.

86. In iis ergo verbis Emmanuelis duo aſſeruntur, & quod horologiorum contrarietas, & diſſonantia faciat dubium, non probabilitatem; & quod in eo caſu comedens, & bibens poſt auditam in primo horologio horam mediæ noctis, non poſſit manè communicare ſactam Synaxim: & vtrumque eſt probabile. Primum conſtat ex fundamento præiacto. Secundum, quod ſcilicet in dubio, an ſit media nox qui aliquid comedit, non poſſit manè ſuſcipere Euchariſtiam, tenent graues Authores. P. Thomas Sanchez *lib.2. de matrimonio, diſp.41.n.40.* P. Ægid. de Coniux *tom.* 1. *in* 3. *part. quaſt.* 80. *art.8. num.*48. item P. Fagund. Card. Lugo, Villalobos, & Philibertus apud Leandrum à SS. Sacr. *tract.7. de Euch. diſp.5.q.4.* & apud ipſum Franciſc. de Lugo, & P. Oviedo) relati à Diana.

Probabile eſt, quod qui in dubio mediæ noctis comedit, non poſſit manè cõmunicare.

87. Quod ſecundum, quamvis probabile ſit, tamen oppoſitum cenſeo probabilius. Homo enim erat in poſſeſſione ſuæ libertatis, quando ſuperuenit dubium: hoc autem poſſeſſionem ſuæ libertatis non tollit. Item quia impedimentum dubium non poteſt tollere ius certum. Et huius ſententiæ ſunt Ioannes Sancius *diſp.*42. P. Laymannus *lib.* 1. *tract.*1. *cap.* 5. §. 4. *num.* 36. & Diana *part.* 3. *tract.*4. *reſol.*29. quos refert, & ſequitur Leander à SS. Sacr. *tract.* 7. *de Euchar. diſp.*5. *quaſt.*4.

Sed oppoſitũ eſt probabilius.

88. Caramuel *lib.* 3. *Theologiæ intention. diſp.* 3. *quaſt.*9. *num.* 1435. iterum inſurgit contra eam opinionem, vt à Merolla propugnatam. Verba Caramuelis ſunt: [Dabo tamen verba Merollæ *tom.* 1. *diſp.* 3. *cap.*3. *corollar.* 2. *num.* 139. vt candidus lector videat, non eſſe idem habere bona fundamenta, & bene diſcurrere. Certiſſima principia ſupponit Merolla, & illis diſcurrit contra Ethicæ principia certiſſima, ac ſi veritas contrarietur veritati. Inquit ſic: *Falſum eſt id, quod ſubdunt aliqui*, (dicat, ferè omnes, nullo excepto) *quod ſcilicet ſi diuerſa ſint horologia, & vnum ſonuerit horam media noctis, aliud verò non; poteſt qui tunc ſoluit ieiunium naturale, communicare ſequenti die, quia eſt veluti ſi eſſent duæ rationes, aut opiniones probabiles; liceret enim alterutram illarum amplecti. Hoc, inquam, falſum eſt, quia in pari cauſa melior eſt conditio præcepti poſſidentis; & opiniones probabiles ſunt tantùm ſpeculatiuæ, & ideò homo tunc debet ſe gerere, ac quando factum eſt dubium.* Et ex his concludit ſtandum negatiuæ parti.] Huc vſque Caramuel.

Perperam Caram. reprehendit Merollam.

Fallitur tamen egregiè. Nam Merolla ex bonis fundamentis bene diſcurrit, neque contra principia certiſſima diſcurrit. Nam ſi nomine opinionum probabilium intelligat motiua æquè probabilia, ea quidem in quæſtione ſpeculatiua (id eſt, in quæſtione facti) non producunt probabilitatem, ſed dubium, vt *in hoc capite, & in diſputatione 6. capite 6.* ſatis clarè oſtenſum eſt.

Sed pergit immediatè Caramuel *num.* 1436. in hæc verba. [Ego autem, præmiſſâ debita admiratione, horum terminorum connexionem non capio.] Fortè ſuſpenderet admirationem, ſi legiſſet eam doctrinam in Ioanne Sancio *diſput.*43. *num.*50. à quo Authore multa hauſit Caramuel, præcipuè in materia de opinione probabili. Sed & terminorum connexionem facilè capiet, ſi conſideret in iudicio duos teſtes æqualis fidei ſibi inuicem poſitiuè aduerſantes, etſi ſinguli ſeorſim conſiderati, faciant fidem probabilem; at mutuò inter ſe collatos, non producere opinionem probabilem, ſed dubium. 89.

Subdit Caramuel immediatè: [Et tamen condoleo, dari virum, qui ſuæ animæ & ingenij libertatem velit malleo vnius campanæ ſubdere, etiam malè regulato. Conſultò illud *etiam* pono: quia Merolla inter horologia bene & malè regulata non diſtinguit.] Sed hoc poſterius facilem habet excuſationem: nam quoties Authores agunt de fide habenda horologiis, ſemper agunt de bene regulatis, cùm male regulatis etiam ignari homines non fidant. Sed quid eſt, *libertatem malleo vnius campanæ ſubdere?* Nunquid leges Eccleſiaſticæ non cogunt nos eis malleis attendere tanquam ſignis horæ practicæ? Id ſatis ex tota hac diſputatione conſtat. 90.

Sed præſtat audire quæ his ſubiicit *n.* 1438. [Horologia, quæ bene gubernata dicuntur, habere vim opinionis probabilis. (Nego aſſertionem. Sed attende probationem eius.) Aut dicat mihi Merolla, quid ego facturus eſſem die Iouis, ſi cùm muſæo egrederer, audirem vnum famulum dicentem, eſſe horam noctis primam, alterum eſſe vndecimam... Diſcere vellem à Merolla, vtri famulo crediturus eſſem, an illi, qui vndecimam; an illi, qui primam aſſereret? & ſi alicui, cur potiùs vni, quàm alteri? Vterque fidelis, & diligens eſt: imò quia meâ ſententiâ æquales, non eſt ratio, ob quam vni negem aſſenſum, tribuam alteri. (*Quis non inferat: ergo dubius hæreo?* Vtrique igitur probabiliter debeo aſſentiri.] Inde ab hominibus ſic teſtantibus transfert paritatem ad horologia contrarium indicantia. 91.

Et inde ſic infero. Duo teſtes in iudicio ſibi contrariantur circa delictum Petri; & quia iudicis ſententiâ æquales ſunt, non eſt ratio, ob quam iudex vni neget aſſenſum, tribuat alteri: ergo iudex vtrique probabiliter debet aſſentiri: atque adeò poterit procedere contra delictum Petri tanquam ſemiplenè probatum. De eius diſparitate iam diu deſperaui. 92.

Deinde hæc conſequentia peſſima eſt: *Non eſt potior ratio, quare vni fidem habeam, quàm alteri: ergo vtrique probabilis fides adhibenda.* Etenim non eſt potior ratio, quare credam, Turcam dormire, quàm Turcam non dormire; & tamen malè inferes: *ergo vtrique probabiliter* 93.

Digitized by Google

babiliter aſſentiar. Sed præter hoc, quod non ſit potior ratio pro vno, quàm pro altero, requiritur, quod pro hac parte determinata ſit graue fundamentum; & quod vnum fundamentum non deſtruatur per aliud æqualis fidei, qualiter deſtruitur in quæſtione de facto, vt ſatis oſtenſum eſt.

DISPVTATIO XXVII.

An in legibus Eccleſiaſticis ratione paruitatis materiæ, aut ex alio capite debeat tempus non computari de momento ad momentum.

CAPVT PRIMVM.

Refertur placitum Caramuelis.

1. VIDIMVS *diſp. præcedenti*, eſſe certiſſimam obligationem attendendi exactè ad horologia ſonantia in legibus Eccleſiaſticis decernentibus horam, non obſtante ad id errore horologiorum, quæ bene gubernantur: & oppoſitam Caramuelis ſententiam ex prædicto errore arguentem, in mera æquiuocatione fundari. Reſtat modò inquirere, an ex paruitate materiæ, aut alio ex capite poſſit defendi eadem aſſertio, ſaltem ne contra legem Eccleſiaſticam grauiter delinquatur: nempe, an vno horæ quadrante, vel aliquanto plus, protrahi poſſit hora legibus taxata?

2. *Diſp.* 101. *in Regul. num.* 1318.§. *Hæc dixi*, ita diſſerit. [Quid ſi Petrus haberet horologium exquiſitiſſimum, mediæ noctis tempus præciſè indicens? Reſpondeo, adhuc in tali caſu tempus non debere mathematicè, & metaphyſicè, ſed ciuiliter, ac moraliter accipi. Dies notabiliter incepiſſe dicitur, cùm eius octaua pars effluxit, nempe poſt mediam noctem hora tertia. Dies leuiter eſt inchoata, cùm harum trium horarum effluxit quaſi octaua pars, nempe horæ quadr. min. 22. ſec. 30. (*trium horarum octaua pars eſt vnus quadrans cum dimidio, ſiue viginti duo minuta cum dimidio; vnde viginti duo minuta ſunt minus octaua parte*) Non puto præcepta politica, ſiue Eccleſiaſtica illa ſint, ſiue ſæcularia, tam exactè poſſe tempus decernere, vt reus ſit, qui ſublatis aliis inconuenientibus, opus præceptum differat vno quadrante; quia aliàs Eccleſia rebus faciendis mathematica tempora indiceret, non moralia: quod eſt contra vniuerſorum opinionem.]

Actionem præceptam pro tali hora poſſe differri vno quadrante.

3. Vide, an poſſis componere eam periodum cum illa, quam ſcribit *Theolog. fundam. n.* 396. [Si quis haberet horologium, quod, quoties cum cœlo collatum, exactè correſpondere deprehenderetur, eidem ſtare deberet, & dies diſtinguere, non duodecimæ vltimo, ſed primo ictu.] Vbi duas aſſertiones diuerſas ſtatuit. Primam, quod ſtare debeat horologio exactiſſimo. Secundam, quod non vltimo pulſui, ſed primò ſtandum ſit. Ego quidem has cum prima illa periodo componere non poſſum. Sed illud prioris periodi aſſertum videtur tranſtuliſſe ad Theologiam fundamentalem *à numero* 397. *fundam.* 10. licèt præcipuè nixus in ea probabilitate, quam putat prouenire ab errore horologiorum; cuius vires diſputatione præcedenti manent diſſipatæ. Sic enim ait: [Ex diſcuſſis manifeſtè colligitur, caruiſſe notitia Aſtronomiæ Theologos, qui Eccleſiaſtica præcepta ad momenta temporis reduxerunt. (*Si immediatè ante dicit, attendendum eſſe ad horam practicam deſignatam ab horologio ex conſuetudine Eccleſiæ, quomodo immediatè arguit Theologos de inſcitia Aſtronomiæ; cùm ad Eccleſiæ conſuetudinem nihil conducat Aſtronomiæ notitia.*) Ego enim poſt multos annos ſtudij, & laboris Herculei vellem videre vnicum momentum (*vnicum momentum practicum eſt, quod deſignatur horologio*) deſignandum: certò enim ſcio à cælo (*ſed non ab hora practica*) illos aberraturos toto cœlo. Hinc eſt, quod multis caſibus aliter reſpondendum ſit, quàm exiſtimant puri Theologi.]

Proponit deinde primum caſum. [Primus. An paruulis ante expletum ſeptennium liceat miniſtrari carnes diebus ieiunij? Contra Syluium affirmatiuam ſententiam tenet Diana *part.* 1. *tract.* 9. *reſol.* 43... Sed quomodo debet determinari annus ſeptimus? Anne computandus eſt de momento ad momentum? Reſpondeo negatiuè. Primò, quia ignoratur natiuitatis momentum. Secundò, quia ſi Deus illud reuelaret, adhuc ignoraretur eius momenti reuolutio. Ergo ſeptimus annus moraliter accipiendus eſt. Sed quanta luxatio eſſe debet in iſto tempore morali? Conſtabit ex caſu ſequenti.] 4.

Tempus præceptum non eſſe computandum de momento ad momentum.

Et *num.* 398. proponit ſecundum caſum. [Secundus. An pro obligatione ieiunij vigeſimus primus annus ſit computandus de momento ad momentum? Reſpondet affirmatiuè Sanchez, & Portel. iuxta quorum ſententiam, qui natus eſt in profeſto ſanctorum Petri, & Pauli hora decima, minut. 20. ſec. 5. ante meridiem, redeunte eadem die anno vigeſimo primo poteſt ientaculum ſumere ante hoc momentum, (*non callet ſententiam eorum Authorum*) at non ſequentibus. Et quidem ſi hæc opinio admitteretur, poſſet ſubtiliùs adhuc quæri, an qui in ipſo tempore ſcrupulo illo quinto magnam panis partem tranſglutiret, violaret ieiunium Eccleſiæ? & momenta hæc reducerentur ad inſtantia; & deberemus ſupra omnem mathematicam ſubtilitatem (*quia non calluit ſententiam, malè infert*) in moralibus controuerſiis aſcendere. Subrideo cùm ſimilia lego, exſcribóve: (*ſubridebunt etiam Authores, ſuâ ſententiâ perperam intellectâ*) & quia tempus, quo obligat lex, debet eſſe cognoſcibile, ideò concludo, tempus hoc non debere numerari de momento ad momentum.] 5.

Quibus immediatè hæc ſubiicit. [Poſito igitur, quod tempus moraliter accipi debeat, inquiris quando incipiat obligatio ieiunandi? Reſpondet Sancius *in ſelectis diſp.* 54. *num.* 4. Die, qua complet quis annum vigeſimumprimum, non teneri ieiunio. Ergo conſequenter dicere poſſet, die, quo aliquis complet annum ſeptimum, non teneri præceptis Eccleſiæ. 6.

An

Digitized by Google

An diſtingueret inter præceptum ieiunandi, & præceptum abſtinendi à carnibus? Tu conſidera. Et ſi diſtingueret; qua puer hora incipiet non poſſe comedere carnes, qui poterat ante ſeptimum ætatis annum?] Cui dubio ipſe non reſpondet; & cùm in primo caſu pro reſponſione huius dubij de puero ſeptennario, ſe remiſiſſet ad hoc ſecundum; *Conſtabit*, inquit, *ex caſu ſequenti:* cùm ad hunc ſecundum venit, indeciſum etiam relinquit. Sicut etiam ex ſex aliis poſteà propoſitis, in quibus omnibus negat, tempus computandum de momento ad momentum. Sed quantum tempus poſſit, aut debeat ſuperaddi, ipſe difficultatis refuga definire non audet.

7. Accedens tandem ad octauum caſum (nam cæteri homogenei ſunt, nec aliquid ſpeciale continent, neque Authoris alicuius aliquod ſuffragium, quod eius ſententiæ faueat) ſic ait: [Vno, aut altero die ante tempus mathematicum poſſe licitè & validè aliquem ordinari, probabile iudicat Villalobos *in ſum. tom.* 1. *tract.* 11. *diffic.* 11. *num.* 2. qui probabilius iudicat, eum, qui hodie veſpere complet ætatem, poſſe mane ordinari: quod etiam docuit Ledeſma, & alij. Non ergo illuſtrium Theologorum ſententiâ (*ſcilicet iſtorum duorum, nam alios non citauit*) anni de momento ad momentum enumerantur.]

8. Eandem ſententiam Caramuelis ſequitur Paſqualigus (vt refert Leander à SS. Sacram. *tract.* 5. *de ieiunio, diſp.* 6. *quæſt.* 27. *&* 28.) *tract. de ieiunio deciſ.* 158. & 159. non ſolùm quatenus horologia exorbitant ab hora mathematica; ſed generaliter in præceptis determinantibus tempus, in quibus admittit paruitatem materiæ, aſſeritque tempus non mathematicè computandum, ſed moraliter, & plus minuſve.

Suffragatur Paſqualigus.

CAPVT II.

Aliqua notanda pro intelligentia eius aſſertionis, & impugnationis eius.

9. NOtandum eſt primò, Authores communiter aſſerentes, tempus præcepto deſtinatum, computandum eſſe de momento ad momentum, nunquam dixiſſe, computandum eſſe de momento mathematico ad momentum mathematicum; quin potiùs, licèt non verbis formalibus, verbis tamen æquiualentibus dixiſſe, computandum eſſe de momento practico ad momētum practicum. Et quidem ſicut eſt hora mathematica, quam ſcilicet aſtra indicant peritis; & hora practica, cui actiones præceptas conformare debemus, & quam indicant horologia bene regulata, vt *diſp. præcedenti* explicuimus: ita eodem modo, & eodem ſenſu datur momentum mathematicum, quod cælo ineſt; & momentum practicum, quod horologia indicant. Authores ergo prædicti cùm aſſerant, actiones temporaneas dirigendas eſſe per horologia bene regulata, ſignum eſt, eos loqui de tempore deſignato per prædicta horologia, quæ vt arbitros horarum aſſumpſit conſuetudo Eccleſiaſtica; atque adeò loqui de hora practica, & de momentis practicis, quæ horologiis indicantur; non de hora mathematica, neque de momento mathematico, quod Authores Aſtronomiæ inſcij deprehendere non poſſunt, & quod horologiis non indicatur.

Qui dicunt, tempus computandum de momento ad momentum, non loquuntur de momento mathematico.

10. Notandum eſt ſecundò, licèt Caramuel citet P. Thom. Sanch. & Portellium, aſſerētes, ſeptēnium puerorum in ordine ad initium obligationis legum Eccleſiaſticarum computãdum eſſe de momomento ad momentum, tamen neque illi Authores, neque alij eius ſententiæ patroni proponunt caſum iis terminis, quibus proponit Caramuel; ſcilicet quod ſeptennium compleatur hora decima, minut. 20. ſec. 5. Nam cum in horologiis non ſonent minuta, neque ſcrupuli, neque in ſolaribus communibus appareant, neque ſit alia communis regula, ad ea minuta computanda, intelligendum eſt tempus computari de momento ad momentum, quantum manifeſtari poteſt ex communi arbitrio horarum. Itaque ſi puer natus eſt hora duodecima noctis præſciſa, ſeptennium computandum eſt de momento ad momentum, ſcilicet hora duodecima noctis præſciſa. Si verò natus eſt paulò poſt horam duodecimam, cum perueniat ad ſeptennium, poſtquam ſonuerit hora noctis duodecima, in eo paruo tempore ſequenti datur locus dubio. In caſu autem dubij Authores illi iam ſtatuerunt generaliter, quid tenendum ſit, ſcilicet ſtari debere pro poſſidente. Stabit igitur pro libertate pueri, donec certò conſtet, tranſiiſſe illud breue tempus poſt duodecimam. Itaque quando dicitur, computandum eſſe tempus de momento ad momentum, intelligendum eſt de momento practico certo ad momentum practicum certum. Momentum autem dubium per regulas generales de dubio computabitur.

Non ſunt computanda minuta, ſed horæ ſonitus.

11. Notandum eſt tertiò, quando Ioannes Sancius citatus aſſerit, eo die, quo aliquis implet annum vigeſimum primum, non teneri ieiunio, nihil fauere ſententiæ Caramuelis, neque negare computationem temporis de momento ad momentum; neque idem dicere de præcepto abſtinendi à carnibus, diſparitatemque dilucidam inter vtrumque præceptum deſignare. Ait enim præceptum ieiunij indiuiſibiliter reſpicere vnicam comeſtionem pro toto die; & ideo qui ſemel frangit ieiunium, iam non peccat amplius, iterum & ſæpius comedendo. Vnde fit quod ſi aliqua parte diei licuit homini comedere carnes, vel pluries comedere, eo die liber eſt à ieiunij obligatione. Sicut contingit etiam homini, qui mane diſceſſit à loco, vbi non ieiunatur, & deinceps acceſſit ad locum vbi ieiunatur: cenſet enim Sancius, & meritò, eum toto die liberum eſſe à ieiunio; quia in aliqua parte diei licitum fuit illi pluries comedere. Vnde illo die, quo adoleſcens ætatem complet hora decima, licet ei non ieiunare: non quia ætas excludat computationem de momento ad momentum; ſed quia ante horam decimam potuit ille pluries comedere: & per hoc quod potuit pluries comedere in aliqua parte diei, potuit toto die non ieiunare. Quod non contingit in præcepto abſtinendi à carnibus, quod diuiſibile eſt; & toties peccat homo in vnico die, quoties in eo carnes comedit: & ideò ſi ſeptennium completur

Quo die quis implet 21. annum, non tenetur ieiunare.

Neque id fauet ſententiæ Caram.

Diſparitas inter præceptum ieiunandi, & abſtinendi à carnibus.

Digitized by Google

babiliter aſſentiar. Sed præter hoc, quod non ſit potior ratio pro vno, quàm pro altero, requiritur, quod pro hac parte determinata ſit graue fundamentum; & quod vnum fundamentum non deſtruatur per aliud æqualis fidei, qualiter deſtruitur in quæſtione de facto, vt ſatis oſtenſum eſt.

DISPVTATIO XXVII.

An in legibus Eccleſiaſticis ratione paruitatis materiæ, aut ex alio capite debeat tempus non computari de momento ad momentum.

CAPVT PRIMVM.

Refertur placitum Caramuelis.

1. VIDIMVS *diſp. præcedenti*, eſſe certiſſimam obligationem attendendi exactè ad horologia ſonantia in legibus Eccleſiaſticis decernentibus horam, non obſtante ad id errore horologiorum, quæ bene gubernantur: & oppoſitam Caramuelis ſententiam ex prædicto errore arguentem, in mera æquiuocatione fundari. Reſtat modò inquirere, an ex paruitate materiæ, aut alio ex capite poſſit defendi eadem aſſertio, ſaltem ne contra legem Eccleſiaſticam grauiter delinquatur: nempe, an vno horæ quadrante, vel aliquanto plus, protrahi poſſit hora legibus taxata?

2. *Diſp.* 101. *in Regul. num.* 1318.§. *Hæc dixi*, ita diſſerit. [Quid ſi Petrus haberet horologium exquiſitiſſimum, mediæ noctis tempus præcisè indicens? Reſpondeo, adhuc in tali caſu tempus non debere mathematicè, & metaphyſicè, ſed ciuiliter, ac moraliter accipi. Dies notabiliter incepiſſe dicitur, cùm eius octaua pars effluxit, nempe poſt mediam noctem hora tertia. Dies leniter eſt inchoata, cùm harum trium horarum effluxit quaſi octaua pars, nempe horæ quadr. min. 22. ſec. 30. (*trium horarum octaua pars eſt vnus quadrans cum dimidio, ſiue viginti duo minuta cum dimidio; vnde viginti duo minuta ſunt minùs octaua parte*) Non puto præcepta politica, ſiue Eccleſiaſtica illa ſint, ſiue ſæcularia, tam exactè poſſe tempus decernere, vt reus ſit, qui ſublatis aliis inconuenientibus, opus præceptum differat vno quadrante; quia aliàs Eccleſia rebus faciendis mathematica tempora indiceret, non moralia: quod eſt contra vniuerſorum opinionem.]

Actionem præceptam pro tali hora poſſe differri vno quadrante.

3. Vide, an poſſis componere eam periodum cum illa, quam ſcribit *Theolog. fundam. n.* 396. [Si quis haberet horologium, quod, quoties cum cœlo collatum, exactè correſpondere deprehenderetur, eidem ſtare deberet, & dies diſtinguere, non duodecimæ vltimo, ſed primo ictu.] Vbi duas aſſertiones diuerſas ſtatuit. Primam, quod ſtare debeat horologio exactiſſimo. Secundam, quod non vltimo pulſui, ſed primo ſtandum ſit. Ego quidem has cum prima illa periodo componere non poſſum. Sed illud prioris periodi aſſertum videtur tranſtuliſſe ad Theologiam fundamentalem *à numero* 397. *fundam.* 10. licèt præcipuè nixus in ea probabilitate, quam putat prouenire ab errore horologiorum; cuius vires diſputatione præcedenti manent diſſipatæ. Sic enim ait: [Ex diſcuſſis manifeſtè colligitur, caruiſſe notitia Aſtronomiæ Theologos, qui Eccleſiaſtica præcepta ad momenta temporis reduxerunt. (*Si immediatè ante dicit, attendendum eſſe ad horam practicam deſignatam ab horologio ex conſuetudine Eccleſiæ, quomodo immediatè arguit Theologos de inſcitia Aſtronomiæ; cùm ad Eccleſiæ conſuetudinem nihil conducat Aſtronomiæ notitia.*) Ego enim poſt multos annos ſtudij, & laboris Herculei vellem videre vnicum momentum (*vnicum momentum practicum eſt, quod deſignatur horologio*) deſignandum: certò enim ſcio à cælo (*ſed non ab hora practica*) illos aberraturos toto cœlo. Hinc eſt, quod multis caſibus aliter reſpondendum ſit, quàm exiſtimant puri Theologi.]

Proponit deinde primum caſum. [Primus. An paruulis ante expletum ſeptennium liceat miniſtrari carnes diebus ieiunij? Contra Syluium affirmatiuam ſententiam tenet Diana *part.* 1. *tract.* 9. *reſol.* 43... Sed quomodo debet determinari annus ſeptimus? Anne computandus eſt de momento ad momentum? Reſpondeo negatiuè. Primò, quia ignoratur natiuitatis momentum. Secundò, quia ſi Deus illud reuelaret, adhuc ignoraretur eius momenti reuolutio. Ergo ſeptimus annus moraliter accipiendus eſt. Sed quanta luxatio eſſe debet in iſto tempore morali? Conſtabit ex caſu ſequenti.] 4.

Tempus præceptum non eſſe computandum de momento ad momentum.

Et *num.* 398. proponit ſecundum caſum. [Secundus. An pro obligatione ieiunij vigeſimus primus annus ſit computandus de momento ad momentum? Reſpondet affirmatiuè Sanchez, & Portel. iuxta quorum ſententiam, qui natus eſt in profeſto ſanctorum Petri, & Pauli hora decima, minut. 20. ſec. 5. ante meridiem, redeunte eadem die anno vigeſimo primo poteſt ientaculum ſumere ante hoc momentum, (*non callet ſententiam eorum Authorum*) at non ſequentibus. Et quidem ſi hæc opinio admitteretur, poſſet ſubtiliùs adhuc quæri, an qui in ipſo tempore ſcrupulo illo quinto magnam panis partem tranſglutiret, violaret ieiunium Eccleſiæ? & momenta hæc reducerentur ad inſtantia; & deberemus ſupra omnem mathematicam ſubtilitatem (*quia non calluit ſententiam, malè infert*) in moralibus controuerſiis aſcendere. Subrideo cùm ſimilia lego, exſcribóve: (*ſubridebunt etiam Authores, ſuâ ſententiâ perperam intellectâ*) & quia tempus, quo obligat lex, debet eſſe cognoſcibile, ideò concludo, tempus hoc non debere numerari de momento ad momentum.] 5.

Quibus immediatè hæc ſubiicit. [Poſito igitur, quod tempus moraliter accipi debeat, inquiris quando incipiat obligatio ieiunandi? Reſpondet Sancius *in ſelectis diſp.* 54. *num.* 4. Die, qua complet quis annum vigeſimumprimum, non teneri ieiunio. Ergo conſequenter dicere poſſet, die, quo aliquis complet annum ſeptimum, non teneri præceptis Eccleſiæ. 6.

An

Digitized by Google

An diſtingueret inter præceptum ieiunandi, & præceptum abſtinendi à carnibus? Tu conſidera. Et ſi diſtingueret; qua puer hora incipiet non poſſe comedere carnes, qui poterat ante ſeptimum ætatis annum?] Cui dubio ipſe non reſpondet; & cùm in primo caſu pro reſponſione huius dubij de puero ſeptennario, ſe remiſiſſet ad hoc ſecundum; *Conſtabit*, inquit, *ex caſu ſequenti*: cùm ad hunc ſecundum venit, indeciſum etiam relinquit. Sicut etiam ex ſex aliis poſteà propoſitis, in quibus omnibus negat, tempus computandum de momento ad momentum. Sed quantum tempus poſſit, aut debeat ſuperaddi, ipſe difficultatis refuga definire non audet.

7. Accedens tandem ad octauum caſum (nam cæteri homogenei ſunt, nec aliquid ſpeciale continent, neque Authoris alicuius aliquod ſuffragium, quod eius ſententiæ faueat) ſic ait: [Vno, aut altero die ante tempus mathematicum poſſe licitè & validè aliquem ordinari, probabile iudicat Villalobos *in ſum. tom.* 1. *tract.* 11. *d.ffic.* 11. *num.* 2. qui probabilius iudicat, eum, qui hodie veſpere complet ætatem, poſſe mane ordinari: quod etiam docuit Ledeſma, & alij. Non ergo illuſtrium Theologorum ſententiâ (*ſcilicet iſtorum duorum, nam alios non citauit*) anni de momento ad momentum enumerantur.]

8. *Suffragatur Paſqualigus.* Eandem ſententiam Caramuelis ſequitur Paſqualigus (vt refert Leander à SS. Sacram. *tract.* 5. *de ieiunio, diſp.* 6. *quæſt.* 27. *&* 28.) *tract. de ieiunio deciſ.* 158. & 159. non ſolùm quatenus horologia exorbitant ab hora mathematica; ſed generaliter in præceptis determinantibus tempus, in quibus admittit paruitatem materiæ, aſſeritque tempus non mathematicè computandum, ſed moraliter, & plus minuſve.

CAPVT II.

Aliqua notanda pro intelligentia eius aſſertionis, & impugnationis eius.

9. *Qui dicunt, tempus computandum de momento ad momentum, non loquuntur de momento mathematico.* Notandum eſt primò, Authores communiter aſſerentes, tempus præcepto deſtinatum, computandum eſſe de momento ad momentum, nunquam dixiſſe, computandum eſſe de momento mathematico ad momentum mathematicum; quin potiùs, licèt non verbis formalibus, verbis tamen æquiualentibus dixiſſe, computandum eſſe de momento practico ad momẽtum practicum. Et quidem ſicut eſt hora mathematica, quam ſcilicet aſtra indicant peritis; & hora practica, cui actiones præceptas conformare debemus, & quam indicant horologia bene regulata, vt *diſp. præcedenti* explicuimus: ita eodem modo, & eodem ſenſu datur momentum mathematicum, quod cælo ineſt; & momentum practicum, quod horologia indicant. Authores ergo prædicti cùm aſſerant, actiones temporaneas dirigendas eſſe per horologia bene regulata, ſignum eſt, eos loqui de tempore deſignato per prædicta horologia, quæ vt arbitros horarum aſſumpſit conſuetudo Eccleſiaſtica; atque adeò loqui de hora practica, & de momentis practicis, quæ horologiis indicantur; non de hora mathematica, neque de momento mathematico, quod Authores Aſtronomiæ inſcij deprehendere non poſſunt, & quod horologiis non indicatur.

Notandum eſt ſecundò, licèt Caramuel citet P. Thom. Sanch. & Portellium, aſſerẽtes, ſeptẽnium puerorum in ordine ad initium obligationis legum Eccleſiaſticarum computãdum eſſe de momomento ad momentum, tamen neque illi Authores, neque alij eius ſententiæ patroni proponunt caſum iis terminis, quibus proponit Caramuel; ſcilicet quod ſeptennium compleatur hora decima, minut. 20. ſec. 5. Nam cum in horologiis non ſonent minuta, neque ſcrupuli, neque in ſolaribus communibus appareant, neque ſit alia communis regula, ad ea minuta computanda, intelligendum eſt tempus computari de momento ad momentum, quantum manifeſtari poteſt ex communi arbitrio horarum. Itaque ſi puer natus eſt hora duodecima noctis præſciſa, ſeptennium computandum eſt de momento ad momentum, ſcilicet hora duodecima noctis præſciſa. Si verò natus eſt paulò poſt horam duodecimam, cum peruenitur ad ſeptennium, poſtquam ſonuerit hora noctis duodecima, in eo paruo tempore ſequenti datur locus dubio. In caſu autem dubij Authores illi iam ſtatuerunt generaliter, quid tenendum ſit, ſcilicet ſtari debere pro poſſidente. Stabit igitur pro libertate pueri, donec certò conſtet, tranſiiſſe illud breue tempus poſt duodecimam. Itaque quando dicitur, computandum eſſe tempus de momento ad momentum, intelligendum eſt de momento practico certo ad momentum practicum certum. Momentum autem dubium per regulas generales de dubio computabitur. 10. *Non ſunt computanda minuta, ſed horæ ſonitus.*

Notandum eſt tertiò, quando Ioannes Sancius citatus aſſerit, eo die, quo aliquis implet annum vigeſimum primum, non teneri ieiunio, nihil fauere ſententiæ Caramuelis, neque negare computationem temporis de momento ad momentum; neque idem dicere de præcepto abſtinendi à carnibus, diſparitatemque dilucidam inter vtrumque præceptum deſignare. Ait enim præceptum ieiunij indiuiſibiliter reſpicere vnicam comeſtionem pro toto die; & ideo qui ſemel frangit ieiunium, iam non peccat amplius, iterum & ſæpius comedendo. Vnde fit quod ſi aliqua parte diei licuit homini comedere carnes, vel pluries comedere, eo die liber eſt à ieiunij obligatione. Sicut contingit etiam homini, qui mane diſceſſit à loco, vbi non ieiunatur, & deinceps acceſſit ad locum vbi ieiunatur: cenſet enim Sancius, & meritò, eum toto die liberum eſſe à ieiunio; quia in aliqua parte diei licitum fuit illi pluries comedere. Vnde illo die, quo adoleſcens ætatem complet hora decima, licet ei non ieiunare: non quia ætas excludat computationem de momento ad momentum; ſed quia ante horam decimam potuit ille pluries comedere: & per hoc quod potuit pluries comedere in aliqua parte diei, potuit toto die non ieiunare. Quod non contingit in præcepto abſtinendi à carnibus, quod diuiſibile eſt; & toties peccat homo in vnico die, quoties in eo carnes comedit: & ideò ſi ſeptennium completur 11. *Quo die quis implet* 21. *annum, non tenetur ieiunare. Neque id fauet ſententiæ Caram. Diſparitas inter præceptum ieiunandi, & abſtinendi à carnibus.*

pletur hora decima, quoties puer carnes comedit poſt horam decimam, toties peccat. Vnde manifeſtè patet, Ioannem Sancium non opponi ſententiæ aſſerenti, tempus computantandum eſſe de momento ad momentum. Verum eſt, quod Sancius dixit, tempus vigeſimi primi anni requiſitum ad obligationem ieiunij non eſſe computandum de momento ad momentum: ſed cùm id declarauerit modo explicato, conſtat non eſſe contrarium in ſenſu generali, imò neque in ſpeciali materia ieiunij: nam iuxta eius ſententiam, qui impleret vigeſimum primum annum hora noctis duodecima præciſa, ſi dies ſubſequens eſſet deſtinatus ieiunio, deberet computare tempus ieiunij de momento ad momentum.

12. An autem id, quod dicunt Villalobos, & Ledeſma de paruitate materiæ quoad tempus, excludat computationem temporis de momento ad momentum, an potiùs compatiatur, conſtabit ex dicendis *cap.* 10. *coroll.* 2. & 3.

13. *Tempus computari moraliter, eſt computari non exactè, ſed plus minuſve.*

Notandum eſt quartò, quid intelligant Caramuel, & Paſqualigus, dum dicunt, tempus legibus præſcriptum non mathematicè, ſed moraliter computandum eſſe. Nam ſatis clarè ſignificant, id intelligi, quatenus non exactè per ſonitum horologiorum, ſed *plus minuſve* computandum eſſet.

14. Notandum eſt denique, & præ reliquis omnibus prænotandum, ſub hac quæſtione duo contineri, quæ ſingillatim oportet ad examen vocari. Primum computandum eſſe tempus moraliter, id eſt, non exactè, ſed *plus minuſve*. Secundum, dari paruitatem materiæ in tranſitu vnius diei. Quare de his duobus duplex quæſtio inſtituenda eſt, poſtquam argumenta Caramuelis fallacia eſſe planè oſtenderimus.

CAPVT III.

Fallacia argumentorum partis oppoſitæ reuelatur.

ARTICVLVS I.

Examinatur fallacia primi argumenti.

15. Primum argumentum eſt, quod proponit Caramuel *num.* 398. & retuli *cap.* 1. *num.* 5. Quod ſic ad formam redigi poteſt. Si tempus, in quo adoleſcens incipit obligari lege ieiunij, computaretur de momento ad momentum, ſequeretur, quod ſi in illo momento, in quo compleret annum vigeſimumprimum, tranſglutiret magnam partem panis, violaret præceptum Eccleſiæ, ſi dies eſſet ieiunio Eccleſiaſtico deſtinatus: id abſurdum eſt: non ergo computatur de momento ad momentum. Minor probatur, quia inde fieret, quod momenta præceptorum reducerentur ad inſtantia; & ita in moralibus deberemus aſcendere ſupra omnem mathematicorum ſubtilitatem: quod ſibi riſum excitare, affirmat Caramuel.

16. Sed eſtò non rideant Authores Caramueli oppoſiti, quod iuuenis poſſit ſimul tranſglutire tantam partem panis, qua grauiter violaret præceptum. De hoc enim loquitur, dum apponit *magnam panis partem.* Si enim duæ vnciæ panis ſunt paruitas materiæ, vt multi volunt, deberet iuuenis pluſquam duas vncias panis ſimultaneâ attractione tranſglutire. Eſto, quod per miraculum fauces iuuenis ampliarentur. Eo tamen omiſſo.

Id argumentum tam efficax eſt, vt eodem prorſus modo contra ſuum Authorem regrediatur. Da, adoleſcentem complere annum vigeſimum primum hora decima præciſa regulata per vnicum horologiũ bene gubernatum; quia eadem fuit hora natiuitatis, regulata ſcilicet per idem horologium, quod vnicum eſt in vrbe: & quia Caramuel in ſuis horis & momentis moralibus vult eſſe tractum ſucceſſiuum, dicat nobis, iſtud momentum morale, vel iſte tractus ſucceſſiuus ſuperadditus quantum protrahatur vltra decimam horam? Numquid protrahetur vſque ad vndecimam? Numquid vſque ad duodecimam? Dicat ipſe quidquid voluerit: nam quamcumque partem temporis deſignauerit, idem eſt argumentum contra ipſum. Ego do illi vnam horam integram, eodem modo argumentaturus, ſi ipſe poſtulet duas, vel vigintiquatuor. 17.

Argumentũ euidenter regreditur cõtra ſuum Authorem.

Tum ſic. Ergo ſi tempus obligationis eius adoleſcentis protrahitur vſque ad vndecimam horam, ea obligatio non incipit vſquedum pertingat vndecima hora; nam in tota hora antecedenti adhuc eſt liber ab obligatione. Ergo vel incipit obligatio in puncto horæ vndecimæ præciſè, vel protrahitur vſque ad horam vndecimam, & aliquid aliud temporis? 18.

Dilemma.

Si primum dicas, nempe incipere obligationem in tempore horæ vndecimæ præciſo, rogo vlteriùs, an adoleſcens tranſglutiens magnam partem panis in puncto horæ vndecimæ violabit præceptum, necne? Si dicas, illum violare præceptum in puncto horæ vndecimæ præciſo: ergo iam non ſunt ridendi, qui dixerunt violari præceptum in puncto horæ decimæ, dum in eo puncto adoleſcens tranſglutiuit magnam partem panis: nam quod tranſglutiat in puncto horæ decimæ, vel in puncto horæ vndecimæ, nec obeſt, nec prodeſt ad riſum Caramuelis: cuius riſus ſolùm excitabatur propter violationem præcepti ad vnum punctum redactam. 19.

Si verò dicas, adoleſcentem in puncto horæ vndecimæ comedentem, adhuc non violare præceptum, refelleris apertè. Nam in illo puncto violatur præceptum, in quo componitur obligatio ieiunandi, & comeſtio illegitima (id eſt illa, quæ fit vltra vnicam, quam permittit lex ieiunij:) ſed iuxta primam partem prioris dilemmatis, in puncto horæ vndecimæ præciſo exiſtit obligatio ieiunandi, vtpote tunc incipiens; & ſimul exiſtit comeſtio illegitima, vt ſupponit caſus: ergo in puncto horæ vndecimæ præciſo adoleſcens ille violat præceptum. Et nota, quod ego cum Ioanne Sancio teneo, eum, qui implet vigeſimum primum annum hora decima, non teneri ad ieiunium eo die, propter dicta *num.* 11. Sed argumentatori dedi, quod in eo caſu teneatur, argumenti cauſa. 20.

Si verò teneas ſecundam partem dilemmatis poſiti *num.* 18. ſcilicet quod in adoleſcente implente vigeſimum primum annum hora decima (cui etiam in ſententia Caramuelis alia hora integra concedatur pro ſuo tractu ſucceſſiuo 21.

Conſtringitur Caram. ad proceſſum infinitum.

Digitized by Google

ceſſiuo momenti, vel temporis moralis; protrahitur enim initium obligationis vſque ad vndecimam) protrahitur obligatio vſque ad vndecimam & aliquid aliud temporis; præterquam quod eſt contra ſuppoſitum, in quo vſque ad vndecimam tantùm protrahebatur ea obligatio; infero: ergo protrahitur ea obligatio adoleſcentis vſque ad vndecimam & vnum quadrantem (vel aſſigna quantùm temporis claudat illud *aliquid aliud.*) Rurſus ſi obligatio adoleſcentis protrahitur vſque ad vndecimam, & vnum quadrantem; rogo iterum, an obligatio pertingat vſque ad vndecimam & primum quadrantem præciſum; vel vſque ad primum quadrantem, & aliquid aliud? Si hoc ſecundum dicas, iam alium quadrantem (vel ſemiquadrantem) aſſignabis, & ſic erit proceſſus in infinitum.

22. Si verò dicas, obligationem adoleſcentis duntaxat protrahi vſque ad vndecimam, & primum quadrantem præciſum, redeo ad argumentum ſuprà factum. Numquid adoleſcens, qui vigeſimumprimum annum impleuit hora decima, violabit præceptum ieiunij tranſgluttiendo magnam partem panis in puncto primi quadrantis poſt vndecimam? Si violationem admittis in eo puncto præciſo primi quadrantis poſt vndecimam; quomodo vides violationem præcepti in puncto præciſo ætatis adimpletæ? Si violationem præcepti non admittis in eo puncto præciſo primi quadrantis poſt vndecimam; infero: ergo obligatio protrahitur vltra vndecimam & primum quadrantem: ergo vſque ad vndecimam & primum quadrantem, & aliquid aliud; imò vſque ad proceſſum infinitum, vt ſuprà oſtendi.

23. Hinc patet clara & manifeſta ſolutio eius argumenti. Cui reſpondebis diſtinguendo maiorem: violaret præceptum Eccleſiæ, ſi panem tranſglutiret in momento [practico, & certo] concedo; ſi tranſglutiret in momento [dubio, aut incognito,] nego. Si ergo tranſglutiret in momento practico (id eſt, quod, & quando deſignatur per horologium benè regulatum, vnicum, vel poſtremum) ſicut tunc adeſt obligatio, ita daretur tranſgreſſio. Si verò momentum incognitum eſſet, & dubium, iuxta generales regulas decidendum eſt. Vide quæ dixi *num.* 10.

24. Ad probationem minoris dico, momenta non reduci ad inſtantia phyſica, aut mathematica; eſt enim magna diuerſitas inter vtrumque. Inſtans enim mathematicum eſt phyſicè & realiter indiuiſibile; momentum autem eſt quædam breuiſſima ſucceſſio, phyſicè quidem diuiſibilis, moraliter autem indiuiſibilis; quia phyſica eius diuiſibilitas, & ſucceſſio imperceptibilis eſt. Eſt igitur momentum illa breuiſſima morula temporis, in qua homo nequit diſtinguere ſucceſſionem.

Quid interſit inter inſtans phyſicum, & momentum?

Arttcvlvs II.

Leuitas quatuor aliorum argumentorum monſtratur.

25. Secundum argumentum, quod propoſuit *num.* 397. & retuli ſuprà *num.* 4. eſt. Natiuitatis momentum ignoratur; ergo obligatio legis Eccleſiaſticæ, quæ incipit in puero ſeptennario, non poteſt computari de momento ad momentum. Conſequentia patet: quia non poteſt computari de incognito ad incognitum.

26. Reſpondeo diſtinguendo antecedens: ignoratur natiuitatis momentum [mathematicum,] concedo; momentum [practicum] ſubdiſtinguo: ignoratur momentum practicum [certum,] nego; momentum practicum [dubium,] concedo. Itaque vel loquitur argumentum de eo momento, quo ſonat horologium, nempe in caſu, quo ad punctum horologij ſonantis natus eſt puer; & ſic non ignoratur momentum practicum, quia eſt certum, vtpote ſonitu horologij certò deſignatum. Vel loquitur de momento, quod non deſignatur per horologium, v. g. caſu quo puer natus eſt paulò poſt horam decimam. Nam tunc illud momentum non eſt certum, ſed dubium; & dum durat dubitatio, ex regulis generalibus dubiorum decidenda eſt quæſtio. Et tunc verum eſt, quod non poteſt computari obligatio legis momento dubio ad momentum dubium, donec ad morulam temporis perueniatur, in qua certum ſit, impletum eſſe totaliter ſeptennium.

Quãdo ignotum ſit momentum natiuitatis, & quando non?

Quãdo ignoratur momẽtum practicũ, quomodo procedendũ?

27. Hoc autem argumentum in æquiuocatione fundari, facilè ſuadeo. Non enim probat quod ignoretur momentum natiuitatis practicum, quando puer natus eſt hora decima præciſa. Quando autem ignoratur momentũ natiuitatis practicum, quia infantis natiuitas non correſpondet puncto horæ ab horologio deſignatæ, inde ſolùm infertur dubium; ſicut quando homo ignarus eſt, an impleuit vigeſimum primum annum, inde ſolùm infertur dubium: & obligatio ieiunandi iuxta regulas generales de dubiis decidenda eſt. Ergo malè arguit ab ea ignorantia ad partem temporis deſignandam, vltra regulas de dubiis à Doctoribus datas.

28. Tertium argumentum, quod propoſuit *ibid.* & retuli *num.* 4. ſimile eſt præcedenti, & eodem modo ſoluitur, & eodem impugnatur. Licèt Deus reuelaret momentum natiuitatis, adhuc ignoraretur eius momenti reuolutio: ergo ſeptimus annus moraliter accipiendus eſt, & non de momento ad momentum.

29. Diſtinguo antecedens: ignoraretur eius momenti reuolutio [mathematica,] concedo; eius momenti reuolutio [practica, id eſt, qualis per horologia deſignabilis,] ſubdiſtinguo: ignoraretur eius momenti reuolutio practica [certa,] nego; eius momenti reuolutio practica [dubia,] concedo. Quod intellige iuxta dicta in ſolutione præcedentis.

30. Quartum argumentum, quod deſumitur à paruitate materiæ, quodque propoſuit *diſputat.* 101. *in Regul. num.* 1328. & retuli ſuprà *n.* 2. in hac materia nullius eſſe momenti, conſtabit *cap.* 7. *& ſequentibus.*

31. Quintum argumentum, quod *ibid.* propoſuit, & *ibid.* retuli, eſt. Quia ſi non poſſet vno ſaltem quadrante prorogari obligatio præcepti, [Eccleſia rebus faciendis mathematica tempora indiceret, non moralia, quod eſt contra vniuerſorum opinionem.]

32. Tempus moraliter computari, dum computatur per ordinem ad horologia, certò conſtabit ex dicendis *cap.* 4. 5. *&* 6. in quibus manifeſtè oſtenditur, non poſſe tempora Eccleſiaſticis

Digitized by Google

ſiaſticis legibus deſtinata computari plus minuſve. Ad id autem, quod dicit, id eſſe contra vniuerſorum opinionem, dicam *c.7.fin.num*...

CAPVT IV.

Tempus præcepti non poſſe computari moraliter, ſiue hora præfixa plus minuſve.

33. Concluſio in titulo præſcripta directè aduerſatur aſſertioni Caramuelis, & Paſqualigi, relatæ *cap.* 1. Nobis tamen ſuffragantur reliqui omnes Doctores, dum diem à die diuidunt à puncto mediæ noctis per horologia deſignato, ad punctum alterius mediæ noctis. Et quamvis aliqui admittant paruitatem materiæ in aliquibus caſibus quoad tempus legibus deſignatum; illos tamen nobis non contradicere, patebit *cap.*10.

34. *Computatio ſub eo modo, Plus minuſve, conſtringit ad proceſſum infinitũ.*

Concluſio oſtenditur primò in ſeptennio requiſito ad obligationem legis Eccleſiaſticæ, completo in puncto horæ decimæ præciſo. Si non eſſet computandum ſeptennium hoc de momento ad momentum, ſed moraliter, & plus minuſve, vel addẽda eſſet ſemihora determinatè (idem eſt ſi dicas, vna hora, vel vnus quadrans) vel ſemihora plus minuſve? Quidquid dicant aduerſarij, ſe ſuis terminis implicant: ergo prædictum ſeptennium de momento ad momentum eſt, & non moraliter, & plus minuſve. Probatur minor. Nam ſi dicas primum, nempe addendam eſſe ſemihoram determinatè; rogo iterum, an iſta ſemihora computanda ſit de momento ad momentum, vel potiùs moraliter, & plus minuſve? Si dicas, iſtam ſemihoram ſuperadditam non de momento ad momentum, ſed plus minuſve computandam eſſe, infero: ergo præter illam ſemihoram, alium quadrantem (vel ſemihoram) addere debes. Patet conſequentia. Ideò enim ſeptẽnio addis ſemihoram, quia ſeptennium computatur plus minuſve, & non de momento ad momentum: ſed etiam iſta ſemihora ſuperaddita computatur non de momento ad momentum, ſed plus minuſve: ergo iſti ſemihoræ addendus eſt quadrans alter, vel altera ſemihora, &c. Rurſus cùm iſte quadrans ſuperadditus non ſit computandus niſi moraliter, & plus minuſve, tertiam aliam partem temporis determinatam deſignare debes: & ſic in infinitum.

35. Si verò dicas, primam ſemihoram ſeptennio ſuperadditam non eſſe computandam moraliter, & plus minuſve, ſed de momento ad momentum, arguo primò. Nullum ſpeciale priuilegium, nulla ratio ſpecialis eſt in iſta ſemihora ſuperaddita, vt computetur de momento ad momentum, & non moraliter, aut plus minuſve, quod, vel quæ deſideretur in hora præfixa à lege: ſed iſta ſemihora ſuperaddita computatur non moraliter, & plus minuſve, ſed de momento ad momentum: ergo hora præfixa à lege non moraliter, aut plus minuſve eſt computanda, ſed eodem modo de momento ad momentum.

36. Secundò. Ideò ſeptennium non eſt computandum de momento ad momentum, quia momentum ſeptennij non eſt cognoſcibile: ſed non eſt magis cognoſcibile momentum ſemihoræ ſuperadditum: ergo vel vtraque hora computanda eſt de momento ad momentum, vel neutra.

Et quidem ſi dixerint, ſeptennium impleri hora decima, minuto tertio, ſcrupulo primo; & ideò expectandum tempus certum horologio deſignandum: & poſtquam deſignatur horologio, iam poteſt de momento ad momentum computari. 37.

Si hæc dicant, retractant, quæ docuerunt. 38. Nam ſi ſeptẽnium impleatur hora decima præciſa, iam hoc ſeptennium computabitur de momento ad momentũ, & non moraliter, aut plus minuſve. Deinde ſi caſum diſponunt modo, quo momentum non eſt cognoſcibile, quis dubitet, id manere ſub dubio, & caſum dubium legibus dubiorum regulandum eſſe?

Itaque cùm dicis, ſeptennio addendam ſemihoram, vel addis ſemihoram plus minuſve, vel ſemihoram determinatam computãdam de momento ad momentum. 39. Si ſemihoram plus minuſve; rogo, quantum luxationis continet illud *plus minuſve*? Si dicas vnum quadrantem (vel quidquid libuerit) iam præter ſemihoram addis vnum quadrãtem. Quod ſi etiam iſte quadrans ſit computandus plus minuſve, dare teneris alium quadrantem contentum in illo *plus minuſve*; & ſic in infinitum. Quod ſi ſemihora ſeptennio addita, non plus minuſve, ſed determinatè, & de momento ad momentum computetur; cùm non ſit ſpecialis ratio in ſemihora, ac in ſeptẽnio, vtraque hora, vel neutra de momento ad momentum erit computanda.

40. *In moralibus nec hora, nec quantitas computari poteſt plus minuſve.*

Hîc notabis pro plurimis caſibus moralibus, & reſolutione eorum, ſemper partem temporis, vel quantitatem alterius ſpeciei determinandam eſſe: & vbi determinari non poteſt omninò, ex regulis generalibus dubij caſum eſſe decidendum: v. g. ſi pro ientaculo veſpertino ſolito in die ieiunij, aſſignares octo vncias plus minuſve; rogo, an illud *plus minuſve*, ſit vna vncia? Rurſus interrogo, an ſit vna vncia determinatè, an vna vncia plus minuſve? Si ſit vna vncia determinatè: ergo iam aſſignas nouem vncias determinatè, dum aſſignas octo vncias plus minuſve. Si verò dicas, illud *plus minuſve*, non eſſe vnam vnciam determinatè, ſed vnam vnciam plus minuſve, infero: ergo ſupra vnam determinatè vnciam aliquid plus poteſt ſuperaddi. Rurſus arguo: vel iſtud aliquid aliud ſuprà vnciam eſt alia vncia (vel ſemivncia, vel quidquid libuerit) determinatè, vel alia vncia plus minuſve. Si hoc ſecundum, fit proceſſus in infinitum. Si primum: ergo iam deſignatur quantitas determinata, ſine eo, quod addi debeat illud *plus minuſve*.

Pro ientaculo in die ieiunij non poſſunt computari 8. vnciæ, plus minuſve.

41. *Pro paruitate in furto non poſſunt computari 4. regales, plus minuſve.*

Similiter deſignanda eſt materia magna & parua in furto. Nam ſi dicas, materiam paruam in furto eſſe quatuor regales plus minuſve, rogo quantum includatur in eo *plus minuſve*? Si ſit vnum as æreum, rogo iterum, an ſit materia parua quatuor regales, & vnum as plus minuſve, vel quatuor regales & vnum as determinatè? Si dicas quatuor regales & vnum as plus minuſve, aliud as addere debes, & ſic in infinitum. Si verò dicas, materiam paruam eſſe quatuor regales, & vnum as determinatè, & non plus minuſve: ergo iam materia parua determinanda fuit omninò, & non computanda indeterminatè

minatè

minatè per illud *plus minuſve*. Quod idem contingit in termino ſeptennij, qui non eſt computandus per illud plus minuſve, ſed de momento ad momentum.

CAPVT V.

Demonſtratio altera pro eadem concluſione.

42. *Obligatio nequit incipere in tempore diuiſibili, ſed moraliter indiuiſibili.* OStendo ſecundò eandem concluſionem: obligatio non poteſt incipere, vel deſinere in tempore diuiſibili, ſed neceſſariò debet incipere, vel deſinere in puncto temporis (moraliter) indiuiſibili: ergo initium obligationis incipientis in ſeptennio requiſito ad leges Eccleſiaſticas, non eſt accipiendum moraliter, & plus minuſve, ſed computandum de momento ad momentum. Conſequentia patet ex antecedente. Computatur enim initium ſeptennij à momēto practico natiuitatis vſque ad tempus, in quo incipit obligatio: ſed obligatio incipit in momento indiuiſibili; neque enim incipere poteſt in tempore diuiſibili: ergo cōputatur de momēto indiuiſibili ad momentū indiuiſibile.

43. Antecedens verò probatur. Pars diuiſibilis tēporis, v.g. ſemihora, habet duas partes, priorem & poſteriorē: ſed obligatio non poteſt incipere in ambabus partibus, priori & poſteriori: ergo obligatio non poteſt incipere in parte diuiſibili temporis. Conſequentia patet, & maior eſt euidens.

44. Minor autem facilè demonſtratur. Nam ſi obligatio incipit in parte priori, nempe in primo quadrāte, cùm aduenit poſterior quadrans, verum eſt dicere; [Nunc eſt obligatio, & antea etiam erat:] ergo ſi ante ſecundum quadrantem erat obligatio, non incipit obligatio in ſecundo quadrante. Eſt enim terminorum implicatio, quod nunc incipiat, & quod antea præextiterit. Si verò incipiat obligatio in parte poſteriori temporis, nempe in ſecundo quadrāte ſemihoræ, cùm aduenit iſtud ſecundum quadrans, verum eſt dicere, [Nunc eſt obligatio, & antea non erat:] ergo ſi non erat obligatio ante ſecundum inſtans, non potuit incipere obligatio in priori inſtanti: ergo non poteſt incipere obligatio in ambabus partibus temporis priori, & poſteriori.

45. Confirmatur. Si obligatio inciperet in ambabus temporis partibus priori & poſteriori, inferrentur duæ propoſitiones contradictoriæ; ſcilicet quod [In priori eſſet obligatio,] & quod [In priori non eſſet obligatio.] Prima infertur. Quia tunc eſt obligatio, quādo incipit: ſed obligatio incipit in priori illa parte tēporis, vt caſus ſupponit: ergo obligatio eſt in illa priori parte temporis. Secunda etiam pars infertur,

46. quod ſcilicet [In priori non eſſet obligatio.] Etenim quando incipit obligatio, eſt verum dicere, [Nunc eſt obligatio, & antea non erat:] ergo ſi obligatio incipit in poſteriori parte tēporis, verū eſt dicere, [In hac poſteriori parte temporis eſt obligatio, & ante hanc poſteriorem partem non erat obligatio:] ergo in priori illa parte temporis non erat obligatio.

Dices. Obligatio pueri ſeptennarij incipit in momento phyſicè diuiſibili; diximus enim, eam incipere in momento moraliter indiuiſibili: at momentum moraliter indiuiſibile, eſt phyſicè diuiſibile: ergo poteſt etiam incipere in momēto moraliter diuiſibili. Probatur conſequentia. Argumentum enim, quod militat contra momētum moraliter diuiſibile, militat etiam contra momentum phyſicè diuiſibile. Etenim momentum moraliter indiuiſibile eſt phyſicè diuiſibile, & phyſicè habet duas partes ſucceſſionis, priorē & poſteriorē obligatio: ergo incipit in priori, & non in poſteriori, vel è cōuerſo. Et hoc non obſtante dicitur incipere obligatio in eo momento ſine diſtinctione prioris & poſterioris ſucceſſionis: ergo ſimiliter quamvis momentum ſit moraliter diuiſibile, poterit incipere obligatio in toto eo momento ſine diſtinctione prioris & poſterioris.

Et confirmatur. Eo ipſo, quod illud momentum eſt indiuiſibile moraliter, dicitur incipere obligatio in toto eo momēto: ergo ſi incipit in toto momento, incipit in ambabus partibus phyſicis ſucceſſionis, priori & poſteriori. Iam ergo ſimiliter inferuntur duæ contradictoriæ, quod [in priori parte phyſica momēti eſt obligatio,] & quod [non eſt obligatio in ea priori parte.] Eſt: quia in illa priori parte incipit. Non eſt: quia ſi incipit in poſteriori, in poſteriori eſt verum dicere, [Nunc eſt obligatio, & immediatè antea non erat.] 47.

48. *Obligatio poteſt incipere in momento phyſicè diuiſibili, & moraliter indiuiſibili.* Reſpondeo, conceſſo antecedenti, negando conſequētiam. Ad probationem nego, idem argumentum, quod militat contra momentum moraliter diuiſibile, militare etiam cōtra momentum phyſicè diuiſibile. Ad probationem conceſſo antecedente, diſtinguo conſequens: ergo obligatio incipit in priori, & non in poſteriori, [ſi diuerſitas prioris & poſterioris ſit perceptibilis,] concedo; [ſi non ſit perceptibilis,] nego. *Momentum continet ſucceſſionem imperceptibilē.* Etenim cùm obligatio præcepti non detur, niſi prout cognoſcibilis ab humano intellectu; initium illius eſſe non poteſt, niſi prout cognoſcibile, & perceptibile eſt. Itaque non incipit obligatio, niſi cognoſcatur: in momento ergo, in quo non eſt cognoſcibilitas prioris, & poſterioris, non poteſt inueniri prius & poſterius, in quorum altero adſit libertas, in altero incipiat obligatio; quamvis in tali momento phyſicè dentur prius & poſterius. Et ſimiliter ſi in tali momento non eſt perceptibile prius & poſterius, quamvis phyſicè ſint; non poteſt incipere obligatio in altero, & in altero continuari: quia non datur continuatio obligationis, niſi eo modo, quo ipſa eſt perceptibilis.

49. *Diſparitas inter vtrumque momentum.* Hinc neganda eſt ſecunda conſequentia, & diſparitas liquet: quia momētum, quod eſt moraliter diuiſibile, tale eſt, vt in illo percipiatur diſtinctè ab intellectu humano prius & poſterius. Vnde ſi incipit obligatio in priori ſucceſſione tēporis perceptibili, quando aduenit poſterius, iam eſt verum dicere, quod [in hoc poſteriori eſt obligatio, & in priori etiam erat obligatio.] Quando autem non eſt perceptibile prius & poſterius in aliquo momento temporis, tunc prius & poſterius, licèt phyſicè diuerſa, ita confunduntur, vt non percipiantur. Et vbi non ſunt perceptibilia, non eſt moralis diuerſitas, quæ requiritur ad incipiendam, vel continuandam obligationem.

Poteſt etiam reſponderi (quod eodem recidit) quod obligatio incipiens in momēto moraliter indiuiſibili, quod phyſicè & realiter eſt diuiſibile in duas partes, priorem & poſteriorem; à 50.

Digitized by Google

parte rei incipit in priori (vel in poſteriori.) Sed quia intellectus humanus non poteſt percipere eam diuiſibilitatem, aut diuerſitatem prioris & poſterioris; ideò dicitur incipere in toto momento phyſicè diuiſibili, & imperceptibiliter diuiſibili; & ideò moraliter indiuiſibili. Itaque à parte rei incipit in parte priori, ſed eam prioritatem non percipit.

51. Ad confirmationem concedo antecedens, & diſtinguo conſequens: incipit obligatio in ambabus partibus phyſicis, [ſecundùm quod ſunt vnum] ſcilicet ob imperceptibilitatem diſtinctionis, concedo; [ſecundum quod ſunt plures partes, prior & poſterior,] nego. Quia ambæ partes phyſicæ ſucceſſionis non cognoſcuntur diſtinctè, ſed potius cõfunduntur ab intellectu, & cognoſcuntur vt vnũ. Ad id, quod additur de contradictoriis ſimul veris, reſpondeo, eas non inferri. Prior eſt vera, nempe [In priori parte phyſica eſt obligatio;] quia prior, & poſterior eſt moraliter vna & eadem, cùm vna non ſit diſtinguibilis ab alia. Secunda eſt falſa, nempe, [Non eſt obligatio in ea priori parte phyſica.] Ad probationem diſtinguo antecedens: incipit in poſteriori, [vt condiſtincta à priori,] nego; incipit in poſteriori, [vt moraliter vna & eadem cum priori,] concedo. Quæ diſtinctio patet ex dictis.

52. Sed & iuxta terminos ſecundæ ſolutionis, da, primam eſſe veram de inceptione, vt eſt à parte rei, & vt tempus à parte rei correſpondet initio obligationis: & dic, ſecundam eſſe falſam in eodem ſenſu. Ad probationem nego, quod à parte rei incipiat in poſteriori; ſiue quod pars poſterior temporis correſpondeat inceptioni obligationis: licèt intellectus, quà non diſtinguit inter priorem & poſteriorem, & illam ſucceſſionem confundit, dicat, quod incipit obligatio in toto momento, vt ab intellectu cognoſcibile eſt, ſcilicet per modum durationis indiuiſibilis.

53. *Obligatio, quæ incipit in media nocte, incipit in momento moraliter indiuiſibili.* Hinc colliges, quomodo computandæ ſunt obligationes præceptorum, quæ incipiunt, & deſinunt in puncto mediæ noctis: v.g. obligatio ieiunij naturalis in eo, qui die ſubingrediẽte cõmunicaturus eſt. Nam (ſuppoſito quod ſit attendenda hora practica per horologium deſignata, vt conſtat ex diſputatione præcedenti) cùm ea obligatio ex præſcripto Eccleſiæ incipiat à media nocte, vtique non poteſt incipere in toto quadrante ſequenti poſt mediã noctem, ità vt inceptio continuetur per totum illum quadrantem: nam, vt conſtat ex proximè dictis, non poteſt incipere in tempore moraliter diuiſibili, quale eſt vnus quadrãs; ſed neceſſariò debet incipere in momẽto moraliter indiuiſibili, ſcilicet in fine eius quadrantis: atque adeò iam non inciperet in media nocte, ſed aliquo tempore tranſacto poſt mediam noctem.

54. Nec ſatisfacies, ſi dicas, illud vltimum punctũ morale primi quadrantis poſt mediam noctem ſubſecuti, reputari moraliter mediã noctẽ.

55. Quia dato, quod id verum eſſet, adhuc hæc non componuntur in ſententia aduerſariorum. Ideò enim dicunt, quod ad mediam noctem debet addi vnus quadrans, quia initium obligationis non debet incipere in momento indiuiſibili, eo quod non ſit computandũ de momento ad momentum, ſed moraliter, & plus minuſve: ſed demõſtratum manet oppoſitum, nẽpe quod debet incipere in momento indiuiſibili: ergo ille quadrans addendus non eſt.

Similiter obligatio ieiunij, quæ hodie viget, non poteſt deſinere, niſi in pũcto practico mediæ noctis, non verò in toto quadrante, qui eſt ante mediam noctem. Nam totus quadrans, qui eſt ante mediam noctẽ, eſt ſucceſſio diuiſibilis moraliter, habens duas medietates, priorem & poſteriorem, quarũ diſtinctio perceptibilis eſt. Obligatio autem non poteſt deſinere in ſucceſſione moraliter diuiſibili, ſiue in ambabus partibus, priori & poſteriori. Quia ſi obligatio deſinit in priori parte tẽporis, non poteſt iterum deſinere in poſteriori. Quod enim ſemel deſtruitur nunc, non poteſt iterum deſtrui tempore ſubſequenti, niſi fuerit reproductum. 56.

CAPVT VI.

Tria alia argumenta pro eadem concluſione.

Tertium argumentum eſt. Nunquam poteſt incipere obligatio horę medię noctis plus minuſve: ergo initium obligationis computandum eſt de momento ad momentum. Probatur antecedẽs. Etenim obligatio v.g. ieiunandi primo die quadrageſimæ, dato, quod poſſit incipere vno quadrante poſt mediam noctem horologio deſignatam, non tamen poteſt incipere vno quadrante ante mediam noctem: ergo incipiet in media nocte & plus; non verò in media nocte plus minuſve. Antecedens patet ex dictis capite præcedenti. Non enim poteſt incipere in fine quadrantis poſt mediam noctem, & ſimul incipere initio quadrantis ante mediã noctem: tum quia cùm Eccleſia præcipiat initium obligationis in media nocte, nemo poteſt addere illud nouum onus, quod incipiat obligatio ante mediam noctem. Tum quia implicat contradictionem, quod incipiat obligatio initio quadrantis ante mediam noctem, & quod ſimul incipiat in fine quadrantis poſt mediam noctem. Nam implicat, quod nunc incipiat, & quod inceperit antea. Dum enim incipit, verum eſt dicere, [Modò exiſtit, & antea non extitit;] nam ſi anteà extitit, non incipit nũc: ergo ſi incipit in fine illius quadrantis ſubſecuti poſt mediam noctem, verum eſt, quod antea non extitit: ergo verum eſt, quod in primo quadrante ante mediam noctem extitit: ergo verum eſt, quod in illo primo quadrante non incepit. 57. *Licèt obligatio poſſet incipere vno quadrante poſt mediam noctem, non tamen vno quadrante antè.*

Quartum argumentum. Dum ſeptennio, ad obligationem legis Eccleſiaſticæ requiſito, addis ſemihorã (vel quidquid libuerit) hoc eſt dicere, quod leges Eccleſiaſticę obligant impleto ſeptẽnio, & ſemihora (cùm ad incipiendã obligationem non addatur ante ſeptennium alia ſemihora) quæ ſemihora cùm computanda ſit (vt demonſtratum eſt *c.4.*) de momento ad momentum, aliàs abibitur in infinitum; ſequitur, tempus requiſitum ad obligationem legis Eccleſiaſticæ computandum eſſe de momẽto ad momẽtum. Etenim tempus requiſitum ad eiuſmodi obligationem, eſt ſemihora poſt ſeptennium: ſed ea ſemihora poſt ſeptennium, non moraliter, & plus minuſve computanda eſt, ſed de momento ad momentum: ergo tempus ad eiuſmodi obligationem requiſitum, non moraliter & plus minuſve, ſed de momento ad momentum erit computandum. 58. *Licèt addatur ſemihora, adhuc computatur de momento ad momentum.*

Similiter

Digitized by Google

59. Similiter ſi initio ieiunij, quod incipit in media nocte, addis vnum quadrantem; hoc eſt dicere, quod initium ieiunij incipit vno quadrante poſt mediam noctem, cùm ex dictis non poſſit ſimul incipere vno quadrante ante mediam noctem, & vno quadrante poſt. Cùm autem dicis, obligationem ieiunij incipere vno quadrante poſt mediam noctem, iam initium huius obligationis computatur de momento ad momentum: cùm ille quadrans non poſſit computari moraliter, & plus minuſve; aliàs abibitur in infinitum, vt patet *ex cap.* 4. ergo vtcumque computetur initium ieiunij in media nocte, cōputandum eſt de momento ad momentum, & non moraliter, & plus minuſve.

60. Ex dictis deducitur manifeſtè, quantum repugnet, quod præcepta Eccleſiæ (idem de ſæcularibus) indicentia tempus determinatum, intelligantur de tali tempore plus minuſve.

61. Primò; quia præcepta, quæ afferunt tempus oneroſum, non poſſunt intelligi pro eo tempore & *plus*; ſed ad ſummum pro eo tempore & *minus*: & præcepta, quæ indulgent tempus, non poſſunt intelligi de eo tempore & *minus*; ſed ad ſummum (id damus aduerſario argumenti causâ) de eo tempore *& plus*. Exempli causâ, cùm dicis, præceptum ieiunij, quod viget hodierno die, durare vſque ad mediam noctem, *plus minuſve*, malè aſſeris, quia non poteſt durare vnò quadrante, nec dimidio, &c. poſt mediam noctem. Quis enim habet authoritatem imponendi hoc onus, quod Eccleſia non impoſuit? Ad ſummum ergo poterit diminui extenſio eius vno quadrante ante mediam noctem: ergo, ſecundum aduerſarios, non durat hoc ieiunium vſque ad mediam noctem *plus minuſve*, ſed vſque ad mediam noctem vno quadrante *minùs*.

Leges afferẽtes tempus oneroſum, non intelligenda de eo, & plus.

Et quæ indulgent tempus, non intelligenda de eo, & minus.

62. Similiter præceptum recitandi horas indulget mihi tempus vſque ad mediam noctem: tunc perperam dicis, indulgere tempus vſque ad mediam noctem *plus minuſve*: quia non indulget *minùs*, quàm ad medium noctem; nam ſi velis demere mihi vnum quadrantem ante mediam noctem, vt iam non liceat mihi recitare completorium, expoſtulabo tecum, quòd velis mihi demere tempus, quod ex indulto Eccleſiaſtico habeo: ergo ſolùm poteris extendere tempus *plus*, ita vt poſſim extendere tempus vſque ad quantitatem poſt mediam noctem: ergo non *plus minuſve*, ſed *plus*.

63. Secundò, quia in præceptis afferentibus tempus oneroſum, cùm intelligenda ſint non plus *minuſve*, ſed *minùs*; illud *minùs* determinandum eſt ad quātitatem temporis, v.g. ſemihoræ: non ſemihoræ indeterminatè, & plus minuſve, quia abibitur in infinitum, vt patet *ex c.* 4. ergo addis ſemihorā determinatam. Cùm ergo Eccleſia determinat vnum diem, tu determinas vnum diem ſemihora minùs. Cùm Eccleſia præfigit terminum mediæ noctis, tu præfigis terminum ſemihoræ ante mediam noctem. Cùm in ieiunio hodierno Eccleſia præfigit durationem vſque ad mediam noctem; tu præfigis vſque ad vndecimam dimidiatam, ſiue cum tertio quadrante, computando vtrique de momento ad momentū, vt vitetur proceſſus infinitus. Computa ergo ſimiliter terminum ab Eccleſia præfixum de momento ad momentum, ſicut computare debes terminum tuum.

64. Quintum argumentum eſt. Implicantur enim termini, dum dicitur, præcepta Eccleſiæ intelligenda eſſe moraliter, & *plus minuſve*; & id eſſe ratione paruitatis materiæ. Paruitas enim materiæ dicitur illa, quæ præcipitur, vel prohibetur à lege, ſed non ſub obligatione graui, eo quod parua ſit; quia in paruam materiam non cadit præceptū graue. Hinc fit, quod ſi lex ipſa concedit expreſsè, vel tacitè aliquid paruum, illud quidem non eſt licitum ratione paruitatis materiæ, ſed quia conceſſum à lege. Ita ſi lex de obſeruatione feſtorum indulgeret, quod vacare poſſes ſeruilibus per duas horas, ea vacatio duplicis horæ non eſt licita ratione paruitatis materiæ, ſed quia conceſſa in lege. Cuius euidens ſignum eſt, quod in eo caſu vltra duas horas poſſet addi hora alia, & eo amplius pro paruitate materiæ.

Implicat, quod tempus lege præſeriptum intelligatur plus minuſve; & quod id ſit ratione paruitatis.

65. Tum ſic. Per te Eccleſiaſtica præcepta intelligi debent cum aliqua amplitudine temporis, quæ in ipſa intentione legis continetur: ſed ea amplitudo temporis, quæ in lege continetur, non eſt paruitas materiæ reſpectu legis: nam paruitas materiæ leuiter violat legem; & quæ continetur in lege, non violat legem: ergo Eccleſiaſtica præcepta non debent intelligi cum ea amplitudine temporis, ratione paruitatis materiæ.

CAPVT VII.

An ratione paruitatis materiæ poſſint dies non computari de momento ad momentum?

66. Vidimus *c.* 1. pro affirmatiua parte ſtare Caramuelem: qui ex doctrina generali, qua aſſeritur, materiam paruam in quolibet præcepto eſſe peccatum veniale, inferre contendit, idem dicendum in quibuſlibet legibus præſcribentibus tempus. Id tamen malè inferri, & planè falſum eſſe, iam oſtendam.

67. Pro cuius claritate notandum eſt primò, non repugnare, quod admittatur paruitas materiæ in tempore, quoad illas leges, quæ tempus præſcribunt, ſi ex alio capite id non repugnet. Ita communiter aſſignatur à Doctoribus paruitas materiæ in tēpore comeſtionis permiſſæ in die ieiunij. Etenim cōmunis ſententia aſſignat tanquam horā comeſtionis horam vndecimā diei, nempe vnam horam ante meridiem; aſſignatq; communiter pro paruitate materiæ, ſi quis anteponat comeſtionem per ſemihoram, aut tres quadrātes. Ita dum agunt de præcepto non vacādi ſeruilibus in die feſto, duas horas aſſignant pro paruitate materiæ; quibus qui ſeruilibus incubuerit, non peccabit lethaliter. Sic etiam dum docent, Miſſam celebrari poſſe ad auroram, aiunt communiter, nō eſſe lethale, ſi celebret per duos, vel tres quadrantes ante auroram, ratione paruitatis materiæ.

Admittitur paruitas materiæ in tempore, dum alia ratio non reſiſtat.

68. Notandum eſt ſecundò, illud quod ex ſe eſt paruitas materiæ, comparatum ad finem præcepti, vel ex alia circunſtantia, eſſe poſſe materiam grauem præcepti. Etenim vncia panis ex ſe parua materia eſt: & ita qui illam comederit in die ieiunij (vltra comeſtionem diei, & ientaculum nocturnum) ſolùm peccabit venialiter. Si tamen ante communionem Euchariſtiæ comedas

Quod ex ſe eſt paruum, ex fine poteſt fieri magnū.

Digitized by Google

medias vnciam panis, peccabis mortaliter. Quia cùm ſit Eccleſiæ determinare, quo cultu colendus ſit Deus, quo colenda ſit Euchariſtia, & reipſa ad Euchariſtiæ cultum determinauerit ieiunium naturale; vncia panis, imò & quilibet cibus, vel potus minimus, qui, vel quæ extra ſe eſt materia parua, relata ad reuerentiam Euchariſtiæ determinatam ab Eccleſia, eſt valde magna. Quod optimè explicat Caramuel *in Theol. fund. num. 2008. fund. 67.*

69\.

Pomū Adæ, ratione finis fuit materia magna.

Similiter vnum pomum ex ſe parua materia eſt, quod quandoque non excedit duas vncias, quas tanquam paruitatem materiæ in die ieiunij aliqui Doctores probabiliter aſſignant. Illud tamen Deus grauiter prohibuit primis parentibus, qui mortaliter peccauerunt in comeſtione illius, vt docet fides catholica. Nam licèt in ſe eſſet res parua; at cùm prohibita fuerit à Deo comeſtio eius ad eum finem, vt recognoſcerent obediendo ſupremum Dei dominium; ſic fuit materia grauiſſima, & quæ in totum genus hominum intulit mortem. Quare miror, Caramuelem *diſp. 4. in Regul. n. 41. B.* hæc dixiſſe: [Poſtulas, an ſaltem Deus leuia poſſit præcipere ſub culpa graui? Reſpondeo, Authores diſſentire: dumque in contrarias partes eunt, nobis in præſenti ſufficere ſcire, quod nequidem vnus dixerit, Deum de facto nobis aliquid præcipere graue ſub leui, aut leue ſub peccato graui. Conſultò *nobis* dixi: quia præceptum Adamo impoſitum, quod perſuaſu fœminæ violauit, obſtrinxit illum grauiter: *& non concurrit circumſtantia aliqua ob quam fuerit grauis illa materia.*] Quæ poſtrema verba valdè miror; cùm facillimum ſit, grauitatem materiæ ex fine colligere.

Quid de pomo Adæ dixit Caram.

70\. Notandum eſt tertiò, vt quæſtio hæc locum habeat, non eſſe reducendam ad materiam diſputationis præcedentis, nec ſupponendum, eſſe probabile, quod quando ſonat duodecima, eſt duodecima, vno quadrante minùs; nec ſupponendum, eſſe probabile, quod tunc eſt duodecima vno quadrante plus. Tum quia oppoſitum ibi demonſtrauimus: tum præcipuè, quia modò loquimur independenter ab ea quæſtione, & præſcindendo ab illa; & ſolùm inquirimus, an præcisè ratione paruitatis materiæ, & nullo alio titulo attento, horæ mediæ noctis poſſit ſuperaddi vnus quadrans à parte ante, & alter quadrans à parte poſt.

71\.

Paruitas tēporis habet circumſtantiam, quæ infert tranſgreſſionem magnam. Extrahere obligationem à die naturali, in quo eſt implenda, res eſt grauis.

Sit concluſio. Paruitas temporis ſolet habere circumſtantiam, quæ infert träſgreſſionem magnam; præcipuè in computatione diei naturalis à media nocte in mediam noctem: & tunc creſcit in materiam magnam. Hæc concluſio certa eſt, & quam omnes Doctores admittunt, vt ex diſcurſu faciendo conſtabit. Ratio in generali eſt, quia licèt differre executionem præcepti vno horæ quadrante, videatur de ſe parum; at graue onus diei extrahere à die, & diem illum relinquere ſine opere in illa implendo, res eſt grauis. Quod magis conſtabit deſcendendo in particulari ad ſingulares materias.

72\.

Quomodo non ſit materia parua, quod communicaturus comedat vno quadrante poſt mediam noctem.

Et in primis cùm Eccleſia præcipit, vt ante communionem ſerues ieiunium naturale, ex ſe parum videtur prima (vt dicitur) ſpecie, ſi ab illius tempore deficias per vnicum quadrätem. Atqui ſi primo quadrante poſt mediam noctem comedas communicaturus ſacram Synaxim, accedes ad Euchariſtiam non ieiunus, deficieſq; in ea reuerentia exteriori, quam præſcribit Eccleſia ad ſacram communionem. Accedere autem ad Euchariſtiam non ieiunum, & ſine reuerētia exteriori, quam præſcribit Eccleſia, res eſt valde grauis. Idque verum eſt, quamuis cōtendas, illam comeſtionē factam vno quadrante poſt mediam noctem, pertinere ad diem antecedentem; quia paruitas materiæ non poteſt facere, quod comeſtio facta poſt mediam noctem tranſeat ad diem antecedentem.

Confirmatur. Comedere ſemivnciā panis ex ſe videtur materia parua: at comparata ad ieiunium naturale, quod requiritur ad Euchariſtiæ ſumptionem, eſt aliquid graue; quia tollitur per illam ieiunium naturale, & conſequenter illa reuerentia exterior præſcripta ab Eccleſia: ſed quamvis vnus quadrans horæ ablatus à tempore ieiunij naturalis videatur eſſe parum temporis; tamen ſi in illo primo quadrante poſt duodecimam comedatur aliquid, per id tollitur ieiunium naturale; quod quidem non ſtat, dum intra diem naturalem aliquid comeditur; conſequenterque tollitur ea reuerentia exterior præſcripta ab Eccleſia ad ſumptionem Euchariſtiæ: ergo demere vnum quadrantem à ieiunio naturali, non eſt materia leuis, ſed valde grauis. 73.

74\.

Quomodo non ſit paruitas tollere vnum quadrantem à die ieiunij?

Deinde idem conuincitur in præcepto ieiunij Eccleſiaſtici, quod durat per viginti quatuor horas. Nam licèt tollere vnum quadrätem à viginti quatuor horis, videatur materia parua: at non eſt materia parua, quod aliquis comedat bis in die ieiunij, quia non eſt materia parua deſtruere eſſentiam ieiunij Eccleſiaſtici: quæ quidem deſtruitur, ſi intra eundem diem naturalem, qualiter ab Eccleſia cōputatur, comedatur pluſquam ſemel. Euidens autem eſt, quod qui vno quadrante ante mediam noctem comedit (poſt comeſtionē ordinariam meridiei, & ientaculum nocturnum) bis comedat intra diem naturalem, quem per viginti quatuor horas ſupputat Eccleſia. Vide quæ infrà dicam *cap. 8. & 9. à num...* contra Paſqualigum.

Et ſimile eſt, ſi dies craſtina deſtinata eſt ieiunio Eccleſiaſtico, & comedas intra vnū quadrantem poſt mediam noctem, comeſturus cibum ordinarium hora communi. Quia etſi demere vnum quadrantem à viginti quatuor horis videatur parum: at comedere bis in die, eſt tollere eſſentiā ieiunij Eccleſiaſtici; quod valde graue eſt. In eo autem caſu manifeſtum eſt, quod ille homo intra diem naturalem bis comederet, cùm ille quadrās poſt mediam noctem ſit pars huius diei, in quo ieiunatur. Eſſe autem partem huius diei, fatetur, qui dicit eſſe partem paruam, & ideò parui æſtimandam, & ad ſummum culpæ veniali vertendam. 75.

76\.

Quomodo non ſit paruitas differre Completoriū vno quadrāte poſt mediā noctem.

Similiter ſi Veſperas, & Completorium velit Sacerdos reſeruare, vt recitet in illo quadrāte, qui ſubſequitur mediam noctem, non delinquit in re parua. Etenim non eſt res parua, quod totus dies Eccleſiaſticus tranſeat ſine integra recitatione officij Canonici. Cùm enim præſcriptum ſit ab Eccleſia, quod nullus dies tranſeat abſque integra & graui recitatione officij, quæ eſt res valde grauis; & qui differt Veſperas & Completorum immediatè poſt mediam noctem, tranſire faciat diem integrum abſque graui integritate officij canonici; vtique delinquit in re graui. Quod reliquis præceptis facilè eſt accommodare.

Quæ

Digitized by Google

77. *Iudicium omnium prudentum de magnitudine morali facit euidentiam.*

Quæ omnia confirmantur ratione alia moraliter euidenti. Etenim regula paruitatis & magnitudinis materiæ præcepti eſt iudicium prudens. Quod bene notauit Caramuel *diſp.* 4. *in Regul. num.* 46. dum ait: [Moralis quantitas dependet non niſi à prudentum hominum æſtimatione.] Hinc fit, quod (vt oſtendi *diſput.* 12. *cap.* 1.) commune omnium, aut ferè omnium Doctorum iudicium de grauitate, aut leuitate materiæ, facit euidentiam moralem, quamvis vnus vel alter aliter iudicet. Sicut enim moraliter euidens eſt, tantam quantitatem panis habere pondus vnius libræ, ſi adæquetur ſtateræ communiter receptæ in populo; quamvis non adæquetur ſtateræ alteri ſingulari, quam quidam priuatus homo habet, quia ſtatera communiter recepta facit euidentiam moralem: ita contingit in præſenti. Nam quando datur commune iudicium hominum prudentum, & Doctorum, qui in materia morali verſatiſſimi ſunt, circa grauitatem materiæ; id iudicium eſt adinſtar ſtateræ communis, in qua grauitas materiæ libratur: & ita quòd omnes, aut ferè omnes cenſent materiam grauem, moraliter euidens eſt, eſſe grauem; & eſſe leuem, quam ferè omnes prudentes iudicant eſſe leuem.

78. *Tranſilire punctum mediæ noctis, moraliter eſt euidenter graue.*

Iam verò omnes Authores (ante Caramuelem, & Paſqualigum) nemine dempto, cenſent, materiam grauem, ſi quis poſt mediam noctem transglutiat bucellam aquæ, communicaturus Euchariſtiam die ſubingredienti; ſi quis in die ieiunij vno quadrante ante mediam noctem ſecundò comedat; ſi quis ieiunaturus die ſubingredienti, & comeſturus hora communi, comedat vno quadrante poſt mediam noctem; ſi quis omittat veſperas & completorium diei hodiernæ, recitaturus primo quadrante poſt mediam noctem, & ſic in omnibus ſimilibus: ergo moraliter euidens eſt, has omnes materias eſſe graues.

79. Hinc non ſine admiratione relego, quæ dixit Caramuel *diſput.* 101. *in Regul. num.* 1328. in ea periodo, quam retuli *num.* 2. præcipuè poſtrema ea verba: [Non puto præcepta politica, ſiue Eccleſiaſtica illa ſint, ſiue ſæcularia, tam exactè poſſe tempus decernere, vt reus ſit, qui ſublatis aliis inconuenientibus, opus præceptum differat vno quadranre: quia aliàs Eccleſia rebus faciendis mathematica tempora indiceret, non moralia; *quod eſt contra vniuerſorum opinionem.*] Et in primis reſpondeo, nomine temporis moralis intelligendum eſſe tempus, quale per horologia deſignatur, non autem qualiter intelligitur à Caramuele, & Paſqualigo, vt tempus morale ſit illud, quod computatur plus minuſve. Et in hoc ſecundo ſenſu, me tenet admiratio, quod dixerit, id eſſe *contra vniuerſorum opinionem.* Rogo enim quorum vniuerſorum? Quomodo enim dicere poteſt, mediam noctem computandam eſſe plus minuſve iudicio vniuerſorum Theologorum; cùm ipſe fateatur, vniuerſos Theologos (quos ideò acriter reprehendit) cenſere, mediam noctem computandam eſſe ad ſonitum horologij de momento ad momentum?

CAPVT VIII.

Remouetur ſententia Paſqualigi, quæ contrahit diem ieiunij ratione paruitatis materiæ.

Zacharias Paſqualigus vir valde doctus, & aliàs de re Theologica optimè meritus, neſcio quo fato in tractatu de ieiunio exorbitauerit, abieritque in ſententias à recta Theologia deuiantes, quæ partim *in diſp.* 23. *cap.* 5. partim huc veniunt examinandæ. Vide etiam *diſp.* 11. *cap.* 2. *art.* 3. Fortaſſe eum tractatum iunior ſcripſit, cùm vireſcentes ſpecies in floſculos ingenij erumpunt, nondum maturæ ad criſim moralis Theologiæ. Nam in cæteris, quæ ſcripſit, fortè ſenior, ſibi diſſimillimus eſt. 80.

81. *Poſſe poſtponi cœnam infra horam poſt mediã noctẽ, quam ſubſequitur ieiunium. Et poſſe anticipare infra horam in die ieiunij.*

Quod attinet ad materiam præſentem, in prædicto tractatu de ieiunio *deciſ.* 159. *num.* 2. (apud Leandrum à SS. Sacr. *tract.* 5. *in quinque præcepta, diſp.* 6. *q.* 28.) ita diſſerit. [Mihi valde probabile videtur, dari paruitatem materiæ in poſtponendo v.g. cœnam poſt mediam noctem, ad quam ſequitur ieiunium; ſicut etiam in anticipanda comeſtione in die ieiunij, ante mediam noctem, & proinde excuſari à peccato mortali, & etiam veniali, ſi interueniat iuſta aliqua cauſa.] Et *num.* 6. diſcurſum promouens, ita ait: [Hìc autem dubitatur, quantum temporis poſſit aſſignari in hoc caſu pro paruitate materiæ? Reſpondeo, non debere eſſe multum; alioquin eſſet contra finem ieiunij, quo Eccleſia intendit, per diem integrum affligere corpus: nam ſi eſſet multum tempus, idem eſſet, ac ſi bis in eodem die comederetur. Deinde comeſtio tranſiret de comeſtione antecedentis, aut ſubſequentis diei ad comeſtionem præſentis diei. Debet ergo eſſe intra horam ad ſummum; ita tamen vt comeſtio attingat tempus præcedentis, aut ſubſequentis diei, & poſſit prorogari in diem ieiunij, aut in ipſo anticipari per tempus, quod ſit infra horam: quia ſi non attingeret tempus præcedentis, aut ſubſequentis diei, non eſſet comeſtio illorum dierum, ſed diei ieiunij. Illa autem anticipatio, aut prorogatio eſt modica, & modicum quid ſubtrahit de duratione ieiunij; quia tempus non pertingens ad horam, eſt tempus modicum reſpectu totius diei.]

82. *Quàm ſit certum in iis caſibus violari ieiunium?*

Sed vtroque modo violari ieiunium, eſt certiſſimum; & conſtat ex dictis. Primò. Nam commune iudicium Theologorum eſt trutina, ad quam taxatur quantitas moralis; ideóque (vt oſtendi *diſputat.* 12. *capite* 1.) eſt moraliter euidens, eam quantitatem moralem eſſe magnam, quam commune Theologorum iudicium cenſet magnam, vt etiam probaui *cap. præcedenti*: ſed commune iudicium Theologorum iudicat quantitatem magnam, ſi quis ieiunans, infra horam, imò infrà quadrantem horæ ante mediam noctem iterum comedat: ergo euidens moraliter eſt, quod ea comeſtio ante mediam noctem eſt quantitas moralis grauis; conſequenterque inducit in culpam lethalem.

Secundò. Si eſſet paruitas materiæ anticipare ſecundam comeſtionem infra horam ante mediam 83.

mediam noctem ratione paruitatis materiæ, demendo eam paruitatem temporis à die naturali, quo durat ieiunium; etiam liceret demere eandem paruitatem temporis in intermedio die, v. g. hora ſexta poſt meridiem; nam tam paruum tempus eſt vnum, ac alterum, ſi dematur de fine diei, ac ſi demalur de tempore intermedio. Sicut quia valet paruitas materiæ in vacatione à ſeruilibus debita diei feſto, non eſt illicitum mortaliter in tempore diei intermedio vacare illis infra duas horas.

Paruitas materiæ non habet vim transferendi partem huius diei in ſubſequentem.

84. Reſpondes, latum eſſe diſcrimen; quia ſi ſecunda comeſtio fieret hora ſexta poſt meridiem, verificaretur, quod ille ieiunio obſtrictus comederet bis in die; quod non verificatur, quando ſecundò comedit in fine diei; quia ſic hæc ſecunda comeſtio pertinet ad diem ſequentem: quod non requiritur in vacatione à ſeruilibus.

85. Infero: ergo iam illud non licet ratione paruitatis materiæ vtcumque, ſed quia talis modus paruitatis materiæ facit, quod illa ſecunda comeſtio facta in fine diei faciat, illam pertinere ad diem ſequentem. Tum ſic. Inintelligibile eſt, quod paruitas temporis habeat vim transferendi partem huius diei ad diem ſubſequentem. Paſqualigus enim nec negat, nec negare poteſt, hunc diem pertingere vſque ad mediam noctem; cùm in fine diei ante mediam noctem impleat Sacerdos præceptum recitandi officium canonicum; & qui tunc comedit, non impediatur communicare Euchariſtiam die craſtina: ſed paruitas materiæ non poteſt facere, quod hæc pars temporis prætergrediatur terminos mediæ noctis: ergo paruitas materiæ non poteſt facere, quod illud tempus pertineat ad diem ſubſequentem.

86. Deinde quia paruitas materiæ nequit facere, quod illud tempus ante mediam noctem, in quo ille homo obſtrictus ieiunio iterum comedit, non correſpondeat impletioni præcepti vacandi à ſeruilibus pro die præſenti: implicat autem, duas actiones ibi correſpondere, eſſeque ſimul tempore; & quod vna pertineat ad vnum diem, & altera ad alterum: ergo implicat, quod illa comeſtio pertineat ad diem ſubſequentem, cùm illa vacatio à ſeruilibus ad diem præſentem ſpectet.

87. Dices, poſſe duas actiones ſibi tempore correſpondentes pertinere realiter ad vnicum diem; & vnam earum pertinere moraliter ad alterum, nempe ſubſequentem.

88. Contra eſt. Nam quomodo poſſit paruitas materiæ facere, quod actio facta realiter in die præſenti, tranſeat moraliter ad ſubſequentem, hoc opus, hic labor eſt. Deinde infero: ergo ille homo verè & realiter comedet bis in die naturali ieiunij. Sed hoc eſt amputare eſſentiam ieiunij Eccleſiaſtici: ergo violatur.

Paruitas temporis non excuſat à peccato mortali contra ieiunium.

89. Confirmatur demonſtratiuè. Hodierna die ſeruatur ieiunium ex lege Eccleſiæ, non autem die craſtina; & Petrus in illa ſemihora ante mediam noctem diei hodiernæ iterum comedit. Da ergo argumenti causâ, hanc eſſe paruitatem materiæ temporis, & adhuc non pertinere eam ſemihoram ad tempus craſtinum, ſed ad tempus hodiernum. Tum ſic. Qui comedit bis eodem die, violat ieiunium: ſed quamvis illa ſemihora ſit paruitas materiæ, verificatur, quod Petrus comedit bis in die: ergo quamvis illa ſemihora ſit paruitas materiæ, violat ieiunium. Ergo quantumvis fingas paruitatem materiæ, eſt aliud caput, vnde violatio ieiunij grauis ſit, nempe quia illa ſemihora pertinet ad diem hodiernum, non ad craſtinum.

Dices iterum. Ratione paruitatis materiæ licet illi homini demere tres horæ quadrantes: 90.
cùm ergo illos demat à die præſenti, illi quidem transferuntur ad ſubſequentem.

Sed numquid pro libito cuiuſque eſt trucidare diem in partes; & vnam, quia parua eſt, 91.
mittere in diem ſequentem? Quid enim eſt demere partem temporis ab vno die, & transferre illam in alium, niſi confundere terminos?

Præterea nihil euidentius eſt, quàm ſignificationes nominum, maximè præceptis Eccle- 92.
ſiæ, non pendere ab vnius, vel alterius placito, ſed ſolùm à communi acceptione; & hanc comprobari ex communi ſenſu peritorum, vt optimè obſeruauit P. Thom. Sanch. *lib. 6. ſum. cap. 4. num. 27.* & ideò *diſp. 12. cap. 4.* oſtendi, commune Theologorum iudicium facere euidentiam moralem in iis, quæ ſpectant ad vſurpationem, & ſignificationem nominum. Sed nomine diei præſentis ab omnibus intelligitur dies fluens vſque ad punctum mediæ noctis, vt omnes hucuſque tradiderunt: ergo euidens eſt, comeſtionem illam ſecundam factam ante mediam noctem, eſſe comeſtionem diei præſentis; atque adeò in die præſenti factam fuiſſe duplicem comeſtionem, conſequenterque violatum ieiunium.

Sententia omnium facit euidentiam circa ſignificationem vocum.

Quid omnes intelligant nomine diei præſentis?

Dices adhuc, hoc præceptum ieiunij non debere computari de momento ad momentum, 93.
ſed plus minuſve: & in eo *plus* claudi tempus infra horam; & in eo *minus* contineri tantumdem. Ideóque diem hodiernum computari per vigintiquatuor horas, plus minuſve, ſiue infra horam plus, vel infra horam minùs. Et hinc fit, quod tres quadrantes poſtremi non pertineant ad diem præſentem, quia licet computare diem præſentem, tribus quadrantibus minùs.

Reſponſio.

Hac reſponſione neque vtitur, neque vti 94
poteſt Paſqualigus, qui dicit, eam anticipationem cœnæ, vel ſecundæ comeſtionis eſſe peccatum veniale ratione paruitatis materiæ. Nam ſi in ipſa interpretatione legis, & mente eius contineretur, quod dies poſſet computari tribus quadrantibus minùs, & eo amplius infra horam; neque eſſet paruitas materiæ, neque peccatum veniale anticipatio eius temporis; quia non eſt peccatum veniale accommodare ſe menti ipſius legis. Et hinc fieret vlteriùs, ſuppoſito, quod id tempus pluſquam trium quadrantum eſſet quid contentum in ipſa lege, poſſet aſſignari pro paruitate materiæ aliud tantumdem tempus; atque adeò ex eo *plus minuſve*, quod continetur in mente legis, & ex paruitate materiæ, poſſet anticipari in die ieiunij illa ſecunda comeſtio ferè per duas horas; & ſic ridicula fierent præcepta Eccleſiaſtica. Quo quid abſurdius eſſe poteſt?

Quæ abſurda ex ea ſequantur.

Vt omittam, quod illi tres quadrantes, qui 95.
demuntur ex ieiunio hodierno, vel debent computari de momento ad momentum, vel *plus minuſve?* Si de momento ad momentum, cur non etiam eodem modo computabitur præceptum ieiunij? Si moraliter & *plus minuſve:* ergo vltra tres quadrantes addere debes aliquid

Digitized by Google

aliquid aliud. Et ſi illud aliquid aliud intelligi debet moraliter, & *plus minuſve*; etiam aliquid aliud debebis addere, & procedere in infinitum, vt conſtat *ex cap.* 4.

96. Et tandem ea remouetur apertè per omnia illa argumenta, quæ facta ſunt contra eum modum computandi tempus, & poſita *c.* 4. 5. & 6. Quare Leander citatus hanc ſententiam Paſqualigi putat improbabilem, dum ſuam oppoſitam affirmat *omninò certam*. Implicat enim ex duabus ſententiis oppoſitis; vnam eſſe certam, & alteram probabilem; vnam eſſe certam, & alteram non eſſe certò falſam: vt patet *ex diſp.* 4. *num.* 6.

CAPVT IX.

Amputatur altera ſententia Paſqualigi, quod incipiens cœnam ante mediam noctem, poſſit illam continuare infra horam poſt mediam noctem, quam ſubſequitur dies ieiunij.

97. Similis eſt præcedenti altera aſſertio Paſqualigi, qui etiam putat, poſſe continuare cœnam per ferè vnam horam poſt mediam noctem, quam ſubingreditur dies ieiunij, qui ante mediam noctem cœnare cœpit, ſcilicet in die, quæ non afferebat onus ieiunij. Ita *deciſ.* 160. referente Leandro à SS. Sacram. *tract.* 5. *de ieiunio, diſp.* 6. *quæſt.* 29. Et *deciſ.* 338. *n.* 14. ait, eum, qui poſt tres quadrantes poſt mediam noctem cœnat, poſſe eo die ſumere Euchariſtiam; apud Amadæum Guimenium *tract. de ieiunio, num.* 12. Ad quam quæſtionem redire ſuperuacaneum eſſet, eo quod omnia dicta in hac diſputatione pariter militant contra hanc aſſertionem, niſi fundamenta, quæ pro ſe adducit Paſqualigus, indigerent examine.

Cõuicta manet ex c. 8.

98. Probat igitur primò ſuam concluſionem. Quia in tempore ieiunij datur paruitas materiæ. Sed ſpatium temporis infra horam eſt paruitas materiæ: ergo ratione illius poterit poſt mediam noctem protogari cœna infra horam; demendo ſcilicet id breue temporis ſpatium per anticipationem à die ieiunij ſubſequenti.

99. Secundò. (vtor verbis Leandri referentis) Quia quando cœnans audit ſignum mediæ noctis, eſt in poſſeſſione cœnæ, quæ eſt actio pertinens ad diem, qui tunc finitur: ergo poteſt continuare cœnam, quovſque illam compleat, etiam ſi die ſequenti debeat ieiunare: quia præceptum ieiunij non obligat, vt quis ſe ſpoliet poſſeſſione, quam habet ſupra comeſtionem diei antecedentis; cùm iuſtè poſſidens non poſſit ſpoliari ſine iniuſtitia: ergo.

100. Tertiò. Quia quando cauſa eſt cœpta, partes adquirunt ius ad terminationem ipſius, non obſtante quod deberet expirare iuriſdictio delegati, vt contingit in morte delegantis, per quam, quando res non eſt integra, non expirat, ſed prorogatur, donec cauſa terminetur. *Cap. Litteris* 1. *cap. Gratum, cap. Relatum de officio delegati*, &c. Et ideò quando durante Iubilæo Confeſſio Sacramentalis eſt incepta, eo elapſo poteſt Confeſſarius abſoluere pœnitentem à caſibus reſeruatis, vt docent Sanchez, Henriquez, Santarellus, Boſſius, & alij, quos nos citauimus, & ſecuti ſumus 1. *part. tract.* 5. *diſp.* 12. *quæſt.* 50. Ergo cùm in caſu præſenti adquiſitum ſit ius ad cœnam complendam, eo ipſo quod eſt incepta debito tempore, poteſt compleri; quia cenſetur prorogari dies, donec cœna terminetur, & non ſuccedere dies ieiunij.

Quartò. Quia id colligitur ex interpretatiua voluntate Eccleſiæ, quæ non vult affligere corpus per ſubtractionem cibi pertinentis ad antecedentem diem.] Hucvſque fundamenta Paſqualigi relata à Leandro. 101.

Miror tamen virum doctum adeò leuibus fundamentis moueri. Primum de paruitate materiæ in tempore, ex *cap.* 7. & 8. confuſum manet. Ideoque reſpondendum materiam paruam fieri magnam ex circumſtantia, vel illatione rei grauis, quæ datur in præſenti. Verificatur enim, quod ille, qui ita cœnam continuat, verè comedat carnes in die ieiunij, & in illo comedat bis: tum quia iudicio omnium prudentum, dies hodierna cenſetur vſque ad punctum mediæ noctis. Tum quia cùm commune iudicium in quantitate morali faciat euidentiam tanquam menſura moraliter infallibilis; & commune iudicium hanc reputet materiam magnam, patet manifeſtè, eam non eſſe paruam, ſed magnam. Tum denique ob cætera argumenta, quæ contra eum dicendi modum inſtruxi in his duobus capitibus. 102.

Communis ſententia facit euidentiã de grauitate materia.

Secundum Paſqualigi argumentum potiùs vertit aciem ſuam contra ſuum Authorem. Nam ſi finito tempore poſſeſſionis, alius ſuccedit in iure poſſidendi, primus iuſtè deturbatur à ſua poſſeſſione; quia poſſeſſio primi incipit eſſe iniuſta. Conceditur tibi per annum poſſeſſio fundi, ita vt impleto anno ſuccedat Petrus. Statim atque annus impletur, ſi perſeueraueris in poſſeſſione, iuſtè ab ea deturbabit te Petrus, cuius iam eſt ius poſſidendi fundum. Permittitur tibi cœna, & poſſeſſio tuæ libertatis toto die antecedenti: in tuam libertatem habet ius præceptum Eccleſiæ ſtatim ac finitur dies libertatis: ergo à poſſeſſione cœnæ & libertatis tuæ poteſt te iure optimo Eccleſia deturbare. 103.

Poſſeſſio conceſſa pro tẽpore limitato eo tranſacto ceſſat.

Poſſeſſio libertatis conceditur vſque ad punctum mediæ noctis.

Tertium argumentum procedit à paritate cauſæ inceptæ in tribunali iudicis delegati; quæ quia incepta, terminari debet, quando mortuo delegante debebit expirare iuriſdictio delegati. Et ego interrogo, an id ita fiat, quia ſic diſponunt iura? Et concedis. Ergo vt detur paritas inter vtrumque, ſicut cauſa incepta terminari debet ab ipſo delegato, quia ita diſponunt iura; debebas dare, quod cœna continuanda eſſet, ex diſpoſitione iuris. 104.

Cauſa incepta debet terminari, quia ſic diſponunt iura.

Deinde interrogo, an terminaretur cauſa per eundem delegatum, ſi daretur in contrarium diſpoſitio iuris? Et negas. Sed datur contra continuationem cœnæ diſpoſitio iuris præcipientis expreſsè, quod à media nocte ieiunetur: ergo diſparitas eſt euidens. 105.

Cœna incepta terminari non poteſt poſt mediam noctem, quia ſic diſponit ius.

Ad id, quod ſuperadditur de Iubilæo, dico, aliquos nimis fidere paritatibus; quo arguendi modo vt in plurimum nihil fallacius eſt in Theologiam moralem. Cùm enim ex vna circumſtantia videtur eſſe paritas, ex centum aliis diſparitas elucet. Si ergo bonum argumentum 106.

Quanta abſurda inferantur ex paritate Iubilæi?

mentum deſumitur à paritate Iubilæi, probo, quod ille homo qui in cœna attigit mediam noctem, poſſit continuare cœnam poſt duas horas. Nam tranſacto Iubilæo poſt duos, imò poſt plures dies poteſt continuare confeſſionem inceptam tempore Iubilæi, & ſic abſolui à reſeruatis: ergo tranſactâ mediâ nocte poſt duas, vel poſt plures horas poteſt continuare cœnam attingentem finem mediæ noctis. Prætereà eadem paritate probo, quod qui incepit cœnam hora noctis octaua, ſcilicet quarta ante mediam noctem, nec finiuit, poſſit eam continuare octaua hora poſt mediam noctem. Quia qui incepit confeſſionem in Iubilæo, nec finiuit, poteſt poſt duodecim horas, tranſacto Iubilæo, illam finire, & ſic abſolui à reſeruatis. Vide ergo in qualia trahant barathra iſtæ paritates ad quamdam apparentem ſimilitudinem dolatæ. Quo eodem modo poteris arguere ex paritate præcedenti cauſæ inceptæ, & terminandæ per delegatum, mortuo delegante. Nam cauſa incepta poteſt terminari poſt aliquos dies: ergo cœna poteſt continuari poſt aliquot horas.

107. Peto ergo, an ſi in Iubilæo expreſſe decerneretur, ne quis poſſet abſolui à reſeruatis præteritis, vel præſentibus, poſt tranſactum Iubilæum; adhuc poſſet continuans Confeſſionem ab illis abſolui? Et quidem negabis. Cùm ergo expreſsè decernatur, ne poſt mediam noctem comedat ille, qui ieiunio illius diei obſtringitur; patet ampliſſima diſparitas inter vtrumque.

108.
Malè allegatur voluntas interpretatiua, cùm eſt expreſſa contradicens.

Ad quartum contra communem, & vniuerſalem Eccleſiæ praxim malè allegatur interpretatiua voluntas Eccleſiæ, quæ potiùs interpretationem accipit ex communi praxi, & conſuetudine, iuxta caput *Cum dilectus, de conſuetud.* Et ideò quando de ea voluntate Eccleſiæ dubitaretur, recurrendum eſſet ad praxim Eccleſiæ, quam tanquam obligatoriam omnes Fideles tenent, vt ſtatim poſt mediam noctem nihil comedant ieiunaturi, vltra vnicam comeſtionem ieiunij Eccleſiaſtici propriam.

109.
Hæ aſſertiones Paſqualigi reiiciuntur à Doctoribus vt improbabiles.

Quare optimè dixit Leander citatus, oppoſitam ſententiam ſibi eſſe certiſſimam. Implicat autem; oppoſitam eſſe certiſſimam, & ſententiam Paſqualigi non eſſe certò falſam, & improbabilem, vt oſtendi *diſput.* 4. *cap.* 1. Et Amadæus Guimenius *tract. de Ieiun. propoſ.* 2. *num.* 12. cùm retuliſſet eam opinionem Paſqualigi, ait: [Quid ergo? communicare poterit, etiamſi per tres quadrantes poſt mediam noctem ientauerit? Apage. Ideò *meritò* ſententiam Paſqualigi vt *improbabilem* reiicit Frater Ludouicus à Concept. *tom.* 1. *exam. verit. tract.* 2. *de reſtit. caſ.* 45. *num.* 36. *fol.* 284. Et vt tales reiiciendæ veniunt, quas tradit *deciſ.* 155. & 161. Nimirum quod in comedendo poſt mediam noctem, quando ſubſequitur ieiunium; aut ante mediam noctem in die ieiunij, datur paruitas materiæ excuſans à lethali, videlicet infra ſpatium vnius horæ... Eiuſmodi enim opiniones non bene audiunt apud Theologos.]

CAPVT X.

Aliquot corollaria ex dictis.

Colliges primò, non repugnare, quod aſſignetur materiæ paruitas in tempore, quoties ex fine, vel ex circumſtantiâ materia parua non creſcit in magnam: & hoc etiam ad prorogandum tempus præcepti aliquantulo tempore. Ideò in ætate requiſita ad matrimonium deſignant aliqui paruitatem materiæ. Et ita P. Thom. Sanch. *lib.* 7. *de Matrim. diſp.* 104. *num.* 2. & 3. affirmat, ſufficere vltimam diem inceptam, licèt nondum completam. Et Hoſtienſis (apud Dianam *part.* 5. *tract.* 5. *reſol.* 16.) aſſignat pro paruitate materiæ tres dies: Martinus de Ledeſma decem dies: Rebellus vnum, vel alterum menſem. Vide alia ſimilia apud eundem Dianam *ibid. reſol.* 17. 18. & 19. 110.

In tempore datur materia parua, quoties aliũde nõ creſcit.

111.
Paruitas materiæ in tempore computanda eſt de momento ad momentum.

Colliges ſecundò, hanc paruitatem materiæ temporis computandam eſſe de momento ad momentum, & non plus minuſve. Nam ſi aſſignes pro paruitate vnum diem plus minuſve, aſſignabis diem, & aliquid aliud; & ſi iſtud aliquid aliud computetur plus minuſve, etiam aliquid aliud deſignandum eſt, & ſic in infinitum. Vide *cap.* 4.

112.
Qui admittũt in tẽpore paruitatem materiæ, non cõputant plus minuſve.

Colliges tertiò, cùm Authores aſſignant paruitatem temporis in porogando tempore præcepti (quando videlicet ex circumſtantia, parua materia non ſit magna) nihil penitus fauere ſententiæ Caramuelis, & Paſqualigi, aſſerentium, præcepta tempus præſcribentia intelligenda eſſe non de momento ad momentum, ſed moraliter, id eſt, plus minuſve. Ea enim ſunt valde diuerſa. Nam quod prorogetur impletio præcepti per aliquam paruam morulam temporis ratione paruitatis materiæ, res eſt, quæ legem violat leuiter: ſi autem lex intelligenda ſit de tempore plus minuſve, iam id plus minuſve continebitur in ipſa intentione legis; & ideò per id plus, vel minus lex non violaretur leuiter. Vide *cap.* 6. *argument.* 5.

113.
Quomodo cõputanda eſt media nox, vbi non eſt horologium.

Non plus, minuſve.

Colliges quartò, quomodo computandum eſt tempus mediæ noctis in eo loco, vbi non adeſt horologium. Nam Leander à SS. Sacr. *tract.* 5. *de ieiunio, diſp.* 6. *quæſt.* 26. ait, præceptum de obſeruando ieiunio à media nocte in mediam noctem, vbi non eſt horologium, computandum eſſe moraliter, id eſt, (vt explicat quæſtione ſequenti) plus minuſve. Quod niſi ampliùs explicetur, non poteſt ſubſiſtere; facilè enim relabemur in proceſſum infinitum *cap.* 4. expoſitum.

114.
Coniecturæ probabiles gerunt vices horologij.

Deficiente coniectura, regi debemus ex regulis de dubio.

Ergo vel ſunt probabiles coniecturæ, quod ſit iam media nox; vel nulla eſt coniectura probabilis? Si primum, probabiles coniecturæ gerunt vices horologij; & ita ex illis poteris gubernari tanquam ex teſtimonio horæ practicæ. Si verò nulla eſt probabilis coniectura, res manet in ſtatu dubij; & ita legibus communibus dubiorum dirigere debes conſcientiam. V. g. craſtina die tibi communicaturo, occurrit in nocte deſiderium bibendi, multo tempore poſt cœnam; & dubitas, an potus impediet communionem? Si habes probabiles coniecturas in fauorem tuæ libertatis, quod

nondum

Digitized by Google

nondum ſit media nox, illis tanquam horologio bene regulato credere potes; & ita potes ſecurè potum ſumere. Si verò coniecturæ ſuadeant, tranſiiſſe iam tempus mediæ noctis, quæ totaliter dubium excludant, non poteris potum ſumere. Si autem coniecturæ non ſint tales, quæ dubium actuale excludant, dum dubius fueris de nocte media, libertate gaudes ad potum, iuxta dicta ſuprà *diſput. preced. cap.* 6. *num.* 86.

115. *Limitatio eius aſſertionis.* Cum hac tamen limitatione, quòd ſi dubius de media nocte biberis, & die accedente certitudine morali compereris, te accepiſſe potum poſt mediam noctem, nihil prodeſt illud prius dubium, imò neque probabilitas coniecturæ præcedentis, vt annulletur impedimentum communionis. Et ità non poteris licitè ſuſcipere ſacram Synaxim.

CAPVT XI.

De cœna in extrema nocte Bacchanalium protracta à Paſqualigo per tres horas poſt medium noctis.

116. COlliges quintò, quantum exorbitet ea aſſertio Paſqualigi *in tract. de Ieiun. deciſ.* 161. (referente Leandro à SS. Sacr. *tract.* 5. *de Ieiun. diſp.* 5. *quæſt.* 30.) aſſerentis tanquam probabile, in extrema nocte Bacchanalium, quam ſubſequitur feria quarta Cinerum, poſſe differri cœnam duas, aut tres horas poſt mediam noctem, ita vt incipiat ieiunium quadrageſimale tribus horis poſt mediam noctem: illis ſcilicet, qui vſque ad mediam noctem ludis, & ſaltationibus conſuetis vacant. Qui tamen addit, licèt hoc ſibi probabile videatur, nihil tamen decernere, ſed aliis melius ponderandum relinquit.

117. *Quid ſentiãt alij de improbabilitate eius aſſerti?* De qua re ſuum iudicium optimè protulit Leander citatus in hæc verba. [Sed ego, vt omninò certiſſimum reſpondeo, nullo modo eſſe licitum differre cœnam poſt mediam noctem in vltima Bacchanalium; & oppoſitum eſſe *omninò falſum, improbabile, omni fundamento carens, & a bonis moribus alienum.*] Et paulò poſt. [Oppoſita ſententia eſt *contra omnes Doctores, contra praxim, & communem ſenſum omnium Fidelium, & contra bonos mores*, cùm laxet habenas ludis, ſaltationibus, & cæteris huiuſmodi eodemmet tempore, quo Eccleſia incipit præcipere ſtrictiſſimum & ſolemniſſimum ieiunium; eodemmet tempore, quo omnes ſuos Fideles monet, vt parciùs vtantur verbis, cibis, potibus, ſomno, & iocis, &c. ergo prædicta ſententia omnino eſt à Fidelibus *reiicienda, & improbanda; vtpote & introducta de nouo contra contra communem ſenſum Doctorum, & praxim Fidelium, & bonos mores, & nullum habens, nec apparens fundamentum.*] Et Diana *part.* 10. *tract.* 16. *reſol.* 17. improbat eandem Paſqualigi aſſertionem: & Amadæus Guimenius *tract. de Ieiun. prop.* 2. *num.* 12. aſſerit, eam reiiciendam tanquam improbabilem, illamque non bene audire apud Theologos.

118. Nec neceſſe eſt reproducere omnia argumenta facta *cap.* 7. & 8. quæ omnia præcipuam vim habent contra hanc aſſertionem. Fundamenta autem Paſqualigi (apud Leandrum cit.) adeò leuia ſunt, & imbecilla, vt mirandum ſit, virum doctum illis inniti potuiſſe.

Primò. Quia cùm illi vacent ludis & ſaltationibus vſque ad mediam noctem, non eſt credibile, Eccleſiam velle, quod ea nocte extrema, & extremi gaudij, maneant incœnati. 119.

Ego quidem ſeriò cogitaui, quomodo colligatur hæc ſequela, quod Eccleſia velit, eos ludentes manere abſque cœna, ſi prohibet cœnam ſtatim poſt mediam noctem. Ecce diſcurſus: [Eccleſia vult, quod ſtatim poſt punctum mediæ noctis non cœnent; & ipſi nolunt interrumpere ludos ad cœnandum vſque ad punctum mediæ noctis: ergo Eccleſia vult, quod non cœnent.] Sanè hæc conſequentia non eſt nata inter analytica, vel inter topica Stagiritæ. Nam vt Eccleſia diceretur velle, eos manere abſque cœna, opus eſſet, eam velle, ne interrumperent ludos ad cœnandum; vel ſaltem quod ea interruptio eſſet moraliter impoſſibilis: quod vtrumque quàm falſum ſit, quis non videat? 120. *Peſſima conſequentia.*

Dices. Non eſt credibile, quod ex ſuppoſitione, quod noluerint interrumpere ludos vltra mediam noctem, velit Eccleſia, quod non cœnent. 121.

Sed nunquid non eſt credibile, quod velit quod euidenter præcipit? Ex praxi omnium fidelium conſtat à media nocte diem Eccleſiaſticum incipere, & ab illa præceptum ieiunij. Nomine diei præſentis in ordine ad ieiunium omnes intelligunt à media nocte in mediam noctem; & nihil euidentius eſt, quàm ſignificationem nominum non à priuato vnius cuiuſlibet cerebro, ſed à communi vſu & acceptione pendere. Ergo moraliter euidens eſt, quod Eccleſia vult, & præcipit, ne à media nocte eius, & cuiuſcumque alterius diei antecedentis ieiunium, fideles comedant carnes; & eos, qui tali tempore comedunt, violare præceptum; cùm moraliter euidens ſit, eos comedere carnes in die ieiunij. 122. *Quid intelligant omnes nomine diei præſentis? Et an faciant euidentiam circa ſignificationem?*

Secundum. Dies Cinerum non incipit à media nocte, ſed multò poſt illam: quia conſuetudine introductum eſt, vt ludi, & ſaltationes producantur vltra mediam noctem: hæ autem ſunt actiones diei vltimæ Bacchanalium: ergo dies vltima Bacchanalium protrahitur vltra mediam noctem ſecundùm moralem æſtimationem: ergo ſi protrahitur in ordine ad ludos, multò magis in ordine ad cœnam, quæ eſt vltima actio noctis. 123.

Sed eſto, ea conſuetudo ludendi poſt mediam noctem ſit rationabilis & præſcripta, & non corruptela moribus periculoſa, vtpote fœminis, & adoleſcentibus mutuò implicata. Vel eſt conſuetudo rationabilis & præſcripta cœnandi poſt eos ludos protractos poſt mediam noctem, vel non eſt talis conſuetudo? Si detur talis conſuetudo, dabimus manus, & dicemus derogatum eſſe legi Eccleſiaſticæ ieiunij. Sed cùm quæſtio ſit de facto, incumbit Paſqualigo onus probandi eam conſuetudinem in Eccleſia; quam nec probat, nec probabit. Si verò dicatur, licèt ſit conſuetudo ludendi poſt mediam noctem, non eſſe conſuetudinem cœnandi poſt mediam noctem; infero: ergo falſum eſt, quod cœna eſt vltima actio eius noctis, 124.

cùm

Digitized by Google

cùm detur conſuetudo ludendi poſt mediam noctem, & non ſit conſuetudo cœnandi poſt mediam noctem.

125. *Quæ abſurda errantur ex ea probatione?*

Deinde ſi cœna eſt vltima actio diei: ergo cum cœna fieri ſoleat duabus horis ante mediam noctem, tunc deſinit dies antecedens, & incipit dies ſubſequens. Ergo duabus horis ante mediam noctem (reliquo tempore præter Bacchanalium) incipit ieiunium ſequentis diei, & ſimiliter obligatio ieiunij naturalis ad communionem craſtinam: ergo duabus horis ante mediam noctem deſinit ieiunium hodiernum, & obligatio feſti hodierni, &c. Sanè *abyſſus abyſſum inuocat*, & abſurda aſſertio abſurdas alias.

126. *Quot & quæ falſa continentur in tertia probatione?*

Tertium. Tempus Bacchanalium *relaxandis animis inſtitutum*, debet *comparari cum toto tempore quadrageſimalis* pœnitentiæ: atqui ſic comparatum, ſi tempus recreationis protrahatur duas, aut tres horas poſt mediam noctem, ſubtrahitur pœnitentiæ *aliquod tempus non notabile*; *& adhuc ſeruatur ieiunium primi diei Quadrageſimæ*; licèt duret minori tempore. Nam *per ſolam cœnam clauditur dies antecedens, & ſequenti adhibetur vnica tantùm comeſtio.*

127. Vide ingentem colluviem falſarum propoſitionum. Primam: *Relaxandis animis inſtitutum.* Quæ hæc inſtitutio? Apoſtolicáne, an canonica, an ciuilis à prudentiſſimis legiſlatoribus ordinata? An potiùs ab hominibus in vitia pronis, & ad fumentum vitiorum ſibi adſcita? Audi in ſimili relaxatione S. Gregorium Magnum *in cap. Denique, diſt.* 4. vbi agens de hoc tempore præuio ad Quadrageſimam, ait. [Cùm omnes laici, & ſæculares illa die, plus ſolito cæteris diebus, accuratiùs cibos carnium appetant, & niſi noua quadam auiditate vſque ad medias noctes ſe ingurgitent, non aliter ſe huius ſacri temporis obſeruationem ſuſcipere putant: quod vtique *non rationi, ſed voluptati, imò cuidam mentis cæcitati* adſcribendum eſt.] Hæc eſt inſtitutio relaxationis eorum dierum.

128. Secundam. Tempus Bacchanalium *debet comparari cum toto tempore Quadrageſimalis pœnitentiæ.* Eſto, comparetur. Nunquid propter hanc comparationem debet detrahi tempus de feria quarta Cinerum? Detrahatur à parte ante, & duæ hebdomades integræ à parte ante deſumantur, vel *inſtituantur* ad eas animi relaxationes. Niſi forte eiuſmodi *inſtitutores* velint etiam *inſtituere* feriis ſextis, & Sabbathis carnium ingurgitationem; quod non dabimus.

129. Tertiam. Sed ad quem finem *debet comparari cum toto tempore quadrageſimalis pœnitentiæ?* Sanè, vt ea cœna tribus horis poſt mediam noctem reputetur paruitas materiæ, ſiue tempus non notabile. Sed probet inde, totam feriam quartam detrahi poſſe tempori quadrageſimalis pœnitentiæ, quæ ſi ad quadraginta, & ſex dies comparetur, poterit inter paruitates materiæ computari. Vide an immanius abſurdum colligi poſſit? Ad quantitatem moralem computandam commune Theologorum iudicium eſſe menſuram moraliter certam, oſtendi ſuprà *diſputat.* 12. *cap.* 1. eſt ergo certum moraliter, eam non eſſe paruam, ſed longè magnam materiam.

130. Imò & quoad ieiunium totam feriam quartam computauit, cùm per illum liceat, velit nolit, feria quarta (quæ incipit à media nocte) carnibus ingurgitari, quibus ieiunium totius diei violatur.

Quartam. *Et adhuc*, inquit, *ſeruatur ieiunium primi diei Quadrageſimæ.* Quid eſt *adhuc?* id eſt, bene componitur ieiunium quadrageſimale cum ea comeſtione carnium hora tertia poſt mediam noctem. Opportunè reproduceretur ea propoſitio in argumento, ſi iam maneret probata, vel noua probatio illi adderetur. Sed malè reproducitur, cùm nec probata fuerit, nec noua ratione probetur. 131.

Quintam. Nam quod denuò addit, *Per ſolam cœnam claudi diem antecedentem*, ex dictis ſuprà patet eſſe manifeſtè falſum. Alioqui hora ſecunda vel tertia ante mediam noctem communiter clauderetur dies; quia communiter ea eſt hora cœnæ. 132.

Sextam. *Et ſequenti die adhibetur vnica tantùm comeſtio.* Cùm certiſſimum ſit ex dictis, omnem diem ieiunij Eccleſiaſtici incipere à media nocte; certiſſimum quoque eſt, cœnantes poſt mediam noctem Quadrageſimæ præcedentem, & comedentes poſteà vnicam comeſtionem ieiunij propriam, duas comeſtiones exercere. 133.

DISPVTATIO XXVIII.

An Prælatus Regularis poſſit imponere ſubdito præceptum grauiter obligans vltra expreſſa in Regula?

CAPVT PRIMVM.

Aliquibus notatis proponitur ſententia Caramuelis.

NOTANDVM eſt primò, hæc præcepta tripliciter habere ſe poſſe. Primò. Ita vt ſint ſecundùm regulam, id eſt, de rebus contentis in regula. Secundò. Ita vt ſint ſupra regulam, id eſt, de rebus maioris perfectionis, quàm ea, quæ ſunt in regula. Tertiò. Ita vt ſint vltra, vel præter Regulam, id eſt, de rebus, quæ non continentur in regula. Conſtat autem inter omnes Doctores, poſſe Prælatum imponere præceptum grauiter obligans de rebus contentis in regula. Nam cùm Religioſus fecerit votum obedientiæ, vi illius voti tenetur obedire Prælato grauiter obliganti, & Prælatus poteſt illum grauiter obligare; alioqui votum eſſet fruſtraneum, ſi non poſſet reduci ad actum: ſi ergo in aliqua materia poteſt Prælatus præcipere; nulla alia magis proportionata eſt, quam materia regulæ cui Religioſus ſe ſubiecit, & quam profitetur, licèt ipſa regula per ſe, & ſecluſo Prælati præcepto, non obliget grauiter. Item non poſſe præcipi contra regulam, niſi præuiè facta diſpenſatione illius, in caſu quo poteſt diſpenſare; vel quo facta ſit diſpenſatio ab alio potente illam facere. De quo infrà *cap.* 7.

1. *Alia ſecundùm regulã, alia ſupra, alia vltra regulam.*

Certum eſt, poſſe præcipere expreſſa in regula.

Non contra regulam, niſi præcedente diſpenſatione.

Deinde

2. *Non poteſt præcipere ſupra regulam.*

Deinde conuenit inter ferè omnes Doctores Theologos, & Canoniſtas, non poſſe Prælatum grauiter obligare ſubditum, præcipiendo aliquid ſupra regulam, hoc eſt, ad exercitia maioris perfectionis; v. g. ad plura ieiunia, flagellationes, & ſimiles aſperitates, quàm quæ continentur in regula. Vide P. Thom. Sanch. *lib. 6. ſum. cap. 2. num. 15.* Et ratio eſt, quia ſi ex aliquo capite ad id poſſet obligare, eſſet vi voti obedientiæ: at ex vi huius voti non ſe obligauit ad res maioris perfectionis, quàm ea, quæ ſunt in regula. Et ideò Prælatus non poteſt obligare Religioſum monachalem ad peregrinationem Hieroſolymitanam, neque (regulariter loquendo) mendicantem quemlibet ad miſſionem Indorum diſtantiſſimam; quia hæc ſunt ſupra regulam eorum.

3. *Certum eſt, poſſe imponere pœnam pro violatione regulæ.*

Tertiò. Conuenit inter omnes, poſſe Prælatum præcipere ſubdito aliquas pœnas proportionatas delicto, ſi regulam violauerit: quia etſi regula non obliget ad culpam, obligat tamen ad pœnam violationis illius, quam Prælatus iuſtè impoſuerit.

4. *Quà paterfamilias præcipit vltra regulam, etiam nouitiis.*

Quartò notandum eſt, Prælatum Regularem eſſe verè & propriè patremfamilias, & habere hoc titulo poteſtatem præcipiendi quidquid poteſt pater familias præcipere domeſticis ſuis, proportionatè ad ſtatum Regularem; idque non vi voti obedientiæ, ſed ex quarto Decalogi præcepto: quo pacto etiam habet poteſtatem præcipiendi nouitiis. Quod bene notauit Caramuel *in Theol. Reg. num. 753.* qui addit; hanc poteſtatem Patriam eſſe in ordine ad politicam domus gubernationem. Et hoc modo verificatur, quod Prælatus Regularis habet authoritatem præcipiendi vltra regulam: cùm politica domus gubernatio non contineatur in regula, & ſæpe non ſit medium proximum ad obſeruationem regulæ. Et de hoc non procedit quæſtio, ſed ſolùm de poteſtate Eccleſiaſtica, & ſpirituali.

5. *Communis ſententia, non poſſe præcipere, niſi ſecundum regulã.*

Et quæ dicãtur ſecundum regulam.

Quintò notandum eſt, eſſe communiſſimam ſententiam, quæ docet, Prælatum Regularem ſua poteſtate ſpirituali non poſſe imponere præceptum grauiter obligans, niſi ſecundùm regulam, ſcilicet de rebus, quæ expreſsè, vel tacitè; directè, vel indirectè continentur in regula. Ita docet P. Thom. Sanch. *lib. 6. ſum. cap. 2. num. 15.* & ibi præter Diuum Thom. 2. 2. *quæſt. 104. art. 5. ad 3.* & Diuum Bonauenturam *in 2. diſt. 44. quæſt. 2. art. 3. quæſtiunc. 2.* alij triginta quatuor Doctores.

6. *Quantum diſtet Caram. ab ea communi ſententia.*

Caramuel prima facie videtur eſſe huius ſententiæ, ſed ſi attentè inſpiciatur, longiſſimè diſtat ab illa. Nam primò *in Theol. Regul. diſp. 50. initio*, diſtinguit inter ea, quæ præcipiuntur propter ſe, id eſt, non tanquam media ad alium finem, ſed ſiſtendo in eis, vt quando præcipit ieiunium, non intendendo alium finem, niſi eam mortificationem, quam ieiunium per ſe affert: & inter ea, quæ præcipiuntur propter aliud, hoc eſt, tanquam media ad finem, vt cùm præcipitur viratio domus ſuſpectæ tanquam medium ad obſeruationem caſtiratis.

Nõ poſſe præcipere, niſi expreſſa in regula, vel medium vnicè requiſitũ ad regulam.

Deinde *num. 700.* aſſerit, Prælatum Regularem non poſſe præcipere aliquod bonum propter ſe, quod ſit vltra regulam, iis verbis: [Prælato præcipienti directè & per ſe aliquod bonum, ſed extra regulam, poteſt monachus obedire, ſed non tenetur.] Et *num. 721.* docet poſſe Prælatum Regularem præcipere aliquid vltra regulam, quando eſt in ordine ad obſeruationem regulæ, illis verbis: [Quando Abbas iubet aliquid, quod eſt extra regulam, ſed in ordine ad aliud, quod eſt in regula, peccabit inobediens grauiter, aut leuiter, ſecundùm quantitatem materiæ, non medij, ſed finis.] Tertiò docet, nihil omnino poſſe Prælatum Regularem grauiter præcipere ſubdito, niſi ea, quæ expreſsè continentur in regula, vel ſunt media ad regulæ obſeruationem. Imò non omnia, quæ ſunt media conducentia ad obſeruationem regulæ, ſed quæ ſunt præcisè, & vnicè neceſſaria ad obſeruationem regulæ; quod expreſſit *n. 746.* ſicut etiam poteſt obligare ad pœnam pro regulæ violatione ſubeundam. Quod adeò ſtrictè intellectum eſſe vult, vt non poſſit Prælatus grauiter obligare ſubditum ad leges Eccleſiaſticas omnibus fidelibus communes. Ita enim habet *num. 712.* [Si præcipiat Prælatus ieiunia Eccleſiaſtica ſeruari, qui ea fregerit, licèt peccet contra præceptum Eccleſiaſticum, non peccabit contra monaſticum; quia *de ieiuniis Eccleſiaſticis regula diſponit nihil.*] Pro cuius explicatione ſupponit duo. [Primum, illud Eccleſiaſticum ieiunium præcipi purè propter ſe, non propter aliquid aliud regulare.... Secundum, non coincidere cum alio ieiunio Ordinis, vt plerumque contingit.]

Neque poſſe obligare ad leges communes.

Ideò neq; ad ieiunium Eccleſiaſticum.

Et in huius confirmationem adducit legem cuiuſdam cõgregationis prouincialis loquentis in caſu, quo concurrunt lex generalis Eccleſiaſtica, & lex monaſtica, illis verbis: [Imò ſi præcipiatur propter aliquid regulare, conſiderari poterit prudentiſſima Doctorum Ciſtercienſium lex lata Cæſareæ in Prouinciali Germanorum Capitulo anno 1626. vbi Patres Congregationis Monaſteriis Prælati, Declaramus, inquiunt, ea, quæ in Regula noſtra, Superiorum præceptis, & conſtitutionibus præcipiuntur, & aliàs ſunt iuris diuini, vel Eccleſiaſtici, ex vi præcepti Regulæ, Superioris, aut conſtitutionis nullam nouam obligationem inducere. 7.

Sed notandum eſt, hanc confirmationem non eſſe ad rem. Primò. Quia ea declaratio eſt ſolùm congregationis prouincialis, quæ ſolùm poteſt tenere in ea Prouincia. Caramuel autem loquitur de tota Religione, quæ vni prouinciæ non ſubeſt. Ratio eſt, quia ea declaratio intelligi debet de præceptis impoſitis in communi, non de imponendis, ſaltem reſpectu vnius ſubditi ſingularis: quia non eſt intentio congregationis auferre iuriſdictionem ordinariam à Prælatis, quam ipſis ineſſe infrà probabimus ex ipſo Caramuele; quam ſi auferre intenderent, clariùs loqui deberent. Tertiò, Nam ipſe Caramuel videtur parum fidere huic declarationi ad propoſitum ſuum. Nam *n. 704.* ſtatuit concluſionem, in qua agnoſcit duas obligationes reſpectu vnius actus, quarum altera procedat à præcepto monaſtico, altera à præcepto Eccleſiæ. Ita enim habet *reſol. 6.* [Prælato præcipienti alicui Sacerdoti legere officium diuinum, tenebitur is duplici titulo, obedientiæ, & Sacerdotij.] Itaque in hoc caſu ſecundùm eum Authorem peccat contra præceptum Prælati, & contra præceptum Eccleſiæ. 8.

Itaque

Digitized by Google

9. Itaque quia ieiuniū eccleſiaſticum (quod non eſt etiam monaſticum) non continetur in regula, aſſerit Caramuel, quod Prælatus non poteſt illud præcipere; & licet præcipiat, tunc non peccabit monachus contra præceptum Prælati; verè tamen contra præceptum Eccleſiæ. At verò cùm recitatio officij diuini reſpectu monachi Sacerdotis non ſolùm præcipiatur ab Eccleſia, ſed contineatur in Regula; ideò Prælatus Regularis poteſt illud præcipere: & Sacerdos non recitans in eo caſu peccabit contra præceptum Eccleſiæ, & contra præceptum Prælati. Hanc mentem magis explicuit *num.*713. his verbis. [In diem, quæ alias eſt ieiunij monaſtici, incidit vigilia alicuius Sancti: præcipitur ab Abbate hoc ieiunium propter ſe; ſubditus ſeruauit formam monaſticam, non eccleſiaſticam. Quale peccatum peccauit? Reſpondeo, contra Eccleſiam, non contra obedientiam. Peccauit eodem modo, quo peccaret in eadem actione aliquis ſæcularis, vel ipſe, ſi nihil præcepiſſet Abbas. Ratio eſt, quia Abbas ſolùm poteſt præcipere ieiunia monaſtica. Et ſupponitur ſubditus tali die fregiſſe ieiunium Eccleſiaſticum, monaſticumque ſeruauiſſe. Nota, ieiunium eccleſiaſticum & monaſticum differre in ciborum quantitate, qualitate & modo.] Vnde patet, ſecundum hunc Authorem, poſſe Prælatum Regularem præcipere ſubdito, quæ aliàs præcepta ſunt ab Eccleſia, ſi hæc continentur in regula; ſecus, ſi illa in regula non contineantur expreſsè.

10. Hinc conſtat, quantum differat ſententia Caramuelis à ſententia communi. Supponunt enim Authores ſententiæ communis, præcepta reliquis fidelibus communia contineri implicitè in regula, eo quod hæc præcepta pertineant implicitè ad regulam tanquam præambula neceſſaria, vt notauit P. Thom. Sanch. *lib.6.Sum.cap.2. num.*10. & Diuus Thom. 2.2. *quæſt.*186. *art.5. ad* 1. *& ad* 4. iunctis iis, quæ docuit *quæſt.* 104. *art.5. ad* 3. Et Caietanus in priori loco *art.* 5. *ad* 1. & paſſim inuenies in reliquis Doctoribus citatis à Thom. Sanchez vbi ſuprà. Eſt quidem communis ſententia, quod Religioſus non tenetur obedire Prælato, niſi præcipienti ſecundum regulam, vel, vt loquitur S.Thom. citatus, ſecundum conuerſationem regularem; at ferè omnes Doctores intelligunt & explicant, illa dici eſſe implicitè ſecundum regulam, ad quæ quomodolibet Religioſi obligantur; & indirectè, aut virtualiter ad ea, quæ ſunt media (ſecundùm alios conducentia, & ſecundum alios ex dictamine prudentiæ neceſſaria) ad eas obligationes implendas. Et ideò S.Thom. *quodl.*10.*art.*10. vbi eum citat Caramuel, referens duas opiniones, aliis aientibus, aliis negantibus, poſſe Religioſo præcipi vltra regulam, addit: *Quæ quidem duæ opiniones, etſi multum differre videantur quantum ad vocem, tamen quantum ad rem parum vel nihil differre inueniuntur. Nam ad regulam pertinere intelligenda ſunt non ſolùm ea, quæ ſunt expreſsè in regula, ſed etiam illa, quæ quocumque modo ad regulam reducuntur, vtpote quæ pertinent ad obſequium fraternæ ſocietatis, & ad punitionem culparum; ad quæ duo ferè omnia huiuſmodi indifferentia poſſunt reduci.* Et nota id verbum *ferè omnia*, quod denotat eſſe alia ſimilia. Et 1. 2. *quæſt.* 186. *art.5. ad* 4. loquens de actibus, ad quos non ſe extendit votum religioſæ obedientiæ, ait: *Quorum quidam ad religionem non pertinent, quia non ſunt de rebus pertinentibus ad dilectionem Dei, & proximi.*

CAPVT II.

Poſſe Prælatum Regularem præcipere vltra ea, quæ expreſsè continentur in regula, & vltra media ad illam neceſſaria.

CAramuelis ſententiam ſuprà explicatam impugno, & probo concluſionem in fronte huius capitis præfixam. Primò. Prælatus Regularis habet iuriſdictionem Eccleſiaſticam directiuam, vi cuius Religioſi poſſunt grauiter obligari. Hæc autem extenditur ad obligationes communes omnibus fidelibus Regularibus & ſecularibus; imò & ad obligationes Religioſorum ab Eccleſia illis impoſitas: ergo Prælatus Regularis poteſt grauiter obligare ad opere implendas obligationes communes, & peculiares ab Eccleſia impoſitas; atque adeò ad alia, quæ non continentur expreſsè in regula, nec ſunt media neceſſaria ad præciſam regulæ obſeruationem. 11.

Habet iuriſdictionem Eccleſiaſticam directiuam.

Quæ extenditur ad obligationes communes.

Maior ita certa eſt, vt P. Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.*8. *lib.*1. *cap.*8. *num.*2. aſſerat, illam eſſe de fide Catholica, *ſuppoſito vniuerſali conſenſu Eccleſiæ, & vero ſtatu Religioſo, eiuſque inſtitutione, & approbatione*: eo quod de fide ſit (inquit *num.* 3.) *Eccleſiaſticam iuriſdictionem eſſe ſufficientem ad obligandum in conſcientia per leges, ſeu præcepta.* Eam autem iuriſdictionem eſſe hodie apud Prælatos Regulares, conſtat ex vſu Eccleſiæ, & inſtitutione, & indultis ſingularum Religionum. Et quidem eam iuriſdictionem ineſſe Prælatis Societatis Ieſu, conſtat ex variis diplomatibus Apoſtolicis, præcipuè Pauli III. quæ incipit, *licèt debitum*: quod de aliis Religionibus conſtat ex Bullis Apoſtolicis in fauorem earum expeditis. 12.

An ea aſſertio ſit de fide?

Minor verò manifeſtè oſtenditur. Etenim iuriſdictio quaſi Epiſcopalis Prælati Regularis eſt iuriſdictio ordinaria, vt apud omnes compertum eſt: iuriſdictio autem ordinaria eſt fauorabilis, & extenditur ad omnes caſus, qui ſibi non limitantur. Et hac ratione poſſunt erga ſuos ſubditos quidquid Epiſcopus erga ſuos. Et iuriſdictio ordinaria extenditur ad caſus dubios. Sicut ergo Epiſcopus poteſt obligare grauiter ſubditos ad omnes obligationes adimplendas; ita Prælatus Regularis ſuos. Et caſu quo dubitetur, an extendatur ad præfatas obligationes, eo ipſo ad illas extenditur; ſicut quælibet poteſtas fauorabilis, quæ quia amplianda eſt, ad dubios caſus extendi debet. 13.

Ad quæ extendatur iuriſdictio ordinaria?

Eadem minor oſtenditur ſecundò. Nam ex *cap. Omnis vtriuſque ſexus, de pœnit. & remiſſ.* omnes fideles ſæculares compelluntur ab Epiſcopis præceptis & cenſuris ad confeſſionem, & communionem annuam. Hæc autem præcepta, & cenſuræ Epiſcoporum non attingunt Regulares exemptos: ergo aliquis alius Prælatus dari debet, qui Religioſum contumacem in omiſſione 14.

Quis compellat regulares ad confeſſionem annuam?

Digitized by Google

omiſſione confeſſionis & communionis annuæ compellere poſſit præceptis, & cenſuris. Atqui abſurdiſſimum eſt dicere, ſolum Summum Pontificem poſſe hunc Religioſum contumacem compellere ad confeſſionem, & communionem annuam: ergo Prælatus Regularis habet hanc iuriſdictionem, vt compellat præceptis & cenſuris Religioſum contumacem ad confeſſionem, & communionem annuam. Et tamen hoc præceptum non continetur expreſsè in regula, neque præcipitur vt medium ad illius obſeruationem; nam quamvis in regula vnius vel alterius Religionis reperiantur expreſsè præcepta Eccleſiæ; in pluribus tamen non ita reperiuntur expreſſa: ergo iuriſdictio Prælati Regularis extenditur ad hæc & ſimilia præcepta, quibus poſſit obligare ſubditum, quamvis ea non contineantur expreſsè in regula, nec præcipiantur vt media ad illius obſeruationem.

15. Confirmatur. Iuriſdictio ſpiritualis in Prælato Regulari eſt ordinaria, & quaſi Epiſcopalis, & poteſt erga ſubditos ſuos quidquid Epiſcopus erga ſuos; vbi id non eſt limitatum à Romano Pontifice: ergo ſi Epiſcopus compellit præceptis & cenſuris ſuos ſubditos ad confeſſionem & communionem annuam, poterit Prælatus Regularis ſuos ad communionem annuam compellere.

16. *Poteſt reſeruare caſus iuxta moderationem Clem. VIII.* Tertiò. Prælatus Regularis habet iuriſdictionem ordinariam ad reſeruandum caſus, iuxta moderationem tamen Clementis VIII. & Vrbani VIII. ergo poteſt præcipere iſti & illi confeſſori, eoſque grauiter obligare, ne abſoluant Religioſum confitentem eos caſus, & ne impendant abſolutiones inualidas. Hæc conſequētia manifeſta eſt: nam iuriſdictio ſpiritualis ordinaria talis eſt, vt vi illius poſſint grauiter obligari. Deinde hæc obligatio non abſoluendi à caſibus reſeruatis non continetur expreſsè in regula quamplurium Religionum, neque præcipitur vt medium ad obſeruationem regulæ: ergo Prælatus Regularis vi ſuæ iuriſdictionis ſpiritualis ordinariæ obligare poteſt ad alia præter ea, quæ expreſsè continentur in regula, vel ſunt media ad obſeruationem illius.

17. *Poteſt compellere Regulares, vt accedant ad proceſſiones.* Quartò. Concilium Trident. *ſeſſ. 25. cap. 13. de Regular.* præcipit vt Regulares etiam exempti ad publicas proceſſiones accedere compellantur: & licèt aliqui Doctores aſſerant, non poſſe Epiſcopum eos compellere cenſuris, ſed ſolo ſuo præcepto; tamen non poteſt eſſe dubium, in aliquo reſidere iuriſdictionem ordinariam ad compellendos præceptis & cenſuris Religioſos contumaces, vt ad eas proceſſiones accedant: eſt ergo dicendum, quod Prælatus Regularis, qui habet iuriſdictionem ordinariam ad cætera, poſſit obligare grauiter Religioſum contumacem, vt ad eas accedat; cùm tamen id non ſit expreſſum in regula, neque ſit medium ad regulæ obſeruationem.

18. *Poteſt compellere ad ſeruanda interdicta, & feſta diœceſis.* Præterea idem Concilium *eadem ſeſſ. cap. 12. de Regular.* præcipit, vt interdicta ab Epiſcopo promulgata, eo mandāte, in Regularium Eccleſiis promulgentur; necnon vt dies feſti authore Epiſcopo inſtituti, à Regularibus exemptis ſeruentur. Da ergo, Æditiuum nolle publicare eiuſmodi interdictum, vel diem feſtum non ſeruari ab aliquo Religioſo. Nunquid Prælatus Regularis vti non poterit iuriſdictione ſua ordinaria, & quaſi Epiſcopali, vt præceptis, & cenſuris eos ad parendum compellat? Abſurdum id eſt, & inauditum; cùm tamen ea obſeruatio feſtorum, & interdictorum non reperiatur expreſsè in regula, nec ſit medium neceſſarium ad illius obſeruationem. His ſimilia in iure reperies ſexcenta alia, in quibus ſimile argumentum efformare poſſis.

Confirmatur argumentum factum. Quando Religioſi erant ſubditi Epiſcopis, hi poterant grauiter præcipere illis, quæ poſſunt grauiter præcipere cæteris fidelibus, ſeruata proportione ſtatus: v. g. quod implerent obligationem annuæ communionis, & confeſſionis; quod Sacerdotes non abſoluant à caſibus reſeruatis, &c. ſed in exemptione Religioſorum ab Epiſcopis, Prælati Regulares ſucceſſerunt Epiſcopis in ea iuriſdictione quaſi Epiſcopali reſpectu ſuorum ſubditorum: ergo Prælati Regulares illā eadem poſſunt Religioſis præcipere grauiter; quæ tamen non contineri expreſsè in regula, neque eſſe media ad eius obſeruationem, conſtat ex dictis. Neque inde inferas, poſſe Prælatum Regularē vnius monaſterij, vel collegij ferre leges perpetuas, vt poterat Epiſcopus: nā quoad hoc in multis Religionibus limitata eſt poteſtas Prælati localis; quoad præcepta verò tēporalia tota iuriſdictio illis remanſit, ſaltē pro tempore ſui muneris, in iis, in quibus non eſt facta limitatio, aut coarctatio poteſtatis. 19. *Poteſt præcipere Regularibus, quæ poterant Epiſcopi ante exēptionem.*

Reſpondebis, eſſe probabilem ſententiam P. Thomæ Sanch. *lib. 6. Sum. cap. 2. num. 2.* & P. Vaſquez *1. 2. diſp. 154. cap. 4. num. 21.* & aliorum, peculiare obediendi ſuis Prælatis debitum in Religioſis oriri ex ſolo voto obedientiæ, eo quod Religioſi nihil vltra votum obedientiæ habent ſupra reliquos fideles. Et licèt Prælatis Religionum conceſſa ſit iuriſdictio in ſubditos; at ea ſolum eſt ad compellendos Religioſos ad obligationem ſponte ſuſceptam per vota. Quod ita verum eſt, vt nec ipſi Summo Pontifici vltra obligationem communem aliis Eccleſiaſticis, teneantur Religioſi obedire, niſi in obligatione ab ipſis ſponte ſuſcepta per votum obedientiæ, vt ex P. Leſſio addit Th. Sanch. citatus. Vnde fit, nos fruſtrà arguere à iuriſdictione, quam habet Prælatus Regularis, ſi hæc ſolùm extenditur ad votum obedientiæ ſecundùm regulā, ſiue ad obligationem, quam Religioſus ſponte ſuſcepit; nõ enim ſponte ſuſcepit obligationes communes, ad quas licèt noluerit ſe obligare in profeſſione, tenetur. Itaque probabile eſt, quòd vi voti nō tenetur Religioſus ad obediendū ſuo Prælato quoad obligationes communes; has enim non ſuſcepit voluntariè, ſed ſolùm ea, quæ ſunt ſecundùm regulam: item probabile eſt, quòd ad obediendum ſuo Prælato quoad illas non tenetur vi iuriſdictionis Eccleſiaſticæ; hæc enim reſpectu Religioſorum ſolùm extēditur ad obligationes ſuſceptas ex voto: ergo nullo modo tenetur ad obediendū illi quoad obligationes communes. 20. *An ſolùm poſſit obſtringere ad obligationes ſpōte ſuſceptas?*

Hæc tamen reſponſio, eiuſq; confirmatio plenæ ſunt fallaciâ. Quod vt videas, eodē arguendi tenore probo, Sanctimoniales non manere ligatas eo decreto Tridētini prohibente, ne intra chorum, vel ſepta monaſterij conſeruetur Sacra Euchariſtia. Probabile eſt quòd ad id non tenentur vi voti, cùm non reperiatur id expreſſum in regula: item probabile eſt, quod non tenentur vi iuriſdictionis Pontificis Summi, 21. *Detegitur argumenti fallacia.*

mi, cùm hæc iuriſdictio ſolùm ſit in ordine ad obligationem, quam ſponte aſſumpſerunt in profeſſione: ergo probabile eſt, quod non tenentur ad eam legem obſeruandam. Idem argumentum efformari poteſt in decreto, quo prohibetur Regularibus, ne concionentur in ſæcularibus Eccleſiis ſine approbatione Epiſcopi. Idem argumentum fieri poteſt in multis aliis, quæ in iure canonico ſunt peculiariter prohibita Regularibus, vt eſſe executores teſtamentorum, Aduocatos, tutores, notarios. Quæ prohibitiones non reperiuntur in regula aliquarum Religionum.

22. *Poteſt eſſe obligatio certa, & radix obligationis probabiliter varia.*

Ratio autem, quare argumentum ſit fallax eſt, quæ in multis obligationibus contingit. Solet aliquando eſſe certa obligatio; radix autem obligationis probabiliter eſt hæc, probabiliter alia: v.g. Certum de fide eſt, ſimplicem fornicationem eſſe lethaliter illicitam: eius malitiam prouenire ex detrimento prolis, multi probabiliter opinantur cum S.Thoma: alij probabiliter etiam opinantur cum Scoto, ex capite diuerſo ab eo detrimento. Iam verò peſſimè diſcurreret, qui ita argumentaretur.[Probabile eſt, malitiam ſimplicis fornicationis non procedere ex detrimento prolis; & probabile eſt, non procedere ex capite diuerſo ab eo detrimento: ergo probabile eſt, non dari talem malitiam.] Nam cùm præmiſſæ ſint veræ, conſequens eſt hæreticum. Ideò autem non valet conſequentia, quia licèt probabile ſit, non prouenire malitiam ex quolibet eorum capitum determinatè; eſt tamen certum, quod prouenit ex aliquo disiunctiuè.

Praua conſequentia.

23. *Multi canones, qui grauiter obſtringunt Regulares.*

Iam verò inſtauro argumentum factum. Certum eſt, in corpore iuris eſſe multas leges, & præcepta grauiter obligantia Regulares, quæ non ſunt communia cæteris Eccleſiaſticis, nec cæteris fidelibus. Talia ſunt prohibitio muneris Aduocati, & Procuratoris in forenſibus, niſi vtilitas monaſterij depoſcat, *capit. 2. de poſtulando.* Item prohibitio exercendi muneris arbitri abſque monaſterij vtilitate, *cap. 2. de poſtulando, & cap. Monachi, 2. cap. de præſentium, 16. quæſt. 1.* Item prohibitio eligendi ſepulturam, *cap. fin. de ſepulturis in 6.* Item præceptum clauſuræ pro Monialibus, ne egrediantur ex monaſterio, ex Trident. *ſeſſ. 25. de Regular. cap. 5.* & ex conſtitutione Pij V. quæ incipit; *Decori & honeſtati:* præcipientis ſub excommunicatione latæ ſententiæ. Et præceptum clauſuræ, ne ſæculares ingrediantur earum monaſteria, *cap. Periculoſo, de ſtatu Regular. in 6.* & Concilium Tridentinum citatum ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ. Item prohibitio, ne Religioſi admittant fœminas intra ſepta monaſterij, etiam ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ ex motu proprio Gregorij XIII. Quarum conſtitutionum non eſt finis adæquatus votum caſtitatis, ſed decentia & bona fama domorum Religioſarum, & vitatio ſcandalorum, & alia ſimilia motiua, vt patet *ex cap. Periculoſo, de Regular. in 6.* Item præceptum, quo Vrbanus octauus omnibus & ſolis Regularibus indixit, vt ſemel quotannis feria ſexta poſt Octauam Aſſumptionis B. Mariæ legant in Capitulo Indicem conſtitutionum, quas in fauorem Sanctæ Inquiſitionis fidei Summi Pontifices ſtatuerunt ſub excommunicatione latæ ſententiæ.

24. *Ad leges communes, quæ implicitè ſunt in regula, obligantur vi voti.*

Tum ſic. Certum eſt, hæc & ſimilia præcepta, quæ non ſunt communia aliis, obligare grauiter Religioſos. Ergo vel dicendum eſt, ea includi implicitè in regula, atque adeò ad ea obligari vi voti obedientiæ, vel ea obligare illos vi iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, quam habet Pontifex in totam Eccleſiam, & ſingulos eius ſtatus. Sed iuxta ſententiam Caramuelis, Religioſus vi voti obedientiæ non tenetur, niſi ad ea, quæ ſunt expreſsè in regula, vel ſunt media neceſſaria ad illius obſeruationem; atque adeò ea præcepta iuris nullo modo includuntur in regula: ergo ea obligant Religioſos vi iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, quam habet Pontifex in membra Eccleſiæ. Ergo iuriſdictio Eccleſiaſtica reſpectu Religioſorum non eſt ſolùm ad eas obligationes, quas ipſi ſponte ſua ſuſcepêrunt vi voti, ſed etiam ad alias, quæ ad ſtatum religioſum expediunt. Cùm ergo Prælatus Regularis habeat iuriſdictionem eccleſiaſticam quaſi Epiſcopalem, poterit quoque vi eius iuriſdictionis præceptis & cenſuris obligare ſubditos ad ea præcepta exequenda, & ad alia, quæ ad ſtatum religioſum expediunt.

Si non ſunt implicitè in regula, vi iuriſdictionis Eccleſiaſticæ.

25. *Iuriſdictio Prælati Regularis extenditur ad ea, quæ non ſibi limitantur.*

Et vis huius argumenti ſpecialiter vrgetur contra Caramuelem in præceptis, quæ communia ſunt omnibus fidelibus. Hæc namque Religioſos obligant vi iuriſdictionis Pontificis Summi: cùm ergo Pontifex communicauerit Prælatis Regularium iuriſdictionem ordinariã quaſi Epiſcopalem, nec limitauerit in hoc, quod poſſint obligare ſubditos ad præcepta communia, non eſt, vnde limitetur quoad hoc iuriſdictio ordinaria quaſi Epiſcopalis in Prælato Regulari: præcipuè cùm iuriſdictio ordinaria fauorabilis ſit, vt diximus, & extendenda ad ea, in quibus non conſtat eſſe limitatam.

26. Reſponſio confutata.

Nec ſatisfacis ſi reſpondeas ad præcipuum argumentum, omnia præcepta, quæ reperiuntur ſcripta in iure canonico pro Regularibus, eſſe media ad obſeruationem regulæ. Etenim illa ſaltem non ſunt media ſimpliciter, & vnicè neceſſaria ad obſeruationem regulæ: talem enim materiam duntaxat admittit Caramuel ad præcepta Prælatorum Regularium.

27. *An Regulares ſponte ſuſceperint, quod poſſint obligari ad leges communes?*

Quod argumentum aliter efformatur ſecundùm ſententiam Doctorum opinantium, vi iuriſdictionis etiam ſupremæ, non poſſe Religioſos obligari vltra obligationes, quas in profeſſione ſponte ſuſceperunt. Certum eſt, Religioſos grauiter obligari ad ea præcepta relata, quæ ſibi peculiariter impoſita reperiuntur in corpore iuris: ſed iuxta doctores citatos, non poſſunt obligari vltra obligationes, quas ſponte ſuſceperunt: ergo ſponte ſuſceperunt, ſaltem implicitè, eã præcepta relata; ergo dicendum eſt, ea præcepta implicitè includi in regula, atque adeò ad ea obligari vi voti obedientiæ ſecundùm regulam. Quam conſequentiam, vt vidimus, admittunt Doctores, quos ſupra citauimus *cap. 1. n. 5.* Iuxta quam poterunt Prælati Regulares obligare grauiter ſubditos vi voti obedientiæ, tam ad præcepta communia omnibus fidelibus, quàm ſpecialia Religioſorum inuenta in corpore iuris, vtpote incluſa implicitè in regula. Itaque in præfatis omnibus non eſt nobis certamen cum P. Leſſio, Thoma Sanch. & cæteris aſſerentibus, ſolùm obligari poſſe Religioſos ad ea, ad quæ ſe obligauerunt vi voti obedientiæ, ſecundùm regulam:

Digitized by Google

Regulam: quia prædicti Authores cenſent eas obligationes communes omnibus fidelibus, vel omnibus Regularibus, includi implicitè in regula. Eſt tamen nobis certamen cum Caramuele, qui duo incompoſſibilia aſſerit; & quod non poſſint obligari per Prælatum Regularem, niſi ad ea, ad quæ vi voti obedientiæ ſecundùm regulam ſe obligauerunt; & quod nomine Regulæ intelligantur duntaxat ea, quæ expreſſè & formaliter continentur in regula ſpeciali Religionis, vel ſunt media vnicè neceſſaria ad illius obſeruationem. Ex dictis enim, & ex dicendis manifeſtè conſtat, ad multa alia poſſe obligari Regulares, præter ea, quæ ſunt expreſſè in regula, vel quæ ſunt media vnicè neceſſaria ad obſeruationem regulæ; ſiue id ſit vi voti obedientiæ, ſiue vi iuriſdictionis Eccleſiaſticę independenter à voto obedientiæ: independentia, inquam, immediata.

28\. Igitur probabile eſt, quod non poteſt Prælatus Regularis præcipere obligationes communes vi voti obedientiæ (id damus Caramueli) quia probabile videtur, quod obligationes communes non contineantur in regula. Item probabile eſt (ſaltem probabilitate extrinſeca) quod non poſſit Prælatus Regularis præcipere vi iuriſdictionis eccleſiaſticæ, niſi ea, ad quæ Religioſus ſe obligauit vi voti obedientiæ. Cæterùm improbabile eſt, & certiſſimè falſum, quod non poſſit Prælatus Regularis præcipere ſubdito alterutro è duobus modis, nempe vel vi voti obedientiæ, vel vi iuriſdictionis eccleſiaſticæ ad impletionem obligationum communium. Cùm indubitabile ſit ex dictis, poſſe Prælatum Regularem compellere ſubditos ad confeſſionem & communionem annuam; ad audiendum Miſſam in die feſto, & his ſimilia: quidquid ſit, an ad id poſſit compellere vi voti obedientiæ, vel vi duntaxat iuriſdictionis Eccleſiaſticæ.

Probabile eſt, quod non poſſunt obſtringi vi voti ad obligationes communes.

Probabile, quod nō obligantur vi iuriſdictionis, niſi ad ea, quæ per vota admiſerunt.

Improbabile, quod nō poſſint obligari ad communia alterutro modo.

29\. Et confirmantur hæc omnia vrgentiſſimè. Nam iniquiſſimum eſt, quod in Regulari familia non poſſint, præterquam à Romano Pontifice, compelli ad Confeſſionem & Communionem annuam Religioſi contumaces, qui nolunt obedire iis Eccleſiæ præceptis: ergo vel iniqua, atque adeò inualida fuit exemptio Regularium à iuriſdictione Epiſcopali, quæ poterat eos ad id compellere; vel dicendum eſt, in Prælato Regulari manſiſſe eandem iuriſdictionem ad compellendum eos ad talia præcepta obſeruanda, ſiue id poſſit Prælatus Regularis vi voti obedientiæ, ſiue duntaxat vi iuriſdictionis Eccleſiaſticæ.

CAPVT III.

Vrgetur argumentum noua confirmatione.

30\. HVc vſque concluſimus, Religioſos obligari ad præcepta communia, & peculiaria vno è duobus capitibus; vel vi voti obedientiæ, ſecundum Regulam continentem implicitè einſmodi præcepta; vel vi iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, independenter à voto obedientiæ; atque adeò Prælatum Regularem poſſe grauiter obligare ſubditos vno è duobus modis ad ea præcepta communia & ſpecialia. In præſenti capite confirmabo argumentum, probando determinatè, ex vi iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, & ſecluſo obedientiæ voto (ſi hoc ad ea non obſtringit) poſſe obligari Religioſum non ſolùm ad præcepta communia, ſed etiam ſpecialia à Pontifice, vel à Prælatis Religionum impoſita.

Vi iuriſdictionis obligat ad obligationes communes.

31\. Vrgeo primò. Si propter aliquid non poſſet vi iuriſdictionis imponi aliquod præceptum Regularibus vltra id, quod poteſt imponi vi voti obedientiæ, & præter ea præcepta, quæ ſunt communia cæteris fidelibus, maximè quia Regulares à cæteris fidelibus ſolùm differunt in voto obedientiæ; quæ eſt ratio allata à Patre Leſſio, & P.Thom.Sanch. citatis: hæc ratio nulla eſt; ergo alia præcepta poſſunt imponi Regularibus vi iuriſdictionis Eccleſiaſticæ. Probatur minor: ea enim propoſitio, licèt prima facie vera videatur, eſt tamen falſiſſima. Nam ad votum obedientiæ conſequuntur alia multa, in quibus Regulares differunt à cæteris fidelibus, & propter quæ illis expediunt multæ aliæ leges & præcepta.

Falſum eſt; Regulares ſolùm differre à cæteris in voto.

32\. Primò enim differunt in diuerſo ſtatu conſecuto ad vota, pro cuius diuerſitate diuerſæ leges conueniunt. Nam ſtatus Religioſus formaliter petit, vt vouens conſtituatur ſub alterius iuriſdictione & poteſtate; hoc autem non prouenit ex votis immediatè, vt ſe tenent ex parte voventium; ſed eſt effectus deriuatus à Summo Pontifice id ſtatuente in approbatione Religionis, vt optimè docet P.Thom.Sanchez *lib.5.ſum.cap.1.num.10.*

Differunt à cæteris in diuerſo ſtatu.

33\. Differunt ſecundò in vita communitatis intra eandem domum, quam non habent Clerici ſæculares; quæ vt conſeruetur in charitate fraterna, & diſſenſiones vitentur, eget peculiaribus legibus, quæ ad vitam ſingularem vniuſcuiuſque ſeorſim viuentis non requiruntur: quas omnes leges potuit non præuenire regula ab initio ſtatuta; experientia enim inconuenientium trahit ad cognitionem legum opportunarum ad conuiuendum in eadem domo communi ſine querela.

In vita communi.

34\. Tertiò differunt à Clericis ſæcularibus in exemptione ab Epiſcopis; quare indigent alio modo gubernationis, & ad hanc ſine inconuenientibus exercendam, indigent peculiaribus legibus, quæ non ſunt communes Clericis ſæcularibus.

In exemptione.

35\. Quartò differunt in hoc, quod habent bona in communi, cùm Clerici ſæculares ſinguli poſſideant bona ſua: ad hæc autem bona communia adminiſtranda, requiruntur peculiares leges, diuerſæque ab eis, quæ requiruntur ad dominium ſingulare, vſumque priuatum, quem Clerici ſæculares exercent.

In eo, quod habent bona in communi.

36\. Vrgeo ſecundò. Vi iuriſdictionis Eccleſiaſticæ poſſunt imponi Clericis ſæcularibus leges ſeu præcepta peculiaria conducentia ad eorum ſtatum, diuerſa ab eis, quæ ipſi in aſſumptione ſtatus clericalis ſponte aſſumpſerunt; & item diuerſa ab eis, quæ impoſita ſunt Regularibus: ergo vi iuriſdictionis eccleſiaſticæ poſſunt imponi Regularibus peculiaria præcepta conducentia ad ſuum ſtatum, diuerſa ab eis, quæ in aſſumptione ſtatus Regularis ſponte aſſumpſerunt, & diuerſa ab eis, quæ ſunt impoſita Clericis ſæcularibus. Conſequentia patet à paritate, imò ab identitate rationis. Et quidem poſſent Clerici ſæculares iuſtam habere excuſationem;

Clericis imponuntur aliæ obligationes, quas non ſponte aſſumpſerunt.

Cur non imponenda Regularibus?

Digitized by Google

nem: [Si Regularibus non poſſunt imponi alia præcepta, niſi de obligationibus, quas ſponte ſuſceperunt, quare nobis aliæ, vltra obligationes, quas ſponte ſuſcepimus, imponenda ſunt?] Et ob hanc cauſam imponitur reſeruatio talium caſuum Regularibus, quæ non imponitur Clericis ſæcularibus: ideò imponitur clauſura Regularibus, ne ſeminas intra domum admittant, non autem Clericis ſæcularibus; etſi in voto caſtitatis ſolemni pares ſint. Ideò prohibetur Regularibus munus Aduocati, vel Procuratoris, quod non prohibetur Clericis ſæcularibus. Et ſic in multis aliis præceptis ſpecialibus, quæ Clericis ſæcularibus non ſunt communia; ſicut alia multa Clericis ſæcularibus, quæ Regularibus non ſunt communia.

37. Vrgeo tertiò. Poteſt Epiſcopus vi ſuæ iuriſdictionis imponere Clericis ſæcularibus præcepta de mediis conducentibus ad extirpationem vitiorum, & ad remedium ſcandalorum: ergo poteſt Prælatus habens iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem imponere Regularibus eadem præcepta de remediis ad extirpanda vitia, & vitanda ſcandala, quamvis non contineantur in regula. Conſequentia patet primò. Tum quia, vt bene notauit P. Suar. *tom. 4. de Relig.* Religioſus exemptus fuit ab Epiſcopo; non verò à iuriſdictione Epiſcopali: nam ſubiectio, qua Religioſus ſubiacebat Epiſcopo, commutata eſt in ſubiectionem reſpectu Prælati regularis. Tum etiam, quia exemptio non fuit in deſtructionem, ſed in ædificationem & vtilitatem illius ſtatus: eſſet autem in deſtructionem, ſi cùm ante exemptionem poteſtas Epiſcopalis poſſet apponere media ad arcendum illum à vitiis; hæc poteſtas omninò abolita eſſet, neque eſſet alius quàm ſummus Pontifex, qui poſſet præcipere media ad extirpanda ab eo vitia & ſcandala. Si ergo iuriſdictio Eccleſiaſtica extenditur ad imponenda præcepta ſpecialia Regularibus independenter ab obligatione, quam ſponte ſuſceperunt; poterunt Prælati Regulares vi iuriſdictionis eccleſiaſticæ imponere præcepta independenter à voto obedientiæ, præcipuè illa, quæ adhibent media ad extirpationem vitiorum & ſcandalorum.

Clericis imponuntur media ad extirpanda vitia.

Cur non etiã Regularibus.

Regulares exempti ab Epiſcopo, non à iuriſdictione Epiſcopali.

38. Vrgeo quartò. In Eccleſia Dei eſt poteſtas ad reformandum Clerum præcipiendo media valde vtilia ad talem reformationem: ergo in Eccleſia Dei eſt poteſtas ad reformandas Religiones, præcipiendo media vtilia ad talem reformationem, præcipuè per extirpationem vitiorum, quamvis de rebus non contentis in regula. Conſequentia patet ab identitate rationis: & antecedens eſt certum ex Concilio Tridentino, quod nouas leges indixit pro tali reformatione.

A poteſtate reformandi Clerum.

39. Vrgeo quintò. Religioſi non poſſunt obligari, niſi ad ea, quæ promiſerunt: ergo Clerici non poſſunt obligari, niſi ad ea, quæ promiſerunt: ergo Clerici non poſſunt obligari, niſi ad ſolam caſtitatem. Prima conſequentia probatur, quia Religioſi quà tales, non ſunt magis immunes ab obligationibus præceptibilibus, quàm Clerici. Neque poteſt intelligi, quare in rebus præceptibilibus debeant Clerici eſſe magis ſubiecti iuriſdictioni Epiſcoporum, quàm Religioſi iuriſdictioni Prælatorum.

Ab identitate rationis.

40. Vrgeo ſextò. Supponendo, quod Pontifex poteſt imponere vni ſoli ciuitati, aut communitati legem, quæ ratione materiæ ſuæ poſſet eſſe communis omnibus orbis fidelibus; idque vel ob maiorem beneuolentiam, qua afficitur erga eam vrbem, qua de cauſa magis proſpicit bono publico illius; vel quia ea lege vult tollere peccata, quæ magis frequentia ſunt in ea vrbe; vel quia ob aliquam circumſtantiam in ea vrbe generant maius ſcandalum, quàm in aliis, vel ob ſimiles rationes. Tum ſic: Poſſet Pontifex præcipere vniuerſaliter omnibus fidelibus, v. g. communionem in tribus Paſchatis, Natiuitatis, Reſurrectionis, & Pentecoſtes; quo caſu etiam Religioſi manerent obligati; cùm ſecundùm Caramuelem, & omnes Doctores, obligentur legibus communibus: ergo eandem legem poſſet imponere vni ſoli Religioni: quo caſu ſoli illi Religioſi manerent obligati. Patet conſequentia. Nam legem communem, quam poteſt imponere omnibus, poteſt ſpecialiter imponere vni: ergo ſi poſſet imponere omnibus fidelibus, poſſet imponere vni Religioni. Et loquimur de non expreſſis in regula.

Poteſt Pontifex præcipere Regularibus, quæ poſſet omnibus Fidelibus.

Vrgeo ſeptimò. Romanus Pontifex poteſt obligare Religioſum ad aſſumendum Epiſcopatum, quando expedit ad vtilitatem Eccleſiæ: ſed non poteſt id præcipere Religioſo vi voti obedientiæ, ſed duntaxat vi iuriſdictionis: ergo falſum eſt, quod non poſſint præcipi Religioſo, niſi vi voti obedientiæ, & ea duntaxat, ad quæ vi voti ipſe ſe obligauit. 41.

Poteſt cogere Regularem ad Epiſcopatum.

Et non vi voti.

Maior patet: quia Romanus Pontifex accepit pleniſſimam à Chriſto poteſtatem ad ea omnia, quæ maximè expediunt ad vtilitatem publicam fidelium. Conſtat etiam minor: quia vi voti obedientiæ non ſe obligauit Religioſus ad aliquid, quod ſit extra ſtatum Religioſum. De veritate maioris & minoris lege P. Thomam Sanchez *lib. 6. ſum. cap. 2. num. 49.* & P. Pellizarium *tom. 1. Manual. tract. 4. cap. 4. n. 84.* & apud hos plures alios. 42.

CAPVT IV.

Aliis argumentis probatur eadem concluſio.

PRobatur ſecundò eadem concluſio, ſcilicet, quod poſſit Prælatus Regularis imponere præcepta vltra ea, quæ expreſsè continentur in regula, vel ſunt media vnicè neceſſaria ad illius obſeruationem. Prælatus Regularis poteſt grauiter obligare ſubditum ad pœnam ſubeundam pro delictis, quæ non ſunt contra vota, nec contra regulam: ſed pœna pro his delictis non continetur in regula, neque eſt medium ad obſeruationem regulæ, ſed ad obſeruationem aliorum præceptorum iuris diuini, vel eccleſiaſtici: ergo Prælatus Regularis poteſt grauiter præcipere alia, quæ non ſunt expreſsè in regula, nec ſunt media vnicè requiſita ad obſeruationem illius. 43.

Poſſunt cogi ad pœnã pro delictis, quæ non violant regulam.

Maior certiſſima eſt, alioqui domus Religioſa eſſet Reſpublica peſſimè ordinata & monſtroſa, ſi Religioſi poſſent impunè committere delicta contra ius diuinum & eccleſiaſticum: nam cùm Epiſcopus non poſſit eos punire, niſi in raris caſibus expreſſis in iure, ſi Prælati Regulares punire eos non poſſent pro talibus 44.

Eſſet Reſp. malè ordinata, ſi non poſſet prãcauere delicta.

talibus delictis, ad ſolum Pontificem id ſpectaret. Quis autem dubitet, impunita manſura non eſſe delicta, ſi ad Curiam Romanam pro punitione accedendum eſſet? Vide probationes alias maioris *cap. 6. art. 2.*

45. Quod verò pœna eorum delictorum non reperiatur in regula multarum Religionum, quæ erat minor eius ſyllogiſmi, patet. Nam in aliquibus Religionibus nullam habent regulam de punitione eorum delictorum; quia ad hæc punienda non eſt neceſſe, quod regula prouideat, cùm ſola iuriſdictione coercitiua ſupponatur id poſſe Prælatum. Et quidem propoſitio minor eandem vim habet, ſi ita proponatur: [Sed hæc pœna poteſt imponi, etiamſi non contineatur in regula:] quæ veriſſima eſt, & euidens ex dictis in probatione maioris.

46. Scio Patrem Caſtro Palao, & alios docere, reum non obligari in conſcientia ad pœnam per ſe ipſum ſubeundam, ſi maximæ pœnalitatis ſit, vt triremium ad longum tempus, carceris diuturni, duri, ac triſtis, exilium terræ inſalubris. Ego autem non loquor de his pœnis maioribus, ſed de minoribus, quas communiter ſubeunt Religioſi, vt ieiuniorum, flagellationis, & ſimilium.

47. Confirmatur. Illa Reſpublica non eſſet benè ordinata, quæ poſſet punire delicta; non tamen ea præcauere vi præceptiua: ſed Reſpublica Religioſa poteſt punire delicta, quæ non ſunt contra regulam, vt probatum manet: ergo cùm ea benè ordinata ſit, poterit etiam ea delicta præceptis præcauere. Maior perſpicua eſt; quis enim dubitet, eſſe bono publico vtilius, præcaueri delicta, quàm puniri; ſicut corpori phyſico melior eſt medicina præſeruatiua, quàm expulſiua languoris?

48. Dices primò. Ea delicta, quæ ſunt contra ius diuinum, vel contra ius commune eccleſiaſticum, iam præcauta eſſe; ſiquidem iure diuino, vel eccleſiaſtico prohibita ſunt.

49. Sed contrà eſt: quia viuo præcepto Prælati quandoque fortiùs præcauentur, præcipuè ſi cenſurà excommunicationis præceptum fulciatur, vt quotidiana teſtatur experientia. Alioqui non opus eſſet compellere contumaces ad communionem annuam, cùm iam communio annua ſit præcepta in iure canonico.

50. *Nõ ſatis præcauentur delicta ſolâ cõminatione pœna.* Dices ſecundò, ſufficienter præcaueri poſſe comminatione pœnarum: ergo non eſt neceſſaria poteſtas imponendi præcepta noua, aut cenſuras contra talia delicta.

51. Contra enim eſt: nam aliud eſt inquirere, quid expedit; & aliud eſt inquirere, ad quid extendatur poteſtas Prælati. Et quidem etſi ſæpiùs præcaueri poſſint delicta comminatione pœnarum, & ita plerumque expediat; at multi caſus dantur, in quibus nihil proficit comminatio pœnarum. Primò enim ſi Religioſus causâ negotiorum, vel prædicationis mittatur commoraturus diu inter ſæculares, habeatque conſuetudinem emittendi iuramenta, hiſpanè *voto à Dios, iuro à Dios*; &c. quæ ex ore Religioſi ſcandalum generant; quomodo hoc ſcandalum vitabunt Prælati ſola comminatione pœnarum, quando certum eſt, quod ſæculares non eum denunciabunt? Tunc enim ſolo præcepto, vel etiam cenſura poterit cohiberi. Secundò, cùm frequenter delinquunt etiam Religioſi graues, qui Prælaturæ ſunt proximi; quibus ſupplicium infligere non audet Prælatus, ductus metu cadente in virum conſtantem ob damna, quæ inde ſibi imminent futuro tempore. Tunc enim reſpectu illorum non eſt medium conueniens, niſi impoſitio præcepti cum cenſura. Tertiò. Cùm Religioſus protegitur à Regibus, vel Principibus; quorum indignationem incurret Prælatus, vel Religio, & alia damna ex ea indignatione oritura: tunc enim vt Religioſus compeſcatur; non erit vtilis comminatio pœnarum, ſed neceſſe erit vrgere præceptis & cenſuris, ſi materia id exigat. Quartò. Si ſciatur, ſolam comminationem pœnæ procedere poſſe à Prælato, iam ea nec comminatio quidem eſſet, cùm certò ſciretur, eam eſſe carituram effectu.

Probatur tertiò concluſio. Nulla Reſpublica eſt, quæ non habeat poteſtatem condendi eas leges & præcepta, quæ ſunt neceſſaria ad ſui conſeruationem: ſed quæuis Religio eſt Reſpublica quædam, imò ordinatiſſima, & valdè præcipua inter Reſpublicas: habere ergo debet poteſtatem ſtatuendi eas leges & præcepta, quæ neceſſaria ſunt ad ſui conſeruationem. Sed ſi ſolùm poſſet imponere præcepta eorum, quæ expreſsè continentur in regula, & eorum, quæ media vnicè neceſſaria ſunt ad eius obſeruationem, non haberet poteſtatem ad ea præcepta, quæ ſunt neceſſaria ad ſui conſeruationem: ergo poteſtatẽ habet præcipiendi vltra ea quæ expreſsè continentur in regula, & vltra media vnicè conducentia ad obſeruationem Regulæ. 52. *Quæuis Reſp. poteſt præcipere, quæ neceſſaria ad ſui conſeruationem.*

Maior eſt per ſe nota, & tradit eam Caramuel *in Theolog. fund. num.* 673. & inde patet, quod Pontifex conceſſerit Prælatis Religionum poteſtatem legiſlatiuam & coerciuam ordinariam: quæ præcipuè ordinatur ad ea præcepta ſtatuenda; quæ neceſſaria ſunt ad conſeruationem Religioſæ Reipublicæ, & ad eius finem conſequendum. 53.

Minor & conſequentia patent. Propoſitio deinde aſſumpta probatur. Ad cuius probationem nota duo. Primum. Sicut impoſſibile moraliter illud dicitur, quod difficillimum eſt; ita neceſſarium moraliter ad obſeruationem illud eſt, ſine quo res difficillimè conſeruari poteſt. Secundum. Sicut ciuilis Reipublicæ conſeruatio non conſiſtit ſolùm in conſeruatione vitæ ciuium, ſed etiam in conſeruatione congrua bonorum ſuorum; ita quod ſi deueniret vel ad extremam inopiam, vel ad ſummam infamiam, vel ad magnam gubernationis diſſolutionem, non exiſtimaretur conſeruata in ſuo eſſe; ita Religioſam Rempublicam non conſeruatum iri in ſuo eſſe, ſi ad ſummam ignominiam, ſi ad magnam morum corruptelam, ſi ad prauum & pernicioſum ſcandalum corrueret. 54. *Quæ ſint neceſſaria ad conſeruationẽ Reip. Religioſæ?*

Hinc probatur ea propoſitio. Sæpe Authores Regulæ Religioſæ curarunt magis de iis rebus ſtatuendis, quæ pertinent ad perfectionem, quàm de vitandis ſcandalis, ſeditionibus, rixis, contentionibus, æmulationibus, &c. Supponebant enim, his omnibus, tum ex præceptis diuini iuris, tum ex vigilantia & poteſtate Prælatorum ſufficientiſſimè cautum eſſe: ideóque in regula multarum Religionum, nulla harum rerum mentio fit: vel ſi tempore procedente conſtitutiones de hac materia additæ ſunt in regula; ab initio tamen eæ conſtitutiones in regula non ſunt appoſitæ: hæ tamen 55.

ſunt ſimpliciter neceſſariæ ad conſeruationem Reipublicæ Religioſæ: ergo ſi non eſſet poteſtas in Religione ad ferenda præcepta, vltra ea, quæ expreſsè continentur in regula, non eſſet poteſtas ad inſtituenda ea præcepta, quæ neceſſaria ſunt ad conſeruationem Religioſæ Reipublicæ. Minor patet. Non enim conſeruatur in ſuo eſſe Reſpublica Religioſa, ſi in ea magna ſcandala oriantur, vnde grauem infamiam ſibi comparet.

56. Hinc fit, quod ſi in vrbe aliqua magna ſcandala orirentur ex eo, quod multi Religioſi frequenter ingrederentur domos fœminarum; quamvis cenſeret Prælatus, non violari votum caſtitatis, poſſet iure merito præceptis & cenſuris compeſcere eos ingreſſus; præcipuè ſi non eſſet medium opportunius: quia ad conſeruationem Religioſæ Reipublicæ in ſuo decore, & ſacræ odore famæ, neceſſarium eſſet ea ſcandala vitare. Sic etiamſi, quod aliquando accidit, ſeditio in monaſterio exoriretur, & armati incederent Religioſi alij contra alios, poſſet, & deberet Prælatus (niſi ex eo maius periculum timeretur) præcipere ſub excommunicatione latæ ſententiæ, ne vllus apud ſe arma offenſiua retineret: quod præceptum ad conſeruationem familiæ Religioſæ neceſſarium foret, cùm ex ea ſeditione, & armorum tumultu ſummum detrimentum Religioſæ familiæ accedere poſſet. Sic etiamſi Religioſi æmulatione tacti aliorum in alios, coram ſæcularibus alij aliis detraherent, grauiſſima crimina vera, vel falſa obiicientes, nec facile eſſet delinquentes conuincere, quia ſæculares nollent teſtificari; deberet Prælatus eam detractionem compeſcere præceptis & cenſuris, vtpote conſeruationi familiæ Religioſæ aduerſariam. Similiter ſi concionatores Religioſi liberè auderent de ſuggeſtu in Regem & gubernatores inuehi, vnde magnum detrimentum Religioni poſſet accedere; poſſet etiam Prælatus præceptis & cenſuris compeſcere, præcipuè ſi non eſſet medium opportunius, quibus multos ſimiles alios caſus poteris adnumerare, quorum remedium ad conſeruationem Religioſæ Reipublicæ neceſſarium eſt. Quæ damna cum in Regula præuenta non ſint, fit, poſſe Prælatum Regularem præcipere Religioſis multa, vltra ea, quæ expreſsè continentur in Regula.

57. Noto iterum, hæc omnia in terminis S. Thomæ (iuxta dicta *num.* 10.) poſſe dici media ad obſeruationem regulæ: quia ſub illis terminis nomine *Regulæ*, veniunt omnia, quæ ad obſequium fraternæ ſocietatis pertinent. Sed cùm Caramuel hoc non admittat, nec apud ipſum nomine *Regulæ*, veniant, niſi formalia verba expreſsè conſtituta in regula; contra ipſum apertè militant præiacta argumenta.

58. *Si non poſſet præcipi vltra expreſſa in regula, multa ſcandala oriri poſſent.*

Hinc probatur quartò concluſio. Nam ſi vera eſſet doctrina Caramuelis, nec poſſet Prælatus Regularis præcipere vltra ea, quæ continentur in regula, vel ſunt media vnicè neceſſaria ad illam; quot (bone Deus!) mala, quot ſcandala in Religione orirentur omninò immedicabilia! Vnde non Reſpublica Religioſa, ſed monſtrum euaderet. Nam ſi poteſtas Prælati Religioſi non extenditur ad præcipiendum fugam & vitationem horum ſcandalorum, eo quod vitatio eorum non contineatur in regula; aliquando autem, vt patet ex dictis, non poſſit obtineri comminatione, aut executione pœnarum: Romana autem Curia, quæ his malis mederi poteſt, longè diſſita ſit, quid interim fieret de familia Religioſa inter tot ſcandala æſtuante?

59. *Poſſunt præcipi Regularibus actiones gratitudinis, licèt non expreſſa in regula.*

Probatur quintò. Prælatus Regularis poteſt præcipere ſubditis adimpletionem obligationis ex gratitudine ortæ, quantumvis non exprimatur in regula: quidquid ſit, an id poſſit imperare vi voti obedientiæ, an vi iuriſdictionis Eccleſiaſticæ tantum: ergo poteſt imperare alia, quæ non ſunt expreſsè in regula. Probatur antecedens. Poteſt enim imperare, vt orent pro benefactoribus, & ſacrificia pro eis offerant. Nam cùm ſit adeò conforme naturæ rationali, quod homines gratitudinis officia perſoluant; omnes Reſpublicæ ius habent imponẽdi leges circa hoc debitum perſoluẽdum: incredibile autem eſt (ideò oppoſitum moraliter certum) Romanum Pontificem, qui contulit Prælatis Religionum iuriſdictionem ordinariam illimitatam, eam non contuliſſe ad imperandum ſubditis huius debiti ſolutionem; ad quam imperandam cæteræ omnes totius orbis Reſpublicæ ius habent.

60. *Prælatus Regularis poteſt decidere lites, vltra expreſſa in regula.*

Probatur ſextò. In Prælatis Regularibus eſt poteſtas ordinaria decidendi lites, in quibus iudiciis præcipere poſſunt, quæ ad quietem publicam expediunt: ſed multæ lites non poſſunt decidi ex iis ſolùm, quæ continentur expreſsè in Regula: ergo poſſunt Prælati Regulares præcipere alia quæ non ſunt expreſsè in Regula.

61. Maior eſt euidens, quia non poteſt dubitari, quod eſt in Eccleſia hæc poteſtas decidendi lites inter perſonas Eccleſiaſticas; quia cùm hæc poteſtas decidendi lites ſit neceſſaria ſimpliciter ad conſeruationem ſtatus Eccleſiaſtici, non prouidiſſet ſufficienter Christus Dominus Eccleſiæ ſuæ, ſi non dediſſet illi hanc poteſtatem. Deinde certiſſimum eſt, primam inſtantiam horum iudiciorum non eſſe ſolùm penes Romanum Pontificem, qui eam ipſo iure commiſit Prælatis ordinariis: item neque eſſe penes Epiſcopum; loquimur enim de Religioſis à poteſtate Epiſcopi exemptis. Reſidet ergo eiuſmodi poteſtas ordinaria decidendi lites Regularium penes Prælatos Regulares.

62. Minor verò etiam patet. Etenim inſtitutor regulæ non poteſt mente comprehendere omnes caſus diſcordiæ & litium, quæ poſſunt occurrere: ergo poteſt accidere caſus litis ad iudicium Prælati Regularis deferendus, qui non contineatur expreſsè in regula.

63. Dices, poſſe vtique Prælatum Regularem præcipere quæ expediunt ad deciſionem litis, non lege morali, ſcilicet obligante ad peccatum; ſed tantummodò lege pœnali.

64. Sed contrà eſt. Non minorem iuriſdictionem requirit in Prælato lex pœnalis, quàm lex moralis: ſed poteſt Prælatus imponere legem pœnalem vltra ea, quæ ſunt in regula: ergo & legem moralem. Maior eſt certiſſima, cùm præceptum pœnale non poſſit procedere à non habente iuriſdictionem; cùm poteſtas imponendi eiuſmodi præceptum, ſit iuriſdictio.

65. Præterea vel vi voti obedientiæ tenentur Regulares acceptare pœnam eius præcepti, vel non tenentur? Si primum dicas, infero: ergo vi voti obedientiæ tenentur Regulares ad obediendum

Digitized by Google

obediendum in aliquo, quod non eſt expreſſum in regula, quale eſt præceptum pœnæ acceptatæ in materia, quæ non eſt contenta expreſsè in regula, & pœnæ, quæ etiam non eſt expreſsè in regula. Si ſecundum dicas, quod vi voti obedientiæ non tenentur regulares ad acceptandam pœnam impoſitam pro deciſione litis, infero: ergo Prælati regulares non habent poteſtatem decidendi litem. Quomodo enim Prælatus decidere poterit litem, ſi neque præcepto morali, neque pœnali poteſt obligare litigantes ad compoſitionem litis? Et ſuppono, quod in oppoſita ſententia, quam impugno, non poſſunt obligari Regulares, niſi vi voti obedientiæ.

66. *An ſit certum, Prælato præcipienti in materia probabili, ſubditum teneri.*

Probatur ſeptimò. Ex ſententia Caramuelis *in apol. de Probab. num.* 110. & *in Theol. fundam. num.* 1405. *fund.* 51. eſt certum, quod vbi Prælati præcipiunt ſecundum opinionem probabilem, ſubditus tenetur obedire: ſed eſt opinio probabilis, quod poſſunt Prælati regulares præcipere vltra ea, quæ ſunt in regula, de quibus hucuſque locuti ſumus; & quæ contineri diximus implicitè in regula: ergo certum eſt, quod poteſt Prælatus Regularis præcipere vltra ea, quæ expreſsè continentur in regula.

CAPVT V.

Aliud argumentum deſumptum ex doctrina Caramuelis.

67. *Epiſcopus præcipit Regularibus, in caſibus expreſſis in regula.*

PRædictus Author *in Theol. Regul. num.* 775. ſic ſcribit. [Dantur caſus expreſſi in iure, in quibus Religioſi tenentur obedire Epiſcopis. Eos inuenies apud Maldernm *in* 1. 2. *quæſtion.* 9. apud Cenedum *in quæſtionibus canon. quæſt.* 26. Barboſam *de poteſt. Epiſcop. part.* 5. *alleg.* 105. Sed in iis caſibus tenentur obedire Epiſcopis ratione Sacerdotij, aut alterius ordinis, aut, vtplurimum, ratione Chriſtianitatis; ac proinde inobſeruantes non peccant contra ſolemne votum obedientiæ.] Si eodem modo concederet Caramuel Prælatis regularibus, quod poſſent grauiter obligare ſubditos ratione Chriſtianitatis, vltra ea, quæ ſunt expreſſa in regula, mitiùs cum eo ageremus: at quia in omnibus concluſionibus abſolutè videtur negare hanc poteſtatem Prælatis regularibus, acerbiùs agendum eſt, ſi rationum efficacia acerbitas appellanda eſt. Igitur ex hac eius doctrina.

68. Probatur octauò concluſio. Epiſcopus poteſt obligare Regulares ratione Chriſtianitatis, vel (vt formaliùs loquamur) vi iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, ad aliqua, quæ non ſunt expreſsè in regula: ergo Prælatus regularis poteſt obligare ſubditos vi iuriſdictionis Eccleſiaſticæ ad aliqua, quæ non ſunt expreſsè in regula. Antecedens eſt Caramuelis. Probatur conſequentia. In Prælatis regularibus eſt iuriſdictio ordinaria quaſi Epiſcopalis non limitata, & multò amplior reſpectu Religioſorum, quàm eſt poteſtas Epiſcopi reſpectu eorundem: ergo ſi Epiſcopus habens reſpectu Regularium limitatiſſimam iuriſdictionem, poteſt eos obligare vltra ea, quæ ſunt expreſsè in regula, Prælatus regularis, qui reſpectu eorum habet iuriſdictionem ordinariam ampliſſimam, à fortiori poterit obligare ſubditos vi eius iuriſdictionis, ad aliqua, quæ non ſunt expreſsè in regula; ſaltem ad ea, vel ſimilia, ad quæ poteſt Epiſcopus.

Confirmatur primò. Datur iuriſdictio in Epiſcopo ad præcipiendum grauiter Regularibus (ſcilicet in caſibus iure expreſſis) ratione Chriſtianitatis aliqua, quæ non ſunt expreſsè in regula: ergo etiam in Prælatis regularibus datur iuriſdictio ratione Chriſtianitatis, ad præcipiendum aliqua, quæ non ſunt expreſsè in regula. Probatur conſequentia. Nam ſi ob aliquam rationem non poteſt Prælatus regularis præcipere ſubdito vltra regulam ratione Chriſtianitatis, maximè quia Religioſus in profeſſione non ſe obligauit vltra regulam: ſed hoc non obſtat, ſecundùm Caramuelem, quominus Epiſcopus poſſit ratione Chriſtianitatis grauiter obligare vltra regulam: ergo hoc non obſtat, quominus Prælatus regularis poſſit ratione Chriſtianitatis grauiter obligare vltra regulam, & vltra expreſſa in ea, maximè cùm in Prælato regulari reſideat pleniſſima & non coarctata iuriſdictio ordinaria quaſi Epiſcopalis reſpectu Religioſorum. 69.

70. *Subordinatur Prælato, non ſolùm quà Religioſus, ſed etiam quà Chriſtianus.*

Confirmatur ſecundò. Religioſus non ſolùm manet obligatus ſuo Prælato, qua Religioſus, ſed etiam qua Sacerdos, & qua Chriſtianus: ergo etiam titulo Sacerdotij, & Chriſtianitatis tenetur illi obedire, & Prælatus regularis poteſt illi præcipere. Sed qua Chriſtianus præciſè obligatur ad communes obſeruationes Chriſtianorum; & qua Sacerdos ad communes obligationes Sacerdotum: ergo quoad has (quæ non ſunt expreſſæ in regula) ſubditur ſuo Prælato regulari. Primum antecedens probatur. Nam quà Sacerdos, & quà Chriſtianus ſubditur Religioſus alicui iuriſdictioni ordinariæ. Patet, cùm ſubdatur quà talis iuriſdictioni Epiſcopi, (quæ vt conſtabit ex dicendis, ordinaria eſt) in caſibus à iure expreſſis: ergo in reliquis, qua Sacerdos; & qua Chriſtianus, ſubditur iuriſdictioni ordinariæ Prælatorum ſui Ordinis.

Quod ſi adhuc diſtinguas in Religioſo vota emittente, duplicem modum ſubiectionis reſpectu ſui Prælati; alterum vi voti in ordine ad regularia, alterum vi iuriſdictionis in ordine ad ea, quæ non ſunt expreſſa in regula, ſed ad cæteras obligationes, quæ ſunt in iure canonico, non multùm diſceptabo. Nam inde infertur, Prælatum regularem poſſe præcipere ſubditis vi voti obedientiæ ea quæ ſunt expreſsè in Regula, vel ſunt media ſaltem neceſſaria ad illius obſeruationem; & vi iuriſdictionis quaſi Epiſcopalis cæteras alias obligationes. Vnde conuincitur, Prælatum regularem poſſe præcipere grauiter ſubditis alia, quæ non ſunt expreſsè in regula, nec ſunt media vnicè requiſita ad illam, ſaltem ratione Sacerdotij, vel Chriſtianitatis, vt loquitur Caramuel. 71.

72. *An ea iuriſdictio Epiſcopi ſit ordinaria, vel delegata?*

Quod ſi inquiras, an ea poteſtas, per quam Epiſcopus præcipit regularibus in caſibus à iure expreſſis, ſit iuriſdictio ordinaria, vel delegata? Reſpondeo, eam eſſe ordinariam, ſaltem in caſibus, in quibus Concilium Tridentinum non committit eis poteſtatẽ, vt delegatis Sedis

 Apoſtolicæ,

Digitized by Google

Apoſtolicæ. Ratio eſt, quia iuriſdictio perpetuò competens dignitati, vel officio, non conceſſa ab homine, ſed à iure, ordinaria eſt, vt tradunt Iuriſperiti: de quo vide P. Thom. Sanch. *lib.2.de matrim.diſp.40.num.14.* Sed poteſtas Epiſcopi præcipiendi Regularibus in caſibus à iure expreſſis, eſt perpetuò annexa dignitati Epiſcopali, & conceſſa illi à iure: ergo eſt ordinaria. Et confirmatur: nam ante exemptionem regularium erat ordinaria: ſed eadem poteſtas illi remanſit ad caſus iure expreſſos: ergo ad illos ordinaria eſt.

73. Dixi, *ſaltem in caſibus, in quibus Concilium Tridentinum non committit eis poteſtatem vt delegatis:* quia adhuc in his caſibus eſſe ordinariam, aſſerunt aliqui apud P.Thom. Sanch. *lib.8.de matrim.diſp.2.num.10.*

CAPVT VI.

Exponitur, ad quam materiam ſe extendat poteſtas Prælati regularis.

74. ADmittenda eſt, & in legitimo ſenſu retinenda ſententia communis, quæ docet, Prælatum regularem non poſſe præcipere ſubdito contra regulam, neque ſupra regulam, neque vltra regulam. Quæ ſententia quia non rectè intellecta eſt à multis, anſam dedit aliquibus opinandi in hac materia improbabiliter. Pro eius ergo intelligentia ſequentes concluſiones ſtatuo.

ARTICVLVS I.

An ſe extendat ad omnes obligationes conſcientiæ, & quomodo?

75. *Prælatus poteſt obſtringere Regularet ad omnes obligationes conſcientiæ.* PRima concluſio. Prælatus regularis præceptis ſuis poteſt compellere ſubditum ad omnes eius obligationes conſcientiæ adimplendas, etiamſi non contineantur expreſsè in regula. Loquitur concluſio ſaltem de obligationibus actionum externarum, & comprehendit obligationes tam Decalogi, quàm iuris humani, ſiue communes omnibus fidelibus, ſiue proprias Regulariũ. In quibus omnibus præcipere poteſt Prælatus regularis ſub reatu culpæ mortalis, ſi materia ſit grauis. Quam concluſionem exiſtimo eſſe omninò certam.

76. *Ad confeſſionem, & communionem annuam.* Probatur primò. Nam ex dictis *cap.2.à n.14.* Sicut Epiſcopus fideles alios, ita Prælatus regularis ſubditos compellere poteſt ad confeſſionem, & communionem annuam, quamvis de his nihil exprimat regula: inter has autem & cæteras obligationes non eſt inuenire diſcrimen.

77. *Ad reſtitutionem rei ablatæ.* Probatur ſecundò. Da caſum, in quo monachus furatus eſt calicem è templo extraneo. Huius templi Æditiuus coram quo iudice conuenire debet monachum ad vindicationem calicis, niſi coram iudice illius ordinario, nempe Monaſterij Prælato, ſcilicet in prima inſtantia? Ergo Prælatus Monaſterij poteſtatem habet ad præcipiendũ monacho reſtitutionem, quamvis reſtitutio non contineatur expreſsè in regula. Oritur autem hæc poteſtas in prædicto Prælato ex eo quod Romanus Pontifex ſtatuerit poteſtatem quaſi Epiſcopalem ordinariam in prædictis Prælatis Religionum.

Probatur tertiò. Ille Prælatus Eccleſiaſticus, qui habet ius puniendi ſubditum ob delicta, habet ius compellendi ad emendationem eorum, cùm Eccleſia in ſuis iudiciis magis intendat emendationem, quàm pœnam, ſeu afflictionem ſubditi: ſed Prælatus regularis habet ius puniendi ſubditum ob quælibet delicta, etiamſi hæc non ſint contra regulam, vt conſtabit *num.82.* ergo habet ius compellendi ad emendationem eorum: ergo habet ius obſtringendi ſubditum ad obſeruationem Decalogi & legum communium Eccleſiæ: emendatio enim quid aliud eſt, quàm in poſterum obſeruare leges priùs violatas. Et hæc eſt poteſtas, quam Romanus Pontifex concedit Prælatis regularibus in ordine ad correctionem ſubditorum. Vide conceſſionem Pij V. & Gregorij XIV. ſubiiciendas infrà *num.83. & 84.* 78. *Ad emendationem delicti.*

Inquires primò, an Prælatus regularis poſſit præcipere hanc obligationum adimpletionem vi voti obedientiæ, an dumtaxat vi iuriſdictionis Eccleſiaſticæ? Et diuerſimodè reſpondendum eſt iuxta diuerſas opiniones. Qui dicunt, nihil præcipi poſſe Regulari vltra ea, ad quæ ipſe ſe obligauit, dicere debent, in his omnibus præcipere Prælatum vi voti obedientiæ: ſed illi Authores conſequenter dicunt, eas obligationes implicitè contineri in regula. Qui verò dicunt, eas obligationes Decalogi, & cæteras Eccleſiæ præceptiones relatas non pertinere ad regulam, dicere neceſſariò debent, ad hæc omnia compellere Prælatum, non vi voti obedientiæ, quod ſolùm refertur ad regulam, ſed virtute dumtaxat iuriſdictionis Eccleſiaſticæ. Iuxta quos falſum eſt, quod Religioſus non poſſit obligari à Prælato, niſi vi voti obedientiæ, vel niſi ad ea adimplenda, ad quæ ſeipſum obligauit in emiſſione votorum. 79. *Vi voti obedientiæ, ſi ea continentur implicitè in regula.* *Vi iuriſdictionis, ſi ea non continentur in regula.*

Eſt itaque certum, quod Prælatus regularis poſſit obſtringere ſubditum ad quaſlibet obligationes adimplendas: quod autem id poſſit vi voti obedientiæ, vel vi iuriſdictionis dumtaxat Eccleſiaſticæ, ſub opinione eſt. 80.

Inquires ſecundò. Si verum eſt, vt diximus ſuprà *num.74.* quod Prælatus regularis nequit obſtringere ſubditum vltra regulam; quomodo id componitur cum eo, quod Prælatus regularis obſtringat ad reliquas obligationes adimplendas? Et quidem id facilè intelligitur in priori opinione aſſerente, omnes eas obligationes contineri implicitè in regula. At verò in opinione id negante, explicanda eſt ea propoſitio, quod Prælatus regularis nequeat vrgere vltra regulam vi voti obedientiæ. Nam ſi obligationes communes non dicuntur contineri in regula, & votum obedientiæ dicitur referri tantummodò ad regulam, euidens eſt, quod poteſt Prælatus vrgere ad obligationes communes non vi voti, ſed vi Eccleſiaſticæ iuriſdictionis dumtaxat. 81. *Non præcipit vltra regulã ſi prædicta continentur implicitè in regula.* *Si non continentur, non præcipit vltra regulam vi voti.* *Sed vi iuriſdictionis.*

***

ARTIC

Articvlvs II.

An ad pœnam delicti, quod non violat Regulam?

82\. *Poteſt imponere pœnam pro delicto, quod nō violat regulam.*

SEcunda concluſio, eaque certiſſima, eſt. Prælatus Regularis poteſt imponere ſubdito pœnam proportionatā pro delictis; etſi hæc pœna non contineatur in regula, nec delicta ſint contra regulam; conſequenterque reus tenetur admittere pœnam impoſitam. Conſtat apertè ex Trident. *ſeſſ.25.de Regular.cap.*4. vbi dicitur; [Regularis non ſubditus Epiſcopo, qui intra clauſtra monaſterij degit, & extra ea ita notoriè deliquerit, vt populo ſcandalo ſit, Epiſcopo inſtante, à ſuo Superiore intra tempus ab Epiſcopo præfigendum, ſeuerè puniatur,] &c. vbi euidenter conſtat, loqui Concilium non de delictis, quæ ſint contra regulam, ſed vniuerſaliter de quibuſlibet, quæ produxerint ſcandalum; & quia reſpectu eorum delictorum Prælatus Regularis eſt Iudex ordinarius; ideò ſacra Synodus non committit Epiſcopo punitionem, donec præcedat omiſſio Prælati Regularis. Conſtat etiam ex Bullis confirmationis Religionum, vbi clauſulæ vniuerſaliſſimæ poteſtatis ad punitionem continentur.

83\. Notanda ſunt verba Conſtitutionis 63. Pij V. circa reformationem tertij Ordinis S.Franciſci. Vbi dicitur; [*Plenum ius, liberamque authoritatem*, ac in ſpiritualibus & temporalibus *iuriſdictionem omnimodam* habeant, domos, ac monaſteria, & loca quæcumque, necnon perſonas vtriuſque ſexus, tam in capite, quàm in membris, viſitandi, & corrigendi vagantes, & quoſcumque alios puniendi, *carcerandi*, mutandi, transferendi, ordinibus, officiis, & adminiſtrationibus deponendi, excommunicandi, ſuſpendendi, interdicendi.

84\. Notanda etiam verba Bullæ Gregorij XIV. in confirmationem Societatis Ieſu editæ; quæ incipit, *Eccleſiæ Catholicæ*. Vbi ſic ſtatuit: [Quin etiam omnes facultates, *omnemque iuriſdictionem, quod ad ſubditorum correctionem, & punitionem pertinet*, quibuſcumque Ordinibus, eorumque Generalibus hactenus conceſſas, non adinſtar, ſed æquè principaliter ipſi Societati, eiuſque Præpoſito Generali concedimus, & elargimur.] Quæ eadē iuriſdictio competit Prælatis earum Religionum, quæ in aliarum facultatibus, & priuilegiis communicant. Qua dē re omninò videndus P.Ioſephus Aldrete *l.b.1.de Religioſa diſciplina tuenda, cap.3.*

85\. Cùm ergo Romanus Pontifex pleniſſimam poteſtatem habeat puniendi quælibet delicta Eccleſiaſticorum, imponendique eis pœnam pro qualitate delicti, & ad hoc poteſtatem conceſſerit ordinariam Prælatis Regularium pro ſubditis ſuis; indubitabile eſt, hanc poteſtatem ineſſe prædictis Prælatis, vbi ea non fuerit expreſsè limitata.

86\. Quod ſi inquiras primò, an vi voti obedientiæ, an vi dumtaxat iuriſdictionis Eccleſiaſticæ imponere poſſit Prælatus Regularis pœnam ſubdito reo, quando pœna non continetur in regula, nec delicta fuerunt commiſſa contra regulam? Eodem modo reſpondendum eſt, ac in prima concluſione. Eſt enim certum, quod poteſt Prælatus Regularis imponere reo pœnam ob eiuſmodi delicta; eſt tamen ſub opinione, quod poſſit illam imponere vi voti obedientiæ, aut virtute dumtaxat iuriſdictionis Eccleſiaſticæ. Prima opinio, quæ aſſerit, Religioſo non imponi præceptum, niſi eorum, ad quæ ſe obligauit, ſimul admittit neceſſariò conſtitutiones Pontificum concedentes Prælatis eam poteſtatem punitiuam pertinere implicitè ad regulam: & ideò dum vouent obedientiam ſecundùm regulam, ſe obligant ſecundum eiuſmodi conſtitutiones Pontificum ad acceptandam pœnam pro ſuis quibuſlibet delictis. Opinio autem, quæ negat, aliquid implicitum contineri in regula, & votum obedientiæ fieri, niſi ſecundum expreſſa in regula; neceſſariò concedit, quod vi iuriſdictionis Eccleſiaſticæ obſtringit ad pœnam Prælatus Regularis pro eiuſmodi delictis. Vnde quamvis probabile ſit, quod non obſtringit ad pœnam vi voti, & probabile ſit, quod non obſtringit ad pœnam vi dumtaxat iuriſdictionis Eccleſiaſticæ; tamen improbabile eſt, quod neutro modo poteſt obſtringere ad pœnam pro eius generis delictis.

Eſt ſub opinione, an imponat pœnam vi voti, an vi iuriſdictionis.

Vi voti, ſi onus pœnæ continetur implicitè in regula.

Si non continetur, vi iuriſdictionis.

87\. *Iuxta 2. opinionem non præcipit vltra regulam vi voti.*

Quod ſi inquiras ſecundò, quomodo in hac ſecunda opinione non præcipiat Prælatus vltra regulam, cum pœnam imponit, quæ non continetur expreſsè in regula, neque pro delictis, quæ regulam non infringunt? Dicendum eſt, ſicut & in prima concluſione, non poſſe præcipere vltra regulam vi voti obedientiæ; præcipere tamen vltra regulam vi iuriſdictionis ordinariæ. Quod patet ex ſuprà dictis *num.43. & 81.*

Articvlvs III.

An ad ea, quæ expediunt ad vtilitatem publicam Eccleſiæ?

88\. *Poteſt Pontifex præcipere Regulari, quæ expediunt ad vtilitatem Eccleſiæ.*

SIt tertia concluſio, quam etiam cenſeo indubitabilem. Quæ valde expediunt ad vtilitatem publicam Eccleſiæ, poteſt Romanus Pontifex imperare Religioſo: ſi tamen cum vtilitate Eccleſiæ admiſceatur publica, eaque grauis neceſſitas Eccleſiæ, poteſt Prælatus Regularis grauiter obſtringere ſubditum, quamuis hæc non exprimantur in regula. Prima pars patet. Accepit enim Romanus Pontifex à Chriſto poteſtatem indicendi fidelibus, quæ ad vtilitatem publicam Eccleſiæ valde conducunt. Ideò Doctores omnes, nemine refragante, concedunt, poſſe Romanum Pontificem præcepto obſtringere Regularem, vt acceptet Epiſcopatum, quando inſtat Eccleſiæ vtilitas. De quo conſulendi ſunt P.Thom. Sanch. *lib. 6. in Decalog. cap.2. num.49.* & P.Pellizarius *tom.2. Manual. tract.4. cap. 4. num.* 85. qui rectè adduntur, id non poſſe vi voti obedientiæ; quia Religioſus ex hoc ſolum obſtringitur ad ea, quæ præcipiuntur intra Religionem exercenda.

89\. *Prælatus Regularis poteſt præcipere, quæ ad neceſſitatē Eccleſiæ.*

Secunda pars concluſionis probatur. Nam Prælatus Regularis poteſt obſtringere ſubditum ad quamlibet obligationem conſcientiæ adimplendam, vt conſtat ex concluſione prima: ſed quando inſtat grauis neceſſitas publica Eccleſiæ, Religioſus tenetur ei ſuccurrere ſub reatu culpæ grauis: (ſaltem quando ſine graui incommodo ſuo poteſt; in hoc enim

ſenſu

ſenſu procedit concluſio, ergo quando inſtat grauis neceſſitas publica Eccleſiæ, poteſt Prælatus Regularis obſtringere ſubditum, vt ei neceſſitati opituletur.

90. *Dum Prælatus Regularis non præcipiat tranſitum ad alium ſtatum.*
Et nota id intelligendum eſſe, dummodò Prælatus Regularis non præcipiat tranſitum ad alium ſtatum, v.g. Epiſcopi; quia non videtur conceſſa iuriſdictio Prælato Regulari, vt cogat ſubditum deſerere ſtatum ſuum, etiam pro neceſſitate publica Eccleſiæ. Tota enim poteſtas Prælati Regularis videtur eſſe intra ſtatum Regularem, quem profitetur; neque excedere metas illius.

91. *Quomodo tunc non præcipiat vltra regulam.*
Et an vi voti, vel iuriſdictionis?
Quomodo autem Prælatus non præcipiat vltra regulam, quando obſtringit ſubditum, vt opituletur neceſſitati graui Eccleſiæ, manens intra Religionem, patet ex dictis in concluſione prima. Vbi etiam conſtat, quomodo ſecundùm primam opinionem Prælatus id præcipiat vi voti obedientiæ; & ſecundùm poſteriorem opinionem id præcipiat duntaxat virtute iuriſdictionis ordinariæ.

Articvlvs IV.

An ad ea, quæ requiruntur ad conſeruationem Communitatis, & famæ eius?

92. *Poteſt præcipere, quæ requiruntur ad conſeruationem communitatis.*
Licèt non exprimantur in regula.
Sit quarta concluſio, mihi etiam certiſſima. Prælatus Regularis poteſt præcipere ſubditis quidquid requiritur ad conſeruationem communitatis, & bonorum illius, præcipuè famæ & boni nominis; etſi nihil horum exprimatur in regula. Et quod attinet ad famam Communitatis, demonſtratur. Nam cùm quilibet priuatus habeat ſtrictiſſimum ius ad famam ſuam, fortiori titulo Reſpublica Religioſa habet idem ius ad ſuam famam: atqui euidens & quotidiana experientia demonſtrat, moribus ſingularium, non ſolùm prauis, ſed & prauitatis ſpeciem habentibus, famam Reipublicæ Religioſæ denigrari: ergo hæc habet ius ſtrictiſſimum impediendi eiuſmodi actiones ſingularium; atque adeò præcipiendi, quæ requiruntur ad conſeruationem nominis, & famæ.

93. Ex hoc titulo multa poteſt Prælatus Regularis prohibere ſubditis, præceptis grauiter obligantibus, licèt illa non exprimantur in regula.
Ne ingrediatur domos ſuſpectas.
Primò, ne ingrediatur domos ſuſpectas, ſiue contra quas eſt probabilis incolarum ſuſpicio de conuerſatione venerea; idque etiamſi ſciat Prælatus, ſubditos illuc ingredientes nihil peccare contra caſtitatem propriam: denigratur enim fama Religionis per eiuſmodi ingreſſum.

94. *Ne ſine ſocio ambulet per loca publica.*
Secundò. Ne ſubditus Regularis per vicos, & plateas oppidi ſolus & ſine ſocio ambulet. Hic enim modus incedendi generat ſuſpicionem grauem, niſi Religioſus notæ & perſpectæ virtutis, & famæ in eo oppido reputetur. Quæ ſuſpicio in Religionem ipſam reſilit. Excipe, ſi circumſtantiæ eam ſuſpicionem tollant.

95. *Ne emittat iuramenta ſcandalum generantia.*
Tertiò. Inter Hiſpanos magnam laxiſſimæ conſcientiæ notam incurrunt Regulares, qui more ſæcularium iurant, per eas formulas Hiſpanici idiomatis, *Voto à Dios, Voto à Ieſu Chriſto, Vyue Dios*, &c. quæ ex ſe in multis circumſtantiis ſolùm ſunt venialia, ſecluſo ſcandalo. Quæ nota in Religionem reſilit. Poteſt ergo Prælatus Regularis ea grauiter prohibere ſubditis, tanquam bono nomini Religionis officientia, quamvis nihil horum exprimatur in regula.

Quartò. Poteſt Prælatus præcipere Regulari, ne paraſitetur, aut ioculetur, ſcurriliáve exerceat coram ſæcularibus: qui quidem magno contemptui habent Religioſos ſcurrilibus nugis deditos: & is contemptus cedit in ipſius familiæ contemptum. 96. *Ne ſcurrilia exerceat.*

Quintò. Ne adſint comœdiis, & ſpectaculis publicis; contemnitur enim Religio vt relaxata, quæ habenas ad id ſuis ſubditis laxat. 97. *Ne adſit comœdiis.*

Sextò. Ne colloquantur fœminis in loco publico, vnde poſſit ſuſpicio prauitatis ſuboriri. Item, ne Moniales alloquantur viros, præcipue iuuenes. 98. *Ne colloquantur fœminis, &c.*

Septimò. Ne ingrediantur tabernas vinarias ad potationem. Religioſo enim eſt id magno dedecori, & ignominiæ: cuius etiam Religio eſt conſors. 99. *Ne adeat tabernas vinarias.*

Octauò. Ne typis committant libros abſque approbatione Religionis, etſi id non contineatur expreſſe in regula. Nam ſi qua erronea, vel improbabilia in librum inrepſerint, Religioni exprobrantur. Quibus multa alia ſimilia ſunt, quæ ex eodem titulo poſſunt interdici, quamvis nihil eorum in regula contineatur. 100. *Ne typis mandet abſque approbatione Religionis.*

Et hinc conſtat, quomodo potuerit indici clauſura Monialibus, non ſolùm ob alia motiua, ſed vel ex vno hoc titulo proſpiciendi famæ ipſius Religioſæ Reipublicæ; quamvis præfata clauſura non exprimeretur in regula. Et ſanè non defuerunt aliqui, qui negarent valorem legis; non vtique ſine temeritate, poſtquam illam tulerunt Bonifacius VIII. *in cap. Periculoſo, de ſtatu Regul. in* 6. & Tridentinum *ſeſſ. 25. cap. 5. de Regular.* & Pius V. in Conſtitutione, quæ incipit, *Curæ Paſtoralis*: & Gregorius XIII. in Bulla, quæ incipit, *Deo ſacris*. Negarunt autem huius legis valorem ea propoſitione decepti, quòd nihil Regularibus præcipi poſſit vltra, vel ſupra regulam: quæ propoſitio ſi vniuerſaliſſime accipiatur, & intelligatur de regula ſecundum ea, quæ expreſſe continet, in magna abſurda deducet; vt ex diſcurſu hucuſque facto apertiſſimum eſt. 101. *Hoc titulo potuit indici clauſura Monialibus, licèt non expreſſa in regula.*

Potuiſſe autem vel ex hoc ſolo titulo Monialibus clauſuram indici, ne ex ſuis cœnobiis egrediantur, patet ex hoc ſyllogiſmo. Vt Reſpublica Religioſa habet ſtrictum ius ad ſuam famam, ita interdicere poteſt ſingularibus ea omnia, quæ afferunt periculum probabile lædendi ſuam famam: egreſſus autem Monialium ex cœnobiis probabile periculum, imò certum affert lædendi famam Religioſæ Reipublicæ, vtpote qui generat ſuſpicionem turpis conuerſationis: poteſt ergo Reſpublica Religioſa eum egreſſum Monialibus interdicere. Idque præter motiua alia, quæ Bonifacius, Pius, Gregorius, & Tridentina Synodus enumerant, tum ad multa ſcandala compeſcenda, tum ad famam caſtitatis, tum etiam ad caſtitatem ipſam conſeruandam pertinentia. 102.

Et ob præfatum motiuum conſeruandæ famæ in familia Religioſa, partialiter interdictam eſſe eiuſmodi clauſuram, patet *ex cap. Periculoſo, de ſtatu Regularium in* 6. illis verbis: [Extra 103. *Indicta eſt ea clauſura ob conſeruandã*

famam Regularis familia.

tra ſua monaſteria nonnunquam per habitacula ſæcularium perſonarum diſcurrunt... in illius, cui ſuam integritatem voluntate ſpontanea deuouerunt, grauamen, offenſam (fortè legendum, *grauem offenſam*) *in Religionis opprobrium*, & ſcandalum plurimorum.] Ea autem dictio, *in Religionis opprobrium*, denotat motiuum nuper expoſitum de vitando opprobrio, & conſeruanda fama, & bono nomine Communitatis.

104. *Præcipiuntur vi voti, iuxta opinionem, quæ includit ea implicitè in regula. Iuxta oppoſitam, vi iuriſdictionis.*

Et quidem hæc omnia poteſt præcipere Prælatus Regularis vi voti obedientiæ, ſecundùm priorem opinionem ſuprà relatam, aſſerentium, cæteras obligationes Regularium contineri implicitè in regula. Quis enim dubitet, eſſe obligationem Regularium proſpicere famæ Religionis ſuæ. At verò iuxta poſteriorem opinionem aſſerentem, votum obedientiæ ſolùm extendi ad ea, quæ exprimuntur in regula, vel ſunt media neceſſaria ad eius obſeruationem; neceſſariò dicendum eſt, quod poteſt Prælatus illa omnia præcipere vi iuriſdictionis Eccleſiaſticæ; per quam ex dictis certiſſimum eſt, quòd poteſt Prælatus Regularis præcipere vltra ea, quæ expreſsè continentur in regula, vel ſunt media neceſſaria ad illam.

105. *Quomodo ad huc vi illi præcipiat, vltra regulam?*

Similiter conſtat, quod ſecundùm priorem opinionem in his omnibus præcipit Prælatus ſecundùm regulam; & ſecundùm poſteriorem quod præcipit Prælatus vltra regulam, nempe virtute dumtaxat iuriſdictionis Eccleſiaſticæ. Et ſupra omnem opinionem eſt, quod in his omnibus poteſt Prælatus præcipere alterutro modo ea, quæ requiruntur ad famam Religioſæ communitatis conſeruandam.

ARTICVLVS V.

An ad exercitia, ad quæ ex contractu, vel aliàs tenetur.

106. *Poteſt præcipere ea munia, ad quæ tenetur communitas.*

QVinta concluſio. Poteſt Prælatus Regularis præcipere ſubdito ea munia, & exercitia, ad quæ obeunda tenetur Communitas ex contractu, aut alia ſimili obligatione; quamvis horum nihil exprimatur in regula. Id, quod bene notauit Caramuel *in Theolog. fundam. num.* 1051. *fund.* 40. his verbis: [Corollarium. Poſſe nimirum Prælatum iubere Religioſo, etiam inuito, vt ſit Pater Monialium in aſceterio, ſuo monaſterio adnexo: vt concionetur, quando iudicauerit congruum: vt audiat confeſſiones, cùm iudicauerit rationi conſentaneum. Item vt dicat tot, aut tales Miſſas pro tali, cui tenetur Communitas. Vt doceat doctrinam Chriſtianam, aut Grammaticam pueros, qui vel ſeruiunt monaſterio, vel ex liberalitate alicuius fundationis conuiuunt. Et intra ſuum monaſterium, vt iſte vel inuitus ſit Prior, ille Subprior, alter Profeſſor Philoſophiæ, Theologiæ, aut in quocumque alio officio ſeruiat. Omnia vnica ratione, eaque efficaciſſima probari poſſunt. Hæc enim & alia ſimilia ſunt onera monaſterij, ad quæ plerumque illud ex iuſtitia tenetur: quibus non poterit ſatisfieri, ſi vnicuique ſit liberum ſe excuſare.] Huc vſque Caramuel.

107. *Quàm ſit certa ea concluſio?*

Ergo tam certum eſt, poſſe Religionem obligare ſubditum ad ea onera cœnobij, vel collegij; quàm eſt certum, potuiſſe ipſam Communitatem ex contractu ad ea ſe obligare. Etenim ſi hæc Reſpublica non poſſet obligare ſubditos ad ea munia exercenda, neque ſe ipſam poſſet obligare ad exercitium eorum: quod exercitium non poteſt ad praxim reducere communitas, niſi per officiales, & miniſtros eius exercitij. Cùm ergo ſe obligat ad exercendum ea munia, obligat ſe ad conſtituendum miniſtros eorum. Implicat ergo contradictionem, quod ſe obliget ad ea munia per miniſtros à ſe conſtituendos, & quod illos non poſſit obligare ad illa exercenda. Sic enim ſe obligaret, vt ſupponitur; & maneret abſque obligatione, ſi miniſtri ab obligatione eſſent immunes; adeóque tales, vt iure poſſent ab exercitio eorum ſuperſedere.

Ad cætera autem officia communitatis, Prælaturam, œconomiam, valetudinis præfecturam, etiam poteſt obſtringere Religio: cùm poſſit obligare ſubditos ad ea, quæ ad ſui conſeruationem neceſſaria ſunt. Idque etiamſi hæc officia in regula omittantur, iuxta dicta in concluſione 4. 108. *Poteſt obſtringere ſubditum ad officia communitatis.*

Sed nunquid poteſt ad ea obligare vi voti obedientiæ? Secundùm priorem opinionem, quæ admittit in regula contineri implicitè omnes obligationes conſcientiæ, dicendum eſt, poſſe Prælatum ea imponere vi voti obedientiæ: quia ſubditi vouerunt obedire ſecundùm explicitum & implicitum regulæ. 109.

Sed quid ſecundùm poſteriorem opinionem, quæ nomine regulæ ſolùm ea, quæ ſunt expreſſa, intelligit? Reſpondeo, quod ad officia Religionis, Prælaturam, Oeconomiam, &c. poteſt obſtringere ſubditos vi voti obedientiæ; quia ea officia ſunt ſimpliciter neceſſaria ad obſeruationem regulæ: atque adeò indirectè ſe obligauit Religioſus ad ea acceptanda, dum vouit obedientiam ſecundùm Regulam. 110. *Iuxta vtramque opinionem obligat vi voti ad officia Religionis.*

Ad alia autem officia, ad quæ ex contractu tenetur communitas, v. g. ad munus Profeſſoris Theologiæ, Philoſophiæ, Grammaticæ, vbi regula de his nihil præſcribit; ſecundùm poſteriorem opinionem, non virtute voti obedientiæ obligari ad ea ſubditus poteſt, ſed virtute iuriſdictionis Eccleſiaſticæ. Eſt ergo certum, quod ad hæc poteſt ſubditus à Prælato obligari: eſt autem ſub opinione, an vi voti obedientiæ, an vi iuriſdictionis dumtaxat poſſit obligari? 111. *Ad cætera munera, an vi voti, an vi iuriſdictionis.*

Quomodo autem verificetur, quod tunc ſubditus non obſtringitur vltra regulam, patet ex dictis. Nam ſecundùm priorem opinionem eorum obligatio continetur implicitè in regula. Et ſecundùm poſteriorem non poſſunt ſubditi obſtringi vltra regulam vi voti obedientiæ; bene tamen vi iuriſdictionis. 112. *Quomodo tùc non præcipiat vltra regulam.*

ARTICVLVS VI.

An ad omnia, quæ ſunt communiter præceptibilia fidelibus.

SExta concluſio, eaque mihi certa. Quidquid poteſt præcipi indifferenter omnibus fidelibus, poteſt etiam præcipi Religioſis, non ſolùm à Romano Pontifice, ſed etiam à Prælato Regulari; etiamſi non contineatur in regula, neque ſit medium neceſſarium, vel conducens 113. *Poſſunt præcipi Regularibus præceptibilia communia.*

ducens ad illam. Et quidem conſtat *ex num.* 40. poſſe Romanum Pontificem præcipere vni dumtaxat prouinciæ, vel vrbi, quæ poſſet toti Eccleſiæ. Et inde etiam clarè conſtat, poſſe Romanum Pontificem præcipere dumtaxat Regularibus, quæ poſſet toti Eccleſiæ indicere. Nam ſi præualuiſſet conſuetudo contra ieiunium Quatuor temporum, vel contra communionem annuam in tota Eccleſia; quis neget, ſicut poteſt Romanus Pontifex iterum ea præcipere omnibus fidelibus; poſſe, ſi vellet, illa ſolis Regularibus iniungere?

Poteſt Pontifex.

114\. Quod verò poſſit Prælatus Regularis indicere ſubditis præceptibilia communia, etiam patet. Nam ſi Regulares non eſſent exempti à poteſtate Epiſcopali, poſſet Epiſcopus illis & cæteris fidelibus ſuæ diœceſis imponere indifferenter præceptibilia communia: ergo poſſet Epiſcopus ſolis Regularibus ea indicere. Hæc conſequentia patet *ex num. praced.* Tum ſic. Quæ potuit Epiſcopus imperare Regularibus, dum iuriſdictioni Epiſcopali ſubiiciebantur, poteſt Prælatus Regularis præcipere eiſdem Regularibus, niſi in iis quæ expreſsè fuerint limitata: nam per eam exemptionem non eſt extincta omnino ea iuriſdictio, ſed tranſlata ab Epiſcopo in Prælatum Regularem: ergo ſi ante exemptionem poterat Epiſcopus præcipere ſolis Regularibus præceptibilia communia, poterit eadem imperare Regularibus eorum Prælatus ordinarius.

Poteſt etiam Prælatus Regularis.

115\. Sicut ergo ante præfatam exemptionem poterat Epiſcopus vel Regularibus vnà cum ſecularibus, vel ſolis Regularibus imponere ea, quæ expediunt ad reuerentiam Euchariſtiæ; ita poterit Prælatus Regularis præcipere ſubditis, quæ ad eius reuerentiam expediunt. Ita poterit iſte imperare Religioſis ſuis, vt ſi per vias vrbis obuiam fiant Euchariſtiæ paucis viris aſſociatæ, eam comitentur. Poterit imperare, vt coram Euchariſtia ſilentium & modeſtiam obſeruent; riſum, cachinnos, & clamores contineant. Item vt genuflectant in viis publicis, iuxta morem ſæcularium, quoties campanæ ſignum audierint eleuatæ hoſtiæ in Miſſa ſolemni. Item Æditue ſuo Regulari, vt cùm Euchariſtiam expoſuerit, tot ardentes cereos in Altari exponat. Poterit etiam Prælatus Regularis ſubditis indicere ex graui cauſa aliqua ieiunia, quoties Epiſcopus omnibus ſuis diœceſanis poterat imperare. Idque licèt horum nihil exprimatur in regula, nec ſint media ad eius obſeruationem.

Quæ ſint ea obſeruationes communes, quas poteſt præcipere?

116\. Rogabis primò, an vi voti obedientiæ poſſit ea imperare Prælatus Regularis, an virtute dūtaxat iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, & quaſi Epiſcopalis? Et reſpondeo, etiam ſecundū priorem opinionem ſæpe relatam, quæ aſſerit, Prælatum Regularem non poſſe obligare ſubditos, niſi ad ea, ad quæ ipſi vi voti obedientiæ ſe obſtrinxerunt; dici non poſſe, quod Prælatus Regularis obſtringit ad præceptibilia communia virtute voti obedientiæ. Nam hæc præceptibilia communia, quæ ante præceptum Prælati Regularis ſupponimus non eſſe obligatoria vllo modo; non continentur implicitè in regula: ac ſecundùm hanc opinionem non obſtringit Prælatus Regularis virtute voti obedientiæ, niſi ad ea, quæ explicitè, vel implicitè; directè, vel indirectè clauduntur in regula.

Ad hæc præceptibilia communia, non antecedenter obligatoria, non obligat vi voti.

Sicut ergo Authores eius opinionis dicunt, eſſe exceptionem ab ea propoſitione vniuerſali, quod poſſit Pontifex præcipere Regulari Epiſcopatum, licèt ipſe vi voti obedientiæ non ſe obligauerit ad illum acceptandum: ita & hæc debet eſſe exceptio, quod poſſit Prælatus Regularis iniungere grauiter ſubditis præceptibilia communia, ad quæ non ſe obligarunt voto obedientiæ, vtique virtute iuriſdictionis Eccleſiaſticæ. 117.

Sed vi iuriſdictionis Eccleſiaſticæ.

Rogabis ſecundò, qua ratione verificetur in hac materia, quod Prælatus Regularis nequit præcipere ſubdito vltra regulam? Et reſpondeo ſine diſtinctione opinionum, dicendum eſſe, quod in hac materia id intelligitur, quod non poſſit vi voti vltra regulam, bene tamen vi iuriſdictionis Eccleſiaſticæ. Quo eodem modo reſpondent vtriuſque opinionis patroni, in caſu, quo Pontifex præcipiat Regulari, vt Epiſcopatum accepter. 118.

Quomodo tūc non præcipiat vltra regulā.

Articvlvs VII.

An ad modum viuendi communem Regularium?

Septima concluſio, eaque omnino certa. Poſſunt Prælati Regulares præcipere grauiter ſubditis, quæ ſpectant ad rationem conſuetam victus, veſtitus, exercitiorum, quæ conſuetudo introduxit, etſi conſuetudo non obliget ſub culpa, neque illa exprimatur in regula. Probatur. Poteſt Epiſcopus obſtringere Clericos, ne publicè incedant ſine habitu clericali, ne abſque tonſura, ne nocturno tempore arma geſtent, ne exerceant indecora officia: ergo poterat Epiſcopus eadem indicere Regularibus, ante exemptionem à poteſtate Epiſcopali. Sed eadem poteſtas antiqua, quam habebat Epiſcopus in Regulares, tranſlata eſt per exemptionem in Prælatum Regularem: ergo poteſt Prælatus Regularis ad hæc eadem ſubditos obſtringere. 119.

Ad eum poſſunt obſtringi Regulares.

Et quidem ſecundùm priorem opinionem ſuprà relatam poteſt Prælatus Regularis ad hæc omnia obſtringere vi voti obedientiæ: quia quæ ſpectant ad victum, veſtitum, & exercitia, includuntur implicitè in regula, tanquam quodammodo obligatoria, id eſt, obligatoria ex conſuetudine, licèt non ſub reatu culpæ. Et ita Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 25. *cap.* 1. *de Regular.* ſub nomine regulæ comprehendit, quæ *ad communem vitam, victum, & veſtitum pertinent.* At ſecundùm poſteriorem opinionem, quæ docet, nihil poſſe præcipi Religioſis virtute voti obedientiæ, præter ea, quæ expreſsè continentur in regula; dicendum eſt, poſſe Prælatum Regularem ad ea obſtringere, ſi non vi voti, ſaltē vi iuriſdictionis Eccleſiaſticæ. Ita vt certum ſit, poſſe Prælatum Regularem ad ea obſtringere: ſub opinione verò (ad ſummum) an vi voti, an vi dumtaxat iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, vt in aliis materiis ſuprà dictum eſt. 120.

An vi voti, an vi iuriſdictionis?

Præterea iuxta priorem opinionem retinetur in hac materia ea propoſitio, quod Prælatus nequit præcipere vltra regulam; quia, vt dixi, ea continentur implicitè in regula. Et iuxta poſteriorem explicatur & limitatur ea propoſitio vniuerſalis; aſſerendo, quod non poteſt Prælatus Regularis præcipere ſubditis vltra 121.

Quomodo tūc non præcipit vltra regulā.

Digitized by Google

vltra regulam, nempe vi voti obedientiæ; bene tamen vi iuriſdictionis Eccleſiaſticæ.

ARTICVLVS VIII.

An ad nouas conſtitutiones Regula?

122. *Cùm Religio in confirmatione accepit poteſtatem condendi nouas leges, has poſſunt imponi denuò.* OCtaua concluſio. In ea Religione, quæ in ſui confirmatione accepit poteſtatem à Romano Pontifice condendi nouas regulæ conſtitutiones, poſſunt nouæ leges grauiter vi voti obedientiæ imponi ſubditis vltra ea, quæ ſunt expreſſa in primitiua regula. Patet concluſio, ſi penetrentur termini. Etenim non habet vim Religioſæ regulæ, niſi illa quatenus confirmata a Romano Pontifice: & ſecundùm illam quà confirmatam à Romano Pontifice vouent Religioſi obedientiam: ergo in ea Religione vouent Religioſi obedientiam ſecundùm eam regulæ qualitatem, quod debeant accipere nouas regulæ conſtitutiones à Religione denuò ſtabilitas. Quare ſic per votum obedientiæ acceptant, non ſolùm conſtitutiones iam ſtabilitas, ſed & denuò ſtabiliendas. Obſeruandum cum Patre Suar. *tom. 4. de Relig. lib. 10. de Regim. Soc. cap. 14. num. 2.* in multis Religionibus diſtingui regulam à conſtitutionibus. Præſens ergo concluſio loquitur de illis conſtitutionibus, quæ regulam componunt.

123. *Ideò in Societate tenentur admittere nouas conſtitutiones, &c.* Hinc inferes primò, in Societate Ieſu teneri Religioſos vi voti obedientiæ ad nouas conſtitutiones admittendas, quas maiori parte ſuffragiorum Congregatio Generalis ſtatuerit, dummodò conducant ad finem & inſtitutum Societatis. Etenim Paulus III. in Bulla confirmationis Societatis, quæ incipit *Regimini*, id ita ſtatuit: [Qui quidem Præpoſitus (generalis) de conſilio conſociorum, conſtitutiones ad conſtructionem huius propoſiti nobis finis conducentes, in conſilio condendi authoritatem habeat, maiori ſuffragiorum parte ſemper ſtatuendi ius habente.] Quod idem ſtatuit Iulius III. in noua confirmatione Societatis, quæ incipit, *Expoſcit debitum*. Promittunt ergo in Societate obedientiam ſecundùm conſtitutiones conditas & condendas: quia regula vt confirmata à Romano Pontifice id continet: præcipuè cùm in Societate non ſit alia regula, quàm conſtitiones à Romano Pontifice confirmatæ: & vt loquitur P. Suar. proximè relatus, [Societas nullam antiquam regulam aſſumpſit, quam profiteretur, ſed à ſuo fundatore habuit conſtitutiones à Sede Apoſtolica approbatas per modum propriæ regulæ.]

124. *Conſtitutiones nouæ non indigent noua acceptatione in Societate.* Inferes ſecundò. Conſtitutiones, quæ denuò adduntur in Societate in ordine ad ſuum inſtitutum, ſiue finem, non indigere acceptatione; quia dum vouerunt, obedientiam ſecundum conſtitutiones, & confirmationem earum, ſe obligauerunt ad conſtitutiones conditas & condendas in ordine ad prædictum finem.

ARTICVLVS IX.

Ad quam materiam ſe extendat votum obedientiæ in Societate IESV?

125. *In Societate materia voti* NOna concluſio. Materia voti obedientiæ in Societate tam latè patet, ac finis ipſius Societatis. Ponitur enim hæc extenſio eius in nona parte Conſtitut. *cap. 3. §. 20.* his verbis. *Generatim loquendo in rebus omnibus, quæ ad propoſitum Societati finem PERFECTIONIS, & AVXILII PROXIMORVM ad gloriam Dei faciunt, omnibus præcipere in obedientiæ virtute poſſit.* Vbi notabis primò, poſſe in virtute obedientiæ præcipi quæcunque conducunt (& non ſolùm ea, quæ præciſè neceſſaria ſunt) ad finem adæquatum *propriæ perfectionis, & auxilii proximorum*, vt denotat id verbum *faciunt*. Notabis ſecundò, non poſſe præcipi, quæ conducunt ad propriam perfectionem, & impediunt auxilium proximorum, vel è conuerſo; quia quæ præcipienda ſunt menſurari debent penes vtrumque finem partialem: ita vt ad vnum conducant, & alteri non aduerſentur. *tam latè patet, ac finis Societatis.*

126. *Limitatio præcedentis concluſionis.* Notat autem P. Suarez *tom. 4. de Relig. lib. 4. de votis ſimplic. Societatis, cap. 12. num. 13.* hæc limitari iuxta materiam conſtitutionum, declarationum, ordinationum, & ordinem viuendi Societatis. Quod colligit *ex part. 6. Conſtit. cap. 5.* Conſule Suarium citatum. Et iuxta dicta in concluſione præcedenti, aduerte, hoc intelligendum non eſſe dumtaxat de conſtitutionibus primitiuis, ſed de iis, quæ denuò conduntur à Congregatione Generali: cùm iſtæ eandem vim habeant, ac primitiuæ, ex Bullis confirmationis Pauli tertij, & Iulij tertij.

127. *Quo iure negari potuerit Coadiutoribus temporalibus vſus pilei? Et quàm certum ſit potuiſſe?* Ex dictis inferes, potuiſſe Congregationem Generalem Societatis IESV negare vſum pilei coadiutoribus temporalibus, qui iam emiſerant vota biennij, aut vota formatorum. Et quidem nonnulli cenſebant, non poſſe Societatem eos coadiutores obligare ad carentiam pilei; quia ad eam carentiam non ſe obligauerant. Sed ſanè id cenſuerunt ex inſcitia conſtitutionum, & iuris peculiaris, quo pollet Societas. Nam, vt dixi *num. 123.* Societatis Religioſi in ipſa emiſſione votorum ſe obligarunt etiam ad nouas conſtitutiones admittendas, quas maiori parte ſuffragiorum Congregatio Generalis ſtatuerit. Nam cùm emiſerunt obedientiam ſecundùm regulam, & regula includat conſtitutiones de nouo condendas à Congregatione Generali, vtique ad has ſe obligarunt in ipſa obedientiæ promiſſione.

128. Neque poteſt allegari, id non conducere ad finem Societatis. Nam cùm conſtet *ex 9. part. Conſtitut.* verbis citatis *in concluſ. 9. num. 125.* finem Societatis eſſe perfectionem propriam; & carere vſu pilei conducat ad humilitatem eius ſtatus propriam, indubitabile eſt, eſſe medium conducens ad finem Societatis.

CAPVT VII.

Obiectionibus aduerſariorum occurritur.

129. *D. Bernardus.* OBiicies primò cum Caramuele citato, D. Bernardum *de diſpenſ. & præcept. col. 5.* in hæc verba: *Promitto non quidem regulam, ſed obedientiam ſecundùm regulam Sancti Benedicti. Non ergo ſecundùm voluntatem Præpoſiti. Proinde ſi profeſſo ſecundùm illam regulam Abbas meus mihi aliud fortè imponere tentauerit, quod non ſit ſecundùm regulam, aut etiam quod non*

Ll ſit

Digitized by Google

ſit ſecundùm iſta inſtituta, verbi causâ, Baſilij, Auguſtini, Pacomij; quaenam mihi, queſo, in hac re neceſſitas imminet obſequendi? Solùm quippe id à me poſſe exigi, arbitror, quod promiſi. Videtis iam ergo obedientiæ limites, quos requiritis, ſi modus eſt obeditionis tenor profeſſionis, nec ſe valeat extendere poteſtas imperantis, niſi quatenus attigerit votum profitentis. Profectò citra & vltra, necnon etiam contra, quid aliud, quàm obedientiæ limites quoſdam cenſuerim, & his ſuis terminis virtutem eandem circumcludi? Quam ob rem quiſque profeſſus in quouis genere ſalutiferæ vitæ, nec vltra obedientiæ legem cogendus, nec citra eſt inhibendus, quàm ſua ipſius complecti videtur profeſſio. In quam ſententiam multa alia ſimilia proſequitur. Ergo ex mente Diui Bernardi nihil aliud præcipere poteſt ſubdito Prælatus Regularis, niſi id, quod continetur in regula. Ergo limites, intra quos poteſt præcipere Prælatus, ſunt ea, quæ non ſunt contra regulam, vel vltra, vel citra regulam.

130. *Quæ ſit mens D. Bernardi?* Reſpondetur primò, ſatis conſtare ex verbis D. Bernardi, non eſſe de mente eius, quod Prælatus Regularis non poſſit præcipere ſubdito, quæ Eccleſia præcipit omnibus fidelibus, aut quæ ſpecialiter præcipit Regularibus: ſolùm ergo docet, quod Prælatus ſubdito Ordinis Benedictini non poteſt præcipere ſecundùm inſtituta Baſilij, Auguſtini, Pacomij; cùm ad iſta inſtituta ſeruanda non ſe obligauerit profeſſus Benedictinus. Itaque Prælatus Regularis, ex mente Bernardi, non poteſt præcipere ſubdito alias obſeruantias, auſteritates, hymnodias vltra, vel citra ſuam regulam, ſecundùm quam profeſſus eſt: ad leges autem diuinas, vel Eccleſiaſticas Prælatum vrgere non poſſe præceptis ſubditos ſuos, nihil tale dixit ſapientiſſimus Doctor. Quod paulò poſt citata verba amplius explicuit his verbis: *Ponant ergo Præpoſiti metam obedientiæ ſubiectorum ex votis laborum ſuorum, non ſuorum deſideriorum, monentes eos, non cogentes ad celſiora.* Valebant ergo Abbates prætextu maioris perfectionis cogere ſubditos ad celſiora, & perfectiora. Docet ergo Bernardus, ad hæc non præceptis, ſed conſiliis adducendos eſſe: quod eſt veriſſimum.

131. *Tempore D. Bernardi Regulares non erant exêpti.* Reſpondetur ſecundò, tempore Diui Bernardi Regulares non fuiſſe exemptos à iuriſdictione Epiſcopi, vt bene docet P. Suar. *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 2.* qui aſſerit cœpiſſe à tempore Alexandri III. qui aſſumpſit Pontificatum anno 1160. antequem Sanctus Bernardus obierat, nempe anno 1153. atque adeò Prælatos Regulares eo tempore caruiſſe iuriſdictione quaſi Epiſcopali, qua hodie fruuntur. Atque adeò, quamvis ex Diui Bernardi verbis colligeretur, non poſſe Prælatum Regularem præcipere ſubdito ea, quæ hodie Epiſcopus præcipere poteſt Clerico ſæculari; id eſſet defectu iuriſdictionis quaſi Epiſcopalis, qua tunc carebat, & hodie fruitur prædictus Prælatus.

132. *Quod duplex peccatum cõmittat, qui violat ieiunium Eccleſiaſticum inditum in regula.* Obiicies ſecundò. Si Prælatus Regularis poſſet ſubdito imponere præceptum obſeruandi leges communes omnibus fidelibus, ſequeretur, quod quando in regula ponitur præceptum, quod eſt commune omnibus fidelibus, v.g. ieiunium vigiliæ Sancti Ioannis, Religioſus, qui illud violaret, duplex peccatum committeret, alterum contra obedientiam regulæ, alterum contra obedientiam communem omnibus fidelibus ex quarto Decalogi præcepto: hoc falſum videtur; eſt enim valde communis & probabilis ſententia, quæ docet, ſolùm peccare contra obedientiam communem, & non contra votum: ergo falſum eſt id, vnde infertur. Maior probatur. Nam quando Prælatus Regularis præcipit ſubdito in virtute voti obedientiæ obſeruationem legis communis, committitur duplex peccatum: ſimilis ratio eſt, quando ea lex communis præceptiua ponitur in regula: ergo tunc etiam ea duo peccata committeret violans præceptum, & regulam.

Reſpondetur negando maiorem. Nam Authores, qui probabiliter docent, in eo euentu ſolùm peccari contra obedientiam communẽ, ideo hanc doctrinam ſtatuunt, quia dicunt, ita interpretandam eſſe regulam, vt non fuerit mens Inſtitutoris, niſi ſolùm reuocare ad memoriam illud præceptum commune. Si autem ex verbis regulæ conſtaret, mentem legiſlatoris eſſe, fulcire præceptum commune præcepto graui proprio, non negant Authores illi, tunc peccari etiam contra votum obedientiæ. 133.

Obiicies tertiò. Materia, quæ præcepta eſt in iure, non eſt præceptibilis ab homine: ergo non poterit Prælatus præcipere ſub virtute voti obedientiæ, quod iam eſt in iure præceptum. Probatur antecedens: nam ſi præcipiatur, quod præceptum eſt, quid erit, niſi actum agere? 134.

Reſpondetur, certum eſſe inter Doctores, poſſe concurrere ad eandem actionem tanquam ad materiam duo præcepta, vel ambo iuris, vel vnum iuris, & alterum hominis. Nam ſi Archiepiſcopus Hiſpalenſis indicat ieiunium pro vigilia Sancti Iſidori præcipui Patroni eius diœceſis, & hæc vigilia, vt ſæpe ſolet, incidat in Quadrageſimam, concurrunt duo præcepta; vnum iuris, ſcilicet quadrageſimale, & alterum Epiſcopi, ſcilicet vigiliæ. Et ſicut hoc certum eſt, & indubitabile, non minùs extra dubium eſt, poſſe Epiſcopum præcepto ſuo proprio præcipere ieiunium vigiliæ Sancti Ioannis Baptiſtæ, quod in iure etiam eſt præceptum. Et in litibus fori Eccleſiaſtici quotidie contingit, vt feratur ſententia à iudice ſub pœna excommunicationis obligans ad obſeruationem alicuius decreti Eccleſiaſtici, ſuper qua eſt lis. Quare negandum eſt antecedens. Et ad probationem reſpondetur primò in materia præcepti à Prælato Regulari impoſiti, id non eſſe actum agere: nam in iure præcipitur vi obedientiæ communis, præcipuè ſi loquamur de præceptis communibus: Prælatum autem Regularem, dum eam materiam indicit, præcipere ſub virtute voti obedientiæ; id autem non eſt actum agere, quia diuerſa obligatio eſt, quæ prouenit ex quarto Decalogi præcepto, & quæ prouenit ex voto obedientiæ. Reſpondetur ſecundò, quidnam inconuenientis eſt in eo, quod actum agat; quod ligatum alio nodo vinciat, & quod incarceratum hominem noua catena vrgeat, ſi id ita expedit bono publico? 135. *Ad eandem actionem poſſunt concurrere duo præcepta.*

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT VIII.

Aliquot quæſtiones incidentes enodantur.

136. *Quot peccata committit, cùm Prælatus præcipit obſeruationem ſacri canonis?*

INquires primò. Quando Prælatus Regularis præcipit grauiter obſeruationem præcepti communis, vel ſpecialis contenti in ſacris Canonibus, ſi ſubditus inobediens ſit, quot peccata committat, & qualia?

Dico primò. Si conſtet, illum præcipere ſolùm virtute iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, ino- 137. bediens duo peccata committit numero diſtincta, vel vnum duobus titulis, iuxta varias de hoc opiniones; ſcilicet contra ſacrum canonem, & contra præceptum Prælati ordinarij. Et ſi duo peccata ſunt, ambo militant contra obedientiam debitam quarto Decalogi præcepto. Supponimus enim, eum non præcipere vi voti obedientiæ.

138. Dico ſecundò. Si præciperet obſeruationem ſacri canonis ſolùm vi voti obedientiæ, probabile eſt, quod præter peccatum contra ſacrum canonem, peccaret etiam contra votum, quod violaret non obediendo Prælato ſuo. Et probabile etiam eſt, quod non peccaret contra votum obedientiæ: quia probabile eſt, quod in his quæ ſunt extra Regulam, ſolùm poteſt præcipere vi iuriſdictionis ordinariæ, & non vi voti.

Dico tertiò. Cùm præcipit obſeruationem 139. ſacri canonis in virtute Sanctæ obedientiæ, peccat inobediens contra præceptum Prælati; quia etſi probabile ſit, non poſſe illam præcipere vi voti obedientiæ, ſed ſolùm vi iuriſdictionis; tamen cùm præcipit in virtute Sanctæ obedientiæ, intelligitur præcipere eo modo, quo poteſt. Deinde quia ea verba indifferentia ſunt ad obedientiam voto firmatam, & ad obedientiam debitam ex quarto Decalogi præcepto: multæ enim conſtitutiones dimanant vel ab Epiſcopis, vel Inquiſitore generali, præcipientibus vniuerſaliter ſub virtute ſanctæ obedientiæ, quamvis præceptum dirigatur etiam ad fideles non Religioſos.

140. *Quot peccata, cùm præcipit quæ expreſſa in regula.*

Inquires ſecundò. Quando Prælatus præcipit aliquid expreſſum in regula, quod aliàs non obligat grauiter, inobediens quot peccata committit?

Reſpondeo, Prælatum poſſe præcipere id vi voti obedientiæ, & vi iuriſdictionis ordinariæ. 141. Si conſtet, præcipere vi voti obedientiæ, inobediens peccat contra votum ſolùm. Si conſtet præcipere ſolùm vi iuriſdictionis, inobediens peccat ſolùm contra quartum Decalogi præceptum, eo modo, quo peccaret Clericus ſæcularis non obediens Epiſcopo. Si verò conſtet, vtroque modo & vtraque poteſtate præcipere, ſcilicet poteſtate dominatiua, quam habet vi voti, & poteſtate iuriſdictionis ordinariæ, peccabit inobediens duplici peccato ſpecie diſtincto, altero contra votum, altero contra quartum Decalogi præceptum. Sed de facto, quando ea præcipit Prælatus Regularis in virtute ſanctæ obedientiæ, cùm materia ſit capax, intelligitur ſolùm præcipere virtute voti; idque conſtat ex praxi communi Religionum.

DISPVTATIO XXIX.

An, & qualiter requiratur acceptatio ad valorem legis, vel præcepti?

CAPVT PRIMVM.

Quot quæſtiones diſputandæ? & aliqua prænotata ex mente Caramuelis.

MVLTA docuit Caramuel circa acceptationem legis, & præcepti, quæ 1. magno examine indigent. Ideò circa ea, quæ de hac materia docuit, octo quæſtiones diſcutiendæ ſunt. Prima, an ita requiratur acceptatio populi, vel communitatis, vt populum inuitum non poſſit legiſlator obligare? Secunda, an leges non obligent de facto ante acceptationem? Tertia, an populus teneatur acceptare, quandò nulla rationabilis cauſa adeſt ad renuendum? Quarta, an lex repulſa abſque rationabili cauſa, vim habeat obligandi? Quinta, an cùm maior pars communitatis acceptat legem, minor pars maneat obligata, ſi minor pars non compromiſit in maiorem? Quæ aliis terminis ſic proponitur: An vt lex obliget ſingulos, neceſſe ſit, quod acceptetur à ſingulis per ſe, vel per compromiſſarios? Sexta, an lex aliàs iniuſta, & inualida firmetur acceptatione? Quæ aliis terminis proponitur etiam: An acceptatio legis conferat illi vim obligandi, quando eam vim non habet ex ſe, defectu poteſtatis in legiſlatore? Septima, an opinio requirens acceptationem ad valorem legis, vtilior ſit, quàm oppoſita, vt leges aliàs iniquæ, validæ ſint? Octaua, an præceptum vni Regulari ſubdito impoſitum non valeat, niſi acceptetur ab illo?

Deinde ad impugnandas ſolidè multas Caramuelis aſſertiones, quæ reipſa impugnandæ 2. *Seruis poſſe imponi leges abſque acceptatione.* ſunt, oportet rectè callere etiam aſſertiones veras, quas Caramuel ſtatuit: vt his præſuppoſitis, impugnationes noſtræ ſine impediente offenſione procedāt. Igitur *in Theol. fund. n. 672. fund. 19.* ſtatuit primò, ſeruis poſſe imponi leges abſque eorum acceptatione: nam qui potuerunt occidi in bello iuſto, potuerunt etiam ſub quibuſcunque conditionibus ſeruari.

Statuit ſecundò, homines liberos non habere ius reſpuendi, ſiue non acceptandi eas 3. *Liberos non poſſe non acceptare leges neceſſarias ad conſeruationē Reip.* leges, quæ ſunt præcisè neceſſariæ ad conſeruationem Reipublicæ. Quia in ipſa erectione Reipublicæ, ſiue in voluntate exiſtendi in ea, acceptata iam ſunt omnia media, quæ neceſſaria ſunt ad conſeruationem Reipublicæ. Et idem eſſe de legibus, quæ præcisè neceſſariæ ſunt ad obtinendum finem eius Reipublicæ. [Quotquot enim (inquit) volunt eſſe eiuſdem Reipublicæ membra, eundem finem intendunt; & omnia media præcisè neceſſaria ad eiuſdem conſecutionem acceptant.] 4.

Statuit tertiò, Religioſos, quibus præci- *Regulares nō poſſe non acceptare præcepta de expreſſis in regula.* piuntur ea, quæ ſunt expreſsè & formaliter in regula, non habere ius reſpuendi, ſiue non acceptandi præcepta: quia iam acceptarunt ea

præcepta, dum promiſerunt obedientiam ſecundum regulam.

CAPVT II.

An ad valorem legis ita requiratur acceptatio populi, vt populum inuitum non poſſit legiſlator obligare?

ARTICVLVS I.

Proponitur ſententia Caramuelis.

5. *Leges latas in inuitos eſſe extra ſphæram Prælatorum.*

CAramuel *in Regulam diſput.5. num.* 48. ita ait: [Debet lex (humana) acceptari libere à ſubditis; qui ſi coacti acceptauerint, cenſendi ſunt moraliter non acceptauiſſe.] Et poſt relatos Authores eius ſententiæ, ſubdit immediatè: [Contraria opinio videtur diſſonare Diuo Paulo, qui 2. *Corinth.* 13. aſſerit, Deum dediſſe hominibus authoritatem in ædificationem, non in deſtructionem. Videretur autem Superior deſtruere charitatem, & torquere potiùs, quàm gubernare ſubditos, qui obligaret inuitos.] Et *diſput.*58. *num.* 829. ita aſſerit: [Aſſerendum eſt primò, leges tam ciuiles, quàm Pontificias ante populi conſenſum acceptationemque nullo modo obligare.] Refert Authores, & immediatè ſubiungit: [Hanc ſententiam ante omnes docuit Diuus Paulus 2. *Corinth.*13. vbi aſſerit, Chriſtum dediſſe poteſtatem Principibus Eccleſiæ, non in deſtructionem, ſed in ædificationem: ex qua aliqui doctè argumentantur ſic: atqui eſſet ſummum grauamen Chriſtianorum, ſi iis renitentibus obligarent leges; & hinc non ſequeretur ædificatio virtutum, ſed morum deſtructio,& pacis exterminatio: ergo leges Eccleſiæ non obligant non acceptatæ.]

6. Ex hac doctrina infertur euidenter,leges latas in populos inuitos eſſe iniuſtas, atque adeò inualidas. Illæ enim leges iniuſtæ ſunt, quæ feruntur extra ſphæram poteſtatis præcipientium: hæ autem feruntur extra ſphæram poteſtatis præcipientium: ergo planè ſunt iniuſtæ. Minor autem patet, quia legiſlatores non habent poteſtatem ferendi leges in deſtructionem: leges autem latæ in populos inuitos ſunt in deſtructionem: ergo legiſlatores non habent poteſtatem ferendi leges in populos inuitos. Patet itaque, ex ſententia Caramuelis inferri euidenter, quòd Eccleſiæ Prælati, etiam ſupremi, non habent poteſtatem obligandi populos inuitos; alioqui haberent poteſtatem in deſtructionem charitatis.

7. Ideò *in Theolog. Intention. lib.2. diſp.1.n.*285. §. *In grauiſſima*, ait: [Videris, me ſemper in omni lege publica, populi conſenſum requirere; non enim inuiti poſſunt opprimi homines liberi, & ingenui, qui occidi non poſſunt.] Si enim inuiti nō poſſunt lege opprimi à Romano Pontifice, Romanus Pontifex non habet poteſtatem imponendi leges inuitis; cùm vna propoſitio non differat ab altera,niſi quoad actiuā, & paſſiuā Grammaticā. Si imponere leges inuitis eſt opprimere ſubditos;ſicut Chriſtus nō dedit poteſtatem Pontifici ad opprimendum fideles, ita neque ad imponendum leges inuitis.

8. Hanc ſententiam & ex hoc fundamento attribuit Bonacina *diſp.1. de legib.q.1.punct.4. n.*29. Nauarro *in ſum.cap.*23.*num.*41. & P.Valenciæ *tom.2.diſp.7.q.5.punct.5. quæſt.tunc.*4.

Sed Nauarrus citatus nihil tale dixit. Quin imò *tom.1.conſil.1. quæſt.5.n.*23. & 24. aſſerit, quod quando lex à maiori parte non ſeruatur, [Si ſciente Superiore, & potente cogere, & non cogente ſeruare, non ſeruant, non videntur peccare, eo quod videtur Superior eam ſuſpendere, vel tollere.] Vbi etiam duas alias rationes adiicit, nixas ſimiliter in præſumpta voluntate legiſlatoris. Nihil tamen dicit in alterutro loco citato, quod promoueat nullitatem legis latæ in populum inuitum à legiſlatore volente cogere etiam inuitos. Mentem Patris Valenciæ non diſcuſſi. 9. *Nauarrus id non docet.*

ARTICVLVS II.

Eſſe poteſtatem in Prælatis Eccleſiaſticis ad obſtringendum lege populum inuitum, tanquam certum ſtatuitur.

EST ergo certa ſententia, quæ aſſerit, eſſe poteſtatem in Romano Pontifice, cæteriſque Prælatis Eccleſiæ, ad obſtringendum legibus populos inuitos: quidquid ſit,an de facto Prælati expectent conſenſum populi; de quo *cap. ſequenti*. Hæc aſſertio ita certa eſt, vt P.Bellarmin. *tom.1.controu.3.lib.4.cap.*15.*fin.* illam cenſeat, eſſe de fide, aut fidei proximam. Ait enim: [*In Eccleſia Catholica ſemper creditum eſt*, Epiſcopos in ſuis diœceſibus, & Romanum Pontificem in tota Eccleſia eſſe veros Principes Eccleſiaſticos,qui poſſint ſua authoritate,*etiā ſine plebis conſenſu*,vel Presbyterorum cōſilio, leges ferre, quæ in conſcientia obligent.] Id quidem contra Lutherum, qui *lib.de captiu.Babylon.cap. de Baptiſmo,* ſic blaſphemauit.[Cùm neque Papa,neque Epiſcopus,neq; vllus hominū habeat ius vnius ſyllabæ conſtituendæ ſuper Chriſtianum hominem, niſi fiat eiuſdem conſenſu.] 10. *Prælati habēt poteſtatem ferendi leges in inuitos.* *Bellarminus docet, eſſe de fide, aut fidei proximum.*

Et P.Suarez *lib.4.de legib.cap.*16.*num.*2. ait, ita eſſe certum, quod Romanus Pontifex poteſt obligare Eccleſiam ad acceptandas ſuas leges, vt ſecundum fidem negari non poſſit. Id etiam tanquam certum docent P. Arriaga 1. 2. *diſp.*20. *de legibus, n.*10. Villalobos *tom.1.Sum. tract.2. difficult.*16.*n.*1.P.Tannerus *in apolog. de Immunit.lib.2. cap.*15. & 1.2.*diſp.5.de legib.q.5. dub.*4.Diana *part.7.tract.1.reſolut.*28.*num.*5.vbi ſic ait: [Communiter aſſerunt Doctores *tanquam certum*, poſſe Pontificem obligare fideles ad obſeruantiam legis à ſe latæ, *quamuis populus contradicat.*] Pro quo aſſerto citat Caſtrum, Caſpenſem, & Patres Vaſquium, Salas, Valenciam, Palaum, & Præpoſitum. Tenet etiam Rodriguez *tom.* 1. *in quæſtionib. Regular. q.6.art.*6.P.Reginaldus *lib.*13.*n.*161.P.Vaſquez 1.2. *diſp.*159. P.Azor *lib.5. cap.4.q.*2.illis verbis: *Ad hoc enim habet ius & poteſtatem.* Bonacina *diſp.1.de legib. q.1. punct.4. n.*29. & Caramuel (licèt videatur ſibi contrarius) *in Theolog. fundam.num.*673. poſteà referendus. 11. *Suarez ait,id ſecundum fidem negari non poſſe.* Arriaga. Villalob. Tannerus. Diana. Caſtro. Caſpenſis. Vaſquez. Salas. Valencia. Palao. Præpoſitus. Rodriguez. Reginaldus. Azor. Bonacina. Caramuel.

Probatur primò ex deſtructione fundamenti oppoſiti. Etenim vt is diſcurrendi modus,ex loco D.Pauli deſumptus ſit probabilis,neceſſe eſt, quod intelligatur de illis dūtaxat legibus, quæ promulgatæ in populos inuitos,excitarent reipſa perturbationem pacis,& ſeditionem illorū; nempe dum tales leges reiiciuntur ex rationabili cauſa. Nam vbi intelligitur generaliter de omnibus 12.

Digitized by Google

omnibus legibus, etiam illis, quæ reipſa non excitarent pacis exterminium: ratio allata pro concluſione eſt manifeſtè improbabilis. Patet. Illa enim ratio improbabilis eſt, quæ cùm probet dumtaxat concluſionem particularem, accommodatur concluſioni vniuerſali.

13. In quo euidenter peccatur contra Dialecticam; ille enim ſyllogiſmus fabricatus eſt ad formam huius: *Omnis homo eſt rationalis: aliquod animale eſt homo: ergo omne animal eſt rationale.* Vel huius: *Omnis lex iuſta eſt valida: aliqua lex de gabellis ſoluendis eſt iuſta: ergo omnis lex de gabellis ſoluendis eſt valida.*

Ratio partis oppoſitæ peccat in Logicam.

14. Concluſio enim ſyllogiſmi Caramueliſtici loquitur de omnibus legibus Eccleſiaſticis. Minor autem, quod leges latæ independenter à conſenſu populi, ſiue impoſitæ populo inuito, afferrent tumultum populi, & exterminium pacis, non loquitur de omnibus legibus; cùm manifeſtum ſit, multas eſſe poſſe leges, quæ non allaturæ ſint ſcandalum tumultus, aut exterminationem pacis; & à quibus communitas non abhorreret.

Multæ leges, licèt latæ in inuitos, nõ excitant ſeditionem.

15. Ecce ergo quanta ſit vis eius ſyllogiſmi: [Omnes leges, quæ allaturæ ſunt ſcandalum tumultus, & exterminationem pacis, ſunt iniquæ, atque adeò non obligant: ſed aliquæ leges, ſi latæ eſſent independenter à conſenſu populi, afferrent ſcandalum tumultus, & exterminationem pacis: ergo omnes leges latæ independenter à conſenſu populi iniquæ ſunt, adeóque non obligant.]

16. Quod ſi minor reddatur vniuerſalis, eſt euidenter falſa. Conſtat enim eſſe poſſe leges plurimas, quæ etſi ferrentur independenter à conſenſu & acceptatione populi, nullum ſcandalum, nullam pacis perturbationem reipſa eſſent allaturæ. Tam enim ſunt rationi conſonæ, aut bono publico fauorabiles, aut populi, quibus indicuntur, adeò dociles, & manſueti, vt nullatenus ſit credibile, eas allaturas eſſe id ſcandalum. V. g. quæ ordinarentur ad reuerentiam Euchariſtiæ, vt lex præcipiens, quod nemo accedat ad Euchariſtiam niſi ieiunus; quod nemo adſit coram Euchariſtia, niſi aperto capite; quod tranſeuntes coram Euchariſtia genuflectant; quod inter diuina officia omnes ſilentio incumbant; quod Religioſi non initiati ſacris accipiant Euchariſtiam in tribus Paſchatis diebus: item lex, quæ præciperet, vt Prælati Regulares ſingulis menſibus concederent indulgentiam plenariam ſubditis publicè obſeruantibus omnem religioſam diſciplinam; & quæ præciperet, vt omnes fideles implorarent auxilium diuinum contra immanem inuaſionem Turcarum; & ſexcentæ aliæ huiuſmodi: quæ etſi expreſsè indicerent obligationem ante quamcumque populi acceptationem, eſt moraliter incredibile, quod excitarent eiuſmodi ſcandalum, & pacis perturbationem, aut quod ab eis populi abhorrerent.

17. Deinde omnes leges, quæ reipſa acceptantur, quamvis expreſsè indicerent obligationem ante quamcunque acceptationem, nulla pacis perturbatio ſequeretur. Tum quia populi frequentiùs ſe obligatos cenſent ad acceptandum, & parendum ſtatim legibus; nec propterea oriuntur eiuſmodi tumultus. Tum etiam quia ſi quando tales tumultus excitantur, id prouenit ex materia legis, quam ſibi vel difficillimam, vel valdè noxiam exiſtimant, vt experientia docuit in ſanctionibus de mutatione monetæ, vel de nouis gabellis ſoluendis; circa quas aliqui populi renixi ſunt, & excitauerunt tumultus. Ergo leges, quæ reipſa acceptantur, ſiue quæ non continent materiam difficilem, aut noxiam populo; quamvis expreſſis terminis aſſerant obligationem ante acceptationem populi, manifeſtum eſt, quod eodem modo acceptarentur, nec afferrent ſcandalum tumultus, aut pacis perturbationem. Indubium ergo eſt, plurimas leges eſſe tales, vt antequam imponantur, notum ſit, eas nullum ſcandalum renitentiæ allaturas, etſi obligatoriæ ante acceptationem exprimerentur.

Confirmatur. Non poteſt opinio habere maiorem probabilitatem, aut maiorem probabilitatis extenſionem, quàm ipſa ratio in qua nititur talis opinio: ſed ea ratio aſſertionis oppoſitæ, quod leges latæ independenter ab acceptatione afferant ſcandalum, & perturbationem pacis, non ſe extendit ad leges, quæ tumultum excitare nequeunt, aut quibus reſiſtendum eſſe, non ſit incredibile: ergo ea opinio non habet probabilitatem quoad eas leges. 18.

Quare ea opinio ſolùm eſt probabilis, intellecta de iis legibus, quæ excitarent pacis perturbationem; idque quia ex rationabili cauſa ſubditi eſſent inuiti. Nam ſi ſubditi irrationabiliter eſſent inuiti, & renitentes, improbabilis eſt opinio, quæ aſſerat, non eſſe poteſtatem in Prælato Eccleſiaſtico obligandi irrationabiliter inuitos: idque etiamſi pacis perturbatio irrationabiliter oritura eſſet, vt ex infrà dicendis conuincetur. 19.

Si irrationabiliter inuiti ſeditionem excitarent, lex eſſet valida.

Et oppoſitum eſt improbabile.

Et obiter nota vitium aliud in eo ſyllogiſmo Caramuelis. Relege ea verba: *Hanc ſententiam ante omnes docuit Diuus Paulus 2. Corinth.* 13. Et vide quantas, & quàm abſurdas conſequentias poſſis inde deducere. Accipe primam: [Quidquid docuit Diuus Paulus in epiſtolis canonicis, eſt de fide Catholica: Diuus Paulus docuit *in 2. ad Corinthios*, leges ante acceptationem non obligare: ergo de fide Catholica eſt, leges ante acceptationem non obligare.] Secundam: [Opinio oppoſita ſententiæ, quam docuit Diuus Paulus, improbabilis eſt, imò & hæretica: ſed opinio aſſerens, leges Eccleſiaſticas eſſe independentes ab acceptatione populi, eſt oppoſita ſententiæ, quam docuit Diuus Paulus 2. *Corinth.* 13. ergo improbabilis, imò & hæretica eſt.] 20.

Dices, ſolùm intendere Caramuelem, quod inferatur ex doctrina Diui Pauli, poſita alia præmiſſa probabili. 21.

Contra eſt. Nam ſi id intendit, aliud eſt quod intendit, & aliud quod affirmat. Relege iterum: *Hanc ſententiam ante omnes docuit D. Paulus.* Si ſolùm colligitur probabiliter (do, & non concedo) ex doctrina Diui Pauli, adiuncta alia præmiſſa probabili (ſi ea præmiſſa eſt vniuerſalis, eſt euidenter falſa, vt conſtat *ex num.* 16.) quomodo aſſerit, Diuum Paulum eam docuiſſe? cùm neque Authores priuatos liceat ita allegare. 22.

Digitized by Google

23. Probatur ſecundò concluſio ex euerſione eiuſdem fundamenti. Omnis lex impoſita populo nolenti eſt in deſtructionem, iuxta prædictam doctrinam Caramuelis: ergo quoties populus legem latam ſine cauſa non admittit, non peccat reſiſtendo legi. Hæc conſequentia eſt euidens. Populus enim non peccat reſiſtendo legi, quæ non obligat: ſed lex, quæ imponitur populo, etiam ſine cauſa nolenti, non obligat (omnis enim lex, quæ imponitur populo, vtcumque inuito, ſecundùm Caramuelem, eſt in deſtructionem, atque adeò inualida, & nullius robotis) ergo populus non peccat reſiſtendo legi, quam etiam ſine cauſa non vult admittere.

24. Deinde benè valet ab oppoſito contradictorio conſequentis ad oppoſitum contradictorium antecedentis: ſed contradictorium primi conſequentis eſt hoc, [Aliquando dum populus legem latam non admittit ſine cauſa, peccat reſiſtendo legi;] quæ propoſitio eſt omninò certa: ergo benè valet ad hoc contradictorium primi antecedentis; [Non omnis lex impoſita populo nolenti eſt in deſtructionem.] Malè ergo arguitur, quod omnis lex ante acceptationem eſt inualida, ex eo quod omnis lex lata in populum nolentem ſit in deſtructionem.

25. Quod autem tanquam certa admittenda ſit ea propoſitio contradictoria primi conſequentis, nempe: [Aliquando dum populus legem latam non admittit ſine cauſa, peccat reſiſtendo legi;] conſtat primò. Traditur enim ab ipſo Caramuele *diſput. 5. in Regul. num. 49.* his verbis: [Subditi, qui latam legem iuſtam ſine cauſa non admittunt, peccant moraliter non acceptando.] Secundò. Nam hæc propoſitio, *Populus non peccat, etiamſi abſque vlla cauſa non recipiat legem à Principe promulgatam*; damnata eſt tanquam ſcandaloſa ab Alexandro VII. in decreto anni 1665. vt conſtat *ex diſp. 9. cap. 20.* eſtque propoſitio vigeſimaoctaua ex damnatis in prædicto decreto. Quàm autem certò ſint falſæ propoſitiones ab Alexandro damnatæ, patet *ex eodem cap. 20. art. 8. & 9.*

Peccat populus reſiſtendo ſine cauſa legi latæ.

Caram.

Conſtat ex decreto Alex. VII.

26. Confirmatur primò. Implicat contradictionem, quod peccet populus non admittendo legem, & quod lex ſit in deſtructionem: ſed aliquæ leges ſunt, quæ quamvis imponantur inuitis, peccat populus non admittendo: ergo aliquæ leges ſunt, quæ quamvis imponantur inuitis, non ſunt in deſtructionem: ergo certiſſimè falſum eſt, quod omnes leges, quæ imponuntur inuitis, ſiue ante acceptationem, ſunt in deſtructionem.

Implicat, quod peccent non admittendo legem, & quod hæc ſit in deſtructionem.

27. Prima conſequentia legitimè deducitur. Et ſecunda continetur euidenter in prima. Minor verò eſt Caramuelis, vt patet *ex num. præced.* & eſt omninò certa ex decreto Alexandri VII. vt patet *ex eodem num.* Maior autem ex terminis nota eſt. Nam quæ eſt in deſtructionem, nullam vim habet obligandi: eſt autem per ſe notum, non peccare eum, qui violat illam legem, quæ nullam vim habet obligandi.

ARTICVLVS III.

Aliis argumentis oſtenditur eadem concluſio.

IN Prælatis Eccleſiaſticis eſſe poteſtatem præcipiendi independenter ab acceptatione populi, probatur tertiò. Etenim poteſtas præcipiendi fidelibus collata fuit Petro immediatè à Chriſto Domino, quam tradidit Chriſtus ſine vlla conditione, aut limitatione conſenſus, aut acceptationis populi. Et ita *Matth. 16.* dixit Petro: *Quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis.* Verbum autem *ligandi*, leges etiam ſignificat, vt patet *Matth. 23.* vbi de legibus Phariſæorum ſic loquitur Chriſtus Dominus: *Alligant enim onera grauia, & importabilia in humeros hominum; digito autem ſuo nolunt ea mouere.* Igitur ſi poſtquam Petrus ligaſſet legibus ſuper terram (legibus, inquam, iuſtis, & nullam populo pacis perturbationem rationabiliter inducturis,) expectandus neceſſariò eſſet conſenſus populi, non maneret eo ipſo in cælis ligatum, donec populi conſenſus accederet. Patet etiam ex illis verbis *Ioan. 21. Paſce oues meas:* quibus Paſtori traditur poteſtas paſcendi legibus oues, prout ipſe Paſtor cenſuerit, non prout oues voluerint. [Alioqui ſi ea iuriſdictio (ait P. Arriaga ſuprà citatus) non poſſet effectum ſuum ſortiri, niſi ipſis ouibus conſentientibus, profectò tanta eſſet in eis poteſtas ſe paſcendi, vt ſic dicam, quàm in proprio Paſtore: hoc autem manifeſtè eſt falſum, & contra certiſſimam veritatem Catholicam de iuriſdictione à Chriſto conceſſa ſoli Petro, eiuſque ſucceſſoribus.] Quando autem Pontifex ipſe vult expectare conſenſum populi, tunc eo modo ligatum manet in cælis, & pro foro conſcientiæ, quo ipſe Prælatus vult ſuper terram ligare. Et item vult oues paſcere in eo caſu non inuitas. 28.

Chriſtus conceſſit Prælatis poteſtatem præcipiendi, abſque limitatione conſenſus populi.

Clarè colligitur ex Euangelio.

Confirmatur primò ex Diuo Paulo *ad Roman. 13. Omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſubdita ſit; non enim eſt poteſtas niſi à Deo. Quæ autem ſunt, à Deo ordinata ſunt. Itaque qui reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem adquirunt.* Et paulò inferiùs: *Ideòque neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.* Itaque ſi dicas, Principem Eccleſiaſticum non habere poteſtatem præcipiendi, niſi dependenter à conſenſu populi, in multis contradicis Paulo. Primò, quia ſi præcepto abſoluto reſiſtit populus, *Dei ordinationi reſiſtit.* Secundò, ſi reſiſtit, *ipſe ſibi damnationem adquirit.* Tertiò, ſi poſſet populus reſiſtere, non *neceſſitate ſubderetur*; ſed voluntariè, ſiue dependenter à propria voluntate. Quartò, quia lata ſemel lege à Principe volente obligare ante acceptationem, *neceſſarium* eſt, quod populus non reſiſtat, non ſolùm propter pœnam imminentem; *ſed etiam propter conſcientiam*, contra quam agit, qui reſiſtit. Vide hunc locum Pauli *diſput. 22. cap. 3.* latiùs expoſitum. 29.

Ex D. Paulo.

Confirmatur ſecundò. Nam quarto Decalogi præcepto tenentur ſubditi obedire maioribus, niſi quantum ipſi maiores ceſſerint iure ſuo. De cuius propoſitionis certitudine vide quæ dixi *diſput. 22.* Quod quidem præceptum non 30.

Ex quarto Decalogi præcepto.

Digitized by Google

non eſt latum à Deo ſub conditione acceptationis ſubditorum. Ridiculus enim eſſet, qui diceret, præceptum diuinum eſſe eiuſmodi: [Fidelis obediat parenti, ſi voluerit, & acceptauerit; ſi autem noluerit, non obediat.] Nam quartum Decalogi præceptum pari modo obſtringit communitatem, ac vnum priuatum filium.

31. Vnde fit, non aliter poſſe excuſari ab inobedientia ſubditos, quando non acceptant legem, vel præceptum, niſi vel quia Princeps cedit iure ſuo præcipiendi independenter à conſenſu populi; vel quia initum eſt pactum cum Principe de non præcipiendo, niſi dependenter à conſenſu populi.

32. Et hoc ſecundo modo volunt aliqui, Principum ſæcularium leges expectare conſenſum populi, propter eiuſmodi pactum præcipiendi dependenter à conſenſu populi. Quam conditionem pacti ſi probarent, cum fundamento procederent. Vbi autem conſtat de pacto, & non de conditione, pactum obligat independenter à conditione.

Vbi conſtat de pacto, & non de conditione, obligatio eſt independens à conditione.

33. Probatur quartò. Nam praxis Eccleſiæ eſt fundamentum omnino certum poteſtatis ſibi à Chriſto collatæ: atqui praxis eſt Eccleſiæ obligare ſubditos etiam nolentes: ergo eſt poteſtas in Eccleſia obligandi ſubditos, etiam nolentes. Minor probatur primò ex Concilio Apoſtolorum *Act.* 5. Nam vbi Apoſtoli in Concilio ſtatuerunt decreta abſtinendi ab immolatis, & à ſuffocato, & à ſanguine, quia iis temporibus ea ita expediebant; ſcribit Petrus ad Gentes iam conuerſas ad fidem: *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis, nihil vltra vobis imponere oneris* (id eſt, legis obligantis) *niſi hæc NECESSARIA, vt abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, à ſuffocato, & ſanguine, & fornicatione.* Quare ante omnem populi conſenſum, & acceptationem, dicit, *Niſi hæc neceſſaria*, & non voluntaria: nam ſi expectandus eſſet populi conſenſus, voluntaria adhuc eſſent, & non neceſſaria. Et quidem impius eſſet, qui diceret, Concilium Apoſtolicum tuliſſe legem, non in ædificationem, ſed in deſtructionem, quia non expectauit conſenſum fidelium.

Praxis Eccleſia eſt obligare etiam nolentes.

Clarè colligitur ex Concilio Apoſtolorum.

34. Probatur ſecundò eadem minor. Nam cùm Epiſcopi Ligurum, Venetiarum, & Hiſtriorum nollent acceptare ſtatuta Concilij Conſtantinopolitani vniuerſalis; Pelagius Papa compulit vt acceptarent, & poſtulauit auxilium Præfecti ſæcularis, vt eos compelleret ad acceptandum, vt patet *ex cap. de Liguribus*, 23. *quæſt.* 5. & ex gloſſa ibi caſum referente, & explicante.

Ex cap. Liguribus, 23. q. 5.

35. Probatur tertiò eadem minor. Nam ſæpe cogunt Pontifices per præcepta & cenſuras, non ſolum ad obſeruandas leges iam acceptatas, ſed etiam ad multa, quæ denuò præcipiuntur. Vbi notandum eſt, quod optimè obſeruauit P. Arriaga relatus *ea diſp.* 20. *de legib. n.* 10. nullius momenti eſſe reſponſionem, qua dicatur, id eſſe verum quoad particuliaria, aut ſingularia præcepta; non autem quoad leges communes. [Quia iuriſdictio (inquit) à Chriſto conceſſa Petro & ſucceſſoribus in hoc puncto non magis reſpicit particulare mandatum, quàm vniuerſale: & ſicut vnum hominem poteſt ligare nolentem, poteſt multos nolentes.] Tanta enim poteſtas conceſſa eſt Petro reſpectu plurium, quàm reſpectu vnius.

Ex communi modo procedendi Pontificum. Arriaga.

Probatur quintò concluſio. Vbi conſtat de poteſtate ſuprema conceſſa, & non conſtat de limitatione poteſtatis, certiſſimè cenſenda eſt data abſque limitatione: ſed à Chriſto conceſſam eſſe Petro, & ſucceſſoribus ſupremam poteſtatem legiſlatiuam, certiſſimè conſtat, & non conſtat, additam eſſe à Chriſto limitationem: ergo ſuprema poteſtas legiſlatiua certiſſimè cenſenda eſt data Petro, & ſucceſſoribus abſque dependentia ab acceptatione populi, quæ adeò limitat prædictam poteſtatem ſupremam. Vtraque conſequentia patet, & minor eſt euidens. Maior autem inde conſtat, quod dubia limitatio non poteſt præiudicare certiſſimæ poteſtati. Sicut habenti dominium nihil præiudicat obligatio dubia reſtituendi rem alteri, aut obligatio dubia non diſponendi de re illa inuito vno tertio. 36.

Poteſtas ſuprema, ſi non conſtat de limitatione, cēſetur data abſque limitatione.

Probatur ſextò ex P. Suario ſuprà relato. Si enim Chriſtus Dominus dediſſet Petro & ſucceſſoribus eam poteſtatem ferendi leges dependenter ab acceptatione populi, illa poteſtas magna ex parte data eſſet ipſi populo: atqui abſurdum eſt, eam poteſtatem datam à Chriſto eſſe ex parte ipſi populo, & non Petro totaliter: ergo Chriſtus non dedit Petro, & ſucceſſoribus poteſtatem ferendi leges dependenter ab acceptatione populi. 37.

Si Petro data eſſet poteſtas dependenter à populo, data eſſet partialiter populo.

Conſequentia patet. Minor eſt certiſſima: Nam à Chriſto datam eſſe Petro, & ſucceſſoribus, & non alteri poteſtatem Eccleſiaſticam ſupremam, eſt de fide. Maior autem patet: [Quia tunc (inquit Suarius) lex Eccleſiaſtica non haberet vim, vt eſt à Pontifice ſolo, ſed vt ab illo ſimul cum Eccleſia: ſi enim lex non poteſt eſſe lex, niſi conſentiente populo, profectò populus eſt conlegiſlator ſimul cum Pontifice, quod abſurdiſſimum dictu eſt.] 38.

De fide eſt, datam Petro poteſtatē ſupremam, non alteri, niſi ſucceſſoribus.

Probatur ſeptimò. Princeps Eccleſiaſticus habet poteſtatem obligandi ſubditos ad acceptationem legis: ergo poteſtas legiſlatiua Principis Eccleſiaſtici non dependet ab actuali acceptatione legis. Hæc conſequentia eſt euidens. Quia ſi poteſtas legiſlatiua dependeret ab actuali acceptatione legis, nullam vim haberet lex, donec daretur actualis acceptatio; atque adeò poteſtas legiſlatiua eſſet ad imponendam legem conditionaliter, nempe ſi populus pro ſuo nutu acceptet. Ex terminis autem notum eſt, per hunc modum conditionalem imponendi legem non cogi ſubditos ad acceptationem legis: hæ enim duæ formulæ præcipiendi incompoſſibiles ſunt, *Impono tibi onus audiendi Miſſam, ſi acceptaueris: Impono tibi onus audiendi Miſſam, velis, vel nolis acceptare.* Prima enim non obligat ad acceptandum; ſecunda autem obligat. 39.

Princeps Eccleſiaſticus poteſt obligare ſubditos ad acceptandū.

Primum verò antecedens patet. Nam ſi Princeps Eccleſiaſticus non haberet poteſtatem obligandi ſubditos ad acceptationem legis, poſſent ſubditi ſine cauſa reſiſtere, & non acceptare: atqui non licet ſubditis ſine cauſa reſiſtere, & non acceptare legem Principis Eccleſiaſtici, vt oſtendo *cap.* 4. & conſtat ex damnatione oppoſitæ propoſitionis facta ab Alexandro VII. de qua dixi ſuprà *num.* 25. ergo Princeps Eccleſiaſticus poteſtatem habet obligandi ſubditos ad acceptationem. 40.

Si non poſſet, ſubditi poſſent ſine cauſa reſiſterē legi.

41. Confirmatur. Peccant ſubditi, ſi ſine cauſa non acceptant legem, vt conſtat ex proximè dictis, & conſtabit ampliùs *ex cap.* 4. contra quam ergo legem peccant? Vtique contra eandem, quam non acceptant. Ergo lex illa obligat ad acceptandum, niſi fortè cauſa rationabilis excuſet. Ergo Princeps Eccleſiaſticus ſicut habet poteſtatem legiſlatiuam, ita & habet poteſtatem obligandi ad acceptationem legis.

ARTICVLVS IV.

An Prælati Eccleſiaſtici inferiores, & Principes laici habeant poteſtatem ferendi leges independenter ab acceptatione populi?

42. QVod attinet ad priorem partem quæſtionis, præmittendum eſt, Pontificem limitare poſſe authoritatem præceptiuam inferiorum Antiſtitum; ideóque quæſtionem procedere caſu, quo poteſtas inferiorum Antiſtitum non ſit de facto limitata, ad hoc vt non poſſint præcipere independenter ab acceptatione populi.

Pontifex poteſt ſtatuere, vt Prælati inferiores dependeant à conſenſu populi.

43. Et hoc modo poteſtatem eorum legiſlatiuam non dependere ab acceptatione populi, conſtat ex omnibus argumentis, quæ in articulis antecedentibus inſtructa ſunt. Primò enim conſtat *ex articulo* 2. eas leges, ſi earum materia talis ſit, vt non ſit allatura populo rationabiliter perturbationem pacis: illas, inquam, non eſſe in deſtructionem, ſed in ædificationem, quantumvis imponantur populis inuitis. Deinde *ex art.* 3. conſtat primò, poteſtatem datam Petro à Chriſto fuiſſe abſque limitatione aut dependentia à populo; datam verò cæteris Epiſcopis, cum dependentia à Petro. Si ergo poteſtas Epiſcopis tradita, nec à Petro, vel ſucceſſoribus limitata fuerit, non poteſt habere dependentiam à populo. Locus Pauli *ad Rom.* 13. & quartum Decalogi præceptum, in duabus tertij argumenti confirmationibus allata, eodem modo vrgent in Prælatis inferioribus, dummodo à Principe Eccleſiaſtico eorum poteſtas non ſit limitata.

Poteſtas Prælatorum inferiorum non dependet ex ſe à conſenſu populi.

44. Quartum argumentum deſumptum à praxi Eccleſiæ æquè militat in Prælatis inferioribus, ſicut & tria alia ſubiuncta.

45. Quoad poſteriorem quæſtionis partem, licèt communiſſima ſententia ſit, leges ciuiles requirere acceptationem populi, vt valeant, pauciſſimi tamen ex Authoribus id aſſerentibus, id tribuunt defectui poteſtatis in Principe laïco ad conſtringendum ſubditos caſu, quo non acceptent legem. Quibus ſuffragatur Caramuel *in Theolog. fundam. num.* 673. *fund.* 19. Ideóque probabilius eſt, etiamſi requiratur acceptatio ad valorem legis ciuilis, eam non requiri defectu poteſtatis in Principe, ſed potiùs quia non vult obligare independenter à populi conſenſu.

Etſi requiratur acceptatio legis ciuilis, non eſt defectu poteſtatis.

46. Ratio eſt. Nam licèt Princeps laicus acceperit poteſtatem à populo (excipe Regnum, quod Princeps in bello iuſto vi & armis occupauit) & populus potuerit conferre Principi poteſtatem ferendi leges ſub ea conditione acceptationis, & conſenſus populi; tamen vbi conſtat de pacto, & non conſtat de his, vel illis conditionibus in pacto appoſitis, pactum tenet abſque talibus conditionibus, vt ex materia contractuum liquet: atqui conſtat de pacto, quo populus ſe ſubiecit Principi; & non conſtat de ea conditione, ſub qua dicitur ſe ſubieciſſe, nempe circa acceptationem populi: ergo pactum, quo populus ſe ſubiecit Principi, ſubditos tenet abſque tali conditione acceptationis.

CAPVT III.

An de facto leges non obligent ante acceptationem? Vbi, quid ſi ſemel reiecta à populo, reproducantur à legiſlatore?

ARTICVLVS I.

Inconſequentia Caramuelis, & aliorum ſententia.

COnſtat ex capite præcedenti, eſſe poteſtatem in legiſlatore, præcipuè Eccleſiaſtico, vt obſtringat populum ad acceptationem, & obedientiam legis: poteſtatem, inquam, certam in legiſlatore Eccleſiaſtico, & probabiliorem in laico. Inquirimus nunc, an in legiſlatore Eccleſiaſtico, licèt potente cogere ad acceptationem, detur voluntas expectandi conſenſum populi, antequam lex incipiat illum obligare. 47.

An Prælatus Eccleſiaſticus velit expectare acceptationem populi.

Caramuel, qui vt conſtat *ex cap. praced. num.* 6. doctrinam tradidit, ex qua euidenter infertur, non eſſe poteſtatem in Principe Eccleſiaſtico ad imponendum leges populo inuito, eo quod non habeat poteſtatem obligandi populum Chriſtianum in deſtructionem, ſed ſolùm in ædificationem; *in Theolog. fundam. numero* 673. *fundam.* 19. ait: [Sed cur leges illæ (ante acceptationem) non obligant? Quia *neuter* Princeps *Eccleſiaſticus*, & ſæcularis, in tali caſu ſubditos obſtringere *vult* inuitos; & iſte non poteſt.] Aſſerit itaque, ideò leges ciuiles non obligare ante acceptationem, quia Princeps ſæcularis nec vult, nec poteſt ante acceptationem obligare. Eccleſiaſticas autem leges non obligare ante acceptationem, quia quamvis Princeps Eccleſiaſticus poſſit obligare ante acceptationem, tamen pro ſua benignitate non vult. Et in cenſura ſyntheſium, quæ eſt *in Theolog. fundam. num.* 1118. §. *lex*, ait: [Lex ſi non acceptetur, non obligat. Sed cur? Quia Pontifex inuitos obligare non vult; Rex non poteſt.] Quod idem repetit *num.* 1369. §. *Primò, fund.* 36. Quæ duo planè repugnant inuicem: cùm ex primo loco inferatur apertè, iuxta eius doctrinam non eſſe poteſtatem in Principe Eccleſiaſtico; & in ſecundo loco expreſsè fateatur, eſſe poteſtatem in Principe Eccleſiaſtico ad obligandum ante acceptationem. 48.

Principem Eccleſiaſticū licèt poſſit, nolle obligare abſque acceptatione.

Nec ſatisfacies, ſi dicas, Caramuelem primam periodum ſcripſiſſe ex mente aliorum; quod videntur denotare ea verba: *Ex qua aliqui doctè argumentantur ſic.* Etenim non ex mente aliorum, ſed ex propria dixit: *Hanc ſententiam ante omnes docuit D. Paulus.* Neque docuit 49.

alio

Digitized by Google

alio modo, quàm dicendo, non eſſe poteſtatem Eccleſiæ in deſtructionem: cui adiungit aliam præmiſſam, quod obligare per legem non acceptatam ſit in deſtructionem: ergo ſi ex mente Caramuelis eam ſententiam docuit D. Paulus, ex mente eiuſdem non habet Pontifex poteſtatem ad obligandum per legem non acceptatam.

50. Reſpondebit fortaſſe, hanc non eſſe contradictionem, quia in vtroque loco non reſoluit per propoſitionem abſolutam, ſed per propoſitionem modalem de modo *Probabile*; ita vt ſenſus ſit, vtrumque eſſe probabile, quod leges Pontificiæ non obligant ante acceptationem; vel quia Pontifices nolunt obligare, cùm poſſint; vel quia non poſſunt. Nam ſimili euaſione ſolet ſubterfugere notam contradictionis in aliis materiis. De quo vide *diſputatione 2*.

51. Hæc tamen reſponſio in præſenti locum habere non poteſt. Etenim Caramuel profitetur, ſe ſemper defendere *Syntheſes*, id eſt, opiniones non ſolùm probabiles, ſed & comprobabiles. Ita *in Theolog. fundam. num. 1125.* ait: [Sed cur *Syntheſes* voco, quas vulgus *Theſes*? Quia theſes à ſyntheſibus differunt, quod ante me à nemine, quem ſciam, fuit obſeruatum, ... *Theſes* dicimus probabiles propoſitiones: *Syntheſes* verò comprobabiles, quæ videlicet omnes ab vno, & eodem Theologo defendi poſſunt.]

52. Atqui iſtæ duæ propoſitiones Caramuelis non ſunt comprobabiles. Prima: *Lex impoſita populo inuito eſt in deſtructionem.* Secunda: *Pontifex poteſt imponere legem populo inuito.* Quia vna repugnat alteri, nec probabile eſt, vtramque poſſe componi, cùm euidens ſit, poteſtatem Pontificis non protendere ſphæram ſuam ad ea, quæ ſunt in deſtructionem populi Chriſtiani.

53. *Prima ſententia, leges non obligare ante acceptationẽ.*

Igitur valdè communis eſt ſententia, quæ admittit, leges non obligare, etiam canonicas, donec accedat acceptatio populi, quia legiſlator non vult obligare niſi dependenter ab eiuſmodi acceptatione. Ita P. Valencia, P. Tannerus, P. Leſſius, P. Becanus, P. Reginaldus, P. Sà, P. Filliucius: item Cochier, Santatellus, Homobonus, Nauarrus, & Miranda, quos refert & ſequitur Diana *part. 1. tract. 10. reſolut. 1.* Item P. Azor *lib. 5. cap. 4. quæſt. 1.* Bonacina *diſput. 1. de legib. quæſt. 1. punct. 4. num. 27.*

54. *Secunda ſententia, leges obligare ante acceptationẽ.*

Oppoſitam ſententiam, quæ docet, leges canonicas obligare ante quamcunque acceptationem, docent P. Suarez *lib. 4. de legib. cap. 16.* & apud ipſum Corduba, Victoria, Cardin. Bellarminus, & Felinus: P. Vaſquez 1. 2. *diſp. 156. cap. 5. num. 36.* P. Baldellus *lib. 5. Theolog. moral. diſp. 18. num. 1.* Caſtro Palao *tom. 1. tract. 3. diſput. 1. punct. 13.* Item Baſilius Pontius, Puteanus, Betti, Malderus, Lorca apud Dianam *part. 1. tract. 10. reſol. 1.*

ARTICVLVS II.

Prima pars quæſtionis reſoluitur.

55. ET quidem valde probabilis eſt ſententia, quæ tamen duplici modo poteſt intelligi: vel ita vt Pontifices in iure canonico decreuerint, leges non obligare, donec accedat conſenſus, & acceptatio populi: vel ita vt nihil tale ſancitum ſit, ſed ita præſumatur de benignitate legiſlatorum. Pro cuius explicatione ſequentes concluſiones ſubiicio.

56. *Nullus eſt canon, qui ſtatuat, expectari acceptationem populi.*

Sit prima concluſio, eaque certa. Nulla lex eſt, nullave ſanctio in iure canonico, quæ præcipiat expreſsè, eſſe expectandam acceptationem populi ante obligationem legis. Iura autem canonica, quæ ad hanc materiam conducentia reperiuntur, vel allegantur, ſunt de facto ſingulari, & indiuiſibili, id eſt, loquuntur de aſſenſu, quem in aliquibus caſibus præſtitere Pontifices circa acceptationem alicuius legis ſingularis.

57. *Notanda eſt diuerſitas inter acceptationem, & conſuetudinem.*

Pro cuius claritate notandum eſt, aliud eſſe acceptationem populi, & aliud conſuetudinem populi, præcipuè rationabilem & præſcriptam. De hac enim eſt lex canonica indicens, quod ea vim habet abrogandi legem, *cap. final. de conſuetudine.* De acceptatione verò legis nihil diſponit ius canonicum, vt iam oſtendo, inductione facta per eos textus, qui circumferri ſolent à Doctoribus in hac materia.

58. Primus eſt *ex §. legis* (vel vt ab aliis citatur, *ex cap. in iſtis*,) *diſt. 4.* quem per æquiuocationem attribuunt multi B. Auguſtino, cùm ſint Gratiani verba ſubſecuta poſt dictum B. Auguſtini, vt etiam obſeruauit P. Suarez *lib. 3. de legib. cap. 19. num. 1.* Verba textus hæc ſunt. [Leges inſtituuntur cùm promulgantur; firmantur, *cùm moribus vtentium approbantur.*] Et infrà: [Vnde illud Teleſphori Papæ, quo decreuit, vt Clerici generaliter à Quinquageſima ieiunandi propoſitum ſuſciperent, & à carnibus, & deliciis abſtinerent; *quia moribus vtentium approbatum non eſt*, aliter agentes tranſgreſſionis reos non arguit.]

59. Quia tamen iſte textus eſt Gratiani priuati Doctoris, nihil probat; cùm in præſenti inquiramus textus iuris canonici præſcribentes acceptationem legum, præuiam ad obligationem earum. Sed & in eo, quod refert, & in ratione, quam pro eo adhibet, nihil noſtræ concluſioni officit. Quia ſi ſenſus ſit, ideò non obligare decretum Teleſphori, quia non fuit acceptatum; id quidem ita fuit ex benigna interpretatione voluntatis legiſlatoris. Quod ſi ſenſus ſit, ideò non obligare id decretum, quia annuentibus Pontificibus, conſuetudine fuit abrogatum (quod verius videtur) id non defectu acceptationis eſt, ſed vi oppoſitæ conſuetudinis, quæ etiam eo tempore legem abrogabat, ſaltem conniuentibus Pontificibus.

60. Secundus textus eſt *ex cap. Denique, diſt. 4.* ex ſancto Gregorio Magno, qui agens de eodem præcepto Teleſphori, & de conſuetudine illi oppoſita, ait: *Vnde nec à tali conſuetudine* (ſcilicet comedendi carnes in Dominica Quinquageſimæ) *auerti poſſunt. Et ideò cum venia ſuo ingenio relinquendi ſunt, ne fortè peiores exiſtant, ſi à tali conſuetudine prohibeantur. Vt enim ait Salomon; Qui multùm emungit, elicit ſanguinem.*

61. Sed ex ipſo textu conſtat, nullam attribui authoritatem acceptationi populi. Tum quia expreſsè loquitur de conſuetudine oppoſita. Tum quia benigna quadam conniuentia annuit Gregorius, *ne fortè peiores exiſtant*, reſiſtendo: quaſi compulſurus eſſet ad acceptationem legis

Digitized by Google

legis Teleſphori, & obſeruationem illius ieiunij, ſi ea inconuenientia non eſſent inde oritura. Ex quo potiùs confirmatur concluſio capitis præcedentis, nempe eſſe in Pontifice poteſtatem ad compellendum populum, vt acceptet, & obſeruet legem.

62. Tertius eſt *ex cap. cum olim, de Cleric. coniugat.* vbi Innocentius III. ait: *Nos igitur attendentes, quod Orientalis Eccleſia votum continentiæ non admiſit; quoniam Orientales in minoribus Ordinibus contrahunt, & in ſuperioribus vtuntur matrimonio iam contracto, mandamus*, &c. In quo textu videtur Innocentius attendere ad hoc, quod Orientales Clerici non acceptauerunt legem de voto continentiæ emittendo, ad hoc vt ipſi maneant obligati ea lege ad illud emittendum.

63. Sed ex hoc textu ſolùm infertur, noluiſſe Pontificem cogere Orientales ad votum emittendum, ſed potiùs annuiſſe eorum reſiſtentiæ. Præcipuè cùm tempore Innocentij eſſet antiquiſſima conſuetudo non emittendi id votum in Eccleſia Orientali. In eo autem textu euidens eſt, Pontificem nihil diſponere circa dependentiam legis ab acceptatione populi, neque decreuiſſe, vt lex non obliget, dum non fuerit acceptata.

64. Alij afferunt textum *ex cap. in Synodo, diſt.* 63. vbi Leo Pontifex concedit Imperatori priuilegium circa quaſdam electiones Eccleſiaſticas non faciendas ſine conſenſu Imperatoris. Id tamen nullo modo eſt ad rem, vt legenti euidenter conſtabit.

65. *Leges canonicæ non obligant ante acceptationē, ex benigna, &c.*

Sit ſecunda concluſio. Probabile eſt, quod leges canonicæ ex benigna interpretatione voluntatis Pontificum non obligant, donec acceptentur, [ſaltem quando cauſa rationabilis poteſt occurrere ad reſiſtendum legi.] Hæc poſteriora verba addita ſunt propter ea, quæ dicemus capite ſequenti. Itaque cùm probabilis ſit ſententia, quod leges canonicæ non obligant, donec acceptentur, & id non proueniat ex aliquo canone ita præſcribente; id non aliunde poteſt prouenire, quàm à benigna interpretatione voluntatis legiſlatorum. Et eòdem recidit ratio, quam exhibent Authores huius ſententiæ, nempe, quod legiſlator iubet promulgari leges ſub ea conditione, ſi populus acceptet; ſcilicet quia ſic videtur mens legiſlatoris benignè eſſe interpretanda.

66. *Non eſt certum, leges non obligare ante acceptationem.*

Vbi notandum eſt primò, pluſquam falſum; imò & admiratione dignum eſſe, quod ait Caramuel *in Theolog. fundam. num.* 1173. *fund.* 19. nempe in hæc verba. [*Sanè nullas leges ante acceptationem obligare, certum eſt.* Et quidem ſi certum eſt, nullas leges ante acceptationem obligare, improbabilis eſt ſententia Doctorum aſſerentium, legem obligare ante omnem acceptationem; cùm ex duabus propoſitionibus contradictoriis, ſi vna eſt certa, oppoſita eſt certò falſa, & improbabilis, vt conſtat *ex diſp.* 4. *num.* 6. Quis autem dicat, improbabilem eſſe ſententiam, quam tot, tantique Doctores propugnant? Præcipuè cùm fundamentum oppoſitæ partis vix oſſibus hæreat, cum totum conſiſtat in quadam diuinatione voluntatis Prælati. Et ideò P. Suarez ſuprà citatus dixit, tenendam eſſe ſententiam, quæ ait, non eſſe opus acceptatione, quia ſolidum habet fundamentum. Et Magiſter Lorca, quem adeò laudat Caramuel, dixit, hanc partem, ſtando in ratione, eſſe euidentem.

67. *Certum eſt, leges Cæſareas non obligare ante acceptationem.*

Notandum eſt ſecundò, aliter de legibus ciuilibus iuris Cæſarei dicendum eſſe. Nam *leg. de quibus, ff. de legibus*, dicitur: *Cùm ipſæ leges nulla alia ex cauſa nos teneant, quàm quod iudicio populi receptæ ſunt.* Quare in ea lege imperator ſuam mentem declarat, quod leges non teneant, niſi iudicio populi ſint receptæ.

68. *Prælati inferiores nolunt obligare ante acceptationē.*

Notandum eſt tertiò, Prælatos Eccleſiaſticos Romano Pontifice inferiores nulla canonica lege obligari ad expectandam acceptationem populi; adhuc tamen probabile eſt, eorum leges & præcepta populo impoſita non obligare, donec acceptentur (ſaltem quando cauſa rationabilis poteſt occurrere ad renitentiam) ſcilicet ex benigna interpretatione voluntatis eorum. Prima pars huius aſſerti patet ex concluſione prima, & ſecunda pars patet ex concluſione ſecunda.

ARTICVLVS III.

Deciditur ſecunda pars quæſtionis.

69. *Lex ſemel reiecta, & reproducta, obligat ante acceptationē.* *Hæc eſt communis ſententia.*

EX hucuſque dictis manifeſtè colligitur, quod ſi lex iuſta ſemel reiiciatur à populo, & legiſlator Eccleſiaſticus illam reproducat, vt ad acceptationem, & obedientiam conſtringat, populum obligatum manere ante acceptationem. Ita tradunt etiam illi Authores, qui propugnant, obligationem legis dependere de facto ab acceptatione populi. Ita P. Leſſius *lib.* 2. *de iuſt. cap.* 22. *n.* 98. illis verbis: [Etiamſi lex ſit promulgata, ſi tamen ipſo vſu, & moribus vtentium non recipiatur, *nec Superiores inſtent, & curent executioni mandari*, non obligat.] Et Nauarrus verbis ſuprà relatis *cap.* 1. *art.* 1. Et Couarruu. *lib.* 2. *variar. cap.* 16. *num.* 6. §. *Quintò.* [Et ſanè tunc dicitur, legem non fuiſſe receptam, quando Principe ſciente, *& non contradicente*, per aliquot actus contrarios excluditur.] Requirit autem ſcientiam Principis; quia ſi ſciens Princeps actus contrarios, non vrget ad executionem, manet non recepta. Et P. Azor *lib.* 5. *cap.* 4. [Princeps ſtatim atque legem conſtituit, & promulgat, poteſt miniſtros adhibere, qui *populum compellant* ad obſeruationem legis; ad hoc enim habet ius, & poteſtatem. Quod ſi non faciat, & ob id lex vſu minimè recipiatur, ſibi imputet, non populo.] Quod ſi ſtatim, ac promulgat, poteſt vrgere populum ad executionem; à fortiori poterit vrgere, poſtquam legem reproducit, non expectato iam conſenſu populi. Et Bonacina *diſp.* 1. *de legibus, quæſt.* 1. *punct.* 4. *num.* 28. illis verbis: *Niſi conſtet, Superiorem velle obligare independenter ab acceptatione.* Oppoſitum docet Caramuel, quatenus generaliter docet in locis ſuprà citatis, legem ante acceptationem non obligare.

Leſſius. Nauarrus. Couarru. Azor. Bonacina.

70. *Reiecta, & reproducta lege, non poteſt præſumi voluntas expectandi acceptationem.*

Sed ex dictis facilè conuincitur. Etenim legiſlator Eccleſiaſticus habet poteſtatem conſtringendi ad acceptationem & obedientiam legis iuſtæ, vt patet *ex cap.* 2. De facto autem ideò leges non obligant ante acceptationem, quia præſumitur, legiſlatorem Eccleſiaſticum nolle obligare ante acceptationem, vt conſtat ex articulo præcedenti: ergo vbi ea voluntas legiſlatoris præſumi non poteſt, lex

obligat

Digitized by Google

obligat ante acceptationem. Atqui vbi ſemel à populo reiectam legem Prælatus Eccleſiaſticus eam reproducit, vrgendo ad eius obedientiam, non poteſt præſumi, quod vult expectare conſenſum populi: ergo vbi illam reproducit, ſtatim obligat ante acceptationem.

71. *Lex reproducta non affert eam conditionem.*

Confirmatur primò. Nam iuxta mentem Authorum, qui propugnant, leges non obligare ante acceptationem, id ita verum eſt, quia ex benigna interpretatione mentis legiſlatoris, lex promulgatur ſub ea conditione, ſi populus non fuerit refragatus: ſed quando ſemel reiecta lege, iterum vrget legiſlator Eccleſiaſticus ad eius obſeruationem, euidenter conſtat, legiſlatorem iam non velle ferre hanc legem cum ea conditione, ſi populus non reſtiterit: ergo iam obligat independenter ab acceptatione.

72. *Conſtat ex S. Greg. in cap. denique, diſt. 4.*

Confirmatur ſecundò ex Sancto Gregorio *in cap. Denique, diſt.* 4. verbis relatis ſupra *c.* 3. *art.* 2. Nam cùm præceptum Teleſphori, quod Clerici propoſitum ieiunij Quadrageſimalis à Dominica Quinquageſimæ inchoarent, prædicti Clerici, oppoſita conſuetudine introducta, non ſeruarent; ait S. Gregorius, ſe nolle eam legem reproducere, *ne fortè peiores exiſtant:* quia fortè nollent eam legem acceptare: ergo peiores fierent, ſi non acceptarent. Sed non fierent peiores, ſi lex non obligaret ante acceptationem: ergo reproducta lex obligat ante acceptationem.

CAPVT IV.

An populus teneatur acceptare legem, quando nulla rationabilis cauſa adeſt ad renuendum?

ARTICVLVS I.

Sententia Caramuelis proponitur ſibi ipſi repugnans.

73. CAramuel *in Theolog. fundam. num.* 1173. §. *Quartò, fund.* 19. ſic ait: [Homines liberi, quibus minùs neceſſaria iubentur, *non tenentur acceptare præcepta*, niſi fortè acceptauerint libere aliam legem, quæ illos priuet libertate leges non acceptandi.] Homines liberos vocat *non ſeruos:* dixerat enim, ſeruis inuitis poſſe imponi onus legis, vt retuli ſuprà *cap.* 1. *num.* 2. Sed quid ſibi vult, *Quibus minùs neceſſaria iubentur?* Dixerat enim paulò ante verbis ſuprà relatis *cap.* 1. *num.* 3. leges, quæ ſunt ſimpliciter neceſſariæ ad conſeruationem Reipublicæ, vel ad obtinendum finem, ob quem eſt inſtituta Reſpublica, non indigere acceptatione noua; quia hæ leges ſimpliciter neceſſariæ, in ipſa Reipublicæ erectione acceptatæ ſunt.

74. Itaque ſecundùm Caramuelem, ſi leges non ſint ſimpliciter neceſſariæ ad conſeruationem Reipublicæ, vel obtinendum finem, ob quem Reſpublica inſtituta eſt; ſed leges vtiliſſimæ ad bonum publicum, homines liberi non tenentur eas acceptare, atque adeò non peccant, ſi refragati fuerint, & reiecerint.

An incompoſſibilia doceat circa obligationem acceptandi leges?

Sed non capio quomodo hæc aſſertio componatur cum ea, quam tradit *diſp.* 5. *in Regulam, num.* 49. in hæc verba: [Subditi, qui latam legem iuſtam ſine cauſa non admittunt, peccant mortaliter non acceptando.] Et in Syntheſibus *articulo* 1. nempe *in Theolog. fundament. numero* 1126. & in commentatio in Regulam, initio, ita ait: [Qui legem iuſtam non admittunt, peccant quidem mortaliter.]

75. Sed quomodo peccant mortaliter, qui non admittunt legem iuſtam, ſi non tenentur acceptare præcepta? Si plurimæ ſunt leges iuſtæ, quæ tamen non ſunt ſimpliciter neceſſariæ ad conſeruationem Reipublicæ, vel ad obtinendum finem, ob quem Reſpublica inſtituta eſt, & has homines liberi non tenentur acceptare; quomodo peccant mortaliter non acceptando illas? Enim verò lex de ieiunio quatuor Temporum non eſt ſimpliciter neceſſaria ad finem Reipublicæ Chriſtianæ, cùm ſine illa lege potuerit is finis obtineri, ſicut obtinebatur ante quam imponeretur ea lex. Et lex de feſtis Apoſtolorum ſanctificandis non erat ſimpliciter neceſſaria: ergo ſecundùm Caramuelem non tenebantur Chriſtiani eas acceptare, cùm primùm promulgatæ fuerunt; & tamen peccarent mortaliter, ſi eas non acceptarent.

76. Sanè iſtæ duæ propoſitiones Caramuelis incompoſſibiles ſunt, cùm non ſit probabile, vtramque poſſe componi, neque ab vno & eodem Doctore ſimul defendi poſſint. Et tamen Caramuel gloriatur, ſe non theſes, ſed ſyntheſes propugnare; non propoſitiones vtcumque probabiles, ſed comprobabiles: vt in ſimili notaui *cap.* 3. *art.* 1. Vide etiam quæ de his latè diſputaui *diſp.* 7.

77. *Alia doctrinæ incompoſſibilitas.*

Aliam deinde incompoſſibilitatem habet ea doctrina Caramuelis. Aſſerit enim, leges, quæ imponuntur populo inuito, eſſe in deſtructionem, & non in ædificationem, vt vidimus *cap.* 2. Hæc autem aſſertio nequit componi cùm ea, quæ docet, peccare mortaliter eos, qui ſine cauſa legem iuſtam non admittunt; cùm impoſſibile ſit obligare ad acceptationem eam legem, quæ eſt in deſtructionem. Vide hoc argumentum latiùs propoſitum eo *cap.* 2. *art.* 2 *probat.* 2.

ARTICVLVS II.

Partem affirmatiuam omninò eſſe certam.

78. *Peccant mortaliter qui ſine cauſa legem non acceptant.*

PEccare mortaliter eos, qui ſine cauſa legem ex ſe grauiter obligantem non acceptant, certum eſt. Primò. Nam Alexander VII. damnauit vt ſcandaloſam oppoſitam propoſitionem in decreto dato die 24. Septembris anni 1665. vt retuli *diſp.* 4. *cap.* 20. *art.* 1. vbi vigeſima octaua propoſitio ex damnatis ſic habet: *Populus non peccat, etiamſi abſque vlla cauſa non recipiat legem à Principe promulgatam.* Propoſitiones autem ſic damnatas non manere probabiles, quin imò reddi poſitiuè improbabiles, & certò falſas, oſtendi *eo cap.* 20. *articul.* 8. & 9.

Ex decreto Alex. VII.

Et

79. Et quidem ſi peccat populus reſiſtendo legi abſque cauſa, ideò peccat, quia lex obligat ad acceptationem; nemo enim peccat ſine obligatione legis. Quando ergo lex grauiter obligat, tum ratione grauitatis materiæ, tum ratione verborum denotantium grauitatem obligationis, lex obligat grauiter ad acceptationem, ſiue ad non reſiſtendum abſque rationabili cauſa; atque adeò non acceptantes leges abſque rationabili cauſa, grauiter peccant, vtpote grauem legis obligationem violantes.

80. *Sub qua acceptationis conditione feruntur leges?* Secundò. Nam tota ratio, quare leges canonicæ dependent ab acceptatione, eſt ea conditio tacita, ſub qua legiſlator Eccleſiaſticus vult legem ſuam promulgare, nempe [ſi populus non reſiſtat:] hæc autem conditio dupliciter poteſt intelligi. Primò: *Volo, hanc legem obſtringere, niſi populus ex cauſa rationabili reſiſtat.* Secundò ſic: *Volo hanc legem obſtringere, niſi populus pro nutu ſuo reſiſtat.* Et quidem ſi conditio, ſub qua legiſlator vult, ſuam legem obſtringere, intelligeretur ſecundo modo, manifeſtum eſt, quod non peccaret populus, etiam ſine cauſa refragatus legi; quia eo modo conditio ſubintellecta excludit quamcumque cauſam, & acceptationem relinquit omninò liberam ipſi populo.

81. Cùm ergo dependentia legis canonicæ ab acceptatione omnino nitatur in interpretatiua voluntate legiſlatoris, irrationabile eſt credere, quod legiſlator velit, quod ſine cauſa rationabili reiiciatur ſua lex pro mero libito populi; præcipuè cùm ita reiicientes legem abſque vlla cauſa, Superiorem confundant, & quodammodo eius gubernationem condemnent.

82. *Ex D. Greg. in cap. denique, diſt. 4.* Tertiò ex Diuo Gregorio *in cap. Denique, diſt. 4.* Nam, vt notaui *capite 3. fin.* ait peiores exituros ſubditos, ſi lege cogerentur ad obſeruandum illud decretum Teleſphori. Nam ſi poſſent non acceptare etiam ſine cauſa, non peccarent reſiſtendo, & conſequenter non fierent peiores: ergo dum dicit, eos peiores exituros, declarat peccare eos, ſaltem qui ſine cauſa reſiſterent.

83. *Alex. VII. loquitur etiam de lege ciuili.* Denique damnatio eius propoſitionis facta ab Alexandro VII. loqui videtur de quacumque lege obſtringente conſcientias, etiam ciuili: atque adeò dicendum eſt, peccare eodem modo, qui legem ciuilem obſtringentem conſcientias, ſine cauſa non recipit. Et videtur conforme ei legi *de quibus, ff. de legibus:* vbi dicitur, eatenus leges nos tenere, quatenus *iudicio populi receptæ ſunt.* Vbi notandum eſt, non dici, quod *à populo pro libito* receptæ ſunt, ſed quod *iudicio populi.* Nam hæc poſteriora verba denotant, poſſe non recipi ex iudicio rationem afferente, ſiue ex cauſa rationabili: priora autem denotant omnimodam libertatem admittendi, & reſpuendi legem abſque cauſa.

CAPVT V.

An lex reiecta à populo abſque rationabili cauſa, vim habeat obligandi?

ARTICVLVS I.

Refertur ſententia Caramuelis, & refellitur, præcipuè ex incompoſſibilitate opinionum.

Caramuel *diſp. 5. in Regulam, num. 49.* poſtquam dixit: [Subditi, qui latam legem iuſtam ſine cauſa non admittunt, peccant mortaliter non acceptando;] immediatè ſubiungit: [Cæterùm ſi non acceptetur, non obligat; & ſic non peccabit, qui contra eam operabitur. Ita citati Authores.] 84. *Iuxta Caram. lex reiecta abſque cauſa, non obligat.*

Sed quo argumento hanc concluſionem probat? Ecce eius rationem: [Legem verò non acceptatam eſſe inualidam, oſtenditur; quia ſuperior habet authoritatem dependentem à populo, qui cenſetur illi pro tunc nullam concedere.] Iuxta quam ſententiam ſi Romanus Pontifex indiceret ieiunium in peruigilio feſti Corporis Chriſti, etſi peccarent mortaliter populi non acceptando legem; at illa ſemel reiecta, non peccarent fideles comedendo carnes: quia Pontifex habet authoritatem præcipiendi dependentem à populo; in quo caſu populus non concederet Romano Pontifici authoritatem, vt fideles obligaret ad ieiunium id. 85. *An Pontifex habeat poteſtatem dependentem à populo?*

Sed quonam argumento probat, non poſſe Romanum Pontificem indicere ieiunium, niſi populus ei authoritatem concedat; authoritatemq; legiſlatoris Eccleſiaſtici eſſe dependentem à populo? Sanè non tam miror, quod rem adeò nouam & inauditam in Theologia, velit intrudere, quàm quod illam ſine probatione aſſerat. Numquid principium per ſe notum eſt, authoritatem Romani Pontificis eſſe dependentem à populo, vt illud ſine probatione proferatur? Aſſertio autem (niſi primum principium ſit, vel aliunde certum) quæ abſque probatione proponitur, caduca eſt, & per ſeipſam, etiam abſque impugnatione, corruit, & euaneſcit. 86.

Ego quidem diu cogitans, qua ratione impulſus Caramuel id aſſeruerit, diligenter euolui quidquid de acceptatione legum in Syntheſibus, in Theologia fundamentali, & in Theologia Regulari ſcripſit, nec aliam rationem potui inuenire, quàm, eam quam deſumpſit ex eo, quod leges latæ in populos inuitos ſint in deſtructionem, & non in ædificationem. Quæ ratio ſi ſubſiſteret, bene probaret, legem latam in populum inuitum, inualidam eſſe; atque adeò valorem legis dependere ab eo, quod populus non ſit inuitus, ſiue ab acceptatione populi. 87. *An ratio ſana ſit, quod leges latæ in inuitos ſint in deſtructionem?*

Cæterùm prædictam rationem peccare euidenter contra Logicam, oſtendi *cap. 2.* & ſtante prædicta ratione corruere priorem partem huius concluſionis, qua affirmat, peccare mortaliter eos, qui legem iuſtam abſque cauſa non acceptant, clariſſimum eſt, vt notaui ſuprà 88. *Ea ratio nequit ſubſiſtere.*

Digitized by Google

ſuprà *num.* 23. & 24. Nemo enim peccat non acceptando legem, quando lex eſt in deſtructionem.

89. *Lex inualida non obligat ad acceptationem.*

Secundò. Lex inualida non obligat ad acceptationem: ſed dum acceptatur, ſecundùm Caramuelem, eſt inualida; (recole ea verba; *Legem verò non acceptatam, eſſe inualidam oſtenditur:*) ergo dum non acceptatur, neque ad acceptationem obligat.

90. *An lex poſſit obligare ad acceptationem, & non ad executionem?*

Dices eſſe inualidam quoad acceptationem, ideóque ante acceptationem obligare ad acceptandum illam: cæterùm illam nondum acceptatam eſſe inualidam quoad executionem.

91. Contra eſt. Nam qui tribuit vires legi, vt antequam intelligatur acceptata, obliget ad acceptationem, ita vt non repellatur abſque rationabili cauſa, tribuet etiam vires, vt obliget ad executionem, ita vt non omittatur eius executio abſque rationabili cauſa. Item qui adimit vires legi, vt non obliget ad executionem, antequam acceptetur, etiam adimet vires, vt non obliget ad acceptationem, dum non intelligitur acceptata.

92. *Non poteſt eſſe diſparitas ex eo quod vnum ſit in deſtructionẽ, non aliud.*

Et vt clariùs procedat argumentum, interrogo; Quis adimit vires legi, ne obliget ad executionem, dum non eſt acceptata? Numquid, quia dum non eſt acceptata, eſt in deſtructionem vrgere ad executionem illius, etiam nulla data rationabili cauſa ad omittendam executionem legis? Non enim eſt potior ratio, vt ſit in deſtructionem vrgere ad executionem legis, quam vrgere ad acceptationem. Quod ſi non eſt in deſtructionem vrgere ad acceptationem legis, neque erit in deſtructionem vrgere ad obedientiam.

93. *Non poteſt eſſe diſparitas ex voluntate præcepta Prælati.*

Quod ſi recurras ad voluntatem Pontificis volentis vrgere ad acceptationem, quando non adeſt cauſa rationabilis in contrarium; & nolentis vrgere ad executionem, etiamſi nulla ſit cauſa rationabilis in contrarium: rem miram dicis, quam oportuiſſet probare. Qui enim vult, ſuam legem ſine cauſa non reiici, ſimiliter vult, ſuam legem ſine cauſa non negligi, ſiue ſine cauſa eius executionem non omitti.

94. Itaque quod lex reiecta à populo ſine cauſa non obliget, ex duplici dumtaxat capite poteſt prouenire. Vel quia non eſt poteſtas in legiſlatore ad obligandum per legem non acceptatam ſine cauſa; vel quia non eſt voluntas in legiſlatore obligandi per legem etiam repulſam ſine cauſa. Si primum dicas, res erit admiranda, quod legiſlator habeat poteſtatem obligandi ad acceptationem, vt vult Caramuel in priori parte concluſionis; & quod non habeat poteſtatem obligandi ad executionem, niſi præmiſſa acceptatione: nec ſpero vtrinſque diſparitatem toto vitæ meæ tempore inuenire.

95. Si ſecundum dicas, reducaſque id ad interpretationem voluntatis legiſlatoris, noueris, illum malè interpretari mentem legiſlatoris, qui ſine ſpeciali ratione vnum includit, & alterum excludit: atqui cùm legiſlator dicit, *Volo, meam legem obſtringere conſcientias fidelium*; non eſt potior ratio, vt interpreteris hanc voluntatem, vt æquiualeat iſti: *Volo, meam legem obſtringere abſolutè quoad acceptationem* (ita vt ſine cauſa non poſſit reiici) *& ſub conditione acceptationis*, (etſi nulla detur cauſa reiiciendi) *quoad executionem.*

96. *Non eſt diſparitas ob quam dependeat à populo quoad acceptationem & non quoad executionem.*

Tertiò. Superior non habet authoritatem dependentem à populo, ita vt populus debeat illi concedere authoritatem in ordine ad obligandum quoad acceptationem; & ita ſecundum Caramuelem peccat populus non acceptando ſine cauſa: ergo ſuperior non habet authoritatem dependentem à populo, ita vt populus debeat illi concedere authoritatem per acceptationem, vt lex obliget quoad executionem. Quare enim debebit populus conferre authoritatem, vt obliget ad executionem, & non debebit conferre authoritatem, vt obliget ad acceptationem?

97. *Aliæ duæ aſſertiones Caram. incomprobabiles.*

Quartò. Iſtæ duæ propoſitiones ſunt incomprobabiles. Prima: *Leges à populo reiectæ ideò non obligant, quia Pontifex vult, eas non obligare, niſi ſub conditione, quod acceptentur.* Secunda: *Pontifex habet authoritatem dependentem à populo; nec valet lex, niſi populus concedat illi authoritatem ad præcipiendum validè.* Nam ſecunda ponit defectum poteſtatis in Pontifice, deficiente conſenſu populi. Prima autem ponit integram poteſtatem in Pontifice, cùm ad ſolam voluntatem eius reducat defectum obligationis in lege non acceptata.

Atqui vtraque propoſitio eſt Caramuelis: componitur ergo eius doctrina ex propoſitionibus incomprobabilibus, & inuicem repugnantibus. Hæc autem minor conſtat. Nam prima propoſitio eſt, quam retuli ſuprà *ex Theolog. fundam. num. 673. Sed cur leges illæ* (ante acceptationem) *non obligant? Quia neuter Princeps Eccleſiaſticus, & ſæcularis in tali caſu ſubditos inuitos obſtringere vult, & iſte non poteſt.* Secunda verò propoſitio eſt, quam retuli initio huius capitis, *num.* 85. 98.

Deinde mirandum eſt, quod dixerit: *Ita citati Authores.* Nam Authores, quos citauerat in numero antecedenti ſunt Nauarrus, Sà, Filliucius, Becanus, Leſſius, Reginaldus, Tannerus, Miranda, Santarellus, Homobonus, Cochierus. Ex quibus priores octo nihil tale aſſerunt. De tribus reliquis iudicium ferre non poſſum, quia non vidi. 99.

ARTICVLVS II.

Deciditur quæſtio duplici concluſione.

Hvcuſque egimus cum Caramuele de incomprobabilitate & repugnantia aſſertionum inter ſe. Reſtat modo quæſtionem dirimere abſolutè independenter ab eius Authoris principiis. Et quia duo difficilia aſſerit, alterum in concluſione, & alterum in ratione concluſionis; ideò duas concluſiones ſtatuo. 100.

101. *Pontifex non habet poteſtatem præcipiendi dependentem à populo.*

Sit prima concluſio. Romanus Pontifex (idem conſequenter dico de inferioribus Prælatis) non habet authoritatem dependentem à populo, neque ad valorem legis opus eſt, vt populus concedat illi authoritatem. Hæc concluſio eſt certiſſima, quam tradunt omnes Doctores agentes de poteſtate Pontificis. Vide P. Suarez *lib. 4. de legibus, cap. 16. num. 1.* oppoſitam concluſionem, quam tradit, non probat Caramuel, vt notaui *art. præced.* & vel ex hoc ſolo capite noſtra concluſio euadit practicè certa

Digitized by Google

79. Et quidem ſi peccat populus reſiſtendo legi abſque cauſa, ideò peccat, quia lex obligat ad acceptationem; nemo enim peccat ſine obligatione legis. Quando ergo lex grauiter obligat, tum ratione grauitatis materiæ, tum ratione verborum denotantium grauitatem obligationis, lex obligat grauiter ad acceptationem, ſiue ad non reſiſtendum abſque rationabili cauſa; atque adeò non acceptantes leges abſque rationabili cauſa, grauiter peccant, vtpote grauem legis obligationem violantes.

80. *Sub qua acceptationis conditione ferantur leges?*

Secundò. Nam tota ratio, quare leges canonicæ dependent ab acceptatione, eſt ea conditio tacita, ſub qua legiſlator Eccleſiaſticus vult legem ſuam promulgare, nempe [ſi populus non reſiſtat:] hæc autem conditio dupliciter poteſt intelligi. Primò: *Volo, hanc legem obſtringere, niſi populus ex cauſa rationabili reſiſtat.* Secundò ſic: *Volo hanc legem obſtringere, niſi populus pro nutu ſuo reſiſtat.* Et quidem ſi conditio, ſub qua legiſlator vult, ſuam legem obſtringere, intelligeretur ſecundo modo, manifeſtum eſt, quod non peccaret populus, etiam ſine cauſa refragatus legi; quia eo modo conditio ſubintellecta excludit quamcumque cauſam, & acceptationem relinquit omninò liberam ipſi populo.

81. Cùm ergo dependentia legis canonicæ ab acceptatione omnino nitatur in interpretatiua voluntate legiſlatoris, irrationabile eſt credere, quod legiſlator velit, quod ſine cauſa rationabili reiiciatur ſua lex pro mero libito populi; præcipuè cùm ita reiicientes legem abſque vlla cauſa, Superiorem confundant, & quodammodo eius gubernationem condemnent.

82. *Ex D. Greg. in cap. denique, diſt. 4.*

Tertiò ex Diuo Gregorio *in cap. Denique, diſt.* 4. Nam, vt notaui *capite* 3. *fin.* ait peiores exituros ſubditos, ſi lege cogerentur ad obſeruandum illud decretum Teleſphori. Nam ſi poſſent non acceptare etiam ſine cauſa, non peccarent reſiſtendo, & conſequenter non fierent peiores: ergo dum dicit, eos peiores exituros, declarat peccare eos, ſaltem qui ſine cauſa reſiſterent.

83. *Alex. VII. loquitur etiam de lege ciuili.*

Denique damnatio eius propoſitionis facta ab Alexandro VII. loqui videtur de quacumque lege obſtringente conſcientias, etiam ciuili: atque adeò dicendum eſt, peccare eodem modo, qui legem ciuilem obſtringentem conſcientias, ſine cauſa non recipit. Et videtur conforme ei legi *de quibus, ff. de legibus:* vbi dicitur, catenus leges nos tenere, quatenus *iudicio populi receptæ ſunt.* Vbi notandum eſt, non dici, quod *à populo pro libito* receptæ ſunt, ſed quod *iudicio populi.* Nam hæc poſteriora verba denotant, poſſe non recipi ex iudicio rationem afferente, ſiue ex cauſa rationabili: priora autem denotant omnimodam libertatem admittendi, & reſpuendi legem abſque cauſa.

CAPVT V.

An lex reiecta à populo abſque rationabili cauſa, vim habeat obligandi?

ARTICVLVS I.

Refertur ſententia Caramuelis, & refellitur, præcipuè ex incompoſſibilitate opinionum.

Caramuel *diſp.* 5. *in Regulam, num.* 49. poſtquam dixit: [Subditi, qui latam legem iuſtam ſine cauſa non admittunt, peccant mortaliter non acceptando;] immediatè ſubiungit: [Cæterùm ſi non acceptetur, non obligat; & ſic non peccabit, qui contra eam operabitur. Ita citati Authores.] 84

Iuxta Caram. lex reiecta abſque cauſa, non obligat.

Sed quo argumento hanc concluſionem probat? Ecce eius rationem: [Legem verò non acceptatam eſſe inualidam, oſtenditur; quia ſuperior habet authoritatem dependentem à populo, qui cenſetur illi pro tunc nullam concedere.] Iuxta quam ſententiam ſi Romanus Pontifex indiceret ieiunium in peruigilio feſti Corporis Chriſti, etſi peccarent mortaliter populi non acceptando legem; at illa ſemel reiecta, non peccarent fideles comedendo carnes: quia Pontifex habet authoritatem præcipiendi dependentem à populo; in quo caſu populus non concederet Romano Pontifici authoritatem, vt fideles obligaret ad ieiunium id. 85.

An Pontifex habeat poteſtatem dependentem à populo?

Sed quonam argumento probat, non poſſe Romanum Pontificem indicere ieiunium, niſi populus ei authoritatem concedat; authoritatemq; legiſlatoris Eccleſiaſtici eſſe depedentem à populo? Sanè non tam miror, quod rem adeò nouam & inauditam in Theologia, velit intrudere, quàm quod illam ſine probatione aſſerat. Numquid principium per ſe notum eſt, authoritatem Romani Pontificis eſſe dependentem à populo, vt illud ſine probatione profeſatur? Aſſertio autem (niſi primum principium ſit, vel aliunde certum) quæ abſque probatione proponitur, caduca eſt, & per ſeipſam, etiam abſque impugnatione, corruit, & euaneſcit. 86.

Ego quidem diu cogitans, qua ratione impulſus Caramuel id aſſeuerit, diligenter euolui quidquid de acceptatione legum in Syntheſibus, in Theologia fundamentali, & in Theologia Regulari ſcripſit, nec aliam rationem potui inuenire, quàm, eam quam deſumpſit ex eo, quod leges latæ in populos inuitos ſint in deſtructionem, & non in ædificationem. Quæ ratio ſi ſubſiſteret, bene probaret, legem latam in populum inuitum, inualidam eſſe; atque adeò valorem legis dependere ab eo, quod populus non ſit inuitus, ſiue ab acceptatione populi. 87.

An ratio eius ſit, quod leges latæ in inuitos ſint in deſtructionem?

Cæterùm prædictam rationem peccare euidenter contra Logicam, oſtendi *cap.* 2. & ſtante prædicta ratione corruere priorem partem huius concluſionis, qua affirmat, peccare mortaliter eos, qui legem iuſtam abſque cauſa non acceptant, clariſſimum eſt, vt notaui ſuprà 88.

Ea ratio nequit ſubſiſtere.

Digitized by Google

ſuprà *num.* 23. *&* 24. Nemo enim peccat non acceptando legem, quando lex eſt in deſtructionem.

89. *Lex inualida non obligat ad acceptationem.*

Secundò. Lex inualida non obligat ad acceptationem: ſed dum acceptatur, ſecundùm Caramuelem, eſt inualida; (recole ea verba; *Legem verò non acceptatam, eſſe inualidam oſtenditur:*) ergo dum non acceptatur, neque ad acceptationem obligat.

90. *An lex poſſit obligare ad acceptationē, & non ad executionem?*

Dices eſſe inualidam quoad acceptationem, ideóque ante acceptationem obligare ad acceptandum illam: cæterùm illam nondum acceptatam eſſe inualidam quoad executionem.

91. Contra eſt. Nam qui tribuit vires legi, vt antequam intelligatur acceptata, obliget ad acceptationem, ita vt non repellatur abſque rationabili cauſa, tribuet etiam vires, vt obliget ad executionem, ita vt non omittatur eius executio abſque rationabili cauſa. Item qui adimit vires legi, vt non obliget ad executionem, antequam acceptetur, etiam adimet vires, vt non obliget ad acceptationem, dum non intelligitur acceptata.

92. *Non poteſt eſſe diſparitas ex eo quod vnum ſit in deſtructionē, non aliud.*

Et vt clariùs procedat argumentum, interrogo; Quis adimit vires legi, ne obliget ad executionem, dum non eſt acceptata? Numquid, quia dum non eſt acceptata, eſt in deſtructionem vrgere ad executionem illius, etiam nulla data rationabili cauſa ad omittendam executionem legis? Non enim eſt potior ratio, vt ſit in deſtructionem vrgere ad executionem legis, quam vrgere ad acceptationem. Quod ſi non eſt in deſtructionem vrgere ad acceptationem legis, neque erit in deſtructionem vrgere ad obedientiam.

93. *Non poteſt eſſe diſparitas ex voluntate præſumpta Prælati.*

Quod ſi recurras ad voluntatem Pontificis volentis vrgere ad acceptationem, quando non adeſt cauſa rationabilis in contrarium; & nolentis vrgere ad executionem, etiamſi nulla ſit cauſa rationabilis in contrarium: rem miram dicis, quam oportuiſſet probare. Qui enim vult, ſuam legem ſine cauſa non reiici, ſimiliter vult, ſuam legem ſine cauſa non negligi, ſiue ſine cauſa eius executionem non omitti.

94. Itaque quod lex reiecta à populo ſine cauſa non obliget, ex duplici dumtaxat capite poteſt prouenire. Vel quia non eſt poteſtas in legiſlatore ad obligandum per legem non acceptatam ſine cauſa; vel quia non eſt voluntas in legiſlatore obligandi per legem etiam repulſam ſine cauſa. Si primum dicas, res erit admiranda, quod legiſlator habeat poteſtatem obligandi ad acceptationem, vt vult Caramuel in priori parte concluſionis; & quod non habeat poteſtatem obligandi ad executionem, niſi præmiſſa acceptatione: nec ſpero vtriuſque diſparitatem toto vitæ meæ tempore inuenire.

95. Si ſecundum dicas, reducaſque id ad interpretationem voluntatis legiſlatoris, noueris, illum malè interpretari mentem legiſlatoris, qui ſine ſpeciali ratione vnum includit, & alterum excludit: atqui cùm legiſlator dicit, *Volo, meam legem obſtringere conſcientias fidelium*; non eſt potior ratio, vt interpreteris hanc voluntatem, vt æquiualeat iſti: *Volo, meam legem obſtringere abſolutè quoad acceptationem* (ita vt ſine cauſa non poſſit reiici) *& ſub conditione acceptationis*, (etſi nulla detur cauſa reiiciendi) *quoad executionem.*

96. *Non eſt diſparitas ob quam dependeat à populo quoad acceptationem & non quoad executionem.*

Tertiò. Superior non habet authoritatem dependentem à populo, ita vt populus debeat illi concedere authoritatem in ordine ad obligandum quoad acceptationem; & ita ſecundum Caramuelem peccat populus non acceptando ſine cauſa: ergo ſuperior non habet authoritatem dependentem à populo, ita vt populus debeat illi concedere authoritatem per acceptationem, vt lex obliget quoad executionem. Quare enim debebit populus conferre authoritatem, vt obliget ad executionem, & non debebit conferre authoritatem, vt obliget ad acceptationem?

97. *Alia duæ aſſertiones Caram. incomprobabiles.*

Quartò. Iſtæ duæ propoſitiones ſunt incomprobabiles. Prima: *Leges à populo reiectæ ideò non obligant, quia Pontifex vult, eas non obligare, niſi ſub conditione, quod acceptentur.* Secunda: *Pontifex habet authoritatem dependentem à populo; nec valet lex, niſi populus concedat illi authoritatem ad præcipiendum validè.* Nam ſecunda ponit defectum poteſtatis in Pontifice, deficiente conſenſu populi. Prima autem ponit integram poteſtatem in Pontifice, cùm ad ſolam voluntatem eius reducat defectum obligationis in lege non acceptata.

Atqui vtraque propoſitio eſt Caramuelis: componitur ergo eius doctrina ex propoſitionibus incomprobabilibus, & inuicem repugnantibus. Hæc autem minor conſtat. Nam prima propoſitio eſt, quam retuli ſuprà *ex Theolog. fundam. num.* 673. *Sed cur leges illæ* (ante acceptationem) *non obligant? Quia neuter Princeps Eccleſiaſticus, & ſæcularis in tali caſu ſubditos inuitos obſtringere vult, & iſte non poteſt.* Secunda verò propoſitio eſt, quam retuli initio huius capitis, *num.* 85. 98.

Deinde mirandum eſt, quod dixerit: *Ita citati Authores.* Nam Authores, quos citauerat in numero antecedenti ſunt Nauarrus, Sà; Filliucius, Becanus, Leſſius, Reginaldus, Tannerus, Miranda, Santarellus, Homobonus, Cochierus. Ex quibus priores octo nihil tale aſſerunt. De tribus reliquis iudicium ferre non poſſum, quia non vidi. 99.

ARTICVLVS II.

Deciditur quæſtio duplici concluſione.

HVcuſque egimus cum Caramuele de incomprobabilitate & repugnantia aſſertionum inter ſe. Reſtat modo quæſtionem dirimere abſolutè independenter ab eius Authoris principiis. Et quia duo difficilia aſſerit, alterum in concluſione, & alterum in ratione concluſionis; ideò duas concluſiones ſtatuo. 100.

101. *Pontifex non habet poteſtatem præcipiendi dependentem à populo.*

Sit prima concluſio: Romanus Pontifex (idem conſequenter dico de inferioribus Prælatis) non habet authoritatem dependentem à populo, neque ad valorem legis opus eſt, vt populus concedat illi authoritatem. Hæc concluſio eſt certiſſima, quam tradunt omnes Doctores agentes de poteſtate Pontificis. Vide P. Suarez *lib.* 4. *de legibus, cap.* 16. *num.* 2: oppoſitam concluſionem, quam tradit, non probat Caramuel, vt notaui *art. præced.* & vel ex hoc ſolo capite noſtra concluſio euadit practicè certa

certa. Quomodo autem vna concluſio euadat practicè certa ex defectu fundamenti oppoſitæ concluſionis, vide *diſp.* 10. *n.* 25.

102. *Nec Pontifex illam populo ſubiecit.* Concluſio hæc euadit certiſſima ex eo, quod Chriſtus dedit Petro, & ſucceſſoribus poteſtatem præcipiendi independentem à populo: nec Romanus Pontifex dedit populis fidelibus eam poteſtatem, vt non niſi dependenter ab eorum conſenſu poſſet præcipere, aut leges ferre: ergo populus talem poteſtatem non habet. Hæc conſequentia eſt euidens, ſi illam populus neque à Chriſto, neque à Romano Pontifice acceperit.

Prior pars antecedentis conſtat *ex c.* 2. *art.* 3.

103. Quod autem Romanus Pontifex non dederit populis eam authoritatem, clarè conſtat; quia nullus canon, nullávе lex reperitur, in qua talis authoritas populis concedatur.

104. Et confirmatur hæc ſecunda pars. Nam quod valor legis dependeat ab acceptatione populi, non eſt defectu poteſtatis in Pontifice, vt ſatis conſtat ex dictis; ſed ex præſumpta eius voluntate, qua præſumitur non velle obligare inuitos: hoc autem non eſt indigere, quod populus *concedat* illi *authoritatem* ad valorem legis. Implicant enim contradictionem iſta duo: & quod Pontifex habeat poteſtatem obligandi ante acceptationem, ſi velit; & quod non poſſit præcipere niſi dependenter ab acceptatione populi. Vide argumentum quartum articuli primi.

105. *Lex reiecta à populo abſque cauſa, obligat.* Sit ſecunda concluſio, quam ſtando rationi, omninò certam exiſtimo. Si lex abſque rationabili cauſa non recipiatur à populo, obligat conſcientiam. Pro quo ſuppono, legem obligare ad acceptationem, dum nulla eſt cauſa rationabilis non acceptandi; aliàs non peccaret populus, qui ſine cauſa legem non reciperet; quod eſt contra decretum Alexandri VII. de quo ſuprà *num.* 78.

106. Iam verò vt non obligaret lex, etiam reiecta à populo abſque rationabili cauſa; cùm hoc referatur ad volũtatem interpretatiuam Pontificis, opus erat, quod tacita voluntas Pontificis hæc eſſet, *Volo quod obſtringat lex quoad acceptationem, niſi adſit rationabilis cauſa non acceptandi; & quod non obſtringat lex quoad executionem, ſi non acceptetur, ſiue adſit, ſiue non adſit cauſa rationabilis non acceptandi.* Quod idem eſt, ac dicere, quod quando non adeſt cauſa rationabilis reſpuendi legem, vult Pontifex obligare populum inuitum ad acceptationem, & non obligare populum inuitum ad executionem.

107. *Aliàs eſt irrationabilis interpretatio voluntatis Pontificis.* Tum ſic. Tunc interpretatio voluntatis Pontificis eſt irrationabilis, quãdo ea interpretatio ponit diſparitatem inter duo, ſine eo, quod detur ſpecialis ratio eius diſparitatis: atqui nulla eſt ratio diſparitatis, ob quam Pontifex intelligatur velle obligare populum inuitum ad acceptationem, & nolle obligare populum inuitum ad executionem: ergo irrationabilis eſt ea interpretatio voluntatis Pontificis. Ergo vt ea voluntas interpretatiua Pontificis rationabiliter ponatur, dicendum eſt, quod quando non adeſt cauſa rationabilis reſpuendi legem, pariter vult obligare populum inuitum ad acceptationem, atque ad executionem.

108. Itaque, quia eadem eſt vtriuſque ratio, quando non adeſt cauſa rationabilis reſpuendi legem, ſicut vult Pontifex obſtringere ad acceptationem, ita vult obſtringere ad obedientiam, & executionem legis. Et ſicut tunc peccat populus non recipiendo legem, ita peccat non obediendo legi non receptæ. Vide quæ dixi *art.* 1. *in argumento* 2.

Quando autem opinio probabilis Doctorum dicit, legem non acceptatam à populo non obligare, intelligitur de lege non acceptata ex rationabili cauſa. Nullus enim Author, quem viderim, oppoſitum docuit. 109. *Quomodo intelligenda opinio communis?*

Confirmatur. Non minùs confundit ſuperiorem, qui legem non obſeruat, quàm qui legem non acceptat: ſed quia ſuperiorem confundit, peccat mortaliter ille, qui ſine cauſa legem non acceptat, vt aſſeruit Caramuel relatus ſuprà *num*... ergo ob eandem rationem peccabit ſimiliter, qui legem ſine cauſa non acceptatam non obſeruat. 110.

CAPVT VI.

An cùm maior pars communitatis acceptat legem, minor pars maneat obligata, ſi ea minor pars non compromiſit in maiorem?

ARTICVLVS I.

Sententia Caramuelis refertur, & explicatur.

INitio capitis primi notaui, hanc quæſtionem proponi etiam ſub his terminis: [An vt lex obliget ſingulos ſubditos, neceſſe ſit, quod acceptetur à ſingulis per ſe, vel per compromiſſarios?] Ita vt qui legem non acceptauerint, neque per ſe ipſos, neque per compromiſſionem factam in alios acceptantes, maneant liberi ab obligatione legis? 111. *An debeat acceptari à ſingulis per ſe, vel per compromiſſarios?*

Caramuel *in Theologia fund. n.* 674. *fund.* 19. poſtquam dixit, leges non obligare ante acceptationem, ſi ſint Principis Eccleſiaſtici, quia iſte non vult, eas obligare ante acceptationem; & ſi ſint Principis laici, quia iſte non poteſt: ſic reſoluit præſentem quæſtionem. [In vota plurium compromiſerunt communitates; at nulla generaliter, ſed in talibus materiis & caſibus. Si pronuncietur lex circa materiam, in qua omnes compromiſerunt, & acceptetur à pluribus, obligabit pauciores, etiam non acceptantes. Si verò circa materiam, in qua non ſit omnium compromiſſio, feratur, obligabit compromittentes, & non alios.] Iuxta quæ ſi in vrbe dentur viginti homines, qui legem non acceptent, nec compromiſerint ad id in alios acceptãtes, iſti non manebunt obligati lege. Tam neceſſariam enim vult Caramuel eſſe ſingulorum indiuiduorum acceptationem reſpectu legis, vt omnes & ſinguli ſubditi debeant acceptare legem, vel formali acceptatione, vel virtuali, quæ conſiſtit in hoc, quod compromittant in alios acceptantes. 112. *Quomodo debeat, iuxta Caram. acceptari à ſingulis?*

In editione Francofurtenſi, anno 1652. *eodem fund.* 19. *num.* 451. illis verbis ſuprà relatis, immediatè ſubiungit hæc: [Nimirum obligabit communitatem ipſam, quæ compromiſit: obligabit acceptantes; nam & ipſi compromiſerunt. At vnum, aut alterum, aut pauculos 113.

Digitized by Google

pauculos,qui non compromiſerunt, obligabit in communi,non tamen in particulari.In communi,quia oſtendimus,eſſe communitatẽ obligatam,& hæc ipſa obligatio ſingulos in communi concernit;non in particulari,quia ſinguli compromiſſione obligantur,adeóq; qui nolunt cõpromittere,non poſſunt priuatim obligari.]

114. In qua periodo continentur duo. Primum. Cùm communitas,vt communitas eſt,acceptat legem in communi,teneri totam cõmunitatem, & ſingulos quatenus membra communitatis ad obſeruantiam in communi.Neque enim negari poteſt,eſſe aliquas obligationes communitatis, obſeruandas à communitate, vt cõmunitas eſt: v.g.lex,quæ obligat, vt in hoc monaſterio cõmunitas cantet officium canonicum. Secundum, ſi pauci aliqui non compromittant, non teneri in particulari.

115. Eadem videtur docuiſſe Caramuel, licèt in materia aliquantò diuerſa, in commentario in Regulam *n.*743.*&* 744.ait enim:[In regula interdicuntur carnes: ſed noſtri Ciſtercienſes ex priuilegio Pontificis, vſu legitimo per longos annos confirmato, poſſunt ter in hebdomada illis veſci. Aliquis Abbas fert legem in ſuo monaſterio de carnibus non comedendis. Dico, hanc legem nullo modo obligare ante acceptationem. Sed hîc occurrit difficultas, vtrum lex illa obliget, ſi maior pars communitatis illam acceptauerit? Reſpondeo,tunc obligari totam communitatem, & tam acceptantes, quàm non acceptantes poſſe cogi ad obſeruantiam legis taliter acceptatæ. Addo,ſi aliquis ex non acceptantibus frangeret hanc legem in particulari, ſecluſo ſcandalo,non peccaret.Ratio, quia ille acceptauit legem in communi,non in particulari. Ad hoc enim ſufficit, quod eam recipiant plures: ad illud opus eſt, vt ab ipſomet in indiuiduo recipiatur.]

116. Incidit Diana in hanc periodum Caramuelis,& *part.* 7. *tract.* 11. *reſol.* 13. aſſeruit Caramuelem defendere, in ea communitate, in qua plures acceptauerunt legem, pauciores, qui non acceptauerunt, non manere obligatos ad illam ſeruandam.

117. Incidit Caramuel in hanc periodum Dianæ, & *in Theolog.fund. n.* 677.*fund.* 19.grauiter expoſtulat cum illo, quòd ſibi talem ſententiam adſcripſerit; [Iurans, deiurans,ſe improbabilem putare errorem,quem illi Diana adſcribit.] Et vt explicet,quæ in citato commentarij loco dixit,ſupponit ex ibidem dictis,[Non licere legiſlatori humano ponere quaſcumque leges, ſed habere authoritatem limitatam, & debere ſe continere intra terminos ſibi conceſſæ poteſtatis.] Et concludit, ſe ibi loqui de lege, quæ excedit ſphæram iuriſdictionis Prælati,nempe acceptata à maiori parte cõmunitatis. Subiungit enim:[In rebus, quæ ſunt extra Prælati poteſtatem, legem acceptatam tranſire in compromiſſum, & obligare eos, qui acceptarunt, non alios.Et addidit(*Caramuel; nam loquitur in tertia perſona de ſeipſo*) eandem obligare cõmunitatem,ſi illam acceptauit communitas;& tamen poſſe violari à quocunque particulari,qui illam non acceptauit.] Hucvſque Caramuel, qui de ſeipſo addit: [Ipſe quando errat, ingenioſè errat:& ſi habuiſſet errorẽ,quem illi Diana adſcribit,nec doctè, nec ingenioſè erraſſet.]

Ait loqui ſe de lege,qua excedit poteſtatem Prælati.

118. Sed non explicat ibi,quid dicendũ ſit,quando Prælatus non excedit ſphæram ſuæ iuriſdictionis,ſed verſatur in materia,circa quam poteſt præcipere, & quæ indiget acceptatione ſecundùm eius ſententiam;quando ſcilicet maior pars communitatis illam acceptauit pro obſeruantia ſingularium: quidquid ſit de acceptatione pro obſeruantia communitatis, vt communitas eſt.

Non explicat quid dicendum, quando non excedit ſphæram.

Satis tamen explicat mẽtem ſuam in eo textu,quem initio huius articuli retuli,nempe:[Si verò circa materiam, in qua non ſit omnium compromiſſio, feratur, obligabit compromittentes,& non alios.] In hoc enim loco euidens eſt, quod non loquitur de legibus, quæ procedunt à legiſlatore excedente ſphæram poteſtatis ſuæ,ſed agit vniuerſaliter de quibuſcumque legibus.Itaque dum Pontifex præcipit,ne vllus Sacerdos accipiat pro vna Miſſa duplicatum ſtipendium, ſi maior pars Clericorum acceptauit(non loquendo de obligatione communitatis vt communitas eſt) & reliqui compromiſerũt in maiorem partem,iam per illam compromiſſionem acceptauerũt.Si verò non cõpromiſerint,nec expreſsè acceptauerint, non manent obligati.Idem eſt de lege,qua Vrbanus VIII.indixit feſtum S. Silueſtri ſanctificandum:nam ſi pauci aliqui neque expreſsè, neque per compromiſſionem acceptauerunt, ipſi in ſingulari non manent obligati. Manebunt tamen obligati in communi, ſi legem acceptauit communitas, vt communitas eſt. 119.

In 1.loco agit de omnibus legibus.

Et quidem nullus Author præter Caramuelem pro hac aſſertione referri poteſt.Nam omnes,qui affirmant, leges, vt obligent, indigere acceptatione,dicũt, legem obligare omnes ſingulares indiſcriminatim,ſi maior pars acceptauit; & leges promulgari ſub ea conditione, ſi maior pars acceptauerit. 120.

ARTICVLVS II.

Reiicitur,& confutatur doctrina relata.

EAm doctrinam omninò reiiciendam eſſe, multa conuincunt.Vt primum argumẽtum intelligas,nota, potuiſſe Pontificem imponere, & promulgare legem his duobus modis: *Iubeo, vt decreta Tridentini ligent conſcientias, ſi maior pars ciuium Reipublicæ acceptauerit.*Secundò:*Iubeo, vt decreta Tridentini ligent ſingulorum conſcientias,ſi omnes,& ſinguli ſubditi acceptauerint.* 121.

Duobus modis poteſt intelligi promulgatam eſſe legem.

Et interrogo primò Caramuelem,an ſi priori modo interpretanda ſit voluntas Pontificis, adhuc neceſſe ſit,quod ſinguli acceptent legem per ſe,vel per compromiſſarios, ad hoc vt lex omnes & ſingulos obliget? Si adhuc affirmet, id eſſe neceſſarium,ex eius principiis impugnatur apertè. Nam Pontifex poteſt obligare ante acceptationem; & ideò de facto non obligat ante acceptationem,quia de facto non vult ante acceptationem obligare, vt docet *fund.* 19. *n.* 673. & in Syntheſibus *n.* 1128. & *fund.* 36. *n.*1369.vt retuli ſuprà *c.*3.*art.*1. Tum ſic: Qui poteſt præcipere independenter ab acceptatione,poteſt indulgere id genus acceptationis, quod ipſe voluerit; ita vt lex habeat efficaciam obligationis omnium & ſingulorum eo genere acceptationis indulto, quod ipſe voluerit: ſed in illo caſu,quo illo priori modo vellet adſtruere obligationem legis dependenter ab acceptatione maioris partis ciuium,vellet Ponti- 122.

Priori modo non eſt neceſſe, quod ſinguli acceptent.

fex,quod lex obligaret, ſine eo quod omnes & ſinguli acceptarent: ergo reipſa obligaret lex ſine eo quod omnes, & ſinguli acceptarent. Conſtat ergo, quod ſi illo priori modo interpretanda ſit voluntas Pontificis, non eſt neceſſe, quod omnes & ſinguli acceptent legem per ſe, vel per compromiſſarios, ſed ſufficit, quod maior pars ciuium acceptet, vt reliqui nullo modo acceptantes maneant obligati.

123. *De facto Pontifex non vult expectare acceptationem ſingulorum.*

A propoſitione conditionali tranſeo ad abſolutam. Si interpretanda eſt voluntas Pontificis, vt ad obligandum omnes & ſingulos cenſeatur expectare conſenſum populi, non eſt interpretanda vt cenſeatur id velle poſteriori, ſed priori modo. Patet. Nam ſumma eſſet inordinatio Reipublicæ, ſi ferè omnes acceptarent legem de ſanctificando feſto S. Silueſtri, quam indixit Vrbanus VIII. & pauci aliqui acceptare nollent, vt ita eſſent à lege exempti; & ſic de reliquis legibus. Quomodo ergo interpretandum eſt, Pontificem indulgere hoc genus acceptationis, ex quo tanta difformitas reſultaret?

124. Confirmatur. Vt ſit neceſſaria acceptatio ſingulorum per ſe, vel per compromiſſarios, ſaltem circa leges Eccleſiaſticas, debet eſſe hæc interpretatiua voluntas Pontificis, cùm ideò requiratur ea acceptatio, quia Pontifex vult eam expectare; ſed vt lex obliget omnes, & ſingulos, non eſt voluntas interpretatiua Pontificis, quod omnes & ſinguli accepte nt per ſe, vel compromiſſarios, cùm ſit incredibile cuiuis prudenti, velle Pontificem tantam difformitatem oriri in Republica, vt hi acceptantes obligentur, & illi non acceptantes non obligentur: ergo non eſt neceſſaria acceptatio ſingulorum per ſe, vel per compromiſſarios circa leges Eccleſiaſticas, vt ſinguli maneant obligati.

125. *Cùm pauci reiiciunt legẽ, reiiciunt ſine cauſa rationabili.*

Secundum argumentum. Quando ſubditi reiiciunt legem, præſertim Eccleſiaſticam, abſque rationabili cauſa, lex retinet vim ſuam obligandi; quia Pontifex non annuit voluntati irrationabili ſubditorum, vt oſtendi *cap. præced.* ſed quando ferè omnes acceptant legem, non eſt rationabilis cauſa, vt pauci aliqui reiiciant legem; quin imò eſt vrgens ratio, vt illam recipiant: ergo quamvis pauci aliqui reiiciant, lex retinet vim ſuam eos obligandi.

126. *Non poteſt eſſe in deſtructionem, quod lex obliget ante acceptationem ſingulorum.*

Tertium argumentum. Demus, quod Pontifex non habet poteſtatem imponendi leges populis inuitis, & valere eam rationem Caramuelis, quod omnis lex impoſita populis inuitis (oppoſitum demonſtraui *cap. 2.*) eſt in deſtructionem charitatis. Tum ſic. Quamvis ſit in deſtructionem, imponere leges populis, quæ obligent ante acceptationem, non poteſt eſſe in deſtructionem, quod obligent ſingulos ante acceptationem ſingulorum: ergo ratio, quæ militat pro requirenda acceptatione totius populi, vel maioris partis, deficit quoad acceptationẽ ſingulorum; atque adeò nulla eſt ratio, quæ probet, ad obligationem ſingulorum requiri, quod ſinguli per ſe, vel per compromiſſarios accepte nt legem. Conſequentia patet: nam vbi deficit fundamentum, aſſertionis ſtructuram corruere neceſſe eſt. Antecedens verò eſt euidens, quia potius eſt in deſtructionem charitatis velle, quod ferè omnes (qui acceptauerunt) maneant obligati lege; & quod tres, vel quatuor, aut viginti impunitatis amatores (qui non acceptant) maneant difformes à reliquis, & cum eo exemptionis, & impunitatis indulto.

ARTICVLVS III.

Quartum argumentum aduerſùs eandem doctrinam.

Qvartum ſic obiicio. Leges antiquæ, & iam a multis annis acceptatæ ab anteceſſoribus vita functis, v.g. lex ieiunij quadrageſimalis, confeſſionis, & communionis annuæ, &c. obligãt poſteros, licet poſteri eas non acceptẽt per ſe, neque per compromiſſarios: ergo leges denuò latæ, quæ obligant maiorem partẽ communitatis acceptantem, poſſunt obligare minorem, quamvis hæc neque per ſe, neque per compromiſſarios acceptet illas. Probatur conſequentia. Nam ſicut ſe habent antiqui acceptantes legem, ad poſteros non acceptantes; ita ſe habet maior pars populi acceptans legem, ad minorem partem non acceptãtem. Et ſicut ſtat, quod lex ab anteceſſoribus acceptata obliget poſteros inuitos; ita ſtat etiam, quod lex acceptata à maiori parte, obliget pauciores ciues inuitos. 127. *Leges antiquæ obligant poſteros non acceptantes. Sicut ſe habẽt poſteri ad legem antiquã, ita minor pars ad recentem.*

Confirmatur primò prædicta conſequentia. Eandem vim obligandi habent leges nouæ, ac leges antiquæ: ſed leges antiquæ obligant poſteros inuitos, dummodo ſint acceptatæ ab anteceſſoribus: ergo leges nouæ poſſunt obligare pauciores inuitos (qui neque per ſe, neque per compromiſſionem acceptarunt) dummodò acceptatæ fuerint à pluribus. 128. *Eãdem vim habent leges nouæ, ac antiquæ. Ideò nouæ obligant aliquos inuitos.*

Confirmatur ſecundò. Ideò poſtulat Caramuel, quod pauciores per ſe, vel per cõpromiſſarios accepte nt legem, quia cenſet, & ſtatuit, neminem obligari inuitũ: ſed id reperitur apertè falſum in legibus antiquis, quæ obligant poſteros etiam inuitos: ergò nulla eſt ratio, ob quam pauciores debeant acceptare legem per ſe, vel per compromiſſarios. 129. *Multæ leges obligant aliquos inuitos.*

Quod verò leges antiquæ acceptatæ ab anteceſſoribus obligẽt poſteros etiam inuitos, & ante omnem acceptationẽ, per ſe, vel per compromiſſarios factam, quod erat primum argumenti antecedens, certiſſimum eſt. Videtur tamen id à Caramuele negatum: nam vt dixi *eo fund. 19. n. 674.* aſſerit, legem obligare acceptãtes & compromittẽtes; reliquos autem manere liberos ab onere legis: & idem videtur innuere *n. 673.* dum affirmat, legibus non obligari inuitos. Quod etiam aſſerit in Syntheſibus *art. 1. de legibus.* In quibus propoſitionibus generalibus loqui videtur etiam de legibus antiquis denuò acceptandis à ſingulis per ſe, vel per compromiſſarios. 130. *Leges antiquas obligare poſteros inuitos, multis oſtenditur.*

Id autem de falſitate conuincitur primò. Ea enim propoſitio damnatur in Cõcilio Tridentino *ſeſſ. 7. can. 8. de Baptiſmo*, illis verbis: *Si quis dixerit, baptizatos liberos eſſe ab omnibus Sancta Eccleſia præceptis, quæ vel ſcripta, vel tradita ſunt; ita vt ea obſeruare non teneantur, niſi ſe ſua ſponte illis ſubmittere voluerint, anathema ſit.* Ergo definit Tridentinum, omnes & ſingulos baptizatos teneri legibus Eccleſiæ, ſaltem antiquis & acceptatis, ſine eo, quod ſe ſua ſponte illis ſe ſubiicere voluerint: ergo non eſt neceſſe, quod ſe illis ſubiiciant per ſe, vel per compromiſſarios. 131.

Conuinci

Digitized by Google

132. Conuincitur ſecundò. Fideles, qui nunc exiſtunt, ligantur legibus ieiunij quadrageſimalis, communionis annuæ, ſolutionis decimarum, &c. & tamen Fideles, qui nunc exiſtunt, non acceptauerunt eas leges per ſe, neque per compromiſſarios: ergo ligantur prædictis legibus ante omnem acceptationem. Conſequentia eſt legitima, & maior eſt euidens, vt conſtat *ex diſp. 23. cap. 6.*

133. Minor autem conſtat primò euidentiâ facti. Nam neque in mentes fidelium venit facere eam acceptationem, aut compromiſſionem ad acceptandum eiuſmodi leges: quam acceptationem liberam requiri ad obligationem legum, nunquam audierunt. Ego quidem ſcio, me talem acceptationem, aut compromiſſionem non feciſſe: idem ſcio de meis conciuibus, & coætaneis.

134. Conſtat ſecundò eadem minor. Etenim nemo eligit liberè, quod ſibi proponitur vt neceſſarium: nam qui putat, aliquid ſibi eſſe neceſſarium, ipſa cognitione illius vt neceſſarij determinatur ad illud non reiiciendum. Ita qui firmiter exiſtimat, ſe vinculis ligatum, non poteſt libera voluntate eligere ſibi ipſa vincula, & alligationem eorum; pugnat enim electio libera cum determinatione ad vnum. Ergo qui voluntate amplectitur legis vinculum, quo ſe ligatum exiſtimat, non eligit illud liberè, ſed determinatum ſe inuenit ad illud non reiiciendum. Et quidem quamvis liberè homo ſe ſubiiciat legi quoad obſeruationem illius; non tamen liberè aſſumit onus legis, qui putat, id ſibi neceſſariò ineſſe; nam videt, onus legis ab anteceſſoribus acceptatæ humeris ſuis neceſſariò incumbere, velit nolit, atque adeò neque quoad hoc poteſt dari electio.

135. Conſtat tertiò eadem minor. Non enim datur in voluntate electio libera eius extremi, cuius oppoſitum iudicat impoſſibile: ſed qui videt, onus legis ſibi neceſſarium eſſe, videt extremum oppoſitum, ſcilicet exemptionem à lege, ſibi eſſe impoſſibile: ergo qui videt, onus legis ſibi eſſe neceſſarium, non poteſt habere electionem liberam eius oneris.

136. *Ingens abſurdum ex oppoſita ſententia.* Conuincitur tertiò. Nam ex illa doctrina aperitur *lata porta, & ſpatioſa via*, vt audaces aliqui dicant, legem ieiunij quadrageſimalis non obligare homines modò exiſtentes; fulti hoc ſyllogiſmo: [Nulla lex, etiam antiqua, obligat, niſi eos, qui acceptauerunt per ſe, vel per compromiſſarios: ſed nos, qui modò exiſtimus, non acceptauimus legem ieiunij per nos ipſos, neque per compromiſſarios: ergo nos, qui modò exiſtimus, non obligamur ea lege ieiunij.] Conſequentia eſt ineuitabilis; maior eſt propoſitio, quam impugnamus, & minor patet euidentiâ facti. Et vide, quàm ſpatioſa via eſt, ad quam nos ducit illa doctrina; ſiquidem tenore ſimili arguendi demonſtrari poteſt, nullam legem Eccleſiaſticam obligare nos in conſcientia. Quæ propoſitio erronea eſt, vt patet *ex diſputat. 23. cap. 8.*

137. Confirmatur. Bene valet ab oppoſito contradictorio conſequentis ad oppoſitum contradictorium antecedentis: ſed in ſyllogiſmo proximè inſtructo certiſſima eſt propoſitio contradictoria eius conſequentis, nempe hæc: [Nos, qui modò exiſtimus, obligamur lege ieiunij:] Ergo certiſſimum eſt contradictorium antecedentis; non quidem quoad minorem, quæ euidens eſt euidentiâ facti: ergo eſt certiſſima propoſitio contradictoria maioris, nempe, [Lex antiqua obligat etiam eos, qui non acceptauerunt per ſe, aut per compromiſſarios.]

Articvlvs IV.

Præoccupatur reſponſio, quæ ex doctrina Caramuelis exhiberi poteſt.

Reſpondebis ad argumenta facta, leges acceptatas ab anteceſſoribus virtualiter acceptari à poſteris, quatenus poſteri volunt eſſe membra huius Reipublicæ. Non enim poſſumus eſſe membra huius Reipublicæ, niſi velimus gubernari legibus eius. 138.

An leges antiquæ virtualiter acceptentur à poſteris. *Per voluntatem conuiuendi in Republica.* Ita diſſerit Caramuel *lib. 2. Theolog. Intention. num.* 251. agens de fundamento, cui innititur ius præſcriptionis. Ait enim: [In authoritate ſupremi dominij, & ſingularium hominum compromiſſione (præſcriptio) fundatur. Prima omnium Rerumpublicarum lex, neminem debere reliquis conuiuere, qui communibus legibus ſubeſſe non velit. Igitur cùm in Republica Belgica degimus, omnes eiuſdẽ leges acceptamus, & iuxta illas dirigi volumus; & ſi ipſæ contra nos militent, cedimus iure noſtro.]

Hinc fit primò, quod per hoc præſciſè, quod velimus eſſe membra huius Reipublicæ, acceptamus omnes leges eius Reipublicæ; quia non poſſumus eſſe membra eius, niſi velimus omnes leges eius. Fit ſecundò, per hoc præſciſè, quod velimus intereſſe huic Reipublicæ, facere nos compromiſſionem in maiorem partem communitatis quoad acceptandas leges; quia non poſſumus intereſſe Reipublicæ, quin velimus ſubiici legibus, quas maior pars acceptauerit. 139.

Simile eſt, quod tradit *lib. 2. eiuſdem Theolog. intention. diſp. 16. dubit. 8. num.* 827. vbi diſputans, [An aliquis ad vendenda ſua bona cogi poſſit?] nempe authoritate Reipublicæ; affirmat in eo caſu neminem eſſe omninò inuitum. Et ſubiungit: [Quicumque vitam communem in tali ciuitate agit, vt conſtat ex regula 91. dum mores communes acceptat, vult ſecundùm leges eiuſdem loci viuere; alias enim nullatenus admitteretur. Ergo eſt præditus voluntate obediendi Reipublicæ, moraliter irreuocabili. Ergo ſi contradicit Superioris imperio, ex regula 89. illegitimè inuoluntarius eſt, ac proptereà virtualiter eſt voluntarius: illa enim virtualiter perſeuerat voluntas, quæ validè non poteſt reuocari. Igitur Reſpublica poteſt emere ædes domini phyſicè inuiti, ſi ad ſplendorem, aut vtilitatem ciuitatis conducant. Non poteſt emere ædes hominis moraliter inuoluntarij: non quòd Reipublicæ vires remiſſæ ſint, ſed quod talis homo dari non poſſit, vt oſtendi.] 140.

Vbi notandum eſt primò, videri errorem eſſe typographi, quod citentur regulæ 91. & 89. cùm poſtrema ex regulis iuris Canonici, quæ reperiuntur in 6. Decretalium, quaſque citat Caramuel, ſit 88. Prior ergo ex citatis videtur eſſe 29. nẽpe, *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.* Et poſterior videtur eſſe 24. ſcilicet, 141.

Digitized by Google

Quod quis mandato facit iudicis, dolo facere non videtur, cùm habeat parère neceſſe. Non enim reperio alias, quæ ſint ad rem.

142. *In habitatione continetur acceptatio legum.* Notandum eſt ſecundò, iuxta mentem Caramuelis in ipſa habitatione ciuitatis volita contineri volitionem acceptandi mores communes, & viuendi ſecundùm leges eius ciuitatis.

143. *Aſſertiones Caram. incóprobabiles.* Iam verò has aſſertiones ſic explicatas, & eas, quas de acceptatione legum tradit, & ſupra retulimus, incomprobabiles eſſe, & inuicem repugnantes, oſtendo primò. Nam *fundam.* 19. *num.*673. habet ea verba ſupra relata, quæ oportet reproducere. Scilicet: [Homines liberi non habent ius non acceptandi *leges præcisè neceſſarias* ad conſeruationem Reipublicæ: nam ad illam perdendam, aut ſoluendam, poteſtatem non habent. Et ratio eſt, quia pactum vitæ communis ab vniuerſis initum, eſt *acceptatio omnium mediorum, ſine quibus* ea non poteſt ſtare.] In quorum conſequentiam mox adiungit: [Homines liberi, quibus minùs neceſſaria iubentur, non tenentur acceptare præcepta.] Secundùm quam doctrinam, cùm volumus eſſe membra huius Reipublicæ, acceptamus eas leges, quæ ſunt præſcisè neceſſariæ ad conſeruationem, aut inſtitutionem illius, non tamen acceptamus eas leges, ſine quibus Reſpublica, vel eius finis conſiſtere poteſt. Vnde cùm Reſpublica Chriſtiana poſſet conſiſtere, quamvis non obſtringeretur legibus ieiunij quatuor Temporum, & vigiliarum, obſeruationis feſtorum Apoſtolicorum, &c. illæ non acceptantur, dum præſcisè volumus eſſe membra Reipublicæ Chriſtianæ.

144. Et hinc patet, has duas propoſitiones eſſe incomprobabiles. Primam proximè relatam: [Homines liberi, quibus minùs neceſſaria iubentur, poſſunt non acceptare præcepta.] Secundam relatam *num.* 138. [Cùm in Republica Belgica degimus, omnes eiuſdem leges acceptamus, & iuxta illas dirigi volumus.] Quæ coincidit cum propoſitione relata *num.* 140. [Quicumque vitam communem in tali ciuitate agit, dum mores communes acceptat, vult ſecundum (*omnes*) leges eiuſdem loci viuere.] Repugnant enim ad inuicem hæc duo, & quod aliquæ leges (minùs neceſſariæ) poſſint non acceptari, & quod omnes leges ciuitatis neceſſariò acceptentur de facto.

145. Dices, ſecundam propoſitionem agere de legibus iam acceptatis; primam verò de legibus, antequam intelligantur acceptatæ; qua ratione cùm propoſitiones non loquantur de eodem ſubiecto, ſed de diuerſis, non ſibi inuicem repugnant.

146. Sed adhuc vim ſuam retinet argumentum. Nam iuxta eius doctrinam, quæ ſunt acceptatæ ab anteceſſoribus, ſunt acceptandæ à poſteris: ergo vtraque propoſitio loquitur de legibus acceptandis. Sicut ergo leges, quæ non ſunt præſcisè neceſſariæ, poſſunt non acceptari (ſecundùm Caramuelem) in prima earum promulgatione; ita eæ poterunt non acceptari à poſteris, eo quod non ſint præſcisè neceſſariæ.

147. Oſtendo ſecundò. *Cùm in Republica Belgica degimus, omnes eius leges acceptamus*, vbi *dum mores communes acceptamus, volumus ſecundum leges eiuſdem loci viuere:* ergo dum maior pars ciuitatis acceptat legem denuò promulgatam, reliqui, qui volunt degere in eadem ciuitate, dùm mores communes acceptant, volunt ſecundum eandem legem viuere, & illam acceptare: ergo quamvis expreſsè dicant, ſe nolle acceptare eam legem, à maiori parte acceptatam, & nolle compromittere in maiorem partem, adhuc illa lex manet acceptata à minore parte ciuium.

Antecedens eſt Caramuelis, & vtraque conſequentia patebit, ſi penetrentur termini. Sed quomodo cohærent hæc cum illis verbis *ex fundam.* 19. *num.* 674. ſuprà relatis *num.* 112. [Si pronuncietur lex circa materiam, in qua omnes compromiſerunt, & acceptetur à pluribus, obligabit pauciores, etiam non acceptantes. Si verò circa materiam, in qua non ſit omnium compromiſſio, feratur, obligabit compromittentes, & non alios.] Quomodo enim illi pauciores ſunt non acceptantes, ſi eo ipſo quod velint eſſe in ciuitate, acceptant mores communes, & omnes leges eius ciuitatis? Quomodo ea lex obligabit compromittentes, & non alios, ſi tam compromittentes, quàm non compromittentes, *dum in Republica Belgica degunt, omnes eiuſdem Republica leges acceptant?* Quomodo non in omni materia compromittunt, ſi omnes eiuſdem Reipublicæ leges acceptant? 148.

Oſtendo tertiò eandem propoſitionum incomprobabilitatem. Relege initium eius periodi *ex fund.* 19 *num.*674. [In vota plurium compromiſerunt communitates; at nulla generaliter, ſed in talibus materiis, & caſibus.] Tum ſic: Qui intrant Rempublicam Belgicam, vel acceptant eo ipſo omnes leges eius in omni materia, vel non acceptant omnes leges eius in omni materia? Si primum: quomodo dicitur, pauciores non compromittere in vota plurium in omni materia; atque adeò eſſe aliquam materiam, in qua non compromittentes liberi maneant à lege? Non enim ſtat, quod acceptent omnes leges eius Reipublicæ in omni materia; & quod in aliqua materia maneant liberi ab onere legis Belgicæ. Si verò dicas ſecundum, nempe, quod non eo ipſo acceptant omnes leges eius Reipublicæ in omni materia, retractanda videtur ea periodus; [Cùm in Republica Belgica degimus, omnes eiuſdem leges acceptamus.] 149.

Oſtendo quartò in legibus denuò promulgatis, & acceptatis à maiore parte communitatis. Etenim *prima omnium Rerumpublicarum lex, neminem debere reliquis conuiuere, qui communibus legibus ſubeſſe non velit*; vt aſſerit Caramuel relatus *n.* 138. Nota *communibus legibus.* Quid ſibi vult, *communes leges?* Suntne communes illæ, quas acceptant omnes ad vnum; an illæ, quas acceptat maior pars Reipublicæ? Si primum, cùm centum homines denuò intrant Rempublicam Belgicam, dicent, ſe non teneri illis legibus, neque illas leges eſſe communes, cùm nondum ſint acceptatæ à centum ciuibus denuò intrantibus. Non ergo dicuntur communes, quia omnes ad vnum acceptauerunt, ſed quia maior pars acceptauit. 150. *An dicantur leges communes, quæ à maiori parte acceptantur?*

Tum ſic. *Prima omnium Rerumpublicarum lex, neminem debere reliquis conuiuere, qui communibus legibus* (id eſt à maiori parte acceptatis) *ſubeſſe non velit:* ergo vbi maior pars 151.

acceptauit

acceptauit legem, cæteri ſiue compromiſerunt, ſiue non compromiſerint, non debent reliquis conuiuere, ſi illi legi ſubeſſe non velint: ergo eo ipſo quod volunt reliquis conuiuere, illi legi ſubeſſe volunt; atque adeò illam legem conuiuendo reliquis acceptant. Ergo falſum eſt dicere, quod in aliqua materia pauciores poſſunt non compromittere, & ita non obligari lege.

152. Oſtendo quintò. Qui ab infantia baptizantur, ingrediuntur Rempublicam Chriſtianam, ſiue Eccleſiaſticam, ſine acceptatione libera legum antiquarum Eccleſiæ: ergo eiuſmodi ingreſſus in Eccleſiam non continet virtualiter acceptationem liberam legum antiquarum Eccleſiæ. Ex quo fit, quod ſic baptizati ſubeunt onus legis Eccleſiaſticæ antiquæ, ſine eo, quod liberè acceptent per ſe, aut per compromiſſarios; atque adeò lex Eccleſiaſtica validè acceptata à maiori parte Communitatis; poteſt obligare minorem in quauis materia, quamuis minor pars non acceptet per ſe, neque per compromiſſarios.

Qui baptizantur ab infantia, ingrediuntur Eccleſiam ſine acceptatione libera legum.

153. Antecedens, ex quo cætera legitimè inferuntur, patet. Interrogo enim, quandonam Petrus acceptat liberè leges antiquas Eccleſiæ; quando baptizatur in infantia, an quando perueniens ad vſum plenum rationis vult perſeuerare in Eccleſia? Primum dici non poteſt; quia in infantia, vt non habet vſum rationis, ita nullum habet actum liberum. Sed neque ſecundum: nam cùm peruenit ad plenum vſum rationis, agnoſcit, ſibi eſſe omnimodam obligationem, tam exiſtendi in Eccleſia, quàm ſubeundi onus legum antiquarum Eccleſiæ: ergo ſicut non eſt illi liberum ingredi & non ingredi Eccleſiam; ita non eſt liberum ſubire & non ſubire onus legum antiquarum Eccleſiæ.

ARTICVLVS V.

Quoddam notabile proponitur.

154. IN *art.* 1. huius capitis obſeruaui circa mentem Caramuelis duo. Primum in ea clauſula, *In vota plurium compromiſerunt communitates*, &c. affirmari à Caramuele, leges, quæ non ſunt ſimpliciter neceſſariæ, nec ſunt acceptatæ dumtaxat à communitate vt communitas eſt, ſi acceptentur à maiori parte communitatis, non ſolùm pro communitate, ſed & pro ſingularibus; ſi minor pars non acceptet, neque compromittat, non obligare minorem partem.

155. Secundùm, negaſſe contra Dianam, ſe in loco à Diana citato aſſeruiſſe, quod illi, qui non acceptauerunt, non maneant obligati legibus acceptatis à maiori parte communitatis, niſi quando communitas vt communitas acceptauit, & quando Prælatus excedit ſphæram ſuæ poteſtatis: & adhuc non ſatis explicuiſſe mentem ſuam.

156. Quod ſi adhuc primum illud neget, & illud, quod ait de compromiſſione ſingulorum indiuiduorum in plurium ſuffragia affirmet, intelligendum eſſe ſolùm in materia, quæ excedit poteſtatem Prælati, v. g. quando præcipit aliquid contra ius ſubditorum; licèt expreſsè ſit hæc explicatio contra prædictam periodum primam, adhuc cenſeo, id falſum eſſe: & arguendum de incomprobabilitate, & repugnantia, cum aliis, quæ circa materiam acceptationis legum docet.

Nam ferè omnia argumenta propoſita *art. præced.* probant, etiamſi materia legis ſit extra ſphæram poteſtatis Prælati, eo quod lex ſit contra ius ſubditorum, ſi maior pars communitatis acceptet, atque adeò cedat iure ſuo, falſum eſſe, quod illi, qui non compromiſerunt, maneant liberi ab obligatione legis. 157.

Etenim *Prima omnium Rerumpublicarum lex*, eſt, *neminem debere reliquis conuiuere, qui communibus legibus* (id eſt à maiori parte acceptatis) *ſubeſſe non velit*: quæ ſunt verba Caramuelis ſupra relata. Et ita dum maior pars acceptauit, & acceptando ceſſit iure ſuo; pauciores, qui maiori parti conuiuere volunt, eo ipſo virtualiter acceptant, & iure cedunt: vel falſa eſt ea generalis regula à Caramuele aſſumpta. Relege etiam primum, ſecundum & tertium argumentum articuli præcedentis; & obſeruabis, illa eandem vim retinere, ſiue Prælatus iubeat aliquid contra ius ſubditorum, ſiue præter ius illorum, dummodo à maiori communitatis parte acceptentur. 158.

CAPVT VII.

An lex aliàs inualida firmetur acceptatione ſubditorum.

ARTICVLVS I.

Mens Caramuelis expoſita.

INitio capitis primi propoſita etiam eſt hæc quæſtio ſub aliis terminis, ſcilicet, [An quando lex non habet ex ſe vim obligandi defectu poteſtatis in legiſlatore, acceptatio legis conferat illi vim obligandi?] Poteſt enim contingere, quod legiſlator excedat metam ſuæ poteſtatis, ideóque lex euadat inualida. In quo caſu quæritur, an fiat valida, ſi ſubditi eam acceptent; & poſita acceptatione ſua, maneant lege obligati. 159.

Caramuel *in Theol. fund. num. 679. fund. 19.* ſic ſcribit. [In rebus, quæ ſunt extra Prælati poteſtatem, legem acceptatam tranſire in compromiſſum, & obligare eos, qui acceptauerunt, non alios... exemplo notiſſimo illuſtro. Omnia officia mœchanica in ciuitatibus Germaniæ habent ſuas tribus, & antiſtites, qui leges ferunt in materia ſingularum artium. Pone textorum præſules iubere, pannos, qui tanti væneunt, debere tantùm lanæ, & tantùm ſerici complecti. Et hanc legem dicet Caramuel, omnes, & ſingulos obligaturam; ſi à pluribus ſit acceptata, niſi fortè contractu inito ab omnibus concedatur præſuli, vt inconſultis ſubditis leges pronunciet. Quid, ſi eorundem textorum ſuperior præcipiat, vt non carnes in poſterum, ſed piſces comedant; vt à vino abſtineant; vt nunquam cœnent; vt quotidie audiant Sacrum, & ſimilia? Reſpondeo, textores non teneri. Quid ſi omnes, Antonio excepto, iſtas leges acceptant? Reſpondeo, illas acceptaſſe communitatem illam, & teneri illos, qui quoad hoc compromiſerunt in plurium vota; at Antonium, qui nec illas acceptauit, 160.

Ait, ſi lex poteſtatem excedat, acceptatione firmari.

ceptauit, nec in plurium vota compromiſit, quoad hoc, non teneri.]

161. Iuxta quæ quamvis præſul textorum non habeat poteſtatem præcipiendi eſum piſcium, vini abſtinentiam, ieiunium, & auditionem Sacri quotidianam; ſi tamen ea præcipiat, & textores acceptent, hi manent prædictis legibus obligati. In quo caſu prædictæ leges inualidæ ſunt defectu poteſtatis in præcipiente; accedente tamen textorum acceptatione prædictæ leges manent validæ.

162. *Ait, leges iniquas acceptatione populi firmari.*

Hanc ſententiam ſæpius repetit in variis ſuorum operum locis. Ex hoc enim principio, quod leges humanæ requirant acceptationem, leges alioqui iniquas, affirmat eſſe validas. Audienda ſunt eius verba, quæ ſcribit *lib. 2. Theolog. intention. diſput. 1. art. 1. num. 285. §. In grauiſſima*, vbi ſic ait: [Videris, me ſemper in omni lege publica, populi conſenſum requirere: non enim inuiti poſſunt opprimi homines liberi & ingenui (*Nunquid hæc componuntur cum ea aſſertione Caramuelis, quod Pontifex poteſt imponere leges inuitis?*) qui occidi non poſſunt. Oppoſitæ defenſores ſententiæ ſæpe inſudant, vt poſſint Principum leges excuſare à tyrannide. Ego facili negotio eas excuſo, ad iuris ceſſionem recurrens; illæ enim, quæ inuitis poſitæ eſſent iniuriæ, ſunt æquæ, ſi volentibus, & conſentientibus imponantur: potenti enim iure ſuo cedere, & cedenti de facto, nulla fieri poteſt iniuria.]

163. *Licèt theſaurus ſit inuentoris, legis acceptatione pertinet ad fiſcum, iuxta Caram.*

Et ita *ibid. num. 303.* quamvis aſſerat theſaurum inuentum, iure naturæ eſſe inuentoris, affirmat, iuſtam eſſe legem, quæ præcipit, theſaurum inuentum pertinere ad fiſcum. Quia dum acceptatur ea lex, qui acceptarunt, ceſſerunt iure ſuo. Et ideò inuentori non fit iniuria, quia in acceptatione ceſſit iure ſuo. Ob eandem rationem vult, eſſe æquam legem cuiuſdam Regni, quod nauis naufragæ diuitiæ ſpectent ad fiſcum; & aliæ ſimiles huic adiunctæ. Ita *ibid. num. 317.* & ſic in pluribus aliis materiis. Vide etiam *num. 324.* circa bona amiſſa à vero domino, & inuenta ab alio, tradenda fiſco, ex lege humana.

ARTICVLVS II.

Impugnatur apertè doctrina relata.

164. *Lex excedens poteſtatem, non firmatur acceptatione.*

HAnc doctrinam, qua parte ſtatuit, legem acceptatam eſſe validam, quando materia legis per ſe excedit omninò ſphæram poteſtatis præcipientis, eſſe falſam, & reiiciendam, clariſſimè oſtendo. Loquor autem de exemplo illo *notiſſimo*, quod proponit Caramuel de decurione textorum præcipiente abſtinentiam vini, eſum piſcium, auditionem Miſſæ, &c. quas leges quantumvis acceptentur, nullam penitus obligationem parere, cenſeo manifeſtum. Et bene Caramuel ſupponit, idem eſſe de decurione textorum præcipiente opera pia, & de Prælato vel Principe excedente omninò ſphæram ſuæ poteſtatis.

165. Oſtendo primò ab inconſtantia doctrinæ. Nam Caramuel, qui concedit, decurione textorum præcipiente illa opera pia, textores acceptantes præceptum, illo omninò obligari; ſimul negat, ſi Romanus Pontifex ſecundùm poteſtatem ſuam directam præcipiat materiam aliquam ciuilem (non Eccleſiaſticam, nec ſpiritualem, nec ad ſpiritualia ordinatam) in Regno v. g. Hiſpaniæ; & ſi ea lex acceptetur ab Hiſpanis, prædictam legem eſſe validam. Ita *in eo lib. 2. Theolog. Intention. num. 329.* vbi cùm aſſerat, iuſtam eſſe legem Hiſpaniæ, quæ animantia inuenta, vulgò *moſtrencos*, attribui iubet Fratribus Mercenariis ad redemptionem captiuorum; iuſtam, inquam, quia acceptatam, eo quod ratione acceptationis, vel inuentores, vel veri domini cedunt iure ſuo; ſimul affirmat, legem Pontificis applicantis ea bona Fratribus Trinitariis, inualidam eſſe, eo quòd careat poteſtate directa præcipiendi in materiis ciuilibus extra Regnum ſuum temporale: cùm tamen conſequenter deberet concedere, quod ea lex Romani Pontificis, ſi acceptetur ab Hiſpanis, eodem modo ſit valida.

Lex Pontificis in materia & Regno alienis, acceptatione firmatur.

166. Ait enim *loco citato.* [Inquiris, poſſitne Summus Pontifex concedere alicui moſtrenca, ſeu bona, quæ carent vero domino?] Et inter alia reſpondet: [Primò, in Regno Romano, cui Pontifex vt temporalis Princeps præficitur, poſſe leges de dominio ferre, quæ *à populo acceptatæ obligent*, manifeſtum eſt. Secundò, non poſſe tales leges ferre in Hiſpania, Gallia, aut aliis Regnis ſibi ſæculariter non ſubditis.] *Quæ etiam à populo acceptatæ non obligabunt:* hæc enim verba adiungere, contextus poſtulat.

167. Tum ſic: leges Pontificis in materia ciuili quantumvis acceptatæ ab Hiſpanis, non obligant; quia Pontifex non habet poteſtatem directam in materia ciuili in Hiſpanos: ſed decurio textorum non habet poteſtatem ad indicendum textoribus opera pia: ergo leges decurionis de operibus piis, quantumvis acceptentur à textoribus, non obſtringunt textorum conſcientias.

168. Vel è conuerſo. Leges decurionis indicentis opera pia textoribus, ab his acceptatæ, eos obligant; quia acceptatio tranſiit in compromiſſum, quamvis præcipiens careat poteſtate præcipiendi: ergo ſi Hiſpani acceptent legem Romani Pontificis præcipientis, moſtrenca applicari Fratribus Trinitariis, acceptatio Hiſpanorum tranſibit in compromiſſum, quamvis Pontifex careat poteſtate præcipiendi; atque adeò Hiſpani manebunt obſtricti ea lege Pontificis.

169. *Lex Regis circa auditionem Miſſæ nõ firmatur acceptatione.*

Oſtendo ſecundò. Et do caſum, in quo Rex Hiſpaniæ ſubditis præcipiat, vt Miſſam audiant qualibet ſexta feria, vt ſingulis menſibus accipiant ſacram Synaxim, vt in honorem aſſumptæ Virginis quatuor diebus antecedentibus ieiunent; & quod has leges acceptent Hiſpani omnes, vel expreſsè, vel per compromiſſionem in plura Comitiorum ſuffragia. Et interrogo, an Hiſpani his legibus obſtricti maneant? Si affirmes, contrà eſt primò. Nam ſimiliter obſtricti manebunt lege Summi Pontificis acceptata, quæ applicet moſtrenca Trinitariis. Tantus enim defectus eſt in Rege ad præcipiendum in materia ſpirituali, quantus in Pontifice ad præcipiendum Hiſpanis poteſtate directa in materia ciuili. Contrà eſt ſecundò, quia inauditum eſt, leges Principis ſæcularis valere in materia ſpirituali, quantumvis acceptentur, ob rationes infrà ſubiiciendas.

Si

170. Si verò neges, Hiſpanos manere obligatos iis legibus Regalibus verſantibus in materia ſpirituali, & acceptatis, obiicio: ergò neque decurio obligat textores ad opera pia, quamvis eius leges acceptentur à textoribus. Ideò enim leges Regales quantumvis acceptatæ non obligant in materia ſpirituali, quia materia ſpiritualis eſt omninò ſupra ſphæram poteſtatis Regiæ: ſed etiam leges decurionis textorum, quantumvis acceptatæ, circa opera pia ſunt ſupra ſphæram poteſtatis decurionis: ergo neque decurio obligat textores ad opera pia ſuis legibus, licèt acceptatis.

171. *Lex Regis circa auditionẽ Miſſæ iuſta eſſet ante acceptationem.* Oſtendo tertiò. Si leges à decurione indictæ textoribus circa auditionem Miſſæ, ieiunium, &c. eſſent validæ, quia acceptatæ; ſequeretur, quod ſi Rex ferret leges in materia ſpirituali, etiam ante actualem acceptationem populi eſſent iuſtæ, neque excedentes ſphæram poteſtatis Regalis; conſectarium eſt abſurdum, & à nemine concedendum: ergo & antecedens, vnde illud conſectarium deducitur.

172. Probatur maior. Illa circumſtantia, quæ legem aliàs iniquam, reddit iuſtam in ſtatu abſoluto, ſi proponatur in lege tanquam conditio, legem conditionalem reddet iuſtam. Sic in multis Regnis gabella non eſt iuſta, niſi quando interuenit conſenſus populi, Comitiorum ſuffragiis declaratus: quia ergo is conſenſus populi validam, & iuſtam reddit legem de gabella ſoluenda, lex conditionalis erit iuſta ex ſe, quæ indicit, *Soluatur gabella, ſi populus conſenſerit.*

173. Atqui acceptatio populi eſt circumſtantia, quæ legem aliàs iniquam reddit iuſtam, etiam legem Principis ſæcularis in materia ſpirituali, cùm ſit eadem ratio, quæ in decurione reſpectu textorum: ergo iuſta eſt hæc lex Principis ſæcularis, *Omnes audiant Miſſam qualibet quarta feria, ſi ſubditi acceptauerint.* Hæc conſequentia patet ex dictis. Et procedo vlteriùs. Sed iuxta ſententiam Caramuelis, & communem, omnes leges Regiæ afferunt eam conditionem: ergo ſi lex Regia dicat abſolutè, *Omnes audiant Miſſam qualibet quarta feria*, iuſta eſt hæc, nec excedens poteſtatem Regis, ob tacitam conditionem, quam includit, acceptationis populi.

174. Itaque ex eo quod lex decurionis indicta textoribus, & ab illis acceptata circa auditionem Miſſæ, obſtringat textores, infertur, legem Regiam de auditione Miſſæ, & acceptatam obſtringere etiam ſubditos Regis. Rurſus inde infertur, quod ſi acceptata eſt iuſta & valida, etiam ante actualem acceptationem erit iuſta, ſi feratur conditionaliter, id eſt, ſub conditione acceptationis. Et inde vlteriùs infertur, quod poſſit Rex iuſtè præcipere circa quamlibet materiam ſpiritualem; quia conditionaliter poteſt, ſcilicet ſub conditione acceptationis: & deinde omnes leges Regiæ habent eam conditionem tacitam. Quare de primo ad vltimum, Rex poterit præcipere in qualibet materia ſpirituali: cùm leges Regiæ eam imbibant tacitam conditionẽ conſenſus populi.

175. *Id edictum decurionis nõ differt à conſilio.* Oſtendo quartò, interrogando, in quo differt edictum illius decurionis à bono quodam conſilio, quod tibi præſtat amicus de abſtinentia vini, de eſu piſcium, de auditione Miſſæ? Enimverò cùm audis ab amico tale conſilium, etſi velis illud acceptare tanquam obligatorium; nihil proderit acceptatio tua ad obligationem, nec per illam acceptationem amittis libertatem, quam antea habebas, non alia de cauſa, niſi quia ad obligationem ſubeundam vi edicti non ſufficit acceptatio, ſed requiritur etiam authoritas obligandi in edicente: ſed decurio nullam habet authoritatem edicendi textoribus opera pia: ergo edictum illud decurionis de operibus piis eſt adinſtar conſilij, & nullam vim habet obligandi etiam acceptantes. *Conſilium etiã acceptatum non obligat.*

176. *Nemo ſe obligat alteri, niſi ex contractu.* Oſtendo quintò. Nemo ſe obligat alteri homini, niſi per contractum: atqui acceptare conſilium alterius (ſiue mauis, imperium eius, qui non poteſt imperare) non eſt contractus: ergo per eam acceptationem textor non ſe obligat decurioni ad ſeruandam abſtinentiam à carnibus. Et cùm alias decurio non habeat authoritatem obligandi ad id, non eſt vnde textores maneant obligati; cùm hæc obligatio textorum oriri non poſſit ab authoritate decurionis, neque à propria acceptatione. Maior, & conſequentia patent. *Acceptatio legis non eſt contractus.*

177. Et vt clariùs conſtet minor, ſuppono, dupliciter poſſe ſe gerere textores erga decurionem. Primò, ſi antecedenter ad legem decurionis celebrent cum eo contractum ſubiectionis, per hæc, aut ſimilia verba: *Volumus noſmetipſos tibi ſubiicere, vt iniungas opera pia, quæ libuerit:* & hanc obligationem acceptet decurio; & hoc contractu celebrato, iniungat decurio auditionem Miſſæ, & abſtinentiam carnium. Secundo modo, ſi tali contractu nullatenus celebrato antecedenter, iniungat decurio textoribus prædicta opera pia, & ipſi dicant, ſe acceptare illa tanquam leges obligatorias.

178. *Si præcederet contractus ſubiectionis, lex obligaret.* Et ſi quidem priori modo fieret, non nego, obligatos manere textores (ſi non ſit lex, quæ talem contractum ſubiectionis prohibeat) quia lex prodiens à decurione, procedit à vera poteſtate antecedente ad legem, quæ poteſtas oritur à contractu antecedenti; à quo contractu pariter procedit debitum parẽdi in textoribus. Nam vbi præcedit contractus de lege amplectenda, per illum contractum poteſtatem accipit decurio ad præcipiendum; vnde iam lex illa habet vim obligatoriam, ex præſuppoſito contractu. Sed Caramuel non loquitur in hoc ſenſu, cùm excludat ab obligatione non acceptantes.

179. *Acceptatio legis non eſt contractus, nec promiſſio.* Cæterùm acceptatio poſteriori modo facta, non eſt contractus, imò nec ſimplex promiſſio. Tum quia acceptantes legem, non promittunt obſeruationem illius, ſed habent ſimplicem voluntatem ſubeundi illud onus. Tum quia etſi acceptatio eſſet promiſſio obſeruandi legem, ad hanc promiſſionem non ſubſequitur acceptatio legiſlatoris, qua iſte acceptet promiſſionem ſubditorum, quæ erat neceſſaria, vt iſta promiſſio ſubditorum tranſiret in contractum. Imò vt tranſeat in contractum, non ſufficit, quod legiſlator vtcunque acceptet illam voluntatem obediendi; ſed quod acceptet illam formaliter vt promiſſionem, vel vt obligationem ſibi factam. Et cùm legiſlator non cognoſcat illam acceptationem ſubditorum vt promiſſionem, vel obligationem ſibi factam, manifeſtum eſt, quod non acceptat illam

Digitized by Google

illam vt talem; cùm nihil ſit volitum, quin præcognitum. Tum denique, quia promiſſio etiam acceptata, ſecundum Caramuelem non eſt contractus, nec obligat in conſcientia, vt docet *lib. 2. Theolog. Intention. diſput. 9. n. 588.* adeò vt aſſerat, oppoſitam ſententiam, ſtando in ratione, non eſſe probabilem. Quod ſi promiſſio pecuniarum, etiam acceptata, non eſt contractus, neque obligat in conſcientia, à fortiori idem dicendum de promiſſione obſeruationis legis, etiam acceptata à legiſlatore.

180. *Non ſtat debitum parendi, quin præcedat ius imperandi.*

Oſtendo ſextò. Inintelligibile eſt debitum parendi in ſubdito, quin præcedat in Prælato ius imperandi: ſed dum intelligitur Petrus acceptare imperium eius, qui non habet authoritatem imperandi, non intelligitur præcedere in imperante ius imperandi: ergo dum intelligitur Petrus acceptare eius imperium, inintelligibile eſt in Petro debitum parendi.

181. Maior patet, cùm debitum parendi procedat tanquam effectus moralis à iure imperandi; cauſa autem ſit prior effectu, & præſupponatur ad effectum. Minor autem, ſi penetrentur termini, ex ſe conſtat: nam implicat contradictionem, quod ſit acceptatio imperij eius, qui non habet poteſtatem imperandi, & quod præſupponatur poteſtas, ſiue ius imperandi.

182. Hæc omnia argumenta eodem modo militant in caſu, quo Princeps præcipiat in materia, quæ omninò eſt ſupra ſphæram ſuæ poteſtatis: v. g. ſi Rex præcipiat, vt ſubditi audiant Miſſam quarta quaque feria, & vt ſingulis quibuſque menſibus accipiant ſacram Synaxim. Nam per hoc quod ſubditi eas leges acceptent, non accipit Rex poteſtatem ad præcipiendum in ſpiritualibus, quæ ſunt omninò ſupra ſphæram ſuæ poteſtatis. Habet enim ſe Rex in hoc caſu eodem modo, ac decurio præcipiens textoribus auditionem Miſſæ: & abſtinentiam carnium.

Articvlvs III.

Deciditur quæſtio duplici concluſione.

183. *Lex quandoque excedit ſphæram poteſtatis, quia contra ius ſubditi.*

Dvpliciter poteſt contingere, quod materia præcepta ſit ſupra ſphæram præcipientis. Primò, quia præciſè violat ius ſubditi præcepto ſuo: vt cùm Princeps imponit gabellam ad vtilitatem Reipublicæ, tamen in circumſtantiis, in quibus ſubditus non tenetur ſoluere. In quo caſu ideò prætergreditur ſphæram ſuæ poteſtatis, quia non habet poteſtatem ad irrogandam iniuriam ſubdito, ſiue ad violandum ius ſubditi. Quo iure ſecluſo, vel renunciato, materia præcepta non excedit poteſtatem Principis.

Si ſubditus cedat iure, materia manet intra ſphæram præcipientis.

184. Ad hoc autem requiritur, quod materia præcepta ſub conditione conſenſus ſubditi ſit intra ſphæram poteſtatis Principis, aut Antiſtitis. Quare licèt imponere prædictam gabellam abſolutè ſit ſupra ſphæram poteſtatis Principis; tamen imponere illam conditionaliter, id eſt, ſub conditione, quod conſentiant ſubditi, non eſt ſupra ſphæram poteſtatis eius; ſupponimus enim quoad reliquas circumſtantias eſſe iuſtam.

185. Secundò poteſt eſſe ſupra ſphæram imperantis, non quia præſciſè violat ius ſubditi, ſed quia materia excedit omnino eius poteſtatem. Vt ſi Rex præcipiat auditionem Miſſæ, ieiunium, Communionem ſacram, &c. Nam ſi hæc præcipiat etiam conditionaliter, id eſt, ſub ea conditione, ſi populus velit acceptare leges, adhuc ſub hac conditione excedit ſphæram poteſtatis Regalis.

Solet ex ſe eſſe vltra ſphæram præcipientis, & non quia cõtra ius ſubditi.

186. *Cùm lex eſt vltra ſphærã, quia contra ius ſubditi, firmatur acceptatione.*

Sit prima concluſio. Quando materia legis eſt ſupra ſphæram Principis, præſciſè quia violat ius ſubditi, ſiue quando licèt abſolutè ſit ſupra ſphæram Principis, conditionaliter tamen non excedit ſphæram illius; tunc lex aliàs inualida firmatur acceptatione ſpontanea ſubditorum. Hæc concluſio patet. Nam ſi materia legis ſub conditione conſenſus populi indicta non excedit ſphæram poteſtatis legiſlatiuæ, purificata ea conditione, lex erit valida & iuſta, vtpote procedens à poteſtate, quæ illam legem ferre poteſt. Quæ lex ſpecialiter completur & perficitur poſita conditione acceptationis, & conſenſus populi.

187. *Lex theſaurum inuentum fiſco applicans, acceptatione firmatur.*

Hinc fit, verum videri quod ait Caramuel ſuprà relatus *num.* 163. legem de theſauro inuento, fiſcalibus ſumptibus applicando, vbi ſpontaneè acceptata eſt, eſſe iuſtam; quamvis theſaurus inuentus iure naturæ pertineat ad inuentorem: quia inuentor, qui acceptauit eam legem, ceſſit iure ſuo. Illa autem lex eſt iuſta, & valida, accedente acceptatione; quia licèt ſit ſupra ſphæram poteſtatis Principis auferre ab inuentore ius ſuum, non eſt tamen ſupra ſphæram poteſtatis eius, applicare theſaurum fiſco, ſub conditione, quod inuentor conſentiat. Cenſetur autem inuentor conſentire, ſi totus populus ſpontaneè acceptet. Sed nunquid lex eſt ſpontaneè acceptata, cui ab initio ex metu ſupplicij nemo audet refragari?

188. *Dum nõ acceptatur metu pœnæ.*

Sed metum pœnæ non officere validæ acceptationi legum, fortè ſuadere conaberis, quia leges pœnales validè acceptantur metu pœnæ. Cui reſpondendum eſt, aliud eſſe loqui de lege pœnali, quæ ius ſuum alicui aufert; & aliud de lege pœnali, quæ alieno iuri nihil detrahit. Nam quidquid ſit de his ſecundi generis legibus, tamen leges, quæ iuri alicuius derogant, requirunt ſpontaneam acceptationem, quæ nullo modo fiat ex metu ſupplicij, eo quod requirunt liberam, & ſpontaneam ceſſionem iuris.

Diſcrimen inter hanc legẽ, & alias pœnales.

189. *Quando excedit poteſtatem, non quia cõtra ius ſubditi, lex non firmatur acceptatione.*

Sit ſecunda concluſio. Quando materia legis excedit poteſtatem Principis abſolutè & conditionaliter, acceptatio non ſufficit, vt tribuat valorem legi aliàs inualidæ. Hanc concluſionem probant omnia, quæ diximus *art. præced.* Nam ſi etiam ſub conditione conſenſus ſubditorum Princeps non extendit ſphæram ſuam ad talem materiam, quantumvis ſubditi conſentiant legi, illâ non obligantur. Et ita ſi Rex præcipiat auditionem Miſſę, ieiunium, &c. quamvis leges eiuſmodi acceptentur, nihil valent; quia non eſt debitum parendi, vbi non præcedit in Principe ius imperandi. Vide cætera articulo præcedenti propoſita.

190. *Si lex nequit præcipere in materia probabili, nõ firmatur conſenſu populi.*

Obiicies primò. Hæc lex eſt valida; *Iubeo, vt applicetur fiſco theſaurus inuentus, ſi inuentor conſenſerit*: ergo etiam hæc erit valida; *Iubeo, vt Petrus operetur hanc actionem probabiliter malam, ſi Petrus conſenſerit*; idque etiamſi ſupponamus

Digitized by Google

namus, cum Caramuele, Prælatum ex ſe (& ſecluſa acceptatione ſubditorum) carere authoritate præcipiendi in materia probabili. Ex quo fit, ſubditum per ſolam acceptationem legis cedere iure ſuæ libertatis; atque adeò obſtrictum manere ad parendum Prælato in materia probabili, quantumvis Prælatus ex ſe non habeat authoritatem in materia probabili: quia etſi non habeat authoritatem imperandi abſolutè in materia probabili, poterit illam habere ad præcipiendum conditionaliter in tali materia, id eſt, ſub conditione conſenſus ſubditorum. Id autem eſt contra id, quod diximus ſuprà *diſp. 16. cap. 7. concluſ. 4.*

191. *Diſparitas.* Reſpondetur, claram eſſe vtriuſque diſparitatem. Habet enim Princeps (imò & priuatus quilibet) ius diſponendi de bonis Petri, ſi Petrus conſenſerit: nam eo ipſo quod Petrus conſentiat alterum diſponere de bonis ſuis, confert illi ius; cùm poſſit & velit ius, quod ipſe habet, in alterum transferre. Princeps autem, qui caret poteſtate præcipiendi auditionem Miſſæ, quamvis ſubditus conſentiat, per hunc conſenſum non attribuit illi authoritatem præcipiendi. Quid enim prodeſt, quod ſubditus conſentiat in eo, quod illi iubeat, quod iubere non poteſt? Nam vt conſtat ex dictis, vt obligetur ea lege Principis de auditione Miſſæ, vel lex debet obligare illum, vtique procedens ab habente poteſtatem; vel ipſe ſubditus ſe debet obligare: quod non facit dum non emittit promiſſionem acceptatam à Principe, aut ſtatuit pactum cum eo antecedens ad legem. Cùm ergo Princeps ex ſe non habeat poteſtatem præcipiendi in materia probabili, ſecundùm ſententiam Caramuelis; ſolus conſenſus ſubditi conſecutus ad legem inualidam, non dat illi eam poteſtatem præcipiendi in materia probabili.

192. Itaque Petrus per conſenſum confert alteri ius diſponendi de bonis Petri, & ideò eſt verus contractus, cùm transferat in alterum dominium, vel ius ad rem. Conſenſus autem ad hoc, vt obligetur ea lege, quæ verè non eſt lex, non ſufficit, vt Petrus maneat obligatus. Sicut Petrus conſentiens, quod manus eius ligarentur filo aranearum tanquam vero vinculo, non maneret verè ligatus; quia filum aranearum non eſt verum vinculum; ſicut lex procedens à non habente poteſtatem, non eſt verum vinculum obligationis.

193. *An ferens legem abſque authoritate, inferat iniuriam acceptāti?* Obiicies ſecundò. Scienti, & conſentienti non fit iniuria: ergo quando Princeps imponit legem abſque poteſtate illā imponendi, populo ſcienti & conſentienti non irrogat iniuriam.

194. Reſpondetur, Principem præcipientem abſque authoritate præcipiendi, non irrogare iniuriam populo ſcienti & acceptanti; ſed facere rem inualidam: contendit enim ligare ſubditum abſque vinculo.

CAPVT VIII.

An opinio requirens acceptationem ad valorem legis, vtilior ſit, quàm oppoſita, vt leges aliàs iniquæ validæ ſint?

195. Conſtat ex capite præcedenti, acceptationem populi nihil prodeſſe, vt leges valeant, quæ procedunt à legiſlatore nullam habente authoritatem præcipiendi, etiam ſub conditione conſenſus ſubditorum, modo ibidem explicato. Conſtat etiam, alias eſſe leges, quæ, ſi accedat acceptatio, validæ fiant, eo quod legiſlator habeat authoritatem præcipiendi ſub conditione conſenſus ſubditorum; quales ſunt leges, quæ diſponunt de bonis priuati de conſenſu illius.

De hoc ergo poſteriori genere legum procedit præſens quæſtio. Exempli gratiâ, theſaurus inuentus iure naturæ eſt inuentoris: quare ſi Princeps ſine conſenſu inuentoris theſaurum adiudicet fiſco, fit iniuria inuentori: at verò ſi populus acceptet legem adiudicantem illum fiſco, iam id fit de conſenſu populi, atque adeò conſenſu inuentoris, qui eſt vnus de populo. 196.

Inquiritur ergo, an opinio, quæ affirmat, requiri acceptationem populi ad valorem legis, ſit vtilior, quàm opinio oppoſita negans, requiri talem acceptationem; vtilior, inquam, ad hoc, quod ſaluetur & intelligatur æquitas & iuſtitia legis applicantis fiſco theſaurum inuentum, eo quod in tali acceptatione requiſita contineatur etiam conſenſus inuentoris; qui conſenſus legem iuſtificat. 197.

Caramuel *lib. 2. Theolog. intention. diſp. 1. art. 1. num. 285. §. in grauiſſima*, ait: [Videris, me ſemper in omni lege publica populi conſenſum requirere.... Oppoſitæ defenſores ſententiæ ſæpe inſudant, vt poſſint Principum leges excuſare à tyrannide: ego facili negotio eas excuſo, ad iuris ceſſionem recurrens: illæ enim, quæ inuitis poſitæ eſſent iniuriæ, ſunt æquæ, ſi volentibus & conſentientibus imponantur.] Hoc itaque magnum commodum inuenit Caramuel in opinione requirente acceptationem populi, quòd dum acceptationem requirit, in qua continetur conſenſus populi, ſaluatur iuſtitia legis diſponentis de iure ſubditorum, de quo non poteſt diſponere ſine eorum conſenſu. Quod non præſtat opinio, quæ negat requiri ad valorem legis prædictam acceptationem. 198. *Caram. docet affirmatiuam partem.*

Dicendum tamen eſt, in vtraque ſententia æquè ſaluari, quod prædictæ leges ab acceptatione fiant æquæ & iuſtæ. Pro cuius explicatione ſequentes prænotationes adhibeo. 199. *Vtraque opinio æquè prodeſt ad eum effectum.*

Prænotandum eſt primò, has duas propoſitiones eſſe diuerſas: *Datur de facto acceptatio legis: Requiritur ad valorem legis acceptatio eius.* Eſſe diuerſas patet, quia aliud eſt rem exiſtere, & aliud longè diuerſum, eam eſſe requiſitam ad aliquid. 200.

Prænotandum eſt ſecundò, primam propoſitionem ab vtraque opinione admitti: nam, quæ negat requiri acceptationem, non negat eſſe de facto multas leges, contra quas populus non reclamat. 201.

Prænotandum eſt tertiò, opinionem, quæ negat, requiri acceptationem ad valorem cuiuſlibet legis, non negare, quod requiratur conſenſus populi in illis legibus, quæ feruntur contra ius ſubditorum: cum ex omnium ſententia nemo poſſit diſponere contra ius Petri, niſi de conſenſu Petri. 202.

Hinc patet concluſio tradita. Quia opinio, quæ negat vniuerſaliter, requiri acceptationem ad omnem legem, concedit quidquid requiritur 203.

Digitized by Google

quiritur ad hoc vt leges, quæ ſunt contra ius Petri, fiant iuſtæ de conſenſu Petri. Etenim actualis acceptatio eius legis, quæ decernit contra ius Petri, eſt quæ deſeruit, vt talis lex non ſit iuſta: ſed hanc actualem acceptationem non negat opinio, quæ aſſerit, non requiri vniuerſaliter ad legem acceptationem populi: ergo etiam hæc opinio admittit id, quod deſeruit, vt prædicta lex ſit iuſta.

204. Deinde pro iis legibus, quæ ſunt contra ius Petri, non negat præfata opinio, requiri conſenſum Petri, quin potiùs ex generali principio id admittit: ergo præfata opinio admittit quidquid requiritur, vt lex diſponens contra ius Petri, fiat iuſta ex conſenſu Petri.

205. Itaque aliud eſt, quod generaliter requiratur acceptatio ad valorem legis; & aliud, quod requiratur acceptatio, & conſenſus populi, ad illam legem, quæ decernit contra ius populi. Et ſtat, quod primum ſit falſum, & ſecundùm verum. Primum negat præfata opinio, non ſecundùm. Et ideò iuxta præfatam opinionem contrariam opinioni Caramuelis, ſaluari poteſt, quod lex decernens contra ius populi, ad ſui valorem requirat conſenſum populi, cùm id præfata opinio non inficietur.

CAPVT IX.

An præceptum vni Regulari ſubdito impoſitum, non valeat, niſi acceptetur ab illo?

ARTICVLVS I.

Proponitur ſententia Caramuelis.

206. *Ait, non indigere acceptatione, ſi ſit de expreſſis in regula.* CAramuel *diſput. 52. in Regul. S. Benedicti,* affirmat primò, ſi præceptum vni ſingulari monacho impoſitum ſit de iis, quæ expreſſè continentur in regula, vel ſit medium vnicè & neceſſariò requiſitum ad obſeruationem regulæ, obſtringi illo Religioſum ſtatim ante acceptationem: quia illud iam eſt acceptatum in voto obedientiæ: acceptata enim ſunt directè in prædicto voto omnia, quæ expreſſè continentur in regula; indirectè verò acceptatum eſt omne illud præceptum, cuius materia eſt vnicè & neceſſariò requiſita ad obſeruationem cuiuſlibet ex regulis, quibus ſe obſtrinxit.

207. *Si de mediis non omninò requiſitis ad regulam, indigere.* Affirmat ſecundò, ſi præceptum vni ſingulari Religioſo impoſitum ſit circa media non ſimpliciter & vnicè neceſſaria ad obſeruationem Regulæ, ſed ad hanc conducentia, illud non obligare, quouſque Religioſus acceptet; imò & reclamare poſſe Religioſum contra præceptum, & non acceptare illud.

208. *Si vltra regulam, indigere acceptatione.* Affirmat tertiò, ſi præceptum ſingulari Religioſo imponatur circa materiam, ad quam non ſe extendit ſphæra iuriſdictionis Antiſtitis Regularis, poſſe quidem illud non acceptari à ſubdito; cæterùm ſi ſemel acceptetur, ſubditum manere obſtrictum præcepto.

209. Sed oportet audire verba Caramuelis. Ibidem *num.738.* ita aſſerit: [Vt præceptum obedientiæ ſit æquum, requiritur, vt imponatur à legitimo Abbate, & ſit de rebus contentis in regula, vel conducentibus ad contentas in regula. In rebus, quæ expreſſè ſunt in regula, prout communiter explicatur, non eſt opus acceptari à ſubditis: in rebus, quæ ſunt in ſummo rigore regulę contra communem vſum, & in rebus, quæ non ſunt regulares, ſed ad regulares reducuntur, vt media ad finem, indiget acceptatione.]

In qua periodo obſeruabis primò, eum loqui de quolibet præcepto, ſiue impoſito communitati, ſiue impoſito ſingulari indiuiduo: quod ex aliis eius verbis clariùs infrà patebit. 210.
Obſeruabis ſecundò, primam partem prioris aſſerti relati ſuprà *num.* 206. contineri in iis verbis, *In rebus, quæ expreſſè continentur in regula, &c.* nam poſterior pars eius aſſerti continetur in verbis proximè ſubiiciendis. Obſeruabis tertiò, eum aſſerere, in duobus caſibus non obligare præceptum abſque ſubditi acceptatione: vel quando Antiſtes præcipit ea, quæ ſunt in ſummo rigore regulæ; qui rigor vi conſuetudinis legitimæ, aut priuilegij iam obſoletus ſit; ait enim, Prælatum Regularem non extendere ad eum rigorem ſphæram ſuæ poteſtatis; nec ſubditi in profeſſione ſe obligarunt ad illum ſummum rigorem regulæ, atque adeò illum in profeſſione non acceptauerunt: vel quando Antiſtes præcipit aliquod medium conducens (non præciſè requiſitum) ad obſeruationem regulæ.

Hoc magis explicat *num.746.* in hæc verba: 211.
Nec valet dicere Abbas, *ſubditum* iam illam legem in profeſſione acceptaſſe, quia acceptauit regulam directè, & indirectè illa omnia, quæ neceſſariò conducunt ad obſeruantiam regulæ. Si eſſet medium vnicum, non deberet, nec poſſet *monachus* clamare. At ſemper ſuppetunt plurima, nec vllus in profeſſione admiſit media ſummè grauia, ſed neceſſaria ſolùm. Quæ autem ſummè moleſta ſunt, non ſunt neceſſaria, dum adſunt ſuauiora. Quod ſi ſemel acceptatum fuerit tale præceptum, obligabit, vt alia.]

In quibus verbis notabis primò, iam expreſſiſſe, loqui ſe de præcepto, quod imponitur 212.
ſingulari ſubdito, vt patet illis verbis, *ſubditum iam illam legem in profeſſione acceptaſſe.* Et infrà etiam loquitur in ſingulari illis verbis: *Non deberet, nec poſſet monachus clamare.* Notabis ſecundò, in his poſtremis verbis contineri, quod ſi medium non ſit vnicum, poteſt monachus clamare, & reſiſtere, atque adeò non acceptare. Notabis tertiò, poſteriorem partem primi aſſerti relati ſuprà *num.* 206. contineri in his verbis: quando medium eſt vnicum & neceſſarium ad obſeruationem regulæ, iam eſſe indirectè acceptatum, atque adeò non egere noua acceptatione. Notabis quartò, ſi præceptum, etiam ſingulari indiuiduo impoſitum iniungat medium non neceſſarium, neque vnicum ad obſeruationem regulæ, poſſe non acceptari; & dum non acceptatur, eſſe inualidum.

ARTICV

Digitized by Google

ARTICVLVS II.

Criſis & impugnatio relatæ ſententiæ.

213. OLim credideram, mentem Caramuelis eſſe, etiam in iis, ad quæ ſe extendit ſphæra Prælati Regularis, requiri acceptationem ſingularis ſubditi, quando ea, quæ præcipiuntur, ſunt media conducentia ad obſeruationem regulæ; non tamen vnicè & ſimpliciter neceſſaria: & ideò quamvis Prælatus Regularis haberet poteſtatem ea præcipiendi, ea præcepta non valere, donec accederet acceptatio ſubditi. Sed re altiùs reſpecta, comperio, aliam eſſe mentem Caramuelis.

214. Et primò quidem in relatis periodis non loquitur de præcepto impoſito aliis ſubditis non Religioſis, ſed ſolùm de Religioſis. Secundò Caramuel ſtat in eo principio, quod Prælatus Regularis non poteſt obligare ſubditum, niſi ad ea, ad quæ ſubditus ipſe vi voti ſe obligauit. Quod principium (longè tamen aliter intellectum) docent P. Thom. Sanch. P. Leſſius, & alij relati *diſp. præced. n.* 10. *&* 20. Addit tamen Caramuel in relatis periodis, vi voti obediētiæ ad nihil aliud ſe obligaſſe ſubditum regularem, niſi ad præcepta eorum, quæ continentur in regula, vel ſunt vnicè requiſita ad obſeruationem regulæ, ideò ad hæc non requiri acceptationem; cæterùm hanc requiri ad reliqua alia, quia ad ea non ſe obligauit ſubditus Religioſus.

An Regularis nequeat cogi, niſi ad ea, ad quæ vi voti ſe obligauit?

215. Neque inde licet inferre, præcepta impoſita ab Epiſcopo vni ſingulari ſubdito, non valere, donec à ſubdito acceptentur. Nam Epiſcopus non præcipit vi voti obedientiæ, neque ea ſolùm, quæ ipſi fideles acceptarunt; ſed vi iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, & independenter ab eo, quod fideles ipſi ſe obligauerint ad parendum.

216. Hæc tamen ſententia Caramuelis ſic explicata continet multa, quæ mihi certò falſa ſunt. Primum, quod in illis, ad quæ Religioſus non ſe obligauit; atque adeò in iis, ad quæ iuxta eius ſententiam non extenditur ſphæra poteſtatis Prælati Regularis, ſi iſte imperet, & acceptetur à ſubdito eius imperium, ſubditum illo manere obligatum. Etenim imperium procedens à non habente poteſtatem, nullum eſt; & acceptatio imperij inualidi nihil prodeſt ad contrahendam obligationem, ſed ſe habet ſicut acceptatio meri conſilij, vt manifeſtè conſtat ex toto capite 7.

Regularis acceptans præceptum vltra ſpheram Prælati, non manet obligatus.

217. Secundum, quod Religioſus vi voti obedientiæ dumtaxat ſe obligauerit, & acceptauerit præcepta eorum, quæ ſunt expreſſa in regula, vel quando materia præcepta eſt medium vnicè neceſſarium ad obſeruationem regulæ. Conſtat enim id eſſe falſum in primis: nam ad obſeruationem voti caſtitatis, v.g. poſſunt eſſe ſimul neceſſaria tria, vel quatuor media, vt quod monialis ſeruet clauſuram, quod non alloquatur iuuenes, quod nō ſcribat perſonis ſuſpectis ſine licentia Antiſtitis: quomodo ergo dicitur, quod ſolùm acceptauit in profeſſione vnicum tantùm medium?

Non acceptauit ſolùm medium vnicè requiſitum.

218. Tertium, quod Religioſus in emiſſione voti obedientiæ nihil aliud acceptauerit, quàm regulam, & id quod eſt vnicum medium ad illam; & Prælatum regularem, etiam vi iuriſdictionis Eccleſiaſticæ nihil aliud præcipere poſſe ſubditis Regularibus. Nam *ex diſp. præced.* manifeſtè conſtat, vnum è duobus ſub diſiunctione aſſerendum, vel quod Prælatus Regularis vi iuriſdictionis Eccleſiaſticæ poſſet ſubditis præcipere alia multa, quæ non continētur expreſsè in regula formali, nec ſunt media vnicè neceſſaria ad illam: vel quod ea multa continentur implicitè in regula, atq; adeo, quod vi voti obedientiæ ſubditus Regularis ſe obligauit ad illa. Sic enim poteſt Prælatus Regularis cogere præceptis ſubditum ad communionem annuam, ad ieiunium Quadrageſimale, ad acceptādam pœnam ob delictum commiſſum contra Decalogum, & multa ſimilia non pertinentia ad regulam formalem, & expreſſam. In quibus vnum eorum ſub diſiunctione neceſſariò dicendũ eſt.

Alterũ aſſertum certò falſum.

Caramuel autem diſiunctionem amputat, & 219.
vtrumque negat; & quod Prælatus Regularis poſſit imperare ſubdito, niſi ea, ad quæ ſubditus ſe obligauit, & acceptauit; & quod ipſe non ſe obligauerit ad alia quàm ad regulā expreſſam, & ad medium vnicè requiſitum ad illam. Quod tamen *in diſp. præced.* euidenter conuictum eſt.

Itaque ſi ad communionem annuam vrgeat 220.
præceptũ Prælati Regularis, & ſtare velis in eo principio, quod Prælatus Regularis non præcipit niſi ea, ad quæ ſubditus ſe obligauit vi voti obedientiæ; neceſſariò tibi dicendum eſt, id præceptum communionis annuæ iam eſſe acceptatum in emiſſione voti; illudque contineri implicitè in regula, ſecundùm quam vouit Religioſus: & ita eo præcepto obſtringi ſubditum Regularem, ante quamcunque acceptationem.

Quod ſi ſtes principio oppoſito, quod Præ- 121.
latus Regularis præcipit & vrget communionē annuā, quāvis nullo modo cōtineatur in regula, neq; ad id præceptũ ſe obligauerit in emiſſione voti Religioſus; dicēdum neceſſariò eſt, quod Prælatus regularis poteſt præcipere vi iuriſdictionis Eccleſiaſticæ alia, ad quæ ſubditus non ſe obligauit in emiſſione voti. Et in eo caſu ſicut cùm Epiſcopus vrget ſæcularē ad communionē annuā, obſtringit illum vi iuriſdictionis Eccleſiaſticæ ante quācunq; ſubditi acceptationē; ita eodē modo Prælatus Regularis obſtringit ſubditũ ad cōmunionē annuā vi iuriſdictionis Eccleſiaſticę ante quamcunq; acceptationē ſubditi. Quæ omnia euidenter conſtāt *ex diſp. præced.*

Ex quibus omnibus concluditur contra Ca- 222.
ramuelem, ante quamcunque acceptationem ſubditi Regularis, iſtum obſtringi poſſe præceptis ſui Antiſtitis, etiam vltra ea, quæ ſunt expreſsè in regula formali, vel ſunt media vnicè requiſita ad regulam; nempe altero è duobus modis prædictis.

Ego quidem adhuc dubito, an fuerit ſenten- 223.
tia Caramuelis, quæ docet, præceptum Prælati Eccleſiaſtici, quicunque iſte ſit, imperantis vni ſubdito in materia ſibi ſubiecta, non habere vim obſtringendi, donec ſubditus acceptet. Et ſanè non paruum fundamentum eſt ad exiſtimandum, eam fuiſſe eius ſententiam: cùm in legibus communibus poſtulet acceptationem ſingulorum indiuiduorum faciendam per ſe, vel compromiſſarios; nempe *in Theol. fundam. num.* 674. verbis relatis ſuprà *cap.* 6. *initio.*

Ea tamen doctrina clariſſimè conuincitur. 224.
Nam Prælatus Eccleſiaſticus habet poteſtatem præcipiendi in materia ſibi ſubordinata independēter à conſenſu ſubditi, vt cōſtat *ex c.* 2. Et ea poteſtas Prælati inferioris Pontifice non eſt ab hoc limitata, ne poſſit obligare ante acceptationē, vt conſtat *ex c.* 3. Ex quibus duabus præmiſſis

Præceptum vni impoſitũ à Prælato in materia ſibi ſubiecta, non eget acceptatione illius.

miſſis euidenter infertur, quod ſi vult obſtringere ſubditum ante acceptationem, poteſt. Sed quando Prælatus ſubditum compellit & vrget ad aliquid exequendum in materia ſibi ſubordinata medio ſuo præcepto, euidens eſt, quod vult vti ea poteſtate obſtringendi ſubditum inuitum: ergo euidens eſt, quod cum obſtringit ante acceptationem.

225. Confirmatur. Ideò lex communis Eccleſiaſtica non obligat inuitos, quia Prælatus non vult: ſed lege priuata vult Prælatus Eccleſiaſticus obligare inuitum, vt ex ipſa praxi euidens eſt: ergo de facto obligat inuitum. Multæ aliæ demonſtrationes huius veritatis afferri poſſent: ſed quia exiſtimo, eam aſſertionem eſſe nullius, ideò illis ſuperſedeo. Eſt enim certum, quod Lorca 1. 2. *tract. de legibus, diſputat.* 20. dixit in hæc verba: [Præceptum actuale obligat, nullo expectato aſſenſu eius, cui imponitur: nec aliquis oppoſitum vnquam mente concepit.]

DISPVTATIO XXX.

An vi conſequentiæ magnæ Benedictini (& ſimiles illis Regulares) ſint exempti à præceptis, & præceptibilibus Prælatorum ſuorum?

CAPVT PRIMVM.

Proponitur ratio dubitandi, & ſententia Caramuelis.

1. CARAMVEL *in Regulam num.* 801. videtur poteſtatem præceptiuam Prælati Regularis in aliquibus Religionibus ad meram probabilitatem, atque adeò ad libertatem ſubditorum reducere; inferendo ex doctrina Antonij Perez Benedictini, Abbatem ſuis monachis Benedictinis nihil penitus præcipere poſſe virtute obedientiæ promiſſæ, niſi vota, & Decalogum. Ecce eius verba: [Non ſubticebo tamen aliquã *magnam conſequentiam*, quæ ex Perezij opinione deducitur. Illa poteſt Prælatus præcipere, quæ præcepta in regula, non quæ conſulta: at Perezio aſſerente, præter ſolemnia vota, & ſimilia, quæ aliàs etiam grauiter obligarent, nihil in regula Benedictina præcipitur: ergo nihil poterit Abbas in virtute deuotæ obediẽtiæ præcipere, quod aliàs non obliget ex præcepto Decalogi. Conſequentia eſt legitima, maior omninò vera, minor ex Perezio deſumpta. Tu igitur ne nimium inferas, minorem Perezianam remitte, & tene, dari multa in regula Diui Benedicti, quæ præcepti vim habent; & ideò poſſunt ab Abbatibus præcipi: & ſi in præcepta veniant profitentibus, præuaricantibus ventura in crimina.]

Quæ, & qualis ſit conſequentia magna?

Abbatem non poſſe præcipere ſubditis, etiam quæ expreſſa in regula.

2. Periodus autem Antonij Perez, ex quo deduxit illam minorem ſyllogiſmi, & *conſequentiam magnam*, eſt ex prologo in regulam Benedictinam, *n.* 122. quam affert Caramuel *eo n.* 801. in hãc formam: [Eatenus Doctor ſanctiſſimus nihil graue, nihil aſperum in ſua regula cõſtituere ſperauit, quatenus ab his, quæ inſtituta omnia acerba, & grauia reddunt (vtique præcepta & Eccleſiaſticæ cẽſuræ) quoad eius fieri potuit abſtinere ſtuduit. Licèt enim D. Pater noſter Bernardus dicat, inſtitutiones regulæ profitentibus eſſe præcepta, & præuaricantibus crimina; quia tamen generalis regula eſt (quam ex Clemente V. *in Clement. Exiui de Paradiſo, de verborum ſignific.* deſumpſere Theologi pariter & Iuriſperiti) illa tantùm præcepta eſſe, & mandata, quæ verbũ præcepti, aut inhibitionis, vel æquipollentis præcepto, aut inhibitioni, obligẽt ſub reatu culpæ: verba autem præcepti eſſe, *Præcipio, mando, iubeo, prohibeo, inhibeo, veto, interdico*; æquipollẽtia verò eſſe, *Debeant, teneantur, neceſſario, neceſſe eſt, non licet, non poteſt*: verbum Bernardi (cui omnes ſubſcribere neceſſarium pariter atque glorioſum eſt) intelligẽdum venit iuxta regulam iſtam. Non enim licet commendari præcepta, vbi ſpecies præcepti non eſt. Maximè, quòd vltra præcepta, multa in regula continẽtur, quæ conſilij, admonitionis, conſuetudinis, correctionis, animaduerſionis, atq; ſimiliũ rationem habent. Quia igitur Præceptor noſter præceptis non abũdauit, ſed (quoad eius fieri potuit) abſtinuit; ideò conuenienter dicere potuit, ſe grauia, & aſpera in regula non cõſtiturum. Grauia enim & aſpera monaſticæ inſtitutionis non alia habentur, nec ſunt, quàm præcepta formalia & cenſuræ, quibus innodamur ob illa, quæ tanto pretio digna non apparent. Quare cõſtitutio, & regula, quarum violatio ad pœnam dumtaxat temporalem obligat, ſuauis, & lenis cenſetur: quæ verò ad ſpiritualem, acerba, niſi violatio ſit, vt crimen læſæ Maieſtatis, qualis eſt votorum ſolemnium, ſimiliumque tranſgreſſio.] Hucvſque Antonius Perez.

3. Videtur igitur ex dictis, Caramuelem eſſe in ea ſententia, vt iudicet probabile, quod Abbas Benedictinus nihil poſſit præcipere ſub præcepto graui obedientiæ, neque virtute voti obedientiæ. Quia etſi non dixerit his terminis expreſſis, *probabile eſſe*; at multa dicit, vnde apertè concluditur, hanc eſſe mentẽ eius. In primis dicit, illam eſſe *magnam conſequentiam*, quam non diceret magnã, ſi reputaret ſophiſticam, vel illegitimè deductã; imò poſteà addit, conſequentiam eſſe legitimam. Secundò dicit habere totum, quod requiritur ad probabilitatẽ. Relege illa verba: *Conſequentia eſt legitima, maior omninò vera, minor ex Perezio deſũpta.* Quam minorẽ antea vocauit Perezij opinionem. Tertiò, qui ſententiam refert, & laudat, non diſſentit ab eius probabilitate. Hanc autem ſatis laudat, cùm vocat *magnam conſequentiam.* Quartò. Qui ſententiam aliquam refert valde ſingularẽ, & nullum verbum addit contradicentis, vel reprobantis, clarè probatur, nec cõtradicere, nec reprobare. Nec ſufficienter contradicit, aut reprobat, qui poſtquam laudauit, adiungit; *Tu remitte,* vel nega *minorem.* Stat enim negari minorem ab eo qui cenſet, eam eſſe probabilem.

Quàm promoueat Caram. probabilitatem conſequentia magna?

4. Quintò. Nam in iis verbis, in quibus prima ſpecie videtur contradicere, Caramuelis ſectatores credunt, ibi eum magis fauere illi conſequentiæ, & eius conſequenti. Sic enim ponderant poſtremam clauſulam: *Tu igitur, ne nimium inferas, minorem Perezianam remitte, & tene dari multa in regula Diui Benedicti, quæ præcepti vim habent; & ideò poſſunt ab Abbatibus præcipi.* Quorum

Digitized by Google

Quorum ſingula verba creduntur appoſita potiùs in confirmationem probabilitatis, quàm in deſtructionem, quam cùm videtur negare, affirmat. *Tu igitur ne nimium inferas* (inquiunt) quaſi dicat: [Video maiorem eſſe certam, minorem probabilem, vtpote opinionem Antonij Perez; conſequentiam legitimam, ideóque probabile conſequens. Adhuc tamen, lector, hoc tibi conſilium do, *ne nimium inferas*; conſilium autem voluntarium eſt, non neceſſarium: ideò non te obligo, non cogo; vt ab ea opinione diſcedas, ſed conſulo, ſed rogo; non ſub interminatione improbabilitatis, ſed ſub forma meræ deprecationis, ne ianuam videamur aperire omnibus monachis (quorum regula non continet præcepta) vt ſe generaliter ſubtrahant ab omnibus præceptis obedientiæ Abbatum ſuorum.] Ne *nimium inferas*; quaſi dicat; [Ego nimium intuli; *Tu ne nimium inferas.* Ego *magnam conſequentiam* intuli; tu ne me ſequaris; nam etſi probabilem iudicauerim eam *magnam conſequentiam*, precor te, ne illam quantũvis probabilẽ, ſequaris.] Ita enim Caramuelis ſtudioſi interpretantur. An rectè, alij iudicent.

5. Notant etiam verba ſequentia: *Minorem Perezianam remitte.* Non dixit, *improba*; non dixit, *fuge*; non dixit, *nega tanquam certò falſam*; ſed, *remitte*. Quod verbum ad ſummum ſignificat, eam propoſitionem negandam eſſe. Nota etiam ſequentia verba: *Et tene, dari multa in regula Diui Benedicti, quæ præcepti vim habent.* Non dixit, *tene vt certum & indubitatum*; quaſi dicat: [Tene id, quamvis poſſis tenere oppoſitum. Tene id non coactione rationis, & argumenti, ſed conſilio eius, qui non audet tantæ laxitati probabilitatem adſcribere.]

6. Dices, Caramuelem non admittere concluſionem *conſequentiæ magnæ*: nam qui negat minorem ſyllogiſmi, non admittit concluſionem.

7. Sed non videris quoad hoc ſatisfacere. Nam cùm ſyllogiſmus *conſequentiæ magnæ*, & qui eum inſtuit, contendat, concluſionem *conſequentiæ magnæ* eſſe probabilem; vt illi contradiceret, neceſſe erat negare probabilitatem. Nam vt ſæpe Caramuel meritò clamat, huic propoſitioni, *Probabile eſt, rem eſſe*, non contradicit iſta, *Res non eſt*; nec contradicit, qui negat iſtam, *Res eſt*; ſed qui dicit, *Non eſt probabile, rem eſſe*: vel qui negat hanc, *Probabile eſt, rem eſſe*. Cùm ergo Caramuel non negauerit probabilitatem, quam ſyllogiſmus *conſequentiæ magnæ* conatur obtrudere, videtur non illi contradicere. Et qui non contradixit dum debuit, aſſentiri videtur.

8. Sed eſto id non ſit verum, quod Caramuel ita cenſuerit, illam concluſionem eſſe probabilem; non ſolùm nocet veritas, ſed exiſtimatio; non ſolùm nocebit, quod Caramuel verè illam docuerit, ſed etiam, quod docuiſſe exiſtimetur. Nam qui credunt, eius fuiſſe opinationis Caramuelem, poterunt fortè exiſtimare probabilem, in ſummum præiudicium veritatis Theologicæ. Ideóque, ne virus ſerpat, neve aurichalcum pro auro accipiatur; neceſſarium duxi, diſcurſum examinare, & aurichalcum ab auro diſtinguere.

9. Ea ergo *conſequentia magna* (cuiuſcuius ea ſit) iniuria eſt veritati Theologicæ, iniuria arti ſyllogiſticæ, iniuria Antonio Perezio, iniuria denique Religioni Benedictinæ; imò & omnibus Religionibus habentibus ſimilem regulam, nempe non obligantem ſub reatu culpæ. Quæ omnia in ſequentibus capitibus iam oſtendo.

CAPVT II.

Primum argumentum contra eam doctrinam, deſumptum ex illata nullitate profeſſionis.

VT videas, quàm efficaciter concludat hoc argumentum contra eam doctrinam, quam vult probabilizare *conſequentia magna*, adhæreant firmiter memoriæ tuæ duæ præmiſſæ illius ſyllogiſmi, quæ pariunt eam conſequentiam, nempe non poſſe Prælatum præcipere grauiter ſubdito quæ ſunt in regula conſilia, ſed ſolùm quæ ſunt præcepta; probabile autem eſſe, quod omnia contenta in regula Benedictina ſunt conſilia, & non præcepta. 10.

Illa profeſſio eſt nulla & inualida, quæ habet vnum ex votis ſubſtantialibus nullum & inualidum: ſed ſecundùm doctrinam præcitatam, profeſſio habet vnum votum ex ſubſtantialibus nullum & inualidum, ſcilicet votum obedientiæ: ergo ea profeſſio nulla eſt, & inualida. Maior eſt euidens; profeſſio enim Religioſa eſſentialiter conſtituitur tribus votis ſubſtantialibus, quorum aliquo deficiente, deficit pars eſſentiæ profeſſionis; nihil autem ſubſiſtit, eius eſſentia partialiter, vel totaliter deficiente. 11.

Ea profeſſio eſt nulla, in qua vnum votum inualidum.

Minor verò probatur. Votum obedientiæ, quod emittunt Benedictini expreſſis & formalibus terminis eſt votum obedientiæ ſecundùm regulam (ſicut & aliquæ aliæ Religiones; cæteræ autem licèt non exprimant *ſecundùm regulam*, at id ſubintelligunt:) ſed iuxta doctrinam traditam, votum obedientiæ ſecundùm regulam eſt impoſſibile & implicatorium: ergo nullum & inualidum. Probatur minor. Per votum obedientiæ ſecundùm regulam obligatur vouens ad obediendum Prælato, ſi præceperit ea, quæ ſunt in regula: ſed ſecundùm eam doctrinam nihil eſt in regula, quod poſſit præcipere Prælatus, cùm omnia ſint conſilia, & nulla præcepta: ergo per votum obedientiæ ſecundùm regulam non obligatur ad obediendum; cùm nihil ſit, in quo poſſit obedire: ergo id votum obedientiæ eſt chimæricum & implicatorium. Itaque id votum obedientiæ ſecundùm regulam inuoluit terminos implicatorios: promittitur enim obedientia ſecundùm regulam exhibenda Prælato, cùm Prælatus nihil poſſit præcipere ſecundùm regulam: eſt ergo votum obediendi in nullo. Et quidem debitum obedientiæ eſt eſſentialiter relatiuum ad præcipientem: cùm ergo præcipiens nihil poſſit præcipere ſecundùm regulam, deficit eſſentia illius debiti obediendi ſecundùm regulam. 12.

Si nihil ſit præceptibile in regula, votum obediẽtiæ non valet.

Confirmatur primò. Implicat votum obediendi in aliqua materia, quod non obliget ad obediendum in tali materia: ſed votum Religioſæ obediẽtiæ eſt votum obediendi ſecundùm regulã, ſiue in materia regulæ; & ſecundùm con- 13.

Votum obedientiæ implicatorium.

ſequentiam magnam non obligat ad obediendum in materia regulæ, etiam præcepta a Prælato: ergo implicat tale votum Religioſæ obedientiæ. Maior eſt euidens, quia votum non obligaret ad id, quod promittit. Minor vero quoad priorem partem & euidens eſt, & aſſumitur à Caramuele ſæpius: quoad ſecundam verò partem eſt concluſio *conſequentiæ magnæ*. Hinc infero: ergo votum obedientiæ Religioſæ non obligat ad id, quod promittit. Tum ſic: ergo nullum votum obligat in conſcientia ad id, quod promittit, quod eſt hæreticum. Patet conſequentia; quia eadem omnino ratio ad obligandum eſt in voto obedientiæ ac in cæteris aliis.

14\. Confirmatur ſecundò. Omne votum obligat in conſcientia ad id, quod promittitur: ſed votum promittit obedientiam in materia regulæ: ergo votum religioſæ obedientiæ obligat in materia regulæ: ergo ſi materia regulæ præcipiatur à Prælato, obligat in conſcientia. Hæc conſequentia patet; quia iſta ſecunda conſequentia eſt ſynonima cum prima. Et nota, maiorem huius ſyllogiſmi eſſe de fide Catholica, & minorem euidentem. Tu o Theologe, iudica, qualis erit conſequentia.

Concluſio Theologica.

15\. Pro cuius rei claritate notandum eſt, Caramuelem excludere à poteſtate præceptiua Prælati omnia alia, quæ non ſunt in regula. Admittit communis ſententia, in regula implicitè includi omnia alia præcepta, quæ ſunt communia Regularibus, & ſæcularibus; imò & præcepta ſpecialia, quæ in corpore iuris reperiuntur impoſita Regularibus; negat tamen Caramuel, Prælatum ea poſſe præcipere, etiam ieiunia Eccleſiaſtica, *quia de ieiuniis Eccleſiaſticis Sancta regula diſponit nihil*; vt conſtat *ex diſp.* 28. *cap.* 1. atque adeò negat, reliqua alia præcepta includi vllo modo in regula. Ideóque Prælatum ſola illa præcipere poſſe, quæ expreſsè continentur in regula, vel ſunt media vnicè neceſſaria ad regulam obſeruandam. Imò quando in regula ponuntur illa, quæ aliàs ſunt iuris diuini, vel eccleſiaſtici, *ex vi præcepti regulæ nullam nouam obligationem inducere*. Ita enim habet *num.*712. & patet hanc eſſe eius mentem ex tota mea diſputatione 28. Si ergo modò tanquam probabile admittit, quidquid eſt in regula, eſſe conſilium; atque adeò nihil eorum, quæ ſunt expreſſa in regula, poſſe præcipi à Prælato, relinquitur, obedientiam ſecundùm regulam eſſe obedientiam ad nihil.

16\. Effugium.

Vnum ſolùm effugium poteſt tentare Caramuel, ſcilicet poſſe Prælatum præcipere obſeruationem voti caſtitatis, & paupertatis, quæ videntur contineri in regula: iam ergo datur aliquid, quod poſſit præcipere Prælatus; atque adeò votum obedientiæ ſecundùm regulam iam habet materiam obediendi, ſcilicet in obſeruantia votorum.

17\. Præcluditur 1.

Sed hoc effugium præcluditur primò, quia eſt contra ipſum Caramuelem. Is enim *in Regul. num.*86. hæc habet: [Arguis quartò: In regula indicitur caſtitatis, obedientiæ, & paupertatis obſeruãtia, quæ obligat ſub peccato mortali: ergo ſaltem in regula reperiuntur hæc præcepta. Ita intellexiſſe videtur Ioannes Andreas in Nouella, in cuius capitis gloſſa ſic: *Intellige indiſtinctè quoad tria ſubſtantialia; alia autem non credo eſſe in præcepto, aliàs vix vnus monachus de mille ſaluaretur.* Fallitur tamen. Et ad argumenti formam reſpondeo, concedendo maiorem, minorem diſtinguo. Paupertas, obedientia, & caſtitas obligant, quà præcepta à regula, nego; quà promiſſa in profeſſione, concedo.] Vide pater, vota paupertatis, & caſtitatis non eſſe præcepta in regula, atque adeò iuxta *conſequentiam magnam* non poſſe præcipi à Prælato.

18\. Præcluditur 2.

Præcluditur ſecundò. Quia obedientia ſecundùm regulam ſolum reſpicit ea, quæ expreſsè & formaliter continentur in regula, vt ſæpe repetit Caramuel: ſed in regula Sancti Benedicti non continentur expreſsè vota caſtitatis, & paupertatis; in regulis enim, quas affert Caramuel de caſtitate, & paupertate, ſolùm agit S. Benedictus, quomodo monachi exercitare ſint eas duas virtutes; nihil autem agit de votis earum: ergo obedientia ſecundùm regulam non reſpicit ea vota.

19\. Neque prodeſt, quod ait ille Author *n.*619. Benedictinos profiteri paupertatem ſecundùm regulam, & caſtitatem ſecundùm regulam. Nam aliud eſt, quod paupertas ſit ſecundùm regulam; & aliud, quod paupertas includatur in obedientia ſecundùm regulam; non enim includitur (iuxta Caramuelem) in obedientia ſecundùm regulam, neque votum paupertatis includitur expreſsè in regula. Et quidem profeſſio Benedictina promittit primò ſtabilitatem. Secundò conuerſionem morum, tertiò obedientiam ſecundùm regulam. In conuerſione autem morum includi paupertatem, & caſtitatem aſſerit is Author *num.* 619.

20\. Præcluditur 3.

Præcluditur tertiò. Quia etiamſi votum includeretur in regula, computandum eſſet ſicut cætera, quæ obligant iure diuino, & clauduntur in regula: *quæ ex vi præcepti regulæ, nullam nouam obligationem inducunt*: vt docebat Author citatus *num.*712. Cùm enim votum obliget iure diuino, cenſendum eſt eadem lege, qua cenſentur reliqua iuris diuini expreſſa in regula.

21\. Præcluditur 4.

Præcluditur quartò. Nam vt *num.*609. aſſerit Author: [Benedictini non profitemur aliquam regulam abſolutè, ſed conditionatè, hoc eſt profitemur ſeruare regulam Diui Benedicti, cùm Abbas iuſſerit; ſiue, quod idem eſt, profitemur obedire Prælato indicenti illa, quæ ſunt in regula.] Hoc non poteſt dici de votis paupertatis, & caſtitatis: ergo ea dicenda ſunt non eſſe partes regulæ. Minor patet, quia Religioſi profitentur ſeruare paupertatem, & caſtitatem, non conditionatè, ſed abſolutè.

22\. Præcluditur 5.

Præcluditur quintò. Si enim votum obedientiæ ſolùm clauderet materiam caſtitatis, & paupertatis, fruſtraneum eſſet votum obedientiæ: iam enim caſtitatis & paupertatis obſeruatio ſufficienter firmata eſſet voto; ad quid ergo nouum votum ſine noua materia? Et quidem potiùs dicendum eſſet in profeſſione, *promitto obedientiam ſecundùm duo vota*, quàm *ſecundùm regulam.*

23\. Aliud effugium.

Dixi, illud vnicum effugium tentari poſſe pro Caramuele; quia ſi diceret, licèt Prælatus non poſſit præcipere ea, quæ ſunt expreſsè in regula; poſſe tamen præcipere media ad regulam obſeruandam: illud quidem eſſet leuiſſimum, & Caramuele indignum.

Etenim

Digitized by Google

Conuincitur. Etenim cùm omnia cōtenta in regula eſſent merè conſilia voluntaria; iuxta *conſequentiam magnam*, & ideò præcipi non poſſent à Prælato; repugnaret, quod non poſſent præcipi conſilia, quia merè voluntaria; & quod poſſent præcipi media, quæ determinarent ad ea merè voluntaria exequenda. Tum quia medium ſequitur naturam finis. Tum etiam, quia deſinerent eſſe conſilia merè voluntaria, ſi obligarentur Religioſi ad ponenda media, quæ determinarent; & vrgerent ad conſilia illa exequenda. Ita Epiſcopus, qui non poteſt præcipere ſubdito ſæculari vt amplectatur ſtatum omnimodæ caſtitatis, quia hæc eſt merum conſilium; eadem ratione non poteſt illum obligare ad faciendum aliquid, quod ſit medium determinans ad amplectendum eum ſtatum; quia iam indirectè obligaret eum ad talem ſtatum: quod eſt contra eſſentiam conſilij merè voluntarij.

CAPVT III.

Argumentum ſecundum ex eo, quod regula, vt ſubeſt voto obedientiæ, eſſentialiter eſt præceptibilis.

24. CONcluſio *conſequentiæ magnæ* eſt, nihil contentum in regula eſſe præceptibile; ideóque Prælatum Regularem non poſſe grauiter præcipere ſubditis aliquid eorum, quæ expreſsè continentur in regula. Itaque ſi probamus, de eſſentia regulæ vt ſubeſt voto obendientiæ eſſe, quod ſit præceptibilis, falſa & implicatoria erit eiuſmodi concluſio. Illud autem ſic probo, præmittendo cum Caramuele, votum obedientiæ ſecundùm regulam non eſſe votum exequendi ea, quæ continentur in regula, ſed votum obediendi Prælato, ſi præceperit ea, quæ ſunt in regula. Tum ſic. Regula, vt ſubeſt illi voto, ex conceptu ſuo dicit eſſe obedibilem (id eſt materiam obedientiæ, ſi præcepta fuerit à Prælato:) ergo ex conceptu ſuo dicit eſſe præceptibilem. Conſequentia patet, quia quæ eſt materia voti obedientiæ, ſi præcepta fuerit, præceptibilis eſt; quomodo enim eſſet materia voti obedientiæ, ſi præcipi non poſſet?

25. Antecedens verò probatur. Implicat contradictionem, quod ſit votum obedientiæ ſecundùm regulam, & quod regula non ſit obedibilis, ſcilicet ſi præcepta fuerit Prælato. Etenim ſi tu velis componere vtrumque, videlicet, quòd ſit votum obedientię ſecundùm regulam, & quod regula non ſit obedibilis, duo contradictoria componeſ. Conſidera has duas propoſitiones: *Emitto votum obedientiæ ſecundùm regulam: Non obligor obedire regulæ, ſi præcepta fuerit à Prælato.* Per obiectum primæ propoſitionis obligatus manes obedire in materia regulæ, ſi fuerit præcepta à Prælato; per obiectum ſecundæ propoſitionis liber manes ab obligatione obediendi in materia regulæ, ſi præcepta fuerit: ergo implicat contradictionem, quod ſit votum obedientiæ ſecundùm regulam, & quod regula non ſit obedibilis, atque adeò neque præceptibilis.

26. Confirmatur primò. Votum obedientiæ ſecundùm regulam eſt quædam relatio habens terminum correlatiuum Prælatum præcipientem ſecundùm regulam: ſed implicat contradictionem, quod relatio intelligatur ſine correlatiuo: ergo implicat contradictionem, quod intelligatur votum obedientiæ ſecundùm regulam, & quod non intelligatur Prælatus vt potens præcipere ſecundùm regulam. Sed implicat contradictionem, quod intelligatur Prælatus potens præcipere ſecundum regulam, & quod regula non ſit præceptibilis: ergo implicat intelligi votum obedientiæ ſecundùm regulam, & quod regula non ſit præceptibilis.

Confirmatur ſecundò. Nemo poteſt ſe obligare ad obediendum Prælato in materia incapaci obedientiæ: ſed vouens obedientiam ſecundùm regulam obligat ſe validè ad obediendum Prælato in materia regulæ: ergo materia regulæ eſt materia capax obediētiæ, atque adeò præceptibilis à Prælato. Minor euidens eſt ex terminorum comprehenſione, quia idem omninò eſt promittere obedientiam ſecūdùm regulam, & obligare ſe ad obediendùm in materia regulæ. Maior item eſt euidens ex terminis. Tum quia vt quis ſe obliget ad obediendum in aliqua materia, talis debet eſſe materia, vt ad eius obedientiam poſſit obligari; cùm ſint termini correlatiui, & propoſitiones ſynominæ. Tum etiam, quia ideò non poteſt quis ſe obligare ad obediendum in materia praua, quia materia praua eſt incapax obedientiæ. 27.

Dices, verum eſſe materiam regulæ eſſe præceptibilem; id tamen intelligendum eſſe, dum regula non ſit merum conſilium purè voluntarium; ſi enim eſt merum conſilium purè voluntarium, & omninò relictum in arbitrio operantis, quomodo poteſt eſſe ſimul præceptibile. 28.

Sed contra eſt: nam implicas terminos, dum dicis, ex vna parte eſſe materiam, ſecundùm quam emittitur votum obedientiæ, & in qua exercenda eſt obedientia promiſſa Deo; & ex altera parte eſſe conſilium, ſi hoc eſt impræceptibile. Quod ex dictis euidenter oſtenditur. Nam materia, ſecundùm quam emittitur votum obedientiæ, non poteſt eſſe materia, in qua exerceatur obedientia promiſſa Deo, niſi ſit præceptibilis à Prælato; ij enim ſunt termini ſynomini: neque intelligi poteſt, quod exerceatur obedientia promiſſa Deo in aliqua materia, niſi talis materia præcipiatur vt exerceatur talis obedientia. Si ergo ex altera parte adiicis, quod ſit conſilium impræceptibile, iam das illi materiæ duo prædicta implicatoria, videlicet, quod ſit præceptibilis, & quod ſit impræceptibilis, ſiue non præceptibilis. 29.

CAPVT IV.

Argumentum tertium ex eo deſumptum, quod non repugnat conſilio eſſe præceptibile.

TEmpus eſt, vt vitia eius ſyllogiſmi aperiamus, vt conſtet, eam non eſſe *conſequentiam magnam*, ſed potiùs de magnitudine ſua deturbandam, eo quod leui, imò & falſo nitatur fundamento. Nam quantumvis magna domus ſit, ſi columnam detrahas, ſolo æquabitur. Prima columna, qua nititur *conſequentia* 30.

magna; eſt ea propoſitio, quæ aſſerit, non eſſe præceptibilia ea, quæ ſunt conſilia in regula. Eam propoſitionem falſam eſſe; ſic probo.

31. Non repugnat conſilio, quod ſit præceptibile: ergo falſa eſt propoſitio, quæ aſſerit, conſilia eſſe impræceptibilia. Probatur antecedens. Non repugnat conſilio, quod obliget ex lege priuata, præſuppoſita ea lege priuata, quæ cadat ſupra tale conſilium: ergo non repugnat, quod ſit præceptibile. Antecedens probatur. Seruare omnimodam caſtitatem, eſt merum conſilium; & tamen qui vouet omnimodam caſtitatem, obligatur ex voto, quod eſt lex priuata: ergo non repugnat conſilio, quod obliget ex lege priuata. In quo caſu caſtitas omnimoda eſt conſilium, antequam adueniat votum; adueniente autem voto, de conſilio tranſit in legem ſtrictiſſimè obligantem. Ab hac autem lege priuata euidens paritas deſumitur ad præceptum; ſicut enim licet omnimoda caſtitas ſit conſilium; ſi tamen accedat votum, incipit obligare vt lex priuata; ita ſi accedat præceptum; poterit ſimiliter obligare. Da, ingredi Petrum in Congregationem aliquam piam, in qua fiat illi exhortatio, vt ſeruet conſilium omnimodæ caſtitatis; ea tamen lege, vt ſi præcipiatur à Præpoſito Congregationis, teneatur facere votum caſtitatis, vel teneatur ſine voto illam obſeruare. Ecce quomodo conſilium tranſire poteſt in obligationem præcepti.

Caſtitas, licet ſit conſilium, ſubdatur legi priuatæ.

Caſtitas poteſt cadere ſub præceptū.

32. Et quidem ex his concluditur, non repugnare, quod ſanctiones regulæ ſint conſilia ea lege, vt ſi præcipiantur à Prælato, tranſeant in præcepta. Quod autem ita de facto contingere debeat in regula Benedictina, ſic oſtendo. Nam ex vna parte ſanctiones eius regulæ videntur eſſe conſilia ex mente Perezij; ex alia verò parte conſtat, eas eſſe præceptibiles: ergo conſilia ſunt, dum non præcipiuntur; quando verò præcipiuntur, tranſeunt in præcepta. Et ſemper loquor de præceptis grauiter obligantibus.

Conſilia regulæ de facto cadunt ſub præceptum.

33. Obiicies. Stando in ſententia vera, quæ docet, regulam eſſe præceptibilem, & Prælatum poſſe grauiter obligare ad illius obſeruationem, non poteſt negari, quod in tali regula ſunt aliqua conſilia omninò voluntaria, ad quæ non poteſt Prælatus obligare: v.g. conſtitutio vndecima ſummarij B. P. noſtri Diui Ignatij, quæ indicit nobis, [Velle contumelias, falſa teſtimonia, & iniurias pati, ac ſtulti haberi, & exiſtimari (nulla tamen ad id per eos data occaſione) eo quod exoptant aſſimilari, ac imitari aliquo modo Creatorem ac Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.] Et ſimiles aliæ ſummæ perfectionis. Tum ſic: Dantur regulæ, quæ ſunt conſilia, & ad quas propterea non poteſt Prælatus grauiter obligare: ergo ſi omnes ſanctiones regulæ ſint conſilia, non poterit Prælatus ad aliquod eorum obligare, omneſque illæ erunt impræceptibiles. Et confirmatur. Quod emittatur votum obedientiæ ſecundùm regulam, non obſtat, quominùs partes regulæ, quæ ſunt conſilia, ſint impræceptibiles: ergo quod emittatur votum obedientiæ ſecundùm regulam, non obſtat, quominus tota regula data per modum conſilij, ſit impræceptibilis.

34. Reſpondetur, conſtare ex dictis, quantam implicat contradictionem, quod tota regula ſit impræceptibilis; quia aliàs non poteſt intelligi, quod votum obedientiæ ſit ſecundùm regulam, ſi nec tota regula, nec pars regulæ poteſt præcipi à Prælato. Et quidem aliquando in regula eſt aliqua pars adeò excelſæ & ſummæ perfectionis, vt ex eo colligatur, non fuiſſe mentem legiſlatoris eam ſtatuere, vt poſſet ſubditus grauiter ad illam obligari; & in eo caſu ita eſt conſilium, vt neque poteſtate Prælati poſſit tranſire in præceptum. Hæc autem pars regulæ, propriè loquendo, non eſt regula, quæ ſubiicitur voto obedientiæ; neque poteſt dici, quod votum obedientiæ emittitur ſecundùm illam regulam, quæ data eſt ad merum conſilium, & non ad præceptum. Vnde nomen *Regulæ*, ſumitur dupliciter; propriè, & impropriè. Propriè ſumitur pro ea, quæ eſt correlatiua voti obedientiæ: impropriè pro ea, quæ data eſt in conſilium, & non in præceptum, neque vt materia voti obedientiæ.

Aliqua conſilia ſummæ perfectionis nequeunt cadere ſub præceptum.

Quod traditur vt conſilium impræceptibile, non eſt propriè regula.

Hinc reſpondetur argumento, primò diſtinguendo antecedens: dantur regulæ [propriè ſumptæ,] quæ ſunt conſilia, nego; [impropriè ſumptæ,] concedo. Secundò diſtinguendo aliter antecedens: dantur regulæ, quæ ſunt conſilia, ad quas propterea non poteſt Prælatus obligare [ſuppoſito, quod ſint aliæ partes regulæ præceptibiles,] concedo; [ſi non ſint aliæ partes præceptibiles,] nego. Quæ ſolutio patet ex dictis. 35.

Ad confirmationem conceſſo antecedenti, negatur conſequentia; quia ſi tota regula ſit impræceptibilis, votum obedientiæ ſecundùm regulam non habet materiam, in qua poſſit votum exerceri. Vnde ſi tota regula data eſſet per modum conſilij, eſſet quidem conſilium, dum non præcipitur, & imperante Prælato tranſiret in præceptum; excepta tamen materia ſummæ perfectionis, quæ ob id eſſet incapax tranſeundi in præceptum. 36.

CAPVT V.

Tria alia argumenta contra conſequentiam magnam, *petita ex iuriſdictione Prælati Regularis.*

Tribus modis poteſt inſtrui argumentum ex hoc capite iuriſdictionis contra concluſionem repertam in *conſequētia magna*, quæ concludit, Prælatum Regularem nihil poſſe grauiter præcipere eorum, quæ expreſsè continentur in regula. Igitur ex hoc capite impugnatur primò cõcluſio. Si Prælatus Regularis nihil poſſet grauiter præcipere eorum, quæ expreſsè ſunt in regula, iuriſdictio Prælati Regularis præceptiua nulla eſſet: atqui de fide Catholica eſt, Prælatum Regularem habere iuriſdictionem præceptiuam, vi cuius poſſint ſubditi grauiter obligari, *ſuppoſito vniuerſali conſenſu Eccleſiæ, & vero ſtatu Religioſo, eiuſque inſtitutione, & approbatione*; vt aſſerit P. Suar. *cit. diſp.* 28. *c.* 2. ergo concluſio illa, vnde infertur, falſa eſt & abſurda. Minor rectè explicata negari non poteſt: quam ego ſic intelligo, vt poteſtas Prælati Regularis ad præcipiendum ſub reatu culpæ ſit obiectum cõcluſionis Theologicæ; ita vt oppoſita 37.

Quod Prælatus poſſit obſtringere Regulares, eſt cõcluſio Theologica.

Digitized by Google

ſita propoſitio ſit erronea. Quod ex hoc ſyllogiſmo patet, [Omnis iuriſdictio Eccleſiaſtica directiua talis eſt, vt vi eius poſſint ſubditi obligari ſub reatu culpæ: iuriſdictio Prælati Regularis eſt iuriſdictio Eccleſiaſtica directiua: ergo iuriſdictio Prælati Regularis talis eſt, vt vi eius poſſint ſubditi obligari ſub reatu culpæ.] In quo maior eſt propoſitio de fide, vtpote euidenter contenta in poteſtate, quam Chriſtus dedit Petro & ſucceſſoribus. Minor autem eſt euidens; quare conſequens euadit concluſio Theologica.

38\. *Euertit iuriſdictionem Prælati Regularis.*
Probatur ergo maior. Nam ſecundùm Caramuelem iuriſdictio Prælati non extenditur vltra ea, quæ ſunt expreſsè in regula, vel ſunt media vnicè requiſita ad illam; de quo vide *diſp.* 28. ergo his ablatis, vt aufert *conſequentia magna*, nulla remanet iuriſdictio Eccleſiaſtica in Prælato Regulari: ergo ſi vera eſt concluſio *conſequentiæ magnæ*, iuriſdictio præceptiua Prælati Regularis nulla eſt.

Quod ſi iterum velis confugere ad poteſta-
39\. tem præcipiendi obſeruationem votorum caſtitatis & paupertatis, iiſdem impugnationibus præcludetur effugium, quibus capite ſecundo præcluſum eſt: & noua denuò impugnatione præcluditur. Stupebunt enim omnes docti, pariter & indocti, cùm audiăt, totam poteſtatem ordinariam & quaſi Epiſcopalem in Prælatis Regularibus reſidentem, vi *conſequentiæ magnæ* tandem decreuiſſe ad ſolam materiam paupertatis & caſtitatis. Item denuò præcluditur impugnatione ſecunda & tertia, quas infrà ſubiicio in hoc capite, quæ ſpecialiter militant contra id effugium.

40\. Impugnatur ſecundò ea concluſio. Iuriſdictio quaſi Epiſcopalis Prælati Regularis ampla eſt, & extenditur ad multò plura, quam ea, quæ ſunt expreſſa in regula, vt patet *ex tota diſp.* 28. vbi id latè probatum eſt: ergo à fortiori extenditur ad ea, quæ ſunt in regula. Probatur conſequentia. Nam materia obedientiæ Religioſæ præcipua eſt illa, quæ reperitur in regula; cùm illa ſit norma propoſita à Romano Pontifice, & approbata, vt ſecundùm eam Regulares vitæ ſuæ inſtitutum dirigant.

Confirmatur. Quanta enim (bone Deus!)
41\. *Quantam afferat confuſionem clauſtris Regularium?* confuſio eſſet in clauſtris Religioſorum, ſi Prælatus non poſſet præcipere ſubditis obſeruationem regulæ. Si nullus Monachus vellet obligationem regulæ implere, & ſcirent omnes, Prælatum non poſſe eos obligare, quia omnes regulæ conſtitutiones ſunt mera conſilia omninò voluntaria; quid faceret Prælatus, vt ad obedientiam regulæ cogeret? Nullus vult ire ad chorum, cocus non vult condire cibos, diſpenſator non vult quæ ad refectorium neceſſaria ſunt diſtribuere, ianitor non vult aperire ianuas, Æditiuus non vult accipere claues templi, Confeſſarius non vult confeſſiones audire, Procurator non vult ſoluere debitum creditori, neque emere neceſſaria ad victum, lector legere non vult, delinquens non vult acceptare ſupplicium. Prælatus authoritate ſua nitens præcipit ſingulis in virtute ſanctæ obedientiæ, vt vnuſquiſque muneri ſuo ſatisfaciat: Reſpondent vniuerſi, ſe non debere parêre præceptis eius, etiamſi eorum materia contineatur in regula: [Iam enim, inquiunt, *conſequentia magna* exemit nos ab obedientia regulæ; eo quod ad conſilia regulæ non tenemur, etiamſi præcipiantur virtute obedientiæ; omnia autem contenta in regula eſſe mera conſilia expoſuit nobis Caramuel, ex doctiſſimo Magiſtro noſtro Antonio Perez.] Certè qui hæc conſiderauerit, non illam appellabit *conſequentiam magnam*, quin potiùs appellabit *conſequentiam magnam* ſcandalorum, & cauſam magnam vertendi religioſam diſciplinam in Babylonicam confuſionem.

Nec ſatisfacies, ſi dicas, poſſe tunc Prælatum imponere pœnitentias ſubditis, vt ita reſipiſcant. Etenim regula Benedictina ſancit, vt Religioſi accepteṅt pœnitentias à Prælato impoſitas pro ſuis defectibus: hæc autem eſſe conſilia, ſicut & cætera omnia, quæ ſunt in regula, atque adeò eſſe impræceptibilia, docet ſyllogiſmus *conſequentiæ magnæ*: ergo ſubditi non tenentur ad acceptandas pœnitentias: ergo id medium etiam erit Prælato fruſtraneum. 42.

Impugnatur tertiò. Si Prælatus non poſſet præcipere ſub graui obligatione ea, quæ ſunt in regula, neque cætera irregularia (etiamſi demus poſſe præcipere, quæ ſpectant ad vota caſtitatis & paupertatis) Religioſi eſſent magis ſubiecti iuriſdictioni Epiſcoporum, quàm iuriſdictioni Prælatorum Regularium. Patet: nam Regulares ſubduntur Epiſcopis in aliquibus materiis, quæ ſunt pluſquam ſex: Prælato autem proprio in nulla materia ſubduntur, iuxta *conſequentiam magnam*, & ad ſummum in duabus materiis votorum caſtitatis & paupertatis: ergo magis ſubduntur Epiſcopis, quàm Prælatis propriis. 43. *Regulares magis ſubditi eſſent Epiſcopis, quàm Prælatis propriis.*

Hinc fit, Regulares non eſſe exemptos à iuriſdictione Epiſcoporum, & eſſe exemptos à iuriſdictione Prælatorum Regularium. Probatur. Ideò dicimus omnes Regulares eſſe exemptos à iuriſdictione Epiſcoporum, quia licèt ſint ſubiecti Epiſcopis in aliquibus; at Prælatis Regularibus ſubditi ſunt in multò pluribus materiis, reſpectu quarum ea, quæ Epiſcopi poſſunt illis præcipere, ſunt pauciſſima: atqui iuxta *conſequentiam magnam*, quæ poſſunt præcipere Prælati Regulares, vel nulla ſunt, vel ad duas tantùm materias reducuntur, ſcilicet duorum votorum; atque adeò quæ poſſunt præcipere illis Epiſcopi; ſunt plura: ergo dicendum eſt è conuerſo, Regulares eſſe abſolutè ſubditos Epiſcopis, & exemptos eſſe à iuriſdictione Prælatorum Regularium. Neque recurras ad poteſtatem puniendi; hæc enim reperitur in regula, & omnia quæ reperiuntur in regula, iuxta *conſequentiam magnam* ſunt mera conſilia omninò voluntaria; atque adeò impræceptibilia, vt proximè dixi. 44. *Nec Regulares eſſent exempti ab Epiſcoporum iuriſdictione.*

CAPVT VI.

Proponitur ſeptimum argumentum, ex eo quod conſequentia magna *deducitur ex præmiſſis incomprobabilibus.*

VT videas quàm immeritò Caramuel illam appellet *conſequentiam magnam*, in hoc & ſequenti capite oſtendo, in ea conſe- 45.

quentia elicienda iniuriam fieri arti ſyllogiſticæ. Quamvis enim non ſit directè contra regulas artis ſyllogiſticæ elicere conſequentiam ex duabus præmiſſis contingentibus incompoſſibilibus, aut ex duabus præmiſſis incomprobabilibus, quæ ſint ſeorſim probabiles; eſt tamen contra regulas artis ſyllogiſticæ aſſerere, concluſionem debere eſſe contingentem, vbi præceſſerunt præmiſſæ contingentes incompoſſibiles; & concluſionem eſſe debere probabilem, quæ deducitur ex præmiſſis incomprobabilibus, licèt ſeorſim probabiles ſint. Hanc autem conſequentiam non eſſe magnam, imò potiùs nullam, iam oſtendo, eo quod producta fuerit ex præmiſſis incomprobabilibus. Et hoc argumentum magni æſtimandum eſt, eo quod Caramuel magni faciat hanc doctrinam, quam ſæpè repetit, ſæpe celebrat de præmiſſis incomprobabilibus, quamvis ſeorſim ſint probabiles, non coniungendis ad concluſionem probabilem eliciendam.

46. *Quare ad concluſionem probabilem præmiſſæ debeant eſſe comprobabiles?*

Præmitto igitur *ex diſp.7.cap.7.* vt concluſio euadat probabilis, non ſatis eſſe, quod ſingulæ ſeorſim præmiſſæ ſint probabiles, ſed neceſſarium eſſe, vt ſint comprobabiles. Et licet huius rationem non reddat Caramuel, eam tamen facilè exhibeo, & illam quidem euidentem. Sicut enim conſequens impoſſibile poteſt elici ex duabus præmiſſis contingentibus, incompoſſibilibus tamen, vt docui *lib.5.Inſtitut. Dialect.* ita ex duabus propoſitionibus probabilibus, tamen incomprobabilibus, inferri concluſionem improbabilem. Ideò autem ex duabus propoſitionibus contingentibus incompoſſibilibus oritur conſequens impoſſibile, quia ex duabus præmiſſis contingentibus incompoſſibilibus reſultat vnum antecedens impoſſibile; & ideò nihil mirum, quod ex illo inferatur conſequens impoſſibile. Vt cernitur in hoc ſyllogiſmo: *Omne currens eſt equus: nullum animal eſt currens: ergo nullum animal eſt equus.* Ideò autem oritur concluſio impoſſibilis, quia licèt quæuis præmiſſa ſit contingens; at cùm illæ ſint ſibi inuicem repugnantes, eo quod ſint contrariæ de lege, conſtituunt vnum antecedens impoſſibile.

Ex duabus præmiſſis contingentibus incompoſſibilibus reſultat antecedens impoſſibile.

47. *Ex duabus præmiſſis probabilibus incomprobabilibus reſultat antecedens improbabile.*

Similiter ergo, quando duæ præmiſſæ ſeorſim ſunt probabiles, & ſimul ſunt incomprobabiles, reddunt vnum antecedens improbabile; quia cùm illæ repugnent inter ſe in veritate, improbabile eſt, quod illæ ſimul veræ ſint. Si autem ſupponamus, antecedens eſſe improbabile, conſequens etiam poteſt eſſe improbabile; atque adeò ex præmiſſis incomprobabilibus non infertur, quod conſequens ſit probabile. Quis enim ita delirus eſſet, vt in hanc formam argueret? [*Omnis Religioſus tenetur obedire Prælato præcipienti iuxta Regulam antiquam: nullus Benedictinus tenetur obedire Prælato præcipienti iuxta regulam antiquam: ergo nullus Benedictinus eſt Religioſus.* Qui ſyllogiſmus eſt in ſecundo modo ſecundæ figuræ: vbi concluſio eſt erronea, quamvis ſingulæ præmiſſæ ſint probabiles; quia ambæ ſimul præmiſſæ ſunt incomprobabiles, & incõpoſſibiles, vtpote contrariæ de lege, & ex illis reſultat vnum antecedens impoſſibile & improbabile.

48. Vt ergo cognoſcas, quomodo laboret hoc vitio ſyllogiſmus *conſequentiæ magnæ*; propone tibi ante oculos eum ſyllogiſmum, vt propoſitus eſt capite primo, & poſtquam relegeris, ad hos breuiore terminos reducito: *Omne præceptibile à Prælato eſt præceptum regulæ: nihil contentum in regula eſt præceptum regulæ: ergo nihil contentum in regula eſt præceptibile à Prælato.* Qui ſyllogiſmus etiam eſt in ſecundo modo ſecundæ figuræ. Et vt probem, eas duas præmiſſas eſſe incomprobabiles, præmitto, eos duos terminos, *contentum in regula*, & *præceptibile*, eſſe eſſentialiter connexos, adeò vt non poſſit intelligi eſſe contentum propriè & formaliter in regula, quin ſit præceptibile, eo quod regula eſt materia, quæ ſubeſt voto obedientiæ, atque adeò neceſſariò eſt præceptibilis, ſuppoſito eo voto, vt apertè conſtat *ex cap.3.* Ideoque hi duo termini habent ſe tanquam ſuperius & inferius; ſicut animal, & equus in primo ſyllogiſmo; & ſicut Religioſus & Benedictinus in ſecundo. Nam omne contentum propriè & formaliter in regula eſt præceptibile, vt patet *ex cap.4.* ſed non omne præceptibile eſt contentum in regula.

Hinc facilè probatur, eas duas præmiſſas eſſe incomprobabiles, & inter ſe repugnantes. 49. *Maior falſificat minorem, & minor maiorem.*
Primò, quia maior falſificat minorem, & minor maiorem. Quia cùm omne, vel aliquid contentum in regula ſit præceptibile, & dicatur in minore, non eſſe præceptum regulæ, falſificatur maior, quod omne præceptibile ſit præceptum regulæ. Item cùm aliquid præceptibile ſit contentum in regula, & dicatur in maiori, omne præceptibile eſſe præceptum regulæ, falſificatur minor, quod nihil contentum in regula ſit præceptum regulæ.

Probatur ſecundò & declaratur amplius vis 50.
argumenti. Etenim ex maiori infertur contradictoria minoris, & ex minori infertur contradictoria maioris: ergo ſunt ſibi inuicem repugnantes. Conſequentia patet, & antecedens probatur. Etenim contradictoria maioris eſt hæc: *Aliquid præceptibile non eſt præceptum regulæ.* Hæc autem infertur ex minori, vt patet hoc ſyllogiſmo: *Nihil contentum in regula eſt præceptum regulæ: aliquid præceptibile eſt contentum in regula: ergo aliquid præceptibile non eſt præceptum regulæ.*

Vnde iſtæ ſunt ſubalternæ: *Nihil contentum* 51.
in regula eſt præceptum regulæ: aliquid præceptibile non eſt præceptum regulæ: atque adeò hæc ſecunda, vtpote ſubalternata, infertur ex prima, vtpote ſubalternante.

Deinde contradictoria minoris eſt hæc: 52.
Aliquid contentum in regula eſt præceptum regulæ. Hæc autem infertur ex maiori, vt patet hoc ſyllogiſmo: *Omne præceptibile à Prælato eſt præceptum regulæ: aliquid contentum in regula eſt præceptibile à Prælato: ergo aliquid contentum in regula eſt præceptum regulæ.* Vnde iſtæ ſunt ſubalternæ: *Omne præceptibile à Prælato eſt præceptum regulæ: aliquid contentum in regula eſt præceptum regulæ.* Et prima vt ſubalternans infert ſecundam, vtpote ſubalternatam.

Probatur tertiò. Illæ duæ præmiſſæ ſunt ſibi 53.
inuicem contrariæ de lege: ergo repugnantes inter ſe, & incomprobabiles. Antecedens probatur ex regula ſummularum. Vt dignoſcas, an duæ ſint contrariæ de lege, producas oportet contradictoriam formalem vnius; & ſi quidem iſta contradictoria inferatur ex altera, & non è contra; illas duas dices contrarias de lege.

Cùm præmiſſæ ſunt ſibi inuicem contrariæ de lege, ſunt incõprobabiles.

V.g.

Digitized by Google

Quæ ſint contrariæ de lege? V. g. *Omne animal currit, nullus equus currit.* Vt iudices, an ſint contrariæ de lege; producito contradictoriam primæ, ſcilicet; *Aliquod animal non currit*: quæ cùm inferatur ex ſecunda, & non è contra, infertur, ſecundam eſſe contrariam de lege reſpectu primæ. Tum ſic: Ita ſe habent maior & minor ſyllogiſmi habentis *conſequentiam magnam*: ſunt ergo contrariæ de lege. Antecedens patet ex numero præcedenti, in quo vidiſti, contradictoriam maioris inferri ex minori: ex prædicta ergo regula maior & minor ſunt contrariæ de lege.

54. Probatur quartò. Iſte ſyllogiſmus *conſequentiæ magnæ* ſe habet in omnibus, ſicut duo ſyllogiſmi propoſiti initio huius capitis; ſuppoſito, quod illi duo termini *contentum in regula*, & *præceptibile*, ſe habent ſicut ſuperius & inferius, vt conſtat *ex num.* 48. vt attentè conſideranti patebit: cùm ergo primus conſtet ex præmiſſis contingentibus incompoſſibilibus, & ſecundus ex probabilibus incomprobabilibus, dicendum eſt, ex his conſtare etiam hunc ſyllogiſmum *conſequentiæ magnæ*.

CAPVT VII.

Argumentum octauum, ex eo quod ſyllogiſmus conſequentiæ magnæ *ſcateat quatuor terminis.*

55. SI titulus huius capitis verificatur, conſtat, directè peccare *conſequentiam magnam* contra artem ſyllogiſticam, & immeritò celebrari tanquam *conſequentiam magnam*, quæ nomine conſequentiæ indigna eſſe reperitur. Quantum vitium ſit, ſyllogiſmum conſtare quatuor terminis, norunt omnes, qui vel primis labris Dialecticam attigerunt. Totum enim artificium artis ſyllogiſticæ in eo ſtat, quod ſi duo extrema ſint eadem vni tertio, ſint eadem inter ſe: quod ſi illud tertium, cui identificanda ſunt extrema, non ſit vnus terminus, ſed duplex, quorum quilibet cum ſuo extremo identificetur, tota fabrica ſyllogiſtica euaneſcit.

56. *Dupliciter vſurpatur Præceptum.* Vt ergo conſtet, ita ſe habere hunc ſyllogiſmum *conſequentiæ magnæ*, præmitto, hoc nomen *præceptum* bifariam vſurpari. Primò pro eo, quod grauiter obligat in foro interno. Secundò pro eo, quod obligat ſaltem ad pœnam, licèt non obliget in interiori foro. Dari vtramque vſurpationem patet manifeſtè: nam Perezius in periodo relata ſumit præceptum primo modo, Caramuel verò citatus, ſecundo, vt patet *num.* 789. 791. & 792. *in regulam S. Benedicti.* *Præceptum diuerſimodè ſignificat apud Perezium, & apud Caram.*

57. Hinc conſtat, in maiori illius ſyllogiſmi, quæ apud Caramuelem erat, *Illa poteſt Prælatus præcipere, quæ præcepta in regula, non quæ conſulta*; vel in maiori ſyllogiſmi, quam ad breuiores terminos reduximus, videlicet, *Omne præceptibile à Prælato eſt præceptum regulæ*; nomine *præcepti*, intelligere Caramuelem ſanctionem regulæ obligantem ad pœnam; docet enim rationem præcepti eſſe conceptum communem ad præceptum merè pœnale, & ad præceptum morale, ſiue obligans in foro interno. In minori verò, quæ erat apud Caramuelem hæc: *At Perezio aſſerente* (*præter ſolemnia vota, & ſimilia, quæ aliàs grauiter obligarent*) *nihil in regula Benedictina præcipitur*; vel in minori ſyllogiſmi breuioris ſuprà poſiti, ſcilicet, *Nihil contentum in regula eſt præceptum regulæ*; nomine præcepti intelligit Perezius legem grauiter obligantem in foro interiori.

58. Quod eam vocem *præceptum*, accipiat Perezius pro præcepto obligante ſub reatu culpæ grauis, euidenter patet ex periodo relata ſuprà *num.* 2. vbi inter alia relatus Perezius ita ait: [Generalis regula eſt (quam ex Clemente V. *in Clementina Exiui de paradiſo, de verborum ſignificat.* deſumpſere Theologi pariter & Iuriſperiti) illa tantùm *præcepta* eſſe, & *mandata*, quæ per verbum præcepti, aut inhibitionis, vel æquipollentis præcepto, aut inhibitioni *obligant ſub reatu culpæ.*] Et mox cùm diceret, nihil graue, & aſperum in regula Benedictina contineri, addit *ibid.* [Grauia enim & aſpera monaſticæ inſtitutionis non alia habentur, nec ſunt, quàm *præcepta formalia*, & cenſuræ, quibus innodamur *ob illa.*] Vide quàm clarè Antonius Perez nomine præceptorum intelligat *præcepta formalia*, & ea, quæ *obligant ſub reatu culpæ*, & *illa, ob quæ* innodamur cenſuris.

59. Iam verò patet, licèt vox præcepti ſit eadem in maiori & minori, ſignificationem eſſe diuerſam in vtraque. Quia ſenſus maioris non admittit ſignificationem minoris; alioqui eſſet falſa etiam apud ſuum Authorem, apud quem falſum eſt, quod non ſit præceptibile à Prælato, niſi illud, quod fuerit ſub graui obligatione præceptum in regula; aſſerit enim, nihil eſſe ſub graui obligatione præceptum in regulâ, & adhuc poſſe grauiter præcipi à Prælato. Item ſenſus minoris non admittit ſignificationem maioris in ea voce *præceptum*. Eatenus enim dicitur in minori, ea, quæ continentur in regula, non eſſe præcepta; non quia non obligent ad pœnam (oppoſitum enim ſupponit Perezius cuius eſt minor;) ſed quia non obligant ad culpam: ecce ergo in vtraque præmiſſa diuerſa ſignificatio præcepti.

60. Hinc probatur, ſyllogiſmum conſequentiæ magnæ ſcatere quatuor terminis. Etenim terminus *præceptum* (qui vni extremitati coniungitur, & ab altera disiungitur) non eſt vnus terminus, ſed duplex: ergo cùm extremitates ſint duæ, & duo termini, qui conſtituunt medium, reſultant quatuor termini. Antecedens patet ex dictis: nam *præceptum* in maiori diuerſam ſignificationem habet, ac in minori: ergo quamvis voce tenus terminus ſit vnus, terminus obiectiuus eſt duplex.

61. Confirmatur. Nam iſte ſyllogiſmus habet quatuor terminos, licèt voce tenus habeat tantummodò tres. [Omnis leo rugit: aliqua ſtella cœleſtis eſt leo: ergo aliqua ſtella cœleſtis rugit.] Ideò autem malè concludit iſte ſyllogiſmus, quia terminus *leo*, qui eſt medium, eſt terminus æquiuocus, ſignificans duo diuerſa, animal & ſidus: & in maiori ſumitur pro animali, & in minori pro ſidere. Et ex duobus illis ſignificatis, & duabus extremitatibus reſultant quatuor termini.

62. Quod ſi reſpondeas, nomen *præceptum*, non ſumi diuerſimodè in maiori & minori; ſed

vtramque

Digitized by Google

vtramque præmiſſam loqui de ratione communi præcepti, vt abſtrahit à præcepto pœnali & morali, impugnaberis iis, quæ dicam capite ſequenti in ſolutione tertia.

CAPVT VIII.

Quadruplex ſolutio argumenti conſequentiæ magnæ.

63. RESpondendo ergo ad argumentum Caramuelis pro *conſequentia magna*, aſſero, id habere quadruplicem ſolutionem, quarum quælibet adæquat totam vim argumenti, quantaquanta illa eſt. Reſpondetur ergo primò conceſſa maiori, & minori, negando conſequentiam: id enim commune eſt omnibus ſyllogiſmis habentibus quatuor terminos; cùm enim tales ſyllogiſmi ſaltent extra chorum, neque formam ſyllogiſticam ſeruent, conſequentia eorum nulla eſt, adeóque liberè neganda. Hunc autem Caramuelis ſyllogiſmum ſcatere quatuor terminis, manifeſtè patet *ex cap. præcedenti*.

64. Reſpondetur ſecundò, negando maiorem, quæ certò falſa eſt ex duobus capitibus. Primò, quia non repugnat regulæ quod ſit conſilium, dum non præcipitur à Prælato, & quod ea lege imponatur & acceptetur, vt tranſeat in præceptum, ſi à Prælato ſub graui obligatione præcipiatur, vt conſtat *ex cap.* 4. Falſa eſt ſecundò eadem maior, quia regula, vt talis eſt, ſiue vt ſubeſt voto obedientiæ, eſſentialiter eſt præceptibilis, vt conſtat *ex cap.* 5. atque adeò implicat, quod ſit regula (quæ, vt talis, eſt materia ſubiecta voto obedientiæ) & quòd non ſit præceptibilis; ſiue contenta in regula ſint præcepta, ſiue conſulta. Cum hoc tamen ſtat quod inter Regulares ſanctiones detur aliquod conſilium, quod vel ex ratione ſuæ ſummæ perfectionis, vel ex ratione praxis & conſuetudinis, vel alterius ſimilis circumſtantiæ, colligatur non eſſe præceptibile. Quod conſilium non dicetur formaliter regula, cùm votum obedientiæ quod emittitur ſecundùm regulam, non extendatur ad illud.

65. Reſpondetur tertiò diſtinguendo maiorem: illa poteſt Præfatus præcipere, quæ ſunt præcepta in regula; [Si nomine præcepti intelligatur id, quod in conſcientia obligat,] nego; [Si intelligatur id, quod obligat pœnaliter,] omitto. Et ſimiliter diſtinguo minorem. Nihil in regula Benedictina præcipitur, [præcepto in conſcientia obligante,] concedo; nihil præcipitur [præcepto pœnali,] nego. Hac autem diſtinctione vniuocantur maior, & minor: loquebatur enim Caramuel in maiori de præcepto pœnali, & Perezius in minori de præcepto morali, ſeu obligante in conſcientia. Vnde ſi vtraque propoſitio loquatur de præcepto morali, certò falſa eſt maior; quod ſi vtraque loquatur de præcepto pœnali, certò falſa eſt minor.

66. Dices. Poteſt abſtrahi ratio communis præcepti à præcepto morali, & à præcepto pœnali: ergo poteſt dici, neutram præmiſſam loqui de præcepto morali, neutram de præcepto pœnali; ſed vtramque de præcepto, vt abſtrahit ab vtraque differentia.

67. Ad inſtantiam, reſpondeo primò, omiſſo antecedenti, negando conſequentiam. Et ratio eſt, quia minor illa ſyllogiſmi, quæ eſt propoſitio Antonij Perez, expreſsè loquitur de præcepto morali, & obligante in conſcientia, vt patet ex tota periodo relata *num.* 1. quod euidenter comperies, ſi periodum relegeris. Et ita quamvis poſſit abſtrahi ratio communis præcepti à præcepto pœnali, & morali, certum eſt quod minor non loquitur de ea.

68. Reſpondeo ſecundò. Poteſt abſtrahi ratio communis præcepti à præcepto morali & pœnali, [ſecundùm ſententiam Perezij,] nego; [ſecundùm ſententiam Caramuelis,] concedo. Ex duabus præmiſſis, quæ pariunt conſequentiam magnam, maior eſt Caramuelis, & minor eſt Perezij: vt vterque loqueretur de præcepto vt abſtrahit à morali, & pœnali, opus eſſet vt Caram. & Perezius admitterent eam rationem communem præcepti; nam ſi non illam admittunt ambo, non poſſunt ambo de illa loqui, atque adeò neque ambæ propoſitiones poſſunt verſari in illa ratione communi præcepti. Quod autem Perezius non admittat eam rationem communem præcepti, euidens eſt; nam apud Perezium illud ſolùm dicitur præceptum, quod obligat in conſcientia, vt patet ex ea periodo relata *n.* 2. præceptum autem purè pœnale non dicitur ab ipſo præceptum. Vnde ſecundùm illum non poteſt abſtrahi ratio communis præcepti ab eo, quod eſt verè præceptum, & ab eo, quod non eſt verè & propriè præceptum; ſicut non poteſt abſtrahi ratio communis hominis ab homine vero, & ab homine picto.

69. Quarta ſolutio eſt (communis omnibus ſyllogiſmis, qui conſtant præmiſſis incompoſſibilibus) admittendo maiorem ſub ea conditione, quòd minor ſit falſa: & admittendo minorem ſub conditione, quod nolis eam componere cum maiori. Ad cuius aſſerti normam facilè eſt vtriuſque diſtinctionem efformare.

70. Quæ ſolutio claritatis gratiâ exhiberi poteſt argumento modali de modo *Probabile*, quod in fauorem *conſequentiæ magnæ* efformari poteſt. Quod ſi in hunc modum non fuerit expreſsè oppoſitum à Caramuele, virtualiter tamen includitur in eius ſyllogiſmo; præcipuè cùm ſcopus, ad quem dirigitur is ſyllogiſmus, ſit probare, eam concluſionem eſſe probabilem. Addito ergo modo, ſic inſtauratur ſyllogiſmus: [Probabile eſt, quod illa poteſt Prælatus præcipere, quæ præcepta in regula, non quæ conſulta: probabile eſt, quod (Perezio aſſerente) præter ſolemnia vota, & conſilia, quæ aliàs grauiter obligarent, nihil in regula Benedictina præcipitur: ergo probabile eſt, quod nihil poterit Abbas virtute deuotæ obedientiæ præcipere, quod aliàs non obliget ex præcepto Decalogi.]

71. Reſpondetur ergo diſtinguendo maiorem. Probabile eſt, quod illa poteſt Prælatus præcipere, quæ præcepta in regula, non quæ conſulta: [ſi ſit ſimul probabile, quod continetur in minori,] nego; [ſi non ſit ſimul probabile, quod continetur in minori,] concedo. Similiter minorem diſtinguo: Probabile eſt, quod nihil in regula Benedictina præcipitur, [ſi ſimul probabile adſtruatur, quod continetur in maiori,] nego; [ſi non adſtruatur ſimul probabile,] concedo. Quæ diſtinctio

eâ

Digitized by Google

eò reſpicit vt aſſerat, vtramque propoſitionem non eſſe comprobabilem; quare explicanda eſt ad normam capitis 6.

CAPVT IX.

Ab ingentibus abſurdis verificatur, illam eſſe conſequentiam magnam.

72. *Quot, quantaque inferat abſurda?*

QVi hucuſque dicta attentè legerit, clarè comperiet fuiſſe funditus *conſequentiam magnam*. Sed quare adhuc *magnam* vocamus? Non alia ratione, niſi quia magna & ingentis deformitatis monſtra parturiet, quoties ad probabilitatis valuas (ad aliquod initium probabilitatis) admiſſa fuerit. Indeque non modicùm confirmationis accipiet doctrina tradita, vtpote quæ ad conterenda monſtra, quæ *conſequentiam magnam* ſubſequuntur, neceſſaria fuerit.

73. *Infert, votum obediendi in aliqua materia non obligare.*

Primum monſtrum ex *conſequentia magna* ortum. Votum obediendi in aliqua materia non obligat ad obediendum in tali materia. Patet ex capite ſecundo, & tertio, cùm votum obedientiæ Religioſæ ſit votum obediendi ſecundum regulam, ſiue in materia regulæ; & concluſio conſequentiæ magnæ ſit, quod ex voto obedientiæ religioſæ nullus obligatur ad obediendum in materia regulæ.

74. *Infert, nullũ votum obſtringere conſcientiam.*

Secundum. Nullum votum obligat in conſcientia. Quæ propoſitio eſt hæretica. Inferri autem ex *conſequentia magna*, patet *ex cap.* 2. Omnimoda enim identitas rationis eſt inter votum obedientiæ, & reliqua vota in ordine ad obligandum in foro interiori: ſed ex *conſequentia magna* infertur, votum obedientiæ non obligare in foro interiori: ergo ab identitate rationis infertur ex eadem conſequentia, nullum votum obligare in foro interno.

75. *Profeſſiones Benedictinorum eſſe nullas.*

Tertium. Omnes profeſſiones Benedictinorum ſunt nullæ. Patet ex dictis, præcipuè *cap.* 2. illa enim profeſſio nulla eſt, cuius vnum votum eſſentiale eſt nullum, implicatorium, nullam afferens obligationem in interno foro: ſic ſe haberet votum obedientiæ Benedictinorum, ſi vera eſſet concluſio *conſequentiæ magnæ*; vt ſatis, ſuperque conſtat ex dictis: ſunt ergo nullæ eiuſmodi profeſſiones.

76. *Ordinem Benedictinorum non eſſe Religionem, &c.*

Quartum. Ordo Benedictinorum non eſt vera Religio, & Pontifex errauit in approbatione illius. Hæc propoſitio eſt vtminimùm erronea. Eſt enim vel catholica fide ſancitum, vel fidei proximum, Pontificem Romanum errare non poſſe in materia morum, qualis eſt hæc; atque adeò eſſe veram Religionem illam, quam Supremus Pontifex approbauerit. Inferri autem id monſtrum ex *conſequentia magna*, probatur. Infertur enim ex illa, dari in Benedictinis votum obedientiæ chimæricum & nullum, profeſſioneſque omnes eorum nullas eſſe & chimæricas; atque adeò Pontificem ſummum pro vera Religione approbaſſe eam, cui deficit vera Religionis eſſentia, nempe votum obedientiæ religioſæ verum.

77. *Prælatos Benedictinos non habere iuriſdictionem Eccleſiaſticam.*

Quintum. Prælati Benedictini nullam habent iuriſdictionem ad præcipiendum. Hæc propoſitio monſtroſa eſt, & abſurdiſſima, & vt ſuprà *n.* 37. dixi, erronea: cùm ex Bullis Pontificum, & Eccleſiæ vniuerſalis conſenſu conſtet oppoſitum. Inferri verò probatur. Iuriſdictio enim Prælatorum Regularium ſupponit votum obedientiæ verum: atqui ex *conſequentia magna* infertur, votum obedientiæ Benedictinorum non eſſe verum votum, ſed chimæricum, & nullum, vt patet *ex cap.* 2. *&* 3. ergo talis iuriſdictio non datur.

78. *Non eſſe exemptos à poteſtate Epiſcopi.*

Sextum. Ordo Benedictinorum non eſt exemptus à poteſtate Epiſcopi. Inferri patet, tum ex dictis *c.* 5. tum quia ſupponit exemptio profeſſiones Religioſorum validas. Tum etiam, quia exemptio ſupponit verum obedientiæ votum, quo Prælatis Religionis ſubiiciantur. Quæ omnia cùm ex dictis deficiant vi *conſequentia magna*, deficere quoque exemptionem, neceſſe eſt.

79. Quid proſequar cætera monſtra, quæ in gremio *conſequentiæ magna* continentur? Infertur enim ſimiliter, omnes Benedictinos poſſe tranſire ad ſæculum impunè, vtpote non verè profeſſos: infertur, nullos eſſe poſſe apoſtatas, nulliſque apoſtaſiæ pœnis eſſe ſubiectos transfugas: infertur, teneri omnes Benedictinos ad deſerenda ſancti Benedicti Monaſteria, vtpote domos Regularium irregularium; imò hypocritarum, qui ſimulant religionem, vbi non eſt religio; & votum obedientiæ, vbi nulla obediendi eſt obligatio. Infertur etiam, teneri Benedictinos deſerere Monaſteria propter ſcandalum, quod generant. Cùm enim peccauerint grauiter in emittendo voto obedientiæ fictitio, ſuo exemplo inducunt poſteros ad peccatum voti obedientiæ fictitij.

80. *Ferè omnes Religiones eiſdem defectibus laborare.*

Infertur tandem ex *conſequentia* hoc ſolo capite *magna*, monſtrum adeò ingens, vt toto terrarum orbe ſe diffundat; videlicet omnes Religiones, quotquot habent regulam non obligantem ad peccatum, iiſdem relatis defectibus laborare. Ex hac enim propoſitione, quod regula non obliget ad peccatum, oritur ea propoſitio, quod nullum ſit præceptum in regula; inde autem infert *conſequentia magna*, nihil contentum in regula poſſe præcipi à Prælato: hinc autem prouenit, quod votum obedientiæ ſecundùm regulam non obliget ad obediendum ſecundùm regulam, & quod tale votum ſit chimæricum & nullum; ſicut & cæteræ conſequentiæ, quas inde deriuari, apertè oſtendimus.

CAPVT X.

Quales iniurias, & quibus irroget conſequentia magna.

DIxi in fine capitis primi, hanc *conſequentiam magnam* irrogare iniuriam veritati Theologicæ, arti ſyllogiſticæ, Antonio Perez, Religioni Benedictinæ, cæteriſque Regularium familiis. Et licèt ex dictis facilè colligi id poſſit, pro complemento huius materiæ ea breuiter adnotabo. 81.

82. *Irrogat iniuriam Theologia.*

Quantam iniuriam irroget veritati Theologicæ, ſatis conſtat *ex c.* 2. 3. 4. 5. & 9. in quibus probatur, ſi ſtet concluſio conſequentiæ magnæ,

Digitized by Google

magnæ, multas veritates Theologicas certas, & indubitabiles ruituras eſſe.

83. *Geminam iniuriam arti ſyllogiſticæ.* Secundò. Duplicem iniuriam committit in artem ſyllogiſticam. Primam, dum contendit, eſſe legitimam conſequentiam illam, quæ procedit ex duabus præmiſſis incomprobabilibus, & incompoſſibilibus, eo quod ſingulæ ſint ſeorſim probabiles, vt conſtat *ex cap.6.* Secundam, dum obtruditur nobis tanquam *conſequentia magna* ea, quæ producitur ex præmiſſis, quæ conſtant quatuor terminis: in quo directè peccat contra euidentes regulas artis ſyllogiſticæ. De quo vide *cap.7.*

84. *Geminam in Perezio.* Tertiò duplicem aliam irrogat iniuriam Perezio. Primam, quòd dicat, conſequentiam magnam inferri ex propoſitione Perezij, cùm potiùs ea illatio attribuenda ſit doctrinæ Caramuelis. Enim verò quamvis concluſio quælibet non inferatur formaliter ex vna præmiſſa, ſed ex vtraque ſimul cum; hoc tamen ſtat, quod quando aliqua cõcluſio ſingularis, & paradoxa deducitur ex duabus præmiſſis, quarum altera euidens eſt, vel etiam probabilis, & communis; & altera ſingularis & paradoxa, paradoxicum vitium cõcluſionis non attribuitur propoſitioni euidenti, aut probabili, ſed præmiſſæ paradoxæ & ſingulari. Sic etiam quando concluſio hæretica deducta eſt ex vna præmiſſa euidenti, & altera hæretica, non attribuitur præmiſſæ euidenti vitium illius, ſed præmiſſæ hæreticæ, quæ determinauit euidentem ad hæreſim. *Conſequentia magna* deducitur ex duabus præmiſſis, altera Caramuelis, altera Perezij. Propoſitio Perezij communiſſima eſt, & (vt minimum) probabiliſſima, imò verò omnino certa, quod videlicet nomine præcepti intelligatur illud, quod obligat in foro interno. Propoſitio Caramuelis, quod ſcilicet Prælatus non poſſit præcipere niſi quæ ſunt præcepta in regula, eſt paradoxa & ſingularis: ergo id vitium ſingularitatis, imò & improbabilitatis, quod reperitur in *conſequentia magna*, non debet attribui propoſitioni communi & probabili Perezij, ſed potiùs propoſitioni Caramuelis. Perperam igitur loquitur illa periodus, & in Perezium iniuria eſt, dum dicit: [Non ſubticebo tamen aliquam *magnam conſequentiam*, quæ ex Perezij opinione deducitur.]

85. Secunda iniuria, quæ irrogatur Perezio in ſyllogiſmo *conſequentia magna*, eſt, quod ea vox *præceptum*, qua vniuocè vtitur Perezius pro præcepto grauiter obligante, æquiuocè vſurpetur, & proponatur à Caramuele. Nam quamvis conſiderata ſolùm propoſitione Perezij, illa quidem vniuocè loquatur; at propoſita in ſyllogiſmo, & aſſumpto vt medio termino *Præceptum*, cui aliam diuerſam ſignificationem dat Caramuel in maiori, iam vitium æquiuocationis refunditur in minorem, quæ eſt propoſitio Perezij; atque adeò patitur eius propoſitio defectum, quem ex ſe non habet. Meritò ergo expoſtulabit Perezius de iniuria æquiuocationis refuſæ in ſuam propoſitionem.

86. *Multas irrogat Benedictinis.* Quartò, totidem iniurias irrogat *conſequentia magna* Religioni Benedictinæ, quot ſunt abſurda, quæ parturit *conſequentia magna*. Relege caput 9. & in eo 3.4.5.6. monſtrum, & aliqua in congeriem illata.

87. Quintò, iniuriam irrogat omnibus Religionibus, in quibus regula non obligat ad peccatum: in quibus ſimilia monſtra admittenda ſunt, vel interimenda conſequentia magna, vt conſtat *ex cap. 9. fine.* *Multat reliquis Ordinibus.*

DISPVTATIO XXXI.

An paruitas materiæ in rebus præceptis ſit illa, quæ eſt minor octaua parte?

CAPVT PRIMVM.

Exponitur ſententia Caramuelis.

CARAMVEL *in comment. in Regul. S.Benedicti, diſp.4. à num.47. & diſputat.67. & diſputat. 118. art.3. & in Theolog. fundam. in Syntheſibus, art.1. & num.1128. in gloſſa ad prædictum art.2.* & ſæpe alias docet, quod aſſignatis terminis eſſentialibus magnitudinis, & paruitatis in qualibet materia morali, de quantitate interiacente inter eos duos terminos ita iudicandum eſt, vt ſi quantitas ſit minor octaua parte, reputetur materiæ paruitas. Ita in recitatione precum aſſignat pro termino eſſentiali paruitatis quindecim (alibi ſexdecim) ſalutationes Angelicas, quæ ſemper abſolutè, & reſpectiuè conſideratæ conſtituunt paruitatem, ſed nunquam faciunt magnam materiam. Item pro termino eſſentiali magnitudinis vnum pſalterium integrum, quod ſemper abſolutè & reſpectiuè conſtituit magnitudinem, & nunquam eſt materia parua, quantumvis comparetur ad quantitatem millies maiorem. Materia autem interiacens inter quindecim ſalutationes, & vnum pſalterium parua erit, ſi ſit minor octaua parte materiæ præceptæ, vel promiſſæ; & erit magna, ſi attingat, vel excedat octauam partem. 1. *Quos dicat terminos eſſentiales magnitudinis, & paruitatis? Inter eos terminos materia eſt parua, quæ eſt minor octaua parte.*

Hinc infert, omiſſionem horæ Tertiæ, vel Sextæ in officio canonico eſſe paruitatem materiæ, quia hora Tertia officij eſt minor octaua parte officij vnius diei. Hinc ſi haberes vnum præceptum dicendi nouem pſalteria, omiſſio vnius eſſet mortalis; quia vnum pſalterium licèt in eo caſu ſit minus octaua parte, tamen vnum pſalterium eſſentialiter, ideóque ſemper eſt quantitas magna. Si tamen haberes vnum præceptum dicendi quinque pſalteria, & omitteres dimidium, eſſet parua materia; quia ex vno capite dimidium pſalterium non eſt eſſentialis terminus magnitudinis, & ex alio eſt minus octaua parte præcepti. 2. *Omiſſionem Tertiæ in officio canonico eſſe paruitatẽ materiæ.*

Eodem modo diſcurrit in furto. Terminum eſſentialem paruitatis eſſe dimidium regalem; terminum eſſentialem magnitudinis eſſe quatuor florenos, ſeu ſexdecim regales; quantitatem mediam inter dimidium regalem, & quatuor florenos eſſe materiam indifferentem; vt ſit leuis & grauis reſpectiuè ad diuerſa. Si enim furatur quis octauam partem reddituum, quos dominus habet dietim, quæ ſit maior medio regali, peccat mortaliter; ſi non minùs octaua 3. *Quomodo aſſignet paruitatem in furto?*

parte

parte (dummodo non ſit terminus eſſentialis magnitudinis, pertingens ad ſexdecim regales) peccat venialiter. Hinc infert, ſi furaris quatuor regales ab eo, qui habet dietim triginta, ſcilicet habente annuatim mille ducata, peccas mortaliter, quia furaris pluſquam octauam partem.

4. *Quo fundamento nitatur?*

Hæc quidem ad ſpeciem dicendi pulcrè compoſita. Sed numquid aliquo fundamento ſuffulta? *In comment. in Regul. diſp. 96. n. 1055.* ait: [Ex meis principiis, quæ ſuperius *efficaciſſimè probaui*, completi operis octaua pars eſt materia minima peccati grauis.] Attende ergo, an ſit efficaciſſima probatio. *In Regul. n. 47.* ſic probat. [Totum morale non habet niſi octo partes.] Sed vnde id colligit? [Conſtat, quia omnium Philoſophorum decreto octo gradus caloris cõponunt totum calorem. Nullum vidi, qui caloris agnoſceret nonum, decimum, aut duodecimum gradus,] &c. Et mox: [Scio enim in Ariſtotelis ſententia eſſe innumeros proportionales gradus, & Zenonis permultos; hos tamen humanitus ad determinatos redigi, variè à Medicis, variè à Mathematicis, varie etiam nonnunquam à Philoſophis: eſſe tamen communem opinionem Theologorum, quæ illos ad octo determinatos reducit. Et addo, in moralibus nos ſecuriſſimè philoſophaturos, ſi non tam propria, aut amicorum placita, quàm communem ſententiam ſupponamus.] Et in Syntheſibus *art. 2.* ait: [In quot partes totum immediatè diuiditur? Apud Phyſicos, in indeterminatas: quia ſiue Ariſtoteli, ſiue Zenoni ſubſcribas, non eſt dabilis numerus, qui vnus determinet omnium rerum continuarum partes. Medici communiùs in quatuor gradus diuidunt: Theologi in octo. Nonum gradum caloris nemo audiuit, nemo dixit. Placet igitur Theologorum opinio, & totum morale in octo partes immediatas diuido, & aſſero, quidquid minus octante ſit, non eſſe partem immediatam totius, ſed partem partis; ac propterea ſi materia aliàs ſit abſolutè indifferens, eſſe ſolùm relatiuè quantam, & habere non niſi leuem quantitatem.

5. *Quomodo probet totum diuidi in octo partes?*

Itaque totum morale diuidi in octo partes, inde colligit, quod calor diuidatur in octo gradus. Et cùm Philoſophi varient in diuiſione & multiplicitate graduum caloris, ideò ſtat Caramuel à ſententia Theologorum diuidentium calorem in octo gradus; quamvis initio dixerit, Philoſophos eam diuiſionem feciſſe. Sed quia ſibi videbatur in re Theologica non multùm curandum de Philoſophis, ideò ad Theologorum adyta confugit. Et quia in moralibus ſecuriſſimè diſcurritur ex ſententia communi, ideò hanc ſententiam communem ſequitur, quod calor conſtituitur ex octo gradibus. Vnde infert, quod quidquid eſt maius octaua parte, non eſt pars, ſed pars partis; atque adeò non eſt materia magna, ſed parua.

6. *Materiam eſſe moraliter nullam, quæ minor octaua parte paruitatis.*

Denique addit, illam materiam eſſe moraliter nullam, quæ eſt minor octaua parte paruitatis. Vnde ſi ſeptendecim pſalmi conſtituunt materiam paruam, duo pſalmi, qui nondum pertingunt ad octauam partem, conſtituent materiam moraliter nullam.

CAPVT II.

Certum eſſe oſtenditur, quod quantitas moralis non ſit menſuranda cum compoſitione caloris.

Aſſertio in titulo capitis præfixa probatur hoc ſyllogiſmo. Certum eſt, non eſſe iudicium prudens, quod penſat quantitatem moralem penes proportionem ad rem diſparatè ſe habentem: certum eſt quantitatem moralem diſparatè ſe habere ad octo gradus caloris; ergo certum eſt, non eſſe iudicium prudens, quod penſat quantitatem moralem penes proportionem ad octo gradus caloris. Conſequentia eſt ineuitabilis: & minor in moralibus per ſe nota. 7. *Quantitas moralis diſparatè ſe habet ad compoſitionem caloris.*

Minor oſtenditur primò. Quantitas moralis, vt hîc ſumitur in ordine ad gubernandam conſcientiam, res Theologica eſt: compoſitio caloris non eſt Theologica: ergo vna ad aliam diſparatè ſe habet. Nec obſtat, quod dixerit Caramuel, *eſſe communem opinionem Theologorum, quæ illos ad octo determinatos reducit.* Et alibi: *Placet igitur Theologorum opinio, & totum morale in octo partes immediatas diuido.* Indicet mihi ingenioſus Theologus, vbi Theologi tractent de diuiſione caloris in octo gradus. Numquid ad materiam de Trinitate, Scientia, vel Prouidentia ſpectat cognitio eius diuiſionis? Numquid notitia de legibus, de actibus humanis, gratia, aut peccato, &c. hac compoſitione caloris indiget? Vel potiùs ſpectat ad tractatus de Fide, Spe, Charitate, aut Religione; vel ad tractatum de Incarnatione, aut Sacramentis? Si aliquando Theologi id obiter attingunt, potiùs ex Philoſophis id mutuantes ſupponunt. Patet ergo, rem Theologicam, & menſuram illius diſparatè ſe habere ad quantitatem purè philoſophicam, & quæ nihil ad Theologum ſpectat. 8.

Nec dicas, materiam & formam compoſiti moralis deſumi reſpectiuè ad materiam & formam compoſiti phyſici, & per analogiam ad has explicari. Quia aliud eſt, quando nomina rerum phyſicarum transferuntur ad moralia; & aliud eſt, quando nomina non ſunt phyſica, ſed communiſſima, & omnem ſcientiam, & facultatem literarum tranſcendentia, qualia ſunt hæc nomina & denominationes *Totius*, & *Partis*. Nam quando ſunt nomina rerum phyſicarum, vt eſt *Materia*, & *Forma*, dum transferuntur ad moralia, explicantur per analogiam ad materiam, & formam phyſicam. Quando verò denominatio ipſa non eſt phyſica, ſed omnes ſcientias tranſcendens, vt eſt denominatio *Totius*, & *Partis*; non eſt, cur potiùs à Phyſica, quàm à Medica, vel Mathematica deſumatur: eſt tamen ratio, ob quam à Theologia potiùs deſumatur, quàm ab aliis ſcientiis mutuetur. Totum enim morale, qualiter in præſenti ſumimus, Theologicum eſt, & à Theologicis debet ſumi, vel ſi dicas, Ethicum eſſe, ab Ethicis. 9.

Oſtenditur ſecundò. Quia diuiſio caloris facta fuit in octo gradus, ſicut potuit fieri in 10.

Digitized by Google

Diuiſio caloris in octo gradus eſt ad libitum Philoſophorum.

duodecim, ſexdecim, vel viginti. Nam cùm partes caloris ignotæ ſint, & Philoſophi ad loquendum de illis indigerent vocibus aliquo modo diſcriminantibus alias ab aliis, diſtribuerunt in octo partes, quò ſic faciliùs explicarent mentem ſuam; vt potuiſſent in duodecim, vel viginti diſtribuere. Cuius euidens ſignum eſt, quod nullus Philoſophorum hucvſque probauit demonſtratiuè, aut ſaltem topicè, gradus caloris eſſe debere octo determinatè, non plures, nec pauciores; ſed alij ab aliis accipiunt, tanquam rem ſolùm ad placitum priorum decretam, Vel oſtendat Caramuel argumentum aliquod à Philoſophis acceptum, probans, hoc totum caloris ex octo partibus componi debere.

11. Hinc fit, quod illa pars, quæ vocatur primus gradus, ſit vna pars, & non duæ partes, fuiſſe merum placitum Philoſophorum, ita diſtribuere volentium: ſicut cùm vlna diuiditur in quatuor palmos, poteſt etiam diuidi in octo ſemipalmos, vel in ſexdecim ſectiones. Et ita quod duæ partes primi gradus non ſint partes immediatæ, ſed quælibet ſit pars partis, ex mero illorum libito dependet. Si enim ſexdecim gradus ſtatuiſſent Philoſophi (vt potuerunt, vel det Caramuel rationem repugnantiæ,) duæ partes æquales illius, qui hodie eſt primus gradus, eſſent duo gradus, & partes immediatæ, & non partes partis. Sed menſura Theologica quantitatis moralis diſparatè ſe habet ad quantitatem quæ ex mero libito Philoſophorum procedit; cùm prudens iudicium non nitatur in mero libito Philoſophorum, ſed in trutinatione debita, & prudenti: ergo quantitas moralis diſparatè ſe habet ad compoſitionem octo graduum caloris.

Quantitas Theologica nequit pendere ex mero libito Philoſophorum.

12. Confirmatur. Vel hæc diſtributio caloris in octo gradus fuit neceſſaria Philoſophis, vel fuit libera, ita vt potuiſſent in plures gradus illam diſtribuere? Si dicas, fuiſſe neceſſariam, oſtende mihi fundamentum, & radicem huius neceſſitatis, & docebis nos, quod omnes ignorant. Si dicas, fuiſſe omninò liberam, & potuiſſe diſtribuere in duodecim, vel ſexdecim, vel vigintiquatuor; ergo ex mero libito Philoſophorum hæc diſtributio facta eſt: ergo ex mero libito Philoſophorum dependet quantitas moralis in materiis Theologicis grauiſſimis.

13. Oſtenditur tertiò. Philoſophi enim ignorant, quantam intenſionem habeat vnus gradus; neque habent aliquem modum menſuræ, qua metiantur talem gradum. Nam licèt ſenſu percipi poſſit, calorem eſſe magnum, vel paruum; neque ſenſu, neque diſcurſu poſſunt penetrare, ad quantam intenſionem pertingat vnus gradus. Quomodo ergo potuerunt ita determinare vnum gradum, vt medietas illius non ſit pars caloris, neque pars immediata gradus, ſed pars partis? Fortaſſe enim, ſi tactu perciperent medietatem primi gradus, ea eſſet adhuc magnus calor. Quomodo ergo quantitas moralis dicetur parua per proportionem ad illud, quod non conſtat eſſe paruum, & fortaſſe eſt magnum; cùm in ſupputatione quantitatis non ſit proportio parui ad magnum, atque adeò diſparatè ſe habeat ad illud?

Nequit dignoſci, an dimidius gradus ſit magnus, vel paruus calor.

Oſtenditur quartò. Vt totum morale diſtributum diceretur in octo partes, opus erat, quod, vt in plurimum, quodlibet totum phyſicum, vel Theologicum diuideretur à Philoſophis, vel Theologis in octo partes: 14.
ſic enim denominationes morales ab eo, quod ſemper, vel plerumque accidit, deſumi ſolent. Sic enim quia omnia compoſita phyſica conſtituuntur ex materia & forma, ideò compoſitio moralis Sacramenti componi dicitur ex materia & forma per analogiam ad materiam & formam phyſicas: quæ analogia non daretur, ſi ferè omnia compoſita phyſica materiis, & formis carerent, & ſolùm componerentur ex binis actibus, ſiue formis, ſolumque reperiretur vnum, vel alterum compoſitum phyſicum, quod ex materia & forma coaleſceret. Atqui nullum aliud compoſitum præter intenſionem eius qualitatis diuiditur in octo partes: ineptè ergo dicitur, totum morale diuidi in octo partes; atque adeò ſine vlla proportione ad compoſitionem qualitatis.

Nullũ aliud compoſitum conſtat ex octo partibus.

Reliqua compoſita non diſtribui in octo partes, patet. Compoſitum phyſicum à Philoſopho diuiditur in duas partes, materiam & formam; & in tres, ſi vnioni tribuas nomen *partis.* Deinde motus ſi annus eſt, diuiditur in duodecim partes; ſi menſis, in triginta dies, vt in plurimum; ſi dies, in vigintiquatuor horas. Rurſus pars ſenſibilis externa animæ diuiditur in quinque partes, aut quaſi partes, potentias ſcilicet ſenſitiuas videndi, audiendi, olfaciendi, guſtandi, & tangendi. Rurſus Theologia in quatuor partes diuiditur à Theologis: ſcientia Dei in tres partes, ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, ſcientiam viſionis, & ſcientiam mediam. Sacramentum in duas, materiam ſcilicet, & formam. Neque eſt aliquod aliud totum, quod in octo partes diſtribuatur. Quomodo ergo aſſerit is Author; *Totum morale non habet niſi octo partes:* ſumpto argumento à ſola compoſitione primæ qualitatis; cùm nullum aliud compoſitum habeat octo partes? Quare enim totum morale ſuam compoſitionem moralem debet vindicare ad normam compoſitionis primæ qualitatis, & non ad normam compoſitionis reliquorum compoſitorum. 15.

Multæ aliæ improportiones eius computationis.

Quod ſi dicas, diuiſionem anni in menſes, menſis in dies, diei in horas potiùs ſpectare ad Mathematicum, quàm Philoſophum, vel Theologum. Contrà eſt, quia potiùs pertinet ad Theologum diuiſio temporis, quàm diuiſio caloris: hæc enim nihil attinet ad illum. At verò annus, & menſes, dies, & horæ multùm ad illum ſpectant, dum agit de anno Eccleſiaſtico feſtiuitatum diſcurrentium per menſes, & dies: dum agit de tempore, in quo incipit obligatio legum; de ætate, in qua incipit obligatio ieiunij; de ætate requiſita ad Ordines; de hora, qua incipit ieiunium naturale, & ſexcentis aliis. 16.

Confirmatur. Annus Eccleſiaſticus conſideratus in ordine ad feſtiuitates, & ad obligationes legum canonicarum, eſt totum quoddam morale, & diuiditur in duodecim partes, non in octo: ergo falſum eſt, quodlibet totum morale 17.

rale diuidi in octo partes. Et idem eſt argumentum, proportione ſeruata, de menſe, & die. Similiter Sacramentum eſt totum morale; & tamen non diuiditur niſi in duas partes, materiam videlicet, & formam: ergo falſum eſt, quodlibet totum morale diuidi in octo partes. Item officium canonicum eſt totum morale, & non diuiditur niſi in ſeptem horas canonicas, ad exemplum Dauidicæ diſtributionis, *Septies in die laudem dixi tibi*: ergo falſum eſt, quodlibet totum morale diuidi in octo partes. Pſalterium eſt totum morale, & diuiditur in centum quinquaginta partes; vnuſquiſque enim pſalmus eſt pars pſalterij, & non pars partis: ergo falſum eſt, quodlibet totum morale non diuidi niſi in octo partes. Et ſic in ſexcentis aliis.

18. Quintò. Etſi compoſita continua moralia regularentur per proportionem ad octo gradus caloris; tamen compoſitio moralis entium per accidens, quale eſt furtum centum aureorum, quare regulari debet ad normam qualitatis continuæ, & octo graduum eius; & non ad normam entium per accidens, verbi gratiâ decadum, ex quibus componitur millenarius numerus, aut vnitatum, ex quibus decas conſtituitur? Ergo ſaltem totum morale aggregationis diſparatè ſe habet ad totum phyſicum intenſionis continuatæ.

19. Sextò. Oratio vocalis officij canonici, quæ ens ſucceſſiuum eſt, vtpote motus labiorum, maiorem commenſurationis proportionem habet in ordine ad alia compoſita entis ſucceſſiui, putà ad annum, qui componitur ex duodecim partibus, nempe menſibus; vel ad diem, qui componitur ex viginti quatuor horis, quàm in ordine ad compoſitionem qualitatis continuæ; & tamen iſta commenſuratio reiicitur: ergo ſi maior proportio reiicitur, reiicienda eſt minor: ergo ſi officium canonicum in compoſitione ſua diſparatè ſe habet ad compoſitionem temporis, multò magis diſparatè ſe habet ad compoſitionem intenſionis.

20. Septimò. In præcepto, vel voto dandi eleemoſynam tritici, olei, vini, vel panis, quare non attenderetur ad compoſitionem fanecæ, quæ ex duodecim modiis conſtituitur; vel ad compoſitionem amphoræ, vulgò *arroba*, quæ ex triginta duabus metretis minoribus componitur; vel ad compoſitionem libræ, quæ ſexdecim vnciis conſtat? & non potiùs ad octo gradus caloris, cum quibus materia præcepta, vel promiſſa nullam habet proportionem? Similiter in præcepto, vel voto peregrinationis, cur potiùs attenderetur ad compoſitionem caloris, quàm ad compoſitionem leucæ, quæ ex viginti quatuor partibus coaleſcit, nempe ſtadiis. Et ſi cum compoſitione leucæ diſparatè ſe habet peregrinatio, multò magis diſparatè ſe habebit cum compoſitione caloris.

CAPVT III.

Argumentum ſecundum, ex eo quod pars partis non ſit paruitas materiæ.

Licèt demus aduerſario, totum morale componi debere non niſi ex octo partibus, non inde infertur, minorem octaua parte eſſe paruitatem materiæ. Videtur enim omninò certum, partem partis non debere reputari paruitatem materiæ. Nam terminus eſſentialis magnitudinis, ſiue materia ſemper & in omni euentu magna ſolet eſſe pars partis: atqui materiam ſemper & in omni euentu magnam repugnat eſſe paruitatem, ſiue eſſe paruam: ergo ſtat, quod ſit pars partis, & quod non ſit paruitas. Ergo malè infers, eſſe paruitatem ex eo quod ſit pars partis. Conſequentiæ legitimæ ſunt, & iuxta leges artis ſyllogiſticæ. Minor ex terminis eſt euidens. Maior patet. Nam ſecundùm aduerſarium viginti argentei ſunt materia ſemper magna in furto; & tamen reſpectu quantitatis ex ducentis argenteis conflatæ, ſunt pars partis, cùm ſint minus octaua parte. Item vnum pſalterium eſt materia ſemper magna; tamen in præcepto, vel voto nouem pſalteriorum eſt pars partis, cùm ſit minus octaua parte. 21. *Stat, quod ſit pars partis, & quod non ſit paruitas.*

Reſpondebis, partem partis eſſe paruitatem materiæ, quando aliàs non conſtat, quantitatem eſſe eſſentialiter magnam, ſiue quantitatem ſemper, & in omni euentu magnam: nam ſi conſtat, talem partem partis eſſe quantitatem ſemper & in omni euentu magnam, tunc non cenſebitur paruitas materiæ. 22.

Inſto. Per te ſtat, eſſe partem partis, & eſſe quantitatem magnam, & non paruam: ergo non infertur eſſe paruitatem materiæ ex eo præciſè, quod ſit pars partis, ſed ex aliquo alio. 23.

Concedis conſequentiam & admittis inferri ex aliquo alio principio adiuncto, ſcilicet ex eo, quod ſit pars partis, & ex eo quod non ſit terminus eſſentialis magnitudinis moralis, ſiue materia ſemper & in omni euentu magna. Itaque hæc eſt bona conſequentia: Iſta eſt materia non eſſentialiter magna, & hic & nunc eſt pars partis: ergo hic & nunc eſt materia parua. 24.

Contrà eſt primò. Nam ſi ſemel componitur cum magnitudine eſſe partem partis, quantumvis materia ſit indifferens ad magnam & paruam, non eſt vnde inferatur, partem partis eſſe debere paruitatem. 25.

Contrà eſt ſecundò. Materia, de qua loquimur, eſt indifferens ad magnam & paruam: item hoc, quod eſt eſſe partem partis eſt indifferens, vt ſit magnum & paruum; cùm hoc, quod eſt eſſe partem partis, tam in magna, quàm in parua reperiatur: ergo hoc, quod eſt eſſe partem partis, non eſt vnde contrahatur ad paruitatem, cùm reperitur in prædicta materia indifferenti. Itaque dimidium pſalterium eſt materia indifferens ad magnam & paruam: & reſpectu voti de quinque pſalteriis eſt pars partis. Quod ſit pars partis eſt indifferens ad materiam magnam & paruam; & dimidium pſalterium eſt indifferens ad materiam 26.

magnam & paruam: ſi ergo illi dimidio pſalterio vtrimque accidit indifferentia ad materiam magnam & paruam, vnde accidit illi dimidio pſalterio, quod ſit paruitas?

27. *Iuxta ſententiam de gradibus heterogeneis pars partis eſt in tenſior parte.*

Contrà eſt tertiò, quia etiam in phyſicis pars partis eſt quid magnum, imò & maius parte: ergo & in moralibus, quæ ex phyſica compoſitione regulantur, ſecundùm eam ſententiam. Antecedens oſtenditur. Nam iuxta communem ſententiam, ponentem gradus caloris heterogeneos, medietas octaui gradus intenſiuè maior eſt, & magis calefacit, quam totus primus gradus, imò & quàm ſeptimus; quia quamvis medietas octaui gradus habeat pauciores particulas, quàm totus primus gradus; illæ, etſi pauciores, perfectiores ſunt in ratione calidi vt quo: ergo ſi primus gradus eſt quid magnum, medietas octaui gradus eſt etiam quid magnum; quia quod eſt maius magno non poteſt non eſſe magnum.

28. *Terminus paruitatis non debet eſſe pars partis.* *Ideò nec quælibet alia paruitas.*

Contrà eſt quartò. Terminus paruitatis, & terminus magnitudinis, in ſententia aduerſarij, non regulatur cum eo, quod ſit pars integra; ſed relinquitur prudenti iudicio quantitatem taxanti: ergo ſimiliter quælibet alia paruitas & magnitudo non debet regulari per hoc, quod ſit pars partis, vel pars integra, ſed eius taxatio & menſura relinquetur prudenti iudicio; præcipuè cùm nullum ſit fundamentum ad inferendum inde paruitatem, vel magnitudinem: ergo quantumvis ſit pars partis, non propterea debet reputari paruitas.

CAPVT IV.

Tertium argumentum ab exorbitantia termini magnitudinis.

29. *Diſſonat terminus magnitudinis in oratione vnũ Pſalterium.*

EXorbitat hæc doctrina, dum aſſerit terminum magnitudinis in oratione vocali eſſe vnum pſalterium integrum; ita vt omiſſio centum & quadraginta pſalmorum poſſit eſſe paruitas materiæ; & de facto talis ſit in voto recitandi octo pſalteria.

30. Probatur primò. [Moralis quantitas dependet non niſi à prudentum hominum æſtimatione:] Sed nullus prudens hucvſque dixit, centum quadraginta pſalmos eſſe poſſe paruitatem materiæ, neque aliquid, vnde inferatur; imò id eſt contra ea, quæ Theologi docuerunt: ergo falſum eſt, quod centum quadraginta pſalmi poſſint paruitas materiæ reputari, etiam in caſu prædicto. Maior eſt Caramuelis *in Regul. diſp. 4. num. 46.* Ideò circumnotata eſt. Minor autem conſtat, ex paruitatibus materiæ, quas in officio canonico deſignarunt Authores, quæ longiſſimè diſtant ab hac doctrina Caramuelis. De quo vide Dianam *part. 2. tract. 12. reſol. 41. & reſolut. 26. & part. 5. tract. 5. reſol. 26.*

31. *Magis vrget in ſatisfactione ſacramentali.*

Probatur ſecundò. Si cui iniungerentur pro ſatisfactione ſacramentali octo pſalteria, & omitteret centum quadraginta pſalmos, nempe minus octaua parte, non omitteret materiam paruam, ſed magnam: ergo centum & quadraginta pſalmi non poſſunt eſſe materia parua, ſed neceſſariò eſt magna, etiamſi ſit minus octaua parte. Probatur antecedens. Illud non poteſt eſſe moraliter paruum, quod ex ipſo fine præcepti ordinatur ad aliquid magnum: ſed centum quadraginta pſalmi, ex ipſo fine præcepti impoſiti ad ſatisfaciendum pro pœna, ordinantur ad aliquid magnum, cùm per centum quadraginta pſalmos multæ pœnæ reatus ſoluatur: ergo centum quadraginta pſalmi in eo caſu iniunctæ ſatisfactionis non poſſunt eſſe quid moraliter paruum: ergo licèt centum quadraginta pſalmi ſint minus octaua parte, & ſint pars partis, adhuc non reddunt paruitatem materiæ.

Hinc autem ſumitur tertium argumentum ad probandum, perperam aſſignari tanquam regulam generalem in oratione vocali vnum determinatum terminum paruitatis, & vnum determinatum terminum magnitudinis eſſentialem: ſi nimirum pro omnibus omninò circumſtantiis deſignetur. Etenim in oratione vocali, & præceptis de illa poſſunt eſſe multiplices fines, qui materiam aliàs paruam reddant magnam; ita vt quæ ſub vno fine eſſet parua, ſub alio ſit magna. Qui ad vitandum ſcandalum blaſphemiæ in B. Virginem prolatæ, iuberetur dicere reuerenter vnam ſalutationem Angelicam, tenetur grauiter ad illam proferendam, & illa reſpectu eius præcepti eſſet materia grauis. Qui ad repellendam ſuſpicionem hæreſis iuberetur dicere ſemel Symbolum Apoſtolorum, licèt reſpectu alterius præcepti id Symbolum eſſet materia leuis, tamen reſpectu huius id Symbolum eſſet materia grauis. Qui ad ſatisfactionem Sacramentalem pro multis peccatis mortalibus iuberetur lucrari indulgentiam plenariam per ſex orationes Dominicas, & ſex Angelicas comparandam; vtique hæc eſſet materia magna, quantumvis, ſecundùm aduerſarium, reſpectu alterius præcepti eſſet materia leuis. Qui voueret dicere Antiphonam *Sub tuum præſidium*, ingruente graui tentatione, & periculo labendi, quam expertus eſſet ei morbo expellendo ſalutarem, grauiter teneretur ad illam, conſequenterque illa eſſet materia grauis. Ex quibus omnibus fit, non eſſe aſſignandum vnum terminum paruitatis pro omni præcepto & voto, neque eundem terminum magnitudinis; ſed in diuerſis præceptis & votis attendendum eſſe finem, & cum ipſo menſurandam quantitatem orationis vocalis. 32. *Materia, quæ ſub vno fine eſt parua, ſub alio poteſt eſſe magna.*

Probatur quartò. Etenim aſſerere, quod in ſatisfactione Sacramentali (imò & in voto, aut præcepto) omittere octodecim pſalmos nequidem peccatum veniale eſt, vtique eſt abſurdum: atqui id admittit oppoſita ſententia: ea ergo eſt abſurda. Minor patet. Nam in oppoſita ſententia, ſi iniungantur octo pſalteria, centum quadraginta ſex pſalmi ſunt minus octaua parte, atque adeò paruitas materiæ, & peccatum veniale. Rurſus ſi octaua ea pars diuidatur in octo partes, quidquid ſit minus ſecunda octaua, moraliter nihil eſt, ſecundùm Caramuelem: vnde nec peccatum veniale. At octodecim pſalmi ſunt minùs octaua parte comparati cum centum quadraginta ſex pſalmis. Maior verò, quod in ſacramentali ſatisfactione id ſit abſurdum, patet primò ex apprehenſione terminorum, 33. *Omiſſionem 18. Pſalmorũ nequidem eſſe peccatum veniale, abſurdum eſt.*

Digitized by Google

terminorum, quæ præſcribit eſſe ſaltem venialem culpam (imò & lethalem) omiſſionem octodecim pſalmorum. Patet ſecundò, quia octodecim pſalmi apti ſunt ad extinguendum reatum pœnæ non paruæ.

CAPVT V.

Arguitur ea doctrina à contrarietate, & abſurdo.

34. *Peccare venialiter, qui per tres menſes omitteret 7. pſalmos pœnitentiales.*

CAramuel *in Regulam diſp.* 102. *num.* 1330. Sic ait: [Si Petrus Deo promitteret, ſe lecturum eſſe millies Pœnitentiales pſalmos ſucceſſiuis diebus, non eliceret mille vota, ſed vnum ſimplex; cuius materia pſalmos illos millies complecteretur: peccaret ergo leuiter, ſi tribus menſibus hanc lectionem omitteret; quia nonaginta dies non ſunt octaua pars mille dierum.

35. *An ſibi contrarius?*

Vt videas, an hæc periodus doctrinæ ſuprà traditæ contradicat, firmiter committe memoriæ, terminum eſſentialem magnitudinis eſſe vnum pſalterium; ita vt, quod vno pſalterio maius ſit, nunquam poſſit eſſe materia parua, nec peccatum veniale, etiamſi ſit minus octaua parte materiæ præceptæ. Tum ſic. Iuxta periodum proximè relatam, peccat venialiter, qui omittit per tres menſes pſalmos pœnitentiales millies promiſſos: ſed pſalmi pœnitentiales, qui correſpondent tribus menſibus, ſiue nonaginta diebus, ſunt ſexcenti & triginta; cùm vnum pſalterium conſtetur ex centum & quinquaginta, atque adeò ij ſexcenti & triginta pſalmi æquiualent pluſquam quatuor pſalteriis: ergo peccat leuiter, qui omittit pluſquam quatuor pſalteria.

36. Vide ergo quomodo componantur hæc duo: [Peccat grauiter, quicumque omittit vnum pſalterium in quocumque caſu. In aliquo caſu peccat leuiter, qui omittit quantitatem maiorem quatuor pſalteriis.] Vel quomodo componantur hæc: [Terminus eſſentialis magnitudinis in oratione vocali eſt vnum pſalterium. Non pertingit ad terminum eſſentialem magnitudinis in oratione vocali quantitas maior quatuor pſalteriis.] Vlteriorem impugnationem eius aſſertionis habes *capite* 7.

37. Et ne vllus tibi ſcrupulus remaneat, dices, videri hæc dicta fuiſſe à Caramuele, non ex propria ſententia, ſed ex aliena. Id enim dictum inuenitur in ſecunda ſententia ex iis, quæ refert circa obligationem Sacerdotum recitandi officium canonicum.

38. Sed conſtat apertè, id non eſſe dictum ex aliena, ſed ex propria ſententia. Nam cùm alienam retuliſſet, addit: [Vt huius opinionis fundamenta percalleas, adnotato primò, poſſe Eccleſiam iubere Petro, vt quotidie legat, ita vt vno ſolo præcepto lectiones totius vitæ comprehendat.] Et ſimili tenore dicit quæ initio huius capitis relata ſunt, & quæ duobus ſequentibus capitibus referentur. Quod ſi intentio eius fuit, aſſerere id ex aliena ſententia, oportuiſſet clariùs fuiſſe locutum.

39. Eodem modo arguenda venit periodus alia *ex numero* 1331. quæ ait: [Contrahunt vela nonnulli Authores, & aſſerunt, canonicum officium annuum eſſe, hoc eſt, dari præcepta, quorum ſingula complectuntur officia totius anni per modum vnius. Ergo ex eorum ſententia, qui omittet lectionem horarum diebus quadraginta ſex in anno, peccabit mortaliter; venialiter, qui paucioribus. Ratio eſt, quia quadraginta ſex dies pluſquam octaua pars anni ſunt: quadraginta quinque autem, minùs octaua parte.]

An Officium 45. dierum ſit paruitas, ſi officium totius anni ſit vnicum præceptum.

40. *An ſibi contrarius?*

Vide, quàm malè inferat hanc conſequentiam. Nam, vt ait Caramuel, vna hebdomada officij canonici æquiualet vni pſalterio. At quadragintaquinque dies claudunt pluſquam ſex hebdomadas: ergo quadraginta quinque dies officij canonici æquiualent pluſquam ſex pſalteriis. Sed vnum pſalterium eſt terminus eſſentialis magnitudinis, ſemper & in omni euentu magnum: ergo malè infert, ex eo quod ſint minus octaua parte anni, quod quadragintaquinque dies, vtique æquiualentes pluſquam ſex pſalteriis, contineant paruitatem materiæ, vſque adeò vt peccaret venialiter, qui omitteret officium illis quadraginta quinque diebus, ſi præceptum reſpiceret indiuiſibiliter totum annum.

CAPVT VI.

An præceptum, quod extenditur ad totam vitam, habeat pro paruitate materiæ nonam vitæ partem?

41. *An in voto abſtinendi à carnibus totam vitam, ſit paruitas nona vitæ pars?*

CAramuel nuper citatus, *eo num.* 1330. habet periodum ſequentem. [Sic etiam ſi quis voueret abſtinentiam à carnibus tota vita, abſtinere deberet, & peccaret grauiter, ſi illis veſceretur octaua vitæ parte; leuiter, ſi nona, vel decima. Hinc eſt, quod aliqui cenſeant, Dominos Benedictinos non peccare mortaliter, ſi aliquando edant carnes; peccare tamen mortiferè, ſi ex conſuetudine, hoc eſt, ſi eas edant octaua vitæ parte: putant enim eos teneri ad abſtinentiam voto ſimplici reſpiciente vitam integram per modum obiecti adæquati.]

42. *Infertur, eum, qui toto anno eſt concubinarius, peccare leuiter contra votum caſtitatis.*

Vt conſideres, quantùm hæc periodus de abſurditate accuſari debeat, ſic arguo. Votum abſtinendi ſemper à carnibus, quia reſpicit totam vitam, violatur leuiter, ſi nona vitæ parte non obſeruetur: ſed votum caſtitatis religioſæ reſpicit totam vitam: ergo violatur leuiter ab eo, qui nona vitæ parte non ſeruat caſtitatem: ergo Religioſus, qui per annum integrum eſt concubinarius, peccat leuiter contra votum, cùm minùs quàm octaua vitæ parte violet; nam decem annis comparari vitam eius, qui miſerè degit, quindecim eius, qui proſperè, aſſerit ibidem Caramuel.

43. Confirmatur. Nam in præcepto caſtitatis dari paruitatem materiæ, multis defendit Caramuel, tum *in Regul. diſputat.* 59. *num.* 1052. tum præcipuè, & latiſſimè *Theolog. fundam. num.* 1708. *fundament.* 58. ſed tempus paruum admittit Caramuel ad paruitatem materiæ in præceptis & votis, vt patet de præcepto, vel

Digitized by Google

vel voto ieiunij per totam vitam: ergo in voto caſtitatis ita admittendum eſt. Hoc eſt ſummè abſurdum: ergo abſurdum eſt id, vnde infertur.

44. Dices, conſtare ex fide catholica, ne quidem per inſtans licere fornicationem; & eam, quantumvis inſtantaneam, eſſe grauem præcepti materiam.

45. Inſto primò. Si Deus præciperet alicui abſtinentiam à carnibus perpetuam, ſecundùm eam doctrinam Caramuelis peccaret leuiter, ſi nona vitæ parte violaret id ieiunij genus. Nam ſecundùm Caramuelem, quoad grauitatem, aut leuitatem materiæ non differunt præceptum diuinum & humanum, vt videre licet *diſp.* 4. *in Regul. num.*40. & *fundament.*25. *num.*719. ergo ſi præcipiat caſtitatem perpetuam (præcipit voventi) peccaret leuiter, qui nona vitæ parte illam non ſeruaret. Probatur conſequentia. Nam in ſententia aduerſarij eodem modo ſe habet præceptum ieiunij, & præceptum caſtitatis; propugnat enim *fundam.*11. ſi Deus non prohibuiſſet venerea, licitam fore hominibus fornicationem. Vnde caſu quo Deus prohibuiſſet abſtinentiam à carnibus, eodem modo obligarentur homines abſtinere à carnibus, ac modo obligantur abſtinere à luxuria; & eodem modo obligantur homines nunc abſtinere à luxuria, ac tunc obligarentur abſtinere à carnibus: ergo ſicut peccaret venialiter, qui nona vitæ parte carnes comederet in eo euentu; ita peccabit venialiter, qui nona vitæ parte luxuriam exerceret: hoc eſt abſurdiſſimum: ergo & primum.

46. Vel è conuerſo. Eodem modo obligat nunc præceptum abſtinendi à luxuria, ac obligaret tunc præceptum abſtinendi à carnibus: ſed qui nona vitæ parte (imò & vno momento) vacat luxriæ, non peccat leuiter, ſed grauiter: ergo qui nona vitæ parte (imò & vno momẽto) comederet carnes, non peccaret leuiter, ſed grauiter. Quod argumentum puto eſſe demonſtratiuum ei qui rectè calluerit, quàm eiuſdem rationis ſit in ſententia Caramuelis præceptum abſtinendi à carnibus, ſi daretur diuinum, & præceptum abſtinendi à luxuria; vt conſtat ex dictis.

47. *Numquid peccaret leuiter, qui nona vita parte eſſet proprietarius?*

Inſto & arguo ſecundò in votis obedientiæ & paupertatis religioſæ, in quibus non habet locum ea reſponſio deſumpta ex dogmate fidei. Etenim eiuſdem rationis eſt votum abſtinendi à carnibus per totam vitam, & votum abſtinendi à proprietate, ſiue ab vſu dominij; quod eſt votum paupertatis: ſed habens votum abſtinendi à proprietate & ab vſu dominij, & violans illud nona vitæ parte, non peccat leuiter, ſed grauiter; quam propoſitionem communis conſenſus omnium Catholicorum facit euidentem moraliter: ergo habens votum abſtinendi à carnibus per totam vitam, & violans illud nona vitæ parte, non peccat leuiter, ſed grauiter. Quæ demonſtratio eodem modo efformari poteſt in voto obedientiæ.

Infertur. Et tamen eſt euidenter falſum.

48. *An laberet inconſequentiâ?*

Arguo tertiò. In votis & præceptis de oratione vocali aſſignatur à Caramuele terminus eſſentialis magnitudinis, qui, & vltra quem quidquid maius fuerit, quamvis ſit minus octaua parte parte, non poteſt eſſe paruitas materiæ. Sic vnum pſalterium, quamvis ſit minus octaua parte materiæ præceptæ, vel Deo promiſſæ, ſemper eſt materia magna, & ſufficiens ad conſtituendum peccatum mortale in violatore. Item in furto aſſignantur tanquam terminus eſſentialis magnitudinis ſexdecim regales, & in paupertate religioſa dupla quantitas: ergo ſi in tempore ieiuniorum, & abſtinentiæ à carnibus poſſit dari paruitas, & magnitudo materiæ, deſignandus quoque eſt terminus magnitudinis, qui & vltra quem quidquid maius fuerit, quamvis ſit minus octaua parte, ſit etiam materia magna. Nonne abſtinere à carnibus, vel ieiunare vna hebdomada, æquiualebit recitationi vnius pſalterij? Cur ergo annus integer violationis ieiunij per totam vitam promiſſi dicitur eſſe paruitas materiæ, quia eſt minus octaua parte totius vitæ, quæ moraliter decem annorum eſſe computatur?

Vrgeo. Vna hebdomada ieiunij æquiualet recitationi vnius pſalterij: ſed ieiunare quinquaginta duas hebdomadas dicitur eſſe materia leuis, & violare ieiunium tantumdem temporis peccatum veniale, quia eſt minus octaua parte ieiunij per totam vitam promiſſi: ergo omittere quinquaginta duo pſalteria, erit materia leuis, & peccatum veniale, quando fuerit minus octaua parte præcepti. Ergo vnum pſalterium non erit terminus eſſentialis magnitudinis. 49.

Vel è conuerſo. Vna hebdomada ieiunij æquiualet recitationi vnius pſalterij: ſed vnum pſalterium eſt terminus eſſentialis magnitudinis: ergo vna hebdomada ieiunij eſt terminus eſſentialis magnitudinis. Abſurdiſſimum eſt ergo aſſerere, vnum annum integrum ieiunij eſſe poſſe materiam leuem, & violatorem illius peccare leuiter, licèt ſit minus octaua parte materiæ præceptæ, vel Deo promiſſæ. 50.

Impugnabitur quartò eadem doctrina omnibus illis, quæ proponemus capite ſequenti.

CAPVT VII.

An præceptum pro tota vita impoſitum, obligans ad recitandum v.g. officium canonicum pro ſingulis diebus, poſſit habere pro paruitate materiæ aliquos paucos dies?

PRæmitto primò, hanc quæſtionem eſſe communem pluribus materiis, tam in votis, quàm in præceptis, nempe in eo, qui voueret Miſſæ auditionem omnibus diebus per totam vitam, qui voueret ieiunium per totam vitam omnibus ſextis feriis. Item præceptum audiendi ſacrum omnibus diebus feſtis, ſi dicatur eſſe vnum præceptum pro tota vita; ſimiliter præceptum recitandi officium canonicum per totam vitam, vel per totum annum. Et ſic de aliis. 51.

Præmitto ſecundò, votum, vel præceptum reſpiciens materiam diuiſibilem, & tempus diuiſibile, aliquando eſſe virtualiter multiplex, aliquando non niſi omnimodis vnicum. Eſt virtualiter multiplex, quod quamvis tenore verborum ſit vnum, æquiualet tamen multis. Eſt omninò ſimplex & vnicum, cùm non æquiualet multis. Et ſi quidem indiuiſibiliter 52.

Præceptum reſpiciens diuiſibiliter materiam, eſt virtualiter multiplex.

ter reſpicit totam materiam, & totum tempus, erit omninò ſimplex & vnicum; ſi autem diuiſibiliter reſpicit, erit virtualiter multiplex.

53. Igitur Caramuel verbis relatis in fine capitis quinti docet, poſſe Eccleſiam iubere Petro, vt quotidie recitet officium diuinum, ita vt vnico ſolo præcepto complectatur recitationes totius vitæ; quod præceptum non ſit formaliter, aut virtualiter multiplex, ſed omninò vnicum. Et poſteà addit: [Poſſe dari præceptum, quod per modum vnius complectatur lectionem totius vitæ, certum eſt: an de facto detur, meritò quis poteſt inquirere.] Quod idem repetit *num.* 1334. aſſerens, eſſe demonſtrationem quæ id probat. Deinde verbis relatis initio eius capitis quinti aſſerit, quod ſi Petrus voueret recitare millies Pſalmos Pœnitentiales *ſucceſſiuis diebus*, non eliceret mille vota, ſed vnum ſimplex. Quod idem de abſtinentia à carnibus poſteà admittit verbis relatis initio capitis ſexti.

54. Sit concluſio certiſſima. Implicat contradictionem, quod præceptum obliget ad recitationem officij faciendam ſingulis diebus, & quod præceptum non ſit virtualiter multiplex. Atque ita non eſt certum, poſſe Eccleſiam iubere Petro, vt quotidie recitet officium diuinum, ita vt vnico præcepto complectatur recitationes totius vitæ; ſed oppoſitum eſſe metaphyſicè certum. Item ſi Petrus voueret recitare millies Pſalmos pœnitentiales ſucceſſiuis diebus, ſiue ſingulis diebus, non poſſe eſſe vnum & ſimplex votum, ſed eſſe virtualiter multiplex. Sic de ieiunio per totam vitam omnibus diebus, aut omnibus ſextis feriis obſeruando: ſic de Miſſa per totam vitam omnibus feſtis ex præcepto audienda; ſic de cæteris ſimilibus.

Implicat, quod præceptum obliget ad actionem pro ſingulis diebus, & quod non ſit virtualiter multiplex.

55. Oſtenditur primò concluſio, in caſu, quo Eccleſia vnico præcepto præcepiſſet recitare quotidie officium canonicum. Propoſitio vniuerſalis habens ſuppoſitionem diſtributiuam æquiualet ſingularibus inductione numeratis: ſed in illo caſu vera eſt iſta propoſitio vniuerſalis cum ſuppoſitione diſtributiua, [Omnibus & ſingulis diebus tenetur Petrus ſoluere penſum officij canonici:] ergo æquiualet ſingularibus inductione numeratis: ergo æquiualet huic, [Prima die tenetur Petrus ſoluere penſum officij canonici, & ſecunda die tenetur, & tertia die tenetur,] & ſic reliquis: ſed hoc eſt, præceptum eſſe virtualiter multiplex, ſiue æquiualere pluribus præceptis: ergo eo ipſo præceptum hoc eſt virtualiter multiplex, & pluribus præceptis æquiualens.

56. Oſtenditur ſecundò. Pro quolibet die ſeorſim eſt obligatio recitandi officium canonicum, ita vt qui omittat, vel differat in alium diem, peccet: (cautè dixi *Peccet*, non autem dixi *Peccet mortaliter*, ne aduerſarij recurrant ad paruitatem materiæ:) ergo id præceptum æquiualet totidem præceptis, quot ſunt dies. Probatur conſequentia; ſi enim Eccleſia expreſsè indixiſſet plurima præcepta ſingulis diebus correſpondentia, non aliter obligarent, niſi ita vt qui omitteret officium huius diei, vel ſuſpenderet in alteram diem, peccaret: ſed prædictum vnum præceptum ita obligat: ergo obligat eo modo ac obligarent ea plurima præcepta ſingulis diebus correſpondentia: hoc eſt æquiualere multis præceptis: ergo id multis æquiualet, vt eſt virtualiter multiplex.

Itaque termini ſunt contradictorij, quod obligatio præcepti reſpiciat ſingulos dies, & quod præceptum non æquiualeat multis præceptis reſpicientibus ſingulos dies. Cùm idem ſit formaliſſimè æquiualere multis præceptis reſpicientibus ſingulos dies, & quod obligatio vnius præcepti reſpiciat ſingulos dies, vt patet ex dictis. 57.

Et quidem Eccleſia poſſet præcipere indiuiſibiliter & per modum vnius, quod Sacerdos recitaret quolibet anno trecenta ſexaginta quinque officia canonica. In quo caſu non teneretur Sacerdos ſingulis diebus recitare, ſed ſufficienter impleret præceptum, ſi vltimo menſe recitaret ea omnia. Inde autem fit tertia concluſionis probatio. Ideò enim illud eſſet vnicum indiuiſibile præceptum, quia non præſcriberet obligationem pro ſingulis diebus, ſed pro toto anno indiuiſibiliter: ergo repugnat quod præceptum imponat obligationem pro ſingulis diebus, & quod dicatur indiuiſibiliter reſpicere totam materiam præceptam. 58.

Obiicies. Probabile eſt, quod docent Ricardus, Angelus, & Gerſon apud Caramuelem *ea diſp.* 102. *in Regul. num.* 1330. nempe Sacerdotem omittentem officium canonicum vno, aut altero die, non peccare mortaliter: ergo probabile eſt, quod vnus, aut alter dies ſit paruitas materiæ reſpectu totius anni, vel totius vitæ: ſed non poteſt eſſe vnus dies paruitas materiæ, ſi quolibet die inſtet vnum præceptum de officio canonico; cùm totum officium canonicum abſolutè ſit materia magna, & vnus dies correſpondeat vni præcepto: ergo dicendum eſt, non eſſe certum, quod pro quolibet die vnum inſtet præceptum formaliter, vel æquiualenter. 59.

Reſpondeo primò, id non eſſe probabile, alias admittendum eſſet in ieiunio Quadrageſimali, in auditione Miſſæ, &c. Oppoſitum autem eſt euidens ex Eccleſiæ vniuerſalis conſuetudine, quæ eſt authentica legum interpres, vt conſtat ex dictis *diſp.* 23. *cap.* 4. nec eius ſententiæ probabilitati ſuffragatur numerus trium, vel quatuor Authorum. Eſt enim ea opinio ex antiquatis, quam propterea omnes deinceps Theologi reiiciunt, quia oppoſita eſt moraliter euidens. Contra euidentiam autem moralem nullus Authorem numerus probabilitatem inducit. 60.

Non eſt probabile, omittentem officium vno, vel altero die, non peccare mortaliter.

Reſpondeo ſecundò, ſi illud eſſet probabile, illud quidem non poſſe eſſe tale ratione paruitatis materiæ, vt manifeſtè probant, quæ in hoc capite diximus; ſed probabile fore ex interpretatione mentis legiſlatoris, ſi probabiliter præſumeretur, non fuiſſe ſuæ intentionis ita exactè obligare conſcientiam: quod tamen de facto non præſumitur, cùm ex interpretatione legitima conſuetudinis manifeſtè conſtet, oppoſitam fuiſſe legiſlatoris mentem. 61.

Si eſſet probabile; eſſet ex præſumpta voluntate Pôtificis, non ex paruitate materiæ.

Ex dictis colliges, inintelligibile eſſe, quod ſit votum recitandi millies Pſalmos Pœnitentiales ſucceſſiuis immediatis diebus, & quod non obliget ſingulis diebus, ac ſi eſſent mille vota correſpondentia mille diebus immediatè 62.

Digitized by Google

ſucceſſiuis, atque adeò non ſolùm tres menſes non poſſe eſſe paruitatem materiæ, ſed neque vnicum diem.

63. Colliges etiam aliter dicendum, ſi ſit votum recitandi millies intra annum, vel biennium Pſalmos Pœnitentiales, non affixos ſingulis, aut determinatis diebus. Tunc enim votum reſpiceret indiuiſibiliter & per modum vnius millenas recitationes, & deſignanda eſſet paruitas materiæ proportionata millenis recitationibus. Quæ autem illa ſit, modò non definio: definienda quidem iudicio prudentum, iuxta ea, quæ communiter cenſent Theologi de paruitate materiæ in officio canonico.

CAPVT VIII.

Refutatur ſententia Caramuelis de paruitate materiæ, probabilitatis extrinſecæ, rei venereæ, & furti.

64. *An non ſit probabilis, cuius oppoſita habet pluſquam octuplam authoritatem?*

QVod ad primum attinet, Caramuel *in Regul. num.*56. verbis relatis initio diſputationis vndecimæ affirmat, eam opinionem non eſſe probabilem ab extrinſeco, cuius oppoſita habet pluſquam octuplam authoritatem. Quare ſi pro vna opinione ſunt duo Authores, & pro oppoſita ſeptemdecim, illa, quæ habet duos Authores non eſt probabilis; quia id, quod eſt minus octaua parte, eſt leue: authoritas autem leuis non dat probabilitatem. Hanc retuli *ea d. ſp.*11. *cap.*1. & latè impugnaui vſque ad certitudinem. Relege ibi dicta.

65. *An quæ eſt minor octaua parte delectationis decidentis ſemen, ſit culpa venialis.*

Quod attinet ad ſecundum, *in Regul. diſp.*69. *num.* 1055. admittens paruitatem materiæ in re venerea, ſic illam taxat: [Illa delectatio, qua octies maior ſufficeret ſemen decidere, eſt grauis, & mortaliter peccaminoſa; quæcumque eâ minor, eſt leuis.] Et mox. [Ergo delectatio, quæ eſt minor octauâ parte delectationis completæ (ni aliud periculum ſubſit) erit culpa venialis.]

66. *Si diuideretur calor in 12. gradus, delectatio nunc mortalis fieret venialis.*

Non vacat modò refutare paruitatem materiæ in re venerea, quam contra Caramuelem debellabo *diſp.* 45. Modum autem deſignandi illam ſic refello primò ex dictis. Liberum fuit Philoſophis diſtribuere calorem in duodecim, vel ſexdecim partes, vt conſtat *ex cap.*2. ergo ea delectatio, quæ eſt minor octaua parte delectationis completæ, quæ propterea eſt peccatum veniale, eſſet mortale, ſi Philoſophi diuiſiſſent calorem in duodecim partes. Conſequentia eſt euidens, quia tunc duodecima pars eſſet materia grauis: duodecima autem eſt minor octaua: ergo tunc minor octauâ eſſet peccatum mortale. Ergo quod delectatio venerea modò ſit venialis, & aliàs ſit mortalis, dependet à mero libito Philoſophorum, diſtribuentium calorem in tot, vel tot gradus. Hoc ex terminis eſt abſurdum: ergo abſurda eſt deſignatio talis paruitatis in re venerea.

67. *Ea octaua pars delectationis completæ nequit menſurari prudenti iudicio.*

Refello ſecundò. Illa non eſt paruitas moralis, quæ non poteſt menſurari prudenti iudicio: ſed diuiſio delectationis completæ in octo partes, atque adeò delectatio minor octaua parte delectationis completæ, non poteſt menſurari prudenti iudicio: ergo illa non eſt paruitas moralis, ſed paruitas chimærica. Maior ſi attentè perpendatur, videtur ex terminis nota: nam [paruitas moralis] & [paruitas menſurabilis prudenti iudicio] ſunt termini ſynonimi. Minorem verò ſi neges, oſtende, quænam ſit ſexta, quæ octaua pars delectationis completæ, & dicam, præſtare te inter omnes vniuerſi orbis viros prudentes.

Refello tertiò. Aſſerit enim Caramuel, tangere manum fœminæ eſſe peccatum veniale. 68.
Iſte tactus affert quartam, vel ſextam partem delectationis completæ: (ſcilicet aptæ ad deciſionem ſeminis) ergo vel eſt peccatum mortale, vel poteſt eſſe leuis & venialis, quamvis non ſit minor octaua parte delectationis completæ.

Conſequentia eſt ineuitabilis quam ne admittas, negandum eſt tibi antecedens. Et interrogo primò, qua menſura menſus fueris quantitatem delectationis eius tactus fœminei, vt dicas non eſſe ſextam, non eſſe ſeptimam, non octauam partem delectationis completæ, ſed octauâ minorem? 69.

Et interrogo ſecundò, an tactus delectabilis manus fœmineæ ſemper habeat delectationem minorem octaua parte delectationis completæ: an quandoque poſſit habere delectationem, quæ ſit quarta, vel ſexta, vel octaua pars delectationis completæ? Si hoc ſecundum aſſeras, practicè improbabile eſt, dari paruitatem materiæ in re venerea. Patet: vt ſit practicè probabile, debet eſſe diſtinguibile, quando delectatio eſt minor octaua parte, quando maior; ſuppoſito, quod ea delectatio vtroque modo poteſt ſe habere: atqui indiſtinguibile eſt, quando ea delectatio ſit maior octaua parte delectationis completæ, & quando minor: ergo id eſt practicè improbabile. Si verò dicas, tactum delectabilem manus fœminæ ſemper afferre delectationem minorem octaua parte delectationis completæ; egregiè deciperis. Oppoſitum enim euidenter conſtat. Nam tactus delectabilis manus fœmineæ aliquando producit pollutionem, atque adeò pertingit ad integram delectationem completam: ergo à fortiori poteſt pertingere ad medietatem illius, ad quartam, vel ſextam illius partem. 70.

Quod attinet ad tertium *in commentario diſp.* 63. *à num.*932. in materia furti diſcurrit ſimiliter, deſignat terminum paruitatis dimidium regalem, qui ſemper in materia furti eſt paruitas: terminum magnitudinis quatuor florenos, ideſt ſexdecim regales, qui ſemper conſtituunt magnam materiam, à quocumque ſubripiantur. Quantitas interiacens inter dimidium regalem & ſexdecim, dicitur eſſe materia indifferens ad grauem, & leuem reſpectiuè. Si ſit minor octaua parte redditus vnius diei, erit materia leuis, & venialis culpæ: ſi verò ſit octaua pars, vel ſuperans octauam partem redditus vnius diei, erit materia grauis & culpæ mortalis. Itaque qui furatur duos regales ab homine habente annuatim quingenta ducata, furatur materiam grauem, quia ille homo habet in ſingulos dies quindecim regales: quibus duo illi regales comparati, non ſunt minus octaua parte redditus vnius diei, ſed plus. Qui verò furatur duos regales ab eo, qui habet annuatim ſexcenta ducata, furatur materiam leuem: nam qui habet annuatim ſexcenta ducata, habet ſingulis diebus octodecim regales; 71. *Quomodo deſignet paruitatem in furto?*

duo

Digitized by Google

duo autem regales reſpectu octodecim ſunt minus octaua parte, atque adeò materia leuis.

72. *Malè deſignatur paruitas reſpectiuè ad redditus cuiuſque diei.*

Hic dicendi modus impugnatur iis omnibus, quæ ſuprà capite ſecundo propoſita ſunt. Quare ſolùm addiderim, malè aſſignari quantitatem reſpectiuam per ordinem ad redditus, quos quiſque habet vniuſcuiuſque diei. Ratio eſt, quia ditior eſt ille, qui habet quingenta ducata ad ſui ſolius ſuſtentationem, quàm qui habet quater mille ducata ad ſuſtentationem patris & matris, & vxoris, & ſex filiorum, & duorum famulorum, quibus eget. Nam quater mille ducata ad ſuſtentationem duodecim perſonarum minus ſunt, quàm quingenta ad ſuſtentationem vnius. Itaque ſi qua comparatio facienda eſt, non illa quidem eſt facienda à redditibus vnius ad redditus alterius, ſed à ſuperfluis vnius ad ſuperflua alterius. In illis autem, in quibus nulla ſunt ſuperflua, licet vnus centum, alter quinque millia poſſideat, nulla debet eſſe diuerſitas; ſed ſi vterque habet neceſſaria, & nihil ſuperfluum, æquo iure cenſendi ſunt. Nam qui alit ex debito duodecim capita, res familiaris eius non eſt cenſenda eſſe vnius, ſed duodecim dominorum, in ordine ad hunc effectum comparandi exceſſum rei familiaris, quem vnus habet reſpectu alterius.

CAPVT IX.

Euertitur alius modus adſtruendi paruitatem materiæ in officio canonico.

73. *An officium canonicum coaleſcat ex 8. partibus inæqualibus?*

COmmentario *in Regul. diſp.* 118. *art.* 4. *num.* 1462. ait: [Nota, canonicum officium moraliter coaleſcere ex octo partibus. Sed æquales iſtæ, an inæquales? quæ? quales? quantæ? Prima ſententia affirmat, componi ex octo partibus inæqualibus, nempe octo horis canonicis. Qui huic ſententiæ ſubſcribunt, dicere debent, peccare eum mortaliter, qui vnam breuem Horam omittit. (Quare?) omittit enim immediatam & grauem partem officij diuini.] Pro hac ſententia citat D. Antoninum 3. *part. tit.* 13. *cap.* 4. Cardin. Toletum *lib.* 2. *cap.* 10. 11. 12. Nauarrum *cap.* 25. *num.* 97. P. Valenciam, P. Azor *lib.* 1. *cap.* 7. P. Leſſium *lib.* 2. *cap.* 37. *num.* 53. Iacobum de Graſſis *lib.* 2. *cap.* 49. Siueſtrum *verbo*, *Hora.* Laimelzium, Tabienam, & Fuſchum. Sed nunquid negat aliquis, officium canonicum componi ex horis ſeptem, vel octo horis? Sed in primis ex octo horis componi, negant ferè omnes, ex ſeptem affirmant. Quare ergo Caramuel citat eos Authores pro octo horis, vel partibus, niſi vt ſuum numerum octonariũ partium promoueat iure, vel iniuria. P. Leſſius *loco cit.* ſeptem dixit: Nauarrus vbi citatur, nihil de hoc puncto: Graſſis eo *lib.* 2. nihil *diſp.* 49. ſed *diſp.* 50. *num.* 3. ſeptem eſſe affirmat. P. Azor *loco cit.* etiam eſſe ſeptem affirmat. P. Toletus *loco cit.* aſſerit etiam, eſſe ſeptem. Siluester *verbo*, *Hora*, dicit ſeptem. S. Antoninus, & vnus, vel alter, octo dicunt.

74. *In quem finem prædictum dirigat hanc quæſtionem?*

Sed quid ſibi vult quæſtio, an horæ ſint partes? Pauci ex citatis Authoribus hanc quæſtionem attingunt. P. Azor citatus inquirit, an ſint ſeptem quaſi officia, an potiùs ſeptem partes vnius officij? Aſſeritque, non eſſe ſeptem officia, ſed ſeptem partes vnius officij. Et mirum, quod citetur P. Leſſius, quaſi dixerit, octo horas eſſe partes officij, vbi aſſerit, ſingulas horas canonicas eſſe diſtincta officia, & multiplicari peccata mortalia pro numero horarum omiſſarum. Demus tamen Caramueli, eſſe octo partes, & videamus, quid infert.

Num. 1463. ait: [Petes, vtrum omittere decem Pſalmos in nocturnis vigiliis ſit peccatum mortale? Inſiſtendo primæ ſententiæ reſpondetur negatiuè; quia hi Pſalmi non ſunt pars officij diuini immediata, ſed pars horæ matutinæ, quæ canonici officij eſt octaua. Pars autem octauæ partis non obligat ſub culpa graui.] 75. *An omiſſio 10. Pſalmorũ in Matutino ſit paruitas.*

Id autem eſſe falſum, certiſſime oſtendo primò. Si hora matutina reputanda eſt octaua pars officij, ad menſurandam paruitatem materiæ ex eo, quod eſt minus octaua parte, fieret, non violare grauiter præceptum, qui ex Matutino etiam Dominicali ſolùm recitaret Inuitatorium, vel vnicum Pſalmum, vel hymnum. Quare eſſet paruitas materiæ omittere octodecim Pſalmos, & nouem Lectiones, & nouem reſponſoria: id tamen eſſe falſum, certiſſimè conſtat: conſtat ergo certiſſimè, non eſſe Matutinum computandum in partem octauam officij, ad menſurandam paruitatem materiæ ex eo, quod eſt minus octaua parte. Conſequentia ligat. 76.

Omiſſio 18. Pſalmorũ & 9. Lectionum & 9. Reſpõſ. eſſet paruitas?

Maior patet: nam ſecundùm Caramuelem, id, quod eſt minus octaua parte, eſt paruitas materiæ: ſed totum Matutinum, dempto hymno, vel Inuitatorio, eſt quid minus toto Matutino integrè ſumpto, quod eſt octaua pars: ergo totum Matutinum, dempto hymno vel inuitatorio, eſt paruitas materiæ. 77.

Quod verò id ſit certiſſimè falſum, quæ erat minor prioris ſyllogiſmi, conſtat: nam, vt optimè tradidit Caramuel *diſp.* 4. *in Regul. num.* 46. [Moralis quantitas dependet non niſi à prudentum hominum æſtimatione:] ſed quod dimidia ferè pars officij ſit paruitas materiæ, nulli prudenti iudicio æſtimatum eſt, nulli prudenti iudicio eſt vnquam æſtimandum; totum autem Matutinum Dominicale, dempto hymno, vel Inuitatorio, eſt ferè dimidia pars totius officij canonici: eſt ergo certiſſimè falſum, quod totum Matutinum Dominicale, dempto hymno, vel Inuitatorio, ſit paruitas materiæ. 78.

Oſtendo ſecundò. Et pono caſum, quo Alphonſus vouit in eleemoſynam pauperum vigintiquinque Regales: & quidem habet illos Alphonſus in octo ſpeciebus monetæ (ſex ſpecies vigent hodie in Hiſpania, viguerunt aliquando octo) ſcilicet vnum aureum valentem ſexdecim regales argenteos, vnum nummum argenteum valentem quatuor, alterum nummum argenteum valentem duos, vnum regalem ex cupro mixto, & quatuor dimidios regales, ex quatuor aliis monetis ex cupro mixtis, & non mixtis. 79.

Tum ſic: Iſti vinginti quinque regales, quos Alphonſus in his monetæ ſpeciebus habet, & vouit determinatè, eſt quantitas, quæ componitur ex octo partibus inæqualibus, ſcilicet ex octo ſpeciebus monetæ: ergo aureus valens ſexdecim argenteos eſt octaua pars, licèt inæqualis, eius materiæ promiſſæ: ſed quod eſt 80.

minus

Digitized by Google

minus octana parte, eſt paruitas materiæ : ergo quindecim argentei cum dimidio ſunt paruitas materiæ, reſpectu vigintique argenteorum: ergo duæ tertiæ circiter partes vnius quadrantis ſunt paruitas materiæ. Atqui duas tertias circiter partes vnius quadrantis eſſe paruitatem reſpectu totius quantitatis, certiſſimè abhorret à quolibet iudicio prudenti : ergo id, quod eſt minus octaua parte inæquali, non eſſe paruitatem materiæ certiſſimum eſt ; cùm paruitas materiæ non niſi à prudentum iudicio, & æſtimatione dependeat.

81. Dices, eas diuerſas monetas non conſtituere partes diuerſas eius quantitatis, quia quoad æſtimationem & valorem non differunt inter ſe.

82. Sed contrà eſt. Plus enim differunt nummi aurei ab argenteis, quàm Pſalmi à Pſalmis ; vel ſaltem Pſalmi à Pſalmis non plus differunt inter ſe, quàm nummi aurei ab argenteis ? ſed Pſalmi matutinales, & Pſalmi veſpertini conſtituunt partes diuerſas officij : ergo nummi aurei & argentei poterunt conſtituere diuerſas partes quantitatis.

83. Imò, ſi ſemel ſtatuatur, partes, ex quibus componitur totum, eſſe poſſe inæquales in ordine ad menſurandam paruitatem materiæ, non eſt neceſſe recurrere ad diuerſas ſpecies monetæ, ſed intra eandem ſpeciem monetæ poterunt deſignari partes inæqueles, ſicut Pſalmi intra eandem ſpeciem conſtituunt diuerſas partes. Et ſicut hi diuerſas partes dicuntur conſtituere, quia pro diuerſis horis deſignati ſunt; ita ſi nummi diuerſis horis dandi eſſent, quantumvis inæqualiter, dicendi etiam eſſent conſtituere diuerſas partes. Vnde fieret, quod duæ tertiæ partes, imò & tres quartæ partes conſtituerent paruitatem materiæ. Interroga prudentem quemlibet, an id cadat in iudicium ſuum?

84. Oſtendo tertiò. Qui vouit recitare vnum pſalterium, poteſt illud diuidere in octo partes, ita vt vna pars componatur ex omnibus Pſalmis matutinalibus, tam Dominicæ, quàm omnium feriarum ; altera pars ſit ex Pſalmis Laudum, altera ex Pſalmis Veſperarum, ſcilicet Dominicalibus & feriarum, & ſic de reliquis : ergo omnes Pſalmi matutinales Dominicæ & feriarum, ſunt octaua pars pſalterij. Atqui omnes hi Pſalmi matutinales ſunt nonaginta, iique multò longiores reliquis ; conſtituenteſque propterea pluſquam duas tertias partes (æquales) pſalterij : ergo talis octaua pars continet pluſquam duas tertias partes pſalterij : ergo illæ duæ tertiæ partes pſalterij ſunt quid minus illa octaua parte : ſed quod eſt minus octaua parte (etiam inæqualiter computata) eſt paruitas materiæ : ergo duæ tertiæ (æquales) partes pſalterij conſtituunt paruitatem materiæ. Quod concedere tam abſurdum eſt, vt ab omni prudenti iudicio abhorreat. Eſt autem euidens, non eſſe paruitatem materiæ in moralibus illam, quæ non eſt talis iudicio & æſtimatione prudentum.

Quod autem pſalterium ita poſſit diuidi in 85.
octo partes inæquales, ita vt vna pars contineat omnes Pſalmos matutinales, & altera omnes veſpertinos, &c. in hoc non eſt maior difficultas quàm in eo, quod reſpectu officij vnius diei, ad vnam partem pertineant Pſalmi matutinales, ad alteram veſpertini, &c. ſicut enim diuerſæ partes computantur in officio vnius diei, quia iſti matutinales, & hi veſpertini ſunt ; ita diuerſæ partes computari poterunt in toto pſalterio Pſalmi matutinales, & Pſalmi veſpertini.

Maneat ergo certum, abhorrere à iudicio, 86.
& æſtimatione prudentum eam computationem paruitatis materiæ, quæ deſumitur ab eo, quod ſit minus octaua parte, octo partibus inæqualiter computatis.

TRACTATVS

Digitized by Google

TRACTATVS IV.
DE
OFFICIO CANONICO.

QVÆSTIONES aliquæ ad hanc materiam pertinentes deciſæ ſunt in præcedenti tractatu, id poſtulante mutua rerum, quæ tractabantur, connexione. Vide præcipuè diſputationem vigeſimam tertiam, capite ſeptimo; & diſputationem trigeſimam primam, capite quarto, quinto, ſeptimo, & nono.

DISPVTATIO XXXII.

An illi, qui occupati ſunt per duodecim horas, liberi ſint à recitando officio canonico?

CAPVT PRIMVM.

Proponitur ſententia Caramuelis cum ſuis fundamentis.

1. AGIMVS de illis, qui ratione ordinis ſacri, beneficij, aut ſtatus religioſi per ſe obſtringuntur præcepto recitandi officium canonicum, & inquirimus, an concurrente occupatione duodecim horarum, maneant omninò immunes ab obligatione illud recitandi? Ad deciſionem quæſtionis ſupponit Caramuel occupationes, de quibus in præſenti loquimur, eſſe debere ex officio. [Quæ verò dicuntur ex officio, complectuntur omnes illas, quæ ad charitatem publicam, ſeu priuatam pertinent; vnicuique enim incumbit ex officio ſeruire Reipublicæ, cùm poteſt, & quantum poteſt; vnicuique fauere proximo grauiter periclitanti.] Ita aſſerit *diſp.* 116. *in regul. num.* 1437.

2. *Affirmat Caram. non teneri ad officium.*

Quo ſuppoſito, ibidem ait, occupatum ex officio per duodecim horas, non teneri ad recitandum officium canonicum. Probat primò his verbis: [Nunquam vidi ſeruos, aut mancipia operari pluſquam horis duodecim, vnde & diem politicum non viginti quatuor, ſed duodecim æquinoctialibus horis conſtare aſſerui: illi enim, qui famulos vltra duodecim horas quotidie occupant, tyranni potiùs, quàm domini cenſendi ſunt.]

3. Probat ſecundò. [Verè homo, licèt ſubditus ſit, ferreus non eſt, aut adamantinus, ſed carneus: indiget ſeptem, aut octo horis, vt dormiat, & multi indigent pluribus: indiget inſuper vna, vel altera, vt prandeat, & cœnet. Habet homo communes tam animi, quàm corporis neceſſitates; nec vnus, qui vtriſque careat. Corporalibus neceſſitatibus ſubueniendum eſt, quia naturalia impediri non poſſunt. Animo etiam concedi debet honeſta relaxatio, quia ſingulis diebus obſeruantiſſimis Religioſis aliqualis conceditur, & maior ſemel in hebdomada. Homo cùm animal ſociabile ſit, inacceſſibilis, & intractabilis eſſe non poteſt: amicos debet inuiſere, & eos admittere, quoties poſtulat aut moralis indigentia & neceſſitas, aut politica vrbanitas: debet ab abſentibus conueniri per litteras, & ipſis ſatisfacere. Hæc omnia talia ſunt, vt ſine vitæ naturalis, aut ciuilis diſpendio intermitti non poſſint. Igitur qui tot miſeriis laboras, rigidus, & temerarius eris, ſi diem politicum vltra duodecim horas extenderis.]

Probat tertiò ex Volaterrano, qui aſſerit, viris ingenuis vltra ſex horas non eſſe laborandum, illo verſu: [*Sex horæ tantùm rebus tribuuntur agendis:*] & addit Caramuel: [Volaterrano videtur ſubſcripſiſſe Suarius, qui, vt vidimus, ſtudioſum ab horarum lectione excuſabat ratione habendæ actionis publicæ per totam diem, hoc eſt, per duas, aut tres horas matutinas, & totidem veſpertinas, iuxta mores Vniuerſitatum. Ergo ſi quidem Suarius excuſat eum, qui vltrò, oſtentationis gratiâ, ſex horis diſputat, aut eloquitur; probabilior erit ſubſequens concluſio: Qui ex officio ſibi legitimè iniuncto ſingulis diebus duodecim horis integris occupatur, non tenetur legere officium diuinum.] 4.

Vbi vides citari Suarium à Caramuele pro aſſertione, quæ tueatur, occupatum per ſex horas non teneri ad recitandum officium canonicum. Imò & tanquam probabilem ab ipſo referri; tum quia dicit, Suarium ſtare pro ea aſſertione: quod ſufficeret ad probabilitatem extrinſecam. Tum etiam, quia ſuam concluſionem dicit probabiliorem opinione Suarij: concluſio autem probabilior aliâ ſupponit, illam aliam eſſe probabilem. Sed quo iure referatur pro ea Suarius, aut ea probabilis dici poſſit, videbis *cap.* 3. 5.

⁂

CAPVT

CAPVT II.

Oppoſitam concluſionem eſſe certam, oſtenditur.

6. ASſertio Caramuelis in eo peccat, quod ſit vniuerſalis, affirmans, quotquot duodecim horis diei occupantur ex officio & obligatione propria, liberos eſſe ab onere recitandi officium canonicum. Neque enim dubito, in aliquibus occupationis generibus tam magnum eſſe laborem, ſiue corporeum, ſiue mentalem, vt pauciores eius horæ excuſent ab onere officij canonici. Reſiliunt enim ab illo labore effectus aliqui, qui plures alias horas impediunt. Nam qui decem horas literario ſtudio ita intensè impendiſſet, vt grauem capitis dolorem accerſiuiſſet, impeditus maneret ad recitandum. Et qui per decem horas Arithmeticæ ſumptuum ſupputationibus incubuiſſet, fortè langueret viribus adeò, vt ab onere recitandi abſolueretur. Cæterùm graues & leues occupationes ex ſolo duodecim horarum tractu, & protractione æquo iure cenſeri, non patiar.

7. Et ſicut aſſertio Caramuelis vniuerſalis eſt, ita mea aſſertio vt illi contradictoria euadat, eſt particularis. Aliquando (imò & ſæpe) occupationes vltra duodecim horas protractæ non eximunt ab obligatione recitandi officium canonicum. Quam concluſionem tanquam certam propono.

8. *Occupatus per duodecim horas non eſt moraliter impotens recitandi.* Probatur primò. Ille peccat contra præceptum, qui cùm ſit phyſicè & moraliter potens ſeruare illud, non ſeruat: ſed aliqui occupati ex officio legitimo per duodecim horas, cùm poſſint phyſicè & moraliter ſeruare præceptum officij canonici, non ſeruant: ergo peccant contra præceptum officij canonici. Conſequentia tenet, & maior eſt euidens.

9. Minorem oſtendo. Sunt multæ occupationes in vita communi Sacerdotum, quæ nullum laborem corporeum afferant, nullum mentalem; & ſunt plurimi Sacerdotes, quibus ſufficiunt ſeptem horæ ad dormiendum, vna ad comedendum, & cœnandum, duæ ad reliquas neceſſitates corporeas & ciuiles: ergo ſuperſunt illis quatuordecim horæ: ergo etiamſi duodecim horas impleat occupatio officij legitimi, ſuperſunt aliæ duæ horæ ad recitandum officium canonicum. Quod patet caſibus propoſitis.

10. Petrus Presbyter eſt, & famulus honorarius Epiſcopi: eius officium eſt tota die aſſiſtere Epiſcopo, vocando miniſtros, deferendo ad Dominum negotiatores, colloquēdo cum Epiſcopo, comitando ad Eccleſiam, vel ſi quam domum adit; officium præſtat ſine vllo labore, aut mentis attentione, ſedendo, deambulando, confabulando: à ſexta matutina aſſiſtit in Palatio, vſque ad duodecimam: hora ſequens prandio conceditur. A prima hora veſpertina vſque ad ſeptimam aſſiſtit iterum. Ex vndecim horis, quæ ſibi ſuperſunt vſque ad aſſiſtentiam diei ſequentis, octo horas cœnæ & ſomno ſibi ſufficere aſſerit. Tres horas, quæ reſiduæ ſunt, ſe putat otioſum: viſitationibus amicorum, ſi fortè neceſſariæ ſibi ſunt ad vitam ciuilem, tempus nocturnum non eſt opportunum; quo tempore etiam ad res maioris emolumenti domo egredi iniquè fert: epiſtolas ad amicos abſentes vna ſola hebdomadis die ſcribit, in qua tabellarius diſcedit; cùm fruatur bona valetudine, aliis neceſſitatibus corporis non ſeruit, niſi quæ breui momento expediuntur; honeſta recreatione non indiget ad relaxandum animum; nam tota die relaxat animum ſedendo, deambulando, confabulando. Quo ergo iure omnibus Sacerdotibus, & beneficiariis adſcribitur, quod egeant ad neceſſitates naturales, & ciuiles horis duodecim, cum ſint plurimi, quibus multò minùs temporis neceſſarium eſt?

Plurima alia officia Sacerdotum, & Beneficiariorum ſunt præcedenti quoad hoc ſimilia. 11.
Rector Xenodochij ſolet eſſe, cui quamuis non incumbat turbæ plurimæ cura, ille tamen non paucos curat; ideóque totam diem inſumit iubendo, diſponendo, viſitando, comitando Medicum, chirurgum, & phlebotomum, pharmacorum chirographa ſcribendo, pecunias emptori credendo, ſupputationes ſumptuum conferendo cum œconomo: quæ omnia nihil corpori laborioſum, nihil menti afferunt. Et poſt duodecim horas diei, totidem alias noctis ſibi vacat. Similiter Petrus per menſem, aut, ſi mauis, diutiùs aſſiſtit fratri ægrotanti ſingulis diebus duodenas horas. Amici, qui ſciunt tam ſanctè impeditum, nolunt impedire, nec aliter eum impediri; abſentium epiſtolæ vno dumtaxat die hebdomadæ expediuntur; relaxatione animi non eget, qui cum ingredientibus & miniſtris ferè tota die colloquitur. Talia ſunt multa alia officia, quæ quia non incumbunt mentalibus, modica, aut nulla relaxatione animi egent. Ergo qui talibus vacant non ſunt impotes ſeruandi præceptum officij canonici.

Confirmatur primò. Ideò ſecundum Caramuelem, qui duodecim horas officio dederunt, 12.
recitare non tenentur, quia reliquo tempore egent ad neceſſitates naturales & ciuiles: ciuiles quidem, viſitandi amicos, & viſitationes ſuſcipiendi, quantum neceſſe eſt, ne auſterus, & inurbanus habeatur; ſcribendi epiſtolas, relaxandi animum: ergo ſi Petrus nullas habeat neceſſitates ciuiles; & officium, quia tenuiſſimi laboris, non egeat relaxatione animi, ceſſabit omninò ratio excuſans à præcepto; ceſſante autem ratione, quæ excuſat à præcepto, præceptum vrget: ergo dantur caſus, in quibus poſt duodecim horas officij vrget præceptum recitandi horas canonicas.

Confirmatur ſecundò. Propter impotentiam
moralem aliorum ad obſeruationem præcepti, 13.
non eximor ego ab onere præcepti. Sic accidit plerumque in oppidis paruis, vt maxima pars ciuium non obſtringatur præcepto ieiunij, quia ferè omnes incolæ vacant mœchanicis laborioſis. Numquid propterea reliqui ciues, quia pauciores, abſoluuntur ab ea obligatione? Ergo quamvis plurimi homines habeant neceſſitates ciuiles, quibus incumbant, & proptereà abſoluantur ab onere recitandi; illi tamen, qui carent eiuſmodi neceſſitatibus, quare abſoluendi ſunt? Perperam ergo traditur regula generalis ad excuſandum à præcepto, cùm ratio excuſandi non ſit generalis.

Confirma

14. Confirmatur tertiò. Ex prædicta ſententia, quam impugnamus, infertur, communes viſitationes amicorum eſſe cauſam excuſantem à præcepto recitandi, quatenus eam cenſet neceſſitatem propriam, ne auſterus, & inurbanus iudicetur. Inde autem fieret, quod qui ſex horas mane officio ſuo vacaſſet, poſſet veſpere ſex, aut ſeptem horas vacare his viſitationibus, ne auſterus & inurbanus habeatur; & ita excuſaretur ab onere officij canonici. Vtrumque autem eſſe certò falſum, ſiue poſt ſex, ſiue poſt duodecim horas, probo. Nam ſecundùm Caramuelem *num.* 1436. eſt paritas à præcepto ieiunij ad præceptum officij canonici. Sed non poteſt ſolui ieiunium, ne auſterus videaris ad inſtantiam amici: de quo vide Leandrum à SS. Sacr. *part.* 3. *tract.* 5. *diſp.* 8. *quæſt.* 150. & 151. ergo non potes omittere officium canonicum, ne auſterus videaris.

15. Dixi, omnes viſitationes amicorum: quia aliqua extraordinaria eſſe poteſt, in qua impoſſibile moraliter ſit propter reuerentiam debitam perſonæ illam à te expellere eo tempore, quo expleturus eras præceptum horarum.

16. *An dies politicus ex 12. horis computandus?*

Dices primò ad præcipuum argumentum, præceptum non obligare, niſi per diem politicum: tranſactis autem duodecim horis occupationis, iam tranſiit dies politicus; atque adeò ceſſat obligatio.

17. Sed contra eſt. Nam cùm Eccleſia intra totum diem naturalem viginti quatuor horarum concludat officium canonicum, recitandum vtique intra illum terminum; & tu velis interpretari præceptum, & contrahere ad diem politicum; non ex alio capite potes ita contrahere, niſi ex capite impotentiæ moralis. Ideò enim contrahis, quia cenſes illum ampliùs laborare non poſſe. Et ideò dicis, eſſe tyrannum illum Dominum, qui laborem mancipij protrahit vltra duodecim horas, eo quod homo neceſſitatibus ſubiectus non poteſt ampliùs laborare: ergo tota ratio contrahendi obligationem ad diem politicum, eſt ſolùm impotentia moralis. Sed hæc ceſſat in caſibus prædictis: ergo ea ceſſante non debet obligatio recitandi contrahi ad diem politicum.

18. Vrgeo. Dies politicus contrahitur ad duodecim horas, quia ampliùs laborari non poteſt: ergo ſi conſtet, laborari poſſe duas alias horas, dies politicus ad quatuordecim ampliandus eſt: ſed ita contingere in caſibus ſupradictis, demonſtratum eſt: ergo conſtat, diem politicum in illis caſibus, & in occupationibus leuioribus ad plus quàm duodecim horas eſſe ampliandum.

19. Dices ſecundò. Qui duodecim horas eſt occupatus ex officio, impotens moraliter eſt ad recitandum, quia eget reliquis horis ad vitæ neceſſaria. Quare falſa eſt minor primi ſyllogiſmi, quæ aſſerit, eum ſoluere præceptum, cùm poſſit implere.

20. Contrà eſt. Nam ex dictis conſtat, multos eſſe caſus, in quibus Sacerdotes, aut beneficiarij non egent reſiduis duodecim horis ad vitæ naturalis, aut ciuilis neceſſitates ſublenandas. Quæ reſponſio ex argumentis etiam ſequentibus impugnatur.

21. Probatur ſecundò concluſio. Si propter occupationem qualemcumque duodecim horarum ex officio Eccleſiaſticus abſolueretur ab onere recitandi horas canonicas, laicus propter eiuſdem temporis occupationem abſolueretur ab onere audiendi Sacrum die feſto: hoc eſt certò falſum: ergo & primum.

22. Maior à paritate, imò ab identitate rationis certa eſt. Non enim eſt maior obligatio audiendi Sacrum, quàm recitandi officium canonicum. Minorem autem eſſe certam, inde probo, quia eſt communis perſuaſio omnium fidelium, in genere occupationum, eas ſolas excuſare à præcepto audiendi ſacrum, quæ neceſſariæ ſunt, & moraliter incompatibiles cum auditione Sacri pro ipſo tempore, quò Sacrum celebratur. Vnde ab omnibus cenſetur reus contra Miſſæ præceptum, qui Miſſam omitteret, quia poſteà duodecim horas eſſet occupandus. Vniuerſalis autem fidelium perſuaſio euidentiam facit, quando hæc vniuerſalis perſuaſio probat, præceptum ita eſſe conſuetudine receptum. Quæ conſuetudo eſt legum authentica interpres, *ex capite, Cùm dilectus, de conſuetudine*, vt patet *ex diſputatione* 23.

23. *Occupati per 12. horas, habent modum facilem implendi præceptum, ex Caram. Cum quo non ſtat impotentia moralis.*

Probatur tertiò. Qui habent duodecim horas occupationum incompoſſibilium cum officio canonico, habent modum facilem ſatisfaciendi huic obligationi: ſed implicat, quod qui habent modum ſatisfaciendi, excuſentur ab obligatione ob impoſſibilitatem moralem: ergo qui habent duodecim horas occupationum incompoſſibilium cum officio canonico, non poſſunt excuſari ab obligatione ratione impoſſibilitatis.

24. Conſequentia eſt euidens: minor patet ex terminis, & maior eſt Caramuelis, qui *diſputat.* 116. *n.* 1440. inſcribit hunc titulum: [Modus facilis ſatisfaciendi officio, etiam cùm negotia ſint grauia.] Et poſtquam propoſuit diſtributionem temporis cōmodam, addit: [Ecce modum, quo canonico officio ſatisfacies ſine diſpendio temporis, qui ſtudiis vacas, aut negotiis obrueris.] Et nota *obrueris*; quod verbum non limitat occupationem ad duodecim horas. Nota etiam, quod hæc dixit Caramuel in ea ipſa diſputatione, vbi agit de nimia occupatione horarum. Itaque ibi dixit, excuſari Sacerdotem ab obligatione officij canonici, propter occupationem duodecim horarum; & addidit, occupatiſſimos quoſque habere eundem modum facilem implendi obligationem. Implicat ergo terminos, dum dicit, duodecim horas occupationis afferre impoſſibilitatem moralem recitandi; & adhuc viros duodecim horas occupatos habere modum facilem recitandi & implendi eam obligationem: *Facile* enim, & *impoſſibile moraliter*, ſunt termini inuicem repugnantes, ſicut *facile*, & *difficile*.

25. Sed hoc ipſum magis expreſſit Caramuel *fundam.* 53. *num.* 1446. dum hoc ipſe argumentum ſibi efformat, vbi de ſeipſo loquens, ait: [Dico primò ad mentem Caramuelis, caſum, qui proponitur eſſe impoſſibilem. Nam *numero* 1440. ponit hunc titulum: *Modus facilis ſatisfaciendi officio, etiam cùm negotia ſint grauia.* Et in fine paragraphi: *Ecce modum, quo canonico officio ſatisfacies, ſine diſpendio temporis, qui ſtudiis vacas, aut negotiis obrueris.* Toto ergò cœlo abeſt ab admiſſione hypotheſis, quæ negotiorum, & lectionis incompoſſibilitatem

Digitized by Google

ſupponit: qui dicit eſſe facile ſatisfacere officio diuino, etiam cùm negotiis obruimur.] Ecce negat Caramuel occupationum, & negotiorum incompoſſibilitatem cum officio canonico, qui occupationem duodecim horarum dixerat excuſare ab eo onere, non ob aliam rationem, quàm ob ſummam difficultatem, ſeu impoſſibilitatem moralem, quæ duo vel manifeſtè ſibi inuicem repugnant, vel reuocauit in Theologia fundamentali priorem ſententiam; de quo ei gratulabor.

CAPVT III.

Impugnatur fundamentum ſiniſtrè deſumptum ex P. Suario.

26. *Siniſtrè interpretatur Suarium.* EX *cap.* 1. *fine*, conſtat, citari P. Suarium à Caramuele pro aſſertione affirmante, occupatum per ſex horas non teneri ad officium canonicum. Leuiſſimo tamen nititur fundamento ad illum Doctorem ita citandum; nempe, quia dixerit, eum, qui actum literarium generalem mane & veſpere in vniuerſitate aliqua tuetur (qui ad ſummum durat tres horas manè, & tres veſpere) excuſari ab officio canonico. Et ſi id ſufficit: etiam poſſet inferre, occupatum per quatuor horas non teneri ad recitandum horas canonicas: quia in multis Vniuerſitatibus & & ſtudiis generalibus, ſolùm durat actus per duas horas matutinas, & duas alias veſpertinas.

27. Leuitatem fundamenti demonſtro primò ex verbis Suarij *tom.* 2. *de Religione*, *lib.* 4. *de horis canonicis*, *cap.* 27. *num.* 35. [Si Scholaris velit publicam actionem literariam per integrum diem habere, & *recitare non poſſit*, non tenetur actionem dimittere, etiamſi abſque peccato poſſit.] In primis ergo malè citatur Suarius, qui non dixit abſolutè, eum liberari ab onere recitandi, ſed ſub ea conditione, *ſi recitare non poſſit*. Aſſero ergo cum P. Suario, occupatum legitimè per ſex, aut per quatuor horas, non teneri ad recitandum, ſi recitare non poſſit.

28. *Qui mane & veſpere habet actum literarium, impeditas habet totas 24. horas.* Demonſtro ſecundò. Scholaris, qui habet eum actum literarium manè, & veſpere per quatuor vel ſex horas, impeditas habet totas viginti quatuor horas diei (niſi ingenij facilitate, & humorum ingenuitate polleat:) ergo hinc malè deducitur argumentum, vt probetur, occupationem ſex horarum vel duodecim abſoluere hominem ab onere recitandi officium canonicum; cùm nulla ſit conſequentia ab occupatione totius diei ad occupationem ſex horarum, vel etiam duodecim.

29. Antecedens oſtenditur, ſupponendo, ad talem actum requiri temperatiſſimam capitis diſpoſitionem, eo quod talis actus requirat ſummam attentionem, tum ad repetendum formalia verba arguentium, tum ad ſatisfaciendum argumentis, quæ quandoque ſubtilia ſunt, & multam mentis attentionem requirunt; cui capitis temperamento quæuis alia attentio præcedens nocere poteſt. Itaque neceſſarium eſt, quod caput ſit à ſopore liberum; & ideò oportet, propugnatorem theſium ſummo mane euigilare. Si ſurrexit è lecto hora ſeptima, impeditus eſt, ne attentionem præſtet vſque ad horam octauam, vel nonam, qua actus inchoatur. Poſt actum matutinum accipit propugnator cibum modicum, qui vires eruat, non obruat. Tempus ergo intermedium inter actum matutinum & veſpertinum multo magis impeditum eſt: tum quia laſſitudo capitis procedens ex actu matutino reparanda eſt, & quantum fieri poterit, minuenda: tum præcipuè, quia actus veſpertinus habendus eſt poſt cibum meridianum, qui vapores immittit capiti, attentionem intercludentes. Poſt actum veſpertinum manet caput laſſitudine defatigatum, quæ in totum corpus redundat: nam ſumma attentio, quæ ibi exercetur, & ferè continua locutio tanti temporis magnoperè debilitat: ergo ex illo actu relinquitur effectus, qui reſiduum veſperis, & noctis tempus omninò impedit. Ecce totas viginti quatuor horas impeditas; & quam dicebas ſex horarum, eſſe occupationem vigintiquatuor.

Tertiò. Nam ex impotentia recitandi excuſat eum Suarius, *ſi recitare non poſſit*: ergo 30.
malè infertur per ſex, vel per duodecim horas, qualiſcumque occupationis leuis, vel laborioſæ excuſari hominem ab eo præcepto, ſi cum prædictis duodecim horis componatur potentia moralis ad recitandum, qualiter contingit in plurimis occupationibus, quæ nec mentem onerant.

CAPVT IV.

Argumentis Caramuelis occurritur propoſitis capite primo.

AD primum argumentum reſpondeo, ſeruos, aut mancipia non debere operari 31. *An ſerui non poſſint cogi ad ſeruiendũ vltra 12. horas in mediocribus?*
vltra duodecim horas in iis, quæ ſunt nimij laboris, ſecus in communibus, & domeſticis. Alioqui ſi ſeruus domeſticus operatus eſt à ſexta matutina ad ſextam veſpertinam, & proptereà non eſt ampliùs operaturus, incœnati abibunt ad lectum dominus, eiuſque domeſtici, ſi non ſit alius, qui afferat panem, vinum, cibos, fortè non niſi illa hora adducendos; ſi non ſit alius, qui ſternat menſam, aptet vaſa, aquam deducat, &c. Nec propterea tyrannus dicendus eſt dominus, qui ſexdecim horis exercet ſeruum in mediocribus, & communibus: alioqui tyrannus dicendus erit dominus, qui octo horis exercet ſeruum in valde laborioſis, cum maiorem ſeruo laſſitudinem afferant iſtæ octo, quàm illæ ſexdecim. Vnde inferes, quam malè concludatur dies politicus intra duodecim horas; cùm aliis occupationibus octo horæ ſufficiant; & in aliis horæ ſexdecim non æquiualeant. Iniquum enim eſt æquare diuturnitate temporis, quæ menſuranda ſunt intenſione laboris. Itaque ſi labor talis ſit, vt poſt duodecim horas ſeruus ſit impotens (id eſt, valde fatigatus) ad vlteriorem operationem, dominus dicetur tyrannus. Si verò labor ſit exiguus, vel mediocris, licet tempore protractus, taliter, vt nulla impotentia morali, nulla nimia laſſitudine afficiatur, quid obſtat, vt eum mediocrem laborem continuet? Quod, proportione ſeruata, de onere recitandi horas canonicas dictum puta.

Ad

Digitized by Google

32. Ad ſecundum concedo, homines non eſſe ferreos, nec adamantinos, ſed carneos: egere ſeptem, vel octo horis vt dormiant, vna, vel altera, vt prandeant, & cœnent. Item habere corporales neceſſitates, quibus ſimul ſumptis multi vix ſemiquadrante horæ ſatisfaciunt. Neceſſitatibus animi, quibus tempus inſumendum ſit, omnes laborare, nego: honeſtam animi relaxationem concedendam eſſe, qui mentalibus occupationibus incumbunt, verum eſt; non tamen externis & mediocribus occupationibus, præcipuè illis, quæ ſecum afferunt eam relaxationem colloquendo, ambulando, plura externa videndo. Inde autem fit, ei, qui mediocri labori externo vacauit duodecim horis multùm temporis ſupereſſe, vt recitare poſſit.

33. Ad id, quod dicitur de amicis inuiſendis, & ſuſcipiẽdis, ne quis auſterus & inurbanus cenſeatur, multa diſtinctione opus eſt. Quid ſi Clericus inter occupationes ſuas externas hæc officia impleat, vt contingit iis, qui ex officio aſſiſtũt tota die Epiſcopis, Magnatibus, &c. Quid ſi auſterus reipſa ſit, eiuſq; ingeniũ paucas ex his viſitationes patiatur? Quid ſi eiuſmodi viſitationes noxiæ ſint moribus eius, & ad ſalutem animæ ſuæ videat oportere fugam earum? Nec inficior, tanti momenti eſſe poſſe acceſſum ad Principem, vel Epiſcopum, & tam intempeſtiuo tempore ex neceſſitate habitum, vt licitè poſſit propter eum omitti officium; ſicut & tantæ reuerentiæ perſona, quæ Clericum viſitat vſque ad multam noctem, quo tempore recitandum erat, vt etiam ab eo onere excuſet. De epiſtolis autem dixi, quæ vno die fiunt, non afferre pro tota hebdomada conſequentiam. Illo autem die, quo ſcribuntur epiſtolæ liber eris ab onere recitandi, ſi ipſas omittere non poſſis, & ipſæ afferant tibi moralem impotentiam recitandi.

34. In quibus omnibus vides ſummam occupationum inæqualitatem, quarum aliquæ magnam afferunt difficultatem ad horas recitandas; aliæ vero paruam, vel nullam; & ideò non poſſe vno æquali iure cenſeri, quæ tam inæqualiter hominem impediunt; vel potiùs quarum aliquæ impediunt, aliquæ non impediunt.

35. Ad tertium ex Volaterrano reſpondeo: quamvis ille magnæ eſſet authoritatis, adhuc nihil aſſertioni noſtræ officit. Ille enim non aſſeruit, hominem ſex horas mediocri labore occupatum, impotem manere ad vlteriorem exigui laboris occupationem. Item loquitur de actionibus ſolùm externis, quibus homines vacare ſolẽt, non de iis, quæ ad animum ſpectant. Multò minus eſt ad rem, quod affert ex Suario, vt demonſtratum manet capite præcedenti.

CAPVT V.

Vindicatur P. Suarez ab inconſequentia illi à Caramuele obiecta.

36. *An quis teneatur deſerere officium ſuum incompatibile cum officio canonico.*

NEc omittendum eſt in præſenti, quantâ iniuriâ afficiat Suarium, dum illum inconſequentiæ arguit, quòd dixerit, obligatum ad horas, non teneri omittere actum litterarium totius diei in Vniuerſitate exercendum; teneri tamen deſerere officium, quod cum recitatione horarum habitualiter incompatibile eſt, vel diſpenſationem petere. [Vtrumque tamen (inquit *n.*1439. Caramuel) falſum eſt, & ex ipſius Suarij doctrina propugnari non poteſt. Nam aſſerente eodem Authore, qui oſtentationis gratiâ vult integro die actionem publicam litterariam facere, poteſt omittere officium diuinum, *vt ea meliùs fiat* (hæc verba inuertunt aſſertionem Patris Suarij) nec tenetur propoſitam actionem intermittere. Atqui Petrus potiùs tenetur officio, quam velleitati ſatisfacere: ergo cui licèt potiùs officium canonicũ omittere, quàm actionem oſtentationis vltrò admiſſam, poterit etiam omittere potiùs officium, quàm conditionem, ſeu dignitatem illam, quam habet.

Præterea ſi occupatio ſit publica, putà ſi Petrus ſit aut Concilij Præſes, aut Regni Gubernator, aut pauperum Prouiſor, aut Magiſter ægrorũ, &c. non poteſt Petrus præponere priuata publicis, nec cenſendus eſt iuſſiſſe Pontifex, vt communibus particularia præponat; ſeruire debet Reipublicæ, & patriæ quando, & quantum poteſt; nec ei officium legendum alicui debet eſſe impedimento. 37.

Probatur id clariſſimè primò. Quia ſicut Pōtifex non poteſt indicere horarum lectionem *in damnum ſalutis priuatæ*, ſic nec *in damnum ſalutis publicæ*: ergo ſicut Petrus non tenetur obedire Eccleſiæ legi cum *ſalutis graui detrimento*, ſic nec cum *graui detrimento Reipublicæ*. 38.

Secundò. Quia Pontifex noluit præcipere officij canonici lectionem, in propoſitis caſibus. Quod probo euidenter. Summa eſſet imprudẽtia velle, quod Suarius non ſcriberet doctiſſima illa volumina, quæ illuſtrãt Eccleſiam militantem; imperitia eſſet malle, quod Petrus horas legeret, quàm audiret confeſſiones; rigor iniquus eſſet, Paulum ita lectione impedire, vt ægro grauiter periclitanti opitulari non poſſet; tyrannis titulo recitationis præcipere Ioanni, ne faueat, & ſeruiat Reipublicæ aſſiſtentiâ indigẽti. Atqui Eccleſiæ & Pontifici eſt iniurius, qui ita ius canonicum explicat, vt legiſlatores habendi ſint rigidi, tyranni, & imprudentes: ergo dicendum eſt, Pontifices noluiſſe in talibus caſibus ad horarum recitationem obligare, nempe cùm ex officio ſuo habet occupationes ita graues, vt non conſiſtant cum horarum lectione.] Hucvſque Caramuel contra inconſequentiam, quam attribuit P. Suario, magna Authoris laudatione admixtam. 39.

Sed ſanè fingit hoſtem, quem percutiat: ipſe enim in hoc puncto reuerà ſequitur ſententiam Suarij, & has argumentationes ex Suario tranſcripſit: conferamus vtriuſque ſententiam. Suarius ait, deſerendum eſſe officium, quod obſtat habitualiter recitationi horarum, addens hæc verba intra parentheſin: *Quod ſemper intelligo, ſecluſa ſpeciali cauſa charitatis, de qua ſtatim.* Ait itaque non eſſe deſerendum officium, vbi eſt ſpecialis cauſa charitatis. Caramuel autem *in eo num.* 1457. citato, explicans qualitates officij, quod exonerare poteſt obligatione recitandi, ait: [*Quæ verò dicuntur ex officio, complectuntur omnes illas, quæ ad charitatem publicam, vel priuatam pertinent.*] Vnde infero: ergo occupationes illæ, quæ nec ad charitatem publicam, nec priuatam pertinẽt, non ſunt eius qualitatis, quæ poſſint excuſare ab onere recitandi: ergo ſi incompatibiles ſunt cum officio canonico, & non excuſant ab officio canonico, illæ neceſſariò deſerendæ ſunt. Conuenit ergo cum Suario, dum illum impugnat. 40.

Caram. eſt eiuſdem ſententiæ cum Suario in eo quod impugnat, & ab hoc tranſcripſit.

Digitized by Google

41. Quod ſi P. Suarius dixit, deſerendum eſſe officium habituale concionatoris, vel lectoris, *ſeclusa ſpeciali cauſa charitatis*, id intelligendum quia non deſunt in orbe terrarum, qui ſine vtilitate audientium concionantur, & legunt: vel qui exercitio ſui muneris occupãt locum, quem alij cum maiori vtilitate Reipublicæ præſtarent. In quibus caſibus ſi recitare non poſſunt, fateri Caramuel debet, eos teneri deſerere officium, cùm neque *charitati publicæ, aut priuatæ* incumbant, quando etiam ſine damno ſuo graui deſerere poſſunt.

42. Quod autem ex P. Suario eas argumentationes deſumpſerit Caramuel, patet, ſi conferas cum hac periodo P. Suarij *num.* 35. [Aliquando fortaſſe non erit graue peccatum, non ſubuenire proximo ægrotanti, etiamſi per vnam, aut duas horas grauem dolorem, vel aliud ſimile incommodum patiatur; & nihilominus ex charitate illi ſuccurrere, etiam dimittendo officium (canonicum) poteſt non ſolùm eſſe licitum, ſed etiam melius. Nam ſi ego debeo diligere ſicut me ipſum, & *propter vitandum dolorem in me, poſſum dimittere officium*, etiamſi abſque peccato poſſem ſufferre dolorem; cur non erit *idem circa proximum?* Propria ergo ratio huius excuſationis non eſt perplexitas, vel cõcurſus præceptorum, ſed eſt, quia præceptum humanum non cenſetur obligare cum talibus circumſtantiis, & cum tanto grauamine charitatis.] In quo differt ab his verbis illa prima probatio clariſſima Caramuelis poſita *num.* 38. Exempla autem poſita in probatione ſecunda, corollaria ſunt ex hac Suarij doctrina: ſpecialiter confer ea verba Caramuelis: *Rigor iniquus eſſet Paulum ita lectione impedire, vt ægro grauiter periclitanti opitulari non poſſit.*

43. Miror deinde, quod actum litterarium generalem appellet Caramuel velleitatem; cùm ab his actibus dependeat multorum profectus in doctrina, qui conſiderantes difficultatem huius actus, ſtudio litterarum accuratè incumbunt. Id autem ſtudium multorum maximè neceſſarium eſt ad publicam vtilitatem Reipublicæ, ſiue Eccleſiaſticæ, ſiue ſæcularis.

44. Sed vt rectè componas hæc omnia cum doctrina Patris Suarij, placet ad ſingula Caramuelis argumenta reſpondere. Ad primum propoſitum *num.* 36. negó ſuppoſitum minoris, quod actus litterarius generalis ſit velleitas; eſt enim actus ad bonum publicum maximè vtilis. Deinde diſtinguo eandem minorem: Petrus tenetur potiùs officio ſatisfacere, [ſi charitas, vel vtilitas requirat,] concedo; [aliàs,] nego: & ſub eadem diſtinctione admittenda ſunt, quæ adduntur numero ſequenti.

45. Ad primam probationem clariſſimã admitto totum, quod proponit, & omnes caſus, in quibus ea verificantur. Ad ſecundam probationem aio, imprudentiam legiſlatoris fore, velle quod P. Suarius non ſcriberet doctiſſima illa volumina, ſi ea impedirentur recitatione horarum; ſcripſit tamen illa, nec impedierunt, quominus penſum horarum perſolueret. Ideò examinare oportet, an vera ſit incompoſſibilitas recitandi, quam ſibi quiſque facilè finget.

46. *Suarium recitaſſe quotidie officium de Reſurrectione ſubdo- ſum eſt.* Scio Caramuelem ibidem ex quadam leui cõiectura ſuſpicari, P. Suarium recitauiſſe quotidie officium breuiſſimum de Reſurrectione. Quod iniquo animo tulit P. Pellizarius *tom.* 2. *Manual. Regul. tract.* 10. *c.* 6. *n.* 17. *monito* 2. vbi ſic ait: [Quod autem dicitur de Suarez, puto improbabile, cùm teſte Alegambe in Bibliotheca Scriptorũ Societatis, *verb. Franciſcus Suarez*, is quotidie oraret per duas horas cum dimidia. Et interdum diceret, ſi ipſi neceſſitas imponeretur amittendi vel horam orationis, ſolitã fieri quotidie à Religioſis Societatis, vel ſcientiam tot annorum labore adquiſitam, æquiori laturum animo huius, quàm illius amiſſionẽ. Quomodo enim Suarez recitãdo quotidie officium Reſurrectionis ſubtraxiſſet tempus orationi debitæ ex præcepto Eccleſiæ, qui quotidie per duas horas cum dimidia vacabat orationi, quam ſine vllo peccato omittere poterat?] Quibus adde, Suarium citatum dixiſſe *n.* 32. [Errant valde, qui putant, propter contemplationem etiam altiſſimam poſſe diuinum officium omitti.] Vide *in addit. num.* 29. & *diſp.* 33. *num.* 111.

Ad ſecundum caſum eius ſecundæ probationis, concedo, fore imperitum, ſi legiſlator mallet Horas recitari, quàm confeſſiones audiri tanto tempore, vt vnum cum alio eſſet moraliter incompoſſibile: quod concedit Suarius, dum ait, ſe id ſemper intelligere, ſecluſa ſpeciali cauſa charitatis, quæ in confeſſionibus audiendis communiter reperitur. 47.

Ad tertium, illum quidem eiſdem ferè verbis deſũpſit ex Suario in fine periodi relatæ *n.* 42. 48.

Ad quartum caſum iuxta doctrinam Suarij, do eſſe tyrannidem, ſi velit legiſlator titulo recitationis Horarum, ne Ioannes ſeruiat Reipublicæ indigenti eius aſſiſtentia, cum qua ſit moraliter incompoſſibilis Horarum recitatio; vtique ſi Reſpublica verè indiget eius aſſiſtentia, quod non ſemper euenit; quandoque enim gubernator ſeruiret multò amplius Reipublicæ, ſi clauum eius deſereret, & prudentiori alij locum daret. 49.

DISPVTATIO XXXIII.

An officium canonicum habeat partes alias extrinſecas, & alias accidentales materiæ præceptæ?

CAPVT PRIMVM.

Mens Caramuelis.

DISPVTAT. 105 *in Regul.* affirmat, apud Benedictinos precationem illam, quæ incipit, *Pretioſa*, & dici ſolet in fine Primæ, non eſſe partem officij canonici Benedictini. Deinde *n.* 1365. *b.* §. *ſi de Sacerdotibus*, addit: [Puto enim, apud Romanos *Pretioſa*, non eſſe officij canonici partem. Et oſtendo, quoniam ab ipſis nec feria quinta, nec ſexta hebdomadis maioris legitur; cùm tamen in eiſdem totum officium diuinum legatur.] Attentè conſidera, lector, hanc rationem, & vide quantas; & quales conſequentias producat. Subdit immediatè: [Sanè ſi non ſit diuini officij pars, non video, cur debeamus dicere, illam moraliter eſſe obligatoriam.] Quare commiſſionem illius neque venialem culpam eſſe, apertè aſſerit. 1. *An Pretioſa, in Prima, ſit extrinſeca officio?* *Et an ideo omitti poſſit abſque veniali?*

Idem

Digitized by Google

2. Idem affirmat *num.* 1365. *c.* §. *Maior,* de lectione Completorij, *Sobr. eſtote,* & reproducit eandem rationem, quod feria quinta & ſexta hebdomadæ maioris non recitatur.

An idem ſit de Lectione, Sobrij eſtote?

3. Deinde *diſp.* 118. *num.* 1454. *fine,* ait, eſſe aliquas orationes, quæ extrinſecæ ſunt, & non obligatoriæ, ſubdens: [Tales ſunt in omnibus Breuiaris *Pater, Aue, & Credo.*] Loquitur autem de his, quæ [dicuntur ante, vel poſt officium canonicum.] *Num.* 1458. *B.* rationem dat, quare hæ tres orationes non ſint partes officij Benedictini: quia regula *c.* 9. dicit incipiendas eſſe horas à verſu, *Deus in adiutorium:* ergo non incipit officium per eas orationes. Quod autem in omnibus Breuiariis ſint eæ tres orationes omnino extrinſecæ officio, ſine probatione affirmat.

An idem ſit de Pater N. Aue M. *&* Credo.

4. Deinde *n.* 1458. *b.* §. *omnes,* partes officij diuini alias dicit eſſe ſubſtantiales, alias accidentales, dequibus ſic ait: [Omnes partes intrinſecæ diuini officij in conſcientia obligant, ſed diuerſimodè. Accidentariæ ſemper leuiter, ſubſtantiales grauiter, dum materia eſt magna.] Sed quæ ſunt iſtæ partes accidentales, ſine quibus ſtat ſubſtantia materiæ præceptæ?

An partes officij aliæ ſint ſubſtantiales, aliæ accidentales? Et an hæ leuiter obligẽt?

5. *Num.* 1455. ait, Antiphonas eſſe partes accidentales in officio Romano, his verbis: [Antiphonæ, quæ ad Pſalmos dicuntur... in officio Romano ſunt leuiter obligatoriæ, & accidentariò complent, & adintegrant officium diuinum.] Et *num.* 1418. *b. fine,* rationem exhibet, quare ſint accidentales, his verbis: [Antiphonas iudico non eſſe de eſſentia diuini officij, quia ſi eſſentiales forent, non conceſſiſſet legiſlator *cap.* 17. paruis communitatibus licentiam illas omittendi: non minùs enim communitates paruæ, quàm magnæ diuino officio quoad ſubſtantiã ſatisfacere tenentur: ergo qui in officio Romano omnes antiphonas omiſerit, non mortaliter, ſed venialiter peccabit.]

An Antiphonæ ſint partes accidentales, & leuiter obligatoriæ?

6. Lectiones, & reſponſoria eſſe partes officio canonico accidentales, conſequenterque leuiter obligatorias, affirmat eodem numero, §. *lectiones,* his verbis: [Lectiones, & Reſponſoria in Maturinis non ſunt partes ſubſtantiales officij diuini. Ita Thomas Sanchez *(attende errorem citationis enormem cap. ſequenti præſcribendum) in ſumma tom.* 1. *lib.* 1. *c.* 19. *n.* 8. vbi aſſerit, eum, qui legit quod Diurnale continet, diuinum officium quoad ſubſtantiam perſoluiſſe.] Et eodem modo eum citat *diſp.* 117. *num.* 1444.

An Lectiones, & Reſpõſoria ſint partes accidentales?

7. Sed quare Lectiones, & Reſponſoria ſunt partes accidentales: Rationem exhibet, quia D. Benedictus permiſit Præſidi breuiare Lectiones in choro: inde colligitur, eas non eſſe partes ſubſtantiales. Hinc intelliges (inquit) cur D. Benedictus permiſerit Præſidi in choro, & à fortiori cuique priuatim Lectionum abbreuiationem, quia videlicet non ſunt de officij ſubſtantia; & æquum cenſuit, accidentalia diminui, vt ſubſtantialia meliùs perſoluerentur.]

8. Et quamvis hæc ita perſpicuè aſſeruerit Caramuel, adhuc vocandum eſt in quæſtionem, an Caramuel, cùm loquitur de officio Romano, loquatur ſolùm de illo, vt recitando à Benedictinis; an potiùs de officio Romano per ſe, & recitando à quolibet alio?

9. Et quidem, dum loquitur de partibus extrinſecis, manifeſtè patet, loqui de officio Romano per ſe, & recitando à quolibet Eccleſiaſtico, tum propter rationem, quam ſubdit, circa

Pretioſa, & *Sobrij eſtote:* tum quia de illis tribus orationibus dicit, eas tales eſſe in omnibus Breuiariis. Dum loquitur autem de partibus accidentalibus videtur loqui de officio Romano, provt à Benedictinis recitando. Primò, quia ſic videtur innuere in principio articuli tertij, in quo agit de partibus accidentalibus. Secundò, quia rationes, quas exhibet, ſi quid probant, ſolùm ſuffragantur ipſis Benedictinis, cùm non alia ratione vtatur, niſi quæ deſumitur ex regula, & diſpoſitione D. Benedicti. Ait enim, etiam officium Benedictinum vt indictum ab Eccleſia, iuxta regulam interpretandũ eſſe, vbi regula expreſsè non reuocatur.

Ex alio capite videtur, eum loqui de officio Romano abſolutè & per ſe. Nam cùm citet P. Thomam Sanchez pro ea aſſertione, quod Lectiones & Reſponſoria ſint partes accidentales officij; manifeſtum eſt, non citare illum pro officio Benedictino, aut pro Romano vt à Benedictinis recitando; cùm P. Thomas Sanchez de illis nihil loquatur. Et ideò plures illud ita intellexerunt. 10.

Quare probandum eſt, eas in officio Romano per ſe ſumpto non eſſe partes accidentales; ſiue quia hæc aſſertio ſit Caramuelis, ſiue quia ſic eum intelligant plures. An autem in officio Benedictino ſint accidentales, ipſi conſiderent. 11.

CAPVT II.

Antiphonas, Lectiones, & Reſponſoria non eſſe partes accidentales in officio Romano; & quæ fuerit mens P. Thomæ Sanchez circa hoc punctum?

INgens fuit æquiuocatio afferre P. Thomam Sanchez pro aſſertione, quæ aſtruit accidentalia officio canonico Lectiones omnes, & Reſponſoria. Cognouit æquiuocationem ſuam Caramuel *in Theol. fund.* in quæſtione de mutatione dictaminis, *art.* 7. *num.* 495. *fund.* 11. vbi hæc verba habet. 12.

Per æquiuocationem citauit Thomã Sanchez.

[Quærit Diana *part.* 2. *tract.* 12. *reſol. vlt.* an qui haberet Diurnale, & careret Breuiario, teneatur recitare Pſalmos ſine Lectionibus, & Reſponſoriis? Et reſpondet his verbis: *Affirmatiuam ſententiam docet Sanchez in Sum. tom.* 1. *lib.* 1. *c.* 19. *n.* 8. *quia Lectiones, & Reſponſoria, modica reputantur materia, quæ ſufficiens non eſt ad moralem integritatem Matutini tollendam. Sed cõtrarium docet alter Sanchez: nam eſto reſpectu Pſalmorum Lectiones, & Reſponſoria ſint minor pars,* (fortè ſint parua pars) *eſt tamen maximè pricipalis, & ſubſtantialis, ita vt abſque illis non adſit officium canonicum.* Hanc doctrinam ex illo bona fide retuli *in commentario in Regulam S. Benedicti, diſp.* 117. *num.* 1446. 13.

Fatetur æquiuocationem Caram.

Recognoſco hodie eruditionis gratiâ Thom. Sanch. nec reperio, illum bene citari. Non enim vniuerſaliter loquitur, ſed de officio feriali. Quæſtio enim, quam loco citato tractat Sanch. eſt, an qui non poteſt implere totum præceptum, teneatur ad partem? Et reſpectu officij diuini, exempli gratiâ, docet, quod quãdo pars, quæ recitari poteſt, eſt ſufficiẽs, vt eâ cenſeatur recitatã, integrè moraliter præcepto de hora recitanda ſatisfactum, ita vt voluntaria alterius 14.

partis omiſſio non ſit mortalis, tunc recitari debet; ſecus, ſi non ſit ſufficiens, ac proinde eum, qui Breuiario caret, & habet Diurnale, ſi Matutinum eſſet feriæ, vel Sancti ſimplicis, non excuſari à recitatione omnium, quæ pro Matutinis ſunt in Diurnali; quia omiſſio trium Lectionum, & earum Reſponſoriorum, quæ ad integrum Matutinum deſiderantur, eſſet materia parua, ac proinde moralem Matutini integritatem non tolleret. Secus ſi eſſet Matutinum feſti duplicis, aut ſemiduplicis, in quo nouem Lectiones, & octo Reſponſoria omittenda eſſent... Hinc enim inferre liceret, eum, qui die Dominica omitteret in officio Romano nouem Lectiones, & octo Reſponſoria; aut in Benedictino duodecim Lectiones,& duodecim Reſponſoria, non peccare mortaliter; quod nunquam docuit Thomas Sanchez.] Hucuſque Caramuel enormem æquiuocationem confeſſus, eiuſque reatum in Dianam refundens.

15. Et in primis mirandum eſt, quod cùm Diana in reſolutione immediatè antecedenti, id eſt 41. exactè & fideliter allegauerit eandem P. Thom. Sanchez aſſertionem, tam citò fuerit oblitus, vt in 43. illam vitiauerit.

16. *Caret fundamento aſſertio in mera æquiuocatione nitens.* Deinde cùm Caramuel nullum aliud fundamentum attulerit, quàm authoritatem P. Thomæ Sanchez pro ea aſſertione, quæ docet, Lectiones, & Reſponſoria eſſe partes accidentales officio Romano (neque enim Thomas Sanchez credendus eſſet loqui de Benedictino) ſicut agnouit æquiuocationem ſuam, debuit etiam retractare eam aſſertionem in ſola æquiuocatione fundatam.

17. Dices. Ex eo, quod S. Benedictus permiſit in regula, quod Præſes in choro breuiaret Lectiones, colligi videtur, etiam in officio Romano eſſe accidentales; & ex eo, quod permiſerit paruis communitatibus omiſſionem Antiphonarum, colligi etiam poteſt, eas non eſſe ſubſtantiales vlli officio: ſi enim hæ, & illæ ſubſtantiales eſſent in communi Eccleſiæ officio, id non permiſiſſet D. Benedictus.

18. Contra tamen eſt primò. Nam vel quando D. Benedictus id inſtituit, obligabantur eius Monachi officio tunc vſitato in Eccleſia Romana, vel non obligabantur: Si primum dicas: ergo quantumvis dicas, Lectiones, & Antiphonas eſſe accidentales, & leuiter obligatorias, non potuit D. Benedictus permittere omiſſionem aliarum, & aliarum abbreuiationem; cùm non potuerit in regula permittere poſitiuè peccata venialia contra officium canonicum, ad quod tenebantur. Si verò dicas, quod tunc non obligabantur Monachi ad officium tunc in Eccleſia Romana vſitatum, vel quia Monachi non erant in Sacris, vel quia D. Benedictus habebat facultatem à legitimo Antiſtite ad id inſtituendum, infero: ergo ſi ipſi licebat ordinare officium ad placitum ſuum, & reipſa diſpoſuit eas partes officij tanquam accidentales; quomodo colligitur, quod in Eccleſiæ Romanæ officio erant etiam accidentales?

19. *Quàm ſit certum, illicitè regi conſcientiam ex dictamine, quod caret fundamento.* Hinc patet, eſſe practicè certum, non eſſe accidentales in officio Romano Antiphonas, Lectiones, & Reſponſoria. Eſt enim certum, illicitè gubernari conſcientiam ex dictamine, quod penitus fundamento caret: atqui in officio Romano his partibus vtendum eſſe tanquam accidentalibus, omni prorſus fundamento caret: eſt ergo certum, non poſſe gubernari conſcientiam ex illo. Maior eſt euidens, minor patet. Neque enim aliud affert Caramuel fundamentum, quàm authoritatem P. Thomæ Sanchez, quæ, ſublata æquiuocatione, euanuit; & argumentum deſumptum à Regula S. Benedicti, quod ad ſummum probat, in Benedictino officio eſſe quid accidentale. Eſt autem euidens, quod inſtitutum S. Benedicti non potuit facere accidentales Lectiones, & Antiphonas in officio Romano.

Confirmatur. Ideò in officio Benedictino ſecundùm Caramuelem Lectiones aſſeruntur partes accidẽtales, quia S. Benedictus diſpoſuit, eas poſſe breuiari; & Antiphonas, quia diſpoſuit poſſe omitti: ſed in officio Romano non permittitur, eas poſſe breuiari, aut omitti: ergo in officio Romano nulla eſt ratio, ob quam reputari poſſint accidentales. 20.

CAPVT III.

Eas non eſſe partes accidentales, & leuiter obligatorias in officio Romano, oſtenditur ex eo, quod nequit præcipi materia grauis ſub culpa leui.

Oſtenditur vlteriùs argumento ad hominem, nullas eſſe poſſe in aliquo officio partes accidentales, ſiue leuiter obligatorias. Eſt enim principium à Caramuele ſæpius inculcatum, non poſſe ſuperiorem præcipere materiam grauem ſub culpa leui: atqui partes iſtæ, quas vocat accidentales, ſunt materia grauis, cùm nouem Lectiones cum ſuis Reſponſoriis includant materiam grauem, etiam in ſententia illius: ergo Superior illas non poteſt præcipere ſub culpa leui: ſed quas præcipit vt accidentales, præcipit ſub culpa leui, ipſo Caramuele Authore: ergo nequit illas vt accidentales præcipere. 21. *Nequit præcipi materia grauis ſub culpa leui.*

Maiorem tradit Caramuel *in Regul. diſp.* 4. *num.* 42. in hæc verba: [Superior non poteſt grauia præcipere ſub culpa leui. Quia vel debet ſolummodò conſulere; vel ſi præcipiat, tenebuntur ſubditi obedire, iuxta quantitatem materiæ, adeóque ſub peccato mortali. Ita Vaſquez 1.2. *diſput.* 158. *cap.* 4.] Quod idem tradit *in Theolog. fundament. num.* 719. & 720. *fund.* 25. & paſſim alibi. Ergo dum Pontifex iniungit præter Pſalmos nouem Lectiones, & octo Reſponſoria, *vel debet ſolummodò conſulere; vel ſi præcipiat* Lectiones, & Reſponſoria, *tenebuntur ſubditi* obedire iuxta quantitatem materiæ, adeóque ſub peccato mortali. 22.

Dices primò, ex doctrina Caramuelis tradita *in fundam.* 24. *num.* 715. in præcepto conſiderandam eſſe ſubſtantiam ipſius præcepti, & accidens illius. De quibus ita diſcurrit analogicè ad ſubſtantiam & accidens phyſica. [Illud eſt præcepti obiectiui ſubſtantia, quod attingitur per ſe à præcepto; hoc eſt, quod attenditur & reſpicitur propter ſe: illud autem eſt eiuſdem præcepti obiectiui accidens, quod attingitur quidem & attenditur à præcepto, non quidem per ſe, nec propter ſe, nec vt exiſtat ſubſtantia rei præceptæ, ſed vt exiſtat *conuenientiùs,* 23. *An in præcepto diſtinguenda materia ſubſtantialis, & accidentalis?*

Digitized by Google

nientiùs, decentiùs, & perfectiùs.] Et *num.* 717. addit: [Peccare leuiter, & non violare præceptum quoad ſubſtantiam, qui ponit omnia, quæ ſunt præcepta per ſe, & omittit, quæ ſunt compræcepta ad ornatum & ad meliùs, ſiue illa ſint accidentia moralia, ſiue modi morales extrinſeci.] Cùm ergo Lectiones, & Reſponſoria ſint accidentia moralia in officio canonico, & compræcepta ſolùm ad ornatum, & vt meliùs & decentiùs fiat oratio, obligabunt ſolùm leuiter, & non grauiter.

24. Sed contrà eſt primò. Per te non poteſt præcipi materia magna leuiter: ſed nouem Lectiones, & octo Reſponſoria ſunt materia magna, ſiue dicas eſſe ſubſtantias, ſiue accidentia: ergo nouem Lectiones, & octo Reſponſoria non poſſunt leuiter præcipi.

25. *Conſuetudo certò interpretatur præceptum ſine diſtinctione quoad Pſalmos, & Lectiones, &c.*

Contrà eſt ſecundò. Conſuetudo eſt certiſſima regula interpretandi legem, ita vt in eo ſenſu intelligenda ſit lex, in quo communi conſuetudine recipitur: atqui præceptum recitandi horas canonicas receptum eſt ab vniuerſis fidelibus Romano Breuiario vtentibus, ſine diſtinctione obligationis, qua parte tangit Pſalmos, & qua parte tangit Antiphonas, Lectiones, & Reſponſoria; ſed vt reſpiciens æquo iure omnia in officio contenta: ergo certiſſimum eſt, Lectiones, Reſponſoria, & Antiphonas æquo iure cenſenda eſſe cum Pſalmis.

26. Contrà eſt tertiò. Vbi lex non diſtinguit (nec ſignum præbet diſtinctionis) nec nos diſtinguere debemus, vt commune Theologorum, & Iuriſperitorum axioma nos docet: ſed præceptum recitandi officium canonicum nec diſtinguit, nec ſignum præbet diſtinctionis faciendæ inter Pſalmos & Lectiones, &c. ergo ſine fundamento diſtinguemus: ergo ſi quidem Pſalmos admittimus tanquam partes ſubſtantiales præcepti, eodem iure Lectiones, Reſponſoria, & Antiphonas tanquam partes ſubſtantiales præcepi debemus admittere.

27. *An ferè omnes partes Miſſæ dicendæ eſſent accidentales?*

Contrà eſt quartò. In Miſſa dicuntur Orationes, Epiſtola, Euangelium, Offertorium, Canon, &c. vt Sacrificium peragatur *conuenientiùs, decentiùs, & perfectiùs:* & tamen ſunt partes ſubſtantiales præcepti: ergo licèt daremus (quod falſum eſt) Antiphonas, Lectiones, & Reſponſoria iniungi, vt Pſalmi *conuenientiùs, decentiùs, & perfectiùs* dicerentur; adhuc illa eſſent partes ſubſtantiales præcepti.

28. Nec valet ſi dicas, ea dici in Miſſa non ſolùm vt Sacrificium fiat conuenientiùs, & decentiùs; ſed etiam per ſe, & propter ſe iniungi à lege. Etenim oſtendere debes rationem diſparitatis, ob quam Antiphonæ, Lectiones, & Reſponſoria iniungantur eo fine dumtaxat, vt Pſalmi dicantur conuenientiùs & decentiùs; orationes verò Miſſæ licèt iniūgantur vt conuenientiùs, & decentiùs fiat Sacrificium, non tamen dumtaxat ob hunc finem. Item quare in Miſſa orationes illæ, & alia recitabilia ſacra, quæ iniunguntur, vt decentiùs & conuenientiùs peragatur Sacrificium, præcipiantur etiam per ſe, & propter ſe. Quam diſparitatem dum non oſtendis, abſque fundamento aſſeris: neque poteſt eſſe probabilis aſſertio, quæ fundamento deſtituitur, vt ex ipſa definitione opinionis probabilis liquidum eſt.

29. Contrà eſt quintò. Nam eodem fundamento dici poſſet è conuerſo Lectiones, & Reſponſoria eſſe partes ſubſtantiales; Pſalmos verò eſſe partes accidentales. Imò ſi quis aſſerere vellet, ſolum *Pater noſter,* & Symbolum Fidei eſſe partes ſubſtantiales; iſtud vtpote continens præcipuos fidei articulos; & illud vtpote orationem Dominicam, & caput omnis orationis; cætera autem in Breuiario contenta dici, vt conuenientiùs ea duo recitentur: licèt deliraret, eodem fundamento, eodemque iure poſſet ſe protegere, quo protegit ſe aſſertio contendens, Lectiones, & Reſponſoria eſſe partes accidentales reſpectiuè ad Pſalmos.

Dices ſecundò pro ſolutione præcipui argumenti, eo ipſo quod materia præcepti ſit accidentalis, non eſſe materiam grauem, ſed leuem. Nam ſicut in phyſicis accidens quid paruum eſt reſpectu ſubſtantiæ, ita pars accidentalis in præcepto, cùm ſit accidens morale, reputabitur quid leue in genere moris. Et ideò Antiphonas, Lectiones, & Reſponſoria, licèt ſint phyſicè materia grauis; at cùm moraliter ſint accidentia officij, reputabuntur tanquam materia leuis, atque adeò leuiter obligatoria. 30. *An materia accidentalis eo ipſo ſit leuis?*

Quod autem accidens quid leue ſit, hoc diſcurſu probat Caramuel: [Reſpondeo, accidentia non eſſe entia ſimpliciter, ſed entis entia; non exiſtunt, nec durant, nec vbicantur niſi exiſtentiâ, duratione & vbi ſubiecti: idcircò etiam carent quantitate, & magnitudine propria, & extenduntur ſubiecti quantitate. Hinc eſt, quod accidentia moralia, ſi conſiderentur ſecundùm ſe, careant morali magnitudine; quantificantur enim in ordine ad ſubiectum. Ad quod quia accidentaliter conducunt, grauiter conducere non poſſunt. Ergo quæ rei præceptæ accidunt, & ad eius ſubſtantiam, & eſſentiam non pertinent, non obligant ſub culpa graui.] 31.

Sed hæc, ni fallor, verba ſunt, non res. Itáque impugnatur primò. Nam ſine probatione ſupponit, Antiphonas, Lectiones, & Reſponſoria in officio Romano eſſe partes accidentales, & accidentia moralia. 32.

Impugno ſecundò. Vt enim omittam, non debere moralitates fundari ſupra doctrinas phyſicas adeò dubias, & quas multi cenſent, de falſitate euidenter conuinci; admiſſis tamen iis philoſophicis, adhuc oppoſitum tenendum eſſe infero. Accidentia, quamvis ratione ſui non habeant magnitudinem, & extenſionem, habent tamen illam ratione quantitatis ſubiecti: ergo abſolutè denominantur magna, & extenſa à quantitate ſubiecti: ergo ſi eadem proportione de accidenti morali philoſophandum eſt, accidens morale, quamvis ratione ſui non habeat magnitudinem, at abſolutè erit magnum ratione ſubſtantiæ, ſeu ſubiecti, cui ineſt. Quod autem ratione alterius formæ magnum eſt, abſolutè eſt magnum, ſicut ſubiectum ſubſtantiale abſolutè eſt calidum ratione caloris, cui vnitur, licèt ratione ſui præciſè non ſit calidum. 33. *Quod habet magnitudinē ex denominatione ab alio, eſt magnum.*

Impugno tertiò. Quia ſicut accidens non habet magnitudinem, & extenſionem à ſe ipſo, ſed à quantitate ſubiecti; ita neque habet paruitatem, neque extenſionem paruam à ſe ipſo, ſed à ſubiecti quantitate: in ea enim ſententia eodem modo de magnitudine, ac de paruitate philoſophantur eius opinionis Authores: ergo 34. *An materia accidentalis ratione ſui non habeat paruitatem?*

neque paruitatem habet accidens ratione ſui: ergo neque accidentia moralia, ſi eadem proportione cenſenda ſunt, habebunt magnitudinem, nec paruitatem; ſed magna, vel parua erunt pro magnitudine, vel paruitate ſubſtantiæ, cui inſunt: atque adeò non erunt materia moraliter parua.

35. *Materia accidentalis ratione ſui habet magnitudinem.*

Impugno quartò. Quantitas eſt accidens; & & tamen ratione ſui habet magnitudinem, quam dat ſuo ſubiecto in prædicta ſententia: ergo non eſt contra rationem accidentis habere magnitudinem: ergo neque contra rationem accidentis moralis eſt, eſſe materiam magnam. Vrgeo. Quantitati magnæ ratione ſui repugnat paruitas: ergo datur accidens phyſicum, cui repugnet paruitas: ergo poteſt dari accidens morale ita ratione ſui magnum, vt illi repugnet paruitas, ſi eadem proportione de accidenti morali, ac de phyſico cenſendum eſt.

36. Impugno quintò. Nam id, quod dicitur: *Quia accidentaliter conducunt, grauiter conducere non poſſunt*, nempe ad ſuum ſubiectum, quaſi omnia accidentia debeant leuiter conducere ad ſuum ſubiectum; inintelligibile eſt.

37. *Accidens non cōducit leuiter ſubſtantiæ.*

Nunquid ad materiam primam leuiter conducit quantitas, cùm hæc det radicaliter illi magnitudinem extenſionis? Nunquid lux conducit leuiter ad ſolem, qui ab illa totam ſuam pulchritudinem formaliter ſuſcipit? Nunquid calor vt octo reſpectu ignis res leuis eſt, & ad illum leuiter conducit; cùm ad exercendam ignis efficaciam in operando, neceſſe ſit, quod inducat ille in paſſo vltimam diſpoſitionem? Nunquid gratia ſanctificans reſpectu animæ res leuis eſt, & leuiter conducit, quæ iſtam Deo ſupparem conſtituit, & ad quoddam genus æqualitatis proportionalis cum Deo iſtam euehit? Nunquid cæteræ qualitates ſupernaturales leuiter conducunt, quæ adeò magnæ ſunt, vt maxima, & pretioſa dona certo fidei oraculo compellentur?

38. Scio, argumentum huius capitis non habere vim apud eos, qui dicunt, poſſe Superiorem præcipere materiam grauem ſub culpa leui. Adhuc tamen ex dictis in hoc capite refutandi eſſent, qui dicerent, Lectiones, & Reſponſoria præcipi ſub culpa leui, quia partes accidentales officij, quantumvis ſint materia grauis. Contra hanc enim reſponſionem militant ſecunda, tertia, & quarta impugnatio primæ reſponſionis, quæ proponuntur *à num. 25.* vt perpendenti patebit.

CAPVT IV.

Obiectio aduerſus doctrinam traditam. Vbi, an modus in præcepto leuiter obliget?

39. *An vnum officium poſſit mutari in aliud? Et an ſit mutatio accidentalis?*

OBiicies. Secundùm opinionem probabilem, vnum officium ſine culpa mortali poteſt mutari in aliud: v.g. officium feriale in officium de Sancto, aut è conuerſo: ergo hæc diuerſitas vtriuſque officij non eſt ſubſtantialis, ſed accidentalis: ſi enim ſubſtantialis eſſet, caderet ſub obligationem grauem præcepti, ſicut reliqua, quæ ex obligatione graui dicuntur: ergo iam datur in officio canonico aliquid accidentale, quod propterea leuiter obliget.

Et confirmatur. Authores enim, qui dicunt, 40. eam mutationem fieri poſſe abſque culpa lethali, rationem exhibent, quia hæc mutatio ſolùm eſt in modo, & accidentalis. Et ita Diana *part. 2. tract. 2. reſol. 3.* id deſumens ex aliis authoribus, quos citat, ait: [Si quæris rationem, hæc erit: nam ſubſtantia præcepti recitandi officium diuinum eſt, vt ſeptem horæ canonicæ perſoluantur: ſed quod officium ſit de feria, vel de Sancto, pertinet ad modum accidentalem: ergo per talem mutationem non mutatur ſubſtantia præcepti, ſed modus, ritus, & cæremonia.] Admittunt ergo Authores aliquid accidentale in officio canonico, & illud quidem leuiter obligatorium.

Ante omnia aduerte, etiamſi admittatur totum quod intendit obiectio, nullum fieri præiudicium certiſſimæ omnium ſententiæ, aſſerenti, Antiphonas, Lectiones, & Reſponſoria eſſe partes officij canonici grauiter obligatorias; cùm nullum penitus ſit fundamentum ad aſſerendum, illas eſſe partes accidentales. 41.

42. *Probabilis eſt opinio de mutatione officij.*

Igitur poſſe mutari vnum officium in aliud (dummodo non commutetur in officium de Reſurrectione, propter rationem infrà ſubiiciendam) iudico opinionem probabilem: habet enim patronos magni nominis PP. Leſſium, Valenciam, Layman, Azorium, & plures alios, quos refert, & ſequitur Diana proximè citatus. Et quamuis concluſionem approbo, nòn tamen rationem, qua vtuntur.

Et quidem plures eorum dicunt, ſubſtantiam, ſiue materiam præcipuam eius præcepti eſſe, quod ſeptem horæ canonicæ perſoluantur; quod autem ſint de Sancto, vel de feria, quod ſint de hoc Sancto, vel de illo, eſt modus recitandi. Modus autem non præcipitur ſub graui obligatione, ſed ſub leui. 43.

44. *Datur modus, qui pertineat ad ſubſtantiam præcepti.*

Hæc tamen ratio efficaciſſimè refellitur primò: eſt enim modus, qui pertineat ad ſubſtantiam præcepti. Nam ille, qui verba officij recitaret inuerſo ordine incipiendo à poſtremo, & gradatim deueniendo ad primum, modum mutaret; & tamen peccaret grauiter. Inuerte orationem de Euchariſtia: *Deus, qui nobis ſub Sacramento mirabili*, &c. & videbis, adeò enormem eſſe mutationem, vt ſi totum officium ſic recitetur, afferat mortalem inordinationem. Ecce: [Sentiamus iugiter nobis in fructum tuæ redemptionis vt venerari myſteria ſacra tui ſanguinis, & corporis nos ita, quæſumus, tribue, reliquiſti memoriam tuæ paſſionis mirabili Sacramento ſub nobis, qui Deus.]

Nec valet, ſi dicas, alterari ſenſum verborum, & ideò mutationem eſſe ſubſtantialem. 45. Nam infero: Ergo inuerſio modi poteſt alterare ſubſtantiam: ergo eſt modus, qui pertineat ad ſubſtantiam præcepti. Vtraque conſequentia patet; eadem enim verba diuerſo modo, & ordine inuerſa faciunt eam deſtructionem ſenſus, & mutationem ſubſtantialem. Et prætereà notum eſt, mutari omninò ſenſum, cùm omnia verba vnius officij omittuntur, & ſubſtituitur alterum. Nam diuerſa verba, & tam diuerſa, ac ſunt in duplici officio diuerſo, diuerſum ſenſum efficiunt.

46. *Si modus præcipiatur ob*

Refellitur ſecundò, quia modus ipſe poteſt ſpecialiter præcipi propter aliquem finem grauem: quo caſu grauitatem deſumit à fine, ad quem

Digitized by Google

ſive grauem, grauiter obliget.

quem grauiter conducat: ergo non bene arguitur, leuiter obligare ex eo, quod ſit modus.

47.

Qui omittit omnes ritus Miſſæ (qui pertinent ad modum) peccat mortaliter.

Refellitur tertiò. Nam vt expreſſit Diana citatus *ſup. num.*38. ritus, & cæremoniæ pertinent ad modum: ſi quis autem in Miſſa omitteret omnes ritus, & cæremonias, ita vt nihil ageret aliud, quàm legere, conſecrare, & accipere Euchariſtiam, peccaret mortaliter, vt omnes admittunt: hæc enim ordinata ſunt ab Eccleſia, vt ad finem valde ſublimem magnopere conducentia, quem declarauit ſacra Synodus Tridentina *ſeſſ.*22.*cap.*5.*de Sacrificio Miſſæ*, iis præcipuè verbis: [*Ceremonias item adhibuit*, vt myſticas benedictiones, lumina, thymiamata, veſtes, aliaque id genus multa ex Apoſtolica doctrina, & traditione; *quò & maieſtas tanti ſacrificij* commendaretur, & mentes fidelium *per hæc viſibilia religionis, & pietatis ſigna ad rerum altiſſimarum, quæ in hoc ſacrificio latent, contemplationem excitarentur.*] Vbi vides, Concilium expoſuiſſe, quammaximè conducant cæremoniæ ad eum altiſſimum finem, dum dicit, eas eſſe *viſibilia religionis, & pietatis ſigna.*

48.

An diſtinguendus modus ſubſtantialis & accidentalis?

Caramuel *in Theolog. fundam. n.*712.*fund.*24. aſſeruit, modum eſſe rem paruam collatum cum ſubſtantia rei; & ideò leuiter obligare; ſed cùm vidiſſet, modum poſſe ſpecialiter per ſe præcipi, diſtinxit modum ſubſtantialem; & vt hæc omnia componeret, prolixum texuit diſcurſum *num.*715.

49.

Statuit primò: [Moralitates omnes à realitatum cognitione pendere, & illi altiſſimo fundamento inniti.] Deinde adiungit: [Subſtantia phyſica eſt ens per ſe, quod exiſtit, & ſubſiſtit per ſe. Accidens phyſicum eſt entis ens, quod non exiſtit, nec ſubſiſtit per ſe, ſed inhæret ſubſtantiæ, & inhærendo exiſtit; quod tamen non repugnat exiſtere ſine ſubſtantia. Modus eſt, ſine, quo res eſſe poteſt, & ſine re eſſe non poteſt. Differt ab accidenti, quia accidentis eſſentiæ non repugnat carere ſubiecto: nam in Euchariſtia quantitas ſubiecto caret; & tamen modi eſſentiæ repugnat eſſe ſine re, cuius eſt modus. Modus diuiditur in ſubſtantialem, & accidentalem; ſubſtantialis includitur intrinſecè in ſubſtantia, vt vnio in toto per ſe, & ſubſiſtentia in eorum ſententia, qui aſſerunt, illam eſſe modum. Accidentalis autem modus eſt extra conceptum ſubſtantiæ, vt vbicatio, ſituatio, &c.]

50.

An ſubſtantia præcepti ſit id, quod reſpicitur per ſe, & propter ſe?

Accedit denique ad explicandam analogiam moralitatum, & rerum phyſicarum, quas explicuit. [Illud eſt præcepti obiectiui ſubſtantia, quod attingitur per ſe à præcepto; hoc eſt, quod attenditur, & reſpicitur propter ſe: illud autem eſt eiuſdem præcepti obiectiui accidens, quod attingitur quidem, & intenditur à præcepto, non quidem per ſe, nec propter ſe, nec vt exiſtat ſubſtantia rei præceptæ; ſed vt exiſtat conuenientiùs, decentiùs, & perfectiùs. Et quid erit modus moralis? Sine quo poteſt eſſe res moralis, & quod ſine re morali eſſe non poteſt. Et eſt duplex, ſubſtantialis, & accidentalis, hoc eſt extrinſecus, & intrinſecus.... Modus accidentalis eſt, quod eſt extra eſſentiam & ſubſtantiam præcepti obiectiui; quod tamen compræcipitur ad ornamentum, nec tamen ſeorſim poſſit præcipi. Sic in officio diuino ordo horarum eſt modus accidentalis, quia præcipitur ad meliùs, tanquam ornamentum officij diuini, & ideò tantùm ſub onere peccati venialis: eſt autem modus, quia licèt lectio horarum poſſit præcipi, ordine non præcepto, ordo ipſe ſolùm non poterit præcipi ſine re, cuius ſit ordo.]

Hunc diſcurſum impugno primò. Quia minimè neceſſarius eſt ad hanc quæſtionem, vel ſimiles alias explicandas, vt patebit in expoſitione noſtræ concluſionis *num.*63. proponendæ. Quin potiùs obſcurus multis verborum inuolucris, quæ iis ablatis facillimè explicantur. 51.

52.

Malè explicat eſſentias entium phyſicorum.

Impugno ſecundò. Quia malè explicat ea genera entium phyſicorum, ſuper quibus fundare vult moralitates. Et primò quidem non explicat, quid ſit illud ens per ſe proprium ſubſtantiæ: & quid ſit illud inhærendi genus conueniens accidenti; quare enim forma equina non inhæret ſubiecto, ſicut calor, cùm vtraque æquè dependeat à ſubiecto. Nec moralitas poteſt bene fundari ſuper conceptu phyſicæ rei, cuius quidditas non explicatur. Quomodo enim intelligemus inhærentiam moralem, ſi non bene intelligimus, quid ſit inhærentia phyſica.

53.

Malè explicat eſſentias earum moralitatum.

Hinc eſt, quod non explicat, quid ſit ſubſtantia moralis, & conſequenter neque in quo differant ſubſtantia moralis, & accidens morale. Vnde impugno tertiò. Per te, [illud eſt præcepti obiectiui ſubſtantia, quod attingitur per ſe à præcepto:] atqui ordo ipſe Horarum attingitur per ſe à præcepto, cùm ordo immediatè in ſe ipſo attingitur à præcepto: ergò ordo ipſe ſubſtantia eſt, & non accidens.

54.

Infertur, finem eſſe ſubſtantiam præcepti, & rem præceptam accidens.

Negas minorem, & explicas, quid ſit attingi per ſe: [Quod attingitur per ſe à præcepto, hoc eſt, quod attenditur, & reſpicitur propter ſe.] Ex hac autem explicatione (vel potiùs implicatione) infertur, finem præcepti, qui nullatenus ingreditur in materiam præceptam, eſſe ſubſtantiam præcepti. Patet ex præfata explicatione. Illud eſt ſubſtantia præcepti obiectiui [quod attenditur, & reſpicitur propter ſe:] ſed finis ad quem ordinatur præceptum, attenditur, & reſpicitur propter ſe: ergo finis ille eſt ſubſtantia præcepti obiectiui.

Hinc autem vlteriùs fit, ipſam materiam præceptam, quam dicis ſubſtantiam præcepti, ſi eligatur à legiſlatore ad conſequendum aliquem finem, eſſe accidens morale, cùm medium non eligatur propter ſe, ſed propter finem. Quod ſi in ea voce *Propter*, aliud quid intendis, ecce confuſio, & inuolucrum verborum in re, quæ alias facillimè explicari valet. 55.

Quod ſi dicas, id *Per ſe, & propter ſe*, denotare, quod ſit ad ſimpliciter eſſe; & quod non ſit *per ſe & propter*, ſe denotare, quod ſit ad melius eſſe; exiſtimo, quod reimplicas terminos. Nam *quod ſit ad melius eſſe*, admittis eſſe poſſe modum ſubſtantialem præcepti, ſi præceptum intendat per ſe, & propter ſe id, quod eſt *ad melius eſſe*. Quod eſt idem, ac dicere, præceptum intendere per ſe & propter ſe modum accidentalem, vt talem; ſiue accidens vt tale poſſe intendi per ſe & propter ſe à ſubiecto; atque adeò accidens morale vt tale eſſe ſubſtantiam moralem. Quæ eſt euidens terminorum remplicatio. 56.

Impugno quartò. Dicis, ordinem Horarum ſolùm præcipi vt ornamentum, & non vt abſolutè 57.

Ordo poteſt præcipi per ſe

Digitized by Google

& propter ſe. abſolutè exiſtat officium canonicum; ideóque ordinem eſſe quid accidentale præcepto. Præcipiat ergo legiſlator ordinem Horarum per ſe & propter ſe, quo caſu erit modus ſubſtantialis. Tum ſic: tunc non præcipit ordinem vt abſolutè exiſtat officium canonicum, ſed vt ornamentum illius: ergo cùm dicis, eſſe modum ſubſtantialem, adhuc eſt modus accidentalis. Prima pars antecedentis probatur, quia quamvis legiſlator præcipiat ordinem per ſe, & propter ſe, nonquam eſt quid neceſſarium, vt abſolutè exiſtat officium canonicum; cùm ſine eo ordine Horarum poſſit exiſtere. Secunda pars antecedentis probatur, quia ſi ordo ſemel eſt ornamentum officij, ſemper erit, ſiue præcipiatur propter ſe, ſiue non.

58. Quod ſi dicas, tunc non præcipi ordinem tanquam neceſſarium, vt exiſtat officium canonicum; ſed à præcepto intendi quod exiſtat ordo ipſe horarum. Refello. Eſt enim inintelligibile, quod præceptum attingat immediatè eum ordinem, & quod non intendat exiſtentiam ipſius ordinis. Nam dum præceptum intendit, quod detur ordo ad ornamentum officij, quid aliud intendit, niſi, quod exiſtat talis ordo ad ornamentum officij; nam *quod detur*, & *quod exiſtat*, termini ſunt ſynonimi: ergo ſi ad modum ſubſtantialem ſufficit, quod præceptum intendat exiſtentiam ordinis, ſemper ordo erit modus ſubſtantialis.

59. *Modus non eſt extra conceptum rei præcepta; ideò ſubſtantialis.* Impugno quintò. Tunc modus eſt accidentalis, quando eſt extra conceptum rei præceptæ: ſed ordo præceptus propter ornamentum officij, & ad melius eſſe illius, non eſt extra conceptum rei præceptæ: ergo tunc non eſt modus accidentalis. Probatur minor. Quia ipſe ordo præceptus propter ornamentum officij, reipſa præcipitur; cùm dicas attingi immediatè à præcepto: ergo eſt res præcepta: ergo non eſt extra conceptum rei præceptæ.

60. Reſpondes, non eſſe rem, ſed modum; ideóque non eſſe rem præceptam. Sed non bene reſpondes: nam de hoc eſt quæſtio. Et præterea nam ex eo, quod immediatè in ſe præcipiatur tanquam ornamentum officij, probauimus præcipi per ſe & propter ſe, & non alio modo præcipiendum, etiamſi per ſe & propter ſe præciperetur.

61. Poſſem alia obiicere: poſſent & aliæ ſubtilitates proponi ad reſponſionem. Eas miſſas facio: tum quia ex dictis facilè refellentur; quæ enim in mera vocum ſubtilitate ſubſiſtunt, innumeris patent incurſibus: tum etiam quia rem clariſſimam caligine offundu n

62. *Subſtantia præcepti eſt, quæ attingitur immediatè à præcepto. Accidens, quod non immediatè.* Pro claritate ergo huius rei, dicendum eſt, illam eſſe ſubſtantiam præcepti, quæ attingitur immediatè à præcepto: illud eſſe accidentale præcepto, quod non attingitur immediatè à præcepto. Vt cùm præcipitur in morte Regis ſubditos omnes nigrum indui colorem; tunc enim nigredo veſtis eſt ſubſtantia præcepti; accidentia verò, quod veſtis laneá ſit, linea, vel ſerica. Probatur. Illud eſt accidens, quod eſt extra conceptum ſubſtantiæ: ergo illud eſt accidens reſpectu præcepti, quod eſt extra conceptum obiectiui præcepti: ſed ſolùm illud, quod non attingitur à præcepto, eſt extra conceptum obiectiui præcepti: ergo ſolùm illud eſt accidens reſpectu præcepti.

Hinc fit, modum eſſe ſubſtantialem cùm attingitur immediatè à præcepto: modum verò eſſe accidentalem, cùm non attingitur immediatè à præcepto. Et ita ordo horarum eſt modus ſubſtantialis. Si quis autem promittat duodecim Miſſas in honorem duodecim Apoſtolorum, ordine non promiſſo; tunc talis ordo, quo dicentur, erit accidentalis voto. 63. *Ordo Horarũ eſt modus ſubſtantialis.*

Cætera, quæ in eius doctrinæ impugnationem obiici poſſunt, vide *cap. 6. & 7.*

CAPVT V.

Ratio congruentior, quare poſſit vnum officium mutari in aliud ſine culpa lethali.

AD ſolutionem ergo obiectionis propoſitæ initio capitis præcedentis operæpretium eſt breuiter exponere rationem, propter quam ſine peccato lethali probabiliter poteſt variari officium canonicum, & vnum pro altero priuatim ſubſtitui, præter officium Reſurrectionis, & Pentecoſtes, de quibus infrà. Pro cuius claritate duas propono aſſertiones, alteram generalem, & alteram ſpecialem. 64.

Aſſertio generalis eſt: Quoties parua eſt mutatio (etiam ſubſtantiæ præcepti) fieri poteſt ſine peccato mortali. Aſſertio ſpecialis eſt: Quod commutetur vnum officium canonicum in aliud, eſt parua mutatio; (etiam ſubſtantiæ præceptæ) ideoque ſine culpa mortali fieri poteſt. Quam ſecundam aſſertionem non vt abſolutam, ſed vt probabilem defendo. 65. *Quoties parua eſt mutatio, etiam ſubſtantiæ, fit ſine culpa mortali. Parua eſt mutatio vnius officij in aliud.*

66. Prima aſſertio ex terminis patet. Quoties eſt parua mutatio (etiam ſubſtantiæ) parum delinquitur; cùm enim mutatio ipſa ſit culpa, ſi grauiter delinquitur, grauem eſſe mutationem neceſſe eſt: ſed implicat contradictionem, quod vbi parum delinquitur, grauis ſit culpa: ergo implicat contradictionem, quod vbi eſt parua mutatio (etiam ſubſtantiæ) grauis ſit culpa.

67. Secundam aſſertionem, quod ſcilicet ea ſit parua mutatio, admittunt omnes Doctores, qui dicunt, ſine culpa mortali poſſe vnum officium pro alio recitari: & ſolùm ab ea differunt, quòd ipſi volunt eſſe mutationem modi; mea autem aſſertio ſolùm inſiſtit in paruitate mutationis, ſiue ſit modi, ſiue ſit ſubſtantiæ.

68. Probatur aſſertio. Videtur enim fieri parua mutatio cùm quis hodie recitat officium, quod Eccleſia frequentiſſimè vſurpat. Si velis officium nouem lectionum de Sancto recitare, recitas genus officij, quod Eccleſia vſurpat in duabus tertiis partibus anni. Si velis de Dominica, vel de feria, recitas officium, quod Eccleſia vſurpat pluſquam quinquaginta diebus: itaque parum videtur deuiare à forma præſcripta ab Eccleſia, qui hodie vtitur formula, quæ frequentiſſima ſolet eſſe in Eccleſia.

Et quidem reputari ſolet magna mutatio ea, quæ fit in inſolitum: parua verò, quæ fit in ſolitum. Ita ſi quis omitteret in Miſſa omnino Euangelium, magna eſſet mutatio; & attenta ſignificatione myſteriorum contenta in Lectione Euangelij, eſſet peccatum mortale; 69. *Magna eſt mutatio, quæ fit in inſolitum; parua quæ in ſolitũ.*

parua

parua verò mutatio, ſi in die Paſchatis omitteret Symbolum fidei. Et ratio eſt, quia in pluribus Miſſis omittitur Credo, atque adeò ea mutatio eſt in ſolitum: at verò Euangelium nunquam omittitur in Miſſa; & ideò fit mutatio in inſolitum. Similiter, qui veſtibus albis vteretur in Miſſa propria de Martyre, paruam faceret mutationem, quia color albus ſæpiſſimè vſurpatur: at qui vteretur colore cinereo, vel flauo, maiorem faceret mutationem, quia mutatio eſſet in inſolitum. Hæc intelligo, niſi ex alio capite probetur materiæ grauitas.

70. Dices primò. Officium de Aſſumptione Beatæ Mariæ quinque, aut ſex diebus duntaxat recitatur in eius feſto & octaua: ergo qui hodie decima quinta die Ianuarij recitat de Aſſumptione, recitat officium, quod non vſurpat frequenter Eccleſia.

71. Reſpondeo, officium de Aſſumptione minima differentia differre ab officio de Natiuitate, de Conceptione, de Annunciatione, cæteriſque feſtiuitatibus Beatæ Mariæ, imò & parum differt ab officio cuiuſlibet Virginis, cùm Pſalmi ferè ſint iidem, & reliqua omnia ſint æqualia qualitate, & quantitate. Et ideò ſi hodie recitas de Aſſumptione, verificatur quod recitas officium, quod in ſe, vel in æquiualenti frequentiſſimum eſt in Eccleſia.

72. Dices ſecundò. Qui pro officio Dominicali dicit officium de Sancto, omittit ferè tertiam partem, qua hoc ſecundum exceditur ab illo: ſed vbi eſt omiſſio tertiæ partis, non poteſt eſſe mutatio parua: ergo commutatio officij Dominicalis in officium de Sancto non poteſt eſſe mutatio parua.

73. Reſpondeo, conceſſa maiori, diſtinguendo minorem: Vbi eſt omiſſio tertiæ partis, non poteſt eſſe mutatio parua [ſi omiſſio illius tertiæ partis frequentiſſima ſit,] nempe in omni alio officio de feſto nouem Lectionum, nego; [ſi aliàs non ſit frequens,] concedo. Ideo omiſſio Symboli in Miſſa reputatur parua, & non omiſſio Euangelij.

74. *An finis præcepti ſit vniformitas recitantium?*

Dices tertiò, Romanos Pontifices in præcepto de Horis Canonicis reſpicere tanquam finem præcepti vniformitatem orationis canonicæ. Ita enim conſtat ex proœmio Bullæ Pij V. præfixæ Breuiario Romano; præcipuè illis verbis: [Quin etiam in Prouincias paulatim irrepſerat praua illa conſuetudo, vt Epiſcopi in Eccleſiis, quæ ab initio cum cæteris veteri Romano more Horas canonicas dicere, ac pſallere conſueuiſſent, priuatum ſibi quique Breuiarium conficerent, & illam *communionem vni Deo, vna, & eadem formula* preces & laudes adhibendi, diſſimillimo inter ſe, ac penè cuiuſque Epiſcopatus proprio officio diſcerperent.] Ex quibus verbis patet, intendere Pontificem *communionem*, & vniformitatem recitandi officium vna & eadem formula. Nam finem legis colligi ex proœmio legis, commune eſt inter iuriſprudentes. Et Clemens VIII. in Bulla etiam Breuiario Romano præfixa, eundem finem expreſſit. Sic enim incipit Bulla: [Cùm in Eccleſia catholica à Chriſto Domino noſtro ſub vno capite, eius in terris Vicario, inſtituta, *vnio*, & earum rerum quæ ad Dei gloriam, & debitum Eccleſiaſticarum perſonarum officium ſpectant, *conformatio* ſemper conſeruanda ſit; tum præcipuè illa *communio vni Deo, vna & eadem formula* preces adhibendi, quæ Romano Breuiario continetur, *perpetuò retinenda* eſt: vt Deus in Eccleſia per vniuerſum orbem diffuſa *vno*, & eodem orandi & pſallendi *ordine* à Chriſti fidelibus ſemper laudetur, & inuocetur.] Vbi vides, quomodo Romanus Pontifex intendit *vnionem*, *conformitatem*, *communionem in vna, & eadem formula* preces adhibendi, & *vnum, eundemque ordinem* orandi, & pſallendi.

Ex quibus ſic formatur argumentum. Romani Pontifices in præcepto recitationis officij canonici eum finem reſpiciunt, vt ſeruetur vnio, conformatio, & communio in recitando officium vna, & eadem formula, vno & eodem ordine: ſed qui in Dominica recitat de feria ſecunda, non ſeruat prædictam vnionem, & conformationem; non recitat vna & eadem formula, non vno & eodem ordine, ac reliqui Eccleſiaſtici: ergo qui ſic recitat, deficit à fine intento ab Eccleſia, & à Romanis Pontificibus. 75.

Hoc argumentum probabiliorem reddit partem affirmatiuam quæſtionis, quod Reus ſit culpæ mortalis, qui variat officium; quia huic vniformitati ab Eccleſia intentæ videtur grauiter officere, qui recitat de Sancto Laurentio; cùm Eccleſia celebrari vult à ſuis Miniſtris Aſſumptionem Dei Genitricis, quamvis officia in quantitate eſſent omninò paria. 76.

Adhuc tamen verba Pontificum habent probabilem interpretationem; ſcilicet loqui de vniformitate Breuiarij, non de vniformitate quoad officia in ipſo Breuiario Romano contenta, & videtur colligi ex proœmio Bullæ Pij V. verbis ſuprà relatis, vbi conqueritur Pontifex de difformitate, qua in pluribus diœceſibus Epiſcopi *priuatim ſibi quiſque breuiarium conficerent:* non autem conqueritur de difformitate, qua eodem die diuerſa officia eiuſdem Breuiarij Romani recitarentur. 77.

Dices quartò. Ex argumento facto colligi videtur, non poſſe Romanos Pontifices præcipere ſub reatu culpæ grauis, vt officium canonicum non varietur, & vt recitetur illud, quod pro quolibet die deſignatum eſt. Etenim materiam paruam non poteſt præcipere Eccleſia ſub culpa graui: ſed dum mutatur vnum officium in aliud, mutatio eſt parua; atque adeò parua materia præcepti: ergo non poteſt prohibere prædictam mutationem ſub culpa graui. Id autem abſurdum eſt. 78.

Reſpondeo negando ſequelam. Et ad probationem conceſſa maiori, diſtinguo minorem: mutatio eſt parua [vt res de facto ſe habent,] concedo; mutatio eſt parua [ſemper & neceſſariò;] nego. Pro quo aduerte id, quod ſæpè notauimus, materiam paruam præcepti fieri magnam, ſi ordinetur ad finem grauem, & ad illum grauiter conducat. Vnde ſi Eccleſia intenderet tanquam finem præcipuum vniformitatem omnium quoad feſtiuitates, grauiter obligarentur Miniſtri Eccleſiæ, nec poſſent ſine culpa graui; die Natalis Domini recitare de Sancto Petro. Vnde quæ modò cenſetur mutatio parua, quia non refragatur grauiter fini præcepti; in eo caſu eſſet mutatio magna, vtpote grauiter aduerſa tali fini. 79. *Poteſt Pontifex prohibere variationẽ officij ob finẽ grauem?*

Nam cùm dicimus, mutationem eſſe paruam, cùm ea mutatio fit in officium frequenter ſolitum 80.

ſolitum recitari, intelligitur niſi propter finem grauem mutatio prohibeatur etiam in officium ſolitum; quia mutatio, quæ aliàs eſſet parua, quia in officium ſolitum, fieret magna ſi prohiberetur ob finem grauem: non enim nouum eſt, materiam paruam abire in magnam moraliter, ſi præcipiatur, vel prohibeatur ob finem magnum. Vide quæ dixi *diſput.* 12. *cap.* 3. *art.* 2. & *diſp.* 27. *cap.* 1.

Materia parua poteſt abire in magnã ratione finis.

CAPVT VI.

Corollarium circa ſubſtitutionem officij Reſurrectionis pro altero officio.

81. *Ea mutatio eſt grauis, quia in inſolitum.*

EX dictis colligitur ratio, quare non liceat mutare officium Dominicæ, feriæ, vel feſtiuitatis in officium de Reſurrectione; quia hæc mutatio non eſt parua, ſed magna. Mutatio enim, quæ fit in inſolitum eſt mutatio magna, niſi ex alio capite ſit parua: atqui inſolitum eſt in Eccleſia (imò & diſpenſatorium pro tempore lætitiæ Paſchalis) recitare officium matutinum trium Pſalmorum: ergo ea mutatio eſt magna.

82. Caramuel *in Regul. diſp.* 109. *num.* 1388. & *in Theolog. fundam.* editionis Francofurtenſis anni 1652. *fundam.* 53. *num.* 1100. (quem ſequitur Leander à SS. Sacr. *part.* 2. *tract.* 6. *diſp.* 13. *quæſt.* 28. & *part.* 6. *tract.* 8. *diſp.* 3. *quæſt.* 45.) affirmauit, poſſe officium cuiuſlibet diei mutari in officium de Reſurrectione. Sed *in Theolog. fundam.* editionis Lugdunenſis anni 1657. *fundam.* 53. *num.* 1500. eam ſententiam reuocat, aſſeritque tanquam certum, per officium Reſurrectionis non ſatisfieri præcepto recitandi horas canonicas, niſi intra hebdomadam Paſchalem. Idque bene probat *ex cap. In die, de Conſecr. diſt.* 5. vbi Gregorius VII. in Concilio generali obiurgat eos, qui in quotidiano officio ad Matutinum tres tantummodò Pſalmos, & tres Lectiones dicebãt, præterquam in hebdomada Reſurrectionis, & Pentecoſtes; & ſtatuit, morem priſtinum ſeruari debere, nempe recitandi in feſtiuitatibus nouem Pſalmos, & nouem Lectiones, in feriis duodecim Pſalmos cum tribus Lectionibus, & in Dominica octodecim Pſalmos cum nouem lectionibus.

Caramuel reuocauit ſententiam.

Bene probat ex c. In die, de Conſecr. diſt. 5.

83. Notanda ſunt verba Gregorij VII. [*In die Reſurrectionis* vſque in Sabbathum in Albis; & *in die Pentecoſtes* vſque in Sabbathum eiuſdem, tres *Pſalmos tantùm*, treſque Lectiones *antiquo more* cantamus, & legimus. Omnibus diebus aliis per totum annum, ſi feſtiuitas eſt, nouem Pſalmos & nouem Lectiones dicimus. Aliis verò diebus duodecim Pſalmos, & tres Lectiones recitamus. In Dominicis diebus decem & octo Pſalmos (*excepto die Paſcha, & Pentecoſtes*) & nouem Lectiones dicimus. Illi autem, qui in *quotidianis diebus tres tantummodò Pſalmos*, & tres Lectiones celebrare volunt, *non ex regula Sanctorum* Patrum, ſed ex *faſtidio, & negligentia probantur hoc facere.* Romani verò diuerſo modo agere cœperunt, maximè à tempore quo Teutonicis conceſſum eſt regimen noſtræ Eccleſiæ. Nos autem, & ordinem Romanum inueſtigantes, & antiquum morem noſtræ Eccleſiæ, imitantes antiquos Patres, *ſtatuimus* fieri ſicut ſuperiùs prænotauimus.]

Iuxta quæ tanquam omninò certum dicendum eſt, non ſatisfacere præcepto, qui alio tempore recitat officium de Reſurrectione, vel Pentecoſte; neque abſoluendum eſſe eum, qui velit in aliis diebus recitare officium de Reſurrectione; vtpote qui ex improbabili dictamine velit conſcientiam ſuam dirigere. 84.

Certum eſt, non ſatisfacere eum, qui alio tempore recitat de Reſurr.

Pro cuius demonſtratione obſeruandum eſt primò, tunc conſuetudinem afferre grauem obligationem, quando in materia graui verſatur, & reprehenduntur, qui ab illa deficiunt; quia non reprehenduntur, niſi ob culpam: nec culpa leuis eſt quando delinquitur in materia graui: nec Pontifices ex Cathedra reprehendere ſolent culpas leues. Hinc fit euidens, morem illum, cuius meminit in eo capite Gregorius VII. eſſe grauiter obligatorium, cùm materia ſit grauis, & reprehendat eos, qui ei mori non conformantur. Quam reprehenſionem obſeruauit gloſſa ibi illis verbis: [*Reprehenduntur* illi, qui in diebus quotidianis tantùm tres Pſalmos, & tres Lectiones dicebant in Matutinis: & *reprehenduntur* hîc Romani, qui mutauerunt morem ſolitum, poſtquam Regnum Italiæ Teutonicis fuit conceſſum. 85.

Conſuetudo obligatoria obligat grauiter, cùm materia eſt grauis.

Grauitas colligitur ex reprehenſione.

Obſeruandum eſt ſecundò, legem obligare eo modo, quo ipſa conſuetudine recipitur: nam *ex cap. Cùm dilectus, de conſuet.* conſuetudo eſt optima legum interpres. Et vt oſtendi *diſput.* 23. *cap.* 4. conſuetudo ita interpretatur legem, ac ſi ipſe legiſlator authenticè declararet. 86.

Lex obligat, ſicut conſuetudine recipitur.

Obſeruandum eſt tertiò, priſtinam conſuetudinem durare, dum non aduenit noua alia oppoſita rationabilis, & præſcripta; maximè accedente conſtitutione, & ſtatuto Romanæ Sedis, & Generalis Concilij, quæ illam facit eſſe perpetuam: nec cẽſendum eſt nouam aliam oppoſitam aduenisſe, dum illa non probatur: nec probatur aduenisſe nouam, dum Authores, qui de materia eius ſcribunt, ipſam nullatenus allegant, nec de ea teſtantur. Authores enim, qui de materia eius ſcribunt, ſunt teſtes idonei de eius conſuetudinis exiſtentia, vel non exiſtentia. 87.

Conſuetudo durat, donec conſtet aduenisſe oppoſitam.

Obſeruandum eſt quartò, Gregorium VII. & Concilium Generale eſſe teſtes idoneos, & plenam probationem facientes de exiſtentia eius conſuetudinis obligatoriæ, ſcilicet non recitandi tres dumtaxat Pſalmos in Matutino, præterquam in Paſchate, & Pentecoſte. Cauſa *enim de facto* in materia Eccleſiaſtica, quæ per teſtes plenè probanda erat, non poteſt meliùs probari, quàm teſtimonio Romani Pontificis, & Concilij generalis. 88.

Concilium plenè probat exiſtentiam conſuetudinis obligatoriæ de numero Pſalmorum.

Obſeruandum eſt quintò, legem, ſeu conſuetudinem recitandi tres dumtaxat Pſalmos in Paſchate, & Pentecoſte, eſſe diſpenſatoriam, & per modum indulgentiæ, vt denotant ea verba, *excepto die Paſchæ & Pentecoſtes.* Et notauit gloſſa *ibid.* illis verbis: [Hoc fit, quia per hoc notatur triduana Domini ſepultura: vel hoc fit propter honorem Trinitatis: vel ideò, quia eo tempore per præcedens ieiunium ſunt facti homines emacerati, & afflicti. Vnde *eis parcitur* in illis temporibus.] Nota, *eis parcitur*; quod verbum denotat quoddam indulgentiæ genus, & diſpenſatoriæ diſpoſitionis, 89.

Conſuetudo recitandi tres Pſalmos, eſt diſpenſatoria.

Hinc

Digitized by Google

90. *Ex prænotatis enunciatur aſſertio.* Hinc fit primum argumentum pro certitudine noſtræ concluſionis. Fuit priſtina conſuetudo in Eccleſia nunquam recitandi tres dumtaxat Pſalmos in Matutino (præterquam in Paſchate, & Pentecoſte) vt conſtat ex textu, & ex obſeruatione quarta. Illa quidem conſuetudo grauiter obligatoria, vt conſtat ex obſeruatione prima; & plenè probata, vt patet ex obſeruatione quarta. Item lex Gregorij VII. in Concilio generali ſtatuens obſeruationem eius conſuetudinis, illis verbis: *Statuimus fieri, ſicut ſuperiùs prænotauimus.* Illa quidem lex confirmata more, & praxi fidelium, modo quo exponitur in obſeruatione ſecunda. Item illa conſuetudo ſic obligatoria perennauit ſemper in Eccleſia, & perennat vſque in hodiernum diem, iuxta dicta in obſeruatione tertia; cùm nullus Author alleget, vel teſtetur oppoſitam conſuetudinem. Quin potiùs vſque in hodiernum diem perennaſſe, manifeſtè colligitur ex eo, quod ex omnibus Authoribus, qui ſpecialiter tetigerunt quæſtionem de recitando officio Reſurrectionis in alieno tempore, nullus (præter Caramuelem, qui ſententiam reuocauit; & Leandrum, qui non omninò reſolutoriè affirmauit) auſus eſt dicere, licitum eſſe abſque culpa mortali, extra id tempus recitare officium Matutinum trium Pſalmorum, quod non ita conſtanter negarent, ſi inualuiſſet conſuetudo in oppoſitum.

91. Tum ſic. Conſuetudo grauiter obligatoria, & conſtitutione Romani Pontificis firmata obligat ſub reatu culpæ lethalis: talis eſt conſuetudo non recitandi officium Matutinum cum tribus Pſalmis, & tribus Lectionibus, vt conſtat ex dictis: ergò ea obligat ſub reatu culpæ lethalis; atque adeò ſub eodem reatu eſt obligatio non recitandi officium de Reſurrectione, quod pro Matutino ex illis tribus componitur, ſubſtitutum pro officio diei, quod ex nouem, vel duodecim, vel decem & octo Pſalmis conſtituitur.

92. Dices primò, conſuetudinem, cuius meminit in loco citato Gregorius VII. æqualiter procedere de duodecim Pſalmis recitandis in feria, ac de tribus Pſalmis non recitandis, præterquam in Paſchate, & Pentecoſte; & tamen ſecundùm opinionem probabilem non obligat ſub mortali ad recitandum in feria duodecim Pſalmos; cùm in die feriali ſine peccato mortali poſſit recitari de feſtiuitate cum nouem: ergo non obſtante conſuetudine, poterit recitari in feria officium de Reſurrectione cum ſuis tribus dumtaxat Pſalmis matutinis.

93. *Conſuetudo de tribus Pſalmis in Paſchate, & duodecim in feriis, inæqualiter procedit.* Contrà tamen eſt, quia conſuetudinem priſtinam grauiter obligatoriam, cuius meminit Gregorius, fuiſſe olim circa vtrumque, patet ex prædicto textu: & perennaſſe vſque ad ad præſentem diem, quantum ad officium Matutinum trium Lectionum, patet, cùm omnes Authores (vno, vel altero dempto) conſtanter negent; poſſe recitari abſque culpa lethali officium Matutinum trium lectionum. Quoad reliqua verò non durare eam conſuetudinem, tanquam grauiter obligatoriam, probabile eſt ex mente plurimorum Authorum, qui autumant, id ſine culpa lethali fieri poſſe. Vnde patet diſparitas inter vtrumque: *Diſparitas.* certum enim eſt, quod durat conſuetudo non recitandi pro Matutino tres dumtaxat Pſalmos cum tribus Lectionibus; quia officium de Reſurrectione cum tribus dumtaxat Pſalmis ipſa conſuetudine receptum eſt tanquam diſpenſatorium, & per modum indulgentiæ: & eſt probabile, quod non durat conſuetudo quoad recitandum in die feriali duodecim, & non de feſtiuitate cùm nouem; quia officium de feſtiuitate non eſt vſu receptum tanquam diſpenſatorium, ſed tanquam de ritu ordinario.

94. Dices ſecundò. Conſuetudo grauiter obligatoria, lege Pontificis firmata circa vtrumque extitit olim, & hodie perennat: at ſecundùm opinionem probabilem, ei conſuetudini adhibetur interpretatio, vt non ſit grauiter obligatoria quoad modum, ſed ſolùm quoad ſubſtantiam: vt ſit grauiter obligatoria quoad ſeptem horas canonicas recitandas; non verò quoad hoc, vel illud officium recitandum; atque adeò non erit grauiter obligatoria quoad officium de Reſurrectione, vel de feria quolibet die recitandum.

95. Sed hæc ſiue argumentatio, ſiue reſponſio eneruatur & conuincitur argumento ſequenti.

96. *Opinio damnata ab Alex. VII.* Secundum argumentum pro certitudine huius concluſionis eſt. Alexander VII. in decreto nouiſſimo huius anni 1666. edito die 18. Martij, condemnauit, & prohibuit tanquam ſcandaloſam hanc propoſitionem, quæ eſt inter damnatas trigeſima quarta: *In die Palmarum recitans officium Paſchale, ſatisfacit præcepto:* vt conſtat *ex diſputat.* 9. *capite* 20. *articul.* 1. ex qua damnatione manſit ea propoſitio improbabilis, & certò falſa, vt conſtat ex dictis ibidem *art.* 8. *&* 9.

97. *Si id, In die Palmarum, ponitur exempli causâ, excludit quemlibet diem.* Vel ergo ea particula, *in die Palmarum*, apponitur exempli causâ, ita vt comprehendat quemlibet alium diem totius anni, exceptis diebus Paſchatis; vel ea particula intelligitur determinatè de ipſo die Palmarum; & ad ſummum de quovis alio ſimili, in quo celebretur Paſſio Domini; ita vt dumtaxat damnata maneat propoſitio, quæ aſſerit, ſatisfacere præcepto eum, qui in die Paſſionis Domini recitat de Reſurrectione: atqui vtrovis modo intelligatur damnatio, manet certum, quod recitari non poteſt de Reſurrectione abſque culpa graui in reliquis feriis, vel Dominicis, vel feſtiuitatibus: ergo manet certum, in illis recitari non poſſe officium de Reſurrectione.

98. Minor oſtenditur. Nam ſi ea propoſitio damnata accipiatur in priori ſenſu, æquiualet huic: *In quacumque die recitans officium de Reſurrectione ſatisfacit præcepto:* atque adeò vi damnationis manet certum, quod non ſatisfacit præcepto, qui in quacumque die, feria, vel feſtiuitate recitat de Reſurrectione.

99. *Si ponitur pro ipſo die, corruit fundamentum oppoſitæ ſententiæ.* Si verò dicas, eam propoſitionem damnari in poſteriori ſenſu, licèt non maneat expreſſè damnata ea propoſitio, quod [recitans in alia feria, Dominica, vel feſtiuitate officium Reſurrectionis, ſatisfacit præcepto:] at fundamentum totale eius propoſitionis manet obſoletum, & antiquatum, & ad improbabilitatem reductum.

100. Quod vt clariùs conſtet, nota, fundamentum

tum eius propoſitionis totale eſſe hoc, nempe: [Præceptum recitandi officium canonicum obligat quoad ſubſtantiam, non quoad modum: ſed ſubſtantia præcepti eſt, quod recitetur vnum officium canonicum; modus verò eſt, quod recitetur iſtud, vel illud officium: ergo præceptum non obligat ad iſtud, vel illud recitandum; atque adeò poterit recitari ſicut quodlibet aliud officium de Reſurrectione.]

101. *Fundamentũ partis oppoſitæ non ſtat cum damnatione.* Tum ſic. Iſtud fundamentum non ſtat, nec componitur, cum damnatione eius propoſitionis: ergo vel id fundamentum corruere debet, vel damnatio eius propoſitionis. Hæc quidem corruere non poteſt, vtpote emanans à Magiſtro Eccleſiæ, & in ea materia, in qua errare non poteſt, vt conſtat *ex diſp.9.cap.10.* ergo corruit prædictum fundamentum. Conſequentia ligat.

102. Antecedens verò probatur, quod nimirum componi non poſſint fundamentum eius opinionis, & damnatio prædictæ propoſitionis. Etenim officium diei Palmarum, & officium Reſurrectionis iuxtà præfatam opinionem non differunt quoad ſubſtantiam, ſed quoad modum; & tamen vi præfatæ damnationis præceptum obligans in die Palmarum excludit grauiter illum modum recitandi de Reſurrectione: ergo vi præfatæ damnationis præceptum excludit grauiter etiam modum recitandi: ergo non componuntur præfata damnatio, & fundamentum prædictæ opinionis, nempe, quod præceptum non obligat grauiter quoad modum.

103. Dices. Id fundamentum eſt probabile, vtpote traditum à doctiſſimis Theologis: immeritò ergo dicimus, illud remanere improbabile. Et confirmatur. Vbi fundamentum eſt probabile, implicat, quod opinio ei ſubnixa non ſit probabilis: ergo ſi fundamentum eſt probabile, opinio quoque erit probabilis.

104. Reſpondeo, duplici modo intelligi poſſe, quod non præcipiatur modus in officio canonico. Primò ita vt præcipi non poſſit ab Eccleſia. Secundò ita vt licèt poſſit præcipi ab Eccleſia, de facto tamen ex benigna interpretatione Authorum credatur, non eſſe intentionis Eccleſiæ illum grauiter præcipere.

105. Rurſum iſte ſecundus modus duas poteſt ſubire explicationes. Primam, ita vt ex benigna interpretatione Authorum credatur, non eſſe intentionis Eccleſiæ, illum grauiter præcipere, dum non adhibeatur modus, qui habeat grauem difformitatem ab officio diei, qualem non habet officium de Aſſumptione, ab officio Sanctæ Catharinæ, quod recitatur, hodie. Secundam, ita vt ex benigna interpretatione credatur, non eſſe intentionis Eccleſiæ illum grauiter præcipere, etiam ſi adhibeatur modus, qui habeat grauem difformitatem ab officio diei.

106. Et quidem primo modo ea aſſertio non videtur probabilis, neque ab Authoribus affirmata. Inter omnes enim Authores conſtat certiſſimè, modum, & ordinem in ſacrificio Miſſæ eſſe grauiter obligatorium. Secundo autem modo, iuxta ſecundam eius explicationem, non aſſeritur ab Authoribus: qui cùm non admiſerint, poſſe fieri mutationem officij diei in officium Reſurrectionis, conſequenter non admittunt poſſe fieri eam variationem, vbi adeſt grauis difformitas in modo. Quare ea aſſertio ſecundo modo, & iuxta ſecundam explicationem non eſt probabilis, neque ab Authoribus intenta. Eſt ergo probabilis ſecundo modo iuxta eius priorem explicationem. Quomodo autem intelligatur, quod ea difformitas non ſit grauis, quando fit variatio in officium nouem Lectionum, vel Dominicæ, aut feriæ, conſtat *ex cap.* 5. Et hinc patet ad argumentum, & eius confirmationem.

Quod ſi adhuc inſiſtas, mentem Authorum fuiſſe, quod modus non cadat ſub præceptum, primo modo, vel ſecundo modo, iuxta ſecundam eius explicationem; reſpondeo, quamvis illud olim fuerit probabile, tamen vi præfatæ damnationis Alexandri VII. remanſiſſe antiquatum. Ex illa enim planè conſtat, mutationem officij Palmarum in officium Reſurrectionis eſſe grauiter illicitam; cùm tamen euidens ſit, eam eſſe dumtaxat mutationem modi, qualiter ab Authoribus explicatur modus. 107. *An ea opinio maneat antiquata vi eius damnationis?*

Inſtabis. Eccleſia in recitatione officij canonici non prohibet grauiter variationem modi, quando iſte non habet magnam difformitatem reſpectiuè ad officium diei: ſed ſi officium Aſcenſionis mutetur in officium Reſurrectionis, modus variationis non habet magnam difformitatem ab officio diei, nempe Aſcenſionis, ſed potiùs leuem: ergo in die Aſcenſionis Eccleſia non prohibet grauiter recitationem officij Reſurrectionis. 108.

Reſpondetur admiſſa maiori, quia ex dictis videtur probabilis, negando minorem tanquam certò falſam. Tunc enim euidens eſt, aliquid eſſe graue iudicio prudentum, quando omnes, aut ferè omnes prudentes conſpirant ad aſſerendum eſſe graue, vt oſtendi *diſput.* 12.*c.*1. Sed omnes, aut ferè omnes prudendentes Theologi conſpirant ad aſſerendum, mutationem eiuſmodi habere magnam difformitatem; ideò enim omnes, aut ferè omnes negant eam mutationem officij diei in officium Reſurrectionis: ergo euidens eſt, eam modi mutationem afferre notabilem difformitatem, & non leuem. 109.

Et hinc etiam patet impugnatio eius reſponſionis poſitæ in fine primi argumenti *num.*94. Conſuetudo enim obligatoria recitandi in Matutino nouem Pſalmos, vel duodecim, non poteſt ſubire eam interpretationem, quod ſolùm obliget quoad ſubſtantiam, & non quoad modum; cùm doctrina cum hac diſtinctione tradita reiicienda ſit neceſſariò poſt damnationem Alexandri VII. ſuprà memoratam. 110.

Ideò P. Suarez *tom.* 2. *de Religion. lib.* 4. *de Horis canonicis*, *cap.* 23. *numer.* 14. expreſsè affirmat, nunquam ſibi perſuadere potuiſſe etiam vt probabile, quod poſſis abſque lethali recitare officium de Reſurrectione. Quod autem dicit Caramuel, P. S. Suarium recitaſſe frequenter officium de Reſurrectione, tanquam fictitium reiicit P. Pellizarius ſuprà *diſputat.* 32. *num.* 46. & P. Burghaber infrà citandus meritò dicit, eſſe *fabuloſum*: dicit etiam expreſsè improbabilem prædictam opinionem P. Pellizarius *tom.* 1. *Manual. Regular. tractat.* 5. *cap.* 8. *ſect.* 2. *num.* 74. P. Adamus Burghaber 111. *Suarium recitaſſe de Reſurrectione, fictitium eſt.* *An opinio de ſubſtitutum de officio Reſurr. ſit improbabilis.*

Digitized by Google

Burghaber *cent.* 1. *caſuum conſcientiæ*, *caſ.* 16. (apud Dianam *part.* 11. *tract.* 1. *reſol.* 26.) eam opinionem affirmat, *nullam habere probabilitatem*; & quod ea *nullo rationabili fundamento niti poſſit*: præter cæteros omnes, qui quæſtionem in terminis tetigerunt, qui abſque expreſſa cenſura eam opinionem reiiciunt. Ideò Diana proximè citatus ait: [Vnde patet, quod nullus ex ſcriptoribus Societatis auſus ſit ſententiæ Caramuelis adhærere, ſed omnes noſtram ſecuti ſunt.] Et Ioannes Martinez de Prado *tom.* 2. *cap.* 30. *quæſt.* 2. (apud Leandrum à SS. Sacram. *part.* 6. *tract.* 8. *diſp.* 3. *quæſt.* 45.) ait: [Meritò tamen omnes, qui de hac poſitione mentionem fecerunt, eam vt *improbabilem* reiiciunt.]

CAPVT VII.

Occurritur obiectionibus, quæ militant contra aſſertionem capitis præcedentis.

112. ARgumenta Caramulis pro officio Reſurrectionis ſubſtituendo, quæ deſumuntur ex eo, quod modus accidentalis (qualis dicitur eſſe, quod officium ſit de Reſurrectione) non cadat ſub præceptum graue, ſatis, ſuperque debellara maner *cap.* 4. Sed quia Leander à SS. Sacr. *part.* 6. *tract.* 8. *diſp.* 3. *quæſt.* 45. 5. *Ad argumenta*, expoſtulat cum Prado, quod ad ſua argumenta non reſponderit, operæpretium eſt argumenta diſcutere.

113. *Ad excludendam probabilitatem non requiritur ſolutio euidens obiectionum.* Sed antea oportet præmittere expoſtulationem Leandri, quam præſtat in hæc verba: [Ad quas minimè reſpondet Prado, quod debuerat, euidenter illas falſitatis conuincendo, vt ſic meritò dicere poſſet, noſtram ſententiam eſſe falſam, & impracticabilem.] Quem modum poſtulandi euidentiam in ſolutione argumentorũ didicit à Caramuele. Quem tamen vt dediſcat, legat oportet diſputationem 3. vbi demonſtraui, ad certitudinem concluſionis non eſſe neceſſarium, quod eius Author præbeat obiectionibus ſolutionem pluſquam probabilem, dummodo principio certo propriam concluſionem præmuniat. Adhuc tamen, vt eius placito obſequar, oſtendam in præſenti, omnia principia, quibus eius aſſertio nititur, eſſe certò falſa. Argumenta autem ſubiicienda propoſuit *part.* 2. *tract.* 6. *diſp.* 13. *quæſt.* 28.

114. Primum argumentum Leandri ſic habet: Probabile eſt, non eſſe culpam mortalem, vnum officium pro alio recitare, etiam aduertenter, & ſine cauſa; v. g. officium de Conceptione pro officio Sabbati: ergo etiam erit probabile, non eſſe culpam mortalem, ſi dicatur officium de Reſurrectione pro alio de feria, vel Dominica, vel de feſto nouem Lectionum. Antecedens ſupponit, & conſequentiam dicit ſibi eſſe euidenter probabilem; & ſe inferiùs oſtenſurum vim conſequentiæ pollicetur. Cùm autem argumentum ſic maneat dimidiatum, præſtat illi adiungere ſecundum argumentum, quod ad probandam vim conſequentiæ tendit.

115. Secundum itaque argumentum proponit his verbis. [Probabile eſt, quod qui recitat officium Reſurrectionis, adimpleat præceptum recitandi officium diuinum, quoad ſubſtantiam, licèt non quoad modum: ergo cùm violatio præcepti quoad modum non ſit mortalis, vt omnes fatentur, nullo modo erit mortale mutare officium alicuius Sancti in officium Reſurrectionis. Conſequentia conſtat, antecedens verò probatur; quia vt ſuprà eſt habitum, probabile eſt, quod ſubſtantia præcepti recitandi diuinum officium ſolùm conſiſtat in hoc, vt recitentur ſeptem horæ canonicæ, iuxta Breuiarium à Sede Apoſtolica approbatum; ad modum verò, quod tali die recitetur de tali Sãcto, vel de feria, &c. At ſic eſt, quod qui recitat officium Reſurrectionis, recitat officium contentum in Breuiario à Sede Apoſtolica approbato: ergo probabile erit, talem ſic recitantem adimplere ſubſtantiam præcepti, & conſequenter non committere mortale.] Hucuſque ſecundum argumentum Leandri.

Reſpondetur conceſſo antecedẽti, quod probabile ſit ſubſtituere officium de Conceptione pro officio feriali: & negando conſequentiam, & negando, eam conſequentiam eſſe probabilem, nedum euidentem. Ad ſecundum argumentum in ſubſidium eius conſequentiæ productum reſpondeo primò, omiſſo antecedenti, negando conſequentiam, vel potiùs id, quod violatio præcepti quoad modum non ſit mortalis; negando etiam, quod id omnes fateantur. Etenim qui in Dominica Palmarum recitat officium Reſurrectionis, iuxta eam ſententiam implet præceptum quoad ſubſtantiam, & non quoad modum; & tamen non ſatisfacit præcepto iuxta oraculum Alexandri VII. Et qui ordinem Miſſæ inuerteret, incipiendo à conſecratione, & poſteà offerendo, & priores partes cum poſterioribus commiſcendo, peccaret mortaliter, quamvis in hoc ſolum modum immutaret. 116. *Violatio præcepti quoad modum poteſt eſſe mortalis.* *Patet ex decreto Alex. VII.*

Reſpondeo ſecundò, negando antecedens, quod, qui recitat officium Reſurrectionis alieno tempore, adimpleat præceptum quoad ſubſtantiam; quia is modus recitandi eſt ſubſtantialis, & ad ſubſtantiam præcepti pertinens, vtpote principaliter intẽtus à legiſlatore, & præcepto; declarante id conſuetudine priſtina, & recenti Eccleſiæ, vt conſtat *ex c.* 6. & eius priori argumẽto. Ad probationem dico, non eſſe probabile, quod ſubſtantia præcepti ſolùm conſiſtat in hoc, quod recitentur vtcumque ſeptem horæ canonicæ, iuxta Breuiarium à Sede Apoſtolica approbatum: cùm ex oraculo Romanæ Eccleſiæ ſuprà relato conſtet, non ſatisfacere ſubſtantiæ præcepti eum, qui in die Palmarum recitat officium Reſurrectionis; cùm tamen recitans officium Reſurrectionis recitet ſeptem horas canonicas ex Breuiario à Sede Apoſtolica approbato. Ex quibus etiam conſtat, principia à Leandro aſſumpta pro ſua concluſione de officio Reſurrectionis iam eſſe certò falſa, ſaltem poſt decretum nouiſſimum Alexandri VII. 117. *Subſtantia præcepti non ſtat in eo, quod recitentur vtcumque 7. Horæ.* *Conſtat ex decreto Alex.*

118. Tertium argumentum eſt. Nam ſi ſola permutatio officij diuini in officium Reſurrectionis, vel Pentecoſtes, non verò in aliud, eſſet mortalis, id eſſet ratione ſignificationis, vel quia officium longius, vel longiſſimum permutatur in officium multò breuius: hæc non obſtant: ergo ſine culpa mortali fieri poteſt ea permutatio. Probatur minor quoad priorẽ partem. Quia in officio Sanctiſſimæ Trinitatis repræſentãtur quamplura myſteria huius feſti; & nihilò

Digitized by Google

nihilominus iuxta ſententiam plurimorum, id officium ſubſtitui poteſt pro quolibet alio. Probatur etiam quoad poſteriorem, quia iuxta prædictam ſententiam plurimorum, in die Dominica poteſt recitari officium Sanctiſſimæ Trinitatis abſque culpa lethali; cùm tamen hæc ſit commutatio officij longiſſimi in officium multò breuius reſpectiuè.

119. Reſpondeo, quidquid ſit de priori ratione, à cuius diſcuſſione modò abſtraho; rationem præcipuam eſſe conſuetudinem Eccleſiæ grauiter obligatoriam, confirmatam conſtitutione Gregorij VII. in Concilio generali, non recitandi officium Matutinum trium Pſalmorum dumtaxat; vt conſtat ex capite præcedenti. Quæ conſuetudo quia durat in Eccleſia ſine impedimento alterius contrariæ, non auſi ſunt Authores (vno, vel altero dempto) concedere, quod fiat ea permutatio in officium trium Pſalmorum. Ideò autem concedunt mutationem in aliud officium nouem, aut plurium Pſalmorum, quia quoad hoc eam probabilem interpretationem patitur prædicta conſuetudo recitandi in ſua die tale officium determinatum nouem, aut plurium Pſalmorum.

120. Quod autem Leander aſſumat principia certò falſa in comprobationem ſuæ concluſionis, inde patet, quòd eiſdem probari poteſt eadem vi conſequentiæ, eum, qui in die Palmarum recitat officium de Reſurrectione, ſatisfacere præcepto; cùm tamen id ex oraculo Alexandri VII. ſit certiſſimè falſum.

121. *An omnes Authores ſubſcribentes variationi officij, id doceant ſine exceptione?*

Quartum argumentum eſt, quod his verbis proponit. [Omnes Authores (vno excepto Diana, qui noſtram tenet ſententiam) abſolutè, & ſine exceptione officij docent, mutationem officij diuini in aliud, etiam dedita opera, non eſſe peccatum mortiferum. Vnde Leſſius *loco citato*, hæc verba notanda dicit. *Itaque ſubſtantia præcepti ſeruatur, quodcumque officium Breuiarij conceſſi dicatur.* Azor: *Iuris eſt canonici, vt ſeptem preces horariæ recitentur; quod verò hoc officium, aut illud perſoluatur, non attinet ad ſubſtantiam legis, ſiue præcepti,*] &c. Similia verba affert ex Caietano, & ex Silueſtro.

122. Reſpondeo primò, falſum eſſe, quod omnes Authores, qui eam ſententiam de mutatione officij tuentur, excepto Diana, affirment, licere eam mutationem in quodlibet officium vniuerſaliſſimè. Nam P. Pellizarius (*Pellizar.*) citatus *cap. præced. num.* 111. docuit eſſe probabilem eam mutationem in aliud officium; & improbabilem eſſe mutationem in officium Reſurrectionis. P. Tamburinus (*Tamburin.*) *lib.* 2. *in Decalog. cap.* 5. §. 2. *numer.* 21. admittit, mutationem vnius officij in aliud, rarò tamen ſine mortali culpa fieri poſſe. Et *num.* 22. negat, poſſe fieri mutationem in officium Reſurrectionis. Quod idem tenet P. Filliucius (*Filliucius.*) apud P. Tamburinum citatum. Tenent & alij, qui ſcripſerunt, poſtquam ea quæſtio cœpit agitari.

123. Reſpondeo ſecundò, propoſitiones vniuerſales Authorum quandoque intelligi cum aliqua exceptione, quando aliqua ſingularis materia eſt nimis exorbitans; præſertim cùm in illis eſt ſpecialis ratio dubitandi.

124. Reſpondeo tertiò, ſi prædicti Authores locuti ſunt in tota vniuerſalitate eius propoſitionis vniuerſalis, ita vt ſenſus ſit, poſſe abſque culpa lethali fieri commutationem officij in quodlibet aliud, etiam Reſurrectionis, iam eam opinionem eſſe improbabilem; cùm ex ſacro oraculo Alexandri VII. improbabile ſit, ſatisfacere præcepto eum, qui in die Palmarum recitat officium Reſurrectionis. Et ideò prædicti Authores in ſenſu vniuerſaliſſimo citari non poſſunt ad probabilitatem eius ſententiæ.

Deinde *part.* 6. *tract.* 8. *diſputat.* 5. *quæſt.* 45. redit ad eandem quæſtionem, vt eam ab impugnationibus Pradi propugnet. Vbi hoc argumentum addit pro ſuæ ſententiæ probabilitate promouenda his verbis: [Dicendum, quod vel probabile ſit dicere, ſolùm eſſe veniale communiter & regulariter loquendo, recitare ſine vrgenti cauſa officium Reſurrectionis ea die, qua iuxta Rubricas Breuiarij recitandum erat de feria, aut de Sancto; vel non ſit probabile, quod poſſit quis abſque mortali dicere officium alicuius Sancti loco ferialis. Hæc reſponſio probata manet, & ſatis 2. *part. tractat.* 6. *diſputat.* 13. *quæſtion.* 18. & eam docet Suarius ibidem citatus. Qui apertè negat probabilitatem huius vltimæ propoſitionis, ne cogatur concedere, probabilem eſſe primam. Ita etiam cum Suario ſentit Palaus *tom.* 2. *diſputat.* 2. (de Horis canon.) *punct.* 2. *in fine*, vt hæc eius verba dicunt. Ait enim ſic: [Si verum eſſet, te tantùm eſſe obligatum recitare ſecundum quamlibet formam Breuiarij Romani, & non ſecundùm formulam contingentem quolibet die, ſatisfaceres officio recitandi, ſi officium dicas de Reſurrectione quolibet die Quadrageſimæ, vel Dominicæ per annum: conſequens autem durum videtur; cùm totum illud officium non æquiualeat Matutinis precibus *alterius diei.* Hucvſque Palaus.] Subdit deinde ſimilem periodum P. Pellizarij, & hæc verba adiungit: [Igitur ex diſcurſu iſtorum trium Doctorum, eorumque aſſenſu clarè ſequitur, quod vel probabile ſit, ſolùm eſſe veniale communiter loquendo recitare ſine vrgenti cauſa de Reſurrectione eo die, quo recitandum erat de feria, aut de Sancto: vel non ſit probabile, quod poſſit quis abſque mortali recitare, communiter loquendo, de aliquo Sancto illa die, qua erat recitandum de feria, aut de Dominica. Nam quaſi per euidentem conſequentiam vnum ex alio ſequitur, vt benè argumentantur citati Authores.] 125.

Cuius argumenti tota vis hæc eſt, alterutram ex his conſequentiis valituram. Vel hanc: *Licet abſque mortali commutare officium feriæ in officium Conceptionis: ergo licèt abſque mortali commutare officium feriæ in officium Reſurrectionis.* Vel hanc: *Non licet abſque mortali commutare officium feriæ in officium Reſurrectionis: ergo non licet abſque mortali commutare officium feriæ in officium Conceptionis.* Ideò autè alterutram conſequentiam valituram eſſe, quia Patres Suarius, Palaus, & Pellizarius iudicant neceſſariam conſequentiam ab vno ad aliud. Atqui ſecunda conſequentia concedi non poteſt: quia negari non poteſt probabilitas ſententiæ aſſerentis, fieri poſſe abſque mortali commutationem officij feriæ in officium Conceptionis: ergo 126. *An valeant iſta conſequentia.*

prima

prima conſequentia valet ex mente eorum Doctorum. Et confirmari poteſt. Implicat enim, quod ſit probabile antecedens, & conſequens improbabile : ſed certum eſt, quod antecedens primæ conſequentiæ eſt probabile : ergo certum eſt, quod conſequens non eſt improbabile.

127. Reſpondeo, bonam eſſe eam primam conſequentiam, ſtando in fundamento eius ſententiæ. Totum enim fundamentum eius ſententiæ hoc eſt : [Ille ſatisfacit præcepto, qui adimplet ſubſtantiam præcepti, licèt non adimpleat modum præcepti : ſed ſubſtantia præcepti eſt, quod perſoluantur ſeptem horæ canonicæ; modus autem eſt, quod hoc, vel illud officium recitetur, quodcumque illud ſit : ergo ſatisfacit præcepto, qui recitat ſeptem horas canonicas, quamvis recitet hoc, vel illud, quodcumque illud ſit.] Ex hoc autem fundamento rectè inferunt citati Doctores, bonam eſſe primam conſequentiam. Cæterùm hoc fundamentum, vt dixi ſuprà *numero* 101. iam corruiſſe, infertur ex oraculo Alexandri VII. vtpote incompatibile cum hoc. Ex eo enim fundamento æquè patet, ſatisfacere præcepto eum, qui in die Palmarum recitat officium de Reſurrectione. Quam concluſionem cùm Alexander VII. declarauerit ſcandaloſam, improbabilis manet, & conſequenter manet improbabile antecedens, vnde illa deducitur.

128. Denique Leander *ibid.* §. *Ad confirmationem*, hæc ſubiungit. [Reſpondeo primò, illo (argumento) ad ſummum probari, non poſſe abſque graui culpa dici officium Reſurrectionis in Dominica Palmarum, & reliquis huiuſmodi feriis : quod omitto, quia nos non dicimus, quod poſſit quis abſque culpa graui recitare de Reſurrectione omnibus diebus, nullis exceptis; nam de hoc nolo habere quæſtionem : ſed poſſe, communiter loquendo, ſæpè ſæpiùs quocumque tempore anni, nempe in Aduentu, Quadrageſima, & poſt Paſcha, & Pentecoſten, de Reſurrectione ſine incurſu mortalis recitare.]

129. *Hac reſponſione tota vis argumentorum euertitur.* Sanè hac periodo totam vim argumentorum ſuorum vno ictu amputauit Leander, dum patitur exceptionem fieri in die Palmarum, & in ſimilibus feriis. Etenim qui in die Palmarum recitat officium Reſurrectionis, vel implet præceptum quoad ſubſtantiam, licèt non quoad modum, vel non? Si primum, infero : ergo poteſt fieri, quod non ſatisfaciat præcepto ille, qui implet præceptum quoad ſubſtantiam, & non quoad modum : ergo poteſt fieri, quod non ſatisfaciat præcepto, qui recitat officium Reſurrectionis in Dominica per annuum, quamvis adimpleat præceptum quoad ſubſtantiam, & non quoad modum.

130. Si verò dicat ſecundum, nempe eum, qui recitat officium Reſurrectionis in die Palmarum, non adimplere præceptum quoad ſubſtantiam, contra eſt : Per te tota ſubſtantia præcepti ſtat in hoc, quod ſeptem horæ canonicæ perſoluantur; nullatenus autem ſtat in hoc, quod iſtud determinatum officium dicatur : ſed qui in die Palmarum recitat officium de Reſurrectione, perſoluit ſeptem horas canonicas : ergo qui in die Palmarum recitat officium de Reſurrectione, ſoluit totam ſubſtantiam præcepti, atque adeò ſatisfacit præcepto.

Deinde benè valet ab oppoſito contradi- 131.
ctorio conſequentis ad oppoſitum contradictorium antecedentis : ſed ex declaratione Alexandri VII. oppoſitum contradictorium conſequentis eſt certum : ergo etiam oppoſitum contradictorium antecedentis eſt certum. Sed antecedens, quod attinet ad minorem eſt euidens : ergo illius maior eſt certò falſa.

Prætereà Leander per eam periodum præ- 132.
ſcribit modum reſpondendi ad omnia ſua argumenta, quæ inſtruit pro ſua concluſione. Nam qui negamus, poſſe abſque mortali officium feriæ in officium Reſurrectionis commutari, dicemus, vnum officium communiter loquendo, & vt in plurimum poſſe commutari in aliud; neque quodlibet poſſe commutari in aliud quodlibet, nullo excepto : & ſicut ipſe à principio generali excludit officium Reſurrectionis recitandum in Dominica Palmarum; ita nos à principio generali commutandi quodlibet officium in quodlibet, excludimus officium Reſurrectionis. Nam vel principium generale de impletione ſubſtantiæ præcepti per hoc, quod perſoluantur ſeptem horæ canonicæ, patitur excludi officium Reſurrectionis, vel non patitur excludi diem Palmarum ab officio Reſurrectionis recitando, vt ex dictis manifeſtè conſtat.

Quid autem intereſt, quòd ipſe de die Pal- 133.
marum nolit haberi quæſtionem, ſi ipſa quæſtio neceſſariò ſe ingerit? Quid prodeſt, quod dicat, ſe omittere, ſi ipſa omiſſio præbet arma, quibus eius ſententia iuguletur? Nam quæ omittit, permittit. Quod ſi permittit ea, quæ afferunt internecionem ſententiæ, vtique ipſo permittente, de ea actum eſt.

CAPVT VIII.

Certum eſſe, nullas partes, ex relatis capite primo, eſſe extrinſecas in officio Romano.

Ex initio huius diſputationis conſtat, nul- 134.
las alias officij Romani partes eſſe extrinſecas ſecundùm Caramuelem, niſi *Pretioſa*, in Prima, *Sobrij eſtote*, in Completorio, & tres orationes, Pater noſter, Aue Maria, & Symbolum, quæ præcedunt, vel conſequuntur officium, aut horam. Neque enim alias adnumerat inter extrinſecas.

Oſtenditur ergo primò concluſio propo- 135. *Si eſſent extrinſeca, multa abſurda inferrentur.*
ſita in titulo huius capitis. Si iſtæ eſſent partes extrinſecæ, eſſent quoque partes extrinſecæ multæ aliæ : hoc non admittit Caramuel: ergo nec primum. Probatur maior. Ideò dicitur *Pretioſa*, & *Sobrij eſtote*, eſſe partes extrinſecas, quia non recitantur in feria quinta, & ſexta maioris Hebdomadæ : ſed eadem ratio militat in multis aliis : ergo etiam multæ aliæ dicendæ eſſent extrinſecæ. Maior eſt

eſt Caramuelis, & patet *ex cap.* 1. & conſequentia tenet.

136. Minor verò manifeſta eſt. Nam in prædictis ferijs Maioris hebdomadæ, nec dicitur *Gloria Patri*, nec benedictiones ante Lectiones, nec *Tu autem*, in fine earum, non *Deus in adiutorium*, nec *Domine labia*, non Inuitatorium, neque vllus ex hymnis cuiuſlibet horæ, nec *Te Deum*, nec Reſponſoria breuia, aut Capitula, nec commemorationes: item preces erunt partes extrinſecæ, quæ multis diebus omittuntur. Item Symbolum Athanaſij. Item in Matutino Dominicali ſex Pſalmi erunt extrinſeci, quia in reliquis ferialibus omittuntur; cùm in feriali dicantur duodecim, & in Dominicali octodecim. Imò in Matutino Dominicali nouem Pſalmi erunt partes extrinſecæ: quia in aliis officiis nouem Lectionum, nouem tantùm Pſalmi dicuntur. Quod Caramueliſtico argumento probatur. Integritas Matutini nouem Lectionum ſaluatur in nouem Pſalmis, & nouem Lectionibus cum Reſponſoriis; cùm officium nouem Pſalmorum, quod dicitur in feſtiuitatibus, ſit integrum officium: ergo reliqui pſalmi non pertinent ad integritatem officij.

137. Fieret vlteriùs, omnes pſalmos veſperarum, præter vnicum, eſſe partes extrinſecas ei horæ. Nam reliqui pſalmi, præter *Laudate Dominum omnes gentes*, omittuntur in primis veſperis Reſurrectionis. Et fieret etiam duos Nocturnos in Matutino eſſe partes extrinſecas: omittuntur enim in officio Reſurrectionis, & Pentecoſtes. Quæ omnia eſſe euidenter falſa, & non admitti à Caramuele, euidens eſt. Ex quo fit, tale argumentum tantùm probare, vt nihil probet.

138. *Qui multa omittit in Miſſa, non peccaret etiã venialiter.*

Oſtenditur ſecundò. Non ſunt partes extrinſecæ huius Miſſæ, quæ recitantur in iſta, & omittuntur in alia: ergo non ſunt partes extrinſecæ huius officij, quæ dicuntur in hoc officio, & omittuntur in alio. Conſequentia patet ab identitate rationis; & antecedens eſt manifeſtum. Patet enim ex vniuerſali omnium fidelium perſuaſione, & ex conſuetudine ita interpretante præceptum (quæ omnimodam etiam facit certitudinem, *ex diſput.* 23. *cap.* 4.) omnia, quæ ex inſtitutione Eccleſiæ dicuntur in Miſſa, eſſe partes intrinſecas Miſſæ.

139. Et quidem ſi ea ratio valeret, *Agnus Dei*, non eſſet pars intrinſeca Miſſæ, neque introitus, neque oratio, quæ dicitur *Communio*, neque offertorium; quia omittuntur Sabbato Maioris hebdomadæ. Præterea in Miſſa omnes orationes, præter primam, quæ dicuntur ante Epiſtolam, & ſecretæ illis correſpondentes, & Poſtcommuniones; quia in multis Miſſis omittuntur. Similiter fieret, quod in Sabbato Quatuor temporum quinque Lectiones cum Gradualibus non erunt partes Miſſæ, neque Paſſio in Dominica Palmarum, neque *Credo* in qualibet Miſſa: neque pſalmus præuius, *Iudica me Deus*, cum confeſſione, qui tempore Paſſionis, & in Miſſis defunctorum omittitur; neque *Gloria*, quæ pluries omittitur.

140. Ex quibus fieret, neque venialiter peccaſſe Petrum, qui infrà octauam Epiphaniæ ſic celebrauit. Omiſit Pſalmum *Iudica me Deus*, & introitum Miſſæ, *Ecce aduenit*, & *Gloria in Excelſis*; & dixit dumtaxat orationem Epiphaniæ, & alias duas deſignatas omiſit, ſicut & alias duas ſecretas, & alias duas Poſtcommuniones. Omiſit etiam Symbolum, & offertorium, & *Gloria Patri*, ad *Lauabo*. Omiſit etiam primam orationem ex tribus ante communionem, quæ omittitur in Miſſis defunctorum, & omnia Alleuya, & benedictionem poſtremam. Numquid iſte omiſit partes Miſſæ extrinſecas? Numquid neque venialiter peccauit?

Oſtenditur tertiò. Compoſita moralia, 141. quantumuis eiuſdem ſpeciei ſint, non eſt neceſſe, quod conſtent partibus eiſdem, aut omnino ſimilibus: neque partes aliquæ reiiciendæ ſunt à compoſito, aut in illo non computandæ; quia illæ non in omnibus indiuiduis reperiuntur: ergo non ſunt reiiciendæ ab hoc compoſito morali officij canonici, & à compoſitione illius aliquæ partes, quia in alio officio indiuiduali non dantur. Conſequentia patet. Et de antecedenti quis dubitet? Numquid Profeſſores Theologiæ non ſunt partes communitatis Benedictinæ, aut collegij Societatis Ieſu, quia multæ communitates Benedictinæ, multa collegia Societatis carent Profeſſoribus Theologiæ? Numquid fabri argentarij, pictores, ſerico-textores non ſunt partes Reipublicæ Hiſpalenſis, quia multæ ſunt Reſpublicæ, quæ illis carent? Quibus propterea non deeſt, eſſe Reſpublicas adæquatas, & integras.

Compoſita moralia eiuſdem ſpeciei non conſtant eiſdem partibus.

Idem apertè oſtenditur in compoſitis phy- 142. ſicis. Numquid iſtius tabulæ non eſt pars intrinſeca nodoſa materia illi vnita, quia multæ tabulæ carent nodis? Numquid ſextus digitus, quem natura dedit Petro in dextera, non eſt pars intrinſeca Petro, quia reliqui homines carent ſexto digito? Numquid iſtius maris numerici non ſunt partes intrinſecæ illæ, quæ deſunt in fœminis? Quod autem ſupradictæ omnes ſint partes intrinſecæ, manifeſtum eſt, cùm vera & reali & phyſica vnione copulentur; niſi velis negare intrinſeca, quæ concedis vnita.

Neque compoſita phyſica.

DISPVTATIO XXXIV.

An per vnicam Matutini recitationem poſſit quis ſatisfacere duorum dierum obligationi? Vbi, an per orationes Miſſæ poſſit ſatisfacere ex parte officio canonico?

CAPVT PRIMVM.

Mens Caramuelis, & reſolutio quæſtionis prioris.

MAGNAM admirationem inuexit in Theatrum literarium prior quæ- 1. ſtio à Caramuele primo Authore propoſita: tum quia à pluribus exiſtimatus eſt partem affirmatiuam propugnare; tum quia tanti facit argumenta pro parte

Digitized by Google

parte affirmante eorum Author, quanti non valent.

2. *Caram. videtur tenuiſſe partem affirmantem.*

Igitur *comment. in Regul. diſp.* 114. *art.* 2. *numero* 1420. propoſuit quæſtionem, attulitque argumenta pro parte affirmante: attulit etiam pro negante. Argumenta partis negantis accuratè diſſoluit: contra argumenta partis affirmantis, licèt attulerit reſponſionem quamdam, eam quidem friuolam, vtique eam efficaciter refutat. Et vel ex hoc ſolo capite meritò exiſtimatus eſt, tenere partem affirmantem: nam is, qui propoſuit argumenta pro vtraque parte, & ſolùm diſſoluit argumenta vnius, cenſetur aſſumere defenſionem alterius, vt patet *ex diſp.* 50. *num.* 8.

3. Sed *num.* 1427. remittit aliorum iudicio, an pars affirmans ſit probabilis, aiens: [Poſtulas cenſuram meam: quamcumque partem elegero, videbor ſingularis. Totius Eccleſiæ praxis fauet parti neganti, licèt non expreſsè. Aſſerens rationi innititur, cui multi cùm ſatisfaciunt, ſibi non ſatisfaciunt. Cæterùm an ſit probabilis ſententia affirmans, eſto aliorum iudicium.] Sed numquid *totius Eccleſiæ praxis* in materia iuris canonici, & interpretatione illius non facit euidentiam moralem? Vtique facere tandem confeſſus eſt Caramuel mox citandus. Sed deinde in nota ſubſequenti negat, ſe eam ſententiam defendere.

4. In fundamentali Theologia *fund.* 31. *n.* 753. eadem repetit ferè eodem tenore verborum, paucis aliquibus adiectis: & in editionibus antiquioribus maius dedit fundamentum communi æſtimationi, quod pars affirmans eſſet ſententia Caramuelis. Nam in editione Francofurtenſi *num.* 512. aſſerit, eam opinionem viſam eſſe probabilem Theologo anonymo Pragenſi; & addit: [Ergo pro illa ſit iſte primus Author; ſit *ſecundus Caramuel.* Fortè alij accedent, & quæ *probabilis eſt ab intrinſeco*, ab extrinſeco erit aliquando probabilis. Fortè etiam nunc eſt probabilis ab extrinſeco benigna opinio; eſt enim noua, & ſolùm à nobis tractata: habet pro ſe *duos Authores*, & contra ſe nullum: & quia hoc verum, cur non erit probabilis?] Ita quidem olim ſcripſit. Sed conſilio in melius mutato in editione anni 1657. aſſeruit, ingenij exercendi gratiâ illa dicta fuiſſe; partemque affirmantem non eſſe probabilem.

Tandem dixit, id non eſſe probabile.

5. Eſt ergo Caramueli, & mihi communis reſolutio, eiuſque probatio, imò & verborum tenor, quibus ipſe proponit *eo fundament.* 31. *num.* 763. [Non licet vnica Matutinorum, & Laudum lectione duorum dierum obligationi ſatisfacere. Probatur clariſſimè. Quia conſuetudo, & vſus communis Eccleſiæ eſt quædam certiſſima & ſecuriſſima legis interpretatio: atqui omnes legunt bis Matutinas & Laudes, vt ſatisfaciant duobus diebus; & omnes iudicant, ſe teneri ad hoc ſub peccato mortali: ergo iſte eſt verus ſenſus Eccleſiaſticæ legis, nec contrarius poteſt dici probabilis.] Et pro certitudine maioris vide *diſp.* 23. *cap.* 4.

6. *Ea opinio damnata eſt ab Alex. VII.*

Cuius aſſertionis potiſſima confirmatio deſumitur ex decreto Alexandri VII. lato die 18. Maij anni 1666. quo damnauit & prohibuit tanquam ſcandaloſam eam propoſitionem, quæ inter condemnatas eſt trigeſima quinta, nempe: *Vnico officio poteſt quis ſatisfacere duplici præcepto, pro die præſenti & craſtino.* Vide *diſput.* 9. *capite* 20.

7. Sed adhuc operæpretium eſt examinare argumenta allata pro parte affirmante. Illa enim appellat fulmina author eorum *in Regul. numero* 1427. *B.* & *fund.* 31. *num.* 761. Sed magni refert eorum infirmitatem aperire, ne in aliis quæſtionibus veritati Theologicæ officiant.

CAPVT II.

Proponitur, & examinatur primum argumentum partis affirmantis.

8. CAſus, in quo loquitur prædictus Author, eſt, ſi ſint duo dies immediati feria ſecunda & tertia, in quibus recitetur de communi vnius Martyris, v.g. ſub ritu nouem Lectionum; & veſpere ante feriam tertiam, quando vtrumque ſimul Matutinum recitari poſſet, pro ſatisfactione officij vtriuſque diei recitetur vnum tantùm. Partem enim affirmantem, quod eo caſu per huius vnius officij recitationem ſatisfiat vtrique obligationi, hoc argumento roborare conatur.

9. Quod ſic proponit Caramuel locis citatis. [Vna & eadem actione poteſt Petrus ſimul ſatisfacere duobus præceptis numero diſtinctis eòdem tempore concurrentibus: concurrunt in caſu duo diſtincta numero circa officium diuinum: ergo poteſt vnica, & ſimplici actione vtrique ſatisfacere.

10. Maior eſt certa. Nam datur præceptum de audienda Miſſa diebus Dominicis: datur etiam aliud de audienda in feſto S. Petri. Quod ſi S. Petri ſolemnitas in Dominicum incidat, teneberiſne audire duas Miſſas? Minimè. Sed hoc clariùs conſpicitur in negatiuis, quibus ſeorſim obedire non ſolùm non debes, ſed nec potes; natura enim te cogente, vtrique debes ſimul ſatisfacere. Dabo exemplum. Quinto Decalogi præcepto interdicitur homicidium, & hoc etiam interdicitur lege morali humana. Dic, obſecro, ſi ſemper ex præſcripto legis diuinæ teneor non occidere, quando potero humanæ legi ſatisfacere? Et ne quæramus materias exoticas & peregrinas, etiam in officio diuino reperiemus penetrationes præceptorum. Petro Benedictino mandatur, vt diebus ſingulis officium legat ſub peccato mortali: promouetur ad Ordines maiores; hi indicunt nouam legendi obligationem à prima diſtinctam, & ita grauem, vt ſola ſufficiat ipſum obligare ſub mortali. Tenebiturne legere duo officia? Negant omnes; quia illæ duæ obligationes ſunt numero diſtinctæ, & vtrique lectione ſimplici poteſt ſatisfieri.

11. Probatum eſt, poſſe vnam & eandem lectionem duobus præceptis concurrentibus facere ſatis; ſupereſt vt probetur, illa duo præcepta diſtingui numero, ac ſimul concurrere.

12. Diſtinctionem merè numericam omnes admittent, qui conſiderauerint obiectum præceptorum: vtrumque enim ordinatur ad officium diuinum. Concurrentiam non admittent tam facilè, probatur tamen. Obligatio legendi Matutinas, & Laudes pro feria ſecunda incipit ab occaſu ſolis in Dominica, & vſque

Digitized by Google

ad horam duodecimam noctis diei ſequentis protenditur: obligatio autem eaſdem horas legendi pro feria tertia incipit ab occaſu ſolis feriæ ſecundæ, & extenditur vſque ad mediam noctem feriæ tertiæ: ergo duæ hæ obligationes ſex vel octo horarum ſpatio concurrunt, nempe ab occaſu ſolis (vel ante) vſque ad mediam noctem: ſunt igitur concurrentes obligationes, & diſtinctæ numero; atque adeò poterit Petrus eadem actione vtrique ſatisfacere.] Hucvſque primum argumentum, *cui multi cùm ſatisfaciunt, ſibi non ſatisfaciunt*, vt aiebat Author *cit. num.* 3.

13\. Pronuncio tamen, priorem ſyllogiſmum talem eſſe, vt vel maior ſit euidenter falſa, vel concluſio infringat regulas artis ſyllogiſticæ. Etenim vel maior eſt vniuerſalis, ita vt ſenſus ſit, [Quoties eodem tempore concurrunt duo præcepta numero diſtincta, poteſt illis ſatisfieri & vna eadem actione.] Vel particularis, ita vt reddat hunc ſenſum, [Aliquando contingit, quod eodem tempore concurrant duo præcepta numero diſtincta, & quod poſſit illis ſatisfieri vna & eadem actione.]

Vel maior eſt euidèter falſa, vel conſequentia peccat in Logicam.

14\. Si dicas, maiorem eſſe vniuerſalem, affectamque proinde ſenſu explicato, eſt euidenter falſa. Patet. Dantur enim multi caſus, in quibus eodem tempore concurrunt duo præcepta ſolo numero diſtincta, quibus vna & eadem actione ſatisfieri non poſſe, manifeſtum eſt. Nudius tertius emiſi votum recitandi ſingulis diebus Roſarium B. Virginis: heri emiſi alterum votum recitandi ſingulis diebus Roſarium: ex quibus duobus votis iure diuino teneor ad recitandum ſingulis diebus bina Roſaria. Ecce concurrunt eodem tempore duo vota numero diſtincta, quibus non poſſum ſatisfacere vnica recitatione; nam per duo vota obligaui me ad duas diuerſas recitationes: ergo dantur caſus, in quibus eodem tempore concurrant duæ obligationes numero diſtinctæ, & non poſſit illis ſatisfieri vna & eadem actione. Et ne dicas, te non loqui de votis, ſed de præceptis, eundem caſum propono, qui verſetur in præceptis. Nudius tertius præcepit mihi Prælatus, vt calculos virgineos recitarem ſingulis diebus huius menſis; & heri præcepit, vt alios diuerſos recitarem ſingulis diebus eiuſdem menſis: ecce duo præcepta numero diſtincta eodem tempore concurrentia, quibus vna actione ſatisfacere non poſſum, quia Prælatus expreſsè præcepit duas actiones diuerſas per ea duo præcepta. Et clarius cernitur, ſi eodem modo iniungat mihi confeſſarius in duplici confeſſione facta heri, & nudius tertius duo Roſaria diuerſa ſingulis diebus menſis dicenda. Cùm enim iniunxerit duo Roſaria diuerſa, vna recitatione non ſatisfaciam.

Si maior eſt vniuerſalis, eſt euidenter falſa.

15\. Si verò maior prioris ſyllogiſmi ſit particularis, tam certum eſt, conſequentiam deficere à Dialectica, quàm eſt certum, à particulari ad ſingularem eſſe peſſimam conſequentiam, vel hanc eſſe optimam, [Aliquis homo currit: ergo Petrus currit.]

Si maior eſt particularis, peccatur in artem ſyllogiſticam.

16\. Inficitur ergo ſyllogiſmus eodem vitio, ac iſte, [Hiſpanus occurrente die abſtinendi à carnibus, poteſt comedere adipem & ſpolia animantium: ſed feria ſexta occurrit dies abſtinendi à carnibus: ergo feria ſexta poteſt Hiſpanus comedere adipem, & ſpolia.] Cuius ſyllogiſmi ſi maior ſit vniuerſalis, id eſt [omni die abſtinendi à carnibus,] eſt euidenter falſa; cùm ſolùm poſſit ea comedere die Sabbathi extra vigilias, Tempora, & Quadrageſimam. Si verò maior ſit particularis, id eſt, [Aliquo die abſtinendi à carnibus,] vera eſt maior; ſed concluſio deficit ab arte ſyllogiſtica, dum ſyllogiſmus procedit à particulari ad ſingularem.

Oſtendo ſecundò paritatem ſyllogiſmi. 17.
Et præmitto, tunc duobus præceptis poſſe ſatisfieri vnica actione, quando ipſa plura præcepta vnicam dumtaxat actionem poſtulant: tunc verò duobus præceptis ſatisfieri non poſſe, niſi per multiplicatas actiones, quoties ipſa plura præcepta plures actiones exigunt. Patet, quia non eſt vnde homo obligetur ad plures actiones numero diſtinctas, niſi ab ipſis præceptis indicentibus illas: & non eſt vnde contrahatur obligatio duorum præceptorum ad vnam actionem, niſi ab ipſis præceptis poſtulantibus pluſquam vnicam. Vnde ſi poſtquam impoſitum eſt vnum præceptum ad vnam actionem, imponatur ſecundum obſtringens ad aliam actionem numero diuerſam ab ea, quæ per primum iniungitur, manifeſtum eſt, quod non poteſt illis ſatisfieri per vnicam actionem; cùm ea duo præcepta exigant duas actiones diuerſas. Si verò poſtquam impoſitum eſt primum præceptum ad vnam actionem, imponatur ſecundum non poſtulans diuerſam actionem ab ea, quæ iniungitur per primum, poterit vtique illi ſatisfieri per vnicam actionem; quia homo non poteſt manere magis obligatus, quàm intendunt obligare præcepta ipſa.

Poteſt vna actione pluribus præceptis ſatisfieri, quando hæc vnam petūt actionem.

Tunc non niſi duabus, cùm præcepta duas petunt.

Iam verò debilitas argumentationis dignoſcitur. 18.
Nam ſicut à duobus præceptis vnicam dumtaxat actionem poſtulantibus, nulla eſt paritas ad ea duo præcepta, quæ duas actiones diuerſas poſtulant, quia diſparitatem ferunt in ſeipſis imbibitam: ita nulla etiam eſt paritas à duobus præceptis, quibus ſatisfit vnica actione, ad alia duo alterius rationis, quæ talia eſſe poſſunt, vt illis nequeat, niſi per duas actiones ſatisfieri.

Oſtendo tertiò. Præceptum recitandi offi- 19.
cium canonicum, vnum eſt in iure canonico, reſpiciens omnes dies vitæ Sacerdotis: dicit autem Caramuel, & rectè, eſſe virtualiter multiplex, virtualiterque multiplicari pro numero dierum; atque adeò pro feria ſecunda, & pro feria tertia dari duo præcepta. Sed quare, cùm ſit formaliter vnum, dicis eſſe virtualiter duo? Vtique quia exigunt duo obiecta adæquatè diuerſa: ergo cùm dicis, præcepta eſſe duo, ſupponis, ideo eſſe duo, quia exigunt duo officia diuerſa: ergo implicas terminos, dum dicis, eſſe duo præcepta, & poſſe illis vnica actione ſatisfieri. Probatur hæc conſequentia. Ea præcepta duo ſunt, quia poſtulant duas actiones diuerſas, nempe duo officia: quod poſſit illis vnica actione ſatisfieri deſtruit, quod poſtulent duas actiones diuerſas: ergo, quod hæc præcepta ſint duo, & quod poſſit illis vna actione ſatisfieri, contradictionem implicat.

Præceptum recitandi officium eſt virtualiter multiplex, quia ad multa obiecta adæquatè diuerſa.

Implicat præcepta eſſe duo, etiam virtualiter, & quod ſatisfiat illis vna actione.

Oſtendo quartò, quod attinet ad ea duo 20.
præcepta audiendi Miſſam die Dominica, & die

die Aſſumptionis concurrentia eadem die. Etenim licèt in expreſſo tenore verborum ea ſint duo præcepta, virtualiter tamen eſt vnicum. Æquiualet enim huic: [Si inciderit in Dominicam dies Aſſumptionis, audi vnam Miſſam.] Quod ſi verbis expreſſis ita reperiretur in iure, nullus diceret duo præcepta, ſed vnicum: eſt ergo ſaltem virtualiter vnicum: ergo ab illis præceptis, quæ ſunt virtualiter vnicum, malè fit argumentum ad ea, quæ formaliter & virtualiter ſunt plura: nec valet argumentum, donec probetur, duo præcepta recitandi officium feria ſecunda & tertia eſſe virtualiter vnicum.

21. Hinc conſtat, quàm facilem ſolutionem habeat prædictum argumentum. Reſpondeo diſtinguendo maiorem: vna & eadem actione poteſt Petrus ſatisfacere duobus præceptis numero diſtinctis, ſimul tempore concurrentibus, [ſemper] nego; [aliquando,] concedo. Vel ſic: [ſi propoſitio ſit vniuerſalis,] nego; [ſi ſit particularis,] concedo. Sed quando ſatisfit vna actione duobus præceptis, & quando duabus actionibus? Cùm ipſa plura præcepta petunt actiones diuerſas, non ſatisfit vnica; ſecus quādo plura vnicam exigunt, vt patet ex dictis. Conſtat autem ex ipſa totius Eccleſiæ conſuetudine, ea præcepta de officio canonico exigere actiones diuerſas, & diuerſa officia, ſingula adæquatè diuerſa pro ſingulis diebus.

22. Hinc conſtat, quid dicendum ad præcepta de audienda Miſſa, ſi concurrunt in die Dominica, & die Aſſumptionis, quæ ex ipſa praxi Eccleſiæ vnicam duntaxat Miſſam poſtulant. Vel iuxta normam quartæ noſtræ argumentationis dic, illa præcepta ſimul concurrentia, eſſe virtualiter vnum, ideóque vnica actione poſſe eis ſatisfieri. Præcepta autem de officio duorum dierum non eſſe virtualiter vnicum, ſed duo, propter dicta.

23. Caramuel huic argumento reſpondens ait: [Stando rigori ſcholaſtico, videri, die S. Petri, ſi ſimul Dominicus ſit, moraliter concurrere duo feſta, & dari duo præcepta, & duo debere ſacra audiri. . . . Cur autem non tenentur de facto? Quia Eccleſia eſt ſuauiſſima Mater, & vult eſſe ſuo ſponſo ſimilis, & dicere: *Iugum meum ſuaue eſt*,] &c. Sed ego non capio, quis ſit ille rigor ſcholaſticus, qui maiorem imponat obligationem, quàm vult legiſlator. Numquid quando concurrit ieiunium quadrageſimale cum vigilia Sancti Mathiæ, obligabit rigor ſcholaſticus ad duo ieiunia ſimul eodem die aſſumenda?

Rigor ſcholaſticus non infert maiorem obligationem, quàm vult legiſlator.

24. Sed inſtat Caramuel pro eo rigore ſcholaſtico. [Si aliquis promitteret, ſingulis Dominicis tibi daturum nummum argenteum, & ſingulis diebus Apoſtolorum nummum aureum, certè die illa Dominica S. Petro dicata deberet dare argenteum, aureumque. Et in Vniuerſitatibus hoc videtur quotidie: nam Laureandus pendit Minerual (propina hodie vocatur) Rectori, Doctoribus, & Profeſſoribus: & Ioanni, ſi ſimul Doctor, Rector, & Profeſſor ſit, tres propinas. Ergo ſtando rigori, illo die duo ſacra audire tenentur Chriſtiani.]

25. Sed non vrget inſtantia. Primum exemplum valeret, ſi præciperet Eccleſia, vt diebus Dominicis Miſſam, & diebus Apoſtolorum Veſperas audires. Tunc enim ſi dies Dominica Principi Apoſtolorum dicata eſſet, deberes audire Miſſam, & Veſperas: nam ex diuerſitate colligitur intentio legiſlatoris. Quod ſi exemplum eſſet de obligatione dandi argenteum die Dominica, & etiam argenteum die Apoſtolorum, ad intentionem promittentis recurrendum eſſet, an intendiſſet promittere alium diuerſum argenteum die Apoſtolorum, an eundem, quem die Dominica promiſiſſet, ſi concurrerent feſtum Apoſtoli & Dominica. De intentione autem Eccleſiæ non obligandi niſi ad vnam Miſſam, conſtat euidenter ex praxi totius Eccleſiæ. Ideò autem ad illas tres propinas obligatur Laureandus, quia conſtat, eam fuiſſe intentionem legis. Quod ſi Vniuerſitas declararet, non niſi vnam propinam vni ſubiecto dandam, nullus rigor ſcholaſticus obligaret pluſquam ad vnicam.

26. Circa alia duo præcepta, quintum Decalogi, & aliud humanum de eodem obiecto, dic vna actione illis neceſſariò ſatisfieri; quia vnum tantùm obiectum exigunt ambo. Circa alia duo impoſita monacho, quà Benedictino, & quà Sacerdoti, idem reſpondebis; ea duo non iniungere duo officia diuerſa, ſed ambo ad vnicum duntaxat officium terminari; ideóque vna actione poſſe vtrique ſatisfieri.

CAPVT III.

Fit periculum de ſecundo argumento.

27. ILlud ita proponit, & fulminis appellatione extollit Caramuel *eo n.* 1427. *b. commentarij*, & eodem tenore *num.* 761. *in Theolog. fund.* [Maiori ſolicitudine debet Eccleſia procurare, vt Chriſtiani à peccato mortali egrediantur, quàm vt legant officium; nam ſine hoc ſaluari poterūt, & ſine illo non poſſunt: atqui quando præcipit annuam confeſſionem, eſt contenta vnā confeſſione pro duobus annis: ergo quando quotidianam Matutinorum lectionem, à fortiori vna pro duobus diebus debet eſſe contenta.] Minorem autem probat ex quadam theſi defenſa in Academia Louanienſi à Doctore Guilielmo ab Angelis, in hanc formam. [Hæc obligatio (confitendi) non extinguitur poſt elapſum annum. Poteſt tamen eadem confeſſione ſatisfieri anni præcedentis, & currentis præcepto.] Addit opinionem, quæ in vna Vniuerſitate defenditur ſine contradictione, improbabilem dici non poſſe.

28. Confirmat. [Magis neceſſaria eſt Religioſo confeſſio menſtrua, quàm lectio Matutinorum quotidiana: at vbi mortaliter ad menſtruam confeſſionem tenetur, vna confeſſione duorum menſium obligationi ſatisfacit, vt docet Salas *diſp.* 20. *de legib. n.* 98. & ex eo Laurentius Forerius S. I. in theſibus propugnatis Dilingæ anno 1620. ergo & vna Matutinorum lectione obligationi duorum dierum.] Ecce fulmen. Potiùs dixeris fulgur ingenij, quod, dum attentè inſpicitur, euaneſcit.

29. Illud quidem tantum probat, vt nihil probet. Nam in ſimili forma poteris probare, vnica officij canonici lectione ſatisfieri obligationi recitandi totius anni. Ecce probationem. Maiori ſolicitudine debet Eccleſia procurare, vt Chriſtiani à peccato mortali egrediātur, quàm

Probat, vna recitatione ſatisfieri obligationi totius anni.

vt

Digitized by Google

vt legant officium: ſed dum præcipit annuam confeſſionem, contenta eſt vna confeſſione pro trecentis annis, ſi totidem viuat Petrus, & non fuerit confeſſus ducentis & nonaginta nouem annis: ergo à fortiori contenta erit vnica recitatione pro trecentis diebus. Et minorem probabis ea opinione eius Doctoris Louanienſis; quod tranſacto anno non extinguitur obligatio confitendi eius anni: tranſactis ergo trecentis annis, durabunt omnes illæ obligationes confitendi, & illis omnibus vnica confeſſione ſatisfiet.

30. Stando ergo in eo principio, quod iecimus *cap. præcedenti*, vis argumentationis euaneſcit. Illud erat: Tunc duo, vel plura præcepta obligare ad plures actiones, quando præcepta illas diuerſas exigunt; quando verò vnicam dumtaxat poſtulant, ad vnicam dumtaxat obligare. Poſſet quidem Eccleſia obligare ad duas confeſſiones, etiam tranſacto primo anno; vnam pro primo, alteram pro ſecundo anno: conſtat autem ex totius Eccleſiæ praxi (quæ euidentiam moralem facit) præceptum Eccleſiaſticum tranſacto priori anno non obligare ad duas, ſed ad vnicam dumtaxat confeſſionem.

Poſſet Eccleſia obligare ad duas confeſſiones.

31. Nota tamen, falſam eſſe minorem eius ſyllogiſmi, quod ſcilicet Eccleſia contenta eſt vna confeſſione pro duobus annis. Nam aliud eſt, quod poſtquam Petrus violauit præceptum prioris anni, contenta eſt Eccleſia vnica confeſſione pro anno præcedenti, & præſenti: & aliud eſt, quod integrè ſatisfecerit præcepto, qui in duobus annis ſemel confeſſus fuerit. Primum enim eſt verum, & ſecundum eſt falſum. Vnde claritatis gratiâ diſtingui poteſt minor: Eccleſia contenta eſt vna confeſſione pro duobus annis, [poſtquam Petrus in priori violauit præceptum formaliter, vel materialiter,] concedo; [abſolutè contenta eſt vnica confeſſione,] nego. Quod patet ex dictis. Et eodem modo reſpondebis ad id, quod additur de confeſſione menſtrua.

An Eccleſia contenta ſit vna Confeſſione pro duobus annis?

CAPVT IV.

Infirmantur confirmationes, quas adiungit Franciſcus Verde.

32. DOminus Ludouicus Creſpinus Borgias in Anticaramuele *quæſt.* 10. inſurrexit aduerſus eam opinationem, Caramuelis. Inſurrexit & aduerſus Borgiam Franciſcus Verde in ſua Apologia pro Caramuele *numero* 518. & aliqua adiungit in ſuffragium eius opinationis.

33. Primum. Nam ſecundùm opinionem probabilem poteſt quis audire ſimul tres Miſſas eodem tempore, & ita ſatisfacere præcepto, voto, & pœnitentiæ de Miſſa audienda. Procedit Verde in hæc verba: [Hinc infert Remigius *in pract. Confeſſ. tract.* 21. *cap.* 3. §. 1. *n.* 4. quod ſi poteſt duas Miſſas, poterit etiam duas partes eiuſdem Miſſæ ſimul audire; quia ſicuti à toto ad totum, ita à parte ad partem valet argumentum. Nec diſſentit vbi ſuprà Diana, & Garzia. Nunc *optarem aſſignare diſparitatem*, cur hoc poſſit fieri in duabus partibus Miſſæ, & non in recitatione diuini officij?]

Ego tamen audio poſtulari diſparitatem, & paritatem non video. Procederet paritas, ſi ex eo, quod poſſum ſimul audire duas medietates Miſſæ, argueres, quod etiam potero recitare duo officia ſimul. Procederet etiam paritas, ſi obligatus audire duas medietates Miſſæ ſatisfacerem audiendo vnam dumtaxat medietatem; & ita argueres, quod ſimiliter obligatus ad recitanda duo officia, ſatisfacerem recitando vnum. Aſt quia poteſt quis obligatus audire duas medietates Miſſæ, audire eas ſimul, & ita ſatisfacere; malè arguis, quod obligatus ad duo officia ſatisfacias ſoluendo vnum dumtaxat. 34.

Malè diſponis paritatem.

Et ſi reddere debeo diſparitatem, ea eſt, quod obligatus audire duas medietates Miſſæ, (eſto, id ſit probabile) cùm illas ſimul audit, vtramque audit. At obligatus recitare duo officia, ſiue officia duplicis diei, non recitat vtrumque, ſed vnum dumtaxat in ea hypotheſi. 35.

Clariſſima diſparitas.

Secundum, quod proponit *num.* 520. in hæc verba: [Tota ratio, cur vnica confeſſione ſatisfaciat ratione materiæ eſt, quia non poteſt confiteri peccata anni præteriti, omiſſis peccatis anni præſentis: ergo ideò vna recitatione ſatisfaciet duplici oneri dicendi horas canonicas, quia non poteſt recitare ratione materiæ officium hodiernum, quin eo ipſo legat craſtinum, cùm ſit idem materialiter, putà Martyrum, Confeſſorum, &c. Ergo ſi non tenetur repetere confeſſionem, & abſolutiones, nec officium: ſecus aſſignetur lex, quæ cogat iſtum ad repetendum officium.] 36.

Sed ex dictis conſtat, falſum eſſe antecedens. Ratio enim, cur ſatisfaciat vnica confeſſione ille, qui anno præterito non eſt confeſſus, & præſenti debeat confiteri, non eſt illa, quæ aſſignatur in argumento, quod non poſſit confiteri peccata anni præcedentis, omiſſis peccatis anni labentis. Nam ea ratione non obſtante, poſſet obligare Eccleſia ad duas confeſſiones, primam peccatorum commiſſorum vſque ad Paſcha anni præſentis; & alteram poſt primum peccatum deinceps commiſſum: ita vt maneret poſt confeſſionem obligatus ad aliam ſi iterum peccaret.

Ratio autem legitima eſt, quam ſuprà tradidi: conſtat enim ex praxi totius Eccleſiæ, (cuius eſt præcepta euidenter interpretari) Eccleſiam eſſe contentam vnica confeſſione in ea hypotheſi. Et ex eadem praxi certiſſimè conſtat, Eccleſiam non eſſe contentam recitatione vnius officij pro duobus diebus. 37.

Quare poſt duos annos non ſit quis obligatus ad duas Confeſſiones?

Verum quidem eſt, Prælatos Eccleſiæ habuiſſe forſitan pro ratione impellente ad vnicam dumtaxat confeſſionem in ea hypotheſi poſtulandam, quod peccata vnius & alterius anni non poſſint in diuerſis confeſſionibus ſeparari. Sed aliud eſt, quod ea ſit ratio impulſiua legiſlatoris, & aliud, quod ea ſit tota ratio, quare præceptum obliget ad vnam dumtaxat confeſſionem. Sicut aliud eſt ratio impulſiua legiſlatoris, & aliud vis obligandi, quæ ineſt præcepto. 38.

Dixi, habuiſſe *forſitan* id pro ratione impellente: nam iuxta communem ſententiam, quæ aſſerit, præceptum confeſſionis non tranſilire 39.

præceptum

præceptum confeſſionis non tranſilire terminos vnius anni, ſicut præceptum officij canonici non prætergreditur terminos vnius diei, id non habet locum in præfata ſententia. Nam iuxta eam ſententiam, ratio ob quam ad vnicam dumtaxat confeſſionem tenetur in ea hypotheſi, eſt quia elapſum eſt tempus prioris præcepti, ſolúmque inſtat tempus poſterioris.

40. Cætera, quæ adiungit Verde, ſunt ea ipſa, quæ ex Caramuele produxi. Ideò ab illis repetendis ſuperſedeo.

CAPVT V.

Per aliquas Miſſæ (celebratæ, vel auditæ) orationes poſſe ſuppleri partem officij canonici, Caramuel aſſerens debellatur.

41. *Proponitur caſus.* AD ſecundam partem diſputationis deueniendo, eam decidit Caramuel *comment. in Regulam diſp.* 118. *num.* 1466. vbi ſic proponit & reſoluit eum caſum. [Petrus die Dominica omiſit officij canonici Euangelium (*Benedictini in Matutino recitant Euangelium diei*) & partem aliquam ex officio Matutinorum, ita vt omnia omiſſa ſint quantitatis præcisè ſufficientis ad materiam magnam, nempe tantæ vt eâ minor non eſſet magna. Habuit intentionem repetendi; & ideò quando omiſit, non peccauit mortaliter. Celebrauit ſacrum: tandem nihil aliud legit. Petitur, vtrum peccauerit leuiter, an grauiter? Videretur alicui, quod grauiter, quia omiſit materiam præcisè magnam: ergo mortaliter peccauit.]

42. Caſu ſic propoſito, ad eius reſolutionem præmittit eadem principia, quæ attulit ad probandum (cauſâ exercendi ingenium) vnica Matutini recitatione ſatisfieri obligationi duorum dierum. Sic enim ait: [Pro difficultatis huius reſolutione notandum, eodem tempore, eadem actione, eodem labore poſſe quempiam ſatisfacere duobus præceptis. Indicitur mihi audire ſacrum die Dominica, indicitur audire die Aſſumptæ Dominæ: ergo ſi eadem dies ſit & Dominica, & Aſſumptioni ſacra, tenebórne audire duas Miſſas? Minimè. Quoniam eadem actione, hoc eſt, vnius Miſſæ auditione poſſum vtrique præcepto ſatisfacere. Clariùs adhuc & fortiùs. Interdicitur carnium comeſtio feriis ſextis, interdicitur in vigilia Natiuitatis; incidat in eamdem diem feria ſexta, & Natiuitatis vigilia. Non peto, an tenear? Peto, an poſſim bis eadem die abſtinere à carnibus.]

43. *An qui in Miſſa dicit orationes omiſſas in officio, ſatisfaciat officio?* Procedens autem ad caſus reſolutionem, ſic aſſerit: [Ex hac hypotheſi, quæ verè ſolidiſſimis rationibus innititur, ad quæſitum reſpondeo dicens; Petrum non peccaſſe mortaliter. Ratio eſt, quia in ſacro legit Euangelium, *Pater*, & Symbolum Apoſtolorum: quorum lectione & ſatisfecit ſacri, & officij diuini obligationi: ergo iam non eſt dicendum, Petrum omiſiſſe octauam diuini officij partem, ſed octaua minorem. Siquidem reſumpſit octantis omiſſi magnam partem, nempe orationem Dominicam, Symbolum, & Euangelium. Confirmatur. Si hæc, nempe Euangelium, &c. extra Miſſam legeret, euaderet in caſu propoſito à peccato mortali: atqui licèt in Miſſa legerit, potuit eadem illa lectione, etiam obligationi diuini officij ſatisfacere: ergo. Maior ſupponitur, quia aliàs non diceretur Petrus omiſiſſe partem præcisè ſufficientem ad materiam grauem. Minor conſtat ex dictis. Conſequentia infertur neceſſariò.]

44. *An qui audit in Miſſa preces omiſſas in officio, huic ſatisfaciat?* His non contentus, maiorem adhuc indulgentiam impertitur. Subdit: [Hinc colligo, eum, qui audit Miſſam, etiam auditione Euangelij, & orationis Dominicæ ſatisfacere partialiter officio diuino. Ratio eſt, quia legentes ſuas horas, non tenentur in Veſperis & Laudibus ipſimet ore proferre ſuum *Pater*, nec in Matutinis Euangelium; ſed ſufficit audire, vt ex D. Benedicti Regula, & conſtanti conſuetudine expreſsè conſtat.]

45. Aſſerit ergo, poſſe ſuppleri defectum officij canonici tam per celebrationem, quàm per auditionem Miſſæ, dum recitantur, vel audiuntur in Miſſa illæ orationes, quæ communes ſunt Miſſæ, & officio canonico. In qua reſolutione & fundamentum, & conſequentiam deſidero.

46. *Quàm certū ſit, neutro modo ſatisfieri?* Eſt concluſio certa, per nullam Miſſæ partem ſatisfieri obligationi partiali officij canonici. Quæ concluſio eſt certa tum defectu fundamenti partis aduerſæ, tum à principiis intrinſecis ipſius concluſionis. Et quidem de fundamento partis aduerſæ conſtat *ex cap.* 2. *Argumentū partis oppoſitæ fallax.* non ſolùm eſſe leue, ſed & fallax, adeoque nullius momenti. Eſt enim ille ſyllogiſmus, cuius vel maior eſt euidenter falſa, vel conſequentia euidenter nulla. Cuius maior ſi vniuerſalis eſt, euidenter conuincitur; ſi particularis, euidenter non infert concluſionem. Relege caput 2.

47. Confirmatur. Quandoque concurrunt duo præcepta, quæ exigunt actiones adæquatè diuerſas; quandoque duo præcepta, quæ ſolùm exigunt vnam & eandem, vt *cap.* 2. demonſtratum eſt: ergo ex hoc præcisè, quod quandoque exigunt vnam & eamdem actionem, non infertur, quod in hoc caſu exigunt vnam & eandem actionem. Patet conſequentia: nam ex particulari non inferri ſingularem, euidens eſt, & manifeſtat iniquitas huius conſequentiæ, *Aliquis homo currit: ergo Petrus currit.* Sed hic modus inferendi eſt totum fundamentum partis aduerſæ: ergo eſt nullum.

48. Quod ſi à paritate procedit duorum præceptorum concurrentium in vna die de audienda Miſſa in Dominica, & in die Aſſumptionis; & inde progreditur ad duo præcepta de Miſſa & officio canonico, vtique diſparitas eſt manifeſta inter duo præcepta, quæ dumtaxat exigunt vnam actionem; & inter alia duo, quæ expreſsè intendunt obligare ad duas functiones adæquatè diuerſas. *Diſparitas euidens.* Quod poſtremum infrà ampliùs patebit.

49. Oſtenditur ſecundò. Quantumvis vnica actione poſſit ſatisfieri duplici præcepto (vt in exemplis allatis de auditione Miſſæ, & ieiunio) adhuc non eſt probabile, vnica Matutini recitatione poſſe duorum dierum obligationi ſatisfieri: ergo quantumvis vnica actione poſſit ſatisfieri duplici præcepto, non eſt probabile, quod per ſolam recitationem orationum

tionum Miſſæ ſatisfiat præcepto Miſſæ, & præcepto officij canonici, etiam partialiter. Antecedens eſt Caramuelis verbis citatis *cap. 1. num.6.* & indubitatum ex decreto Alex. VII. vt patet *num.* 7. conſequentia verò ligat ab omnimoda paritate rationis.

50. *Ea duo præcepta exigunt actiones adæquatè diuerſas.*

Oſtenditur tertiò. Quando præcepta exigunt actiones adæquatè diuerſas, non poteſt illis ſatisfieri per vnicam: ſed hæc duo præcepta de ordinanda Miſſa ex talibus orationibus, & de recitando officio canonico, exigũt orationes adæquatè diuerſas: ergo per orationes vnius non poteſt ſatisfieri vtrique præcepto. Conſequentia patet ex arte ſyllogiſtica. Maior eſt euidens, & ex terminis, & ex dictis *cap.* 2. Minor probatur. Ideo duo præcepta de recitando officio feria ſecunda, & feria tertia, exigunt ſecundùm Caramuelem duo officia adæquatè diuerſa, quia *conſuetudo & vſus Eccleſiæ, quæ eſt certiſſima, & ſecuriſſima legis interpretatio*, oſtendit, obligari fideles ad duo officia adæquatè diuerſa; ita enim ait *in Theolog. fund. num.* 764. Sed conſuetudo, & vſus communis Eccleſiæ oſtendit, ea duo præcepta de ordinanda Miſſa, & recitando officio, exigere actiones adæquatè diuerſas; ita enim hæc duo præcepta accepta ſunt, tanquam materia totaliter diuerſa, & quarum neutra includatur in alia: ergo eadem euidentia morali, qua ſcimus, præceptum recitandi feria ſecunda, & præceptum recitandi feria ſexta exigere actiones diuerſas; eadem ſcimus, præceptum de ordinanda Miſſa, & de recitando officio canonico exigere actiones diuerſas. Quantum autem valeat prædicta conſuetudo Eccleſiæ ad interpretationem legis authenticam, habes ex verbis citatis Caramuelis, & *ex diſp.* 23. *cap.* 4.

51. *Inferitur ex oppoſita, omiſſa in ſacrificio ſuppleri per preces officij.*

Quartò. Si per orationes Miſſæ ſatisfit partialiter obligationi officij canonici, numquid per orationes officij canonici non ſatisfiet etiam partialiter obligationi Miſſæ? Da caſum, quo Sacerdos voluntariè omittat in Miſſa pſalmum *Iudica me Deus*, orationem, & commemorationes, quæ dicuntur ante Epiſtolam; item Epiſtolam, quæ ſit eadem cum Lectionibus primi Nocturni, (& Euangelium, ſi Sacerdos ſit Benedictinus) & Symbolum Apoſtolorum, & orationem Dominicam; & poſteà hæc omnia dicat in officio canonico, in quo etiam recitantur. Numquid Sacerdos iſte implebit præceptum Miſſæ integrè dicendæ? Si annuis, abſurdiſſimum eſt dicere, non peccare lethaliter, qui ita ſacerrimum ſacrificij ordinem mutilat. Si renuis, vrget paritas rationis.

52. Reſpondebis, magnum diſcrimen intercedere inter Miſſam, & officium canonicum. Nam propter ſummam reuerentiam debitam præſentiæ reali Chriſti in ſacrificio, cum maiori rigore obligant ea, quæ recitantur in Miſſa, ac ea quæ in officio canonico.

53. Infero: ergo concurrentibus eodem tempore duobus præceptis, propter reuerentiam ſacrificij, non licet ſatisfacere vtrique per vnicam actionem in officio canonico exercitam: ergo falſa eſt propoſitio vniuerſalis, quod ſemper liceat ſatisfacere per vnicam actionem duobus præceptis eodem tempore concurrentibus, etiam numero diſtinctis: ergo ſolùm propoſitio particularis eſt vera, quod aliquando id liceat: ergo malè argumentaris, dum à particulari ad ſingularem conſequentiam ducis.

Dices iterum, orationes Miſſæ, & orationes officij canonici ſpecie differre, aut ſaltem præcepta, quæ illas vtraſque iniungunt, eo quod talia præcepta reſpiciunt fines ſpecie diuerſos; cùm vnum præceptum reſpiciat pro fine ſacrificium, & alterum reſpiciat pro fine laudationem Dei. Atqui concurrentibus duobus præceptis diuerſæ ſpeciei, non licet ſatisfacere vnica actione; & Caramuel ſolùm id aſſerit de præceptis ſolo numero differentibus. 54.

Sed hæc reſponſio planè impugnat aſſertionem Caramuelis, quod per orationes Miſſæ ſatisfiat partialiter præcepto de officio canonico. Si enim duobus præceptis diuerſæ ſpeciei eodem tempore concurrentibus non ſatisfit vnica actione, & præcepta de ordinanda Miſſa, & recitando officio, ſpecie differunt ob fines ſpecie diuerſos, manifeſtè concluditur, per orationes Miſſæ non ſatisfieri etiam partialiter officio canonico. 55.

Quod autem addit Caramuel, non ſolùm celebrando, ſed etiam audiendo Miſſam, ſatisfieri partialiter officio canonico, licèt ex dictis maneat ſufficienter debellatum, adhuc vlteriori argumentatione conuincitur. Etenim præcepto de officio canonico, non qualicumque auditione ſatisfit, ſed auditione alternata cum recitatione: atqui audiendo Miſſam, non fit eiuſmodi alternatio: ergo non ſatisfit præcepto. Minor, & conſequentia patet. Maior etiam perſpicua eſt; tum quia non ſatisfacies præcepto, ſi dimidium Matutinum continuatum recites, & aliud dimidium continuatum audias, non aliam ob cauſam, niſi ob defectum eius alternationis. Tum etiam, quia conſuetudo, vt ſæpius diximus, eſt certiſſima legum interpres; eo enim modo præcepta obligant, quo conſuetudine recepta ſunt. Patet *ex diſp.* 32. *cap.* 4. Cùm ergo præceptum recitandi ita acceptum ſit, vt liceat cum alternatione audire partem, & non aliter; manifeſtum eſt, quod ita obligat, & non aliter. Tum denique, quia obligationem eſſe ſeruandi alternationem conſuetudine receptam, affirmat Caramuel *diſputat.* 107. *in Regul. numero* 1366. inquiens: [Inquiri poteſt, vtrum ſufficiat alternare pſalmos, ita vt alter primum, & tertium, ſecundùm & quartum legat alter. Reſpondeo negatiuè, quoniam non eſt in vſu.] 56.

Officio canonico non ſatisfit auditione, niſi alternata.

Argumenta verò, quæ initio captis pro aſſertione Caramuelis attuli, abundè ſoluta manent ex dictis *in hoc & in* 2. *cap.* 57.

DISPVTATIO XXXV.

Quo tempore finiatur hora implendi præceptum officij canonici?

CAPVT I.

Duæ aſſertiones, altera Caramuelis, & Leandri altera.

DVæ quæſtiones continentur ſub titulo diſputationis. Prima eſt, an Completorium officij canonici habeat pro termino implendæ 1.

Duæ quæſtiones verſãda.

Digitized by Google

implendæ obligationis punctum mediæ noctis, pertineatque ad diem antecedentem, in quo communiter recitatur, ita vt qui diſtulerit Completorium poſt punctum mediæ noctis, præceptum violauerit? Secunda eſt, (quam ob ſimilitudinem hîc etiam tractare oportuit, & quia vtique ex eodem fundamento decidenda eſt) an totum officium, vel pars eius, quod alligatur vni diei, ſi paulò ante mediam noctem inchoetur, & poſt mediam noctem continuetur, recitetur legitimè, nec violetur præceptum recitandi id officium canonicum?

2. *Caram. probabile inſinuat, Completoriũ practicè pertinere ad diem ſubſequentem.*

Quod attinet ad primam quæſtionem, Caramuel *diſp.* 105. *in Regul. num.* 1365. *C.* 5. *inquiris*, hæc habet. [Inquiris, an Completorium pertineat ad diem conſequentem, an ad antecedentem? Reſpondeo, pro die antecedenti ſtare communem totius Eccleſiæ ſententiam. Ita enim inſtructi ſumus, vt illud ad diem antecedentem pertinere putemus, & eſſe diei vltimam horam. At pro die ſequenti ſtat Antonius Ricciardus (corrige, Riccius) Brixianus in commentariis ſuis ſymbolicis, in quibus verbo *Hora*, 56. ſic inquit: *Completorium pertinet ad diem ſequentem.* Citatque Michaelem Timotheum *in diuin. offic. quæſt.* 6. *tract.* 8. Quorum ſententiam eſſe probabilem, præter ordinarios cenſores, etiam ſanctum Inquiſitionis Tribunal iudicauit. Quoniam ſub libri initium hanc typographi admonitionem lego. *Optime lector, ne mireris, ſi in opere tanto, & tam vario offendes nonnullos errores, quos nobis quoad fieri potuit, vigilantibus cauere penè impoſſibile fuit: ſunt tamen eiuſmodi, quos facillimè & cognoſcas & emendes. Inuenies etiam* (nota bene) *ſenſus aliquos aliqua ex parte mutilos, non certè Authoris incuriâ, ſed ſacri Officij etiam procurante diligentiâ.* Vnde puto, hoc poſſe ratiocinium formari. Sacrum Inquiſitionis Tribunal illum librum examinauit, & quæ ſibi diſplicuerunt, correxit, ita vt ſæpe mutilas & laceras ſententias reliquerit: at hanc reliquit: iudicauit igitur ipſam probabilem. Cæterùm an talis ipſa verè ſit, aliis iudicandum relinquo; ego enim non libenter à communi diſcederem.] Hucvſque Caramuel.

3. Et quod attinet ad ſecundam quæſtionem, certiſſimum erat inter omnes Theologos, officium canonicum vnius diei ita arctari terminis, vt qui vltra mediam noctem partem grauem officij diſtuliſſet, & intra eius terminum non omninò recitaſſet, peccati lethalis reus cenſeretur. Pro qua non eſt opus referre Authores; cùm omnes Theologi, vel Canoniſtæ vel affirment, vel ſupponant.

4. *An qui paulò ante mediam noctem inchoauit officium, ſatisfaciat, ſi immediatè continuet.*

Vnus Leander à SS. Sacram. *part.* 2. *tract.* 6. *diſputatione* 12. *quæſt.* 25. & iterum *part.* 6. quæ eſt *in Decalog. tract.* 8. *diſputatione* 4. *quæſt.* 109. affirmat, poſſe adimpleri præceptum recitandi officium canonicum, ſi illud quis paulò ante mediam noctem incipiat, & ſine interruptione recitando, poſt illam finiat.

***

CAPVT II.

Aſſertio Caramuelis apertè debellatur.

Dvplicem ſenſum habere poteſt ea propoſitio, quod [Completorium pertineat ad diem ſequentem.] Primus eſt, vt quamvis adſit obligatio recitandi illud integrè ante mediam noctem, dicatur tamen pertinere ad feſtum, vel feriam diei ſequentis, eo modo, quo Veſperæ priores de feſto duplici, vel ſemiduplici dicuntur pertinere ad feſtum ſubſequens, & illi attribui. Et quia hoc modo Veſperæ aliquando attribuuntur feſto ſubſequenti, aliquando feſto antecedenti, quando hoc habet, vt dicitur, ſecundas Veſperas; ideo non dicitur abſolutè, quod Veſperæ pertineant ad diem ſubſequentem. Cùm autem in Completorio non ſit hæc varietas, propterea id poteſt attribui diei ſubſequenti; licèt, vt dixi, ea hora officij vltima ante mediam noctem recitari debeat. Et hic quidem ſenſus praxim non reſpicit, ſed meram intellectus ſpeculationem: circa quam quidquid dicatur, parum intereſt. 5. *Senſus quæſtionis purè ſpeculatiuus.*

Et ſi quidem hoc intendit Caramuel, damus illi quidquid deſiderat. Sed quò tandem reſpicit conatus ille magnus ambiendi probabilitatem ei aſſertioni, & quærendi ſuffragium Inquiſitionis, & obteſtandi iudicium aliorum, ſi ille modus dicendi nihil aliud eſt quàm modus dicendi, & nullatenus reſpicit modum operandi. Sic enim ex horriſona montium parturitione naſci videretur ridiculus mus. Quare non leue fundamentum eſt ad credendum, Caramuelem praxim reſpexiſſe, & ſenſum alium diuerſum ab hoc primo. 6.

Senſus ergo alius eius propoſitionis eſt in ordine ad praxim, & ad tempus recitandi Completorium, ita vt pertineat ad diem ſubſequentem, & in die ſubſequenti illud recitari poſſit. *Pro die antecedente ſtare communem totius Eccleſiæ ſententiam*, aſſerit Caramuel; & tamen oppoſitæ parti quærit ſuffragia probabilitatis. 7. *Senſus quæſtionis practicus.*

Cùm ergo nulla aſſertio poſſit eſſe probabilis, niſi graui fundamento nitatur (ſaltem extrinſeco) vt ex definitione opinionis probabilis euidenter conſtat; videamus, quàm grauia ſint fundamenta, quæ ei opinationi admouet Caramuel. Primum eſt authoritas Antonij Riccij Brixiani. Quanta ea ſit, colliges ex indice expurgatorio anni 2640. Inquiſitionis Hiſpanicæ, verbo, *Antonius Riccius Brixianus.* Vbi ſic habetur. [Eius commentaria ſymbolica.... Pro toto hoc opere, quod conſtat binis voluminibus, ſciendum in vniuerſum eſt, conflatum eſſe magna ex parte ex placitis Platonicorum, Cabaliſtarum, Rabbinorum, à communi ſenſu, & ſermonis vſu abhorrentibus: quæ niſi arcana quadam ratione & ſignificatione accipias, planè erunt abſurda & falſa: propterea cautè legenda & benignè intelligenda.] Iudicet ergo vir doctus, an eius conditionis authoritas talis ſit, vt conſcientiæ ſecuritatem præſtare poſſit. 8. *Quanta ſit authoritas Brixiani?*

Secundò non conſtat, an in primo, an in ſecundo ſenſu eam aſſertionem protulerit Brixianus: cùm ergo ex præſcripto ſacræ Inquiſitionis, eius Authoris dicta *cautè legenda, & benignè intelligenda ſint*; ea propoſitio de Completorio ad diem ſubſequentem pertinente, vt 9. *An loquatur in ſenſu ſpeculatiuo, an in practico, dubium eſt.*

benignè intelligatur, debet ſumi in priore ſenſu, ita vt non reſpiciat praxim, nec euertat *communem totius Eccleſiæ ſententiam.*

10. *An ſoli Theologi probabilitatem conferant in re Theologica?*

Tertiò. Nam ipſe Caramuel *in apolog. de Probabilit. num.* 112. affirmat, & probat, in materia Theologica, non canonici, non ciuilis iuris Interpretibus fidendum eſſe ad ſecuritatem conſcientiæ, ſed Theologis, id eſt, Theologicas quæſtiones pro dignitate tractantibus. Cùm ergo Brixianus non tractet ex profeſſo & dignitate in eo opere materias moralis Theologiæ, multò minùs authoritatis habet in eis ad ſecuritatem conſcientiæ comparandam, quàm Interpretes iuris canonici, vel ciuilis; maximè cum neſciamus, an ea propoſitio de Completorio pertinente ad diem ſubſequentem prolata fuerit à Brixiano in ordine ad nouam praxim inducendam in Eccleſiam; an *arcana* alia *ratione & ſignificatione*, ſine qua multa eius Authoris dicta *planè erunt abſurda & falſa.*

11. Quartò. Nam, vt in ea ſacræ Inquiſitionis criſi decernitur, illud opus conflatum eſt magna ex parte ex placitis Platonicorum, Caboliſtarum, Rabbinorum, à communi ſenſu & ſermonis vſu abhorrentibus. Numquid ergo ex Rabbinis, & Hebræis moribus deſumptit id, qui poſt Veſperam initium diei ſequẽtis computabant? Hoc autem modo, quid ad praxim recitandi Completorium die ſubſequenti?

12. Addit Caramuel authoritatem Michaelis Timothei citati à Brixiano. Sed oſtendat priùs, in quo ſenſu locutus eſt Michael Timotheus. Nam ſi in priori ſenſu purè ſpeculatiuo, quid ad rem? In dubio autem, an in ſpeculatiuo, an in practico locutus fuerit, quomodo fidem faciet, vel quomodo firmum dabit fundamentum ad ſecuritatem conſcientiæ?

13. *Cenſores librorum non ſatis ſunt ad probabilitatem.*

Quod autem addit de ordinariis cenſoribus, qui librum Brixiani approbatunt; vtique non ſufficit ad probabilitatem eius propoſitionis, licèt conſtaret, eam traditam eſſe à ſuo Authore in ſecundo ſenſu practico: propter ea, quæ notauit Caramuel *in fundam. Theolog. fundam.* 5. *num.* 318. his verbis: [Vt imprimatur, cenſori ordinario committitur, qui interdum nimium Authori deferens, aut non legit totum, aut non attentè. Et Magiſter ſacri Palatij, viſa cenſoris approbatione, illum edi permittit.] Vide ergo, an ſecurè procedat in praxi, qui velit probabilitatem deducere ex ordinariis cenſoribus, qui vel non totum, vel non attentè legunt? Numquid cenſor libri, etſi Thomam Angelicum fingas, aut Suarium, probabilitatem comparabit iis propoſitionibus, quas non legit, vel non attentè legit?

14. *Inquiſitio, dũ aliqua expungit, non approbat reliqua.*

Sed ecce Achilles probabilitatis pro ea propoſitione Brixiani, nempe approbatio ſacræ Inquiſitionis. Nam ſi ab Inquiſitione aliqua eius operis correcta ſunt, reliqua ſunt approbata. Et tanquam validum id ſit argumentum, iubet Caramuel, id *notari benè.* Ego autem iubeo, vt notes bene verba propoſita *num.* 8. ex Sacra Inquiſitione Hiſpanica. Numquid approbantur, quæ *cautè legenda, & benignè intelligenda* præſcribuntur? Numquid adinſtar approbationis eſt ea cenſura, quod opus *magna ex parte conflatum eſt ex placitis Platonicorum, Caboliſtarum, & Rabbinorum, à communi ſenſu & ſermonis vſu abhorrentibus?* Nunquid ſacrâ Inquiſitio cenſet probabilia ea, *quæ niſi arcana quadam ratione, & ſignificatione accipiantur, planè erunt abſurda & falſa?* Compone cum his ſacræ Hiſpanicæ Inquiſitionis verbis ea, quæ dat nobis Caramuel: *Quorum ſententiam eſſe probabilem, præter ordinarios cenſores, etiam ſanctum Inquiſitionis Tribunal iudicauit.* Quæ cum quanto fundamento proferantur, quis non videt.

Dices, opus impreſſum eſſe Venetiis, ad quas ſacra Hiſpanica Inquiſitio non protrahit ſphæram ſuæ iuriſdictionis. Quare Inquiſitor alius delegatus à Romano Pontifice, correxit; vel fortè demandato ſacræ Romanæ Inquiſitionis illud opus correctum eſt. In qua correctione cenſentur approbbata ea, quæ non expuncta. 15.

Inde autem fortius deſumo argumentum. Etenim poſtquam ab alia Inquiſitione, aut Inquiſitore opus correctum eſt ante typorum editionem, Inquiſitio Hiſpanica cenſet, eius operis propoſitiones *cautè legendas* eſſe, & *planè abſurdas, falſaſque reputandas, niſi quadam arcana ratione & ſignificatione intelligantur.* &c. Fit ergo manifeſtum, ex illa priore correctione ante typorum editionem facta, non euaſiſſe probabiles, iudicio Inquiſitionis. 16.

Deinde ſciendum eſt, Inquiſitionem nunquam approbare abſolutè librum aliquem, ſemper enim oſtium relinquit apertũ nouis denunciationibus. Vnde quando approbat librum, id intelligitur dumtaxat quoad eas propoſitiones, quæ denunciatæ, vel notatæ ſunt. De reliquis nullam fert cenſuram, cùm illæ ad iudicium non venerint. Et quidem ſi in prima libri alicuius correctione, quam præſtat Inquiſitio, cæteræ omnes propoſitiones manerent authoritate Inquiſitionis probabiles, non poſſet iterum Inquiſitio procedere ad vlteriorem correctionem; non enim corrigendæ eſſent, quæ admiſſæ vt probabiles. Quod falſum eſſe, ipſo experimento conſtat; cùm in indice expurgatorio nouiſſimo plures appareant propoſitiones expunctæ in eodem Authore, quàm fuerunt in indice antiquo. Ex quo patet, illud Caramuelis ratiocinium multis ex capitibus infirmari. 17.

CAPVT III.

Eam Brixiani aſſertionem eſſe poſitiuè improbabilem.

EX capite præcedenti conſtat, eam aſſertionem de Completorio ad diem ſubſequentem pertinente, ſi practicè accipiatur, & in ſecundo ſenſu, illam quidem nullo penitus fundamento fulciri, atque adeò non eſſe probabilem. Reſtat modò oſtendere, eam eſſe poſitiuè improbabilem & certò falſam. 18.

19. *Conſuetudo recitandi completorium ante mediam noctem eſt certiſſima legis interpres.*

Quod ſic oſtendo. [Conſuetudo & vſus communis Eccleſiæ eſt quædam certiſſima & ſecuriſſima legis interpretatio;] quæ ſunt verba Caramuelis *in fundam. Theolog. fund.* 31. *num.* 764. ſed conſuetudo & vſus communis Eccleſiæ eſt, vt dumtaxat ſatisfiat obligationi recitandi

Digitized by Google

recitandi, ſi Completorium recitetur ante mediam noctem diei antecedentis: ergo hæc eſt certiſſima huius legis interpretatio. Tum ſic: vbi eſt interpretatio certiſſima, implicat contradictionem, oppoſitam interpretationem eſſe probabilem: ſed eſt interpretatio certiſſima huius legis, quod Completorium debeat recitari ante mediam noctem diei antecedentis: ergo implicat contradictionem, quod ſit probabilis interpretatio oppoſita, nempe, quod non debeat recitari Completorium ante mediam noctem diei antecedentis.

Vbi concluſio eſt certa, implicat, quod oppoſita ſit probabilis.

20. *Quàm certa ſit interpretatio, quam dat conſuetudo?*

Maiorem prioris ſyllogiſmi (præterquam eſt Caramuelis) omninò certam eſſe apertè oſtendi *diſp.* 23. *cap.* 4. vbi clarè conſtat, quando lata eſt lex, & de intelligentia illius dubitatur, ita ſtandum eſſe conſuetudini verſanti in materia eius legis, ac ſi lex ipſa expreſsè proponeret illam ipſam interpretationem, quam dat conſuetudo. Relege, quæ *eo cap.* 4. diximus, quæ ad concluſionem præſentem euincendam plurimùm conducunt. Vbi etiam conſpicies, quomodo id maiorem vim habeat in conſuetudine vniuerſalis Eccleſiæ. Minor etiam certiſſima eſt. Qui enim dubitabit, conſuetudinem Eccleſiaſticam reſpicere pro termino Completorij mediam noctem, in meridie caligabit. Vis autem conſequentiæ per ſe patet, cùm ſyllogiſmus, ſeruato integro ſenſu, poſſit ad primum, vel ad tertium modum primæ figuræ efformari. In poſteriori autem ſyllogiſmo maior eſt methaphyſicè euidens, vt patet *ex diſput.* 4. *num.* 6. Minor eſt eadem cum conſequente prioris ſyllogiſmi. Conſequentia ligat. Hæc omnia vires accipient ex dicendis capite ſequenti.

CAPVT IV.

Statuitur, certam eſſe communem ſententiam, ſcilicet debere officium totaliter recitari ante mediam noctem.

21. *Conſuetudo recitandi totum officium ante mediam noctem, euidenter interpretatur legem.*

QVod attinet ad ſecundam quæſtionem; ex eodem fundamento, quo in capite præcedenti vſus ſum, oſtendo certitudinem communis ſententiæ. Etenim in quolibet dubio legis Eccleſiaſticæ, conſuetudo vniuerſalis recepta ab omnibus tanquam obligatoria, habet tantam vim interpretandi legem, ac ſi lex ſcripta verbis expreſſis eam interpretationem indiceret; vt *ex cap. Cum dilectus, de conſuetudine*, oſtendi *diſp.* 23. *cap.* 4. ergo in dubio, an lex Eccleſiaſtica obligans Presbyterum ſingulis diebus ad officium canonicum; obliget illum ad recitandum officium totaliter ante mediam noctem, conſuetudo vniuerſalis, ſi qua eſt recepta in tota Eccleſia tanquam obligatoria, habet vim interpretandi legem; ac ſi ea interpretatio eſſet ſcripta expreſsè in ipſa lege. Sed eſt conſuetudo vniuerſalis recepta in tota Eccleſia tanquam obligatoria, quod officium canonicum perſoluatur totaliter ante mediam noctem, nec aliter ſatisfiat præcepto: ergo ita certum eſt, officium canonicum perſoluendum eſſe totaliter ante mediam noctem, ac ſi ita expreſſis terminis ſcriptum eſſet in ipſa lege Eccleſiaſtica.

Primum antecedens patet ex loco citato; conſequentia tam certò infertur, ac propoſitio particularis ex vniuerſali, in qua continetur. Conſequens enim eſt propoſitio particularis contenta in antecedenti tanquam in propoſitione vniuerſali. Minor autem (minorem voco, quia primum conſequens poteſt gerere vices maioris) indubia eſt: quis enim vnquam dubitauit de ea conſuetudine ab omnibus recepta tanquam obligatoria, præter Leandrum? Nam de alio Authore, quem ipſe affert, eſt magnum dubium infrà ponendum. Et licèt Author ſuffragaretur, in materia facti, qualis eſt exiſtentia talis conſuetudinis, nihil officit. 22.

Et confirmatur minor. Nam exiſtentia conſuetudinis eſt quid facti, quæ plenè probatur per teſtes deponentes de tali conſuetudine. Vbi autem plenè probatur, fit certa prædicta conſuetudinis exiſtentia. Atqui omnes Authores vſque ad Leandrum deponunt de conſuetudine recepta & obſeruata tanquam obligatoria in tota Eccleſia recitandi officium integrè & totaliter ante mediam noctem. Cùm enim omnes Authores eam obligationem affirmant, non alio fundamento nituntur, quàm ea conſuetudine interpretante legem canonicam de officio recitando ſingulis diebus: conſequentia autem manifeſta eſt, quia ſyllogiſmum facilè reduces ad tertium modum primæ figuræ, inuariato ſenſu. 23.

Exiſtentia conſuetudinis eſt quid facti. In quæſtione facti ſententia omnium Theologorum facit euidentiam.

Confirmatur primò. Perſuaſio vniuerſalis omnium fidelium de exiſtentia alicuius obligationis poſitiuæ facit euidentiam moralem, vt oſtendi ea *diſputat.* 12. *cap.* 5. ſed datur perſuaſio omnium fidelium de exiſtentia obligationis perſoluendi officium canonicum integrè & totaliter ante mediam noctem: ergo de hac obligatione datur euidentia moralis. 24.

In quæſtione facti perſuaſio omnium fidelium facit euidentiam.

Confirmatur ſecundò. Nam, vt oſtendi *diſputatione* 23. *cap.* 5. *numerò* 130. apud S. Auguſtinum hæc eſt legitima conſequentia: [Conſuetudo A, ſeruatur ab omnibus fidelibus tanquam obligatoria: ergo illius obligatio euidens eſt.] Sed omnes fideles vbique gentium ſeruant hanc conſuetudinem vt obligatoriam, nempe recitandi officium huius diei ante mediam noctem: ergo obligatio recitandi ante mediam noctem euidens eſt. 25.

Legitima conſequentia ex S. Auguſtino.

Confirmatur tertiò. Non habuerunt maiorem authoritatem conſuetudines antiquæ totius Eccleſiæ, quàm habent conſuetudines, quæ hodie vigent in Eccleſia; non enim habuerunt authoritatem, quia antiquæ, ſed quia totius Eccleſiæ: ſed conſuetudines antiquæ, etiam illæ, quæ non ſemper ſeruatæ ſunt in Eccleſia, tantam habuerunt authoritatem, vt cùm ignoratur initium, aut Author earum, affirmet Auguſtinus tribuendas eſſe Conciliis Generalibus illas ſine ſcripto præcipientibus; ita enim habe- 26.

Conſuetudo recitandi totum officium ante mediam noctem non eſt minoris authoritatis, quàm conſuetudines antiquæ.

Digitized by Google

tur *in cap. Illa, diſtinct. 12.* ex Auguſtino, vt retuli *eo cap. 5. cit.* ergo conſuetudines vniuerſales, quæ hodie vigent in tota Eccleſiâ, æquiualenti authoritati, nempe Romani Pontificis, tribuendæ ſunt. Cùm ergo certiſſima conſuetudo ſeruetur in tota Eccleſia tanquam obligatoria, ſcilicet recitandi officium integrè & totaliter ante mediam noctem, dum neſcimus Authorem eius obligationis, in Romanum Pontificem referenda eſt, vel quia ſic tradidit ſine ſcripto, vel quia *in cap. Cùm dilectus, de conſuetud.* omni conſuetudini receptæ vt obligatoriæ dedit vim & authoritatem interpretandi, quo ſenſu intelligenda ſit obligatio legis Eccleſiaſticæ.

27. Confirmatur quartò, Diaconos, & Subdiaconos obligari lege recitandi officium canonicum, idque ex vi conſuetudinis, vt docet ipſe Leander *part. 1. in Decalog. tract. 8. diſput. 2. quæſt. 44.* (non quidem ex vi conſuetudinis, quæ habeat vim obligandi independenter à præcepto Principis Eccleſiaſtici; hanc enim nego: de quo vide *ea diſput. 23. cap. 5.* ſed vel vi conſuetudinis, quæ ſit traditio importans præceptum non ſcriptum, ſed traditum; vel conſuetudinis interpretantis authenticè legem Eccleſiaſticam de recitatione officij traditam vel ſcriptam.) Sed etiam eſt conſuetudo in tota Eccleſia recepta tanquam obligatoria recitandi officium integrè & totaliter ante mediam noctem: ergo eadem conſuetudine ad id obligamur. Præterea cum dubitatur, an lex præſcribens Presbyteris & beneficiariis officium canonicum obliget ſub reatu culpæ grauis, necne; meritò recurritur ad conſuetudinem, tanquam ad regulam authenticam & certiſſimam interpretationis, *ex dicto cap. Cùm dilectus*, vt patet *ex eo cap. 4. diſput. 23.* ergo cùm dubitatur, an eius integra, & totalis recitatio facienda ſit ante mediam noctem, recurrendum etiam eſt ad eandem regulam conſuetudinis, quam reuera habet tota Eccleſia tanquam obligatoriam.

Vi conſuetudinis obligantur Diaconi ad officium canonicum.

Et quid inde pro concluſione?

28. Confirmatur quintò. Nam in ea quæſtione, an liceat recitare hodie ſtatim poſt meridiem Matutinum diei craſtinæ, ſic reſpondet Leander *part. 1. in Decalog. tract. 8. diſp. 4. quæſt. 91.* [Vt mihi certum reſpondeo, non ſatisfieere præcepto recitandi: quia ex recepta conſuetudine ſolùm licet recitare Matutinum & Laudes diei craſtinæ hodierna die veſpere, quando ſol iam declinat ad occaſum,] &c. Sed eſt conſuetudo recepta, quod officium canonicum recitetur integrè & totaliter vſque ad finem ante mediam noctem: ergo ex recepta conſuetudine certum debet eſſe, quod officium integrè, & totaliter vſque ad finem ante mediam noctem perſoluendum ſit. Nam tam in ſecundo, quàm in primo caſu conſuetudo eſt authentica legis interpres.

Quare Matutinum diei craſtinæ non poſſit recitari hodie ſtatim poſt meridiem?

29. Relege totum caput 4. 5. 6. & 7. eius diſputationis 23. in quibus multas alias confirmationes inuenies huius argumenti.

CAPVT V.

Primum & octauum fundamentum oppoſitæ partis ad examen vocantur.

Reſtat modò non ſolùm diſſoluere, ſed & debellare argumenta Leandri, & oſtendere, ea eſſe nullius efficacitatis. Vt cùm ex argumentis *cap. præcedenti* propoſitis conſtet, oppoſitum eſſe certum; ex inefficacitate, & nullitate argumentorum Leandri conſtet, eam ſic inermem non poſſe ſubſiſtere, cùm compertum ſit, non poſſe ſubſiſtere eam aſſertionem, quæ nullo, vel leui fundamento fulcitur. Iam verò ſingula eius fundamenta ad examen trahamus. 30.

Primum ſic ab Authore proponitur. [Probabile valde eſt, quod omnes ſeptem horæ canonicæ ſint vnica oratio, vnico præcipiantur præcepto, & omnes habeant rationem vnius obiecti talis vnius præcepti, vt fatentur Nauarrus, Bonacina, Leſſius, & alij: ergo probabile etiam erit, quod ille, qui eas ante mediam noctem incipit, etiamſi poſt illam finiat, finiat eas tempore congruente, & adimpleat præceptum recitandi. Patet conſequentia, quia res vna & indiuidua incepta tempore apto, optimè finiri poteſt, imò & debet, ſi res eſt præcepta, tempore conſequenti, ſi id incontinenti fiat. Octauum eius argumentum ad caput redit; illud enim eſt repetitio primi; ſolumque differt leui quadam additione, quæ ſubintelligitur. Sic enim ait: Res vnica & per ſe indiuidua, cœpta tempore apto, poteſt finiri (imò & debet, ſi res eſt præcepti) tempore conſequenti, dummodo non obſtet finitioni eius nouum mandatum, aut contrarium præceptum.] 31.

Antequam reſpondeam inquiro, vtrum (dato, quod totum officium ſit vnica oratio, & vnico dumtaxat præcepto præceptibilis) non poſſit Eccleſia præſcribere, quod totum officium finiatur ante mediam noctem? Vel inquiro, vtrum hoc primum argumentum eò tendat, vt probet, non potuiſſe Eccleſiam præcipere, quod officium finiatur ante mediam noctem; vel ſolùm probet, quod reipſa id non præceperit? Et quidem de poteſtate Eccleſiæ ad id indicendum, nemo dubitare poteſt. Quare hoc argumentum Leandri, ſi quid valet, intendet vtique probare, quod Eccleſia reipſa non præcepit, quod officium canonicum finiatur ante mediam noctem. 32.

Etiamſi officium ſit indiuiſibile, potuit Eccleſia præcipere, vt finiatur ante mediam noctem.

Da ergo caſum, quod Eccleſia in lege ſua expreſſis verbis iniunxerit præceptum, vt officium canonicum recitetur & finiatur ante mediam noctem. Et interrogo, an adhuc retineat ſuam vim ea propoſitio Leandri. [Res vna & indiuidua incepta tempore apto, optimè finiri poteſt, imò & debet, ſi res eſt præcepta, tempore conſequenti.] Si dicas, adhuc in hoc caſu eam propoſitionem ſuam vim retinere, infero: ergo etiam ſi Eccleſia præceperit, officium finiri ante mediam noctem, poterit finiri poſt mediam noctem, quia eſt res indiuidua, & cœpta tempore apto. Ex qua 33.

conſequentia

Digitized by Google

conſequentia euidenter infertur, Eccleſiam non potuiſſe id ita præcipere: quod eſt abſurdiſſimum.

34. Si verò dicas, in hoc caſu eam propoſitionem non habere ſuam vim, quia licèt ſit res indiuidua, & incepta tempore apto; non tamen poteſt finiri tempore conſequenti, quando id eſt expreſsè prohibitum, infero: ergo hoc argumentum non probat, quod Eccleſia non præcipit, officium finiri ante mediam noctem; ſed ſolùm probat ſub conditione, nempe rem indiuiduam inceptam tempore apto, poſſe finiri tempore conſequenti, ſi id non ſit prohibitum. Atqui argumentum probans aliquid ſub conditione, nihil probât abſolutè, niſi probet purificari conditionem. Nam ſi velis probare, excommunicatum eſſe ritè abſolutum, non ſufficienter probas ea propoſitione conditionata; quod excommunicatus ritè abſoluitur, ſi ſatisfecerit, niſi ſimul probes, eum ſatisfeciſſe.

35. Hinc vrgeo ampliùs argumentum. A propoſitione conditionali non valet conſequentia ad affirmationem conditionis; quia *conditio nihil ponit in eſſe*, vt clamant Dialectici; ſic enim praua eſt hæc conſequentia: [Si ſol eſt: ergo ſol eſt.] Sed hæc propoſitio eſt conditionalis, [Res vna & indiuidua incepta tempore apto, optimè finiri poteſt tempore conſequenti,] ſcilicet [Si Eccleſia non præceperit, quod finiatur ante tempus conſequens,] vt conſtat ex dictis: ergo ex illa malè infertur, quod Eccleſia non præceperit, quod finiatur ante tempus conſequens, ſiue ante mediam noctem.

36. Perpende ergo attentè vim noſtræ argumentationis contra fundamentum Leandri; iſtud enim reuera attentè conſideratum, eſt fallax. Nam vel hæc propoſitio Leandri eſt conditionalis, vel abſoluta? Si conditionatis eſt, reddit hunc ſenſum: [Officium canoeum, quia eſt res vna & indiuidua, inceptum tempore apto; poteſt finiri tempore conſequenti, & poſt mediam noctem, ſi Eccleſia non præceperit, quod finiatur ante mediam noctem:] hoc autem modo non probat abſolutè concluſionem, neque probat (vt debet) Eccleſiam non præcepiſſe, quod finiatur ante mediam noctem; cùm propoſitio conditionalis non probet affirmationem abſolutam conditionis, neque à propoſitione conditionali valeat ad affirmationem abſolutam conditionis.

37. Si verò illa propoſitio Leandri abſoluta eſt, & nullo modo conditionalis, duplicem ſenſum reddere poteſt, ſiue duplici modo intelligi. Primus eſt: [Res vna & indiuidua incepta tempore apto, poteſt finiri tempore conſequenti, etiamſi Eccleſia præcipiat, quod finiatur ante tempus conſequens; atque adeò officium canonicum inceptum tempore apto poteſt finiri tempore conſequenti, & poſt mediam noſtem, etiamſi Eccleſia præcipiat, illud finiri ante mediam noctem.] Ex hoc autem infertur euidenter, quod Eccleſia non potuerit præcipere, quod finiatur officium ante mediam noctem; cùm liceat finire poſt mediam noctem, quamvis Eccleſia prohibeat. Secundus eſt: [Res vna & indiuidua incepta tempore apto, poteſt finiri tempore conſequenti, atque adeò officium canonicum, eo quod Eccleſia non præcepit, quod illud finiatur ante tempus conſequens.] Sed iuxta hunc ſenſum, probat Leander, quod Eccleſia non præcepit, quod finiatur officium ante tempus conſequens? Cùm ergo id principium, quod aſſumit de re indiuidua incepta tempore apto, mutilum ſit, niſi addatur ea ſecunda pars, quod non præcepit Eccleſia finitionem officij ante tempus conſequens: eamque ſecundam partem non modò non probatam, ſed intactam relinquat, patet clariſſimè, quod deficit in probatione.

38. Dices, id principium verum eſſe caſu, quo Eccleſia non prohibuerit expreſsè, quod finiatur officium poſt mediam noctem; & in hoc ſenſu propoſitionem argumenti eſſe conditionalem: atqui conſtat, Eccleſiam id non prohibuiſſe expreſſis verbis, cùm nulla lex detur, quæ id expreſsè prohibeat: tenet ergo argumentum ita intellectum.

An Eccleſia expreſsè prohibuerit, officium finiri poſt mediam noctem.

39. Sed contrà eſt primò. Nam ex præcedenti capite certum eſt, id eſſe expreſſe prohibitum, iuxta authenticam & legitimam interpretationem vniuerſalis conſuetudinis; imò & vniuerſalis traditionis Eccleſiæ eodem modo, ac ſi lex ſcripta expreſſis verbis interdiceret: falſum ergo aſſumit præfata reſponſio; imò & certò falſum.

Conſuetudo recepta vt obligatoria, euidenter gerit vices prohibitionis.

40. Contrà eſt ſecundò. Nam ſi ad ſubſidium eius argumenti opus eſt ſuperaddere aliam propoſitionem, nempe, Eccleſiam non prohibuiſſe quod finiatur officium poſt mediam noctem: ergo malè infertur eo argumento, quod Eccleſia id non prohibuerit: ſi enim id inferretur ex argumento, ad quid opus eſſet ei argumento ſuperaddere denuò, quod ipſa vis argumenti in ſe continet?

41. Itaque ea propoſitio Leandri: [Res vna & indiuidua incepta tempore apto, poteſt finiri tempore conſequenti,] ad ſummum vera eſt ſub ea conditione [ſi Eccleſia non præceperit finiri ante tempus conſequens.] Sed quamvis ea vera ſit, non tamen probat, quod licitum eſt finire officium poſt tempus conſequens, niſi aliunde probetur, non dari tale præceptum Eccleſiæ, vel ex lege ſcripta, vel ex interpretatione conſuetudinis vniuerſalis. Ex quibus patet, id argumentum nullatenus probare aſſertionem intentam, & nullius eſſe momenti ad illam probandam.

42. Hinc clariſſimè diſſoluitur præfatum argumentum, conceſſo antecedente, & negata conſequentia. Ad cuius probationem diſtinguo antecedens. Res vna & eadem incepta tempore apto, optimè poteſt finiri tempore conſequenti, ſcilicet in continenti, [ſi oppoſitum non conſtet ex præcepto Eccleſiæ,] transeat; [ſi oppoſitum conſtet] nego. Quæ diſtinctio patet ex dictis.

CAPVT VI.

Secundum, quintum, & ſextum Leandri fundamentum vocantur ad criſim.

43. SEcundum fundamentum ſic proponit. [Quia licitè poteſt quis hodie poſt Veſperas recitare Matutinum craſtinæ diei, non ſolùm ratione conſuetudinis vt fert communis opinio) ſed etiam quia (vt aliqui probabiliter dicunt, iuxta habita *quæſt.* 23.) veſpertinum tempus reputatur pro tempore diei ſequentis: (*Numquid ad omnes effectus, ſcilicet ad Primam, & Tertiam diei ſequentis recitandam; an ſolùm ad id, quod permittit conſuetudo?*) Et ita quamvis in rei veritate diuerſo in die recitet Matutinum, cenſetur recitare in eodem: ergo ſic ſimiliter probabiliter dici poteſt, quod ille, qui incipit recitare officium hodiernum paulò ante mediam noctem, & finit illud poſteà, cenſeatur illud recitare hodie. (*Etiamſi conſuetudo ſit in oppoſitum?*) Patet conſequentia. Nam ſicut veſpertinum tempus trahit ad ſe diem ſequentem; (*Numquid etiam ad Primam, vel ſolùm ad id, quod permittit conſuetudo?*) ita etiam tempus illud nocturnum vndecimæ & dimidiæ horæ, v.g. in quo quis cœpit recitare officium diuinum hodiernum trahit ad ſe fortiori iure (*etiam reluctante conſuetudine?*) partem aliquam diei ſequentis, in quo poteſt, adimplendo præceptum, complere officium. Legatur pro hac ratione Gloſſa *cap. Quod à Patribus, diſt.* 75. nam ei valde fauet.]

44. Pro examine huius argumenti nota, vi conſuetudinis rationabilis & præſcriptæ introductum eſſe iam, quod horâ ſecunda poſt meridiem poſſit recitari Matutinum ſequentis diei: habet enim conſuetudo rationabilis & præſcripta vim abrogandi legem, & conſuetudinem obligatoriam. Et ita licèt olim non niſi iuxta ſolis occaſum liceret recitatio Matutini diei ſequentis, iam laxiori conſuetudine relaxata eſt ea obligatio. Et ſi in poſterum laxior conſuetudo præualeat, poterit Matutinum recitari anteriori tempore. Horas autem minores, Primam, Tertiam, &c. non poſſe niſi intra diem ſuum naturalem recitari, quia quoad hoc nulla conſuetudo inualuit in oppoſitum.

Vi conſuetudinis, 2. horâ poſt meridiem recitatur Matutinum, craſtinum non Prima, &c.

45. Ad criſim ergo argumenti deueniendo, nota ea priora verba: [Licitè poteſt quis hodie poſt Veſperas recitare Matutinum craſtinæ diei, *non ſolùm ratione conſuetudinis, ſed etiam quia veſpertinum tempus reputatur pro tempore diei ſequentis.*] Quando ergo duplicem rationem aſſignas, & rationem conſuetudinis, & fictionem iuris, qua veſpertinum tempus reputatur pro tempore diei ſequentis, interrogo; vel aſſignas vtramque rationem collectiuè, ita vt vna ſola earum non ſufficiat ad recitandum hodie poſt Veſperas Matutinum diei craſtinæ; vel aſſignas vtramque rationem diuiſiuè, & diſtributiuè, ita vt quælibet earum rationum ſufficiat ad illud veſpertino tempore recitandum?

46. Si primum reſpondes, & vtramque collectiuè rationem requiris, infero: ergo argumentum nihil probat, vbi non concurrunt hæc duo ſimul, quod detur conſuetudo, & quod tempus veſpertinum reputetur pro craſtino. Tum ſic: ergo argumentum nullatenus probat, poſſe recitari officium canonicum, incipiendo paulò ante mediam noctem, & finiendo poſt mediam noctem. Conſequentia eſt manifeſta: vbi enim non concurrunt hæc duo, nihil probat argumentum: ſed in hoc recitandi modo non concurrunt hæc duo; non enim datur conſuetudo recitandi incipiendo paulò ante mediam noctem, & finiendo poſt illam: ergo in hoc recitandi modo nihil probat argumentum.

Si verò reſpondeas ſecundum, & vtramque rationem ſeorſim & diuiſiuè ſufficere, 47.
vt quis poſſit recitare Matutinum veſpertino tempore, infero: ergo quamvis nulla daretur conſuetudo, nec lex permiſſiua ſcripta, vel tradita; per hoc ſolùm, quod veſpera diei antecedentis trahit ad ſe diem ſequentem, poſſet poſt Veſperas recitari Matutinum. Conſequenta euidenter infertur ex antecedente. Tum ſic: ergo Prima, & reliquæ horæ vſque ad Completorium incluſiuè poſſunt recitari poſt veſperas diei antecedentis. Conſequentiam oſtendo. Etenim independenter à conſuetudine poteſt recitari veſpere antecedenti Matutinum diei ſequentis, per hoc præciſiſè, quod veſpera diei antecedentis trahat ad ſe diem ſequentem: ſed independenter à conſuetudine non eſt maior ratio, quare trahat ad ſe diem ſequentem pro recitatione Matutini, quàm pro recitatione Primæ, vel Completorij: ergo Prima, & Completorum recitari poterunt in veſpera antecedenti, ſicut recitatur Matutinum. Maior eſt aduerſarij, ſi reſpondeat illud ſecundum dilemmatis membrum. Minorem non poteſt negare Leander, qui *part.* 1. *in Decalog. tract.* 8. *diſputat.* 4. *quæſt.* 96. *vt certum* affirmat, Horas, dempto Matutino, recitari non poſſe tempore veſpertino; *quia ſic firmauit generalis conſuetudo*: ergo hac ſecluſa eadem eſſet ratio affirmandi, vel negandi pro cæteris horis, ac pro Matutino. Conſequentia verò illius ſyllogiſmi eſt manifeſta; quia vbi non eſt maior ratio pro vno, quàm pro altero, vtrumque eamdem reſolutionem ſubire debet.

Eadem ratio militat pro Prima, ſi non ſtemus conſuetudini.

Confirmatur primò. Quod Prima non poſſit recitari in veſpere antecedenti, poſſit au- 48.
tem Matutinum, ex conſuetudine prouenit, non autem prouenit ex eo, quod independenter à conſuetudine veſpera trahat ad ſe diem ſequentem: quia veſpera trahit diem ſequentem in ordine ad recitandum Matutinum, & non in ordine ad recitandam Primam: ergo dum generalis conſuetudo ſteterit, quod Prima non recitetur, niſi poſt mediam noctem, non poteſt veſpera diei antecedentis trahere ad ſe diem ſequentem in ordine ad Primam recitandam: ergo quotieſcumque generalis conſuetudo firmauerit, recitationem alicuius horæ non tranſcendere aliquem terminum temporis, non poterit tempus antecedens trahere ad ſe tempus ſequens in ordine ad talem horæ recitationem. Sed generalis conſuetudo firmauit, recitationem

Quomodo veſpera trahat diem ſequentem in ordine ad Matutinum, & non ad Primam?

Digitized by Google

nem officij canonici ſecundum omnes & ſingulas ſui partes non tranſcendere vltra mediam noctem, vt *ex cap.4.* & ex ſe conſtat: ergo contra eam conſuetudinem non poteſt tempus antecedens trahere ad ſe tractum ſubſequentem poſt mediam noctem.

49. Explicatur ampliùs; & confirmatur ſecundò. Hæc ratio, quod veſpera trahit ad ſe diem ſequentem, non probat, Matutinum dicendum in veſpera, niſi præſupponat conſuetudinem id permittentem. Da, ex conſtitutione Romani Pontificis acceptata fieri illicitum, quod Matutinum recitetur in veſpera, ſeu ante mediam noctem. Numquid in eo caſu veſpera trahet ad ſe diem ſequentem in ordine ad recitationem Matutini? Minimè. In eo ergo caſu malè probares, adhuc ſtante ea conſtitutione Romani Pontificis, poſſe recitari Matutinum ante mediam noctem, ex eo quod veſpera trahit ad ſe diem ſequentem; quia veſpera non trahit ad ſe diem ſequentem, niſi præſupponatur eſſe licitum, quod recitetur in veſpera id, quod pertinet ad diem ſequentem.

50. Ergo hæc ratio, quod tempus nocturnum vndecimæ horæ dimidiatæ trahat ad ſe tempus ſubſequens poſt mediam noctem, nihil probat, niſi præſupponendo conſuetudinem acceptatam de finiendo officio hodierno poſt mediam noctem; vel niſi præſupponendo, eſſe licitum, quod finiatur poſt mediam noctem officium hodiernum: ergo dum hoc non præſupponas, malè arguis, quod tempus proximum mediæ nocti trahat ad ſe tractum temporis ſuccedentis poſt mediam noctem.

51. Explicatur vlteriùs, & confirmatur tertiò. Si licitum eſt recitare officium hodiernum finiendo illud poſt mediam noctem, vtique tempus antecedens mediam noctem trahit ad ſe tractum temporis ſubſequentem: & ſi id non eſt licitum, vtique illud tempus antecedens mediam noctem non trahit ad ſe tractum temporis ſubſequentem: ergo vt dicas, quod tempus antecedens trahit ad ſe tractum ſubſequentem in ordine ad recitandum officium hodiernum finiendo illud poſt mediam noctem, priùs debes præſupponere, quod id eſt licitum.

52. *Concluſio non præſupponitur nota ad veritatem antecedentis.*

Tum ſic. Ex vi cuiuſlibet diſcurſus concluſio non præſupponitur nota ad veritatem antecedentis; quod ſi propoſitio præſupponi debet nota ad veritatem antecedentis, vtique illa non eſt concluſio: ſed ad hanc propoſitionem, [Tempus antecedens ad mediam noctem, trahit ad ſe tractum temporis ſubſequentem in ordine ad finiendum officium hodiernum poſt mediam noctem,] præſupponi debet, quod ſit licitum ita finire poſt mediam noctem: ergo, quod ſit licitum ita finire officium poſt mediam noctem, non poteſt eſſe concluſio reſpectu illius antecedentis. Ergo hic diſcurſus propoſitus à Leandro illegitimus eſt, nempe, [Tempus antecedens trahit ad ſe tractum ſubſequentem in ordine ad finiendum officium hodiernum poſt mediam noctem: ergo officium hodiernum poteſt finiri poſt mediam noctem.] Cùm ponat pro concluſione id, quod debet præſupponi ad veritatem antecedentis.

53. Eius ſyllogiſmi conſequentia eſt manifeſta, eſt enim in quarto modo primæ figuræ; nam breuioribus terminis ſtringitur ad hanc formam: [Nulla propoſitio, quæ præſupponitur ad aliam, eſt concluſio reſpectu illius: ſed propoſitio A, præſupponitur ad propoſitionem B: ergo propoſitio A, non eſt concluſio reſpectu concluſionis B.] Maior eſt ex terminis nota, cùm antecedés in genere illatiui ſit cauſa concluſionis; cauſa autem præſupponatur ad effectum, & effectus non præſupponatur ad cauſam. Minor autem conſtat ex confirmatione ſecunda, & tertia, & item ex ſequentibus. Conſequentia autem continetur in prima, ſicut particularis, vel ſingularis in vniuerſali.

Confirmatur quartò, & explicatur vberiùs. Cùm dicitur, [veſpera trahit ad ſe diem ſequentem] vel quod [tempus antecedens reputatur pro ſubſequenti;] id quidem non eſt ad omnes effectus, ſed ſolùm ad eos, in quibus licita eſt præuentio temporis; non ad eos, in quibus prohibita eſt præuentio temporis. 54. *Ad quos effectus tempus antecedens trahat ad ſe ſubſequens?* Si conſuetudine præſcripta permitteretur, quod in vigilia Reſurrectionis recitaretur officium totius hebdomadæ ſubſequentis, vigilia traheret ad ſe totam hebdomadam. Numquid in ordine ad omnes effectus? Numquid in ordine ad hoc, quod illa die Sabathi non ieiunaretur? Numquid in ordine ad hoc, quod ſeptem Miſſæ illius hebdomadæ Paſchalis dicerentur in Sabatho? Minimè. Quia illa vigilia ſolùm traheret ad ſe hebdomadam Paſchalem in ordine ad recitationem officij: quoad cæteros autem effectus, in quibus prohibita maneret præuentio temporis, falſum eſſet, quod vigilia Reſurrectionis traheret ad ſe totam hebdomadam.

Ergo priùs ſtatuendum eſt, qui ſit effectus ille, in quo, & in ordine ad quem liceat præuenire tempus; & poſteà colligendum, quod in ordine ad illum, tempus antecedens trahit ad ſe tractum temporis ſubſequentem; & quod in ordine ad illum, tempus antecedens reputatur pro conſequenti. 55. *Quomodo arguendum ab eo antecedēti, quod veſpera trahit ad ſe diem ſequentem?* Ergo priùs probare debes, licitum eſſe finire officium hodiernum poſt mediam noctem, quàm aſſeras, tempus antecedens mediam noctem trahere ad ſe tempus ſubſequens in ordine ad recitandum & finiendum officium poſt mediam noctem. Ergo perperam agis cùm inuerſo ordine procedis, & aſſumis pro antecedenti, quod debet eſſe concluſio; & pro concluſione id, quod debet eſſe antecedens.

56. Confirmatur quintò. Da eſſe quæſtionem, & dubium practicum, & ſpeculatiuum, vtrum Prima poſſit recitari ante mediam noctem antecedentem, ſiue in veſpere antecedenti immediatè poſt Matutinum? Et aſſertorem partis affirmatiuæ ſic arguere: [Veſpera trahit ad ſe diem ſequentem, & reputatur pro die ſequenti in ordine ad Primam recitandam: ergo Prima poteſt veſpere recitari.] Reſponderes quidem, & bene: [Proba mihi priùs, licitum eſſe recitare Primam veſpere; & tunc concedam tibi, veſperam trahere ad ſe diem ſequentem in ordine ad Primam recitandam.] Ergo eodem modo reſpondendum eſt argumento Leandri. Probet ille priùs, licitum eſſe recitare officium hodiernum finiendo illud poſt mediam noctem; & tunc poterit cum veritate aſſerere, quod tempus antecedens ad mediam noctem trahit ad ſe horam immediatè ſubſequentem.

57. Prado. Ioannes Martinez de Prado, qui (vt refert ipſe Leander *part.* 1. *in Decalog. tract.* 8. *diſp.* 4. *quæſt.* 109.) eam Leandri aſſertionem affirmat improbabilem, ſic inſtituit contra illam argumentum. [Secundò. Poſſet alius inferre, quod veſpere antecedenti poſſent dici horæ diurnæ ſequentis diei, quia veſpera eam ad ſe trahit.] Cui ſic reſpondet *loco citato*. [Reſpondeo ſecundò negando ſequelam. Diſparitas eſt manifeſta, quia in noſtro caſu incipit quis recitare officium tempore habili & apto, nempe ante mediam noctem diei ſequentis, & per continuationem recitationis trahit ad ſe diem ſequentem: at verò qui recitaret horas diurnas diei ſequentis hac veſpera, non inciperet recitare illas tempore habili, aut tempore, quo currit præceptum recitandi illas; & ideò nec ſatisfaceret illi, nec poſſet trahere ad ſe diem ſequentem.

58. Inſtauro argumentum (& ſit ſexta confirmatio.) Continuatio officij poſt mediam noctem ſi ſit licita & valida, vtique trahit ad ſe horam ſubſequentem; ſi autem continuatio officij poſt mediam noctem ſit illicita & inualida, non trahit ad ſe horam ſubſequentẽ. Ergo vt aſſeras, quod continuatio officij poſt mediam noctem facta trahit ad ſe horam ſubſequentem, debes probare priùs, quod ea officij continuatio eſt licita & valida. Quod etiam contingit in Matutino ad veſperam recitando, vnde ſumis paritatem. Si enim legitimè prohiberetur recitatio Matutini hodierni ante mediam noctem, veſpera non traheret ad ſe diem ſequentem: modò autem, dum non prohibetur ea recitatio pro veſpertino tempore, veſpera trahit ad ſe diem ſequentem: ergo vt veſpera trahat ad ſe diem ſequentem, vel tempus antecedens mediam noctem trahat ad ſe horam ſubſequentem, debet præſupponi, quod eſt licita recitatio Matutini facta veſpertino tempore, & quod eſt licita continuatio officij poſt mediam noctem: ergo perperam arguis, dum ordine præpoſtero procedis.

59. Inſtauro iterum, & confirmo ſeptimò. Qui recitaret Primam antecedenti veſpere poſt Matutinum, recitaret illam tempore habili & apto: ergo nulla eſt tua diſparitas, quam dicis manifeſtam. Probatur antecedens. Illud eſt tempus habile & aptum, quod licèt ſit antecedens, tamen trahit ad ſe tractum temporis ſequentis; ideò enim Matutinum recitatum veſpere antecedenti recitatur tempore habili & apto, quia veſpera trahit ad ſe diem ſequentem: ſed veſpera (arguendi causâ dico) trahit ad ſe diem ſequentem in ordine ad Primam recitandam: ergo Prima dum veſpere antecedenti recitatur, dicitur quidem tempore habili, & apto.

60. Petis à me vt probem minorem eius ſyllogiſmi: & ego probo verbis Leandri ſuprà relatis initio huius capitis: [Quia licitè poteſt quis hodie poſt veſperas recitare Matutinum craſtinæ diei, non ſolùm ratione conſuetudinis, ſed etiam, quia veſpertinum tempus reputatur pro tempore ſequentis diei:] ſed quod reputatur pro tempore ſequentis diei, eſt aptum ad recitandum officium ſequentis diei: ergo veſpera eſt tempus aptum ad recitandam Primam ſequentis diei.

61. Reſpondes, veſperam eſſe tempus aptum & habile, vt recitetur Matutinum ſequentis diei; non autem, vt recitetur Prima, quia conſuetudo permittit Matutinum veſpere antecedenti recitandum, non autem Primam. Infero primò: ergo Matutinum recitatur veſpere antecedenti, quia veſpera trahit diem ſubſequentem, præſuppoſita conſuetudine, & non aliter: ergo officium hodiernum poterit recitari & finiri poſt mediam noctem, ita vt tempus antecedens ad mediam noctem trahat ad ſe horam ſubſequentem, præſuppoſita conſuetudine, & non aliter. Proba ergo priùs, eſſe conſuetudinem, per quam liceat ita finire poſt mediam noctem officium hodiernum; & ſic non procedes ordine inuerſo.

Infero ſecundò. Ergo dum dicis, ideò non licere recitare Primam tempore antecedenti, quia dùm Prima recitatur veſpere antecedenti, non recitatur tempore apto, petis principium: nam, arguendi causâ, verſamur in dubio de tempore Primæ recitandæ. Et causâ contradicendi tuæ aſſertioni de officio finiendo poſt mediam noctem, ego aſſero Primam ſimiliter veſpere recitandam; quia veſpera trahit ad ſe diem ſequentem, & reputatur pro die ſequenti: & qui recitat officium in tempore trahente ad ſe diem ſequentem, recitat in tempore apto. Quare ergo Prima recitata in tempore trahente ad ſe diem ſequentem, atque adeò in tempore apto, non poterit ſatisfacere præcepto. Petis ergo principium. 62.

Quod ſi reſpondeas, vt debes, Primam veſpere recitatam non recitari tempore trahente ad ſe diem ſequentem, quia id conſuetudo non permittit: vt probetur, Matutinum recitari tempore trahente ad ſe diem ſequentem, præſupponi debet, quod ea recitatio eſt licita, ſaltem ex conſuetudine: ergo vt probetur, officium poſſe finiri poſt mediam noctem, & ita ratione continuationis tempus antecedens trahere ad ſe horam ſubſequentem poſt mediam noctem, debet præſupponi, quod id ſit licitum, ſaltem ratione conſuetudinis; & dum hoc non priùs probas, nihil agis. 63.

Inſtauro tertiò argumentum, & confirmo octauò. Quia ſi ſola continuatio temporis antecedentis ad mediam noctem trahit ad ſe horam ſubſequentem, præſciſis quibuſcumque aliis, & ob hoc præſcisè licitum eſt incipere ante mediam noctem, & finire poſt illam; licebit ſimiliter recitare Primam nocte antecedenti, ita vt ante mediam noctem dicatur vſque ad *Pretioſa*, & poſt mediam noctem reliquum Primæ à *Pretioſa*, quia tunc continuatio trahit ad ſe tempus ſubſequentis diei; inchoabiturque Prima tempore apto, quia recitabitur in tempore, quod ratione continuationis trahit ad ſe tempus ſubſequens, ſiue quod ratione continuationis reputatur pro tempore ſubſequenti. Id enim eſſe tempus aptum, patet ex Matutino, quod recitatur tempore apto, dum recitatur in veſpera trahente poſt ſe tempus ſubſequens. 64.

Patet ergo ex prædictis omnibus, id ſecundum fundamentum Leandri eſſe omninò fallax, & nullius momenti: quia vt probet, aut ſtatuat, continuationem temporis antecedentis trahere ad ſe horam, aut diem ſubſequentem in ordine ad finiendũ officium hodiernum poſt mediam noctem, quod inceptum eſt ante illam, 65.

illam, debet priùs ſtatuere concluſionem ſuam, ſcilicet, id eſſe licitum. Et dum in hoc peccat, nihil proficit.

66. Peccat etiam in eo, quod paritas, quam affert deſumptam ex Matutino, importat ſecum euidentem diſparitatem, vt iam in ſolutione argumenti oſtendo.

Euidens diſparitas.

67. Reſpondeo ergo diſtinguendo antecedens. Licitè poteſt quis hodie poſt Veſperas recitare Matutinum craſtinæ diei, non ſolùm ratione conſuetudinis, ſed etiam, quia veſpertinum tempus reputatur pro tempore diei ſequentis, [ſcilicet propter vtramque rationem ſimul,] concedo; [propter vtramque rationem diuiſiuè,] nego. Patet diſtinctio ex argumento initio huius capitis propoſito. Vel ſic. Sed quia veſpertinum tempus reputatur pro tempore diei ſequentis [in ordine ad quoſcumque effectus,] nego; [in ordine ad effectum, qui præſupponitur eſſe licitus,] concedo. Quæ diſtinctio abundè patet ex hucvſque dictis. Et nego conſequentiam.

68. Ad probationem verò eodem modo diſtinguo antecedens. Tempus illud nocturnum, in quo quis cœpit recitare officium hodiernum trahit ad ſe partem aliquam diei ſequentis, [ſi præſupponatur, eſſe licitam & validam recitationem eiuſmodi poſt mediam noctem,] concedo; [ſi non præſupponatur, eſſe licitam & validam,] nego. Nam vt dicas, veſperam trahere ad ſe diem ſequentem in ordine ad recitandum Matutinum, præſupponere debes conſuetudinem, vel alium titulum, ratione cuius ſit licita ea recitatio. Et vt dicas, veſperam trahere ad ſe diem ſequentem in ordine ad recitandam Primam, debes præſupponere conſuetudinem, vel alium titulum, ratione cuius ſit licitum recitare Primam veſpere antecedenti: quia nunquam tempus antecedens trahit ad ſe tractum temporis ſubſequentis in ordine ad aliquem effectum, niſi præſupponatur, effectum eſſe licitum, aut validum, vt conſtat ex hucvſque dictis.

69. Gloſſa, quam affert *in cap. Quod à Patribus, diſt.* 75. non modò non ſuffragatur eius aſſertioni, ſed planè aduerſatur. Nam in prædicto capite, *Quod à Patribus*, ſecundùm quorumdam intelligentiam, quam ſequitur ipſe Leander *part.* 2. *tract.* 8. *diſp.* 6. *quæſt.* 8. dicitur, quod Ordines conferantur initio noctis Sabbathi ante Reſurrectionem, vel ipſo mane dominicæ Reſurrectionis. Gloſſa autem addit: [Alij dicunt, quod omnes Ordines Sabbatho conferuntur, & dicunt, quod mane Dominicæ dies potiùs *trahitur ad veſperam præcedentem, quàm veſpera ad mane.* Et ita ſiue conferantur veſpere in Sabbatho, ſiue in mane ſequenti, ſemper fictione canonica conferuntur in Sabbatho.]

Gloſſa aduerſatur ſententiæ Leandri.

70. Itaque ſecundùm hanc intelligentiam, quia Ordines conferri debent in Sabbatho, ſi poſtponantur & celebrentur in mane Reſurrectionis, illud mane Dominicæ trahitur ad Sabbathum; quia tempus illud Matutinum Dominicæ reputatur pro veſpere Sabbathi, in quo ſolebant Ordines celebrari. Ad rem ergo: Si non liceret celebrare Ordines die Dominica, numquid tempus matutinum Dominicæ traheretur fictione canonica ad Sabbathum? Minimè: ergo vt tempus matutinum Dominicæ trahatur ad veſperam Sabbathi, præſupponi debet, quod licitum eſt Ordines celebrare eo mane diei Dominicæ: ergo non trahitur vnum tempus ad aliud, niſi præſupponatur, quæ fiunt in vno tempore, licitè poſſe poſtponi, vel anteponi in alio tempore. Ergo tempus immediatè antecedés ad mediam noctem non poteſt trahere ad ſe horam ſubſequentem in ordine ad finiendum officium poſt mediam noctem, niſi præſupponatur, quod eſt licitum finire illud modo dicto poſt mediam noctem. Probet ergo priùs Leander, licitum eſſe finire officium poſt mediam noctem, & tunc poterit aſſerere, quod tempus antecedens trahit ad ſe horam ſubſequentem. Malè ergo probat, dum ponit antecedens, ad quod eſt neceſſarium præſupponere concluſionem, quam debebat probare.

Et hinc patet, eodem defectu laborare fundamentum quintum, quod deſumit ex prædicta materia gloſſæ proximè relatæ, videlicet, quod quando celebratio ordinationum pertingit ad mane Dominicæ ſequentis, fictione iuris illud mane trahitur ad Sabbathum. Quod ſatis ſuperque manet impugnatum, & euerſum. 71.

Sextum fundamentum Leandri eodem vitio laborat. Quod ſic proponit. [Probabile, & ſatis, eſt, vt diximus *diſp.* 6. *quæſt.* 8. quod ille, qui complet ætatem ad Ordines requiſitam hora tertia, aut quarta poſt meridiem, poſſit licitè eadem die mane recipere Subdiaconatum, &c. *eo quod*, vt diximus, in dicto caſu veſpera diei trahitur ad mane, & morali continuatione, qui ſic ordinatur, ordinari dicitur in anno vigeſimoſecundo, vel vigeſimotertio conſtitutus: ergo etiam erit probabile dicere, quod ille, qui incepit officium diuinum hora vndecima noctis, v.g. Sabbathi, & ſine interruptione recitando finit illud poſt mediam noctem mane Dominicæ, dicatur recitare totum in die Sabbathi, in qua illud recitare cœpit; cùm in hoc caſu etiam poſſit dici, quod mane Dominicæ trahatur ad veſperam diei Sabbathi, in qua cœptum fuit; & quod morali continuatione in ipſo totum officium recitari dicatur, & conſequenter adimpleri præceptum.] 72.

In quo argumento patet ex dictis, negandam eſſe cauſalem denotatam ea particula, *eo quod*. Conſtat enim eſſe falſum, ideo illum poſſe ordinari mane, quia mane trahat ad ſe veſperam; nam ſi præſupponatur aliunde, ſiue ex alia ratione, licitum eſſe ordinari eum, illo mane, illud mane trahet ad ſe veſperam; & ſi præſupponatur illicitum, illud mane non trahet ad ſe veſperam. Ita ſi ex ratione paruitatis materiæ, aut ex alio titulo licitum eſſet, eum ordinari biduo, aut triduo ante ætatem completam, etiam veſpera illius diei complentis ætatem traheretur ad initium illius bidui, aut tridui. Quare? Quia præſuppoſito, quod eſſet licitum recipere Ordines initio eius tridui, initium eius tridui reputaretur tempus implendi ætatem. Numquid in quæſtione, [an initio eius bidui poſſit quis ordinari?] eſſet legitima hæc argumentatio? [Initium bidui trahit ad ſe veſperam completiuam ætatis: ergo poteſt quis ordinari biduo ante completam ætatem;] Peſſima eſſet argumentatio. Reſponderes enim: Proba mihi, quod liceat ordinari biduo ante completam ætatem; & tunc concedam, quod initium eius bidui trahit ad ſe veſperam completiuam 73.

Quare qui implet ætatẽ hora 3. veſpertina, poſſit ordinari eo mane?

pletiuam

Digitized by Google

pletimam ætatis. Idem & ego reſpondeo. Proba mihi priùs, illum poſſe ordinari in illo mane [vel quia parum pro nihilo reputatur, vel ex paruitate materiæ, vel aliàs;] & tunc libenter concedam, quod mane illud trahit ad ſe veſperam. Atque ita fit, quod quando dicis, quod manę illud trahit ad ſe veſperam ætatis, præſupponis, eſſe licitum, illum recipere Ordines eo mane: ergo malè probas concluſionem per id principium, ad quod ſtatuendum neceſſarium eſt præſupponere concluſionem ipſam.

CAPVT VII.

Tertium fundamentum euertitur.

74. HIs verbis proponit tertium argumentum. [Tertiò id probo à ſimili. Quia etiam datur præceptum, ne quis dicat Miſſam poſt meridiem (vt ex communi probat Francolinus *de Hor.canon.c.*41.*n.*1.) Et tamen licitè expectare poteſt ad illam incipiendam, vſque, paulò minùs, ad meridiem; etiamſi præuideat, ſe eam non poſſe finire, niſi poſt meridiem, vt praxis, & communis Doctorum, apud Henriquez *lib.9.c.*24. docent: ergo ſic etiam quamvis detur præceptum recitandi officium diuinum à media in mediam noctem, ſeu (quod in idem redit) quamvis detur præceptum, ne officium diuinum hodiernum poſt mediam noctem differatur, poterit nihilominus quis, ſaltem abſque graui culpa, vſque ad mediam noctem paulò minùs differre, & tunc incipere officium, & abſque interruptione complere illud poſt mediam noctem.]

75. *Varia ſententiá circa horã, ad quam prorogari poteſt inchoatio Miſſæ.* Hoc argumentum etiam leuiſſimum eſt. Pro cuius criſis ſuppono primò, magnam eſſe varietatem ſententiarum circa tempus, ad quod prorogari poteſt celebratio Miſſæ. Multi enim aſſerunt, poſſe ſaltem diebus ieiunij prorogari vſque ad Nonam, id eſt, vſque ad tertiam veſpertinam, alij id dicunt licere ſingulis diebus, alij verò, non poſſe generaliter prorogari, niſi vſque ad meridiem. Et hi etiam diſcordant circa punctum meridiei; alij enim addunt horæ quadrantem, alij duos, alij tres, alij horam integram; alij verò recurrunt ad commune tempus prandendi, quod habet latitudinem pro varietate regionum. Quæ omnia latè videbis apud Paſqualigum *tom.* 1. *de Sacrificio noua legis, quæſt.*411. Nec ſatis declarant Doctores, an tempus ita præfixum ſit in ordine ad inchoandam, an in ordine ad finiendam Miſſam.

76. *Grauis obligatio perficiẽdi Miſſam ſemel inceptã.* Suppono ſecundò, eſſe grauem obligationem perficiendi Miſſam ſemel inchoatam, etiamſi inchoata fuerit extra tempus debitum, quamvis nulla fuerit obligatio illam inchoandi. De quo vide eundem Paſqualigum *tom.*1. *quæſt.*188. In quo maximè differt ab officio canonico. Nam qui ſine obligatione recitandi inchoat officium canonicum, non tenetur illud complere; ſed in qua parte voluerit, poterit ſiſtere.

77. Suppono tertiò, quod infertur ex præcedenti, aliud eſſe habere obligationem perficiendi ſacrificium, ſi ſemel eſt inchoatum; & aliud adimplere præceptum Miſſæ. Et ita qui in die feſto inchoaret Miſſam tempore indebito, ſcilicet quatuor minutis ante mediam noctem, teneretur perficere Miſſam; ſed tamen non impleret præceptum diſiunctiuum, quod habet dicendi, vel audiendi Miſſam. Quod ſecundum licèt negare velit Leander, id erit ex fundamentis, quibus admittit, poſſe recitari officium incipiendo ante mediam noctem & finiendo poſt illam. Quæ fundamenta omnia leuia eſſe conſpicies. *Diſcrimen inter obligationem perficiendi Miſſã, & illam dicendi.*

His ſuppoſitis ego interrogo, an ſit aliquod punctum fixum, intra quod detur præceptum finiendi Miſſam, vel non ſit? Si dicas, dari punctum fixum, in quo Miſſa ex obligatione debeat eſſe terminata & finita, ſub reatu culpæ, v.g. cum primùm completur hora nona, argumentum militat contra te. Sicut enim non licet diſponere tempus Miſſæ, ita vt prorogetur finis Miſſæ vltra terminum fixum; ita non licebit prorogare officium & finem eius vltra terminum præfixum mediæ noctis. Si verò dicas, nullum eſſe punctum temporis, neque conſuetudine, neque lege præfixum ad finiendum ſacrificium, ſed ſolùm ad inchoandum, ecce diſparitas. Eſt enim conſuetudo in tota Eccleſia recepta tanquam obligatoria recitandi totaliter & integrè ante mediam noctem. Quod qui negare pergit quoad totalem & integram recitationem, hucvſque vidimus, eum abſque fundamento procedere. 78. *An ſit punctũ fixum, intra quod debeat finiri Miſſa?* Dilemma. Diſparitas.

Et quidem omnes Authores, qui ſcripſerunt ante Leandrum, teſtes ſunt in quæſtione de facto, nempe quod actualiter datur conſuetudo vniuerſalis recepta tanquam obligatoria recitandi integrè & totaliter officium ante mediam noctem; nam conſuetudine nixi omnes negant. De conſuetudine autem finiendi Miſſam ante tale punctum temporis determinatum, non conueniunt Authores: ergo ab vno ad alterum ſumma eſt diſparitas. 79.

Dices, vt ſit probabile, quod Miſſa non poteſt dici vltra tale tempus, ſufficit, quod aliqui Authores ſint teſtes talis vel talis conſuetudinis: ex hac autem ſententia probabili poſſumus aliam probabilem à paritate deducere. 80.

Hæc tamen reſponſio non eſt ad rem. Aſſigna enim ſententiam probabilem, quam volueris de termino, vltra quem non poteſt prorogari Miſſa. Nam iuxta eam ſententiam ſimiliter inſtauratur argumentum. Nam ſi in hac ſententia aſſignatur terminus, vltra quem non poſſit finiri Miſſa, contra te militat ea ſententia. Sic enim ſimiliter media nox erit terminus, vltra quem non poſſit finiri officium. Si in hac ſententia non datur talis terminus, ecce diſparitas. Relege argumentum factum, & hinc facilè ſoluitur argumentum Leandri diuerſimodè iuxta varias ſententias de termino, vltra quem Miſſa prorogari non poteſt. 81.

CAPVT VIII.

Fit periculum de fundamento quarto, & ſeptimo eiuſdem ſententiæ.

ILlud ſic proponit Leander citatus. [Quartò... 82.
Nam vt habetur *in l.lecta, ff.ſi certum petatur,* &

Digitized by Google

An quæ in continenti fiunt, ineſſe videantur.

& *ad l. Iuliam, l. continuus, & alibi*, ea, quæ in continenti fiunt, ineſſe videntur, ſeu inſunt. Et ob hoc (*ob hoc? an ob ſacros canones ita præcipientes?*) inquit Francolinus *loco cit. num.* 34. qui ante meridiem cœpit Miſſam, debet eam poſt meridiem perficere: ergo officium diuinum cœptum ante mediam noctem, & poſt illam in continenti finitum, ineſſe totum ante mediam noctem dicitur: poterit ergo, qui illud ſic cœpit, finire, & adimplere præceptum; ſicut qui incepit Miſſam ante meridiem, poteſt poſt meridiem finire, eo quod incontinenti id fiat.]

83\. *Quàm periculoſum ſit, vniuerſaliſſimis Pandectarum regulis inniti?*

Hæc & ſimilia argumenta ex vniuerſaliſſimis regulis iuris deſumpta, periculoſa ſunt; patiuntur enim plurimas limitationes: & ſi eas in ſua vniuerſalitate accipere contendas, perges quidem non ſine periculo errandi, & in periculoſas alias conſequentias abeundi. Nam ſi ei poſitioni vniuerſali adiungas gloſſam *in §. recuperandæ, Inſtit. de interdictis. In continenti dicitur, quando commodè fieri poteſt*: poteris officium hodiernum ſeruare in craſtinum, quia cùm alliciat ſomnus, non poteſt commodè recitari immediatè poſt mediam noctem. Quod ſi in toto die ſequenti ſit incommoditas, numquid reſeruabis officium in tertium diem? Quia in continenti dicitur fieri id quod fit, quando commodè fieri poteſt. Quibus adiunge Baldum *lib. 5. conſil.* 34. *num.* 10. aſſerentem, quod *eadem die* factum, dicatur fieri in continenti. Item Baldum *ibidem*, & Caſtilion. *conſil.* 14. *num.* 7. & Hieronymum Tortum *conſilio ſuo poſt conſilia Butrij, num.* 16. apud Thuſcum *littera I. concluſione* 80. aſſerentes, quod *intra triduum* dicitur factum in continenti. Imò & *intra ſex menſes*, vt concedit Tortus *ibid.* & Bartolus *in l.* 3. *§. eum, ff. de vi, & vi armat.* Ecce barathrum, quò ducunt ſpeciales concluſiones vniuerſaliſſimis iuris ciuilis poſitionibus innixæ. Numquid poſt triduum implebis officium hodiernum? Sed quid poſt ſex menſes?

An inde inferatur, poſſe recitari officium hodiernum tertio die?

Vel intra ſex menſes.

84\. *Omnis regula generalis in iure eſt periculoſa.*

Ideò *in l. omnis, ff. de diuerſis regul. iuris antiqui*, dicitur, *Omnis definitio in iure periculoſa eſt: rarum eſt enim, vt non ſubuerti poſſit.* Nomine autem definitionis intelligit Gloſſa quamlibet regulam vniuerſalem iuris ciuilis. Et ita notauit Dinus in hanc legem his verbis: [Gloſſa. Intelligitur omnis definitio pro regula.] Verba, autem formalia Gloſſæ in eam legem, ſunt: [Sed hic dicitur (definitio) plurium rerum breuiter, ſiue ſummatim ſub regula facta traditio. Huiuſmodi autem definitiones ſunt periculoſæ, quia patiuntur exceptiones.] Periculoſum ergo eſt vti regulis vniuerſalibus iuris ciuilis, quia non ſunt vniuerſaliter veræ, quia patiuntur plurimas exceptiones, & limitationes; & rarum eſt, eas non ſubuerti limitationibus.

85\. Et quidem hoc periculum potiori iure reperitur in iis regulis iuris ciuilis, quæ fictionem iuris important; eo quod fictio iuris non eſt ad omnes omninò effectus, ſed ad aliquos præcipuos, quos ipſæ leges plerumque determinant.

86\. Et in præſenti materia patet. Numquid iudex poſtquam tulit ſententiam, poteſt admittere in continenti nouum inſtrumentum probationis, vt virtute eius in continenti reuocet ſententiam latam? Quare enim non poterit, ſi ea, quæ in continenti fiunt, ineſſe videntur? Numquid celebrato contractu, aut ſi mauis, matrimonio, poterit alter reſilire; cùm in momento antecedenti poſſet? Cur non poterit, ſi quæ in continenti fiunt, ineſſe videntur?

Deinde ſi lex ſcripta indicens officium canonicum expreſſis terminis præciperet, vt finiretur officium ante mediam noctem, vtique non valeret ea regula vniuerſalis, nec ea fictio iuris per illam importata, vt concedit Leander in octauo argumento: ſed eundem effectum obligationis præſtat conſuetudo vniuerſalis recitandi integrè & totaliter officium ante mediam noctem, recepta in tota Eccleſia tanquam obligatoria, vtpote optima legis interpres, vt patet *ex cap.* 4. ergo contra hanc præualere non poteſt ea vniuerſalis regula, & fictio iuris per illam importata. 87.

Contra conſuetudinem obligatoriam non valet ea regula.

Ad hoc fundamentum reduci poteſt alius textus, quem affert Leander, dum reſpondet ad obiectiones, quas proponit Narbona, deſumptas etiam ex regulis vniuerſalibus iuris ciuilis, quæ propterea non multùm vrgent Leandrum. Illud quidem eſt ex *l. filiusfamilias, & l. ex eo, ff. de teſtament. milit.* Prima enim lex his verbis ſtatuitur: [Filiusfamilias equeſtri militia exornatus, & in comitatu Principum retentus, cingi confeſtim iuſſus, teſtamentum de Caſtrenſi peculio facere poteſt.] Vbi Gloſſa verbo *Confeſtim*, addit: [Habetur cinctus, qui ſtatim eſt cingendus: habetur perditum, quod ſtatim eſt perdendum.] Vnde hoc velut axioma vulgatum eſt inter Iuriſperitos, [Id quod de proximo eſt faciendum, pro facto habetur.] 88.

An habeatur cinctus, qui ſtatim eſt cingendus?

An habeatur pro facto, quod de proximo eſt faciendum?

Hæc tamen regula vniuerſalis parum probat, ſicut & præcedens. Et ideò Card. Thuſcus *littera A, concluſione* 83. *num.* 21. ait: [Declara, quia materia eſt brocardica, vt habeatur pro facto, quod de proximo debet fieri: quia non eſt ſemper verum, & ſunt infinita hinc inde exempla. Romanus *in l. admonendi, num.* 49. *de iureiur.*] Et *num.* 29. [Limita multis exemplis, quia imò de proximo accingendus non habetur pro accincto; & deſtinatio animi non releuat, quia imò deſtinatum non habetur pro impleto: & res non iudicatur ab eo, quod erit, ſed ab eo, quod eſt: & ideò materia eſt brocardica, vt dicit Felinus *cap. Cùm adeò, num.* 5. *& ſeq. de reſcriptis*, maximè *num.* 6. vbi allegat Alex. Aret. & alios. Et ideò diſcipuli, qui ſperant, ſe futuros Magiſtros, non gaudent priuilegio Magiſtrorum; & qui eſt futurus Religioſus, non gaudet priuilegio Religioſi. *Roman. d. conſil.* 237. *num.* 4.] Et *num.* 35. [Extende, quia *res non recipit determinationem ab eo, quod erit, ſed ab eo, quod eſt de præſenti.* Felinus *d. cap. Cùm adeò, de reſcriptis.*] 89.

Quàm parū fidendum ſit brocardicis?

Vide ergo, quàm fallacia ſint eiuſmodi brocardica, & quàm parum ſit illis fidendum ad ſpeciales aſſertiones confirmandas. Dicendum ergo eſt, eam regulam non valere, niſi in ſpeciali materia ab ipſo iure determinata. Et præcipuè cùm ſit fictio iuris, quæ vt dixi, non eſt ad omnes omninò effectus, ſed ad eos, qui in iure diſponuntur. Et ideò præfata lex ſuprà relata diſponit, filiumfamilias equeſtri militia exornatum, ſi ſtatim accingendus ſit, poſſe condere teſtamentum. Quod ſi lex ita non diſpoſuiſſet, non gauderet eo priuilegio militari, 90.

Non valet ea regula, niſi in ſpeciali materia.

Et ad effectus, qui in iure diſponuntur.

etiamſi

etiamſi de proximo eſſet accingendus, quia hæc ratio, quod de proximo accingendus habetur pro accinꝺo, ſolùm habet locum in eo priuilegio, quod ſpecialiter concedit ius.

91. Septimum fundamentem ſic proponit Leander. [Septimò, quia etiam datur præceptum annuæ confeſſionis, & adeò annexum anno, vt ſi completo quis non confiteatur, illud frangat; & nihilominus tamen poteſt quis ſaltem abſq; mortali, expectare vltimã horam, in qua finitur annus, & in illa incipere confeſſionem, eamque poſt finitam horam complere, & per hoc adimplere præceptum annualis confeſſionis, vt conſtat: (*Sed vnde conſtat? Numquid ex ſolo dicto Leandri?*) ergo ſimili modo quamvis detur præceptum recitandi officium in hac die, poterit quis abſque graui culpa expectare vltimam horam eius, ad illud incipiendum; & proſequendo abſque interruptione, finire ipſum in ſequenti hora alterius diei, & ſic adimplere præceptum recitandi officium.

92. *Peccat qui ſine cauſa non finit confeſſionem intra annum.*

Incertum per incertius probat Author in hoc argumento. Aſſero ergo, v. g. iuxta ſententiam eorum, qui annum vſualem, ſcilicet à Ianuario ad finem Decembris computant pro anno confeſſionis obligatoriæ; eum qui in poſtrema ſemihora eius anni confitetur, ſciens, non poſſe, niſi in multo maiori tempore confiteri, ſi id faciat ſine cauſa, violare præceptum. Et idem eſt de fine anni ſecundùm computationem cuiuſvis alterius ſententiæ. Nec inueni Authorem, qui oppoſitum doceat.

93. Dices. Annus pro confeſſione deſignandus non debet accipi phyſicè de momento ad momentum, ſed moraliter; & ita ſi quis confeſſionem ſuam incipiat tempore currentis præcepti, & finiat dimidiâ horâ poſt finem phyſicum anni, non videtur damnandus, niſi ab eo, qui velit nimium conſcientias ſtringere.

94. *Idem eſt argumentum, ſi anno naturali addas duos dies.*

Admitto, argumentationis gratiâ, quod iſte annus accipiatur moraliter, & non phyſicè. Et ex dictis *diſp.* 27. inſto denuò. Aſſigna finem iſtum moralem anni, & expone, quot horis, aut quot diebus conſtare debeat. Si addas duas horas, vel duos dies anno phyſico ſuperadditos pro fine morali, iterum redit quæſtio de vltima ſemihora illius bidui ſuperadditi; an in illa poſſit quis incipere confeſſionem, ſciens, ſe non poſſe intra illam perficere. Qui ergo non perficit confeſſionem intra terminum phyſicum anni, neque intra moralem ſuperadditum, præceptum violat. Nec valet reſponderi, eum finem moralem anni non eſſe duos dies naturales, ſed duos dies, plus minuſve. Hanc enim reſponſionem nugatoriam eſſe propter proceſſum infinitum, qui ex illa reſultat, ſatis demonſtratum eſt *prædicta diſp.* 27. *cit. cap.* 5.

95. Dices. Ergo ſimiliter poterit admitti, quod finis diei pertingens vſque ad mediam noctem, computandus ſit moraliter; atque adeò, quod addenda ſit illi aliqua pars temporis vlterior: ergo poterit finiri officium in ea parte temporis vlteriori poſt mediam noctem.

96. Sed qui ſic arguit, egreditur fines huius quæſtionis. Nam dato, quod diei moraliter computato addenda eſſet ſemihora pro fine morali, cùm illa pertineret ad diem antecedentem, inſtitueretur quæſtio, an quis poſſet incipere officium in iſta ſemihora, & finire illud poſt terminum phyſicum, & moralem diei. Aſſertio enim Leandri, quam debellamus, non loquitur de finiendo officio in die antecedenti, ſed in hora, quæ omninò pertineat ad diem ſequentem; & quæ ad reliquos omnes effectus computetur pro hora diei ſequentis.

97. *Quare mediæ nocti non addatur quid aliud pro paruitate?*

Ratio autem, quare diei non addatur poſt mediam noctem aliquod aliud ſpatium temporis pro fine morali, eſt quia etiam in æſtimatione prudentum vnus dies eſt poſt alium, nec pars vnius cum alio miſcenda eſt; eſſet enim ſumma confuſio, quod incipiat dies craſtinus, antequam deſinat dies antecedens. Ad hoc autem eſt neceſſarium ponere vnum momentum indiuiſibile, quod mediet inter vnum & alterum diem. Quod adeò verum eſt, vt etiamſi pro fine morali huius diei addenda eſſet & alia hora, cùm iſta non poſſet eſſe communis ſequenti, quia vnus dies eſt poſt alium, & non poteſt prudentia inuertere ordinem eſſentialem ſucceſſionis; fieret quod aſſignandum eſſet momentum indiuiſibile inter primam & ſecundam horam poſt mediam noctem; ita vt dies antecedens deſineret vnâ horâ poſt mediam noctem, & dies craſtinus inciperet horâ ſecundâ. Cùm autem vſus communis totius Eccleſiæ non ſic diuidat dies, ſed ponat terminum in ipſa media nocte, in eo termino finitur etiam moraliter dies antecedens, & incipit etiam moraliter dies ſubſequens.

98. *Ex cauſa poteſt differri confeſſio vltra annum.*

Dixi, peccare eum, qui differt confeſſionem poſt annum integrum, ſi id faciat ſine cauſa. Quia non deſunt graues Authores, qui aſſerunt, poſſe pœnitentem differre illam, ſaltem ex conſilio Confeſſarij, præcipuè ob vtilitatem ſpiritualem pœnitentis. Nam cùm confeſſio multa requirat pro diſpoſitione ſalubri, ſi perueniat pœnitens prope terminum, & indigeat maiori diſpoſitione, vel ad comparandam deteſtationem peccati, vel ad expellendam è domo occaſionem peccati, vel ad diſponendam reſtitutionem diu culpabiliter dilatam, quam expedit præmittere confeſſioni, oportebit, quod differat confeſſionem ad diem ſubſequentem, etiamſi iſte pertineat ad annum ſequentem, quin proptereà violet præceptum. Et hinc patet quàm leue ſit hoc argumentum ſeptimum Leandri.

CAPVT IX.

Quid proſit ei aſſertioni argumentum ab authoritate?

IN loco citato partis ſecundæ hanc ſuæ aſſertioni authoritatem adiungit Leander. [Illam docuit eximius Magiſter Baſilius Legionenſis *in tract. de Horis, cap.* 2. vt à viro fide digno, & docto audiui. Et ex noſtris ſapientiſſimi, & in Theologia morali verſatiſſimi Fr. Franciſcus à S. Iuliano, & Fr. Ludouicus à Conceptione, in noſtris Collegiis Salmantic. & Complut. digniſſimi Lectores.] 99.

Sed cùm Ioannes Martinez de Prado *tom.* 2. *cap.* 30. *quæſt.* 8. §. 7. *à num.* 69. eam aſſertionem 100.

Leandri

Leandri dixerit falſam omninò, & improbabilem,& contra omnes Doctores; ideò Leander *part. 1. in Decalog. tract. 8. diſp. 4. quæſt. 109.* reproducit eandem authoritatem eorum trium Theologorum.

101. Cui authoritati vt robur adiiciat, ex eo confirmat, quòd iuxta communem opinionem vnicus grauis Doctor conſtituat opinionem extrinſecè probabilem. Pro quo allegat Gloſſam *in cap. Capellanus, de feriis,* Abbatē, Syluestrum, Angelum, Nauarrum, Ioan. Sancium, Villalob. Sayrum, Dianam, Molfeſium, Paſqualigum, Coraſium, Cephalum, Rolandum, Decium, Solorzanum, Sotomaiorem, Verricellum, Marcum Serra, & PP. Thom. Sanch. Vaſquium, Henriquez, Valenciam, Filliucium, Reginaldum, Caſtro-Palaum, Sà, & Tannerum, & Amadæum Guimenium. Et addit: [Igitur ad efficiendam meam ſententiam probabilem, ſaltem ab extrinſeco, ſufficeret authoritas Baſilij magni Legionenſis. Quid ſi tanto viro adiiciam alios duos,] &c. ſuprà citatos.

102. *Quàm incertū ſit ſuffragium Legionenſis?*

Circa quod in primis aſſero, ſi conſtaret, hanc ſententiam eſſe Baſilij Legionenſis, illum quidem non leue pondus allaturum in trutina probabilitatis. Video tamen id eſſe incertum. Non vidit Leander in manuſcripto Baſilij, ſed audiuit à quodam viro fide digno, & docto. Non ſolùm docti, ſed Doctores errant ſæpiùs in citationibus, attribuuntque aliis ſententias, vel quas non affirmant, vel quarum oppoſitas expreſsè tuētur. Cuius rei alio teſte non indigeo, quàm ipſo Leandro, qui tertio quoque folio huius generis errata ſollicitus corrigit. Nec immunis eſt ipſe Leander ab hac culpa, qui, vt fert humana incuria, aliquibus Authoribus attribuit opiniones, quarum oppoſitas expreſsè tuentur. Vide *diſp. 18. n. 115.* & *diſp. 50. n. 160.* Si ergo Authores, qui vt ſcribunt ad publicam vtilitatem, ita curioſa indagine ſcrutantur Authorum ſententias, plerumque non referunt fideliter, nec certos nos reddunt de fideli citatione Authorum; quomodo ſecura certitudine credemus ei, qui verbo tenus citauit Baſilium? In quo potuit eſſe multiplex æquiuocatio, vel quia per tranſennam legebat manuſcriptum Baſilij: vel quia cùm Baſilius fulciret rationibus apparentibus eam aſſertionem vt impugnaret, ille vir doctus legebat ſolùm eam periodū, quæ pro aſſertione agebat, non impugnationē ſubſecutam: vel quia, quod plerumque accidit, id manuſcriptum inſcribebatur nomine Baſilij Legionenſis, cùm eſſet alienum, vel fortè alterius Baſilij.

103. *Quàm malè intelligatur ſententia de vno Authore ſufficiente ad probabilitatē.*

Quod addit de vnico Authore dante extrinſecam probabilitatem opinioni ex ſententia eorum viginti nouem Scriptorum, tacitè videtur afferre pro ſe ipſo, qui pro doctrinæ ſuæ præſtantia poſſit dare probabilitatem huic aſſertioni. Sed in primis quamplures ex iis Authoribus non dicūt abſolutè, vnum Authorem poſſe conferre probabilitatem aſſertioni, ſed vnum Authorem firma ratione munitum. Vbi autem eſt firma ratio, ne vnum quidem Authorem deſidero. Iuxta quæ dicam, id in præſenti quæſtione non verificari; conſtat enim ex dictis, nullam rationem pro ea aſſertione allatam eſſe, niſi fallacem, vel infirmam.

104. Deinde illi ipſi Doctores, qui affirmant, ſufficere vnicum Authorem ad probabilitatem opinionis, poſteà inter diſputandum quæſtiones, vel varias limitationes addunt, quas ex illis congeſſi *in diſp. 11.* omninò videnda. Et ex ibi dictis conſtat, P. Thomam Sanchez, qui pro hac vnius Doctoris authoritate ſcribit *lib. 7. de matrim. diſp. 27. n. 21.* pro quadam aſſertione refert decem Authores, & nihilominus eam cenſet certò falſam. Implicat autem contradictionem, aliquam ſententiam eſſe certò falſam, & probabilem, vt ex terminis euidens eſt.

105. *Multos citat Leander pro opinionibus, quas cenſet improbabiles.*

Cuius rei teſtes non deſidero, cùm nullus teſtis locupletior inueniatur, quàm ipſe Leander, qui tertio quoque folio cùm citet plures Authores pro aſſertione, oppoſitam dicit certiſſimam: implicat autem contradictionem, è duabus aſſertionibus oppoſitis vnam eſſe certiſſimam, & oppoſitam probabilem. Quod euidenter patet tum ex terminis, tum ex demonſtrationibus à me propoſitis *diſp. 4. à num. 6.*

106. Vide Leandrum *part. 1. tract. 9. diſp. 5. qu. 12.* referentem ſeptem Authores, qui dicunt matrimonium conſummatum diſſolui poſſe per Religioſam profeſſionem, ſaltem authoritate Romani Pontificis. Cuius oppoſitum dicit certiſſimum, & meritò. Item *part. 1. tract. 5. diſp. 10. q. 13.* refert duodecim Authores aſſerentes, non violare ſigillum, qui reuelat peccata perpetranda à pœnitente, quorum notitiam comparauit ex eius confeſſione. Cuius oppoſitum, & meritò, dicit certiſſimū. Item *part. 2. tract. 9. diſp. 12. q. 8.* refert vigintiquinque Authores aſſerentes, iure naturæ eſſe irritum matrimonium in gradibus prohibitis *Leuitic.* 18. Cuius oppoſitum iure merito dicit certiſſimum. Vide prolixam ſeriem locorum Leandri, quam texui *diſp. 11. c. 8.* in quibus quamplures Authores citat pro aſſertionibus, quarum oppoſitas affirmat certiſſimas: ex quo manifeſtè fit, illas eſſe improbabiles, quamvis tot pro illis Authores producat.

107. Quomodo ergo componendum eſt, quod vnus Author ſufficiat ad probabilitatē, & quod in tali quæſtione determinata non ſufficiant vigintiquinque, niſi affirmando, illud primū verum eſſe, cùm tales, & tales conditiones cōcurrūt. Eas latè propoſui *diſp. 11. cit.* Sufficiet ergo vnus Author ad hanc determinatā aſſertionem A, ſi oppoſita non fuerit certa, ſaltem euidentiâ morali, contra quam neque vigintiquinq; Authores militāt; ſi non conſtat, hāc aſſertionem A, ſophiſmate, æquiuocatione, aut leui fundamento inniti; ſi non conſtat, eam eſſe antiquatam; ſi Author non dixerit alia improbabilia; ſi non ſit merus ſummiſta, & compilator; ſi non tranſcribit ex aliis, addito ſolùm ſtylo dicendi; & ſi quæ ſunt aliæ limitationes, quas ea diſp. cit. fuſiùs proſecutus ſum. Quæ omnes vno verbo claudūtur, dum aſſero, vnū Authorem omni exceptione maiorē ſufficere ad probabilitatem. Cùm ergo *ex c. 4.* conſtet oppoſitā aſſertionem eſſe certam, & ex reliquis capitibus cōſtet, fundamenta pro aſſertione Leandri adducta, illa quidem vel fallacia eſſe, vel leuia; conſtat, vnum vel alterum Authorem præiudicare non poſſe certitudini communis ſententiæ.

108. *An dent probabilitatem, qui ſcripta non ediderūt in lucem?*

Quod attinet ad duos alios Theologos, qui ſcripta ſua non emiſerunt in lucem publicam, vide quæ diximus *diſp. 11. c. 15.* Nam ex ibi dictis conſtat, eos, qui ſcripta ſua non ediderunt in lucem, non habere authoritatem publicam ad probabilitatem conferendā, ſed ſolùm priua-

Digitized by Google

tam pro iis oppidis, aut vrbibus, in quibus præſtantia doctrinæ eorum perſpecta eſt. Nam qui neſcimus, quãta fuerit eis præſtantia doctrinæ, quomodo ex dictis eorum poterimus conſulere conſcientiis noſtris? Fortè pares erunt Suario ij duo Theologi, ſed non ſufficit magnitudo doctrinæ, niſi vbi ea cognita eſt. Qui autem ſua ſcripta typis dederunt, cum libris miſerunt teſtimonium ſufficientis, vel inſufficientis doctrinæ. Quod ſi inter eos, qui in publicum ſcripſerunt, non omnes addunt probabilitatem, quales ſunt, qui ex aliis tranſcribunt, qui non diſcutiunt vtrimque rationes concluſionum, &c. eos, quorum ſcripta non viderunt exteræ prouinciæ, quomodo poterunt hæ diſcernere, ad quam claſſem ſcriptorum pertineant, & an ſint reponẽdi in claſſe eorum, qui tranſcribunt, vel eorum, qui compilatores audiũt, vel potiùs in eorum claſſe, qui pleno propriæ doctrinæ alueo influunt in orbem litterarium. Dum ergo latent eorum ſcripta, non poſſunt afferre probabilitatem publicam. Quæ omnia *ea diſp.* 11. vberiùs expoſita & confirmata ſunt, ſicut & alia, quæ huic veritati obſiſtere poſſunt. Vide etiam quæ *ibid. cap.* 12. diximus in confirmationem huius doctrinæ ex oraculo Alexandri VII.

TRACTATVS V.
DE CASTITATE, ET EIVS VOTO.

DISPVTATIO XXXVI.

An votum caſtitatis religioſæ extendatur ſolùm ad fugiendos actus conſummatos luxuriæ?

CAPVT PRIMVM.

Quid in hac quæſtione inſinuauerit Caramuel?

1. QVæstio hæc inſtituitur de voto caſtitatis religioſæ, ſiue ſolemni, ſiue ſimplici; imò de voto ſimplici caſtitatis non religioſæ (id eſt, emiſſo extra ſtatum Religionis) abſoluto, & perpetuo. Nomine autem actus conſummati intelligitur ille, vbi interuenit voluntaria ſeminis effuſio, ſiue intra, ſiue extra vas.

2. Igitur Caramuel in quæſtione præſenti, quamvis aſſertiuis terminis non tueatur partem quæſtionis affirmantem, tamen eius probabilitatem inſinuare videtur, & pluſquam inſinuare. Nam *diſp. 66. in Regul. num.* 980. hæc habet: [Eſt igitur caſtitas virtus ſpecialis circa venerea, vt conſtat ex D. Thom. *quæſt.* 151. *art.* 2. Et iuxta eundem Angelicum Doctorem *quæſt.* 143. differt à pudicitia, quòd pudicitia ſit præcipuè circa ſigna venereorum, vt ſunt tactus, oſcula, & huiuſmodi; caſtitas verò circa veneream commixtionem. Quæ eſt diſtinctio valde notanda; erit enim vtilis ad plurium difficultatum ſolutionem.] Aduerte, quantum deſideret Caramuel notari eam diſtinctionem, & attentè inſpice, quarum difficultatum ſolutioni proſit.

3. Addit *num.* 982. hæc verba: [Voto ſolemni monachus promittit (expreſsè, ſeu implicitè, de quo non ago) caſtitatem: pudicitiam non vouit directè.] Vide, quid inferatur ex his duabus præmiſſis: [Caſtitas verſatur circa veneream commixtionem; & pudicitia circa ſigna venereorum, oſcula, tactus, &c. Sed Religioſus vouit caſtitatem, & non vouit directè pudicitiam.] Recta Dialectica hanc neceſſariam conſequentiam infert: [Ergo Religioſus vouit abſtinere à venerea commixtione, & non vouit directè abſtinere à ſignis venereorum, oſculis, tactibus, &c.] *Caram. ponit præmiſſas, vnde euidenter infertur pars affirmatiua quæſtionis.*

4. Noluit Caramuel elicere hanc conſequentiam abſolutè, etſi abſolutè inferatur ex præmiſſis, quas poſuit; ſed ſolùm conditionatè *n.* 996. hoc tenore verborum. [Si vera eſſet ſententia diſtinguentium inter caſtitatem & pudicitiam; ita vt illa actum venereum, iſta oſcula & tactus reſpiciat, dicendum eſſet, per oſcula, amplexus, & tactus non perdi caſtitatem, ſed pudicitiam. Hæc voto non eſt firmata, ſed illa.] Nota, quod ſuprà dixit Caramuel, Religioſum non vouere directè pudicitiam: modò abſtulit aduerbium *directè*, & abſolutè ait, non vouere pudicitiam. Nota etiam, quod non dixit, *ſi probabilis eſſet*; ſed, *ſi vera eſſet ſententia*. Item dum vocat ſententiam, & iuxta illam diſcurrit, quantum ſuffragatur probabilitati eius.

5. Subdit immediatiſſimè poſt verba relata: [Vnde ſi in illis tactibus eſſet periculum commixtionis, eſſet periculum violandæ caſtitatis, non violatio: quod ſi ſequeretur commixtio, tunc de facto violaretur ipſamet caſtitas.]

Digitized by Google

caſtitas.] Etiam in periculo commixtionis non vult, iuxta eam ſententiam, votum infringi.

6. *An tradat Caram. incompoſſibilia?*
Deinde immediatiſſimè adiungit: [Citant D.Thomam *quæſt.* 151. *artic.* 2. quem videntur non intellexiſſe.] Confer, quæſo, hæc verba cum priori textu relato *num.* 3. & vide, an componantur inter ſe. Iuxta hunc textum qui dixerunt differre caſtitatem & pudicitiam, quòd iſta circa ſigna venereorum, illa circa commixtionem veneream verſetur, videntur non intellexiſſe D. Thomam. Iuxta priorem textum ipſe Caramuel citat D. Thomam pro eadem diſtinctione caſtitatis & pudicitiæ, & non vtcumque citat, ſed tanquam doctrinam commendabilem, *& valde notandam*, tanquam *vtilem ad plurium difficultatum ſolutionem.* Neque enim doctrina improbabilis vtilis eſt ad plurium difficultatum ſolutionem, vt & ipſe Caramuel notauit contra Dianam *in Theolog. fundament. numero* 1756. *fundament.* 58.

7. Infero primò: ergo textus malè intellectus D. Thomæ continet doctrinam vtilem ad plurium difficultatum ſolutionem.

8. *An doctrina improbabilis ſit vtilis ad difficultatum ſolutionem?*
Infero ſecundò: ergo ſententia, quæ nullo alio fundamento nititur, quàm authoritate D. Thomæ, poſtquam reperitur, hanc authoritatem eſſe malè intellectam, adhuc eſt vtilis ad plurium difficultatum ſolutionem. Cuius oppoſitum manifeſtè concluditur. Etenim ſententia, quæ non eſt probabilis, non eſt vtilis ad difficultatum ſolutionem: ſed ea, cuius totum fundamentum eſt authoritas aliqua malè intellecta, conuincitur, nullum illi remanere fundamentum; atque adeò neque probabilitatem; cùm probabilitas conſiſtat eſſentialiter in eo, quod graui fundamento ducatur: ergo ea cuius totum fundamentum eſt authoritas malè intellecta, non eſt vtilis ad difficultatum ſolutionem.

9. Tertiò. Qui citant D.Thomam pro ea diſtinctione caſtitatis & pudicitiæ, videntur non intellexiſſe D. Thomam: ſed Caramuel in priori textu citat D. Thomam pro ea diſtinctione caſtitatis & pudicitiæ: ergo Caramuel videtur non intellexiſſe D.Thomam. Sed hoc conſequens eſt falſum; Caramuel enim agnouit prauam intelligentiam textus D.Thomæ circa diſtinctionem caſtitatis & pudicitiæ, vt ex poſtremo textu relato patet. Et tamen maior & minor ſunt Caramuelis. In legitimo autem ſyllogiſmo malè componuntur præmiſſæ veræ cum conſequenti falſo.

10. Neque effugiet, qui dixerit, in priori textu loqui Caramuelem *de quæſtione* 151. D.Thomæ, & in poſteriori *de quæſtione* 143. Nam eadem, quæ habet D. Thomas circa pudicitiam & caſtitatem *in quæſtione* 143. habet etiam *in quæſtione* 151. & ſolùm eſt diuerſitas, quod in vno loco magis, in alio minùs rem explicet, vt conſideranti patebit.

CAPVT II.

Non eſſe probabilem partem affirmatiuam quæſtionis.

NOn cauſabitur Caramuel, quod affirmem eam partem non eſſe probabilem: tum quia non fatetur, ſuam eſſe eam ſententiam: tum etiam, quia ipſe impertitur arma, quibus probabilitas eius obtruncetur, dum dixit, non intellectam eſſe authoritatem D.Thomæ. Ex quo ita inſtauro argumentum. 11.

12. *An detur diſtinctio adæquata inter pudicitiam & caſtitatem.*
Ea opinio non eſt probabilis, quæ omninò caret fundamento: ſed pars affirmans omninò caret fundamento: non eſt ergo probabilis. Maior patet ex definitione opinionis probabilis. Minor oſtenditur. Totum fundamentum eſt authoritas Diui Thomæ conſtituentis diſtinctionem adæquatam inter pudicitiam & caſtitatem, & adſcribentis caſtitati ſolam commixtionem veneream: hoc autem fundamentum omninò corruit, eo quod Diuus Thomas id non aſſerat: caret ergo fundamento prædicta ſententia. Conſequentia patet, & maior eſt aduerſariorum.

13. *Quæ ſit mens D. Thomæ circa hoc punctum?*
Minor conſtabit, vbi conſtiterit, quàm alia ſit mens D. Thomæ. Et quidem *in* 1.2. *q.* 143. *art. vnic.* fundamentum dedit D.Thom. ad ponendam eam diſtinctionem inter caſtitatem, & pudicitiam, niſi alibi mentem ſuam expoſuiſſet. *In eo* itaque *artic. vnic. in corp.* hæc verba habet: [Oportet autem diuerſificare ſpecies virtutum ſecundùm diuerſitatem materiæ, vel obiecti. Eſt autem temperantia circa delectationes tactus, quæ diuiduntur in duo genera. Nam quædam ordinantur ad nutrimentum: & in his quantum ad cibum eſt abſtinentia; quantum autem ad potum propriè ſobrietas. Quædam verò ordinantur ad vim generatiuam; & in his quantum ad delectationem principalem ipſius coitus eſt caſtitas; quantum autem ad delectationes circumſtantes, putà quæ ſunt in oſculis, tactibus, & amplexibus, attenditur pudicitia.] In quibus verbis videtur ſuffragatus fuiſſe ei diſtinctioni.

14. *An pudicitia verſetur circa omnia venerea, iuxta D.Thom.*
Explicuit autem mentem ſuam Angelicus Præceptor *quæſtione* 151. *articul.* 4. cui hunc titulum præſcribit: [Vtrum pudicitia pertineat ſpecialiter ad caſtitatem?] Et *in corp.* ſic reſpondet. *Dicendum, quod ſicut dictum eſt, nomen pudicitiæ à pudore ſumitur, in quo verecundia ſignificatur: & ideo oportet, quod pudicitia propriè ſit circa illa, de quibus homines maximè verecundantur. Maximè autem verecundantur homines de actibus venereis* (nota, quomodo ſub pudicitia comprehendat omnes actus venereos tanquam materiam, circa quam verſatur) *vt Auguſtinus dicit* 14. *de Ciuit. Dei. In tantum quod etiam concubitus coniugalis, qui honeſtate nuptiarum decoratur, verecundiâ non careat.* (Ecce pudicitia verſatur etiam circa concubitum coniugalem: ergò non ſolùm circa ſigna commixtionis venereæ.) *Et hoc ideò, quia motus genitalium membrorum ſubiicitur imperio rationis, ſicut motus aliorum externorum membrorum. Verecundatur autem homo non ſolùm de illa commixtione venerea, ſed etiam de quibuſcumque ſignis eius.* (Ecce quomodo pudicitia

citia complectitur vtrumque) *vt Philoſophus dicit in 2. lib. Rhetoric. Et ideò pudicitia attenditur propriè circa venerea, & præcipuè circa ſigna venereorum,* (Iterum declarat, pudicitiam verſari circa vtrumque; præcipuè circa ſigna venereorum: ergo minus præcipuè circa alia venerea) *ſicut ſunt aſpectus impudici, oſcula, & tactus. Et quia hæc magis ſolent deprehendi, ideò pudicitia magis reſpicit huiuſmodi exteriora ſigna.* (Si magis reſpicit exteriora ſigna: ergo etiam reſpicit alia venerea. Deinde ſicut accidentale eſt pudori, quod magis deprehendantur ea exteriora ſigna; ita accidentale eſt pudori, quod magis reſpiciat talia ſigna.) *Caſtitas autem magis ipſam veneream commixtionem.* (Ergo ſi caſtitas magis reſpicit ipſam veneream commixtionem: ergo etiam reſpicit reliqua alia venerea, cùm *Magis* ſit correlatiuum ad *Minus.*) *Et ideò pudicitia ad caſtitatem ordinatur, non quaſi virtus ab ipſa diſtincta* (nota concluſionem correſpondentem titulo articuli) *ſed ſicut exprimens caſtitatis circumſtantiam quandam.* (Pudicitia ergo ſolùm eſt circumſtantia caſtitatis.) *Interdum tamen vnum pro alio ponitur.* Quid clarius?

An caſtitas verſetur circa omnia venerea, iuxta D. Thom.

15. Ex quibus fit manifeſtum, S. Thomam non conſtituere pudicitiam & caſtitatem quaſi virtutes adæquatè diſtinctas. Primò, quia expreſsè dicit, quod *Pudicitia ordinatur ad caſtitatem, non quaſi virtus ab ipſa diſtincta.* Secundò, quia dicit, pudicitiam eſſe circumſtantiam caſtitatis, ſiue, quod idem eſt, nomen *pudicitiæ* exprimere *caſtitatis circumſtantiam quandam.* Tertiò, quia docet, etiam pudicitiam extendi ad omnia venerea, & non ſolum ad ſigna venereorum, vt circa textum quinquies notaui.

16. Et ita explicat Caiet. *in hunc locum.* Vbi cùm obieciſſet ex Martino hoc argumentum: [Pudicitia eſt de illis actibus, de quibus maximè verecundamur: ſed homines magis verecundantur de actibus venereis, quàm de iis, qui ſunt ſigna venereorum: ergo pudicitia eſt magis circa venereos actus, quàm circa ſigna eorum.] Reſpondet. [Reſpondetur, quod *pudicitia* apud authorem *eſt circa vtraque*, ſcilicet ſigna & actum venereũ: & ſimiliter *caſtitas eſt circa vtraque.* Differẽtia ergo non eſt ex hoc, quod caſtitas verſatur circa actum, & pudicitia circa ſigna, vt prima & tertia obiectio ſupponit. Et propterea non oportet eas aliter ſoluere, quia ex hac falſa imaginatione procedunt. Sed differentia eſt, vt in littera dicitur, *in explicatione*: quia pudicitia *explicat magis* virtutem illam quoad ſigna.]

17. Et quod caſtitas verſetur generaliter circa omnia venerea, expreſſit S. Thom. *ibid. art.* 2. *corp.* vbi ait: [Nomen caſtitatis dupliciter accipitur. Vno modo propriè: & ſic eſt ſpecialis virtus, habens ſpecialem materiam, ſcilicet *concupiſcentias delectabilium, quæ ſunt in venereis.* Alio modo nomen caſtitatis accipitur metaphoricè,] &c. Vbi vides, quando S. Thom. aſſignat ſpecialem materiam caſtitatis, cum aſſignare pro tali ſpeciali materia generaliter omnes concupiſcentias delectabilium, quæ ſunt in venereis.

Caſtitas verſatur circa omnia venerea.

18. Et quidem dato, & non conceſſo, quod D. Thomas conſtituiſſet caſtitatem & pudicitiam tanquã virtutes diuerſas, adhuc nihil ſuffragaretur oppoſitæ parti; quia caſtitatem Religioſam non aſſignat D. Thomas ſub nomine *caſtitatis*, ſed ſub nomine *continentiæ*, vt patet *quæſt.* 186. *art.* 4. Cuius titulus eſt, [vtrum perpetua continentia requiratur ad perfectionem Religionis?] Et in corpore reſpondet: [Ideò continentia perpetua requiritur ad perfectionem Religionis, ſicut & voluntaria paupertas.] At *in quæſt.* 155. *art.* 2. materiam continentiæ aſſerit vniuerſaliter eſſe *concupiſcentias delectabilium tactus*: & ad quartum dicit, has concupiſcentias intelligi non delectationes ciborum, ſed venereorum. Vnde patet, quod ſecundùm D. Thomam caſtitas promiſſa in Religione non non eſt limitata, vt verſetur ſolùm circa delectationem coitus venerei, ſed generaliter circa omnia venerea.

Caſtitas religioſa ſignificatur à D. Th. nomine continentiæ.

Hæc extenditur ad omnes concupiſcentias delectabilium tactus.

CAPVT III.

Eſſe etiam improbabilem poſitiuè eandem partem affirmantem.

Non ſolùm non eſt probabilis ea ſententia de diuerſitate caſtitatis à pudicitia, verùm etiam eſt poſitiuè improbabilis, id eſt, certò falſa. Et primò quidem conſtat inter omnes, non vnam aut alteram partem caſtitatis promitti in Religione (excipe multas Religiones militares) ſed caſtitatem omnimodam, id eſt totum illud, quod ſub nomine caſtitatis propriè concluditur. Et ita P. Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 10. ait, eſſe *per ſe notum*, votum caſtitatis religioſæ, ſicut & Ordini ſacrò adnexum, eſſe *de tota materia caſtitatis.* Et *lib.* 9. *cap.* 2. *num.* 2. ait, eſſe certiſſimum, votum caſtitatis religioſæ ad omnem actum externum & internum terminari, vt referam *diſp. ſequenti, cap.* 10. vbi Thom. Sanchez, & plures alios Theologos dabo, ſcilicet ferè omnes, qui hoc punctum tetigerunt. Vide P. Pellizzarium *tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 3. *quæſt.* 1. 19.

Votum Religioſorum eſt de omnimoda caſtitate: & oppoſitum eſt improbabile.

Suarez.

Th. Sanch.

Pellizzar.

Secundò, licèt nomen caſtitatis poſſit habere varias vſurpationes, caſtitatem in Religione promiſſam accipiendam eſſe iuxta communem fidelium vſurpationem. Itaque dum quis in Religione vouet caſtitatem, ſe obligat ad ſeruandum quidquid ſub hoc nomine continetur, iuxta communem vſurpationem eius vocis. Patet, quia non eſt pro libito cuiuſque aſſignare materiam voti Religionis: ſed debet promittere iuxta propriam nominum ſignificationem. Propria autem ſignificatio eſt illa, quam tribuit communis acceptio vocabuli. 20.

Caſtitas religioſa accipitur iuxta cõmunem vſurpationem fidelium.

Certiſſima ergo concluſio eſt, caſtitatem religioſam, (idem dic de caſtitate annexa Ordini ſacro) verſari non ſolùm circa actus conſummatos, ſed etiam circa quaſlibet exteriores delectationes venereas. Hanc concluſionem affirmat tanquam certam Caramuel *in Theologia fundamentali, fund.* 51. *num.* 1409. vt conſtabit *cap. ſequenti.* 21.

Certum eſt, caſtitatem religioſam verſari circa omnes actus luxuriæ.

Hanc eſſe ſententiam D. Auguſtini, conſtat apertè *ex diſp. ſequenti.* Primò *ex cap.* 6. vbi patet iuxta D. Auguſtinum, caſtitatem verſari circa omnes actus venereos, etiam internos. Secundò *ex cap.* 9. vbi fit certum, Auguſtinum aſſerere expreſsè, votum caſtitatis violari etiam per actus impudicos internos: vnde à fortiori 22.

Eſt expreſſa ſententia S. Auguſtini.

ſecundùm

ſecundùm eiuſdem doctrinam colligitur, violari per actus impudicos externos. Argumentum enim à Diuo Auguſtino aſſumptum magis vrget in actibus impudicis externis.

23. *Communis vſurpatio caſtitatis facit euidentiã pro hac aſſertione.*

Pro cuius demonſtratione interrogo, an non ſit certiſſimum, votum ieiunij includere vnicam dumtaxat comeſtionem? Deinde ex quo capite proueniat hæc certitudo? Nullum eſt aliud, niſi, quod nomine ieiunij Eccleſiaſtici omnes intelligunt vnicam comeſtionem cum abſtinentia à carnibus. Vnde votum ieiunij obligare ad vnicam dumtaxat comeſtionem, eſt euidenter certum. Sed nomine caſtitatis religioſæ intelligunt omnes virtutem, quæ cohibet omnes delectationes venereas: ergo eadem euidentiâ certum eſt, votum caſtitatis obligare ad vitandum non ſolùm actum conſummatum venereum, ſed quaſcumque etiam eius generis delectationes. Conſequentia patet, quia omnes Religioſi dum permittunt caſtitatem, ſe obligant ad eam virtutem ſecundùm communem vſurpationem huius nominis: ſicut qui vouent abſolutè ieiunium Eccleſiaſticum, ſe obligant ad ieiunium ſecundùm communem ſignificationem, & vſurpationem vocis *Ieiunium*.

24. *In quæſtione de ſignificato vocum, communis ſententia facit euidentiam.*

Confirmatur. Nam vt oſtendi *diſputat.* 12. *cap.* 4. in illis quæſtionibus, quarum reſolutio dependet omninò à ſignificatione vocum, communis omnium, aut ferè omnium Doctorum ſententia facit euidentiam moralem: ſed hæc quæſtio, an caſtitas verſetur circa actus libidinis externos non conſummatos, omninò dependet à ſignificatione vocis *Caſtitas*: ergo in ea facit euidentiam moralem communis omnium, aut ferè omnium Doctorum ſententia. Sed communis omnium, aut ferè omnium Doctorum ſententia affirmat, caſtitatem verſari etiam circa actus libidinis externos non conſummatos; & nomine caſtitatis comprehendi virtutem, quæ hos etiam fugit: ergo eſt euidens moraliter, quod caſtitas terminatur ad fugiendos etiam actus libidinis externos non conſummatos. Vide cæteras huius argumenti confirmationes in *diſput. ſequenti, cap.* 10.

CAPVT IV.

Ex edicto Tribunalis Fidei promouetur certitudo ſtatutæ doctrinæ.

25. *Omnes aſſertiones in materia morum, hucvſque damnata ab Inquiſitione, ſunt improbabiles.*

Diſput. 9. *de Probabilit. cap.* 131. oſtendi, omnes propoſitiones in materia morum hucvſque in Indice expurgatorio damnatas à Sacro Fidei Tribunali Hiſpanico, eſſe improbabiles: non quia eius authoritas ſit infallibilis; id enim priuilegium ſolùm conuenit Romanæ Cathedræ; ſed quia maturiſſima conſultatione habita, ſemper applicarunt principium certum, vnde illæ ſunt improbabiles, vt inductione facta cuilibet conſtare poterit. Ex hoc autem capite oſtendo in præſenti, certam eſſe doctrinam quæ docet, votum caſtitatis religioſæ verſari circa quaſcumque delectationes exteriores, & non ſolùm circa actum conſummatum.

26. Quod ſic probatur. Si votum caſtitatis religioſæ non verſaretur circa tactus venereos, Religioſus, qui tactibus impudicis pollueret ſæcularem, non peccaret contra votum caſtitatis: atqui certum eſt, Religioſum ſic tangentem, peccare contra votum caſtitatis: eſt ergo certum, quod votum caſtitatis religioſæ verſatur etiam circa tactus venereos, & non ſolùm circa actus conſummatos. Conſequentia dialectica eſt: & maior euidens, quia nemo operatur contra votum, dum exequitur id, à quo non promiſit abſtinere.

Religioſus qui tactibus impudicis prouocauit laicum ad pollutionem, violauit votum.

27. *Oppoſita damnata eſt ab Inquiſitione.*

Minor probatur. Sacrum Fidei Tribunal Hiſpanicum ſub Card. D. Antonio Zapata Inquiſitore Generali in Indice expurgatorio an. 1632. & in Indice expurgatorio an. 1640. ſub D. Antonio Sotomaior, Inq. General. damnauit in Hieronymo de Llamas *Sum. part.* 3. *c.* 8. §. 16. & expungi præcepit hanc periodum: [Quando ſola mollities committitur tactibus profeſſi, vel in ſacris conſtituti, ſi patiens eſt ſæcularis, non tenetur dicere amplius, niſi, *Paſſus ſum voluntariè pollui tactibus alienis.* Neque in ſacris conſtitutus, vel profeſſus amplius tenetur dicere, niſi, *Tangens impudicè, alium pollui*: & ſi non ſit cognitus, non tenetur explicare, *Et ſum in ſacris*, vel *profeſſus*, aut *profeſſa Religionem*, vt de ſe liquet: quia ſacra perſona non eſt in tali caſu violata.] Cum ergo prædictum iudicium Inquiſitionis proceſſerit ex cognitione cauſæ, id eſt, cognoſcendo certitudinem oppoſitæ partis (ſtultum enim eſt aliter opinari de viris doctiſſimis, qui ante publicam damnationem rem examinant accuratiſſimè & lentiſſimo gradu) magnum argumentum eſt certitudinis huius doctrinæ.

28. *Meritò damnatam affirmat Caram.*

Et ideò Caramuel *fund.* 51. *n.* 1409. cenſuit, eam propoſitionem Hieronymi de Llamas eſſe improbabilem; & cenſuram Inquiſitionis Hiſpanicæ fuiſſe iuſtam. Ait enim: [Hæc verba (*Hieronymi de Llamas*) niſi limitentur, intolerabilia ſunt; & ideò eadem *meritò* ex huius Theologi ſumma expunxit Sancta Inquiſitio Hiſpanica.]

Vnde etiam colliges, Caramuelem apertè in eo loco declaraſſe mentem ſuam, videlicet non eſſe probabilem aſſertionem, quæ votum caſtitatis religioſæ trahit, & non extendit ad quaſlibet tactuum delectationes impudicas. 29. Quod amplius adhuc declarat *loco citato*, vbi cùm huc titulum præfigeret: [An Religioſus, qui tactibus polluit ſæcularem, peccet contra votum caſtitatis?] ſic reſoluit: [Caſui hoc modo propoſito facillima reſponſio dabitur ab eo, qui caſum aſſertiuè reſoluat: homo enim tangendo tangitur; nec poteſt non laſciuire, qui propriis tactibus prouocat ad laſciuiam. Hæc eſt veritas vnica, *contra quam nihil audiendum, aut dicendum* in praxi.] Qua vltima hemiperiodo planè ſignificat, eam partem non eſſe probabilem; cùm in ſententia Caramuelis, quidquid practicè probabile eſt, ſit audiendum, & docendum, vt ſæpiùs inculcat, & meritò.

Deinde *n.* 1412. amplius expoſuit per hæc verba: [Religioſus, qui ſe ad pollutionem, vel 30. ad laſciuam delectationem (nota *vel*) excitat, tangendo alterum, vel tactibus his delectatur (*nota etiam hanc ſecundam partem disiunctiua*) peccat contra promiſſam caſtitatem; & ideò in confeſſione non ſolùm debet explicare ſtatum perſonæ, quam polluit, ſed proprium etiam.]

etiam.] Et addit : [Et hanc puto concluſionem ab omnibus admitti debere.] putat ergo, oppoſitam non eſſe probabilem ; cùm opinio merè probabilis non ſit talis, vt ab omnibus admitti debeat, & ſola propoſitio certa ab omnibus debeat admitti, vt & ipſe Caramuel paſſim clamat, & iure quidem merito. Quare ſi *in comment. in Regul.* inclinauit in eam partem, quod probabilis eſſet ſententia, quod Caſtitas Religioſa non verſatur circa tactus laſciuos, ſed ſolùm circa actus conſummatos naturales, vel innaturales ; in hoc loco Theologiæ fundamentalis aperte reuocat, dum iam aſſerit, eam non eſſe probabilem.

31. Sed adhuc mihi lis eſt cum Caramuele in hoc loco Theologiæ fundamentalis. Nam *numero* 1411. cùm pro ea ſententia ab Inquiſitoribus damnata citaſſet præter Hieronymum de Llamas Moſcicenſem, Geſualdum, Graſſium, & P. Tamburinum (eſt longè diuerſum, quod in hac parte ait Tamburinus, nec negat votum caſtitatis religioſæ auertere à tactibus laſciuis) affert ex Diana *part. 9. tract. 8. reſolut. 65.* hæc verba : [Cautè legendi ſunt Tamburinus, Geſualdus, Graſſius, Moſcicenſis, Caramuel : & caueant in poſterum Authores hanc ſententiam in ſuis operibus ampliùs imprimere.] Quæ verba Dianæ Caramuel vocat *amariſſima*. Et addit intra parentheſin : [Llamas non ponit, quia dixerat eſſe ab Inquiſitionis ſancto Tribunali correctum.] Superaddit Caramuel : [Doceri volo duo. Alterum, quot ſint Authores ſufficientes, vt opinio aliqua cenſeatur probabilis ? Hæret enim hic animus, cùm videt ſex Authores citari, & nihilominus eorumdem expungi, & damnari ſententiam.]

32. *An ſibi contrarius ?* Et quidem ego neſcio componere hanc periodum cum antecedentibus ſuprà relatis. Etenim Caramuel diſertè aſſerit, vbi aſſertio eſt certa, neque centum Authores ſufficere ad probabilitatem partis oppoſitæ. Vide *apolog. de Probabilit. num.* 90. & *fundam.* 11. *num.* 430. *fin.* & *num.* 454. Deinde in textibus citatis, vt vidimus, prædictam opinionem Hieronymi de Llamas eſſe intolerabilem aſſeruit, & meritò expunctam à ſacro Tribunali ; & contra oppoſitam veram nihil audiendum, nihil docendum in praxi, & illam ab omnibus admitti debere : quod eſt dicere, hanc eſſe omninò certam, illam verò certò falſam. Si enim ipſe fatetur, illam eſſe intolerabilem, meritò damnatam, certò falſam, cur expoſtulat cum Diana, quòd dixerit, talem aſſertionem cautè legendam ? Numquid ſex Authores præualere poſſunt contra certitudinem, quam ipſe Caramuel aſſertioni adſcribit ? Numquid amariora ſunt verba Dianæ, dum dicit, eam aſſertionem cautè legendam ; quàm Caramuelis, dum dicit, eam eſſe intolerabilem, & à Sancta Inquiſitione expunctam ?

DISPUTATIO XXXVII.

An votum caſtitatis religioſæ verſetur circa actus internos luxuriæ ?

CAPUT PRIMUM.

Refertur ſententia Caramuelis.

COMMENTARIO *in Regul. diſput. 66. num.* 981. iterum inducit nouam pudicitiæ vſurpationem, per quam hæc virtus adæquatè differat à caſtitate, vt caſtitatem religioſam voto firmatam laxet, & eximat ab onere vitandi actus luxuriæ internos. Ita enim aſſerit : [Diſtinguitur etiam caſtitas à pudicitia, quòd illa ſit corporis, hæc animæ. Vnde Auguſtinus *contra Iulianum lib. 4. Pudicitia res eſt animæ, virginitas corporis. Denique illa integra in anima permanente, poteſt iſta de corpore ſibi violenter auferri : & cùm iſta integra manet corpori, poteſt illa in animo laſciua voluntate corrumpi.* Vt philoſopharis de virginitate, ita de caſtitate agere debes : quia monaſtica caſtitas eſt virginalis : & in hoc differimus à Religioſis Militibus, quoniam ipſi vouent coniugalem. Et *in libris de ciuitate*, Pudicitiam eſſe animæ, cui comes ſemper ſit fortitudo. Et *epiſt.* 22. ait : *Pudicitia vi nec in carne, nec in animo violari poteſt.* Non violatur in carne, in qua non conſiſtit : non in animo, qui cùm ſit liber, violentiâ non poteſt gubernari :] Hucvſque Caramuel. 1. *Caſtitatem verſari circa externa, pudicitiam circa interna.*

Ex quo principio infert concluſionem ſecundam *n.* 984. his verbis. [Intentio fornicandi, v.g. formaliter eſt contra pudicitiam, obiectiuè verò contra caſtitatem. Vnde qui habet talem intentionem, ſicut de facto non fornicatur, ſed vult fornicari ; ita de facto non perdit caſtitatem, ſed vult perdere : ac proindè ille actus non eſt ſacrilegium formaliter, ſed materialiter, hoc eſt, non eſt intrinſecùs ſacrilegium, ſed extrinſecùs & obiectiuè ; nimirum intentio committendi ſacrilegium.] Et poſt pauca : [Ex dictis conſtat, æqualiter peccare nouitium, qui habet intentionem fornicandi poſt profeſſionem, ac profeſſum ; quia ille actus totam malitiam deſumit ab obiecto : & ratio ſacrilegij non eſt ipſi forma, ſed terminus. 2.

Attende diligenter totum fundamentum huius doctrinæ, vt de eius probabilitate, vel improbabilitate iudicare poſſis. Quod his terminis circumſcribitur. Caſtitas differt à pudicitia, quòd illa reſpicit actus delectationum venerearum externarum ; pudicitia verò internarũ : ſed Religioſus caſtitatem vouet, non pudicitiam : ergo Religioſus ſolùm vouet abſtinere ab actibus delectationum externarum venerearum, non verò internarum. Minorem affirmat *num.* 982. his verbis : [Voto ſolemni monachus promittit (expreſsè, ſeu implicitè, de quo non ago) caſtitatem ; *Pudicitiam non vouit directè.*] Et *n.* 996. [Non perdi caſtitatem, ſed 3.

pudicitiam

pudicitiam. Hæc voto non eſt firmata, ſed illa.] Maior verò inde probatur, quòd ea ſit doctrina S. Auguſtini aſſerentis, virginitatem eſſe rem corporis, pudicitiam verò rem animi: & ſola voluntate perdi pudicitiam, non virginitatem. Caſtitatem autem & virginitatem pari gradu cenſeri, quia caſtitas, quam profitetur Religioſus in ordine monachali aut mendicanti, eſt caſtitas virginalis; in eo enim diſcriminatur à caſtitate, quam profitetur Religioſus militaris, quæ non virginalis, ſed coniugalis eſt.

CAPVT II.

Prædictam doctrinam improbabiliſſimè attribui Diuo Auguſtino.

4. CVm totum fundamentum eius doctrinæ nitatur ſola authoritate D. Auguſtini, operæpretium eſt examinare, an aliqua probabilitate attribuatur D. Auguſtino præfata differentia caſtitatis à pudicitia. Si enim conſtiterit, eam perperam attribui Auguſtino, totum fundamentum corruit. Corruente autem fundamento, probabilitatem cadere neceſſe eſt; cùm ex definitione opinionis probabilis manifeſtum ſit, eam non eſſe probabilem, quæ fundamento caret.

5. Et quidem magnæ molis erat, omnium, aut ferè omnium fidelium mentes ab ea communi exiſtimatione auertere, qua perſuaſum ſibi habent, omnimodam caſtitatem, quam vouent Religioſi, ad interiores etiam actus extendi, & circa internam luxuriam, tanquam circa materiam verſari: ideóque altius iaciendum erat fundamentum. Quare non poſſum non vehementer mirari, quòd tam leui flatu tantam molem author conatur extollere.

6. Enim verò meridiana luce clarius eſt, S. Auguſtinum non modò non dixiſſe id, quod illi tribuit Caramuël; ſed & apertè docuiſſe oppoſitum, tum in iis ipſis textibus, quos producit is Author, tum *in toto lib. 4. contra Iulianum.* Et certiſſimâ coniecturâ cenſeo, Authorem non legiſſe eum textum in ipſo Auguſtini libro: ſi enim in eo legiſſet cum antecedentibus & conſequentibus, vel tenuiſſet oppoſitum, vel clauſiſſet oculos meridianæ luci.

7. Sed antequam eos textus Auguſtini relegas, & cæteros alios à me producendos examines; præmittendum eſt, Iulianum Pelagij diſcipulum docuiſſe, concupiſcentiam carnalem, quæ concupiſcit aduerſus ſpiritum, & militat in membris humanis, eſſe quid bonum; & coniuges exactè ſeruantes legem matrimonij, eo bono vti bene; homines autem laſciuos & luxuriæ ſeruientes, eo bono vti malè. E contrà S. Auguſtinus eam concupiſcentiam, quæ ſpiritui aduerſatur, docet eſſe malam; cùm non poſſit eſſe bonum, quod inclinat ad malum. Quare homines luxuriæ ſeruientes docet eo malo vti malè; coniuges caſtos eo malo vti benè; continentes autem eo malo meliùs non vti.

Pelagianus aiebat, concupiſcentiā eſſe quid bonum, &c.

Auguſtinus, concupiſcentiam eſſe malam, &c.

8. Prætereà Auguſtinus docebat, vſum bonum huius mali eſſe donum Dei. E contra Iulianus impugnabat; eo quod iſte bonus vſus concupiſcentiæ reperitur in coniugibus, & in virginibus infidelibus, in quibus non poteſt dici, quod virginitas & caſtitas coniugalis ſit donum Dei. Cui reſpondebat D. Auguſtinus, quod licèt in infidelibus reperiatur virginitas carnis, aut lex coniugij non violata; non tamen pudicitia virginalis, nec pudicitia coniugalis, ſicut nec vera virtus placens Deo; nam ſine fide impoſſibile eſt placere Deo.

Auguſtinus, vſum bonum eius mali eſſe donum Dei. Contra licebat Pelagianus.

9. Præmittendum etiam eſt, duplici vſurpatione accipi virginitatem... Primò pro materiali integritate corporis, qua ratione non eſt virtus. Secundò prout eſt virtus, qua ratione eſt affectus ad pudicitiam corporis retinendam. Et aliquando etiam ſumitur pro affectu ad puritatem corporis & mentis conſeruandam.

Virginitas quandoque ſumitur pro integritate carnis; quandoque pro virtute.

10. Igitur in eo *lib. 4. cap. 8.* in eo textu priori allegato reprehendit Auguſtinus Iulianum propter duo. Primum, quòd dixerit, vſum bonum concupiſcentiæ repertum in coniugibus Chriſtianis non eſſe donum Dei, quia pudicitia coniugalis reperitur in idololatris. Secundum, quòd dixerit, eum non eſſe donum Dei, quia virginitas reperitur in idololatris. Attende ergo obſecro, & lentis oculis relege textum Auguſtini, quem integrum do. *Quid eſt autem, quod loqueris, nihil pertinere ad laudem gratiæ, ſi id donet ſuis, quod peccata impiis largiuntur?* (id eſt, non pertinere ad laudem gratiæ, neque eſſe donum Dei, ſi donet Chriſtianis eum bonum vſum concupiſcentiæ, quem inter peccata idololatriæ habent Gentiles.) *Propter pudicitiam ſcilicet coniugalem, quam tibi habere videntur & impij. Homo contentioſè, virtus donatur vera per gratiam, non quæ vocatur, & non eſt.* (Ecce reſpondet Auguſtinus non eſſe donum gratiæ eam, quæ vocatur virtus, & reverà talis non eſt.) *Vt quid autem pudicitiam, & virginitatem, quaſi eiuſdem generis iungis?* (Non enim ſunt eiuſdem generis: cùm prima ſit vera virtus, & ſecunda ſit materialis integritas corporis, ſcilicet ex communi modo vſurpandi nomen virginitatis.) *Pudicitia eſt res animi, & virginitas corporis.* (Ecce virginitas eſt materialis integritas corporis; pudicitia autem, vtpote virtus, pertinet ad animum.) *Denique illa integra in animo permanente, poteſt iſta de corpore violenter auferri.* (Si loqueretur de virginitate, quæ eſt virtus, falſa eſſet iſta propoſitio Auguſtini, quia virtus non poteſt violenter auferri, quantumvis auferatur integritas corporis.) *Et cùm iſta integra manet corpori, poteſt illa in animo laſciuia voluntate corrumpi. Propter quod ego non dixi, verum coniugium, ſiue viduitas, ſiue virginitas; ſed vera pudicitia, ſiue coniugalis, ſiue vidualis, ſiue virginalis dicenda non eſt, niſi quæ veræ fidei mancipatur.* (Nota, quod diſtinguit inter pudicitiam virginalem, & virginitatem; quia prima eſt virtus, & ſecunda eſt materialis integritas corporis. Item nota, pudicitiam coniugalem, quæ abſtinet ab omnibus, quæ ſunt illicita intra matrimonium.) *Coniuges enim, & viduæ, & virgines poſſunt eſſe, & pudicæ non eſſe; ſi contaminata voluntate mœchantur, ſi ſpiritu impuro ſtupra perpetranda decernunt.* (In prima parte, ſcilicet, *contaminata voluntate mœchantur*, videtur loqui de fornicatione reali, & illam referre ad coniuges, & viduas; nam ſecundam partem, *ſi ſpiritu impuro ſtupra perpetranda decernunt*, ad ſolas virgines referre poteſt. Et ita pudicitia ad

Qua ratione virginitas nō ſit virtus, nec donum Dei.

Qua ratione virginitas poteſt violenter auferri, non verò virtus.

Digitized by Google

externa & interna extenditur. Sed ſi velis vtramque partem ad ſolum deſiderium fornicationis referre, nihil obſtat; nam etiam ad externa extendi pudicitiam, inferiùs aſſerit: ad vtrumque enim extendi, certiſſimè conſtabit ex Auguſtino.) *In quibus tamen, &c. Quæ concupiſcentia malum non eſſet, ſi ſolâ generandi cauſa ad licitum concubitum moueretur. Nunc verò, cùm ei reſiſtit coniugalis pudicitia, limes eſt mali, & ideo bonum eſt.* Vides, quomodo coniugalis pudicitia reſiſtit concupiſcentiæ, dum abſtinet ab iis, quæ ſunt illicita etiam in coniugio: ergo reſiſtit abſtinendo ab externis. Quid eſt, quod pudicitia coniugalis ſit limes concupiſcientiæ, niſi quia permittit licita in coniugio, & interdicit omnia illicita? ergo etiam interdicit externa illicita. Sed paulò poſt euidentiùs declarat Auguſtinus, quomodo ad pudicitiam ſpectat abſtinere ab illicitis externis, verbis *num.* 17. referendis.

Pudicitia cõiugalis reſiſtit externis.

11. Ex quibus verbis patet primò, pudicitiam ſecundùm Auguſtinum non differre à virginitate, quæ eſt virtus, ſed à virginitate, quæ eſt materialis integritas corporis, cùm virginitas, quæ eſt virtus, non poſſit violenter auferri, vt in ſcholio textus notaui. Et ideò malè aſſeritur à Caramuele, quod virginitas, quæ eſt virtus, reſpicit tantùm externas voluptates venereas; cum non agat Auguſtinus de virginitate, quæ eſt virtus.

Pudicitia non differt à virginitate, prout hæc eſt virtus.

12. Deinde, quia ibi dicit, pudicitiam donari per gratiam, non verò virginitatem. Etenim cum dicit, pudicitiam & virginitatem non eſſe eiuſdem generis, loquitur de generibus immediatiſſimè ante allatis. Nam in verbis immediatè antecedentibus diſtinxit duo genera: aliud veræ virtutis, aliud eius, quæ ſolùm voce tenus eſt virtus, quorum primum donatur per gratiam, ſecundum non item. Et immediatè reprehendit Iulianum, quòd pudicitiam & virginitatem velit eſſe eiuſdem generis, cum ad diuerſa genera pertineant: cùm pudicitia pertineat ad genus veræ virtutis, virginitas autem (ſumitur enim pro materiali integritate corporis) non pertineat ad genus veræ virtutis, ſed eius dumtaxat, quæ voce tenus eſt virtus. Quibus ſi adiungas ea verba, *pudicitia eſt res animi, virginitas corporis*, manifeſtè conſtat, loqui de virginitate merè corporali: aliàs non eſſet ad rem reſpectu verborum antecedentium. Ad quid enim immediatè ante diſtinguit Auguſtinus duplex genus, aliud veræ virtutis, & aliud eius, quæ voce tenus eſt virtus, niſi vt explicet differentiam pudicitiæ & virginitatis? & vt aſſerat, aliam eſſe corporalem, & aliam eſſe rem animi: nam quæ corporalis eſt, voce tenus eſt virtus; quæ autem res eſt animi, eſt vera virtus. Quod euidenter confirmatur verbis ſequentibus iam perpenſis, quod virginitas poſſit violenter auferri, cùm vera virtus reuera non poſſit violenter auferri.

Quare pudicitia, & virginitas non ſint eiuſdem generis?

13. Itaque quo ſenſu dixerit Auguſtinus [pudicitiam eſſe rem animi, virginitatem corporis] patet ex tribus propoſitionibus, quas Auguſtinus coniunxit. Primâ: *Virtus donatur vera per gratiã; non quæ vocatur, & non eſt.* Secundam: *Vt quid autem pudicitiam & virginitatem quaſi eiuſdem generis iurgis?* Id eſt, perperam vtramque confundis? Tertiam: *Pudicitia eſt res animi, & virginitas corporis.* Quæ tres propoſitiones reddunt hunc ſenſum: [Pudicitiam & virginitatem malè confundis, quia pudicitia eſt res animi, eo quod eſt virtus vera donata per gratiam; & virginitas eſt res corporis, quæ vocatur virtus, & non eſt.

Ex tribus Auguſtini propoſitionibus collatis mens eius exponitur.

Præterea Auguſtinus inter virginitatem, & virginalem pudicitiam diſtinguit: *Propter quod ego non dixi, verum coniugium, ſiue viduitas, ſiue virginitas; ſed vera pudicitia, ſiue coniugalis, ſiue vidualis, ſiue virginalis:* ergo apertè diſtinguit inter virginitatem materialem corporis, & virginitatem quæ eſt virtus; iſtamque vocat pudicitiam virginalem, & illam vocat virginitatem. Cùm ergo dicit, virginitatem eſſe rem corporis, & pudicitiam rem animi, non loquitur de virginitate, quæ eſt virtus, ſed de virginitate, quæ eſt materialis integritas corporis: falſum ergo eſt id diſcrimen, quod intendit Caramuel, quod pudicitia ad interna, & virginitas virtus ad externa referatur; quandoquidem ex ipſo Auguſtino conſtat, eum non loqui de virginitate quæ eſt virtus. Quod etiam euidentiùs patet ex verbis paulò poſt ſubiectis in eodem capite octauo. *Nec in impiis (idololatris) inuenitur pudicitia virginalis, quamvis inueniatur virginitas carnis.* Ecce quo ſenſu virginitatem accipiat, nempe pro materiali. 14.

Differt virginitas à pudicitia virginali.

Patet ſecundò ex mente Auguſtini, pudicitiam extendi etiam ad fugiendas voluptates externas venereas. Primò, quia cum non ponat diſtinctionem inter pudicitiam & virtutem virginitatis, vt ex dictis conſtat; infertur, pudicitiam non limitari ab Auguſtino ad ſolas internas voluptates. Secundò quia aſſerit, amitti pudicitiam per externam fornicationem; *Et pudicitia non eſt, ſi contaminata voluntate mœchatur.* Vide ſcholium horum verborum: ergo pudicitiæ virtus non ſolùm verſatur circa voluptates internas, ſed etiam circa externas. Tertiò, quia virtutem pudicitiæ diuidit in coniugalem, vidualem, & virginalem: & poſteà ſubdit, pudicitiam coniugalem reſiſtere concupiſcentiæ, & eſſe limitem illius: neque enim pudicitia coniugalis aliter eſt limes concupiſcentiæ, niſi quatenus interdicit omnia ea, quæ coniugibus ſunt illicita. 15.

CAPVT III.

Pudicitiam, ſecundùm Auguſtinum verſari circa voluptates externas, demonſtratur.

EX multis locis operum Auguſtini demonſtrari poteſt, eum docuiſſe, quod pudicitia verſatur circa voluptates externas, quas ex proprio ſuo munere auertit; quia tamen Caramuel textum ſuum (de quo *cap. præced.*) produxit ex libro quarto contra Iulianum, ideo in hoc capite ex hoc ſolo libro quarto ferè omnes textus producam, quibus hæc veritas apertè demonſtretur. 16.

Et primò quidem demonſtro *ex eodem cap.* 8. & ex verbis, quæ ſubiicit Auguſtinus paulò poſt textum ſupra perpenſum. *Quid ergo quæris, vtrum in coniugibus Chriſtianis conuentus* 17.

(id

(id eſt, copulæ coniugalis) *voluptatem, pudicitiam, an impudicitiam nominem? Ecce reſpondeo: Non ipſa nominatur pudicitia, ſed eius mali vſus bonus, quo vſu bono fit, vt illud malum* (nempe concupiſcentia) *nec impudicitia dici poſſit. Impudicitia enim eſt eiuſdem mali* (nempe concupiſcentiæ) *vſus flagitioſus, ſicut pudicitia virginalis eiuſdem mali vſus nullus.* Ex quibus verbis patet, interrogaſſe Iulianum, an voluptas copulæ coniugalis dicenda eſſet pudicitia, an impudicitia? & reſpondiſſe Auguſtinum, eam voluptatem neutrum eſſe, ſed pudicitiam coniugalem eſſe concupiſcentiæ vſum bonum, impudicitiam eſſe concupiſcentiæ vſum flagitioſum; pudicitiam verò virginalem eſſe concupiſcentiæ vſum nullum. Patet ergo, quod pudicitia virginalis auertit, & fugit omnem vſum concupiſcentiæ: ergo etiam externum. Item, quod pudicitia coniugalis cùm ſit vſus bonus concupiſcentiæ, auertit omnem vſum flagitioſum: ergo etiam externum. Item quod impudicitia eſt quilibet vſus concupiſcentiæ flagitioſus: ergo etiam externus. Sed pudicitia & impudicitia circa eamdem materiam verſantur, alia fugiendo, alia proſequendo: ergo ſi impudicitia verſatur circa voluptatem externam proſequendo, pudicitia verſatur circa eam fugiendo.

Impudicitia eſt omnis vſus malus concupiſcentia.

Pudicitia virginalis auertit omnem luxuriam.

18. Demonſtro ſecundò. Nam *cap. 1. eiuſdem libri quarti*, ita docet: *Propoſitis ex meo libro verbis meis exultas, quòd teſte Apoſtolo dixerim, donum Dei eſſe pudicitiam coniugalem; quaſi proptereà laudauerit Apoſtolus malum* (nempe concupiſcentiam) *quod tu laudas, quo caro concupiſcit aduerſus ſpiritum; quo malo vtitur bene pudicitia coniugalis, ſicut iam in libro ſuperiori monſtraui.* (Sed quomodo pudicitia coniugalis vtitur bene eo malo concupiſcentiæ, & quam ob cauſam eſt donum Dei? attende, quod ſubiicit.) *Non itaque paruum donum Dei eſt, ita frænari hoc malum, vt ad nihil relaxetur illicitum, ſed generationi tantùm regenerandorum ſeruiat filiorum.* Vbi vides, pudicitiam coniugalem eſſe donum Dei, & non eſſe paruum donum Dei, quod ita frænet concupiſcentiam, vt ad nihilum relaxetur illicitum: ergo pudicitia coniugalis circa omne illicitum concupiſcibile verſatur, frænando illud: ergo etiam circa externum: ergo falſum eſt dicere, quod pudicitia ſolùm reſpicit voluptatem internam. Deinde in eiſdem verbis vides, quod pudicitia coniugalis bene vtitur malo concupiſcentiæ, quatenus, illam frænat, *vt ad nihil illicitum relaxetur,* etiam externum.

Pudicitia coniugalis frænat concupiſcentiam ab omni illicito.

19. Demonſtro tertiò ex capite 2. eiuſdem libri, initio. *In eo verò, quod dixi bonum coniugale etiamſi non habetur, à Domino eſſe poſcendum* (quibus vtique, niſi quibus eſt neceſſarium?) *viſus ſum tibi dicere pro concumbendi viribus ſupplicandum. Sed ego pro ipſa pudicitia coniugali dixi rogandum Deum; in qua eſt concumbendi non liber vſus, ſed licitus modus.* Vides quàm apertè dicat Auguſtinus, ad pudicitiam coniugalem pertinere, non quidem dumtaxat internis actibus moderari, ſed modum licitum concumbendi: licitum, inquam, id eſt, qui excludat omnia illicita, atque adeo externa. Quæ verba tam euidentia ſunt, vt ſcholio non indigeant: ergo pudicitia circa actus externos venereos verſatur.

Pudicitia coniugalis præſtat modū licitum in concubitu.

Excludit à concubitu omnia illicita.

Demonſtro quartò *ex eodem cap. 3.* vbi ita inquit Auguſtinus: *Neque enim concupiſcentiam carnis, quam Ioannes Apoſtolus dixit à Patre non eſſe, ego dicerem bonum: ſed bonum dixi eſſe pudicitiam coniugalem, quæ reſiſtit malo concupiſcentiæ, ne ad illicita rapiat cùm mouetur.* Vide quoties repetit Auguſtinus, eſſe munus pudicitiæ coniugalis reſiſtere concupiſcentiæ, ne ad illicita rapiat; & fugam cuiuſlibet delectationis illicitæ pertinere ad pudicitiam; atque adeo etiam delectationis externæ. Et quàm manifeſtè patet apud Auguſtinum idem omnino eſſe pudicitiam & caſtitatem; & has non differre (vt vult Caramuel) quòd illa internis, & hæc externis delectationibus moderetur. 20.

Pudicitia cōiugalis reſiſtit concupiſcentia, ne ad quævis illicita rapiat.

Demonſtro quintò ex eodem capite. *Nam pudicitia coniugalis inhiantem concupiſcentiam, ſiue de illicito, ſiue de licito percipere voluptatem, frænat ab illicito, permittit ad licitum.* Clarior eſt textus quolibet ſcholio: inde autem hæc demonſtratio oritur. Quidquid illicitum inhiat concupiſcentia, totum id frænat pudicitia coniugalis: ſed concupiſcentia inhiat voluptates tam externas, quàm internas: ergo pudicitia coniugalis frænat voluptates tam internas, quàm externas. 21.

Quidquid illicitum inhiat concupiſcentia, frænat pudicitia.

Demonſtro ſextò ex verbis, quæ paulò poſt præcedentia ſubiungit eodem capite. *Quod autem ipſa concupiſcentia facit, ſiue ad licitum, ſiue ad illicitum indifferenter ardeſcere, vtique malum eſt. Hoc autem malo bene vtitur pudicitia coniugalis, melius non vtitur continentia virginalis.* Vbi nota, quam differentiam conſtituit inter pudicitiam coniugalem, & continentiam virginalem; non quòd prior interiora vitat, poſterior autem exteriora, vt putabat Caramuel; ſed quòd pudicitia coniugalis omnia illicita fugit, etiam externa; continentia verò virginalis omnia licita, & illicita. Vide etiam eandem ferè ſententiam in fine capitis ſecundi eiuſdem libri. 22.

Demonſtro ſeptimò ex capite 3. eiuſdem libri. Vbi ita habet Auguſtinus. *Virtutem eſſe pudicitiam coniugalem, promptiſſimè confiteris: omnes virtutes, etiam quæ per corpus operantur, in animo habitare non negas.* Ex quibus verbis duo colligere oportet. Primum, pudicitiam coniugalem eſſe virtutem, quæ per corpus operatur, vt expreſsè affirmat Auguſtinus: ergo non operatur ſolùm circa actus internos. Secundum, quo ſenſu dicat Auguſtinus, pudicitiam eſſe rem animi, ſcilicet quatenus *omnes virtutes, etiam quæ per corpus operantur, in animo habitare.* Vide ergo, in quo ſteterit æquiuocatio Caramuelis; putauit enim, dum Auguſtinus dicit, pudicitiam eſſe, rem animi, ſenſum eſſe, quod pudicitia dumtaxat moderetur motibus internis animi; cùm tamen ipſe Auguſtinus tam clarè mentem ſuam explicet. Sed de hoc redibit ſermo cap. ſequenti. 23.

Pudicitia coniugalis per corpus operatur.

Pudicitia eſt res animi, quia in animo habitat.

Demonſtro octauò ex eodem capite 3. *fine*, etiam clariſſimè. *Hoc ergo amore opus eſt, vt bonum beatificum ſit & pudicitia coniugalis, vt ſit eius intentio, quando vtitur coniugis carne, non in voluptate libidinis, ſed in voluntate propagationis.* Quod idem eſt, ac dicere, ad virtutem pudicitiæ coniugalis requiri, quod reſpiciat tanquam finem & motiuum formale non voluptatem libidinis, ſed propagationem ſpeciei. Sed circa quam materiam debet habere id motiuum 24.

Pudicitia cōiugalis vtitur carne cōiugis, non in libidine.

Digitized by Google

tiuum formale? vtique *quando vtitur coniugis carne*, ſiue circa vſum coniugalem: ergo non ſolùm circa actus internos.

25. Demonſtro nonò ex capite 4. vbi ſic loquitur Auguſtinus. *Quando autem malè vtitur homo membris bonis, niſi quando conſenti, eis, quæ in nobis habitant, cupiditatibus malis? In quibus libido præ cæteris turpis eſt, cui niſi reſiſtat, horrenda immunda committit. Quo malo bene non vtitur, niſi ſola pudicitia coniugalis.* Itaque ſola pudicitia coniugalis ita vtitur concupiſcentiæ malo, vt illi reſiſtat, ne *horrenda immunda committat*: ſub hoc autem termino *horrenda*, quis dubitet, actiones externas venereas contineri? *Sola* dixit, quia quamvis continentia virginalis reſiſtat concupiſcentiæ, ne *horrenda immunda committat*; non tamen verificatur, quod continentia virginalis vtitur concupiſcentiæ malo, ſicut pudicitia coniugalis.

Pudicitia cõiugalis horrenda immũda compeſcit.

26. Demonſtro decimò *ex lib. 3. contra Iulianum, cap. 21. Habet enim palmam de huius mali* (concupiſcentiæ) *ſubiectione, quamvis minorem, pudicitia etiam coniugalis. Belligerat enim etiam ipſa contra carnalem concupiſcentiam, ne limites tori nuptialis excedat. Sed belligerat, ne definitum ex conſenſu coniugum orandi tempus irrumpat. Et ſi tantas vires habet iſta pudicitia coniugalis, tantumque Dei donum eſt, vt faciat, quod præſcribunt tabulæ matrimoniales, in ipſo quoque toro coniugali, conflictu fortiori belligerat, ne vltra quàm generandis filiis ſatis eſt, etiam ipſum coniugis corpus attrectet.* Et in eumdem ſenſum plura habet in antecedentibus, & ſubſequentibus verbis. Vbi vides, quomodo pudicitia coniugalis belligerat cum externis voluptatibus illicitis, & illius munus eſt frænare coniugem, ne indebitè *coniugis corpus attrectet*.

Pudicitia cõiugalis belligerat contra turpem attrectationem corporis coniugis.

27. Vndecimò *Ex eodem lib. 3. cap. 14. Si verò etiam pudicitia coniugalis, & propter immoderata in ipſo quoque connubio volutabra libidinis, & propter damnabiles concupiſcentias, ne præter coniugis naturalem vſum aliquid perpetretur, frænat hanc peſtem; quid eſt, quod dicis, in coniugibus cum honeſtate exercetur?* Similia repetit in fine eius capitis 14. Vide ergo quomodo pudicitia in coniuge frænat hanc peſtem perpetrandi aliquid præter naturalem vſum.

Pudicitia cõiugalis frænat volutabra libidinis.

CAPVT IV.

Secundum textum à Caramuele allatum contra ipſum militare conuincitur. Vbi quid ſit, pudicitiam eſſe virtutem animi?

28. INgens fuit æquiuocatio Caramuelis, dum putauit, Auguſtinum aſſerere, pudicitiam ſolùm frænare actus internos, illoſque dumtaxat reſpicere vt materiam propriam; caſtitatem verò reſpicere dumtaxat delectationes externas. Quam æquiuocationem paſſus non fuiſſet, vt iam notaui, ſi in ipſo contextu Auguſtini eos textus legiſſet; ipſi enim textus, quos pro ſua aſſertione adducit, contra ipſam apertiſſimè militant.

29. Secundum textum dicit eſſe ex libris de Ciuitate Dei. Et quidem ſi vidiſſet contextum, dixiſſet, eum eſſe *ex lib. 1. cap. 18.* vbi aſſerit D. Auguſtinus, pudicitiam eſſe virtutem animi. Cuius propoſitionis duplex poteſt excogitari ſenſus: primus, vt ſit virtus animi obiectiuè, ſeu terminatiuè; ſecundus, vt ſit virtus animi ſubiectiuè. Primus quidem, vt pudicitia terminetur ad actus internos animi ſolùm, fugiatque dumtaxat delectationes internas; quem ſenſum vult Caramuel ineſſe ei propoſitioni Auguſtini. Secundus, vt ſit virtus pertinens ad animam tanquam ad ſubiectum, in quo eſt, ſicut quælibet alia virtus.

In duplici ſenſu pudicitia eſt virtus animi, terminatiuè, & ſubiectiuè.

Ex ipſo ergo textu conuincam, non ineſſe verbis Auguſtini primum ſenſum, ſed ſecundum. Primus ſenſus deſtruitur, dum ex ipſo textu oſtenditur, pudicitiam verſari circa delectationes externas. Et ſecundus adſtruitur, dum patet, ideò dici virtutem animi, quia non in bonis corporis numeratur, ſed in bonis animi, ſicut quælibet alia virtus. 30.

Ex contextu, non primus, ſed ſecundus ſenſus admittendus.

Sciendum itaque eſt, S. Auguſtinum multis in locis loqui de iis virginibus chriſtianis, quæ per Barbarorum violentiam ſtuprum paſſæ ſunt. Eas autem aſſerit, ideò non amiſiſſe virtutem pudicitiæ, quamvis corpore violatas, quia pudicitia eſt vera virtus, omnes autem virtutes eſſe in animo; omnia autem bona, quæ ſunt in animo, amitti non poſſe per ſolam corporis corruptionem. Vnde patet, ideò pudicitiam vocari ab Auguſtino virtutem animi, non quia terminetur ſolùm ad actiones animi internas, ſed quia eſt ſubiectiuè in anima, ſicut quælibet virtus; cùm per ſolam corporis læſionem virtus in animo ſubiectata auferri non poſſit. 31.

Vnde conſtet, pudicitiam dici, eſſe in animo ſubiectiuè?

Aſſerit etiam in eodem textu Auguſtinus, ideò eas virgines non amiſiſſe pudicitiam, quamvis corpore vitiatas, quia non conſenſerunt in actualem fornicationem, quam materialiter paſſæ ſunt, eo quod ad pudicitiam ſpectat non conſentire in eam externam carnis corruptionem. Ex quo manifeſtè ſequitur, officium pudicitiæ eſſe compeſcere conſenſum in actualem fornicationem, atque adeò verſari circa materiam externam. 32.

Virgines vt corruptæ non amittunt pudicitiã, quia non conſentiunt fornicationi.

Vrgeo. Demus, quod caſtitas & pudicitia diuidant fines ſuos, ita vt prima reſpiciat externas delectationes, & pudicitia internas, vt vult Caramuel. Interrogo, ad quam ex his virtutibus ſpectat non conſentire in actualem fornicationem externam. Si dicas ad ſolam caſtitatem, aduerſarium habes Auguſtinum, qui aſſerit, id eſſe officium pudicitiæ. Si dicas, ſpectare ad pudicitiam, infero: ergo pudicitia reſpicit tanquam materiam, circa quam verſatur, ipſam exteriorem fornicationem. 33.

Vrgeo ampliùs. Si virgines illæ vouiſſent caſtitatem externam, qualem ponit Caramuel & ſpontaneum præberent conſenſum illi corporis corruptioni, peccarent contra votum à ſe emiſſum, cùm illa eſſet vera fornicatio exterior: ſed ſecundùm Auguſtinum pudicitia inhibet illum ſpontaneum aſſenſum: ergo pudicitia inhibet delectationem externam. 34.

Ecce ergo textum Auguſtini integrum, in quo vtrumque videbis, & pudicitiæ officium eſſe inhibere conſenſum in actualem corporis corruptionem libidinoſam; & pudicitiam eſſe virtutem animi, quia illa eſt ſubiectiuè in animo: conſequenterque non eſſe virtutem animi, quia

Digitized by Google

quia ſolùm reſpiciat delectationes animi internas. Sic ergo ait Auguſtinus in titulo capitis 18. *De aliena violentiarum libidine, quam in oppreſſo corpore mens inuita perpetitur.* Et pauló poſt initium hæc habet. *At enim, ne vel aliena polluat libido,metuitur. Non polluet, ſi aliena erit. Si autem polluet,aliena non erit. Sed cùm pudicitia virtus ſit animi, comitemque habeat fortitudinem, qua potiùs quælibet mala tolerare, quàm malo,* (id eſt conſtuprationi libidinoſæ) *conſentire decernat:*(nota officium pudicitiæ,ſcilicet non conſentire malo, id eſt conſtuprationi libidinoſæ) *nullus autem magnanimus & pudicus in poteſtate habeat, quid de carne ſua fiat,ſed tantum quid annuat,vel renuat:* (ad pudicium ſpectat renuere ad concubitum libidinoſum violentum) *quis tandem ſana mente putauerit, ſe perdere pudicitiam, ſi fortè in apprehenſa & oppreſſa carne ſua exerceatur & expleatur libido non ſua? Si enim hoc modo pudicitia perit, profectò pudicitia virtus animi non erit:* (ſed qua ratione non erit virtus animi? attende) *nec pertinebit ad ea bona, quibus bene viuitur* (id eſt, ad virtutes) *ſed in bonis corporis numerabitur, qualia ſunt vires, pulcritudo,ſana,integraque valetudo,ac ſi quid huiuſcemodi eſt: quæ bona etiamſi minuantur, bonam, iuſtamque vitam omninò non minuunt. Quod ſi tale aliquid eſt pudcitia* (id eſt, ſi numeratur in bonis corporis) *vt quid pro illa, ne amittatur,etiam cum periculo corporis laboratur? Si autem animi bonum eſt, etiam oppreſſo corpore, non amittitur* (quia oppreſſio corporis non nocet bonis, quæ ſubiectantur in animo.)

Pudicitia, vtpote virtus in animo ſubiectata, per vim non amittitur.

Si pudicitia vi periret, numeraretur in bonis corporis.

35. Ex quibus patet primò, pudicitiam ita eſſe virtutem animi, vt munus eius ſit inhibere conſenſum in actualem corporis libidinoſam corruptionem: manifeſtè conſtat ex iis verbis, *quàm malo conſentire decernat*, & ex iis, *Quid annuat mente, vel renuat*; ſcilicet circa libidinoſam corporis corruptionem, vt in ſcholio notaui: ergo cùm pudicitia dicitur ab Auguſtino virtus animi, non ideò talis dicitur, quia ſolùm verſatur circa actus internos animi, quandoquidem Auguſtinus aſſerit, munus pudicitiæ eſſe reſiſtere, ſeu non præſtare aſſenſum libidinoſæ corruptioni. Quod autem hoc ſit munus eius ſecundùm Auguſtinum, præter verba huius textus, abunde demonſtratum eſt in toto capite antecedenti.

36. Patet ſecundò, pudicitiam dici ab Auguſtino virtutem animi, quia eſt bonum animi, quia numeratur in bonis animi, quia non numeratur in bonis corporis, ſicut vires, pulcritudo, valetudo: ergo cùm mentem ſuam tam clarè aperuerit Auguſtinus, ſiniſtra eſt interpretatio, quæ exponit, eſſe virtutem animi terminatiuè, ſiue quia terminetur ad actus internos animi. Relege textum attentè, & ſcholia interſerta.

37. Et hanc eſſe mentem Auguſtini, cùm pudicitiam vocat virtutem animi, ex multis aliis textibus eiuſdem Sancti Præceptoris euidenter oſtenditur,& *lib. 1. de libero arbitr. c. 5.* id clariſſimis verbis edocuit. *De pudicitia verò quis dubitauerit, quin ea ſit virtus in ipſo animo conſtituta,* (nota quam præcedenti textu dixit virtutem animi, in hoc dicit virtutem in animo conſtitutam) *quandoquidem virtus eſt?* (nota, id ei conuenire ex ratione generali virtutis) *vnde à violento ſtupratore eripi nec ipſa poteſt.* Eadem ratione vtitur in textu præcedenti, vbi ex eo quod ſit virtus animi probauit, eam non poſſe à violento ſtupratore eripi, & in præſenti textu ex eo quod ſit in animo conſtituta, probat, eam non poſſe à violento ſtupratore eripi. Vnde patet, quod ex ratione generali virtutis, ſecundùm Auguſtinum, habet quod ſit virtus animi: ergo non quia terminatiuè feratur in actus animi internos.

Pudicitia in eo ſenſu eſt virtus animi, quia eſt in animo conſtituta.

Non eſſet virtus, ſi non eſſet in animo conſtituta.

Patet etiam hæc mens Auguſtini *ex lib. 4. contra Iulianum, cap. 3.* verbis allatis *cap. praced. n. 23. Virtutem eſſe pudicitiam coniugalem promptiſſimè confiteris: omnes virtutes, etiam quæ per corpus operantur, in animo habitare, non negas.* 38. Vbi ſupponit, pudicitiam eſſe ex illis,quæ per corpus operantur, & adhuc eſſe virtutem animi,ſiue in animo habitantem. Malè ergo dicitur, pudicitiam non operari per corpus, ſed dumtaxat per animum, & per actus internos animi; & ideò eſſe virtutem animi, quia non operatur per corpus, ſed dumtaxat per animum.

Et nota quod etiamſi concederemus, pudicitiam ita eſſe virtutem animi, vt ad ſola interna terminaretur; adhuc in hoc textu nihil eſt, quod probet, caſtitatem non terminari ad externa ſimul & interna, vt ex terminis patet. 39.

CAPVT V.

Ex eo quod Auguſtinus hanc virtutem ſæpiſſimè appellat pudicitiam corporis, roboratur doctrina tradita.

DVm S. Auguſt. affirmat, pudicitiam corporis eſſe virtutem animi, euidenter infertur, ſecũdùm eundem Doctorem,prædictam virtutem non verſari dumtaxat circa actus internos animi, ſed operari per corpus, vt ipſe Diuus Præceptor loquitur, & ſimul eſſe in animo. Et quidem non poteſt dici pudicitia corporis ſubiectiuè; virtus enim in corpore non ſubiectatur, cùm corpus non ſit capax eius: ergo terminatiuè; conſequenterque pudicitia reſpicit tanquam terminum, quem fuga proſequitur, delectationes venereas externas. Cùm ergo ſimul dicitur ab Auguſtino pudicitia corporis, & virtus animi, intelligitur eſſe pudicitia corporis terminatiuè, quatenus reſpicit actiones corporeas; & virtus animi ſubiectiuè, quatenus illa in animo recipitur,ſicut cæteræ virtutes. 40.

Pudicitia corporis eſt virtus animi.

Corporis terminatiuè, animi ſubiectiuè.

Quod autem expreſsè dicatur ab Auguſtino pudicitia corporis, ex innumeris ſacri Præceptoris textibus conſpicuum eſt, *lib. de Mendacio cap. 7. Pudicitia quippe corporis, quia multùm honorabili perſona videtur occurrere, & pro ſe flagitare mendacium; vt ſi ſtuprator irruat, qui poſſit mendacio deuiari, ſine dubitatione mentiendum ſit; facilè reſponderi poteſt, nullam eſſe pudicitiam corporis, niſi ab integritate animi pendeat.* Vbi ait Auguſtinus ob defenſionem pudicitiæ corporis contra ſtupratorem, non eſſe mentiendum, ſed reſiſtendum,ſiue non conſentiendum delectationi violentæ. 41.

Sæpiſſimè vocat Auguſt. pudicitiam corporis.

Et *cap. 19.* ait: *Iſta ſunt, quæ ſanctitatis cauſa ſeruanda ſunt, pudicitia corporis, & caſtitas animæ, & veritas doctrinæ. Pudicitiam corporis, non conſentiente* 42.

Digitized by Google

conſentiente ac permittente anima, nemo violat. Vide quomodo pudicitia ſit corporis, id eſt ad actiones corporeas componendas terminata.

43. Et paulò poſt. *Conſenſio ſanè ad impudicitiam corporalem, etiam caſtitatem animi violat.* Et quidem pudicitia & impudicitia circa idem verſantur; contrariorum enim eadem eſt ratio, vt clamant Philoſophi: ſi ergo impudicitia eſt corporalis, pudicitiam quoque corporalem eſſe, neceſſe eſt.

44. Et mox. *Agendum, quibus poſſumus viribus, & pia ſupplicatione, vt cùm violanda appetitur pudicitia corporis noſtri, nec ipſe animæ ſenſus extremus, qui carne implicatus eſt, aliqua delectatione tangatur.*

45. Et *cap.* 20. *Corporalis ergo pudicitia corrumpi, niſi in animo, non poteſt.* Vide quomodo pudicitia ſit corporalis, & ſimul ſit in animo. Sed quare cum ſit corporalis, non poteſt corrumpi, niſi in animo? Ratio eſt, quia eſt corporalis terminatiuè, & eſt in animo ſubiectiuè. In quo capite 20. octies repetit Auguſtinus appellationem pudicitiæ corporalis. Et *lib. de ſancta virginit. cap.* 8. *Nemo pudicitiam ſeruat in corpore, niſi ſpiritu prius inſita caſtitate.* Et de pudicitia in corpore ſeruanda, vide *in eodem lib. de Sancta Virginit. cap.* 12. & *cap.* 37.

46. Et *lib.* 1. *de Ciuit. cap.* 26. eos Barbaros, qui ſanctarum virginum corpora libidinoſâ violentiâ opprimebant, appellat *Inſectatores pudicitiæ*, qui non corrumpere actus internos virginum inhiabant, ſed corpora: ergo pudicitia circa corporeas delectationes verſatur.

47. Et *epiſt.* 109. quæ eſt de Regula Monacharum, ferè ad medium, ait: *Nec dicatis, vos habere animos pudicos, ſi habeatis oculos impudicos: quia impudicus oculus impudici cordis eſt nuntius.* Vbi impudicitiam non ſoli cordi, id eſt, internis affectibus attribuit, ſed etiam oculis corporeis.

48. Denique *lib. de duodecim abuſionum gradibus, grad.* 5. *tom.* 9. ita aſſerit: *Duobus ergo modis conſtat vera pudicitia exercitatio, id eſt, corporis habitu in ſuperficie, & animi affectu interno. Per exteriorem modum iuxta Apoſtolum, coram hominibus exempla; per interiorem modum coram Deo prouidemus opera bona.* Quid clarius.

CAPVT VI.

Ex eo quod Auguſtinus frequenter appellet caſtitatem animi, colligitur, quo ſenſu pudicitiam dixerit virtutem animi.

49. Ex eo quod pudicitiam dixerit Auguſtinus eſſe virtutem animi, vult Caramuel, pudicitiam verſari dumtaxat circa actus animi internos, & caſtitatem circa externos corporis. Quam conſequentiam peſſimam eſſe comperies, vbi videris, frequentiſſimè Auguſtinum appellare etiam caſtitatem animi. Nam ſi etiam caſtitas animo attribuitur, vel dicendum etiam caſtitatem dumtaxat terminari ad actus animi internos; vel dicendum, hoc, quod eſt eſſe virtutem animi, non ſignificare, quod illa verſetur dumtaxat circa actus animi.

50. Quod verò Auguſtinus ita caſtitatem frequenter appellet, conſtat ex innumeris locis, *lib. de mendacio, cap.* 19. *Conſenſio ſanè ad impudicitiam corporalem, caſtitatem animi violat. Animi quippe caſtitas eſt in bona voluntate.* Et inferiùs: *Cuſtodienda eſt ergo ſynceriter dilectio Dei & proximi: in hac enim caſtitas animi ſanctificatur.* Et capite 20. quinquies repetit caſtitatem animi. Et *lib. de Sancta virginit. cap.* 8. & habetur *cap. de pudicitia* 32. *quæſt.* 5. *Nemo pudicitiam ſeruat in corpore, niſi ſpiritu prius inſita caſtitate.*

Sæpiſſimè appellat caſtitatem animi.

51. Et *lib.* 1. *de ciuit. cap.* 19. *fin.* loquens de virginibus, quæ violentum ſtuprum paſſæ ſunt: *Habent quippe intus gloriam caſtitatis.* In quo caſu licet caſtitas terminetur ad fugiendam exteriorem libidinem fornicationis, vt iam notaui; quia tamen Caramuel pudicitiam earum virginum in eodem caſu refert ad internum conſenſum, ideò ad hominem ſimile caſtitatis dictum affero, vt pateat, vel neutram, vel vtramque ad interna referendam. Item *epiſt.* 122. *fin. Tantum enim in mente valet integritas caſtitatis.*

52. Huc referenda ſunt ea Auguſtini teſtimonia, in quibus aſſerit, amitti caſtitatem per actus internos. Ita *lib.* 4. *contra Iulianum, cap.* 2. *Quid? cum ſopitos deludunt ſomnia ſenſus, neſcio quomodo etiam caſta anima in turpes labuntur aſſenſus: quæ ſi imputaret Altiſſimus, quis viueret caſtus?* Ergo ſi turpes aſſenſus in ſomnis præſtiti (qui ſunt actus interni) imputarentur, nullus eſſet caſtus, ſecundùm Auguſtinum; quia nullus eſt, qui ex talibus ſomnis euadat. Caſtitas ergo amittitur per ſolum aſſenſum internum.

Caſtitas amittitur per actus internos.

53. Et *in eodem lib. cap.* 3. ait: *Prorſus, inquam, nec vera eſt caſtitas animi fornicantis, & vera inſania eſt hominis dicentis hoc dedecus, & ridentis.* Vocat autem animum fornicantem, vel eum, qui libidinoſis internè delectatur, ſcilicet in ſpecie luxuriæ; vel qui in ſpecie infidelitatis habet actus internos, quæ etiam in Scriptura fornicatio dicitur: veram enim virtutem cum infidelitate compati, non patitur Auguſtinus.

54. Et *epiſt.* 109. quæ eſt de Regula Monacharum, *cap.* 5. ait: *Cùm ſe inuicem ſibimet, etiam tacente lingua, conſpectu mutuo corda nuntiant impudica, & ſecundum concupiſcentiam carnis alterutro delectantur ardore, etiam intactis ab immunda violatione corporibus, fugit caſtitas ipſa de moribus.* Cùm ergo fugiat caſtitas, etiamſi ſolus adſit aſſenſus internus, manifeſtè patet, caſtitatem circa actus etiam internos verſari.

55. Obiicit ſibi Caramuel, hunc textum proximè relatum: & *num.* 384. reſpondet, Auguſtinum ita intelligendum eſſe, vt fugiat caſtitas, non formaliter, ſed obiectiuè: non quia caſti non ſint, ſed quia dum volunt fornicationem, volunt eſſe non caſti.

56. Impugnatur primò, quia ad id nullum aliud habet fundamentum, quàm quod pudicitia ſit virtus animi, & caſtitas corporis: quod falſum eſſe in ſenſu, quem Caramuel obtrudit, apertè demonſtratum eſt. Solutio ergo nixa fundamento improbabili, qua ratione ſubſiſtet?

Impugnatur ſecundò. Nam *cap.* 9. manifeſtum fiet, ſecundùm Auguſtinum, votum caſtitatis formaliter violari per actus internos: ergo

Digitized by Google

ergo caſtitas fugit de moribus, non ſolùm obiectiuè, ſed etiam formaliter, cùm *mutuo delectantur ardore, etiam intactis ab immunda violatione corporibus.*

58. *Sancti PP. caſtitatem ad corpus & mẽtem extendunt.* S. Hieron.

Suffragantur alij ſancti PP. dum caſtitatem ad mentem & corpus extendunt. Hieronym. *in cap. 2. epiſt. ad Tit.* ea verba Pauli 1. *ad Timoth. 5. Iuuenculas vt ſorores in omni caſtitate,* ſic exponit: *Vnde & Apoſtolus cautè & prudenter Timotheo precepit, vt exhortaretur adoleſcentulas in omni caſtitate; omnis autem caſtitas in corpore, & ſpiritu, & anima eſt.*

59. S. Baſilius.

Vide etiam Baſilium infrà relatum *cap. 11.* & præter eos textus ſunt notatione digna hæc verba *ex lib. de virginitate*, vbi loquens de virginibus voto ſacris, ait: *Quod ſi, quia nullus hominum videt, fuerit vel verbo, vel nutu fortaſſe procacior, apertè deprehenditur ad ſponſi cacutire dignitatem.... Hac profectò dum opinionem virginitatis per exteriorem habitum ab hominibus captat, adultera eſt.*] Quia ſcilicet ſponſo ſuo Chriſto iniuriam irrogat. Vide alios PP. *cap. 11.*

CAPVT VII.

Auguſtinus pudicitiæ & caſtitati interna & externa promiſcuè, & indifferenter attribuit.

60. DVm Caramuel conatur, pudicitiæ & caſtitatis fines eſſe diuerſos; ita vt hæc ad externa, & illa ad interna terminetur, planè contradicit Auguſtino. Vnde cùm oſtenſum fuerit, Auguſtinum pudicitiæ attribuere interna & externa, & caſtitati attribuere interna & externa; manifeſtè patebit, pudicitiam & caſtitatem eandem penitus eſſe virtutem. Et ſimul deprehendetur imbecillitas argumenti deſumpti ex eo, quod pudicitia ſit virtus animi; cùm hinc conſtet, vtramque eſſe animi, & vtramque corporis.

61. Et quidem ex hucvſque dictis ſatis liquidum eſt, Auguſtinum ita promiſcuè de vtraque virtute diſſerere. Quare ſolùm opus eſt digito oſtendere textus iam relatos. Conatur Caramuel, pudicitiam ex mente Auguſtini verſari circa actus internos. Verſari etiam circa externos, & corporeas delectationes moderari ſecundùm Auguſtinum, oſtenſum eſt *cap. 3. & 5.* Item caſtitati tribuere externa Auguſtinum, Caramuel admittit, & ex multis textibus relatis conſtat; illi Auguſtinum tribuere quoque interna, *ex capite* 6. liquidum eſt.

62. Adhuc autem ſpecialiter oſtendo, D. Auguſtinum promiſcuè tribuere pudicitiæ & caſtitati effectus luxuriæ oppoſitos. Etenim ſecundùm Auguſtinum, ad caſtitatem ſpectat non conſentire libidinoſæ corruptioni violentæ: ſecundùm eumdem ad pudicitiam ſpectat non conſentire libidinoſæ corruptioni violentæ: ergo idem eſt vtriuſque munus. Maior probatur. Nam *lib. 1. de ciuit. cap.* 19. agens de Lucretia, quæ à Tarquinij filio violenter oppreſſa, cæde propria ſignificauit, nullum ſe ei corruptioni præbuiſſe aſſenſum, ſic diſſerit: *Quid dicemus? Adultera hæc, an caſta iudicanda eſt?* Cui interrogationi ſic reſpondet: *Egregiè quidam ex hoc, veraciterque declamans, ait: Mirabile dictu! duo fuerunt, & adulterium vnus admiſit. Splendidè, atque veriſſimè. Intuens enim in duorum corporum commiſtione vnius inquinatiſſimam cupiditatem, alterius caſtiſſimam voluntatem, &c.* Dicitur ergo ab Auguſtino fuiſſe caſta, quatenus in eam violentam corruptionem non conſenſit. Et nota quod initio capitis id pudicitiæ attribuit, quod poſtea caſtitati. Initio enim dixerat, *Lucretiam certè matronam nobilem, veteremque Romanam, pudicitiæ magnis efferunt laudibus. Huius corpore cùm violenter oppreſſo Tarquinij Regis filius libidinosè potitus eſſet, &c.*

Et quidem præmiſſæ, maior & minor præcedentis ſyllogiſmi conſtant, dum *epiſt.* 180. ait, in prædictis caſibus oppreſſionis violentæ, non violari pudicitiam, ſi mente ſeruatur. Et *lib. 1. de Ciuit. cap.* 18. ait, in eiſdem euentibus non perire caſtitatem, ſi mente retineatur, vt conſtabit *ex cap. ſequenti, numero* 54. & ex aliis textibus eodem capite producendis. 63.

CAPVT VIII.

Tertium Auguſtini textum à Caramuele productum, contra ipſum pugnare, fit manifeſtum.

TErtio loco adducit Caramuel ex epiſtola 22. Auguſtini hæc verba: *Pudicitia vi nec in carne, nec in animo violari poteſt.* Quæ verba in prædicta epiſtola non reperiuntur, nec in illa tractat Auguſtinus aliquid ad hanc materiam conducens. Epiſtola 180. continet eam ſententiam, licèt diuerſis verbis, ſic: *Violentiâ non violatur pudicitia, ſi mente ſeruatur: quoniam nec in carne violatur, quando voluntas patientis ſuâ turpiter carne non vtitur, ſed ſine conſenſione tolerat, quod alius operatur.* Et *epiſt.* 122. (fortò pro hac poſuit epiſtolam 22.) ait: *Tantùm enim in mente valet integritas caſtitatis, vt illâ inuiolatâ, nec in corpore poſſit pudicitia violari, cuius membra potuerunt ſuperari.* Addit autem Caramuel: [Non violatur in carne, in qua non conſiſtit: non in animo, qui cùm ſit liber, violentiâ non poteſt gubernari.] 64.

Multa tamen ſunt, quæ conuincunt, hos textus non eſſe pro Caramuele, quin potiùs contra eius aſſertionem militare. Non ſuffragari eius aſſertioni, patet primò. Nam idem, quod de pudicita, aſſerit Auguſtinus de caſtitate *lib. 1. de Ciuit. cap.* 18. *Nec de ipſo corpore perit caſtitas, quia eo ſanctè vtendi perſeuerat voluntas*; ſcilicet in caſu, quo corpus caſtæ fœminæ patitur oppreſſionem violentam. 65.

Caſtitas non poteſt in carne violari, iuxta Auguſtinum.

Secundò. Quia ſi nomine caſtitatis intelligeremus cum Caramuele virtutem inhibentem ſolùm actiones externas, vtique certiſſimum eſt, per violentam oppreſſionem non violari caſtitatem in carne; non quia caſtitas non conſiſtat in carne, ſed quia nulla virtus violatur per oppreſſionem corporis violentam. 66.

Etſi caſtitas conſiſtat in carne, nequit in carne violari.

67. Tertiò, quia *pudicitiam corporis*, ſub his expreſſis terminis, dicit Auguſtinus non violari in carne per oppreſſionem violentam: ergo malè inde arguitur, quod pudicita non conſiſtat in carne, neque ad corporeas delectationes terminetur.

Pudicitia corporis nō violatur in carne.

68. Vrgeo. Pudicitia corporis in eo euentu, non violatur in carne; & tamen conſiſtit in carne: ergo ex eo, quod non violetur in carne, malè arguitur, quod non conſiſtat in carne. Quod verò Auguſtinus doceat, pudicitiam corporis non violari in carne, patet *ex lib. de Mendacio, cap.* 19. vbi ait: *Pudicitiam corporis, non conſentiente ac permittente anima, nemo violat. Quidquid enim nobis inuitis, nullam tribuentibus poteſtatem, maiori vi contingit in noſtro corpore, nulla impudicitia eſt.* Et *cap.* 20. ait in eumdem ſenſum: *Corporalis ergo pudicitia corrumpi niſi in animo non poteſt: quo non conſentiente, neque permittente, nullo modo rectè dicitur violari pudicitia corporalis; quidquid in corpore fuerit aliena libidine perpetratum.*

Prauitas conſequentia.

69. Ex quibus apertè conſtat legitimus ſenſus eorum verborum Auguſtini, quod pudicitia neque in carne, neque in animo per violentam oppreſſionem violari poteſt. Non in carne, quia licèt caſtitas corporalis ſit, & in carne conſiſtens, non violatur, niſi in ipſo animo violetur, id eſt, niſi animus conſenſum præſtet. Non in animo, quia animo violentia non infertur, qui poteſt liberè contradicere.

70. Quartò. Docet enim Auguſtinus, quod nulla virtus poteſt violenter auferri, per oppreſſionem corporis, quia omnis virtus eſt in animo: quæ autem ſunt in animo, non auferuntur, ablatis à corpore quibuſvis corporeis bonis, vt patet ex multis Auguſtini textibus *cap.* 4. productis.

71. Quintò. Nam Auguſtinus docet, formam, per quam caſtificatur corpus, eſſe virtutem animi internam; & propterea corpus manere caſtificatum, & nullatenus violatum quoad caſtitatem, deficiente ea forma, virtute ſcilicet animi interna. Ita enim ait *lib.* 1. *de Ciuit. cap.* 18. *Propoſito animi permanente, per quod etiam corpus ſanctificari meruit* (nota, *Per quod*) *nec ipſi corpori aufert ſanctitatem violentia libidinis alienæ, quam ſeruat perſeuerantia continentiæ ſuæ.* Et ideò in fine eius capitis 18. infert: *Fœminarum Chriſtianarum in captiuitate oppreſſarum non tantum mentes, verum etiam corpora ſancta defendimus.* Sancta ergo ſunt corpora, quia cùm forma, per quam ſanctificantur, ſit propoſitum continentiæ (ſcilicet voto firmatum; de hoc enim ibi agit) hoc non deficiente, nec violato, ſancta manent prædicta corpora. Ecce ergo quare pudicitia per violentiam non violatur in carne; quia caro manet ſancta per ſanctitatem propoſiti permanentis, non quia ipſa pudicitia, vel caſtitas non ſit in corpore; vt expreſsè etiam docet Auguſtinus verbis ſuprà citatis *num.* 64. *ex epiſt.* 122.

Forma, per quam caſtificatur corpus, eſt virtus animi interna.

Sancta manent corpora virginum, voto non violato.

72. Quod verò illi textus poſiti initio huius capitis ſint contra aſſertionem Caramuelis, patet primò à contrario ſenſu: ſi enim pudicitia *nec in corpore violatur, quando voluntas patientis, ſua turpiter carne non vtitur*: ergo à contrario ſenſu, pudicitia violatur in carne, quando voluntas patientis, ſiue agentis turpiter vtitur ſua carne: ergo tunc in carne committitur impudicitia; & ad pudicitiam ſpectat, hanc carnis impudicitiam cohibere: ergo ad pudicitiam ſpectat externas venereas actiones cohibere.

Textus à Caram. aduocatus, ipſi refragatur.

Patet ſecundò, quia in ſecundo textu caſtitas attribuitur menti, & pudicitia corpori. Quod quo pacto ſit intelligendum, abundè patet ex dictis. 73.

CAPVT IX.

Auguſtinus docet expreſsè, votum caſtitatis violari per actum impudicum internum.

Ex dictis manifeſtum eſt, ſecundùm Auguſtinum, eandem eſſe caſtitatem & pudicitiam, & vtramque ad actus tam internos, quàm externos terminari. Vnde fit certum, votum caſtitatis etiam per actus internos violari. Sed & hoc poſtremum conſequens expreſſit D. Auguſtinus, aſſerens, votum caſtitatis per actus internos libidinoſos violari. 74.

Pro cuius claritate aduerte, ſecundùm phraſim Auguſtini, corpus ſanctificari, ſiue ſanctum reddi per votum caſtitatis, & obſeruationem illius, vt ex textibus producendis conſtabit. Hanc autem corporis ſanctitatem à prædicto voto caſtitatis prouenientem amitti per affectum libidinoſum internum. Ita *lib.* 1. *Ciuit. cap.* 18. *An verò ſi aliqua fœmina mente corrupta, violatoque propoſito, quod Deo vouerat, pergat vitianda ad deceptorem ſuum; adhuc eò pergentem, ſanctam vel corpore dicimus; ea ſanctitate animi, per quam corpus ſanctificabatur.* (Nota *per quam*, ſcilicet formam, à qua corpus virginis denominatur ſanctum) *amiſſa, atque deſtructa? Abſit hic error. Et hinc potiùs admoneamur, ita non amitti corporis ſanctitatem, manente animi ſanctitate, etiam corpore oppreſſo; ſicut amittitur corporis ſanctitas* (proueniens ex voto caſtitatis) *violatâ animi ſanctitate, etiam corpore intacto.* 75.

Corpus ſanctificatur voto caſtitatis ſeruato.

Non eſt ſancta corpore, quæ actum internum luxuria admittit.

Sancta eſt corpore, quæ luxuriam internam non admittit.

Vbi primò vides, formam, per quam redditur ſanctum corpus virginis Deo conſecratæ, eſſe votum caſtitatis, & obſeruationem illius: *Sanctam vel corpore dicimus, eâ ſanctitate animi, per quam corpus ſanctificabatur, amiſſâ?* Et meritò dicitur ſanctum ab Auguſtino, cùm ſit ſacrilegium, illud turpiter violari. Secundò vides, quomodo corpus dicatur amittere eam ſanctitatem per affectum libidinoſum internum, *etiam corpore intacto.* Tertiò, conſequentiam Auguſtini eſſe dialecticam; cùm enim, ablatâ formâ, auferatur denominatio; ablatâ formâ, quæ corpus denominat ſanctum, hanc denominationem perire, neceſſe eſt, vtique per ſacrilegium. Cùm ergo ſanctitas voti & eius obſeruatio ſit forma, à qua corpus denominatur ſanctum; hæc autem forma deficiat per admiſſionem actus libidinoſi interni; inde planè colligitur quod corpus deſinat eſſe ſanctum, conſequenterque fiat ſacrilegio fœdatum per actum libidinoſum internum: ſacrilegio, inquam, ſaltem lato modo. 76.

Inde autem ſic arguo. Sanctitas corporis non amittitur 77.

Actus libidinoſus inter-

nus violat votum caſtitatis.

amittitur, ſecundùm Auguſtinum, niſi per violationem voti: ſed ſanctitas corporis, ſecundùm eumdem amittitur per actum libidinoſum internum: ergo actus libidinoſus internus violat votum. Conſequentia eſt legitima.

78. Maior patet. Nam, ſecundùm Auguſtinum, corpus virginis Deo deuotæ denominatur ſanctum à voto caſtitatis, & obſeruatione illius, vt patet illis verbis, *Sanctam corpore dicimus, illa ſanctitate animi, per quam corpus ſanctificabatur, amiſſa?* Cùm antea dixiſſet, *Violatoque propoſito, quod Deo vouerat.* Quare eam denominationem ſancti non amittit corpus, niſi per violationem voti. Quod etiam patet verbis paulò antè ab Auguſtino prolatis: *Propoſito animi permanente, per quod etiam corpus ſanctificari meruit.*

79. Minor etiam patet, quod ſcilicet, ſecundùm Auguſtinum, corpus virginis Deo ſacræ amittat eam denominationem ſancti per actum libidinoſum internum. Conſtat enim ex vltimis eius loci verbis: *Amittitur corporis ſanctitas, violata animi ſanctitate, etiam corpore intacto.* Id eſt, amittitur corporis ſanctitas (quæ conſiſtit in voto caſtitatis) per affectum libidinoſum internum. Patet etiam ex priori clauſula eius loci: [An verò ſi aliqua fœmina mente corrupta, violatoque propoſito, quod Deo vouerat, pergat vitianda ad deceptorem ſuum, adhuc eò pergentem, *ſanctam vel corpore* dicimus, ea *ſanctitate animi*, per quam corpus ſanctificabatur, *amiſſa?*] Id eſt, mente corrupta, & corpore adhuc intacto, corpus amittit eam denominationem ſancti, defectu formæ illud ſanctificantis, ſcilicet obſeruationis voti.

Sanctitas corporis amittitur per luxuriam internam.

80. Neque hîc habet locum ea reſponſio, quam alteri textui exhibebat Caramuel relatus *cap. 6. num. 54.* nempe deficere caſtitatem, non *formaliter*, ſed *obiectiuè* per actum libidinoſum internum.

81. Nam ſecundùm Auguſtinum, forma, per quam corpus ſanctificatum & caſtificatum redditur, eſt obſeruatio interna voti: (non tædeat verba Auguſtini ſæpius reproducere) *Ea ſanctitate* animi (id eſt, interna obſeruatione voti) *per quam corpus ſanctificabatur, amiſſâ:* ergo deficiente obſeruatione voti interna, formaliter deficit, quod corpus ſit caſtitate ſanctum. Conſequentia eſt euidens. Tunc enim formaliter deficit denominatio, vbi deficit forma denominationis.

82. Secundus textus, in quo aſſerit Auguſtinus, votum caſtitatis violari per affectum libidinoſum internum, eſt *ex epiſt.* 109. quæ eſt de Regula Monacharum, verbis ſuprà relatis *cap. 6. num. 54.* In quibus cùm loquatur Auguſtinus de Monialibus, quæ Deo conſecrabantur per votum caſtitatis, patet, ibi agere de voto caſtitatis. Relege verba relata *eo num. 54.* ea præcipuè: *Cùm alterutro delectantur ardore, etiam intactis ab immunda violatione corporibus, fugit caſtitas ipſa de moribus.* Et quamvis Auguſtinus non ageret expreſsè de voto ipſo, per conſequentiam rectè arguitur, idem quoad hoc dicendum eſſe de voto caſtitatis, ac de caſtitate ipſa.

83. Et quamuis Caramuel ad hæc verba reſpondeat, fingere caſtitatem non formaliter, ſed obiectiuè, præterquam quod eo capite ſexto manifeſtè impugnatur, ex dictis in hoc capite clarè conuincitur. Nam cùm interna obſeruatio caſtitatis ſit etiam forma denominans corpus caſtitate ſanctum, ſecundùm Auguſtinum, vt patet ex dictis; fit, quod per delectationem internam auferatur forma denominans corpus caſtitate ſanctum; atque adeò quod per delectationem internam deficiat ea denominatio corporis caſtitate ſancti; & quod formaliter fugiat caſtitas ipſa de moribus.

Per luxuriā internam fugit caſtitas ipſa de moribus.

Cum Diuo Auguſtino conſentiunt SS. PP. aſſerentes, caſtitatem Deo conſecratam, ſiue caſtitatem perfectam, includere puritatem mentis & corporis. Ita D. Hieronymus, & D. Baſilius relati *cap. 6. fin.* Vide etiam D. Auguſtinum, Baſilium, & Chryſoſtomum, cuius verba afferuntur *cap. 11.* Gregorium Nyſſenum, & Nazianzenum, & Anſelmum, Gregorium Magn. Cyprianum. Item Hieronymum, Damaſcenum, Fulgentium, Chryſoſtomum *ibid.* citandos. Et S. Cyprianus *de habitu Virginum*, paulò poſt initium: *Vt quæ ſe Chriſto dicauerint, & à carnali concupiſcentia recedentes, tam carne quàm mente ſe Deo deuouerint.* Nota poſtrema verba, in quibus expreſsè aſſerit, votum extendi tam in carnem, quàm ad mentem. 84.

Decem, Patres aſſerunt votū caſtitatis includere puritatem mentis, & corporis.
S. Hieron.
S. Baſilius.
S. Chryſoſt.
S. Greg. Niſſ.
S. Nazianz.
S. Anſelm.
S. Greg. M.
S. Cyprian.
S. Damaſc.
S. Fulgent.

CAPVT X.

Certitudo eiuſdem aſſertionis ſolida ratione firmatur.

VBi tam expreſſa eſt Auguſtini doctrina, nullus poteſt eam in dubium vertere. Sed & argumentum à ratione petitum præbet illi omnimodam certitudinem. Certiſſimè ergo tenendum eſt, votum caſtitatis religioſæ (excipe aliquas Religiones Militares voto caſtitatis coniugalis contentas) extendi ad externa, & interna; atque adeò illud violari per quamlibet delectationem internam. 85.

Conuincit ratio. Nam ei, qui vouet caſtitatem in Religione, non eſt liberum contrahere, aut protrahere materiam voti, ſed caſtitatem vouet ſecundùm huius nominis ſignificationem receptam in Eccleſia ab omnibus, aut ferè omnibus fidelibus: ſed ſignificatio huius nominis *caſtitas*, prout eſt in voto Religionis, ſecundùm acceptionem communem omnium aut ferè omnium fidelium, comprehendit omnes actus tam internos, quàm externos contentos ſub ſexto, & nono Decalogi præcepto: ergo votum caſtitatis Religioſæ extenditur ad omnes actus tam internos, quàm externos. Minor patet. Nam ſignificatio nominum, quæ eſt apud omnes Doctores, eadem eſt apud omnes fideles: atqui apud omnes Doctores, tam Theologos, quàm Canoniſtas id intelligitur nomine caſtitatis, cùm ferè ſolus Caramuel diſſentiat: ergo idem intelligitur nomine caſtitatis apud omnes fideles. 86.

Acceptio caſtitatis apud omnes fideles & apud omnes Doctores facit euidentiam.

Confirmatur primò. In quæſtione, quæ omnino dependet à ſignificatione vocis, communis ſententia omnium, aut ferè omnium Doctorum facit euidentiam moralem, vt oſtendi *diſp. 12. cap. 4.* ſed talis eſt quæſtio preſens; depēdet enim omninò à ſignificatione communi huius nominis *caſtitas*: ergo in ea commu- 87.

nis ſententia omnium, aut ferè omnium Doctorum facit euidentiam moralem. Atqui ſententia communis omnium, aut ferè omnium Doctorum nomine caſtitatis deuotæ in Religione intelligit omnimodam caſtitatem, tam internam, quàm externam: ergo euidens moraliter eſt, totam hanc eſſe materiam voti Religioſi.

88. Confirmatur ſecundò. Ideo certum eſt, votum ieiunij Eccleſiaſtici obligare ad abſtinendum à carnibus, quia nomine ieiunij Eccleſiaſtici ab omnibus intelligitur ſignificari abſtinentia à carnibus: ſed nomine Religioſæ caſtitatis ab omnibus intelligitur ſignificari abſtinentia ab omnibus venereis, tam internis, quàm externis: ergo certum eſt, votum caſtitatis Religioſæ includere abſtinentiam ab omnibus venereis, tam internis, quàm externis.

89. Confirmatur tertiò. De eſſentia vocis ſignificatiuæ, vt talis, eſt communis vſurpatio; hæc enim eſt forma denominans vocem taliter ſignificantem: ergo de eſſentia huius vocis *caſtitas*, vt taliter ſignificatiuæ, eſt communis vſurpatio: ſed communis vſurpatio huius vocis *caſtitas*, eſt pro abſtinentia ab omnibus venereis, tam internis, quàm externis: ergo hæc eſt de eſſentia huius vocis *caſtitas*, vt taliter ſignificatiuæ. Sed qui vouet caſtitatem in Religione, vouet ſecundùm eſſentialem ſignificationem huius nominis: ergo vouet abſtinentiam ab omnibus venereis, tam internis, quam externis.

90. *Omnes Theologi certò aſſignant caſtitatis voto materiã externam, & internam.*

Et ideò omnes ſcriptores Theologi, qui hoc punctum tetigerunt, hanc veritatem affirmant, & tanquam certam ſupponunt. Ita P. Suar. *tom.* 3. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 11. *numero* 10. vbi ait, votum caſtitatis religioſæ, ſicut & Ordini ſacro adnexum, *eſſe de tota materia caſtitatis, per ſe notum eſſe*. Et *lib.* 9. *cap.* 2. *numero* 2. vbi addit: *Quod eſt certiſſimum, non ſolum quoad externum actum, ſed etiam quoad internum conſenſum & deſiderium cuiuſcumque turpis actus*. P. Th. Sanch. *lib.* 5. *ſum. cap.* 6. *num.* 9. *& lib.* 4. *cap.* 40. *à numero* 48. *& lib.* 8. *de Matrim. diſp.* 9. *numero* 7. P. Vaſquez 1. 2. *diſp.* 112. *cap.* 2. *numero* 9. *&* 10. Sayrus *in claui lib.* 8. *cap.* 7. *numero* 20. P. Leſſius *lib.* 4. *de iuſt. cap.* 3. *num.* 83. *&* 84. P. Fagundez *lib.* 6. *in præcepta Decal. cap.* 8. *num.* 3. P. Caſtro Palao *tom.* 3. *tract.* 16. *diſp.* 3. *punct.* 1. *num.* 1. *& tract.* 17. *diſp.* 2. *punct.* 3. §. 2. *num.* 2. vbi ait: [Quod à fortiori militat in iis perſonis Eccleſiaſticis, quæ ſpeciali voto obligantur ab iis delectationibus abſtinere, quales ſunt ordine ſacro inſignitæ, & religioſæ. Hæ ergo per votum *corpus ſuum & animam* Deo offerunt, & conſecrant; redduntur que in illa parte quaſi ſacratæ.] P. Pellizzarius *in Manuali Regular. cap.* 5. *ſect.* 1. *quæſt.* 6. *& ſect.* 3. *quæſt.* 1. *&* 2. *& ſect.* 4. *quæſt.* 2. & apud ipſum Valencia *tom.* 3. *diſp.* 20. *quæſt.* 4. *puncto.* 3. & Lezana *tom.* 1. *cap.* 5. *num.* 4. Bonacina *in* 2. *præceptum Decal. diſp.* 4. *quæſt.* 2. *punct.* 5. §. 5. *num.* 1. Machado *tom.* 2. *lib.* 5. *part.* 2. *tract.* 1. *docum.* 14. *num.* 3. P. Hermanus Buſembaum *in ſum. tract.* 4. *cap.* 2. *dub.* 2. *numero* 6. P. Layman *lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 8. *num.* 1. P. Gaſpar Hurtado *de peccatis diſp.* 4. *diff.* 10. quem refert, & ſequitur Diana *part.* 5. *tract.* 3. *reſol.* 99. *fine*, Leander à SS. Sacram. *part.* 1. *tract.* 5. *diſp.* 8. §. 3. *quæſt.* 22. dicens hanc aſſertionem eſſe certiſſimam, & affirmans, oppoſitam eſſe improbabilem cum P. Turriano *in ſelect. part.* 2. *diſputatione* 16. *dubit.* 1. item apud eumdem Leandrum P. Lugo Card. *de Pœnit. diſputatione* 16. *num.* 386. *&* Candidus *diſquiſit.* 24. *dub.* 13. & Trullench. *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 2. *dub.* 7. *numero* 2. item P. Reginaldus *tom.* 2. *lib.* 11. *cap.* 2. *ſect.* 3. *num.* 13. Tradit etiam Silueſt. *verb. Religio* 6. *quæſt.* 8.

Suarez.
Th. Sanch.
Vaſquez.
Sayrus.
Leſſius.
Fagundez.
Caſtro Pal.
Pellizzar.
Valencia.
Lezana.
Bonacina.
Machado.
Buſemb.
Layman.
G. Hurt.
Diana.
Leand. à SS.
Turrian.
Lugo Card.
Candidus.
Trullench.
Reginald.
Sylueſt.

Vnde confirmatur quartò certitudo huius veritatis. 91. Nam licèt in aliis materiis ſententia vnius, aut alterius Theologi facere poſſit, vt quidam aiunt, opinionem probabilem contra communem ſententiam; at in ſignificatione vocum, aut quæſtione decidenda per ſignificationem vocum, ſententia vnius vel paucorum contra communem nequit facere opinionem probabilem, vt oſtendi *diſput.* 12. *cap.* 4. eo quod ſignificatio vocum pendeat eſſentialiter à communi vſurpatione: ſicut etiam valor monetæ, qui non poteſt variari ex vnius vel alterius placito. Sed in hac quæſtione, [Ad quid extendatur votum caſtitatis religioſæ;] inquiritur, quid intelligatur in prædicto voto nomine caſtitatis: ergo in ea quæſtione non poteſt facere opinionem probabilem vnus, vel alter diſcedens ab exiſtimatione communi.

Sententia vnius non facit probabilitatẽ in quæſtione de ſignificato vocis.

Confirmatur quintò. 92. Nam communis acceptio & intellectus verborum legis, aut ſignificationis eorum *dignoſcitur ex communi iudicio & ſenſu bonorum & peritorum*; vt in ſimili notauit P. Sanch. *lib.* 6. *ſum. cap.* 4. *numero* 27. & probaui *diſputatione* 12. *cap.* 4. *numero* 65. Atqui commune iudicium & ſenſus proborum, & peritorum de hac voce *caſtitas*, vt ſubit votum Religioſorum, extenditur ad omnes delectationes, tam internas quàm externas amputandas, vt patet ex ferè omnibus Scriptoribus Theologis, qui hoc punctum verſarunt: ergo ea eſt communis acceptio & ſignificatio huius vocis *caſtitas*, in voto Religioſorum.

Vnde fit, in hac materia communem ſententiam Theologorum facere euidentiam moralem. 93. Etenim euidens eſt, communem acceptionem dare ſignificatum voci: item eſt euidens hanc communem acceptionem dignoſci & comprobari ex communi iudicio proborum, & peritorum: item euidens eſt, commune iudicium proborum & peritorum ſtare pro hoc ſignificatu vocis *caſtitas*, prout ſubit votum, vt patet ex citatis Authoribus: fit ergo euidens, cùm vouetur caſtitas in Religione, hoc nomine intelligi vniuerſaliſſimè quidquid internum & externum.

Et quidem præter Caramuelem, quidam alius ſummiſta aſſeruit, delectatione moroſa non violari votum caſtitatis; 94. eius tamen authoritas, vt dixi, non facit opinionem probabilem. Tum quia ex dictis patet, in iis, quæ pendent à ſignificatione vocis, communem ſententiam facere euidentiam moralem; & vnum, aut alterum ſcriptorem non facere opinionem probabilem. Etenim ſi vnus, vel duo Authores aſſererent, nomine *Panis*, ſignificati veſtes, aut calceos, nullam ei aſſertioni

Digitized by Google

aſſertioni probabilitatem afferrent, quantumvis magnæ authoritatis eos eſſe velis. Tum etiam quia meros ſummiſtas non facere opinionem probabilem, conſtat *ex diſp. 11. cap. 2. art. 4.*

CAPVT XI.

Aliud argumentum contra aſſertionem Caramuelis.

95. *Lex terminata ad externum, præcipit indirectè internum, ſine quo, &c.*

SEd & alio argumento ad hominem probo concluſionem. Pro cuius explicatione præmitto primò, omnem legem humanam, quæ ſecundùm opinionem probabilem non extenditur directè ad actus internos, ex ſententia Caramuelis *in Theolog. fundamentali, fund. 24. num.* 700. quæ etiam eſt omnium, præcipere indirectè eos actus internos, qui neceſſarij ſunt ad exequendam materiam directè præceptam à lege.

96. *Præcipitur indirectè voluntas efficax agendi, & carētia voluntatis efficacis non agendi.*

Præmitto ſecundò. Ad implendum præceptum, v. g. de recitando officio canonico, requiritur neceſſariò voluntas efficax recitandi, & carentia voluntatis efficacis non recitandi. Ideò præceptum de recitando officio canonico præcipit indirectè voluntatem efficacem recitandi, & præcipit indirectè carentiam voluntatis efficacis non recitandi; ſiue, quod idem eſt, prohibet indirectè voluntatem efficacem non recitandi.

97. Et ſimiliter ad implendum præceptum de abſtinentia à carnibus, requiritur neceſſariò voluntas efficax abſtinendi à carnibus expreſſa, vel interpretatiua. (Dixi, *vel interpretatiua,* vt abſtraham ab ea quæſtione, an detur omiſſio pura libera, quæque interpretatiuè æquiualeat voluntati efficaci abſtinendi.) Item requiritur carentia voluntatis efficacis comedendi carnes. Ideo præceptum de abſtinendo à carnibus, indirectè præcipit voluntatem efficacem abſtinendi à carnibus expreſſam, vel interpretatiuam; & prohibet voluntatem efficacem comedendi carnes, ſiue, quod idem eſt, præcipit carentiam voluntatis efficacis comedendi carnes.

98. *Quod lex præcipit indirectè, præcipit propter eundem finem.*

Præmitto tertiò. Quod lex humana præcipit indirectè, præcipit propter eumdem finem, quem reſpicit in præcipienda materia directa, v. g. cùm præcipit officium canonicum propter Religionem, præcipit voluntatem efficacem recitandi officium canonicum propter eumdem finem. Et cùm præcipit abſtinentiam à carnibus propter mortificationem, ob eundem finem præcipit indirectè voluntatem efficacem abſtinendi à carnibus.

99. *Voluntas efficax omittendi officium, peccat contra Religionem.*

Præmitto quartò. Sacerdos, qui habet voluntatem efficacem omittendi officium canonicum, peccat contra Religionem. Infertur ex præcedenti. Qui violat præceptum latum propter finem Religionis, peccat contra Religionem: ſed qui habet intentionem efficacem omittendi officium canonicum, violat præceptum, quod propter finem Religionis iniungit talem intentionem: ergo qui habet intentionem efficacem omittendi officium canonicum, peccat contra Religionem.

100. Præmitto quintò. Votum de actu externo obligat indirectè ad omnem actum internum qui neceſſariò requiritur ad votum implendum; atque adeò obligat ad voluntatem efficacem exequendi talem actum internum. Pater ex dictis. Votum enim eſt quædam lex priuata; & eadem ratio, quæ probat, legem humanam præcipere indirectè voluntatem efficacem implendi, probat, hanc legem priuatam iniungere indirectè, & obligare ad prædictam voluntatem efficacem implendi.

Votum de actu externo obligat indirectè ad internum, qui &c.

Hinc etiam patet, peccare contra Religionem eum, qui habet intentionem efficacem non recitandi officium canonicum Deo promiſſum. Etenim contra Religionem peccat, qui violat votum: ſed qui habet voluntatem efficacem non recitandi officium Deo promiſſum, violat votum, vt ex dictis patet: ergo qui habet voluntatem non recitandi officium Deo promiſſum, votum violat. Quod enim directè obliget, vel indirectè, ſicut in lege humana, non variat finem legis, ita in voto non variat ſpecificatiuum intrinſecum Religionis. 101.

Peccat contra Religionē qui habet intentionē efficacē omittēdi orationem promiſſam Deo.

Hinc fit argumentum contra aſſertionem Caramuelis, quæ affirmat, intentionem fornicandi non eſſe formaliter contra votum caſtitatis, neque eſſe ſacrilegium; ſed ſolùm eſſe voluntatem violandi votum, & voluntatem committendi ſacrilegium. Etenim votum abſtinendi à copula illicita indirectè obligat ad voluntatem efficacem abſtinendi ab illa (expreſſam vel interpretatiuam, modo ſuperiùs explicato (& indirectè prohibet voluntatem efficacem fornicationis: ergo voluntas efficax fornicationis eſt formaliter contra id votum, & contra obligationem illius: ſed actus, qui eſt formaliter contra obligationem voti, violat formaliter votum: ergo voluntas efficax fornicationis violat formaliter votum abſtinendi à copula illicita. Deinde qui violat formaliter votum abſtinendi à copula illicita, eſt formaliter ſacrilegus: ergo qui habet prædictam intentionem fornicandi, eſt formaliter ſacrilegus contra votum abſtinendi à copula illicita. Ergo quamvis votum caſtitatis ſolùm reſpiceret actus externos, adhuc iſte actus internus voluntatis efficacis fornicandi, violaret formaliter votum, & eſſet formaliter ſacrilegium. 102.

Intentio efficax fornicandi peccat cōtra votum nō fornicandi.

Neque eſt, cur dicas, actum internum, qui violat præceptionem indirectam legis, aut obligationem indirectam voti, non violare formaliter votum. Nam Caramuel terminum *formaliter* opponit termino *obiectiuè,* in præſenti materia. Vnde actus, qui violat præceptum, & non violat obiectiuè, aut non obiectiuè ſolùm, vtique violat formaliter. Sed qui violat obligationem indirectam voti, non violat votum, præſciſè, quia actus reſpicit pro obiecto violationem voti, ſed etiam quia ipſum votum inhibet talem actum, quamvis indirectè: ergo non violat ſolùm obiectiuè, ſed etiam formaliter. 103.

***

Digitized by Google

CAPVT XII.

In voto caſtitatis Societatis Ieſu ſpeciali ratione conſtat, materiam voti eſſe vniuerſaliſſimam.

104. IN calce huius diſputationis operæ pretium eſt adnotare ſpecialem rationem, qua conſtat, in Societate Ieſu votum caſtitatis extendi vniuerſaliſſimè ad omnes actus tam internos, quàm externos, eo quod Societatis Ieſu Author & inſtitutor S.Ignatius id ſpecialiter prouidit. Etenim in formula votorum, quæ poſt biennium nouitiatus omnes emittunt, quam ipſe D.Ignatius diſpoſuit *part. 5. Conſt. cap.4. §.4.* poſtquàm ponitur promiſſio paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ, dicitur: *Omnia intelligendo iuxta ipſius Societatis conſtitutiones.* Et in formula Profeſſionis, quæ habetur *part.5.conſt. cap.3.§.3.* poſtquàm ponitur promiſſio eorumdem votorum, dicitur: *Iuxta formam viuendi in Literis Apoſtolis Societatis Ieſu, & in eius Conſtitutionibus contentam.*

In formula votorum dicitur, omnia intelligenda iuxta ſocietatis conſtitutiones.

105. Cùm autem peruenit D. Ignatius ad votum caſtitatis explicandum in conſtitutionibus *part.6.cap.1.§.1.* ait: [Quæ ad *votum caſtitatis* pertinent, *interpretatione* non indigent; *cùm conſtet*, quàm ſit perfectè obſeruanda, nempe enitendo Angelicam puritatem imitari, & *corporis & mentis noſtra munditiâ.* Nota ea tria verba: primùm, *interpretatione non indigent:* ſecundum, *cùm conſtet:* tertium, *& corporis & mentis munditiâ.* Votum ergo caſtitatis Ieſuiticæ extenditur ad omnem munditiam mentis & corporis, & excludit omnem delectationem externam, & internam. Ideò autem dicitur, votum caſtitatis non indigere *interpretatione,* quia ſolùm indigent interpretatione, quæ dubia ſunt, non verò quæ *conſtant.* Atque ita votum caſtitatis Ieſuiticæ *interpretatione non indiget*, cùm conſtet, & certum ſit, illud ad omnem *& corporis, & mentis munditiam extendi.*

In voto caſtitatis imitandam eſſe angelicam puritatem corporis, & mentis munditiâ.

106. *Suarez.* Et ideò P. Suar. *tom.4. de Relig. tract.10. lib.4. cap.1. num. 1.* agens de voto caſtitatis Scholarium Societatis, ait: [Suppono primò, hoc votum eſſe omninò integrum & perfectum, tam in *extenſione materiæ*, quàm in obligatione, quam inducit: comprehendit enim *totam materiam caſtitatis ſine vlla reſtrictione, & ad totam illam obſeruandam obligat cum omni rigore*, cum quo poteſt obligare caſtitatis votum.] Dixerat autem *tom. 3. lib. 9. cap. 2. numero 2. certiſſimum eſſe*, votum caſtitatis reſpicere pro materia actus, tam internos, quàm externos, vt retuli *cap.10. num. 90.*

107. *Reſponſio.* Dices primò, in formula profeſſionis, & votorum ſolemnium, ea verba, *Iuxta formam viuendi in litteris Apoſtolicis in Societate Ieſu, & in eius conſtitutionibus contentam*, referri ad poſtremum votum, & circumſtantiam eius. Ibi enim dicitur: *Et obedientiam, & ſecundùm eam, peculiarem curam circa puerorum eruditionem, iuxta formam viuendi in litteris Apoſtolicis*, &c.

108. *Conuincitur.* Contrà eſt primò. Nam cùm D.Patens Ignatius in formula votorum ſimplicium appoſuerit, *omnia intelligenda iuxta ipſius Societatis conſtitutiones*; in formula votorum ſolemnium nihil aliud egit, quàm mutare phraſim: neque eſt, cur illa ſola circumſtantia intelligenda ſit iuxta litteras Apoſtolicas, & Conſtitutiones, & non reliqua alia vota. Cùm enim votum paupertatis in Societate multa habeat, quæ communia non ſint aliis Religionibus, quæque in litteris Apoſtolicis, & Conſtitutionibus Societatis contineantur; potiùs ea verba, *iuxta formam viuendi in litteris Apoſtolicis*, &c. debuerunt referri ad votum paupertatis, quàm ad ſolam puerorum eruditionem. Quod ſi ad votum etiam paupertatis referenda ſunt, ad cætera etiam vota referri debent, cùm verba ſint generaliter & indifferenter poſita, neque ad votum paupertatis contracta.

Contrà eſt ſecundò. Nam in formula votorum coadiutorum ſpiritualium ponitur idem verborum ordo: *Et obedientiam, & ſecundum eam, peculiarem curam circa puerorum eruditionem, iuxta modum in litteris Apoſtolicis, & Conſtitutionibus dicta Societatis expreſſum.* Et tamen in declaratione (habent declarationes eandem authoritatem, ac conſtitutiones) *littera B.* ea verba, *Iuxta modum in litteris Apoſtolicis & Conſtitutionibus*, referuntur ad omnia vota & qualitatem illorum. Ita enim exponuntur ibi: *Quod dicitur iuxta Bullas & Conſtitutiones, intelligendum eſt, quod coadiutores emittant einſmodi ſimplicia vota, cum tacita quadam, quoad perpetuitatem attinet, conditione, &c.* Patet ergo, ea verba ad omnia vota extendi. 109.

Contrà eſt tertiò. Quia licet non apponerentur ea verba in formula profeſſionis, adhuc illa deberent intelligi ſecundùm conſtitutiones; quod omnibus Religionibus commune eſt: in vnaquaque enim Religione profeſſio intelligitur ſecundùm quod continetur & explicatur in Regula. 110.

Vota omnia Religionis ſunt ſecundùm regulã.

Contrà eſt quartò. Nam omnes, qui in ſocietate emittunt profeſſionem, aut vota coadiutorum, anteà exacto biennio nouitiatus emiſerunt vota per illam formulam, in qua dicitur, *Omnia intelligendo iuxta ipſius Societatis Conſtitutiones:* atque adeò vouerunt caſtitatem ſecundum illam conſtitutionem, qua dicitur, votum caſtitatis extendi *ad corpois & mentis noſtræ munditiam.* Et ſi quam maiorem obligationem habuiſſent ex vi votorum ſimplicium, non amittunt per profeſſionem. 111.

Contrà eſt quintò. Eſſet enim abſurdum dicere, quod vota biennij ſimplicia continerent maiorem perfectionem in eadem Religione, quàm vota ſolemnia; & laxiùs intelligenda eſſe ſolemnia, quàm ſimplicia. Eſſet enim perfectius votum ſimplex caſtitatis, quod emitteretur de munditia corporis & mentis, quàm votum caſtitatis ſolemne, quod de ſola munditia corporis emitteretur. Nam ſolemnitas non addit maiorem perfectionem ex vi voti, cùm ſolemnitas orta ſit non ex vi ipſius voti, ſed ex iure poſitiuo humano, iuxta ſaniorem ſententiam. Ex quibus omnibus fit indubitabile, votum caſtitatis Societatis Ieſu, ſiue ſimplex, ſiue ſolemne, ex ſpeciali ratione extendi ad omnes actus, tam internos, quàm externos. 112.

Dices

Digitized by Google

113. *Quomodo votum eſſe poſſit de Angelica puritate imitãda.*

Dices ſecundò. In iis verbis: *Enitendo Angelicam puritatem imitari, & corporis, & mentis munditiâ*; Diuus Ignatius videtur potius conſulere, quæ maioris perfectionis ſunt, quàm præſcribere modum obligationis aſſumendæ, & obſeruandæ; cùm non ſit vitæ mortalis Angelos puritate imitari. Et confirmari poteſt; videtur enim impoſſibilis imitatio puritatis Angelicæ: ergo qui ad illam enititur, ad aliquid impoſſibile enititur: ergo magis cenſebuntur dicta ea per hyperbolem, quàm præſcribendo modum caſtitatis.

114. *Caſtitas mẽtis, & corporis dicitur à SS. Patribus puritas angelica.* S. Auguſt.

Id tamen nihil obſtat, quin potiùs iuuat obiectio ad huius veritatis perſpicuitatem. Pro qua aduerte, apud Sanctos PP. caſtitatem mentis & corporis vocari puritatem angelicam; & caſtos appellari vitæ angelicæ imitatores. Vnde D. Auguſtinus *lib. de ſancta Virginitate*, *cùm cap.* 12. dixiſſet; *Ex illa* (Eccleſia) *non tota corpore, ſed tota virgine ſpiritu naſcuntur ſacræ Virgines & corpore, & ſpiritu*: paulò poſt (id eſt, poſt quinque lineas) de eiſdem loquens, addit: *Virginalis autem integritas, & per propriam continentiam ab omni concubitu immunitas, Angelica portio eſt.* Loqui autem de voto virginitatis Auguſtinum, patet ex verbis antecedentibus *in cap.* 11. *Nec nos hoc in virginibus prædicamus, quod virgines ſunt, ſed quod Deo dicata pia continentia virgines.* Et *cap.* 8. *Neque enim & ipſa, quia virginitas eſt, ſed quia Deo dicata eſt, honoratur.*

115. *Caſtos corpore & anima dicit æquales Angelis.*

Et S. Baſilius *lib. de virginit.* loquens de virginibus voto Deo dicatis. [Præoccuparunt itaque per virtutis rectè factum virgines id, quod in regeneratione, per reſurrectionis corporum mutationem ipſis potentia Dei adquirendum erat, iam hinc *velut Angeli*, neque vxores ducentes, neque nubentes; imò etiam *animæ virtute, & corporis integritate Angelis æquales exiſtentes.*] Nota, quomodo ſint æquales Angelis, nempe in animæ virtute, & corporis integritate. In quo libro totus eſt Baſilius in ſuadendo, virginitatem Deo dicatam talem eſſe debere in puritate animæ & corporis. Dixerat enim: [Et in *nulla parte* oportet viginem adulteram eſſe, non lingua, non auribus, non oculo, non tactu, non alio omninò ſenſu, imò *neque cogitatione*.] Et *ibid.* [Profectò non aliqua quidem vitare, aliqua verò indifferenter audere debet, ſed omnes in totum maculas & rugas ipſi inducentes impetus procul repellere, vt ſancta ſit corpore, nullum ob hoc inquinamentum ad animam ferens; *& ſpiritu, nulla cogitatione* hunc turbans.] Vide etiam *cap.* 6. *fine.*

116. S.Chryſoſt.

S. Chryſoſtomus *homil.* 42. *operis imperfecti* ait: *Sicut omnes actus carnales opera ſunt animalium, præcipuè tamen actus libidinis: ſic omnes virtutes ſunt res Angelicæ, præcipuè tamen caſtitas.*

117. Idem Chryſoſtomus *lib. de virginit. cap.* 79. apud Giſlerium *in Cant. cap.* 1. *verſu* 10. *num.* 3. *Si id ſcire vis, Chriſtum loquentem attende. Neque nubent, neque vxorem ducent, ſed ſunt ſicut Angeli in cœlo. Vide internallum: quàm in excelſum locum virginitas mortale corpus extollat. Qua enim, quæſo, re differebant ab Angelis Elias, Eliſæus, Ioannes, veri hi virginitatis amatores? Nulla, niſi quòd mortali naturâ diſtabant.*

118. S. Gregorius Nyſſenus *lib. de virginit. cap.* 2. *Cùm enim purum nominas atque incorruptum, virginitatem alio nomine ſignificas: quæ in vniuerſa denique cœleſti natura ſimul verſatur: quia cùm ab affectibus vacua ſit, ſublimibus illis poteſtatibus inhæret.* Et nota, quare inhæret Angelis, ſcilicet, quia *ab affectibus vacua* eſt, quod puritatem mentis indicat. Et inferiùs: *Quoniam igitur tanta vis virginitatis eſt, vt in cœlis apud ſpirituum Patrem maneat, & cum cœleſtibus illis mentibus vna exultet.* S.Gregorius Nyſſenus.

Hanc autem virginitatem Angelis parem 119. conſiſtere non ſolùm in corporis, ſed etiam in puritate mentis, explicat *ibid. cap.* 4. [Nam virginitatis præſidio animus cum vero ſponſo coniunctus *non corporeis modò ſordibus* ſe ipſe remouebit; ſed inde etiam profectus *ad munditiem* aggredietur, ad omniaque pati item ſecuritate ibit: illud tamen pertimeſcendo, ne aliquo modo ad rei prauæ ſocietatem *corde*, pluſquam par eſt inclinato, *affectionem* aliquam ex ea parte *adulterinam* capiat.]

S. Gregorius Nazianz. *in exhortatione ad virginem*, cuius titulus eſt: *Virgines ad ſeruandum continentiæ votum hortatur*, &c. paulò poſt initium ait: 120. S.Gregor. Nazianz. *Spirituales virtutes* (id eſt, Angelos, vt explicatur in ſcholio) *imitata Angelicam vitæ rationem in terra conſectata es.* Quod repetit paulò inferiùs, explicans, qua ratione debeat habere virginitatem corporis, & animi: [Hoc ſolùm cura, virgo, vt *totam caſtam, & pudicam* te ſerues (aduerte *totam*) ne immaculatam Chriſti tunicam macules: ſit oculus grauis & pudicus, lingua virginitatem colat, *meretricius ne ſit animus.*]

Et *homil. in Matth.* 19. *col.* 6. agens de virginitate ait: 121. [Angelorum vitam elegiſti, in eorum ordinem te aggregaſti, qui iugum neſciunt: ne in carnem prolabaris, ne in materiam, craſſitiemque deiiciaris; *ne cum materia matrimonio coniungaris, etiamſi alioqui in cœlibatu.*] Iungi autem *matrimonio cum materia, etiamſi alioqui in cœlibatu*; ſignificare videtur idem, quod habere luxuriam animi, licèt caſtitas ſeruetur in corpore. Et paulò poſt ſubdit: [*Virginitatem animus* quoque ipſe colat, ne vagetur, ne oberret, ne *meretriciarum rerum formas* in ſeipſo ferat; (nam *libidinis quoque pars, impreſſa in animo forma eſt*) ne *fœda & execranda rerum ſimulacra* in anima effingat:] Id eſt, ſpecies impreſſas, & ex illis cogitationes, & affectus internos. Vide, quomodo Angelorum vita ſit caſtitas animi & corporis. Et quomodo amittatur virginitas animi per formas impreſſas libidinis, per ſimulacra execranda; quo vtroque nomine ſignificatur ſpecies impreſſa libidinis. Et ſpecialiter nota ea verba: *Libidinis quoque pars impreſſa in animo forma eſt.* Id eſt, cogitatio turpis & affectus venereus ex illa ortus, etiam eſt pars luxuriæ, quam virginitas animi auerſatur.

S. Anſelmus *in cap.* 7. *epiſt.* 1. *ad Corinth.* ad ea verba, *de virginibus autem præceptum Domini non habeo*, ait: 122. S.Anſelm. [Si fuiſſet virginitas imperata, nuptiæ videbantur ablatæ: & duriſſimum erat contra naturam cogere, *Angelorumque vitam* ab hominibus extorquere.] Explicans autem ea verba eiuſdem capitis, *vt ſit ſancta corpore, & ſpiritu*, ſic exponit: [Vt ſit ſancta *corpore & ſpiritu, id eſt, carne & mente.* Nonnullæ enim ſunt virgines carne, non *ſpiritu*, quarum cor-

pus integrum eſt, *& anima corrupta.* Sed illa virginitas *hoſtia Chriſti eſt*, cuius *nec mentem cogitatio*, nec carnem libido maculauerit. Eſt enim ſancta corpore & ſpiritu.]

123. S.Gregor. Magnus. S. Gregorius Magnus *in cap.* 15. *lib.* 1. *Reg.* ad ea verba, *ducenta millia peditum*, ait: [Quid verò ſunt *exempla caſtitatis*, *niſi cœleſtium militum* terris impreſſa veſtigia?] Quomodo autem Angeli ſint, ſiue cœleſtes milites, mox explicat poſt nouem lineas, inquiens: [Per diuinam gratiam tam *corporis continentia*, quàm *integritate mentis ad ſummam pudicitia* arcem peruenere.] E paulò poſt: [Talem quidem etiam viduam Apoſtolus eſſe præcipiens, ait: *Vt ſit ſancta carne & ſpiritu.* Sancta quippe *carne & ſpiritu* eſt, ſi perfectione caſtitatis, qua fulget in corpore, fulgeat etiam in mente.] Et paulò poſt ad ea verba, *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato.* Et ad illa, *Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus in fimbriis aureis*, ait: [Quid eſt enim veſtitus aureus, niſi decor & honor corporalis virginitatis. Veſtitus quidem dicitur, quia foris fulget in corpore; aureus autem, quia præcellit dignitate.... Aurea enim virginitas non eſt, ſi foris eſt, & *intus non eſt.* Quia ergo intus & foris eſt, quia eadem ſplendet in corpore, *eadem fulget in mente.*]

124. S. Cyprian. S.Cyprianus de habitu virginum, prope finem. [Cùm caſtæ perſeueratis & virgines, *Angelis Dei eſtis* æquales: tantùm maneat & duret ſolida & illæſa virginitas; & vt cœpit fortiter, iugiter perſeueret.] Sed quomodo perſeuerabit illæſa, vt ſeruetur æqualitas hæc Angelorum, paulò poſt explicat. [Natiuitatis iteratæ vobis maior ſanctitas competit, quibus *deſideria* iam carnis & corporis nulla ſunt.] Nota, quomodo caſtitas angelicæ puritati æqualis etiam deſideria excludat. Et paulò poſt initium: [Vt quæ *ſe Chriſto dicauerint*, & à carnali concupiſcentia recedentes, *tam carne, quàm mente ſe Deo devouerint*, opus ſuum conſumment.] Loquitur autem Cyprianus de caſtis & virginibus Deo dicatis, vt patet ex verbis proximè relatis.

125. S.Hieron. S.Fulgent. S.Damaſc. S.Iſidorus. S.Chryſoſt. Videndi etiam ſunt de eodem argumento S.Hieronymus *epiſtola ad Demetriadem, de virginit. ferè ad medium*, S.Fulgentius *epiſt.* 3. *ad Probam.* S.Damaſcenus *lib.* 4. *cap.* 25. S.Iſidorus *lib.* 2. *de ſummo bono*, S.Chryſoſtomus *homil.* 18. *in Geneſ.* qui omnes hanc ſimilitudinem vitæ angelicæ in caſtitate conſtituunt.

126. *Colligitur ex Euangelio.* Quod etiam patet ex Euangelio Matthæi 22. vbi Chriſtus ait: *In Reſurrectione neque nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei.* Et Lucæ 20. proponitur eadem ſententia, & concluditur: *Æquales enim Angelis ſunt.* Conſiſtit ergo hæc æqualitas in omnimoda puritate ab hac libidinis contagione.

127. Hinc conſtat, conſtitutionem D. Ignatij P.N. non eſſe hyperbolicam, cùm ea ſimilitudo, ſeu imitatio puritatis angelicæ verè & propriè in nullo alio conſiſtat, niſi in caſtitate mentis, & corporis, quæ non eſt impoſſibilis, cùm caſtitas mentis cadat ſub præceptum diuinum totaliter extra matrimonium, & partialiter intra. Conſtat etiam, in ea conſtitutione non eſſe conſilium de iis, quæ pertinent ad maiorem perfectionem: tum quia verba non denotant conſilium; dicit enim, *Cùm conſtet, quàm ſit perfectè obſeruanda.* Conſilium enim electionem relinquit: quando autem *conſtat*, aliquid faciendum, non relinquitur optio. Tum etiam, quia non iniungitur vt conſilium, quod reuerà aliàs eſt præceptum diuinum: caſtitas autem mentis (per quam excluduntur omnes actus luxuriæ interni) ex præcepto diuino obligat extra matrimonium. Et ex his refutata manet reſponſio, & obiectio ſoluta.

DISPVTATIO XXXVIII.

An votum caſtitatis religioſæ verſetur circa actus, qui terminantur ad impudicitiam alienam?

CAPVT PRIMVM.

Refertur placitum Caramuelis, & aliorum.

COMMENTARIO *in Regulam, diſput.* 66. *num.* 982. ſic aſſerit de eo, qui profitetur caſtitatem. [Præctereà vouit, ſe futurum eſſe caſtum: non vouit, ſe facturum eſſe, quod alij eſſent caſti. 1.
Nota hanc vltimam diſtinctionem, quæ eſt veriſſima, & ante noſtrum Llamas à nemine obſeruata, & hodie à multis nondum bene intellecta. Ratio eſt, quia ſicut qui vouet obedientiam, non promittit, ſe facturum alios obedientes, ſed promittit ſolùm, ſe obediturum eſſe Abbati (vide *num.* 736.) & ſicut qui vouet paupertatem, non pollicetur, ſe depauperaturum eſſe alios, ſed ſolùm ſe proprium non habiturum eſſe: ſic ſimiliter qui vouet caſtitatem, nunquam vouet, ſe facturum eſſe, quod alij non ducant vxores, ſed ſe non ducturum: nunquam vouet, ſe curaturum eſſe, ne alij habeant pellices, ſed ſe non habiturum; non enim Deo alienam, ſed propriam libauit caſtitatem.]

Deinde *num.* 986. hanc inde concluſionem quartam elicuit. [Monachus, qui perſuaſione, vel cooperatione concurrit ad hoc, vt alius ſeu monachus, ſeu ſæcularis vadat ad concubinam, peccauit quidem mortaliter, ſed non contra ſuum votum caſtitatis. Demonſtratur. (*non vult, quod oppoſita concluſio ſit probabilis*) Quia ipſe non habuit rem cum tali pellice, ſed fecit, vt alius haberet. Vnde tenetur in confeſſione dicere: Feci, quod alius ſæcularis, vel Religioſus iret ad ſæcularem, vel Religioſam: tenetur explicare ſtatum peccantium (ita tamen vt poſſit omittere circumſtantias non mutantes ſpeciem) non verò ſuum: atque ideò ſi ſit in habitu ſæculari, non tenetur dicere, ſe eſſe Religioſum. Ratio eſt, quia ipſe non peccauit formaliter contra votum, imò neque contra ſextum præceptum Decalogi, ſed contra quintum formaliter, & contra ſextum obiectiuè; fuit enim illis ſcandalo, & occaſioni, vt peccarent contra ſextum. Præctereà in hoc ſcandalo, ſeu perſuaſione nulla voluptas ſenſualis

2. *Monachum, qui ſuadet, vel cooperatur, vt alter adulteretur, non peccare contra votũ ſuum.*

Digitized by Google

ſualis reperitur, nulla venerea delectatio, neque in hanc aſſenſus, ſed ſolùm reperitur malitia voluntatis animam alterius occidentis; & hoc eſt contra quintum.]

3. Deinde eodem numero addit caſum ſequentem.] Petrus vt ſollicitaret quamdam Religioſam, vſus eſt induſtria amici ſæcularis, & tandem induſtria Religioſi. Conſuleris, vter grauiùs peccauerit, ſæcularis, an Religioſus? Siquidem vterque æqualiter concurrit ad Religioſæ illius præuaricationem. Reſpōde, vtrumque peccaſſe æqualiter, quia neuter habuit rem veneream, ſed fecit quod Religioſa haberet.

Vter grauiùs peccat, Religioſus, an laicus, cùm vterque ſuaſit luxuriam?

Ait, neutrum.

4. Poſteà *num.* 987. hanc ſtatuit quintam concluſionem. [Mulier, quæ ſine delectatione propria ſenſuali, & ſine periculo aſſenſus in propriam delectationem (fortè id abeſſe non poteſt, fortè nec ipſa delectatio) tactibus polluit alium, vel aliam, vt alter, vel altera habeat delectationem, peccauit ſanè mortaliter. Sed in quo genere, contra quot leges & regulas, debemus aperire. Primò. Si ipſa fuerit alij ſcandalo, eſt malitia contra quintum Decalogi præceptum. Si non fuit alij ſcandalo, vt poteſt contingere, exuet iſtam malitiam. Secundò. Eſt inſtrumentum alienæ pollutionis: & ſic peccaret contra ſextum: ſed huius peccati alius eſſet cauſa principalis. Tertiò. Si eſſet Monialis, non operaretur contra votum caſtitatis. Ita Llamas *in Sum. part.* 3. *cap.* 8. §. 16. Diana *de circumſtantiis aggrauantibus, reſol.* 61. remittit viris doctis examinandum, vtrum hæc opinio ſit probabilis: & pro ſua pietate noluit eam condemnare. Verùm ſi res examinetur, non ſolùm probabilis, ſed etiam euidens eſt hæc ſententia, conſeruatis principiis præcedentibus.] Nota euidentiam concluſionis, quam intendit Caramuel. Principia autem conſeruanda ad talem euidentiam ſunt, quod Religioſus non vouet caſtitatem alienam, ſed dumtaxat propriam. Videamus modò demonſtrationem, qua eam concluſionem euidenter probat.

Monachum, qui abſque delectatione ſua tactibus polluit alterum, non violare votum.

5. Subdit immediatiſſimè. [Argumentor ſic. Poterit Monialis cooperari, vt Ioannes reddat debitum vxori propriæ, quin contra votum caſtitatis procedat; quia ipſa non vouit caſtitatem alterius, ſed propriam: ergo eadem de cauſa poterit cooperari, vt Ioannes incidat in pollutionem, quin frangat votum caſtitatis; cùm ipſa non vouerit vitare pollutionem alterius, ſed propriam, vel aſſigna diſparitatis cauſam.]

6. Sed cùm ea opinio Hieronymi de Llamas damnata fuerit à Sacro Fidei Tribunali Hiſpanico, vt retuli *diſp.* 26. *cap.* 4. aliqui Theologi oppoſuerunt Caramueli, quod illam non modò reproduceret, ſed euidentem & demonſtrabilem aſſereret. Quare *fund.* 51. *num.* 1409. ab hac ſe oppoſitione purgare conatur, aſſerens, aſſertionem Hieronymi eſſe longè diuerſam à ſua. Ille enim Author loquitur in caſu practico, in quo qui tangit polluendum, tactu ipſo delectatur; in quo caſu intolerabilem dicit ſententiam Hieronymi de Llamas, & iuſtè damnatam. At Caramuel loqui ſe aſſerit in caſu metaphyſico, in quo per poſſibile, vel impoſſibile, tangens nulla tangatur delectatione. Ita enim ait: [Sed quid ſi Religioſus ille eſſet ex adamante? Quid ſi ex ferro? Quid ſi tangendo alterum, non alteraretur, nec ſe exponeret laſciuæ commotionis periculo? Reſpondeo, hunc caſum eſſe metaphyſicum, & ſpeculatiuum, & praxim nullo modo reſpicere: eiuſque reſolutionem poſſe peccare in Logicam, aut Philoſophiam, non verò in Ethicam & regulas morum.]

An ea opinio ſit, quam damnauit Inquiſitio in Llamas.

7. Licèt tamen hæc dicat, non relinquit caſum in mera ſpeculatione: nam *eodem fund.* 51. *n.* 1413. addit: [Poſſe & ſolere delectationem & periculum ipſiſſimum in talibus ſordibus abeſſe, cognoſcunt illi, qui audierunt varias confeſſiones. Nam ſi ſæpe mulier in ipſo actu venereo (N.B.) merè paſſiuè ſe habet, nempe vt lapis, ſine delectatione, aut delectationis ſpe, quod fœminis nimis deditis veneri (quales ſunt publicæ meretrices) frequentiſſimum eſt: cur non earum aliqua poſſet, non delectationis, cuius pro illo ſe tempore incapacem cognoſcit, ſed ſolius lucri cauſâ amaſium tangere, & tangendo polluere, & polluendo non contra ſuam, ſed contra Amaſij caſtitatem peccare? Repugnantiam non video.] An autem hæc ſententia Caramuelis de polluente alium ſine propria delectatione (quam non eſſe purè ſpeculatiuam, ſed practicam, conſtat ex eius periodo proximè præcedenti) comprehendatur ſub ea damnatione Inquiſitionis Hiſpanicæ, qua aſſertio Hieronymi de Llamas damnata eſt, videant alij, attentis præcipuè iis, quæ dicenda ſunt in prima concluſione.

Eſſe fœminas, quæ in actu venereo nulla delectatione tanguntur.

8. P. Thom. Sanchez *lib.* 5. *Sum. cap.* 6. *num.* 10. proponit hunc caſum: [Dubitabit aliquis, an ſi actus ſit venialis contra caſtitatem, at ratione circumſtantiæ extrinſecæ, vt ſcandali, ſit mortalis, peccatum hoc cenſeri debeat mortale contra caſtitatis votum; ita vt ſi violatio voti caſtitatis reſeruetur, maneat quoque reſeruata hæc culpa. Ratio dubitandi eſt, quia peccatum ſcandali ad eandemmet ſpeciem reducitur, ad quam pertinet peccatum illud, ad quod patientes ſcandalum inducuntur, vt probauimus *lib.* 1. huius tractatus, *cap.* 6. *num.* 5. Et *num.* 11. reſpondet: [Sed dicendum eſt, id peccatum in Religioſo dante ſcandalum non eſſe mortale contra ſuum caſtitatis votum, ſed ſolùm veniale, & ex hoc ſolam ſacrilegij venialis circumſtantiam continere; nec reſeruata voti caſtitatis violatione, cenſeri eam culpam reſeruatam, ſiue ſcandalum illud detur ſæcularibus, ſiue Religioſis aliis ſimili voto adſtrictis. Ducor, quia quamuis ſcandalum illud ſæcularibus datum, reducatur ad peccatum contra caſtitatem, & datum Religioſis ad ſacrilegium; at non eſt peccatum contra propriam caſtitatem, quam in ſe tenetur ſeruare Religioſus, quæ ſola cadit ſub huiuſmodi voto, & huius violatio tantùm reſeruatur.]

Alij etiam docent, eum, qui ſuadet venerea, non violare ſuum votum. Th. Sanch.

9. Idem tuetur P. Caſtro Palao *tom.* 3. *tract.* 15. *diſp.* 3. *punct.* 1. *num.* 2. vbi loquens de caſu proximè relato, ait: [Peccares mortaliter peccato ſcandali, aduerſus caſtitatis virtutem, ſed aduerſus votum ſolùm venialiter peccares, quia votum caſtitatis non ſe extendit ad conſeruandam alienam caſtitatem, ſed propriam. [Idem docet P. Arriaga *tom.* 8. *diſp.* 32. *de Pœnit. num.* 20. & P. Pellizzarius *tom.* 1. Manual. *cap.* 3. *ſect.* 4. *quæſt.* 2.

Caſtro Pal. Arriaga. Pellizzar.

10. Tandem notabis, hîc miſceri duas diuerſas quæſtiones. Primam, an qui abſque delectatione propria tangit alium, vt illum ad pollutionem

Duæ in hac inuoluuntur quæſtiones.

tionem prouocet, peccet contra votum caſtitatis? Secundam: An actus externi, vel interni habentes pro obiecto luxuriam alienam, violent votum caſtitatis? Quas quidem diuerſas eſſe conſtabit ex dicendis, vbi compereris, etiamſi non violetur votum caſtitatis per actus reſpicientes luxuriam alienam; violari tamen per eiuſmodi tactum.

CAPVT II.

Violari votum caſtitatis per tactum ordinatum ad pollutionem alienam, etiam abſque delectatione propria, tanquam certum ſtatuitur.

11. *Certum eſt, actu, qui verſatur circa luxuriam alienam cum delectatione propria, violari votum.* PRæmittendum eſt tanquam certiſſimum, quod actus habens pro obiecto luxuriam alienam, ſiue internus ſit, vt actus deſiderij; ſiue externus, vt ſuaſio fornicationis, ſi ſit cum delectatione propria, eſt formaliter contra votum caſtitatis. Hanc concluſionem nemo negat: & quamvis Caramuel illam neget, quoad actus internos; *diſp.* tamen *præcedenti* demonſtratum manet, actus internos non eſſe excludendos à voto caſtitatis.

12. Patet. Voto caſtitatis obſtringitur Religioſus ad abſtinendum ab omni delectatione venerea propria: ſed ille actus, licèt habeat pro obiecto luxuriam alienam, habet tamen delectationem veneream propriam: ergo voto caſtitatis obſtringitur ad abſtinendum ab eo actu habente pro obiecto luxuriam alienam.

13. *Religioſus, qui abſque propria delectatione concurrit phyſicè ad pollutionem alterius, violat votũ.* Sit prima concluſio, eaque certa primæ quæſtioni reſpondens. Religioſus, qui etiam ſine propria delectatione phyſicè & immediatè concurrit cum alio ad actionem turpem, v.g. pollutionem, violat votum caſtitatis. Et ita Religioſus, qui ſine propria delectatione tactibus ſuis pollueret ſæcularem, peccaret contra proprium votum caſtitatis. Hanc concluſionem ſub his terminis pauci attingunt, infertur tamen manifeſtè ex principiis omnium, demptis paucis, quorum aſſertio eſt damnata à Sacro Fidei Tribunali, & excepto Caramuele.

Certitudinem concluſionis oſtendo primò.

14. *Qui membris vtitur ad impudicitiã, etiam abſque delectatione, peccat contra caſtitatem propriam.* Quicumque vtitur membris ſuis ad impudicitiam mortalem, etiam ſine delectatione propria, peccat mortaliter contra propriam caſtitatem: ſed qui tactibus manuum prouocat Petrum ad pollutionem, vtitur membris ſuis (id eſt manibus) ad impudicitiam mortalem (qualis eſt illa pollutio) quamvis id fiat ſine propria delectatione: ergo qui tactibus manuum prouocat Petrum ad pollutionem, etiam abſque delectatione propria, peccat mortaliter contra caſtitatem propriam. Syllogiſmus eſt demonſtratiuus, ſi firmetur maior. Nam minor & conſequentia ſunt indubitabiles.

15. *Fœmina ſuccubans mœcho abſque delectatione, peccat contra caſtitatem propriam.* Maior ergo demonſtratur primò. Fœmina, quæ ſine delectatione propria ſuccubat mœcho (tales ſunt fœminæ de quibus Caramuel relatus *cap. præced. n.* 7. & propoſitio procedit ſub conditione, ſi id verum ſit, ſicut & maior proximi ſyllogiſmi) licèt delectatione careat, dum tamen vtitur membro ſuo ad impudicitiam mortalem, peccat mortaliter contra propriam caſtitatem: ergo qui membris ſuis abutitur ad impudicitiam mortalem, mortaliter peccat contra propriam caſtitatem. Antecedens patet. Illa enim fœmina fornicationem committit, vt euidens eſt: at fornicantem peccare contra caſtitatem, eſt de fide catholica; & peccare contra propriam caſtitatem, etiam eſt de fide, & ad minus eſt euidenter deductum ex ea propoſitione de fide: certiſſimum ergo eſt, illam fœminam, etiam ſine delectatione propria peccare contra propriam caſtitatem.

Quod autem ex propoſitione de fide inferatur euidenter, fornicantem peccare mortaliter 16.
contra propriam caſtitatem, patet. Nam ſuppoſito principio fidei, quæ docet fornicantem peccare mortaliter contra caſtitatem, euidens eſt, quod qui fornicatur, in ſuo proprio corpore luxuriam exercet: at eum, qui in ſuo proprio corpore luxuriam exercet, euidens eſt peccare contra caſtitatem propriam: fornicantem ergo peccare mortaliter contra propriam caſtitatem, euidenter infertur ex illa fidei propoſitione.

Confirmatur argumentum in formam paritatis. 17. *Vrget argumentum à paritate rationis.*
Nam ſicut ſe habet fœmina illa reſpectu fornicationis; ita ſe habet Religioſus tangens manibus alium, reſpectu pollutionis: ſicut enim fœmina exhibet vas fœmineum membro pudendo mœchi, eiuſque ſeminationi, ſine delectatione ſua; ita Religioſus exhibet manum ſuam effuſioni ſeminis viri ſæcularis, abſque ſua Religioſi delectatione: ergo ſicut peccat fœmina contra propriam caſtitatem, exhibendo vas ſuum mœcho abſque propria delectatione; ita etiam Religioſus contra ſuam propriam exhibendo manum pollutioni, licèt abſque propria delectatione.

Demonſtratur ſecundò eadem maior. Si ille 18.
Religioſus abſque propria delectatione exhiberet illi viro ſæculari non manum, ſed vas præpoſterum ad illam ſodomiticam pollutionem, peccaret mortaliter contra propriam caſtitatem; dum membro ſuo præpoſtero abuteretur ad illam mortalem impudicitiam ſodomiticam; eſſet enim verus ſodomita, & verè concurreret paſſiuè ad actum illum ſodomiticum perficiendum: ergo qui membris ſuis abutitur ad impudicitiam mortalem, etiam abſque delectatione ſua, mortaliter peccat contra propriam caſtitatem.

Et quidem maius robur habet hoc argumen- 19.
tum in ſententia Caramuelis, aſſerentis, pollutionem & effuſionem ſeminis intra vas præpoſterum eſſe eiuſdem ſpeciei; eo quod perinde ſit effundere ſemen in vaſe præpoſtero, & effundere in manibus; perinde ſit effundere ſemen ex prouocatione vaſis præpoſteri, & ex prouocatione manuum; cùm hæc diuerſitas pertineat ad modum, & non ad ſubſtantiam luxuriæ contranaturalis. Tum ſic. Qui abſque delectatione propria exhibet vas præpoſterum effuſioni ſodomiticæ, peccat contra propriam caſtitatem: ergo qui abſque delectatione propria exhibet manum effuſioni contranaturali, peccat etiam contra propriam caſtitatem, cùm in ordine ad luxuriam contranaturalem perinde ſit manus, ac vas præpoſterum.

Dices. Maior demonſtranda eſt vniuerſalis 20.
de exhibente quodlibet membrum ad actionem impudicam; propoſitio autem aſſumpta in hoc argumen-

Digitized by Google

argumento eſt particularis de exhibente vas præpoſterum : non ergo bene infertur propoſitio , quæ aſſumitur demonſtranda.

21. Contra tamen eſt. Propoſitio enim particularis vel ſingularis, quæ claudit rationem vniuerſalem, eſt adinſtar vniuerſalis, & vniuerſaliter probat : ſic ſe habet hæc propoſitio aſſumpta : probat ergo vniuerſaliter. Conſtat minor. Ratio enim , quare peccat ille contra propriam caſtitatem , cùm non ſit propria delectatio (quam ſupponimus abeſſe) non poteſt eſſe alia, niſi quia exhibet membrum ſuum ad impudicitiam mortalem:hæc autem ratio continet vniuerſalitatem maioris , quam demonſtrandam aſſumpſimus, vt ex terminis , ſi perpendantur, notum eſt.

22. *Caſus de tactu impudico, in quo peccāt contra caſtitatem coniuges,& tertius tangens eos.*

Demonſtratur tertiò eadem maior. Et da caſum , in quo duo coniuges parati ſint ad reddendum ſibi mutuò debitum , accedatque Religioſus ille pollutionum prouocator , inſenſibilis ad delectationes , & manu prouocet pudenda coniugum , & coniuges eam delectationem non niſi ad copulam coniugalem admittant. In quo caſu interrogo , an non peccet mortaliter Religioſus tangens , & coniuges eum tactum conſentientes ? Ego quidem ab ea quæſtione facilè me expedio.Peccat enim mortaliter tangens contra caſtitatem propriam, quatenus membrum ſuum (ſcilicet manum) exhibet actui impudico,qui reſpectu illius tangentis impudicus mortaliter eſt.Peccant mortaliter coniuges , non quatenus prouocantur præſcisè ad copulam coniugalem , cùm id illis ſit licitum ; ſed quatenus conſentiunt & cooperantur tactui illi impudico tangentis.

23. Tum ſic.Si maior illa aſſumpta non eſſet vera , non peccarent mortaliter contra caſtitatem tangens & coniuges tacti : atqui vtrique peccant mortaliter contra caſtitatem (quidquid ſit , an peccent contra propriam , vel alienam:) ergo qui vtitur membris ſuis ad impudicitiam mortalem , peccat mortaliter contra caſtitatem propriam , quæ erat maior aſſumpta.Minor patet : diſſonat enim vehementer rationi talis impudicitia. Maior probatur ex proximè dictis. Non eſt enim alia ratio , ob quam peccent mortaliter ; niſi quia tangens (cui omnis delectatio abeſt) vtitur membro (ſcilicet manu) ad impudicitiam , & coniuges illi cooperantur.Neque enim coniuges peccant mortaliter ordinando tactum illum ad copulam coniugalem , niſi ſupponamus , tactum illum eſſe mortaliter luxurioſum. Et cùm tangens non peccet ratione propriæ delectationis , quam ſupponimus abeſſe , non reſtat ratio alia , ob quam peccet , niſi quia membro ſuo vtitur ad impudicitiam.

24. *Qui in tactu extorquet pollutionem amentis abſque delectatione , violat caſtitatem propriam.*

Oſtenditur ſecundò concluſio , & ſimul demonſtratur quartò eadem maior. Si quis abſque delectatione propria amentem vel dormientem tactu prouocaret ad pollutionem , peccaret mortaliter contra caſtitatem : ſed non contra caſtitatem alienam : ergo contra caſtitatem propriam :ergo tangens alium ad pollutionem abſque delectatione propria , peccat contra caſtitatem propriam ; & ſi Religioſus ſit , contra votum caſtitatis.

25. Et quidem quod taliter prouocans amentem ad pollutionem , peccat mortaliter , indubitabile eſt , independenter à propria delectatione. Etenim ſi peccat mortaliter coniungens ad copulam virum & fœminam amentes non coniugatos , vt clarè oſtendit P. Th. Sanch. *lib.9.de matrim.diſp.*23 *num.*6.à fortiori peccabit mortaliter , qui procurat pollutionem amentis , cùm multò maior inordinatio ſit in pollutione , quàm in copula non coniugali.

Qui copulat virum & fœminam amentes,peccat mortaliter.

Quod autem ſic polluens amentem , etiam ſine delectatione propria , peccet contra caſtitatem , etiam indubium eſt , cùm nulla alia ſit virtus , quæ effuſionem ſeminis inhibeat, præter caſtitatem. 26.

Solius caſtitatis eſt inhibere effuſionē ſeminis.

Quod verò in illo caſu tangens ad pollutionem , abſque delectatione propria non peccet contra caſtitatem alienam , etiam patet. Non enim violatur caſtitas eius , qui inuoluntariè, & ſine vlla libertate ſe polluit ; iuxta doctrinam S.Auguſtini , qua ſæpiſſimè docuit , virgines violenter corruptas non amittere virtutem caſtitatis,nec virginitatis : quia non amittitur caſtitas , niſi per conſenſum liberum. Ita enim docet *lib.*4.*contra Iulianum,*& 1. *de Ciuit. c.* 18.*&* 19. & paſſim alibi. Vide plures textus de hac materia *in diſp. præcedenti , per totam.* Quare violatores violenti virginum, quæ nullatenus conſentiunt , non peccant contra caſtitatem alienam , niſi quatenus exponunt virgines periculo conſentiendi. Quod periculum cùm eſſet reſpectu amentium , non peccatur in eo caſu contra caſtitatem alienam. 27.

Si ergo tangens amentem ad pollutionem abſque delectatione propria , peccat contra virtutem caſtitatis , & non contra alienam,manifeſtum fit , quod peccat contra caſtitatem propriam , quæ eſt ſecunda concluſio à nobis ſtatuta. Et cùm peccatum eius contra caſtitatem ſtet in tactu ſuo prouocatorio, quamvis abſque delectatione propria ; conuincitur, vſum membri ſui (id eſt , manus) ad impudicitiam , eſſe peccatum mortale contra caſtitatem propriam. Quæ eſt maior aſſumpta prioris ſyllogiſmi demonſtratiui. 28.

CAPVT III.

Actus illicitos contra caſtitatem alienam, violare votum caſtitatis , probabilius eſt.

QVæſtio procedit tam de actibus illicitis externis , quàm de internis habentibus pro obiecto luxuriam alienam. De internis quidem : tale eſt deſiderium , quo optat Religioſus fornicationem Petri ſine propria delectatione.Item de externis , qualis eſt inductio, qua Religioſus perſuadet ſæculari fornicationem , vel pollutionem , etiam abſque delectatione propria. 29.

Aſſero ergo primò, probabilem eſſe opinionem, quæ aſſerit, prædictis actibus non violari votum caſtitatis. Habet enim pro ſe nobiles Patronos PP. Thom.Sanch. Caſtro Palao, Ariagam,Pellizarium,citatos *c.*1. præter Caram. relatum.Et videtur non deeſſe ei opinioni fundamentum prudens à ratione petitum. 30.

Probabile eſt, illis actibus non violari votum caſtitatis.

Aſſero ſecundò, probabilius eſſe , prædictis actibus verſantibus in luxuria aliena violari votum caſtitatis. 31.

Probabiliùs eſt oppoſitum.

Et

Et ſtatim obiicis; hac aſſertione non impugnari concluſionem Caramuelis. Ipſe enim generaliter ſtatuit, ſe non impugnandum niſi euidentibus; quia concluſiones eius ſunt modales de modo *Probabile*; nam dumtaxat vt probabiles ipſe defendit.

33. *Impugnatur probabilibus, qui ſuam cõcluſionem dicit euidentem.*

Hæc tamen obiectio non habet locum in præſenti. Cùm enim Author aſſertionem ſuam defendit vt certam, aut euidentem, vtique impugnatur optimè probabilibus. Si enim oſtenditur, concluſionem eſſe probabilem, conuincitur, oppoſitam non eſſe euidentem; cùm implicet contradictionem, ex duabus oppoſitis propoſitionibus alteram eſſe probabilem, & alteram euidentem. Atqui Caramuel in præſenti aſſertionem ſuam euidentem dicit. Relege verba eius *cap.* 1. *num.* 2. *&* 4. dum ergo oſtendero, hanc opinionem eſſe probabilem, imò & probabiliorem, ſatis ſuperque impugnata manebit Caramuelis euidentia.

34. *Actus, qui proſequitur luxuriã alienam, eſt in ſpecie luxuriæ.*

Ante probationem præmitto, actus illicitos verſantes in luxuria aliena eſſe verè & propriè in ſpecie luxuriæ, & directè opponi virtuti caſtitatis, vt vel ipſa quæſtio ſupponit, dum inquirit, an violetur votum actibus, qui ſunt contra caſtitatem alienam: ſi enim ſunt contra caſtitatem alienam, illi quidem contra virtutem caſtitatis militant.

35. *Votum caſtitatis religioſæ eſt de omnimoda caſtitate.*

Probatur primò concluſio. Votum caſtitatis religioſæ eſt de materia omnimodæ caſtitatis; id enim omnes intelligunt nomine caſtitatis religioſæ: ſed in omnimoda caſtitate continetur caſtitas, quæ auertit actus verſantes in luxuria aliena: ergo votum caſtitatis religioſæ auertit actus verſantes in luxuria aliena. Minor & conſequentia patent.

36. *Leſſius.*

Maior colligi videtur ex communi doctrina Theologorum, dum ſine diſtinctione aſſerunt, ad votum caſtitatis ſpectare omnimodam caſtitatem. Audi P. Leſſium *lib.* 2. *de iuſt. cap.* 41. *num.* 78. [Ex voto caſtitatis tenetur primò abſtinere à coniugio. Deinde ab omni actu interno & externo, *qui ſit contra caſtitatem*, vt à turpibus cogitationibus, & delectatione moroſa, à pollutione, ab omni actu venereo, à turpi contactu, ab impudico aſpectu. Denique ab omnibus iis, quæ *aliquo modo* ſunt *contra virtutem caſtitatis.* Quidquid enim *in ſæculari* extra coniugium eſt *aliquo modo* peccatum *contra caſtitatem*, etiam *in Religioſo* eſt *ſacrilegium* contra votum.] Nota hanc propoſitionem vniuerſalem, & illi ſuperadde ad ſyllogiſmum duas ſequentes. Sed deſiderare fornicationem Petri, vel ſuadere illam in ſæculari eſt quid extra coniugium & peccatum mortale contra caſtitatem: ergo in Religioſo eſt ſacrilegium contra votum.

37. *Suarez.*

P. Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 10. *lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 1. agens de voto caſtitatis Societatis Ieſu, verbis ſuprà relatis *diſp. præcedenti, cap.* 12. *num.* 106. eandem materiæ vniuerſalitatem proponit. Relege præcipuè ea verba: *Comprehendit enim totam materiam caſtitatis ſine vlla reſtrictione, & ad totam illam obſeruandam obligat cum omni rigore, cum quo poteſt obligare caſtitatis votum.* Sed votum caſtitatis poteſt obligare ad vitandum omnem actum verſantem circa luxuriam alienam: ad id ergo obligat. Item votum caſtitatis religioſæ comprehendit totam materiam caſtitatis ſine vlla reſtrictione: ergo non eſt reſtringenda ad vitandos actus proprios, qui verſantur in luxuria aliena. Similia docet P. Suarez *tom.* 3. *libro* 9. *capite* 2. *numero* 2. *& libro* 2. *capite* 11. *numero* 10.

P. Fagundez *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 8. *num.* 3. aſſerit Religioſos teneri aperire in confeſſione circunſtantiam voti, *quando contra ſextum præceptum peccant.* Conſtat autem peccari contra ſextum præceptum, quoties actus verſatur in luxuria aliena; quia tunc verſatur contra virtutem caſtitatis. Quamvis enim velit Caramuel, tunc non peccari contra ſextum præceptum formaliter, ſed obiectiuè; id tamen & parum referre, & falſum eſſe, ex dicendis conſtabit. Et idem communiter docent ferè omnes DD. 38. *Fagundez.*

Probatur ſecundò. In virginitate & caſtitate Deo conſecrata contineri caſtitatem mentis, & corporis communiter docent SS. PP. eo quod cenſeant ad perfectam caſtitatem requiri puritatem mentis & corporis, iuxta ea verba Pauli 1. *Corinth.* 7. loquentis de virgine, *vt ſit ſancta corpore, & ſpiritu*: ſed nemo propriè & verè eſt caſtus mente, qui admittit deſideria fornicationis alienæ, & alios actus internos verſantes in luxuria aliena: ergo votum perfectæ caſtitatis, quale eſt votum religioſum, excludit deſideria fornicationis alienæ, & ſimiles actus internos verſantes in luxuria aliena. Conſequentia patet, & minor euidenter eſt certa. Maior autem conſtat ex multis textibus Auguſtini, præcipuè, relatis *diſput. præcedenti, cap.* 9. Vide etiam eundem Auguſtinum, item Hieronymum, Baſilium, Chryſoſtomum, Damaſcenum, Fulgentium relatos *eadem diſp. præced. cap.* 6. *&* 9. *&* 12. 39. *In voto caſtitatis continetur caſtitas mentis, & corporis.* *Non eſt caſtus mente, qui deſiderat fornicationẽ alienam.*

Probatur tertiò. Id habet ſpeciale caſtitas, vt actus auerſantes luxuriam alienam, cenſeantur actus caſtitatis propriæ: ſed votum caſtitatis religioſæ comprehendit omnimodam caſtitatem propriam: ergo votum caſtitatis religioſæ comprehendit actus auerſantes luxuriam alienam. Probatur maior primò à priori ex probatione præcedenti. Etenim cùm caſtitas Petri perfecta, ſiue omnimoda contineat caſtitatem mentis, inde fit, quod quidquid pertinet ad caſtitatem mentis Petri, cenſeatur caſtitas propria Petri: atqui actus Petri auerſantes luxuriam alienam, aut influxum in illam, pertinent ad caſtitatem mentis Petri; cùm mens abſolutè non ſit caſta, quæ admittit in ſe actus, qui ſunt in ſpecie luxuriæ: ergo ij actus Petri auerſantes luxuriam alienam, pertinent ad caſtitatem propriam Petri. Quod amplius declarabitur *cap. ſequenti*, dum oſtendamus diſparitatis cauſam inter votum caſtitatis, & alia vota. 40. *Speciale eſt caſtitati, vt actus fugiens luxuriam alienam, ſpectet ad caſtitatem propriam.*

Probatur ſecundò eadem maior. Peccat mortaliter Petrus contra caſtitatis virtutem, ſi pharmaco ad id efficaci intendat directè pollutionem viri amentis: ſed non peccat contra caſtitatem alienam, id eſt, amentis: ergo peccat contra caſtitatem propriam. Ratio autem, quare pertineat ad caſtitatem propriam Petri auertere talem pollutionem in alio, eſt quia voluntas pollutionis in alio contraria eſt puritati mentis Petri, quæ aufertur per quemlibet actum auerſantem in ſpecie luxuriæ. 41. *Qui pharmaco procurat pollutionem amentis, peccat cõtra caſtitatem propriam.*

Quod

Digitized by Google

42. Quod peccet mortaliter Petrus in eo euentu, patet *ex capite* 2. in 2. probatione concluſionis, *num.* 25. quod verò peccet contra virtutem caſtitatis, etiam patet *ex num.* 26: quia nulla alia virtus præter caſtitatem, inhibet pollutionem, & media efficacia ad illam. Quod verò non peccet contra caſtitatem alienam, nempe amentis, etiam conſtat *ex cap.* 2. in ſecunda probatione concluſionis, *num.* 27. Conſequentia autem vrgere videtur: nam quæ militant contra caſtitatem, & non contra alienam, militant vtique contra propriam: cùm in caſtitate non appareat medium inter propriam & alienam.

43. *An inducens alterum ad turpia, debeat exponere in confeſſione ad quam ſpeciem?* Probatur tertiò. Ex eo, quod optimè notauit P. Tamburinus *lib.* 2. *methodi confeſſionis, cap.* 1. *numero* 100. vbi ſic habet: [Si quis ergo loquatur v. g. turpia, vt ſocius incidat in eas turpitudines, oportet explicare, ad quæ turpia inducere tentabat, ad adulteriúmne, an ad ſtuprum, &c. Ratio eſt, quia tunc non ſolùm peccatum talis ſcandali eſt contra charitatem debitam proximo, ſed etiam contra virtutem oppoſitam: eadem enim caſtitatis virtus, quæ obligat me directè ad caſtitatem in mea perſona cuſtodiendam, obligat indirectè, ne ex induſtria procurem proximum à caſtitatis virtute deiicere.]

CAPVT IV.

Diſſipantur fundamenta Caramuelis propoſita in capite primo.

44. *Votum obedientiæ non extenditur ad obedientiã amentis. Et in hoc differt à caſtitate.* PRo ſolutione argumentorum nota primò, votum obedientiæ, & paupertatis non extendi ad obedientiam mentis, aut ad paupertatem mentis; & in hoc diſcriminari maximè à voto caſtitatis. Cuius diſcriminis ratio conſtat ex communi acceptatione. Nam, vt ſuprà diximus, votis religioſis vouemus obedientiam, paupertatem, & caſtitatem, ſecundùm acceptionem communem horum nominum; à qua acceptione eſſentialiter pendet ſignificatio nominum. Cùm ergo communis acceptio nomine caſtitatis religioſæ intelligat caſtitatem internam & externam, ſiue caſtitatem mentis & corporis; nomine autem obedientiæ (idem eſt de paupertate) intelligat obedientiam realem, non autem generaliter obedientiam mentis; inde patet, in his votis eandem intercedere rationem diſcriminis. Et ideò omnes Authores, quos citaui *diſp. præced. cap.* 10. aſſerentes, votum caſtitatis extendi ad actus externos & internos, nihil tale decernunt de voto paupertatis & obedientiæ. An autem intentio efficax non obediendi, vel intentio efficax habendi proprium, ſit formaliter contra vota obedientiæ, modò non definio: ſolùm enim aſſero, non pertinere generaliter ad vota obedientiæ, & paupertatis actus internos, bene tamen ad votum caſtitatis, propter dicta.

45. *Votum caſtitatis non fertur ad procurandam caſtitatem alienam, ſed ad vitandum, &c.* Nota ſecundò, ne laboremus in æquiuoco, cùm dicimus pertinere ad votũ caſtitatis actus proprios verſantes circa caſtitatem alienam, ne exiſtimes, votum caſtitatis extendi ad procurandam caſtitatem alienam; ſolùm enim extenditur ad vitandos actus proprios verſantes in luxuria aliena.

Hinc facilè ſolues primum argumentum Caramuelis, propoſitum *n.* 1. Etenim verum eſt antecedens, quo ait, vouiſſe Religioſum, ſe futurum eſſe caſtum, non vouiſſe, ſe facturum, quod alij eſſent caſti. Et ſi primus id notauit Llamas, ea notatio nullius eſt momenti. Inde enim malè infertur, quod actus illiciti verſantes in luxuria aliena non inhibeantur voto caſtitatis. Itaque aliud eſt, quod Religioſus vouerit, ſe facturum eſſe, quod alij ſint caſti; & aliud eſt, quod vouerit, ſe non habiturum actus proprios illicitos internos vel externos contra caſtitatem alienam. Primum enim eſt falſum, & ſecundum verum: quia cùm vouit omnimodam caſtitatem, vouit vitare omnes actus proprios illicitos contra virtutem caſtitatis; ſiue tales actus proprij ſint delectationes propriæ circa luxuriam alienam, ſiue ſint alio modo proſecutiones affectiuæ circa luxuriam alienam: cùm mens abſolutè non ſit caſta, quæ talibus affectibus impuris circa luxuriam alienam infecta eſt. 46. *Votum caſtitatis extenditur ad vitandos actus proprios proſequentes luxuriam alienam.*

Secundum argumentum relatum *n.* 2. proponitur à Caramuele pro ea concluſione, quod [Monachus, qui perſuaſione, vel cooperatione cõcurrit ad hoc vt alius, ſeu monachus, ſeu ſæcularis vadat ad cõcubinam, non peccauit contra ſuum votum caſtitatis.] Dicitque hanc concluſionem hoc argumento demonſtrari: [Quia ipſe non habuit rem cum tali pellice, ſed fecit, vt alius haberet.] Ecce totam demonſtrationem. Et ego miror, hanc vocari demonſtrationem à viro ingenioſo, & Dialecticæ amatore: tum quia demonſtratio eſt ſyllogiſmus conſtans ex præmiſſis euidentibus: quod in eo antecedente vel enthimemate deſideratur. Tum etiam quia ne topicè quidem conſequens infertur ex antecedente. Nonne in ea concluſione opponitur Caramuel iis, qui dicunt, Religioſum ſuadentem alteri luxuriam, peccare contra ſuum votum caſtitatis; quia voluntas, qua vult luxuriam alienam, eſt contra votum caſtitatis? Aſſumit ergo, quod probare debuerat, ſcilicet, eum non peccare contra ſuum votum, qui facit vt alius rem habeat cum pellice. Quomodo ergo ea dicitur demonſtratio, cuius vis ſolâ maioris negatione extinguitur. Si enim id argumentum ad formam demonſtrationis reducendum eſt, in hunc modum reducitur: [Ille non peccat contra ſuum votum caſtitatis, qui non habuit rem cum pellice, ſed ſolùm fecit, vt alius rem haberet: ſed ille Religioſus non habuit rem cum pellice, ſed fecit, vt alius haberet: ergo ille Religioſus non peccauit contra ſuum votum caſtitatis.] Negãda eſt ergo maior. 47. *Inanis demonſtratio.*

Addit probationem ferè repetendo quæ dixerat. Ait enim: [Ratio eſt, quia ipſe non peccauit formaliter contra votum, imò neque contra ſextum præceptum Decalogi, ſed contra quintum formaliter, & contra ſextum obiectiuè: fuit enim illis ſcandalo & occaſioni vt peccarent contra ſextum.] Reſpondetur enim negando, quod non peccauerit formaliter contra votum. Ad id, quod addit, eum, qui ſuadet alteri luxuriam, non peccare formaliter contra ſextum præceptum, ſed obiectiuè, omitto. Eſt enim quæſtio de nomine, an violetur formaliter, an obiectiuè ſextum 48.

ſextum præceptum in eo euentu. Et quidquid dicatur, nihil officit concluſioni noſtræ.

49. *Voluntas fornicationis alienæ, & voluntas propria non differunt ſpecie.*

Pro cuius clariori intelligentia nota, eum qui deſiderat, vel procurat luxuriam alienam, habere peccatum in eadem ſpecie luxuriæ, ac eſt peccatum exercentis luxuriam. Nam voluntas fornificationis alienæ, & voluntas fornicationis propriæ non differunt ſpecie, ſi voluntas fornicationis alienæ præſcindatur à voluntate ruinæ ſpiritualis proximi. Hinc fit primò, procurantem luxuriam alienam peccare contra ſextum præceptum, ſiue dicas formaliter, ſiuè obiectiuè. Fit ſecundò, eo ipſo quod votum caſtitatis inhibeat omnem actum qui eſt in ſpecie luxuriæ, inhibere omnem actum, qui eſt formaliter, vel obiectiuè contra ſextum præceptum. Atqui ex dictis conſtat, votum caſtitatis Religioſæ inhibere omnem actum, qui eſt in ſpecie luxuriæ; atque adeò votum caſtitatis Religioſæ obligare ad omne id, quod ſextum præceptum formaliter vel obiectiuè præcipit.

50. *Qui inducit alterum ad luxuriã, peccat formaliter, & non tantùm obiectiuè, contra 6. præceptum.*

In ea autem quæſtione de nomine, an qui procurat fornicationem alterius, peccet formaliter, an obiectiuè contra ſextum præceptum; cenſeo, eum peccare formaliter præciſo conceptu ruinæ proximi, & attento ſolo actu, quatenus fertur in luxuriam alterius: eo quod præceptum ſextum & nonum formaliter prohibent quidquid eſt in ſpecie luxuriæ; eſt enim lege diuina totum id prohibitum; neque eſt aliud præceptum, quod id formaliter prohibeat; nonum autem præceptum ſolùm ſe extendit ad actus internos.

51. *Caſu, quo Religioſus & laicus ſuaſerunt alteri venerea, grauiùs peccauit Religioſus.*

Ad caſum relatum numero tertio, in quo inquiritur, vter grauiùs peccauerit, ſæcularis; an Religioſus, qui vterque concurrit ad ſollicitationem Religioſæ, vt iſta conſentiret Petro in luxuria? dicendum eſt, grauiùs peccaſſe Religioſum, eo quod voto caſtitatis adigitur vitare in ſeipſo omnem actum terminatum ad luxuriam propriam, vel alienam, & quidquid ſexto præcepto interdicitur.

52. Pro ea autem concluſione, quam retuli *n.* 4. quod Religioſus abſque propria delectatione, propriis tamen tactibus polluens alium, non peccet contra votum caſtitatis; quam eſſe certò falſam, *cap.* 2. probaui; hanc, quam demonſtrationem appellat, opponit, vt retuli numero quinto. [Poterit monialis cooperari, vt Ioannes reddat debitum vxori, quin contra votum procedat: ergo poterit cooperari, vt Ioannes ſe polluat, quin contra votum procedat.] Et quidem ſi cooperatio monialis ſit medio tactu, quo prouocet pudenda vtriuſque, vel alterius coniugis; & difficilem prouinciam aſſumit Caramuel, & quàm longiſſimè abeſt à demonſtratione. Difficilem prouinciam: quia difficilè probabit, eum, qui membris ſuis vtitur, etiam abſque delectatione, ad actiones impudicas, non peccare contra caſtitatem propriam, vt patet *ex toto cap.* 2. Quod autem quàm longiſſimè abſit à demonſtratione, patet: ad demonſtrationem enim requiritur antecedens euidens; id autem antecedens, loquens de tactu immediato, eſſe euidenter falſum, conſtat *ex cap.* 2.

53. Si autem id antecedens non loquatur de phyſica cooperatione per tactum, ſed ſolùm de morali cooperatione per preces, aut ſuaſionem, diſcrimen eſt meridiana luce clarius. In quo ne caliges, ſuppone, Petrum emiſiſſe votum non ducendi vxorem, & ſeruandi quidquid formaliter & obiectiuè iniungitur in ſexto & nono præcepto Decalogi. Et inquiro, an ea paritas habeat vim contra illud votum Petri, hoc modo. [Petrus non peccat contra votum cooperando moraliter, vt Ioannes reddat debitum vxori: ergo non peccat contra votum, ſi abſque propria delectatione tactibus polluat Ioannem.] Manifeſtum enim eſt, peſſimè procedere argumentum, quia nihil eſt in illo voto, quod interdicat illud conſilium aliàs licitum reddendi debitum coniugale. Et manifeſtum eſt, votum illud Petri inhibere eos tactus prouocantes ad pollutionem alienam; cùm illi tactus ſint contra ſextum præceptum, ſaltem obiectiuè. Cum ergo votum caſtitatis religioſæ, vt ſatis probaui, ſit idem ipſum, nempe non contrahendi matrimonium, & ſeruandi quidquid formaliter & obiectiuè iniungitur in ſexto & nono præcepto Decalogi, fit, manifeſtam eſſe diſparitatem vtriuſque.

Euidens diſparitas inter eum, qui ſuadet redditionem debiti, & eum, qui luxuriam.

Peſſima cõſequentia.

Sed demus, votum caſtitatis Religioſæ ſolùm obligare ad eos actus, qui reſpiciunt caſtitatem propriam, non verò eos, qui reſpiciunt caſtitatem alienam; adhuc diſcrimen liquidum eſt. Hoc enim modo votum eſt de non contrahendo matrimonio, & de non habendo actus circa luxuriam propriam; hoc autem votum non inhibet ſuaſionem reddendi debitum coniugale: inhibet autem luxuriam propriam, qualis eſt vti membris ſuis ad impudicitiam, etiam ſine delectatione propria, vt conſtat *ex cap.* 2. 54.

Inſtat Caramuel *num.* 989. [Non minùs interdictum eſt moniali nubere, quàm mollitiem committere: atqui quando cooperatur, vt Ioannes reddat vxori debitum, nihil facit contra ſuam caſtitatem, ſed contra caſtitatem Ioannis: ergo ſimiliter quando cooperatur monialis ad hoc quod Ioannes habeat pollutionem, nihil facit contra caſtitatem ſuam, ſed contra caſtitatem tertij.] 55. Inſtantia.

Sed ex dictis facillima eſt reſponſio. Concedo enim maiorem, minorem autem nego, ſi ea intelligatur de phyſica cooperatione, putà per tactum impudicum. Si autem intelligatur de cooperatione morali, verbi gratiâ per preces aut ſuaſionem, concedo quod nihil faciat contra ſuam caſtitatem. Et conſequentiam nego. Et ratio eſt, quia ea perſuaſio reddendi debitum in neutra parte voti interdicitur, neque quà claudit obligationem non nubendi, neque quà claudit obligationem vitandi luxuriam propriam. Tactus autem pollutionis prouocatiuus eſt actus luxuriæ propriæ, etſi ſine delectatione propria fiat; atque adeò ſecunda parte voti interdictus eſt. 56. Diſſoluitur.

Inſtat deinde *in Theologia fundamentali, fundament.* 51. *numero* 1414. proponit enim tres caſus, & circa illos ſic arguit. [Ponamus in primo caſu, coquum vouiſſe Deo, ſe ieiunaturum. Anne ob hoc ille votum violaret, ſi nihil cõmederet, & cooperaretur nihilominus, vt Petrus violaret ieiunium? Et in ſecũdo, ſi Ioannes vouiſſet, ſe auditurum Miſſam diebus feſtis; an- 57. Altera inſtantia.

ne

ne hoc violaret votum, ſi iam audita Miſſa, Fridericum, aut alium quemque ſeduceret, & cogeret, ne adiret Eccleſiam? Et in tertio, anne Sacerdos, qui vouiſſet Deo, ſe numquam omiſſurum officium, fracti voti eſſet reus, ſi lecto debitè officio vellet ludere, & cogeret alium Sacerdotem, vt ſecum luderet, & ob luſum lectionem horarum intermitteret? Non puto. Ergo eodem modo phyloſophari oportet in materia laſciua, ſi volumus conſequentiam ſeruare.]

58. *Votum de non inferenda iniuria, violatur ſuadēdo alteri, vt inferat iniuriam.*

Retorqueo argumentum contra ſuum Authorem. Petrus vouit, ſe nulli illaturum iniuſtitiam. Deinde ſuadet Ioanni, vt furetur pecunias à Titio. Numquid ſuadendo Ioanni, & cooperando per conſilium ad furtum, nonne violat votum? Argumentor ergo. Qui vouit ieiunare, licèt cooperetur, vt alter non ieiunet, ipſe non violat votum: ergo Petrus, qui vouit, ſe nulli illaturum iniuſtitiam, dum cooperatur cum Ioanne ad inferendam iniuſtitiam, ipſe non violat votum.

59. Dices, diſcrimen eſſe maximum: nam ſuadere alteri, vt faciat iniuſtitiam, eſt formaliter iniuſtitia; atque adeò ſi vouit non inferre iniuſtitiam, in eo voto comprehenditur non ſuadere alteri, vt iniuſtitiam irroget. At ſuadere violationem ieiunij non eſt violare ieiunium; atque adeò ſuadendo violationem ieiunij non violatur votum ieiunij.

60. Optima ſolutio, ſed mihi etiam communis. Hanc adhibeo inſtantiæ Caramuelis; & quidem dupliciter. Primò, quando Religioſus etiam ſine propria delectatione tactibus polluit Petrum, pollutio eſt actus luxuriæ, & item tactus eſt actus luxuriæ, quia eſt vſus membri proprij (nempe manus) ad impudicitiam. Qui voto caſtitatis vouit vitare omnem luxuriam propriam, vouit etiam vitare eum tactum. Hinc patet latiſſimum diſcrimen inter eos tres caſus Caramuelis & iſtum. Coquus enim cooperando etiam phyſicè & manibus propriis ingurgitando alium, non violat ſuum votum ieiunij; quia cooperari ad violationem ieiunij alterius non eſt violatio proprij. Et qui vouit audire Miſſam, non violat votum, eo quod cogat phyſicè alterum ad non auditionem; quia cogere alium ad non auditionem, non eſt omiſſio ſuæ auditionis. Et qui vouit recitare officium, non violat votum, cogendo etiam phyſicè alios ne recitent: quia ea coactio non eſt omiſſio propria. At qui vouit caſtitatem, violat votum tangendo alium ad pollutionem, etiam abſque propria delectatione, quia is tactus, vt conſtat ex dictis, eſt actus luxuriæ, atque adeò contentus intra ſphæram voti.

Liquet diſparitas inter eos tres caſus, & noſtrum.

61. Secundò. Demus, tactum illum non eſſe actum immediatum luxuriæ, ſed eodem modo ſe habere, ac ſe habet perſuaſio luxuriæ alienæ; adhuc tamen in illis tribus caſibus concedendum eſt, ſuadentem, aut cooperantem ad peccatum alterius, non peccare contra votum ieiunij; ſuadentem tamen ad luxuriam alterius, peccare contra votum; quia ipſum ſuadere eſt actus in ſpecie luxuriæ, vt dictum eſt, & explicabitur ampliùs in ſolutione ſequentis obiectionis.

62. Similiter tres caſus illi retorqueri poſſunt in delectatione de luxuria aliena. Etenim qui vouit ieiunium, quamvis delectetur de comeſtione cogitata, non violat votum: ergo qui vouit caſtitatem, & delectatur de copula cogitata, non violat votum. Scio, admirari hanc conſequentiam à Caramuele: ſed oppoſitum tenendum eſſe tanquam omninò certum, probauimus *diſput. præcedent.* ſed retorqueri etiam poteſt præſcindendo à voto. Qui delectatur de comeſtione cogitata, non violat ieiunium: ergo qui delectatur de copula cogitata, non violat caſtitatem. Ratio autem diſcriminis plana eſt, quia caſtitas inhibet etiam delectationem illam, & delectatio illa eſt formalis violatio caſtitatis; non autem delectatio de comeſtione cogitata eſt violatio ieiunij; quia ieiunium non inhibet delectationem de comeſtione cogitata.

Peſſima conſequentia.

Peſſima cōſequentia.

63. Tandem ad rationem, qua vtuntur P. Thomas Sanchez & eius aſſeclæ relati *numero* 8. dicendum eſt, eum, qui aduertenter inducit alterum ad actum luxuriæ, peccare non ſolùm contra caſtitatem, ſed etiam contra caſtitatem propriam. Nam qui inducit alterum ad fornicationem, habet in ſe ipſo actum, qui eſt in ſpecie luxuriæ, nempe, quo vult luxuriam alienam. Non autem habet caſtitatem & puritatem animi, qui inficitur voluntate terminata ad luxuriam, quantumvis alienam; cùm habeat in animo actum formaliter pertinentem ad ſpeciem luxuriæ, & eiuſdem ſpeciei cum actu luxuriæ propriæ.

DISPVTATIO XXXIX.

An Religioſus, qui ſeipſum, vel proximum ſuum exponit periculo luxuriandi, peccet formaliter contra ſuum votum caſtitatis?

CAPVT PRIMVM.

Referuntur ſententiæ aduerſæ Caramuelis, & Pellizarij, & præmittuntur aliqua.

1. AD integram huius voti intelligentiam oportet inquirere, an non ſolùm violet votum caſtitatis propriæ, qui deſiderat, vel procurat luxuriam proximi, ſed etiam, qui illum exponit periculo luxuriandi? Et ad plenam huius intelligentiam expedit etiam inquirere, an violet votum caſtitatis, qui ſeipſum conſtituit in periculo labendi in actum impudicum?

2. Caramuel *in Regul. diſputat.* 66. *num.* 996. ſuppoſuit potiùs, quàm probauit, eum, qui ſe exponit periculo violandi caſtitatem, non violare votum caſtitatis. Ait enim, quod ſi vera eſſet ſententia, quod oſcula & tactus impudici non militant contra votum caſtitatis, etſi in illis tactibus eſſet periculum fornicationis, adhuc

Eum, qui ſe exponit periculo luxuriādi, non violare votum caſtitatis.

adhuc non violaretur votum caſtitatis. [Vnde, inquit, ſi in illis tactibus eſſet periculum commixtionis, eſſe periculum violandæ caſtitatis, non violatio.]

3. *Pellizar.*

E contra P. Pellizarius *in Manual. Regular. tractat.* 4. *capite* 3. *ſection.* 4. *quæſtione* 20. Sic inſtituit quæſtionem. [An peccet contra caſtitatem Religioſus, qui voluntariè ſe exponit probabili periculo violandi votum caſtitatis?] Et ſic ſatisfacit quæſtioni: [Reſpondeo, peccare, & quidem peccato ſacrilegij: cùm teſte Suarez *diſputatione* 18. *de cenſuris, ſection.* 3. *numero* 16. in moralibus eiuſdem malitiæ ſit, ſe conſtituere in morali periculo comittendi aliquod peccatum, atque illud committere; ſtante, quod eodem præcepto, quo quis tenetur vitare crimen, tenetur & vitare proximum illius periculum;] dicitque, eſſe communem Doctorum. Addens ex P. Thomas Sanchez *libro* 1. *Summa, capite* 8. *numero* 4. in confeſſione aperiendam eſſe circumſtantiam peccati, cuius periculo quis ſe exponit. Cuius dicti rationem exhibet P. Thoma Sanchez *ibidem* verbis à Pellizatio propoſitis: [Nam eodem præcepto, quo quis crimen vitare tenetur, obligatur quoque ad proximum illius periculum vitandum.] Et quamvis P. Thomas Sanchez videatur loqui ſolùm de præcepto; ratio tamen, quam tradit, videtur eſſe eadem, & communis voto. Et ideò P. Pellizarius eam adhibuit voto caſtitatis, & periculo illius violandi.

Votum caſtitis violari ab eo, qui ei periculo ſe exponit.

Aperienda in confeſſione ſpecies peccati, cuius periculo ſe exponit.

4. *Ratio dubitandi contra aſſertum Pellizarij.*

Hæc tamen ratio Patris Pellizarij non videtur conuincere, imò neque aſſertio eſt vera. Ex illa enim infertur, omne votum obligare ad non ſe exponendum periculo violandi illud. Atqui cùm votum non obliget vltra intentionem ſe obligandi, quam habet vouens; fit, quod poſſit vouens promittere abſtinentiam à copula illicita, cum ea expreſſa conditione non ſe obligandi ad vitandum periculum. Quomodo enim ſe obligabit quis ex voto ad vitandum periculum proximum, ſi habet expreſſam voluntatem non ſe obligandi ad illud? Ergo ſi hæc duo ſeparabilia ſunt, poterit ſe obligare ad abſtinendum à copula illicita, non verò à periculo proximo ad illam inclinante: & conſequenter, qui ad vnum præcisè ſe obligat, non ſe obligat ad alterum.

5. *Quinque quæſtiones diſputandæ.*

Ad clariorem ergo reſolutionem, quinque quæſtiones examinandæ ſunt, quas in Authoribus diſcuſſas non vidi. Prima, an lex humana obliget ad vitandum periculum proximum violationis eius; ita vt qui ſe exponit periculo violandi legem humanam, peccet formaliter contra ipſam? Secunda, an lex naturalis, vel poſitiua diuina formaliter obliget ad vitandum periculum proximum violandi illam? Tertia, an votum quodlibet obliget formaliter ad fugam eius periculi proximi? Quarta, an votum caſtitatis omnimodæ, qualis eſt Religioſa caſtitas, formaliter inhibeat, exponere ſe vouentem periculo proximo labendi? Quinta, an eiuſmodi votum caſtitatis excludat etiam & interdicat, quod vouens non exponat alterum periculo labendi in luxuriam? Quas per ſingula capita decidemus. Tandem ne hæreamus in æquiuoco, relege *diſputatione* 18. quid ſit periculum proximum, quid probabile; item quid ſit periculum formale, & quid periculum materiale?

CAPVT II.

An lex humana formaliter obliget ad vitandum periculum proximum violationis illius?

6. *Peccat mortaliter qui ſe exponit periculo violandi legem humanam.*

SVpponendum eſt vt certum, eum, qui ſe exponit periculo proximo violandi grauiter legem humanam grauiter obligantem, peccare mortaliter. Quando ergo inquiritur, an lex humana formaliter obliget ad vitandum periculum violationis illius, ſenſus quæſtionis eſt, an peccatum exponendi ſe periculo proximo violationis legis humanæ, formaliter oriatur à lege ipſa prohibente, quod te ei periculo obiicias; an potiùs id formaliter proueniat, non ex lege humana, ſed ex alio capite? an exponendo te ei periculo proximo violandi legem humanam, pecces contra illam, an potiùs contra ius aliud diuerſum à lege humana?

An id peccatum oriatur ab ipſa lege humana?

7. *Qui ſe exponit periculo violandi legē humanam, peccat contra charitatem propriam, & contra charitatem in Deum.*

Quod peccet mortaliter ille, qui ſe expoſuit periculo proximo violandi grauiter legem humanam grauiter obligantem, manifeſtum eſt. Nam cùm grauis violatio legis humanæ grauiter obligantis, ſit peccatum mortale; & quodlibet peccatum mortale ſit occiſio ſpiritualis animæ, ſicut lege charitatis propriæ tenemur non exponere nos periculo mortis abſque grauiſſima cauſa, ita à fortiori ex eadem lege charitatis propriæ tenemur non exponere nos periculo occiſionis animæ; atque adeò tenemur vitare periculum proximum violandi grauiter eam legem humanam, & peccandi mortaliter contra illam. Præterea cùm omne peccatum mortale ſit offenſa Dei infiniti, titulo charitatis erga Deum tenemur non exponere nos periculo offendendi Deum: ex ſuppoſitione ergo, quod violatio legis humanæ ſit peccatum mortale, ex lege charitatis propriæ, & charitatis in Deum, tenemur non exponere nos periculo committendi tale peccatum.

Dices: ergo quoties violatur grauiter lex humana, violatur quoque ius diuinum. Inde autem videtur inferri, quod leges humanæ obligent iure diuino: quod eſt abſurdum. 8.

9. *Nec propterea lex humana obligat iure diuino.*

Reſpondetur concedendo primam conſequentiam. Id enim eſt commune omnibus peccatis mortalibus; quæ quidem iure diuino interdicuntur nobis, & lege charitatis propriæ, & lege charitatis in Deum. Atque ita violationem grauem legis humanæ, ex ſuppoſitione, quod peccatum mortale ſit, ius diuinum inhibet. Secunda autem conſequentia falſa eſt; ſicut enim lex humana non identificat ſecum legem charitatis propriæ, & legem charitatis in Deum, ita obligatio legis humanæ non eſt obligatio iuris diuini. Obligat quidem lex humana mediatè iure diuino; ſiue etiam conditionaliter. Mediatè quidem,

quatenus

Digitized by Google

quatenus obligatio legis humanæ radicaliter oritur ex iure diuino, quarto ſcilicet Decalogi præcepto obediendi maioribus. Conditionaliter etiam, quatenus Deus præcipit, quod ſi Principes Eccleſiæ iniunxerint ieiunium verbi gratiâ, eis obediant; & ne fœdes animam tuam morte peccati, nec afficias Deum offenſâ. Adhuc autem id non ſufficit, vt abſolutè dicatur lex humana obligare iure diuino; id enim ſignificat, legem humanam eſſe ius diuinum: quod eſt euidenter falſum. His poſitis.

10. *Lex humana non obligat ad vitandum periculū violandi illam.*

Sit concluſio. Probabilius videtur, quod lex humana per ſe & formaliter non obligat, ſiue directè, ſiue indirectè, ad vitandum periculum formale violandi talem legem. Hanc concluſionem formalibus terminis apud neminem reperi (ſicut neque oppoſitam) eſt tamen conformis principiis, quæ in materia de legibus communiter traduntur.

11. *Qui ieiunat, exponens ſe periculo non ieiunādi, non violat legem ieiunij.*

Probatur primò. Petrus ſe expoſuit periculo formali proximo violandi legem ieiunij Quadrageſimalis; & ſtante tali periculo continuit ſe, & ieiunauit. In iſto caſu Petrus impleuit quidquid illi præcipit Eccleſia in hac materia ieiunij pro eo tempore: ergo Eccleſia non præcipit aliquid vltra reale ieiunium: ergo Eccleſia non præcipit vitare periculum formale non ieiunandi: ergo præceptum Eccleſiæ non violauit Petrus dum ſe expoſuit periculo non ieiunandi.

12. *In dubio, an lex præcipiat, non obligat.*

Probatur ſecundò, quod lex humana id non præcipiat directè. Nam vbi dubium eſt, an lex humana aliquid præcipiat, interpretanda eſt non id præcipere, vt expreſsè deciditur *cap. Contra eum, de regulis iuris in 6. Contra eum, qui legem dicere potuit apertiùs, facienda eſt interpretatio.* Et *leg. ſemper, ff. de regulis iuris. Semper in obſcuris, quod minimum eſt, ſequimur.* Et *leg. quidquid, ff. de verbor. obligat. Quidquid aſtringendæ obligationis causâ dictum eſt, id, niſi palam exprimatur, omiſſum eſſe cenſendum eſt.* Et ratio eſt clara. Nam vt lex obſtringat, debet nobis ſufficienter proponi: ea autem non proponitur ſufficienter, dum de eâ obligatione dubitatur. Atqui dubium eſt, an lex humana præcipiat, quod non te exponas periculo violandi talem legem: ergo non eſt aſſerendum, legem ad id obſtringere, ſed potiùs minimum ſequi debemus, & contra legem interpretationem facere.

13. *Ex duobus ſeparabilibus, vno prohibito, non manet eo ipſo prohibitum alterū.*

Quod verò præceptum ieiunij verbi gratiâ, neque indirectè prohibeat periculum formale proximum, neque occaſionem externam violandi ieiunium, probatur primò. Quando duo ſunt ſeparabilia in ipſa lege, vno prohibito, vel præcepto à lege, alterum non intelligitur prohibitum, vel præceptum, etiam indirectè: ſed obſeruatio ieiunij & vitatio periculi violandi illud, ſunt ſeparabiles in ipſa lege: ergo præceptâ obſeruatione ieiunij, non intelligitur præcepta vitatio eius periculi, etiam indirectè. Maior patet ex ipſa notione termini *indirectè*. Minor probatur. Nam legem ieiunij poſſet ferre legiſlator, declarando non eſſe mentis ſuæ obligare ad vitandum periculum violandi illud, niſi quatenus iure naturali teneretur ad vitandum periculum peccati.

Obſeruatio ieiunij, & vitatio, ſeu incurſio periculi, ſunt ſeparabiles.

14. *Obiectio à paritate.*

Dices, hoc argumentum poſſe inſtaurari in voluntate efficaci ieiunandi, quæ indirectè præcipitur lege ieiunij. Poſſet enim legiſlator præcipere ieiunium, declarando, non eſſe mentem legiſlatoris obligare ad talem voluntatem efficacem. Impugnatur tamen apertè. Cùm enim etiam metaphyſicè impoſſibile ſit implere præceptum ieiunij ſine voluntate efficaci ieiunandi, implicat, quod præcipiatur ieiunium, & quod non præcipiatur voluntas efficax implendi tale præceptum. Quod non contingit reſpectu vitationis periculi, vt ex dicendis etiam clariùs conſtabit.

Diſparitas.

15. *Poteſt ſtare ieiunium ſine vitatione periculi violandi.*

Probatur ſecundò. Illud enim indirectè præcipitur, ſine quo nullatenus impleri poteſt & obſeruari ieiunium; ideò enim voluntas efficax ieiunandi indirectè præcipitur ea lege, quia ſine ea voluntate efficaci ieiunandi non poteſt ſeruari lex ieiunij: ſed ſine vitatione eius periculi poteſt abſolutè obſeruari ieiunium; contingit enim, ſtante periculo non ieiunandi, impleri ieiunium: ergo præceptum ieiunij non præcipit indirectè vitationem eius periculi.

16. Dices, præceptum ieiunij poſſe phyſicè obſeruari ſine vitatione eius periculi, non tamen poſſe moraliter; quia periculum proximum morali neceſſitate infert violationem ieiunij. Id autem præcipitur indirectè, quod eſt moraliter neceſſarium ad obſeruationem præcepti.

17. *Non præcipitur indirectè, quod eſt moraliter neceſſarium ad impletionem.*

Contrà eſt. Non præcipitur indirectè tanquam neceſſarium ad impletionem præcepti id, ſine quo reipſa impletur præceptum: ſed ſine vitatione periculi formalis proximi reipſa impletur præceptum; quando ſcilicet ſtante periculo formali proximo violandi ieiunium, homo reipſa ſe continet, & ieiunat: ergo vitatio periculi formalis proximi non præcipitur indirectè præcepto ieiunij; quamvis periculum formale proximum morali certitudine inferat violationem ieiunij. Patet ergo, non præcipi indirectè, quæ neceſſaria ſunt ſolùm moraliter ad impletionem præcepti, niſi etiam neceſſaria ſint phyſicè, vel metaphyſicè.

18. Probatur tertiò concluſio. Si legiſlatores humani intenderent obligare etiam ad id onus non exponendi ſe periculo proximo violandi legem, mirum eſſet, quod in tanta legum multitudine, aliquando mentem non expreſſiſſent. Quod quidem non præſtiterunt: quæ ratio ſaltem probat, quod præcepta non id iniungunt directè.

19. *Lex ieiunij non præcipit; ne ſuadeas alteri violationē ieiunij.*

Probatur quartò. Si lex humana ieiunij præciperet, ne te exponas periculo proximo violandi eam legem; etiam præciperet, ne quis tibi ſuaderet violationem talis legis, & plures alios modos influendi moraliter in violationem legis: atqui lex humana ieiunij id non præcipit: non ergo præcipit lex humana ieiunij, vitationem eius periculi violandi legem. Minor oſtenditur. Lex humana ieiunij non præcipit ne ſcandalizes proximum, inuitando ad eſum cibi; præceptum enim non ſcandalizandi proximum in qualibet materia naturale eſt; neque vlla neceſſitas cogit ad dicendum, quod quælibet lex humana renouat illud præceptum in ordine

Digitized by Google

dine ad ſui obſeruationem : ſed ſi prohiberet eam ſuaſionem, prohiberet ſcandalum; cùm ea ſuaſio ſit ſcandalum actiuum : ergo. Maior verò ſuadetur. Nam perſuaſio violationis legis ſolet eſſe ita efficax, vt æquiualeat periculo proximo; & tanta certitudine morali influit in violationem legis, quanta periculum proximum : ergo ſtante pari ratione aut vtrumque concedendum eſt humanæ legi, aut vtrumque negandum.

CAPVT III.

Occurritur obiectionibus.

20. OPpones primò. Lex humana præcipit indirectè, quidquid eſt neceſſarium ad ſui obſeruationem : ſed ad obſeruationem legis humanæ eſt neceſſarium vitare periculum formale proximum : ergo lex humana indirectè præcipit vitare periculum formale proximum. Probatur minor. Obſeruatio legis humanæ eſt moraliter impoſſibilis, ſtante periculo formali proximo violandi illam : ergo id periculum formale proximum reddit moraliter impoſſibilem obſeruationem legis humanæ : ergo ad obſeruationem legis humanæ neceſſarium eſt, quod abſit periculum formale proximum ; nam vt aliqua res fiat, neceſſarium eſt, quod abſit illud, quod talem rem conſtituit impoſſibilem. Probatur antecedens, vnde ambæ conſequentiæ legitimè deducuntur. Nam periculum formale proximum eſt periculum certum, certitudine morali inferens lapſum futurum ; in hoc enim differt periculum proximum à periculo probabili, quòd hoc ſolùm probabiliter inclinat in lapſum futurum ; illud verò inclinat quadam certitudine morali, vt abundè explicui *diſputatione* 18. ergo periculum formale proximum certitudine morali infert non obſeruationem legis. Tum ſic : certitudo illationis inducit neceſſitatem conſequentiæ ; & neceſſitas vnius extremi inducit impoſſibilitatem oppoſiti : ergo ſi periculum formale proximum infert neceſſitate morali lapſum, ſiue non obſeruationem legis ; idem periculum formale proximum reddit impoſſibilem moraliter obſeruationem legis ; atque adeò hæc eſt impoſſibilis ſtante periculo formali proximo non obſeruationis.

21. *Lex non præcipit indirectè, quod eſt moraliter neceſſarium ad obſeruationē.* Reſpondetur iuxta dicta in probatione ſecunda, & ſecunda eius parte propoſita *cap. præcedenti*, pro concluſione noſtra legem humanam præcipere indirectè quidquid eſt phyſicè, vel metaphyſicè neceſſarium ad impletionem legis ; non autem id, quod dumtaxat eſt moraliter neceſſarium. Cuius rationem loco citato dedimus. Quo pacto maior & minor prioris ſyllogiſmi diſtinguendæ ſunt.

22. Oppones ſecundò. Qui vult periculum proximum violandi legem, vult violationem legis : ſed lex humana, ſaltem indirectè prohibet voluntatem violationis legis : ergo prohibet periculum proximum, in cuius amplectendi voluntate continetur voluntas violandi legem. Maior probatur primò. Qui vult cauſam illatiuam effectus, vult effectum : ſed periculum proximum eſt cauſa moraliter illatiua violationis : ergò qui vult periculum proximum, vult violationem legis. Secundò. Furtum commiſſum à Ioanne attribuitur tanquam cauſæ morali ei qui ſuaſit Ioanni, vt furaretur. Quare, niſi quia, etſi ſuaſor non vellet reipſa furtum fieri, vult illud in cauſa morali ſuæ perſuaſionis? Tertiò. Qui vult efficaciter medium efficax, cognita proportione ad finem, vult ipſum finem : ſed qui vult periculum proximum non ieiunandi, vult medium efficax ad non ieiunandum, & videt proportionem medij ad finem non ieiunandi : ergo qui vult periculum proximum non ieiunandi, vult non ieiunium.

Reſpondetur diſtinguendo maiorem : Qui vult periculum proximum, vult violationem legis, [in ſeipſa, aut in cauſa omninò determinante, nempe phyſicè, aut metaphyſicè,] nego ; vult violationem legis [in cauſa dumtaxat moraliter determinante,] concedo. Et minorem etiam diſtinguo : lex humana indirectè prohibet voluntatem violationis legis [quæ vult violationem in ſe ipſa, aut in cauſa omninò determinante,] concedo ; [quæ vult violationem dumtaxat in cauſa moraliter determinante,] nego. Itaque lex humana indicens ieiunium, præcipit indirectè voluntatem efficacem ieiunij ; quia ſine hac non poteſt phyſicè poni prædictum ieiunium : & prohibet indirectè voluntatem efficacem non ieiunandi ; quia carentia talis voluntatis eſt phyſicè neceſſaria ad tale ieiunium. Prohibet etiam indirectè ponere cauſam phyſicè impedientem ieiunium, modo explicando infrà *num*. . . quia carentia talis cauſæ eſt ſimpliciter neceſſaria ad obſeruationem legis. Cauſas autem moraliter impedientes impletionem ieiunij non prohibet lex indirectè : quia cum talibus cauſis componi phyſicè poteſt obſeruatio legis. 23. *Lex humana prohibet indirectè voluntatem, quæ vult violationem in ſe, vel in cauſa phyſicè determinante.*

Hinc eſt, quod voluntas, quæ vult efficaciter violationem legis in ſeipſa, aut in cauſa phyſicè, vel metaphyſicè determinante ad violationem legis, prohibetur indirectè prædicta lege humana ; quia carentia eius voluntatis eſt ſimpliciter neceſſaria ad implendam legem. Voluntas autem, quæ non vult violationem in ſe ipſa, ſed quæ vult violationem in cauſa moraliter determinante, non prohibetur indirectè ; quia carentia prædictæ voluntatis non eſt ſimpliciter neceſſaria ad obſeruationem legis : componitur enim obſeruatio legis cum voluntate volente cauſam moraliter neceſſitantem ad violationem ; ſiue volente violationem in cauſa moraliter determinante. 24.

Cùm ergo Eccleſia præcipit ieiunium, non præcipit, ne velis in cauſa moraliter determinante violationem ieiunij, ſed ne velis illam in ſe, aut in cauſa neceſſitante omninò, hoc eſt, phyſica, vel metaphyſica neceſſitate. Et ratio eſt, quia ſtante cauſa moraliter neceſſitante, poteſt abſolutè impleri præceptum ieiunij, vt patet ex dictis. Poſita autem cauſa phyſicè, vel metaphyſicè neceſſitante ad violationem, non poteſt abſolutè impleri præceptum. 25.

Et hinc patet, quomodo diſtinguenda ſit maior primæ probationis. Nam qui vult cauſam 26.

Digitized by Google

ſam illatiuam moraliter effectus, non vult effectum in ſe ipſo, neque in cauſa omninò determinante. Qui verò vult cauſam illatiuam phyſicè vel metaphyſicè effectus, vult effectum in cauſa omninò determinante. Ad ſecundam probationem admitto, ſuaſori attribui furtum in cauſa moraliter determinante. Sed hanc voluntatem non prohibet lex humana, etiam indirectè, propter dicta.

27. Ad tertiam probationem, admiſſa maiori & minori, diſtinguo conſequens: ergo qui vult periculum proximum non ieiunandi, vult non ieiunium, [in cauſa dumtaxat moraliter determinante,] concedo, [aliàs] nego. Id autem lex humana ieiunij non prohibet indirectè, vt ſatis conſtat ex dictis.

28. Oppones tertiò. Quando Eccleſia præcipit ieiunium, præcipit etiam indirectè, ne apponas impedimentum ieiunio: ſed periculum non ieiunandi eſt impedimentum reſpectu ieiunij: ergo indirectè præcipit, ne te exponas periculo violandi ieiunium.

29. *Lex præcipit indirectè, ne apponas impedimentum phyſicè, vel metaphyſicè impediens.*

Reſpondetur diſtinguendo maiorem: Præcipit, ne apponas impedimentum, [phyſicum, vel metaphyſicum,] concedo; impedimentum [moraliter dumtaxat impediens,] nego. Quia ſtante impedimento morali, ſeu moraliter dumtaxat impediente, poteſt impleri realiter præceptum, quamuis cum difficultate. Et cùm dicimus, Eccleſiam præcipere indirectè, ne apponas impedimentum, intellige, non de eo impedimento, ad quod habes ius, v.g. officium incompatibile cum ieiunio, aut quid ſimile: ſed de aliis impedimentis, ad quæ componenda cum præcepto, non habes ius: v. g. cùm inſtante præcepto audiendi Sacrum, manes domi, & eam claudis, & mittis claues in puteum, vnde non potes extrahere tam citò, opportuno tempore: quod eſt phyſicum impedimentum audiendi Sacrum.

30. Oppones quartò. Qui ſe exponit periculo proximo non ieiunandi, non ſolùm peccat contra charitatem Dei, quatenus ſe exponit periculo offendendi Deum; & contra charitatem propriam, quatenus ſe exponit periculo occidendi animam ſuam; ſed ſpecialiter peccat contra virtutem abſtinentiæ: ſed hæc ſolo præcepto humano præcipitur, non diuino: ergo contra præceptum humanum peccat, qui ſe exponit periculo proximo non ieiunandi.

Qui ſe exponit periculo violandi ieiunium, peccat contra virtutem abſtinentiæ.

31. Maior probatur primò. Grauiùs enim peccat qui ſe exponit periculo violandi præceptum humanum pertinens ad Religionem, quàm qui ſe exponit periculo violandi præceptum ieiunij: hæc autem maior grauitas procedit eadem proportione, qua ſe habet virtus Religionis & abſtinentiæ: ergo hæc maior & minor grauitas eſt diuerſitas ſpecifica, ſicut differunt ſpecie Religio & abſtinentia.

32. Probatur ſecundò eadem maior. Nam, vt loquuntur PP. Suarius, & Sancius ſuprà citati, in moralibus eiuſdem malitiæ eſt ſe conſtituere in morali periculo committendi aliquod peccatum, atque illud committere: ſed non eſſent eiuſdem malitiæ, ſi violatio ieiunij eſſet contra abſtinentiam; & exponere ſe periculo violandi ieiunium, eſſet ſolùm contra charitatem Dei, & propriam; non verò contra abſtinentiam: ergo qui ſe exponit periculo violandi præceptum ieiunij, peccat contra abſtinentiam.

33. Reſpondetur, maiorem eſſe veram, vt bene probatur in argumento. Illa tamen ſic intelligenda eſt, vt exponere ſe periculo non ieiunandi, non ſit contra præceptum humanum abſtinentiæ, ſed contra præceptum diuinum naturale eiuſdem, modò explicandum. Etenim ex ſuppoſitione, quod Eccleſia præceperit ieiunium, iure diuino obligaris mediatè & conditionaliter ad non te exponendum periculo violandi tale ieiunium, & procedendi contra virtutem abſtinentiæ. Nam quarto Decalogi præcepto iuberis obſeruare præcepta maiorum, & non te exponere periculo violandi illa, in quacumque ſpecie ſint.

Qui ſe exponit periculo non ieiunandi, peccat contra ius diuinum de abſtin. mediatum, & conditionale.

34. *Quomodo ieiunium ſit ex iure diuino mediatè, & conditionaliter?*

Circa quod duo notabis. Primum, in hac generali Decalogi lege contineri multas ſpeciales. Secundum, hanc quartam Decalogi legem eſſe conditionalem. Ex quibus duobus prænotatis fit, hanc Decalogi legem æquiualere his: [Si Eccleſia præceperit tibi ieiunium, obtempera; ſi præceperit tibi Religionem, obtempera; ſi præceperit tibi quietem & ſilentium inter diuina officia, obtempera, &c.] Item. [Si præceperit tibi ieiunium, ne te exponas periculo non obtemperandi legi ieiunij; ſi præceperit tibi Religionem, ne te exponas periculo violandi Religionem, &c.] vnde fit, quod ex ſuppoſitione præcepti Eccleſiæ, iure diuino teneris ad obediendum Eccleſiæ in hac ſpeciali materia. Peccas ergo contra abſtinentiam iure diuino mediatè & conditionaliter præceptam, dum te exponis periculo violandi legem Eccleſiaſticam ieiunij: atque adeò exponere te ei periculo eſt peccatum ſpeciale contra virtutem abſtinentiæ.

Item vitatio periculi violandi?

35. *Id admittendum in voluntate violandi præceptum Prælati futurum.*

Nec id nouum videri debet, ſed certiſſimum; nam in multis aliis neceſſariò eſt admittendum. Scis, Epiſcopum tibi Clerico impoſiturum eſſe cras præceptum ſpectans ad materiam Religionis. Proponis firmiter intra animum tuum, te non exequuturum. Peccaſti contra Religionem. Sed contra quod præceptum? Contra præceptum Epiſcopi? Minimè, quia hoc nondum extat; & ideò nondum obligat: ergo contra præceptum diuinum, conditionale illud quidem, quo iuberis, ſi Epiſcopus tibi aliquid præcipiat circa Religionem, obtemperandum eſſe, & non habendam voluntatem in contrarium, ſicut & circa cæteras virtutes.

36. Vnde diſtinguenda eſt maior obiectionis. Abſtinentia ſolo præcepto humano præcipitur, non diuino [immediatè, & abſolutè] concedo; [mediatè, & conditionaliter,] nego. Ius enim diuinum mediatè & conditionaliter iniungit ieiunium, quod præſcribit Eccleſia.

37. Inſtabis. Grauius peccatum eſt contra ius diuinum, quàm contra ius humanum: ſed violatio ieiunij eſt contra ius humanum; & exponere ſe periculo violandi ieiunium, eſt contra ius diuinum: ergo grauius peccatum eſt exponere ſe periculo non ieiunandi, quàm reipſa non ieiunare. Hoc autem eſt abſurdum: ergo & id vnde infertur.

38. *Violare ieiunium eſt contra ius humanum; & mediatè, atque conditionaliter contra diuinum.*

Reſpondetur primò, tam violationem ieiunij, quàm actionem exponendi ſe periculo violationis ieiunij, eſſe contra præceptum diuinum mediatum & conditionale abſtinentiæ: cùm quartum Decalogi præceptum vtramque actionem interdicat, ex ſuppoſitione, quod Eccleſia id præcipiat. Et eæ duæ actiones quoad

Exponere ſe periculo violandi, eſt contra ſolum diuinum mediatè & conditionatè.

hoc ſolùm differunt, quod violatio ieiunij eſt contra præceptum humanum, & contra præceptum diuinum mediatum & conditionale: at actio exponendi ſe periculo violationis ieiunij non eſt contra præceptum humanum, ſed ſolùm contra præceptum diuinum, mediatè & conditionaliter eam interdicens.

39. *Non eſt maior culpa, violare ius diuinum quàm humanum.*

Reſpondetur ſecundò, non argui maiorem grauitatem peccati ex eo quod ſit contra ius diuinum, reſpectu eius peccati, quod eſt contra ius humanum. Imò contingere poteſt, grauius peccatum eſſe contra legem humanam, quàm contra diuinam. Iuxta ſententiam eorum, qui negant, Clericos ſacris initiatos teneri ad caſtitatem ex voto, affirmantes, id ſolùm eſſe ex præcepto Eccleſiæ, grauius peccatum eſt in Clerico fornicante ſacrilegium, quod quidem eſt contra legem Eccleſiæ, quàm fornicatio condiſtincta à ſacrilegio, quæ obligat iure diuino. Hinc Bernard. *de Præcepto & diſpenſat. initio:* [Siue *Deus*, ſiue *homo* Vicarius Dei mandatum quodcumque tradiderit, *pari* profectò obſequendum eſt cura, *pari* reuerentia deferendum.] Quia quod à Deo, vel ab homine immediatè procedat lex, non arguit inæqualitatem culpæ in violante.

40. Oppones quintò. Eodem præcepto, quo quis tenetur vitare crimen, obligatur quoque ad illius periculum proximum vitandum, vt tradunt P. Th. Sanch. & P. Pellizarius citati capite primo: ergo ſi præcepto humano tenetur quis ſeruare ieiunium, eodem etiam humano præcepto obſtringitur ad illius periculum proximum vitandum.

41. Reſpondetur, id verum eſſe vt in plurimum, non tamen ſemper, vt ſatis conſtat ex dictis.

42. Tandem rogabis, quare dicimus, in quarto Decalogi præcepto præcipi mediatè eam legem humanam abſtinentiæ, ſicut & reliquas humanas conſcientiæ obligatorias: cùm propoſitio vniuerſalis immediatè contineat ſingulares? Reſpondeo, ius diuinum Decalogi non obligare immediatè ad ieiunium, niſi mediante lege Eccleſiæ, cui Decalogus præcipit obtemperari.

CAPVT IV.

An lex diuina, ſiue naturalis, ſiue poſitiua (vltra legem charitatis) obliget quempiam, ne ſe exponat periculo proximo violandi illam?

43. QVemlibet obligari lege charitatis propriæ, & lege charitatis in Deum, ne ſe exponat periculo proximo violandi legem naturalem, ex hucvſque dictis ſatis liquidum eſt. Inquiritur ergo in præſenti, an vltra eam obligationem, obſtringat etiam lex naturalis ob ſpecialem bonitatem virtutum præceptarum, ne quis ſe exponat periculo violandi leges de talibus virtutibus? V. g. an lex naturalis præcipiat, vt caueas à periculo proximo incidendi in fornicationem, idque eo fine, vt caſtus ſis, iuxta ſextum Decalogi præceptum.

44. Dico primò. Lex naturalis obligat ſpecialiter iuxta ſpecialem cuiuſque præcepti virtutem, ne te exponas periculo proximo violandi illud. Patet. Qui ſe exponit periculo proximo fornicationis, peccat formaliter contra caſtitatem; tenetur enim lege naturali & hanc ſeruare, & ſe reddere tutum ab illa violanda: ſed non peccat contra caſtitatem lege humana præceptam; peccat enim independenter à quavis lege humana; neque contra caſtitatem lege diuina poſitiua iniunctam, vt hæc diſtinguitur à naturali; neque enim datur talis lex poſitiua diuina condiſtincta à naturali de ea virtute: ergo peccat formaliter contra caſtitatem vt iniunctam lege naturali: ergo ipſa lex naturalis caſtitatis formaliter obligat ad vitandum periculum proximum fornicationis.

Lex naturalis immediatè prohibet, ne te exponas periculo violandi illam.

Confirmatur. Qui vacat copulæ illicitæ, non ſolùm peccat contra charitatem propriam ex ratione generali occidendi animam ſuam; nec ſolùm contra charitatem Dei ex ratione generali offendendi illam; ſed peccat etiam contra caſtitatem, quia charitas propria (idem de charitate in Deum) ſupponit peccatum copulæ conſtitutum in ſua ſpecie peccati. Nam qui fornicatur, quare occidit animam ſuam, niſi quia præſupponitur, fornicationem eſſe peccatum mortale in ſua ſpecie adæquata conſtitutum; per quod ita integrè conſtitutum occidatur anima? Ergo qui ſe exponit periculo copulæ illicitæ, non ſolùm peccat ex ratione generali charitatis propriæ, & charitatis in Deum, ſed ſpecialiter contra caſtitatem. Probatur conſequentia. Similiter enim, ſicut dictum eſt de ipſo peccato fornicationis, vim habet ratio in periculo illius. Ideò enim periculum proximum fornicationis eſt occiſio animæ (quam interdicit lex charitatis propriæ) quia ante talem legem charitatis propriæ præſupponitur eſſe peccatum graue in ſua ſpecie conſtitutum: ergo alia lex naturalis præter legem charitatis propriæ & charitatis in Deum interdicit eam actionem exponendi ſe periculo proximo fornicationis: quæ quidem lex id periculum vetat ea ratione, vt tutam reddat caſtitatem præceptam. 45.

Confirmatur ſecundò. Si enim in lege humana ieiunij hoc cernimus, quod iure naturali prohibemur exponere nos periculo violandi ieiunium, modo explicato *cap. præced.* reſpiciente ea lege naturali virtutem abſtinentiæ; vnde qui ſe exponit ei periculo, peccat contra abſtinentiam: à fortiori quando lex non eſt humana, ſed naturalis, qualis eſt lex de caſtitate, prohibemur lege naturali exponere nos periculo violandi ſpecialem legem caſtitatis naturalem; ita vt lex, quæ prohibet periculum, reſpiciat caſtitatem præceptam; & qui ſe exponit ei periculo, peccet contra caſtitatem, & committat peccatum in ſpecie luxuriæ. 46.

Dico ſecundò. Circa ea, quæ præcipit ius diuinum poſitiuum, contra legem naturalem formaliter delinquit, qui ſe exponit periculo proximo violandi tale præceptum diuinum: v. g. vrgente præcepto Baptiſmi, qui ſe exponit periculo proximo violandi tale præceptum, peccat contra legem naturalem, quæ ex ſuppoſitione talis præcepti, & ex ſuppoſitione, quod violatio eius præcepti eſt peccatum mortale, 47.

Exponere ſe periculo violandi ius poſitiuum diuinum, prohibetur lege naturali.

Digitized by Google

Et poteſt fieri, quod non prohibeatur ipſo iure diuino.

mortale, interdicit id genus periculi. Et quidem non repugnat, quod præceptum diuinum poſitiuum inhibeat formaliter actionem exponendi ſe tali periculo; ſicut neque repugnat quod præceptum diuinum poſitiuum non inhibeat formaliter periculum. Aſſero ergo, ſaltem lege naturali prohiberi formaliter tale periculum, & actionem exponendi ſe tali periculo eſſe non ſolùm contra charitatem propriam generalem, ſed ſpecialiter etiam contra ſuſceptionem debitam Baptiſmi, & contra virtutem, cuius opus eſt ſuſceptio Baptiſmi. Concluſio patet ex ſuprà dictis. Et eiſdem rationibus probatur, quibus probatum eſt, id in lege humana, & lege diuina naturali dicendum eſſe.

48. Dico tertiò. Qui ſe exponit periculo probabili violandi legem naturalem, aut legem diuinam poſitiuam, peccat mortaliter contra legem naturalem; quæ quidem prohibet exponere ſe tali periculo. Et quidem non ſolùm peccat contra legem naturalem charitatis propriæ, & charitatis in Deum, contra quam peccat quilibet peccans mortaliter; ſed etiam contra ſpecialem legem naturalem prohibentem in ſpecie, quod exponas te periculo probabili in tali ſpecie.

49. Prima pars concluſionis, quod peccat mortaliter quicumque ſe exponit periculo probabili peccandi lethaliter, patet ex *diſp.* 18. vbi abundè oſtenſum eſt, id eſſe peccatum lethale. Secunda verò pars, quod ſpecialiter peccet contra virtutem ſpecialem, contra quam militat peccatum, cuius periculo probabili ſe exponit, patet eiſdem rationibus, quibus in hoc & ſecundo capite id probatum eſt de periculo proximo violandi legem humanam naturalem, & diuinam poſitiuam.

CAPVT V.

An ſit formaliter contra votum quod te exponas periculo illud violandi?

50. *Poteſt dari votum, quod non obliget ad vitandum periculũ violandi illud.*

SIt prima concluſio. Poteſt dari votum de aliqua actione, quod non obliget ad vitandum periculum proximum, aut probabile violandi illud. Hanc ſupponit caramuel ſuprà citatus, & reliqui ſcriptores videntur nihil circa hoc punctum expreſſiſſe. Nota attentè, non affirmari in concluſione, id non eſſe peccatum. Eſt enim indubitabile, peccare mortaliter eum, qui ita ſe exponit periculo violandi votum in re graui, ſaltem contra legem charitatis propriæ, & charitatis in Deum, modo ſuprà explicato: imò peccat contra legem naturalem ſpecialem, de qua in tribus capitibus antecedentibus abunde dictum eſt. Quare concluſio aſſerit, id peccatum poſſe non eſſe formaliter contra votum.

Et tamẽ peccat mortaliter qui ſe exponit.

51. Probatur concluſio. Poteſt quis vouere ieiunium cum ea expreſſa intentione non ſe obligandi ad vitandum periculum violationis illius: ſed votum non obligat vltra intentionem vouentis: ergo poteſt votum non obligare ad id periculum vitandum.

52. Dices, hoc argumentum poſſe retorqueri in voluntate efficaci ieiunandi, ad quam votum obligat indirectè, quia ſine illa neutiquam poteſt ſeruari ieiunium. Sic autem retorquetur. Poteſt quis vouere ieiunium cum expreſſa intentione non ſe obligandi ab habendum voluntatem internam efficacem ieiunandi: ſed votum non obligat vltra intentionem vouentis: ergo poteſt votum non obligare ad habendum voluntatem efficacem ieiunandi.

Inſtantia à paritate

Reſpondetur tamen, non bene retorqueri argumentum: quia implicat contradictionem, quod quis ſe obliget ad ieiunium, quin velit aliquo modo ſe obligare ad id, ſine quo metaphyſicè impoſſibile eſt, poni actum præceptum, qualis eſt voluntas efficax ieiunandi expreſſa, vel interpretatiua; ſub his enim terminis intelligo aſſertionem. Vnde loquendo de voluntate efficaci ieiunandi, maior argumenti falſa eſt. Loquendo autem de vitatione periculi ea eſt vera, quia in ipſo voto, ſeparabilia ſunt hæc duo, obligare ſe ad ieiunium, & obligare ſe ad vitandum periculum violationis ieiunij; quia ad ſeruandum ieiunium Deo promiſſum non eſt phyſicè neceſſarium vitare periculum non ieiunandi, cùm de facto aliquando ſtante periculo violandi, ſeruetur votum, vt etiam de lege humana diximus *cap.* 2. 53.

Diſparitas euidens.

Sit ſecunda concluſio. Quando votum non exprimit obligationem vitandi periculum violationis, dicendum eſt, quod non obligat formaliter ad illud vitandum. Vnde ſi te exponas periculo violandi ieiunium promiſſum, non peccas formaliter contra votum. Excipe, niſi includat expreſsè, aut implicitè fugam eius periculi. Hæc exceptio ex comprehenſione terminorum patet: votum enim obligat ad totam materiam voti, & ad totum, quod includitur in illa, quando quis intendit obligare ſe ad illam totam. 54.

Votum, quod non exprimit vitationem periculi, non obligat ad illam.

Niſi materia voti implicitè includat vitationem periculi.

Probatur concluſio. Votum ieiunij, quando aliquam circumſtantiam non exprimit, ſubit eam interpretationem, quam ſubit lex humana; ſic enim DD. communiter interpretantur vota, cùm votum ſit quædam lex priuata, quam ſibi vouens imponit: ſed legem humanam interpretamur, ita vt non obliget formaliter ad vitandum periculum violandi illam, vt conſtat *ex cap.* 2. ergo votum ita interpretandum eſt. 55.

Notandum tamen eſt, quod in caſu primæ & ſecundæ concluſionis, qui ſe exponit periculo proximo, vel probabili violandi votum, licet non violet formaliter votum, tamen peccare formaliter contra Religionem. Patet ex dictis in præcedentibus capitibus. Etenim ſicut lex naturalis præſcribit, omnem promiſſionem Deo factam implendam eſſe, ita etiam datur lex naturalis præſcribens, quod nemo ſe exponat periculo non implendi promiſſionem Deo factam. Hæc autem ſecunda lex, ſicut & prima, Religionem reſpicit: qui ergo ſe exponit periculo violandi votum, peccat contra hanc ſecundam legem naturalem; ideóque contra Religionem. 56.

In eo caſu licẽt non pecces contra votum, peccas contra Religionem.

***

CAPVT

CAPVT VI.

An ſit formaliter contra votum caſtitatis, quod te exponas periculo illam violandi?

57. *Votum caſtitatis religioſa obligat ad vitandum periculum luxuriæ.* ASſero primò vt certum. Votum caſtitatis religioſæ formaliter obligat, vt vites omne periculum proximum, vel probabile luxuriæ. Et ideò Religioſus, qui ſe exponit periculo formali violandi caſtitatem, votum temerat, & ſacrilegij reus eſt. Hanc aſſertionem expreſſit P. Pellizarius *cit. cap.* 1. & eſt contra Caramuelem *ibi* citatum.

58. *Ad præceptū naturale caſtitatis ſpectat vitare periculum luxuriæ.* Manifeſtè infertur concluſio ex dictis. Primò. Etenim hoc, quod eſt ſubire periculum proximum luxuriæ, habet oppoſitionem cum virtute caſtitatis; atque adeò ad præceptum naturale caſtitatis ſpectat vitare eiuſmodi periculum, vt patet *ex cap.* 4. ſed votum caſtitatis religioſæ complectitur quidquid præcepto naturali caſtitatis continetur, vt in diſputationibus præcedentibus oſtenſum eſt: ergo votum caſtitatis religioſæ complectitur vitationem proximi periculi luxuriæ. De periculo autem probabili idem conſtat, ſuppoſito, quod conſtat eſſe peccatum mortale actionem ſubeundi periculum probabile labendi, *ex diſp.* 18.

59. Probatur ſecundò. Non eſt formaliter caſtus omnimoda caſtitate, qui fœdatur aliquo actu, qui eſt in ſpecie luxuriæ: ſed qui ſe exponit periculo luxuriæ, fœdatur actu, qui eſt in ſpecie luxuriæ, vt pote actu oppoſito virtuti caſtitatis: ergo qui ſe exponit periculo luxuriæ, non eſt formaliter caſtus omnimoda caſtitate. Atqui conſeruans inuiolatum votum omnimodæ caſtitatis eſt formaliter caſtus: ergo qui ſe exponit periculo luxuriæ non conſeruat inuiolatum votum omnimodæ caſtitatis.

60. *Violat votum ſimplex caſtitatis, qui ſe exponit periculo ineundi matrimonium, &c.* Hinc infero, peccare contra votum ſimplex caſtitatis eum, qui ſe exponit periculo contrahendi matrimonium, ſaltem cum animo conſummandi. Et dixi, cum animo conſummandi, vt abſtraham ab ea quæſtione, an peccet contra votum ſimplex, qui contrahit cum animo non conſummandi, & ſine periculo conſummandi?

61. Corollarium patet ex dictis. Sicut enim opponitur omnimodæ caſtitati ducere vxorem cum animo conſummandi, ita etiam illi opponitur exponere ſe periculo ducendi illam cum animo conſummandi. Confirmatur. Sicut ſe habet periculum fornicationis ad fornicationem, ita ſe habet periculum ducendi vxorem ad hoc, quod eſt ducere vxorem: ſed periculum fornicationis opponitur eidem virtuti, cui opponitur fornicatio, vt conſtat *ex cap.*4. ergo periculum ducendi vxorem opponitur eidem virtuti, cui opponitur hoc, quod eſt ducere vxorem. Sed hoc, quod eſt ducere vxorem, ſaltem cum animo conſummandi, opponitur omnimodæ caſtitati: ergo periculum ducendi vxorem, ſaltem cum animo conſummandi, opponitur omnimodæ caſtitati, & voto ſimplici illius.

CAPVT VII.

An ſit formaliter contra votum caſtitatis Religioſæ exponere alium periculo luxuriæ?

ILli Authores, qui *diſp. præced. cap.* 1. docuerunt, non violari votum caſtitatis, per hoc, quod aliquis procuret, aut ſuadeat luxuriam alienam, conſequenter dicere debent, non violari votum per hoc quod quis exponat alium periculo luxuriæ. Quibus conſentit Caramuel. Cui præcipuè reſiſtendum eſt, quia vt vidimus *diſp.* 38. *cap.* 1. aſſerit, ſuam ſententiam eſſe euidentem. 62.

Probabilior ſententia eſt, quæ docet, Religioſum peccare formaliter contra votum caſtitatis, quoties alium exponit periculo luxuriæ. Probatur. Votum Religioſum extenditur ad omnimodam caſtitatem, videlicet corporis & animi, vt patet *ex diſp.* 37. Sed qui exponit alium periculo luxuriæ, non ſeruat omnimodam caſtitatem corporis & animi: ergo qui exponit alium periculo luxuriæ, violat formaliter votum religioſum caſtitatis. Probatur minor. Non ſeruat omnimodam caſtitatem animi ille, cuius animus fœdatur proprio actu peccati in ſpecie luxuriæ, vt patet *ex diſp. præcedenti*: ſed qui exponit alium periculo luxuriæ, animum ſuum fœdat actu peccati in ſpecie luxuriæ: ergo qui exponit alium periculo luxuriæ, non ſeruat omnimodam caſtitatem animi. Minor conſtat: nam exponere ſe periculo luxuriæ, & exponere alium eidem periculo, actus ſunt eiuſdem ſpeciei, niſi quod iſte ſecundus ſuperaddit circumſtantiam contra charitatem: ſed exponere ſe periculo luxuriæ, eſt actus in ſpecie luxuriæ, & oppoſitus caſtitati, vt patet ex præcedenti capite: ergo exponere alium periculo luxuriæ eſt actus in ſpecie luxuriæ. 63. *Probabilius eſt, violari votum, exponendo alium periculo luxuriæ. Qui exponit alium periculo luxuriæ, nō ſeruat in ſe omnimodam caſtitatem.*

Nec ſatisfacies, ſi dicas, votum hoc reſpicere caſtitatem propriam, non alienam. Nam exponere alium periculo luxuriæ militat contra omnimodam caſtitatem propriam. Nam ad omnimodam caſtitatem propriam requiritur, quod animus tuus purus ſit ab omni actu, qui ſit in ſpecie luxuriæ: at actus, quo exponis alium periculo luxuriæ, tuus proprius eſt, & ideò animum tuum maculat: deinde cùm ſit in ſpecie luxuriæ, ſit, quod hæc macula inficiat animum tuum intra ſpeciem luxuriæ. Eſt ergo contra caſtitatem propriam alium exponere periculo luxuriæ. Cætera fundamenta reieges *diſputat. præced. cap.* 3. 64.

DISPV

DISPVTATIO XL.

An ſit malitia diuerſæ ſpeciei in Clerico ſacris initiato, violare caſtitatem?

CAPVT I.

Quid in quæſtione aſſeruerit Leander à Murcia?

1 MATERIÆ dignitas poſtulat, vt ea non omittantur, quæ ad plenam huius rei intelligentiam conducunt. Plena autem intelligentia requirit, vt paulisper à Caramuelis impugnatione quieſcentes, cum Leandro Murciano diſceptemus.

Cœlibatus annexus ordini ſacro.

2. Pro quo ſupponendum eſt vt certiſſimum inter Catholicos, cœlibatum, ſiue ſtatum caſtitatis perpetuæ annexum eſſe ordini ſacro. An autem annexus ſit ratione voti, an verò ratione præcepti Eccleſiaſtici, non conuenit inter Scriptores. Alij enim docent, id eſſe votum, ſiue expreſſum, ſiue tacitum. Ita D. Thom. *in* 4. *diſt.* 37. *quæſt.* 1. *art.* 1. P. Suar. *tom.* 3. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 10. & alibi ſæpe. P. Thomas Sanchez *lib.* 7. *de Matrim. diſp.* 27. *num.* 10. & apud ipſum quinquaginta nouem Authores. Alij autem cenſent, id non eſſe votum, ſed præceptum Eccleſiæ. Quam aſſertionem tuetur Scotus, & viginti alij Scriptores, quos refert idem Thomas Sanchez *num.* 9. dicens, eam eſſe probabilem. Alij autem vtramque radicem admittunt eius obligationis. Ita P. Conink. *tom.* 2. *in* 3. *part. diſp.* 20. *num.* 130. qui affirmat, caſtitatem non ſolùm eſſe annexam ordini ſacro ex conſtitutione Eccleſiæ mediatè, quatenus ſtatuit Eccleſia, vt Clericus in ſacris voueat caſtitatem; ſed etiam immediatè, quatenus Eccleſia conſtituit, vt ille caſtitatem ſeruet.

Alij docent, id eſſe ex voto.

Alij ex præcepto.

Alij ex vtroque.

3. P. Thom. Sanch. vbi ſuprà *num.* 19. optimâ conſequentiâ hoc notauit. [In primis tanquam *res certa* ſupponendum eſt, non tantùm profeſſum, ſed etiam ſolo ordine ſacro initiatum, fornicantem, eſſe *reum ſacrilegij*: ac proinde teneri fateri illam circumſtantiam voti annexi ordini ſacro: tanquam quæ ſpeciem mutet. Conſtat, quia vltra fornicationem virtuti temperantiæ aduerſam, delinquit in religionem, violans caſtitatis votum. Quod ſi ſentiant quipiam, obligationem caſtitatis annexam ordini ſacro; non ex voto, ſed ex mera Eccleſiæ conſtitutione, vt ſentiunt Authores *num.* 9. relati, adhuc tenentur dicere, *ſacrilegam* eſſe eam fornicationem; quia cùm Eccleſia *caſtitatem* præceperit Clericis *ob reuerentiam miniſteriorum ſacrorum*, quibus vacant; id præceptum *ad religionem* pertinet, ac ſubinde eius violatio ſacrilega eſt.] Pro quo aſſerto plures ibi Doctores allegat.

In omnium ſententia Clericus in ſacris violans caſtitatem, eſt ſacrilegus.

Peccat in religionē, etiā ſi ſit obligatio ex præcepto.

4. Leander à Murcia inſigni æquiuocatione deceptus *lib.* 2. *diſquiſitionum, diſp.* 2. *reſol.* 15. *num.* 10. aſſerit, iuxta ſententiam probabilem eorum, qui dicunt, initiatum ſacris ordinibus ex ſola conſtitutione Eccleſiæ ad caſtitatem eſſe adſtrictum, [conſequenter tenendum eſt (verba ſunt Murciæ) prædictos ſacris initiatos, ſi committant actum, ſiue actus aliquos venereos, non peccare peccato ſacrilegij, neque eam circumſtantiam fatendam eſſe in confeſſione, vt mutantem ſpeciem.]

Leander putat, non peccare contra religionē ſi ea obligatio ſit ex præcepto.

5. Et *num.* 15. ſic ait: [Contrariam tamen ſententiam tenet Thom. Sanch. *lib.* 9. *de impedimentis matrim. diſp.* 27. *num.* 19.... Quod probat. Quia Eccleſia continentiam præcipit Clericis ob reuerentiam miniſteriorum ſacrorum; quibus vacant: ergo id præceptum ad religionem pertinet: igitur ſi ſacris initiatus actum venereum committat, erit reus ſacrilegij, & tenebitur eam circumſtantiam in confeſſione exprimere. Huic tamen fundamento & rationi Thomæ Sanch. reſpondetur, *finem præcepti non cadere ſub præceptum* (nota attentè hæc verba, in quibus ſumma latet æquiuocatio) *nec finem legis cadere ſub lege*, vt conſtat *ex leg.* 1. *ff. de minoribus*: vbi communiter DD. Nauarrus *in Apolog. de reddit. Eccleſiaſt. quæſt.* 1. *monito* 68. *num.* 1. Diuus Thom. 1. 2. *quæſt.* 100. *art.* 9. & 10. & ibi communiter Theologi. Et patet, quia licèt Eccleſia præcipiat in diebus feſtis ceſſare ab operibus ſeruilibus, vt fideles liberiùs Deo, & religioſis operibus, & cultui Dei vacent; ſi autem quis operibus profanis non peccaminoſis vacet, ſi tamen non ſint opera ſeruilia, non peccabit mortaliter, non obſtante, quod faciat contra finem præcepti, & legis Eccleſiaſticæ; quia finis legis, & præcepti, vt dictum eſt, non cadunt ſub lege, & præcepto. Quapropter licèt Eccleſia præcipiat continentiam ſacris initiatis ob finem religionis, & reuerentiæ ſacris miniſteriis debitæ, non ideò eadem continentia cadit ſub præcepto religionis; nec transgreſſio eius præcepti eſt contra religionem, nec ad ſpeciem ſacrilegij pertinet.] Hucvſque Leander.

Eo quod finis Legis non cādit ſub legem.

6. Et *num.* 14. in confirmationem eius ſententiæ affert decem illos Iuriſperitos, quos refert, & tanquam improbabilia docentes reiicit P. Thom. Sanch. vbi ſuprà *num.* 21. qui cùm miſerint falcem in meſſem Theologicam, adeoque alienam, non eſt mirum, quod à probabilitate aberrauerint. Citat etiam pro hac ſententia omnes eos, qui dicunt, caſtitatem ſacris initiato incumbere, non vi voti, ſed vi conſtitutionis Eccleſiaſticæ. Quia cenſet, neceſſariâ conſequentiâ ab illis dicendum eſſe, ſacris initiatum violatorem caſtitatis eſſe immunem à reatu ſacrilegij. Sed nunquid Thom. Sanchez, qui docet, probabilem eſſe ſententiam, quæ aſſerit vi conſtitutionis Eccleſiaſticæ caſtitatem incumbere ſacris initiato, ſtat etiam pro ſententia Murciæ; cùm doceat, certum eſſe, prædictum caſtitatis violatorem, etiam dum violat ſolam conſtitutionem Eccleſiæ, eſſe ſacrilegum? Ergo qui ſuffragantur ſententiæ de obligatione caſtitatis in tali Clerico vi ſolius conſtitutionis Eccleſiæ, malè citantur pro aſſertione, quæ in eo caſu negat ſacrilegium; cùm Authores & ſacrilegium admittant, & probabile doceant abeſſe votum.

Pro illa malè citat eos, qui dicunt, eam obligationem eſſe ex præcepto.

7. Et cùm tam aſſeueranter dixerit Murcia,

iuxta

iuxta ſententiam de obligatione caſtitatis ſacris initiati proueniente à ſola conſtitutione Eccleſiæ; *conſequenter tenendum eſſe, prædictos ſacris initiatos, ſi committant actum venereum, non peccare peccato ſacrilegij, &c.* (relege omnia verba ſuprà *num* 4. *&* 5.) in fine reſolutionis quaſi lauans manus, addit hæc verba: [Quæ omnia dicta eſſe velim, vt eius opinionis fundamenta calleas: ego verò opinioni aſſerenti, votum caſtitatis eſſe ordini ſacro annexum, omninò adhæreo; *de alia* verò iudicent viri docti.] De qua alia? nempe de ea, quæ opponitur *opinioni aſſerenti, votum caſtitatis eſſe ordini ſacro annexum.* Quæ autem huic opinioni opponitur, eſt quæ aſſerit, ex ſola conſtitutione Eccleſiæ iniungi caſtitatem homini ſacris initiato. Sed numquid de hac opinione modò iudicaturi ſunt viri docti? Numquid probabilitas huius opinionis adhuc eſt ſub iudice; cùm P. Thom. Sanch. vbi ſuprà eam dixerit probabilem, & poſt eum Antonius Diana *part.* 10. *tract.* 11. *reſol.* 12. & plures alij? & habeat pro ſe pluſquam viginti Authores, & Iuriſprudentes; & non contemnendas rationes?

8\. Itaque aliud eſt inquirere, an ex ſola conſtitutione Eccleſiæ obligentur ad caſtitatem ſacris initiati? Et aliud eſt inquirere, an in ſententia aſſerente, ex ſola conſtitutione Eccleſiæ obligari ad caſtitatem ſacris initiatos, ſi illi caſtitatem violent, peccent contra religionem, & rei ſint ſacrilegij? Quare cùm Murcia aſſeuerante dixerit, iuxta eam ſententiam dicendum eſſe, eos peccantes contra caſtitatem, non peccare contra religionem, nec ſacrilegij reos eſſe; non ſatis lauat manus, dum dicit, ſe non ſtare pro ea ſententia, quia ipſe *adhæret opinioni aſſerenti, votum caſtitatis eſſe ordini ſacro annexum.* Lauaret vtique & dealbaret manus, ſi diceret, etiam ſtante ea ſententia probabili de caſtitate initiatorum ex conſtitutione Eccleſiæ, eos caſtitatem violantes peccare contra Religionem: ſolueret quoque fundamenta (qualia qualia) pro ea ſententia propoſita.

9\. Quod ſi adhuc dixerit, non eſſe intentionis ſuæ remittere ad iudicium aliorum, niſi ſolùm eum modum dicendi, quod in ſententia de caſtitate initiati ex ſola conſtitutione Eccleſiæ, violans caſtitatem ſit ſacrilegij reus, adhuc negare non poteſt, ſe ſtare pro eius probabilitate. Etenim *num.* 8. dixit, eam ſententiam de caſtitate initiati ex ſola conſtitutione Eccleſiæ, eſſe probabilem: & *num.* 10. addit, iuxta illam conſequenter dicendum eſſe, initiatum caſtitatis violatorem à ſacrilegio immunem eſſe. Cùm ergo hæc aſſeueranter dicta fuerint, peccabit contra Dialecticam, ſi negauerit, ſe ſtare pro eius aſſertionis probabilitate, quod ſacris initiatus violans caſtitatem, à ſacrilegio ſit immunis: cùm ex iis duabus præmiſſis probabilitas iſtius aſſertionis certiſſimè inferatur: quæ probabilitas ideò deficit, quia ſecunda præmiſſa, quam ponit *eo num.* 10. eſt certò falſa.

10\. *Illam cenſet improbabilem Thom. Sanch.* P. Thom. Sanch. *ea diſp.* 27. *num.* 21. affirmat, hanc aſſertionem improbabilem eſſe, & certò falſam. Ait enim: [Similiter non eſt admittenda ſententia aliorum dicentium, concubitum Clerici ſacris initiati eſſe ſimplicem fornicationem.] Nam quas vult declarare improbabiles, dicit reiiciendas, aut non admittendas. Et ideò *num.* 20. reiiciendam dicit ſententiam, quæ aſſerit, fornicationem religioſi, aut ſacris initiati eſſe ſimplicem: quia votum non cadit ſupra materiam præceptam. Et poſtea ſubdit, aſſertionem, quæ ait, concubitum ſacris initiati eſſe ſimplicem fornicationem, *ſimiliter non eſſe admittendam.* Vbi maximè notandum eſt aduerbium *ſimiliter*: & notanda eſt ſimilitudo inter has duas propoſitiones, quod *reiiciendæ & non admittendæ* ſunt. Si enim verè ſunt probabiles, quare reiiciendæ, aut quare non admittendæ?

Deinde *eodem num.* 21. ſtatim ac retulit aſſertionem & Iuriſtas aſſerentes, concubitum ſacris initiati eſſe ſimplicem fornicationem, ſubdit: [At ſententia hæc *confunditur* ex dictis *num.* 19.] Et quid eſt *confunditur*, niſi idem, quod *euidenter conuincitur?* 11.

CAPVT II.

Prænotantur aliqua ad clariorem reſolutionem quæſtionis.

VT diſſoluamus æquiuocationem, qua nititur aſſertio proximè relata, diſtinguendum eſt ante omnia, & aduertendum, aliud eſſe, [Quod finis non cadat ſub præceptum;] & aliud longè diuerſum [Quod præceptum non ſpecificetur à fine.] 12.

Quod finis non cadat ſub præceptum, eſt, quod cùm adimples præceptum, non teneris facere operationem præceptam, referendo illam ad finem; ſed quod ſufficit, vt actionem præceptam vtcumque opere exequaris. Cùm Eccleſia præcipit propter reuerentiam miniſteriorum ſacrorum, vt ſacris initiatus ſeruet caſtitatem, non præcipit, vt actum caſtitatis, v.g. quo reſiſtit tentationi luxurioſæ, referat ad cultum Dei, & reuerentiam ſacrorum miniſteriorum; implebit enim præceptum, dum eliciat actum reſiſtentiæ ob quemcumque finem. Dum præcipit Eccleſia propter reuerentiam Euchariſtiæ, vt vadas ieiunus ad Euchariſtiæ communionem, non præcipit, quod id ieiunium naturale referas actualiter ad cultum Euchariſtiæ; quocumque enim fine accedas ieiunus, ſeruas præceptum. Item cùm propter cultum Dei iuberis audire Miſſam, non obligaris referre auditionem Miſſæ ad cultum Dei; præceptum enim ſeruaſti, ſi illam audiſti etiam ſine relatione ad talem finem cultus Dei. Ex quibus certum fit id, quod ſupponit Murcia, finem præcepti non cadere ſub præceptum. 13. *Quid eſt, quod finis nõ cadat ſub præceptum?*

Quod autem præceptum non ſpecificetur à fine, ſignificat, quod præceptum non conſtituatur in ſuo eſſe per ordinem ad hunc ſpecialem finem, quem reſpicit: taliter quod duo præcepta reſpicientia duos fines ſpecie diuerſos, ipſa inter ſe non differant ſpecie, ſed contineantur intra eandem omnino ſpeciem, tanquam non habentia prædicatum aliquod, vnde ſpecificè diuerſificentur. 14. *Quid eſt, quod præceptum nõ ſpecificetur à fine?*

Præceptum ſpecificari à fine, quem immediatè reſpicit, tam certum eſt, quàm eſt certum, actum electionis mediorum ſpecificari à fine intrinſeco, id eſt, à fine, qui immediatè reſpicitur 15. *Certum eſt, præceptũ ſpecificari à fine.*

Digitized by Google

reſpicitur ab eo actu. Probatur primò. Ille, qui eligit medium furti in ordine ad fornicationem, & ille, qui eligit medium furti in ordine ad ebrietatem conſequendam, peccata committunt ſpecie differentia: ſed id ita eſt non ob aliam cauſam, niſi quia duo illi actus electionis ſunt in ordine ad fines ſpecie diuerſos: ergo actus, qui reſpiciunt fines ſpecie diuerſos, diuerſificantur ſpecie: ergo præcepta, quæ reſpiciunt fines ſpecie diuerſos, diuerſificantur ſpecie; atque adeò ſpecificantur, quoties reſpiciunt fines ſpecie diuerſos.

16. *Actus ſpecificantur ab obiecto formali motiuo immediatè.* Probatur ſecundò. Actus ſpecificantur ab obiecto formali motiuo, quod reſpiciunt immediatè: ſed finis intrinſecus eſt obiectum formale motiuum, quod reſpicitur immediatè à præcepto: ergo ille actus præcepti ſpecificatur à fine, quem immediatè reſpicit: ergo duo actus præceptiui, qui reſpiciunt duos fines ſpecie diuerſos, ſunt quidem ſpecie diuerſi.

17. *Reſponſio prima.* Dices primò, illos duos actus de quibus loquitur primum argumentum, eſſe ſpecie diuerſos, quia vnus eſt in ſpecie luxuriæ, & alter in ſpecie ebrietatis.

18. *Refellitur 1.* Contrà eſt primò. Vnus eſt in ſpecie luxuriæ, & alter in ſpecie ebrietatis, non ratione medij electi, ſeu obiecti materialis, quia eſt idem reſpectu vtriuſque actus: ergo ratione finis, ſeu obiecti formalis: ergo quia reſpiciunt fines ſpecie diuerſos, alterum luxuriæ, & alterum ebrietatis.

19. *Refellitur 2.* Contrà eſt ſecundò. Ideò illi duo actus peccaminoſi ſunt diuerſæ ſpeciei, quia vnus eſt in ſpecie luxuriæ, & alter in ſpecie ebrietatis: ſed quando dantur duo præcepta, quorum vnum iniungit ieiunium propter abſtinentiam, & alterum iniungit ieiunium propter Religionem (putà, ſi Eccleſia præciperet, vt die præcedenti communionem ieiunes propter reuerentiam Euchariſtiæ) aliud præceptum eſt in ſpecie abſtinentiæ, & alterum præceptum eſt in ſpecie Religionis: ergo ea duo præcepta diſtinguuntur ſpecie, vtique propter fines ſpecie diuerſos.

20. *Reſponſio 2.* Dices ſecundò, actus non ſpecificari, niſi ab obiectis formalibus, quæ intrinſecè, ſeu immediatè reſpiciunt; poſſe autem præceptum ita ſe habere, vt componatur ex duobus actibus quorum alter præcipiat actionem, alter præcipiat finem. Vnde præceptum actionem iniungens non ſpecificabitur à fine, vt pote ab obiecto formali extrinſeco.

21. *An electio medij attingat intrinſecè finem?* Hæc reſponſio vtilis eſt vt ſoluatur alia æquiuocatio, quæ etiam oriri poteſt in hac materia. Pro cuius ſolutione nota primò, Authores eſſe diuiſos in reſolutione eius quæſtionis; [An electio medij neceſſariò attingat intrinſecè finem?] aliis aientibus, negantibus aliis.

22. *Actus attingit intrinſecè obiectũ, quod immediatè reſpicit.* Nota ſecundò, illud obiectum tangi intrinſecè ab actu, quod immediatè reſpicitur à tali actu; illud autem extrinſecè, quod mediatè dumtaxat.

Nota tertiò. Qui dicunt, actum electionis mediorum poſſe tangere extrinſecè finem, ponunt duos actus, vnum imperantem, & alterum imperatum; ita vt actus intentionis intendens finem, imperet actum electionis. Iuxta quam ſententiam, cùm quis furatur propter fornicationem, habet intentionem fornicationis; & iſte actus intendens fornicationem,

23. *Cùm electio attingit extrinſecè finẽ, ſunt duo actus, imperans, & imperatus.*

imperat actum furti, & actus furti eſt imperatus ab intentione fornicationis.

24. *Duo actus intentionis ſpecie differunt, dum reſpiciũt fines ſpecie diuerſos.* Nota quartò, eos duos actus intentionis, qui reſpiciunt fines ſpecie diuerſos, in omni ſententia eſſe ſpecie diuerſos, vtpote terminatos ad obiecta formalia motiua ſpecie differentia; idque, quamvis duo actus electionis, qui dumtaxat terminantur intrinſecè ad furtum, ſint eiuſdem ſpeciei, quia non attingunt intrinſecè eos duos fines ſpecie diuerſos.

25. *Intentio imperans, & electio imperata conſtant vnum compoſitum morale.* Nota quintò, iuxta eandem ſententiam, quæ ponit eos duos actus, actum intentionis imperantem, & actum electionis imperatum, in eo qui furatur propter fornicationem poſſe conſiderari vnum compoſitum morale conflatum ex iis duobus actibus; & in eo, qui furatur propter ebrietatem poſſe conſiderari aliud compoſitum morale conflatum ex iis duobus actibus, nempe furti, & ebrietatis. Quæ duo compoſita moralia ſunt ſpecie differentia, cùm reſpiciant ratione vnius partis (ſcilicet intentionis) fines ſpecie diuerſos: ſicut quando vnus indiuiſibilis actus furti intrinſecè reſpicit fornicationem, & alter indiuiſibilis actus furti intrinſecè reſpicit ebrietatem; ambo actus ſpecie differunt propter fines ſpecie diuerſos fornicationis & ebrietatis. *Duo compoſita moralia ſpecie differentia ratione finis.* Quod ſaltem de poſſibili nemo negare poteſt; ſcilicet, quod vnus indiuiſibilis actus poſſit reſpicere obiectum materiale & formale. Neque eſt ad rem, an quodlibet compoſitum morale conflatum ex duobus illis actibus ſit vnum peccatum, ex duplici ſpecie conſtitutum, an duo peccata: ſolùm enim ad rem meam contendo, quod ſi conſideretur tanquam vnum compoſitum morale conflatum ex duobus illis actibus terminatis ad furtum, & fornicationem, ſufficienter illud totum ſpecificetur à fine, tanquam ſi eſſet vnus actus indiuiſibilis terminatus ad medium ſimul & finem.

26. *Tota ea doctrina conuenit in duo præcepta reſpicientia diuerſos ſpecie fines.* Nota ſextò, transferendam totam hanc doctrinam ad præcepta. Si enim dicas, præceptum eſſe duos actus, vnum qui præcipit ieiunium, alterum qui reſpicit finem Religionis; ſi ex iis duobus fiat vnum compoſitum morale, nempe vnum præceptum, eodem modo differre ſpecie à ſimili præcepto, quod præſcribat ieiunium propter abſtinentiam, tanquam ſi præceptum eſſet vnus indiuiſibilis actus terminatus ad ieiunium ſimul & ad finem Religionis, propter quem iniungitur ieiunium. Itaque ambo actus, qui terminantur dumtaxat ad ieiunium, nec reſpiciunt intrinſecè finem, eiuſdem ſpeciei ſunt: at ſi ex vna parte conſtituatur actus imperatus terminatus ad ieiunium, & actus imperans reſpiciens finem Religionis, qui componunt vnum præceptum; & ex altera parte ponatur actus imperatus terminatus ad ieiunium, & actus imperans intendens finem abſtinentiæ, qui componunt alterum præceptum; hæc duo præcepta differunt ſpecie propter actus reſpicientes fines ſpecie diuerſos.

27. Hinc fit, ſiue dicas, præceptum eſſe vnum actum terminatũ ad rem præceptam, & ad finem illius, ſiue dicas, compoſitum morale conflatum ex duobus actibus, quorum alter ad rem præceptam vt imperatus, & alter ad finem terminetur tanquam imperans; tale præceptum ſpecificari à fine. Quia cùm totũ compoſitum morale

Digitized by Google

conflatum ex iis duobus actibus, includat vnum actum ſpecificatum à fine, ratione illius totum ſpecificatur à fine. Sicut homo licèt non differat ſpecie ab equo ratione materiæ primæ, differt tamen ſpecie ab illo ratione formæ ſubſtantialis.

28. *Præceptum de continentia Clerici in ſacris habet pro fine reuerentiam ſacrorum miniſteriorum.*

Nota ſeptimò, certiſſimum eſſe, præceptum interdicens luxuriam Clerico ſacris intiato (in ſententia, quæ negat, id eſſe votum) reſpicere pro fine reuerentiam ſacrorum miniſteriorum. Id enim planè conſtat ex multis textibus. Vnus ſit pro multis *ex cap. decernimus, diſt.* 28. vbi cùm Innocentius ſecundus prohibeat Clericis in ſacris matrimonium, & concubinatum, addit: *Cùm enim ipſi templum, vaſa Domini & ſacrarium Spiritus ſancti debeant eſſe, & dici, indignum eſt, eos cubilibus, & immunditiis deſeruire.* Quod idem conſtat *ex cap. Tenere, diſt.* 31. & aliis.

29. *Non eſt quæſtio, an concubitus Clerici ſit ſtrictè, an latè ſacrilegium.*

Tandem nota, in præſenti non eſſe quæſtionem, an fornicatio Clerici in ſacris conſtituti ſit ſtrictè, an latè ſacrilegium. Sunt enim, qui etſi fateantur, violationem caſtitatis eſſe contra Religionem, dicunt tamen, non ſtrictè, ſed latè eſſe ſacrilegium. De quo vide P. Caſtro Palao *tom.* 3. *tract.* 17. *diſp.* 2. *punct.* 5. §. 2. *num.* 2. & P. Suar. *tom.* 1. *de Relig. tract.* 3. *lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 5. & 6. tamen cum aliqua limitatione. Quod etiam poſſet quis aſſerere de caſtitate præcepta Clerico in ſacris propter motiuum Religionis. Solùm ergo inquirimus in præſenti, an fornicatio Clerici in ſacris (iuxta ſententiam aſſerentem, cœlibatum annexum eſſe Ordini ſacro ex ſola Eccleſiæ conſtitutione; præter ſpeciem, quam habet contra caſtitatem, habeat etiam ſpeciem contra Religionem, ſitque ſacrilegium, ſaltem lato modo.

Sed an habeat ſpeciem malitiæ contra Religionem.

CAPVT III.

Oſtenditur certitudo concluſionis affirmantis, ſacris initiatum, qui violat caſtitatem, peccare contra Religionem in qualibet ſententia.

30. *Differūt ſpecie peccata, quæ violant leges ſpecie diuerſas.*

OStenditur primò. Peccata ſunt ſpecie differentia, quoties militant contra præcepta, quæ ſunt ſpecie differentia, ſaltem ratione motiui; ſed peccata commiſſa contra caſtitatem à laico, & à Clerico ſacris initiato militant contra præcepta, quæ ſunt ſpecie differentia ratione motiui, ſeu finis: ergo ea peccata ſunt ſpecie differentia, atque adeò peccatum fornificationis commiſſum à Clerico in ſacris conſtituto aliam ſpeciem habet, præter ſpeciem ſimplicis fornicationis, quæ non poteſt eſſe alia, niſi ſpecies ſacrilegij, ſaltem latè ſumpti, ſiue contra Religionem. Conſequentia eſt euidenter illata. Minor patet ex capite præcedenti.

31. Maior eſt Leandri à Murcia, qui *eod. lib.* 2. *diſp.* 2. *reſol.* 3. *numero* 6. ait: [Sit ſecunda concluſio. Quando diuerſæ leges, ſeu præcepta præcipiunt eandem rem ex diuerſa ratione & motiuo formali ſpecifico, ſiue ex diuerſis rationibus, ſeu motiuis ſpecificè diſtinctis; tunc ſunt ſufficientia ad conſtituenda peccata ſpecie diſtincta. Ita DD. primæ ſententiæ. (*hanc concluſionem nemo negat*) Et probatur,] &c. Et *num.* 7. addit: [Cæterùm quando leges ſunt conditæ ex diuerſis motiuis, tunc tranſgreſſio illarum legum erit multiplicis malitiæ, vt videre eſt in furto perpetrato in Eccleſia de rebus Eccleſiæ, vel in percuſſione Clerici, vel in actibus his ſimilibus: quia cùm hi actus ſint prohibiti à legibus Eccleſiaſticis ob ſpeciale motiuum, ſcilicet ob reuerentiam diuini cultus, ad quem ſunt dicatæ particulares perſonæ, & particularia loca; ideo peccare contra hoc præceptum inducit nouam ſpeciem peccati, ſcilicet ſacrilegij. Et idem dicendum eſt de effuſione iniuſta ſanguinis, vel ſeminis in Eccleſia, quia violatur in his effuſionibus ſanctitas loci benedicti, ſeu conſecrati, cui ex præcepto Eccleſiaſtico debetur ſpecialis reuerentia.]

Vbi notandum eſt, cùm prædictus Leander citat *num.* 3. plures DD. aſſerentes, ex diuerſitate præcepti non variari ſpeciem peccati, ipſum, & Authores citatos intelligi de præceptis verſantibus circa idem omninò obiectum, & ex eodem motiuo; non verò de præceptis ſpecie diuerſis ratione motiui ſpecificè diuerſi. Nam P. Suarez ibi citatus *tom.* 2. *de Relig. lib.* 5. *de voto, cap.* 6. *num.* 15. & 16. expreſsè loquitur de votis, & præceptis ſolo numero differentibus, & circa idem obiectum impoſitis. Et P. Th. Sanch. *ibid. cit. lib.* 1. *ſum. cap.* 14. *num.* 9. expreſsè loquitur de præceptis ad vnum & idem obiectum terminatis ex eodem motiuo: ponit enim exemplum in eo, qui tenetur ieiunare ratione præcepti Quadrageſimalis, & præcepti vigiliæ; & in eo, qui tenetur audire Miſſam in die feſto occurrente in Dominica. Et idem affirmat Azor, & reliqui ab eodem Leandro citati: & P. Vaſquez cum eiſdem citatis à Leandro *ibid.* relatus 1. 2. *diſp.* 92. *cap.* 2. diſertè tradit, & ex profeſſo probat, cùm præcepta ſint ſpecie diuerſa, peccata quoque ſpecie differre, quæ militant contra eiuſmodi præcepta. 32.

Oſtenditur ſecundò. Quoties peccata opponuntur diuerſis virtutibus, ipſa inter ſe ſpecie differunt: ſed peccatum laici fornicantis, & peccatum Clerici ſacris initiati copulantis ſe carnaliter fœminæ, opponuntur virtutibus diuerſis: ergo peccatum laici, & peccatum ſacris initiati, fornicantium, ſunt diuerſæ ſpeciei: addit ergo nouam ſpeciem peccatum Clerici ſacris initiati fornicantis. Et nota, eas dici virtutes diuerſas, quæ ſpecie differunt. 33.

Differūt ſpecie peccata, quæ opponuntur diuerſis virtutibus.

Maior manifeſta eſt, cùm luxuria & furtum non aliunde potiùs ſpecie differant, quàm ex oppoſitione cum virtutibus diuerſis caſtitate & iuſtitia. Quod expreſſit Murcia eadem *diſp.* 2. *reſol.* 2. *num.* 3. ſic inquiens: [Itaque concedimus, peccata diuerſis virtutibus oppoſita, eſſe ſpecie diuerſa, quia priuant perfectionibus ſpecie diſtinctis.] 34.

Minor verò etiam patet. Nam fornicatio laici opponitur caſtitati, & fornicatio Clerici ſacris initiati opponitur etiam Religioni: ergo opponuntur diuerſis virtutibus. Antecedens quoad ſecundam partem oſtenditur. Tunc peccatum opponitur Religioni, quando prohibitum eſt ab Eccleſia ob motiuum Religionis; ideò enim effuſio ſanguinis, & ſeminis exercita in templo violat Eccleſiam, & eſt contra Religionem (ita aſſerente Murcia verbis relatis ſu- 35.

Fornicatio Clerici in ſacris opponitur Religioni.

prà

prà *n.*31.) quia vtraque effuſio interdicitur ab Eccleſia ob motiuum Religionis: quod multis aliis exemplis inferiùs ſubiiciendis planè conuincitur. Sed fornicatio Clerici ſacris initiati prohibita eſt ab Eccleſia ob motiuum Religionis, cùm prohibita ſit ab Eccleſia ob reuerentiam miniſteriorum ſacrorum, quibus addictus eſt talis Clericus; quod non negat Murcia: ergo fornicatio Clerici in ſacris opponitur Religioni.

CAPVT IV.

Confunditur reſponſio Murciæ.

36. RESpondet Murcia, vt retuli *cap. 1. num.* 5. eum finem Religionis, quem reſpicit lex, non cadere ſub præceptum; & ideò continentiam Clerici in ſacris conſtituti non cadere ſub præceptum Religionis.

37. *Quod finis Religionis nõ cadat ſub præceptum, non tollit, quod præceptum reſpiciat motiuum diuerſæ ſpeciei.* Sed contrà eſt primò inſtaurando primum argumentum. Nam quod finis Religionis non cadat ſub præceptum, non tollit, quominus præceptum reſpiciat motiuum ſpecie diuerſum; neque tollit, quominus peccatum fornicationis Clerici in ſacris opponatur præcepto, quod ratione motiui eſt diuerſæ ſpeciei: atqui peccatum eſt diuerſæ ſpeciei, quoties militat contra præceptum, quod ratione motiui eſt diuerſæ ſpeciei, vt planè conuincitur exemplis de effuſione ſanguinis, & ſeminis, qua violatur templum, & aliis ſuprà poſitis; quæ diuerſificantur ſpecie ex diuerſitate motiui in præceptis reperta: ergo quod finis Religionis non cadat ſub præceptum, non tollit, quominus fornicatio Clerici in ſacris ſit diuerſæ ſpeciei. Maior patet. Nam ea duo bene componuntur, vt infrà clariùs oſtendemus.

38. *Neque tollit, quod fornicatio Clerici & Laici opponãtur diuerſis virtutibus.* Contra eſt ſecundò inſtaurando ſecundum. Quoties peccata opponuntur diuerſis virtutibus, ea diſtinguuntur ſpecie, vt conſtat ex ſecundo argumento: ſed quod finis Religionis non cadat ſub præceptum, non tollit, quominus fornicatio laici & fornicatio Clerici opponantur diuerſis virtutibus; non enim tollit, quominus fornicatio Clerici in ſacris prohibeatur ab Eccleſia ob motiuum Religionis, & reuerentiæ ſacrorum miniſteriorum: ergo quod finis Religionis non cadat ſub præceptum, non tollit quominus fornicatio laici, & fornicatio Clerici in ſacris ſint diuerſæ ſpeciei.

39. *Peſſima conſequentia.* Contrà eſt, tertiò. Hæc eſt peſſima conſequentia; [Finis Religionis non cadit ſub præceptum: ergo continentia Clerici non cadit ſub præceptum Religionis:] ergo quamvis finis Religionis non cadat ſub præceptum, poteſt fornicatio Clerici eſſe contra Religionem. Conſequentia patet; quia tota vis argumenti Murciani ſtat in ea conſequentia. Antecedens verò oſtenditur. Nam hæc duo bene componuntur, & quod finis Religionis formalis non tibi præcipiatur, & quod tibi Clerico in ſacris præcipiatur continentia ob motiuum Religionis; ſiue, quod idem eſt, præcepto reſpiciente Religionem: quando autem duo bene componuntur, mala eſt conſequentia ab vno affirmato ad negationem alterius; & quando eſt bona conſequentia ab vno affirmato ad negationem alterius, illa duo non bene componuntur: ergo praua eſt conſequentia, quæ arguit ex eo quod finis Religionis non præcipiatur, ad hoc quod non præcipiatur continentia præcepto reſpiciente Religionem.

40. Maior proximi ſyllogiſmi eſt manifeſta. Quia bene ſtat, quod Eccleſia non te obliget, vt caſtitatem referas actualiter & formaliter ad Religionem, & quod ipſa Eccleſia Religione moueatur tanquam motiuo formali, vt obliget te ad ſeruandam caſtitatem. Id autem ſynonimum eſt cum hoc, quod Eccleſia non te obliget ad finem Religionis; & quod ex motiuo Religionis tibi Clerico præcipiat caſtitatem: ergo ea duo bene componuntur, ſcilicet, quod finis non cadat ſub præceptum, & quod continentia præcipiatur ex motiuo Religionis, ſiue ex præcepto reſpiciente Religionem.

41. *Poteſt quis obligari ad medium vt vtile ad finẽ, quin obligetur ad finem obtinendum.* Contrà eſt quartò. Poteſt quis obligari ad ponendum medium tanquã vtile ad finem, quamvis non obligetur ad finem reipſa obtinendum. Patet, quia poteſt quis obligari ad procurandam perfectionem, quin propterea obligatus maneat ad obtinendam reipſa perfectionem, vt patet in Religioſo quà Religioſus eſt. Et actualiter teneris ad non effundendum alienum ſanguinem in templo ob reuerentiam templi; non tamen teneris actualiter exercere formalem reuerentiam templi.

42. Tum ſic: ergo poteſt aliquis non obligari ad finem Religionis reipſa obtinendum; & tamen obligari ad ponendum medium tanquam vtile ad finem Religionis. Hæc conſequentia eſt euidens eo genere euidentiæ, quo propoſitio affirmatiua particularis, vel ſingularis infertur ex affirmatiua vniuerſali.

43. Procedo vlteriùs. Ergo praua eſt hæc conſequentia. [Clericus in ſacris conſtitutus non tenetur ad reſpiciendum formaliter finem Religionis: ergo non tenetur ad ſeruandam caſtitatem, tanquam medium ad Religionem.] Hæc conſequentia patet ex proximo conſequente; cùm poſſit obligari ad medium, quin obligetur ad finem; & ea conſequentia intendat, ſi non obligatur ad finem, non poſſe obligari ad medium. Sed in ſententia Murciæ, quia non præcipitur finis, non poteſt præcipi caſtitas tanquam medium ad finem: ergo ea ſententia toto cælo deuiat à legitima conſequentia.

CAPVT V.

Quinque aliis argumentis demonſtratur concluſio, & falſitas prædictæ reſponſionis.

44. *Præcipitur Clerico, ne ſe opponat reuerentiæ ab Eccleſia intẽtæ.* OStenditur tertiò certitudo concluſionis; & vlteriùs confunditur reſponſio tradita; ſupponendo, Clerico in ſacris conſtituto, propter reuerentiam ſacrorum miniſteriorum præcipi caſtitatem. Quamvis Eccleſia non præcipiat in eo præcepto reuerentiam formalem, neque quod formaliter referas caſtitatem ad illam; præcipit tamen, quod talis Clericus non opponatur reuerẽtiæ ab Eccleſia intentæ in eo præcepto: ergo dum Clericus violat hoc præceptum, opponitur reuerentiæ ab Eccleſia intentæ in tali præcepto. Sed qui opponitur reuerentiæ ſacrorum miniſteriorum ab Eccleſia intentæ, non peccat ſolùm contra caſtitatem: ergo talis Clericus non peccat ſolùm cõtra caſtitatẽ.

45. Omnia patent ex primo antecedente, quod ſic oſtenditur. Ille opponitur fini & conſecutioni eius, qui reiicit media vtilia & aſſumpta ad finem conſequendum, quia cùm finis non poſſit obtineri, niſi per media, reiectis mediis, reiicitur finis, vt ſubeſt talibus mediis: ſicut cùm non potes aſcendere ſolarium, niſi per ſcalas, deſertis ſcalis, deſeris aſcenſum. Sed dum Eccleſia præcipit medium in ordine ad finem, caſtitatem videlicet in ordine ad Religionem, conſequenter præcipit, ne reiicias medium aſſumptum tanquam vtile ad finem: ergo præcipit, ne opponaris fini, ſiue reuerentiæ ab Eccleſia intentæ.

46.

Qui omittit medium aſſumptum à legiſlatore ad finem, peccat contra finem. Propoſitio demonſtratur exemplis.

Oſtenditur quartò. Qui omittit medium, quod aſſumit legiſlator tanquam vtile ad aliquem finem, peccat contra ipſum finem. Patet multis exemplis. Primò. Præcipit Reſpublica, vt contribuant omnes ad redimendum captiuum de ea republica benemeritum; vtique præcipit propter charitatem erga captiuum. Teneris quidem ad contributionem; non teneris ad reſpiciendum in contributione finem charitatis: ob quemcumque finem contribuas, ſatisfeciſti præcepto. Tamen quia noluiſti contribuere, captiuus non eſt redemptus. Peccaſti. Sed contra quam virtutem? vtique contra charitatem: ergo contra finem præcepti, quamvis finis præcepti non fuerit præceptus; quia peccat contra finem præcepti, qui medium vtile ad finem omittit: ergo Clericus in ſacris mœchatus, non ſolùm peccat contra caſtitatem, ſed etiam contra finem præcepti, dum omittit caſtitatem, quæ aſſumitur vt medium ad talem finem.

47. Secundò. Præcipit Rex contributionem, vt vrbs tua defendatur à Mauris inuadentibus. Contributio eſt, quæ præcipitur; defenſio vrbis, & bonum publicum in ea defenſione contentum, eſt finis præcepti. Sed quia noluiſti contribuere, vrbs tua occupata eſt à Mauris. Non peccaſti ſolùm in non contribuendo vtcumque, ſed peccaſti contra bonum publicum vrbis tuæ; quia quamvis finis non fuit præceptus, tamen quia præceptum eſt medium tanquam vtile ad finē, peccaſti contra finem omittendo medium: ergo cùm in noſtro caſu caſtitas ſit medium, & Religio ſit finis, Clericus in ſacris omittens medium, peccat contra finem; & omittens caſtitatem, peccat cōtra Religionem.

48.

Qui præcipit medium propter finem, præcipit medium vt medium.
Et qui violat id præceptum, peccat, quia omittit medium vt medium.
Et Clericus, qui violat caſtitatem, peccat, quia violat illam vt medium ad Religionem.

Oſtenditur quintò. Nam vt explicui *diſp.* 8. *cap.* 5. legiſlator præcipiens medium propter finem, neque præcipit ipſam entitatem finis, neque ipſam dumtaxat materialem entitatem medij; ſed præcipit medium vt medium: ergo qui violat id præceptum, non peccat ſolùm, quà omittit materialem dumtaxat entitatem medij, ſed peccat contra præceptum, quà omittit medium vt medium: ergo qui violat præceptum caſtitatis impoſitum propter Religionem, contra hoc præceptum non peccat ſolùm, quà caſtitatem materialiter violat, ſed quà caſtitatem violat vt medium ad Religionem: ergo præter peccatum, quod committit contra caſtitatem materialiter ſumptam, committit etiam contra caſtitatem vt medium ad Religionem: ſed ex relatione ad Religionem noua ſpecies inducitur: ergo contra id præceptum peccat per nouam ſpeciem peccati diſtinctam à ſpecie, quæ eſt contra caſtitatem, vel contra ſextum Decalogi præceptum.

49.

Penes Eccleſiam eſt declarare, quo genere reuerentiæ colenda ſint miniſteria ſacra.

Oſtenſtitur ſextò. Penes Eccleſiam eſt declarare, & iniungere, quo genere reuerentiæ colenda ſunt miniſteria ſacra, vt explicui *diſp.* 19. *cap.* 12. Ita dum præcipit, ne effundas ſanguinem iniuſtè in templo, ob reuerentiam loci, in quo miniſteria ſacra exercentur; iniungit eo genere reuerentiæ colendum eſſe locum ſacrum, & declarat, abſtinentiam ab iniuſta ſanguinis effuſione eſſe reuerentiam, qua voluit, locum ſacrum honorari: ergo dum præcipit Clerico ſacris initiato caſtitatem propter reuerentiam ſacrorum miniſteriorum, quibus ille eſt addictus, declarat, ſeu iniungit eius caſtitatem tanquam genus quoddam reuerentiæ, quo à Clerico miniſteria ſacra colenda & honoranda ſunt: ergo dum Clericus ſacris initiatus deficit à caſtitate, deficit quidem ab illa reuerentia, qua Eccleſia decreuit, eum colere miniſteria ſacra: ergo non peccat ſolùm contra caſtitatem, ſed contra illam reuerentiam, & conſequenter contra Religionem.

Dum præcipit caſtitatem propter Religionem declarat eam reuerentiam exhibēdam ſacris.

50. Quod argumentum etſi per ſe euidens ſit, poteris ſic ad formam demonſtrationis ſyllogiſticam reducere. Quoties Eccleſia iniunxit aliquam actionem (poſitiuam, vel negatiuam) tanquam reuerentiam, qua decreuit coli miniſteria ſacra, qui delinquit reiiciendo illam actionem, delinquit contra reuerentiam ab Eccleſia decretam: ſed Clerico in ſacris conſtituto iniunxit Eccleſia caſtitatem tanquā reuerentiam, qua decreuit coli ab illo miniſteria ſacra: ergo Clericus in ſacris conſtitutus, qui delinquit relinquendo caſtitatem, delinquit contra reuerentiam ab Eccleſia decretam. Qui autem delinquit contra reuerentiam ab Eccleſia decretam, delinquit contra Religionem. In quo ſyllogiſmo conſequentia perſpicua eſt. Maior ex terminis patet, vt conſideranti patebit. Minor autem conuincitur ex numero antecedenti, & ex ipſa lege præcipiente Clerico caſtitatem propter reuerentiam ſacrorum miniſteriorum.

51.

Dum quid prohibetur ex motiuo ſanctitatis, culpa induit nouā ſpeciem.

Oſtenditur ſeptimò ex doctrina ipſius Murciæ, qui *ea diſp.* 2. *reſol.* 3. *n.* 8. ſic ait: [Ex quibus ſoluitur dubium, quod à quibuſdam opponitur; quare furtum factum in Eccleſia de rebus Eccleſiæ ſit ſacrilegium, & blaſphemia in Eccleſia dicta non dicatur ratione loci ſacri inducere nouam ſpeciem peccati? Reſpondetur enim, hoc ideo eſſe, quia actus blaſphemiæ, & alij his ſimiles non prohibentur ſpecialiter *ex motiuo ſanctitatis loci*; bene autem alij ſuperius relati.] Ex quibus verbis hæc inſtruitur demonſtratio. Quoties actus prohibetur ex motiuo ſanctitatis, tali actu peccatur contra Religionem: ſed actus fornicationis Clerici ſacris initiati prohibetur ſpecialiter ab Eccleſia ex motiuo ſanctitatis, vt ex fine præcepti patet: ergo tali actu fornicationis prædicti Clerici peccatur contra Religionem. Maior eſt Murciæ in verbis relatis, & omnium Theologorum. Minor eſt euidens, & conſequentia ineuitabilis.

Luxuria prohibetur Clerico ex motiuo ſanctitatis.

52.

Si blaſphemia prohiberetur in templo ob reuer. templi, eſſet ſacrilegium.

Vrgeo primò. Ideò blaſphemia emiſſa in templo non eſt ſacrilegium, quia non eſt prohibita ab Eccleſia ob reuerentiam templi; quod ſi prohiberetur emitti in templo ob reuerentiam templi, talis blaſphemia eſſet ſacrilegium: ſed fornicatio Clerici in ſacris conſtituti prohibetur ob reuerentiam miniſteriorum, quibus deputatus eſt Clericus

Digitized by Google

cus: ergo fornicatio Clerici in ſacris conſtituti eſt ſacrilegium; cùm ſacra miniſteria, quibus addictus eſt Clericus, non ſint digna minore reuerentia, quàm templum. Neque curo, an ſtrictè, an latè ſacrilegium appelles, vt iam monui; vtroque enim modo eſt ſpecies peccati contra Religionem.

53. Vrgeo ſecundò. Si blaſphemiæ emiſſio prohiberetur fieri in templo propter reuerentiam templi tanquam propter finem, ea blaſphemiæ emiſſio eſſet ſacrilegium, non obſtante, quod finis præcepti non cadat ſub præceptum: ergo dum prohibetur fornicatio in Clerico ſacris initiato ob reuerentiam miniſteriorum ſacrorum, talis fornicatio eſt ſacrilegium, non obſtante quod finis præcepti non cadat ſub præceptum.

CAPVT VI.

Alia demonſtratio ab innumeris abſurdis ex oppoſita ſententia dimanantibus.

54. *Multa abſurda inferuntur ex oppoſita aſſertione.* OStenditur octauò. Nam ſi ſemel admittatur, quod fornicatio Clerici in ſacris conſtituti, non eſt contra Religionem, quamuis prohibeatur ab Eccleſia ob finem Religionis, nempe quia finis præcepti non cadit ſub præceptum; euertuntur quamplurimæ certiſſimæ, & euidentes ſententiæ in pluribus materiis. Vide ergo, an ſit probabile argumentum quod militat contra euidentiam, & certitudinem.

55. *Effuſio ſeminis, vel ſanguinis in templo, non eſſent ſacrilega.* Infertur ergo primò, effuſione ſeminis, & iniuſta effuſione ſanguinis in templo exercitis non violari templum, neque eas eſſe ſacrilegas, neque opponi virtuti Religionis. Quod quàm falſum ſit, tum ex omnium Catholicorum ſenſu, tum ex ipſo Murcia planè conſtat: qui *ea diſp.* 2. *reſol.* 3. *num.* 7. ait: [Idem dicendum eſt de effuſione iniuſta ſanguinis, vel ſeminis in Eccleſia, quia violatur in his effuſionibus ſanctitas loci benedicti, ſeu conſecrati, cui ex præcepto Eccleſiaſtico debetur ſpecialis reuerentia.] Vide totum contextum ſuprà *cap.* 3. *num.* 31.

56. Inferri autem patet. Ideò iuxta aſſertionem Murciæ (ſi caſtitas incumbat Clerico, non ratione voti, ſed ratione præcepti) fornicatio Clerici in ſacris conſtituti non eſt contra Religionem, quia ibi Religio & reuerentia ſacrorum miniſteriorum ſolùm ſe habet vt finis; finis autem non cadit ſub præceptum: ſed in præcepto non effundendi ſemen, aut ſanguinem in Eccleſia ob reuerentiam loci, & ſacrorum miniſteriorum, religio & reuerentia eorum ſolùm ſe habet vt finis: ergo effuſio ſeminis, vel ſanguinis in Eccleſia non eſt contra Religionem.

57. Vrgeo primò. Vt fornicatio Clerici in ſacris conſtituti ſit contra Religionem, obſtat, quod Religio ſe habet vt finis in præcepto Eccleſiaſtico: ſed in præcepto Eccleſiaſtico prohibente effuſionem ſeminis vel ſanguinis in Eccleſia, Religio ſe habet vt finis: ergo id obſtat, vt effuſio ſeminis, vel ſanguinis in Eccleſia ſit contra Religionem.

58. Vrgeo ſecundò. Eccleſia præcipit caſtitatem in Clerico ob Religionem, & præcipit caſtitatem in templo ob Religionem: ergo ſi violato primo præcepto, non violatur Religio, neque violato ſecundo præcepto violabitur Religio: quæ conſequentia euidens eſt ab identitate rationis. Niſi velis eſſe diſparitatem in eo, quod ſacra miniſteria exercentur in templo tanquam in loco; & non exercentur in Clerico, ſed à Clerico, quæ eſſet ridicula diſparitas. Præterquam alia diſparitas excogitanda eſſet, quare afferat reatum contra Religionem præpoſitio *In*, & non præpoſitio *Ab*.

Infertur ſecundò, non eſſe ſacrilegium illius, 59. *Neque eſſet ſacrilegus, qui communicaret non ieiunus.* qui poſt prandium (extra articulum neceſſitatis) ſumit Euchariſtiam; neque obligare præceptum Eccleſiæ, quod accipias Euchariſtiam non ieiunus. Quo quid abſurdius, excogitari poteſt? Vide *diſp.* 22. *n.* 73. vbi huius præcepti certitudo demonſtratur. Inferri autem patet. Quod accipias Euchariſtiam ieiunus, eſt præceptum Eccleſiæ, quæ quidem propter reuerentiam Euchariſtiæ præcipit præuiam abſtinentiam à cibo, & potu. Tum ſic. Per te, vbi finis Religionis non præcipitur, non peccatur contra Religionem: ſed in hoc præcepto non præcipitur finis Religionis, cùm in nullo præcepto humano præcipiatur finis: ergo in hoc præcepto violato non peccatur contra Religionem.

Confirmatur. Eccleſia præcipit ieiunium 60. naturale ante communionem, reuerentiæ causâ, da eſſâ præceptum inter Regulares ſeruandi ieiunium naturale abſtinentiæ causâ. Tu, qui Regularis es, violaſti vtrumque præceptum. Numquid vnicum peccatum vnius ſpeciei commiſiſti? Abſit. Inferri autem, quod vnicum dumtaxat commiſeris, patet: quia quod vnum præceptum ſit reuerentiæ causâ, & alterum abſtinentiæ causâ, eſt finis præcepti, & hic non iubetur; & quando finis præcepti non iubetur, per te non ſpecificat peccatum: ergo in eo peccato nihil eſt, quod det duplicem ſpeciem.

Tertiò infertur, & eadem formâ conſe- 61. *Nec peccaret contra Religionem index laicus extrahens reum ab Eccleſia.* quentiæ teneris affirmare, non peccare contra Religionem iudicem laicum, qui violenter & iniquè extrahit reum ab Eccleſia: quod eſt abſurdiſſimum, & contra definitionem ſacrorum Canonum, vt conſtat *ex diſp.* 19. *à n.* 209. Neque euadere potes conſequentiam: cùm Eccleſia prohibeat extractionem rei à templo propter reuerentiam templi tanquam propter finem; vt clariſſimè liquet ex ſacris Canonibus relatis *ea diſp.* 19. *à num.* 209. & finis non cadit ſub præceptum; & vbi finis non cadit ſub præceptum, non vult Murcia, quod peccatum nouam ex eo ſpeciem ſumat.

Quartò. Eadem conſequentia obſtringit ad 62. *Neque eſſet ſacrilegium, manus violentas Clerico afferre.* aſſerendum, non eſſe ſacrilegium, neque inducere aliam ſpeciem peccati præter iniuſtitiam, ſi manus violentas Clerico attuleris, contra canonem, *Si quis ſuadente.* Quia quamvis præceptum Eccleſiæ eam violentiam prohibeat ob reuerentiam miniſteriorum, quibus Clericus eſt deputatus, eximet à ſpecie ſacrilegij, quod finis præcepti non cadat ſub præceptum. Sed quàm euidenter id ſit falſum, nemo ignorat.

Quintò infertur, te non violare Religionem, 63. *Neque eſſet ſacrilegus* ſi ſis iudex laicus, & trahas Sacerdotem ad tuum tribunal puniturus, ob eandem rationem

Iudex laicus, qui traheret Clericum ad ſuum Tribunal.

ſæpiùs reperitam. Nec ſatisfacies, ſi dicas, in hoc caſu eſſe diſparitatem, quia hic caſus non ſolùm iure eccleſiaſtico, ſed & diuino interdicitur. Etenim ſicut in præcepto humano, ita & in diuino id, quod eſt finis præcepti ſolet non cadere ſub præceptum. Quando enim ius diuinum præcipit iudici, ob reuerentiam miniſteriorum ſacrorum, ne puniat Clericum, non obſtringit iudicem, vt eam immunitatem illi ſeruet, referendo eam ad finem religionis: quamvis enim non referat ad finem religionis, dummodo ſeruet illi immunitatis ius, ſeruat iudex diuinum præceptum.

64. *Neque copula cum conſanguinea eſſet inceſtus.*

Sextò infertur, copulam habitam cum conſanguinea intra quartum gradum non habere ſpeciem inceſtus; quod eſt contra ſenſum omnium catholicorum. Inferri autem patet. Etenim non ob aliam cauſam habet ſpeciem inceſtus, niſi quia Eccleſia prohibet copulam cum conſanguinea, propter obſeruantiam, quæ habenda eſt erga ſanguine iunctos. Quæ obſeruantia erga conſanguineos eſt finis præcepti humani. Si ergo finis præcepti non cadit ſub præceptum; & quando finis non cadit ſub præceptum, peccatum non induit nouam ſpeciem; fiet, quod fornicatio prohibita ob virtutem obſeruantiæ, non habeat nouam ſpeciem, atque adeò non ſit inceſtus.

65. *Neque eſſet inceſtus copula cum affine.*

Septimò infertur, neque habere aliam ſpeciem diuerſam malitiæ, atque adeò non eſſe inceſtum fornicationem commiſſam cum affine, vel cum perſona affecta cognatione ſpirituali, vel cognatione legali. Quod eadem ratione conuincitur, ac in præcedenti corollario. Ideóque illatio plurima in ſe abſurda continet.

66. *Neque copula coniugalis in templo eſſet ſacrilega, etiamſi ſupponatur prohibita.*

Octauò infertur, etſi Eccleſia prohibuerit, copulam coniugalem in Eccleſia exerceri, & ex conſtitutione Eccleſiæ copulâ coniugali templum violetur; adhuc tamen nullum eſſe peccatum. Scio, eſſe ſententiam grauium Doctorum copulâ coniugali non violari Eccleſiam, neque talem copulam eſſe interdictam in templo. Loquor tamen iuxta ſententiam oppoſitam aſſerentem, illam copulam eſſe prohibitam in templo exerceri: quam defendunt P. Suar. *diſp.* 81. *de Euch. ſect.* 4. & P. Thom. Sanch. *lib.* 9. *de matrim. diſp.* 5. *num.* 7. & alij nonaginta duo Scriptores, quos refert & ſequitur Paſqualigus *tom.* 1. *de ſacrificio, quæſt.* 571. *num.* 3. Quamvis ergo ſupponamus, eſſe certam prohibitionem Eccleſiæ, adhuc ex ea doctrina Murciæ infertur, non eſſe peccatum. Nam neque erit peccatum contra caſtitatem, neque contra religionem. Non contra caſtitatem, cùm ſit copula matrimonialis. Non contra religionem, quia licèt Eccleſia illam prohibeat ob reuerentiam templi, tanquam ob finem, finis tamen præcepti non cadit ſub præceptum; & vbi hoc accidit, non vult Murcia, quod peccetur contra finem Religionis.

67. Tandem ex eadem aſſertione Murciæ, & ratione ab eo exhibita poteris inferre ſexcentas alias concluſiones certiſſimè falſas in materia immunitatis Eccleſiarum, item in materia immunitatis Eccleſiaſticorum à vectigalibus & gabellis, & à ſæculari foro; & in aliis ſimilibus. Quæ quia præcipiuntur ob finem Religionis, & finis non cadit ſub præceptum; ſi hæc ratio valet in fornicatione Clerici, valebit in cæteris quoque materiis: & quia certiſſimum eſt, non valere in illis materiis, tanquam certiſſimum aſſerendum eſt, non valere in fornicatione Clerici in ſacris conſtituti.

CAPVT VII.

An aſſertio oppoſita damnata ſit à Sacro Fidei Tribunali Hiſpanico?

68.

EXiſtimo, eam ſententiam Murciæ damnatam eſſe à ſacro Fidei Tribunali Hiſpanico in Indice Expurgatorio anni 1632. & anni 1640. continetur enim manifeſtè in doctrina, quam Sacrum Tribunal damnauit in Hieronymo de Llamas.

69. *Qui dicit fornicationem Clerici non eſſe contra Religionem, idem docet de tactu impudico.*

Pro cuius intelligentia notandum eſt, ſi fornicatio Clerici in ſacris conſtituti non eſt contra religionem, neque habet aliam ſpeciem, præter malitiam ſimplicis fornicationis, ob eandem rationem neque tactum impudicum, neque pollutionem Clerici in ſacris conſtituti eſſe contra Religionem, neque habere aliam malitiam, quàm intra ſpeciem luxuriæ. Vnde Clericus, qui ſæcularem tactibus impudicis prouocaret ad pollutionem, ſolùm peccaret contra caſtitatem, & non contra Religionem. Quod attenta ratione Murciæ eſt indubitabile.

70. *Propoſitio, quæ ait, pollutionem laici, tactu Clerici excitatã, non afferre aliam ſpeciẽ, damnatur.*

Iam verò Sacrum Inquiſitionis Tribunal damnauit in Hieronymo de Llamas eam propoſitionem, quæ aſſerit, Clericum in ſacris, qui tactibus prouocauit ſæcularem ad pollutionem, peccare ſolùm contra caſtitatem; & item ſæcularem in eodem caſu peccare ſolùm contra caſtitatem. Audi verba Hieronymi de Llamas expungi decreta à ſacro Tribunali, quæ proponit Caramuel in fondamentali Theologia *fund.* 51. *num.* 1409. [Quando ſola mollities committitur tactibus profeſſi, vel *in ſacris conſtituti*, ſi patiens eſt ſæcularis, non tenetur dicere amplius, niſi *paſſus ſum voluntariè pollui tactibus alienis*. Neque in *ſacris conſtitutus*, vel profeſſus ampliùs tenetur dicere, niſi *Tangens impudicè alium pollui*. Et ſi non ſit cognitus, non tenetur explicare, *& ſum in ſacris*, vel profeſſus, vel profeſſa Religionem, vt de ſe liquet, quia perſona non eſt in tali caſu violata.] In quibus verbis damnatur ea doctrina omnino; & ideo non ſolùm quà attinet ad profeſſum, ſed etiam quà attinet ad Clericum ſacris initiatum.

Dices, expungi ea verba à ſacro Tribunali, non quia id aſſerit de Clerico ſacris initiato, ſed ſolùm quia id aſſerit de profeſſo. 71. Reſponſio.

72. Euertitur.

Hæc tamen reſponſio manifeſtè redarguitur primò. Quia in Indice expurgatorio nulla fit diſtinctio inter vtrumque: quod ſi vnum eorum eſſet probabile, vtique diſtingueret: vtrumque ergo damnatum cenſetur. Secundò, quia ſi Tribunal reperiret probabilitatem in ea propoſitione reſpectu Clerici ſacris initiati, non deleret totam propoſitionem: ſed ſolùm eam vocem, *profeſſus* & *profeſſa*. Quibus verbis ablatis, maneret propoſitio loquens dumtaxat de Clerico ſacris initiato: dum ergo totum

totum expunxit, etiam damnauit propoſitionem, qua loquitur de Clerico ſacris initiato.

73. Tertiò. Quia ſi aliquis Author aſſereret, profeſſum in eo caſu ſolùm peccare contra caſtitatem, & Clericum ſacris initiatum peccare etiam contra Religionem, poſſet ſimiliter reſpondere, Inquiſitionem damnare eam propoſitionem, qua loquitur de Clerico ſacris initiato, non qua loquitur de profeſſo. Et ita fruſtraretur Inquiſitionis decretum, dum Murcia vellet, ſolùm damnari eam propoſitionem, qua loquitur de profeſſo, & ille alius vellet, ſolùm damnari propoſitionem, qua loquitur de Clerico ſacris initiato.

CAPVT VIII.

Diſſipantur nebulæ partis oppoſitæ.

74. QVæ pro oppoſita parte afferuntur, leuia ſunt, neque quæ luci veritatis vel tantillum valeant detrahere. Potiſſimum eius argumentum eſt id, quod ſæpè manet repetitum. Finis præcepti non cadit ſub præceptum: ergo continentia Clerici in ſacris conſtituti non cadit ſub præceptum Religionis: ergo Clericus in ſacris, qui violat caſtitatem, non peccat contra Religionem. Huic tamen argumento abundè ſatisfactum eſt decurſu totius diſputationis, ex qua patet, eam conſequentiam eſſe nullam, vtpote in mera æquiuocatione ſubnixam; quia quamvis finis non cadat ſub præceptum, tamen præceptum ſpecificatur à fine: & quando præcepta ſunt diuerſæ ſpeciei propter fines diuerſos in ſpecie, peccata, quæ militant contra ea præcepta, ſunt etiam diuerſæ ſpeciei, vt vel ipſe Murcia fatetur relatus ſuprà *num.* 31.

75. *Qui intelligendi ſacri canones, dum dicunt concubitum Clerici eſſe fornicationem?*

Secundum argumentum deſumpſit ex iuris Interpretibus, qui aſſerunt, fornicationem Clerici in ſacris conſtituti eſſe ſimplicem fornicationem, nec vlla ratione ſacrilegium. Nam *cap. quia circa, de bigamis*, Innocentius III. agens de Presbyteris concubinariis, ait: *Cum eis, tanquam cum ſimplici fornicatione notatis.* Ergo Clericus, in ſacris concubinarius, non ſacrilegio, ſed ſola ſimplici fornicatione notatur.

76. Reſpondet P. Th. Sanch. ſuprà citatus ex P. Azor, eam dici ſimplicem fornicationem ad diſtinctionem inceſtus & adulterij; non verò quia careat malitia ſacrilegij, neque ad diſtinctionem ſacrilegij.

77. Sed facilior reſponſio videtur, quæ ex ipſo contextu colligitur, qui ſic ſe habet. [Sanè poſtulaſti, per Sedem Apoſtolicam doceri, ſi Presbyteri *plures concubinas habentes*, bigami cenſeantur? Ad quod duximus reſpondendum, quod cùm irregularitatem non incurrerint bigamiæ, cum eis tanquam *ſimplici fornicatione* notatis, quoad executionem Sacerdotalis officij poteris diſpenſare.] Poteſt ergo reſponderi primò, vocari ibi ſimplicem fornicationem, ad diſtinctionem conſummationis matrimonij intentatam à Presbytero. Itaque ſi illi Presbyteri *plures concubinas habentes*, poſt legitimam viduitatem ſacris initiati fuiſſent, & ſic initiati attentaſſent contrahere & conſummare matrimonium cum aliqua ex illis concubinis, incurriſſent vtique irregularitatem bigamiæ, vt expreſsè deciditur *in cap. nuper, de bigamis*. Cùm autem Presbyteri *in cap. quia circa*, memorati, non affectauerint matrimonium poſt viduitatem, ſed ſimplices concubinas habuerint; ideò illi actui concubinario nomen ſimplicis fornicationis attribuitur, tanquam condiſtinctio à copula coniugali attentata.

Secundò reſponderi poteſt, ſenſum textus eſſe, non quod actus ille concubinarius ſit ſimplex fornicatio, ſed quod Epiſcopus ſe gerere debeat cum illis Presbyteris, ſicut ſe gerit cum illis, qui ſimplici fornicatione notantur in ordine ad Sacros Ordines, & exercitium eorum. Vel ita ſe gerere deberet cum illis, ac ſi eſſent ſimplici fornicatione notati in ordine ad iudicandum non eſſe bigamos. 78.

Et quidem cùm in dubio ſignificationis cuiuſlibet textus certiſſima regula ſit, ſtandum eſſe communi intelligentiæ, & acceptioni legis; ita vt *conſuetudo ſit optima legum interpres: cap. cùm dilectus, de conſuetudine*; & communis omnium conſuetudo ſemper intellexerit, Clericum fornicantem peccare contra Religionem, vt conſtat ex dictis: fit, ea verba capitis *Quia circa*, non intelligi de fornicatione ſimplici Presbyteri, vt hæc condiſtinguitur à ſacrilegio etiam latè ſumpto; ſed vno ex modis proximè explicatis. 79.

Tertiò reſpondeo, optimam interpretandi regulam eſſe, non quidem quemlibet textum ſeorſim explicare, vt verba ſonant, ſed omnes textus vnius materiæ inter ſe conferre; vt vbi vnus non reuocat alium, talem omnes ſubeant interpretationem, vt contradictionis implicationem non patiantur. Cùm ergo plures ſint textus in iure canonico, aſſerentes titulo Religionis, & propter reuerentiam ſacrorum miniſteriorum prohiberi luxuriam Clerico in ſacris; quod, vt probatum eſt, euidenter affert ſacrilegium (ſaltem latè ſumptum, quod etiam militat contra Religionem) in fornicatione talis Clerici, quando in iure fornicatio Clerici vocatur ſimplex, recta interpretationis regula poſtulat, id vocabulum ita accipi, vt non reſultet in lege implicatio contradictionis. Quæ implicatio manifeſtè reſultabit, ſi in hoc textu id vocabulum ſimplicis fornicationis accipiatur pro fornicatione, vt condiſtincta à fornicatione ſacrilega. Et ideò tanquam axioma fertur inter Iuriſprudentes, [Vt vitetur iuris correctio, à propria verborum ſignificatione recedendum eſſe,] vt docuit P. Th. Sanch. *lib.* 1. *de matrim. diſp.* 17. *num.* 6. & apud ipſum Antonius, Imola, Abbas, Felinus, Alexander, Gozadinus, Beroius, Mieres, & Gutierrez. Quantò magis vt vitetur iuris contradictio, & implicatio? 80.

Vt vitetur iuris correctio, à propria verborum ſignificatione recedendum eſt.

Tertium argumentum ab eiſdem Iuriſtis allatum, eſt *ex cap. Presbyter, diſt.* 28. *Presbyter ſi fornicatus fuerit, vel adulterium commiſerit:* ergo actus venereus talis Presbyteri fornicatio eſt, & non ſacrilegium; ſi enim eſſet ſacrilegium, non appellaretur ſimplici nomine fornicationis. 81.

Hic tamen textus multò minùs vrget; nam præterquam quod hic textus eſt ex Concilio Prouinciali Neocæſarenſi, quod non obligat totam Eccleſiam, & præter reſponſiones 82.

BBb 4 præcedenti

Digitized by Google

præcedenti textui adhibitas, quæ huic accommodari poſſunt, reſpondeo; etſi nomen ſimplicis fornicationis communiter vſurpetur pro ea, quæ caret ſpecie ſacrilegij: at nomen fornicationis commune eſſe tam fornicationi ſimplici, quàm ſacrilegæ. Dum ergo ſacri canones peccatum Clerici ſacris initiati vocant fornicationem, non excludunt fornicationem ſacrilegam.

CAPVT IX.

An certitudini concluſionis traditæ officiat ſententia P. Arriagæ?

83. *Ait, legem non ponere rem præceptã in ea virtute, quam intendit.*

VIdebitur alicui, aliquid probabilitatis accedere poſſe opinationi Murciæ, ſi probabilis eſt ſententia P. Arriagæ *tom. 1. in 1. 2. diſputat.* 41. *ſect.* 5. vbi multis contendit, falſam eſſe ſententiam aſſerentem, legem ponere rem præceptam in ea virtute, quam lex intendit; & conſequenter non eſſe deſumendam diuerſitatem ſpecificam peccatorum penes diuerſa obiecta formalia motiua, ſiue penes fines ſpecie diuerſos intentos à legibus: ſed ad diuerſitatem ſpecificam peccatorum eſſe per accidens, quod lex intendat in materia præcepta hunc finem, vel illum.

84. Hinc fortè aliquis poſſet ſic arguere contra concluſionem traditam. Lex non ponit rem præceptam in ea virtute, quam intendit: ergo Conſtitutio canonica iniungens caſtitatem Sacerdoti propter reuerentiam ſacrorum miniſteriorum, non ponit caſtitatem præceptam in ea virtute Religionis, quam intendit. Conſequentia tam certò patet, quàm eſt certum valere ab vniuerſali ad particularem, vel ſingularem. Tum ſic: ergo Sacerdos violans caſtitatem præceptam non peccat contra Religionem: ergo ſolùm contra caſtitatem: ergo vnicam tantùm admittit ſpeciem peccati: ergo non eſt neceſſarium fateri circumſtantiam Sacerdotij, vtpote non mutantem ſpeciem.

85. Circa quod argumentum, & diſſolutionem eius, id ſolùm præſtabo, vt oſtendam, id argumentum, & ſententiam prædictam nihil fauere opinioni Murciæ. An autem, & quatenus prædicta ſententia falſa ſit, & qua ratione impugnanda, alibi tradam.

86. *Hæc nec ſuffragatur aſſertioni relatæ, nec ſtat cum illa.*

Ea ergo ſententia nihil fauet opinioni Murciæ, tres ob rationes. Prima eſt. Nam Murcia (vt conſtat ex verbis relatis *cap.* 3. *num.* 31.) admittit furtum factum in Eccleſia de rebus Eccleſiæ, & percuſſionem Clerici, & effuſionem iniuſtam ſanguinis, & ſeminis in Eccleſia afferre diuerſitatem ſpecificam, eo quod leges Eccleſiaſticæ ea actionum genera prohibentes, reſpiciunt tanquam *ſpeciale motiuum reuerentiam diuini cultus, ad quem ſunt dicatæ particulares perſonæ, & in particularia loca*; (quæ ſunt verba Murciæ) atque adeò prædictæ leges Eccleſiaſticæ ponunt materiam præceptam in ea virtute, quam reſpiciunt tanquam finem, nempe reuerentiam diuini cultus. Atque adeò Author ille non poteſt vti ea propoſitione vniuerſali, quod lex non ponit rem præceptam in ea virtute, quam intendit.

87. Secunda ratio eſt. Nam P. Arriaga *cit. ſuo num.* 14. admittit ſpecialem malitiam contrahere, qui occidit Sacerdotem, qui furatur res templi, qui pollutione, aut effuſione ſanguinis templum polluit etiam ſecretò. In eo tamen differt à communi ſententia, quod non vult, eam ſpecialem malitiam procedere à diuerſo motiuo, ſeu fine legis; ſed ex alia poſitione, quam ipſe conatur ſtatuere, præcipuè *ſect.* 3. *ſubſect.* 2. *concluſ.* 2. nempe ſi legiſlator humanus intendat nouam & ſpecialem obligationem inducere, etiamſi motiuum ſit idem, peccatum, quo violatur ea lex, contrahere ſpecialem malitiam. Vnde fit, ſecundùm Arriagam, vt ille, qui occidit Sacerdotem, incurrat duplicem ſpeciem malitiæ, non ob motiuum Religionis ſuperadditum à lege humana; ſed quia legiſlator humanus intendit nouam obligationem ſuperaddere Decalogo, nempe non occidendi Sacerdotem.

Et quamvis non diſſerat in eo loco de lege humana iniungente caſtitatem Sacerdoti; ex eius doctrina eodem modo philoſophandum eſt, ac circa occiſionem Sacerdotis: affirmabitque, peccatum Sacerdotis contra caſtitatem ſpecialiter iniunctam contrahere diuerſam ſpecie malitiam, non penes diuerſitatem finis intenti à lege; ſed quia legiſlator præcipiens ſpecialiter Sacerdoti caſtitatem, intendit illi nouam & ſuperadditam obligationem iniungere. 88.

Itaque ſi ſententia Arriagæ probabilis eſt, vnum è duobus eſt neceſſariò dicendum: vel quod ſpecialis malitia violationis caſtitatis in Sacerdote prouenit ſecundùm Arriagam, ex eo quod legiſlator ſpecialiter intendit eam obligationem; vel quod ſecundùm ſententiam communem prouenit ex diuerſo fine à lege intento. 89.

Dices. Probabile eſt, vt vult P. Arriaga, quod non prouenit ſpecialis malitia à motiuo, ſeu fine reuerentiæ miniſteriorum ſacrorum: & probabile eſt (id quod ponit communis ſententia tanquam certum) quod non prouenit ſpecialis malitia ex eo quod legiſlator intendat ſpecialiter inducere nouam obligationem: ergo probabile eſt, quod ex nullo capite prouenit ea ſpecialis malitia. 90.

Sed hoc argumentum fallax eſſe, bene aduertit Caramuel pluribus in locis. Reſpondeo itaque diſtinguendo maiorem. Probabile eſt, quod non prouenit ea ſpecialis malitia à motiuo legis, [ſi admittatur prouenire ab ſpeciali intentione legiſlatoris,] omitto; [ſi non admittatur prouenire ab ſpeciali intentione legiſlatoris, neque ex alio capite,] nego. Et eodem modo diſtinguenda eſt minor. Itaque omitto, eſſe probabile, eam ſpecialem malitiam non prouenire à priori capite, dummodo proueniat à ſecundo: at neque à primo, neque à ſecundo prouenire ſpecialem malitiam in Sacerdote violante caſtitatem ſpecialiter ipſi præceptam, eſt improbabile. 91.

Tertia ratio, quæ conuincit, eam P. Arriagæ ſententiam nihil penitus fauere placito Murciæ, eſt, quia etſi P. Arriaga dicat, peccata non ſumere ſpeciem à motiuis formalibus præceptorum; tamen non negat, nec negare poteſt, penes Eccleſiam eſſe poteſtatem determinandi actiones reuerentiæ poſitiuas, vel negatiuas, quibus colendæ ſunt res & perſonæ ſacræ. 92.

Quo

Digitized by Google

Quo certiſſimo principio poſito (quidquid ſit de ſpecificatione peccatorum à motiuis formalibus præceptorum) ſtat firmum, peccata Sacerdotis contra caſtitatem addere nouam ſpeciem diſtinctam à ſimplici culpa fornicationis.

93. Patet. Nam vt Eccleſia habet hanc poteſtatem determinandi actiones poſitiuas, vel negatiuas, quibus colendæ ſunt res & perſonæ ſacræ; ita reipſa vſa eſt hac poteſtate, media qua determinauit, miniſteria ſacra colenda eſſe hoc genere reuerentiæ, nempe abſtinentiâ omnimodâ à venereis in Miniſtro: determinato autem hoc genere reuerentiæ, ad Religionem ſpectat eam reuerentiam præſtare: ſacer Miniſter, qui in eo genere reuerentiæ deficit, violatæ Religionis reus eſt. Et quidem primum antecedens per ſe patet. Nam dum Eccleſia præcipit Sacerdoti caſtitatem propter reuerentiam miniſteriorum ſacrorum, quid aliud agit, niſi præſcribere hoc genus reuerentiæ erga illa miniſteria ſacra: quod conſiſtit in eo, quod Miniſter eorum abſtineat à venereis.

DISPVTATIO XLI.

An, & qua ratione delectatio moroſa interna ſit peccatum mortale independenter à commotione ſpirituum?

CAPVT PRIMVM.

Caramuelis placitum proponitur.

1. *Quid ſit delectatio moroſa interna, & externa?* Delectationes moroſas, quæ de re venerea habentur, alias eſſe internas, & alias externas, certum eſt. Delectatio interna eſt actus voluntatis ſpiritualis, vel appetitus corporei; vel ſi mauis exponere vniuerſalioribus terminis, dic, eſſe actum potentiæ appetitiuæ, quo fruitur obiecto, ſecundùm quod per potentiam cognoſcitiuam proponitur vt delectabile. Delectatio externa eſt actus ſenſus externi, nempe potentiæ tactiuæ ſentientis obiectum materiale delectabile. Quam diſtinctionem admittit Caramuel *in Regul. diſp.65.*

2. *Delectatio externa non conſiſtit formaliter in commotione ſpirituum.* Vbi notabis, malam eſſe definitionem delectationis exterioris ibi traditam. Ait enim *num.*1023. [Delectatio exterior corporea eſt, nempe illa extrinſeca, quæ conſiſtit in ſpirituum naturalium commotione, & alteratione, nata ab obiecto, vel à phantaſia.] Eſt autem ſummè falſum, quod delectatio exterior conſiſtat in commotione ſpirituum, & alteratione. Etenim delectatio exterior eſt actus vitalis ſenſitiuus, ſiue ſenſatio exterior, quam producit potentia vitalis tactiua vnius ex quinque ſenſibus externis: voluptas autem coaleſcit ex vtroque. Quare ſpirituum naturalium commotio & alteratio ſolùm eſt obiectum delectationis exterioris. Sicut ergo euidens eſt, ſenſationem exteriorem non conſiſtere in obiecto; ita & delectationem exteriorem non conſiſtere in commotione ſpirituum & alteratione.

Quod ergo attinet ad punctum huius difficultatis, delectationes moroſas in re venerea non ob aliam rationem condemnat, niſi quia excitant eam commotionem ſpirituum carnalium: quæ quia deſeruit generationi, & effuſioni ſeminis, hancque promouet, eſt quædam inchoata ſeminis effuſio. Et hinc reddit diſparitatem, quare delectatio de eſu carnis cogitato in die veneris non ſit peccatum; ſit tamen illicita delectatio de copula carnali cogitata. Nempe quia delectatio de eſu carnis cogitato non eſt inchoata comeſtio, ſicut delectatio de copula carnali cogitata eſt inchoata ſeminis profuſio, propter commotionem ſpirituum carnalium, quæ dat initium profuſioni ſeminis. Ita enim *num.*1049. [Iam igitur ad rationem pro parte contraria militantem, nego poſitam paritatem, quia laſciua moroſitas eſt inchoatio pollutionis, teſte Galeno citato à Diana *part.3.tract.5.reſol.*1.& probatur, quia ſi moroſitas perſeueret & creſcat, tandem ſemen decidet: ergo delectari ſenſualiter, eſt incipere ſemen mouere. Delectatio autem, quæ capitur ex carnibus conceptis die Veneris, non eſt inchoatio comeſtionis: quia licèt hæc delectatio creſcat & perſeueret, carnes illas non comedet: ergo eſt ſumma diſparitas in caſu vtroque.] 3. *Non cognoſcit aliã malitiã, niſi quã excitãt commotionem ſpirituum.*

4. Hoc placitum eſt ſingulare Caramuelis: licèt enim alij Authores totam malitiam delectationis venereæ reuocare videantur ad hanc commotionem ſpirituum, & inchoationem profuſionis ſeminis; ij ſunt P. Caſtro Palao *tom.*1.*tract.* 2. *diſp.*2.*punct.*10.§.2.*num.*4. & P. Tamburinus *lib.* 10. *in Decalog. cap.* 1. *num.* 8. qui deſumpſere ex P.Th.Sanch.*lib.*9.*de matrim. diſp.*47. quod aliis etiam Authoribus eſt commune: tamen eos Authores admittere in delectatione interna ſenſibili aliam rationem malitiæ præter eam, quæ prouenit ab habitudine ad commotionem ſpirituum carnalium, conſtabit ex dicendis *cap.* 4. *concluſione* 3. *numero* 115.

5. Addit tamen Caramuel, alias eſſe delectationes moroſas internas, quas concomitatur ſpirituum carnalium commotio; & alias delectationes moroſas internas, quas ea commotio non concomitatur. Ita *in Theolog. fund. num.* 1649. *fund.* 57. [Ad ſecundam claſſem delectationum moroſarum (*quæ verſantur ſine deſiderio obiecti*) deuenio, & illam in duas ſpecies, aut modos ſubalternos diſtinguis. Vel enim illam cogitationem concomitatur aliqua moroſa delectatio in ſenſu, ex humorum ſeminalium alteratione oborta: vel nulla delectatio (*externa*) ſenſualis & libidinoſa concomitatur; atque adeò vel nulla delectatio adeſt, vel ſi qua percipitur, eſt purè ſpeculatiua, & non ad lineam actuum ſenſibilium, ſed ad lineam actuum purè ſpiritualium ſpectans.]

6. Et ſi quidem hanc delectationem purè ſpiritualem, quam vocat ſpeculatiuam, admitteret expreſsè de copula licita; v. g. quam habet ſponſus de futuro de copula licita à ſe habenda; id quidem docet P.Thom.Sanch. *lib.*9. de

de matrim. diſp. 47. *num.* 1. nempe: [Licitos eſſe omnes actus voluntatis circa futuram tempore coniugij, vel præteritam eodem tempore copulam. Vt licet gaudere de habita, vel habenda, illam deſiderando. Quia omnes hi actus habent obiectum licitum, nullamque delectationem veneream in præſenti ponunt.] Nomine autem gaudij intelligit quandam approbationem voluntatis ſine delectatione. Et quamvis P. Th. Sanch. ibi aſſerat, eam non eſſe delectationem, ſed gaudium voluntatis; Caramuel autem admittat eſſe delectationem, poſſemus interpretari benignè mentem eius, ita vt nomine delectationis ſpeculatiuæ intelligat idem, quod Th. Sanch. nomine gaudij, ſeu approbationis voluntatis.

Illud in aſſertione Caramuelis diſplicet,
7. quod non diſtinxerit delectationem ſpiritualem voluntatis de copula licita, & de copula illicita: ſed quod generaliter admittat de quolibet obiecto delectationem voluntatis ſpeculatiuam. Nam cùm in Regul. *diſp.* 65. *num.* 1033. reſolutoriè aſſerat, delectationes merè ſpeculatiuas ex ſe non eſſe peccaminoſas, id eſt ſecluſo periculo vlterioris lapſus, videtur aſſerere Caramuel, omnes delectationes ſpirituales, quas non ſequitur ſpirituum commotio, in quolibet obiecto verſentur, eſſe ſpeculatiuas, atque adeò licitas.

Admittit licitas delectationes internas de copula illicita, non aſſociatas cōmotione.

8. Qua generalitate *in Theolog. fund. num.* 1650. *fund.* 57. admiſit, delectationes quaſcunque, quas non conſequatur ſpirituum carnalium commotio, ex ſolo periculo vlterioris lapſus eſſe illicitas. Ita enim ait: [De cogitatione ſpirituali, quam non concomitatur libidinoſa humorum perturbatio, maior eſſe poſſet difficultas. De illa apud Carolum Malletum *tom.* 2. *malleatione* 39. *bractea* 10. has lineas lego: *Delectatio moroſa inefficax* (ſic eam appellat) *eſt bona, vel mala, iuxta qualitatem ipſius delectationis. Ita Clauis Regia lib.* 8. *cap.* 7. *& alij. Ratio eſt: quia cùm delectatio inefficax nullum dicat ordinem ad executionem, ab obiecto non poteſt ſpecificari, ſed ſolùm à motiuo ipſius delectationis.* Ergo ad mentem huius Authoris, ſi cogitatio iſta, & purè ſpiritualis delectatio habeatur propter finem bonum, erit bona; ſi propter malum, mala: ergo ſi propter indifferentem, erit indifferens. At ego vt Malleto conſentiam, volo, omne *abeſſe periculum*, quia cogitationes otioſæ expoſitæ ſunt magno diſcrimini; & ideò ſemper ſunt mortaliter peccaminoſæ.] Conſentit ergo Malleto, ſi abſit omne periculum vlterioris lapſus.

9. Conſidera ergo dictum Malleti, quod ſecluſo eo periculo, approbat Caramuel: nempe quia delectationes moroſæ non ſpecificantur ab obiecto materiali, ideò non ſunt malæ, niſi ex fine, vel motiuo malo. Iuxta quem ſenſum delectatio moroſa de fornicatione, vel ſodomia (ſaltem ea, quam non conſequitur ſpirituum carnalium commotio) licitæ ſunt, ſi ſint ex motiuo bono; indifferentes, ſi ex indifferenti, ſi abſit omne periculum.

10. Difficultas ergo, quæ in præſenti expedienda venit, eſt, an delectationes moroſæ internæ ex ſola ratione commotionis ſpirituum habeant malitiam moralem, an potiùs malitiam etiam habeant independenter ab ea commotione? V. g. ſuppoſito, quod dantur delectationes de obiecto venereo, quas non comitetur carnalium ſpirituum commotio, an eæ licitæ ſint generaliter, etiam habitæ de fornicatione, ſodomia, &c. vel præſciſa ex parte obiecti malitia morali, vel etiam non præſciſa; idque ſecluſo periculo vlterioris lapſus? Quod videtur (vt notauimus) affirmaſſe Caramuel in propoſitione vniuerſali, vt patet ex textibus eius proximè relatis. Qui ſenſus difficultatis exponetur ampliùs *cap.* 4. vbi reſoluenda eſt quæſtio.

Id denique notandum venit, quod ipſe *in* 11.
Theolog. fund. num. 1649. *fund.* 57. aſſeruit his verbis: [Doceri vis, cur delectatio illa moroſa, quæ habetur de virgine cogitata, cum expreſſa voluntate non acceptandi illam, etiamſi daretur libera occaſio, & ipſa vellet, ſit peccatum mortale? An quia teſte Galeno, omnis laſciua delectatio eſt incepta pollutio? *Sed hoc non eſt euidenter verum.*] Nota ſpecialiter hæc poſtrema verba.

Et ex illis vide, an ſecundùm Caramuelem 12.
non ſit peccatum delectatio moroſa, etiam externa? Nam ſecundùm eius doctrinam, nihil eſt peccatum, niſi quod euidenter malum; non enim eſt peccatum, ſi tantùm ſit probabiliter malum; ita enim tradit *in Theolog. fundament. num.* 453. *fundam.* 11. Deinde nullam aliam malitiam reperit in delectatione moroſa, niſi quod ſit inchoata pollutio, vt patet ex verbis *num.* 3. relatis. Ad hæc, delectationem moroſam eſſe inchoatam pollutionem, dicit non eſſe euidenter verum, vt habes in verbis proximè relatis. Vide, an metaphyſica neceſſitate inferatur hoc conſequens, quod delectatio moroſa externa non eſt peccatum; nempe in hoc ſyllogiſmo: [Nihil eſt peccatum, niſi quod eſt euidenter illicitum: ſed delectatio moroſa externa ſolùm habet rationem illiciti in eo, quod ſit inchoata pollutio; & hoc non eſt euidenter illicitum, iuxta verba proximè relata: ergo delectatio moroſa externa non eſt peccatum.] Quàm autem id ſit abſurdum, nemo non videt.

An delectatio moroſa in re venerea ſit euidenter illicita?

CAPVT II.

Notantur aliqua ad elucidationem quæſtionis.

SVppono primò, in delectatione moroſa venerea nouem actus ſolere concurrere. Primus eſt cognitio intellectualis de obiecto de- 13.
lectabili, v. g. de copula illicita. Secundus fruitio, ſeu delectatio voluntatis de eodem obiecto. Tertius cognitio corporea ſenſûs interni (ſiue phantaſiam, ſiue imaginatiuam, ſiue ſenſum communem appelles) de eodem obiecto delectabili. Quartus fruitio, ſeu delectatio appetitus corporei. Quintus delectatio potentiæ tactiuæ, quæ tunc habet pro obiecto commotionem ſpirituum carnalium deſeruientium generationi. Sextus cognitio intellectualis eius delectationis externæ, & commotionis ſpirituum. Septimus delectatio voluntatis de illa commotione ſpirituum, & delectatione externa. Octauus cognitio corporea ſenſûs interni, qua cognoſcitur delectatio externa.

Decem actus vitales concurrunt in delectatione moroſa.

Digitized by Google

externa. Nonus delectatio appetitus corporei de eadem commotione ſpirituum & delectatione externa. Quibus aliquando etiam accedere ſolet decimus actus, nempe voluntatis efficacis, qua voluntas efficaciter decernit retinere eam commotionem ſpirituum, ſiue delectationem externam, aut cauſam eius.

14. *Ad exiſtentiam delectationis externæ non eſt neceſſaria voluntas efficax de illa.*

Suppono ſecundò, ad exiſtentiam, aut durationem huius delectationis externæ non eſſe neceſſarium hunc decimum actum, ſcilicet voluntatis efficacis habendi aut retinendi talem delectationem externam. Patet in viro iuſto, qui modis omnibus conatur impedire eam delectationem externam; nihilominus tamen illam patitur: ita vt nec voluntate efficaci impediendi illam poſſit eam compeſcere. Si ergo retinetur inuita voluntate, manifeſtè infertur, quod ab alia cauſa prouenire poteſt, præterquam à voluntate. Et ratio eſt, quia non ſubditur omninò imperio voluntatis.

15. *Cauſa efficiens delectationis externæ eſt potentia tactiua.*

Quod ſi cauſam inquiras eius delectationis externæ, duas aſſigno, alteram in genere efficientis, & alteram in genere determinantis; quæ licèt non ſit efficiens, ad genus efficientis reducitur. Cauſa efficiens eius delectationis externæ eſt ipſa potentia tactiua: nam delectatio externa eſt actus ſenſationis, & perceptio delectabilitatis obiecti; potentia autem tactiua eſt potentia ſenſitiua externa, quæ ei actui correſpondet, & à qua tanquam à potentia vitali is actus procedit. Ad cauſam efficientem eius delectationis externæ pertinent ipſi ſpiritus carnales excitati intra carnem ipſam: nam cùm hi ſint obiectum actus ſenſationis, ſeu delectationis externæ, & ſint omninò applicati potentiæ tactiuæ, non erit neceſſe, quod producant per ſpeciem eum actum vitalem delectationis, ſed per ſe ipſos concurrent ad producendum actum, iuxta ea, quæ dixi *diſp.* 17. *de Anima*, de obiecto, quando præſens eſt.

Item ſpiritus carnales.

16. *Cauſa determinans eſt appetitio corporea, & ſenſatio interna.*

Cauſa determinans eam delectationem externam eſt delectatio interna corporea de re venerea, ſiue actus appetitus corporei de tali re venerea; item actus ſenſationis internæ, repræſentans obiectum modo delectabili venereo: qui actus ſaltem mediatè determinat ad talem delectationem externam. Nam quilibet actus ex his per ſympathiam, ſiue connexionem vnius actus cum alio determinat potentiam commotricem ſpirituum deſeruientium generationi, ad hoc vt illos commoueat & excitet. Qui vbi commoti & excitati ſunt, cùm omninò applicati inueniantur potentiæ tactiuæ, hæc potentia non poteſt non ſentire illos & commotionem eorum. Dicitur autem propriè appetitio obiecti venerei determinare ad delectationem externam, quia dum determinat potentiam commotricem ſpirituum ad commouendos ſpiritus intra carnem, determinat applicationem obiecti ad potentiam tactiuam. Sicut ſi puer afferens ignem in manibus, cogeretur per vim phyſicam à viro, vt applicaret ignem ſegeti, vtique vir determinaſſet ad tale incendium: ita ſimiliter potentia commotrix ſpirituum quaſi affert in manibus eos igniculos; appetitio autem, & cognitio corporea obiecti venerei ex ſympathia cogit potentiam commotricem, vt eos igniculos ſpirituum applicet potentiæ tactiuæ, vbi corpus experitur incendium luxuriæ. An autem cognitio intellectualis, & actus voluntatis ſpiritualis determinent immediatè etiam per ſympathiam ad eam commotionem ſpirituum, modò non definio.

Quod autem ea ſympathia detur in appetitione corporea obiecti venerei ad commouendos ſpiritus carnales, ipſa experientia teſtatur: cùm ex prima obiecti venerei apprehenſione & appetitione ipſam conſequente reſultare ſoleat ea ſpirituum circumcurſatio. Quare vel dicendum eſt, ipſam appetitionem corpoream efficienter concurrere ad commotionem ſpirituum; vel cùm hoc neceſſarium non ſit, dicendum eſt, ipſam appetitionem determinare ex phyſica connexione, quam habet cum ea ſpirituum commotione. 17.

Vbi notandum eſt, qua ratione interpretandus benignè ſit P. Tamburinus, qui *lib.* 10. *in Decalog. cap.* 1. *num.* 5. ait: [Propter ſympathiam naturalem delectatio voluntatis excitat delectationem appetitus ſenſitiui, & è contra.] Quod intellige de connexione actus appetitûs ſenſitiui, non cum actibus liberis, ſed cum actibus neceſſariis voluntatis, qui ex inaduertentia, aut defectu deliberationis neceſſarij ſunt. Nam ſi appetitus connecteretur cum aliis actibus voluntatis, iſti non euaderent liberi, ſed neceſſariò ponerentur ad poſitionem actus appetitiui corporei. Nihil enim antecedens vſum libertatis determinat ad actum liberum, ſed ipſa voluntas ſe determinat. Inclinatio autem illa vehemens, quam ſolet ſentire voluntas ad obiectum venereum, & difficultas abdicandi illam à ſe, prouenit non à ſympathia, aut connexione, quam appetitus habeat cum actu voluntatis; ea enim, vt dixi, euertit libertatem; ſed prouenit à cognitione intellectuali repræſentante obiectum venereum, vt ſibi valde delectabile, & maximè conueniens. Eſt quidem propenſio vehemens in appetitu, & intellectus illam cognoſcens, repræſentat obiectum venereum, vt ſuo appetitui & ſuæ inclinationi corporeæ maximè conueniens; & inde propendet voluntas in tale obiectum, manente tamen indifferentia libertatis: quæ maiorem lucem accipient ex dicendis *diſp. ſequenti, cap.* 2. 18. *Delectatio interna libera non poteſt per ſympathiam determinari.*

Hinc colliges, quàm falsò dixerit Caramuel *in Regul. ea diſp.* 67. *num.* 1041. cauſam directam delectationis externæ eſſe aſſenſum in illam, & non aliam. Do fideliter textum: [Si quærimus moroſæ delectationis, quà peccaminoſæ, directam cauſam, reperiemus eſſe aſſenſum in illam, non aliam.] Conſtat enim ex dictis, quod ſine aſſenſu vel voluntate efficaci habendi eam delectationem, talis delectatio generatur in carne: quod magis conſtabit *diſp. ſequenti, cap.* 6. 19. *Cauſa directa delectationis externæ non eſt ſolùm aſſenſus in illam.*

Suppono tertiò, conuenire Doctores in eo, quod ſi quis delectetur de cogitatione intellectuali terminata ad fornicationem, non autem de ipſo obiecto, non peccare; quia nihil eſt illicitum in ea delectatione, dum non habet pro obiecto rem veneream. Intellige ſecluſo periculo delectationis de ipſo obiecto venereo. Vide P. Th. Sanch. *lib.* 1. *ſum. cap.* 2. *num.* 3. & P. Leſſium *lib.* 4. *de virtutib. cap.* 3. *num.* 108. 20. *Delectatio de ſola cogitatione ſpirituali veneris, licita eſt.*

Suppono quartò, licèt Philoſophi actum appetitus diuidant in appetitum gaudij, & appetitum 21. *Quomodo differant*

Digitized by Google

gaudium, & delectatio?

appetitum deſiderij; & nomine gaudij intelligant etiam delectationem: at inter Theologos morales, præcipuè recentiores, gaudium & delectatio videntur ſignificare diuerſa, præcipuè in re venerea; nam in cæteris materiis gaudium & delectatio confunduntur frequentiùs. Delectatio itaque ſumitur pro ipſa oblectatione ſenſibili externa vel interna, & pro oblectatione voluntatis, quæ delectatione ſenſibili aſſociatur. Gaudium autem ſumitur frequentiùs pro quadam approbatione voluntatis, qua homo gaudet de obiecto abſque delectatione ſenſibili.

22. Suppono denique, hîc non eſſe quæſtionem, an in iſtis delectationibus moroſis detur paruitas materiæ, de hoc enim agemus *diſp.* 45. quare vt abſtrahamus modò ab ea quæſtione, quoties dicimus, delectationes moroſas in re venerea eſſe lethaliter illicitas, ſaltem de illis intelligendum eſt, in quibus non eſt materiæ paruitas.

CAPVT III.

Traditur doctrina generalis de delectationibus moroſis in qualibet materia.

ARTICVLVS I.

Iaciuntur aliqua fundamenta.

23. MAteria hæc valdè ſubtilis eſt & metaphyſica, & in qua multi Authores æquiuocationem patiuntur. Ideò oportet eam accurata claritate & breuitate tradere.

24. *Poteſt præſcindi malitia moralis ab omnibus illicitis.*

Præmitto primò, poſſe præſcindi per intellectum malitiam moralem ab omnibus obiectis illicitis. Oppoſitum tenent multi Authores loquentes de actionibus iure naturali vetitis. Alij verò non de omnibus, ſed dumtaxat de aliquibus, à quibus cenſent impræſcindibilem eſſe malitiam moralem. Patet tamen primò. Tunc poteſt per intellectum vna formalitas præſcindi ab alia, quando non eſt formaliter conſtitutiua illius. Sic ab homine nequit præſcindi rationale, ita vt homo abſque rationali concipiatur, quia homo conſtituitur eſſentialiter per rationale. Animal autem præſcinditur à rationali, & è conuerſo; quia neque rationale conſtituitur formaliter per animal, neque è conuerſo animal per rationale. Tum ſic: fornicatio ſecundùm phyſicum (in quo verſatur delectatio moroſa) non conſtituitur eſſentialiter per malitiam moralem: ergo à fornicatione ſecundùm phyſicum poteſt præſcindi malitia moralis. Minor manifeſta eſt: tum quia phyſicum non conſtituitur eſſentialiter per moralitatem: tum etiam quia malitia moralis dicit formaliter libertatem, & aduertentiam; hæc autem non conſtituunt fornicationem ſecundùm phyſicum. Similiter non eſt de eſſentia actus ſodomitici malitia moralis, cùm hæc conſiſtat partialiter in eo quod fiat liberè & ex aduertentia rationis; actus autem ſodomiticus ſtare poſſit ſine libertate & ſine aduertentia rationis: ergo malitia moralis præſcindi poteſt ab actu ſodomitico.

Patet ſecundò. Poſſum cognoſcere actionem turpem vt abſtrahit à libera & neceſſaria; cùm enim damnificatio Petri poſſit procedere ab amente, & ab homine rationis compote; damnificationem Petri poſſum inadæquatè concipere vt abſtrahit à libera & neceſſaria; quod idem eſt de actione ſodomitica. Item fornicationem poſſum cognoſcere inadæquatè ſecundùm conceptum copulæ, vt abſtrahit à copula licita & illicita, nempe vt abſtrahit à coniugali & extraconiugali; & occiſionem Petri (quam Ioannes exercuit iniquè) poſſum cognoſcere inadæquatè vt abſtrahit à iuſta & iniuſta: item mendacium vt abſtrahit à libero & neceſſario. Sed hoc modo ab actione mala præſcinditur per intellectum malitia moralis; nulla enim formalitas includit formaliter prædicatum, à quo abſtrahit, vt euidens eſt: ergo poteſt à qualibet actione mala præſcindi per intellectum malitia moralis. 25.

Poteſt cognoſci fornicatio, vt abſtrahit à libera, & neceſſaria.

Præmitto ſecundò, voluntatem poſſe eadem præſciſione vti circa obiecta illicita. Nam quam præſciſionem facit intellectus, ſequitur voluntas. Vnde in caſu, quo Ioannes aduerſus Petrum occiſionem iniquam exercuit, ſicut poteſt intellectus eam occiſionem inadæquatè cognoſcere vt abſtrahit à iuſta & iniuſta; ita voluntas poteſt complacere in ea occiſione inadæquatè cognita, & vt abſtrahit à iuſta & iniuſta. 26.

Præſciſionem, quam facit intellectus, ſequi poteſt voluntas.

Præmitto tertiò, poſſe intellectum facere hanc præſciſionem malitiæ ab actu malo, & poſſe voluntatem ſequi, etiamſi intellectus per alium actum aduertat & cognoſcat adæquatè malitiam talis actus mali. Patet primò, quia non repugnat eſſe ſimul in intellectu duos actus, quorum vnus cognoſcat obiectum adæquatè, & alter inadæquatè; & quod voluntas ſequatur actum inadæquatè cognoſcentem. Secundò, quia quando dantur ſimul in intellectu duo actus, alter qui cognoſcat hominem adæquatè, alter qui terminetur dumtaxat ad rationale, non repugnat, quod voluntas feratur dumtaxat in rationale, ſiue in hominem præciſè, quà rationalem: ergo ſimiliter quando dantur ſimul in intellectu duo actus, quorum alter actionem iniuſtam cognoſcit adæquatè, & alter illam cognoſcit vt abſtrahentem à iuſta & iniuſta; non repugnat, quod voluntas feratur in actionem hanc vt inadæquatè cognitam, & vt abſtrahit à iuſta & iniuſta. Tertiò, quia quando exercita eſt iniuſtè occiſio hominis malefici, licitè gaudemus de illa occiſione, quæ vtilis eſt Reipublicæ, etiamſi cognoſcamus, occiſionem fuiſſe iniuſtam, de qua non gauderemus licitè, aduertentes fuiſſe iniquam, niſi præſcinderet intellectus malitiam ab illa, & voluntas complaceret in ea vt præſciſa à malitia. 27.

Poteſt voluntas ſequi hãc præſciſionem, quamvis per alium actum cognoſcatur obiectum adæquatè.

Præmitto quartò (quod in hac materia ſummâ attentione animaduertendum eſt) poſſe conſiderari malitiam moralem ex parte obiecti delectationis, & poſſe conſiderari ex parte ſolius delectationis. Nam ſtat optimè in delectatione, quod ex parte obiecti nulla ſit malitia, & quod delectatio ex parte ſui malitiam afferat. Da caſum, quo amens vulnerauit Petrum, & ego gaudeo de illa vulneratione, quà noxia eſt Petro, videns, illam 28.

Poteſt conſiderari malitia ex parte obiecti delectationis, & ex parte ipſius delectationis. Stat, quod ex parte obiecti

Digitized by Google

delectationis non ſit malitia, & quod ſit ex parte delectationis.

illam vulnerationem non fuiſſe peccatum, quia non fuit actio libera. Tunc ex parte obiecti nulla eſt malitia moralis, quia obiectum eſt quædam actio neceſſaria, atque adeò incapax malitiæ moralis. Delectatio autem & complacentia de illa vulneratione, quæ noxia eſt Petro, ex parte ipſius delectationis habet malitiam moralem, nemine dubitante, quia velle malum Petro ſiue efficaciter, ſiue inefficaciter, ſiue per complacentiam, iure naturali prohibitum eſt, atque adeò eſt malum moraliter.

29. Similiter quando quis delectatur delectatione corporea interna de copula cõiugali, ſcilicet de copula Petri, & Mariæ, ex parte obiecti non datur malitia moralis, cùm copula coniugalis non ſit mala moraliter; datur tamen malitia moralis ex parte ipſius delectationis, quia iure naturæ prohibitum eſt, quod quis extra ſtatum matrimonij habeat delectationem ſenſibilem internam, vel externam circa eiuſmodi copulam, vt ex dicendis conſtabit.

30. Idem eſt de prolatione blaſphemiæ, quam amens dixit contra Deum, & de conculcatione imaginis ſanctæ facta ab homine ebrio. Nam ſi de illis actionibus vt irreligioſis gaudeas, peccas contra Religionem: non quia ex parte actionis irreligioſæ data fuerit malitia moralis, cùm facta fuerit abſque libertate; ſed quia velle contumeliam externam Dei, aut imaginis ſanctæ, vt irreuerentem, eſt malum moraliter.

31. *Quæ non ſunt mala, quandoque non poſſunt amari abſque peccato.*

Et ex hoc quarto præmiſſo colligitur, eſſe manifeſtè falſum id, quod aſſeruit Caramuel *diſp.68. in Regul. n.*1051.*B.* in hæc verba: [Omnia, quæ non ſunt mala, poſſunt amari à voluntate ſine peccato, quà non mala: quia peccatum eſt actus circa obiectum malum moraliter.] Cuius aſſerti falſitas conſtat primò. Nam diſplicentia de Deo, aut de omnipotentia eius, eſt peccatum; & tamen non verſatur circa obiectum malum moraliter: nam obiectum eius actus eſt quid diuinum; & tota malitia ſe tenet ex modo tendendi ipſius actus, qui malè tendit circa bonum: & complacentia de occiſione Petri facta ab amente, non verſatur circa obiectum malum moraliter, cùm actio amentis non ſit mala moraliter.

32. Verum quidem eſt, quod iſta actio amentis quatenus ſubeſt complacentiæ tuæ mala eſt; ſed id inuoluit ipſum actum complacentiæ. Vnde obiectum adæquatè diſtinctum à complacentia non eſt malum moraliter. Et idem reperies in reliquis exemplis ſuprà poſitis.

Articvlvs II.

Infertur, & exponitur ea doctrina generalis.

33. *Semper eſt illicitum delectari de malitia morali formaliter vt tali.*

Dico primò. Delectari, gaudere, & complacere de malo, vt eſt formaliter malum moraliter, ſemper eſt illicitum, ſiue obiectum ſit prohibitum iure naturæ, ſiue iure poſitiuo diuino, vel humano. Hæc aſſertio eſt omnium. Et id eſt, quod tradidit Ariſtoteles *lib.1. Ethic. cap.3. & 5.* nempe eiuſdem bonitatis & malitiæ eſſe operationem, conſenſum, & delectationem, ſcilicet quando delectatio verſatur circa illicitum, quà illicitum. Ex terminis enim patet, eſſe malum moraliter velle id, quod eſt formaliter illicitum.

Dico ſecundò. Delectatio de malo, à quo præſcinditur malitia, non eſt mala moraliter ex parte obiecti. Hæc eſt ad mentem P. Vaſquij mox citandi, & ſectatorum eius; & patet. Nam voluntas non complectitur tunc malitiam obiecti, cùm actus intellectus, quem ipſe ſequitur, non cognoſcat expreſsè eam malitiam, quàm præſcindit; & nihil volitum, quin præcognitum: ergo illud obiectum prout ſubeſt (id *Prout*, non ſumitur reduplicatiuè, ſed ſpecificatiuè) voluntati, non eſt malum moraliter: ergo ex parte obiecti, quà obiecti, non datur malitia moralis. 34.

Delectatio de malo, à quo præſcinditur malitia, non eſt mala ex parte obiecti.

Confirmatur. Nam præſciſionem, quam facit intellectus, poteſt ſequi voluntas, & ſequitur in eo euentu, vt patet ex præmiſſo ſecundo: ſed intellectus tunc præſcindit malitiam ab obiecto, vt patet ex præmiſſo primo: ergo voluntas amat illud obiectum præſciſa malitia, & ſine eo quod amplectatur malitiam: ergo obiectum illud eo modo, quo ſubeſt voluntati, caret malitia morali. 35.

Opponit P. Fagundez *lib.9. in Decalog. cap.1.* Nam quando homo delectatur de obiecto illicito, vel ſolùm aduertit, quod eſt ſibi conueniens & delectabile, vel nullo modo aduertit, eſſe illicitum? Si primum, defectu aduertentiæ non erit mala moraliter delectatio. Si ſecundum accidat, vt intellectus aduertat malitiam moralem obiecti, iam voluntas fertur in obiectum illicitum cognitum vt illicitum; atque adeò ea delectatio erit mala moraliter ratione obiecti cogniti vt illiciti. 36.

Reſpondetur, obiectionem peccare in vtraque parte dilemmatis. Pro quo nota, duplicem aduertentiam rationis poſſe ibi conſiderari. Primam circa obiectum, an ſit licitum, vel illicitum. Secundam circa actum delectationis, an ſit licita, vel illicita. Et poſſe ſtare aduertentiam rationis aduertentis, obiectum ex parte ſui eſſe licitum; & ſimul aduertentiam rationis aduertentis, delectationem eſſe illicitam. Vt patet in coniugato, qui delectatur de copula aliorum coniugum; tunc enim aduertit, illam copulam in ſe eſſe licitam, & delectationem ſuam de illa eſſe illicitam, vt mox dicam. 37.

Stat quod aduertas, obiectum eſſe licitum, & ſimul delectationem eſſe illicitam.

Ad primam ergo partem dilemmatis dico, poſſe fieri, quod non aduertat, obiectum eſſe illicitum, & tamen, quod aduertat, delectationem eſſe illicitam. Et ideò quamvis non aduertat, obiectum eſſe illicitum, poteſt peccare propter aduertentiam de malo morali delectationis. Vnde ex eo quod non aduertat, obiectum eſſe illicitum, non bene infert, quod non peccat, dum oblectatur de illo. 38.

Ad ſecundam partem dilemmatis conſtat ex præmiſſo tertio, poſſe eſſe duos actus in intellectu; alterum, qui aduertat, obiectum adæquatè ſumptum eſſe malum moraliter, & alterum, qui inadæquatè cognoſcat obiectum, præſcindendo malitiam moralem ab illo: & poſſe tunc voluntatem ſequi præſciſionem huius ſecundi actus, & amplecti obiectum præciſè quà delectabile, & non quà malum moraliter. In quo caſu cõcedo, quod intellectus aduertat malitiam moralẽ obiecti, nempe per primũ actum; & 39.

Digitized by Google

& nego quod voluntas feratur in obiectum provt cognitum vt illicitum, quia ſequitur ſecundum actum, qui præſcindit malitiam ab obiecto.

Dico tertiò. Delectatio de malo morali, à
40. quo intentionaliter præſcinditur ea malitia, poteſt eſſe mala moraliter ex parte delectationis. Hæc eſt ad mentem Patris Vaſquez, & ſectatorum eius, vt infrà referemus. Patet ex præmiſſo quarto. Stat enim, quod in delectatione obiectum in ſe careat realiter malitia morali, & tamen delectatio ſit mala moraliter; vt multis exemplis ibi oſtenſum eſt: ergo fieri poteſt, quod obiectum, vt præſciſum à malitia morali, careat formaliter malitia morali, & tamen delectatio ſit mala moraliter. Conſequentia patet à maioritate rationis. Maius enim eſt, quod obiectum careat realiter malitia morali, quàm quod careat formaliter & præſciſiuè; maius, inquam, in genere carentis malitia: ſed quando caret realiter malitia, atque adeò quando datur maior carentia malitiæ in obiecto, non obſtar, quominus delectatio ſit mala: ergo quando datur minor carentia malitiæ in obiecto, nempe quando obiectum formaliter & præſciſiuè caret malitia, non obſtabit, quominus delectatio ſit mala.

Delectatio de malo, à quo præſcinditur malitia; poteſt eſſe mala ex parte delectationis.

41. Itaque ſicut delectatio ſoluti de copula coniugali aliorum mala eſt, quamvis copula coniugalis aliorum bona ſit; ita delectatio eiuſdem de fornicatione ſecundùm phyſicum, id eſt, de fornicatione, præſciſa malitia morali, erit mala, quantumvis præſcindatur ab eo obiecto talis malitia moralis. Et ſicut gaudium de vulneratione Petri facta ab amente malum moraliter eſt, quamuis ipſa vulneratio Petri non ſit mala moraliter: ita ſi gaudeas de vulneratione Petri, quam perpetrauit iniuſtè homo ſanus, quamvis ab ea vulneratione iniuſtitiam & malitiam moralem præſcindas, gaudium tuum erit moraliter malum, dum gaudeas de illa percuſſione, quæ noxia eſt Petro.

42. Huic tertiæ concluſioni reſiſtit P. Caſtro Palao *tom. 1. tract. 2. diſp. 2. punct. 10. §. 2. numero 22. concluſione 4.* quem ſequitur P. Tamburinus *lib. 10. in Decalog. cap. 5. §. 1. num. 3.* qui aſſerunt, eſſe aliqua obiecta iure naturali prohibita, à quibus nequit ſeparari per intellectum malitia moralis; ideóque delectationem in his obiectis ſemper eſſe illicitam: eſſe tamen alia obiecta iure naturali prohibita, à quibus poteſt ſeparari per intellectum malitia moralis; & tunc licitam eſſe delectationem de illis habitam. Priorem partem probant, quia ab odio Dei, ab idololatria, à mendacio, infidelitate, à deſperatione, à periurio non poteſt ſeparari malitia moralis, etiam per intellectum: quacumque enim facta præſciſione, aut abſtractione ſemper remanent mala moraliter. Poſteriorem ſuadent: præſcindi enim poteſt malitia moralis ab homicidio, duello, furto, & ſimilibus; nam homicidium authoritate publica factum licet; furtum vrgente neceſſitate eſt licitum; duellum in bello iuſto non eſt malum.

Nullum eſt obiectum, etiã iure natura malum, à quo nequeat præſcindi malitia.

43. Sed vtraque pars eius aſſerti eſt falſa. Prior quidem: quia odium Dei vt abſtrahit à libero & neceſſario, & vt abſtrahit ab elicito ex ignorantia, & elicito ex certa ſcientia, & vt abſtrahit ab elicito ex aduertentia rationis, & elicito ſine illa, non inuoluit malitiam moralem, cùm hæc eſſentialiter conſtituatur ex libertate, & aduertentia, &c. Idem eſt de idololatria, mendacio, &c. Relege præmiſſum primum, *n.* 24.

Poſterior pars etiam eſt falſa: quia quamvis præſcindi poſſit ab obiecto ſecundùm ſe malitia moralis, & ſpecialiter ab homicidio, duello, furto, &c. non inde infertur, quod voluntas poſſit delectari de illis, vt patet ex præmiſſo quarto, *num.* 28. & ex concluſione tertia, *num.* 40. Stat enim, obiectum non eſſe malum moraliter, & habitudinem ad obiectum eſſe malam: vt in copula coniugali, quæ bona eſt, delectatio ſoluti de illa eſt mala; & in aliis exemplis *à n.* 24. *ad* 31. allatis. Et hinc patet, quid reſpondendum ſit ad vtramque probationem pro vtraque parte aſſertionis allatam. 44.

Quamvis ab obiecto præſcindatur malitia, non ideò licet delectari de illo.

Dico quartò. Optima eſt regula, quam tradit P. Vaſquez 1. 2. *diſp.* 111. *cap.* 4. quem ſequitur Sayrus *in theſauro lib.* 8. *cap.* 7. *num.* 14. & alij: nempe illam delectationem eſſe mortaliter illicitam, quæ habet notabilem oppoſitionem cum aliqua virtute. Supponit enim, & rectè, poſſe obiectum carere malitia morali; & tamen habitudinem delectationis ad obiectum habere oppoſitionem cum aliqua virtute. Quod ex dictis manifeſtè patet. Quidquid enim malum eſt, opponitur alicui virtuti: ſed poteſt fieri, quod obiectum non ſit malum moraliter, & quod habitudo delectationis ad obiectum ſit mala moraliter, vt patet ex præmiſſo quarto, *à num.* 28. & ex concluſione tertia *num.* 40. ergo poteſt fieri, quod obiectum non ſit malum moraliter, & quod habitudo delectationis ad obiectum opponatur alicui virtuti. Quia tamen hæc regula non explicat, quæ delectationes quibus virtutibus opponantur. 45.

Delectatio eſt illicita, cùm habet oppoſitionem cum aliqua virtute.

Dico quintò. Illa delectatio eſt mala moraliter, quæ eſt de obiecto, quo aufertur, vel præſcinditur malitia moralis, ſi ea delectatio ſit contra Deum, contra proximum, aut contra ſe; item delectatio ſaltem ſenſibilis interna de actu venereo, quem hic & nunc non licet exercere. 46.

Quando ſit mala delectatio obiecti, à quo præſcinditur malitia?

Cùm dicimus, delectationem eſſe contra Deum, intelligimus quodlibet, quod repræſentatur vt indecens, contumelioſum, irreligioſum quomodocumque reſpectu Dei. Et cùm dicimus *reſpectu Dei*, intellige etiam reſpectu Angelorum, & Beatorum. Vnde qui delectatur de conculcatione Imaginis ſanctæ, vt indecens eſt Deo, facta ab homine amente; licèt obiectum, quod eſt actio amentis, non ſit malum moraliter, delectatio de illa, quia contra Deum eſt, eſt moraliter mala: & idem eſt, ſi quis delectaretur de copula cum ſancta virgine, quæ cœleſti beatitudine gaudet, etiamſi præſcindatur per intellectum malitia à tali copula; qui irreligioſè peccaret, quia ea delectatio eſt contra religionem ſanctæ virgini debitam. Nota, quod hîc *Religio* ſumitur latè. 47.

Quando eſt contra Deum, vel Sanctos.

Delectatio eſt contra proximum, licèt obiectum præſcindatur à malitia, quando quis delectatur de obiecto à malitia præſciſo, vt noxium eſt Petro, vt exemplis ſuprà poſitis in præmiſſo quarto, & concluſione 48.

Contra proximum.

Contra ſe ipſum. ſione tertia, *numero* 28. *&* 40. Contra ſe ipſum; vt ſi quis per poſſibile vel impoſſibile delectaretur de deſperatione ſua, à qua quidem poſſet per intellectum præſcindere malitiam moralem modo ſuprà dicto. Si enim delectaretur de ea deſperatione quatenus animo ſuo noxia, ea delectatio eſſet contra ſeipſum.

49. Obiectio. Dices. Implicantur termini, dum dicimus, delectationem eſſe de occiſione Petri, & præſciſam à malitia, qua noxia eſt Petro; quia quà noxia eſt Petro, eſt obiectum moraliter malum; quà obiectum eſt moraliter malum, implicat eſſe præſciſam à malitia morali. Item implicantur, dum dicimus, eam occiſionem, vt eſt obiectum delectationis eſſe præſciſam à malitia; quia vt eſt obiectum delectationis reſpicitur vt noxia Petro: ſed quà reſpicitur occiſio vt noxia Petro, eſt mala moraliter: ergo quà eſt obiectum delectationis, eſt mala moraliter: ergo quà eſt obiectum delectationis, non præſcinditur à malitia.

50. Soluitur. Ne te terreat nimia ſubtilitas formalitatum; materia enim præſciſionum ea ſubtilitate abūdat. Reſpondetur ergo, in delectatione, quæ fertur in occiſionem Petri abſtrahentem à libera, & neceſſaria, & quæ fertur in eam occiſionem vt noxiam Petro; diſtinguendum eſſe duplicem modum tendendi in id obiectum. Primus modus tendendi eſt in obiectum vt præſciſum à malitia, vel vt abſtrahens ab occiſione libera, & ab occiſione neceſſaria. Secundus modus tendendi in obiectum eſt, dum reſpicit actionem illam vt malam Petro; poſſet enim tendere delectatio in illam, non quà mala eſt Petro. Æquiuoca eſt ergo propoſitio cùm dicitur, *prout eſt obiectum delectationis.* Nam id *prout*, poteſt denotare primum modum, & poteſt denotare ſecundum modum.

51. Ergo cùm opponis, implicari terminos, dum dicimus, delectationem eſſe de occiſione Petri vt præſciſa à malitia, & quà noxia eſt Petro, id negandum eſt: quia malitia præſcinditur ab ipſa actione occiſionis; non verò præſcinditur à delectatione, quæ reſpicit occiſionem, vt noxiam Petro. Ad id, quod ſubditur, concedo, quod ea occiſio, quà noxia eſt Petro, eſt obiectum moraliter malum; inuoluens tamen aliquem modum, qui ſe tenet ex parte delectationis. Nam ea dictio *quà*, vel *quatenus*, denotat modum ſe tenentem ex parte delectationis: & ſubiunctam propoſitionem diſtinguo, qua obiectum eſt moraliter malum [ex parte occiſionis] implicat eſſe præſciſum à malitiá morali, concedo; qua obiectum eſt moraliter malū [ex parte delectationis & modi tendendi eius,] implicat eſſe præſciſum à malitia morali, nego. Itaque ab occiſione præſcinditur malitia; ſed delectatio, eſt mala moraliter, quia reſpicit illam vt noxiam Petro.

52. Ad ſecundum, quod obiicitur, diſtinguo maiorem. Implicantur termini, dum dicimus, eam occiſionem, prout eſt obiectum delectationis, eſſe præſciſam à malitia, [ſi *Prout*, denotet ſecundum modum delectationis,] concedo; [ſi *Prout*, denotet primum modum,] nego. Similiter diſtinguo primum conſequens: ergo quà eſt obiectum delectationis, eſt mala moraliter, [ſi *Quà*, denotet primum modum,] nego; [ſi *Quà*, denotet ſecundum modum,] concedo. Similiter diſtinguo ſecundum conſequens: ergo quà obiectum delectationis, non præſcinditur à malitia, [ſi *Quà*, denotet ſecundum modum,] concedo, [ſi *Quà*, denotet primum modum,] nego. Intelligenti hæc pauca ſufficiunt; erit enim ſummè prolixum in eo ampliùs immorari.

De delectatione autem ſenſibili interna actus luxuriæ, dicam in ſequentibus. Locutus autem 53. ſum de delectatione ſenſibili circa actus luxuriæ; ſub quá etiam comprehenditur delectatio voluntatis comitans, & aſſenſum præſtans delectationi ſenſibili. Non dixi de delectatione voluntatis; nam quando hæc contingit ſine delectatione ſenſibili interna, an ſit peccatum, poſteà expoſiturus ſum.

ARTICVLVS III.

Quàm certum ſit, delectationem moroſam internam de obiecto venereo eſſe peccatum lethale?

PRopter dicta ſuprà *num.*4. *&* 5. vt præmuniamus viam dicendis, aſſero, indubitatum 54. *Eſt ſententia SS. Patrum.* eſſe, delectationem moroſam de fornicatione cogitata, aut ſimili obiecto turpi eſſe peccatum mortale. P. Vaſq. *tom.* 1. *in* 1.2. *diſp.*109. *cap.*3. planè oſtendit, hanc aſſertionem traditam eſſe à ſanctis Patribus, Chryſoſtomo *hom.* 17. *in Matth.* ad ea verba, *Audiſtis, quia dictum eſt, Non mœchaberis.* Hilario *in eūdem locum Matth. in Can.*4. Iſidoro *lib.*2. *de ſummo bono, c.*39. Greg. 21. *Moral. cap.*3. quod etiam tradit *in Paſtorali,* & refertur *in cap. Hinc etenim,* 49. *diſt. verſic. Ponderoſus.* Auguſtino 12. *de Trinit. cap.* 12. Quod dictum Auguſtini optimè ponderat etiam P. Leſſius *lib.*4. *de Virtutib. cap.*3. *num.*109. *S. Chryſoſt. S. Hilarius. S. Iſidorus. S. Gregor. S. Auguſt.*

Probant Theologi eo loco Iob 31. *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine. Quam enim partem haberet in me Deus deſuper?* Ex quibus verbis conſtat, Deum non adeſſe per iuſtificationis gratiam ei, qui cogitationibus illiciti concubitus delectatur. Eſſet autem abſurdum, verba vniuerſalia ſacræ Scripturæ de cogitatione impudica erga virginem, ad ſolum deſiderium efficax contrahere. Quem locum optimè explicat P. Pineda *tom.* 2. *in Iob, cap.*31. apud quem *num.* 9. vide S. Chryſoſtomum *homil.*3. in ea Iſaiæ verba, *Vidi Dominum:* & *num.*14. D. Baſilium *lib. de Virginit.* Gregorium ad id Matth. 5. *Audiſtis,* &c. D. Bernardum *de inter. Dom. cap.*39. & *num.* 16. S. Nazianz. *orat.* 49. S. Ambroſium *lib.*2. *de Pœnit. cap.*11. Origenem *hom.*11. *in Ieſum Naue,* S. Nilum *in Aſcetico,* & *in Paræneſi,* Cæſarium *homil.*10. 55. *Infertur clarè ex ſacra Scriptura.* *Pineda. S. Chryſoſt. S. Baſil. S. Bernard. S. Nazianz. S. Ambroſ. Origenes. S. Nilus. Cæſarius.*

Probant etiam *ex cap.*5. *Matth. Audiſtis, quia dictum eſt antiquis, Non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Vbi S. Chryſoſtomus *homil.* 17. *in Matth.* ſuprà citatus: *Proptereà non dixit, qui concupiuerit ad adulterandum, ſed qui viderit ad concupiſcendum.* Et ideò non ſolùm damnat concupiſcere ad adulterium, ſed etiam videre & delectari, quod ducit ad concupiſcendum. Et S. Gregorius *in hunc locum:* [Per Moyſem *luxuria perpetrata*, per Authorem verò munditiæ *luxuria cogitata* damnatur.] Agnoſcit S. Gregorius diſcrimen inter verbum Moyſi, *Non concupiſces,* & 56. *Matth.* 5. *S. Chryſoſt. S. Gregor.*

Digitized by Google

verbum Chriſti, *Non videbis ad concupiſcendum:* quod poſtremum clarè inſinuat delectationem, quæ ducit ad concupiſcendum.

57. *Damnatur deſiderium etiam inefficax.*

Et ex hoc loco Matth. vrgens deſumitur argumentum. Hîc enim (ſicut in nono præcepto Decalogi) prohibetur omne deſiderium fornicationis. Et vbi omne deſiderium abſcinditur, vtique abſcinditur deſiderium efficax, & inefficax. Et quidem quis neget, peccare mortaliter eum, qui ſine vlla prorſus delectatione, & ſine intentione efficaci, diceret, *Vtinam fornicarer*, vel, *Vtinam actum ſodomiticum haberem.* Vel quis dubitet, in eo textu prohiberi à Chriſto hunc actum, *Vtinam cum vxore proximi dormirem.* Tum ſic. Deſiderium fornicationis inefficax prohibetur à Chriſto: ſed delectatio interna de fornicatione magis opponitur caſtitati, quàm deſiderium inefficax: ergo delectatio interna de fornicatione prohibetur à Chriſto. Vel ſic: deſiderium etiam inefficax fornicationis eſt mœchatio cordis, iuxta dictum Chriſti Matth. 5. *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo:* ſed delectatio de fornicatione magis opponitur caſtitati, quàm deſiderium inefficax illius, cæteris paribus: ergo delectatio de fornicatione eſt etiam mœchatio cordis.

Delectatio de fornicatione magis opponitur caſtitati, quàm deſiderium inefficax.

58. *Et affectus in copulam vt præſentem, quàm affectus in illam vt futuram.*

Probatur minor. Nam cæteris paribus magis opponitur caſtitati affectus in fornicationem vt præſentem, quàm affectus in fornicationem vt futuram: atqui delectatio eſt affectus in fornicationem vt præſentem, & deſiderium in fornicationem vt futuram; vt omnes Philoſophi & Theologi definiunt: ergo (cæteris paribus) magis opponitur caſtitati delectatio de fornicatione, quàm deſiderium inefficax illius. Probatur maior. Etenim, cæteris paribus, tantò magis opponuntur caſtitatis actiones aliquæ, quantò magis inebriant mentem, & minuunt exercitium rationis in ſuo genere venereo: atqui affectus in fornicationem vt præſentem magis inebriat mentem, magiſque minuit exercitium rationis, quàm affectus in fornicationem vt futuram; cùm magis titillet animum obiectum præſens, quàm abſens: ergo (cæteris paribus) magis opponitur caſtitati affectus in fornicationem præſentem, quàm in abſentem.

59.

Dixi, *cæteris paribus*, affectum in fornicationem vt præſētem magis opponi caſtitati, quàm affectum in fornicationem vt futuram. Nam ſi compares delectationem de fornicatione cum deſiderio efficaci de illa, hæc magis opponitur caſtitati; quàm delectatio; quia cætera non ſunt paria. Nam cùm deſiderium efficax fornicationis, quantum de ſe eſt, vrgeat ad actualem fornicationem, quod non præſtat delectatio; ideò deſiderium efficax ſuperat in malitia delectationem; atque adeò non ſunt paria. Si verò comparare velis delectationem de fornicatione cum deſiderio inefficaci illius, iſtud quidem poteſt eſſe tale vt præſcindat à quibuſvis prædicatis, vel circumſtantiis obiecti, ſicut præſcindit delectatio: qua ratione par erit delectationi in reſpiciendo obiectum. Vnde delectatio & deſiderium inefficax paria erunt in cæteris, præter hoc, quod eſt reſpicere obiectum vt præſens, & reſpicere illud vt abſens. Quod verò deſiderium inefficax poſſit præſcindere ab obiecti prædicatis, vel circumſtantiis, ſicut delectatio, patet: infirmus enim, qui deſiderat inefficaciter potum ſibi nociuum, non eſt neceſſe, quod velit nocumentum: imò frequentiùs accidit, quod eius deſiderium inefficax feratur ad delectabilitatem potus præſciſam à ratione nociui.

Deſiderium inefficax ſequitur præſciſionem intellectus.

60. *Quod aliquid ſit diſſonum naturæ rationali, commune gentiū iudicium probat.*

Secundum argumentum pro certitudine eiuſdem veritatis eſt. Nam ipſo rationis ductu, delectatio interna de fornicatione, vel ſodomia cogitatis habet ſpecialem difformitatem contra virtutem caſtitatis: hæc enim virtus inhibet generaliter omnem delectationem, niſi quantum permittit contractus matrimonij, aut inchoatio illius. Nam vt bene notauit P. Ægidius de Coninck *de matrim. diſp.* 32. *num.* 4. ad cognoſcendum, an aliquid ſit repugnans naturæ rationali, commune gentium iudicium eſt euidens indicium & argumentum. Quod in præſenti reperitur; cum omnium fidelium iudicio reputetur diſſonum naturæ rationali delectari internè de fornicatione, vel ſodomia. Vide infrà *num.* 99.

61. *Delectatio interna eſt cauſa per ſe commotionis ſpirituum, & ideò illicita.*

Tertium. Nam commotio ſpirituum genitalium eſt inſtrumentum deſtinatum à natura ad generationem; & ideò ea commotio dicitur à Galeno inchoatio pollutionis, ſiue profuſionis ſeminis: ſed delectatio interna eſt cauſa per ſe eius commotionis, deſtinata etiam à natura ad generationem promouendam: ergo ea delectatio interna eſt cauſa per ſe inchoans eam pollutionem, ſiue profuſionem ſeminis. Tum ſic. Ponens cauſam per ſe peccati grauis, determinantem ad illud, grauiter peccat: ſed inchoatio profuſionis ſeminis eſt peccatum graue; & delectatio interna eſt cauſa per ſe, omninò determinans ad eam inchoationem: ergo qui ponit eam delectationem internam, grauiter peccat. Ad vim huius argumenti percallendam, vide *diſp.* 42. *cap.* 7. *art.* 3. Vocatur enim mœchatio cordis ob ſimilitudinem deformitatis contra caſtitatem, quam habet mœchatio realis, cum delectatione cordis de tali mœchatione reali. Vide infrà *articulo* 5. *numero* 91.

Quare dicatur mœchatio cordis?

62.

Quartum addit P. Leſſius *lib.* 4. *cap.* 3. *numero* 110. in hæc verba: [Illa delectatio, quæ hoc modo ex imaginatione rei turpis exiſtit, eſt planè ſimilis ei, quæ ex rei ipſius præſentia & vſu naſcitur; cuius ſignum eſt, quòd ſimili modo corpus immutet, & ad illicita concitet: atqui delectatio, quæ ex vſu talis rei percipitur, eſt mortifera: ergo etiam illa, quæ ex imaginatione.] In cuius confirmationem facit, hunc eſſe ſenſum verborum Chriſti, *Mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Vocatur enim mœchatio cordis ob ſimilitudinem deformitatis contra caſtitatem, quam habet mœchatio realis, cum delectatione cordis de tali mœchatione reali. Vide infrà *art.* 5. *num.* 91.

63.

Nec ſatis eſt, ſi dicas, obiectum delectabile, vt ſubeſt delectationi internæ, eſſe præſciſum à malitia morali; at ipſum opere completum, eſſe neceſſariò adiunctum cum ipſa malitia morali. Nam delectatio eadem eſt, ſiue obiectum delectabile præſcindatur à malitia, ſiue non præſcindatur: atque adeò licèt obiectiuè præſciſum ſit à malitia, ſimili modo delectat, & corpus immutat, & ad

Digitized by Google

ad venerem excitat, ſicut ipſum opus externum venereum. Et ideò caſtitas inhibet etiam delectationem internam, ſiue intellectus præſcindat obiectum à malitia morali, ſiue non præſcindat: quia, vbi eſt æqualitas delectationis, æqualiter inhibetur à caſtitate.

64. Quintum argumentum. Delectatio externa per ſe ipſam & ratione ſui (ipſo rationis lumine ducente) eſt illicita: ſed in delectatione externa non eſt maior titulus malitiæ moralis, quàm in interna: ergo etiam interna eſt illicita. Conſequentia patet, & maiorem omnes admittunt. Minor verò vt conſtet, nota, quod & aliàs notaui, delectationem externam eſſe actum potentiæ tactiuæ, vnius è quinque ſenſibus externis, qui actus ſenſationis habet pro obiecto & tactus libidinoſos exteriores, & commotionem ſpirituum interiorem. Et ad quodvis ex his obiectum terminetur, eam eſſe illicitam, ex ipſo rationis lumine conſtat. Iam verò minor oſtenditur. Non eſt maior ratio, vt ſit illicitus actus potentiæ tactiuæ circa obiectum libidinoſum, quàm actus potentiæ appetitiuæ corporeæ circa obiectum etiam libidinoſum. Quid enim relucet potiùs in potentia tactiua, vt actus eius ſit illicitus, quod non reluceat in potentia appetitiua corporea?

65. *Oppoſita eſt improbabilis.* Quare meritò conueniunt omnes Theologi in hac aſſertione, quod omnis delectatio venerea de obiecto grauiter turpi ſit lethalis, aſſerentes oppoſitam (quæ tribuitur Martino de Magiſtris, & quam probabilem dixit Corduba) eſſe improbabilem, & certò falſam. Et ideò Tribunal Fidei Hiſpanicum expungi præcepit in Antonio de Corduba aſſertionem de eius probabilitate, in Indice expurgatorio anni 1640. & ideò eam P.Th. Sanch. *lib.* 1. *ſum. cap.* 2. *num.* 8. affirmat eſſe temerariam, cum P. Azor *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 6. *quæſt.* 1.

Et damnata ab Inquiſit.

Et temeraria.

ARTICVLVS IV.

Corollaria ex dictis.

66. *Cui opus venereum de præſenti eſt mortale, delectatio eſt mortalis.* EX dictis colligitur id, quod tradit P. Leſſius ſuprà *cit. num.* 119. his verbis: [Quod ad rationem peccati attinet, talis cuique eſt delectatio venerea imaginatione percepta, quale eſt ipſum opus ſecundùm ſe in præſentia: vnde cui ipſum opus in præſentia eſt mortale, ei quoque delectatio eſt mortifera; cui veniale, venialis. Eſt communis ſententia Doctorum.]

67. *Sponſis illicita eſt delectatio de copula coniugali futura.* Hinc inferes primò, ſponſis de futuro lethaliter illicitum eſſe delectari in appetitu ſenſitiuo de copula coniugali; quia ipſa copula coniugalis eſt illis de præſenti illicita. Ita P. Thom. Sanch. *lib.* 9. *de matrim. diſp.* 47. *num.* 4. & 6. & apud ipſum Nauarrus, Graffis, Ludouicus Lopez, Rodriguez, Vega, P. Vaſquez, & alij: contra Victoriam, Medinam, & Zumelem: qui ſanè loquuntur de delectatione appetitus ſpiritualis, nempe voluntatis. Quod ſi non loquuntur de illa, oppoſitam ſententiam exiſtimo certiſſimam. Nam hi Authores id aſſerentes mera æquiuocatione nituntur, quod ſcilicet delectantur de obiecto licito, qualis eſt actus coniugalis. Nam licèt obiectum ſecundùm ſe conſideratum licitum ſit; modus tamen tendendi circa illud eſt illicitus, habendo ſcilicet commotionem ſpirituum & delectationem externam ex motiuo delectabilitatis copulæ. Et ideò optimè dixit Franciſcus Verde *in Apolog. pro Caramuele*, *q.* 4. §. 8. *n.* 124. [Dum ſic diſcurrunt, malitiæ fundamentum, & rationem non penetrant.]

Improbabile eſt, quod illis ſit licita.

68. *Illicitum eſt viduis, delectari de copula præterita.* Inferes ſecundò, viduum lethaliter peccare, ſi habeat delectationem appetitus ſenſitiui de copula coniugali præterita, quia cùm copula coniugalis non ſit illi de præſenti licita, & cùm delectatio ſenſibilis de illa copula ſit diſpoſitio ad illam, & quædam inchoatio illius, ipſi eſt grauiter illicita; ſicut eſſet illi grauiter illicita ipſa copula. Ita P. Th. Sanch. *cit. num.* 7. & plures apud ipſum, & poſt ipſum multi, quos refert & ſequitur Diana *part.* 3. *tract.* 5. *reſol.* 2. Cuius oppoſitum tenent Caiet. Silueſter, Angelus, Medina, Zumel, & alij apud P. Th. Sanch. citatum, de quorum opinatione eadem criſis habenda eſt, ac in præcedenti illatione.

Et oppoſitum eſt improbabile.

69. *Peccat mort. qui delectatur de copula ſub conditione ſi eſſet licita.* Inferes tertiò, ſolutum, qui delectatur ſenſibiliter de copula ſub conditione, ſi eſſet licita, vel ſi ipſe eſſet coniugatus, peccare lethaliter; quia ipſa delectatio ſenſibilis actu datur, ſicut ſi obiectum ſit præſens: item actualiter immutat corpus, & excitat ſpiritus carnales; adeóque eſt inchoatio coitus, vel pollutionis. Ita P. Th. Sanch. *cit. n.* 5. & plures apud ipſum. An autem liceat delectatio voluntatis de copula coniugali ſponſo de futuro, viduo, & ſoluto cogitanti illam ſub conditione, quod ſit licita; exponam *cap.* 5. in ſolutione ſecundæ obiectionis.

70. *An appetitus corporeus feratur in obiectum ſub conditione?* Circa id, quod addit P. Th. Sanch. *ibid.* appetitum corporeum non ferri in obiectum ſub conditione, dico duo. Primum, etſi feratur ſub conditione, adhuc eſſe lethale peccatum; quia ea conditio non tollit, quominus delectatio, quæ datur de præſenti, ſit inchoatio coitus, vel pollutionis, & corpus immutet commotione ſpirituum carnalium. Secundum, impropriè dici, delectationem etiam voluntatis ferri ad obiectum ſub conditione. Delectatio enim fertur in obiectum vt præſens; obiectum autem cognitum ſub conditione, non cognoſcitur vt præſens, ſed vt ſub conditione futurum. Itaque quando cognoſcitur obiectum delectabile ſub aliqua conditione futurum, dari ſolet vnus & idem actus, qui ſimul eſt deſiderium inefficax & delectatio: qui actus vt terminatur ad obiectum ſub conditione futurum, eſt actus deſiderij, vt terminatur verò ad idem obiectum vt obiectiuè præſens, eſt actus delectationis.

Dices. Non repugnant inter ſe futurum realiter, & præſens obiectiuè, quatenus futurum realiter poteſt eſſe præſens obiectiuè: ergo poteſt dari delectatio de futuro realiter quà tali, vt eſt obiectiuè præſens. 71.

Reſpondetur, non eſſe confundenda nomina, & eorum ſignificata, quæ Philoſophia nos docuit. Nam volitionem terminatam ad futurum quà tale, ſemper appellauit Philoſophia deſiderium: & complacentiam de obiecto præſenti vocauit delectationem, vel gaudium. Si ergo ea duo prædicata, futurum realiter, & præſens obiectiuè, concurrant; volitio, quà reſpicit futurum dicitur deſiderium, & quà reſpicit rem vt obiectiuè præſentem, ſiue conſideratam vt præſentem, dicitur complacentia, gaudium, vel 72.

Digitized by Google

delectatio. Quod ſi dicas, te complacere in ipſa re vt futura abſolutè, vel conditionatè; reſpondeo, te impropriè loqui: nam hæc complacentia de obiecto futuro propriè eſt deſiderium inefficax.

73. Et hæc quidem dicta ſunt de deſiderio & delectatione in obiecto ſub conditione cogitato in materia luxuriæ. Regula autem generalis in aliis materiis ſimilis eſt iis, quæ diximus de delectationibus circa actiones, à quibus per intellectum præſcinditur malitia. Circa quod.

74. *An deſideriũ inefficax obiecti mali, ſub cõditione quod non eſſet malum, liceat?*

Prima concluſio.

Dico primò. Si deſiderium inefficax, quod terminatur ad obiectum malum, ſub conditione, quod non ſit malum, ſit admixtum delectatione obiecti, vel diſplicentia ſubiecti, eſt peccatum lethale. Et ita iſte actus: [Vellem occidere Petrum, ſi non eſſet peccatum,] ſi eſt cum delectatione de occiſione Petri cogitata, vel diſplicentia de vita Petri, eſt peccatum lethale; quia ſic eſt odium Petri, & velle illi malum vt malum. Similiter: [A Petro furarer omnem ſubſtantiam, ſi furtum non eſſet prohibitum,] ſi eſt cum delectatione de omnimodâ ſpoliatione Petri cogitata, & vt noxia eſſe Petro concipitur, eſt peccatum lethale. Ideò hic actus [Occiderem Deum, ſi non eſſet peccatum,] eſt grauiſſimum peccatum, quia affert diſplicentiam Dei, & formalem auerſionem ab illo.

75. Secunda concluſio.

Dico ſecundò. Deſiderium inefficax obiecti mali ſub conditione, quod non ſit malum, licitum eſt, ſi non admiſceatur cum delectatione de illo, neque cum diſplicentia ſubiecti. Et ita: [Vellem adorare idolum, ſi eſſet licitum;] ſi non admiſceatur delectatio, aut complacentia de attributa creaturæ diuinitate, aut de exhibendo illi reuerentiam diuinitati debitam, non erit peccatum. Et ideò deſiderare inefficaciter pollutionem ſub conditione, ſi eſſet licita, abſque delectatione præſenti, ſimiliter non eſſet peccatum. Et nota cùm dicis *vellem*, in exemplis appoſitis, denotari actualem volitionem inefficacem, non autem volitionem ſub conditione futuram.

Articvlvs V.

Modus diſcurrendi Patris Arriaga confutatur.

76. *Stando rationi non eſt probabile licere delectationẽ moroſam.*

Pater Arriaga de re Theologica optimè meritus ſingulariter diſcurrit in hac materia de moroſis delectationibus, *tom.* 1. *in* 1.2. *diſp.* 47. eiuſque mihi diſcurſus vehementer diſplicet, propter multa. Primum, quòd *num.* 4. aſſerat ſtando in ratione, probabilem eſſe ſententiam, quæ attribuitur Martino de Magiſtris, quod delectatio moroſa in re venerea ſit licita, dummodo quis non delectetur de actu venereo vt formaliter malo; quamvis deinde dicat, illam ſententiam abſolutè eſſe improbabilem. Quod idem eſt, ac dicere, nullam rationem eſſe firmam & certam, quæ oppugnet illam ſententiam; & eſſe fundamentum ſolidum & graue pro illa. Quod quàm falſum ſit, ex dicendis patebit.

77. Diſplicet ſecundum, quòd ea ſententia ideò non ſit probabilis, quia oppoſita ſententia eſt communis omnium Theologorum conſenſus; eo quod iſte [in materia maximè morali æquiualet rationi valde efficaci.]

An ſit ſolùm improbabile, quia eſt contra ſententiã omnium?

Confutatur primò. Nam licèt verum ſit, quod in materia tam graui commune Theologorum iudicium magnoperè attendendum ſit; & quod in aliquibus materiis (de quibus dixi *diſp.* 12.) faciat certitudinem moralem: at in præſenti materia, & ſimilibus non aliter facit certitudinem, niſi quatenus cenſentur niti ſolido & certo fundamento: ergo ſi conſtet, eos non niti ſolido & certo fundamento, non poteſt communis conſenſus Theologorum facere certitudinem. Vrgeo. Cõmuni conſenſui Theologorum conciliat certitudinem ea prudentum perſuaſio, qua cenſent, eos niti fundamento certo: ſed vbi conſtat, tale fundamentum deficere, ceſſat ea prudentum perſuaſio: ergo ceſſat id, quod illi conciliat certitudinem. Ceſſat ergo ea certitudo. 78.

Tum ſic: apud P. Arriaga, & iudicio eius conſtat, id fundamentum deficere: ergo ceſſat ea certitudo, quam dat communis conſenſus Theologorum. Hæc minor probatur. Nam *ibid.* *à num.* 11. excurſionem facit per omnes rationes, quas apud Theologos inuenit; & primam dicit eſſe nullam, quia falſum ſupponit. Secundam ait minùs placere, id eſt, minoris efficacitatis eſſe. Tertiam, non videri efficacem. Quartam nihil planè declarare, & duas illi quartæ ſubordinatas non ſatisfacere. Quintam, quæ vltima eſt, probabiliorem eſſe, ſed tamen non omninò ſatisfacere. Si ergo conſtet, communem conſenſum Theologorum niti fundamento non certo, quomodo is communis conſenſus certitudinem ſibi conciliabit? 79.

Dices primò, communem Theologorum conſenſum poſſe certitudinem facere in hac materia, quia cenſemus, eos niti fundamento aliquo certo, quod nos fortè latet. Ea tamen reſponſio nullius momenti eſt, cùm videamus, Theologos ſcripſiſſe fundamenta, quæ efficaciora putabant: nec credendum eſt, viros doctiſſimos, qui docuerunt nos, voluiſſe inefficacia pandere, & efficaciora tacere. 80.

Dices ſecundò, ſæpè contingere, vt aſſertio ſit certa; rationes autem à Theologis exhibitæ ſint dumtaxat topicæ. Sic certò conſtat, fornicationem eſſe peccatum; rationes autem, quas Theologi exhibent, non videntur eſſe omnimodæ certitudinis. 81.

Contrà eſt. Nam aliud eſt, quod aſſertionis certæ nullum detur fundamentum certum; & aliud eſt, quod fundamentum deſumptum à ratione non ſit certum. Fornicationem eſſe peccatum mortale, certum eſt: certitudinis autem fundamentum eſt teſtimonium irrefragabile ſacræ Paginæ. Quo poſito, ad certitudinem eius aſſertionis parui intereſt, quod fundamentum à ratione deſumptum ſit topicum. Quoties itaque aſſertio eſt certa, niti debet aliquo fundamento certo authoritatis, vel rationis: communis autem conſenſus Theologorum, vbi conſtat non fundamento certo, non poteſt dare certitudinem. Dabit autem communis conſenſus Theologorum certitudinem, dum cenſemus, eos quidem ratione certa niti, licet eam nos non rectè penetremus. 82.

Diſplicet tertium, quòd aſſerat, teſtimonia ſanctorum Patrum, quæ afferuntur pro damnatione 83.

Digitized by Google

An teſtimonia SS. Patrũ non aduerſentur delectationi moroſæ?

tione delectationis moroſæ in re venerea, non eſſe efficacia, & vix eſſe vnum, aut alterum, quod veræ ſententiæ faueat, cùm teſtimonia ſanctorum Patrum clariſſima ſint; expoſitiones autem, quas ibi adhibet, ſummè violentæ, vt percipienti conſtabit: nec vacat eas per otium examinare. Solumque nota, eum maximè niti eo fundamento, quod *concupiſcere*, ſignificet propoſitum faciendi. Quod quàm falſum ſit, quis non videat? cum *concupiſcere*, *& deſiderare*, ſynonyma ſint; deſiderium autem aliud eſſe efficax, & aliud inefficax, omnes ſciunt. Et ex prohibitione deſiderij inefficacis, quomodo certiſſimè arguatur ad delectationem moroſam, conſtat *ex num.* 57. *& ſequentibus.*

84\. *An incompoſſibilia dicat?*

Diſplicet quartum, quòd in titulo & corpore ſectionis tertiæ dicat, in ſola materia venerea delectationes moroſas eſſe mortales; & ſimul aſſerat, delectationes, quæ feruntur in obiectum, vt eſt contra Deum, vel proximum, indubiè eſſe lethales. Quomodo enim in ſola materia venerea admittuntur eſſe lethales, ſi etiam tales ſunt in aliis materiis contra Deum & proximum?

85\. *An à damnificatione proximi ſit impræſcindibilis malitia.*

Reſpondet, eum qui delectatur de damno proximi quà tali, ſibi complacere in malitia formali eius obiecti: quod idem eſt, ac dicere, à damnificatione proximi quà tali non poſſe præſcindi malitiam formalem. Dixerat autem initio diſputationis (quod certiſſimum eſt) eſſe peccatum lethale delectari, aut complacere de malitia formali.

86\. Reſponſio autem hæc aperta impugnatur ex dictis *art.* 1. in præmiſſo primo, & quarto, & *art.* 2. concluſione tertia, & quinta. Vnde vim argumenti breuiter inſtauro. Poſſum præſcindere ab occiſione Petri, quidquid non eſt de eſſentiali conſtitutione eius occiſionis: ſed malitia moralis non eſt de conſtitutione eſſentiali eius occiſionis; cùm malitia moralis partialiter conſtituatur ex libertate in operando, & ex aduertentia rationis; quæ circumſtantiæ non ſunt de conſtitutione eſſentiali occiſionis: ergo poſſum præſcindere ab occiſione Petri malitiam moralem: ergo poſſum gaudere de occiſione Petri, præciſâ hac malitiâ morali ex parte ipſius occiſionis. Itaque in eo euentu ex parte occiſionis Petri vt exercitæ à Ioanne nullam concipio malitiam moralem. Cum quo ſtat, quod mea delectatio ex parte ſui habeat malitiam moralem, quia ex modo ſuo tendendi fertur in occiſionem Petri exercitam à Ioanne, vt in rem noxiam Petro: & non eſt idem formaliter, rem eſſe noxiam Petro, & eſſe malam moraliter; quia non eſt idem formaliter, rem eſſe noxiam Petro, & eſſe exercitam cum libertate, & aduertentia rationis. Itaque ex parte obiecti præſcinditur malitia ab ea occiſione; ex parte autem delectationis datur malitia. Recole dicta in locis citatis.

87\. *An ratio cõmunis contra delectationẽ ſit merè topica?*

Diſplicet quintum, quòd probabilem dumtaxat dixerit eam rationem, quæ deſumitur ex eo, quod delectatio moroſa in re venerea excitat commotionem ſpirituum generationi ſubſeruientium; cùm ea ratio conſtet certitudine morali. Ait enim: [Probabilius alij quintò dicunt, delectationem moroſam in materia carnis naturâ ſuâ & per ſe excitare motus carnis & commotionem membrorum, imò & pollutionem: ergo naturâ ſuâ eſt mala. Adhuc tamen non omninò ſatisfacit hæc ratio.]

Sed quare non ſatisfacit? *Num.* 14. ſic explicat: [Ab eis (delectationibus) excitari motus turpes videtur per ſe notum. Vnde hæc ſola ratio ſufficeret, ſi defenderemus ſententiam illorum, qui dicunt, nos teneri ſub mortali ad tollendas cauſas omnes talium motuum: quia verò vniuerſaliter eam ſententiam reiicimus, poſſumus eam ſolam rationem dicere eſſe ſufficientem.] 88.

An teneamur vitare cauſas commotionis ſpirituum, & quas?

Sed quæ ſunt iſtæ cauſæ, quæ licet excitent per ſe motus carnis, non tenemur illas vitare ſub peccato lethali? Quæ ſunt iſtæ cauſæ, quæ falſificant eam vniuerſalem propoſitionem, quod non tenemur ad tollendum omnes cauſas talium motuum? Explicat *eo n.* 14. §. *dices*, propè finem. [Inconuenientia, quæ ſequuntur ex ſententia eorum, qui affirmant, debere nos omnes cauſas eorum motuum vitare: inferebatur enim, teneri aliquem ſæpe cibum, negotia magni momenti, itinera, ſtudia, etiam actiones ſacras omittere, vt confeſſiones audire, &c. quod eſſet duriſſimum.] Sed numquid hîc aſſignatæ actiones ſunt cauſæ per ſe commotionis ſpirituum genitalium? 89.

Cenſet ergo P. Arriaga, hanc rationem concludere, ſi verè eſſet ſententia eorum, qui dicunt, tollendas eſſe ſub mortali omnes cauſas talium motuum. Et idem cenſere debet, ſi reperiatur apertum diſcrimen inter has & illas cauſas proximè relatas; ſpecialiſque ratio interueniat vitandi delectationes vt cauſas eorum motuum, quæ non interuenit in aliis cauſis ab ipſo aſſignatis. 90.

Hanc autem ſpecialem rationem ſic oſtendo: & quidem hoc diſcrimen manifeſtum eſt, quòd alias cauſas deſtinauit natura ad generationem prolis promouendam, & conficiendam; alias non item. Nam cibos calidos, equitationem, ſtudia, aut auditionem confeſſionum, &c. non deſtinauit natura ad generationem probis promouendam & conficiendam. Deſtinauit autem commotionem ſpirituum carnalium ad ſeminis confectionem; delectationem autem ſenſibilem internam, & cognitionem corpoream ſibi præuiam deſtinauit vt commouerentur ſpiritus carnales; ideò enim ei imaginationi, & delectationi ſenſibili internæ dedit vim ſympathicam reſpectu commotionis ſpirituum, vt ita quaſi per gradus procederetur ad generationem: quos actus imaginationis & delectationis internæ (& fortè actus intellectus & voluntatis de eodem obiecto, de quibus poſteà) ſi natura non prouidiſſet, rarò, aut nunquam procederetur ad generationem, niſi mediis inſtrumentis extrinſecis, qui carnem alterarent. 91.

Hinc fit, quod imaginatio de obiecto delectabili, & delectatio ſenſibilis interna de eodem, initium dent generationi, commouendo ſpiritus carnales, qui ſemen euocant; ideoque ſint inchoatio generationis. Inde etiam fit, quod cæteræ cauſæ, comeſtio cibi calidi, equitatio, ſtudium, &c. non ſint inchoatio generationis, aut effuſionis ſeminis; quia qui illas ponit, non ponit cauſas deſtinatas à natura ad generationem. Vide *diſp.* 42. *cap.* 7. *art.* 4. 92.

Hinc inſtituitur manifeſta ratio pro damna- 93.

rione delectationis internæ. Nam ſicut vir ſolutus tenetur non dare operam fornicationi: ita tenetur non ponere cauſas à natura deſtinatas ad profuſionem ſeminis; cùm ponere eas cauſas ſit inchoare generationem, ſiue profuſionem ſeminis.

94. Neque eſt alicuius momenti primum, quod obiicit. Nempe: coniugato in abſtentia propriæ vxoris licèt delectari de copula cum illa: non autem liceret in abſentia, ſi delectatio illa eſſe cauſa per ſe profuſionis ſeminis, quia eſſet per ſe periculum pollutionis.

95. *Commotio eſt inchoatio profuſionis ſeminis; ſed non ideò affert periculum profuſionis.*

Reſpondetur enim aliud eſſe, quod delectatio ſenſibilis interna ſit cauſa per ſe commotionis ſpirituum, quæ eſt inchoatio profuſionis ſeminis; & aliud, quod ea delectatio ſenſibilis interna afferat periculum profuſionis ſeminis. Nam quamvis ſit eo modo cauſa per ſe inchoationis profuſionis ſeminis, non ſemper eſt periculum profundendi illud: nam quoad hoc multis modis ſubditur voluntati; & ideò ſtante delectatione interna deficit ſæpe profuſio ſeminis. Quando autem præuideret id periculum probabile coniugatus, non liceret accipere delectationem ex propria vxore cogitata, niſi ex cauſa vrgente; & ſi præuideret periculum formale conſenſus in pollutionem, nullatenus liceret] eam delectationem ſuſcipere. Sæpiùs ergo licet coniugato delectari de copula cum ſua coniuge, quia ſæpe abeſt periculum: nec infertur ſemper abeſſe periculum, ex eo quod delectatio ſit cauſa per ſe commotionis ſpirituum.

96. Nec magis vrget ſecundum, quod obiicit his verbis: [Ex ea ratione ſequitur, poſſe coniugatos delectari non ſolùm de copula cogitata cum altero coniuge, ſed etiam cum quacumque alia perſona. Id quod manifeſte falſum eſt, quia in ordine ad alienam coniugem, nihil habent ſpeciale coniuges præ aliis. Sequela verò probatur. Quia quidquid tales delectationes cauſant iuxta hanc ſolutionem, licitum eſt in coniugibus: ergo delectationes illæ licitæ erunt.] Et poſſet confirmare argumentum, quia in delectatione ſenſibili venerea non eſt alia malitia, niſi quæ deſumitur ex commotione ſpirituum: ſed commotio ſpirituum in coniugatis (extra periculum pollutionis, vel alij actus grauiter illiciti) non eſt mortalis: ergo non eſt ratio, ob quam in coniugatis ſit mortalis delectatio de actu conſummato extra-coniugali cogitato.

97. *Ratio deſumpta à commotione non eſt vniuerſalis contra omnes delectationes venereas.*

Reſpondetur, hoc argumeum probare ad ſummum, hanc rationem non eſſe vniuerſalem ad omnes delectationes venereas. Cum quo ſtat, illam eſſe ſufficientem & efficacem ad omnes delectationes, in quibus ea ratio reperitur. Itaque in omnibus illis, in quibus ea commotio ſpirituum carnalium non eſt illicita, vt in coniugatis, ad ſummum poterit admitti, eam rationem non vrgere: & pro coniugatis aliam rationem militare ex illis, quas ſuprà propoſui *cap. 3. art. 3.* Qui autem aliam rationem non admittunt, niſi hanc deſumptam ex commotione ſpirituum, eo argumento vrgentur. Vide infrà *cap. 4. probatione 4.*

98. *An reuicienda reliqua rationes communes contra delectationes moroſas?*

Diſplicet ſextum, quòd tam prolixè quærat rationem damnandi delectationes internas venereas, nec inueniat (præter quandam inefficacem, de qua poſteà) ſed omnes alias improbet. Et primò quidem nonne ipſum rationis lumen euidenter damnat delectationem, qua quis venereè delectaretur de copula habita cum Sancta Virgine cœleſtis beatitudinis compote, vel cum celſiori alia perſona; quamvis ex parte talis copulæ præſcindatur malitia moralis?

99. *In materia caſtitatis ductus rationis probat malitiam.*

Deinde ad huius rei comprobationem non ſolùm ſyllogiſmi probant, ſed & ipſum rationis lumen. Multa enim ſunt in materia caſtitatis, quæ magis rationis naturalis ductu, quàm ſyllogiſmorum fragore comprobantur eſſe mala. Vel ipſi pueri etiam, qui non verentur nuditatem, cùm affulgere incipit rationis lumen, tactum impudicum malum & reprehenſibilem eſſe agnoſcunt, nemine admonente; ideoque ad illud exercendum latebras quærunt, eos ad id vrgente conſcientiâ malâ. Mihi ergo ſufficit, & cuique prudenti ſufficere debet pro euidentia morali, ea perſuaſio, quæ omnibus hominibus prudentibus inſidet, quod delectatio ſenſibilis de fornicatione grauiter aduerſatur caſtitati. Ex hoc etiam capite, potius quàm ex aliquo alio deprehenditur euidentia moralis, quod tactus impudici grauiter mali ſunt; nempe quia ipſum rationis lumen eam dictat malitiam, & reatus grauitatem.

100. *Omittit Arriaga rationes alias efficaces.*

Diſplicet ſeptimum, quòd aliatum non meminerit, quæ rem hanc conuincunt. Non enim meminit eius, quæ deſumitur à deſiderio inefficaci; de qua *num.* 57. quam quidem omninò vrgere exiſtimo ad hanc firmandam concluſionem, & formidinem partis oppoſitæ excludendam.

101. Nec meminit eius, quam ex P. Leſſio attulimus *numero* 62. de maxima ſimilitudine, quam habet delectatio de forninicatione cum ipſa fornicatione, & cum delectatione, quæ in ipſo actu fornicationis ſentitur. Quæ ratio etſi non ſit euidens deducta ad artem ſyllogiſticam; compoſita tamen cum iis, quæ prudentia & ratio intellectus monet; formidinem expellit partis oppoſitæ.

102. Neque ad rem hanc affert textus *ex lib. Iob, cap. 31. & Math. 5.* quos produximus ſuprà *num. 55. & 57.* qui attento omnium Fidelium ſenſu de prauitate harum delectationum, videntur aſſertionem hanc certò conuincere.

103. *An liceat coniugi delectari moroſè de copula coniugali aliena.*

Diſplicet octauum, quòd cum *num.* 13. dixerit *manifeſtè falſum* eſſe, licere coniugi delectari de copula cum alieno coniuge, verbis ſuprà *num.* 96. relatis; poſt duas columnas, ſcilicet *num.* 16. affirmat, valde probabile eſſe, quod liceat coniugi delectari moroſè de copula cum alieno coniuge. Sic enim obiicit *n.* 15. [Ergo qui iam eſt in ſtatu matrimonij... poterit ſine peccato delectari de copula cogitata, etiam cum aliena vxore.] Sic reſpondet *n.* 16. [Reſpondeo primò, valde probabiliter dici, poſſe, ſecluſo alio extrinſeco periculo, licitas eſſe in vxorato eas delectationes.] Ego enim non capio, quomodo vna & eadem propoſitio poſſit eſſe manifeſtè falſa, & valde probabilis. Quod autem ea propoſitio ſit manifeſtè falſa & omni modo improbabilis, ex ratione ipſius Authoris patet, quæ euidens eſt. *Quia in ordine ad alienam coniugem nihil habent ſpeciale coniuges præ aliis.* Quod etiam eſt manifeſtum

ex

ex cæteris rationibus, quas attulimus contra delectationes moroſas venereas. Et ſolùm poteſt id aſſertum Patris Arriaga à cenſura liberari, ſi dicamus, id non aſſertum fuiſſe abſolutè, ſed conditionaliter, nempe ſi ea ratio, quam ibi impugnat, vera eſt.

104. *Fundamentũ eius eſt omninò ineſſicax.* Diſplicet nonum, quòd pro communi ſententia de malitia delectationis venereæ aliud fundamentum excogitauerit omninò ineſſicax: quod ſic proponit *num.* 13. [Tria ergo in delectationibus venereis inuenio, quæ ſimul ſumpta ſufficienter videntur probare, eas eſſe illicitas. Primum eſt, quod per ſe & ex natura ſua habeant annexos motus carnis graues: alterum, quod periculum conſenſùs videantur afferre. Tertium, quod per illas derogetur ſtatui matrimonij.] Quomodo autem derogent ſtatui matrimonij, explicat *num.* 14. [Cùm ſæpe eiuſmodi delectatio vehemens ſit, poteſt per ſe inducere illam volitionem; Habeo magnam voluptatem ſine moleſtia matrimonij: quid ergo illud curo?]

105. Hoc autem fundamentum plurimis impugnationibus patet, quas oſtendere non vacat. Breuiter refello primò, quia ſi id præiudicium matrimonij dumtaxat habet locum, cùm *eiuſmodi delectatio vehemens eſt*; inde infertur non eſſe peccatum lethale delectationem de fornicatione conceptam, quæ non fuerit vehemens: ergo ea ratio non probat de omnibus delectationibus conceptis de fornicatione cogitata.

106. Refello ſecundò. Nam eæ delectationes potiùs promouent affectum ad matrimonium, quàm illi præiudicant. Id enim ſpeciale eſt in his delectationibus, vt qui illis ardet, non quieſcat, donec metam pertingat, & delectationem completam perficiat. Vnde qui illis delectationibus agitur, opus completum deſiderat: ergo etſi licitæ eſſent illæ delectationes, non daretur talis actus: [Hanc voluptatem habeo licitè extra matrimonium, nolo onera illius ſubire:] quandoquidem ea voluptate licitè fruens, moueretur deſiderio fruendi voluptate completa.

CAPVT IV.

Delectationem internam de obiecto venereo illicitam eſſe, etiam independenter à commotione ſpirituum.

107. *Senſus 1. de delectatione ſpirituali, ſine commotione. Senſus 2. de delectatione ſenſibili interna, præſcindendo à commotione.* HOc caput directè reſpondet ſcopo huius diſputationis, & eius titulo. Poteſt autem quæſtio verſari in duplici ſenſu. Primus eſt, loquendo de delectatione purè ſpirituali, quam non concomitatur ſpirituum genitalium commotio, de quibus loquitur Caramuel relatus ſuprà *cap.* 1. *num.* 5. Secundus loquendo de delectatione interna ſenſibili, aſſociata iis motibus ſpirituum; præſciſa tamen habitudine ad prædictos motus; ita vt licèt propter habitudinem ad commotionem ſpirituum carnalium ea delectatio interna ſit mala moraliter; tamen ſit in delectatione interna alia ratio malitiæ diuerſa ab ea habitudine ad commotionem ſpirituum: ita vt ſi per poſſibile, vel impoſſibile deſtitueretur ea commotione ſpirituum carnalium, adhuc delectatio interna retineret malitiam moralem.

108. *Delectatio ſpiritualis de venere vt formaliter mala, eſt illicita, etiam ſine commotione.* Et quod attinet ad primum ſenſum, dicendum eſt primò, delectationem ſpiritualem, qua quis delectatur, vel gaudet ſolâ voluntate ſpirituali de obiecto venereo, quà eſt malum moraliter, etſi non aſſocietur commotione ſpirituum carnalium, nec delectatione externa, & ſecluſo etiam periculo vlterioris lapſus, illicitam eſſe. Hæc concluſio eſt omnium, & neceſſariò concedenda à Caramuele; licèt oppoſita videatur contineri ſub eius propoſitione vniuerſali: & patet concluſio ex dictis ſuprà *cap.* 3. *art.* 1. *num.* 33.

109. *Delectatio ſpiritualis de obiecto venereo illicito, illicita eſt. Etiam abſque commotione. Et quamvis ex parte obiecti præſcindatur malitia.* Dicendum eſt ſecundò, delectationem ſpiritualem ſolius voluntatis de obiecto venereo illicito, quam non comitatur vlla delectatio ſenſibilis interna, vel externa, illicitam eſſe, etiam ſecluſo quolibet periculo. Et concluſio intelligitur, etiamſi ex parte obiecti præſcindatur malitia moralis. Nam etſi ex parte obiecti non detur formaliter malitia moralis, datur tamen ex parte delectationis, vt explicatum eſt ſuprà *art.* 1. *præmiſſo quarto*, *num.* 28. & *art.* 2. *concluſione* 2. & 3. Et ita docet P. Vaſquez 1.2. *diſp.* 115. *cap.* 2. *num.* 4. in ſecunda parte concluſionis, ſi attentè legatur, & P. Thom. Sanch. *lib.* 1. *ſum. cap.* 2. *num.* 16. & plures alij. Nec vidi aliquem Authorem, qui teneat concluſionem huic oppoſitam. Vaſquez. Th. Sanch.

110. Probatur primò. Gaudere, ſeu complacere de pollutione, ſodomia, beſtialitate à ſe antea commiſſis, quamvis ſine delectatione ſenſibili, & quantumvis ab illis turpibus obiectis præſcindas malitiam moralem, notabilem difformitatem habet contra virtutem caſtitatis: ipſo enim rationis ductu docemur, caſtitati valde opponi, non ſolum gaudere de actu ſodomitico vt malo, ſed & de illo actu materiali.

111. Probatur ſecundò. Non minùs peccat contra caſtitatem, qui gaudet de actu materiali ſodomitico, etiam abſque delectatione ſenſibili, quàm contra charitatem, qui gaudet de vulneratione Petri facta ab amente, vt eſt noxia Petro: hic peccat ſaltem contra charitatem: ergo ille contra caſtitatem. Maior patet. Nam quamvis gaudium de illa vulneratione Petri ex parte obiecti non ſit malum moraliter, nam obiectum eſt actio amentis facta ſine libertate, adhuc charitas præſcribit, vt de illa non gaudeas, quia ſic gaudes de malo Petri. Et cùm dicitur, *vt eſt noxia Petro*, ſignificatur modus ſe tenens ex parte gaudij, vt explicatum eſt ſuprà *num.* 28. Nam ex parte ipſius obiecti adæquatè diſtincti à delectatione, ſolùm ſe tenet actio amentis, quæ non includit malitiam moralem. Ergo quamvis actus ſodomiticus materialiter ſumptus, & præſciſus à malitia morali, hanc non contineat formaliter, adhuc caſtitas præſcribit, vt de illo non gaudeas, ſine non complaceas vllo modo.

112. Quod ſi maiorem negare velis, da diſparitatem. Quam non inuenies. Nam ſi propter aliquid ea delectatio interna de actu ſodomitico materiali licita eſſet, non aliud eſſet, niſi quia actus materialis ſodomiticus, qui eſt obiectum delectationis, non includit formaliter malitiam moralem ex parte obiecti: ſed neque gaudium de vulneratione Petri facta ab amente habet formaliter (imò nec realiter) malitiam moralem

Digitized by Google

lem: ergo vel in neutra, vel in vtraque delectatione malitia moralis admittenda eſt.

113. Idem argumentum efformare potes de conculcatione Euchariſtiæ facta ab amente; de qua ſi gaudeas, non gaudes de obiecto in ſe malo moraliter, cùm nulla actio amentis ſit moraliter mala. Religio tamen, quà reſpicit actus internos, præſcribit, ne complaceas in conculcatione Euchariſtiæ. Deinde ſi mente concipias copulam fornicariam cum ſancta virgine cœlis fruente, etiam præſciſa malitia morali, & abſque delectatione ſenſibili complaceas in illa, ipſo rationis ductu agnoſcis, te irreligioſum eſſe; cùm vel intellectus horreat cogitare: ergo quamvis obiectum non ſit formaliter malum, delectatio eſt mala moraliter, & Religio præſcribit, ne ad talem delectationem, vel complacentiam audeas.

114. Probatur tertiò. Nam nono præcepto Decalogi interdicitur quodlibet deſiderium, etiam inefficax, vxoris alienæ, ſiue (vt omnes Fideles intelligunt) cuiuſlibet alterius complicis ad actum venereum aſſumpti extra matrimonium, vt dixi ſuprà *num.* 57. ergo interdicitur deſiderium inefficax copulæ fornicariæ, ſodomiticæ, &c. quantumvis ex parte obiecti præſcindas malitiam moralem, & ſecluſa delectatione ſenſibili: ergo etiam complacentia ſpiritualis voluntatis (etiam ſecluſa delectatione ſenſibili) de actu ſodomitico materialiter ſumpto, & præſciſa ab eo malitiâ morali, iure naturæ interdicitur. Probatur conſequentia. Nam maioris malitiæ eſt complacentia, quàm deſiderium, cæteris paribus, vt explicui ſuprà, præcipuè *num.* 58. Deſiderium enim fertur ad obiectum vt futurum; complacentia autem ad idem obiectum cogitatum vt præſens: & cæteris paribus, peius eſt affici ad obiectum venereum vt præſens, quàm ad obiectum vt futurum.

115. *Delectatio interna ſenſibilis ve venere illicita, independenter à commotione eſt mala.* Circa ſecundum ſenſum, dicendum eſt tertiò. Delectatio interna ſenſibilis (quo nomine intelligitur actus appetitus corporei, vel actus voluntatis aſſociatus actu appetitus corporei) de obiecto venereo, quod hic & nunc tibi eſt illicitum, etiam præſciſa habitudine ad commotionem ſpirituum, illicita eſt. Hanc concluſionem omnes admittunt; quia licèt plures ſolùm recurrant ad habitudinem, qua delectatio interna refertur ad commotionem ſpirituum; nullus tamen eorum admittit, licitum eſſe gaudium ſpirituale (cui ea commotio deeſt) de actu ſodomitico, de copula cum non ſua, &c. ergo etiam præſciſa habitudine ad commotionem, aliam inueniunt rationem malitiæ.

116. Hæc concluſio probatur illis duobus argumentis primo & ſecundo, quibus *cap.* 3. *art.* 3. batum eſt, delectationem ſenſibilem internam de obiecto venereo eſſe grauiter illicitam. Quæ argumenta cum non deſumãtur à commotione ſpirituum, ſed aliunde, conſtat eas delectationes ſenſibiles internas, etiam præſciſa habitudine ad commotionem ſpirituum, eſſe grauiter illicitas.

117. Primo quidem, quod deſumitur à paritate, vel potiùs à maioritate rationis, quæ fortiùs militat in delectatione, quàm in deſiderio inefficaci copulæ illicitæ, quod Chriſtus interdicit in Euangelio.

Secundo, quod deſumitur à difformitate, quam habet ex ſe delectatio interna ſenſibilis de copula ſodomitica, v. g. cum virtute caſtitatis. Quæ ratio præſcindit ab habitudine ad prædictam commotionem. 118. *Delectatio de ſodomia opponitur caſtitati, independ. &c.*

119. *Si eſſet mala ob ſolam cõmotionem, liceret coniugi delectari de ſodomia.* Probatur tertiò. Si delectatio venerea interna non aliunde eſſet illicita, niſi quia excitat commotionem ſpirituum, fieret, quod coniugatus abſque culpa lethali delectaretur internè delectatione venerea de copula ſodomitica, vel de copula cum non ſua: hoc eſt maniſeſtè falſum; cùm coniugato erga alienam fœminam nihil ſpeciale liceat, quàm cæteris hominibus: ergo delectatio interna venerea aliunde eſt illicita, quàm à commotione ſpirituum, quam cauſat, ſiue independenter ab illa. Probatur maior. Commotio ſpirituum in coniugato non eſt grauiter illicita, etiam in abſentia propriæ coniugis: ergo non eſt grauiter illicita delectatio interna ex eo, quod cauſet talem commotionem; non enim poteſt eſſe illicita, quia cauſet commotionem licitam: ſi enim in cæteris hominibus licita eſſet commotio ſpirituum genitalium, non eſſet ratio, ob quam delectatio interna eſſet illicita propter excitationem talis commotionis.

120. Dices. Cùm coniugatus delectatur moroſè de actu ſodomitico, ea commotio ſpirituum genitalium illi correſpondens etiam eſt grauiter illicita; commotio enim ſpirituum deſumit malitiam & ſpeciem ab obiecto cogitato intra genus luxuriæ: atque adeò ea delectatio moroſa interna de actu ſodomitico excitat commotionem grauiter illicitam, atque adeò ex hoc capite ea delectatio interna grauiter illicita eſt.

121. Hæc tamen reſponſio nullius momenti eſt. Primò. Nam in ſententia Caramuelis ea non habet locum. Aſſerit enim Caramuel (vt videbis *diſp.* 44. *cap.* 1.) commotionem ſpirituum, & delectationem externam non ſpecificari ab obiecto cogitato, atque adeò cogitationem veneream, & delectationem internam ſolùm per accidens aſſociari cum delectatione externa: ergo cùm prædicta commotio in coniugato non participet malitiam ab obiecto cogitato etiam intra genus luxuriæ, non eſt vnde illicita ſit in tali coniugato.

122. Secundò. Nam etiam in vera ſententia admittente commotionem ſpirituum, & delectationem externam participare malitiam per ordinem ad obiectum cogitatum, ſaltem intra genus luxuriæ, quam tuemur *diſp.* 44. adhuc retinet argumentum eandem vim. Dum enim dicis, delectationem internam non habere malitiam aliam, niſi propter commotionem ſpirituum genitalium, quam cauſat; interrogo, quare coniugato non licet delectari interna delectatione venerea de copula ſodomitica cogitata? Et iuxta tuam ſententiam dices, id ita eſſe, quia ea delectatio interna excitat commotionem ſpirituum illicitam. Inquiro rurſus, cùm fatearis, coniugato (ſecluſa delectatione interna de obiecto vetito) licitam eſſe commotionem ſpirituum; vnde probas, in hoc euentu, illam commotionem eſſe illicitam coniugato? Si dicas, ex delectatione interna, circulum committis. Si dicas, ex obiecto motiuo delectabilitatis copulæ ſodomiticæ: ergo ſi hoc obiectum motiuum delectabilitatis ſodomiticæ

Digitized by Google

miticæ ſufficit ad dandam malitiam delectationi externæ, à fortiori ſufficit ad dandam malitiam ipſi actui delectationis internæ attingentis intrinſecè illam. Nam obiectum formale motiuum, quod inficit malitiâ actum externum, ad quem refertur extrinſecè, priùs inficit malitiâ actum internum, qui attingit illud intrinſecè. Dicendum ergo eſt, delectationem internam veneream de actu ſodomitico eſſe illicitam in coniugato, etiam alio titulo, quàm commotionis ſpirituum: ergo & in non coniugato.

123. *Qui delectatur internè de ſodomia, cum commotione veniali, peccat mortaliter. Et quid inde pro concluſione?*

Probatur quartò contra Caramuelem, & omnes eos, qui admiſerint paruitatem materiæ in delectatione venerea. Certiſſimum eſt, peccare lethaliter eum, qui delectatur delectatione interna venerea de copula ſodomitica: atqui admiſſa paruitate materiæ, poteſt contingere, quod oblectans ſe internè de copula ſodomitica, habeat commotionem paruam: ergo non ideò peccat lethaliter ille, quia delectatio interna cauſat commotionem ſpirituum. Conſequentia patet. Quia ſi peccaret ea delectatione interna propter commotionem, impoſſibile eſſet, quod propter commotionem venialem peccaret lethaliter. Minor etiam patet. Nam admiſſa paruitate delectationis venereæ, non eſt cur illa negetur in frigidis & ſenibus, quantumvis oblectantibus ſe in copula contra-naturali, vel naturali. De maiori autem quis dubitabit contra ſenſum communem omnium fidelium?

124. *Si tota malitia prouenires à commotione, non eſſet grauior delectatio de ſodomia quàm de copula naturali*

Probatur quintò. Si delectatio venerea interna non haberet aliam malitiam, niſi quæ prouenit ex eo, quod commouet ſpiritus genitales, ſequeretur, quod omnes delectationes internæ venereæ eſſent æqualis malitiæ, vbi commotiones ſpirituum ſunt æquales. Vnde vlteriùs fieret, quod delectatio interna de actu ſodomitico, aut beſtiali cogitato, non excederet in malitia delectationem internam de copula fornicaria cogitata: quod ex terminis patet eſſe abſurdum. Sequi verò probatur. Nam implicat, quod ab æqualibus procedat inæqualitas: ſed delectationes internæ ſunt inæquales in malitia, & commotiones ſunt æquales: ergo implicat, quod inæqualitas malitiæ, quæ eſt in duplici delectatione interna, procedat dumtaxat à commotionibus: ergo aliquid malitiæ eſt in delectationibus internis, quod non procedat à commotionibus: ergo falſum eſt, quod tota malitia delectationis internæ deſumatur per ordinem ad commotionem ſpirituum.

CAPVT V.

Satisfit obiectionibus.

125. Oppones primò id commune argumentum, quod Caramuel dicit fortiſſimum. In die Veneris licet delectari de eſu carnium, quamvis eſus carnium ſit prohibitus in die Veneris: ergo licèt delectari de fornicatione, vel ſodomia, licèt prohibita ſit fornicatio, vel ſodomia. Cui argumento non aliam ſolutionem exhibet, niſi quod delectatio de fornicatione ob commotionem ſpirituum eſt inchoata pollutio: delectatio autem de eſu carnium non eſt inchoata comeſtio, vt retuli *cap.* 1. *num.* 3. ergo ſi huius argumenti non eſt alia ſolutio, dependet neceſſariò ſolutio à commotione ſpirituum, & ita delectatio non erit illicita independenter à commotione ſpirituum.

Reſpondetur, exhiberi poſſe ſolutionem independenter à commotione. Ideò in die veneris comeſtionem carnium eſſe illicitam, & delectationem de eſu carnium cogitato eſſe licitam; quia præceptum Eccleſiæ prohibet comeſtionem realem, & non prohibet delectationem de eſu carnium cogitato. Ideò autem fornicationem ſimul & delectationem de illa cogitata eſſe illicitas; quia virtus caſtitatis non ſolùm inhibet fornicationem realem, ſed etiam delectationem quamlibet de illa cogitata, vt patet *ex cap.* 3. *art.* 3. Item ideò illicitam eſſe delectationem de venere cogitata, & non eſſe illicitam delectationem de eſu carnium cogitato; quia Chriſtus in Euangelio interdicit mœchationem cordis, quæ conſiſtit in deſiderio, & delectatione, vt conſtat *ex cap.* 3. *art.* 3. Eccleſia autem non interdicit comeſtionem cordis. 126. *Diſparitas independens à commotione.*

Oppones ſecundò. Gaudere de pollutione in ſomnis contingente, ſecluſa delectatione ſenſibili, & periculo vlterioris lapſus, non eſt illicitum, vt expreſſit P. Thom. Sanch. *lib.* 1. *ſum. cap.* 2. *num.* 18. cum aliis: ergo ſimiliter licebit gaudere de actu ſodomitico in ſomnis exercito, ſecluſa delectatione ſenſibili, & periculo. 127.

Reſpondetur, quoſdam Authores probabiliter reperire diſcrimen inter pollutionem in ſomnis habitam ex naturali fluxione, & concubitum fornicarium, aut ſodomiticum etiam in ſomnis exercitum. Pollutionem enim ex naturali fluxione in ſomnis contingentem dicunt eſſe naturalem quandam euacuationem adinſtar ſudoris: & ita de illa poſſe gaudere, ſecluſis delectatione ſenſibili, & periculo vlterioris lapſus. Quod non contingit in actu ſodomitico in ſomnis, aut in ebrietate exercito, cùm non ſit naturæ euacuatio. Licèt ergo id admittatur in pollutione, in cæteris non eſt admittendum. Aliud eſt, ſi quis agnoſceret in illo actu ſodomitico in ſomnis exercito aliquam rationem boni, v. g. vtilitatis ad valetudinem. Delectari enim in ea ratione boni, non eſt illicitum. Delectari autem etiam gaudio ſpirituali de pollutione, non vt euacuatione naturæ, neque vt commoda valetudini, ſed de illa vt venereè delectabili, nemo admittit licitum, nec admittere poteſt, propter dicta, ſicut neque de ſodomia vt delectabili. 128. *An licita ſit delectatio ſpiritualis de pollutione in ſomnis?*

Oppones tertiò. Gaudere de copula coniugali, qualiter gaudet viduus, ſemotis delectatione ſenſibili, & periculo lapſus, non eſt illicitum, vt admittit P. Thom. Sanch. *lib.* 9. *de Matrim. diſp.* 47. *num.* 1. cum communi ſententia. Idque non ob aliam rationem verum eſt, niſi quia obiectum eius gaudij eſt licitum: ſed cùm quis gaudet de actu ſodomitico materialiter ſumpto, & præſciſa per intellectum malitia morali ex parte obiecti, eſt licitum, quatenus non eſt formaliter affectum malitia morali: ergo ſimiliter licebit gaudere de actu ſodomitico, præciſâ ab eo malitiâ morali, ſemotis delectatione ſenſibili, & periculo. 129.

Reſpondetur diſtinguendo maiorem: quia obiectum eius gaudij eſt licitum [poſitiuè, 130.

&

Digitized by Google

Quare ſit illicita delectatio ſpiritualis de ſodomia, præciſa à malitia?

& ſecundum ſe,] concedo; quia eſt licitum [negatiuè, vel ex ſomno, inaduertentia, &c.] nego. Diſtinguo etiam minorem: eſt illicitum [poſitiuè,] nego; eſt illicitum [negatiuè,] concedo. Obiectum, quod in ſe eſt malum moraliter, & præſcinditur à malitia morali, dicitur negatiuè licitum, id eſt, non formaliter illicitum. Non tamen eſt poſitiuè licitum; quia vt tale ſit, non ex præſciſione, ſed ex ſe debet eſſe licitum. Ideò ergo ille actus vidui eſt licitus, quia actus coniugalis ſecundùm ſe eſt licitus poſitiuè; non quia caret malitia ob inaduertentiam, vel ſomnum, &c. neque quia caret formaliter malitia, id eſt præciſione; hæc enim ſolùm dat eſſe negatiuè licitum.

131. Diſparitas autem inter vtrumque eſt, quod non aduerſatur caſtitati gaudere de actu venereo, qui ſecundùm ſe licitus ſit, ſecluſis delectatione ſenſibili, & periculo. Aduerſatur autem caſtitati, gaudere etiam gaudio ſpirituali voluntatis (& ſecluſis delectatione ſenſibili, & periculo) de actu ſodomitico, beſtiali, fornicario, & quovis alio ſecundùm ſe illicito, quantumvis ab eo præſcindatur intentionaliter malitia moralis, vt conſtat ex capite præcedenti.

132. Oppones quartò. Vt gaudium de obiecto venereo ſit malum moraliter (ſecluſa delectatione ſenſibili, & periculo lapſus) requiritur, quod obiectum ſit ſecundùm ſe illicitum: ergo vt illud gaudium hic & nunc ſit peccatum, requiritur, quod intellectus aduertat, illud eſſe illicitum. Sed dum præſcinditur ab eo malitia moralis, non aduertitur, illud eſſe illicitum ſecundùm ſe: ergo dum præſcinditur ab eo malitia moralis, illud gaudium non eſt peccatum.

133. *Quomodo eſt mala delectatio de venere præciſa à malitia; ſi requiritur aduertentia malitiæ?*

Pro ſolutione notandum eſt, in caſu eius gaudij ſolere concurrere tres actus intellectus. Primum, qui præſcindit obiectum venereum à malitia morali. Secundum, qui cognoſcit obiectum venereum adæquatè, & ſine præſciſione, qui actus aduertit ad malitiam moralem obiecti. Tertius, qui conſequitur ad ſecundum, eſt qui aduertit malitiam delectationis, vel gaudij de obiecto venereo ſecundùm ſe malo. Concurrentibus his tribus actibus gaudium de eo obiecto venereo eſt malum moraliter; non quidem ex parte obiecti præciſè, quia ab eo præſcinditur malitia per primum actum intellectus: ſed quia gaudium aduertitur eſſe malum moraliter, eo quod per ſecundum actum cognoſcitur, obiectum eſſe ſecundum ſe malum moraliter; & inde arguitur, & aduertitur per tertium actum, gaudium de obiecto venereo ſecundùm ſe malo, eſſe malum moraliter.

134. Reſpondetur ergo conceſſo antecedenti, & prima conſequentia, quæ gerit vicem maioris reſpectu ſyllogiſmi ſubingredientis. Et minorem diſtinguo: Dum præſcinditur ab eo malitia moralis, non aduertitur [per actum præſcindentem,] illud eſſe licitum ſecundùm ſe, concedo; non aduertitur [per alium actum, nempe ſecundum,] eſſe illicitum ſecundùm ſe, nego. Quod patet ex dictis.

135. Oppones quintò. Qui gaudet de fornicatione ſecundùm rationem copulæ abſtrahentem à fornicaria, & coniugali (ſecluſis delectatione ſenſibili, & periculo) non peccat; cùm ratio communis copulæ abſtrahentis à coniugali & fornicaria non ſit obiectum ſecundùm ſe malum; non enim poteſt habere id prædicatum, à quo abſtrahit: ergo qui eodem modo gaudet de fornicatione, præciſâ malitiâ morali, non peccat. Probatur conſequentia. Perinde enim eſt gaudere de obiecto, à quo præſcinditur malitia per præciſionem, atque de obiecto, à quo præſcinditur malitia per abſtractionem.

Reſpondetur, improprium eſſe modum loquendi eius, qui vocat gaudium de fornicatione illud, quod habetur de copula in communi, vt abſtrahit à fornicaria & coniugali. Quomodo enim gaudet de fornicatione, qui gaudet de obiecto abſtrahente à fornicatione? Itaque copula in communi, vt abſtrahit à fornicaria, & coniugali, non eſt illicita ſecundùm ſe; atque adeò non poteſt dari aduertentia rationis, quæ aduertat, illam eſſe abſolutè illicitam. Quo pacto concedo antecedens, & nego conſequentiam. Ad cuius probationem nego antecedens aſſumptum. Eſt enim manifeſtum diſcrimen. Nam per præſciſionem agnoſci poteſt fornicatio & ſodomia adæquatè conſtituta in eſſe talis, quamvis non cognoſcatur malitia moralis, quæ eſt extra eius eſſentiam; cùm ad conſtitutiuum malitiæ moralis requiratur libertas, & aduertentia rationis, quæ ſunt extra conſtitutiuum fornicationis & ſodomiæ, vel adulterij materialis. At verò per abſtractionem, qua abſtrahitur copula vt ſic à fornicaria & coniugali, non cognoſcitur adæquatum conſtitutiuum fornicationis vt talis. Atque adeò qui gaudet de copula in communi, non gaudet de fornicatione. Sicut ergo licitum eſt gaudere gaudio ſpirituali voluntatis (ſecluſis delectatione ſenſibili, & periculo) de copula coniugali præterita, vel futura, vt cum P. Thom. Sanch. *lib.* 9. *de Matrim. diſput.* 47. tenet communis ſententia; ita etiam licet eodem modo de copula in communi, quæ non includit potiùs fornicariam, quàm coniugalem; imò vtramque formaliter excludit. 136. *Delectatio ſpiritualis de copula in communi non eſt illicita.*

Ad extremum rogabis, an ſint certæ tres ſtatutæ concluſiones? Si enim dixerimus, dumtaxat eſſe probabiles; arguet Caramuel, & opponet, probabilem non impugnari probabilibus, neque probabilitatem vnius tolli per probabilitatem oppoſitæ. 137. *An tres concluſiones traditæ certæ ſint?*

Reſpondeo, primam concluſionem eſſe metaphyſicè euidentem, vt conſtat *ex cap.* 3. *art.* 2. *concluſione* 1. *num.* 33. & conſtabit ampliùs *ex diſputatione ſequenti.* Circa duas alias concluſiones, cùm nullus Author aſſeruerit oppoſitam, non grauabor concedere, eas duas aſſertiones certas eſſe. Maximè quia exiſtimo, fundamenta harum aſſertionum, ſaltem aliqua, eſſe moraliter certa. Deinde quidquid ſit de certitudine mearum aſſertionum, affirmo, oppoſitam non eſſe probabilem. Illa enim non eſt probabilis, cuius fundamentum eſt leue, vel nullum: atqui ſic ſe habent oppoſitæ aſſertiones: dicendum ergo eſt, eas non eſſe probabiles. Et primò quidem fundamento authoritatis carent, cùm nullus Author eas aſſeruerit fundamento etiam rationis; nullum enim producit Caramuel; nullum ex eius ſcriptis 138.

Digitized by Google

ſcriptis colligitur. Et hinc patet, practicè eſſe certò falſas, vt conſtat *diſp.* 10. *num.*25.

CAPVT VI.

An, & quo ſenſu dici poſſit, delectationes moroſas inefficaces eſſe bonas, vel malas pro bonitate, vel malitia motiui?

139. CAramuel relatus *cap.* 1. *num.* 8. citat Carolum Malletum, qui aſſeruit, propoſitionem in proximo titulo propoſitam: aitque, nomine delectationis moroſæ inefficacis intelligi à Malleto, non delectationem corpoream, ſed purè ſpiritualem, nempe ſolius voluntatis: hancque, etſi de obiecto venereo, eſſe poſſe bonam, vel malam pro qualitate motiui. Hunc autem non eſſe ſenſum, in quo is Author loquitur, conſtabit ex dicendis.

140. Primùm itaque aduerte, hoc aſſertum accepiſſe Malletum ex Sayro *in Claui lib.* 8. *cap.*7. *num.* 11. vt ipſe Malletus *ibid.* citat. Vnde credendum eſt, locutum fuiſſe in eodem ſenſu, quo Sayrus. Hic autem loco citato ſic aſſerit. [Delectatio moroſa de ipſa cogitatione, aliquando bona eſt, aliquando mala, aliquando vana & inutilis. Sic Caiet... Delectatio tunc bona eſt, quando quis lecturus, aut concionaturus delectatur de argumentis, & rationibus ſubtiliter excogitatis contra res turpes & inhoneſtas. Mala verò eſt, & mortalis, quando quis ita verſatur in iſtis cogitationibus, vt incurrat exinde in probabile periculum peccati.] Sayrus autem non affert eam rationem, quam Malletus, nempe id ita eſſe, quia malitia delectationis non ſumitur ab obiecto, ſed à motiuo.

141. In eodem ſenſu, & eodem modo locutus eſt Bonacina *de Matrim. quæſt.* 4. *punct.* 8. *num.* 4. his verbis: [Delectatio moroſa de ſola cogitatione rei illicitæ non eſt ex ſe peccatum. Ita communiter DD. cum S.Th. 1.2. *quæſt.*74. *art.* 8. Ratio eſt, quia delectatio eſt actus inefficax, qui bonitatem & malitiam ſumit ex motiuo, ſub cuius ratione fertur in obiectum: ſed quando quis delectatur de cogitatione rei illicitæ, non habet delectatoinem ex malo motiuo, vt ſuppono: ergo huiuſmodi delectatio non eſt mala ex ſe.] Addit deinde *num*5. in ſecunda propoſitione: [Delectatio de re turpi & mala, eſt mala iuxta motiuum ipſius delectationis, ſeu iuxta *rationem formalem,* ratione cuius delectatio fertur in obiectum. Ratio eſt, quia delectatio cùm ſit actus inefficax, totam ſuam bonitatem & malitiam ſumit à motiuo: ſi ergo motiuum eſt malum, mala eſt delectatio; ſicut etiam eſt bona, ſi bonum eſt motiuum; & eſt venialis, ſi motiuum eſt otioſum.]

142. In quibus notabis primò, Sayrum ſolùm loqui de delectatione in ipſa cogitatione, non verò de delectatione in obiecto venereo. In quo ſenſu fortè loquitur Malletus, cùm pro ſua aſſertione citet Sayrum. Quod ſi aliud intendit, illum malè citat.

143. Notabis ſecundò, Bonacinam loqui tum de delectatione in cogitatione, tum de delectatione in re turpi. Quis autem ſit ſenſus eius propoſitionis, quod [malitia delectationis non deſumitur ab obiecto, ſed à motiuo;] ex duplici capite colligitur. Primò enim, quaſi non eſſet contentus eo dicendi modo, *eſt mala iuxta motiuum delectationis*; & quaſi ita impropriè locutus eſſet, addidit: *Seu iuxta rationem formalem, ratione cuius delectatio fertur in obiectum.* Aſſerit igitur delectationem eſſe malam, quando mala eſt ratio formalis, ſub qua delectatur. Secundò colligitur ſenſus verborum ex ipſis exemplis, quæ proponit. Ait enim, delectationem de fornicatione eſſe malam, *ſi ex affectu carnali capiatur*; non autem eſſe peccatum mortale, ſi delectatio capiatur *de ſubtili aliquo modo, & ex dexteritate, quam quis ingenioſè adhibuit* in opere peccaminoſo.

144. *Quid intelligāt illi Authores nomine motiui?* Vocat ergo Bonacina motiuum, ſiue rationem formalem delectationis, eam rationem boni præſciſam, ad quam præſciſè fertur delectatio. Ideò aſſerit, delectationem eſſe bonam, ſi motiuum eſt bonum; id eſt, ſi feratur delectatio ad rationem præſciſam boni ibi relucentem, quæ ſic præſciſa ſit moraliter bona. Qui modus loquendi non eſt bonus, eo quod multam poteſt patere æquiuocationem. Adhuc tamen rectè explicatus veriſſimus eſt.

145. *Quæ ſit mens Malleti?* Hæc ergo ſine dubio eſt mens Malleti. Nam cùm ipſe generaliter loquatur de delectationibus moroſis inefficacibus, & non de ſolis ſpiritualibus, vt vult Caramuel, abſurda eſſet eius propoſitio, ſi in ea vniuerſalitate terminorum admitteretur. Eſſet enim delirium aſſerere, eſſe bonam moraliter delectationem moroſam ſenſibilem de ſodomia, propter deponendam triſtitiam cordis, qua quis afficiebatur: qui finis ex ſe bonus eſt. Intelligendus ergo eſt, & benignè interpretandus in eo ſenſu proximè explicato, in quo loquitur Bonacina: cùm ſenſus à Caramuele traditus non componatur cum ea vniuerſalitate terminorum, qua loquitur prædictus Malletus.

146. Ideò autem oportuit hæc adnotaſſe, ne in materia tam grauiter tangente conſcientiam ſit æquiuocatio, vel detur anſa errandi. Nec vitio carent ſcripta eorum, qui in tam grauibus materiis terminis vtuntur æquiuocis, qui errandi occaſionem facilè tribuunt: præcipuè in hac ætate, in qua nonnulli Theologi diſcurrunt venaturi aliquod Authoris verbulum, vnde laxam aliquam concluſionem eliciant: quaſi quodlibet ſcriptoris verbum ſit principium ſolidum ad cuiuſvis aſſertionis moralis probabilitatem. Nec deeſt exemplum in re præſenti, in qua citatur Sayrus pro omni delectatione moroſa inefficaci, cùm ipſe ſolùm loquatur de delectatione in ſola cogitatione, non verò in obiecto turpi.

***

Digitized by Google

DISPVTATIO XLII.

An detur delectatio ſpeculatiua de actu venereo: quæ, & qualis ſit; & an ſit illicita? Vbi etiam de cogitatione obiecti venerei ſpeculatiua, & practica.

CAPVT I.

Proponuntur aſſerta quædam Caramuelis.

1. *Admittit delectationes internas ſpeculatiuas rei venereæ.* DARI delectationes ſpeculatiuas internas de re venerea, affirmat Caramuel *diſp.* 67. *in Regul. num.* 1023. his verbis: [Hæc (delectatio interior) eſt duplex, ſpeculatiua, & practica. Hanc ſubdiuido in efficacem, & inefficacem. Sanè hæc diſtinctio omnino admittenda, vel inuitis nonnullis, qui pingui mente philoſophati, omnia damnanda putant, quæ dicta altiùs.] Ne ergo damnemus has diuiſiones, ne pingui mente dicamur philoſophari.

2. *Vitioſa definitiones delectationis ſpeculatiuæ, & practicæ.* Audiamus tamen definitiones eorum. Procedens ergo ad definiendam delectationem ſpeculatiuam, ſic ait *n.*1024 [Tunc intellectus & phantaſia verſantur circa obiecta ſpeculatiuè, quando naturas rerum ſpeculantur in communi, putà eſſentiam ſenſualitatis, in quo conſiſtat ratio vindictæ, quomodo fiat ſpirituum carnalium alteratio. Tunc operans operatur practicè, quando habet executionis intentionem.] De definitione delectationis ſpeculatiuæ nihil aliud habet. In definitione autem delectationis practicæ perſiſtit *n.*1025. aiens: [Delectationes interiores practicas, ſeu intentiones abſolutas, ſumere ſpeciem à toto obiecto. Vbi pro eodem vſurpat delectationes interiores practicas, atque intentiones abſolutas efficaces.

3. Hæc tamen malè definiri, oſtendo. Nam cùm delectationem ſpeculatiuam definire deberet, ſolùm definit ſpeculationem intellectus, & phantaſiæ, non autem delectationem, vt patet in verbis prioribus.

4. Simili vitio laborat diuiſio delectationis interioris. Nam *ibid. n.* 1023. ait: [Delectatio interior eſt illa, quæ independenter ab omni ſenſu exteriori operatur: & hæc eſt duplex, phantaſia, & intellectus.] Delectationem interiorem eſſe actum phantaſiæ, aut intellectus, quis aſſeruit; cùm delectatio interior ſit actus appetitus corporei vel voluntatis.

5. Dices, ſubintelligi, quod ea ſit delectatio ſpeculatiua, quæ ſubſequitur actum ſpeculatiuum intellectus, & phantaſiæ, quique delectantur de eſſentia ſenſualitatis in communi, & de modo, quo fit ſpirituum carnalium alteratio. Sed licèt hæc ſit eius mens, tamen non exponit, vt deberet. Prætereà quia circa eſſentiam ſenſualitatis in communi poteſt verſari delectatio practica; qui enim copulam carnalem, non diſtinguendo iſtam, vel illam, mente reuolueret, poſſet ſenſibiliter delectari de illa per notabilem ſpirituum carnalium commotionem. Hanc autem non eſſe delectationem ſpeculatiuam, euidens eſt ex Caramuele, qui hanc delectationem fatetur illicitam: ſpeculatiuam autem affirmat licitam.

Quod autem delectetur de copula in communi ille, qui delectatur de copula non diſtinguendo iſtam, vel illam, patet; quia qui non diſtinguit iſtam, vel illam, non cognoſcit differentias: & vbi non attinguntur differentiæ, ſolùm attingitur ratio communis. Et præterea, nam (vt oſtendi *diſp.* 14. Logicæ) nihil aliud eſt ratio vniuerſalis, quàm plura confusè cognita: cognoſcuntur autem confusè, quando intellectus non diſtinguit vnum ab alio. Deinde per hunc conceptum *Aliqua copula*, fieri abſtractionem, & conceptum vniuerſalem, ibidem oſtendi *cap.* 3. Vnde qui delectaretur de aliqua copula non diſtinguendo iſtam, vel illam, delectaretur vtique de copula in communi. 6.

Sed magis miraberis, quod delectationem practicam definiat eſſe intentionem efficacem; quaſi omnes actus inefficaces excludat à conceptu delectationis practicæ. Et ratio admirationis eſſe poteſt. Nam cùm ex vna parte dentur actus inefficaces, qui ſint delectationes moroſæ ſenſibiles in re venerea, quas eſſe illicitas, negare non poteſt Caramuel; & ex alia parte admittat, vt mox citabimus, nullam delectationem ſpeculatiuam eſſe illicitam, fiet, dari delectationes moroſas ſenſibiles in re venerea, quæ non ſint illicitæ, nempe delectationes per modum deſiderij inefficacis, modo ſuprà explicato; vtpote quæ à numero delectationum practicarum excludantur. 7. *Non admittit delectationes venereas, quæ ſint actus inefficaces.*

Quod autem delectationes venereas inefficaces admittat Author, videtur colligi ex verbis citatis numero primo. Et *ex Theol. fund. n.* 1650. *fund.* 57. illis verbis: [Addo cogitationem illam ſpiritualem, quam concomitatur delectatio moroſa ſenſibilis, ex commotione humorum ſeminalium ſubnaſcens, eſſe peccatum mortale, etiamſi nolis libidinem actu externo complere, etiamſi nolis tangere perſonam, quam cogitas.] 8.

Sed ſciendum iuxta Caramuelem, delectationem externã peccaminoſam non dari, niſi detur intentio efficax talis delectationis externæ, ſeu commotionis ſpirituum. Atque ita licèt quis inefficaciter velit fornicationem, vel actu interno inefficaci delectetur de illa, datur tamen actus efficax, qui talis ſit reſpectu commotionis ſpirituum carnalium, ſiue delectationis externæ. Vnde idem actus poteſt eſſe inefficax reſpectu fornicationis, & efficax reſpectu delectationis externæ ex commotione ſpirituum carnalium exortæ. Id enim indicaſſe videtur *diſp.* 67. *in Regul. num.* 1041. [Si quærimus moroſæ delectationis, quà peccaminoſæ, directam cauſam, reperiemus eſſe aſſenſum in illam, non aliam.] Nec alia ratione ſaluari poteſt, quod delectatio inefficax de copula illicita ſit etiam intentio efficax, niſi ponatur eſſe efficax reſpectu commotionis ſpirituum, & delectationis externæ. 9. *Quomodo ea doctrina intelligenda?*

Retine ergo mente, ſecundùm Caramuelem, non eſſe delectationem practicam, niſi quæ eſt intentio efficax, vel actus libidinoſi exteriùs completi, vel ſaltẽ delectationis externæ intra corpus exercitæ ex cõmotione ſpirituũ obortę. 10.

Delectationes

Digitized by Google

11\. *Delectationes venereas ſpeculatiuas, ait non eſſe illicitas.*

Delectationes ſpeculatiuas nihil continere illicitum, affirmat *ibid. n.*1033. in hæc verba. Dico tertiò, delectationes merè ſpeculatiuas ex ſe non eſſe peccaminoſas. Dixi *ex ſe*, quia cognita ſpeculantis fragilitate eſſe poſſent peccaminoſæ ratione periculi alicuius. Sic laudabiliter Doctores, Ethici, Medici, Patres ſancti peccatorum eſſentias contemplati adhibuerunt remedia, & documenta vtilia.] Quid eſt, *Sic?* habendo delectationes merè ſpeculatiuas? Sed nunquid idem eſt contemplari, & delectari? Nunquid Patres, quia contemplati fornicationem ad medelam, delectati ſunt de illa? Nunquid ad tradenda documenta vtilia contra fornicationem, neceſſe eſt delectari de illa, vel ſpeculatiuè? Quomodo ergo hic Author confirmat, delectationes merè ſpeculatiuas non eſſe peccaminoſas ex eo, quod PP. & Sancti laudabiliter ſpeculati ſint; cùm ad ſpeculationem non debeat conſequi neceſſariò vlla delectatio?

Quâ ta æquiuocatione laboret?

CAPVT II.

Quid ſit delectatio practica, quid ſpeculatiua?

12\. ADmittimus hæc nomina delectationis practicæ & ſpeculatiuæ, vt obſequamur Caramueli; & quia aliqui Recentiores aliquando vſurpant. Cùm tamen practicum & ſpeculatiuum ſint differentiæ actuum potentiæ cognoſcitiuæ, non poſſunt ea duo prædicata conuenire delectationi internæ, quæ eſt actus potentiæ appetitiuæ, niſi impropriè & per denominationem extrinſecam ab actibus cognoſcitiuis, quos ſequentur actus potentiæ appetitiuæ. Vnde delectatio ſpeculatiua dicetur, quæ ſequitur actum ſpeculatiuum intellectus, vel ſenſus interni; & delectatio practica, quæ ſequitur actum cognoſcitiuum practicum.

Quid ſit delectatio ſpeculatiua, quid practica?

13\. Rurſus actus practicus & ſpeculatiuus differunt ex modo cognoſcendi obiectum. Practicus enim dictat modum, quo obiectum faciendum eſt. Speculatiuus autem ſiſtit in contemplatione obiecti, nec progreditur vlteriùs, vt doceat, ſiue dictet modum operandi.

14\. Cùm autem hæc nomina applicantur actibus venereis, non cum eo rigore philoſophico vſurpantur. Quamvis enim cognitio non doceat modum & media, quibus copula vel delectatio exercenda eſt, ſed conſideret delectabilitatem obiecti eo modo, quo moueat & alliciat voluntatem ad delectationem, deſiderium, vel realem conſecutionem copulæ carnalis, dicitur actus practicus: ſi autem ex modo cognoſcendi non alliciat voluntatem ad eas actiones, dicitur ſpeculatiuus.

15\. *Quid ſit cogitatio practica rei venereæ, quid ſpeculatiua?*

Igitur formalioribus terminis dices, cognitionem practicam in re venerea dici illã, [Quæ cognoſcit obiectum venereum modo delectabili, & prouocante, & vt quid ſuæ carni delectabiliter conueniens.] Explicatur autem per plura verba, quia alia aliorum vim & ſenſum exponunt. Et per ea verba, *vt quid ſuæ carni delectabiliter conueniens*, ſatis declaratur, loqui definitionem de cognitione prouocante ad delectationem ſenſibilem. Vnde cognitio, quæ allicit ad affectum ſpiritualem, approbatiuum dumtaxat, & non venereum, non eſt practica. Cognitio ſpeculatiua in re venerea erit, [Quæ cognoſcit obiectum venereum delectabile, ſed non modo delectabili:] id eſt, non prouocante ad delectationem ſenſibilem. Similiter delectatio practica dicetur, [Quæ fertur in obiectum delectabile eo modo, quo per actum cognoſcitiuum practicum cognoſcitur.] Delectatio ſpeculatiua, [Quæ fertur in obiectum delectabile eo modo, quo per actum ſpeculatiuum cognoſcitur.]

Obiectum delectabile poſſe vtroque modo cognoſci, patet. Neque enim negari poteſt, cognitiones aliquas ex modo ſuo cognoſcendi allicere & inclinare ſpecialiter voluntatem ad obiectum. Nam tu, qui in ludum non inclinas, cognoſcis delectabilitatem ludi, ſed non cognoſcis eo modo delectabili, quo tibi & tuæ recreationi ſit conueniens; imò eum cognoſcis vt tibi, & tuis affectibus diſconuenientem. Petrus tamen, qui in ludum vehementer inclinat, ita afficitur erga illum, quia ſibi proponitur, vt ſibi, & ſuæ recreationi, propriiſque affectibus valde conueniens. Vir ſanctus, qui clara & intenſa quadam cognitione aduertit, quàm fluxæ, lubricæ, fallaces ſint diuitiæ, non afficitur erga illas. Auarus autem vehementer in eas propendet, quia ex modo cognoſcendi eas, apprehendit eas ad inſtar maximæ felicitatis. Ea enim cogitatio intenſiùs & viuaciùs ei repræſentat bonitatem diuitiarum, conuenientiam, quam ſecum, & cum ſuis affectibus habent. 16.

Obiectum delectabile poteſt cognoſci vt alliciens appetitum, & vt non alliciens.

Hoc pacto explicui *diſp.*32. *de Anima*, qua ratione detur facilitas & inclinatio ad actus naturales; ideóque cum Card. Ioanne de Lugo *tom.*1. *de Incarn. diſp.*16. *num.*119. reſpui habitus naturales in voluntate, qui ſint qualitates diſtinctæ ab actibus intellectus, & ſpeciebus: nam ex modo cognoſcendi rem vt ſibi conuenientem, qui ad amorem obiecti allicit, & vſu, atque experimento augetur; intelligitur optimè hæc facilitas & inclinatio ad obiectum, & item difficultas in oppoſitum. 17.

Quomodo explicetur facilitas & inclinatio, abſque habitu naturali diſtincto? An dentur in voluntate habitus naturales?

Eodem modo contingit in re venerea. Obiectum quidem delectabile venereum valde allicit ratione ſuæ delectabilitatis. Et quamvis inæqualitas prouocandi oriri ſoleat aliquando ex diuerſitate temperamenti ipſius carnis; at, cęteris paribus, maior prouocandi vis oritur ex cognitione intenſiori, & viuaciori: item ex modo cognoſcendi obiectum vt ſuæ carni & ſuis affectibus delectabilius & conuenientius. Et in hoc modo agnoſcendi vt delectabilius, poteſt eſſe maior, & minor claritas, maior, & minor intenſio. 18.

Exponitur cogitatio practica venerea.

Hinc fit, quod quoties homo cognoſcit obiectum venereum modo delectabili, & vt ſibi & ſuæ carni conueniens; cognoſcit quidem modo alliciente, & inclinante ad delectationem ſenſibilem, ideóque dicitur cognitio practica. Quando autem homo cognoſcit id obiectum non eo modo delectabili, & prouocante, ſed veluti quamlibet entitatem phyſicam, ita contemplando illam, vt obiectum non alliciat ad ſui delectationem, vel ad carnalem ſui proſecutionem; ea cognitio dicitur ſpeculatiua. 19.

Cognoſcunt aliqui actum venereum, ſicut quamlibet entitatem phyſicam: quo caſu nulla inſurgit ſpirituum carnalium commotio: multi ſtudent, loquuntur, diſputant de actu vene- 20.

Digitized by Google

reo, quin vel minimus commotionis ictus eos tangat, voluntarius, vel inuoluntarius. Quod eſt ſignum ſuadens, illum non eſſe actum practicum, ſed purè ſpeculatiuum. Quando autem ex cognitione obiecti delectabilis ſtatim commouentur ſpiritus carnales, id eſt ſignum, quod cognitio attigit obiectum modo delectabili, & prouocante, atque adeò practicè. Quæ diuerſitas & inæqualitas non poteſt referri ad aliud caput, niſi ad diuerſum modum cognoſcendi. Nam licèt multi eam quaſi ſecuritatem ad ſtudendum & diſputandum ſine vllo motu ſibi comparent ex aſſidua reſiſtentia cum Dei adiutorio; ea tamen reſiſtentia id operatur, quod aſſuefaciant intellectum ad cogitandum venerea ſicut cæteras entitates phyſicas, & non modo prouocatiuo. In quo quidem multùm operatur imperium voluntatis, cui etiam intellectus ſubditur.

21. Contingit ſæpe, præcipuè ſtudentibus in materia venerea, quod velint habere actum ſpeculatiuum de tali materia; propendente tamen apperitu corporeo actus ſpeculatiuus inuoluntariè vertitur in practicum (ſcilicet deſtructo priori actu) vel actui ſpeculatiuo intellectuali adiungitur corporeus practicus: & inſurgit bellum in ipſa voluntate, reiiciendo actum cognoſcitiuum practicum, & conando ad ſpeculatiuum.

22. Quod autem ita explicanda ſit cognitio practica & ſpeculatiua in re venerea, & conſequenter delectatio practica, & ſpeculatiua; facilè oſtenditur. Cognitio enim ſpeculatiua eſt, quæ ſiſtit in contemplatione obiecti, nec procedit vlteriùs. Quæ autem prouocat ad venerea, non ſiſtit in contemplatione, ſed vlteriùs procedit ad prouocandum: ergo quæ prouocat, practica eſt; & quæ non prouocat, ſpeculatiua. Et confirmatur. Quia quocumque alio modo explicetur cogitatio venerea practica & ſpeculatiua, inintelligibilis eſt vtriuſque differentia. Dicere enim, quod ait Caramuel relatus ſuprà *n*.2. quod ſpeculatiua cogitatio venerea eſt, quæ cognoſcit eſſentiam ſenſualitatis in communi, ſatis ibi demonſtratum eſt, id eſſe falſum, cùm copula in communi æquè poſſit prouocare ad luxuriam, atque cogitatio copulæ in particulari. Et præterea multas cogitationes venereas ſpeculatiuas admittit Caramuel, quæ non terminantur ad conceptū ſenſualitatis, vel copulę.

CAPVT III.

An omnis delectatio ſpeculatiua in re venerea ſit licita?

23. *Affirmat Caram.* PArtem affirmatiuam tuetur Caramuel relatus *cap*.1. *num*.11. ait enim ex ſolo periculo eſſe illicitam. Quare præſciſo periculo, admittit expreſſè, eſſe licitam.

24. *Certum eſt; dari delectationem ſpeculatiuam veneream illicitam. De obiecto vt formaliter malo.* Dicendum eſt primò tanquam certiſſimum, dari aliquam delectationem ſpeculatiuam in re venerea, quæ ſit illicita. Patet. Illicita eſt omnis complacentia voluntatis gaudentis abſque delectatione ſenſibili de actu ſodomitico malo formaliter: ſed iſta eſt delectatio ſpeculatiua in re venerea: ergo aliqua delectatio ſpeculatiua in re venerea datur, quæ ſit illicita.

25. Quæ ex his tribus propoſitionibus non eſt certa? Maior eſt omnium, & ex terminis euidens, vt oſtendi ſuprà *diſp*.41.*n*.108. Nam quid eſt magis illicitum in humanis actibus, quàm velle malum morale formaliter vt tale? Minor & admittitur à Caramuele relato ſuprà *diſp*.41. *num*. 5. vbi expreſsè aſſerit, vbi *nulla delectatio ſenſualis & libidinoſa concomitatur*, delectationem eſſe purè ſpeculatiuam. Et ex terminorum penetratione patet: nam cognitio rei venereæ, quæ non prouocat ad delectationem ſenſibilem, ſpeculatiua appellatur; & delectatio, ſiue complacentia, quæ talem cognitionem ſequitur, eandem ab illa ſortitur denominationem. Conſequentia autem eſt euidens, vtpote ſyllogiſmi in tertia figura, in modo *Darapti*.

Dicendum eſt ſecundò vt certum, delectationem ſpeculatiuam in re venerea, quæ terminatur ad obiectum ſecundùm ſe illicitum, etiam præſciſa malitia ex parte obiecti, illicitam eſſe. Probatur. Certum eſt, delectationem ſpiritualem, ſiue complacentiam voluntatis de obiecto venereo ſecundùm ſe illicito, quam non concomitatur carnalium ſpirituum commotio, etiamſi præſcindatur ex parte obiecti malitia moralis, illicitam eſſe: ſed hæc eſt delectatio ſpeculatiua: ergo certum eſt, delectationem ſpeculatiuam in re venerea, terminatam ad obiectum ſecundùm ſe illicitum, etiam præciſà ex parte obiecti malitià morali, illicitam eſſe. 26. *Delectatio ſpeculatiua obiecti venerei illiciti, præſciſa malitia ex parte obiecti, eſt illicita.*

27. Conſequentia patet: habet enim ſyllogiſmus eandem formam ac præcedens. Minor patet eodem modo, ac minor præcedentis ſyllogiſmi. Maior oſtenſa eſt *diſp. præcedenti, cap*.4. *concluſione* 2. & *cap*.6. *num. vlt.* ex quibus locis etiam patet, illam aſſertionem eſſe omnium.

CAPVT IV.

An ſit purè ſpeculatiua cogitatio fœmineæ pulchritudinis, quam quis aſſumit ad excitandam delectationem veneream?

28. *Affirmat Caram.* AFfirmatiuam partem tuetur Caramuel *diſp*.67. *in Regul. num*. 1050. §. *Ioannes*, & eo dictamine inſtructus ſic reſoluit hunc caſum. [Ioannes *ſpeculatiuè* proponebat ſibi varia obiecta, vt maiorem delectationem haberet in mollitie. Quomodo peccauit? Reperio tria conſideratione digna; finem, entitatem medij, & ordinationem medij ad finem. Finis eſt delectabilior pollutio; non mutat ſpeciem maior, aut minor delectatio: & ideò non eſt opus in confeſſione hanc circumſtantiam aperire. Entitas medij erat licita; *quia eſt actus ſpeculatiuus, qui nullo modo interdicitur*. Ordinatio medij ad finem eſt mala, ſed malitià finis; quia ſicut materia exiſtit exiſtentià formæ in ſententia probabili; ita etiam in eadem medium, ſi aliàs indifferens, inficitur non proprià, ſed malitià finis. Ideò in confeſſione dicat, *Commiſi mollitiem*; & ſufficit.] Qui diſcurſus bonus eſſet, ſi non peccaret in eo principio, quod cogitatio fœmineæ pulchritudinis influens in delectationem ſenſibilem veneream eſſet actus purè ſpeculatiuus, & licitus.

29. *Quid de ea opinione Tamburinus?* Incidit in hanc deciſionem Caramuelis P. Tamburinus *lib*.10. *in Decalog. cap*.7. *n*.2. & aſſerit, eum *non eſſe audiendum*. Sed ſi opinio eſt probabilis, quare non eſt audiendus? Omnis enim

enim opinio verè probabilis, ſicut poteſt ad praxim reduci; ita & audiri, vt reducatur. Numquid ergo hoc loquendi modo ſignificabit, eam eſſe improbabilem?

30. Certa ergo concluſio eſt, illam cogitationem pulchritudinis fœmineæ aſſumptam ad maiorem delectationem percipiendam, ſecundùm ſe, & ſecluſa extrinſeca ordinatione ad finem, non eſſe ſpeculatiuam, ſed practicam; non licitam, ſed illicitam. Oſtenditur primò. Illa cogitatio rei venereæ eſt ſpeculatiua, ſecundùm Caramuelem, *quæ naturas rerum ſpeculatur in communi, putà eſſentiam ſenſualitatis . . . quomodo fiat ſpirituum carnalium alteratio*; quæ eſt eius definitio relata ſuprà *cap.* 2. *num.* 2. Sed illa cogitatio pulchritudinis fœmineæ non ſpeculatur eſſentiam ſenſualitatis in communi, neque quomodo fiat ſpirituum carnalium alteratio: ergo illa cogitatio non eſt ſpeculatiua.

Certum eſt, eam eſſe cogitationem veneream practicam.

31. Dices, illam non eſſe datam à Caramuele vt definitionem rigoroſam, ſed vt qualemcumque explicationem per exempla; atque adeò illa explicatio admittit ſimilia exempla, quale eſt exemplum de cogitatione ſolius pulchritudinis.

32. Contra eſt. Nam in hoc ipſo maximè peccat: negligit enim Caramuel definitiones rerum, vt vidimus *diſp.* 1. *cap.* 1. Ideò autem ſpeculatiuas vocat multas cogitationes venereas, quæ reuereà ſunt practicæ, quia non ſtatuit firmam definitionem practici, & ſpeculatiui. Si enim non ſtatuamus hominis definitionem, quomodo probabis, equum, & leonem non eſſe homines? Si verò illa relata tradita eſt tanquam definitio, vrget argumentum factum.

33. Oſtenditur ſecundò ex verbis Caramuelis *in Theol. fund. num.* 1650. *fund.* 57. [Addo, cogitationem illam ſpiritualem, quam concomitatur delectatio moroſa ſenſibilis, ex commotione humorum ſeminalium ſubnaſcens, eſſe peccatum mortale, etiamſi nolis libidinem actu externo complere.] Sed cogitationem illam fœmineæ pulchritudinis in eo euentu concomitatur delectatio moroſa ſenſibilis ex commotione humorum ſeminalium ſubnaſcens: ergo cogitatio illa fœmineæ pulcritudinis in eo euentu eſt peccatum mortale.

34. Syllogiſmus eſt in prima figura, & in *Darij*; ideò conſequentia ligat. Maior eſt Caramuelis. Minor autem eſt euidens. Diuide in duos gradus delectationem, quam ille homo ſubit in illa pollutione. Primus gradus delectationis eſt, quem participat ex pollutione. Secundus augmẽtum delectationis, quod ſuſcipit ex cogitatione pulchritudinis fœmineæ. Tum ſic: ille ſecũdus gradus delectationis non aliunde prouenit, quàm ex augmento commotionis ſpirituum: iſtud autem augmentum commotionis ſpirituum non habet aliam cauſam, niſi cogitationem illã fœmineæ pulchritudinis; neque enim aſſumeretur vt medium ad augmentum delectationis, ſi non eſſet cauſa talis augmenti delectationis: ergo cogitationem illam fœmineæ pulchritudinis concomitaturis ſecundus gradus delectationis, & id augmentum commotionis ſpirituum, tanquam effectus à tali cogitatione proueniens.

35. Oſtenditur tertiò. Cogitatio practica de fornicatione cum tali fœmina, aſſumpta vt medium ad maiorem delectationem in pollutione percipiendam, ideo habet ſpecialem malitiam ratione ſui, quia excitat commotionem ſpirituum, ſiue augmentum eius; & in ſententia Caramuelis non datur alia ratio, ob quam habeat eam ſpecialem malitiam, niſi ea, quæ à tali excitatione ſpirituum carnalium deſumitur, vt conſtat *ex diſp. præcedenti, cap.* 4. Sed cogitatio de pulchritudine fœminæ eodem modo excitat commotionem ſpirituum, & delectationem externam; quandoquidem aſſumitur vt medium à viro ſe polluente, ad excitandam illam maiorem commotionem, & augmentum delectationis: ergo illa cogitatio fœmineæ pulchritudinis in eo euentu ratione ſui habet ſpecialem malitiam; & non ſolùm ex ordinatione extrinſeca medij ad finem. Maior & minor patent. Conſequentia verò manifeſta eſt ex eo, quod vbi inuenitur eadem ratio formalis, eumdem effectum formalem inueniri neceſſe eſt.

Ea cogitatio fœmineæ pulchritudinis excitat commotionem ſpirituum.

Oſtenditur quartò ex definitione cognitionis venereæ practicæ, ſuprà à nobis datæ *cap.* 2. *num.* 15. Ea enim eſt cognitio venerea practica, quæ cognoſcit obiectum delectabile modo prouocante ad delectationem ſenſibilem: ſed illa cogitatio fœmineæ pulchritudinis, qua ille homo ſe excitat ad augmentum delectationis in mollitie, cognoſcit obiectum modo prouocante ad delectationem ſenſibilem: ergo illa cogitatio non eſt ſpeculatiua, ſed practica. Minor ex dictis patet: tum quia ſi illa cogitatio non prouocaret ad delectationem ſenſibilem, non aſſumeret illam vt medium proportionatum ad illud augmentum delectationis ſenſibilis. Tum etiam, quia ſi illa cogitatio reipſa prouocat ad augmentum delectationis ſenſibilis: ergo cognoſcit obiectum modo prouocante ad illam, cùm ex modo ſuo cognoſcendi prouocet. 36.

Reſpondebis diſtinguendo minorem: cogitatio enim de pulchritudine fœminæ excitat commotionem ſpirituum, non tanquam cauſa per ſe illius, ſed tanquam cauſa per accidens. Nec nouum eſt, quod quis aſſumat cauſas per accidens ad conſequendum finem intentum. Et ita quamvis cogitatio pulchritudinis fœmineæ aſſumatur vt medium ad maiorem delectationem pollutionis, non inde infertur, quod ea cogitatio ſit cauſa per ſe. 37.

Hæc tamen reſponſio non eleuat vim difficultatis. Primò. Illa enim cognitio pulchritudinis fœmineæ non aliter excitat commotionem ſpirituum genitalium, niſi ex ſympathia & connexione, quam habet cùm ea commotione; neque enim eſt intelligibilis in ea cogitatione alius modus excitandi potentiam generatiuam ad commotionem ſpirituum, præterquam ex prædicta connexione: at cauſa per accidens non habet ratione ſuæ entitatis connexionem neceſſariam cum effectu: ergo ſi ea cognitio pulchritudinis fœmineæ excitat commotionem ſpirituum, vtique non tanquam cauſa per accidens excitat, ſed tanquam cauſa per ſe. 38.

Ea cogitatio ex ſympathia excitat commotionẽ ſpirituum.

Cauſa per accidens non habet connexionem cum effectu.

Secundò. Inde enim colligitur, cogitationem practicam veneream, eſſe cauſam per ſe commotionis ſpirituum (vt conſtabit *ex c.* 7. *art.* 5.) quia poſita ea cogitatione practicâ, ſtatim neceſſariò ſubſiliunt ſpiritus genitales, & corpus commouent; inde enim rectè infertur, eam cogitationem practicam habere connexionem cum ea ſpirituum commotione: ſed idem eue- 39.

minea pulchritudinis. *diſp. præcedenti cap.1.num.3.* & inchoatio copulæ coniugalis non eſt illicita, ſicut nec ipſa copula: ergo, quantum eſt ex hoc capite, manifeſtè differunt; & quantum eſt ex hoc diſcrimine prima cognitio eſt apertè illicita, & ſecunda eſt apertè licita. Conſequentia ligat. Minor eſt euidens, & eſt aſſertio Caramuelis quoad primam partem; nec negari poteſt quoad ſecundam. Maior conſtat ex dictis *cap. præcedenti in probatione 4. num.36.* & conſtabit ampliùs *ex cap.7.art.4.*

50. Nec ſatis eſt, ſi dicas, inchoationem pollutionis, & pollutionem eſſe eiuſdem malitiæ ſpecificæ, & vnam cum alia continuari; & ideò eſſe vnum peccatum.

51. Contra enim eſt: quia in præſenti ſolùm reſiſtimus Caramueli, qua parte docet, eam cognitionem, etſi voluntariè admiſſam, eſſe licitam. Eo autem argumento conuincitur eſſe illicitam.

52. Demonſtratur ſecundò. Non peccat lethaliter coniugatus, qui ponit cauſam per ſe maioris delectationis in copula coniugali, dummodo illa cauſa per ſe non ſit ex ſe illicita; & peccat lethaliter ſolutus non ſolùm in augmento delectationis habendo, ſed in eo quod ponat cauſam per ſe maioris augmenti delectationis; ſicut etiam peccat lethaliter quilibet, dum ponit cauſam per ſe, vel pollutionis, vel maioris augmenti delectationis eius: ſed polluens ſe, dum ponit eam cognitionem pulchritudinis fœminæ ad augmentum delectationis, ponit cauſam per ſe talis augmenti delectationis, vt oſtendetur *cap.7.* & coniugatus dum ponit eam cognitionem ad augmentum delectationis in copula coniugali, ex hoc capite non peccat lethaliter: ergo ille vir polluens ſe, peccat lethaliter dum ponit eam cognitionem pulchritudinis; & coniugatus ex hoc capite non peccat.

53. Demonſtratur tertiò. Inquiro enim, an licita ſit cogitatio actus ſodomitici ſpeculatiua, qua quis ſe excitet ad pollutionem, vel ad actum coniugalem? Et reſpondebit P.Th. Sanch. negando, quia ſolùm admittit ad excitationem actus coniugalis cogitationem fœminæ pulchræ, ſicut cogitationem arboris pulchræ. Reſpondebit Caramuel affirmando; quia *diſp. 67. in Regul. num.* 1050. §. *Caius*, verbis referendis *cap.7.num.78.* affirmat non eſſe illicitam cogitationem eius, qui [concipit mente magnam mulieris pulchritudinem, *modum aliquem peccandi*, aut aliquod obiectum ſenſuale, ita vt intendat merè illud ſpeculari,] etiamſi inuoluntariè patiatur delectationem & pollutionem. Nititur enim in eo, quod talis cogitatio eſt purè ſpeculatiua: & qui per cogitationem purè ſpeculatiuam excitat ſe ad venerem, eum non peccare aſſerit ex parte cogitationis voluntariè habitæ, vt conſtat ex reſolutione propoſita initio capitis præcedentis, quam modò impugnamus. Ecce quantum diſcrimen eſt inter vtramque aſſertionem. Cogitationem autem actus ſodomitici illicitam eſſe, & non ſpeculatiuam, quando excitat ad venerem, planè conſtabit *ex cap.7.*

54. Ad argumentum ergo initio capitis propoſitum, qua parte conatur aſſertionem Caramuelis tueri opinione Thomæ Sanch. dicendum eſt iuxta hanc opinionem, illam cognitionem eſſe practicam, & excitare coniugatum ad copulam coniugalem. Ideò autem omittimus (non concedimus) eſſe licitam, quia excitat ad actum licitum, quia eſt cauſa per ſe actus liciti, quia eſt inchoatio actus coniugalis liciti. Ideo autem altera cognitio eſt illicita, quia excitat ad actum illicitum, & eſt cauſa per ſe, & inchoatio actus illiciti, nempe pollutionis. Iuxta quæ in forma negandum eſt ſuppoſitum, quod illa cognitio pulchritudinis fœmineæ, ſiue conſideretur vt coniugalis, ſiue vt extra-coniugalis, ſit ſpeculatiua: & etiam neganda eſt conſequentia. Et negandum eſt ſuppoſitum propoſitionis ſubiunctæ, quod cognitio illa extra-coniugalis ſit ſpeculatiua.

CAPVT VI.

An ſola intentio efficax ſit delectatio practica?

Vidimus *cap.1.num.2.& 9.* ex ſententia Caramuelis, omnem delectationem motoſam internam practicam eſſe intentionem efficacem. Quæ aſſertio in hoc capite venit examinanda. Aſſerit ergo Author, etiam delectationem illam, quæ inefficax eſt reſpectu copulæ illicitæ, eſſe efficacem reſpectu commotionis ſpirituum genitalium, & delectationis externæ. 55. *Ait, omnem delectationē internā practicam, eſſe intentionem efficacem.*

Et quidem hæc quæſtio non eſt merè ſpeculatiua. Hic enim ſyllogiſmus vrget ad praxim. Omnis delectatio ſenſibilis, quæ non eſt practica, eſt licita: ſed omnis delectatio ſenſibilis, quæ non eſt intentio efficax, eſt delectatio ſenſibilis non practica: ergo omnis delectatio ſenſibilis, quæ non eſt intentio efficax, eſt licita. Maior continetur in concluſione tertia Caram. *diſp. 67. in Regul. num.* 1033. quam retuli ſuprà *cap.1.num.11.* in qua aſſerit, delectationes omnes merè ſpeculatiuas ex ſe non eſſe peccaminoſas. Minorem ſi dixeris de ſubiecto non ſupponente, ideò dices falſam, cuius probatio mihi incumbit. Et ſi probauero, legitimè infertur conſequens; quia ſyllogiſmus eſt in primo modo primæ figuræ: pertinet ergo ad praxim, ſi dicatur dari delectationem ſenſibilem licitam. 56. *Hæc quæſtio deſeruit ad praxim.*

Mihi omninò certum eſt, dari delectationes ſenſibiles illicitas, quæ nullatenus ſint intentiones efficaces, neque reſpectu actus venerei completi, neque reſpectu commotionis ſpirituum genitalium. Quæ delectationes cùm illicitæ ſint, non poſſunt in ſententia Caramuelis dici ſpeculatiuæ, ideóque neceſſariò ab eo computandæ ſunt inter practicas. Item cùm delectatio practica ſit illa, quæ ſequitur cogitationem veneream practicam, ſiue prouocatiuam, ex dictis ſuprà *cap.2. num.15.* & omnis delectatio ſenſibilis ſequatur cogitationem prouocantem ad illam; ſit, omnem delectationem ſenſibilem, & omnino inefficacem eſſe practicam; falſumque eſſe, ſolam delectationem, quæ eſt intentio efficax, eſſe delectationem practicam. 57. *Dantur delectationes internæ, quæ non ſunt intentiones efficaces.*

Omitto autem argumentum, quod deſumi poteſt ex eo, quod delectationi formaliter repugnat eſſe intentionem efficacem: quia inæ 58.

Digitized by Google

tentio efficax eſt actus deſiderij, vtpote terminatus ad obiectum, quod non ſupponitur poſſeſſum, ſeu præhabitum; delectatio autem formaliter eſt tendentia ad obiectum vi poſſeſſum, ſaltem obiectiuè, ſiue conſideratum vt præſens.

59. Reſpondebit enim Caramuel, ſe non loqui de formalitatibus, ſed de realitatibus: quamvis enim delectatio formaliter non ſit actus deſiderij, neque è conuerſo; non tamen repugnat, eas duas formalitates in vnam entitatem realem conuenire.

60. Dari ergo eas delectationes omninò inefficaces, oſtendo primò. Petrus internè delectatur de fornicatione priùs à ſe habita: & quia timet, ne prouocetur ad pollutionem, quam deteſtatur, poſitiuè reſiſtit commotioni ſpirituum, & delectationi externæ. In hoc caſu dum voluntas gaudet de fornicatione, ex ſympathia rapit ad ſimilem actum potentiam appetitiuam corpoream, cuius actum voluntas non habet pro obiecto. Deinde licèt detur commotio ſpirituum, quæ orta eſt ex ſympathia appetitus corporei, & licèt ad commotionem ſubſequatur delectatio externa, neutra eſt volita, vt ſuppono. In hoc caſu nullus actus datur, qui ſit intentio efficax: non actus voluntatis, quæ neque habet pro obiecto actum appetitus, neque commotionem ſpirituum genitalium, cui poſitiuè reſiſtit; neque delectationem externam, cui etiam reſiſtit voluntas: non actus appetitus corporei, qui non terminatur ad aliud obiectum, quàm ad illam carnalem copulam: ergo tunc nullus actus voluntatis, vel appetitus corporei eſt, qui non ſit inefficax; nullus, qui ſit intentio efficax.

61. In ſolutione huius argumenti differunt communis ſententia, & ſententia Caramuelis. Nam ſententiam communem non vrget, & ſententiam Caramuelis debellat. Sententia communis dicit, actum delectationis internæ eſſe peccatum; quia delectatio interna eſt cauſa per ſe commotionis ſpirituum, eo quod iſtam excitat per ſympathiam, & connexionem, quam delectatio interna habet cum ea commotione. Sententia autem Caramuelis, quæ omnem delectationem ſenſibilem vult eſſe intentionem efficacem commotionis, deficit in hoc caſu, in quo datur delectatio ſenſibilis, quin ſit intentio efficax commotionis.

62. Dices primò, eam delectationem inefficacem voluntatis eſſe ſpeculatiuam, conſequenterque licitam, atque adeò non eſſe delectationem practicam.

63. Id tamen ſuſtineri nequit: primò, quia eſt contra ipſum Caramuelem, qui *fund.* 57. *n.* 1650. verbis relatis ſuprà *cap.* 4. *num.* 33. affirmat eſſe peccatum mortale illam cogitationem ſpiritualem, [quam concomitatur delectatio moroſa ſenſibilis ex commotione humorum ſeminalium ſubnaſcens:] quod à fortiori de ipſa delectatione voluntatis aſſerendum eſt, quando ea delectatio moroſa externa, & ea commotio ſpirituum carnalium concomitatur; vt contingit in præſenti caſu. Cùm ergo in eius ſententia delectatio ſpeculatiua ſit licita; hæc autem, quam comitatur commotio, ſit illicita, manifeſtè colligitur, hanc non eſſe ſpeculatiuam, ſed practicam.

Secundò. Nam delectatio practica ex dictis ſuprà *cap.* 2. eſt actus appetitiuus, qui ſequitur actum cognoſcitiuum practicum, & ex modo ſuo cognoſcendi prouocantem ad delectationem. Inintelligibile enim eſt, quod appetitus delectetur, & quòd non ſequatur cognitionem prouocantem ad delectationem: talis eſt delectatio in hoc caſu: ergo practica. 64. *Ea delectatio inefficax eſt practica, ideòque illicita.*

Tertiò. Ideò delectatio, quæ eſt intentio efficax commotionis ſpirituum genitalium, eſt practica, & illicita, quia eſt cauſa per ſe eius commotionis: ſed delectatio inefficax, quæ non intendit efficaciter eam commotionem, etiam eſt cauſa per ſe eius commotionis; cùm ea delectatio ratione ſui habeat connexionem cum prædicta commotione; de quo vide *c.* 7. *art.* 4. ergo ea delectatio inefficax eſt practica & illicita. Huc reuoca ea omnia, quæ *diſp. præcedenti, cap.* 3. *&* 5. dicta ſunt ad probandum, quaſcumque delectationes venereas ſenſibiles eſſe illicitas. Item ea omnia, quibus *cap.* 4. probatum eſt etiam delectationem ſpiritualem voluntatis de obiecto turpi eſſe illicitam; ſub hac enim comprehenditur ea, quæ ſit omninò inefficax. 65. *Delectatio, quæ eſt cauſa per ſe commotionis, practica eſt.*

Dices ſecundò, eo ipſo, quod voluntas velit ſenſibiliter delectari, neceſſe eſſe, quod actus voluntatis terminetur tanquam ad obiectum ad ſenſibilem delectationem: qui actus cùm ſit conſenſus efficax, erit intentio efficax prædictæ delectationis ſenſibilis. 66.

Refellitur primò. Nam vt delectetur ſenſibiliter, non eſt neceſſe, quod velit ſenſibiliter delectari; hoc eſt, non eſt neceſſe, quod reſpiciat pro obiecto ſenſibilem delectationem; ſed ſatis eſt, quod in actu exercito delectetur, hoc eſt, quod habens pro obiecto copulam præteritam ad inſtar præſentis, delectetur de illa. Quod ſi dicas, id non eſſe delectari ſenſibiliter voluntatem, cùm voluntas non habeat in ſe ipſa modum complacendi ſenſibilem. Occurro: ſufficienter enim intelligitur, quod delectetur ſenſibiliter, per hoc quod voluntas gaudeat & complaceat in prædicta copula, rapiens ſecum per ſympathiam appetitum corporeum ſenſibilem. 67. *Vt quis delectetur, non eſt neceſſe, quod voluntas habeat pro obiecto delectationem.*

Refellitur ſecundò. Voluntas enim poteſt habere pro obiecto ſuæ delectationis ipſam delectationem ſenſibilem, quin ſit intentio efficax illius, vt conſtabit ex duplici argumento ſequenti. 68.

Oſtendo ſecundò concluſionem. Inſurgit quandoque commotio ſpirituum genitalium ex abundantia humoris, & inuoluntariè: tunc autem ille homo gaudet & delectatur de illa commotione priùs exorta. In hoc caſu datur delectatio voluntatis & appetitus corporei de commotione ſpirituum, quin ea delectatio ſit intentio efficax eius commotionis: & tamen ea delectatio illicita eſt, atque adeò practica: ergo poteſt dari delectatio practica, quæ non ſit intentio efficax. Conſequentia tenet, & Minor eſt indubitabilis. Et maior etiam patet. Nam ea delectatio præſupponit iam commotionem exercitam: repugnat autem intentio efficax eius, quod iam habetur. 69.

Dices. Qui delectatur de commotione iam exorta, vi eius delectationis exponitur periculo augendi eam commotionem: quod ſi auget, poterit eſſe intentio efficax eius augmenti. 70.

menti. Contra eſt. Quia ſicut contingens eſt, quòd vi eius delectationis augeat commotionem, etiam contingens eſt, quod non augeat: ergo caſu quo non augeat, dabitur delectatio inefficax, quin ſit intentio efficax commotionis.

71. Oſtendo tertiò. Poteſt homo delectari ſenſibiliter de copula illicita priùs à ſe habita, quin ea delectatio ſit intentio efficax præfatæ copulæ: ergo poteſt homo delectari ſenſibiliter de commotione ſpirituum genitalium, quin ea delectatio ſit intentio efficax eius commotionis. Conſequentia patet ab identitate rationis: nam delectatio venerea ſolùm requirit, quod detur obiectum delectabile, quo voluntas & appetitus fruantur, & quòd harum potentiarum actus ex ſympathia concitent ſpiritus genitales. Cùm ergo circa vtrumque obiectum id eueniat in ea delectatione; circa vtrumque, vel circa neutrum poterit inefficaciter procedere. Sed certum eſt, quod circa primum poteſt inefficaciter procedere: ergo & circa ſecundum.

72. Oſtendo quartò. Ad quamlibet cogitationem prouocatiuo modo cognoſcentem obiectum venereum alteratur caro, & ſubſiliunt ſpiritus carnales, teſte experientia: ergo iſti non ſubſiliunt ſolùm, quando datur intentio efficax commotionis eorum; ſed ad quamlibet cogitationem prædicti generis, aut appetitionem inde ſubſecutam, quantumvis inefficacem omninò: ergo quævis appetitio corporea, quantumvis inefficax, excitat per ſympathiam commotionem ſpirituum: ergo inefficax & practica eſt. Inefficax quidem, vt conuincit argumentum. Practica verò, quia ſecundùm Caramuelem, & omnes, non poteſt eſſe ſpeculatiua, quæ vſque ad commotionem ſpirituum genitalium, inchoationemque copulæ generatiuæ progreditur.

73. Oſtendo quintò. Qui nihil cogitans de commotione carnis actualiter habenda, nihil aduertens ad delectationem externam potentiæ tactiuæ, delectatur de fornicatione priùs à ſe habita, non habet intentionem efficacem commotionis; quia nihil volitum, quin præcognitum: & tamen in eo caſu commouetur caro, & ſubſiliunt ſpiritus genitales: ergo iſti ab alio principio excitantur, quàm ab intentione efficaci, quæ tunc datur: ergo à delectatione interna inefficaci appetitus corporei; cui ſi conſentiat voluntas per complacentiam inefficacem, delectatio hæc erit illicita: ergo inefficax, & practica.

74. Oſtendo ſextò. Quando in voluntate datur intentio efficax commotionis ſpirituum genitalium, hæc intentio non eſt ſufficiens ad excitandam commotionem, niſi voluntas applicet alias cauſas immediatas, vel ipſa intentio admixta ſit delectatione; ſi tamen ipſa intentio efficax non ſit realiter delectatio de obiecto venereo (vt poteſt contingere) ipſa per ſe non ſufficit ad excitandam commotionem. Sola enim voluntas commouendi ſpiritus, ex ſola cognitione commotionis ſpirituum, & nullo alio obiecto venereo prouocante, non commouet ſpiritus; ſi autem cogites de copula illicita, vel tactu impudico; vel inclines affectu venereo in fœminam, ſtatim commouentur ſpiritus.

Tum ſic. Intentio efficax commotionis, quæ intentio non eſt realiter delectatio, debet applicare alias cauſas immediatas: ſed hæ cauſæ 75.
immediatæ non debent eſſe aliæ intentiones efficaces, vt per ſe patet: (ad quid enim eſſent duæ intentiones efficaces, vna poſt aliam?) Sed ſunt cognitio obiecti venerei prouocatiua, & delectatio potentiæ appetitiuæ, quæ illam cognitionem ſubſequitur: quæ delectatio cùm procedat tanquam à principio ab ea intentione efficaci, non eſt cur ipſa etiam ſit intentio efficax: ergo commotio ſpirituum poteſt procedere à delectatione, quæ non ſit intentio efficax, tanquam à cauſa immediata: ergo quamvis non detur intentio efficax, poterit etiam procedere à delectatione inefficaci tanquam à cauſa immediata: ergo talis delectatio inefficax eſt, ſimul & practica; cùm ſit ſimul inefficax, & commouens ſpiritus.

Et hinc conſtat, quid ſentiendum ſit de ea 76.
aſſertione Caramuelis, quam propoſuit *diſput.67.in Regul.num.*1041. & retuli ſuprà *cap.*1. *num.* 9. nempe: [Si quærimus moroſæ delectationis quà peccaminoſæ directam cauſam, reperiemus eſſe aſſenſum in illam, non aliam.] Quod duobus modis poteſt intelligi: vel quia nulla alia cauſa directa commotionis ſpirituum ſit, niſi aſſenſus efficax eius commotionis; vel quia licèt detur alia cauſa directa illius commotionis, non datur in illa commotione, & delectatione externa ſubſecuta peccatum directè volitum, niſi detur actus voluntatis, qui talem commotionem efficaciter intendat.

Et quidem ſi primo modo intelligatur, fal- 77.
ſum eſſe conuincitur ex dictis in hoc capite *num.* 74. cùm ſola intentio efficax commotionis, quæ delectatio non ſit, non poſſit commotionem excitare, niſi applicando aliam, vel alias cauſas immediatas per ſe. Si verò ſecundo modo intelligatur, verum eſt, quia quando datur actus inefficax delectationis de copula illicita, qui actus inefficax eſt cauſa per ſe eius commotionis ſpirituum genitalium, tunc commotio non eſt volita in ſe ipſa, ſed ſolùm in in cauſa, atque adeò indirectè: quatenus ea delectatio inefficax eſt cauſa per ſe commotionis, determinans per ſympathiam ad talem commotionem. Vt autem ea commotio dicatur volita in cauſa, non eſt neceſſe, quod ipſa volitio inefficax ſit volita reflexè; ſed ſufficit, quod ipſa ſit volitio libera, & cauſa per ſe commotionis.

CAPVT VII.

An cogitatio obiecti turpis, venerem excitans, ſit lethaliter illicita?

ARTICVLVS I.

Aſſertio Caramuelis, & aliqua prænotata.

IN duobus capitibus 3. & 4. loquuti ſumus 78.
de cogitatione pulchritudinis fœmineæ, qua quis excitatur ad venerem. Modò autem loquimur de cogitatione, quæ ad obiectum turpe

turpe terminatur, & ex modo ſuo cognoſcendi venerem excitat, qualis eſt cogitatio fornicationis, actus ſodomitici, & ſimilium, cogitans iſta modo prouocatiuo. Et quidem non eſſet neceſſarium hanc denuo quæſtionem inſtituere, cùm fortior ratio militet pro huius quæſtionis affirmatiua parte; niſi adhuc noua lis ineunda nobis eſſet cum alia aſſertione Caramuelis *in ea diſp.* 67. *in Regul.num.* 1050. §. *Caius*, quam proponit his verbis: [Caius vtilis, aut inutilis ſpeculationis gratiâ, concipit mente magnam mulieris pulchritudinem, modum aliquem peccandi, aut aliquod obiectum ſenſuale, ita vt intendat merè illud ſpeculari. Interim contra voluntatem ipſius ſenſus morosè excitatur, & renitente voluntate polluitur. Rogas, vtrum talis peccauerit? Videtur, quod ſic: nam potuiſſet ceſſare ab illa cogitatione, & ſic non pollueretur. Reſpondeo tamen eum non peccaſſe, ſi non præbuiſſet aſſenſum in pollutionem, nec ſe expoſuiſſet aſſentiendi periculo. Ratio eſt, quia cogitatio non eſt cauſa per ſe illius pollutionis. Et ideò qui vult cogitationem expreſsè & directè, non videtur velle implicitè & indirectè pollutionem, quæ in tali cogitatione nullatenus vt in principio continetur, ſed potiùs ſubſequitur per accidens. Et ſic in ſimilibus philoſophare.]

Ait, eum, qui ſpeculatur pulchritudinem fœminæ & modum peccandi cum ea, vſque ad pollut. inuolunt. non peccare.

79. In quibus verbis multa notanda veniunt. Primum, iam non loqui ſolùm de cogitatione pulchritudinis fœminæ, ſed etiam de obiecto magis prouocante, nempe de modo peccandi cum ipſa, v.g. per copulam carnalem. Secundum, talem cogitationem eius eſſe qualitatis, vt cauſet commotionem ſpirituum carnalium, ita vt perueniat homo ad pollutionem, licèt inuoluntariam directè. Tertium, ideò eam cogitationem ratione ſui eſſe licitam, quia non eſt cauſa directa pollutionis; qua ratione verificatur, quod pollutio non eſt volita in cauſa. Quartum, id ita aſſerendum, quamvis nullum habeat finem bonum, ad talem cogitationem aſſumendam.

80. Et in primis doceri vellem, quæ cogitatio venerea eſt practica, ſi ſpeculatiua eſt illa, quæ cogitat fœminæ pulchritudinem, & modum copulæ fornicariæ cum illa habendæ, ita vt excitetur commotio ſpirituum carnalium, & re ipſa prouocet ad venerem? Præcipuè cùm docuerit Caramuel, eſſe cogitationem ſpeculatiuam, quæ eſſentiam ſenſualitatis in communi contemplatur, vt habes in verbis relatis ſuprà *num.* 2.

81. Deinde fateor, eum qui voluerit merè ſpeculari obiectum venereum (ſine periculo delectationis, modo inferiùs exponendo) non peccare. Nam qui vult dumtaxat ſpeculari obiectum venereum, reſiſtit cogitationi practicæ, ſiue illi, quæ prouocat ad libidinem: quo caſu ſi cogitatio practica aduenit, inuoluntaria eſt.

82. Hinc fit, implicare terminos eam aſſertionem Caramuelis, dum ex vna parte dicit, eum hominem in tali caſu intendere merè ſpeculari obiectum venereum; & ex alia parte affirmat, eum hominem voluntariè admittere cogitationem allicientem actualiter ad venerem, & excitantem commotionem ſpirituum carnalium. Id enim eſt voluntariè admittere cogitationem practicam, nec contentum eſſe cogitatione dumtaxat ſpeculatiua.

Implicat, cogitationem eſſe ſpeculatiuam, & prouocatiuam ad venerea.

Et quia admittere inſtitui ferè omnia, quæ Authores probabiliter dicunt; in hac quoque quæſtione de cogitatione obiecti venerei admitto: de qua quidem pauciſſima ſcripſerunt Authores. Et modò non eſt quæſtio de delectatione, qua quis delectatur de ſola cogitatione obiecti venerei; de quo dixi ſuprà. Sed eſt quæſtio de ipſa cogitatione obiecti venerei, an illicita ſit, ita vt accedente conſenſu voluntatis peccet lethaliter, qui mente reuoluit venerea. 83.

Igitur Authores obiter & per tranſennam aſſeruerunt, licitam eſſe cogitationem obiecti venerei, ſecluſo periculo vlterioris lapſus. Ita P.Th.Sanch. *lib.* 1. *ſum.cap.* 2. *num.* 4. P.Leſſius *lib.* 4. *de virtutib. cap.* 3. *num.* 108. P.Fagundez *lib.* 9. *in Decalog. cap.* 1. *num.* 18. & 19. & apud ipſum Sylueſter *verb. Delectatio*, *num.* 2. §. *Tertium.* Imò & S.Th. 1.2. *quæſt.* 74. *art.* 8. in tertio argumento, quod initio ſibi opponit, ait: [Sed cogitatio interior non eſt peccatum mortale, nec etiam conſenſus in cogitationem.] Ad tertium reſpondet: [Ad tertium dicendum eſt, quod ratio illa procedit de delectatione, quæ habet cogitationem pro obiecto.] Vbi videtur ſupponere, neque cogitationem, neque conſenſum in illam eſſe peccatum lethale. 84.

1. Sent.

Licitam eſſe cogitationem obiecti venerei.

Addit P. Th. Sanch. licere delectationem de ſola cogitatione, ſecluſo periculo conſenſus in delectationem. Et quamvis non expreſſit de cogitatione ipſa, ſed de delectatione in cogitatione; videtur eadem eſſe ratio de vtraque. Et ita etiam intelligendi ſunt aliqui ex citatis Authoribus, qui etiam eodem modo meminerunt periculi. 85.

Oppoſitam partem videtur tenere P.Tamburinus *lib.* 10. *in Decalog. cap.* 1. *num.* 8. vbi ſic ait: [Difficultas eſt, ſi ſit (imaginatio, vel cogitatio intellectualis) in rebus obſcœnis ſolùm ob delectationem, quæ ipſa imaginatione ſentitur, ibique perſiſtat, an ſit peccatum mortale? Et aſſero, eſſe ſemper mortale.] 86.

2. Sent.

ARTICVLVS II.

Statuitur reſolutio quæſtionis circa cogitationem ſpeculatiuam.

SIt prima concluſio. Cogitatio obiecti venerei purè ſpeculatiua (ſiue intellectus, ſiue ſenſus interni) licita eſt, etiam ſine cauſa vtili; ſecluſo periculo conſenſus in cogitationem practicam, vel in delectationem illicitam internam, aut externam. 87.

Cogitatio purè ſpeculatiua obiecti venerei eſt licita, abſque periculo, &c.

Probatur prima pars. Cogitatio obiecti venerei purè ſpeculatiua eſt, quæ repræſentat obiectum venereum modo non prouocante ad venerem: cogitare autem hoc modo obiectum venereum, non eſt vnde ſit illicitum ex ſe, cùm ſolùm ex prouocatione ad venerem poſſet eſſe illicitum. 88.

Secunda autem pars, quod ea cogitatio ſpeculatiua ſit illicita, ſtante periculo, quod illa tranſeat in cogitationem practicam conſentiente voluntate in illam, vel in delectationem illicitam, patet ex concluſione ſecunda: tale enim eſt periculum, qualis eſt lapſus, ad quem inclinat periculum: ſed conſentire in 89.

Digitized by Google

in cogitationem obiecti venerei practicam grauiter prouocantem, eſt peccatum lethale, vt conſtabit ex concluſione ſecunda: & conſentire in delectationem illicitam, eſt peccatum lethale, vt conſtat *ex hac diſputat. cap.* 3. & *ex tota diſputat. præcedenti*: ergo ſi ea cogitatio purè ſpeculatiua afferat eiuſmodi periculum, eſt peccatum lethale. Et hoc intellige tam de periculo probabili, quàm de proximo. De quo vide *diſp.* 18.

90. *In eo ſenſu loquuntur DD. citati.* Hanc concluſionem dumtaxat intendunt Authores citati *art. præcedenti, num.* 84. Qui dum docent, licitam eſſe cogitationem obiecti venerei, vel delectationem de illa; ſe explicant in cogitatione rei quatenus nouæ, artificioſæ, ſubtilis, admirandæ. Item loquuntur, quatenus requiritur ad ſtudendum, audiendum confeſſiones, &c. Ad quæ non requiritur cogitatio practica, ſed ſufficit ſpeculatiua, quæ contemplatur modum ſubtilem, artificioſum, &c. P.Th.Sanch. *loco cit. eo num.* 4. loquens de delectatione in ea cogitatione, ait: [Ratio eſt, quòd tunc voluntas non delectatur de malo vt malum eſt, ſed de aliqua boni ratione in peccato inuenta, nempe de curioſa & ſubtili inuentione.] Et *num.* 5. [Tunc enim ea delectatio verſatur circa rem, quatenus eſt mira, & rara; & ſic potiùs eſt de cogitatione ipſa.] Vbi vides, eum loqui de cogitatione, vt contemplatur rem, quatenus miram, & raram. Et ex ratione, quam affert, colligitur, loqui de cogitatione merè ſpeculatiua, & non prouocante ad venerem. Ait enim: [Quoniam obiectum intellectus, cùm formaliter ſit verum, quod æquè in bono & malo obiecto reperitur, non eſt per ſe *intellectui* minùs conueniens, ſi ſit malum.] *Intellectui*, dixit, quia ſi eſt prouocatiuum, non intellectui, ſed voluntati malum eſt; & iam conſideratur in eo alia ratio, præter rationem veri. Et P.Leſſius *ibid. cit.* probat, delectationem de cogitatione obiecti venerei eſſe licitam, quia [Opus, ex quo naſcitur, non eſt malum, ſed bonum, vel quid indifferens; nimirum notitia veritatis, vel rei raræ, & admirandæ viſio: quam notitiam, & viſionem, homines magni æſtimant, etiamſi obiectum, circa quod verſatur, maximè execrentur... Hoc modo delectantur homines lectione, vel narratione præliorum, duellorum, & rerum admirandarum, quæ per artem magicam fiunt; vel eorum, quæ pertinent ad opus generationis, & conceptum prolis, abſque tamen affectu ad res ipſas.] Quæ omnia denotant cogitationes dumtaxat reſpicientes verum, & non tendentes ad prouocationem veneream, odioſam, aut magicam. Et P.Fagundez citatus ait: [Obiectum delectationis huius cogitationis eſt ſpeculatio, ſeu potiùs cogitatio quædam noua, mira, ſubtilis, & ingenioſa, in qua ſubtilitate nullum eſt peccatum.] Neque huic concluſioni reſiſtit P. Tamburinus, vt mox videbimus.

ARTICVLVS III.

Proponitur ſecunda concluſio circa cogitationem practicam; & præmittitur notabile.

SIt ſecunda concluſio, quam omninò certam exiſtimo, & aſſero. Cogitatio obiecti venerei practica (ſiue ſit actus intellectus, ſiue ſenſus interni) eſt illicita. Vnde qui efficaciter conſentit in illam, aut intendit poſitiuè eam cogitationem practicam veneream grauiter prouocantem, peccat mortaliter. Huic concluſioni non reſiſtunt Authores citati *art.* 1. *&* 2. qui, vt proximè notauimus, manifeſtè loquuntur de cogitatione merè ſpeculatiua, & quæ non prouocat ad venerem. Et hæc eſt, quam intendit P.Tamburinus citatus, qui expreſsè loquitur de ea cogitatione, quæ excitat commotionem ſpirituum carnalium. Expreſſit etiam P.Leſſius *lib.* 4. *de virtutib. cap.* 3. *num.* 102. Eſt tamen hæc concluſio contra Caramuelem, qui quamvis loquatur de cogitatione venerea merè ſpeculatiua, ſimiliter loquitur de ea quæ acriter prouocat ad venerem, vt ſuprà notaui *num.* 78. 91. *Cogitatio practica obiecti venerei eſt illicita.*

92. *Cogitatio practica veneris eſt cauſa per ſe cõmotionis ſpirituum.* Pro cuius demonſtratione præmitto, cogitationem practicam obiecti venerei eſſe cauſam per ſe commotionis ſpirituum carnalium, & delectationis externæ, determinantem ad illam. Hæc poſitio manifeſta eſt: patet enim ex ipſa experientia, qua videmus, ſtatim atque cognoſcitur obiectum venereum modo prouocatiuo; ſubſilire ſpiritus carnales, & ſentiri delectationem externam. Imò non vtcumque eſt cauſa per ſe, determinans ad commotionem ſpirituum, ſed cauſa per ſe deſtinata ab ipſa natura ad promouendam generationem; ſine qua ipſa generatio non poſſet inchoari, & promoueri: nam inſtrumenta generationis, quæ ſunt hi ſpiritus commoti, ceſſante cognitione & appetitione obiecti venerei, non haberent intra corpus humanum cauſam, quæ eos excitaret ad inchoandam, & promouendam generationem; niſi fortè quando feruet nimia abundantia ſpirituum genitalium: quod in multis rarum eſt.

93. Confirmatur primò. Statim atque ponitur cogitatio prouocans ad venerem, neceſſariò reſultat commotio ſpirituum genitalium: iſta autem neceſſitas ſtare non poteſt ſine connexione neceſſaria vnius cum alio: ergo tunc datur aliquid, quod connectatur neceſſariò cum commotione ſpirituum. In eo euentu non eſt aliud, quod connectatur neceſſariò cum ea commotione ſpirituum, niſi cognitio prouocatiua, & actus appetitiuus: ergo vel cognitio prouocatiua, vel vterque actus habet eam neceſſariam connexionem cum commotione ſpirituum. Quod autem id ſufficiat, & ſit cauſa per ſe, conſtabit ex dicendis.

94. Confirmatur ſecundò. Nullus effectus phyſicus fit ſine cauſa per ſe determinante ad illum: ſed nulla eſt cauſa per ſe, quæ determinet ad commotionem ſpirituum (in pluribus euentibus, præcipuè quando non nimium feruet abundantia humoris ſeminalis) niſi cogitatio practica obiecti venerei: ergo hæc eſt cauſa per ſe determinans ad commotionem.

Minor

Digitized by Google

Minor patet. Non enim determinat ipſa potentia commotrix, quæ niſi aliunde prouocetur, non determinat ad talem commotionem. Non actus efficax voluntatis intendentis commotionem, quia plerumque non datur, etſi detur commotio.

95. *Cogitatio practica non eſt cauſa cõmotionis in genere efficientis.* *Sed in genere determinantis.*

Notandum tamen eſt, prædictam cogitationem practicam non eſſe cauſam eius commotionis ſpirituum in genere efficientis, ſed ſolùm in genere determinantis; vt notaui *diſput. præcedenti, num.* 15. ſicut etiam actus appetitus corporei terminatus ad obiectum venereum. Determinant autem ad commotionem ſpirituum per ſympathiam & connexionem, quam habent cum prædicta commotione. Id autem ſufficit ad hoc, quod ea cognitio practica, & appetitio obiecti venerei ſint cauſæ per ſe commotionis ſpirituum, ſaltem in æſtimatione prudentum: hæc enim cauſalitas eſt per modum antecedentis inferentis neceſſariò conſequens. Nam qui applicat ignem ſegeti, licèt non ſit cauſa phyſica ignis denuo accenſi in materia ſegetis; tamen in genere moris eſt cauſa per ſe ignis accenſi, & cui effectus attribuitur in æſtimatione prudentum ob connexionem, quam habet applicatio hominis cum actione ignis.

96. Et quidem ſi hoc non ſufficeret, vt ea cognitio practica cenſeretur cauſa per ſe commotionis ſpirituum, fieret, quòd voluntas efficax non eſſet cauſa per ſe obiecti efficaciter voliti, putà motus brachij, vel manus: cùm voluntas efficax non concurrat efficienter ad motum brachij; ſed ſolùm determinet potentiam motricem per ſympathiam & connexionem ad mouendum brachium. Quod ſi ad libitum dicas, voluntatem efficacem habere veram efficientiam in motum localem, comeſtionem, locutionem, &c. eandem efficientiam debes ponere in cogitatione practica obiecti venerei, & in actu appetitus corporei reſpectu commotionis ſpirituum. Nam ad ponendam cauſalitatem effectricem in actu efficaci voluntatis, non eſt alia ratio, niſi quòd ad poſitionem actus efficacis neceſſariò ponitur motus brachij, comeſtio, & locutio: ſed ſimiliter ad cogitationem delectationis practicæ, & appetitionis venereæ ponitur neceſſariò commotio ſpirituum, experientia teſte: ergo eandem cauſalitatem effectricem deberes ponere in cogitatione practica, & appetitione obiecti venerei reſpectu commotionis ſpirituum.

97. Dicet fortaſsè aliquis, eam cogitationem practicam obiecti venerei eſſe ſolùm cauſam mediatam commotionis ſpirituum carnalium; cauſam verò immediatam commotionis eſſe actum appetitus corporei, qui ſubſequitur eam cogitationem; eam autem cogitationem practicam obiecti venerei dumtaxat concurrere mediatè, quatenus determinat ad actum appetitus corporei, qui ad eam commotionem ſpirituum carnalium immediatè determinat.

98. Id tamen leue eſt. Primò. Nam ſine fundamento dicitur, ſolum appetitum corporeum excitare commotionem ſpirituum. Nam cùm ad hoc non ſit alia ratio, quàm quæ deſumitur ab experientia, & hæc doceat, ſtatim atque cogitatur obiectum venereum modo prouocatiuo, ſubſilire ſpiritus carnales; non eſt ratio, ob quam denegetur cogitationi practicæ corporeæ, imò & intellectuali, vis ſympathica immediata reſpectu commotionis ſpirituum.

Secundò. Dato, quod cogitatio ſenſus interni habeat connexionem dumtaxat cum actu appetitus corporei, & non cum commotione ſpirituum; actus autem appetitus corporei habeat eam connexionem cum commotione, id nihil obſtat, quominus prædicta cogitatio practica obiecti venerei ſit cauſa per ſe determinans ad commotionem ſpirituum. Nam licèt in genere cauſæ phyſicæ cauſa mediata non ſit cauſa per ſe; non ſic in genere moris, ſiue in æſtimatione prudentum, iuxta quam etiam cauſa mediata eſt cauſa per ſe, cui verè attribuitur effectus. Suaſi Petro, vt efficaciter ſuadeat Ioanni furtum; & Petrus mea ſuaſione obſtrictus ſuaſit efficaciter Ioanni furtum. Vtique mihi attribuitur id furtum, & teneor reſtituere, ſaltem ſi neuter eorum ſatisfacit: ergo ſuaſor mediatus eſt cauſa moralis per ſe furti, cui furtum attribuitur. 99.

In genere moris cauſa mediata eſt cauſa per ſe.

Id, quod cernitur in horologio, in quo pondus eſt cauſa per ſe ſonitus deſignantis horam, ſaltem in æſtimatione prudentum: cùm tamen pondus non moueat niſi primam rotam, & prima moueat ſecundam, & ſecunda tertiam, & tertia moueat inſtrumentum pulſans campanam, inſtrumentum autem efficiat pulſationem, & pulſatio ſonitum. Vnde ſi deficiente pondere horologij, Petrus impulſu manuum traheret funem appenſum ex prima rota, quam ſic moueret, Petrus eſſet cauſa per ſe determinans ad ſonitum horologij; ſicut etiam ſonitus aliarum campanarum attribuitur tanquam cauſæ per ſe illi, qui funem ad pulſationem trahit. Eodem modo contingit in delectatione externa, ſi dicamus, ſolum appetitum corporeum habere vim ſympathicam reſpectu commotionis ſpirituum. Nam cogitatio intellectualis practica de obiecto venereo per ſympathiam determinat ad actum ſenſus externi de eodem obiecto: iſta determinat ad actum appetitus corporei; iſte eodem modo determinat ad commotionem ſpirituum carnalium; hæc commotio producit ſui ſpeciem, ſi hæc datur; ſpecies autem determinat in genere efficientis potentiam tactiuam ad delectationem externam. Vnde ſi cogitatio intellectualis practica obiecti venerei fuit primus actus, illi tanquam primo mouenti, & cauſæ per ſe attribuitur delectatio externa. 100.

Conuincitur exemplo horologij.

Et ratio horum eſt. Nam cùm iſtud genus cauſalitatis ſit per modum illationis fundatæ in phyſica connexione, quæ conuenit rei connexæ ratione ſuæ entitatis; & illatio ſit legitima, quantumvis antecedens ſit mediatum; ſit, quod antecedens mediatum, cui competit connexio ratione ſuæ propriæ entitatis, & non ratione accidentis; illud, inquam, antecedens mediatum cenſeatur tam cauſa per ſe effectûs, quàm eſt ratione ſui illatiuum conſequentis. Vide *diſp. præced. cap.* 2. *numero* 16. 101.

Ratio manifeſta.

Deinde: quia ſi cauſa mediata non ſit cauſa per ſe, fiet, quod actus efficax voluntatis, quo quis intendit delectationem externam, non ſit cauſa per ſe talis delectationis. Quo quid 102.

Digitized by Google

quid abſurdius? Fieri autem, eſt manifeſtum. Quia voluntas efficax, quantumvis velit delectationem externam, nihil aget, niſi applicet media, ſiue cauſas immediatas; quia voluntas efficax non habet immediatam vim obtinendi delectationem externam, niſi per cauſas immediatas, ſcilicet per commotionem ſpirituum, ſicut etiamſi habeas voluntatem efficacem audiendi, ſi nullus eſt ſonitus; niſi tu aliquem ſonitum edas, non poteris audire. Vnde voluntas efficax delectationis externæ priùs determinat ad cogitationem obiecti corporei, & (ſi iſta eſt cauſa mediata commotionis) cogitatio determinat ad appetitionem; appetitio autem determinat ad commotionem ſpirituum, & hæc ad delectationem externam. Similiter actus efficax eſt cauſa per ſe peccati externi, v. g. ad quod obtinendum ſæpe ponit multa media, & cauſas immediatas: vnde cùm voluntas efficax furti ſit cauſa mediata illius, eſt tamen cauſa per ſe.

103. Sed obiicies cum Caramuele *diſp. 67. in Regul. num.* 1043. vbi putauit, cogitationem veneream eſſe cauſam per accidens delectationis externæ. Et ita agens de cogitatione venerea, & delectatione tactus libidinoſi, ita arguit. [Hic enim (tactus; ſic vocat actum potentiæ tactiuæ) ſine illa, (cogitatione venerea) & hæc ſine altero reperitur frequentiùs. Vnde ſi contingat, illa ſimul operari, eſt per accidens; quia ſicut viſui, & auditui contingit per accidens, quod ſimul operentur; ita tactui & tali cogitationi eſt accidentale, quod coniungantur, cùm poſſint ſeorſim perſiſtere: vt patet in ſomnis, in quibus ſenſualitas ſæpe excitatur; cogitatio autem & voluntas quieſcunt: ſolúmque operatur phantaſia, & appetitus materialis.]

104. Reſpondetur in primis, etſi totum, quod intenditur in argumento, concederemus, nihil contra nos, qui contenti ſumus, ſi admittatur, vt debet admitti, cogitationem corpoream ſenſus interni eſſe cauſam per ſe commotionis ſpirituum genitalium, & delectationis externæ: quidquid ſit an cogitatio intellectualis ſit cauſa per ſe, vel non ſit eius commotionis, & delectationis.

105. Reſpondetur ſecundò, in hoc argumento verificari axioma Dialecticum, nempe, [Argumentum, quod multùm probat, nihil probat.] Hoc enim argumentum Caramuelis probat, etiam contra ipſum, voluntatem efficacem delectationis externæ non eſſe cauſam per ſe illius. Sæpe enim contingit dari pollutionem ſine voluntate efficaci illius; ſæpe etiam dari voluntatem efficacem pollutionis ſine tali pollutione, defectu potentiæ proximæ.

106. Peſſima cõſequentia. Reſpondetur tertiò, hanc eſſe malam conſequentiam: [Iſtud poteſt reperiri ſine illo, & è conuerſo: ergo vnum non eſt cauſa per ſe illius.] Nam præter exemplum proximè propoſitum de actu efficaci, ſunt alia multa, in quibus inanitas conſequentiæ conſpicitur. A, produxit ignem B, & fuit cauſa per ſe huius: & tamen ignis A, poteſt eſſe cauſa ſine igne B, & ignis B, potuit exiſtere ſine A; ſi tamen produceretur ab alio igne. Id, quod etiam cernitur in cauſalitate morali. Nam cùm Petrus combuſſit ſegetem, fuit cauſa moralis per ſe eius damni: & tamen combuſtio ſegetis potuit contingere ſine actione Petri, quia potuit procedere ab alio; & actio Petri applicatiua ignis potuit ſtare ſine combuſtione ſegetis, igne, vt fieri potuit, impedito.

Vbi etiam obiter notabis, eſſe manifeſtè 107. *An in ſomnis operentur intellectus, & voluntas?* falſum id, quod ſupponit; nempe in ſomnis non operari intellectum & voluntatem. Euidens enim experientia teſtatur oppoſitum. Aliquando enim inter dormiendum diſcurſus, & ſyllogiſmos efformaui: aliique mihi teſtati ſunt, id illis eueniſſe; cum tamen phantaſia, aut imaginatiua diſcurſus efformare non poſſit.

Articvlvs IV.

Probationes ſecundæ concluſionis.

Certum eſſe, cogitationem practicam obiecti venerei illicitam eſſe, ſi eam poſitiuè, & efficaciter velit ponere voluntas, 108. *Peccat mortaliter qui efficaciter vult ponere cauſam per ſe commotionis.* oſtenditur primò. Certum eſt, illum peccare grauiter, qui efficaciter vult ponere cauſam per ſe commotionis ſpirituum & delectationis externæ (abſtraho à quæſtione de paruitate materiæ, ideoque ſemper loquor de materia graui) & determinantem ad illas: ſed cogitatio practica obiecti venerei eſt cauſa per ſe commotionis ſpirituum, & delectationis externæ, atque determinans ad illas, vt certum eſt *ex art. anteced.* ergo certum eſt peccare grauiter illum, qui efficaciter vult ponere cogitationem practicam obiecti venerei.

Syllogiſmus eſt in prima figura, & in primo 109. eius modo; ad cuius formam demonſtrandam parua verborum mutatio proderit. [Omnis, qui vult cauſam per ſe delectationis, peccat: ſed omnis, qui vult talem cogitationem, vult cauſam per ſe delectationis: ergo omnis, qui vult talem cogitationem, peccat.] Conſequentia eſt ineuitabilis. Minor clarè conſtat, vt dixi, ex notabili poſito in articulo præcedenti.

Maior eſt indubitabilis. Nam qui vult effica- 110. *Qui vult efficacem cauſam per ſe peccati, determinantem ad id, vult peccatum in cauſa.* citer cauſam per ſe peccati, & determinantem omninò ad illud, vult peccatum ipſum. Sic enim qui vult efficaciter tactum impudicum, qui hîc & nunc determinat omninò ad pollutionem præuiſam, & eſt cauſa per ſe illius, vult ipſam pollutionem, vt omnes fatentur. De quo vide P. Thomam Sanch. *lib. 9. de matrim. diſp. 45. num.* 15. vbi ſic ait: [Lex naturalis obligans ad non procurandam ſeminis effuſionem, ſubinde obligat ad vitandas cauſas per ſe, & *notabiliter influentes* ad illam, vbi ceſſat neceſſitas: perinde enim videtur tunc illas applicare, & procurare.] Nota id verbum, *Notabiliter influentes:* nos enim adhuc ampliùs requirimus, dum exigimus ſaltem cauſas *omninò determinantes.* Quod ſi hîc non inuenitur voluntas peccati in cauſa, vbi inuenietur? Cùm ponamus cauſam per ſe omninò determinantem ad effectum peccati.

Supponimus autem, loqui de effectu præui- 111. *Effectus commotionis prævidetur in cauſa.* ſo in cauſa. Quis eſt enim agnoſcens, ſe habere cogitationem practicam, quæ obiectum venereum cogitat prouocatiuo modo, qui non præuideat commotionem ſpirituum carnalium futuram? Cùm ad quamlibet cogitationem prouocantem, ſpiritus carnales citiſſimè ſubſiliant: cuius millena experimenta quotidie homines ſibi comparant.

Digitized by Google

112. *An qui ex neceſſitate vult ponere cauſam per ſe peccati, non velit peccatum in cauſa?*

Dices. Qui ponit cauſam per ſe, & notabiliter influentem in pollutionem, tamen ex cauſa vrgente, non cenſetur velle pollutionem in cauſa, vt notauit P.Th. Sanch. proximè citatus, iis verbis, *vbi ceſſat neceſſitas.* Nam qui ponit illam cauſam, vrgente neceſſitate, non tam cenſetur ponere cauſam, quàm permittere: ergo qui, vrgente cauſa, poneret eam cogitationem practicam obiecti venerei, non cenſeretur velle commotionem ſpirituum & delectationem externam, ſed permittere.

113. *Sed non habet locum in cogitatione practica venerea.*

Id tamen nihil obſtat cōcluſioni. Nulla enim cauſa poteſt vrgere, vt velis poſitiuè ponere cogitationem obiecti venerei practicam potiùs, quàm ſpeculatiuam: nulla, vt velis poſitiuè ponere cogitationem modo prouocante potiùs, quàm modo non prouocante. Quod ſi in aliquo caſu daretur talis cauſa vrgens, fateremur, tunc voluntatem non velle in cauſa eam commotionem ſpirituum & delectationem externam, ſed dumtaxat permittere. Adhuc tamen illicita eſt ea cogitatio practica, etſi non ex hoc capite, tamen ex aliis capitibus ſubiiciendis.

114. *Cogitatio practica veneris eſt inchoatio profuſionis ſeminis.*

Oſtenditur ſecundò. Cogitatio practica obiecti venerei eſt inchoatio profuſionis ſeminis: ergo illicita eſt modo explicato. Conſequentia patet. Ideò enim delectatio moroſa interna illicita eſt, quia eſt inchoatio profuſionis ſeminis, vt oſtenſum eſt *diſp. praecedenti*, & admittit Caramuel relatus *ibid. cap.* 1. *n.* 3. Antecedens probatur. Non ob aliam rationem delectatio moroſa interna eſt inchoatio profuſionis ſeminis (ſiue intra, ſiue extra copulam carnalem) niſi quia eſt cauſa per ſe commotionis ſpirituum carnalium, omninò determinans ad illam, & deſtinata à natura ad inchoandam & promouendam generationem: ſed cognitio practica obiecti venerei eodem modo eſt cauſa per ſe eius commotionis omninò determinans ad illam, & cauſa quidem deſtinata à natura ad inchoandam & promouendam generationem: ergo ea cogitatio practica obiecti venerei eſt inchoatio profuſionis ſeminis.

115. *Non quælibet cauſa vrgens ad opus eſt inchoatio operis.*

Non quælibet cauſa vrgens ad effectum eſt inchoatio illius. Cùm quis præcipit artifici, vt fabrefaciat fores ligneas, illa iuſſio non eſt inchoatio operis, quamvis ſit cauſa illius: imò neque phyſica coactio, qua adigitur artifex ad opus, eſt inchoatio operis. Item non inchoatur opus, cùm naſcitur arbor, ex qua deſumenda eſt materia lignea, neque quando ſecatur, vel in officinam ligneam portatur. Tunc autem inchoatur opus, quando inſtrumenta deſtinata ab arte incipiunt operari in materiā. Sic ſimiliter non eſt inchoatio generationis ponere alias cauſas extrinſecas, quantumvis dicas cauſas per ſe: eſt autem inchoatio eius, quando quis ponit cauſas per ſe, deſtinatas à natura ad illud opus. Cùm ergo natura inſtituerit cogitationem practicam, & appetitionem, vt cauſas per ſe ad promouendum opus generationis; tunc dicitur hæc inchoari, quando quis ponit aliquam ex prædictis cauſis. Vide *art. preced. num.* 92.

Quæ dicenda eſt inchoatio generationis.

116. Dices, commotionem ſpirituum genitalium eſſe inchoationem profuſionis ſeminis, quia ſi ea commotio perſeueret, & creſcat, tandem ſemen decidetur: at actum cognitionis practicæ venereæ, & actum delectationis internæ, etiamſi creſcant, non eſſe ratione ſui cauſas immediatas profuſionis ſeminis.

117. Id tamen ex dictis facilè reiicitur. Spiritus enim genitales ſunt præcipua inſtrumenta profuſionis ſeminis: vnde ſicut iſti ſpiritus per ſui commotionem inchoant deciſionem ſeminis; ita illæ cauſæ per ſe, quas deſtinauit natura ad illos commouendos, per ſuam cauſalitatem inchoant deciſionem ſeminis. Vnde ſi volueris diſtinguere inchoationem formalem deciſionis ſeminis, & inchoationem cauſalem; & primam tribuere commotioni ſpirituum, & ſecundam prædictis cauſis per ſe commotionis ſpirituum; non multùm contendam. Dummodo illud firmum, certumque ſit, illicitum eſſe inchoare generationem, ſiue formaliter, ſiue cauſaliter, & ponere poſitiuè cauſas per ſe deſtinatas à natura ad promouendam generationem, niſi in matrimonio.

Commotio ſpirituum eſt inchoatio formalis; & cogitatio practica eſt inchoatio cauſalis.

118. *Aſpectus oculorum obiecti venerei, quo modo ſit culpa mortalis. Et an ſit eadem ratio de cogitatione practica?*

Oſtenditur tertiò. Aſpicere firma & fixa oculorum acie membrum impudicum alterius ſexus, vel copulam carnalem viri, & fœminæ, eſt peccatum lethale, quia grauiter prouocat ad venerem, vt omnes tanquam certum admittunt: ſed cognitio eiuſdem obiecti venerei practica (abſtraho à quæſtione de paruitate materiæ) prouocat grauiter ad venerem; cùm cognitio practica obiecti venerei ſit illa, quæ cogitat modo prouocante: ergo cognitio practica eiuſdem obiecti venerei eſt peccatum lethale. Stat autem vis huius conſequentiæ in eo, quod non magis prouocat viſio obiecti obſcœni, quàm cogitatio clara & intenſa eiuſdem obiecti, vt experientia ipſa teſtis eſt.

119. Dices. Qui aſpicit membrum impudicum infantulæ per tranſennam, & ferè fortuitò, peccat venialiter, licèt aliquantulum commoueantur ſpiritus genitales: ergo dabitur etiam cognitio practica leuiter prouocans, ſi eodem modo cognoſcit idem obiectum, ac ille homo aſpexit membrum infantulæ.

120. Hæc obiectio militat pro paruitate materiæ. Ideò eam ad diſputationem 45. reiicimus ſoluendam.

121. *Qui loquitur alteri verba prouocatoria, peccat.*

Oſtenditur quartò. Homo, qui loquitur alteri verba prouocantia ad venerem, peccat: ergo qui loquitur ſibi ipſi verbum prouocans ad venerem, peccat: ſed qui cogitat practicè obiectum venereum, loquitur ſibi ipſi verbum prouocans ad venerem, cùm cogitare practicè ſit cogitare modo prouocante: ergo qui cogitat practicè obiectum venereum, peccat.

Paritas.

122. *Paritas à tactu.*

Oſtenditur quintò. Non minùs prouocat cogitatio practica clarè & profundè attenta ad obiectum venereum, quàm tactus impudicus. Ideò autem tactus impudicus eſt peccatum mortale, quia grauiter prouocat: ergo ob eandem rationem cognitio practica obiecti venerei erit peccatum lethale.

ARTICVLVS

Digitized by Google

ARTICVLVS V.

Confutatur ex dictis ſententia Caramuelis propoſita articulo primo.

123. *Cogitatio venerei, quæ extorquet ab inuito pollutionem, illicita eſt.*

EX dictis manifeſtè conuincitur prædicta aſſertio, qua parte docet, licitam eſſe cogitationem pulchritudinis fœminæ terminatam etiam ad aliquem modum peccandi, nempe copulæ carnalis, vel ſodomiticæ; quæ cogitatio reipſa adeò commouit ſpiritus genitales, vt ad pollutionem determinauerit inuitum. Ex dictis enim patet, illam eſſe practicam, & illicitam, ſi fuit volita.

124. In primis enim conuincitur iis duobus, quibus capite quarto oſtendi de alia ſimili cogitatione: & præcipuè argumento ſecundo deſumpto ex verbis Caramuelis docentis, [cogitationem illam ſpiritualem, quam concomitatur delectatio moroſa ſenſibilis, ex commotione humorum ſeminalium ſubuaſcens, eſſe peccatum mortale :] cùm euidens ſit, cogitationem, de qua loquimur, aſſociatam eſſe tali delectatione moroſa ſenſibili; imò & eſſe cauſam per ſe huius, & eius determinatiuam. Deinde ſpecialiùs conuincitur argumentis propoſitis *art. præcedenti.*

125. *Illa cogitatio habuit malitiam pollutionis.*

Deinde certum exiſtimo, in eo caſu non ſolùm illicitam eſſe eiuſmodi cogitationem deliberatè admiſſam, qua coactus eſt ad pollutionem; ſed etiam illam cogitationem habuiſſe malitiam moralem pollutionis. Et quidem id negat Caramuel, [quia cogitatio non eſt cauſa per ſe illius pollutionis; & ideò qui vult cogitationem expreſsè & directè, non videtur velle implicitè & indirectè pollutionem.] Ego tamen affirmo, quia certum reputo, illam cogitationem, qualis deſcribitur à Caramuele, fuiſſe cauſam per ſe illius pollutionis, ſi in illa pollutio fuit præuiſa.

Si in illa fuit præuiſa pollutio.

126. Pro quo ſuppono primò, cauſam eius pollutionis non fuiſſe aliquam nimiam ſuperabundantiam humorum ſeminalium. Iam enim ſi ſic aſſeras, alium caſum proponis; ſed hominem illum fuiſſe affectum temperamento communi.

127. Suppono ſecundò, ſicut non quævis commotio ſpirituum carnalium determinat ad pollutionem; & tamen commotio eorum vehemens in tali gradu, ſiue augmento determinato, ad illam determinat tanquam cauſa per ſe illius: ita non quamlibet cogitationem practicam obiecti venerei determinare ad vehementem illam commotionem in tali augmento determinato; & tamen eſſe aliquas cogitationes practicas obiecti venerei, quæ determinent ad totam illam vehementem commotionem. Patet. Nam ſicut cogitatio venerea mediocriter intenſa habet vim excitandi mediocrem commotionem ſpirituum; ita cogitatio vehementer intenſa, & vehementer venereis immerſa habet vim excitandi vehementem ſpirituum genitalium commotionem. Sicut ergo non omnis tactus impudicus determinat ad vehementem commotionem; tactus autem vehemens & confricatorius, eſt cauſa per ſe determinans ad illam vehementem commotionem, quæ pollutionem parit: ita ſimiliter contingit in cogitationibus practicis venereis.

Quæ cogitatio venerea habeat vim excitandi commotionem vehementem, & pollutionem?

128. Hinc conuincitur aſſertio primò. Illa cogitatio adeò fuit vehementer immerſa in pulchritudine fœminæ, & modo peccandi cum illa, vt excitauerit vehementem ſpirituum genitalium commotionem, ſufficientem ad pollutionem: ergo fuit cauſa ratione ſui determinans ad tantam commotionem: ergo fuit cauſa determinans ad vltimam diſpoſitionem ad pollutionem.

129. Vrgeo primò, & interrogo, quænam fuit cauſa, quæ produxit totum illud augmentum commotionis ſpirituum genitalium, vltimam quidem diſpoſitionem ad pollutionem? In caſu propoſito nulla alia eſt, niſi ea cogitatio venerea, & delectatio interna ex illa ſubſecuta. Si primam aſſignes, habeo intentum. Si hanc ſecundam aſſignes; cùm hæc non proceſſerit à voluntate libera, quam abeſſe ſupponis; vtique ſecundùm totam ſuam intenſionem proceſſit à cognitione ſua interna: ergo cogitatio corporea interna tam vehemens fuit, vt potuerit determinare appetitum ad tantam intenſionem delectationis internæ, quæ ſummum augmentum commotionis excitaret: ergo per mediatam connexionem determinauit ad ſummum augmentum commotionis, quod eſt vltima diſpoſitio ad pollutionem. Hanc autem mediatam connexionem ſufficere ad cauſam per ſe in genere moris, oſtenſum eſt ſuprà *articulo* 3. *à numero* 98.

130. Vrgeo ſecundò. Cogitatio practica obiecti venerei intenſa vt vnum, excitat augmentum vt vnum commotionis ſpirituum; nam pro vehementia, aut tepiditate cogitationis venereæ excitatur maior vel minor commotio ſpirituum: ergo cogitatio practica obiecti venerei in ſummo excitat ſummum augmentum commotionis ſpirituum, quod vltimò diſponit ad pollutionem. Ex dictis autem articulo tertio conſtat, id fieri ab ea cogitatione practica tanquam cauſa per ſe: ergo ea cogitatio practica vehemens, eſt cauſa per ſe vltimæ diſpoſitionis ad pollutionem. Quod autem cogitatio in eo caſu fuerit vehemens in ſummo, conſtat, cùm peruentum fuerit ad vltimam diſpoſitionem pollutionis, & in eo caſu non appareat alia cauſa per ſe eius vltimæ diſpoſitionis. Quod autem cauſa per ſe, quæ ponit vltimum determinatiuum ad effectum, ſit cauſa per ſe talis effectus in genere moris, extra omne dubium eſt; cùm in æſtimatione prudentum ei cauſæ per ſe attribuatur effectus, quæ ad talem effectum determinauit.

131. *Aſpectus nuditatis fœmineæ eſt cauſa per ſe pollutionis.*

Conuincitur ſecundò. Aſpectus nuditatis fœminæ, & actionum libidinoſarum eius, præcipuè diu durans, perducit virum vſque ad pollutionem, etiam inuitum, eſtque cauſa per ſe notabiliter influens, & determinans ad talem pollutionem: ergo cogitatio vehemens eiuſdem obiecti venerei, quantumvis dicas, eſſe cogitationem ſpeculatiuam, perducit ſimiliter ad pollutionem, & eſt cauſa per ſe determinans ad illam. Sicut enim aſpectus ille perducit vſque ad pollutionem, quia vehementer prouocat commotionem ſpirituum genitalium; ita etiam cogitatio, quæ cùm vehemens eſt, non minùs prouocat, quàm aſpectus.

Digitized by Google

132. *Implicat, aſpectum nuditatis fœmineæ prouocatorium, eſſe ſpeculatiuũ.*

Confirmatur. Si quis enim diceret, licitum eſſe illum aſpectum proximè memoratum, eo quod aſpectus ille eſt merè ſpeculatiuus; reiiceretur ab omnibus tanquam terminorum implicator. Quomodo enim eſſet purè ſpeculatiuus, qui tam vehementer prouocat? Ergo qui dixerit cogitationem vehementer immerſam in eodem obiecto venereo eſſe ſpeculatiuam, ſimiliter reiiciendus eſt.

Paritas.

133. *Paritas à tactu.*

Tertiò. Non minùs commouet ſpiritus genitales ea cogitatio vehemens obiecti venerei diu durans, quàm tactus impudiciſſimus etiam diu durans: ſed iſte eſt cauſa per ſe vehementis commotionis ſpirituum genitalium vltimò diſponentium ad pollutionem: ergo & illa cogitatio.

Articvlvs VI.

Benigna aliqua notanda ad praxim.

134. Qvæ in hoc capite dicta ſunt, excitare poterunt ſcrupulum ſtudentibus, audientibus confeſſiones, aliiſque in actiones vtiles, & neceſſarias incumbentibus; quarum occaſione variæ cogitationes venereæ occurrunt excitantes commotionem ſpirituum. Si ergo hæ practicæ ſunt, & culpæ lethales, multis culpis lethalibus illi omnes videbuntur expoſiti. Vt ergo auferantur ſcrupuli, ſequentia notanda ſunt.

135. *Qui ſtudens conatur ad ſpeculationẽ, & inuito aduenit cogitatio practica, non peccat.*

Primum. Ille qui ſtudet, vel confeſſiones audit, & conatur ad cogitationem ſpeculatiuam, & loco huius occurrit inuito cogitatio practica, non peccat. Patet, quia ſic ea cogitatio practica non eſt voluntaria.

136. *Qui neſcit diſtinguere inter practicã, & ſpeculatiuam, ſufficit, ſi reſiſtat delectationi.*

Secundum. Quando aliquis ſtudendo percipit obiectum venereum, ſentienſque commotionem ſpirituum, neſcit intellectu diſtinguere inter cogitationem ſpeculatiuam, & practicam, ſufficit, ſi non præſtat conſenſum, nec eſt periculum præſtandi conſenſum in eam commotionem, vel delectationem. Ratio eſt, quia ſtudium eſt cauſa vrgens ad habendam eam cogitationem obiecti; & cùm ob ignorantiam non poſſit aliam ſaniorem cogitationem habere, cenſebitur non ponere poſitiuè cauſam per ſe commotionis, ſed duntaxat permittere. Vide ſuprà *artic.* 4. *num.* 113. eſtque conforme doctrinæ Patris Thom. Sanch. quam ſtatuit *lib.9. de matr. diſp.*45. & communi Doctorum.

137. *Qui ſpeculãs venerea, patitur inuitus commotionẽ, indicium eſt, quod inuitus ſubit cogitat. practicam.*

Tertium. Cùm quis ſtudendo, vel audiendo confeſſiones percipit obiectum venereum, tangiturque inuitus commotione ſpirituum; ea voluntatis reſiſtentia eſt indicium, quod patitur etiam inuitus cogitationem practicam. Ratio eſt: nam licèt poſſit ſtare, quod velit habere cauſam per ſe commotionis, & nolit habere commotionem; eſt tamen ratum, quod velit aliquis habere cogitationem prouocatiuam, & quod nolit prouocari. Cùm ergo in dubio, non ex rarò contingentibus, ſed ex communiter accidentibus ſumatur indicium; cùm voluntas reſiſtit commotioni, coniici poteſt, quod etiam inuita patitur cogitationem practicam.

138. *Cogitatio practica leniter prouocatoria non eſt mortalis.*

Quartum. Si cogitatio practica ſit leuiter prouocatoria ex modo ſuo tepido, & parum aduertente ad obiectum venereum, non eſt culpa lethalis illi vacare. Et ideò quæ hucvſque diximus, intelligenda ſunt de cogitatione venerea, ex modo ſuo cogitandi grauiter prouocatoria. Ratio eſt, quia non omnis aſpectus obiecti venerei damnatur de culpa lethali, ſed ſolùm ille, qui eſt grauiter prouocatorius. De quo vide P. Granado 1.2. *controu.* 6. *tract.* 4. *diſp.*7. *num.*3. & P.Th.Sanch. ſuprà citatum. Et quoad hoc videtur eſſe paritas inter aſpectum, & cogitationem practicam. Quod ſi inde intuleris paruitatem materiæ in re venerea, ſatisfaciam *diſp.* 45. *cap.*16.

Nec inde infertur paruitas in re venerea.

139. *Qui ſpeculatur venerea cum periculo præuiſo cogitationis practicæ, non tamen conſenſus in illam, non peccat mortaliter.*

Quintum. Qui vacat cogitationi ſpeculatiuæ obiecti venerei cum periculo præuiſo incidendi in cogitationem practicam grauiter prouocatoriam, non autem conſentiendi in illam, non peccat grauiter. Ratio eſt, quia cogitatio purè ſpeculatiua non eſt cauſa per ſe, nec notabiliter influens in cogitationem practicam. Et ideò quamvis velit illam, non cenſetur velle iſtam in cauſa. Colligitur ex dictis à P.Th. Sanch. *lib.9. de matrim. diſp.*45. *num.* 15. Si tamen ſit cum periculo præuiſo conſentiendi in cogitationem practicam grauiter prouocantem, peccat grauiter. Nam cùm voluntariè ponere cogitationem practicam obiecti venerei grauiter prouocantem, ſit peccatum lethale; & eiuſdem rationis ſit admittere peccatum, & exponere ſe periculo admittendi illud, fit, quod qui ſine cauſa vrgente exponit ſe periculo conſentiendi in illam cogitationem practicam, eodem modo peccet, ac qui conſentit efficaciter in illam.

140. *An qui ex cauſa vrgenti ſpeculatur venerea, cum periculo conſentiendi in cogitationem practicã, peccet mortaliter.*

Sextum. Qui cum vrgenti cauſa incumbit cogitationi ſpeculatiuæ obiecti venerei, cum periculo tamen conſentiendi in cogitationem practicam grauiter prouocantem, non tamen in delectationem veneream, numquid peccabit lethaliter? Diſtinctione opus eſt. Nam vel iſte ſine difficultate poteſt vertere cogitationem practicam in ſpeculatiuam; ſcit enim practicè illas diſtinguere: vel non poteſt, quia vel neſcit diſtinguere, vel actualiter non habet aduertentiam requiſitam ad diſtinguendum eas. Si primo modo, peccat lethaliter, quia nulla eſt cauſa vrgens ad habendum eam cogitationem practicam; & periculum illud facilè poteſt vitare per reſiſtentiam, & actus internos, modo explicato *diſputat.* 18. Si verò ſecundo modo contingat, non peccat: non quia ex cauſa vrgenti poſſit aliquis exponere ſe periculo formali peccandi; id enim negauimus *diſputat.* 18. *citat.* ſed quia vitare eam operationem intellectualem non videtur obligare cum tanto rigore; atque adeò in iis circumſtantiis non eſt peccatum graue exponere ſe periculo habendi eam cogitationem practicam; imò neque actualiter illam habere, vt notaui in aſſerto ſecundo huius articuli.

***

DISPV

Digitized by Google

DISPVTATIO XLIII.

An pollutio in ſomnis contingens poſſit eſſe volita in cauſa?

CAPVT PRIMVM.

Aſſertio Caramuelis, opiniones aliorum, & aliqua pranotata.

1. *Ait tactus impudicos, &c. non eſſe cauſas directas nocturna pollutionis.*

Eo quod cauſa potentior eſt praſens, quàm abſens.

DISPVTAT.68. *in Regul.n.*1051. ita diſſerit: [Addo (& hoc examinanti non erit mirum) tactus, oſcula, & cogitationes turpes, moroſaſque delectationes, licèt ſint peccata mortalia, non eſſe cauſam directam nocturnæ pollutionis. Ita Sancius *in ſuis ſelectis diſp.*21. *num.* 15. & *diſp.* 23. *num.*29. Ratio huius Authoris eſt efficaciſſima. Quia quæcumque cauſa eſt potentior, atque actiuior, quando eſt præſens, quàm quando eſt abſens: atqui moroſitas delectationis, tactus, oſcula non cauſauerunt pollutionem, dum eſſent præſentia: ergo multò minùs abſentia poterunt cauſare. Ex iis patet, pollutionem præuiſam in ſomnis, ſed non volitam, licèt procedat à cauſa mortaliter peccaminoſa in genere luxuriæ, non eſſe peccatum mortale. Ratio eſt, quia non amatur in ſe, vt ſupponitur: non amatur in cauſa, quia nulla datur directa talis pollutionis.]

2. Confirmat Sancius *in diſp.* 21. *num.* 15. his verbis: [Aut dicant aduerſarij, quænam virtus phyſica manſit in appetitu, cauſata à cogitatione turpi habita in vigilia, vt poſſit phyſicè influere in pollutionem habitam in ſomnis? Cùm notum ſit, cauſam nullam phyſicè operari poſſe, niſi ipſa, vel aliqua virtus eius actu exiſtat.]

3. Addit inſuper Sancius *eo num.* 15. ideò in cogitationibus turpibus, & tactibus impudicis non eſſe volitam pollutionem; quia quamvis illa [ſint cauſæ per ſe ordinatæ ad pollutionem, non tamen efficaciter in illam influentes, aliàs nunquam ponerentur, quin ſequeretur pollutio. Contrarium tamen euenire teſtatur experientia.]

4. *Tres ſententiæ.*

In hac re variæ ſunt ſententiæ Doctorum. Alij enim aſſerunt, quoties præuidetur ſecutura pollutio ex alicuius cauſæ poſitione, etiam licitæ, hanc participare malitiam pollutionis, pollutionemque eſſe volitam in cauſa. Alij autem id admittunt, quando poſitio cauſæ eſt illicita in quovis genere peccati, etiam venialis. Alij verò, quoties cauſa eſt peccatum lethale, & in eo præuidetur pollutio futura, tunc pollutionem eſſe volitam in cauſa, & illud peccatum lethale participare malitiam pollutionis. Earum Authores vide apud P.Th. Sanch. *lib.*9. *de matrim. diſp.*45. *à num.*10.

5. *Vult pollutionem in cauſa, qui exercet actionem veneream notabiliter influentem.*

Sententia autem his tribus benignior eſt, quam tradit P.Th.Sanch. *cit. num.* 15. nempe reperiri culpam mortalem ratione pollutionis præuiſæ, & non intentæ, quando abſque vrgenti neceſſitate exercetur actio de genere luxuriæ, quæ notabiliter influit in pollutionem. Quæ ſententia veriſſima eſt modo inferiùs explicando.

6. *Quando eſt cauſa per accidens pollutionis, hac eſt volita in cauſa, ſi cauſa ponitur ex intentione pollutionis.*

Pro cuius claritate præmitto primò, quando cauſa pollutionis eſt cauſa per accidens, & indirecta illius, pollutionem non eſſe volitam in cauſa, niſi ponatur ex intentione pollutionis habendæ. Quia pollutio non dicitur indirectè volita, niſi quando voluntas ponit aliquid, quod determinat ad talem pollutionem. Quando autem ponitur cauſa per accidens ex intentione pollutionis habendæ; iam ea poſitio cauſæ per accidens eſſet poſitio medij in ordine ad finem: quo caſu poſitio medij participat malitiam finis; vt in aliis etiam materiis commune eſt.

7. *Quando ex neceſſitate ponitur cauſa per ſe, pollutio non intenta, non eſt volita in cauſa.*

Præmitto ſecundò, quando ex vrgenti neceſſitate ponitur cauſa per ſe determinans ad pollutionem præuiſam, & non intentam, pollutio non eſt volita in cauſa. Et ideò quando ſponſus de futuro exercet tactus pudicos in occaſione, in qua vrget neceſſitas exhibendi communia amoris ſigna inter ſponſos, cum periculo pollutionis præuiſæ, & ſine periculo conſenſus; pollutio non eſt volita in cauſa. Quia ſtante ea neceſſitate, non tam cenſetur ponere cauſam per ſe pollutionis, quàm illam permittere, vt notauit P.Th.Sanch. citatus. In hoc ergo caſu quamvis ſponſo in ſomnis accideret pollutio orta ex prædicta cauſa, non imputaretur ei.

8. *Senſus quæſtionis.*

Præmitto tertiò, ſenſum huius quæſtionis eſſe, an poſſit dari talis cogitatio venerea, aut talis tactus impudicus, vt non determinantes ad pollutionem in vigilia, ita determinent ad pollutionem in ſomnis, vt pollutio ſit volita in cauſa? In quo ſenſu partem negantem tuentur Caramuel & Sancius citati.

CAPVT II.

Argumentum Caramuelis, & Sanctij nullius eſſe efficacitatis, oſtenditur; noſtraque concluſio vel ipſa explicatione probatur.

9. *Quotuplex ſit cogitatio practica?*

Cogitatio vehemens eſt, qua excitat commotionẽ ſummam.

Commotio ſumma eſt, qua determinat ad pollutionem.

VT clariùs conſtet inefficacitas eius argumenti *numero* 1. propoſiti, notabis cogitationem veneream pronocatiuam, aliam eſſe tepidam, aliam intenſam, aliam vehementem. Et vehementis nomine illam intelligo, quæ excitat vehementem, & ſummam commotionem ſpirituum. Summa autem commotio illa dicitur, quæ reipſa determinat ad pollutionem. Hæc omnia certa eſſe, conſtat *ex diſp. præced. cap.* 7. *art.*5. *à num.* 127. Quare perperam dixit Sancius, cogitationes turpes, & tactus impudicos, etſi ſint cauſæ per ſe ordinatæ ad pollutionem, non eſſe cauſas efficaciter influentes in illam. Conſtat enim ab experientia, aliquando homines affici cogitatione adeò vehementi, & venereis immerſa, vt ſine tactu, aut alio extrinſeco adiuncto ea cogitatio eos perducat vſque ad pollutionem.

Ratio autem, qua vtitur, peior eſt: nempe [aliàs nunquam ponerentur, quin ſequeretur pollutio. Contrarium tamen euenire teſta- 10.

Digitized by Google

tur experientia.] Qui enim vellet probare, calorem non eſſe vltimam diſpoſitionem determinantem ad introducendam formam ignis, malè ſic argueret: [Si calor eſſet vltima diſpoſitio ad introducendam formam ignis; nunquam daretur calor, quin introduceretur forma ignis.] Cui argumento quilibet analphabetos reſponderet, calorem taliter eſſe vltimam diſpoſitionem ad formam ignis, vt ſolus calor in ſummo, ſiue calor vt octo ita ad illam diſponat. Quare poteſt dari calor, quin introducatur forma ignis; non tamen calor in ſummo gradu. Sic ſimiliter euaneſcit ea ratio Sancij. Etenim cogitatio venerea vehementer & in ſummo prouocatiua, eſt cauſa per ſe determinans ad commotionem ſpirituum genitalium vehementem, ſiue ad commotionem in ſummo, quæ reipſa conficit pollutionem, vt conſtat *ex diſputat. præcedenti, cap. 7. articul. 5. à num.* 127. Inde autem malè inferes, quod ſi ita eſſet, nunquam poneretur cogitatio venerea, quin ſequeretur pollutio. Bene autem inferes, quod nunquam poneretur cogitatio venerea vehemens & expedita, quin ſequeretur pollutio.

Nunquam datur cogitatio venerea vehemens, non impedita, quin ſequatur pollutio.

11. *Idem quod de cogitatione dic de tactu impudico.*

Id autem, quod diximus de cogitatione venerea, dicendum etiam eſt de tactu impudico; cuius ſimiliter triplex genus poteris diſtinguere, tepidum, intenſum, & vehementem in ſummo. Iſte autem tertius eſt, qui omninò determinat ad ſummam ſpirituum genitalium commotionem, & ex hac ad pollutionem.

12. Iam verò vt videas inefficacitatem argumenti, quo vtuntur Sancius & Caramuel, ad probandum, cogitationem veneream, vel tactum impudicum habitum in vigilia, non poſſe eſſe cauſam per ſe determinantem ad pollutionem in ſomnis; precor, vt agas partes iudicis in ea lite, in qua Ioannes agit cum Petro de damno dato, & ſatisfactione debita.

13. *Exemplum in quo virtus abſens potuit producere, quod non potuit præſens.*

Petrus ferebat facem accenſam in manibus, & videns ſegetes Ioannis, facem ſegetibus applicuit ex vno latere exteriori; quia tamen ventus flabat continuò per ſegetes contra facem, non accendit ſegetem. Poſteà ramum aridum accendit, & ſtatuit in eodem loco exteriori, vbi priùs facem. Reſiſtebat ſimiliter ventus ramo ardenti, quare præſente Petro nullum ſegeti damnum inferebat. Manente ramo accenſo, diſceſſit Petrus: quo abſente ceſſauit flatus ex eo latere, & ramus accenſus iam non impeditus totam ſegetem combuſſit. Agit Ioannes cum Petro pro reſtitutione damni dati. Reſpondet Petrus, ſe non intuliſſe illud damnum. Nam *cauſa eſt potentior, atque actiuior quando eſt præſens, quàm quando eſt abſens:* ſed ipſe & fax ſua non combuſſit ſegetem, quando erat præſens: ergo multò minùs in abſentia potuit ipſe & fax ſua ſegetem combuſſiſſe.

14. Sanè ſi æquum iudicium agis, damnabis Petrum de damno dato: eiuſque exceptionem in ſophiſmatis repones. Reſpondebiſque, cauſam vento impeditam, etſi præſentem, operati non potuiſſe. Quando autem abſens fuit, operata eſt moraliter combuſtionem, quia reliquit virtutem virtutis ſuæ vicariam, quæ ceſſante flatu expedita manſit ad comburendum. Ideò Petrum fuiſſe cauſam moralem damni dati, & reſtitutionis munere obſtringendum.

Eodem tenore iudicij cenſere debes in caſu pollutionis nocturnæ. Petrus in vigilia conſentiens paſſus eſt à fœmina tactum vehementer prouocantem, qui ad commotionem in ſummo ex ſe determinabat; quia tamen Petrus timebat pollui, voluntate reſiſtebat, quantum hæc indirectè poteſt. Ideò non peruenit ad ſummam commotionem ſpirituum, quæ vltimam diſpoſitionem affert ad pollutionem. Flante enim vento, quem voluntas impellebat, impediebatur cauſa illa neceſſaria potens conficere ſummam commotionem. Tamen delectatio illa externa, quam ex commotione ferè ſumma accepit, vt eſt ſenſatio externa, ita ſpeciem impreſſam miſit ſenſui interno (ſiue efficienter, ſiue ex ſympathia, iuxta varias ſententias) illam quidem intenſiſſimam (ſiue virtualiter, ſiue formaliter) ad menſuram intenſionis ipſius delectationis externæ: nam quantò maiorem delectationem quis expertus eſt, tanto intenſiorem cognitionem habet poſteà de obiecto delectabili. Poſteà Petrus ſomno ſe tradidit. Et vt natura prouidit, quod ſpecies proximè in vigilia adquiſitæ, in quiete excitentur, excitata eſt illa ſpecies: & vt habebat virtutem producendi cognitionem ſummè intenſam, & vehementer prouocatiuam; producta eſt eiuſmodi cognitio, quæ vt cauſa non impedita reluctatione voluntatis liberæ, imò & valdè expedita ab aliis ſenſationum externarum obiectis, excitauit commotionem ſpirituum genitalium vehementem, & in ſummo augmento, qualiter requiritur ad pollutionem. Ecce quomodo cauſa in vigilia non pertingens ad pollutionem, potuit in ſomnis ad illam peruenire.

15. *Similiter tactus vehemẽs producit abſens pollutionem, quam præſens non potuit.*

Hinc autem manifeſtè ſoluitur argumentum, ab eis Authoribus propoſitum, diſtinguendo maiorem: quæcumque cauſa eſt actiuior atque potentior, quando eſt præſens, quàm quando eſt abſens [ſi dum erat præſens, non erat impedita, & non reliquit virtutem ſui vicariam,] concedo; [ſi dum erat præſens, erat impedita, & in abſentia reliquit virtutem ſui vicariam,] nego. Et conceſſa minori, ſimiliter conſequens diſtinguendum eſt. Ad id, quod additur, negandum eſt, pollutionem non fuiſſe volitam in cauſa. Ad probationem verò, negandum eſt, nullam eſſe cauſam directam talis pollutionis. Illa enim cognitio vehementer prouocatiua orta ab illo tactu, vel delectatio ipſa externa habita de tactu, produxit (efficienter, vel per ſympathiam) ſpeciem productiuam ſimilis cognitionis: quæ ſpecies in ſomnis produxit cognitionem vehementer prouocantem, & hæc ſummam commotionem, vltimam diſpoſitionem ad actum pollutionis. Ad confirmationem patet ex dictis, relictam eſſe virtutem phyſicam ad producendam cogitationem prouocatiuam in ſummo, nempe ſpeciem impreſſam cauſatam à cogitatione turpi; vel à tactu impudico confricatorio. 16.

Idem quod de tactu impudico valde prouocatorio dixi,] dicendum eſt de cogitatione (præcipuè diu durante) ſummè immerſa venereis, & vehementer prouocatiua; quæ reſiſtente 17.

te voluntate, non determinauit ad ſummam commotionem, atque adeo neque ad pollutionem: in ſomnis verò ſpecies relicta ex illa cogitatione, & ex delectatione externa, determinauit ad ſummam commotionem; idéoque ad pollutionem.

CAPVT III.

Confirmatur vlteriùs doctrina tradita.

18. *In quatuor propoſitionibus ſubſiſtit concluſio.* INdubitabilis eſſe oſtẽdetur doctrina tradita, ſi conſtet, indubitabiles eſſe has quatuor propoſitiones. Prima eſt. Cogitatio venerea vehementer prouocatiua, præcipuè diu durans, & tactus impudicus confricatorius excitat commotionem in ſummo. Secunda. Hæ cauſæ commotionis poſſunt impediri à voluntate indirectè in vigilia. Tertia. Ex prædicta cogitatione vehementer prouocatiua, & ex delectatione externa relinquitur ſpecies impreſſa productiua cognitionis vehementer prouocantis. Quarta. Species illa excitatur in ſomno proximò, niſi aliunde impediatur.

19. *Cogitatio vehemens excitas commotionem in ſummo.* Prima propoſitio tam certa eſt, quàm eſt certum, multos homines in pollutionem incurrere vel ex tactu confricatorio proprio aut alieno, vel ex cogitatione vehementer prouocatiua, & valde venereis immerſa. Quod de ſimili cogitatione, ſi diu duret, concedit Sancius, admittitque eam efficacitatem tactûs confricatorij.

20. *Cauſa commotionis ſumma poteſt impediri in vigilia.* Secunda propoſitio non eſt minùs certa. Voluntas enim quandoque poteſt impedire vehementiam commotionis ortæ ex tactu confricatorio, vel diuertendo mentem & cogitationem ad obiectum triſtiſſimum, vel ad obiectum grauis iracundiæ, vel ceſſando à tactu, aliiſque modis. Similiter reluctari poteſt voluntas, & impedire vehementiam commotionis ſpirituum ortæ ex cogitatione venerea vehementer prouocatoria, diuertendo mentem ad ſimilia obiecta. Qua ratione cauſa neceſſaria, quæ non impedita produceret ſummam ſpirituum commotionem, impeditur, ne illam producat.

21. *Delectatio externa mittis ſpeciem productiuam cogitationis vehementis.* Tertia propoſitio admittenda etiam eſt extra omne dubium. Etenim quàm certum eſt, hominem internè cognoſcere dependenter à ſenſibus externis, tam certum eſt, actus ſenſuum externorum, vel efficere ſpecies ſenſus interni, vel ſaltem determinato per ſympathiam potentiam internam ad producendum tales ſpecies internas. Cùm ergo delectatio externa ſit actus potentiæ tactiuæ, quo hæc percipit commotionem ſpirituum, carniſque alterationem, certiſſimum eſt, talem actum ſenſationis externæ mittere ſpeciem impreſſam (vno è duobus modis explicatis) in potentiam ſenſitiuam internam. Et hinc eſt, quod tranſacta delectatione externa, recordetur poſtea potentia cognoſcitiua interna eius delectationis prætetitæ: & aliquando recordatio eius tam intenſa eſt, & cum tanta claritate repræſentat eam delectationem, ac ſi reipſa illa delectatio eſſet præſens. Quod contingit ei, qui inter ſomniandum putat, ſe exercere copulam illicitam cum tali fœmina: in quo tantam delectationem experitur, ac ſi reuera illam exerceret. Vnde fit, quod ſpecies, quæ tranſacta delectatione externa, relinquitur in ſenſu interno, habeat virtutem producendi & determinandi ad actum cognoſcitiuum internum delectationis in gradu proportionato gradui & vehementiæ ipſius delectationis externæ. Et ita modica delectatio externa mittit ſpeciem in potentiam ſenſitiuam internam; quæ ſpecies virtutem habet producendi cognitionem internam mediocriter prouocantem: delectatio autem vehemens mittit ſpeciem, quæ habet virtutem producendi cognitionem internam vehementer prouocantem.

Et quamvis ad inſtitutum noſtrum ſufficiat, quod delectatio externa mittat eiuſmodi ſpeciem in potentiam cognoſcitiuam internam; adhuc tamen non eſt ſola delectatio, quæ mittit eiuſmodi ſpeciem. Nam etiam ipſa cognitio interna venerea relinquit ſpeciem ſui obiecti in eadem potentia interna; cuius euidens argumentum eſt, quòd tranſacta illa cogitatione interna venerea, recordatur potentia cognoſcitiua interna eius obiecti priùs à ſe cogitati; cuius recordari non poſſet, ſi non manſiſſet ſpecies ad eam recordationem determinans. Vnde fit, quod cùm adeſt cogitatio venerea interna vehementer prouocatiua, relinquat ſpeciem ſui obiecti in eadem potentia, potentem producere ſimilem cognitionem internam vehementer prouocatiuam ad venerea. 22.

23. *Species obiecti venerei adquiſita in vigilia, excitatur in ſomno.* Quarta propoſitio, quod ſpecies adquiſita in vigilia excitetur, & applicetur in ſomno proximo, præcipuè quando eſt obiecti priùs vehementer imaginati; non aliam probationem requirit, quàm experientiam ipſam, qua experimur, obiecta fortiter apprehenſa in vigilia, redire ad imaginationem in ſomno proximè ſequenti. Aliquando quidem non occurrit in ſomnò; quia ex aliquibus cauſis poteſt, & ſolet impediri ſpecies illa, ne operetur. Nam quandoque abundantia humorum ita occupat cerebrum, vt omninò confundat ſpecies taliter, quod non poſſit potentia cognoſcitiua interna ad vllum penitus attendere. Aliquando obiectum triſtitiæ, vel iracundiæ initio ſomni per ſpeciem applicatum potentiæ cognoſcitiuæ impedit ſpeciem delectationis externæ, ne operetur; quia potentia cognoſcitiua interna impos eſt attendendi intenſè multis ſimul obiectis. Impeditur etiam exercitium ſpeciei languore cerebri: nam cùm ſpecies ſenſûs interni ſubiectentur in ſpiritibus animalibus exiſtentibus in cerebro, vt tenet communis ſententia, fit, vt læſo cerebro, accidat inordinata circumcurſatio ſpirituum animalium, atque adeò ſpecierum in illis receptarum: quo pacto applicantur ad vnum obiectum attentè percipiendum.

24. *Ex iis quatuor poſitionibus infertur concluſio.* Ex his autem quatuor propoſitionibus concluſionem noſtram manifeſtè deduci, ſic oſtendo. Etenim quando datur cauſa neceſſaria impedita ad operandum, quando eſt præſens; & relinquit virtutem ſui vicariam, etiam neceſſariam in operando, & omnino expeditam, etiamſi abſens ſit, cenſetur cauſa moralis effectûs producti: ſed in præſenti caſu tactus confricatorius vehemens eſt cauſa neceſſaria vehementis commotionis in ſummo, impedita à

Digitized by Google

voluntate reluctante; & relinquit vicariam ſui virtutem, nempe ſpeciem, quæ eſt cauſa neceſſaria in operando; & in ſomnis (quando non adſunt impedimenta relata, aut ſimilia) omnino expedita ad operandum: ergo talis actus confricatorius in vigilia habitus, eſt cauſa moralis effectûs commotionis in ſummo, inter dormiendum ſubſecuti.

25. Maior euidens eſt, tum ex hucuſque dictis in hoc & præcedenti capite; tum præcipuè in illa expoſtulatione Ioannis cum Petro, propoſitâ *capite præced. num.* 13. Tum quia non aliter ſuaſor eſt cauſa moralis furti, quod exercuit Ioannes abſente ſuaſore, niſi quia talis ſuaſor reliquit moraliter in Ioanne cauſam influentem in illud furtum. Minor verò continet quatuor propoſitiones ſuprà ſtabilitas. Et conſequentia eſt ſyllogiſmi in prima figura, & in *Darij*.

26. Dices, cum tactum impudicum habitum in vigilia, dum operatur in ſomnis media ſpecie impreſsâ, eſſe dumtaxat cauſam mediatam: atqui cauſam medietam non eſſe cauſam per ſe, ſed per accidens.

27. Hanc tamen reſponſionem non habere locum in cauſalitate morali, conſtat *ex diſp. preced. cap.* 7. *art.* 3.

DISPVTATIO XLIV.

An delectationes venereæ externæ ſpecificentur ab obiecto cogitationis venereæ internæ.

CAPVT I.

Proponitur aſſertio Caramuelis.

1. *Quid his intelligatur nomine delectationis externæ?*

NOMINE delectationis externæ venereæ intelligitur vniuerſaliter omnis delectatio externa luxurioſa, ſiue qua quis delectatur de ſola commotione ſpirituum genitalium, & alteratione carnis; ſiue de tactu proprio pudendorum, ſiue de pollutione, ſiue de copula fornicaria, aut ſodomitica. Dequibus inquirimus, an cùm quis mente concipit fœminam, v. g. coniugatam, vel conſanguineam; aut copulam fornicariam, vel ſodomiticam, de eiſque internè delectatur, eæ delectationes externæ ſpecificentur ab obiectis cogitatis, nempe à coniugata, vel à conſanguinea, vel ab actu fornicario, vel ſodomitico.

Senſus quæſtionis.

2. Id, quod inquirimus de delectationibus externis, interrogamus etiam de ipſis obiectis delectationum, nempe de ipſa commotione ſpirituum genitalium, de ipſo tactu impudico, de pollutione, de copula fornicaria, & ſodomitica: An videlicet hæ omnes actiones turpes externæ ſpecificentur ab obiectis ſpecie diuerſis, cogitatione interna tunc perceptis, & ab appetitu corporeo, vel à voluntate delectabiliter amplexatis.

3. Et quidem alia eſt ſpecificatio phyſica, & alia eſt ſpecificatio moralis, quæ prorſus diuerſæ ſunt. Contingit enim plerumque, actiones eſſe ſpecie phyſica diuerſas, ſpecie tamen morali non differre; vel è conuerſo. Sic enim furtum auri à furto argenti differt ſpecie phyſicâ, quia ſunt actiones externæ terminatæ ad diuerſas ſpecies phyſicas: ſicut etiam actus voluntatis efficacis terminatus ad furtum auri, ſpecie phyſicâ differt ab actu efficaci terminato ad furtum argenti; cenſeo enim, actus vitales cognoſcitiuos & appetitiuos ſumere ſpeciem phyſicam per ordinem ad obiecta materialia: & tamen neque furtum auri, neque voluntas efficax eius furti differt ſpecie morali à furto argenti, vel à voluntate efficaci furandi argentum. Quia malitia earum actionum in genere morum eſt eiuſdem rationis.

Specificatio alia phyſica, & alia moralis.

Actus vitales ſpecificantur de obiectis materialibus.

Caramuel *diſp.* 67. *in Regul. num.* 1038. ſic proponit quæſtionem: [Dubitas, vtrum extrinſecæ (delectationes) ſumant ſpeciem ab intrinſecis; & ſint de obiecto à voluntate propoſito?] Et *num.* 1039. Sic reſoluit: [Fateor ignorantiam meam. Nunquam intelligere potui, quomodo actus ille moroſus poſſet ſumere ſpeciem ab obiecto amato à voluntate. Ideò ſequi decreui Vaſquez *in* 1.2. *tom.* 1. *diſp.* 112. *cap.* 2. Sayrum *in Claui Regia lib.* 9. *cap.* 7. *num.* 10. Reginaldum *tom.* 2. *lib.* 12. *cap.* 2. *num.* 13. & Dianam *de circumſt. aggrauant. reſol.* 48. aſſerentes, tales actus moroſè extrinſecos nullatenus ſumere ſpeciem ab interioribus. Quod probabile etiam iudicauit Leſſius *lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 15. *num.* 123. Filliucius *tom.* 2. *tract.* 21. *cap.* 8. *num.* 301. & Bonacina *de Matrim. quaſt.* 4. *punct.* 8. *num.* 19. & poſt ipſos Baſſæus *in florum ſuorum pag.* 234. vbi me citat, & defendit.] 4.

Ait, actiones venereas externas non ſpecificari ab obiecto cogitato.

Vbi notabis, eos omnes Authores malè citari à Caramuele. Illi enim Authores in locis citatis expreſsè loquuntur de delectationibus internis, quæ ſunt actus potentiæ appetitiuæ corporeæ, aut ſpiritualis, non autem de delectationibus externis. Concluſio quidem Patris Vaſquez hæc eſt: [Dicimus ergo, voluntates efficaces habere omnem malitiam operis externi, ac proinde varias etiam ſpecies ſortiri, iuxta varietatem earum, quæ in opere externo reperiuntur: *delectationes verò moroſas, quæ in ſimplici tantùm affectu conſiſtunt, non item.*] Delectationes autem externæ non in affectu, ſed in actu potentiæ tactiuæ conſiſtunt. Id quod manifeſtè colligitur ex contrapoſitione, quam ſtatuit inter voluntatem efficacem, & ſimplicem affectum. Et ne vnum quidem verbum facit in tota diſputatione de delectationibus externis. Sayrus autem non *n.* 10. ſed 19. & 20. inſtituit quæſtionem, & formalibus terminis loquitur, de *delectationibus ſimplicis complacentiæ*, vt diſtinguuntur contra voluntates efficaces. Et Diana *loco cit.* loquitur, *quando delectationes moroſæ conſiſtunt tantùm in appetitu ſenſitiuo, & non in efficaci voluntate.* Id quod in cæteris omnibus manifeſtè obſeruabis. 5.

Citationes Authorum non ſunt ad rem.

Leander à Murcia *lib.* 2. *diſp.* 3. *reſol.* 4. *n.* 3. ſtat pro aſſertione Caramuelis, & pro ea citat decem Authores, qui vel in iis locis tenent oppoſitum, vel nihil dicunt ad rem præſentem, vt ſpecialiùs conſtabit *num.* 15. Quare ſolus Leander huic aſſertioni patrocinatur. 6.

Praua alia citatio Authorum.

Sed Caramuel non multùm curat de ſuffragiis Authorum; ideò immediatè ſubdit: 7.

[Hos-

Digitized by Google

[Hos quidem ſequor, non eorum authoritati innitens, ſed rationi ſequenti: propter quam licèt omnes contrarium, ſecuriſſimè tuerer iſtam ſententiam.]

8. *Diſcurſus Caramuelis.*

Proponit deinde argumentum *num.* 1040. [Ratio, quæ me conuincit, hæc eſt. Si actus hi externi ſumerent ſpeciem ab obiecto intrinſecus propoſito, ſumerent ſanè vel vt à cauſa, vel vt ab effectu, vel vt ab obiecto, vel vt à fine conſequendo; aut determinent ipſi poſſibilem ſpeciem aliam: atqui nulliunde ſumunt: ergo.]

9. Minorem probat per partes. In primis *numero* 1041. non poſſe ſpecificari ab obiecto tanquam à cauſa, his verbis: [Si quærimus moroſæ delectationis (externæ) quà peccamiſæ directam cauſam, reperiemus eſſe aſſenſum in illam, non aliam: ſed aſſenſus in moroſitatem diſtinguitur à mentis ſpeculatione: ergo ab hac nullam ſumit ſpeciem vt à cauſa directa. Non vt à cauſa indirecta; quia indirectæ cauſæ non ſpecificant. Et dato, quod actus ille mentis ſpeculatiuæ repræſentantis pulchritudinem fœminæ, eſſet cauſa directa moroſitatis exterioris, inde ego potius deducerem, illum ab hac ſpeciem ſumere, quam è contrario; quia in libertate cauſæ continentur directi effectus; non vero in libertate effectuum, cauſæ; quia cum hæ ſint priores, ſunt independentes ab illis, & ſic cauſæ effectibus non ſunt imputabiles. Imputantur attamen directi effectus cauſis. Cumque moroſitas ex cogitatione pulchritudinis indirectè naſcatur; nec hæc imaginatio à moroſitate ſpeciem ſumit, nec ab imaginatione moroſitas.]

10. Deinde probat, delectationem externam, aut præuiam eius cogitationem, non eſſe effectum delectationis externæ, atque adeò delectationem externam non poſſe ſpecificari ab interna tanquam ab effectu, ſic: [Cogitationem illam non eſſe effectum ipſius moroſitatis, eſt euidens. Nam frequentiùs eſt prior, & quod ſemel eſt prius, nunquam eſt effectus; is enim ſemper eſt poſterior propria cauſa: vnde liquet, huiuſcemodi moroſitatem non ſumere ſpeciem ab imaginatione vt ab effectu.]

11. Item neque ſpecificari ab obiecto delectationis internæ tanquam ab obiecto proprio, ſic probat *num.* 1042. [Nec ipſa cognitio eſt obiectum moroſitatis: tum quia illa eſt interior, hæc exterior. Tum etiam, quia potentia tactus eſt tactiua; & cogitatio non eſt tangibilis.] Et *num.* 1043. addit: [Nec obiectum cogitationis eſt obiectum extrinſecùs corporei, quia tactus non ſequitur cogitationem; hic enim ſine illa; & hæc ſine alterò reperitur frequentiùs. Vnde ſi contingat, illa ſimul operari, eſt per accidens.] Et *num.* 1044. ſuperaddit: [Tactus non poteſt attingere talis cogitationis obiectum, quia illud eſt abſens, & tactus ſolùm ſentit præſentia: ergo dicendum eſt, tactum percipere qualitatis laſciuæ mollitiem, non verò obiectum intrinſecæ cogitationis.]

12. Deinde *num.* 1045. multis probat, delectationem externam non poſſe ſpecificari ab obiecto internæ tanquam à fine; quia delectatio externa non poteſt aſſumi vt medium ad illud obiectum. Vbi ita ait: [Tandem ab obiecto illius cogitationis non ſumit moroſitas (extrinſeca) ſpeciem vt à fine, ſi cogitatio ſit merè ſpeculatiua; quia tunc actioni nullus finis proponitur. Neque ſumit ſpeciem à fine, ſi voluntas fuerit inefficax & conditionata; quia quando videtur finis impoſſibilis, tunc nulla ponuntur media à voluntate.] Quod aliquibus exemplis proſequitur.

Et *num.* 1046. addit: [Poſtremò in voluntate efficaci abſoluta non poſſum intelligere, quomodo mollities ordinari poſſit vt medium ad rem habendam cum Ioanna; quia potiùs ordinatur ad non habendam. Nam per pollutionem deciditur illud, quod per copulam Ioannæ deberet communicari.] Et ita concludit probationem ſuam. 13.

Tandem *num.* 1047. aſſerit, omnes delectationes moroſas externas eſſe [in genere pollutionis inceptæ, & non completæ;] additque: [Vbi obiter minùs acutè video proceſſiſſe Dianam, qui *reſol.* 48. §. *Hæc opinio, tractat. de circumſt. aggrauant.* dicit moroſitatem non differre à ſimplici fornicatione. Quia hæc petit mulierem realiter, non mente conceptam: & moroſitas poteſt eſſe de concepta muliere, vel viro.] 14.

Ait, delectationes moroſas externas eſſe in genere pollutionis inceptæ.

Oppoſitam ſententiam, nempe pollutionem, & quamlibet delectationem externam ſpecificari ab obiecto cogitato, multorum ſententia eſt. Ita expreſsè Bonacina *de Matrim. quæſt.* 4. *punct.* 10. *num.* 15. Vbi addit, [Vt aiunt communiter Doctores.] E. P. Tamburinus *lib.* 7. *in Decalog. cap.* 7. §. 1. *num.* 1. Et apud ipſum P. Fillucius *tract.* 30. *cap.* 8. *numero* 154. Tenet etiam expreſſe Caiet. 2. 2. *quæſt.* 154. *art.* 11. *in reſponſ. ad dub.* 2. vbi cùm diceret pollutiones diuerſis inſtrumentis procuratas eſſe eiuſdem ſpeciei, addit: [Hæc intellige loquendo de tali ſpecie peccati ſecundùm ſe; quoniam loquendo de eodem peccato vt ſubordinatur moroſæ delectationi, aut deſiderio adulterij, recipit etiam adulterij deformitatem; & vt ſubordinatur moroſæ delectationi, aut deſiderio inceſtûs, admittit deformitatem inceſtûs, & ſic de aliis.] Quod notauerim propter Leandrum à Murcia, qui *lib.* 1. *diſp.* 3. *reſol.* 4. *num.* 3. citat pro oppoſita ſententia Caietanum *in loco citato.* Et quod magis miraberis, ferè omnes Authores, quos citat, tenent oppoſitum. Nam Bonacina, quem pro ea aſſertione citat, vbi ſuprà, ait, [Si quis ſe polluendo habeat delectationem moroſam, vel deſiderium alicnius perſonæ ſolutæ, vel coniugatæ, vel obſtrictæ voto, præter malitiam pollutionis, contrahit culpam iuxta qualitatem perſonæ, circa quam capit delectationem, vel deſiderium. Et iſta circumſtantia eſt in confeſſione explicanda, vt aiunt communiter Doctores.] Et nota, Bonacinam in delectatione moroſa interna negare cum Vaſquio ſpeciem adulterij, & inceſtus, tamen admittere illam in pollutione, vt ſubeſt moroſæ delectationi de coniugata aut conſanguinea. Nauarrus, quem citat etiam *cap.* 16. *ſum. num.* 6. eadem ferè verba habet, eandemque ſententiam, atque Gaietanus ſuprà citatus. P. Azor, quem pro eadem ſententia citat *part.* 3. *lib.* 3. *cap.* 23. *quæſt.* 1. circa propoſitum caſum de eo, qui moroſè delectatur circa coniugatam, vel conſanguineam, & ſic ſe polluit, habet hæc verba: [Tunc illæ pollutiones diſtinguuntur

15. *Qui dicant, delectationes externas ſpecificari ab obiecto cogitato.* Bonacina. Tamburinus. Fillucius. Caietanus. Bonacina. Azor.

guuntur ſpecie ratione circunſtantiæ adiunctæ, nimirum ratione moroſæ delectationis, aut deſiderij deliberati circa materias & obiecta diſtincta.] Et nota, Patrem Azor citandum infrà *num.* 32. non diſtinguere delectationes moroſas internas ſecundùm circunſtantias adulterij, inceſtûs, &c. Citat etiam pro ſe Toletum *lib.* 5. *ſum. cap.* 13. ibi autem *num.* 6. ſic habet: [Eſt autem in hoc peccato (pollutione) attendendum, quòd in eo inuoluuntur alia: nam ſi homo deſiderio, & imaginatione adhæreret alicui, dum ipſum committit, & illius generis, cuius eſſet, ſi verè committeretur cum perſona, quam affectat.] Et ponit exempla ſtupri, & adulterij in pollutione. De mente Sayri, quem etiam pro ſe citat Murcia dubium eſt; quia in hoc non ſatis clarè loquitur.

16. Et quamvis Caramuel ad ſuarum aſſertionum impugnationem petat euidentiam partis oppoſitæ, & argumentorum eius; in hac tamen quæſtione, in qua affirmat, partem oppoſitam eſſe inintelligibilem, ſufficienter impugnabitur, ſi oſtendatur, illam quidem non ſolùm veram & probabiliorem eſſe, ſed & intelligibilem, oſtendendo modum, quo ipſe negare nequeat, ſibi eſſe valde intelligibilem in obiectis, quæ ſunt intra genus luxuriæ: quidquid ſit, an noſtra ſententia certa ſit, vel dumtaxat probabilis. De quo viri docti iudicabunt à principiis intrinſecis.

CAPVT II.

Præmittitur, an commotio ſpirituum ſit in ſpecie fornicationis, vel in ſpecie pollutionis inceptæ?

17. QVæſtio procedit de commotione ſpirituum genitalium, quando contingit ſine actu completo pollutionis, vel copulæ illicitæ. Vidimus *cap. præced. num.* 14. aſſeruiſſe Caramuelem, omnem illam commotionem eſſe in genere pollutionis inceptæ, & non completæ; & accuſaſſe Dianam de minùs acuto diſcurſu, quòd dixerit, delectationem externam eſſe in ſpecie fornicationis. Vbi obiter notandum eſt, falſam eſſe accuſationem; quia Diana ibi ſolùm loquitur de delectatione interna, vt oſtendi *cap. præced. num.* 5. non autem de externa.

18. *Commotio eſt in ſpecie fornicationis, dū non refertur ad aliam ſpeciem.*

Dico primò. Dum homo non refert eam commotionem ad ſpeciale genus delectationis, talis illicita commotio eſt in ſpecie fornicationis. Non refero Authores, quia video quæſtionem hanc ferè ab illis intactam. Probatur primò. Natura deſtinauit commotionum ſpirituum genitalium ad generationem tanquam ad finem: ſed homo illam commotionem non refert ad alium finem, vt ſuppono: ergo in hoc caſu ſeruat ſuum finem à natura deſtinatum. Et ita intra matrimonium reſpicit generationem licitam, & extra matrimonium reſpicit generationem illicitam.

19. Dices, cùm commotio deſtinatur à natura ad generationem, fruſtrari commotionem ſuo fine, dum non impeditur actualiter in ipſa generatione. Si ergo fruſtratur ſuo fine, vtique non ſeruat ſuum finem naturalem; atque adeò erit delectatio contra-naturalis, & de genere pollutionis inceptæ.

Hæc reſponſio impugnatur argumentis infrà ſubiiciendis. Sed ſpecialiùs eam refello primò. Nam commotio tepida & mediocris, & quæ non eſt vltima diſpoſitio ad deciſionem ſeminis, non eſt deſtinata à natura ad perficiendum vltimò generationem, ſed habet pro fine eſſe præparatoriam carnis ad ipſam generationem: ſed quamvis non detur actualis generatio, ſed dumtaxat illa præfata commotio, caro intelligitur præparata ad generationem: ergo ſeruat ſuum finem, & non fruſtratur fine intento à natura. Refello ſecundò, quia dum caro eſt mediocriter alterata, adhuc eſt via ad generationem, & quantum ex eſt vi ipſius, deſeruire poteſt ad realem generationem: ergo falſum eſt, quod ſuo fine fruſtretur. 20.

Etiamſi commotio non ſeruiat actuali generationi, non fruſtratur fine.

Probatur ſecundò concluſio. Si ea commotio eſſet de genere pollutionis, etiam in matrimonio prædicta commotio coniugis eſſet de genere pollutionis: hoc eſt pluſquam falſum: ergo & id vnde infertur. Minor patet. Quia coniugi non licet aliqua delectatio contra naturam: licet autem ei delectatio de commotione ſpirituum, etiam in abſentia coniugis alterius, vt tenet communis ſententia, quæ tam communi plauſu inualuit: ergo delectatio de commotione ſpirituum non eſt de genere pollutionis, ſiue de genere delectationis contra naturam. 21.

Commotio in matrim. eſt de genere copulæ naturalis.

Probatur maior primò. Quia ſi ea commotio extra matrimonium eſſet de genere pollutionis, & delectationis contranaturalis, id eſſet, vel quia fruſtratur fine naturæ, vel quia non deſeruit actualiter ad generationem: ſed quoad hoc par eſt cauſa commotionis habitæ in abſentia fœminæ, cùm neque in matrimonio, neque extra illud deſeruiat actualiter ad generationem, & in hoc ſenſu fruſtretur fine naturæ in vtroque euentu: ergo ſi commotio extra matrimonium eſſet de genere pollutionis, etiam intra matrimonium eſſet. Probatur eadem maior ſecundò. Quia actionem veneream contra-naturalem coniugium non conuertit in naturalem: ergo ſi ea commotio ex ſe eſt contranaturalis, & de genere pollutionis, etiam intra coniugium erit de eodem genere pollutionis. 22.

Paritas rationis.

Matrimoniū nequit actionem contranaturalem vertere in naturalem.

Probatur tertiò concluſio. Sponſis de futuro licita eſt commotio tepida nata ex aliquibus tactibus pudicis, putà manus, &c. vel ex cogitatione eorum, ſecluſo periculo vlterioris lapſus, ſi vera eſt multorum ſententia: ſed inchoatio pollutionis, & peccatum contra naturam nunquam illis eſt licitum: ergo prædicta commotio non eſt inchoatio pollutionis, nec peccatum contra naturam. Eſt ergo in ſponſis de futuro ea commotio ſpirituum quædam inchoatio generationis, ſiue diſpoſitio præparatoria carnis ad generationem futuram tempore habili. 23.

An ſponſis de futuro liceat commotio remiſſa?

Probatur quartò. Nam ex ſententia Caramuelis fieret, quod tactus impudicus, quo Petrus tangit fœminam, haberet etiam malitiam pollutionis inchoatæ, & luxuriæ contranaturalis; quod eſt contra commune prudentum hominum iudicium. Illatio autem patet: nam tactus impudicus portat ſecum commotionem 24.

Tactus venereus fœminæ nō habet ſpeciem pollutionis inceptæ.

Digitized by Google

tionem ſpirituum, quæ commotio in ſententia Caramuelis eſt de ſpecie pollutionis inchoatæ.

25. *Cùm quis refert commotionē ad pollutionem, eſt in ſpecie pollutionis.* *Quibus modis referatur commotio ad aliam ſpeciem?*

Dico ſecundò. Quando eam commotionem ſpirituum carnalium refert quis formaliter, vel virtualiter ad pollutionem, illa eſt in ſpecie pollutionis; quando refert ad copulam ſodomiticam, eſt in eius ſpecie; quando ad beſtialem, in ſpecie beſtialitatis. Refert formaliter ad copulam ſodomiticam primò, qui talem commotionem aſſumit vt medium ad habendum actum ſodomiticum: ordinat enim ad finem contranaturalem. Secundò refert formaliter commotionem ad copulam ſodomiticam, qui habens pro motiuo delectabilitatem copulæ ſodomiticæ, vult efficaciter eam commotionem. Tertiò refert virtualiter ad pollutionem, qui præuidens pollutionem futuram, aut periculum illius in commotione magna, vult efficaciter commotionem. Quia qui ponit cauſam per ſe determinantem, aut notabiliter influentem in effectum præuiſum, virtualiter ordinat cauſam ad effectum. Quartò refert virtualiter commotionem ſpirituum ad pollutionem, qui ex motiuo delectabilitatis pollutionis, per actum omninò inefficacem ponit cauſam per ſe determinantem ad pollutionem, modo explicando infrà *cap. 6.* In his ergo omnibus caſibus non eſt de genere fornicationis, ſed de genere actûs, ad quem commotio ſpirituum refertur.

26. Iam verò probatur concluſio. Et quidē quando commotio aſſumitur vt medium ad pollutionem, aut ad ſimilē actum contra-naturalem, indubium eſt, eſſe in ſpecie talis actus, cùm certum ſit, electionem formalem medij participare malitiam finis. Deinde qui ex motiuo delectabilitatis actûs ſodomitici vult commotionem (quamvis non intendat efficaciter actum ſodomiticum, ſed ſolùm delectetur de illo) habet eum actum voluntatis ſpecificatum à tali motiuo; cùm vniuerſaliter verum ſit, omnem actum voluntatis ſpecificari ab obiecto formali motiuo, vt amplius explicabitur *cap. 4. & 5.* Id quod etiam patet in duobus aliis caſibus *num. preced.* explicatis: eadem enim ratio eſt de iis actibus, qui reſpiciunt formaliter finem, vel obiectum motiuum, ac de iis, qui reſpiciunt virtualiter. In tertio autem caſu reſpicitur virtualiter pollutio tanquam finis, & in quarto reſpicitur virtualiter tanquam obiectum motiuum. Hæc omnia clariùs conſtabunt *ex cap. 4. & 5. cit.*

27. Ad argumentum verò, quod Caramuel opponit Dianæ, contendens commotionem ſpirituum, ſiue moroſitatem externam differre à ſimplici fornicatione; vbi obiicit, quod [moroſitas poteſt eſſe de concepta muliere, vel viro,] id admitto, & aſſero, quando eſt ex affectu libidinoſo ad virum, commotionem eſſe de genere ſodomiæ inchoatæ; quando autem ex affectu ad fœminam, eſſe fornicationis inchoatæ: quando autem non procedit ex affectu ad alterum, commotionem ſeruare finem naturæ, ideóque ex ſe ordinari ad genus fornicationis inchoatæ. Ad id autem, quod addit, quod fornicatio [petit mulierem realiter, non mente conceptam:] diſtinguo. Nam id verum eſt de fornicatione completa, non de fornicatione inchoata, qualis eſt commotio, quæ vel ex deſtinatione naturæ, vel ex actuali ordinatione volentis commotionem, determinat ad inchoationem copulæ naturalis.

CAPVT III.

Præmittitur etiam, an delectatio moroſa interna ſit eiuſdem ſpeciei cum opere externo?

ARTICVLVS I.

Prænotatis aliquibus, referuntur ſententiæ.

PLurimi Authores confundunt has duas quæſtiones. Primam: [An delectatio interna ſpecificetur ab opere externo?] Secundam: [An delectatio interna ſpecificetur ab obiecto?] Et quia negant ſpecificari ab opere externo adæquatè ſumpto, & ſecundùm omnes eius circumſtantias, negant quoque ſpecificari ab obiecto; cùm tamen quæſtiones longè diuerſæ ſint; & qui ſuſtinent, illam non ſpecificari ab opere externo, negare non poſſint, eam ſpecificari ab obiecto, vt conſtabit ex dicendis in hoc capite, *num. 34.* 28. *Duæ quæſtiones non confundendæ.*

Secundò. Confundunt etiam multi deſiderium inefficax cum delectatione interna; cùm tamen valde ſint diuerſa. Poteſt enim reperiri deſiderium inefficax ſine delectatione. Vt cùm quis nullam patiens delectationem actualem deſiderat fornicationem de futuro, ſine intentione tamen ponendi medium aliquod ad conſecutionem copulæ fornicariæ. Et poteſt quis delectari de fornicatione cogitata adinſtar præſentis; quo caſu nihil deſiderat, cùm deſiderium feratur ad copulam futuram. Quare de vtriſque actibus ſeorſim dicendum eſt. 29. *Non ſunt cōfundenda deſiderium inefficax, & delectatio.*

Tertiò confundunt hæc duo: nempe ſpecificari ab aliquo termino, ſiue in ordine ad aliquem terminum; & participare malitiam ab aliquo termino. Nam licèt verum ſit, quod quoties actus parcipat bonitatem, aut malitiam, quæ eſt in aliquo obiecto, talis actus ſpecificatur ab illo; at non contingit è contra. Poteſt enim actus ſpecificari per ordinem ad aliquod obiectum, quin participet bonitatem ipſam, vel malitiam, quæ eſt in ipſo obiecto. Ita actus charitatis ſupernaturalis ſpecificatur à bonitate Dei, hoc eſt, per ordinem realem, vel intentionalem ad bonitatem Dei; non tamen participat bonitatem infinitam, quæ eſt in Deo. Et odium dæmonis vt inimici Deo ſpecificatur à dæmone vt tali; & tamen ille actus non participat malitiam dæmonis, neque inimicitiam. 30. *Poteſt aliquid ſpecificari à termino, & non participare malitiā illius, licèt nō è contra.*

Satis communis ſententia eſt, quæ docet generaliter, actus, ſiue efficaces, ſiue inefficaces deſiderij & delectationis ſpecificari, & participare malitiam ab opere externo, quod eſt obiectum talium actuum. Ita P. Thom. Sanch. *lib. 9. ſum cap. 2. num. 11.* & apud ipſum Caiet. D. Antonin. Sotus, Nauarrus, Alcozer, & P. Azor *lib. 4. cap. 6. quaſt. 3.* Item apud Dianam *part. 1. tract. 7. reſol. 48.* Lorca, Martinez, Villalobos, & Homobonus. Iuxta quos non ſolùm delectatio 31. *Omnes actus participare malitiam ab opere externo.* Th Sanch. Caiet. Antonin. Sotus. Nauarra.

Digitized by Google

Alcozer. Azor. Lorca. Martinez. Villalob. Homobon.

delectatio interna de fornicatione, & delectatio de pollutione differunt ſpecie; ſed etiam delectatio interna de copula cum coniugata, & delectatio interna de copula cum conſanguinea etiam ſpecie differunt.

32. *Oppoſitam primus docuit Vaſquez.*

Primus omnium P. Vaſquez docuit oppoſitam ſententiam 1. 2. *diſp.* 112. *cap.* 2. nempe delectationes venereas non habere omnem diuerſitatem malitiæ, quam habet opus externum circa quod verſantur: & ideo eum, qui oblectatur delectatione interna venerea, & non ſub alia ratione, de copula cum coniugata, conſanguinea, vel Religioſa, non incurrere malitiam adulterij, inceſtus, vel ſacrilegij, ſed ſolam malitiam copulæ naturalis. Additionator Patris Vaſquez hanc notam habet in margine in ſecunda editione: [Doctrinam huius capitis ſequuntur P. Azor *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 6. *quæſt.* 3. cuius verba tranſcripſit; Peſantius hîc, (id eſt, 1. 2. *quæſt.* 74. *art.* 8.) *diſp.* 3. Sayrus *in ſum. lib.* 8. *cap.* 7. *num.* 19. & 20. & vt probabilem refert P. Sà *in ſum. verb. luxuria, num.* 13. & valde probabilem appellat P. Leſſius *lib.* 4. *de virtutib. cap.* 3. *dub.* 15. *num.* 123. & P. Salas 1. 2. circa hanc quæſtionem, *tract.* 13. *diſp.* 6. *ſect.* 6. & veram ſequuntur quamplures viri docti huius temporis, non ſolùm in Hiſpania, Italia, Germania, & Gallia; ſed etiam apud Indos orientis, & occidentis.] Tenet etiam Diana *part.* 1. *tract.* 7. *reſol.* 48. & *part.* 2. *tract.* 3. *miſc. reſol.* 34. & apud ipſum Reginaldus, & Bonacina. Tenet etiam P. Tamburinus *lib.* 10. *in Decalog. cap.* 3. *num.* 3. & P. Caſtro Palao *tom.* 1. *tract.* 2. *punct.* 20. §. 4. & P. Ægid. de Coninx *de Matrim. diſp.* 34. *num.* 108.

Azor. Peſantius. Sayrus. Sà. Leſſius. Salas. Diana. Reginald. Bonacina. Tamburin. Caſtro Pal. Conink.

33. *Malè intellecta ab aliquibus ſententia Vaſquij.*

Aliqui tamen ex ſectatoribus Patris Vaſquez non plenè callentes ſententiam eius, nec ratiocinationem, vniuerſaliùs locuti ſunt, & ad ampliora ſe extenderunt, quàm P. Vaſquez. Primò enim quidam dicunt, omnes delectationes venereas eſſe eiuſdem ſpeciei. Ita Diana cit. & Machado *tom.* 1 *lib... part.* 3. *tract.* 18. *docum.* 12. *num.* 4. refert tanquam ſententiam Vaſquij, proponitque vt probabilem ſub eadem vniuerſalitate terminorum, omnes delectationes moroſas in re venerea eſſe eiuſdem ſpeciei. Cùm tamen P. Vaſq. cit. affirmet, delectationes venereas internas eſſe in eadem ſpecie cum opere luxurioſo, de quo eſt delectatio, ſecundum totam malitiam, quæ in genere luxuriæ continetur in opere. Affirmatque, delectationem moroſam de copula fornicaria eſſe diuerſæ ſpeciei à delectatione habita de copula ſodomitica. Quare illi Authores, qui vniuerſaliùs locuti ſunt, benignè ſunt interpretandi, vt intelligantur dixiſſe, omnes delectationes moroſas in genere luxuriæ naturalis eſſe eiuſdem ſpeciei, cùm ſolùm apponant exemplum in delectatione de copula cum fœmina coniugata, conſanguinea, & religioſa.

Non omnes delectationes internæ ſunt eiuſdem ſpeciei.

Delectationes internæ differunt ſpecie, pro diuerſitate intra genus luxuriæ reperta.

34. *Delectationes ſpecificari ab obiecto, non negat Vaſq.*

Alij intellexerunt, P. Vaſquez affirmaſſe, delectationem veneream non ſpecificari ab obiecto, ſed à motiuo. Ita Malletus, & Bonacina citati ſuprà *diſp.* 41. *cap.* 6. Cùm tamen P. Vaſquez cit. expreſsè dicat, delectationem de luxuria naturali, & delectationem de luxuria contra-naturali eſſe diuerſæ ſpeciei, & vtramque deſumere malitiam ab opere externo, non ſecundùm ſe totum, ſed ſecundùm quod continetur iſtud intra genus luxuriæ; & ſaltem id negari non poſſit de affectu delectationis, qui fertur formaliter in adulterium, vel inceſtum, vel ſacrilegium, gaudens formaliter de iniuria coniugis, de violatione pietatis in conſanguineum, &c. Et ideò Additionator Vaſquij *diſp.* 111. *cap.* 5. *num.* 21. hanc notationem adhibuit in margine. [Ex hac ſolutione *ex cap.* 4. & *ex diſp.* 112. *cap.* 2. conſtat, Authorem non negare, delectationem ſimplicem ſumere malitiam ab actu externo vt ab obiecto: nec eandem in ſpecie cum illo poſſe habere, ſi ex ſe, aut ex peculiari reſpectu eiſdem virtutibus quibus ille opponitur, opponeretur: ſed negare malitiam ab illo, vt ab effectu deriuatam, vt contingit in actu efficaci.]

Articulus II.

Statuuntur tres concluſiones pro ſententia Patris Vaſquez.

Iam verò dicendum eſt primò cum P. Vaſquez, quando delectatio interna venerea fertur etiam formaliter in circumſtantiam operis, quæ eſt extra genus luxuriæ, tunc delectationem ſpecificari à tali circumſtantia, v. g. delectatur Petrus de copula habita cum coniugata, & de iniuria illata marito, tunc ea delectatio habet duplicem ſpeciem, alteram contra caſtitatem, & alteram adulterij contra iuſtitiam. Patet, quia delectari de iniuria alterius quà tali, eſt contra virtutem iuſtitiæ. 35.

Si delectatio eſt etiam de circumſtantia operis, ab hac ſpecificatur.

Dicendum eſt ſecundò. Delectationes moroſæ internæ habitæ de diuerſis ſpeciebus luxuriæ externæ (diuerſis, inquam, intra genus luxuriæ) diuerſificantur ſpecie. Vnde delectatio interna de copula ſodomitica, & delectatio externa de copula fornicaria ſunt diuerſæ ſpeciei. Ita P. Vaſquez *ea diſp.* 112. *num.* 5. & notauit P. Tamburinus *lib.* 10. *in Decalog. cap.* 3. *num.* 4. 36.

Delectationes de diuerſis ſpeciebus intra genus luxuriæ, ſpecie differunt. Vaſquez. Tamburin.

Probatur primò. Delectatio ſpecificatur à ſuo proprio obiecto, non tanquam ab effectu (qualiter intentio efficax ſpecificatur à ſuo obiecto) ſed tanquam ab obiecto, quod formaliter attingit, & de quo præciſè & formaliter delectatur vt quo: ergo delectatio de copula fornicaria, & delectatio de copula ſodomitica ſpecificantur à prædictis copulis. Ergo ſicut copula fornicaria, & copula ſodomitica differunt ſpecie morali; ita delectationes de præfatis copulis diuerſificabuntur ſpecie morali. 37.

Delectatio ſpecificatur à proprio obiecto, tanquam ab obiecto.

Antecedens patet. Nam cùm actus delectationis ſit eſſentialiter tendentia in obiectum, implicat contradictionem, quod non ſumant ſpeciem ſuam ab obiecto. Quod quidem non ita intelligendum eſt, quod accipiat bonitatem, vel malitiam, quam in ſe habet obiectum: ſed ita vt accipiat ſuam bonitatem, vel malitiam per ordinem, & habitudinem ab ipſo obiecto. Sic actus deteſtationis Dei, quamvis non participet bonitatem ipſius Dei, deſumit tamen malitiam ſuam per ordinem ab habitudinem ad ipſum Deum: ideò enim ille actus eſt enormiter malus, quia in ratione deteſtationis reſpicit obiectum infinitè bonum. 38.

Non accipit malitiam ab obiecto, ſed per ordinem ad obiectum.

Nec valet, ſi dicas, actum delectationis, aut 39.

aut deteſtationis non accipere bonitatem, vel malitiam ab obiecto; ſed per oppoſitionem ad talem ſpecialem virtutem.

40. Non ideò delectatio de iniuria proximi opponitur virtuti charitatis erga proximum, quia reſpicit pro obiecto iniuram proximi. Et ideò deteſtatio Dei opponitur ſpeciali modo dilectioni Dei; quia in eſſe deteſtationis reſpicit obiectum infinitè bonum: ergo eatenus opponitur tali virtuti, quia reſpicit tale obiectum. Tum ſic: actus ſpecificatur, quatenus opponitur tali virtuti: ſed opponitur tali virtuti, quatenus reſpicit tale obiectum: ergo actus ſpecificatur, quatenus reſpicit tale obiectum.

Iam verò prima conſequentia primi enthi-
41. mematis clariſſimè patet. Nam ſi de delectatio ſpecificatur per ordinem ad obiectum, quod formaliter attingit; cùm vna earum delectationum reſpiciat tanquam obiectum copulam naturalem, & alia copulam contra-naturalem, illæ duæ delectationes ſpecificabuntur per ornem ad eas duas copulas.

42\. Probatur ſecundò. Actus internus, qui delectatur de copula fornicaria, reſpicit formaliter delectabilitatem fornicationis; & actus internus, qui delectatur de copula contra-naturali, reſpicit formaliter delectabilitatem copulæ contra-naturalis; ſiue eam delectabilitatem dicas obiectum materiale, ſiue formale motiuum: ſed delectabilitas copulæ fornicariæ & delectabilitas copulæ contra-naturalis ſpecie diſtinguuntur, ſicut ipſæ copulæ: ergo eæ duæ delectationes internæ reſpiciunt delectabilitates ſpecie diuerſas.

Delectatio de ſodomia non reſpicit delectabilitatem fornicationis, ſed ſodom.

43\. Confirmatur. Nam diuerſo modo peccaret ille, qui delectaterur reſpiciendo delectabilitatem profuſionis ſeminis, vt abſtrahit à profuſione intra vas, vel extra illud; hoc enim modo non delectaretur potiùs de copula ſodomitica, quàm de fornicaria; nec reſpiceret potiùs delectabilitatem vnius, quàm alterius copulæ: ergo qui ſpecialiter delectatur de copula ſodomitica vt tali, non reſpicit tantùm delectabilitatem veneream vt ſic, ſed delectabilitatem ſpecialem copulæ ſodomiticæ: ſed delectabilitas ſpecialis copulæ ſodomiticæ ſpecie differt à delectabilitate ſpeciali copulæ fornicariæ: ergo qui delectatur ſpecialiter de copula ſodemitica vt tali, contrahit malitiam ſpecie diuerſam ab eo, qui delectatur ſpecialiter de copula fornicaria vt tali.

Probatur tertiò. Commotio ſpirituum ge-
44. nitalium relata ad actum ſodomiticum eſt operatio externa in ſpecie actus ſodomitici inchoati, & commotio ſpirituum relata ad fornicationem, eſt in ſpecie fornicationis inchoatè. Tum ſic. Actus liber, qui eſt cauſa per ſe determinans ad aliquam ſpeciem malitiæ moralis, participat eam ſpeciem malitiæ moralis: ſed actus internus, qui delectatur liberè de copula ſodomitica, eſt actus liber, & cauſa per ſe determinans ad commotionem ſpirituum genitalium, quæ eſt in ſpecie copulæ ſodomiticæ inchoatæ: ergo actus internus, qui delectatur liberè de copula ſodomitica, participat malitiam copulæ ſodomiticæ inchoatæ. Differt ergo ſpecie ea delectatio à delectatione, quæ habetur de copula fornicaria, vtpote participans malitiam, quæ eſt in commotione ſpirituum inchoante copulam fornicariam. Vtraque conſequentia patet. Maior etiam patet. Tum quia actus liber efficax ideò participat malitiam ſpecificam operis externi, quia eſt cauſa per ſe determinans ad illam. Cauſæ autem determinanti ad effectum prauum attribuitur effectus, & malitia eius. Tum etiam ex dictis *diſp.42. cap.7. art.3.4. & 5.* & infrà *cap.4. poſitione 5. num. 61.* Minor etiam patet. Nam prima pars, quod illa delectatio de copula ſodomitica ſit cauſa per ſe, determinans ad commotionem ſpirituum, patet *ex diſp.42. cap.7. art.3.* Quod verò ea commotio ſpirituum ſit in ſpecie copulæ ſodomiticæ, patet ex dictis *in hac diſp.2.* & ex dicendis infrà *cap.5.*

Commotio relata ad ſodomiam eſt in ſpecie ſodomia.

Delectatio interna de ſodomia eſt cauſa per ſe commotionis diuerſa ſpeciei.

Probatur quartò. Ideò qui delectatur interne (& dumtaxat venereè) de copula cum fœmina coniugata, non contrahit malitiam in ordine ad adulterium, quia ea delectatio præſcindit, & non reſpicit formaliter circũſtantiã coniugij: ſed delectatio, quæ ſpecialiter complacet in copula ſodomitica, non præſcindit circumſtantiam, aut (formaliùs loquendo) formalitatem ſodomiæ, ſed hanc formaliter reſpicit: ergo contrahit malitiam per ordinem ad ſodomiam. 45.

Notanter dixi, eam delectationem contrahere malitiam per ordinem ad copulam ſodomiticam completam; non verò contrahere malitiam ipſius operis completi. Quia ſic comprehenditur etiam delectatio, quæ terminatur ad copulam ſodomiticam completam vt præſciſam à malitia morali. Quando enim delectatio reſpicit actionem vt præſciſam à malitia morali, non poteſt participare malitiam operis, cùm opus illud, ea ratione, qua eſt obiectum delectationis, non includat talem malitiam. Tunc enim delectatio eſt mala moraliter, non non propter malitiam obiecti, à qua obiectum eſt præſciſum, ſed propter habitudinẽ delectationis ad obiectum, quæ mala eſt. Sæpiùs enim contingit, obiectum eſſe malum moraliter, & habitudinem actus ad obiectum eſſe bonam, vel è conuerſo. Quid peius peccato? Et tamen habitudo ad peccatum, quæ datur in actu deteſtationis peccati, bona eſt. Item bona eſt eleemoſyna; & tamen mala eſt habitudo ad eleemoſynam, quæ datur in actu deſtationis illius. De quo vide plura alia exẽpla *diſp.41. c.3. art.2.* 46.

Quomodo ea delectatio ſumat ſpeciem, non ab obiecto, ſed per ordinem ad obiectum?

Dicendum eſt tertiò. Delectationes moroſæ internæ, quæ dumtaxat ſunt delectationes venereæ, & actus inefficaces, non ſpecificantur à circumſtantiis obiecti, quæ ſunt extra genus luxuriæ, v.g. adulterij, inceſtus, &c. Probatur primò. Illæ delectationes, quæ ſunt dumtaxat venereæ, ſolùm reſpiciunt delectabilitatem veneream: ſed circumſtantia adulterij non eſt delectabilitas venerea, ſed ratio iniuriæ coniugi illatæ: ergo non reſpiciunt circumſtantiam adulterij: ergo ab ea circumſtantia non ſpecificantur, cùm non ſpecificentur ab obiecto, quod non reſpiciunt. 47.

Delectatio interna non ſpecificatur à circumſtantiis extra genus luxuria.

Probatur ſecundò. Illa circumſtantia non eſt imputabilis Petro, quam non vult: ſed qui habet delectationem dumtaxat veneream, non vult iniuriam coniugis; nam ſi vellet iniuriam coniugis, ea delectatio non eſſet dumtaxat venerea, ſed etiam eſſet iniuſta, vtpote gaudens de iniuria coniugis: ergo ei, qui habet delectationem dumtaxat veneream, non eſt imputabilis iniuria coniugis, atque adeò neque circumſtantia adulterij. In hoc ergo differt hæc delectatio 48.

Delectatio de copula cum coniugata nõ reſpicit circumſtantiam adulterij. Non delectatur de iniuria coniugis.

delectatio ab actu efficaci, quia iſte non poteſt non velle totum opus cum omnibus ſuis circumſtantiis, quas agnoſcit, ſi vult illud realiter ponere.

49. Probatur tertiò, & ſuppono hunc caſum. Petrus, Ioannes, & Antonius cognouerunt carnaliter Bertam coniugatam, & conſanguineam eorum. Poſteà Petrus moroſè delectatur de copula habita, ſolùm quà delectabili: Ioannes delectatur ſub ea ratione, & etiam ob iniuriam coniugis: Antonius delectatur de copula quà delectabili, & de iniuria coniugis, & de fœdato iure conſanguinitatis. Nunquid omnes iſti æqualiter peccauerunt? Ex apprehenſione terminorum patet, ea tria peccata fuiſſe inæqualis malitiæ. Ex oppoſita autem ſententia infertur, ea tria peccata fuiſſe æqualis malitiæ. Dicunt enim, delectationem moroſam Petri habere malitiam adulterij, & inceſtus, quamvis ſolùm oblectatus fuerit de copula cum Berta, quà delectabili: ſed nihil ampliùs habet delectatio Antonij, qui de tribus rationibus, delectabilitatis, adulterij, & inceſtus gauiſus eſt: ergo Antonius non contraxit maiorem malitiam ſua triplicata oblectatione, quàm Petrus ſimplici; atque adeò æqualiter peccauerunt.

50. *Delectatio interna ſpecificatur ab obiecto, non à circumſtantiis, quas actus nō attingit.*

Ex hac concluſione patet, delectationes internas ſpecificari ab obiecto, licèt non ſpecificentur ab opere externo, ſecundùm omnes huius circumſtantias. Etenim ſpecificantur à delectabilitate operationis externæ: ſed obiectum formaliter ſumptum huius delectationis eſt præſcisè delectabilitas: ergo ſpecificantur ab obiecto formaliter ſumpto.

51. *Quædam exceptio, ob ſpecialem rationem.*

Vnam tamen exceptionem in hac materia admittere debes, quam non video obſeruatam ab Authoribus huius ſententiæ, & quam fortaſſe aliquis inconſequentiam putabit, ſi non attenta mentis acie perpenderit. Si enim delectatio venerea fuerit de copula cogitata cum Sancta aliqua cœleſti (nolo nominare aliquam reuerentiæ causâ) præter malitiam delectationis, incurrrit malitiam irreligioſitatis. Ratio autem diſparitatis eſt. Nam Religio (ſaltem latè ſumpta, vt extenditur ad cultum) præſcribit etiam mentalem reuerentiam; quam quidem violat, qui delectatur de actione impudica cogitata cum Virgine ſancta. Et explicatur. Nam ſi maritus haberet ius, ne quis delectaretur internè de copula cum ſua vxore, vtique delectatio venerea interna eſſet iniuria mariti; & talis delectatio interna haberet malitiam ſpecificam contra coniugem; non quidem ex generali ratione obiecti, circa quod tenderet delectatio; ſed ex ſpeciali ratione iuris, quod haberet coniux contra talem delectationem. Idem ergo contingit in noſtro caſu. Etenim delectatio de copula cogitata cum Virgine cœleſti, non accipit illam ſpecialem malitiam ex generali ratione delectationis, quæ petat ſpecificari à circumſtantiis, quæ ſunt extra genus luxuriæ; talis enim generalis ratio non datur: ſed quia virtus Religionis ſpeciali tititulo poſtulat reuerentiam etiam mentalem.

***

ARTICVLVS III.

Duæ aliæ concluſiones pro complemento doctrinæ.

52. *Si delectatio externa ſpecificatur ab obiecto cogitato, delectatio interna ſpecificatur ab externa.*

Dicendum eſt quartò, iuxta ſententiam eorum, qui dicunt, delectationes externas ſpecificari ab obiectis & ſubiectis cogitatis, dicendum etiam eſſe, delectationes internas ab eiſdem ſpecificari. Hanc aſſertionem non video à ſcriptoribus notatam, ea tamen mihi certa eſt. Probatur. Actus liber, qui eſt cauſa per ſe determinans ad ſpeciem pollutionis, contrahit malitiam pollutionis: ergo actus liber, qui eſt cauſa per ſe determinans ad talem ſpeciem commotionis ſpirituum genitalium, contrahit etiam talem ſpeciem. Sed cùm quis delectatur internè de copula cum fœmina coniugata, ea delectatio libera eſt cauſa per ſe commotionis & delectationis externæ, quæ ſecundùm prædictam ſententiam eſt in ſpecie adulterij: ergo ea delectatio interna contrahit etiam malitiam adulterij. Primum antecedens patet *ex diſp. 42. cap. 7. art. 3. 4. & 5. ex art. præcedenti, concluſ. 2.* & infrà *cap. 4. poſitione 5.* Conſequentia verò eſt ferè indentica, niſi quod materia non eſt materialiter eadem; cæterùm omnino ſimilis. Antecedens verò ſubiunctum, patet etiam *ex diſp. 42. citata, cap. 7. art. 3.* & conſequentia tenet.

53. *Deſiderium inefficax, quod ſolùm mouetur à delectabilitate, eiuſdem rationis eſt ac ea delectatio.*

Dicendum eſt quintò, deſiderium inefficax operationis venereæ, ſi ſolùm moueatur ex delectabilitate obiecti, eiuſdem rationis eſſe quoad hoc, ac delectationem moroſam, ſcilicet non contrahere malitiam ex circumſtantiis extra genus luxuriæ, neque ab illis ſpecificari. Si tamen feratur formaliter in eas circunſtantia, contrahere malitiam illarum. Et ita qui ſolùm ex delectabilitate obiecti deſiderat inefficaciter fœminam coniugatam, non contrahit malitiam adulterij. Patet. Nam actus inefficax deſiderij tam præſciſiuus eſt, ac delectatio ſimplex. Sic infirmus licèt ſciat, ſibi nociturum potum, inefficaciter tamen deſiderat potum, quin ſibi deſideret nocumentum: ergo deſiderans inefficaciter copulam cum fœmina coniugata, poteſt deſiderare delectationem, quin deſideret adulterium; tunc enim deſiderium inefficax non fertur ad circumſtantiam coniugij. Si verò deſiderium inefficax formaliter feratur ad copulam cum fœmina illa, & ad circumſtantiam adulterij, huius malitiam etiam participat.

54. *Rarò delectatio interna fertur in circumſtantias operis. Deſiderium inefficax frequenter fertur in circūſtantias operis.*

Dices. Idē omninò dictū eſt de delectatione interna in cōcluſionibus prima, & tertia. Ad quid ergo id inculcatur in deſiderio inefficaci? Reſpōdeo tamē, id debuiſſe notari in ſpeciali, quia delectationem internā veneream extendi etiam ad alias circumſtantias extra genus luxuriæ, rariſſimum eſt, vt notauit P. Tamburinus *lib. 10. in Decal. cap. 3. n. 4.* In deſiderio autem inefficaci non eſt rarum, ſed valde cōmune deſiderare operationem externā cum omnibus circumſtantiis. Nam etiam deſiderium inefficax deſiderat executionem, quam videt aſſociatam iis omnibus circumſtantiis, quæ ſunt extra genus luxuriæ. Et ita intelligendus eſt P. Leſſius *lib. 4. de Virtutib. cap. 3. num. 123. §. Denique*, dum aſſerit, deſiderium inefficax ferri ad omnes circumſtantias executionis, & in hoc differre à delectatione

Digitized by Google

lectatione ſimplici; nempe ita vt intelligatur; id ita communiter accidere, non quia deſiderium inefficax non poſſit ferri in vnam rationem præſciſam ab alia.

55. Oppones cum P. Leſſio proximè citato: Qui vult per deſiderium, etiam inefficax, executionem, conſentit in vtramque circumſtantiam, copulæ & adulterij, vtpote executioni neceſſariò coniunctam: ergo ſemper contrahit vtramque malitiam.

56. Reſpondeo, ſicut in copula præſcindi poteſt delectabilitas ab adulterio; ita in executione copulæ poterit ſimiliter præſcindi. Et ſicut delectatio de executione copulæ ſolùm tendit in delectabilitatem obiecti, ita etiam deſiderium inefficax de executione, poterit tendere dumtaxat in eiuſmodi delectabilitatem. Quare circumſtantia adulterij neceſſariò coniuncta eſt executioni reali, tamen ex parte obiecti circumſtantia poteſt præſcindi, & tam delectationem, quàm deſiderium inefficax ferri in delectabilitatem obiecti, vt præſciſam ab ea circumſtantia.

CAPVT IV.

Poſitiones aliquæ ad reſolutionem præcipuæ quæſtionis.

57. *Malitia actus efficacis refunditur in opus intentum ab actu.* Poſitio prima. Malitia actus efficacis refunditur in obiectum intentum ab illo actu. Si quis ex eo odio vult efficaciter comburere ſegetem Petri, combuſtio participat malitiam odij, quæ reſidet in actu efficaci. Si quis ex inuidia erga Petrum vult occidere illum, occiſio participat malitiam inuidiæ. Si quis ex odio erga Ioannem vult efficaciter adulterari cum vxore eius, id adulterium accipit malitiam odij. Sicut etiam ſpecies bonitatis moralis intentionis efficacis refunditur in obiectum eius. Qui enim vult efficaciter ex amore Dei erogare eleemoſynam pauperi, erogatio eleemoſynæ eſt in ſpecie charitatis erga Deum.

58. *Malitia actus efficacis, quæ refunditur in opus, prouenit ex motiuo.* Poſitio ſecunda. Malitia moralis (ſicut & bonitas) actus efficacis, quæ refunditur in obiectum, prouenit præcipuè ex obiecto formali motiuo eius actus efficacis. Patet. Nam qui ex odio vult efficaciter occidere Petrum, obiectum materiale eius actus eſt occiſio, & obiectum formale eſt malum Petri, vt malum eius eſt: malitia ergo, quam ab actu efficaci participat occiſio, eſt malitia odij, quæ ex obiecto formali motiuo actus efficacis naſcitur. Vbi notabis, illum actum volitionis efficacis occiſionis Petri ex odio, participare malitiam ab obiecto materiali, nempe ab occiſione: at verò occiſionem participare malitiam odij ab obiecto formali eius actus efficacis.

59. *Datur actus virtualiter efficax. Et quis ſit?* Poſitio tertia. Præter voluntatem formaliter efficacem operationis, datur etiam voluntas virtualiter efficax operationis. Voluntas libera tunc eſt virtualiter efficax, quando eſt cauſa per ſe determinans omnino ad operationem, quamvis non terminetur ad illam tanquam ad obiectum: v. g. habeo odio Petrum, & ex iſto odio reſultat in me pura omiſſio eleemoſynæ in extrema neceſſitate Petri. Iſte actus odij, etſi non habet pro obiecto omiſſionem, eſt virtualiter efficax reſpectu omiſſionis, quia omninò determinat ad illam, & eſt cauſa per ſe omiſſionis per modum antecedentis illatiui.

Poſitio quarta. Operatio procedens ab actu virtualiter efficaci, participat malitiam actus, eaque malitia prouenit illi operationi præcipuè ex obiecto formali motiuo talis actus. Patet in exemplo odij, & omiſſionis proximè propoſito. Nam omiſſio eleemoſynæ in extrema neceſſitate, quæ prouenit ab actu odij tanquam virtualiter efficaci, participat malitiam eius odij, quamvis non ſit formaliter volita. Et ob eandem rationem eſt verum dicere, quod ea omiſſio eleemoſynæ poſita eſt ex motiuo formali eius odij. Quod ſi velis exemplum, in quo detur actus cum obiecto materiali & formali diſtinctis, id propono in actu deſiderante mortem Petri ex odio; ex quo actu procedit omiſſio eleemoſynæ in extrema eius neceſſitate. In qua omiſſione datur malitia odij proueniens extrinſecè ex obiecto formali motiuo odij. Suppono autem, poſſe dari obiectum formale motiuum, id eſt mouens ad aliquem actum, qui illud non tangit formaliter. Sic enim quando actus charitatis imperat alium actum terminatum ad eleemoſynam, iſte ſecundus habet pro obiecto formali extrinſeco motiuum charitatis; quod iſte ſecundus per ſe ipſum non attingit. 60. *Opus procedens ab actu virtualiter efficaci, participat malitiam actus. Idque ex motiuo actus.*

Poſitio quinta. Actus virtualiter efficax accipit malitiam ab operatione praua, ad quam efficacitate virtuali determinat. Et ratio eſt. Cauſæ enim determinanti ad effectum malum moraliter, attribuitur effectus & malitia eius. Sic actui odij erga Petrum attribuitur omiſſio eleemoſynæ in extrema eius neceſſitate, quamvis actus poſitiuus odij non terminetur ad eam omiſſionem, tanquam ad obiectum. Ita etiam cùm quis ex actu timoris Dei determinatur ad puram omiſſionem liberam priuatæ vindictæ, bonitas huius omiſſionis attribuitur actui timoris, tanquam cauſæ determinanti. 61. *Actus virtualiter efficax deſumit malitiam ab opere, ad quod determinat.*

Hinc vires accipit illud principium, quod ſæpe ſtatuimus in hac diſputatione, & in aliis: nempe actui libero, qui eſt cauſa per ſe, omnino determinans ad talem ſpeciem peccati, attribui prædictam malitiam ſpecificam peccati. 62. *Cauſa determinanti attribuitur effectus.*

Poſitio ſexta. Obiectum formale motiuum delectationis internæ eſt delectabilitas in tali obiecto relucens. Ipſa enim eſt, quæ mouet, & allicit voluntatem ad delectationem. Nec intereſt, delectabilitatem non diſtingui realiter, vel etiam formaliter, ab obiecto materiali; negari enim nequit, in pluribus actibus obiectum materiale, & obiectum formale motiuum, eſſe idem. Sic enim in actu charitatis, quo diligis Deum, ipſa Dei bonitas eſt obiectum formale motiuum; quæ quidem non diſtinguitur ab obiecto materiali, nempe Deo. 63. *Obiectū motiuum delectationis internæ eſt delectabilitas obiecti. Obiectū materiale & formale ſæpe identificantur.*

Poſitio ſeptima. Obiectum formale motiuum eius, qui delectatur internè delectatione dumtaxat venerea, in adulterio, vel inceſtu, non eſt circumſtantia adulterij, vel inceſtus, ſed ſola delectabilitas copulæ adulterinæ, vel inceſtuoſæ; ſola, inquam, delectabilitas, quæ ſpectat ad genus luxuriæ. Conſtat ex 64. *Motiuū eius, qui delectatur venereè in adulterio, non eſt circūſtantia adulterij.*

cap. 3. *art.* 2. *concluſione* 3. Nam cùm delectatio ſit dumtaxat venerea, ad illam non allicit obiectiuè iniuria mariti, nec violatio pietatis debitæ erga conſanguineam; ad delectationem enim dumtaxat veneream ſolùm allicit ea delectabilitas, quæ eſt in ſpecie luxuriæ, non alia.

65. *Delectatio interna formaliter inefficax, eſt cauſa perſe commotionis. Et ſi ſit vehemens, eſt cauſa per ſe pollutionis. Et vtraque eſt virtualiter efficax.*

Poſitio octaua. Delectatio interna, quæ ſit omninò inefficax formaliter, eſt cauſa per ſe omninò determinans ad commotionem ſpirituum. Patet *ex diſp.* 42. *cap.* 7. *art.* 3. Et inde fit, quod ſit virtualiter efficax, vt patet ex poſitione 3. Imò & delectatio interna vehemens diu durans, etiamſi formaliter inefficax, quæ ex ſe prouocat ad commotionem ſpirituum vehementem & ſummam, eſt cauſa per ſe omninò determinans ad pollutionem. Conſtat *ex eadem diſputat.* 42. *cap.* 7. *art.* 5. Et inde infertur, quod ea delectatio formaliter inefficax reſpectu pollutionis, eſt virtualiter efficax reſpectu illius, vt conſtat ex eadem poſitione 3.

CAPVT V.

Delectationem externam ſpecificari ab obiecto cogitato, quod ſit intra genus luxuriæ.

66. *Cùm delectatio externa eſt medium ad obiectum cogitatum, participat malitiam ab illo.*

Sit prima concluſio, eaque certa, delectationem externam participare malitiam ab obiecto cogitato, quando delectatio externa aſſumitur vt medium ad obtinendum illud obiectum venereum, quod mens cogitat. Eſt enim certum, medium participare malitiam à fine, & in eo, qui furatur propter mœchandum, furtum participare malitiam luxuriæ. Quod autem delectatio interna poſſit aſſumi ad obtinendum obiectum venereum, quod quis cogitat, tam certum eſt, quàm eſt certum, hominem vti medio tactus proprij ad conſequendum finem copulæ completæ, quam priùs cogitauit.

67. *Pollutio poteſt aſſumi vt medium ad fornicationem.*

Imò & pollutio ipſa poteſt aſſumi tanquam medium ad habendam copulam poſt quinque, vel ſex horas. Quia delectatio pollutionis immittit intenſiſſimam ſpeciem valde prouocatiuam ad actum venereum, modo explicato *diſp.* 43. *cap.* 3. *propoſitione* 3. Et ita poteſt aſſumi vt medium, vt homo ſic ſe prouocet ad futuram copulam, quam cogitat. Quare qui delectationem externam aſſumit vt medium ad copulam habendam cum coniugata, participat malitiam adulterij; inceſtûs verò, qui aſſumit vt medium delectationem externam ad copulam cum conſanguinea. Et ſic de reliquis circumſtantiis. Hæc concluſio eſt expreſsè contra aſſertionem Caramuelis, quam propoſuit *diſp.* 67. *num.* 1046. relatam ſuprà *cap.* 1. in qua ait, ſe non poſſe intelligere, quomodo mollities ordinari poſſit vt medium ad copulam veneream.

68. *Si eſt delectatio inefficax de ſodomia, & efficax circa commotionem, delectatio externa ſpecificatur ab obiecto cogitato.*

Sit ſecunda concluſio. Quando datur delectatio interna, v. g. de actu ſodomitico, quæ ſit inefficax reſpectu illius actus, & formaliter efficax reſpectu commotionis ſpirituum genitalium, & delectationis externæ ex commotione ortæ; hæc delectatio externa ſumit malitiam per ordinem ad obiectum cogitatum intra genus luxuriæ, nempe per ordinem ad actum ſodomiticum. Explicatur concluſio propoſito caſu. Petrus ſe oblectans internè actu ſodomitico cogitato, per eum actum delectationis vult efficaciter commotionem ſpirituum, & delectationem externam ex commotione deriuatam. Aſſero ergo, in hoc caſu hanc delectationem externam ſumere ſpeciem per ordinem ad id obiectum cogitatum, ſcilicet ad actum ſodomiticum. Et ſimilis eſt caſus, in quo quis oblectans ſe de copula fornicaria, per eum actum, qui eſt inefficax reſpectu copulæ, velit efficaciter pollutionem. Hæc enim pollutio, & delectatio externa de ea participant malitiam moralem per ordinem ad copulam fornicariam. Pro hac concluſione ſtant Authores ſecundæ ſententiæ in fine capitis primi relati.

Probatur primò concluſio. Malitia actus interni efficacis refunditur in opus externum 69.
efficaciter volitum: ſed delectatio interna de actu ſodomitico habet malitiam pertinentem ad ſpeciem ſodomiæ; opus autem externum commotionis, & delectationis externæ eſt efficaciter volitum ab illo actu delectationis: ergo malitia eius delectationis internæ pertinens ad ſpeciem ſodomiæ refunditur in illam commotionem & delectationem externam.

Conſequentia eſt ineuitabilis. Maior patet 70.
ex prima poſitione capitis præcedentis. Minor quoad primam partem ſatis clarè conſtat *ex cap.* 3. *art.* 2. *concluſione* 2. Secunda autem pars minoris ſupponitur in ipſo caſu concluſionis.

Probatur ſecundò. Obiectum formale motiuum actus efficacis, eſt obiectum motiuum, 71.
ſeu mouens ad ponendum opus externum efficaciter volitum: ſed delectabilitas copulæ ſodomiticæ eſt obiectum formale motiuum illius delectationis: ergo delectabilitas copulæ ſodomiticæ eſt obiectum motiuum, ſeu mouens ad opus externum efficaciter volitum, nempe ad commotionem ſpirituum, & delectationem externam ex commotione deriuatam. Tum ſic. Opus externum efficaciter volitum participat malitiam per ordinem ad obiectum motiuum: ſed commotio ſpirituum, & delectatio externa eſt opus externum efficaciter volitum ab eo actu delectationis; & delectabilitas copulæ ſodomiticæ eſt obiectum motiuum mouens ad tale opus externum: ergo commotio ſpirituum & delectatio externa participat malitiam per ordinem ad delectabilitatem copulæ ſodomiticæ; atque adeò habet malitiam pertinentem ad ſpeciem copulæ ſodomiticæ.

Prioris ſyllogiſmi maior ex comprehenſio- 72.
ne terminorum euidens eſt. Nam quod eſt obiectum formale motiuum ad volendum efficaciter comeſtionem, eſt obiectum mouens ad ipſam comeſtionem exercendam; & quod eſt obiectum formale motiuum volendi efficaciter occiſionem Petri, eſt obiectum mouens ad ipſam occiſionem Petri.

Minor etiam eſt euidens, vt patet ex poſi- 73.
tione 6. Nihil enim aliud eſt in illo actu, qualem ponimus, quod moueat Petrum ad eam delectationem

Digitized by Google

delectationem internam, niſi delectabilitas copulæ ſodomiticæ. Supponimus enim caſum, in quo Petrus non moueatur ex delectabilitate venerea vt ſic; ſed ex tali delectabilitate talis modi ſodomitici. Conſequentia autem tenet, quia ſyllogiſmus eſt in tertio modo primæ figuræ.

74. Poſterioris ſyllogiſmi maior patet ex poſitione ſecunda. Minoris autem prior pars ſupponitur in ipſo caſu concluſionis, in qua ſupponitur, quod actus delectationis efficaciter vult commotionem ſpirituum, & delectationem externam. Secunda autem pars minoris eſt ipſum conſequens prioris ſyllogiſmi. Conſequentia autem rectè deducitur ex eo ſyllogiſmo, quem facilè reduces ad formam Ariſtotelicam.

75. Sed demus vires aduerſario, & reſpondeamus pro eo. Dic ergo, eam delectationem habere duas formalitates, & quà delectatio eſt de copula ſodomitica, & quà voluntas efficax eſt de delectatione externa; & ita eſſe virtualiter duplicem actum, quatenus æquiualet duplici actui, quorum vnus delectetur internè de copula ſodomitica, alter verò velit efficaciter delectationem externam. Sicut ergo damus ei actui duo obiecta materialia, ita etiam dare poterimus duo obiecta formalia; ita vt obiectum formale eius actus, quatenus delectatio interna eſt, habeat pro obiecto formali delectabilitatem actus ſodomitici; & quatenus voluntas efficax eſt delectationis externæ, habeat pro obiecto formali ipſam delectationem externam, aut huius delectabilitatem.

76. Sed hoc non eleuat vim argumenti, vel dic idem de actu odij erga Petrum, volente efficaciter occiſionem Petri. Dic ergo eſſe virtualiter duos actus, vnum odij, alterum volentem efficaciter occiſionem. Et primum habere pro obiecto formali motiuum odij; ſecundum verò habere pro obiecto formali eam occiſionem vt noxiam Petro. Poſſet quidem aliquis odio proſequens Petrum, velle efficaciter illum occcidere independenter ab odio (quod impoſſibile moraliter cenſeo) ſed ſicut caſus odij & occiſionis eſt de eo, qui vult occidere ex motiuo odij, & dependenter ab odio: ita caſus præſens eſt de eo, qui ex delectabilitate obiecti ſodomitici allicitur ad commotionem ſpirituum, & delectationem externam. Vna enim delectatio ad aliam allicit & mouet.

77. Itaque ſi rarus eſt, qui odio proſequens Petrum, & volens efficaciter occiſionem eius, non velit occidere ex odio: ita rarus eſt qui ſe oblectans de copula ſodomitica, & volens efficaciter (præcipuè eodem actu) commotionem ſpirituum, & delectationem externam, non velit hanc ex delectabilitate illius obiecti ſodomitici; quia illa delectabilitas actus ſodomitici vehementer allicit ad delectationem externam: loquimur autem, non de rarò, ſed de communiter accidentibus.

78. Præterquam quod ad impugnationem ſententiæ Caramuelis, ſufficit oſtendere, quomodo delectabilitas obiectiua actus ſodomitici poſſit eſſe obiectum motiuum ad volendum efficaciter delectationem externam, cùm dicat, eſſe inintelligibile, quomodo obiectum cogitatum det ſpeciem malitiæ delectationi externæ: ſit autem valde intelligibile, quod delectabilitas actus ſodomitici cogitata, det ſpeciem malitiæ delectationi externæ, ſi in aliquo caſu ea delectabilitas ſit obiectum formale motiuum ad volendum efficaciter delectationem externam.

Ad maiorem ergo concluſionis explicationem dic, hunc eſſe eius ſenſum, vt ſi quis ex libidinoſo amore fœminæ moueatur ad volendum efficaciter commotionem ſpirituum, vel etiam pollutionem; commotionem, vel pollutionem eſſe etiam in ſpecie pertinente ad fornicationẽ. Et ſi quis ex delectabilitate actus ſodomitici velit efficaciter delectationem externam, hanc eſſe in ſpecie pertinente ad ſpeciem ſodomiæ; & ſic de reliquis ſpeciebus intra genus luxuriæ. Et in caſu dubij, an delectatio externa aſſumpta fuerit ex eo motiuo, ſtandum eſt pro communiter contingentibus. Et communiter contingit, vt obiectum delectabilius potiùs alliciat ad minùs delectabile, quàm è conuerſo. Eſt autem obiectum delectabilius ipſa delectabilitas copulæ ſodomiticæ cogitatæ, quàm commotio ſpirituum, præcipuè mediocris, & quàm delectatio externa captata. 79.

Sed efficaciùs adhuc, & vniuerſaliùs confutatur ea reſponſio. Pro cuius claritate aduerte, eam delectationem moroſam internam, quæ eſt voluntas efficax commotionis, & delectationis externæ, duplici titulo eſſe cauſam per ſe, determinantem ad commotionem ſpirituum. Primò ex ratione voluntatis efficacis. Secundò ex ratione delectationis internæ. Nam omnem delectationem veneream internam, quà talem, eſſe cauſam per ſe omninò determinantem ad commotionem ſpirituum, conſtat *ex diſp. 42. cap. 7. art. 3.* 80.

Hinc conficitur eius reſponſionis debellatio. Ea enim delectatio venerea de actu ſodomitico, quà delectatio eſt, & præſciſa ratione actus formaliter efficacis, eſt cauſa per ſe, omnino determinans ad commotionem ſpirituum, atque adeò virtualiter efficax reſpectu illius, vt patet ex poſitione 3. & explicabitur amplius cap. ſequenti: ſed quà delectatio eſt, habet pro motiuo delectabilitatem actus ſodomitici: ergo quà eſt cauſa per ſe commotionis, & quà eſt actus virtualiter efficax reſpectu illius, habet pro motiuo delectabilitatem actûs ſodomitici: ergo reipſa cauſat commotionem ex motiuo eius delectabilitatis: ſed opus externum cauſatum ex aliquo motiuo, participat malitiam ex illo, ſeu per ordinem ad illud, vt habes in poſitione 2. ergo illa commotio & delectatio externa cauſata ex illa delectatione interna, & ex motiuo eius, participat neceſſariò malitiam per ordinem ad illud. Hoc argumentum magis explicabitur, & vrgebitur capite ſequenti. 81.

Probatur tertiò concluſio. Si delectatio externa non ſumeret ſpeciem per ordinem ad obiectum cogitatũ, ſequeretur, quod in viro coniugato non eſſet culpa lethalis, delectari internè de copula cum non ſua, vel de copula ſodomitica: hoc eſt manifeſtè falſum, vt conſtat *ex diſp. 41. cap. 3. art. 5. n. 103.* ergo delectatio externa ſpeciem ſumit per ordinem ad obiectum cogitatum, ſaltem intra genus luxuriæ. Probatur maior. Fieret enim, quod cõmotio ſpirituum, & alteratio carnis in coniugato in eo euentu licita eſſet. Nam in coniugato ex ſe licita eſt ea commotio, 82. *Quomodo in coniugato cõmotio ſumat malitiam ab obiecto cogitato.*

Digitized by Google

commotio, etiam in abſentia propriæ coniugis, & ſolùm poſſet eſſe illicita, quatenus induceret nouam malitiam ex fornicatione cogitata, aut ex actu ſodomitico cogitato: ſi ergo commotio non inducit nouam malitiam ex obiecto cogitato, non eſt vnde ea commotio in coniugato ſit illicita: eſſet ergo licita illi. Rurſus, in ſententia Caramuelis, delectatio interna non habet aliam malitiam, niſi quatenus excitat commotionem: ergo vbi commotio non eſt mala moraliter, illa delectatio interna de copula ſodomitica non poteſt eſſe mala moraliter; alioqui eſſet mala, quia cauſat effectum bonum, vel indifferentem: fieret ergo, quod delectari venereè delectatione interna de copula ſodomitica, non eſſet illicitum coniugato.

CAPVT VI.

Statuitur concluſio vniuerſalior in eadem materia.

83\. *Delectatio externa, quæ procedit ab interna, ſpecificatur à motiuo internæ.*

SIt tertia concluſio. Quotieſcumque datur delectatio interna venerea, commotio ſpirituum, & delectatio externa, quæ procedunt ab interna, ſpecificantur ab obiecto motiuo delectationis internæ, ſaltem quod eſt intra genus luxuriæ. Pro hac concluſione ſtant etiam Authores ſecundæ ſententiæ relati in fine capitis primi, quatenus generaliter docent, delectationes externas ſpecificari ab obiecto cogitato. In hac concluſione ſupponuntur duo, quæ certa ſunt. Primum, poſſe contingere, quod incipiat commotio ſpirituum genitalium, antequam detur delectatio interna; ſiue ſit antecedentia reali, ſiue antecedentia rationis, quod modo non definio. In quo caſu delectatio externa (idem eſt de commotione) non ſpecificatur ab obiecto motiuo delectationis internæ; cùm ea delectatio externa præſupponatur adæquatè conſtituta ante aduentum delectationis internæ. Secundum, à delectatione interna tanquam à cauſa per ſe, & omnino determinante procedere commotionem ſpirituum, & conſequenter delectationem externam, quæ habet pro obiecto eam commotionem; adeò vt quotieſcunque detur delectatio venerea interna, ex connexione huius cum commotione ſpirituum reſultat neceſſariò prædicta commotio, ſaltem quando hæc non præcedit delectationem internam.

Poteſt incipere commotio antecedenter ad delectationem internam.

84\. *Pollutio orta à delectatione interna, ſpecificatur à motiuo delect. internæ.*

Et quod aſſeritur in concluſione de delectatione externa ſpecificata ab obiecto formali motiuo delectationis internæ, dicitur etiam de pollutione, quando hæc procedit, vt poteſt, à cogitatione venerea vehementi, & æquali delectatione interna. Nam quod pollutio poſſit procedere à tali cogitatione, & delectatione interna, conſtat *ex diſp. 42. cap. 7. art. 5. à n.* 128.

85\. Probatur concluſio. Quoties datur actus liber efficax reſpectu operationis externæ, hæc ſpecificatur ab obiecto formali motiuo actûs efficacis: ſed quælibet delectatio interna libera de obiecto venereo (de qua agitur in concluſione) eſt actus liber & efficax, ſaltem virtualiter, reſpectu commotionis, & delectationis externæ: ergo commotio, & delectatio externa ſpecificantur ab obiecto formali motiuo eius delectationis internæ.

86\. Maior ſyllogiſmi patet ex poſitione 1. & 2. Patet etiam ex capite præcedenti in probationibus primæ, & ſecundæ concluſionis. Minor etiam patet ex poſitione 3. & ex ſæpe dictis. Illa enim voluntas libera eſt virtualiter efficax reſpectu operationis, quæ eſt cauſa per ſe, omnino determinans ad operationem, quamvis hanc non habeat pro obiecto, vt conſtat ex ea poſitione 3. ſed illa delectatio interna libera eſt cauſa per ſe omninò determinans ad commotionem ſpirituum, & delectationem externam, quamvis non habeat iſtam pro obiecto: ergo eſt virtualiter efficax reſpectu ipſius.

87\. Dices, conſequentiam non eſſe bonam, quia ſyllogiſmus habet quatuor terminos: nam medium non eſt idem in maiori, ac in minori, propter illum terminum *virtualiter*, additum in minori, cum in maiori non ſit poſitus: ſiue quia cùm maior loquatur de actu abſolutè efficaci, quo nomine ſolùm venit actus formaliter efficax; maior loquitur de actu virtualiter efficaci, qui non eſt abſolutè efficax.

88\. Contra tamen eſt. Nam maior eius ſyllogiſmi intelligenda eſt vniuerſaliter de actu quomodocumque efficaci, ſiue formaliter, ſiue virtualiter; & hoc modo ſyllogiſmus ſeruat formam & figuram. Quod autem maior in ea vniuerſalitate vera ſit, patet ex poſitione 3. & 4. ex quibus patet, obiectum formale motiuum actus efficacis, etiamſi ſit dumtaxat virtualiter efficax, dare ſpeciem operi externo, reſpectu cuius eſt efficax, vt patet in exemplis allatis.

89\. Probatur ſecundò. Implicat, quod obiectum formale motiuum moueat ad aliquem actum ſimplicem (non loquor de hypothetico) & quod non moueat ad illam operationem, ad quam determinat omnino talis actus: ſed delectabilitas copulæ ſodomiticæ v. g. eſt obiectum formale motiuum, quod mouet ad quemdam actum ſimplicem, ſcilicet delectationem internam: ergo delectabilitas copulæ ſodomiticæ mouet ad illam operationem, ad quam determinat ea delectatio interna: ſed ea delectatio interna determinat omninò ad commotionem ſpirituum, & delectationem externam: ergo implicat, quod in eo euentu delectabilitas copulæ ſodomiticæ non moueat ad commotionem ſpirituum, & delectationem externam. Et nota, quod argumentum loquitur in caſu quo intellectus videt ex ea delectatione interna reſultare commotionem; quod facilè quilibet videt.

90\. Maior in actu formaliter efficaci euidens eſt. Implicat enim, quod quis ex motiuo odij velit efficaciter occiſionem Petri, & quod id motiuum non moueat ad occiſionem ipſam conſecutam ex eo actu efficaci. In actu autem virtualiter efficaci eadem eſt ratio. Tum quia talis actus interpretatiuè vult talem operationem; & eadem eſt ratio voluntatis formalis & interpretatiuæ. Tum etiam cernitur in exemplis poſitis in poſitione 3. & 4. Nam cùm actus odij erga Petrum determinat ad puram omiſſionem eleemoſynæ in extrema neceſſitate Petri, obiectum formale motiuum, quod mouet ad actum odij, non poteſt non mouere ad

eam

Digitized by Google

eam puram omiſſionem. Cæteræ autem propoſitiones eius ſyllogiſmi, & ſubſequentis manifeſtè liquent ex dictis.

91. Probatur tertiò. Operatio procedens ab actu virtualiter efficaci, participat malitiam illius, nempe ex ipſius obiecto formali: ſed delectatio exterior eſt operatio procedens ab illa delectatione interna, quæ eſt actus virtualiter efficax reſpectu eius delectationis exterioris: ergo ea delectatio exterior participat malitiam ab ea delectatione interna, & ipſius obiecto formali. Conſequentia tenet, vtpote ſyllogiſmi in tertio modo primæ figuræ. Maior eſt poſitio quarta; & minor conſtat ex dictis.

CAPVT VII.

An delectatio externa ſpecificetur ab obiecto venereo cogitato, ſi illud ſit extra genus luxuriæ? Circa quod ſtatuuntur duæ concluſiones.

92. *Delectatio externa ſpecificatur ab obiecto cogitato, iuxta eos, qui dicunt, &c.*

QVarta concluſio. In ſententia eorum, qui dicunt, delectationes internas venereas ſpecificari à circumſtantiis, quæ ſunt extra genus luxuriæ; dicendum eſt, delectationes externas ſpecificari ab obiecto venereo cogitato, etiamſi illud ſit extra genus luxuriæ. Explicatur concluſio. Delectationem internam, qua quis delectatur de fœmina coniugata, ſpeciem ſumere à circumſtantia adulterij, plures affirmant, & ante Patrem Vaſquez omnes aſſerebant; & cùm adulterium ſit formaliter iniuria coniugis, eſt quidem obiectum extra genus luxuriæ. Idem intellige in delectatione interna de fœmina conſanguinea, ratione inceſtus; & de virgine inuita, ratione ſtupri. Affirmo igitur iuxta hanc ſententiam, delectationem externam, quæ reſultat ex interna, participare etiam ſpeciem per ordinem ad circumſtantiam adulterij, inceſtus, ſtupri, &c. Hæc concluſio eſt iuxta mentem Authorum, qui citantur in fine capitis 1. docentium, omnes delectationes venereas externas ſpecificari ab obiecto cogitato.

93. Probatur concluſio. Iuxta eam ſententiam, ſicut delectatio de copula cum fœmina coniugata differt ſpecie à delectatione de copula cum non coniugata; ita delectabilitas de copula huius differt ſpecie à delectabilitate de copula illius. Tum ſic. Delectabilitas de copula adulterina differt ſpecie à delectabilitate de copula communi: ſed vtraque delectabilitas eſt obiectum formale motiuum vtriuſque delectationis internæ, ſcilicet vna vnius, & altera alterius; ergo obiectum formale motiuum vnius delectationis internæ differt ſpecie ab obiecto formali motiuo alterius. Sed obiectum formale motiuum delectationis internæ eſt ſpecificatiuum delectationis externæ prouenientis ab interna: ergo ſpecificatiuum delectationis externæ, quæ prouenit ab interna reſpiciente copulam adulterinam, differt ſpecie à ſpecificatiuo delectationis externæ, quæ prouenit ab interna reſpiciente copulam communem:

94. Maior patet in ſententia, iuxta quam loquimur: Minor eſt poſitio ſexta. Conſequentia autem rectè illata. Antecedens autem ſubſumptum ſatis patet ex dictis *cap. 5. & 6.* & ſubſequens conſequentia eſt recte deducta ad amuſſim ſyllogiſticam, ſi ponas pro maiori conſequens prioris ſyllogiſmi.

Itaque cùm conſtet ex præcedentibus capitibus, commotionem ſpirituum, & delectationem externam, quæ proueniunt ab internis, poni ex obiecto formali motiuo internarum; obiectum autem formale motiuum actus interni moueat etiam ad actum externum, quem imperat, vel ad quem determinat actus internus; & item actus externus participet ſpeciem malitiæ per ordinem ad obiectum formale motiuum, quod mouet ad talem actum externum; fit, quod delectatio externa (idem eſt de commotione) participet diuerſam ſpeciem malitiæ, quoties motiuum formale delectationis internæ, à qua prouenit delectatio externa, fuerit diuerſæ ſpeciei. Atqui in ſententia, iuxta quam loquimur, ponitur diuerſitas ſpecifica in delectabilitate de copula adulterina, & in delectabilitate de copula fornicaria; quæ duo ſunt obiecta formalia motiua delectationum internarum: cùm ergo ſit diuerſitas ſpecifica in obiectis formalibus motiuis; erit etiam diuerſitas ſpecifica in delectationibus externis, quæ ab illis motiuis ſpecificantur. 95.

Confirmatur. Ideò quando adeſt delectatio interna de copula ſodomitica, delectatio externa, quæ ab illa oritur, habet diuerſam ſpeciem per ordinem ad copulam ſodomiticam, ac quando oritur à delectatione interna reſpiciente copulam fornicariam; quia motiuum delectationis internæ, nempe delectabilitas de copula ſodomitica differt ſpecie à motiuo alterius delectationis: ſed in ſententia, iuxta quam loquimur, delectabilitas de copula adulterina, quæ eſt motiuum formale vnius delectationis internæ, differt ſpecie à delectabilitate copulæ communis, quæ eſt motiuum formale alterius: ergo delectatio externa, quæ oritur à delectatione interna de copula adulterina, iuxta eam ſententiam, differt ſpecie ab altera delectatione externa, quæ oritur à delectatione interna de copula communi. 96.

Quinta concluſio. Iuxta veram ſententiam traditam *cap. 3.* quod delectatio moroſa interna, quæ dumtaxat venerea eſt, non participat malitiam à circumſtantiis, quæ ſunt extra genus luxuriæ, v. g. adulterij, inceſtus, ſtupri; dicendum eſt, delectationes externas non ſpecificari ab obiecto cogitato; quod eſt extra genus luxuriæ. Itaque quando quis ſe polluit ex motiuo delectabilitatis copulæ cum fœmina coniugata, licèt ea pollutio participet ſpeciem per ordinem ad copulam, quam cogitat, non tamen participat per ordinem ad circumſtantiam adulterij, & ſic de reliquis circumſtantiis ſtupri, inceſtus, & ſacrilegij obiectiui. Hæc eſt iuxta mentem Caramuelis, & Authorum prioris ſententiæ relatæ *cap. 1.* 97. *Delectatio externa non ſpecificatur ab obiecto cogitato extra genus luxuriæ.*

Probatur. Quando quis delectatur internè de adulterio, vel inceſtu, delectatione dumtaxat venerea, circumſtantia adulterij, vel inceſtus non eſt obiectum formale motiuum talis delectationis internæ; cùm iniuria mariti cogitata non moueat ad delectationem veneream: ſed quod non eſt obiectum formale motiuum 98.

actus interni, non eſt motiuum ad operationem externam, quam imperat, vel ad quam determinat actus internus: ergo ea circumſtantia adulterij, vel inceſtus non eſt obiectum motiuum ad delectationem externam. Cùm autem non appareat alia ratio in circumſtantia adulterij, vel inceſtus, vt ſpecificet delectationem externam, niſi ratio obiecti formalis motiui, & hæc ceſſet in caſu concluſionis, dicendum eſt, delectationem externam non ſpecificari à prædictis circumſtantiis. Maior eſt poſitio ſeptima. Vide *cap.4. fine*, probationem eius. Minor autem & conſequentia manifeſtiores ſunt, quàm vt probatione egeant.

99. Confirmatur. Cùm quis ſe polluit ex motiuo delectabilitatis copulæ cogitatæ cum fœmina coniugata, non irrogat iniuriam marito; non enim poteſt aſſignari, in quo conſiſtat talis iniuria. Nam ſicut nullus habet ius ſtrictum, ne ego odio interno proſequar illam, alioqui per actum odij peccarem contra iuſtitiam; ita maritus non habet ius, ne alter habeat delectationem moroſam internam, vel externam circa vxorem eius merè cogitatam. Item qui ſe polluit ex eodem motiuo, neque deſiderat iniuriam marito irrogare, neque gaudet de iniuria ipſius formaliter, vt ſuppono: ergo non eſt modus aliquis, quo pollutio illa contrahat ſpeciem per ordinem ad adulterium.

100. *Quare delectatio externa ſpecificetur ab obiecto cogitato, intra genus luxuriæ, non extra?*

Et ex dictis ſumitur manifeſta diſparitas, quare obiectum cogitatum, quod eſt intra genus luxuriæ, v. g. fornicationis, pollutionis, vel ſodomiæ, tribuat ſpeciem, modo explicato, delectationi externæ; non verò obiectum cogitatum, quod eſt extra genus luxuriæ, v.g. circumſtantiæ adulterij, inceſtus, raptus, &c. Nam delectabilitas obiecti venerei intra genus luxuriæ mouet ad delectationes externas; atque adeò hæ ex tali motiuo procedunt, & per ordinem ad tale motiuum accipiunt ſpeciem malitiæ. At verò illud obiectum, quod eſt extra genus luxuriæ, non eſt motiuum aptum, vt excitet & moueat ad delectationem externam. Nam iniuria mariti, vel iniuria, quæ continetur in raptu, non eſt ratio delectabilitatis venereæ, nec mouet ad delectationem externam.

101. Verum quidem eſt, quod in aliquo caſu raro circumſtantia adulterij poſſet eſſe obiectum motiuum ad delectationem externam, & ad pollutionem, v.g. ſi quis marito Bertæ iratus, & ob id deſiderans adulterio illum offendere, nec potens, pollueret ſe, obiectiuè ſibi repræſentans Bertam quaſi reipſa committeret cum illa adulterium. Sicut ſi quis furore agitatus ex odio in Deum, mitteret ſagittam in cœlum, ex affectu ſacrilego feriendi Deum, quem ſcit non poſſe lædi. In illo ergo caſu illa pollutio haberet pro motiuo adulterium cogitatum; & illa pollutio eſſet affectata iniuria in maritum: ſicut in altero caſu emiſſio ſagittæ in cœlum eſſet affectata vulneratio Dei.

CAPVT VIII.

Vocatur ad criſim argumentum Caramuelis propoſitum capite primo.

EX dictis manifeſtè patet, fruſtra laboraſſe Authorem in ea mole argumenti promouenda, cùm ex nullo ferè eorum capitum proueniat ſpecificatio, quam participant delectationes externæ ab obiecto cogitato. Ad primam ergo propoſitionem dicendum eſt, delectationem externam non ſpecificari ab obiecto cogitato tanquam à cauſa (niſi fortè obiectum formale motiuum vocare velis cauſam moralem, cuius motioni attribuatur in æſtimatione prudentum ea delectatio) neque tanquam ab effectu delectationis, neque tanquam ab obiecto operationis libidinoſæ externæ, aut delectationis externæ de ea; neque vt à fine conſequendo, niſi in caſu primæ concluſionis propoſitæ *cap. 5.* Cùm ergo à nullo ex his capitibus oriatur ſpecificatio delectationis externæ, ſuperuacaneum eſt, eam probationem per partes diſtributam meminiſſe. Quia tamen aliqua in eis miſcet, quæ criſim poſtulant, ad eam vocantur. 102.

103. *Datur cauſa directa delectationis externæ, præter aſſenſum in illam.*

Quod attinet ad priora verba probationis *ex num.* 1041. [Si quærimus moroſæ delectationis (externæ) quà peccaminoſæ directam cauſam, repeciemus eſſe aſſenſum in illam, non aliam;] ſi loquatur de aſſenſu formali, falſa eſt; quia, vt conſtat ex concluſione tertia, mera delectatio de obiecto turpi, quæ ſecum per ſympathiam trahit delectationem ſimilem appetitus corporei, & quæ non tendit formaliter in commotionem ſpirituum tanquam in obiectum, neque in delectationem externam; ſicut eſt virtualiter efficax reſpectu commotionis & delectationis externæ, ita eſt cauſa directa prædictæ delectationis externæ quà peccaminoſæ. Poteſt tamen admitti, hanc delectationem liberam voluntatis, quæ eſt omninò inefficax formaliter, ſicut eſt virtualiter efficax, ita eſſe virtualem & interpretatiuum aſſenſum in prædictam delectationem. Sicut qui vult pollutionem præuiſam in cauſa per ſe omninò determinante, quamvis non feratur formaliter in pollutionem, dicitur habere aſſenſum virtualem & interpretatiuum in illam.

Aſſenſus virtualis in delectationẽ externam, eſt cauſa directa illius.

104. *Delectabilitas obiecti eſt cauſa delectationis externæ.*

Deinde cùm non impropriè obiectum formale motiuum voluntatis, præcipuè ſi vehementer alliciat, dici poſſit cauſa moralis eius effectus, ad quem mouet; poteſt quoque dici non impropriè delectabilitatem obiecti venerei amatam à voluntate eſſe cauſam moralem delectationis externæ; quia ea delectabilitas mouet ad hanc delectationem externam; cuius cauſalitas moralis eſt cognitio delectabilitatis; hæc enim cognitio eſt motio ipſa, & titulus, ratione cuius attribuitur ei delectabilitati obiecti venerei hæc delectatio externa.

Addit deinde; [Et dato quod actus ille mentis ſpeculatiuæ repræſentantis pulchritudinem fœminæ (non eſſe ſpeculatiuam, ſed practicam, conſtat *ex diſp.42. num.* 30.) eſſet cauſa directa moroſitatis exterioris, inde ego potiùs deducerem, illam ab hac ſpeciem ſumere, 105.

Digitized by Google

mere, quàm è contrario; quia in libertate cauſæ continentur directi effectus, non in libertate effectuum cauſæ; quia cùm hæ ſint priores, ſunt independentes ab illis, & ſic cauſæ effectibus non ſunt imputabiles.] Circa quæ nota primò, hæc duo, *imputari malitiam*, atque *participare malitiam*, eſſe valde diuerſa. Nam *imputari*, eſt attribui alicui tanquam Authori. Cùm ex odio Petri occidiſti ſeruum eius, actus ille odij participat malitiam iniuſtitiæ ab occiſione; & tamen occiſioni non imputatur odium, quia actus occiſionis non eſt author odij: è conuerſo tamen occiſio imputatur odio tanquam authori, aut quaſi authori occiſionis.

Diuerſa ſunt, imputare malitiam, & participare illam. Et quare?

106. Nota ſecundò, ea falſificari in actu efficaci furti voliti propter copulam illicitam habendam. Nam furtum imputatur ei actui efficaci tanquam cauſæ & authori; atque adeò actus efficax, quà eſt cauſa furti, participat malitiam à ſuo effectu, nempe furto. Item furtum, quod eſt effectus actus efficacis, participat malitiam copulæ illicitæ ab actu efficaci, quia medium participat malitiam à fine vt efficaciter volito; ſiue à volitione efficaci finis. Quod ſi dicas non tam participare malitiam ab actu efficaci, quàm ab ipſo fine obiectiuo, ſiue à cauſa finali; eodem modo impugnaberis: ergo non ſolùm cauſa ſpecificatur ab effectu, ſed etiam effectus ſpecificatur à cauſa, cùm cauſa finalis ſit vera cauſa, ſaltem in genere moris. Nam in cauſis phyſicis, cauſa efficiens ſpecificatur phyſicè per ordinem ad omnes effectus, quos poteſt producere; & cauſa efficiens vt actu cauſans, per ordinem ad effectus cauſatos. Item effectus ſpecificatur per ordinem ad omnes cauſas, à quibus poteſt prodire: & effectus vt actualiter productus à cauſa actualiter producente; quia omnis ordo realiter tranſcendentalis diuerſificatur pro diuerſitate ſui termini.

107. Subdit deinde: [Imputantur tamen directi effectus cauſis. Cùmque moroſitas (externa) ex cognitione pulchritudinis indirectè naſcatur; nec hæc imaginatio à moroſitate (externa) ſpeciem ſumit, nec ab imaginatione moroſitas.] Attende quæſtionem à Caramuele propoſitam *num.* 1038. [Dubitas, vtrum extrinſecæ (delectationes) ſumant ſpeciem ab intrinſecis, & ſint de obiecto à voluntate propoſito?] Quare vel æquiuocationem patitur, vel impropriè loquitur, cùm hanc quæſtionem refert ad cognitionem ſpeculatiuam pulchritudinis, vel ad imaginationem illius; ſi enim loquamur formalibus terminis, ad obiectum delectationis internæ, & ad delectationem internam referenda eſt; cùm quæſtio propoſita ſit, vtrum delectationes *extrinſecæ ſumant ſpeciem ab intrinſecis*.

108. Deinde, moroſitatem externam directè naſci non ſolùm ex cognitione pulchritudis (quæ non ſpeculatiua, ſed practica eſt) ſed etiam à delectatione interna ob ſympathiam huius cum delectatione externa, patet ex concluſione tertia. Deinde imaginationem veneream, & delectationem internam, ſpeciem ſumere, & participare malitiam ab externa præuiſa, patet ex dictis, præcipuè *n.* 61. Item delectationem externam participare ſpeciem per ordinem ad internam & obiectum formale motiuum illius, patet etiam ex dictis *n.* 83. Nec repugnat mutua ſpecificatio, ſaltè in diuerſo genere ſpecificātis.

Non ſpecificari delectationem externam ab interna tanquam ab effectu, ſic probat: [Cogitationem illam non eſſe effectum ipſius moroſitatis, eſt euidens. Nam frequentiùs eſt prior; & quod ſemel eſt prius, nunquam eſt effectus: is enim ſemper eſt poſterior propria cauſa. Vnde liquet, huiuſcemodi moroſitatem non ſumere ſpeciem ab imaginatione vt ab effectu.] Sed hoc argumentum longè eſt ab euidentia. Simili argumento probo, calorem non procedere ab igne. Nam frequentiùs calor eſt prior igne: calor enim producit ignem, vel ſecundùm probabilem ſententiam, vt cauſa inſtrumentalis immediata, vel ſaltem in genere diſpoſitionis, & prærequiſiti: ſed quod ſemel eſt prius, nunquam eſt effectus; effectus enim ſemper eſt poſterior propria cauſa: ergo calor nunquam procedit ab igne. 109.

An delectatio interna ſit prior commotione; & ideò nequeat eſſe effectus commotionis.

Cui argumento ſi reſpondeas, eum numero calorem, quia eſt diſpoſitio vltima ad formam ignis, non primò produci ab igne, alium autem calorem numero diuerſum procedere ab igne; idem tuo argumento reſpondebitur. Nam licèt frequentiùs contingat, quod delectatio interna ſit prior, & cauſa eius commotionis & delectationis externæ; etiam ſolet contingere, quod delectatio externa ſit prior delectatione interna, vel quando incipit delectatio externa, & commotio ſpirituum ex abundantia humoris ſeminalis, aut ex tactu aliquo impudico. In quo caſu delectatio externa mittit ſpeciem ſui in ſenſum internum, & iſta excitat ſpeciem vlterioris actus libidinoſi; quæ ſecunda ſpecies producit cognitionem corpoream eius actus libidinoſi, & iſta determinat ad actum appetitus corporei; & ita verificatur, quod delectatio externa ſit cauſa internæ, quin propterea detur mutua prioritas. Eſt enim diuerſa delectatio interna, quæ eſt cauſa externæ, ab ea, quæ eſt effectus externæ. Et in hoc caſu malitia delectationis internæ imputatur externæ tanquam cauſæ, ſi hæc ſecunda eſt liberè volita per aſſenſum voluntaris oblectantis ſe de illa cum præuiſione effectus. Idque non ſolùm propter motiuum delectationis internæ, ſed quà eſt effectus delectationis externæ volitæ. 110.

Quod addit *num.* 1042. nempe cogitationem veneream non eſſe obiectum potentiæ tactiuæ, quæ producit delectationem externam, nec nocet nobis, nec prodeſt: quare omittendum. 111.

Ad id, quod proſequitur *num.* 1043. ſcilicet: [Nec obiectum cogitationis eſt obiectum extrinſecus corporei; quia tactus non ſequitur cogitationem: hic enim ſine illa, & hæc ſine altero reperitur frequentiùs. Vnde ſi contingat, illa ſimul operari, eſt per accidens.] Dicendum eſt primò, obiectum cogitationis & delectationis venereæ non eſſe obiectum intrinſecum ſenſus externi; eſt tamen obiectum formale motiuum, mouens actualiter ad ad delectationem externam modo ſuprà explicato. 112.

Dicendum eſt ſecundò, argumentum nullius eſſe momenti. Nam ex eo quod vnum reperiatur ſine altero, & è conuerſo, non ſequitur, quod vnum ſit cauſa per accidens alterius. Nam 113.

Ex eo quod vnum poſſit eſſe ſine altero

quando

Digitized by Google

ro, & è conuerſo, malè arguitur cauſa per accidens.

quandoque reperitur pollutio ſine actu efficaci intendente ipſam; quandoque etiam reperitur actus efficaciter intendens pollutionem, ſine ipſa pollutione, ob aliquem defectum potentiæ expultricis; & quando coniunguntur actus efficaciter intendens pollutionem, & ipſa pollutio, ille actus non eſt cauſa per accidens pollutionis, ſed cauſa per ſe. Sic etiam quandoque datur calor, quin procedat ab igne; quandoque datur ignis, quin producat calorem defectu paſſi; & tamen ignis producit calorem in paſſo diſpoſito tanquam cauſa per ſe. Et quod ad idem propoſitum addit *num.* 1044. neque prodeſt nobis, neque officit.

114. Quod addit *num.* 1045. [Ab obiecto illius cogitationis non ſumit moroſitas (externa) ſpeciem vt à fine, ſi cogitatio ſit merè ſpeculatiua.] Supponit rem manifeſtè falſam, quod ſcilicet ea cogitatio venerea ſpeculatiua ſit, vt conſtat *ex diſp.* 42.

115. Proſequitur in eodem numero: [Neque ſumit ſpeciem à fine, ſi voluntas fuerit inefficax, & conditionata; quia quando videtur finis impoſſibilis, tunc nulla ponuntur media à voluntate.] In quibus verbis videtur ſupponere, nullum eſſe deſiderium inefficax, niſi conditionatum; item nullum eſſe deſiderium conditionatum finis, niſi iſte repræſentetur vt impoſſibilis. Quod vtrumque falſum eſt. Primum. Nam ægrotus deſiderat abſolutè ſuam ſanitatem, & ſine vlla conditione; quamvis nulla media ſibi occurrant. Quod enim nulla media ſibi occurrant, non facit ſanitatem eſſe, aut repræſentari impoſſibilem. Secundum etiam eſt falſum. Quia ægrotus, qui dicit: [Intenderem ſanitatem per hoc medium potionis, niſi eſſet amara,] habet actum conditionatum; & tamen non videt finem ſanitatis eſſe impoſſibilem, neque eſſe impoſſibilem per hoc medium.

An omne deſideriũ inefficax ſit conditionatum?

An in omni deſiderio condition. finis proponatur vt impoſſibilis?

116. Ad vltimum, quod *num.* 1046. proponit, vt probet, non poſſe intelligi, quod delectatio externa ordinari poſſit vt medium ad delectationem internam; ſatis explicatum, & oſtenſum eſt in concluſione prima, quàm facilè id intelligatur.

117. Leander Murcianus, qui ſtat pro ſententia Caramuelis, aliqua argumenta proponit, ex propoſitionibus Caramuelis & propriis fabrefacta; ſed quæ ex doctrina tradita facilè ſoluuntur.

CAPVT IX.

Aliqua notanda ad praxim confeſſionis.

118. PRima aſſertio. Qui habuit delectationem internam de actu fornicario, ſodomitico, vel pollutiuo cogitatis, non eſt neceſſe quod exprimat in confeſſione commotionem ſpirituum genitalium, aut delectationem externam, quæ ſine tactu, vel pollutione obuenit. Quia licèt quando adeſt actus libidinoſus externus, non eſt ſatis, confiteri internum; in hoc tamen caſu eſt diuerſa ratio. Nam delectationem internam ſemper comitatur ea carnis commotio, & delectatio externa: atque ita in confeſſione internæ continetur confeſſio externæ. Vnde qui confitetur delectationem internam de actu ſodomitico, ſatis exprimit commotionem, quæ cum ea delectatione interna neceſſariò coniuncta eſt.

Qui habuit delectationẽ internam de ſodomia, non debet explicare commotionem.

Secunda aſſertio. Qui confitetur delectationem internam dumtaxat veneream de adulterio, inceſtu, ſacrilegio obiectiuo (non ita de ſacrilegio ſubiecti, id eſt, perſonæ confitentis affectæ voto caſtitatis) non tenetur eas circumſtantias aperire. Patet *ex cap.* 3. *artic.* 2. *concluſione* 3. Excipe caſum propoſitum *ibid. in fine eius art.* 2. 119.

Qui confitetur delectationem internam de adulterio, non tenetur eam circumſtantiam aperire.

Tertia aſſertio. Qui habuit delectationem internam de actu ſodomitico, pollutiuo, &c. non ſatis eſt, ſi confiteatur, ſe habuiſſe delectationem internam. Tum propter diuerſam ſpeciem malitiæ quæ in eo caſu aduenit delectationi internæ, vt patet *ex eo cap.* 3. *artic.* 2. *concluſione* 2. Tum etiam propter diuerſam ſpeciem malitiæ, quam participat commotio ſpirituum genitalium, & delectatio externa concomitans internam: quam participat, inquam, ex motiuo delectationis internæ, vt patet *ex cap.* 5. & 6. 120.

Qui habuit delectationẽ internam de ſodomia, debet eam circumſtantiam confiteri.

Quarta aſſertio. Qui habuit delectationem internam de fornicatione cogitata, ſufficit, ſi confiteatur, ſe habuiſſe delectationem internam veneream. Quia cùm non exprimitur in confeſſione ſpecies grauioris malitiæ, quia non datur, iam intelligitur ſpecies malitiæ minùs grauis, cùm neceſſariò debeat illa actu eſſe in aliqua ſpecie delectationis. Sicut qui fornicatus eſt cum ſoluta, ſufficit ſi dicat, ſe habuiſſe copulam illicitam cum fœmina; quia cùm ea copula debeat eſſe in aliqua ſpecie, dum non exprimitur eſſe in ſpecie adulterij, inceſtus, raptus, vel ſacrilegij; intelligitur eſſe in ea ſpecie, quæ reſtat inferioris malitiæ. 121.

Quid explicare debeat, qui habuit delectationẽ de fornicatione cogitata?

Et idem eſt, ſi quis habuerit delectationem internam dumtaxat veneream de adulterio, inceſtu, vel raptu. In hoc enim caſu ſatis eſt, ſi dicat, ſe habuiſſe delectationem internam veneream; quia delectatio interna de adulterio non differt ſpecie à delectatione interna de actu fornicario, vt patet *ex cap.* 3. *artic.* 2. *concluſione* 3. 122.

Quinta aſſertio. Qui confitetur pollutionem ortam ex delectatione interna vehementi de pollutione cogitata, non eſt neceſſe exprimere actum internum. Ratio eſt, quia ex vna parte quoties datur actus libidinoſus externus, ſemper intelligitur eſſe actus internus; ex alia verò ille actus internus pertinet ad genus pollutionis, nec transfert pollutionem ad nouam aliam ſpeciem: & idem eſt ſi procedat pollutio ab actu efficaci, non ex alio motiuo, quàm ex delectabilitate pollutionis. 123.

Qui confitetur pollutionẽ ortam ex delectatione interna, non tenetur hanc explicare.

Sexta aſſertio. Si pollutio orta eſt ex delectatione vehementi de actu ſodomitico, vel fornicario cogitatis, non ſatis eſt, quod exprimat pollutionem; quia tunc pollutio eſt in noua ſpecie, vt patet *ex cap.* 5. & 6. & idem eſt, ſi procedat pollutio ab intentione eius efficaci ex motiuo delectabilitatis fornicationis. Tunc enim pollutio participat nouam malitiam ſpecificam de genere fornicationis per ordinem ad id motiuum. 124.

Si pollutio oritur ex delectatione interna complacente in ſodomia, non ſufficit explicare pollutionem.

Septima aſſertio. Quando in viro commotio ſpirituum genitalium cœpit à tactu impudico fœminæ, & adiungitur delectatio interna de copula 125.

Si commotio cœpit à tactu

fœmina, & delectatio aduenit de ſodomia cogitata, hac exprimenda eſt.

copula ſodomitica cogitata, non ſufficit conſiteri tactum impudicum. Tum quia illa delectatio interna cùm ſit alterius ſpeciei, conſitenda eſt. Tum etiam, quia licèt in eo caſu probabile ſit, delectationem externam de tactu, & commotionem ſpirituum ex tactu conſurgentem, non participare malitiam ab obiecto cogitato; quia hæc commotio & delectatio externa orta ex tactu præcedente, non habita fuit ex motiuo delectabilitatis copulæ ſodomiticæ cogitatæ: quia tamen illa delectatio interna ſubſecuta addit augmentum commotionis, hoc augmentum fit ex motiuo illius delectabilitatis copulæ ſodomiticæ cogitatæ; atque adeò illa commotio ſuperaddita participat ſpeciem à tali motiuo; & ideò ob eam rationem confitenda eſt.

126. Octaua aſſertio. Qui commotionem ſpirituum aſſumit vt medium ad pollutionem non ſubſecutam, debet exprimere in confeſſione eum finem, quem intendit. Ratio eſt, quia commotio ſpirituum genitalium per ſe non eſt in ſpecie pollutionis, vt probatum eſt *cap. 2.*

Is, cui cõmotio eſt mediũ ad pollutionẽ non ſecutam, debet exprimere eum finem.

127. Nona aſſertio. Qui habens delectationem internam de copula ſodomitica, mouetur inde ad copulam fornicariam, eamque exercet, debet ſe accuſare de malitia ſodomitica, quam à motiuo participat ea copula fornicaria. Patet *ex cap. 5. & 6.* Non ſic qui mouetur ad fornicationem ex delectabilitate copulæ cum coniugata, vel conſanguinea; quia iniuria coniugis, vel violatio conſanguinitatis non mouet ad delectationem veneream; atque adeò non continet motiuum delectabilitatis venereæ: quod patet *ex cap. 7. concluſione 5.*

Qui ex delectatione de ſodomia cogitata mouetur ad fornicationem, in hac debet explicare motiuum ſodom.

128. Decima aſſertio. Coniux, qui ex delectatione interna de copula cum ſoluta mouetur ad actum coniugalem, vel ad maiorem delectationem illius, non ſatisfacit integritati confeſſionis, ſi fateatur, ſe habuiſſe quamdam delectationem veneream internam; quia præter delectationem veneream internam, actus coniugalis infectus eſt malitiâ eius motiui, participatque ſpeciem fornicationis. Sed ſi delectatio interna ſit de copula cum coniugata, non eſt neceſſe exprimere circumſtantiam coniugatæ, ob eandem rationem, quæ tradita eſt in aſſertione nona.

Qui ex delectatione de fornicat. cogit. mouetur ad actum coniugalem, non ſufficit, quod exprimat delect. intern.

CAPVT X.

Reſoluitur caſus appendix, an qui furatus eſt propter mœchandum, & conſecutus eſt finem, ſufficienter ſe accuſet, dum fatetur furtum, & fornicationem dumtaxat?

129. CAramuel *diſp. 67. in Regul. n.* 1050. §. 111. ita reſoluit: [Quidam furabatur, vt mœcharetur. Veniens ad confeſſionem dixit: Furatus ſum toties, toties mœchatus, & ſubticuit ordinem furti ad mœchiam. Dubitas, vtrum ſufficienter ſe explicauerit? Reſpondeo affirmatiuè: ita enim Diana *tract. de circumſt. aggrauant. reſol.* 23. vbi citat & ſequitur alios Authores. Ratio eſt manifeſta; quia licèt illud furtum habeat malitiam fornicationis, non tamen habet malitiam fornicationis diſtinctæ à malitia finis: eſt enim malitia propria in genere furti, & malitia finis in genere luxuriæ; & ideò pœnitens explicuit omnes circumſtantias mutantes ſpeciem: omiſit vnius circumſtantiæ aggrauantem extenſionem in eadem ſpecie, quam non tenebatur explicare.]

Affirmat. Caram.

Et in primis Diana non ſtat pro hac reſolutione. Nam in loco citato ſolùm dicit, eum qui furatur propter fornicationem, ſufficienter confiteri, [ſi pœnitens dicat: Furatus ſum; & poſteà ſubiungat: Habui intentionem mœchandi.] Quare loquitur in caſu, in quo non eſt realiter mœchatus. Quam reſolutionem eſſe toto cœlo diuerſam à reſolutione Caramuelis, conſtabit ex dicendis. Caramuel enim loquitur de caſu, in quo ille homo reipſa habuit copulam fornicariam, vt patet ex iis verbis, *Furatus ſum toties, toties mœchatus.* In terminis à Diana propoſitis idem reſoluit Leander à SS. Sacram. & apud ipſum Angelus, Nauarrus, Fay, Ochagauia, & Geſualdus; quorum ne vnus quidem fauet ſententiæ Caramuelis. 130.

Eam eſſe planè falſam ſic oſtendo. Qui ter furatus eſt propter mœchandum, & deinde bis mœchatus eſt, non ſatisfacit integritati confeſſionis dicendo: [Ter furatus ſum, & bis mœchatus:] ergo non ſatisfacit ſi dicat: [Furatus ſum toties, toties mœchatus,] quæ ſunt verba Caramuelis. Probatur antecedens. Ille commiſit tria furta, & quinque peccata in ſpecie fornicationis: ergo non ſatisfacit, ſi dicat, ſe commiſiſſe tria furta, & duas fornicationes, cùm remaneant celatæ tres actiones in ſpecie fornicationis. Antecedens quoad ſecundam partem patet: nam ex tribus illis vnumquodque præter ſpeciem furti habet ſpeciem fornicationis, cùm vnumquodque habeat malitiam participatam à fine; in primo enim furto ſunt duæ ſpecies malitiæ, altera contra iuſtitiam, & altera contra caſtitatem; totidem in ſecundo, & totidem in tertio: ergo ſtatim ac committit tria illa furta, habet tria peccata in ſpecie luxuriæ: ergo ſuperadditis duabus fornicationibus, ſunt quinque peccata numero diſtincta in ſpecie luxuriæ. 131.

In eo caſu omitteret peccata numero diſtincta.

Patitur ergo æquiuocationem Caramuel, dum aſſerit, omnem malitiam ſpecificam ab illo pœnitente declaratam eſſe. Defectus enim eius confeſſionis non ſtat in eo quod omittat aliquam malitiam ſpecificam; ſed in eo, quod non dicat omnia peccata numero diuerſa intra ſpeciem fornicationis. Idem eſt, ſi ſemel furatus eſt propter mœchandum, & ſemel mœchatus. Nam ſi tunc confiteatur, ſe ſemel mœchatum eſſe, & ſemel furatum, omittit vnum numero peccatum in ſpecie fornicationis; cùm ſint ibi duo peccata numero diuerſa in ſpecie fornicationis. Si autem diceret, [Semel appoſui medium externum ad mœchandum, & ſemel mœchatus ſum;] ſic rectè exprimeret omnia peccata, quamvis non diceret expreſsè ordinem furti ad mœchiam. Hoc enim ſolùm intendit Diana, & Leander, & reliqui Authores citati. 132.

Ad argumentum Caramuelis concedo, illud furtum eſſe malum malitia propria in genere furti, & malitia finis in genere luxuriæ. Et antecedens ſubſequens diſtinguo: Pœnitens explicuit omnes circumſtantias mutantes ſpeciem, 133.

Digitized by Google

ciem, [quantum ad diuerſitatem ſpecificam,] concedo; [quantum ad diuerſitatem numericam,] nego.

134. *Quid, ſi in eo caſu non fuerit realiter mœchatus?*

P. Thomas Tamburinus *lib. 7. in Decalog. capite 9. num. 5.* aliter intellexit caſum à Caramuele propoſitum, ſcilicet ita vt furatus fuerit ſemel propter mœchandum, ſed realiter non fuerit mœchatus; & tamen confeſſus fuerit dicens, [Semel furatus ſum, & ſemel mœchatus.] In quo optimè dixit, interuenire mendacium in ea confeſſione. Nam eis verbis, [ſemel mœchatus ſum,] realem actum fornicationis intelligit confeſſarius: quæ cùm non extiterit, mentitus eſt pœnitens in re graui; ſicut mentiretur, qui non furatus, accuſaret ſe furti. Si tamen in iſto caſu diceret pœnitens, [Semel furatus ſum, & ſemel poſui medium ad mœchandum,] recta eſſet confeſſio: quidquid in oppoſitum dicat P. Tamburinus, qui exiſtimat, illa non eſſe duo indiuidua duplicis ſpeciei; ſed vnum indiuiduum cum duplici ſpecie malitiæ. Quod licèt probabile ſit, probabile etiam eſt eſſe duo indiuidua duplicis ſpeciei in illa vnica actione furandi propter mœchiam.

DISPVTATIO XLV.

An detur paruitas materiæ in re venerea?

CAPVT PRIMVM.

An Authores Societatis IESV poſſint addere probabilitatem in hac materia?

1. *Decretum R.P. Claudij Aquau.*

CARAMVEL *in fundament. Theologia, fundam. 58. num. 1740.* produxit decretum Reuerendiſſimi P. Claudij Aquauiuæ, Præpoſiti Generalis Societatis IESV; quod pro fundamento huius diſputationis hîc reproducere operæpretium exiſtimaui. [Quia nonnullorum opinio, qui docent etiam *in re venerea exiguam aliquam delectationem deliberatè quæſitam propter leuitatem materiæ excuſari à peccato mortali*, plurimùm obeſſe poſſet non ſolùm bonæ Societatis exiſtimationi, ſed etiam puritati morum, quam tum in noſtris, tum in externis tanti ſemper facit Societas; & quia *propter periculum*, in quod inducit, ac *moralem impoſſibilitatem diſtinguendi practicè in re tam lubrica materiam leuem à graui*, à doctis admodum, grauibuſque Societatis Patribus, cum quibus negotium hoc communicauimus, in praxi *omninò falſa, maximè perieuloſa, ac puritati valdè contraria iudicatur*; re maturè conſiderata, ſtatuendum in Domino duximus, ne quis in Societate in poſterum vel publicè, vel priuatim, non modò vt veram, vel probabilem; ſed ne vt tolerabilem quidem, vlla ratione eam doceat, aut placere ſibi ſignificet, aut ſecundùm illam conſilium cuiquam det. Quod omnibus in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus, & ſub pœna excõmunicationis, ac priuationis lecturæ, vocis actiuæ & paſſiuæ, necnon etiam inhabilitatis ad quælibet officia, ac aliis pœnis arbitrio noſtro infligendis: & ad profeſſionem tales intelligant, ſe minimè eſſe admittendos. Et vbi de re ſatis conſtiterit, Prouinciales ſtatim exequi debebunt; noſque primo quoque tempore monere, vt re examinata, ſtatuere poſſimus, an qui rem tanti momenti, atque à nobis tam ſeriò commendatam neglexerit, retineri in Societate expediat. Atque dum (quod futurum ſperamus) grauius aliquid in hanc doctrinam à Suprema Romana Sede ſtatuatur, volumus etiam, vt poſt manifeſtationem huius decreti, ſi quis in poſterum aliquem ex noſtris contra ſupradicta deliquiſſe nouerit, teneatur in virtute ſanctæ obedientiæ Superiori aperire. Romæ 24. Aprilis 1612. Claudius Aquauiua.] Hucvſque decretum fideliter à Caramuele relatum. In nona autem congregatione generali, *decret.* 24. additur (quæ iam diu inter decreta manuſcripta continebatur, & in tota Societate promulgata fuerat) hæc extenſio: [Præceptum P. Claudij de doctrina circa delectationem veneream deliberatè quæſitam, extenditur ad deliberatè admiſſam.]

Quibus decreti verbis aliquas annotationes facit iſte Author poſteà afferendas. Id autem ex decreto præcipuè infert, nullum Societatis Authorem poſſe contra paruitatem materiæ in re venerea fidem facere, vel probabilitatem afferre; vtpote præcepto obſtrictum. Audi Caramuelis verba *num.* 1743. [Et concludo, Claudium Aquauiuam, ſi contra nos aliquid pronuntiaſſe dicatur, fuiſſe vnum Doctorem. Et in cauſa, quod noſtra ſententia nullum Patrem Societatis contra ſe poſſe habere videatur. Qua enim ſinceritate citare potero pro vna ſentẽtia homines pientiſſimos, ſubditiſſimos, & obedientiſſimos, qui, velint nolint, debent loqui prout ipſis indicitur à Superioribus? Ergo *Societatis Authores ſententiæ Aquauiuæ probabilitatem non addunt.* In hac enim materia Superiorum imperio diriguntur.] 2. *Ait Authores Soc. non facere in hoc probabilitati, quia iuſſi.*

Neque his contentus, conatur ſuadere Caramuel, non poſſe Ieſuitas licitè obtemperare præcepto. Sic enim immediatè proſequitur: [At vellem audire, quid dicere Ieſuita poſſet Petro, qui ſic confiteretur: *Me accuſo, quod manum fœminæ tetigerim cum alteratione aliqua leui, & ſufficienti ad peccatum veniale.* Diceretne P. Ieſuita, Petrum peccauiſſe mortaliter? Negabit ille, & putabit ſe ſacrilegam confeſſionem facturum, ſi ſe accuſet de mortifero, quod non commiſit. Anne dicet opinionem Petri non eſſe probabilem? Loquetur contra dictamen Pater, ſi hoc dicat. Et reponet Petrus, potiùs Patris ſententiam non eſſe probabilem, confeſſarium ſequi pœnitentis ſententias, & iuxta pœnitentium dictamen iudicare. Ergo confeſſarius Ieſuita audiens Petrum, tacebit, & abſoluet omninò. Vel dicito quid faciet?] Ecce quomodo ex inſtantia Caramuelis non poteſt Ieſuita obtemperare præcepto. Qua conſequentia loquatur, poſtea videbis. 3. *Nec poſſe obtemperare præcepto.*

Sed & ampliùs conatur in animos legentium inducere ex neſcio cuius loquela, poſſe quidem Ieſuitas iuxta opinionem de paruitate materiæ dirigere conſcientias proprias, quamuis non alienas, 4. *Et decreto prohibitã doctrinam, non praxim.*

Digitized by Google

alienas, in hæc verba : [Sed addo, quempiam Doctorem Societatis virum magnæ pietatis, & eruditionis coram me vituperaſſe cuiuſdam iunioris ſententiam, quæ docebat Ieſuitas non poſſe tenere Auguſtini opinionem, materiam paruam concedentis (*quam falſa allegatio*) in re venerea. Dicebat enim, Patres Societatis non poſſe illam docere, aut conſulere ; poſſe tamen habere, & iuxta illam ſuas conſcientias dirigere. Quod mihi viſum eſt cautiſſimè, & doctiſſimè dictum.] In quibus verbis fortè ſuſpicabitur aliquis, notatum P. Claudium, quòd interdixerit ſuis doctrinam, non praxim.

5. *An conetur extenuare authoritatem R.P.Claudij.*

Sed maioris adhuc notæ ſuſpicionem conijcere videtur in R.P.Claudium *n.*1717.his verbis.[Quid ſi etiam aliquis dicat, eundem Aquauiuam fuiſſe virum in aliis qualitatibus magnum, non tamen in re ſcholaſtica & ſpeculatiua : totus enim regimini, & praxi incumbens, non poterat ſubtiliſſima ſcholaſticæ rei arcana penetrare ? ſed & hoc alij examinent.] Vide quantum eneruare contendat authoritatem decreti, quod viri doctiſſimi extra Societatem magnoperè ſuſpexerunt.

6. *Authores Soc. non addunt probabilitatem, quia maior addi non poteſt.*

Quod attinet ad primam periodum, in duplici ſenſu non renuam admittere, Authores Societatis non addere probabilitatem in hac materia. Primò. Nam ex decreto R.P.Claudij tantam adquiſiuit authoritatem, & probabilitatem, vt videatur maiorem adquiri non poſſe. Quod enim aſſerit, R.P.Claudium fuiſſe vnum Authorem, fallitur. Fuit enim virtualiter multiplex. Conſuluit enim viros doctiſſimos noſtræ Societatis, quibus id ſæculum redundabat, & de eorum conſilio ei doctrinæ tam acriter reſtitit. Neque aliter poterat fieri prohibitio doctrinæ, niſi de doctiſſimorum virorum conſilio; quorum iudicio ea doctrina declarata eſt *omninò falſa, maximè periculoſa, & puritati valdè contraria.* Quod confirmauit, & extendit Societas in nona Congregatione Generali congregata ; approbans extenſionem decreti, quam prius indixerat & promulgauerat R.P. Mutius Vitteleſchi. Et ideò non ſolùm tempore R.P. Claudij conſulti ſunt viri doctiſſimi Societatis, ſed & tempore R.P.Mutij Vitteleſchi, cùm extenſionem decreti promulgauit, vt intelligeretur de paruitate materiæ non ſolùm in delectatione deliberatè quæſita, ſed etiam deliberatè acceptata. Deinde conſulti etiam ſunt doctores alij Societatis, cùm nona Congregatio Generalis hanc decreti extenſionem repoſuit inter ſua decreta, quæ vim habent conſtitutionis perpetuæ. Tantam ergo ex hoc doctiſſimorum hominum iudicio, & prohibitione Societatis, negatiua pars accipit authoritatem, vt vix videatur poſſe maiorem adquirere. Et ideò viri doctiſſimi extra Societatem tanti fecerunt hoc decretum, vt illud exiſtimauerint motiuum efficax ad negandum in praxi paruitatem materiæ in delectatione venerea : quod præſtitit Antoninus Diana de re morali optimè meritus, ab ipſo Caramuele citatus. Et hinc ſatisfactum eſt primæ periodo Caramuelis circa præſtantiam doctrinæ R.P. Claudij, qui præterquam quod fuit valdè doctus, virtualiter fuit doctiſſimus omnium ; quatenus doctrinâ plurium virorum ſapientium vti potuit, & reipſa vſus eſt, ad ſtabiliendum hoc decretum, præcipuè cùm hæc conſilia Doctorum Societatis continuata fuerint tempore R.P.Mutij, & nonæ Congregationis Generalis, ad extenſionem decreti. Quare ea poſtrema verba Caramuelis ſic diſtingues : Totus enim regimini, & praxi incumbens, non poterat ſubtiliſſima ſcholaſticæ rei arcana penetrare per ſe ipſum (id enim gratis damus Caramueli) poterat tamen per alios viros doctiſſimos, quorum conſilio vſus eſt.

7. *Non addunt probabilitatē, quia res hæc eſt omninò certa.*

Secundò. Nam vbi eſt certitudo, non opus eſt addere probabilitatem. Hæc enim pars, quam defendit Societas, benè intellecta, eſt omninò certa; & cui vix vnus, vel alter Theologus reſtitit, vt oſtendam *c.*4. In hoc ergo ſenſu admittam libenter, Authores Societatis non addere probabilitatem.

8.

Non tamen in ſenſu intento à Caramuele. In quo eos addere probabilitatē extrinſecam (imò & certitudinem intrinſecam addere per argumenta, quæ efformant, conſtabit ex inferiùs dicendis) ſic oſtēdo primò. Etenim quòd obſtringantur præcepto, ne doceant paruitatem materiæ in re venerea, non obſtat, quominus viri doctiſſimi addant probabilitatem extrinſecam, cùm de ea materia diſputant : addūt ergo probabilitatem in hac materia ; cùm ex ſententia Caram. id eis ſolùm obſtare poſſet. Antecedens conſtabit, ſi probabitur, etſi eo præcepto obſtringātur, illos quidē ſpōte operari, & non coactos, aut determinatos ex neceſſitate præcepti.

Quamuis iuſſi, ſponte operantur.

9. *Qui plus dat quàm lex præcipit, ſponte operatur.*

Quod ſic demōſtro. Ille cenſetur ſponte operari, & non coactus, neque determinatus ex neceſſitate præcepti, qui operatur multò plus, quàm iniungit præceptū. Ita qui præcepto obſtrictus ad ieiunandum, illud vult implere ſolo pane, & aqua victitans; & qui præcepto cōpulſus recitādi priuatim Horas canonicas, ſub mediam noctem è lecto ſurgit, & ſub eius horæ incommoditate, flexiſque genibus, & ſumma animi & corporis reuerentia illas recitat, cenſentur quidem ſpontaneo animo operari : dat enim animo liberali, qui plus dat, quam ab eo exigitur. Atqui Authores Societatis ſolùm iubentur non affirmare paruitatē materiæ in delectatione libidinoſa; quod præceptū ſufficienter implerent tacendo, aut nihil de hac materia ſcribendo ; non enim præcipit decretum, quod reipſa de ea materia ſcribant, neq; quod nouas rationes, aut rationū ponderationes inueniant: ergo ſi abſq; vlla neceſſitate præcepti ſcribunt de hac materia, nouaq; argumēta, aut nouas eorum pōderationes, & contrariarū obiectionum ſolutiones adinueniunt, operantur quidem multò plus, quàm iniungit præceptum. Ergo cenſentur ſponte operari & ex proprio dictamine, & non coacti neceſſitate præcepti.

10. *Ideò qui ſcribunt pro Cōceptione, ſpōte operantur.*

Oſtendo ſecundò. Hanc enim cauſam de iis Authoribus non citandis pro materia, quam affirmant, Caram. voluit eſſe cōmunem huic materiæ, & etiam materiæ de Immaculata Conceptione B. Virginis. Ideóque hanc vtramque copulauit *in Theolog. fund. n.*1130. Nam quia Eccleſia prohibuit, negatiuam ſententiam de Immaculata Conceptione doceri, aut ſcribi, & in celebrioribus Academiis ex decreto earum nullus aſſumitur ad gradū, niſi præſtito iureiurādo de tuenda ſentētia vera & pia, aſſerit Caram. eo loco, & aliis citatis ſuprà *diſp.*9.*n.*232. nullum Authorē poſſe citari pro Cōceptione Immaculata ; quia fortè loquūtur præcepto coacti. Cui tamen

tamen apertè refragatur SS. D. N. Alexãder VII. in Bulla, quam expediuit pro hoc ſacro & piiſſimo myſterio, dum ait: [Ita vt accedentibus quoque pleriſque *celebrioribus Academiis* ad hanc ſententiam, iam *ferè omnes Catholici* eam complectantur.] Ergo non obſtante ea prohibitione Eccleſiæ, & iureiurando Academiarum citari poſſunt, & debent Authores aſſertiuę partis pro Cõceptione Immaculata. Cuius ratio eſt eadem; dum enim interdicti ſunt fideles aſſertione partis negatiuæ (idem eſt de iureiurando) quod taciturnitate præſtarent, ad multò plura ſe extendunt, quibus indicant ſpontaneam alacritatem, qua obſequuntur. Vide hæc vberiùs expoſita & firmata. *diſp. 9. num.* 245. Non ergo obſtat prohibitio vnius partis, vt oppoſitæ partis Authores cognoſcantur pro ea ſponte militare, quando multa addunt, ad quæ non obſtringit præceptum.

11. Oſtendo tertiò. Qui addit rationes probabiles, & ſolutiones obiectionum probabiles, addit probabilitatem. (Quid euidentiùs? Cùm iſta maior ſit ferè identica:) ſed Authores Societatis in hac materia addiderunt rationes probabiles, aut nouas antiquatum rationum ponderationes probabiles (imò & certas, vt conſtabit ex dicendis) ſicut & ſolutiones argumentorum: ergo Authores Societatis addiderunt probabilitatem. Quod non ſolùm verum eſt in eo ſenſu, quod quaſi in genere efficientis dederunt probabilitatem intrinſecam, id eſt, fundamenta grauia à ratione petita; ſed etiam probabilitatem extrinſecam, quatenus qui aſſertionem multis confirmat, & ſoluit oppoſita, clarè cognoſcitur pro ea ſtare ſententia. Et quidem ſi Authores Societatis ſummatim & ſine diſcuſſione rationum id affirmarent, dubitari poſſet de eorum mente. At cùm id affirment cum tam accurata rationum diſcuſſione, ad quam nullo præcepto obſtringuntur, ſignum planè dederunt proprij dictaminis.

Authores Soc. addiderũt rationes pluſquam probabiles.

Ideò addiderunt pluſquã probabilitatem.

12. Oſtendo quartò. Viri docti Societatis Iesv, qui ſemel & iterum, & tertiò conſulti ſunt, ad ſtatuendum decretum, ad extenſionem faciendam, & ad hanc extenſionem in nona congregatione ſtabiliendam, nullo præcepto impediebantur ad dicendam in conſultatione ſententiam ſuam; ridicula enim eſſet conſultatio, ſi præcepto determinarentur ad reſponſionem vnius partis: ergo omnes iſti viri docti Societatis ſemel, & iterum, & tertiò conſulti probabilitatem addunt; cùm in illis ceſſet ratio coactionis præcepti. Nec valet reſponderi, eos eſſe nobis incognitos; adeóque dum neſcimus, quanta fuerit præſtantia doctrinæ eorum, non poſſe nobis fidem facere, nec probabilitatem augere. Non, inquam, valet; quia eſt grauiſſimum argumentum ad intelligendum, eos fuiſſe ex doctiſſimis Societatis. Cùm enim iis tribus temporibus redundauerit Societas viris doctiſſimis; quis credat ad talem conſultationem à duobus Generalibus, & à Congregatione Generali non fuiſſe electos viros ex præcipuis Doctoribus Societatis?

Multi DD. Soc. id docuerunt, nullo præcepto obſtricti.

13. Oſtendo quintò. Qui ſcribunt doctrinam certam, non ſcribunt imperio præcipientis coacti; quia per euidentiam determinatur intellectus antecedenter ad præceptum, vt oſtendo *diſp. 9. c. 18. n.* 246. ſed doctrina Societatis circa paruitatem materiæ in re venerea, eſt omninò certa, vt oſtendo *à cap.* 8. ergo qui ſcribunt illam, non ſcribunt imperio coacti.

Qui doctrinã certam tradunt, nullo præcepto coguntur.

Certitudine cogitur intellectus ante præceptum.

Sed numquid poſſunt Ieſuitæ obtemperare ei præcepto, dum audiunt confeſſiones? Vidiſti in ſecunda periodo argumentum Caramuelis, quod vrgebat in ea confeſſione Petri accuſantis ſe de ea alteratione leui. Et nota in primis conſequentiam: [Ergo confeſſarius Ieſuita audiens Petrum, tacebit & abſoluet omninò. Vel dicito, quid faciet?] Et retorqueo, & interrogo: In eo caſu quid faciet Caramuel, qui *num.* 1722. ſic ſuam ſententiam proponit: [Concludo, has duas concluſiones ponendo. Sit prima. Speculatiuè, & præſcindendo à periculo, in delectatione venerea datur materiæ paruitas. Secunda. Si hæc delectatio ita parua poſſet poni à parte rei ſine vlteriori periculo, eſſet de facto culpa leuis: at quia ſemper adeſt periculum, ſemper eſt mortalis.] Si quia ſemper eſt periculum, ſemper eſt culpa mortalis: ergo in illo caſu fuit periculum, & culpa mortalis; vel poteſt eſſe vniuerſalis vera, & ſingularis contenta in vniuerſali falſa. 14.

An Ieſuitæ in praxi poſſint obtemperare?

Argumentũ Caram. reſiſtit cõtra ipſum.

15. Vellem ergo audire, quid diceret Caramuel Petro, qui ſic confiteretur: *Me accuſo, quod manum fœminæ tetigerim cum alteratione aliqua leui, & ſufficienti ad peccatum veniale.* Dicétne Caramuel, Petrum peccauiſſe mortaliter, quia ſicut ſemper, ita & tunc adfuit periculum? Ergo P. Ieſuita idem poterit dicere. Quod ſi negauerit Petrus, & putauerit, ſe ſacrilegam confeſſionem facturum, ſi ſe accuſet de mortifero, quod (vt putat) non commiſit, nonne ſibi conſtabit Caramuel, & reſpondebit, non eſſe probabilem aſſertionem, quod interueniente eo periculo, culpa ſit dumtaxat venialis? Loquetúrne contra dictamen, ſi hoc dicat? Quod ſi reponat Petrus, potiùs ſententiam Caramuelis non eſſe probabilem, vel quod ſemper adſit tale periculum, vel quod, eo interueniente, culpa ſit mortalis; ideóque confeſſarium ſequi debere pœnitentium ſententias, & iuxta pœnitentium dictamen iudicare; tacebítne Caramuel, & abſoluet omninò; vel dicito quid faciet? Sanè ſi conſtat ſibi, & firmiter iudicat, ſemper adeſſe periculum, & ſemper in periculo eſſe culpam mortalem; pœnitenti reſpondebit, ſuam ſententiam ratione periculi eſſe certam, & oppoſitam opinionem ſolùm ſpeculatiuè eſſe probabilem, ablata circumſtantia periculi: neque confeſſarium ſequi debere ſententiam pœnitentis contra dictamen certum. Suis ergo caſſibus ipſe Author ſe obuoluit. Quid autem præſtare debeat, quid reſpondere Ieſuita in eo caſu, dicam in ſolutione obiectionum.

16. Quoad tertiam verò periodum, qua parte ſuſpicio emergit quæſtionis; quare R. P. Claudius doctrinam interdixerit, non praxim; directionem alienæ conſcientiæ ex ſtricto dictamine, non propriæ; ipſa quæſtionis deciſio oculis & auribus ſe ingerit. Si enim ſciebat R. P. Claudius, probabilem eſſe ſententiam, & communi plauſu receptam, leges externis dumtaxat actibus imperare, nec ad internos cordis ſinus ſphæram ſuam protendere; cur contra eam opinionem probabilem egrederetur ſphæram? Dirigit conſcientiam propriam, qui

Digitized by Google

qui proprio dictamine vtitur. Dirigeret conſcientiam propriam contra dictamen R. P. Claudij, qui dictamine interno vteretur, præſcribente, non eſſe mortale, talem delectationem quærere, quam dicis leuem; neque ad hanc conſcientiæ directionem opus ei eſſet aliqua actione externa: ergo iuxta eam opinionem probabilem imperium R.P. Claudij non potuit protendere ſphæram ad hoc, vt ex ſuo dictamine ſubditi dirigerent conſcientias proprias.

17. Accedit, quod relegata doctrina de paruitate materiæ in re venerea, & conſtante ſententia oppoſita in tota Societate, eaque imbutis, eamque docentibus omnibus Societatis Doctoribus, reliqui conſcientias ſuas ex ſuo dictamine dirigent, quo à prædictis Doctoribus imbuti fuerint, non alio equidem, quàm quod R.P.Claudius in Societatem inuexit. Neque enim agricola metet hordeum, qui triticum ſeuerit; nec Doctores Societatis alia dogmata, quàm quæ audientium animis inſinuauerint.

18. Quo autem iure in ea tertia periodo aſſertionem de paruitate materiæ in re venerea appellet (ſiue proprio, ſiue alieno nomine) opinionem Auguſtini, ſuo loco ſcrutabimur.

CAPVT II.

Quæ ſit Caramuelis mens in hac quæſtione?

19. *Septies docet, practicè non eſſe paruitatem, propter periculum.* EX duplici concluſione ſuprà poſita *num.* 14. manifeſtè patet, mentem Caramuelis eſſe, ſolùm ſpeculatiuè, & abſtrahendo à periculo dari paruitatem materiæ in re venerea; practicè autem ſemper eſſe mortalem ratione periculi. Quam ſententiam ita propoſuit in ipſo textu magiſtrali, *fundament.* 58. *num.* 1708. [Datur quantitas parua in materia luxuriæ, præſcindendo à periculo. Quod nobis & doctiſſimis plurimis viris manifeſtum videtur... Quare in obſcuriſſima hac materia ſpeculationem à praxi omninò debemus diſtinguere; & tametſi ſpeculatiuè nihil poſſit vniuerſim ſtatui, poteſt & debet practicè. Semper enim eſt periculum, vbi non eſt certa ſecuritas; & qui ſe periculo peccandi exponit, peccat mortaliter. Ergo dicendum eſt, in luxuria ob annexum periculum non dari practicè paruitatem materiæ; ſed omnem delectationem libidinoſam, ſi voluntariè admiſſam, eſſe culpam mortalem.] Idem tradit *num.* 1709. & *num.* 1722. & *num.* 1723. & *num.* 1765. *fine.* Notanda ſunt præcipuè verba *ex num.* 1726. [At ego oro, vt adnotes, me nunquam totâ vitâ meâ tam abſolutè leuem admiſiſſe materiam in genere libidinoſo: ſemper enim ago præſcindendo à periculo; quod à parte rei ſeparari non poteſt.] Et qua parte agit de certitudine periculi mortalis, etiam *diſp.* 67. *in Regul. num.* 1037.

20. *Sapiſſimè negat Caram. id periculum.* Inquiro tamen primò, an certum ſit, quod pro hac aſſertione ſtet Caramuel? Neque aliter ſatisfacies quæſtioni, quàm eius verba recitando. *Diſputat.* 69. *in Regul. num.* 1051. *C*, hæc habet: [Probatur primò à pari. In cæteris materiis datur materia parua: ergo etiam in præcepto continentiæ. Das diſparitatis rationem, quod fragilitas humana ſit maxima; & periculum videatur euidens. Sed hæc ratio non eſt vera, nec ſufficiens. Sanè *non vera:* quoniam *non video*, cur non poſſit Petrus leuiter fœminæ pedem comprimere, *quin ſe exponat euidenti periculo* conſenſûs in vlteriorem actum. *Quis credat*, non eſſe poſſibile, quod Paulus ex leui & ſenſuali curioſitate adſpiciat tranſeuntem fœminam, *quin velit vlteriùs progredi*, & liberiùs peccare? Præterea eſto detur tale periculum concomitans, *quod reuerà non datur.* Eſto, non poſſis digitum mulieris ſtringere vel leuiter ſine periculo euidenti conſenſus.] Eadem formalia verba tranſcripſit in Theologia fundamentali *loco cit. num.* 1716.

Ego quidem has duas aſſertiones componere non poſſum in his duobus proximè præcedentibus numeris relatas; & quod omnis actio leuis ſemper contineat periculum, adeóque ſemper mortalis ſit; & quod aliqua actio leuis non afferat periculum, adeóque venialis; cùm illæ ſint formaliter contradictoriæ. 21.

Neque hîc habet locum ea excuſatio, qua aliquando Caramuel propoſitiones contradictorias à ſe affirmatas tolerandas eſſe contendit; quod ipſe loquitur per propoſitiones virtualiter modales de modo *Probabile:* hoc enim pacto non ſunt contradictoriæ, [Probabile eſt, Petrum currere: Probale eſt, Petrum non currere.] Hic, inquam, non habet locum; quia in verbis proximè citatis id non dicit tanquam probabile, ſed tanquam certum, vt ſatis clarè denotant ea verba, *Non video, cur non poſſit Petrus, &c.* Id eſt: [Ego, qui Theologica optimè calleo, non video fundamentum (atque adeò nec probabilitatem, quæ eſſentialiter conſiſtit in fundamento graui) ad aſſerendum periculum,] &c. *Et quis credat, non eſſe poſſibile, quod Paulus ex leui*, &c. id eſt, *Incredibile eſt*, &c. quando autem vnum eſt incredibile, oppoſitum eſt moraliter certum; implicat enim eſſe incredibile quod eſt probabile. 22.

Quod ſi contradictionem diſſoluere velit per hoc, quod ipſe aliàs aſſerit, ſemper eſſe periculum, & ſemper eſſe mortales eas actiones leues in genere luxuriæ, intelligi vt in plurimum; infero: ergo reuerà admittit aliquando non eſſe periculum; adeóque aliquando non eſſe mortales. Iam ergo admittit in praxi paruitatem materiæ in re venerea, non obſtante periculo; quod tamen negat *loco cit. Theolog. fund.* eo *n.* 1709. & 1716. & aliis. 23.

Quod autem in actione venerea leui non ſemper detur periculum graue, nec illa ſemper ſit mortalis ratione talis periculi, ſæpiùs repetit. Ita *diſp.* 69. *in Regul. num.* 1053. *B*, his verbis: [Periculoſum eſt, ait Diana, aſſerere, dari materiam paruam. Fateor, qui putat, hanc, vel illam actionem ſenſualem eſſe leuem, dùm illam elicit, ſæpe ſe exponit periculo vlteriori: vnde ſi hoc ſit alterius rei etiam leuis, erit remotum; non enim datur proximum, ſi materia ſit parua, vt inferiùs videbimus; ſi periculum ſit euidens, & rei grauis, erit peccatum mortale.] Vides poſſe eſſe periculum rei leuis in ſubiecta materia, atque adeò remotum; & ſolùm admitti vt mortale; 24.

Digitized by Google

quod fuerit periculum rei grauis, ſiue delectationis grauis. Nam quà requirit ad mortale, quod periculum ſit euidens, retractauit in Theologiæ fundamẽtalis impreſſione an. 1657. vt conſtat ex ſuprà dictis *diſp.* 18. Quæ verba proximè relata tranſcripſit eodem tenore in loco citato Theologiæ fundamentalis, *n.* 1720. Idem ſi attentè legis, reperies *num.* 1760. & *num.* 1761. & *num.* 1743. in ea quæſtione, quomodo ſe gereret Ieſuita cum accuſante ſe de altercatione leui, vt notaui ſuprà *num.* 14.

25. Inquiro ſecundò, an Caramuel in praxi admittat materiam paruam in re venerea; an ſolùm admittat illam metaphyſicè ratione paruitatis entitatiuæ; quæ tamen ſemper in praxi coniungatur cum peccato mortali? Et quidem ſi firmiter perſiſteret in affirmando periculum graue in omnibus delectationibus quantumvis leuibus, non eſſet dubium de eius mente. Conſtaret enim, illum non admittere practicè materiam leuem in re venerea.

26. Sed cùm tam apertè in aliis neget, ſemper adeſſe tale periculum, in iis manifeſtum eſt, practicè illam admittere. Cùm autem hoc ita ſit, audi querelam eius *in loco citat. Theolog. fundament. numero* 1709. [Sumus miſeri Authores ſcholaſtici, qui formalitates diſtinguimus, & ſubdiſtinguimus, ſi noſtri libri à lectoribus Metaphyſicæ imperitis legantur. *Me pro materia parua ab aliquibus allegari reperio*, & miror ſemper hypotheſes tranſire in theſes; & ſubtiliter dicta tam pingui Mineruâ explicari. Hanc ego ob cauſam, antequam aliorum ſenſa expouam, propriam opinionem præmitto. Dico primò, *Praſcindendo à periculo, in re venerea datur materia parua*... Dico ſecundò. *Non praſcindendo à periculo, non datur materia leuis in re venerea.* Hæc ſecunda concluſio praxim reſpicit, & vnica debet teneri.]

27. Vbi imperitiæ & pingui Mineruæ attribuit, quòd citetur ab aliquibus pro opinione practica de leuitate materiæ in re venerea. Sanè ego ex Metaphyſicæ imperitis ſum, & pinguis Mineruæ ſcholaſticus, qui hæc non poſſum componere cum ea practica quæſtione, quam obiicit Ieſuitæ confeſſario, & retuli ſuprà *num.* 3. vbi cum vrget, quomodo poterit non abſoluere pœnitentem, qui ſe accuſat de tactu & altercatione leuibus; & quomodo poterit non accommodare ſe opinioni pœnitentis de leuitate materiæ? Quod ſi confeſſarius debet ſe accommodare opinioni pœnitentis de leuitate materiæ, quomodo vera eſt ſecunda concluſio, quod, *Non praſcindendo à periculo, non datur materia leuis in re venerea*; & quod *hac vnica* concluſio *debet teneri*? Quod ſi confeſſarius hanc vnicam debet tenere, quomodo admittet opinionem pœnitentis contrariam?

28. Quod ſi dicat, ſe ſemper loqui per propoſitiones modales de modo *Probabile*, & ſenſum ſecundæ concluſionis eſſe hunc modalem, [Probabile eſt, non præſcindendo à periculo, non dari materiam leuem in re venerea:] cùm autem oppoſitum docet in ſeptem textibus citatis ſuprà *num.* 19. & *num.* 20. ſenſum etiam eſſe hunc modalem, [Probabile eſt, non dari periculum in actionibus leuibus in re venerea, atque adeò in ea inueniri practicè materiam leuem;] cur expoſtulat cum Authoribus, qui eam citant pro materia parua in re venerea; & in illos committit imperitiam Metaphyſicæ, & Mineruam pinguem? Nam qui vtramque partem contradictoriam dicit probabilem, vel pro vtraque, vel pro neutra citandus eſt. Maximè cùm in neutra exprimat modum *Probabile*; imò in aliquibus textibus ſuprà citatis, contextus non patiatur eum modum, vt conſtat ex *n.* 22. Sanè ad hæc componenda aliâ Metaphyſicâ opus eſt, & aliâ Mineruâ, quæ me præterfugit.

Inquiro tertiò, in quo differat Caram. à ſententia Societatis? Ipſe ſe diſſidere affirmat, dum confeſſariũ Ieſuitã vrget, vt in leuitate materiæ in re venerea opinioni pœnitẽtis ſe accommodet; cùm tamen confeſſarius Ieſuita teneat, in praxi nullam eſſe opinionem probabilẽ, [quod delectatio aliqua venerea leuis ſit.] Ergo dicendum eſt, Caramuelem à nobis non diſſidere in ſeptem textibus prioribus relatis *n.* 19. differre tamen quammaximè in ſeptem textibus relatis *n.* 20. & 24. Nam in prioribus dicit ſemper eſſe periculum in delectationibus leuibus, & ideò eas ſemper eſſe culpas lethales; in poſterioribus autem dicit, aliquando non eſſe tale periculum. In multis autem textibus, etiam præter relatos, ſolùm conditionaliter affirmat eſſe lethales, nimirum ſi detur periculum; cùm tamen ſententia Societatis affirmet ſemper & certò adeſſe tale periculum, modo inferiùs explicando. 29. *In quo differat ſententia Caramuelis à ſententia Societ.*

CAPVT III.

Tria maximè prænotanda ad intelligentiam decreti, quæſtionis, & Authorum.

PRænotandum eſt primò, ſenſum huius quæſtionis, vt à Ieſuitis verſatur, eſſe non de leuitate materiæ in re venerea vtcumque, ſed de leuitate materiæ in delectatione formali rei venereæ deliberatè quæſita, vel acceptata. Et ideò in decreto R. P. Claudij dicitur: [In re venerea *exiguam aliquam delectationem*, deliberatè quæſitam, propter paruitatem materiæ excuſari à peccato mortali.] Quod vt intelligas, primùm animaduertere debes, delectationem veneream, de qua eſt quæſtio, eſſe illam, quæ oritur ex commotione ſpirituum genitalium, qui deſtinati ſunt à natura ad generationem promouendam: & inquiritur, an aliqua eiuſmodi delectatio (præter delectationem fornicationis, pollutionis, &c.) ſeu commotio admittenda ſit, quæ practicè & conſideratis omnibus circumſtantiis in ea concurrentibus, leuis ſit, atque adeò culpa dumtaxat venialis, etiamſi deliberatè quæſita, vel acceptata ſit? Et ita quæſtionem, & decretum intellexerunt P. Rebell. *parte* 2. *de obligat. inſtit. libro* 3. *quæſtione* 19. *ſection.* 3. P. Layman *libro* 4. *tract.* 5. *cap.* 8. P. Filliucius *tract.* 30. *cap.* 9. *num.* 192. & ex illis P. Caſtro Palao *tom.* 3. *tract.* 16. *diſput.* 3. *punct.* 1. *num.* 2. P. Tamburinus *lib.* 8. *in Decalog. cap.* 8. §. 1. *num.* 8. P. Pellizarius *tract.* 4. *cap.* 5. *ſect.* 4. *quæſt.* 1. 30. *Senſus quæſt. eſt de paruitate materiæ in delectatione.*

Rebellus. Layman. Filliucius. Caſtro Pal. Tamburin. Pellizar.

Prænotan

31. *Actiones externæ venereæ abſque delectatione, veniales.*

Prænotandum eſt ſecundò,(licèt hæc poſſit eſſe quæſtio de nomine; vtilis tamen propter Authores ita loquentes) eſſe aliquas actiones externas pertinentes ad venerem (quidquid renuat Caramuel) quæ abſque delectatione venerea ſunt culpæ veniales. Negari enim nequit, verba obſcœna & impura, ſecluſa quavis delectatione, eſſe culpas veniales. Item aſpectum deliberatum partium nudarum alterius ſexus, licèt non obſcœnarum, etiam abſque delectatione: oſculum viri ad fœminam ex leuitate abſque vlla commotione ſpirituum genitalium,& abſque vlla delectatione, & alia his ſimilia; & generaliter ea omnia obiecta ſenſibilia, quæ remotè conducunt ad delectationem veneream, fiunt tamen abſque tali delectatione, ſeu commotione ſpirituum, & abſque periculo illius.

32. Et quidem quæſtio eſt de nomine, vt notaui, an hæc ſint in materia venerea propriè loquendo. Authores tamen plurimi, vt conſtabit ex dicendis capite proximo, eas reducunt ad materiam veneream, independenter ab eo quod fiant cum delectatione, vel ſine illa. Vide in capite proximè ſequenti Villalobos conſtituentem paruitatem materiæ in ſolo tactu leui manus fœmineæ, quin delectationis vllam fecerit mentionem. Ita etiam loquuntur PP. Suarez,Henriquez, Thom. Sanchez, Leſſius, apud Tannerum relati à Diana, vt videbis infrà *num.*68.& Caiet. infrà referendus *num.* 74. & præcipuè P. Thom. Sanchez *lib.*9.*de matrim. diſputat.* 46. *num.* 10. expreſsè affirmat, actiones aliquas leues abſque delectatione venerea ob paruitatem materiæ eſſe veniales. [Si amplexus, & oſcula, & tactus huiuſmodi non omninò turpes & impudici ſolùm habeantur ioco, causâ vanitatis, vel leuitatis, vel alia ſimili, abſque delectatione venerea; & ſi inde conſurgat, eâ repreſsâ, non excedunt culpam venialem. Quia cenſentur paruitas materiæ, cum abſit delectatio venerea.] Vnde ſi dicas cum præfatis Authoribus, eas actiones ita conſideratas ad venerem pertinere, admittimus, dari paruitatem materiæ in re venerea, dummodo non admittatur paruitas in ipſa delectatione deliberatè quæſita, & acceptata, aut in commotione ſpirituum genitalium, nec in periculo proximo, vel probabili talis delectationis.

33. Huc etiam pertinent eiuſmodi actiones,v.g. tactus manus fœmineæ, vellicatio digiti, aſpectus membri nudi non impudici, cum delectatione & commotione inuoluntariè inſurgente. Iſtæ enim actiones veniales ſunt, & in illis poteſt admitti paruitas materiæ, dummodo, vt dixi, non admittatur in ipſa delectatione deliberatè admiſſa.

34. *In vſu coniugij ſunt actiones veniales.*

Prænotandum eſt tertiò, dum ſententia Societatis damnat paruitatem materiæ in delectatione deliberatè volita, non includi ſub hac damnatione delectationes in coniugatis ad vſum matrimonij quomodolibet pertinentes; quia intra matrimonium non ſolùm leues, ſed etiam graues licitæ ſunt; neque negamus, intra matrimonium committi poſſe multa peccata venialia per exceſſum in delectatione, modo eius, aut fine, etiam cum plena deliberatione.

35. Dixi,excludendas *delectationes in coniugatis ad vſum matrimonij quomodolibet pertinentes.* Nam in illis, quæ referuntur in coniugatis ad copulam ſodomiticam, vel ad quemvis actum contra-naturalem, non admittimus paruitatem materiæ.

36. *An in ſponſis de futuro ſint delectationes veniales?*

Item neque damnat noſtra ſententia eam delectationem, quam capiunt ſponſi de futuro ex tactibus vel oſculis pudicis, quæ fit ſine periculo pollutionis, vel coitus, vel tactus impudici,ſaltem ante decretum Alexandri VII.Cùm enim fuerit probabilis ſententia, ſaltem ab extrinſeco, eaque communis, talem delectationem(tamen ſine eiuſmodi periculo) non eſſe culpam lethalem,quomodo eam damnaret ſententia Societatis? Ideoque ab ea quæſtione abſtrahit.

37. Dixi, eam ſententiam fuiſſe probabilem, *ſaltem ante decretum Alexandri VII.* Nam vt cernitur *in diſſ.*9.*c.* 20.*art.*1. inter propoſitiones ab Alexandro damnatas hæc eſt quadrageſima: *Eſt probabilis opinio, quæ dicit eſſe tantùm veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem, & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus vlterioris.* Et quidam putant, id non intelligi de ſponſis de futuro, ſicut de coniugatis certum eſt non intelligi: nam cùm in ſponſis de futuro militet ſpecialis ratio,quæ non militat in reliquis, ſi vellet Pontifex comprehendere oſcula ſponſorum,exprimeret. Ego tamen ab hac quæſtione abſtineo, quia ad rem meam, neque obeſt, neque prodeſt.

38. Hinc patet, quid reſpondendum ſit ad illum ſyllogiſmum, quem Caramuel opponit Antonino Dianæ, noſtræ ſententiæ ſectatori. Sic enim ait *in Theolog.fund.n.*1724. [Vbicumque datur veniale, quod ſemiplenus conſenſus non cauſat,ad materiæ leuitatem recurritur; at Diana meus ſæpiſſimè admittit peccata venialia in genere luxuriæ, etiam poſito conſenſu pleno: ergo Diana meus admittit in genere luxuriæ paruitatem materiæ.] Nam hic Author loquitur in ſenſu, quem tenet, & ſemper tenuit ſententia Societatis. Ideóque debebit diſtinguere maiorem, & negare leuitatem materiæ in delectatione venerea deliberatè admiſſa; & admittere illam in aliis actionibus leuibus, quas nulla delectatio venerea comitatur; vel quas etſi delectatio comitetur, ea eſt inuoluntaria. Item admittere illam in coniugatis in iis, quæ ad vſum matrimonij ſpectant; alias ſecùs.

CAPVT IV.

Quinam Authores aduerſentur ſententiæ Societatis?

39. MAgnam Authorum molem conatur congerere Caramuel pro paruitate in re venerea, quorum plurimi expreſsè loquuntur de actionibus aliquibus ex leuitate factis, quin meminerint delectationis. Alij verò de peccatis venialibus inter coniuges commiſſis diſſerunt. Quorũ neutri Societatis ſententiæ refragãtur.

Citat Mirandam in Manuali Prælatorum *quæſt.*18.*art.*17.*concluſione* 1.aſſerentem: [Certiſſimum eſt, quod in omni materia, excepto periurio, paruitas materiæ excuſat à peccato mortali.] Subditque Caramuel: [Ergo etiam

in venerea; hæc enim periurium non eſt.] Sed malè infert, propter duo. Primum, quia licèt admittatur paruitas materiæ in tactibus leuibus, qui non aſſociantur delectatione, nihil contra noſtram ſententiam arguitur. Secundum, quia vel vniuerſalis propoſitio eius Authoris eſt euidenter falſa, vel intelligenda eſt incompletè. Nam præter periurium excipi debet hæreſis, blaſphemia, odium Dei, & ſimilia. Si ergo illa vniuerſalis eſt euidenter falſa, nihil nobis nocet. Si autem intelligitur incompletè, ita vt etiam alia peccata excipi debeant; inter illa poteris etiam adnumerare delectationes venereas.

41. Zanardus. Zanardus citatus ab ipſo *in Direct. part. 1. de matrimon. cap. 41. §. 28.* non repugnat ſententiæ noſtræ. Cùm enim dicit: [Oſcula, tactus, & verba obſcœna non erunt mortalia inter ſolutos ex paruitate materiæ, vel conſenſus, quia leuis eſt tactus, vel parua diſtillatio;] loquitur de tactu, ſecluſo deliberato conſenſu in delectatione. Tum quia non datur paruitas conſenſus, niſi ob defectum plenæ deliberationis: tum quia non loquitur de paruitate delectationis, ſed de iis actibus, qui abſque vlla delectatione fieri poſſunt. Tum etiam, quia *in direct.* 12. in explicatione 6. & 9. præcepti, *cap.* 24. ait: [Legere libros de amore tractantes, vel ſcribere litteras amatorias ob aliquam delectationem carnalem, ex actus imperfectione non erit niſi veniale.] Actus autem imperfectio non denotat materiæ leuitatem, ſed potiùs defectum deliberationis plenæ.

42. Salas. P. Salas 1. 2. *quæſtion.* 74. *tract.* 13. *diſputat.* 6. *ſect.* 21. (vbi illum citat Caramuel) inſcribit hanc quæſtionem: [Vtrum ex leuitate materiæ contingat, tactus libidinoſos à mortali excuſari?] Et poſtquam ſententias retulit, ait: [Hæ opiniones non poſſunt modò ad vnguem examinari, vſque *ad* 1. 2. *quæſt.* 154. (ad hanc tractationem non peruenit) interim tamen dico tria.] Ex quibus primum eſt, tactus libidinoſos eſſe mortales, ſi referantur ad finem mortalem. Secundum, etiam eſſe mortales, [ſi ex natura rei habeant graue periculum, licèt hîc & nunc illud non habeant.] Tertium ſic proponit: [Licèt ratione materiæ luxuriæ ſecundùm ſe tactus aliqui libidinoſi leues non eſſent; tamen in periculo & cauſa ipſorum poteſt contingere leuitas, ratione cuius ſolùm ſint peccata venialia; vt licèt in iuramento aſſertorio nunquam detur peccatum veniale ex leuitate materiæ, bene tamen ex leuitate periculi iurandi quod reipſa falſum ſit. Probatur concluſio. Nam exponere ſe ſine cauſa, leui & modico periculo fornicationis, pollutionis, &c. ſolùm eſt peccatum veniale. Item non vitare aliquam cauſam pollutionis, quam ſolùm tenetur quis vitare ſub veniali, ſolùm eſt peccatum veniale.] Neque de hac materia aliquid ampliùs affirmat.

43. *Paruitas periculi non eſt paruitas delectationis.* Circa quæ obſeruabis primò, P. Salas nullum penitus verbum proferre de paruitate in ipſa delectatione. Secundò, ſolùm agnoſcere paruitatem in ipſo periculo, vel cauſa, non tamen in ipſa delectatione. Tertiò eius mens clariùs conſtat in exemplo periurij, quod affert, in quo agnoſcit paruitatem periculi, non paruitatem periurij. Quo eodem modo philoſophatur in tactibus libidinoſis. Et ita ſicut non poteſt citari pro paruitate materiæ in periurio; ita neque pro paruitate materiæ in delectatione venerea. Sententiam autem Societatis non negare paruitatem periculi, vel cauſæ in re venerea, conſtabit *ex capite* 16. Quartò licèt initio tertiæ concluſionis videatur ſupponere eſſe aliquos tactus libidinoſos leues; id non eſt contra ſententiam Societatis, qui admittimus, poſſe eſſe tactus aliquos leues abſque vlla delectatione ex ſola animi leuitate profectos, vt notaui ſuprà *num.* 32.

Villalobos, qui ab Authore citatur *tom.* 2. *ſumma*, *tract.* 40. *dub.* 9. *num.* 8. ſolùm loquitur de tactibus ex leuitate factis, & nihil meminit delectationis. Hæc enim dumtaxat verba ibi habet: [Tambien ſe a de aduertir, que ſe puede hallar en eſte pecado paruedad de materia, como en otros, quales ſon los tocamientos leues, como de la mano de vna muger, del pié, torcerle los dedos, ò piſarle el pié.] Quod ſic vertes in Latinum idioma: [Aduertendum quoque eſt, poſſe in hoc peccato reperiri paruitatem materiæ, ſicut in aliis: quales ſunt tactus leues, v. g. manus fœminæ, aut pedis; intorquere eius digitos, vel illius pedem pede comprimere.] Quod dummodo ſine delectatione, vel commotione deliberatè quæſita, aut acceptata, fiat libenter admittimus ad paruitatem materiæ. 44. Villalob.

Citat etiam Malderum 1. 2. *quæſt.* 47. *articulo* 10. eo quod dixerit, ſententiam de paruitate materiæ in re venerea eſſe dumtaxat ſpeculatiuè probabilem. Quem potiùs nos pro noſtra ſententia adducimus, qui aſſerimus, paruitatem materiæ in delectatione venerea non eſſe practicè admittendam, quamvis ſpeculatiuè admittatur. Neque hîc valet conſequentia à ſpeculatiuo ad practicum: nam vbi additur noua circumſtantia, addi poteſt denuò malitia: practicum autem in præſenti addit circumſtantiam periculi ad ſpeculationem. 45. Malderus.

Citat deinde Baſſæum. Primò in verbo *Pudicitia, n.* 76. eo quod dicat, oſcula non eſſe peccata lethalia inter coniugatos. Nihil tamen dicit de paruitate materiæ in delectatione: & ideò is textus non eſt ad rem. Deinde eum citat verbo *Peccatum* 1. *n.* 1. vbi ait: [Quidquid ſit de ſpeculatiua probabilitate huius ſententiæ, negatiua eſt ſuſtinenda vt communior, & tutior in praxi.] Et addit Caramuel: [Qui cùm ſuam opinionem communiorem & tutiorem nominet, dicendus omninò eſt, contrariam dicere communem & tutam.] Sed malè infert; quia aliquando comparatiuum grammaticale non denotat, prædicatum poſitiui reperiri in re comparata. Id quod in hoc comparatiuo, *Tutior*, reperitur. Nam qui dicit ſuam opinionem eſſe tutiorem, ſupponit, oppoſitam eſſe minùs tutam in praxi. At *eſſe minus tutam*, ex communi modo loquendi denotat, non eſſe abſolutè tutam in praxi. Quare potiùs Baſſæus in hoc loco apertè militat pro ſententia Societatis. Tertiò illum citat verbo *Luxuria*, *num.* 24. vbi dicit, modum præpoſterum copulæ in vaſe naturali inter coniugatos non eſſe mortale, ſi non impeditur generatio. Id tamen non eſt ad rem; cùm ſententia noſtra non loquatur de exceſſibus venialibus coniugatorum. Quartò eum citat in eodé verbo *Luxuria, n.* 19. 46. Baſſæus.

iuxta

Digitized by Google

iuxta editionem primam. Et hæc eius verba: [Secus, vbi leuis quædam diſtillatio, & ſpirituum commotio procuraretur. Excuſaretur enim à mortali id procurans ratione paruitatis materiæ, ceſſante pollutionis periculo.] Sed ſi hæc dixit, ſibi ipſi contrarius eſt.

47. Syluius. Citat etiam Syluium (apud Baſſæum) 2.2. *quæſt.* 154. *art.* 4. *concluſione* 6. dicentem, oſcula non eſſe peccata mortalia inter non coniugatos. Sed perperam citat. Nam verba Syluij habentur apud Dianam *part.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 135. in quibus expreſsè aſſerit, ſi oſcula & tactus non ſint cum delectatione libidinoſa, ſed ſolùm cum ea delectatione, quæ conſiſtit in proportione rei mollis & blandæ cum organo potentiæ tactiuæ, non eſſe mortalia. In quo potiùs ſuffragatur noſtræ ſententiæ.

48. Nauarrus. Citat etiam Nauarrum (apud Baſſæum) *in ſumma, præludio* 9. *num.* 12. Sed nihil tale ibi habet Nauarrus: *numero* autem 10. ſolùm proponit doctrinam generalem, quod in omni materia paruitas rei excuſat: quæ propoſitio vniuerſalis, cùm habeat multas exceptiones in blaſphemia, hæreſi, odio Dei, &c. potuit admittere etiam hanc in materia venerea.

49. Sayrus. Citat (apud eundem Baſſæum) Sayrum *in Claui Regia lib.* 8. *cap.* 6. *num.* 1. Sed Sayrus in eo loco expreſsè tenet noſtram ſententiam. Hæc ſunt eius verba, loquentis de oſculis & tactibus ex delectatione venerea habitis, aſſerentiſque ea eſſe mortalia. [Niſi eſſent tactus exigui, ſed quaſi momentanei, & *non plenè deliberati*, tunc enim mortale non erunt.] Vbi apertè vides, ad hoc vt illa non ſint mortalia, non ſufficere, quod ſint exigua, ſed requiri etiam, eſſe *non plenè deliberata*.

50. Vaſquez. Adducit etiam P. Vaſquez (apud eundem) 1.2. *diſp.* 108. *num.* 3. vbi agens de obligatione reprimendi delectationes appetitus corporei, ait: [Veniale autem iudicandum eſt, vel ex leuitate materiæ, vel ex defectu plenæ libertatis.] Sed vtinam P. Vaſquez quæſtionem hanc ex profeſſo & pro dignitate tractaſſet, vt ſolet cæteras; forſitan maiorem adhuc lucem attuliſſet ſententiæ noſtræ. Sed ſola illa linea reperitur in Patre Vaſquez de ea quæſtione. Quod dixit per tranſennam; & fortè ea particula *vel*, habet ſenſum disiunctiuum, & non diſtributiuum; ita vt ſenſus ſit, iudicandum eſſe peccatum veniale non ex vtroque, ſed ex alterutro: videtur enim ſenſus disiunctiuus & dubitatiuus; quaſi dicat: [Oritur vel ex leuitate materiæ; vel ſi non oritur ex hac, ſaltem ex defectu plenæ libertatis.] Nec expreſſit, an ea leuitas materiæ eſſet in delectatione venerea deliberatè acceptata. Nam leuis tactus manus fœmineæ cum delectatione non acceptata, materia leuis eſt & venerea ob coniunctionem (quæ aliàs eſſe ſolet) cum delectatione: quæ non repugnat noſtræ ſententiæ.

51. Petr. Soto. Citat etiam Petrum Soto, de doctrina chriſtiana, quem diligentiſſimè euoluimus, neque in eo reperimus quidquam, quod ei ſententiæ fauere poſſit, aut noſtræ præiudicium afferre.

52. Caiet. Adducit etiam Caietanum *in ſum. verb. Luxuria*, aſſerentem, eſſe veniale inter coniugatos ſuperfluitatem venereorum ſecundùm ſolas circumſtantias. Sed, vt iam notaui, id non eſt ad rem: cùm inter coniuges non negemus eſſe multa venialia in delectatione deliberatè quæſita.

CAPVT V.

Examinatur mens S. Auguſtini, S. Thomæ, & aliorum Theologorum, quos opponit Caramuel.

OB rationẽ in fine capitis proximi tactam, neque eſt ad rem allegatio S. Auguſtini, quam ſic proponit *num.* 1711.] Intra limites matrimonij copulam ſolere eſſe venialiter peccaminoſam, videtur docuiſſe Auguſtinus: nam teſtimonia, quæ congerit Cornelius Ianſenius in ſuo Auguſtino pro hac poſitione, fortia ſunt.] Admittimus enim, S. Auguſtinum concedere, in vſu matrimonij peccata venialia ſolere interuenire; admittimuſque, conſiſtere partim in circumſtantiis delectationis coniugalis deliberatè quæſitis, quia nũnquam id negauimus in vſu coniugij poſſe interuenire abſque peccato lethali. Adducit autem textum Auguſtini *num.* 1737. qui eſt ex *lib.* 2. *contra Iulian. cap.* 10. *Sed quibus ab illo rebellante, etſi non lethaliter, ſed venialiter, tamen vincimur; in his contrahimus vnde quotidie dicamus: Dimitte nobis debita noſtra. Sicut coniuges quando modum generationis neceſſarium cauſâ ſolius voluptatis excedunt: ſicut continentes, quando in talibus cogitationibus cum aliqua delectatione remorantur, non quidem decernentes flagitium, ſed intentionem mentis, non ſicut oportet, ne illo incidant, inde auertentes; aut ſi inciderint, inde rapientes.* Et quod attinet ad priorem partem de coniugibus, ſatisfactum eſt. In poſteriori autem parte periodi nullum verbum habet Auguſtinus, quod denotet paruitatem materiæ: ſed ſolùm defectum celeritatis in auertendo delectationem moroſam, & cogitationes ad illam inclinantes. Id enim verbum *Rapientes*, celeritatem ſignificat. Et vertitur vitio veniali, quod homo non applicet totam mentis intentionem ad perfectam deliberationem habendam, ratione cuius citiſſimè expellat à ſe delectationem veneream, & cogitationem prouocatiuam ſubrepentem. 53. S. Auguſt.

Adducit deinde D. Thomam 2.2. *quæſt.* 35. *art.* 3. *cap*... vbi potiùs fauet noſtræ ſententiæ, quatenus in ſenſualitate admittit peccatum veniale ſolùm propter imperfectionem actus, quæ eſt in defectu plenæ rationis. Verba S. Thomæ ſunt: *Vnde ſi ſit inchoatio peccati in ſola ſenſualitate, & non pertingat vſque ad conſenſum rationis, propter imperfectionem actus, eſt peccatum veniale.* Vbi obiter notabis, quomodo intelligendi ſunt multi Thomiſtæ, qui videntur concedere paruitatem materiæ, dicuntque eſſe veniale ob imperfectionem actus. Conſtat autem ex verbis ſuprà citatis S. Thomæ, & ex toto eius contextu, eam imperfectionem actus conſiſtere in defectu rationis, & plenæ deliberationis. 54. S. Thom.

Citat deinde eundem 2.2. *quæſt.* 36. *art.* 3. vbi loquitur in eundem ſenſum de peccatis venialibus ratione indeliberationis. Cuius hæc ſunt verba: *In quolibet genere peccati mortalis inueniuntur aliqui imperfecti motus in ſenſualitate exiſtentes, qui ſunt peccata venialia; ſicut in genere* 55.

Digitized by Google

adulterij primus motus concupiſcentiæ, & in genere homicidij primus motus iræ. De paruitate autem materiæ ne vnum quidem verbum facit.

53. Adducit etiam eundem S. Doctorem 2.2. *quæſt.* 153. *art.* 3. in quo loco ne vnum verbum facit, quod vel remotè ad hanc materiam ſpectet: fortè fuit typorum error pro *quæſt.* 154. *art.* 4. vbi S.Th. agit de oſculis, & tactibus, quæ quia poſſunt haberi abſque libidine, dicit, non eſſe lethalia ſecundùm ſpeciem ſuam; ſolúmque eſſe lethalia quà libidinoſa. Eſſe autem libidinoſa, cùm fiunt propter delectationem fornicationis, vel alterius ſpeciei luxuriæ. Ex quibus deduci videtur, cos tactus, quando non fiunt propter delectationem fornicationis, vel alterius ſpeciei luxuriæ, ſed propter delectationem, quæ ſentitur, ſiſtendo in ipſis, eſſe ſolùm peccata venialia. Quod ſi talia ſunt, erunt venialia propter paruitatem materiæ.

54. Ab hac autem obiectione tanquam à calumnia Caietanus ibi vindicat S.Thomam: [Quia ſi Author intendit, quod oſcula, & huiuſmodi, hac ſola ratione ſunt peccata mortalia, ſcilicet ſi ex intentione operantis ordinantur ad mortale peccatum, non oportuiſſet hunc laborem (huius articuli) aſſumere: quoniam de hoc nullus vnquam dubitauit, quod poſſint eſſe mortalia ex fine operantis; cùm etiam opera bona poſſint eſſe mortalia.] Senſus ergo legitimus eorum verborum eſt, ea eſſe mortalia, ſi ordinentur ad fornicationem, non ſolùm ex intentione operantis, ſed etiam ex intentione ipſius operis. Etenim commotionem ſpirituum genitalium, & delectationem externam inde ſecutam deſtinauit natura ad promouendum generationem, vt dixi *diſp.* 42. *num.* 92. Ij ergo tactus, qui fiunt cum ea commotione & delectatione, ex intentione operis, & ordinatione naturæ ordinantur ad generationem, & delectationem eius: & in hoc ſenſu dixit S. Th. ea ordinari ad fornicationem. Lege Caietanum id optimè explicantem. Quare concludit S. Thom. *Et ideò cùm oſcula & amplexus huiuſmodi propter delectationem huiuſmodi fiant, conſequens eſt, quod ſint peccata mortalia; & ſic ſolum dicuntur libidinoſa.*

55. Quod ſi alius eſſet ſenſus verborum D.Th. (qualem videntur admittere aliqui Thomiſtæ) nempe, quod ſolùm ex ordine operantis, quà illa refert ad fornicationem, vel aliam ſpeciem luxuriæ, eſſent libidinoſa; malè argueretur inde paruitas materiæ in re venerea. Nam ſi, ſecluſa ea intentione operantis, non ſunt libidinoſa, quantumvis delectatio eſſet magna in illis oſculis, non eſſet peccatum mortale, ſed veniale: vnde iam id veniale non eſſet ob paruitatem delectationis, ſed defectu ordinationis ad fornicationem. Et ita licèt admitteretur is ſenſus adulterinus, adhuc nihil concluderetur pro paruitate materiæ in re venenerea.

56. Deinde adducit eundem S. Doctorem *in* 4. *diſt.* 33. *quæſt.* 1. *art.* 3. *quæſtione* 2. Vbi ſolùm dicit, primos motus luxuriæ eſſe peccata venialia; & quia ad propoſitum argumenti expediebat, concubitum matrimonialem non eſſe peccatum lethale. In quo nihil penitus eſt, quod conducat ad paruitatem materiæ in re venerea.

57. Citat illum deinde *quæſt.* 25. *de Verit. art.* 5. *ad* 7. in quo nihil aliud dicit S. Th. niſi motum concupiſcentiæ in coniugato præuenientem iudicium rationis eſſe culpam venialem. Hoc autem quid attinet ad paruitatem materiæ in re venerea?

Citat denique D. Thomam *quæſt.* 15. *de Malo, art.* 2. & 3. ibi autem ad rem præſentem nihil aliud aſſerit Præceptor, niſi eſſe poſſe inordinationem venialem in actu matrimonij. Id autem nihil officit ſententiæ noſtræ: tum quia loquitur de primis motibus concupiſcentiæ, vt in textu præcedenti: tum etiam quia etſi loquatur de venialibus admiſſis à coniugato cum plena deliberatione, nihil concludit contra nos, qui non negamus paruam materiam in vſu coniugij ratione circumſtantiarum delectationis, vt ſæpiùs dixi. 58.

Refert deinde P. Azorium *tom.* 3. *part.* 3. *lib.* 3. *cap.* 11. Qui ex Syluestro, Alberto, Angelo, Roſella, Soto, Caietano, & Nauarro affirmat, modum quemdam in copula coniugali eſſe peccatum veniale. Refert deinde P. Henriquez *tom.* 2. *ſum. lib.* 11. *de Matrim. cap.* 16. *num.* 6. aſſerentem idem, quod P. Azor. Refert præterea (apud Baſſæum *verb. Luxuria, num.* 24. P. Leſſium *lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 13. *num.* 89. & P. Filliucium *tract.* 30. *cap.* 8. P. Reginaldum *lib.* 31. *num.* 235. Dianam *part.* 1. *tract.* 7. *reſol.* 35. aſſerentes idem, quod PP. Azor, & Henriquez. Refert etiam P. Layman *lib.* 3. *ſect.* 4. *num.* 19. aſſerentem non eſſe peccatum mortale inter coniugatos præbere diſtillationi cauſam. Sed hi omnes Authores non ſunt ad rem; cùm quæſtio præſens non procedat in coniugatis, propter proximè dicta. P. Leſſium ſtare pro ſententia negante paruitatem, conſtat ex *num.* 72. Stant etiam pro oppoſita P. Filliucius *tract.* 30. *cap.* 9. *num.* 192. & P. Layman. *lib.* 4. *tract.* 4. *cap.* 8. *num.* 2. 59. Azor. Syluest. Albertus. Angelus. Roſella. Sotus. Caiet. Nauar. Henriquez. Leſſius. Filliucius. Diana. Layman.

Refert præterea P. Azorium *tom.* 3. *part.* 3. *lib.* 3. *cap.* 26. vbi affert hæc eius verba: [Primò quæritur, an choreæ ſint damnandæ vt peccata mortalia? Reſpondeo ex communi opinione omnium, quos iam retuli, non eſſe damnandas vt peccata mortalia, quoniam ex ſe illicitæ non ſunt; ſed tantùm ex mala intentione, aut abuſu, aut ex probabili periculo libidinis in aliquo, aut ex aliqua alia circumſtantia.] Legi, & relegi iterum & ſæpiùs hæc verba, & ne vnum quidem verbum inuenire potui, quod aliquo modo pertineat ad paruitatem materiæ. Nam neque eſſe ex ſe peccata venialia dixir. 60. *An in choreis ſit peccatum mortale.*

Affert etiam Bonacinam *de Matrim. quæſt.* 4. *punct.* 10. *num.* 13. (apud Baſſæum *verb. luxuria, num.* 19.) pro paruitate materiæ in procuranda leui commotione ſpirituum. Sed malè affert. Nam Bonacina *punct.* 8. *n.* 17. ſtat expreſsè pro noſtra ſententia. Vbi cùm in priori loco retuliſſet noſtram ſententiam, & in ſecundo loco oppoſitam, addit: [Quorũ opinio (ſecunda) ſpeculatiuè probabilis à multis Doctoribus exiſtimatur. In praxi tamen tutior eſt & conſulenda prima ſententia. [Cuius rationes proſequitur, & ſoluit argumenta aduerſariorum. Ex eo autem quod ſuam & noſtram dicat tutiorem, non infertur, eum ſentire, oppoſitam eſſe tutam, vt dixi, & oſtendi ſuprà *num.* 46. Imò neque audet ipſe dicere, oppoſitam eſſe ſpeculatiuè probabilem; ſed ſolùm dicit, talem exiſtimati à pluribus. Quomodo autem in hac 61. Bonacina.

Digitized by Google

hac quæſtione ex ſpeculatiua probabilitate non inſeratur practica probabilitas, demonſtrabo *num.* 80. Et *punct.* 9. *num.* 11. agens de leui tactu manus fœmineæ, inter alia ait: [Nec facilè prædictum contactum, ſi fiat cum delectatione venerea, excuſarem à mortali.] In loco autem vbi eum citat Baſſæus, ſcilicet *punct.* 10. *num.* 13. remittit ſe ad textum ſupra poſitum *ex punct.* 8. *num.* 17.

62. Gerſon. Affert deinde Ioannem Gerſonem *opuſc. de cognitione peccat. venial. & mort. conſideratione* 17. cuius hæc affert verba: [Quinimò cogitari poteſt de peccato carnis ad confitendum, vel ad cauendum; vel ſolùm per conditionem dicendo; Si non eſſet contra mandatum Dei, talis res fieret, aut talis: & ibi ſæpè non eſt peccatum, vel non eſt niſi veniale; ſed tamen quod caueatur malus conſenſus contra mandatum Dei, & quod talis cogitatio non inflammet ſe nimis.] Et iubet Caramuel notari duo, per hæc verba: [Nota illud, *Peccatum veniale*: nota illud, *Nimis*. Ergo dantur in genere luxuriæ venialia: & illa moroſa delectatio eſt mortalis, quæ inflammat nimis; & venialis, quæ non inflammat nimis.] Et ego iubeo, alia duo notari. Nota, Gerſonem non dixiſſe, *veniale deliberatum*, neque aliquid, vnde inferatur in illa prima clauſula. Nota, eum non dixiſſe, *moroſa delectatio*, vt immutat Caramuel; ſed *cogitatio non inflammet ſe nimis*: quia cogitatio, quæ non inflammat nimis, ita vt afferat periculum delectationis, poteſt non eſſe mortalis, deficiente conſenſu in ipſam delectationem. Vide quæ dixi *diſp.* 42. *cap.* 7.

63. Pergit deinde ad alium textum Gerſonis, quem ſcripſerat paulò ante; vbi loquens de conſenſu perfecto, concludit: [Si quis acciperet delectationem in his, quæ de ſe non ſunt niſi veniale, non eſt niſi veniale peccatum.] Sed cùm verba ſint vniuerſaliſſima, quis prohibet ea intelligi de delectatione non venerea, neque libidinoſa.

64. Haſſia. Procedit ad Henricum de Haſſia in regulis ad cognoſcendam differentiam peccati mortalis & venialis, §. *Luxuria*: cuius hæc ſunt verba. [Sunt motus aliqui interiores, & etiam exteriores ad peccatum luxuriæ pertinentes, ſed imperfecti: & in illa ſpecie quædam ſunt venialia, & quædam ſunt mortalia peccata; horum tamen limitatio non eſt faciliter in ſcriptis ponibilis.] Infert Caramuel: [Ergo etiam motus exteriores aliquando ſunt leues, & culpam venialem inducunt.] Et diſtinguo hoc conſequens: aliquando ſunt leues [ob imperfectionem actus, id eſt, defectu plenæ deliberationis,] concedo [ob paruitatem materiæ,] nego. Et nego quod in hoc ſenſu expreſſum fuerit ab Henrico; cùm nullum verbum habeat, vnde id inferatur.

65. Pet. Marchant. Poſteà *num.* 1715. refert Petrum Marchantium; qui in verbis ibi relatis clarè admittit paruitatem materiæ in delectatione rei venereæ. Sed tamen illi adiungit quatuor alios his verbis: [Editus fuit liber iſte Gandaui anno 1642. quem nomine & commiſſione Eminentiſſ. D.D. Card. Franciſci Barberini, conſultis viris doctis, approbauit Illuſtriſſ. D.D. Franciſcus Vander Burch, Archiepiſcopus & Dux Cameracenſis, S. R. I. Princeps, &c.

Cenſores libri. Quem etiam Nicolaus Breydel, S. Theologiæ Licentiatus, librorum Cenſor, P. Prouincialis Mathias Hauſeus, & P. Cuſtos Cuſtodum Laurentius Dingeon approbarunt. Omnes igitur iſti vtminimùm iudicarunt, eſſe probabilem ſententiam, quæ docet, in rebus venereis dari materiam paruam de facto.] Et eos quatuor ad marginem adducit tanquam Authores pro paruitate materiæ in re venerea allegandos. Sed debuit meminiſſe Caramuel, quæ notauit *fund.* 5. *num.* 318. (cuius memoriam aliàs excitaui) his verbis: [Vt imprimatur, Cenſori ordinatio committitur, qui interdum nimium Authori deferens, aut non legit totum, aut non attentè. Et Magiſter Sacri Palatij, viſa Cenſoris approbatione, illum edi permittit. Numquid ergo Cenſores dant probabilitatem ſingulis opinionibus, qui fortè *non legunt totum, aut non attentè*? Vide etiam quæ dixi de Cenſoribus librorum *diſp.* 11. *cap.* 12. occaſione eiuſdem propoſitionis damnatæ ab Alexandro VII. *Cenſores libri non dant probabilitatem.*

CAPVT VI.

Examinantur alij Authores relati in epiſtola ad Antoninum Dianam.

INſerit huic diſputationi Caramuel epiſtolam, quam miſit Antonino Dianæ, qui refragabatur aſſertioni de paruitate materiæ in re venerea. In qua epiſtola multis ſuadere conatur, Dianam, & plures alios Authores ab ipſo relatos ſuffragari ei aſſertioni. Et ita *num.* 1723. ait: [Probabo, te docere centies illam ſententiam, quam nunc carpis: te admittere materiam paruam in re venerea, non ſolùm ſpeculatiuè, ſed & practicè.] Probabo & ego, & clarè oſtendam, ne ſemel quidem eam docuiſſe Dianam, aut Authores ab ipſo pro ſuis aſſertionibus allegatos. 66.

Et quidem quæ de delectationibus coniugatorum adducit *num.* 1732. & 1733. & 1748. in quibus affert Diana pro ſuis aſſertionibus P. Thomam Sanchez, P. Gaſparem Hurtado, P. Ioannem Præpoſitum, & Petrum Ochagauiam; dixi ſæpiùs non eſſe ad rem, quia multæ ſunt actiones inter coniugatos, quæ non damnantur de reatu mortali, in quibus admittitur paruitas materiæ, dommodo ad vſum matrimonij referantur. Nam ſi referantur ad luxuriam contranaturalem, aut extra-matrimonialem, etiam in coniugatis neganda eſt paruitas materiæ in delectatione deliberatè admiſſa. 67. Diana. Th. Sanch. G. Hurtado. Præpoſitus. Ochagauia.

N. 1725. refertur opinio Dianæ *part.* 1. *tra.* 7. *reſol.* 65. aſſerentis, pollutionem præuiſam in cauſa dumtaxat venialiter illicita (ſed non intentam) v. g. in tactu leui manus, verbis obſcœnis, &c. non eſſe mortalem pro quo allegat Diana P. Suar. P. Henriquez, P. Thom. Sanch. P. Leſſium, & alios apud P. Tannerum 1.2. *diſp.* 4. *quæſt.* 8. *dub.* 9. *num.* 123. qui eam ſententiam probabilem dicit; & item Henricum de Villalobos. Sed hæc non vrgent Dianam, nec nos; qui admittimus paruitatem in aliquibus actionibus, quæ fiant abſque delectatione quæſita, vel acceptata. Nec modò vacat ſcrutari, an vera ſit tam abſolutè ea aſſertio 68. Diana. Suarez. Henriquez. Th. Sanch. Leſſius. Tannerus. Villalob.

Digitized by Google

ſertio Dianæ, vel an prædicti Authores id ita aſſerant, de quo omninò videndus eſt P. Th. Sanch. *lib. 9. de Matrim. diſp. 45. num.* 18. attento etiam *num.* 36. & 37. & ſolùm dico, aliquas actiones eſſe poſſe leues in materia venerea, abſque delectatione deliberatè admiſſa, quæ dum leuiter influxerint in pollutionem non intentam, non reddent illam mortaliter culpabilem. Ex Authoribus verò citatis noſtram ſentiam defendunt Tanner. 1.2. *diſp.* 4. *quæſt.* 8. *dub.* 6. *numero* 109. & Leſſius infrà citandus.

69. Diana. Vaſquez. Salas. Henriquez. Leſſius. Filliucius. Bonacina.

Quam aſſertionem replicat Caram. *n.* 1727. ex Diana *part.* 2. *tract.* 15. *reſol.* 32. ex pollutione præuiſa, & non intenta in verbis amatoriis, quæ ſint peccatum leue, & leuiter influens in pollutionem: pro qua Diana refert PP. Vaſquium, Salas, Henriquez, Leſſium, Filliucium, & item Bonacinam. Et *num.* 1739. his verbis vrget Dianam: [Tu, & tecum Vaſquez, Salas, Henriquez, Leſſius, Bonacina, & Filliucius aſſerunt, pollutionem præuiſam, non tamen intentam, tunc eſſe venialiter peccaminoſam, quando prouenit ex actione laſciua, quæ vel ex inaduertentia, vel ex ſuo genere ſit peccatum veniale: ergo, te iudice, ex horum ſex Authorum ſententia dantur laſciuæ actiones, quæ non ſolùm ob inaduertentiam (ſupponuntur enim præuiſæ) ſed etiam ex ſuo genere ob paruitatem materiæ ſint peccata venialia.] Sed neque hoc vrget, neque iſti Authores in hac aſſertione admittunt paruitatem materiæ in delectatione deliberatè admiſſa; ſed actiones aliquas, quæ ex ſuo genere veniales ſunt, ſine vlla delectatione, vel ſine delectatione deliberatè admiſſa. Quod neque Dianæ, neque ſententiæ Societatis aduerſatur.

70. Th. Sanch. *An qui confricat verenda brutorum, peccet venialiter.*

Num. 1731. citat Dianam *part.* 2. *tract.* 17. *reſol.* 37. vbi refert Th. Sanchez *lib.* 9. *de Matrim. diſp.* 46. *num.* 15. aſſerentem, eum, qui confricat verenda brutorum, communiter peccare venialiter; quia inde non excitatur vehemens delectatio. Subiungit Caramuel: Ergo delectatio, quæ non eſt vehemens, teſte Sanchez, eſt materia parua.] Sed malè infert. Cui difficultati ſatisfaciam in ſolutione obiectionum. Et interim obſerua, aliud eſſe delectationem, & aliud eſſe cauſam delectationis: item aliud eſſe, quod detur paruitas in delectatione quæſita, vel acceptata; & aliud eſſe quod detur paruitas in cauſa delectationis non quæſitæ, neque acceptatæ. Et hoc ſecundo modo neque infertur paruitas delectationis ex illa ſententia proximè relata, neque eſt contra noſtram ſententiam.

71. Diana. Granado. Th. Sanch. *An aſpicere concubitum, ſit mortale.*

Et *num.* 1733. affert Dianam *part.* 3. *tract.* 5. *reſol.* 88. qui citat P. Granado 1.2. *controu.* 6. *tract.* 4. *diſp.* 7. *num.* 3. approbantem doctrinam P. Thomæ Sanchez, & ſic diſſerentem: [Licèt ſine neceſſitate ſit mortale ſtudioſè aſpicere concubitum licitum, vel illicitum hominum, eo quod nimium ſenſualitatem commoueat, & ſit periculo nimis obnoxium; de coitu verò beſtiarum videtur id de ſe non eſſe mortale, quia non multùm prouocat ad luxuriam. Denique aduerto, non eſſe mortale aſpicere vllum coitum ita breuiter, & quaſi per transennam, vt non ſufficiat ad notabilem commotionem.] Hinc tamen malè infertur, admitti à P. Granado materiam paruam in delectatione venerea, quia ſolùm admittit illam in cauſa leuiter influente: quod intellige, dummodo delectatio ſubſecuta non ſit deliberatè admiſſa.

72. Diana. Leſſius. Lublinus.

Et *num.* 1734. citat Dianam *part.* 4. *reſol.* 136. vbi refert P. Leſſium *lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 8. *n.* 58. & 59. cum aliqua formidine aſſerentem, in oſculis & tactibus venereis dari paruitatem materiæ. Et Samuelem Lublinum *in ſum. verb. Oſculum*, *num.* 3. Et quod attinet ad hunc poſtremum, verum eſt, quod ſit pro ſententia de paruitate materiæ in delectatione venerea. At Leonardus Leſſius eam ſententiam apertè dicit non eſſe practicè probabilem. Concludit enim ſic: [Itaque ſententiam illam practicè probabilem non dixerim.] Et nota, id opus P. Leſſij typis mandatum eſſe quatuor annis ante decretum R. P. Claudij, nempe anno 1608.

73. Villalob. Nauarrus.

Deinde *num.* 1735. redit ad Authores, quos citauit initio diſputationis; quia pro paruitate materiæ in re venerea afferuntur à Diana *part.* 3. *tract.* 5. *reſol.* 1. & inter alios reproducit Henricum de Villalobos *tom.* 2. *ſum. tract.* 4. *diffic.* 9. *num.* 8. quem oſtendimus ſuprà non fauere huic ſententiæ, quia non agit de paruitate in delectatione venerea, ſed de paruitate ratione aliquarum actionum, quæ ex quadam leuitate fieri ſolent abſque delectatione venerea. Vide ſuprà *num.* 32. Additque Caramuel: [Et citauit (præfatus Villalobos) Nauarrum, Caietanumque Doctores ſcrupuloſiſſimos, qui veritatis pondere hanc habuerunt ſententiam.] Perſcrutans autem horum duorum ſententiam, inuenio Nauarrum citari à Villalobos *in ſumma, cap.* 16. *num.* 42. vbi Nauarrus nihil aliud habet, niſi quod inter coniugatos difformitas in modo coitus ſit peccatum veniale. Conſtat autem ex dictis, inter coniugatos non reiici paruitatem materiæ in eis rebus, quæ referuntur ad vſum matrimonij.

74. Caietanus.

Caietanum autem citat *in ſum. verb. Impudicitia*: vbi nulla alia verba habet, quæ ad rem hanc conducere poſſint, quàm iſta: [Oſcula autem & amplexus, quæ fiunt ex beneuolentiæ ſigno, licita ſunt: quæ autem ex leuitate iocoſa, venialia ſunt.] Cum priùs dixiſſet, ſi hæc fiant *cauſâ delectationis ſenſibilis, quæ ibi ſentitur*, eſſe mortale inter non coniugatos. Vides ergo quomodo Caietanus non admittat paruitatem materiæ in delectatione venerea, ſed ſolùm in illis actionibus admiſſis ex leuitate iocoſa.

75. Et immediatè poſt ſupradicta verba ſubdit hæc alia Caietanus circa viſum: [Et ſcito, non eſſe ſimile iudicium de tactu & viſu. Delectari enim in viſu pulchræ mulieris, nullum eſt peccatum, niſi otioſè, aut ad concupiſcendum videatur. Et ratio diuerſitatis eſt, quia tactus naturâ ſua ordinatur ad concubitum, viſus autem minimè. Hinc enim fit, vt conſentire in delectationem ſenſibilem, quæ eſt ſecũdùm tactum, ſit conſentire in delectationem veneream. Voluntariè autem delectari de perſona quacũque pulchra viſa, licèt non ſit venereum ſecundùm genus ſuum; poteſt tamen, & facilè fieri venereum ex affectu videntis illecto, tentato, &c.] Ex quibus verbis colliges, perperam dixiſſe Dianam *part.* 5. *tract.* 5. *reſol.* 5. Caietanum negare,

Digitized by Google

gare, quod delectatio venerea ex ſolo viſu capta ſit mortalis; cùm Caietanus in his verbis dicat, delectationem de viſu, non eſſe peccatum, quia ſic delectari non eſt quid venereum; & ſolùm fieri venereum ex affectu videntis. Caietanum autem reproducit Caramuel *n.* 1738. pro ſua ſententia de paruitate materiæ, ex eo quod dicat, delectationem veneream ex ſolo viſu captam non eſſe mortaliter peccaminoſam, ſecundùm allegationem Dianæ. Vnde conſtat, nuſquam Caietanum talem paruitatem admiſiſſe in delectatione venerea; ideóque neutro in loco ſtare pro Caramuele.

76. *R. P. Claudius.* Deinde *num.* 1740. accedit ad decretum R. P. Claudij Aquauiua, tanquam allegatum à Diana *part.* 5. *tract.* 5. *reſol.* 5. ab eoque allatum tanquam vrgens motiuum ad negandam practicè paruitatem materiæ in re venerea: conaturque Caramuel adducere R.P. Claudium, eiuſque decretum pro ſua opinione de ea paruitate materiæ. Ait enim primò: [Dicit primò Aquauiua, *quamcumque actionem laſciuam eſſe malam mortaliter propter periculum, in quod inducit.* Ergo ſi per impoſſibile abeſſet tale periculum, non eſſet mortaliter mala. Ergo ſtat mea doctrina, quam Claudius Aquauiua præſcribit.] Cui reſpondendum eſt, ſi conſtaret Caramuel, aſſerendo ſemper, ſemper adeſſe periculum in acceptatione delectationis leuis venereæ, nihil diſſideret ab eo R. P. Claudius. Quia tamen ſæpiùs affirmat, non ſemper adeſſe pericum, longè diſtat à R. P. Claudio, qui ſemper illud agnoſcit. Et quidem quæſtio præſens non eſt ſolùm conditionalis, an ſit veniale caſu quo abeſſet id periculum? ſed abſoluta, an ſemper mortale, ob certiſſimam infallibilem concomitantiam periculi?

77. Pergit Caramuel: [Dicit ſecundò, tenendum eſſe, *non dari materiam paruam, ob moralem impoſſibilitatem diſtinguendi practicè in re tam lubrica materiam leuem à graui.* Et ego hæc verba relego, & ſic inquam. Ergo Aquauiua ſupponit vt certum, dari materiam paruam in re venerea. Patet: non enim alias conquereretur de difficultate diſtinguendi inter grauem & leuem. Non enim (& hoc notari volo bene) daretur practicè difficultas diſtinguendi monetam veram ab adulterina, niſi de facto daretur vera, & adulterina.]

78. Sed ex ipſo eius exemplo probo, prauam eſſe eam conſequentiam. Nam ſi nulla eſſet moneta adulterina in hac verbe, ſed ſola fama de illa, & Prætori indiceret Rex, vt ei famæ attenderet, & monetam adulterinam accuratè expelleret; prudenter reſponderet Prætor, ſi ea moneta adulterina adeſſet, eam tam perfectè cuſam eſſe, vt non poſſet à vera diſtingui. Ex qua reſponſione malè inferres, adeſſe monetam adulterinam: quia ſolùm infertur conditionalis, quod ſi ea datur, eſt impoſſibilis vtriuſque diſcretio. Cùm ergo R. P. Claudius notat difficultatem diſtinguendi practicè delectationem leuem à graui, malè infers, dari leuem; & bene infers conditionalem, quod ſi fortè datur leuis, eſt impoſſibile vnam ab alia diſcriminari.

79. Præterea licèt ſupponat R. P. Claudius, dari à parte rei, & ſpeculatiuè materiam leuem in delectatione venerea, fauebit quidem Caramueli, dum ſtat in vera ſententia, quod practicè non poteſt reperiri talis materia leuis. Sed cùm in aliis textibus admittat defectum periculi in delectationibus, atque adeò defectum culpæ lethalis, ex hac parte contrariam ſibi vindicat ſententiam Societatis, & R. P. Claudij, vt notatum eſt *cap.* 2. *num.* 29. Alia autem, quæ addit ad impugnandam rationem decreti, diſſoluam in ſolutione obiectionum; ſicut & multa alia, quæ habet in parte 3. epiſtolæ ad Dianam.

Tandem *num.* 1747. affert Ioannem Antonium Sauram in voto Platonis, *cap.* 13. & hæc eius verba: [Propoſitio periculoſa moribus illa eſt, quæ ſpeculatiuè conſiderata aliquam habet veriſimilitudinem, & apparentem colorem probabilitatis: verùm in praxi moraliter loquendo, ſine grauis culpæ reatu non poteſt executioni mandari. Hoc periculum in cauſa eſt, vt ſimiles propoſitiones iuſtiſſimè poſſint condemnari, quales ſunt nonnullæ opiniones circa materiam leuem in rebus venereis.] Subdit Caramuel: [Saura non placet; & nihilominus à me eſt.] Sed quare non placet? Dat rationem: [Non placet, quia ſtrident omnia, quæ de periculoſa propoſitione dicit. Non enim in praxi committitur peccatum mortale, niſi detur dictaminis ſpeculatiui directio.] Hæccine ſunt omnia, quæ ſtrident? Paruus ſtridor, ſi non alius. Etenim aliud eſt, *quod non detur praxis, niſi detur etiam dictamen ſpeculatiuum*; & aliud eſt, *quod quoties dictamen ſpeculatiuum datur, detur etiam practicum eiuſdem bonitatis, aut malitiæ.* Primum enim verum eſt, & ſecundum falſum. Nam quando datur veritas aliqua ſpeculatiua, quæ vt redigatur ad praxim, neceſſariò aſſociari debet nouâ circumſtantiâ ſuperadditâ (vt contingit in ſpeculatione delectationis leuis, quæ in praxi non poteſt ſeparari à circumſtantia periculi) ſicut additur noua circumſtantia praua; ita neceſſe eſt, quod in praxi reperiatur malitia, quæ non reperiebatur in ſpeculatione, à qua aberat ea circumſtantia, vt latè oſtendi *diſp.* 14. 80. *Saura.* *An poſſit dari opinio ſpeculatiuè probabilis, quæ non ſit practicè probabilis?*

Deinde non debet diſplicere Caramueli ob eam rationem, niſi ſua ſententia ſibi ipſi diſpliceat. Nam in prioribus textibus citatis *cap.* 4. ipſe affirmat, dari ſpeculatiuè materiam leuem in re venerea, non autem practicè; quia ſpeculationi ſuperadditur in praxi noua circumſtantia periculi, ratione cuius ſemper delectatio leuis practicè fit grauis. Vel ergo in hoc caſu datur peccatum mortale in praxi ſine dictaminis ſpeculatiui directione, vel non datur? Si primum; cur idem diſplicet in Saura? Si ſecundum; ergo hæc duo bene componuntur, & quod ſpeculatio materiæ leuis non poſſit reduci ad praxim ſine noua circumſtantia periculi; & quod hæc praxis non poſſit dari ſine alio dictamine ſpeculatiuo. Si ergo hæc duo bene componuntur, & primum docet Saura; hoc ſecundum non erit contra ipſum. 81.

Deinde ſcire cupio, in quo differat Caramuel à Saura, dum Caramuel dicit, materiam paruam in re venerea, ſpeculatiuè habere probabilitatem, practicè autem ratione periculi non habere: Saura autem dicit vniuerſaliter, propoſitionem periculoſam eſſe eam, quæ ſpeculatiuè habet aliquem colorem probabilitatis; ad praxim autem reduci non poteſt ſine 82.

peccato

Digitized by Google

peccato lethali, niſi quod ſe habent ex duæ propoſitiones tanquam vniuerſalis, & particularis.

83. Pergit immediatè Caramuel: [Dixi à me ſtare Sauram, quia materiam paruam in genere luxuriæ ille periculi ratione condemnat. Cui ego omnino conſentio: ſunt enim mortaliter peccaminoſæ actiones laſciuæ, etſi videantur paruæ ſecundùm ſe, ſi adſit (*nota, quod non dicit, adeſſe ſemper periculum, ſed conditionaliter, ſi adſit*) lethalis peccati periculum.] Quoad hoc ſtabit pro illo Saura, ſi firmiter ſtet in eo, quod in qualibet delectatione quantumvis leui ſemper adſit periculum.

84. *An Caramuel admittat practicè paruitatem in re venerea?*

Procedit deinde: [Et Saura non audet aſſerere (nota bene) nullam omninò *actiunculam in indiuiduo reperiri*, quæ careat manifeſto periculo. Imo hanc dari interdum, docet Saura: *nonnullas* enim *opiniones circa materiam paruam in rebus venereis* condemnat: non ergo Saura vniuerſas condemnat. Admittit igitur *nonnullas occaſiones, in quibus in peccatis luxuriæ detur materiæ paruitas.*] Attende, quæſo, optime lector, an ſequatur Caramuel opinionem, quam negat eſſe ſuam? Vt probet, Sauram ſtare pro Caramuele, conatur oſtendere, hîc Sauram admittere aliquas *actiunculas in indiuiduo reperiri, quæ careant manifeſto periculo*; & *nonnullas occaſiones, in quibus* de facto *detur materiæ paruitas in peccatis luxuriæ*: ergo Caramuel admittit aliquas actiunculas in indiuiduo, quæ careant manifeſto periculo; & nonnullas occaſiones, in quibus in peccatis luxuriæ detur reipſa materiæ paruitas. Quare ergo negat, ſe defendere paruitatem materiæ practicam in re venerea, & quare conqueritur de iis, qui illum citant pro paruitate materiæ practica in re venerea? Adiunge hæc *num*....

85. Sed videamus vim huius conſequentiæ: [Saura condemnat aliquas opiniones de materia parua in re venerea: ergo Saura approbat aliquas opiniones de materia parua in re venerea.] Si hæc eſt bona conſequentia, etiam erit hæc: [Aliquis homo currit: ergo aliquis homo non currit.] Cuius prauitas cernitur, omnibus hominibus currentibus. Vel hæc: [Petrus habet aliquos capillos nigros; ergo habet aliquos capillos albos.] Cuius conſequētiæ imbecillitas agnoſcitur, ſi Petrus habeat omnes capillos nigros; in quo caſu prima eſt vera, & ſecunda falſa. Neque dicas, in vulgari modo loquendi, cùm Petrus dicitur habere aliquos capillos nigros, intelligi ſolere, quod habeat etiam aliquos non nigros. Nam Saura Metaphyſicus eſt, nec loquitur vulgari modo, ſed ſubtili.

86. Sed eſto, ea ſit bona conſequentia, vel Saura loquatur vulgari modo, & ſenſus eius ſit, negandas aliquas occaſiones, in quibus detur materiæ paruitas in re venerea, & admittendas eſſe aliquas: certè ex dictis à nobis, illæ occaſiones actionum leuium, in quibus nulla datur delectatio venerea, vel ſi datur, eſt inuoluntaria, vel indeliberatè admiſſa; admittunt paruitatem materiæ. Et ideò ſtabit in eo ſenſu propoſitio Sauræ, quin contradicat nobis, nec ſuffragetur Caramueli, quà nobis aduerſanti.

CAPVT VII.

Concluſio ſupputationis Authorum: & P. Thom. Sanch. à maxima calumnia vindicatus.

IGitur quadraginta nouem Authores ſunt, quos affert Caramuel pro ſua ſententia. Ex quibus quadraginta nullatenus ſuffragantur ſententiæ affirmanti leuitatem materiæ in delectatione venerea deliberatè admiſſa, vt clarè conſtat ex tribus capitibus præcedentibus. Ex nouem reſiduis quinque dumtaxat eam clarè defendunt. Martinus de Magiſtris citatus à Caiet. 2.2. *quæſt.* 154. *art.* 4. Iacobus Marchantius, Ioannes Sancius, Samuel Lublinus, & Araujo. De tribus aliis dubito. De Seraphino Freitas, quem non vidi: quia licèt citetur pro ea opinione, quod non ſit denuntiandus confeſſarius ſollicitans ad actum leuem, non mihi conſtat, an exprimat leuem ex leuitate ipſius delectationis venereæ, an ſolùm loquatur de actibus leuibus abſque delectatione deliberatè quæſita, aut admiſſa. De Laurentio Ladmeter, quia non vidi, ſimiliter dubito. De Petro Marchantio etiam dubius ſum. Argumentum enim, quod affert Caramuel circa eius mentem, non conuincit. Quod enim dixerit, non eſſe mortale exponere ſe periculo diſtillationis, poteſt dupliciter intelligi; vel cum delectatione deliberatè admiſſa, vel cum delectatione deliberatè repulſa, & omninò inuoluntaria. Quod ſi hoc ſecundo modo locutus eſt, nihil fauet paruitati materiæ in delectatione venerea. De mente P. Thomæ Sanchez eſſe dubium vult Caramuel *num.* 1130. eſtò: de ea redibit ſermo inferiùs. 87.

Ex 49. ſuffragiis, quadraginta excluduntur, quinque ſuffragantur, reliqua dubia ſunt.

Ex illis autem, quos Caramuel citat pro ſua ſententia, conſtat manifeſtè, ſaltem duodecim eſſe pro noſtra. Malderum, Syluium, Sayrum, Bonacinam, Dianam, Sauram, Caietanum, & PP. Leſſium, Tannerum, Filliucium, Laymannum. Nam R. P. Claudium quid adnumerem? Præter quos idem tenet manifeſtè Baſſæus, niſi quod à propria ſententia deflexit, vt conſtat ex dictis *cap.* 4. 88.

Suffragantur noſtræ ſententiæ Malderus. Syluius. Sayrus. Bonacina. Diana. Saura. Caiet. Leſſius. Tannerus. Filliucius. Layman. Baſſæus.

De mente Patris Thomæ Sanchez in hac quæſtione dubium eſt, ait Caramuel *in Theolog. fund. num.* 1130. quia licèt retractauerit poſt decretum R. P. Claudij, neſcimus tamen an ſponte, & ex dictamine obedierit, an ex neceſſitate præcepti determinatus contra dicta- 89.
men proprium. Sed contra id dictum ſufficerent, quæ capite primo diximus de iis, quæ plura dant, quam præceptum poſtulat; niſi Caramuel aliam quoque exceptionem obiecisset.

Etenim *in Theolog. fundam. num.* 1718. & *in Regul. diſp.* 69. *num.* 1053. ſic ſcribit: [Retractationes Sancij, docti iudicant ab alio factas. Beyerlinckius *verb. Mollities*, §. *Quid ſit: Non defuerunt*, ait, *qui ob ſanitatem fieri* (mollitiem) *abſque graui peccato poſſe docuerint. Adſcribitur hæc ſententia Thomæ Sanchez in tractatu de Matrimonio, in prima illius editione: at in poſterioribus videtur Author, aut alius eius nomine, ſententiam ſuam hîc retractaſſe, & communem aliorum* 90.

Calumnia immanis in Th. Sanch.

Digitized by Google

aliorum amplexum eſſe. Ecce dubitat, an Sancius, an alius opiniones primæ editionis immutauerit.]

91. *Vindicatur.* In quibus verbis nota primò priora verba, *Retractationes Sancij, docti iudicant ab alio factas.* Sed qui ſunt iſti docti, in *numero* plurali? Sanè vnus Beyerlinckius, qui dubitat. *Ecce dubitat, an Sancius*, &c. Ergóne Beyerlinckius ſupponitur pro multis doctis? Ergóne qui dubitat, iudicat? Iudicium cum dubitatione de eodem obiecto ſtare non poſſe, conſtat *ex diſp.6.* Nota deinde, quod Beyerlinckius de vna retractatione loquitur: Caramuel autem ad plures extendit teſtimonium eius Authoris. Sed quo iure, ego non video.

92. Deinde miror, quod talem, & tam iniquum textum, & euidentem calumniam in Thomam coniectam, toties intulerit in ſua ſcripta Caramuel: nam præter illos duos locos citatos, etiam replicat hunc textum *in Theolog. fundam. num.* 1669. cum tot, tantáque motiua ſint ad credendum fuiſſe craſſam deceptionem Beyerlinckij. *Ea calumnia de falſitate conuincitur.* Primò. Quis enim credat tam magnum errorem in Fide cadere potuiſſe in virum doctiſſimum? quem ſi dixerim nemini cedere in doctrina morali, nemini irrogabo iniuriam. Secundò. Dormitat numquid ſacer Inquiſitionis Argos? qui tantum errorem permitteret in volumine omnium manibus peruio, omnium conſcientiarum ad probabilitatem ſecuriſſimo aſylo. Tertiò. Nonne multi (an zelo veritatis, an liuida æmulatione tacti, neſcio) detulerunt apud ſacrum Inquiſitionis tribunal aliquas P. Thomæ propoſitiones? Quæ quidem omnes ex eo conflatorio igne incolumes euaſerunt, imò adinſtar auri puriores. Quartò. Vnúſne teſtis in quæſtione facti, iſque dubitans, fidem facit?

93. Quintò teſti deponenti de crimine alterius, ſine tempore, ſine loco, ſine circumſtantiis neceſſariis, fides non adhibetur: ita neque teſti citanti Authorem, non expreſſo locò, vbi Author id docuit. In quo tomo id docuit P. Thomas Sanchez, in quo libro, in qua diſputatione, in quo numero? In tractatu de Matrimonio, ait Beyerlinckius. Numquid in toto tractatu? Numquid in totis quadringentis ſeptuaginta ſeptem diſputationibus, quibus id opus conſtat?

94. Sextò. Nam ex ipſo textu Beyerlinckij patet, ipſum non legiſſe id in tractatu de Matrimonio, ſed audiuiſſe, & ex auditione retuliſſe. *Adſcribitur*, inquit, *hæc ſententia Thomæ Sanchez.* Ita citare ſolemus eos Authores, cuius opera non exſtant, vel rarò inueniuntur; dum tamen inuenimus teſtatum apud Authores omni fide dignos. Exſtat hodie prima editio, ſicut & reliquæ Patris Thomæ Sanchez: & quando non exſtaret, id abſcribere poſſet Thomæ, ſi apud graues & fide dignos Authores teſtatum reperiſſet.

95. Septimò. In re tam publica & notoria, ad faciendam fidem ſufficit teſtis vnicus & ſingularis; & in materia, quæ in oculis totius Eccleſiæ peruia eſt, qualis eſt doctrina Thomæ Sanchez? Adhiberéſne fidem teſti ſingulari, affirmanti fuiſſe heſterno die eclypſin in ſole, nullo alio atteſtante? Quare, niſi quia impoſſibile erat eclypſin latêre reliquos, & huic patefieri? Cùm ergo tam latè peruagentur volumina Thomæ, quàm terræ ambitus ſole luſtratus; quomodo hæc doctrina potuit fugere reliquos, & Beyerlinckio patefieri?

Sed neque hæ rationes latêre potuerunt Caramuelem; quibus impellendus fuit, vt tantam Sancij calumniam, tantam Beyerlinckij deceptionem ſilentio premeret; nec ſemel & iterum, & tertiò replicaret. 96. Quàm ergo id ſit falſum, quod aſſerit Beyerlinckius, quiuis deprehenderit, qui legerit Thomam in prima operum editione, quæ facta eſt anno 1592. vt teſtatur P. Philippus Allegambe in Bibliotheca Societatis.

CAPVT VIII.

Primum argumentum pro ſententia negante paruitatem materiæ in delectatione venerea.

DOctrinam Societatis Ieſu, nempe dari paruitatem materiæ in delectatione venerea deliberatè admiſſa (extra actus coniugum ad coniugium relatos) tenent ex Authoribus extra ſocietatem Caietanus relatus *n.* 74. Sayrus relatus *n.* 49. Malderus *n.*45. Syluius *n.*47. Bonacina *n.* 61. Diana *num.*38. Ioannes Antonius Saura (ſi inter noſtros non numeretur) *num.* 80. Ex noſtris autem P. Leſſius *num.* 72. P. Tannerus *num.* 68. P. Filliucius *num.* 30. P. Laymanus *num.* 30. & iam P. Th. Sanchez. vt conſtat ex *cap. præcedenti.* Quibus adde P. Rebellum *part.* 2. *lib.* 3. *quæſt.* 19. *ſect.* 3. P. Baldellum *lib.* 3. *ſum. diſp.* 14. *num.*3. P. Pellizarium *tom.* 1. *Manual. Regular. tract.* 4. *cap.* 3. *ſect.*4. *quæſt.*1. & reliquos DD. Soc. 97. Caietanus. Sayrus. Malderus. Syluius. Bonacina. Diana. Saura. Leſſius. Tannerus. Filliucius. Layman. Th. Sanch. Rebellus. Baldellus. Pellizzar.

Primum argumentum pro noſtra ſententia eſt, quod propoſuit R. P. Claudius in ſuo decreto, illis verbis: *Propter moralem impoſſibilitatem diſtinguendi practicè in re tam lubrica materiam leuem a graui.* Quod ſic inſtauro. Quærenti deliberatè delectationem veneream, non eſt determinabilis quantitas aliqua certa, aut menſura determinata, vltra quam non ſit progreſſurus: ergo quamvis ille quærat determinatè delectationem leuem, exponitur manifeſto periculo admittendi delectationem grauem. Sed qui exponitur manifeſto periculo admittendi delectationem grauem, tantùm peccat, ac ille, qui admittit delectationem grauem: ergo qui quærit deliberatè delectationem leuem, tantùm peccat, atque qui admittit delectationem grauem, atque adeò peccat mortaliter. 98. *Quærenti delectationem, non eſt determinabilis menſura, vltra quam non ſit progreſſurus.*

Prima conſequentia eſt euidens. Nam vt aliquis admittat delectationem leuem ſine periculo labendi in grauem, neceſſe eſt, quod intellectus determinet & diſtinguat tantam quantitatem delectationis, quæ ſit leuis, & vltra quam ſtet, & non progrediatur vlteriùs: ſed hanc non poteſt intellectus determinare, ſi verum eſt primum antecedens: ergo ſi verum eſt primum antecedens, nemo poteſt quærere delectationem leuem ſine periculo labendi in grauem. Antecedēs verò poſt primam conſequentiam ſubiunctum, & conſequentia ſubſequens manifeſta ſunt comprehendenti terminos ex principiis generalibus de periculo proximo & euidenti. 99.

100\. Primum verò antecedēs oſtenditur. Non enim eſt in poteſtate hominis intendentis delectationem præfigere lineā magnitudinis, vltra quam non progrediatur. Pro cuius propoſitionis claritate, notare debes, ſemel applicata cauſa ad excitandam commotionem ſpirituum ad, eſſe ſimul aliam concauſam, nempe vehementiam inclinationis appetitus interni corporei ad eiuſmodi delectationes. Secundò, huius concauſæ proprium eſſe hanc commotionem augere: experientia enim conſtat, commotionem ſpirituum genitalium, & delectationem ſubſecutam augeri ipſo actuali exercitio propenſionis ad venerea; quæ propenſio ſæpius vel ipſum nolentem vrget. Tertiò, iſtud augmentum commotionis, & delectationis non poſſe aliter impediri, niſi auocando aliò cogitationem, aut auertendo tactum, ſi fortè tunc datur, ſimul & cogitationem, aut alio ſimili indirecto modo.

101\. *Volens conſeruare delectationem leuem, non poteſt impedire grauem.* Tum ſic. Non eſt in poteſtate hominis quærentis delectationem veneream, impedire eam concauſam propenſionis, ne augeat delectationem, niſi eo modo indirecto auocandi aliò cogitationem, aut ſimili: ergo non poteſt impedire illud augmentum delectationis, niſi conando ad impediendum totam delectationem, & initium illius, quantumvis leue: ergo repugnat, quod velit conſeruare delectationem leuem, & impedire graue augmentum illius.

102\. Confirmatur primò. Et demus argumentationis causâ, quod effūdere vnam guttam ſeminis, ſit paruitas materiæ. (*Demus*, dixi; quia id eſt certiſſimè falſum, etiam ſpeculatiuè, ſi id deliberatè intendatur.) Tum ſic: Quamvis ea eſſet materia leuis, ſemper eſſet culpa grauis intendere effuſionem vnius guttæ ſeminis; quia ſemel applicatâ cauſâ ad effuſionem ſeminis, non eſt in poteſtate hominis, quod in effuſione ſeminis vna dumtaxat gutta decidatur: ergo ſemel applicatâ cauſâ ad commotionem ſpirituū genitalium, non eſt in poteſtate hominis, quod ea commotio euadat parua, & non vlterior, quàm intenditur. Antecedens eſt euidens. Et conſequentia patet à paritate rationis. *Non eſt in poteſtate hominis effundere vnam tantùm guttam ſeminis.* Paritas rationis.

103\. Dices, eſſe diparitatem, quòd ſeminis gutta non poteſt decidi, niſi per magnā commotionem ſpirituum genitalium, ſicut nec ſcintilla ignis, niſi per calorem vt octo: poſita autem magna commotione, & multa materia applicata, non poteſt non multum ſemen emitti: quæ ratio videtur non militare in excitatione commotionis ſpirituum genitalium.

104\. Sed contrà. Nam excitata commotione ſpirituum, excitatur etiam concauſa, ſcilicet propenſio vehemens appetitus corporei ad venerea, cuius proprium eſt conari ad augmentum; quod augmentum impediri non poteſt à voluntate, niſi per ea media, quæ conantur ad totalem ablationem delectationis: ergo ſicut magna commotio excitata, cauſa eſt, quare non poſſit impediri augmentum ſeminis decidendi; ita magna propenſio appetitus corporei ad venerea, quæ impediri non poteſt, dum conſeruatur commotio & delectatio quantumvis leuis, erit etiam cauſa, ne ſiſtat homo in delectatione leui.

105\. Confirmatur ſecundò. Deſcendenti velociter cliuum lubricum non eſt liberum deſignare lineam, vltra quam non tranſcendat deſcenſus, vltra quam non progrediatur curſus: atqui appetitus corporeus per cliuum lubricum currit ad venerea; currit enim propenſione adeò vehementi, vt quandoque etiam nolentem præcipitet in diſpendium ſeminis: delectatio venerea reſpectu illius cliuus eſt valde lubricus, per quem velociter labitur pondere inclinationis: ergo dum voluntas laxat habenas appetitui ad aliqualem delectationem, non eſt liberum voluntati deſignare lineam delectationis leuis, vltra quam non progrediatur.

Confirmatur tertiò ex P. Arriaga *tom. 2. in 2. 2. diſp. 46. n. 17.* Etenim in aliis materiis furti, iniuriæ, &c. poteſt voluntas ſibi præfigere tantam materiæ quātitatem, vltra quam non progrediatur: & ita ſi homo decernat, volo furari quantitatem duorum regalium, ſtante ea voluntate, eos duos regales dumtaxat furabitur: & ſi volens pugno percutere alium, decernat attemperare concurſum, ita vt non ei grauem dolorem incutiat, reipſa concurſum attemperabit; quia propenſio ad ea opera non rapit hominem ad alia maiora, quàm quæ reipſa decernit. Non ſic euenit in luxuria, in qua quia vehemens eſt propenſio appetitus, ſæpiùs continget, quod quis velit expreſsè excitare in ſe motus leues, & propenſione vrgente, excitet ſibi graues. 106. *Diſparitas quoad determinandam quantitatem, inter rem veneream, & reliquas.*

Quomodo autem hæc ratio vrgeat non ſolùm in delectatione deliberatè quæſita, ſed etiam in ea deliberatè acceptata, conſtabit *ex cap. ſequenti.* 107.

CAPVT IX.

Duo alia argumenta pro eadem ſententia.

SEcundum argumentum eſt. Quoties quis deliberatè quærit delectationem veneream, quantumvis leuem, exponitur manifeſto periculo augmenti eius: ergo exponitur periculo manifeſto incidendi in delectationem grauem; atque adeò peccandi grauiter. Hæc conſequentia eſt moraliter certa: & poſteà vlteriùs roborabitur. 108. *Quomodo quærens leuem exponitur certo periculo incidendi in grauem?*

Pro claritate antecedentis, prænotare aliqua oportet. Primum. Dum quis deliberatè intendit commotionem ſpirituum, & delectationem externam, præcedit in intellectu, & ſenſu interno cognitio eius commotionis & delectationis. Patet, quia nihil volitum, quin præcognitum. Quod intellige tam de actu formaliter, quàm virtualiter efficaci, iuxta dicta *diſp. 44. cap. 4. & diſp. 42. cap. 7.* 109.

Secundum. Hæc cognitio præuia commotionis ſpirituum, & delectationis externæ, non eſt de commotione & delectatione vt iam realiter præhabitis; cùm falſum ſit, illas eſſe præhabitas. Sed de commotione, & delectatione habendis: hac enim ratione deſiderantur efficaciter. 110.

Tertium. Vi huius actus efficacis (ſiue formalis, ſiue virtualis) ponitur commotio & delectatio: & hæ iam actu præſentes mittunt ſpeciem ſui in ſenſum internū (ſiue efficienter, ſiue per ſympathiam, iuxta varias ſententias:) ideò enim in eodem inſtanti cognoſcitur ea delectatio à ſenſu interno. Cognita autem per ſenſum internū delectatione actualiter & realiter præſenti, habet appetitus corporeus maius motiuum ad quærendam vlteriorem delectationem; quia delectatio cognita vt iam præſēs actualiter & realiter, multò magis mouet & impellit appetitum, 111.

Digitized by Google

petitum,quàm dumtaxat præcogitata : & ideò fortiùs & propenſiùs fertur appetitus, atque adeò actus appetitus corporei fit intenſior.

112. Quartum. Quantò magis creſcit,& intenditur appetitio corporea, tantò magis illa excitat commotionem ſpirituum, vt ab ipſa experiētia fit euidēs.Et inde prouenit,quod cōmotio, quæ incipit tepidè, breuiſſimo tēpore fiat vehemēs.

113. Hinc manifeſta eſt probatio antecedentis. Nam dum quis quærit efficaciter & deliberatè delectationē leuem, illāque reipſa conſequitur; hæc delectatio ſtatim mittit ſpeciē ſui in ſenſum internum, & ſic præbet maius motiuum appetitui ad incrementum delectationis, vt patet ex prænotato 3.Sed cognito maiori motiuo delectationis,appetitus corporeus neceſſariò trahitur ad illud incrementum delectationis,niſi indirectè inhibeatur à voluntate : ergo homo exponitur manifeſto periculo incidendi in illud augmentum delectationis,niſi inhibeatur indirectè à voluntate. Atqui, vt dictum eſt, modus inhibendi,quem poteſt ponere voluntas,eſt conando ad auertendam totaliter delectationem; quia non eſt in poteſtate voluntatis deliberatè auferre hanc partem delectationis, & deliberatè aliā partem conſeruare : ergo abſolutè manet homo expoſitus manifeſto periculo incidendi in illud incrementum delectationis, atque adeò in grauem delectationem,& grauiter culpabilem.

114. Quod ſi dicas, leue additum leui non fieri neceſſariò graue; poteſt enim vnum graue ex quatuor, vel quinque partibus leuibus conflari. Vnde etſi ſit periculum augmenti, poteſt contingere,quod id augmentum ſit etiam adeo leue, vt ex duabus leuitatibus non conſurgat adhuc vna delectatio grauis.

115. Sed ſubtiliora ſunt hæc, quàm vt componi poſſint cum praxi materiæ tam lubricæ. Primò enim quis diſcernet, an poſtquam iam cœpit caro incaleſcere, calor ſuperadditus,componat adhuc cum præcedenti calorem leuem, & non grauem ? Deinde quia iſtud augmentum non fit ſolùm vnica vice, ſed frequenti repetitione; quæ ſi non coerceatur, pertingit ad ſummum. Et hinc clarè confirmata manet prima conſequentia præfati proximi argumenti.

116. Tertium argumentum. Qui practicè dubitat, an materia, in qua actualiter operatur, ſit grauiter illicita, an leuiter, peccat lethaliter : ſed qui efficaciter intendit delectationem veneream, quantumuis leuem, practicè dubius eſt, an materia, in qua operabitur, euadet leuis, & leuiter illicita; an grauiter : ergo peccat lethaliter.

Qui quærit delectationē leuem, practicè dubitat, an ea futura ſit grauis?

117. Conſequentia eſt euidens,vtpote ſyllogiſmi in primo modo primæ figuræ. Ad amuſſim ſyllogiſticam ſubintelliges pauca verba,quæ,quia facillimum,non præſto.Maior eſt certiſſima,& ab omnibus recepta. Cuius rationem reddunt omnes; quia qui practicè dubitat, an opus à ſe ſtatim immediatè exequendum, ſit veniale, vel mortale, dum illud aggreditur, exponit ſe euidenti periculo admittēdi mortale. Minor etiam patet, tum ex dictis : tum etiam quia operatur in materia, quæ citiſſimè de leui vertitur in grauem : eſt enim velut ignis aridæ ſtipulæ applicatus,in qua ſi volueris vnam tantùm particulam accendere, difficillimum erit metam ſtatuere, vltra quam ignis non tranſcendat.

Qui operatur cum dubio practico, peccat mortaliter.

118. Confirmatur primò.Homo cæcus, aut in tenebris exiſtens,qui vult furari materiā paruam, v.g.vnicum nummum æreum,& manu tangens nummum, dubitat, an æreus ſit, an argenteus, an aureus;etſi reipſa ſubripiat nummū æreum, qui ferè nullius valoris eſt, peccat lethaliter; quia ſtante ea dubitatione,expoſuit ſe furto nūmi aurei,quod graue eſt, & lethale : ſed homo quærens delectationem leuem,eſt ad inſtar cæci, qui diſcernere non poteſt, an delectatio à ſe habenda futura ſit fortè grauis, propter ſummam facilitatem accipiendi incrementum, quod habet res venerea : ergo à paritate, imò ab identitate rationis iſte peccat lethaliter.

Qui furatur nummū æreū, dubitans, an ſit argenteus, vel aureus, peccat mortaliter.

Paritas rationis.

119. Confirmatur ſecundò. Ruſticus audiuit à Parocho ſuo, in furto eſſe paruitatem materiæ: & quia non ampliùs audiuit, neſcit diſcernere, quæ quantitas ſit paruitas materiæ,an minimus nummus (Hiſpanè, *Ochauo,*) an duo, an quatuor, vel ſex aſſes ærei. Et cùm hæc ita ſint, furatur quatuor aſſes æreos,quæ reuerà faciunt materiam in ſe paruam.Iſte peccauit lethaliter, quamvis materiam paruam ſubripuerit : quia neſciens diſcernere inter paruam & magnam, expoſuit ſe periculo furandi magnam,quantum eſt ex vi dictaminis ſui.Sed homo intendens efficaciter & deliberatè delectationem veneream leuem,habet ſe adinſtar eius ruſtici;neſcit enim diſcernere, an leuis delectatio à ſe ponenda ſit, an grauis, propter dicta:peccat ergo lethaliter.

Qui neſcit diſcernere inter materiam grauem, & leuem, dum leuem furatur, peccat mortaliter.

Paritas rationis.

120. Hinc colliges primò,cuius generis ſit periculum iſtud,quod ſententia noſtra adducit in qualibet delectatione venerea,quantumuis leui.Eſt enim eiuſdem rationis, ac periculum, quod incurrit, qui cum dubio practico operatur, non inclinans in partem tutiorem. Quia cùm homo intendens delectationem veneream, non poſſit diſcernere, an leuis,an grauis delectatio ſubſecutura ſit; dum deliberatè delectationem illam amplectitur, aduertenter exponitur periculo habendi grauiorem.Quod vtrumque in decreto R. P. Claudius copulauit illis verbis : *Propter periculum, in quod inducit, ac moralem impoſſibilitatem diſtinguendi practicè in re tam lubrica materiam leuem a graui.* Oritur enim periculum labendi in delectationem grauem, ex morali impoſſibilitate diſcernendi grauem à leui, modo explicato.

Periculū huius materia oritur à dubio practico.

121. Dubitabis, an eædem rationes militent, ad negandam paruitatem materiæ in delectatione venerea, non deliberatè quæſita, ſed deliberatè acceptata, iuxta tenorem præcepti nonæ Congregationis Generalis, extendentis decretum R.P. Claudij. Et fortè exiſtimabit aliquis, non militare in hoc caſu argumenta propoſita. Etenim quando delectatio ferè inſenſibilis inuoluntariè aduenit,& aduertēs homo ad illam, ei aſſentitur,iam non eſt impoſſibilitas moralis diſcernendi leuem à graui : cùm enim intellectus præſtat conſenſum ſuum,planè aduertit,illam eſſe ferè inſenſibilem, atque adeo paruam: ergo iam cognouit paruitatem illius, habetque expreſſam voluntatem non procedendi vlteriùs: ceſſat ergo periculum, quod oriri poſſet ex ea impoſſibilitate diſcernendi inter leuem & grauem.

Eædem, quæ debellāt paruitatem delectationis quæſita, debellant paruitatem acceptata.

122. Dicendum tamen eſt, vt certiſſimum, iiſdem argumentis eodem modo probari, non adeſſe practicè paruitatem materiæ in delectatione venerea acceptata, quamvis illa priùs inuoluntariè inſurrexerit, & poſteà voluntas præſtet conſenſum. Etenim in eo momento, in quo

quo adeſt delectatio, quantumvis leuis, & in quo accedit conſenſus voluntatis, mittit ſpeciem in ſenſum internum, reſultatque cognitio acrior delectabilitatis ex præſentia cognita delectationis realiter præſentis. Quare qui in illam conſentit, dubitat, & dubitare debet, an illa ſit in gradu ſummè remiſſo, an in gradu incrementi; cùm ex ſpecie immiſſa ab ipſa delectatione præſenti citiſſimè intendatur delectatio, propter propenſionem appetitus corporei, quæ actualiter exercita maiorem excitat denuò commotionem ſpirituum.

CAPVT X.

Duplex reſponſio præoccupata.

123. *An poſſit quis quærere delectationẽ leuem, cum decreto non admittendi grauem.*

DIcas primò, poſſe contingere, quod homo velit delectationem leuem, cum firmo & efficaci decreto voluntatis non conſentiendi in grauem. In quo caſu licèt ſit in periculo prolabendi in delectationem grauem, videtur non eſſe cum periculo prolabendi voluntariè in delectationem grauem. Quod ſi hæc delectatio inuoluntaria ſit, non erit peccatum lethale: & ſi delectatio non eſt lethalis, neque erit lethale exponere ſe periculo labendi in delectationem non lethalem.

124. *Eos duos actus eſſe incompoſſibiles, conuincitur exemplo furis cæci.*

Sed ex dictis impugnatur apertè. Nam cæcus, qui manum reipſa extendit ad furandum vnum nummum, dubitans, an ſit æreus, argenteus, vel aureus, impoſſibile eſt, quod habeat voluntatem efficacem non furandi aureum. Etenim incompoſſibiles ſunt ij duo actus efficaces furandi illum nummum, quicumque ille ſit; & non furandi nummum aureum, quando videt eſſe contingens, illum eſſe aureum. Idem planè euenit in noſtro caſu. Nam qui vult habere delectationem leuem, non diſcernit, an delectatio à ſe habenda leuis ſit, an grauis. Vult ergo delectationem illam, quæcumque illa ſit, cum qua voluntate incompoſſibilis eſt alia voluntas efficax non habendi delectationem grauem, quando videt, eſſe contingens, quod illa ſit grauis. Eandem reſponſionem impugnabis exemplo eius, qui neſcit diſcernere inter materiam leuem & grauem furti, quod propoſui *n.*119. In quo planè militat idem argumentum.

125. Ad materiam eius reſponſionis reſpicere videbatur Caramuel, dum *diſp.* 67. *in Regul. n.*1036. ſic abiebat: [Petrus patiebatur moroſitatem, quam probabiliter iudicabat leuem: liberè perſeuerauit in illa, quæ tamen continuo augmento facta fuit grauis. Peccauitne mortaliter? Reſpondeo, ſi illud augmentum fuit cognitum, & nihilominus perſeuerauit liberè, peccauit mortaliter. Quod ſi ipſe ſe permiſit delectationi paruæ quà paruæ, & poſteà per diſtractionem, & inaduertentiam accidit, quod illa creuerit, non peccauit mortaliter, niſi rediens ad ſe, liberum iterum aſſenſum præbuerit. Ratio eſt, quia nullum eſt peccatum, quin volitum: & nihil volitũ, quod non fuerit præcognitum.]

126. *Non poteſt homo probabiliter iudicare, delectationem à ſe eliciendam eſſe leuem.*

Quod aſſertum impugnabis, ſi conuincas, Petrum non potuiſſe probabiliter iudicare practica probabilitate, illam delectationem eſſe leuem. Nam cùm ſit contingentia citiſſimi incrementi, non poteſt diſcernere, an eliciturus ſit leuem, an grauem, vel an dum putat ſe aſſentiri in leuem, facto iam incremento, aſſentiatur in illam, quæ reipſa grauis eſt. Stante ergo ea impoſſibilitate diſcernendi practicè inter leuem & grauem, quam manifeſtè probauimus, non poteſt Petrus probabiliter iudicare, illam eſſe leuem: nam probabile iudicium de leuitate delectationis, & impoſſibilitas moralis diſcernendi inter leuem & grauem, non componuntur. Sicut in cæco ſubripiente nummum, & dubitante, an æreus, an aureus ſit, componi non poſſunt, & impoſſibilitas moralis diſcernendi inter æreum & aureum orta à formali dubio; & probabile iudiciũ, quod nummus ille ęreus ſit.

Reſplicabis. Quid, ſi Petrus, ſaltem per errorem, iudicat inuincibiliter eam delectationem 127.
eſſe leuem? Nonne peccabit venialiter, & reſpectu illius dabitur paruitas materiæ in delectatione venerea? Reſpondeo, ſic ceſſare quæſtionem. Non enim procedit quæſtio in eo, qui inuincibiliter errat. Sic enim de fide eſt, fornicationem eſſe peccatum lethale; & tamen ille, qui putat per errorem inuincibilem, eam non eſſe lethalem, reipſa non peccat mortaliter. Idem reſpondeo in eo, qui inuincibiliter putat, eſſe practicè delectationem leuem ſine periculo abeundi in grauem.

Poteſt putare per errorem, delectationem eſſe leuem; ſed de hoc non eſt quæſtio.

Dices ſecundò ex Caramuel *diſp.* 67. *in Regul. num.*1034. & paſſim alibi docente, eſſe de- 128.
ſignabilem materiam leuem in delectatione venerea, nempe illam, quæ eſt minor octaua parte delectationis completæ, ſiue delectationis repertæ in pollutione. Qui ergo cognouerit, delectationem ſuam venereã eſſe minorem octaua parte delectationis completæ, cognoſcet ſuã delectationem eſſe leuem; & perſiſtens in illa, & repugnãs maiori, peccabit dumtaxat venialiter.

An delectatio leuis ſit ea, quæ eſt minor octaua parte delectationis completa?

Hunc modum paruitatis in delectatione venerea apertè refutaui *diſp.* 31. *cap.* 8. Et quod 129.
attinet ad rem præſentem, refuto primò, poſtulando menſuram, qua cognoſcere poſſimus partes eiuſmodi octauas delectationis. Numquid per vncias dimetiemur in bilance, an per modios, aut metretas? Itaque impoſſibile eſt homini diſtribuere delectationem pollutionis, aut copulæ in octauas partes, & dignoſcere, quę ſit octaua pars, & quæ minor octaua parte. Quid ergo prodeſt ad praxim regula impracticabilis?

Is modus dicendi quoad praxim eſt improbabilis.

Dices, non datam eſſe à Caramuele hanc re- 130.
gulam ad praxim, ſed ad ſpeculationem: & ita ſi per impoſſibile poſſet homo dignoſcere octauas partes, diſcernere poſſet, quæ materia eſſet leuis in genere delectationis, quæ autem grauis.

Contrà eſt primò. Quia ſi ita ſit, nihil no- 131.
bis nocet, qui ſolùm practicè negamus paruitatem materiæ in genere delectationis venereę. Contrà eſt ſecundò. Nam ſi eam regulam ſolùm dat pro ſpeculatione, quare illam ad praxim accommodat, & practicas reſolutiones ex eo dictamine decernit? Ita enim *diſp.* 67. *in Regul. num.*1034. his verbis: [Qui liberè delectatur ſenſualiter, ita vt habeat voluptatem, quæ ſit octaua pars voluptatis completæ, peccabit mortaliter; venialiter, qui minorem.] Quam praxim proſequitur in reſolutione trium caſuum ſubſequentium.

Refuto ſecundò. Nam adhuc vim ſuam reti- 132.
nent omnia argumenta facta contra paruitatem materiæ in praxi delectationis venereæ. Quia quamvis homo vellet determinatè minorẽ octaua parte delectationis completæ, eamque menſuram ex aliquibus indiciis poſſet dignoſcere,

adhuc

Digitized by Google

adhuc in praxi non poſſet illā diſcernere à graui, ob citiſſimum incrementū quo creſcit delectatio, quando ei non reſiſtitur. Quantò magis, quando ea quæritur, aut libenter acceptatur? Quod conuincunt tria argumenta facta ſuperiùs *cap.* 8. *&* 9. Vide efficaces alias refutationes *diſp.* 31. *cap.* 8.

CAPVT XI.

Reiicitur alius modus determinandi materiam paruam in re venerea. Et P. Thom. Sanchez vindicatur à magna calumnia Ioannis Sancij.

133. *Sancius ait, eſſe leuē, quæ non affert periculum pollutionis, aut copulæ. Et attribuit Thomæ Sanchez.*

IOannes Sancius, qui *diſp.* 21. admittit paruitatem materiæ in delectatione venerea, duos ibi propoſuit modos dignoſcendi paruitatem delectationis; ambos quidem valde periculoſos. Et primum quidem per ſummam iniuriam attribuit P. Th. Sanch. Ita enim loquitur Ioannes *n.* 21. [Sed id difficilius ad praxim, quandonam cognoſcatur, delectationem veneream eſſe modicam, vel notabilem? Modicam videtur appellare Sanch. *lib.* 9. *de Matrim. diſp.* 46. *n.* 9. illam, quæ ſecum non trahit periculum pollutionis, aut conſenſus in copulam carnalem. E contrario notabilis erit, quæ comitē habuerit periculum pollutionis, vel copulę; non quod periculum illud eſſentialiter conſtituat notabilitatem delectationis, vt ita dicam; ſed tanquā ab effectu & ſigno cognoſcatur, tunc notabilē eſſe delectationem, quando periculum imminet pollutionis, vel copulæ. E contra verò non ſtante huiuſmodi periculo, tanquam ab effectu colligitur, delectationem modicam fuiſſe, nec vires habentem ad inducendum tale periculum. Sed non eſt expectanda huiuſmodi experientia ad reiiciendum, & reprimendum hos motus; quia id eſſet extinguere ignem, conflagrata iam domo. Hæc tamen ratio, etſi frequenter vera ſit, & admittenda in pluribus caſibus, non tamen in omnibus. Nam in ſenibus, ægris, & conualeſcentibus, aut in defeſſis ex pluribus coitibus, periculum pollutionis, vel copulæ deficit, non tamen notabilis delectatio venerea.]

134. Quem dicendi modum repetit *n.* 24. [Præſente illo periculo colligitur à poſteriori & tāquā ab effectu, delectationem notabilem fuiſſe, & circa obiectum graue: è contra verò modicam, non interueniēte periculo; & conſequēter ſolùm venialem malitiam continere ex mente Sancij, vt vidimus *num.* 21. *&* 22. Quam etiam rationem tradidiſſe videtur Vaſq. 1. 2. *tom.* 2. *diſp.* 112. *c.* 2. *n.* 5. & Sanch. *in ſum. lib.* 1. *c.* 2. *n.* 8. & Lorca 1. 2. *tom.* 4. *diſp.* 28. *mēb.* 3. §. *Ratio verò concluſionis eſt.*]

135. *Vindicatur à calumnia Th. Sanch.*

Et quod attinet ad P. Th. Sanch. æquiuocationem paſſus eſt Sancius. Hæc ſunt illius verba in editione anni 1605. antequam reuocaret ſententiam de paruitate materiæ in re venerea, *eo n.* 9. [Moderanda tamen eſt hæc ſententia, niſi paruitas materiæ adſit. Illa enim à mortali culpa excuſabit. Poteſt enim dari modica delectatio venerea, quæ ſi abſint periculum pollutionis, & periculum conſenſus in actum carnalem, non erit culpa lethalis.] Hæc poſtrema verba Sancio dederunt occaſionem tam magnę æquiuocationis. Quam vt manifeſtè deprehendas, conſidera attentè has duas propoſitiones,

Sancius conuincitur apertè de falſa allegatione.

Modica delectatio non erit culpa lethalis, ſi abſit periculum pollutionis, &c. *Delectatio erit modica, ſit abſit periculum pollutionis,* &c. Et rogo an ſint æquiualentes, eundemque ſenſum contineant? Si dicat Sancius, non eſſe æquiualentes, planè conuincitur de falſa allegatione. Nam primam dixit P. Thomas Sanchez, vt patet ex textu: ergo non ſecundam.

Quod autem non ſint æquiualentes, patet primò in ſimilibus propoſitionibus. Conſidera has duas: *Vulneratio paruula eſt venialis, ſi non fiat ex odio graui: vulneratio erit paruula, ſi non fiat ex odio graui.* Quas non eſſe æquipollentes, euidens eſt. Prima enim eſt certa. Secunda autem falſa: quia homo poteſt vulnere lethali percuti, etiamſi non fiat ex odio graui. Vel duas has: *Detractio leuis eſt venialis, ſi non fiat ex inuidia, aut odio graui: Detractio eſt leuis, ſi non fiat ex inuidia, aut odio graui.* Quarum prima eſt vera, & ſecunda improbabilis. Nam ſi ſecunda eſſet vera, peccaret venialiter, qui detraheret grauiter famæ alterius abſque inuidia, aut odio graui: quod eſt certiſſimè falſum, & ſic in ſexcentis aliis. 136.

Patet ſecundò ex ipſo ſenſu propoſitionum attentè inſpecto. Prima enim dicit, exiguam delectationem eſſe venialem, ſi abſit periculum, eo quod delectatio quantumvis exigua, erit mortalis ratione periculi adiacentis. Secunda verò dicit, tunc delectationem eſſe exiguam, quoties abeſt periculum. Quare quantumvis creſcat abſque eo periculo, exigua erit. Hos autem eſſe ſenſus valde diuerſos, quis non videt? In primo enim componitur peccatum mortale cum exigua delectatione, nempe ratione periculi pollutionis, &c. In ſecūdo autem non componitur mortale cum delectatione exigua, ratione eius periculi; nam eo ipſo, quod adſit tale periculum, ea delectatio non eſt exigua. Deinde in primo ſenſu componuntur periculum, & exigua delectatio. In ſecundo verò ſenſu non componuntur periculum, & exigua delectatio. Ergo ſenſus vtriuſque propoſitionis longè diuerſus eſt; atque adeò non ſunt æquiualentes: ergo cùm primam propoſitionem dumtaxat dixerit P. Th. Sanchez, vtique non dixit ſecundam, nec ſenſum eius. 137.

Hanc non eſſe ſententiam P. Th. Sanch. patet ex aliis locis etiam eiuſdem editionis. Præcipuè *ex eadem diſp. n.* 7. vbi hanc primam concluſionem ſtatuit. [Tanquam veriſſima ſententia tenenda eſt, amplexus & oſcula habita inter virum & fœminam omninò ſolutos lege matrimonij, & ſponſalium inter ſe initorum, propter ſolam delectationem ſenſibilem in appetitu ſenſitiuo conſurgentem ex ipſis, quamvis nec de fornicatione, nec de illius delectatione cogitetur, eſſe peccata lethalia.] Vbi notabis primò, eam concluſionem procedere independenter à quovis periculo pollutionis, &c. Notabis ſecundò, id intellexiſſe P. Thomam Sanchez de oſculis cum delectatione graui, vt poſteà explicat. Admittit ergo delectationem grauem veneream abſque periculo: ergo, ſecundùm eius mentem falſiſſimum eſt, quod tunc ſit grauis delectatio, quando adeſt periculum; & tunc eſſe leuem, quando abeſt. Quod in multis aliis eiuſdem diſputationis obſeruare poteris. 138.

Quod addit Sancius, idem tradidiſſe P. Th. 139.

Digitized by Google

Sanch. *lib.* 1. *ſum. cap.* 2. *num.* 8. ſi hunc numerum legere volueris, inuenies eſſe penitus falſum. In eo enim nihil penitus affirmat, quod aliqua ratione conducere poſſit ad hanc rem: neque periculi meminit, neque delectationis leuis. Sed neque P. Vaſquez *ea diſp.* 112. aliquid dicit, quod poſſit vllo modo reſpicere hanc materiam, vt legenti conſtabit. Lorca autem citatus nihil tale affirmat, vt legenti conſtabit.

140. Ea autem doctrina, cuiuſcunque illa ſit, certiſſimè falſa eſt. Primò. Quia cùm Sancius non alio fundamento nitatur ad id aſſerendum, quàm authoritate P. Th. Sanchez, P. Vaſquez, & Petri Lorca; hæc autem tam claré euanuerit, vtpote in mera æquiuocatione fundata; fit, nullam penitus illi probabilitatem relinqui.

141. *Certum eſt, dari grauem delectationẽ, etiam ſine periculo pollutionis, &c.*

Secundò. Nam quandoque datur delectatio grauis abſque periculo pollutionis, aut conſenſus in copulam: ergo falſum eſt dicere, quod eſt delectatio leuis, quoties eſt abſque periculo pollutionis, &c. Et ſimiliter falſum eſt dicere, quod abſentia periculi pollutionis ſit ſignum, vel argumentum ad colligendum, delectationem eſſe leuem. Antecedens patet, tum ab experientia, qua multi commotione, & alteratione carnis magnam moleſtiam patiuntur, quin reperiant in ſe eiuſmodi periculum: nam quod inuoluntariè illam patiantur, non facit, quod ea leuis ſit, vel grauis. Tum etiam, quia, vt communis ſententia admittit, in coniugibus non ſunt mortales delectationes graues in abſentia coniugis, etiam ſine neceſſitate, dum non adſit periculum pollutionis; quod non defendunt DD. ratione paruitatis materiæ, cùm affirment, eaſdem delectationes in ſolutis eſſe culpas lethales.

142. Confirmatur. Non poteſt eſſe leuis delectatio, quæ requirit magnam reſiſtentiam, vt vincatur: ſed plerumque abſque periculo pollutionis & copulæ, datur in homine delectatio externa, quæ requirit magnam reſiſtentiam ad victoriam: ergo plerumque abſque periculo pollutionis & copulæ datur delectatio non leuis. Maior & conſequentia patent. Et minorem confirmat experientia in viris Deum timentibus, qui abſque periculo pollutionis & copulæ nimias à carne ſua patiuntur moleſtias delectationum, ad quarum victoriam magno robore indigent ad reſiſtendum.

143. Tertiò. Quia ſi delectatio externa eſſet leuis quoties non adeſt periculum pollutionis, vel copulæ; etiam tactus verendorum inter perſonas diuerſi ſexus eſſent peccata leuia, quando ex parte neutrius adeſt periculum pollutionis, vel copulæ: atqui iudicio omnium Theologorum illi tactus grauiter illiciti ſunt: ergo etiam aliæ delectationes externæ ſunt grauiter illicitæ, etiã quãdo abeſt periculum pollutionis & copulæ. Minor & conſequẽtia patent.

144. Maior oſtenditur. Nam tactus verendorum mortalis eſt propter delectationem propriam, vel alienam: ergo ſi ea delectatio, ceſſante periculo pollutionis, vel copulæ non eſſet grauis; atque adeò neque lethalis; fieret, quod neque tactus ille eſſet grauis, vel lethalis. Patet conſequentia. Nam propter quod vnumquodque tale, & illud magis tale: ſed tactus ille, ſecluſo eo periculo, eſt mortalis propter delectationem: ergo à fortiori delectatio, ſecluſo eo periculo, eſt mortalis. Vel arguendo ab oppoſito contradictorio antecedentis ad oppoſitum contradictorium conſequentis: ergo ſi delectatio, propter quam tactus ille eſt prauus, non eſt grauiter praua; neque tactus ille reddetur grauiter prauus.

145. Confirmatur. Quæ ſunt moraliter grauia iudicio omnium Theologorum, ſunt euidenter grauia, vt conſtat *ex diſp.* 12. *cap*... ſed tactus prædicti, etiam ſecluſo periculo pollutionis & copulæ, iudicio omnium Theologorum ſunt graues, & grauiter praui: ergo ſunt euidenter praui. Atqui ea euidens prauitas eſt propter delectationem veneream: ergo delectatio venerea, etiam ſecluſo periculo pollutionis, vel copulæ, eſt euidenter praua.

Idem conuincitur ex decreto Alexandri VII.

Denique eum dicendi modum eſſe prorſus improbabilem, conſtat ex damnatione quadrageſimæ propoſitionis, facta ab Alexandro VII. in ſecundo decreto relato *diſp.* 9. *cap.* 20. *art.* 1. Iuxta quam improbabile eſt, oſculum ob delectationem carnalem eſſe tantùm peccatum veniale; cùm tamen ſit euidens, eſſe oſcula ob delectationem carnalem, quæ non afferant periculũ pollutionis, aut copulæ. Ex quo fit certum, delectationem carnalem eſſe peccatum mortale, atque adeò materiam grauem, quamvis nullum adſit periculum pollutionis, aut copulæ.

CAPVT XII.

Alter modus determinandi menſuram delectationis paruæ, ex eodem Sancio apertè refellitur.

146. ALiam rationem menſurandi paruitatem, aut magnitudinem materiæ in delectatione venerea tradit idem Ioannes Sancius *eadem diſp. num.* 22. his verbis: [Ratio igitur vniuerſalis ad ferendum iudicium de grauitate vel leuitate delectationis, ab experimento illam ſentientis erit deſumenda. Si enim delectationem ferè turbantem rationem ſentiat homo, ad aliaque cogitanda præter carnalia non permittentem, notabilis & grauis iudicabitur: quæ circumſtantiæ ſi deficiant, leuis & modica reputari debebit. Niſi fortè dixerit quis, numquam euenire, delectationem veneream mentem turbare, niſi adſit pollutionis periculum. Quod ſi verum ſit, reincidit hæc cum ſententia Thomæ Sanchez.

Ait, delectationem, quæ non turbat rationem, eſſe leuem.

147. *Ea doctrina eſt certò falſa.*

Hæc tamen doctrina, & certò falſa eſt, & nihil eleuat vim argumentorum, quæ inſtruximus contra practicam paruitatem materiæ in delectatione venerea. Falſa. Nam experientia teſte ipſi confeſſarij, dum venerea audiunt, patiuntur inuoluntarij vehementem commotionem, qua nimium affliguntur: quæ quidem non turbat rationem eorum; ſed non obſtante commotione, ad alia attendunt præter carnalia: datur ergo grauis delectatio, imò & vehemens, quæ non impediat ad cogitandum alia, præter carnalia.

148. Dices. Quando delectatio vehemens eſt voluntaria, tũc turbat rationem, non autem quando inuoluntaria. Sed contrà eſt. Quia quod ſit leuis, vel grauis delectatio, non deſumitur ex eo quod ſit voluntaria, vel inuoluntaria: nam etiam inter inuoluntarias dabitur leuis & grauis

Digitized by Google

uis: ſi ergo datur grauis inuoluntaria, quæ non impediat attentionem ad alia, non eſt dicenda leuis ea, quæ non impedit attentionem ad alia.

149. *Contra eam militant demonſtrationes ſuperiùs propoſita.* Deinde hæc doctrina non minuit vim argumentorum, quæ omnia *ex cap. 8. & 9.* poſſunt contra eam inſtaurari; ſicut & argumentum proximè factum contra modum dicendi proximè impugnatum. Primò. Etenim qui intendit efficaciter delectationem paruam, vel poterit expectare abſque mortali turbationem rationis, vel ſub mortali tenebitur frænare eam delectationem, antequam perueniat ad actualem turbationem rationis. Si primum, *Id eſſet extinguere ignem, conflagrata iam domo*; eſſet enim expectare ad incrementum graue delectationis. Si ſecundum, contrà eſt. Nam qui intendit efficaciter vnum gradum delectationis venereæ, ſemper manet expoſitus periculo maioris incrementi delectationis. Quomodo ergo ſciet, delectationem, quam intendit, non euaſuram in eo gradu, vt perturbet rationem? ergo practicè dubius manebit de incremento graui delectationis à ſe habendæ.

150. Secundò. Nam hæc menſura paruitatis, quam vult ſtatuere Sancius, ad ſummum deſeruire poterit, vt tranſacta delectatione, coniicias, an illa fuerit parua, vel magna. Si enim expertus es turbatam rationem, coniicies fuiſſe magnam, ſin minùs, fuiſſe paruam. Sed quamvis tranſacta delectatione, coniicias, eam fuiſſe paruam, non propterea excuſaris à culpa lethali. Quia ad hoc non ſolùm attenditur, an delectaio fuerit parua, ſed an te expoſueris periculo proximo, vel probabili habendi delectionem magnam. Hoc autem ex dictis eſt manifeſtum; nam quando intendis illam delectationem paruam elicere, non potes eſſe tutus, quod non in maiori incremento eam habebis; imò credibilius eſt, eam in maiori augmento prodituram ob vehementem propenſionem appetitus corporei.

151. Tertiò. Non eſt in poteſtate hominis intendentis delectationem, præfigere terminum magnitudinis, vltra quem non progrediatur delectatio, vt oſtendi *c.* 8. Sed non eſt modus diſcernendi, an id incrementum, cui ſe exponit, tale erit vt turbet rationem, aut tale vt eam non turbet; cùm non diſcernat homo menſuram, aut quantitatem determinatam delectationis à ſe habendæ: ergo eſt moraliter impoſſibile diſcernere, an delectatio futura ſit leuis, an grauis: ergo exponit ſe periculo eliciendi delectationem grauem, etiam iuxta hunc modum menſurandi delectationem. Vide hoc argumentum, & eius confirmationes *in cap.* 8.

152. Quartò. Nam ex dictis initio capitis 9. delectatio realiter & actualiter præſens mittit ſpeciem in ſenſum internum, & ex hac reſultat maior delectatio appetitus corporei, & hæc denuò excitat maiorem commmotionem. Ergo quamvis homo intendat delectationem duntaxat, quæ non turbet rationem, expoſitus manet maiori delectationi; atque adeò delectationi, quæ illam turbet. Relege totum argumentum *in eo cap.* 9.

153. Quintò. Licèt homo intendat delectationem, quæ non perturbet rationem, cæcus manet, & practicè dubius de quantitate delectationis à ſe habendæ, & an pertinget ad delectationem perturbatricem rationis: practicè autem dubius lethaliter peccat: ergo peccat lethaliter, qui vult paruam delectationem, etiam iuxta hanc menſuram à Sancio aſſignatam. Relege hoc argumentum cum ſuis confirmationibus *eo cap.* 9.

CAPVT XIII.

Aliud argumentum contra aſſertiones paruitatis in delectatione venerea.

HOc argumentum procedit contra Caramuelem, & alios, qui delectationem veneream internam ex eo dumtaxat capite illicitam reperiunt, quòd ſecum importet commotionem ſpirituum, & delectationem externam. Illud autem ſic efformo. 154.

Delectatio venerea interna de actu fornicario, vel ſodomitico concepta, eſt certiſſimè culpa lethalis, vt patet *ex diſp.* 41. Sed ſi in commotione ſpirituum genitalium, & delectatione externa detur paruitas materiæ, illa delectatio interna non erit certiſſimè culpa lethalis: ergo in commotione ſpirituum, & delectatione externa non eſt admittenda paruitas materiæ. Conſequentia ligat. 155. *Ex doctrina Caram. infertur, delectationem internam de ſodomia, eſſe poſſe leuem.*

Minor probatur. Secundùm Caramuelem, & plures alios, delectatio interna eſt illicita ex eo dumtaxat capite, quòd ſecum portat commotionem ſpirituum genitalium, & delectationem externam, vt patet ex prædicta *diſputat.* 41. *num.* 3. ergo delectatio interna erit grauiter illicita, ſi habuerit ſecum commotionem grauem; & erit leuiter illicita, ſi ſecum portauerit commotionem leuem. Eſt enim inintelligibile, quod delectatio interna habeat malitiam grauem propter commotionem concomitantem leuem. 156. *Si ſit cum cõmotione parua.*

Et confirmatur. Nam ſi commotio ſpirituum genitalium, & delectatio externa nullo modo eſſet illicita, delectatio interna non poſſet participare vllam malitiam ex concomitantia illarum, vt ex terminis patet: ergo dum ea commotio & delectatio habuerint malitiam leuem, non poterit delectatio interna habere niſi malitiam leuem ex concomitantia cum ipſis. Ergo cùm concedi nequeat, delectationem internam de actu ſodomitico vel fornicario conceptam, eſſe culpam leuem; dicendum eſt in eorum ſententia, dari non poſſe commotionem ſpirituum leuem, aut leuem delectationem externam. 157.

CAPVT XIV.

Eneruantur duo argumenta Caramuelis contra decretum R. P. Claudij.

PRimo loco ſoluendum venit illud argumentum, quod contra decretum R. P. Claudij opponit confeſſario Ieſuitæ, vt retuli *cap.* 1. *num.* 1. quod hîc produco, ne tantum interuallum diuidat reſponſionem ab argumento: [Vellem audire, quid dicere Ieſuita poſſet Petro, qui ſic confiteretur: *Me accuſo,* 158.

Digitized by Google

quod manum fœminæ tetigerim cum alteratione aliqua leui, & ſufficienti ad peccatum veniale. Diceetne Pater Ieſuita, Petrum peccauiſſe mortaliter?]

159. *Praxis confeſſarij Ieſuitæ cum eo, qui ſe accuſat de delectatione leui.*

Satisfaciam eius deſiderio audiendi, quid dicere poſſit & debeat Pater Ieſuita. Interrogabo namque (quia ille non expreſſit vt debebat in confeſſione) an tetigerit manum fœminæ intendens deliberatè alterationem veneream. Si dicat, ſe tetigiſſe manum ex ioco, aut ex leuitate, & inuoluntariè inſurrexiſſe eam alterationem veneream; dicam, peccauiſſe venialiter. Et item ſi dicat, eam delectationem fuiſſe volitam ſine plena deliberatione. Si verò reſpondeat, illam delectationem veneream fuiſſe deliberatè intentam, inquiram, ex quo dictamine operatus fuerit; an dum intenderet delectationem veneream paruam, putauerit inuincibiliter, eam delectationem ſic intentam eſſe venialem; an putauerit eſſe mortalem; an potiùs habuerit dubium practicum? Si putauit inuincibiliter, eſſe venialem, peccauit venialiter; quia ſecutus eſt dictamen inuincibile conſcientiæ. Si putauit mortalem, peccauit mortaliter. Si dubitauit practicè, peccauit lethaliter.

160. Pergit Caramuel in ſua obiectione contra confeſſarium Ieſuitam: [Diceetne Pater Ieſuita, Petrum peccauiſſe mortaliter? Negabit ille: & putabit, ſe ſacrilegam confeſſionem facturum, ſi ſe accuſet de mortifero, quod non commiſit.] Patet ex dictis, me non iuſſurum vt ſe accuſet de peccato mortifero, ſi operatus fuit ex dictamine inuincibiliter cenſente, eam delectationem à ſe eliciendam eſſe venialem. Sed tamen iubebo, pro correctione debita, & propoſito debitè operandi in poſterum, vt deponat dictamen certò falſum, & ſubſtituat dictamen certum negans practicè paruitatem in delectatione venerea.

161. Proſequitur Caramuel: [Anne dicet, opinionem Petri non eſſe probabilem? Loquetur contra dictamen Pater, ſi hoc dicat: & reponet Petrus, Patris ſententiam non eſſe probabilem, confeſſarium ſequi pœnitentis ſententias, & iuxta pœnitentium dictamen iudicare. Ergo confeſſarius Ieſuita audiens Petrum, tacebit, & abſoluet omninò. Vel dicito, quid faciet?] Dico iterum, ſententiam Petri non eſſe practicè probabilem; nec loquor contra dictamen, ſed ex dictamine certo, & quod apud Caramuelem in multis textibus certum eſt ratione periculi. Si repoſuerit Petrus, confeſſarium ſequi debere ſententias pœnitentium, dicam verum eſſe, ſi ſententiæ ſunt practicè probabiles; ſecus ſi certò falſæ in praxi.

Confeſſarius non ſe accommodat opinioni improbabili pœnitentis.

162. Si addiderit Petrus, confeſſarium iuxta dictamen pœnitentis iudicare, maiori diſtinctione opus eſt. Nam ad iudicandum, quid peccauerit pœnitens, omninò attendendum eſt dictamen, ex quo pœnitens operatus fuit. Ad iudicandum autem de obligatione operandi in poſterum; ſi dictamen pœnitentis eſt practicè probabile, id illi permittam. Si quoad praxim non eſt probabile, iubebo vt deponat, vt de hoc dictamine Petri iam dixi.

163. Quod ſi Petrus renuerit deponere, explorabo, an doctus, an ignarus ſit. Si ignarus, vrgebo, eum teneri adhibere fidem mihi docto, & qui in hac materia accuratam adhibui diligentiam ad hanc veritatem cognoſcendam. Si doctus ſit, faciliùs ei ſuadebo, eam ſententiam de paruitate materiæ non eſſe practicè probabilem, oſtendens, qualiter paruam delectationem intendens exponitur periculo prolabendi in maiorem. Explicabo exemplo illius qui furatur in tenebris nummum æreum, qui præ caligine non potuit diſcernere, an æreus, an argenteus, an aureus eſſet. Oſtendamque ei, caſum eſſe omnimodis parem: nam cùm Petrus eliciturus eſt delectationem veneream paruam, non poteſt diſcernere, an remiſſa, an intenſa elicienda eſt. Quod ſi Petrus omninò reſiſtat, Pater Ieſuita omninò non abſoluet, donec reſipiſcat, & debitum propoſitum eliciat.

Et licèt in aliquibus caſibus poſſit confeſſarius permittere pœnitenti dictamen erroneum inuincibile; de quo vide P. Th. Sanch. *lib. 2. de matrim. diſp.* 38. tamen in rebus venereis rarò, aut nunquam id licebit: quia abyſſus abyſſum inuocat. 164.

In venereis non permittit confeſſarius dictamen erroneum pœnitentis.

Secundum, quod obiicit contra decretum R. P. Claudij *num.* 1741. ad ea decreti verba, *Propter moralem impoſſibilitatem diſtinguendi practicè in re tam lubrica materiam leuem à graui*, ſic habet Caramuel: [Eius ergo mentem poſſemus ad hæc verba reducere: (Fateor in rebus venereis dari interdum materiam paruam, ſæpiùs magnam: at quia eſt difficile illam ab hac diſtinguere, ne erroris ſe exponant periculo noſtræ Societatis Profeſſores; vt negent dari materiam leuem, imperamus.) Cæterùm ſi hæc ratio negandi ſit efficax; neget etiam pius & doctus vir omnem conſenſum ſemiplenum, & pleraque peccata venialia; neget omnem hæreſim materialem, omnem ignorantiam inuincibilem; quia ſæpiſſimè in eiuſmodi materiis, & aliis ſexcentis ſimilibus impoſſibile eſt practicè diſtinguere peccatum veniale à mortali.] 165.

Reſpondeo, peſſimam eſſe interpretationem eorum verborum decreti, & alieniſſimam ab eorum claro & dilucido ſenſu. Nota ea verba interpretationis, *Ne erroris ſe exponant periculo noſtræ Societatis Profeſſores.* Rem lepidam. Periculum, quod toties agnouit, & faſſus eſt Caramuel in operante, & intendente delectationem paruam, modò ab operante reiicit in ipſos Societatis Profeſſores, quaſi in hoc ſenſu id periculum aſſeratur à R. P. Claudio. Senſus ergo decreti clarus & manifeſtus eſt: [Ideò paruitatem materiæ in delectatione deliberatè quæſita non eſſe docendam à Profeſſoribus noſtræ Societatis, quia qui deliberatè intendit delectationem veneream paruam, non poteſt diſcernere practicè, an à ſe elicienda futura ſit parua, vel magna.] 166.

Praua interpretatio verborum decreti.

Hinc patet, nihil officere legitimo ſenſui decreti eas ſequelas, quas proponit. Non eſt negandus conſenſus ſemiplenus; quia licèt in illo ſit periculum amplectendi delectationem grauem, non eſt mortalis, eo quod id periculum ſubitur abſque plena deliberatione. Quoad pleraque peccata venialia, hæreſim materialem, ignorantiam inuincibilem, ſi loquatur de impoſſibilitate diſtinguendi peccatum veniale à mortali, poſtquam iam tranſiit operatio, non eſt ad rem; inde enim non oritur periculum 167.

Digitized by Google

riılum ponendi mortale pro veniali. Si aute loquatur de impoſſibilitate diſtinguendi prácticè veniale à mortali, cùm quis prodituruſt in operationem, in quacunque materia mitat eadem ratio. Et ita peccat mortaliter, qı neſciens diſcernere, an operatio à ſe elicida ſit mortalis, vel venialis, nihilominus ea exequitur. Ita qui in furto nequit diſcernee omninò, quæ ſit materia parua, vel magr., dum paruam furatur, peccat mortaliter; qua vel iudicium ferr, vel practicè dubitat de grauitate materiæ.

CAPVT XV.

Diſſoluuntur duo alia argumenta pro paruitate materia in re venerea.

168. TErtium argumentum pro paruitate materiæ in re venerea proponit *n.* 1716. quod ſub ficta larua Roſimundi ei placuit proponenee. [Nam ſi in cæteris præceptis datur materia parua, etiam dabitur in caſtitatis præcepto. Et quidem ratio à pari eſſe ſoler fortiſſima; non enim ſemper ſolet dari manifeſta diſparitas; & diſparitatem probabilem Roſimundus non curar: non enim ſuam ſententiam vult haberi euidentem, ſed probabilem: & aſſerit, patitatem fore probabiliter veram, quamdiu non demonſtretur, & euidenter probetur eſſe falſam.]

169. *Qui dicit, concluſionem eſſe euidentē, non debet dare diſparitatē euidentem.* Reſpondeo, non requiri hîc diſparitatem euidentem; & tamen à me reddendam eſſe. Non requiri, patet *ex diſp.* 3. vbi oſtendi, quando ratione ſaltem moraliter euidenti oſtendi meam concluſionem, eaque conſequenter manſit omninò certa; ad auferendam probabilitatem partis oppoſitæ non requiri, quod detur ſolutio euidens argumentis eius; ſed ſufficere ſolutionem probabilem. Cùm autem moraliter euidentia ſint argumenta, quæ protuli ad negandum practicè paruitatem materiæ in delectatione venerea deliberatè quæſita, vtique non teneor ad demonſtrandam ſolutionem argumentorum, aut diſparitatem, quam exhibeo.

170. *In aliis præceptis facile, in re venerea impoſſibile eſt diſcernere materiam paruam à magna.* Diſparitas autem in præſenti materia luce meridiana clarior eſt. Nam in cæteris præceptis facile eſt diſcernere materiam paruam à magna; in delectatione autem venerea deliberatè quæſita, aut acceptata, impoſſibile moraliter. Quæ ratio diſparitatis adeò manifeſta eſt, vt in cæteris præceptis aliquando denegetur paruitas materiæ practica, ob eandem rationem; quando ſcilicet contingit, vt homo ob tenuitatem ſui intellectus diſcernere nequeat inter materiam paruam & magnam, vt ſuprà diximus de eo, qui diſcernere neſcit inter materiam paruam & magnam in genere furti.

171. Duo continet hæc diſparitas. Primum, impoſſibile moraliter eſſe, diſcernere in delectatione venerea deliberatè intenta quantitatem magnam à parua. Secundum. Si id ſit verum, diſparitatem inter hoc & reliqua præcepta eſſe conſpicuam. Et quidem hoc ſecundo nihil euidentius: ſi enim ſtatuatur, eſſe impoſſibile in hoc præcepto diſcernere materiam paruam delectationis deliberatè acceptatæ à materia magna; cùm in cæteris ſit facile magnam à parua diſtinguere, diſcrimen patet latiſſimum inter vtrumque. Quod verò in hac materia impoſſibile ſit moraliter id diſcernere, tribus argumentis moraliter euidentibus oſtendi *cap.* 8. *& 9. & ſequentibus.*

Reſpondeo ſecundò concedendo conſequentiam, quod etiam in præcepto caſtitatis detur materiæ paruitas, dummodo hæc non admittatur in delectatione venerea deliberatè acceptata, & inter non coniugatos. Itaque paruitatem materiæ admittimus in eo, qui ex ioco tetigit manum fœminæ, & non propter delectationem veneream, & ſine periculo præuiſo vlterioris lapſus; & inuoluntariè paſſus eſt delectationem veneream. In quo caſu paruitas materiæ eſt tactus manus fœmineæ: & dicitur eſſe in re venerea, quia ille tactus aſſociatur delectatione venerea, quamvis inuoluntaria. In coniugatis etiam non refugimus concedere, multa eſſe venialia ex paruitate materiæ in actionibus, quæ aliqua ratione referuntur ad actum coniugalem. Nam in iis, quæ ad adulterium, pollutionem, aliaſque eiuſmodi ſpecies pertinent, & quæcumque non referuntur ad actum coniugalem, etiam in coniugatis paruitatem materiæ negamus. 172.

Reſpondeo tertiò negando, quod in cæteris præceptis detur materiæ paruitas: ſunt enim plurima, in quibus ea non inuenitur. Non enim reperies paruitatem materiæ in hæreſi, idololatria, profeſſione Iudaïſmi, odio Dei, periurio; ſuperſtitione, ieiunio naturali ad Euchariſtiæ ſumptionem requiſito, deſperatione, blaſphemia, & multis aliis. 173. *Plura præcepta ſunt, in quibus non inuenitur materia paruitas.*

Quartum argumentum proponit *eodem numero* 1716. & *in Regul. diſp.* 69. *num.* 1052. *D.* his verbis: [Non poteſt eſſe intrinſecè materia grauis moraliter, quæ entitatiuè eſt parua: atqui poteſt dari commotio venerea, quæ entitatiuè ſit parua: ergo poteſt dari ſenſualitas, quæ ſit materia parua. Maior eſt vera; leges enim non poſſunt obligare grauiter, ſi materia ſit leuis, vt probaui *n.* 41. Minorem efficaciter probo. Datur commotio venerea grauis, datur & inſenſibilis: ergo poterit dari talis, quæ ſit inſenſibili maior, & graui minor. Pater conſequentia. Nam datis duobus extremis, etiam media debent deſignari. Quod dentur commotiones venereæ inſenſibiles, conſtat clariſſimè. Primò, quia contingit, quempiam aliquando ſine aduertentia habere aliquam humectatem: hæc autem inſenſibiliter ſtillat, quæ ſine commotione venerea ſtillare non poteſt: ergo datur venerea commotio, quæ ſit verè inſenſibilis. Secundò Galenus in Medicinali arte, cui ſubſcribunt Ioannes Argenterius *comm.* 1. *pag. mihi* 110. Nicolaus Bieſius *ibid. à pag.* 14. *ad* 29. diſtinguit inter corpus ſanum & neutrum. Neutrum in tertio modò idem eſt, quod ægrotum medicè. Morbum medicum dicunt humorum deordinationem tam leuem, quæ ab ægro percipi non poſſit. Tali morbo laborant vniuerſi aliquibus diebus, antequam infirmentur grauiter. Senſibilem morbum illum appellant, qui eſt quantitatis ſenſibus proportionatæ: habent enim ſenſitiuæ potentiæ ſuos terminos magnitudinis & paruitatis.... Ex qua doctrina arguo ſic. Magis ſenſibilis eſt dolor, 174.

Digitized by Google

dolor, quàm luxuries: atqui dantur dolores medici, hoc eſt, inſenſibiles: ergo in re venerea dabuntur etiam commotiones medicæ, quæ ſenſu percipi non poſſint. Maiorem probat luxuriæ ipſa moroſitas, quæ tarda eſt, & quodammodo doloris antipes. Is namque eſt viuax, acutus, & celer: tactum luxuries moroſè afficit, quem dolor acutè & celeriter pungit: vnde vix videmus, dormientes à luxurie excitari; dolentes è contra vix quieſcere, & dormire.] Hucvſque argumentum Caramuelis, quod præterquam quod nihil nobis officit, multiplici ex pede claudicat.

175. Et quidem in prima eius propoſitione æquiuocationem parit, & quæſtionem de nomine id aduerbium *intrinſecè*. Poſſumus enim concedere, & poſſumus negare maiorem, diuerſimodè explicato eo termino *intrinſecè*. Quo termino ablato, ceſſat æquiuocatio, & quæſtio de nomine. Aſſerimus enim, materiam entitatiuè paruam, practicè fieri magnam, quando indiſcernibilis eſt parua à magna. Vt contingit in eo, qui neſcit diſcernere materiam furti paruam à magna; & in eo, qui ob tenebras, vel cæcitatem neſcit diſcernere inter nummum æreum, vel aureum, quem ſine diſcretione furatur.

Materia parua practicè fit magna, quando indiſcernibilis eſt parua à magna.

176. An autem in his & ſimilibus caſibus poſſit dici, materiam entitatiuè paruam, quatenus cadit ſub praxim, fieri intrinſecè magnam; quæſtio eſt de nomine. Et quia talis eſt, affirmanter, vel neganter poteſt reſponderi, ſub diuerſis ſenſibus. Nam ſi *intrinſecè* ſumatur pro eo quod ſe tenet præſciſe ex parte entitatis materiæ, idem erit intrinſecè & entitatiuè: & ſicut ſupponitur materia parua entitatiuè, ita quoque concedendum, quod non poſſit fieri magna intrinſecè.

177. Poteſt etiam *intrinſecè* ſumi, ita vt cadat etiam ſuprà illam reduplicationem, *quatenus cadit ſub praxim*. Nam quod eſt extrinſecum Petro, ſub aliqua reduplicatione poteſt eſſe illi intrinſecum. Petro enim extrinſecum eſt eſſe cognitum; tamen Petro reduplicatiuè prout viſo, intrinſecum eſt eſſe cognitum. Materia autem parua, *quatenus cadit ſub praxim*, eſt obiectum voluntatis, & intellectus; & hoc modo poteſt fieri magna, quà indiſcernibilis ab intellectu: & ita materia parua, *quatenus cadit ſub praxim*, & quatenus indiſcernibilis eſt à magna, poteſt intrinſecè fieri magna. Ita qui per errorem putat vnum nummum æreum eſſe materiam magnam furti, dum illum furatur, habet pro obiecto materiam magnam, & intrinſecè magnam, quà ſubeſt ei dictamini. Item materia parua entitatiuè, poteſt fieri moraliter magna intrinſecè, conſiderata materia reduplicatiuè prout ſubeſt tali præcepto, vt in exemplis mox ſubiiciendis.

Quo ſenſu materia entitatiuè parua fiat intrinſecè magna, quà cadit ſub praxim?

178. Quia tamen hæ ſubtilitates nec officiunt, nec proficiunt ad ſubſtantiam noſtræ ſententiæ, reſpondeo primò negando maiorem. Cuius ſexcenta ſunt exempla. Minimum fruſtrulum panis, vel gutta liquoris, ſunt materia entitatiuè parua; & tamen moraliter ſunt materia magna in ordine ad ieiunium naturale, quod prærequiritur ad communionem Euchariſtiæ. Et *intrinſecè* etiam magna, quia comeſtio fruſtruli, quamvis entitatiuè eſt parua; at reduplicatiuè, quatenus ſubeſt præcepto, vel quatenus ordinatur ad reuerentiam Euchariſtiæ eſt magna; & ſub ea reduplicatione eſt intriſecè magna. Et pomum vnicum eſt materia entitatiuè parua; & fuit materia moraliter magna tranſgreſſioni primorum Progenitorum humani generis, etiam *intrinſecè* ſub ſimili reduplicatione, quatenus ſuberat præcepto Dei; vel quatenus comeſtio eius pomi inhiita fuit ad recognoſcendum ſupremum Dei dominium.

Materia entitatiuè parua poteſt fieri moraliter magna.

Patet in multis exemplis.

179. Et verba conſecrationis panis ſunt materia entitatiuè parua; & tamen ſunt materia moraliter magna, quatenus ſunt conſtitutiuum eſſentiale ſacrificij; & ita intrinſecè magna.

180. Reſpondeo ſecundò, omiſſa maiori, & minori; & deſidero conſequentiam formalem, quæ his terminis proponi debuit: [Ergo poteſt dari commotio venerea, quæ nequeat eſſe intrinſecè materia grauis moraliter.] Quam conſequentiam ſic poſitam omitto. Nos enim non contendimus, omnem delectationem veneream eſſe moraliter magnam ab intrinſeco; ſed omnem delectationem veneream practicè eſſe moraliter magnam, ſiue id proueniat ab extrinſeco, ſiue proueniat ab intrinſeco. Sicut cùm dicimus fruſtulum minimum panis non eſſe paruitatem materiæ in ieiunio naturali requiſito ad ſumptionem Euchariſtiæ, non contendimus, quod illud fruſtulum ſit materia magna ab intrinſeco; ſatis enim eſt, quod ſit materia magna ab extrinſeco, hoc eſt, à fine, ad quem ordinatur, ſcilicet à reuerentia Euchariſtiæ.

181. Hinc patet, conſequentiam elicitam à Caramuele peccare in Dialecticam. Ecce: [Ergo poteſt dari ſenſualitas, quæ ſit materia parua.] Cùm in hac concluſione deficiat illa maior extremitas, [Non potens eſſe intrinſecè materia moraliter grauis.] Et ſi dicas, non fuiſſe elicitam conſequentiam formalem & immediatam, ſed conſequentiam mediatam: reſpondeo, hanc mediatam non inferri; eſt enim verum (id omitto) quod commotio venerea entitatiuè parua non poſſit eſſe ab intrinſeco materia moraliter magna; quæ erat conſequentia formaliter & immediatè elicienda: eſt tamen falſum abſolutè, quod poſſit dari commotio venerea, quæ ſit materia parua; quæ eſt conſequentia ab eo elicita, & quæ dicitur mediata. Nam vt verificetur, quod illa ſit materia moraliter magna, ſufficit, quod ſit magna ab extrinſeco, hoc eſt, ab indiſcernibilitate iam explicata.

182. Et cùm omiſerimus minorem, omnes probationes minoris etiam omittimus. Non omittam tamen notationes aliquas circa inefficaciam earum. Primò. Quod detur commotio venerea inſenſibilis, non ſufficienter probat. Nam quod aliquando fiat diſtillatio parua ſine aduertentia, non probat, quod tactus non ſenſerit, ſed quod intellectus non aduerterit, quia vehemens attentio ad alia obiecta abſtulit attentionem ad ſenſum potentiæ tactiuæ. Id quod accidit in cæteris ſenſibus: aliquando enim homo audit verba, aut ſonitum; & præ nimia attentione ad aliud obiectum, non attendit intellectus ad ea verba, vel ſonitum. Et aliunde non eſt credibile, quod commotio talis ſit, vt efficiat diſtillationem, & tamen ſit minima; nam quæ pertingit ad efficiendam

Dari commotionem inſenſibilem, ineſficaciter probat Caramuel.

Digitized by Google

ciendam diſtillationem, non habet minimam vim.

183. *Quod dolor magis ſenſibilis ſit, quàm luxuries, malè probatur.*

Secundò. Quod magis ſenſibilis ſit dolor, quàm luxuries (præterquam quod res oppoſiti ordinis rarò ſunt comparabiles, niſi in eo ipſo, in quo opponuntur) non probat. Nam quod dicit, luxuriem eſſe tardam, & dolorem viuacem, & acutum, ad libitum eſt: eſt enim luxuries, quæ certiſſimè ardet, & eſt dolor lentus & tepidus. Quod autem dicit, luxuriem vix excitare dormientem, & dolentem vix quieſcere & dormire, non videtur ad rem: nam cùm voluptas proportionata ſit ſomno & quieti; dolor autem incompatibilis cum quiete, non arguitur maior ſenſibilitas ex eo, quod iſte ſomnum impediat, non illa.

184. *Dari dolorem inſenſibilem, falſum eſt.*

Tertiò. Dari dolorem inſenſibilem, non aſſentior. Neque illud affirmant Medici à Caramuele citati. Dicunt enim, dari morbum inſenſibilem; non tamen dicunt, dari dolorem inſenſibilem. Dolor enim vt condiſtinguitur ab actu ſenſationis, eſt illa humorum intemperies, quæ ſenſum torquet: vnde quæ ſenſum non torquet, & quam ſenſus non percipit, non eſt dolor.

185. *A morbo inſenſibili ad ad commotionem inſenſibilem non eſt paritas.*

Quartò. A morbo inſenſibili ad commotionem ſpirituum genitalium inſenſibilem non videtur eſſe paritas, neque conſequentia. Quia putredo ſanguinis, quæ præcedit, antequam febrem efficiat, non eſt obiectum ſenſationis externæ; commotio autem eſt obiectum potentiæ tactiuæ, quatenus potentis producere actum delectationis circa illam.

186. *Licèt detur commotio inſenſibilis & grauis, non infertur, quod detur media.*

Quintò. Quamvis admittatur commotio venerea inſenſibilis, & commotio venerea grauis; non inde arguitur, futuram commotionem, quæ ſit media inter vtramque, & quæ nec ſit grauis, nec inſenſibilis. Etenim negari non poteſt, quod Deus poteſt præcipere, vel prohibere materiam de ſe leuem in ordine ad finem grauem, quæ relata ad talem finem erit grauis. Da ergo Deum prohibuiſſe quamlibet delectationem minimam propter finem grauem. In quo caſu commotio inſenſibilis non eſſet culpabilis, cùm circa illam nullum actum ſenſationis exerceret homo: & commotio parua, etſi cognita & determinata vt parua entitatiuè, eſſet moraliter grauis. Ergo ex eo quod detur inſenſibilis & grauis, non infertur, quod dari debeat delectatio, quæ nec ſit inſenſibilis, nec moraliter grauis.

187. Neque vrget, quod ſubiungit: [Si commotio venerea inſenſibilis continuè creſcat, & fiat magna, priùs erit parua, quàm magna.] Concedo enim, quod priùs erit parua entitatiuè, quàm magna; & nego, quod priùs erit parua moraliter, quàm magna. Et quidem in caſu noſtræ concluſionis non eſt priùs parua moraliter, quàm magna: quia ſtatim atque aliquis deliberatè intendit delectationem paruam, non poteſt diſcernere, an eliciturus ſit paruam, an magnam; vnde exponit ſe periculo eliciendi magnam: & hinc ſtatim atque incipit eſſe entitatiuè parua, moraliter euadit magna.

***

CAPVT XVI.

Euertuntur alia argumenta eiuſdem de eodem.

In litteris ad Dianam, quas ei quæſtioni inſeruit Caramuel in loco citato Theologiæ fundamentalis, varias aſſertiones affert Dianæ, & aliorum, in quibus probare conatur paruitatem materiæ in re venerea; quibus ex parte ſatisfeci, dum oſtendi, neque Dianam, neque eos Authores ſtare pro paruitate materiæ in re venerea. Quare ex illis, quæ reſtanr argumenta, in hoc capite proponentur, & ſoluentur; omiſſis illis, quæ pertinent ad coniugatos, quos noſtra concluſio non tangit in iis, quæ referuntur ad actum coniugalem, vt iam dixi. Vbi mihi etiam obiiciam argumenta, quibus probare conatur contra Dianam, dari delectationes leues, quæ non afferant periculum vlterioris lapſus. 188.

Quintum argumentum deſumi poteſt *ex numero* 1731. quod ſic proponit. [Illum qui confricat verenda brutorum, communiter peccare venialiter, docuit Sanch. *de matrim. tom.* 3. *lib.* 9. *diſp.* 46. *num.* 29. quia inde non excitatur vehemens delectatio: ergo delectatio, quæ non eſt vehemens, teſte Sanchez, eſt materia parua.] Simile eſt, quod proponit *n.* 1733. ex P. Granado 1.2. *controu.* 6. *tract.* 4. *diſputat.* 3. *num.* 3. [Non damnatur de mortali, inſpicere verenda beſtiarum, etiam turpiter commota. Quod verò attinet ad coitum, licèt ſine neceſſitate ſit mortale ſtudioſè aſpicere concubitum licitum, vel illicitum hominum, eo quod nimium ſenſualitatem commoueat, & ſit periculo nimis obnoxium: de coitu verò beſtiarum videtur id de ſe non eſſe mortale, quia non multùm prouocat ad luxuriam.] Ex quo hæc etiam conſequentia poteſt colligi: ergo datur prouocatio ad luxuriam, quæ non ſit multa, vel magna: ergo datur prouocatio parua. Sed ad prouocationem paruam non ſequitur delectatio magna, ſed parua: ergo dari poteſt delectatio parua venerea. 189.

Reſpondeo ex dictis *cap.* 6. *num.* 70. aliud eſſe quod cauſa delectationis venereæ leuiter influat in delectationem; & aliud quod delectatio deliberatè acceptata ſit leuis. Primum enim admittunt Authores citati, admitto & ego; ſed non ſecundum. Neque enim ſecundum infertur ex primo. Poteſt enim quis confricare verenda brutorum, vel aſpicere coitum illorum, quin velit deliberatè delectationem illam veneream, in quam talis confricatio, & talis aſpectus leuiter influunt. Eſt autem culpa venialis illa confricatio, & ille aſpectus, non quia interueniat parua delectatio deliberatè quæſita; hæc enim, vt diximus, eſſet culpa lethalis: ſed quia veniale eſt ſine cauſa graui ponere cauſam leuiter influentem in delectationem veneream. 190. *Licèt cauſa delectationis leuiter influat, non infertur delectatio leuis.* *Confricare verenda brutorum eſt veniale, non quia delectatio ſit leuis, ſed quia id leuiter influit ad delectationem.*

Et ita in primo caſu argumenti, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam; quia ibi non interuenit delectatio deliberatè intenta, quæ ſit materia parua; ſed paruus influxus, ſiue parua vis influxiua cauſæ in delectationem veneream. Similiter in ſecundo caſu concedo antecedens 191.

Digitized by Google

tecedens ex P.Granado. Cócedo item primam, & ſecundam conſequentiam, quod poſſit dari parua prouocatio ex parte cauſæ, id eſt, vis influendi in delectationem parua. Et antecedens ſubiunctum diſtinguo: Ad prouocationem paruam ſequitur delectatio parua, [quæ parua ſit, quatenus deliberatè quæſita,] nego; [quæ aliàs ſit parua,] omitto. Nihil enim officit, quod concedatur delectatio parua indeliberatè ſecuta ad illam cauſam leuiter influentem in delectationem.

192. Quod ſi inſtes: Ponere cauſam leuiter influentem in delectationem veneream, ſiue ponere prouocationem paruam, eſt paruitas materiæ in genere luxuriæ: ergo iam concedimus paruitatem materiæ in genere luxuriæ.

193. Dixi ſæpiùs, dummodo non ad admittatur paruitas materiæ in delectatione venerea deliberatè intenta, vel acceptata; in cæteris adiunctis, me non grauari illam admittere. Et hæc eſt reſponſio vniuerſalis pro multis, quæ obiicit Caramuel: quæ propterea hîc non propono.

194. Sextum argumentum *ex num.* 1754. vbi ex Diana hunc caſum proponit. [Quædam mulier inter confabulationem cum viro ſibi in matrimonium coniungendo, dicebat illi verba non quidem turpia, ſed affectuoſa & amatoria; vnde poſteà in pollutionem, aut diſtillationem incurrebat, ſine vlla tamen delectatione, vel periculo alicuius conſenſus, imò cum maxima diſplicentia; erat enim timoratæ conſcientiæ.] Et *num.* 1755. ſubdit: [Non eſſe huic fœminæ negandam abſolutionem, ais; & tamen illam ſcienter in pollutionem labi, ponis. An non delectationis vehementia poterit eam rapere, vt in eandem pollutionem conſentiat? Ergo, vel datur periculum, vel non datur? Si datur periculum proximum conſentiendi, neganda erit illi abſolutio; & in rigore iubendum, vt abſtineat à confabulationibus periculoſis, etiam cum damno perdendi vitam; non enim licèt exponere ſe proximo periculo peccandi. Si non datur periculum (quod caſus ſupponit) ego formabo argumentum à fortiori: & inferam, nullum dari periculum ſufficiens ad peccatum mortale in eo, qui digitum fœminæ laſciuæ ſtringit ſine pollutionis periculo; nam vehementiùs illicit ipſa pollutio, quàm quæcumque leuis delectatio; & tamen in ipſa pollutione ſcienter permiſſa tu tale periculum cognoſcis.]

195. Reſpondeo, caſum bene reſolui, dum adſit in fœmina nuptura cauſa vrgens ad non deſerendam eam occaſionem confabulationis. Et vt proponitur argumentum, nullam vim habet contra nos, qui non dicimus, eſſe periculum infallibile labendi in maius, in leui attactu manûs fœmineæ; ſed in intentione, aut conſenſu efficaci deliberatis in delectationem veneream, quantumvis paruam. Sed quia idem argumentum poteſt efformari, etiam contra eiuſmodi intentionem efficacem deliberatam delectationis paruæ.

196. Reſpondeo, diuerſum omninò iudicium de periculo efformandum eſſe circa eum, qui vult deliberatè delectationem paruam, nolens pertingere ad magnam; atque circa eum, qui quamvis patiatur pollutionem, nullam omninò delectationem intendit, nec per conſenſum admittit, ſiue paruam, ſiue magnam. Nam qui vult habere paruam delectationem, non eſt in poteſtate eius, quod euadat in ea menſura, quam intendit; quia eſt illi moraliter impoſſibile diſcernere inter paruam & magnam, vt conſtat ex dictis. At qui nullam omninò delectationem vult, quin imò omninò delectationi reſiſtit, & conſenſui; in ſua poteſtate habet non conſentire, & non incurrere periculum conſentiendi.

Diſparitas inter eum, qui polluitur ſine conſenſu in delectationem, & eum, qui paruam quærit.

Itaque cùm in caſu obiectionis interrogas, vel datur periculum, vel non datur? Reſpondeo, non dari. Ad probationem nego paritatem. Et diſparitatem iam oſtendi. Antecedens ſubiunctum diſtinguo: vehementiùs illicit ipſa pollutio, [cui fortiter & reſolutoriè reſiſtitur,] quàm quæcumque leuis delectatio, [quæ voluntariè intenditur,] nego; vehementiùs illicit ipſa pollutio, [voluntariè admiſſa, vel tepidè reiecta,] quàm quæcumque leuis delectatio, concedo. Quare ſi comparemus pollutionem ſecundùm ſe, & delectationem leuem ſecundùm ſe, incomparabiliter fortiùs allicit pollutio, quàm delectatio leuis. At ſi ſupponamus hominem ſic internis actibus diſpoſitum, vt vitet omne periculum conſenſus, comparando pollutionem ita fortiter reiectam cum delectatione leui procurata, maius eſt periculum in hac, quàm in illa. 197.

Pollutio, cui fortiter reſiſtitur, minùs affert periculi, quàm delectatio leuis procurata.

198. Dices. Pollutio inuoluntaria ſaltem afferet periculum alicuius paruæ delectationis deliberatè intentæ: ergo pollutio inuoluntaria ſemper affert non minus periculum, quàm ipſa delectatio parua deliberatè intenta.

199. Reſpondeo, aliquando pollutionem inuoluntariam afferre id periculum, fore tamen inuoluntarium in caſu poſito, ſicut eſt inuoluntaria pollutio. Quod ſi homo in pollutione inuoluntaria habeat voluntatem deliberatam fruendi parua aliqua voluptate pollutionis, periculum eſt voluntarium. Non enim aliter poteſt vitare periculum, niſi renitendo fortiter delectationi pollutionis. Quia, vt diximus, non eſt in poteſtate eius tantam delectationis menſuram admittere, & non ampliorem.

200. Idem omninò reſpondebis in aliis ſimilibus caſibus, quos proponit *num.* 1756. *&* 1757. in eo, qui ex neceſſitate fricat verenda, vel ad ſedandum pruritum morbificum, vel ad expellendum ſemen corruptum, cum periculo pollutionis, & ſine periculo conſenſus in illam. Idem in chirurgo, qui curationis cauſâ contrectat verenda infirmi cum periculo pollutionis, & ſine periculo conſenſus. Idem in curſore equitante, & ob id pollutionem patiente, & non conſentiente.

201. Septimum argumentum deſumitur *ex numero* 1760. Inter ſponſos de futuro non eſſe illicita mortaliter oſcula, & delectationem ex illis præſcisè conſurgentem, eſt probabilis ſententia multorum. Vel ergo in illis eſt periculum progrediendi vlteriùs ad delectationem lethalem, vel non eſt periculum? Si eſt periculum, malè affirmant, non eſſe illicita mortaliter. Si non eſt periculum in oſculis deliberatè adhibitis: ergo neque eſt periculum in delectatione deliberatè intenta.

An in ſponſis de futuro oſcula libidinoſa non ſint mortalia.

202. Reſpondeo primò, me omittere, eam ſententiam eſſe probabilem, niſi fortè damnatio quadrageſimæ propoſitionis facta ab Alexandro

xandro VII. ei ſententiæ præiudicat. Et ſub hac hypotheſi nego in iis oſculis eſſe periculum vlterioris lapſus, quando non ſunt illicita mortaliter; nam quando eſt periculum pollutionis, vel copulæ, vel tactus impudici, ſunt culpæ lethales. De quo vide P. Thomam Sanch. *lib. 9. de matrim. diſp. 46. à n. 45.* Deinde nego conſequentiam, & reddo diſparitatem. Quia in ſponſis de futuro, iuxta eos Authores, non eſt lethale intendere delectationem magnam, quæ ſit abſque periculo pollutionis, &c. Et ita quando quærunt aliquam delectationem grauem cum periculo admittendi maiorem, & ſine periculo incidendi in pollutionem, copulam, tactum impudicum, &c. non peccant lethaliter, cùm nec in ipſa delectatione maiori ſit illis peccatum lethale. At qui deliberatè intendit delectationem paruam, quia nequit diſcernere inter paruam & magnam, eſt cum manifeſto periculo incidendi in magnam.

203\. Inſtabis. Ideò qui deliberatè quærit delectationem paruam, incurrit periculum incidendi in magnam, quia non poteſt diſcernere inter paruam & magnam: ſed ſponſus de futuro, qui vacat oſculis, quærendo deliberatè in illis eam delectationem grauem, quæ conſurgit præſciſè ex ipſis oſculis, non poteſt diſcernere inter commotionem grauem, quæ eſt vltima diſpoſitio ad pollutionem, & inter aliam commotionem grauem, ſed illâ minorem: ergo dum hanc minorem intendit, incurrit periculum incidendi in illam maiorem: ergo ſemper peccabit lethaliter.

204\. Reſpondeo, maximè diſcernibilem eſſe illam commotionem ſpirituum genitalium, quæ proximè prouocat ad pollutionem; neque homines deliberatè operantes, pati in eo deceptionem, cùm ſit res maximè diſcernibilis. Quare neganda eſt minor. Quod ſi non diſcernat, peccabit mortaliter: quod plerumq; contingit.

Reſpondeo ſecūdò, & præcipuè, iuxta meam 205.
ſententiam, quam teneo, etiam independenter à dānatione Alexandri VII. qua damnauit quadrageſimam propoſitionē (de quo vide *diſp. 9. c. 20. art. 1.*) ſponſis de futuro licita eſſe amplexus & oſcula pudica; non autem amplexus & oſcula libidinoſa: licita eſſe amplexus, & oſcula, dummodo reſiſtant delectationi venereæ, & commotioni ex illis conſurgenti. Nam cùm illis liceant ſolùm augendæ beneuolentiæ cauſâ, non licet illis conſenſum præbere delectationi venereæ, quæ ad copulam ordinatur, nondum illis licitam. Dum ergo non conceditur licita (imò affirmatur, inter illos eſſe grauiter illicita) delectatio vlla quæſita, vel acceptata, nihil eſt, quod officiat noſtræ ſententiæ. Et ita nego, eam ſententiam eſſe ab intrinſeco probabilem, & poſt damnationem Alexandri VII. puto, non eſſe, etiam ab extrinſeco. Et ſanè percipere non poſſum, quomodo ab Authoribus eius ſententiæ componantur hæc duo: & quod ſponſi de futuro habeant ius ad ea oſcula, & ad commotionem ex illis conſurgentem; & quod aliunde ſit culpa venialis ea exercere. Non enim eſt poſſibile ius illicitū, & iure naturę prohibitum, quamvis ſub culpa veniali. Nemo enim habet ius ad violandam legem naturæ. Nec ſatis eſt, ſi dicas, etiam inter coniugatos ea oſcula eſſe venialia, ſi exerceantur propter finem delectationis. Nam ſponſi non poſſunt habere finem honeſtum, ad quem ordinetur ea delectatio venerea, qualem habent coniugati.

TRACTATVS VI.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

DISPVTATIO XLVI.

An peccata dubia ſint neceſſariò confeſſione ſacramentali exponenda?

CAPVT PRIMVM.

Proponitur ſententia negatiua Caramuelis. Et examinatur authoritas, quæ illi ſuffragatur.

1\. *Multa de dubio falſa tradit Caram.* ANTE quæſtionis reſolutionem, multa ſupponit Caramuel, quæ manifeſtè falſa ſunt, vt demonſtraui *tract. 1. de Probabilitate,* præcipuè *diſp. 6.* Primò enim malè definit dubium. Secundò ſupponit, in eodem intellectu concurrere poſſe ſcientiam, opinionem, & dubiū de eodem obiecto. Tertiò, nōn poſſe verſari dubitationem inter rationes vtrimque probabiles. Quartò, dubium negatiuū eſſe virtualiter poſitiuum. Quintò, impoſſibilem eſſe caſum, in quo quis dubitet de commiſſione peccati. Quæ omnia eſſe falſa, cōſtat apertè ex prędicta *diſp. 6.* omninò videnda ad clariorem notitiam huius quæſtionis, & in eiuſdem diſputationis *c. 7.* videbis quid ſit dubiū poſitiuum & negatiuum. Breuiter autem dico, dubiū negatiuum eſſe id, in quo nulla ratio affulget pro altera parte cōtradictionis. Poſitiuū verò id, in quo pro vtraq; vel altera parte aliqua ratio affulget. *Quid ſit dubium poſitiuum, quid negatiuum?*

2\. *Quid ſit dubium probabile, quid improbabile?* Sed prænotandum eſt, dubium probabile non eſſe idem, quod dubium poſitiuum, neque idem, quod dubiū verſans inter rationes probabiles. Etenim dubium probabile eſt dubium prudens, ſiue dignum viro prudente. Sicut dubium im-

Digitized by Google

probabile eſt dubium, quando adeſt fundamentum ad non dubitandum: vt cùm quis habet ſufficiens fundamentum, vt ſit certus, vel ferè certus de aliquo obiecto; & nihilominus dubitat: quod dici poteſt dubium irrationabile; quia cùm habet homo fundamentum vrgens ad aſſenſum, adhuc dubitat; qualis fuit D.Thomæ Apoſtoli dubitatio de Reſurrectione Chriſti; & qualis etiam dubitatio hominis ſcrupuloſi. Et de re quidem negari non poteſt, aliquando prudenter dubitari de aliqua re, aut ſaltem non imprudenter; aliquando verò dubitari imprudenter. Quando enim eſt ratio vrgens ad deponendum dubium, imprudenter dubitatur; & id meritò dicitur dubium improbabile. Quando autem non eſt ratio, quæ vrgeat ad illud deponendum, prudenter dubitatur, & vocatur dubium probabile.

3. *S.Antonin.*

Id notauit in primis S.Antoninus *3.part.tit.* 14.*c.*19. §. 8. Cùm enim exponeret obligationem confitendi peccata mortalia dubia, ſubdidit: [Intelligitur de dubio probabili, quod habet rationem non magis ad vnam partem, quàm ad aliam: hoc eſt propriè dubitare. Secus eſt de dubio ſcrupuli.] Eadem eſt mens tum aliorum, tum P.Stephani Bauni *tract.5.de Pœnit. quæſt.* 3. in verbis citatis à Caramuele *in eo loco Theolog. fundam. num.* 1922. [Non quilibet adultus, ſed dumtaxat, qui reus eſt, ſibique verè peccati alicuius actualis conſcius, quod ſcit eſſe mortale, vel *de quo probabiliter dubitat*, an ſit tale, obligatur hoc præcepto.] Dicit autem, *de quo probabiliter dubitat*, ad diſtinctionem ſcrupuloſi, qui dubitat, ſed non probabiliter; dubitat enim, quando habet rationem vrgentem ad deponendum dubium. Et hinc colliges, perperam Caramuelem ea verba P. Stephani interpretari de aſſenſu probabili; cùm dubitare probabiliter non ſit aſſentiri probabiliter: aſſenſus enim & dubitatio non ſunt confundenda. Dubia autem improbabilia non eſſe confitenda ſupponunt DD. cùm agunt de conſcientia ſcrupuloſa.

4. *Duplex modus, quo peccatum poteſt eſſe dubium.*

Deinde dupliciter poteſt contingere, quod peccatum ſit dubium. Primò ita vt dubitet, an commiſerit talem actionem, quam certò ſcit eſſe mortalem, v.g. an habuerit delectationem moroſam de copula cogitata. Secundò ita vt certus ſit, ſe commiſiſſe talem actionem; dubitat tamen, an fuerit mortalis, an venialis, vel licita omninò. Quod genus dubij ſi procedat ex ignorantia iuris, certum eſt, quod pœnitens debet interrogare, an hîc & nunc peccauerit, necne? Et quæſtio non eſt de dubio ob ignorantiam iuris, ſed ob ignorantiam, ſiue dubitationem facti: v. g. ſcit Petrus ſe aliquem aſſenſum præbuiſſe delectationi moroſæ, dubitat tamen, an plenè deliberatum, an potiùs cum ſemiplena deliberatione.

5. Tertium alium modum adiungit Caramuel, ſicut alij Authores, videlicet cùm quis certò ſcit, ſe peccaſſe mortaliter, dubitat tamen, in qua ſpecie. Vt cùm certò ſcit, ſe habuiſſe copulam carnalem, dubitat tamen an in ſpecie adulterij, an ſacrilegij, an ſimplicis fornicationis. Vel etiam cùm quis recordatur, ſe commiſiſſe peccatum mortale in genere, ſed cuius ſpeciei non omninò recordatur. Sed hunc tertium modum pro quæſtione præſenti negligo: eſt enim apud omnes certiſſimũ, teneri te confiteri quidquid eſt certũ. Quod autem dubium eſt, debes confiteri, ſi peccata dubia ſunt confitenda; ſi autem non ſunt confitẽda, non teneris.

Hîc tractari ſolet ea quæſtio, an peccata probabilia teneamur confiteri, id eſt, ea peccata, quæ probabiliter credimus commiſſa, vel probabiliter credimus non commiſſa. 6. Sed quia præcipua lis eſt de iis peccatis, quorum nullam probabilitatem habemus, ideò de his agemus priùs, poſteà in fine diſputationis de peccatis probabilibus tractaturi.

7. *Ait, nullam eſſe obligationem confitendi peccata dubia.*

Igitur peccata omninò dubia primo, vel ſecundo modo, non eſſe neceſſariò confitenda, multis contendit Caramuel *in Theolog. fund. à n.*1883. *vſque ad n.* 1997. *fund.*66. *& in Theolog. moral. lib.*3. *diſp.*4. *n.*1478. ad quam aſſertionem comprobandam multa fundamenta adducit, digna, quæ ad criſim Theologicam trahantur.

8. *Citat pro ſua opinione 22. Authores.*

Et primum quidem illud eſt ab authoritate petitum. Citat autem Caramuel viginti & duos Authores pro hac aſſertione. PP. Baldellum, Salas, Coninckum, Laymannum, Stephanum Bauni, Ioannem Præpoſitum, Leſſium, Iacobum Granado, Amicum, Ioannem Martinon, Theſes Louanienſes, Theſes Viennenſes, vtraſque propugnatas à noſtræ Societatis Doctoribus; quibus adde iudicium Patrum Reuiſorum Soc. Iesv, à Præpoſito Generali deputatorum ad recognoſcendos libros, qui typis ſunt mandandi. Item Decium Cyrillum, Marchinum, Authores caſuum Bononienſium, Ioſephum à Ianuario, Martinum à S. Ioſeph, & Marchantium, Syluium, & Meranum.

9. *Granado.*

Et in primis P. Granado, quamvis pro hac ſententia communiter citetur, expreſsè tamen habet oppoſitam ſententiam, niſi in dubio, pro quo deponendo ſunt probabiles rationes. Audi ipſum *3.part.controu.*6.*tract.*10.*diſp.*7.*num.* 13. [Dicit etiam Henriq. *lib.*8.*c.*45.§.3.*litt.P.* cum Paludano, Antonino, & Tabiena, in vero dubio, *an habeas peccatum lethale*, poſſe accedere ad Euchariſtiam ſine confeſſione, *deponendo dubium.*] Nota ea verba *deponendo dubium.* Sed quodnam dubium debet deponere, niſi quod immediatè antè propoſuit? ſcilicet *dubium, an habeas peccatum mortale.* Illud autem dubium ſpeculatiuum deponi non poteſt, niſi per rationes probabiles ſimul occurrentes. Et nota etiam Patrem Granado non id affirmanter dixiſſe, ſed ſolùm retuliſſe ſententiam Patris Henriquez, nec reprobaſſe.

10. Hanc eſſe mentem Patris Granado, excipe ex eius calamo. Nam *controu.*7.*tract.* 9.*diſp.*7. latè probat, peccata dubia eſſe confitenda: & *n.*3. referens iterum eam ſententiam P.Henriqui, ait: [Imò Henriq. *lib.*2.*de Pœnit.c.*3.§.7.& *c.*4. §.5. id ipſum docet: imò in loco *lib.*8. ſuprà relato, diſertè docet, peccata dubia cofitenda eſſe. Quare quod *ibid.* innuere videtur, dum fauet parti contrariæ, reiiciendum eſt, vel intelligendum de dubio minùs proprio, quod nimirum probabili ratione deponi poſſit.] Ideò *ibid.* ſic aſſerit. [Certa tamen omninò ſententia eſt, peccata mortalia dubia eſſe declaranda ſub dubio in confeſſione, declaratis ſimul ſub eodem dubio circumſtantiis & numero, ſicut de peccatis certis poſteà dicemus.]

11. *Coninck.*

P.Ægidius de Coninck licèt ex parte faueat huic ſententiæ, quando dubitat quis, an fecerit aliquam actionem, quam ſcit eſſe peccatum mortale;

Digitized by Google

mortale; refragatur tamen, quando quis certus eſt, feciſſe ſe aliquam actionem, de qua dubitat negatiuè, an ſit mortalis. Nam ea verba Ægidij relata à Caramuele *num.* 1920. [Requiritur, vt ſaltem probabiliter poſſim iudicare me peccauiſſe;] intelligit, vera eſſe in circumſtantiis primi caſus, non ſecundi.

Præpoſitus.

P. Ioannes Præpoſitus loquitur in eodem ſenſu ac P. Ægidius. Sed tamen adhuc affirmat in praxi non recedendum à communi opinione.

Leſſius.

Quod idem intellige de P. Leſſio, quem P. Præpoſitus dicit à ſe conſultum, & ipſi viſam eſſe ſpeculatiuè probabilem in primo caſu.

12. Baldellus. Salas.

P. Baldellus *lib.* 4. *diſp.* 8. *n.* 98. & apud ipſum P. Salas, ne vnum quidem verbum habent, quo ei ſententiæ ſuffragentur. Solùm enim ponunt regulas generales quod [In dubiis nemo debet præſumi obligatus,] & quod [Reo eſt fauendum, quando partium iura ſunt obſcura,] *ex cap. cùm ſunt, de regul. iur. in* 6. & aſſerunt, eas regulas in foro etiam interno conſcientiæ valere. Sed hoc totum non eſt ad rem. Inde enim nihil inferri pro omittenda confeſſione peccati dubij, conſtat. Nam his non obſtantibus, potuit Chriſtus Dominus inſtituere, quod in Sacramento Pœnitentiæ teneantur Fideles confiteri peccata mortalia dubia. Et ita inſtituiſſe, videtur eſſe communis ſententia Doctorum. Quod autem ex regulis iuris humani non ſint interpretandæ leges poſitiuæ diuinæ, conſtat ex dicendis *cap.* 3. *articul.* 5. ad primum argumentum.

13. Layman.

P. Layman *lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 4. §. 4. *num.* 37. etſi inclinet in eam ſententiam, nihil tamen determinat, ſed aliorum iudicio remittit.

Bauni.

P. Stephanus Bauni *tract.* 5. *de Pœnit. quæſt.* 3. dum ait, quod nemo tenetur ad confitendum peccatum, niſi [quod ſcit eſſe mortale, vel de quo *probabiliter dubitat*;] manifeſtè agere videtur de dubio prudenti, & ſolùm excludere dubium imprudens & irrationabile. De quo vide ſuprà *num.* 3.

Decius.

Decius Cytillus non eſt ad rem, vt manifeſtè patebit legenti eius verba apud Caramuelem *num.* 1928.

Syluius. Meranus.

Siluius & Meranus *n.* 1929. loquuntur expreſsè in caſu, in quo quis probabiliter credit, ſe non peccaſſe.

14. Theſes Louan. & Vien.

Quod attinet ad theſes Louanienſes & Viennenſes, quas refert Caramuel *n.* 1930. non magnam apud nos Hiſpanos habent authoritatem, apud quos propugnatores illarum incogniti ſunt. Si enim iuxta ſententiam Caramuelis, Authores, qui ex aliis tranſcribunt, non addunt probabilitatem, quomodo ſciemus nos, eos propugnatores tantâ præſtare doctrinâ, vt in ea excellant eos, qui ſcripſerunt compilando ex aliis? Fortè vbi cogniti ſunt, magnam doctrinæ authoritatem habebunt; tamen apud noſtrates, dum incogniti, nullam. Vide *diſputat.* 11. *cap.*....

15. Ianuar.

Quare Authores, qui verè referri poſſunt pro hac ſententia ex iis quos refert Caramuel, hi ſunt. Ioſephus à Ianuario *part.* 2. *ſelectar. reſol.* 69. *num.* 6. licèt innixus argumentis ſophiſticis, vt oſtendam *cap.* 2. *artic.* 4. & 5.

Ferrant. Reuiſores S. I.

P. Ferrantinus *de ſcandalo quæſt.* 77. & apud hunc Reuiſores Romani Societ. Iesv, à Præpoſito Generali deputati ad examen librorum, qui edendi ſunt in lucem; qui propterea non tenuem videntur habere authoritatem, eo quod Societas ad hoc munus non eligat, niſi Theologos doctrinâ præſtantes. Ij enim aſſerunt, eam ſententiam poſſe permitti in ſcholis Societatis.

Martinon. Marchant. Mart. à S. Ioſeph. Amicus.

In qua cenſura refertur etiam pro ea ſententia P. Ioannes Martinon *tract.* 5. *diſt.* 50. *ſect.* 8. *num.* 21. & Marchantius *in tab. Sacram. tract.* 4. *tit.* 6. Item apud eundem Ferrantinum Martinus à S. Ioſeph *tom.* 1. *lib.* 1. *de Pœnit. tract.* 6. *num.* 1. Citari etiam poteſt P. Amicus *diſp.* 13. *de Pœnit. num.* 55. quatenus ait, vtramque ſententiam eſſe probabilem; poſteriorem tamen (quod confitenda ſint peccata dubia) probabiliorem eſſe propter authoritatem Doctorum.

Verde. Geſuald.

Item eam docet Franciſcus Verde *in Apolog. contra anti-Caramuel. quæſtione* 12. *à num.* 589. & apud ipſum Geſualdus *part.* 1. *tractat.* 17. *cap.* 4. *de Pœnit. capite* 1.

16.

Auſonius Noctinot in ſumma Dianæ refert Marchinum *cap.* 17. *num.* 1. & Authores caſuum Bononienſ. pro eadem ſententia, quod non ſint confitenda neceſſariò peccata dubia. Eos quidem Authores videre non potui, neque eorum verba ab aliquo relata. Et fortè pro eadem ſententia ſunt.

17. *Caram. vult ſuam opinionem eſſe demonſtratam.*

Et vt mireris, quàm varia ſunt hominum ingenia, cùm alij Authores formidant aſſerere, id eſſe probabile; Caramuel non eſt contentus, ſi dicatur probabile eſſe, quod peccata dubia non ſint neceſſariò confitenda. Concedit enim, id eſſe certiſſimum, & à nullo viro docto negari poſſe. Nam *n.* 1996. ait: [Huc vſque, vt puto, certiſſimè oſtendi, peccata dubia non debere neceſſariò ſubiici clauibus Eccleſiæ.] Et *num.* 1993. cùm propoſuiſſet theſim propugnatam, inter alias, in Collegio Romano Societatis Iesv, anno 1655. in cuius fine dicitur: [Comprehendit (præceptum confeſſionis) ſub ſe peccata lethalia, etiam dubia;] ſubiungit Caramuel: [Non ſine admiratione legi lineam vltimam; putabam enim demonſtrari, peccata dubia non pertinere ad confeſſionem.] Deinde refert aliam theſin in eodem Collegio in alia concertatione propugnatam, cuius tenor hic erat: [Præceptum de hac confeſſione comprehendit ſub ſe omnia peccata lethalia, etiam dubia.] Subditque immediatè Caramuel: [Legi & relegi; & quia videbatur impoſſibile, propoſitionem hanc, ſi meo lexico ſtemus, à doctiſſimis viris defendi, ſuſpicari incepi, latère aliquam æquiuocationem.] Vides, quàm certam velit eſſe Caramuel hanc ſuam ſententiam. Sed quibus euidentiæ inſtrumentis? Iam videbis.

CAPVT II.

Criſis argumentorum, quibus vult Caramuel, ſuam ſententiam eſſe demonſtratam.

ARTICVLVS I.

Criſis primi argumenti.

18. *An probet aliquid ana-*

PRimum eius argumentum eſt, quod proponit *num.* 1895. in hæc verba: [Confeſſionis tribunal eſt analogum tribunali forenſi &

Digitized by Google

logia Tribunalis forenſis, & interni! & litigioſo; vtrumque enim conſtituitur Actore, Reo, Teſtibus, & Iudice. In confeſſionis tribunali Iudex, qui confeſſarius; Reus pœnitens, in quantum peccauit; Actor, ipſemet pœnitens, in quantum Deum amans, & peccata fragiliter commiſſa deteſtans. Teſtimonia ſunt rationes graues, & infallibiles, quibus actio fundatur. Atqui in tribunali Mechlinienſi hæ accuſationes, *Appello de latrocinio Sortem, quia dubito, vtrum furatus fuerit: Ambroſium, quia tametſi nullus teſtis id aſſerat, fortè furatus eſt: Anſelmum, quia eſt vnum indicium leue*; & huiuſmodi aliæ admitti non debent: ergo nec in Tribunali confeſſionis.]

19. *Argumentum delinquit in Logicam.* Precor lectorem meum, vt accuratè conſideret, in quantis delinquat hic ſyllogiſmus. Delinquit primò in forma arguendi. Nam in ſimili forma ibimus in abſurda mille. Hic enim ſeruat eandem formam: [Homo pictus analogus eſt homini vero: atqui homo verus loquitur, ſentit, & diſcurrit: ergo homo pictus loquitur, ſentit, & diſcurrit.] Item iſte: [Scriptura eſt analoga vocibus articulatis: ſed ſcriptura non ſonat, nec fit motu labiorum: ergo neque voces articulatæ ſonant, nec fiunt motu labiorum.] Quæ forma vt rectè concluderet, debebat procedere maior cum vniuerſalitate: [Iſtud eſt analogum illi in omnibus, & per omnia.] Dum autem dicit vtrumque tribunal eſſe analogum in aliquibus, nempe in eo quod detur in vtroque Actor, Reus, Teſtes, & Iudex; malè infert, quod in reliquis vnum alteri aſſimilandum ſit.

20. *Militat contra aſſertiones euidentes.* Delinquit ſecundò, quòd idem argumentum ex analogia vtriuſque tribunalis deſumptum, militat eodem modo contra aſſertiones alias euidentes admiſſas, & admittendas ab ipſo Caramuele. Nam ſub eadem forma probo, non poſſe abſolui ſub conditione moribundum, qui ſigna dedit contritionis (vel qui non dedit, vt affirmat Caramuel.) Etenim vtrumque tribunal eſt analogum, vtpote conſtitutum Actore, Reo, &c. ſed in tribunali Mechlinienſi nemo abſoluitur ſub ea conditione, *ſi bene probauit*: neque in foro ſacramentali abſoluitur ſub ea conditione, *ſi benè*, &c. Similiter poteris probare, nullum peccatorem abſolui in foro pœnitentiæ; quia in tribunali forenſi nullus reus conuictus abſoluitur, ſed condemnatur: & ſexcenta alia his ſimilia.

21. *An quia quæſtio eſt de facto, malè arguat à paritate?* Delinquit tertiò. Nam quæſtio præſens eſt, an Chriſtus D. inſtituerit, quod peccata dubia exponantur in foro Sacramentali? Et quod potuerit ita inſtituere, indubitabile eſt: & quod ita de facto inſtituerit, eſt ſententia communis Theologorum. Quomodo ergo probatur, Chriſtum D. non inſtituiſſe, vt exponerentur peccata dubia, ex eo quod in Mechlinienſi foro nemo accuſari poſſit de peccatis dubiis? Numquid Chriſtus ad inſtitutionem Sacramenti ſui obſeruare debuit leges tribunalis forenſis?

22. Quod ſi iterum recurras ad hoc, quod Chriſtus illud inſtituit analogum tribunali forenſi; iterum ego recurro de argumentum factum: nam dum dicis illud inſtituiſſe analogum tribunali forenſi in aliquibus, & non in omnibus; peccas contra Dialecticam, ſi contendis, ex eo quod ſit analogum in aliquibus, debere eſſe analogum in hoc; cùm à particulari ad ſingulare illegitima ſit conſequentia: alioqui hæc eſſet bona, [Aliquis homo eſt indoctus: ergo Petrus eſt indoctus.]

Delinquit quartò, quia conſtituit paritatem in eo, in quo ſunt duæ diſparitates meridiana luce clariores. Prima eſt, quia licèt demus, peccata dubia non eſſe neceſſariò confitenda, atque adeò non pertinere neceſſariò ad tribunal pœnitentiæ ſacramentalis; tamen certiſſimum eſt, ſi quis peccata dubia tantummodo confiteatur, poſſe validè abſolui, vt concedit ipſe Caramuel *num.* 1996. concluſione tertia. Et in eo, qui in articulo mortis ſolùm haberet peccatum dubium, & non ſibi ſatisfaceret de contritione charitate formata, id admittit *num.* 1921. Ex quo fit, tribunal forenſe, & pœnitentiæ forum in eo manifeſtè differre, quod in vno poſſit fieri accuſatio de peccatis dubiis, in altero autem non poſſit. Et audire vellem à Caramuele ſolutionem exhibendam ei, qui ſimili argumento probaret, neque in articulo mortis poſſe aliquem ſe accuſare de peccato dubio, eo quod in nulla circunſtantia poteſt in Tribunali Mechlinienſi accuſari quis de latrocinio dubio. 23. *Prima diſparitas euidens.*

Altera quoque diſparitatis ratio manifeſta eſt. Nam forenſe tribunal non ordinatur ad purificandam animam ab omni labe ſceleris, ſicut ordinatur tribunal confeſſionis: & ideò homo, qui hanc puritatem amat, & amicitiam actualem Dei deſiderat, non ſolùm procurat media vt deleantur peccata certa, ſed etiam dubia: nam qui hanc puritatem animi & amicitiam Dei deſiderat, cùm dubius eſt de peccato lethali commiſſo, agnoſcit contingentiam eius amicitiæ deperditæ, & vult ab ea contingentia liberari, & ſecurum reddere, quantum poteſt, ſuum deſiderium per media proportionata, quale eſt Sacramentum Pœnitentiæ cum abſolutione ſaltem ſub conditione data. Quam animi puritatem cùm non tribuat tribunal Mechlinienſe, quid mirum quod in eo non fiat accuſatio peccati dubij, nec procuretur ſententia conditionata? 24. *Secunda diſparitas euidens.*

Eiſdem vitiis laborat confirmatio argumenti, quam proponit *num.* 1900. in hæc verba. [In nullo forenſi tribunali poteſt quis condemnare pœna aliqua determinata reum, antequam ſit conuictus; ſententia enim, quæ virum condemnat, quem tueri, & abſoluere poſſet, iniqua eſt: ergo nec in confeſſionis tribunali. Ergo confitenti crimen dubium, imponi nequit pœnitentia certa, nec dari ſine conditione abſolutio. Igitur cùm ais, *Si furatus ſum, me accuſo*; confeſſarius, *Si verè furatus es, ego tibi talem impono pœnitentiam, abſoluo, &c.* Sed quidquid alij clament, hoc non eſt ferre ſententiam, hoc non eſt reum mulctare, hoc non eſt eum abſoluere.] 25.

Eiſdem, inquam, vitiis laborat. Primò. Nam ex eo quod vtrumque tribunal ſit ſimile in aliquibus, vult eſſe debere ſimile in hoc. Quam conſequentiam probare deberet: imò non debuit, quia non potuit. Secundò, quia militat contra abſolutionem moribundo datam ſub conditione; cui ſub conditione, *ſi reſtitueretur ſanitati*, potuit adhiberi pœnitentia ſatisfactoria 26.

Digitized by Google

factoria pro complemento eius confeſſionis, & abſolutionis conditionatæ : imò & contra abſolutionem conditionalem datam accuſanti ſe ſpontaneè de peccato dubio, ſiue intra articulum mortis, ſiue extra; quod admittit Caramuel ſuprà cit. *n.* 23. Tertiò, quia quidquid ſit de tribunali forenſi, Chriſtus potuit aliter diſponere; & de facto inſtituiſſe affirmant DD. ex communi praxi Eccleſiæ. Vnde ex praxi tribunalis forenſis malè arguitur, non poſſe aliter eſſe praxim fori ſacramentalis.

27. Quartò. Propter diſparitates euidentes. Nam quod poſſit quis accuſare ſe voluntariè (etiam ſi abſque neceſſitate præcepti) in foro pœnitentiæ de peccato dubiò, & accipere validè abſolutionem conditionatam, admittit Caramuel, imò & licitè; conſequenterque debet admittere, quod poſſit illi imponi pœna ſatisfactoria certa pro eo peccato dubio pro complemento Sacramenti conditionati; quæ in eſſe ſatisfactionis Sacramentalis eſſet conditionata, modo inferiùs explicando; quod non licet in tribunali forenſi. Item cùm ordinetur ad puritatem animi forum ſacramentale, quam adquirere poteſt homo à peccato dubio, ſi fortè reatum incurrerat, rectè congruit huic confeſſio peccati dubij cum impoſitione pœnæ ſatisfactoriæ certæ: ſecus tribunali forenſi, quod puritatem animi non confert.

28. *An cùm quis ſponte confitetur peccatū dubiū, poſſit ei imponi pœna certa?*

Deinde arguo. Quando homo ſpōtanè confitetur peccatum dubium (dato quod non teneatur) nec poteſt aliud cōfiteri; poteſt abſolui conditionatè, & accipere pœnitentiam certam pro ſatisfactione; & ſi verè deliquit, eſt vera abſolutio, & verum Sacramentum, vt admittit Caramuel: ergo etiamſi ex præcepto teneatur, eſt vera abſolutio, & verum Sacramentum. Conſequentia patet; quia quidquid bonum, & licitum eſt, factum ſpontaneè; ſi illud fiat ex præcepto, æquè bonum, & æquè licitum eſt; niſi fortè magis bonum, & magis licitum, ex merito obediendi.

Et quid ſi confiteatur ex obligatione?

29. Tertia diſparitas.

Sed & tertiam diſparitatem aſſignare potes ex ipſis terminis argumenti. Etenim ſententia Sacerdotis imponentis pœnitentiam ſatisfactoriam, & abſoluentis, non eſt ſententia condemnatoria, ſed quædam magna indulgentia & fauor. Nam dum Sacerdos tibi imponit pœnitentiam certam pro peccato dubio, pro ea pœnitentia certa cum abſolutione conditionata adquiris ſecuritatem probabilem remiſſionis culpæ & partialis ſaltem pœnæ, quam antea non habebas; quam quidem non multo pretio emis. Ea enim ſecuritas (ſi ita dicere liceat) magno pretio digna eſt; & cùm tibi aſſignat Sacerdos eam pœnitentiam, non imponit tantum pretium, quanti valet ea ſecuritas; non ergo ea impoſitio pœnitentiæ iniqua eſt. Cùm autem tribunal foreuſe non det eam remiſſionem & iuſtificationem conditionalem pro ſecuritate conſcientiæ; inde eſt, quod ſit iniqua ſententia pœnam imponens pro peccato dubio. Et cùm eius ſententia ſit condemnatoria, ſententia autem fori ſacramentalis ſit indultoria, inde eſt, quod iſta ſit iuſta, & illa iniqua.

30. *Quomodo pœna ſit Sacramentalis in confeſſione peccati dubij.*

In eo autem caſu ſolius peccati dubij in confeſſione expoſiti, & pœnitentiæ certæ aſſignatæ, ea pœnitentia eſſet pœna ſatisfactoria ſacramentalis, ſi verum peccatum commiſſum fuiſſet; ſi autem non fuiſſet commiſſum, ea pœnitentia eſſet ſatisfactio extra-ſacramentalis; fauorabiliter tamen data pro ea ſecuritate remiſſionis.

31. *Quomodo ſtaret analogia vtriuſque Tribunalis?*

Et quidem ſimile eſſet forenſe tribunal, ſi caſus ita fingeretur. Da, incolas alicuius oppidi non poſſe aſcendere ad dignitates, qui delicta commiſiſſent, dum hæc in forenſi tribunali non eſſent punita: at verò poſtquam punita eſſent, iam reatum illum amittere, nec impediri aſcendere ad dignitates. His ita ſtatutis, Petrus commiſit delictum, & eius oblitus, poſtea dubitauit, an commiſiſſet, & aſpirans ad dignitatem, cogitat intra ſe, poſſe æmulos obiicere delictum, ſi fortè patrauit, & ad æmulorum notitiam peruenit. Ne ita impediretur aſcendere dignitatem, poſſet comparere coram iudice, & ita ſe accuſare: [Dubito an hoc delictum publicum commiſerim; cupio, ſi commiſi, purus eſſe à reatu; poſtulo vt infligatur mihi pœna condigna, vt nunquam delictum meum appareat impunitum.] In quo caſu poſſet Iudex ferre ſententiam eius ſupplicij; quod quidem eſſet ſupplicium conditionatum, ſub ea conditione, ſi commiſiſſet delictum: quod ſi non commiſiſſet, non ſupplicium eſſet, ſed grauamen voluntariè ſuſceptum pro ſecuritate dignitatis obtinendæ.

32. Quare ſecundum conſequens confirmationis ſic diſtingues: ergo confitenti crimen dubium, imponi nequit pœnitentia certa, [quæ ſit certa in genere ſatisfactionis ſacramentalis,] concedo; [quæ ſit certa in genere ſatisfactionis extra-ſacramentalis, & conditionalis in genere ſatisfactionis ſacramentalis,] nego. Nam pœnitentia impoſita à confeſſario in eo caſu ſolùm eſt conditionalis in genere ſatisfactionis ſacramentalis; ſicut conditionalis eſt ipſa abſolutio, licèt ſit in ſe certa & determinata; & item in genere ſatisfactionis extra-ſacramentalis, per quam (ſi non commiſiſſet id peccatum) mereretur diminutionem pœnæ aliorum peccatorum; ſicut meretur homo per alia opera ſatisfactoria.

33. Deinde ad ſecundam partem eius conſequentiæ, concedo, non dari in eo euentu abſolutionem ſine conditione. Deinde ſubſecutum antecedens diſtinguo: Id non eſt reum abſoluere [abſolutione conditionali,] nego; [abſolutione abſoluta,] concedo: quod explicabitur ampliùs articulo ſequenti.

Articvlvs II.

Criſis ſecundi argumenti.

34. Secundum argumentum (quod vocat confirmationem primam) proponit *num* 1896. in hæc verba: [Pœnitenti legitimè debet confeſſarius abſolutionem impendere: atqui abſolui non poteſt abſolutè, qui ad tuos pedes prouoluitur, & ait; *Domine, vtrum furatus fuerim, dubito; ſi verè furatus ſim, me accuſo; aliàs non.* Vel fortè: *Scio quidem, me furatum fuiſſe, at quantitatem neſcio: ſi fuerit leuis, non me accuſo; non enim leuia teneor confiteri: ſi autem fuerit grauis, me accuſo.* Quod non poſſit abſolui abſolutè, demonſtro; quia abſolutio abſoluta requirit materiam certam & abſolutam, quæ in huiuſmodi confeſſionibus non reperitur.]

Digitized by Google

35. Tranſit ad præoccupandas duas reſponſiones eius argumenti, & ita ait: [Huic argumento bifariam poſſunt Authores reſpondere. Alij enim volunt, certam aliquam materiam adiungi: alij nullam certam adiungi, ſed abſolutionem dari ſub conditione. Sed vtramque reſponſionem eſſe abſolutè inſufficientem, clariſſimè probabo.]

36. Priorem priùs, poſteriorem poſteriùs impugnat. Proponam priùs poſterioris impugnationem, quia de eâ priùs mihi agendum eſt. Ita inquit *n.* 1899. [Solutio altera diſplicet: abſolutio enim conditionata non eſt certa abſolutio, ſed fortaſſis erit: & qui ſic abſoluit, non conficit Sacramentum conditionatum, ſed fortè conficit abſolutum, & fortè non. Explico me. Aliud eſt, dari Sacramentum certum, quod abluat peccata dubia; aliud, & omninò diuerſum, dari formam, quæ fortè ſit ſacramentalis, fortè non. Cum dicis: *Si non es baptizatus, ego te baptizo, &c. Si verè peccaſti, ego te abſoluo*; non conficitur Sacramentum certum, quod deleat peccatum (originale, vel actuale) dubium, ſed proferuntur verba, quæ fortè Sacramentum conſtituent, fortè non conſtituent: ergo non eſt certum, dari obligationem confitendi peccata dubia. Probatur conſequentia. Quia in tali caſu ſacramentalis abſolutio fortè eſt poſſibilis, & fortè impoſſibilis: atqui impoſſibilia non obligant: ergo fortè obligat, & fortè non obligat: ergo non datur obligatio certa: ergo nec dubia. Probatur, quia dum dubitatur, an detur talis obligatio, ſtandum eſt pro libertate, quæ præceſſerat.]

37. Primam autem reſponſionem, quod peccato dubio alia materia certa adiungenda ſit, acriter & prolixè impugnat ex eo quod iuxta definitionem Tridentini *ſeſſ.* 14. *c.* 5. peccata venialia *taceri citra culpam...poſſunt*: & nemo tenetur peccata mortalia iam confeſſa iterum confiteri. Cùm autem Authores eius reſponſionis dicant, per accidens poſſe inſurgere obligationem confitendi venialia, vt ſcilicet adiungantur peccato dubio; contra eam reſponſionem ſic inſtat: [Vbi obiter vellem ſcire, an credas, illa verba Concilij eo ſenſu, quo ab ipſo ſunt tradita, eſſe fide tenenda? Si hoc ſcias, ſcies ſubinde eſſe hęreticum, qui pertinaciter aliquod dogma defenderit contra canonicam propoſitionem. Cùm autem hæc vniuerſalis ſit, omnem exceptionem excludit, futura aliàs falſa, ſi vel in vno caſu fallat.]

38. Et cùm deinde ſibi opponat, etiam ſacræ Scripturæ teſtimonia ſæpe reſtringi, & aliquas exceptiones pati, inſtat: [Nemini priuato homini conceſſum, vt vniuerſales propoſitiones, & reuelatas à Spiritu Sancto reſtringat: illæ enim quæ hodie reſtringuntur, ſummo totius Eccleſiæ conſilio reſtringuntur, & hoc propter rationes fortiſſimas, quæ in præſenti locum non habent.]

39. Addit deinde *n.* 1898. [Prætereà hanc confitendi venialia, aut mortalia iam confeſſa repetendi obligationem, quæ dicitur ſuboriri per accidens, eſſe omninò fictam, oſtendo. Habeat Petrus vnum & ſolum peccatum dubium, nullum veniale, nullum aliud mortale. Et inquiro, an iſte teneatur materiam aliquam certam adiungere? Si caſus poſſibilitatem negas, rem clariſſimam negas; quia Petrus poteſt donari priuilegio impeccabilitatis, vel ſaltem præſeruari, ne peccet. Et præter priuilegium, illis primis horis, quibus vti ratione incipit, potuit habere mortale dubium ante certum mortale, aut veniale. Item adultus poteſt obliuioni mandaſſe omnia certa, tam grauia, quàm leuia, & ſolum dubium memoriâ retinere: ergo vel peccatum dubium non pertinet ad materiam pœnitentiæ, vel aliâ viâ debent deleri, quàm per additionem certæ, & determinatæ materiæ.]

Hoc argumentum, & impugnatio poſterioris reſponſionis, quam primo loco propoſui, ſi quam vim habet, pugnat contra Authores vtriuſque reſponſionis. Nam Authores, qui dicunt, peccato dubio venialia eſſe adiungenda in confeſſione, admittunt, validam eſſe, & licitam confeſſionem ſolius peccati dubij bona fide factam cum abſolutione conditionali. Ideò pro vtriſque Authoribus diſcutienda eſt vis huius argumenti. 40.

Tota ergo vis eius argumenti à dolo ſophiſtico & mera æquiuocatione procedit. Quod manifeſtè patet. Nullum enim euidentius ſignum eſt doli ſophiſtici, quàm pugnare ſub eadem forma contra aſſertiones certiſſimas & euidentes. Atqui eodem modo militat id argumentum contra obligationem ſuſcipiendi Baptiſmum ſub conditione ab eo, qui prudenter dubitat, an ſit baptizatus. In quo caſu poſſe & debere Baptiſmum dari ſub conditione, definiuit Alexander III. *c.* 2. *de Baptiſmo*, his verbis: *De quibus dubium eſt, an baptizati fuerint, baptizentur, his verbis præmiſſis: Si baptizatus es, non te baptizo; ſed ſi nondum baptizatus es, ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Quod idem tanquam praxim Eccleſiæ docet Catechiſmus Romanus cap. de Baptiſmo. Et ſtatuitur in Manuali *can.* 18. *de Baptiſmo.* 41. *Argumentum pugnat citra obligationem ſuſcipiendi Baptiſmum ſub cõditione.*

Retorqueo ergo argumentum. Forma baptiſmi conditionalis non eſt certa forma ſacramentalis (cùm non ſit certum, tunc confici Sacramentum) ſed fortaſſis erit: ergo non eſt certum, dari obligationem baptizandi ſub conditione eum, qui habet baptiſmum dubium. Probatur conſequentia. Quia in tali caſu forma ſacramentalis baptiſmi fortè eſt poſſibilis, & fortè impoſſibilis (nam ſtante vera conditione forma ſacramentalis eſt poſſibilis, imò exiſtens; & deficiente conditione, impoſſibile eſt, quod ſit forma ſacramentalis, cùm impoſſibile ſit, quod conditionatum, deficiente conditione, tranſeat in abſolutum.) Atqui impoſſibilia non obligant: ergo is baptiſmus conditionalis, eiuſque forma ſacramentalis fortè obligat, & fortè non obligat: ergo non datur obligatio certa: ergo nec dubia. Dubia enim obligatio non tenet, ſed libertatem intactam relinquit; & ſtandum eſt pro libertate, quæ præceſſerat. Qui ergo verè dubius eſt de baptiſmo ſuſcepto, poterit ſe exponere æternæ damnationis periculo; non enim erit obligatus baptiſmum ſuſcipere ſub conditione; quia nullus eſt euentus, etiam periculi æternæ ſalutis, in quo quis obligetur ad impoſſibile, nec poterit baptiſmum abſolutum recipere, ne iteretur Sacramentum. 42.

Idem argumentum militat contra ſententiam, quam latè defendit Caramuel *in Theolog. fund. à num.* 1848. *fundam.* 66. nempe abſolui debere ſub conditione moribundum, qui nulla pœnitentiæ ſigna dedit. Imò contra ſententiam 43. *Et contra abſolutionem moribundo exhibendam ſub conditione.*

tiam

tiam communem, quam à fortiori ipſe amplecti tenetur, obligari Sacerdotem ad impendẽdam abſolutionem ſub conditione moribundo, qui ſigna dubia contritionis dedit. Ergo in hoc caſu eſt obligatio certa dandi abſolutionem conditionatam. Quomodo ergo ſatisfaciet Caram. ſuo argumento, quod eandem vim habeat contra has duas aſſertiones? Nam illa abſolutio moribundo data ſub conditione, non eſt certa abſolutio, ſed fortaſſis erit: ergo, non eſt certum, dari obligationem impendendi eam abſolutionem conditionatam. Quia in tali caſu ſacramentalis abſolutio fortè eſt poſſibilis, fortè impoſſibilis. Poſſibilis quidem, ſi moribundus eſt rectè diſpoſitus. Impoſſibilis, ſi moribundo deeſt diſpoſitio neceſſaria; cùm abſque diſpoſitione neceſſaria impoſſibilis ſit abſolutio ſacramentalis formaliter. Si ergo fortè eſt poſſibilis, & fortè impoſſibilis, fortè obligat, & fortè non obligat: ergo dubium eſt, an obliget: ergo non certò obligat.

44. Sic etiam militat id argumentum contra aſſertionem à Caramuele traditam, quod qui in articulo mortis habet peccatum dubium, nec recordatur alterius peccati, nec ſibi ſatisfacit de contritione perfectâ, nec poteſt aliud recipere Sacramentum, tenetur confiteri peccatum dubium, vt abſolutionem conditionalem accipiat. Sed nunquid, quia eſt articulus mortis, non verificabitur, quod in eo caſu fortè ſit poſſibilis, fortè impoſſibilis abſolutio ſacramentalis? Nam etiam in articulo mortis, ſi verè non extitit peccatum, impoſſibilis manet abſolutio ſacramentalis. Ergo cùm etiam in articulo mortis fortè ſi poſſibilis, & fortè impoſſibilis; etiam in articulo mortis fortè obligat, & fortè non obligat: ergo etiam in articulo mortis dubium eſt, an obliget.

45. *Ea ratio probat, certum de peccato, & dubium de confeſſione, non teneri ad confeſſionem.*

Militat etiam hoc argumentum contra ſententiam certam, quam ipſe Caramuel amplectitur *num.* 1975. nempe certum de peccato mortali commiſſo, & dubium de confeſſione, teneri ad confeſſionem illius. Eodem enim modo efformari poteſt hoc argumentum contra illam, vt reipſa affirmat theſis Viennenſis citanda *diſp. ſequenti*, *cap.* 3. quod debuiſſet ſoluere Caramuel, vtpote inſtrumentum contra ipſum. Vide in quot, & qualia barathra deducat ſophiſtica æquiuocatio.

46. Reſponſio ad argumentum.

Quæ vt manifeſtè reueletur, ſic in forma reſpondebis argumento. Concedendum eſt, quod ille ſaltem, qui nullius alterius peccati recordetur, teneatur confiteri peccatum ſub dubio, & debeat abſolui ſub conditione. Concedo item, quod ea non eſt abſolutio ſacramentalis certa, ſed quæ fortaſſis erit ſacramentalis, ſi nimirum peccatum verè commiſſum fuerit. Item, quod Sacerdos tunc non conficit certò ſacramentum, ſed quod fortaſſe erit ſacramentum. Deinde nego conſequentiam, quæ infert non eſſe certum dari obligationem confitendi peccata dubia. Ad probationem concedo maiorem, quod abſolutio ſacramentalis, formaliter vt talis, in eo euentu fortè eſt poſſibilis, & fortè impoſſibilis; quia cùm dubitetur, an detur peccatum; dubitatur, an detur materia, ſupra quam de facto poſſit cadere abſolutio, quæ reipſa ſit ſacramentalis.

47. Minorem autem diſtinguo claritatis gratiâ, quia in ea minori latet æquiuocatio. Impoſſibilia [determinatè ſumpta,] non obligant, concedo; impoſſibilia [diſiunctiuè ſumpta, id eſt, ea quæ ſunt impoſſibilia, vel poſſibilia,] non obligant, nego. Datur enim obligatio ſubeundi abſolutionem conditionalem, dum neſcitur, an vt ſacramentalis, ſit poſſibilis, vel impoſſibilis. Quod idem eſt, ac dari obligationem ad rem poſſibilem vel impoſſibilem; ſiue dari obligationem ad diſiunctum.

Quomodo ſit obligatio ad diſiunctum abſolutionis poſſibilis, vel impoſſibilis?

48. Deinde nego conſequentiam, quæ infert, quod in tali caſu ſacramentalis abſolutio fortè obligat, & fortè non obligat. Nam ſi ſumatur ea abſolutio, quà impoſſibilis eſt determinatè, ex ſuppoſitione, quod non habeat materiam, ſupra quam cadat, nec certò, nec fortaſſe obligat. Illa autem ſacramentalis abſolutio, diſiunctiuè poſſibilis, vel impoſſibilis (id eſt, vel habens, vel non habens materiam) certò obligat, quia datur certa obligatio ad diſiunctum illius vt poſſibilis, vel impoſſibilis.

49. *Patet in abſolutione conditionali moribundi, & in baptiſmo conditionali.*

Et quidem quod poſſit dari obligatio ad rem, quæ diſiunctiuè eſt poſſibilis, vel impoſſibilis, eſt indubitabile. Etenim moribundo, qui dubia ſigna contritionis dedit, tenetur Sacerdos obligatione certa dandi abſolutionem conditionalem: ſed ea abſolutio in eſſe ſacramentalis eſt poſſibilis, vel impoſſibilis; ſcilicet dum neſcitur, an detur materia, ſupra quam poſſit cadere: ergo datur obligatio certa ad diſiunctum, ſiue ad rem, quæ eſt poſſibilis, vel impoſſibilis. Quod idem argumentum efformari poteſt in baptiſmo conditionato, iuxta dicta ſuprà *num.* 42.

50. Da ergo, Apoſtolos ex inſtitutione Chriſti præcepiſſe confeſſionem peccati dubij expreſſis verbis, per formulam ſimilem illi, quam protulit Alexander III. circa baptiſmum, in hunc modum. [Qui dubitant, an peccauerint lethaliter, abſoluantur, his verbis præmiſſis: *Si non peccaſti, non te abſoluo; ſed ſi peccaſti, ego te abſoluo*, &c.] Nam vel potuit Chriſtus ita præcipere, vel non potuit? Si ſecundum dicas, non ſolùm negas ſententiam aſſerentem, peccata dubia eſſe exponenda, ſed illam contendis omninò impoſſibilem. Quæ eſt prouincia valdè difficilis, præcipuè cùm non ſatis probes, illam de facto eſſe falſam. Si autem dicas; id ita præcipere potuiſſe; infero: ergo præciperet Chriſtus aliquid, quod fortè non obligaret, iuxta terminos eius argumenti à Caramuele propoſiti. Tamen iuxta veram & certam Metaphyſicam obligaret (ſicut de facto obligat iuxta communem ſententiam) ad abſolutionem ſacramentalem, quæ ſub diſiuncto eſt poſſibilis, vel impoſſibilis reſpectu conſcientiæ noſtræ.

51. *Probabile eſt peccato dubio adiungi debere materiam certam.*

Quod attinet ad reſponſionem alteram, quam acriter impugnat Caramuel, aſſero, eam reſponſionem eſſe probabilem. Authores enim illius, ideò dicunt debere adiungi materiam certam pro remiſſione peccati dubij, quia probabiliter putant eſſe irreuerentiam Sacramenti proferri formam etiam conditionaliter abſque neceſſitate, expoſitam contingentiæ carendi effectu. Sicut eſſet irreuerentia extra caſum dubium, vel neceſſitatis baptizare hominem conditionaliter. Et ita extra caſum neceſſitatis peccaret, qui peccato dubio non adiungit ma-

teriam certam; ne abſolutio, etſi conditionalis, exponatur contingentiæ carendi effectu. Quod autem in fine proponit, vt poſſit homo abſolui conditionaliter, quia poteſt dari caſus, in quo non detur, niſi peccatum dubium; non negant Authores eius reſponſionis, qui putant, in caſu neceſſitatis nullam irrogari Sacramento iniuriam, ſi abſque materia certa detur ſub conditione abſolutio, vt fatentur in caſu moribundi. Imò, vt ſuprà dixi *num.* 40. fatentur quod poſſit dari abſolutio valida & licita conditionalis abſque materia certa, etiam extra caſum neceſſitatis, ſi quis bona fide credat, id licere.

52\. *Poteſt homo per accidens obligari ad cõfitenda venialia.*

Quod verò addit, eſſe contra Tridentinum obligare ad confitenda venialia, quia definit, venialia *taceri citra culpam poſſe*; non conuincit. Reſpondent enim pluſquam probabiliter, ſenſum verborum Concilij eſſe, quod peccata per ſe & ratione ſui taceri citra culpam poſſint, non verò loqui per accidens & ratione alterius præcepti adiuncti. Quem ſenſum veriſſimum eſſe, clarè oſtendo. Si quis enim morti proximus habeat vnum peccatum mortale certum, quod confiteri non poſſit cum Sacerdote præſenti, ſcilicet ne veniat in notitiam grauis infamia alterius; vel quia eſt peccatum iniuriæ maximæ in ipſum Sacerdotem, ex cuius notitia Sacerdos inducatur in grauiſſimum odium pœnitentis, aut ex alia ſimili circumſtantia; & præter id recordetur ſolùm venialium, nec ſibi ſatisfaciat de contritione perfecta, nec præſto ſibi ſit aliud ſacramentum, tenetur confiteri venialia, vt ita indirectè abſoluatur ab illo mortali, & ſic non exponatur periculo æternæ damnationis. Ergo datur caſus, in quo tenetur quis confiteri venialia, non per ſe & ratione illorum, ſed per accidens & ratione alterius præcepti, nempe reddendi ſecuram ſuam ſalutem æternam. Ergo manifeſtum eſt, quod Concilium loquitur de peccatis venialibus tacendis per ſe; non autem refragari obligationi per accidens confitendi illa.

Datur caſus, in quo id eſt indubitabile.

53\. Cùm ergo per accidens poſſit eſſe obligatio confitendi venialia, probabiliter dicitur, quod qui habet peccatum dubium, ob reuerentiam Sacramenti, & ne abſque neceſſitate, aut iuſta cauſa detur abſolutio conditionalis abſque effectu, tenetur adiungere venialia certa, vt detur abſolutio abſoluta.

54\. Neque vrgent impugnationes Caramuelis. Fateor enim, ea verba eſſe credenda de Fide in ſenſu tradito à Concilio. Hunc autem eſſe ſenſum Concilij, vrgentiſſimè probatur argumento proximè facto in moribundo, qui in eo caſu tenetur confiteri venialia, vt ſecuram reddat ſalutem æternam. Eſt enim verum, nemini licere limitare propoſitionem vniuerſalem Fidei, niſi ex vrgentiſſimo fundamento, aut iuxta expoſitionem communiter receptam. Vtrumque autem datur in præſenti. De vrgentiſſimo argumento conſtat, quale eſt proximè factum. De communi expoſitionè conſtabit *art.* 5. *num.* 101.

55\. *Licet impendere abſolutionem ſub conditione, cùm ſolùm exponitur pec. dubium.*

Dato autem, quod in hoc caſu peccati dubij non teneatur homo adiicere peccata venialia, cenſeo, poſſe dari abſolutionem ſub conditione licitè & validè, quando quis confitetur peccatum dubium. Non enim fit iniuria Sacramento per hoc, quod forma Sacramenti proferatur conditionaliter, quando ad id eſt cauſa grauis: atqui ſemper datur cauſa grauis, vt ita poſſit dari ſuppoſito, quod non teneatur homo venialia, aut mortalia iam ſemel confeſſa ſubiicere clauibus. Eſt enim cauſa grauis, quod hic & nunc reddat ſe ſecurum de remiſſione peccati dubij, & conſecutione gratiæ, ſaltem ſecuritate probabili. Aliud eſt, quando Sacerdos abſque vlla materia certa aut dubia abſolueret aliquem: nam licèt conditionalis nihil ponat in eſſe, & ideò non falſificentur ea verba, adhuc eſt irreuerentia abſque graui cauſa proferre verba abſolutionis, etiam conditionalis.

Irreuerentia eſt abſoluere ſub conditione abſque vlla materia.

Articvlvs III.

Criſis tertij argumenti.

Tertium argumentum, quod proponit *num.* 1900. & apud ipſum eſt confirmatio tertia, ſic habet. [Scrupuloſis ſuadeo, ne confiteantur dubia; & nemo auderet ſuadere, ne confiteantur peccata certa: ergo non eſt æqualis obligatio. Conſequentia videtur euidens. Secunda antecedentis pars ab omnibus admiſſa. Prima à quamplurimis, nempe à Layman *Theolog. moral. lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 4. §. 4. *num.* 37. Diana *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 60. *ſub finem*, Præpoſito *quæſt.* 5. *de Confeſſ. dub.* 3. *num.* 115. Tum ſic. Omiſſio peccati certi in nullo caſu conſulenda eſt: & omiſſio dubij ſcrupuloſo pœnitenti conſulitur: ergo hæc omiſſio non militat contra inſtitutionem & integritatem Sacramenti: ergo ſi contra hanc non militat, etiam non ſcrupuloſis conſuli poteſt; bene enim confeſſio ſacramentalis fit, ſi ita fiat, vt inſtitutio & integritas inuiolata ſeruetur.] 56.

Hoc argumentum ita vrget Caramuel. Et negat? Et ſæpius negat, ſe defendere eam aſſertionem, quod certus de peccato, & dubius de confeſſione, non tenetur confiteri? Cùm pro ſcrupuloſis eadem ſit ratio de peccato dubio, & de confeſſione dubia. De quo vberiùs *diſp. ſequenti.* 57.

58\. *Id argumentum probat, omitti poſſe peccata, quæ quivis putat certa.*

Et vt videas, quàm fallax ſit hoc argumentum, eodem tenore probo, peccata mortalia certa non eſſe materiam neceſſariam confeſſionis; (& ne reueles hoc argumentum Lutheranis, reponent enim inter ſua ſophiſmata.) Pro quo præmitto quod mihi ſæpe contigit cum aliquibus ſcrupuloſis vehementer timidis. Dicebat quidam: *Volo accuſare me de quodam peccato mortali, quod commiſi.* Rogabam ego, certúſne es, te id commiſiſſe. Reſpondebat: *Certus.* Vrgebam: *Tam certus es, vt poſſis iurare?* Satisfaciebat: *Tam certus ſum, vt poſſim iurare.* Sed necdum mihi ſatisfaciens, vrſi ego: *Iura ergo per Crucem Chriſti, & ſacra eius Euangelia, te commiſiſſe id ſcelus.* Tunc reuocare gradum, nec ad iurandum audere; & credere tandem, ſe dubium eſſe de ſcelere, non certum. Quare conſului, ne id ſcelus confiteretur, nec alia ſimilis certitudinis: & apud me decreui non audire peccata eius, quantumvis certa reputaret, niſi priùs iureiurando ſe obſtringeret pro affirmatione eius; quia ita oportebat ad ſpiritualem eius medelam.

Tum ſic argumentor. In aliquibus caſibus conſulitur ſcrupuloſis, ne confiteantur peccata, quæ 59.

Digitized by Google

quæ ipſi exiſtimant certa; & tamen id non eſt contra integritatem confeſſionis: ergo in aliquibus caſibus non violatur integritas confeſſionis, quamvis non confiteatur pœnitens peccata, quæ exiſtimat certa. Ergo ſi ſemel ſaluatur, quod non violetur integritas confeſſionis, quamvis pœnitens ſcrupuloſus non confiteatur peccata, quæ exiſtimat certa; etiam quilibet non ſcrupuloſus poterit non confiteri peccata, quæ exiſtimat certa. Vide quanta paritas ſit à ſcrupuloſo ad non ſcrupuloſum; & conſequenter quanta efficacitas inſit prædicto argumento.

60. *In ſcrupuloſo eſt graue fũdamentum ad credendũ in dubio, eum non peccaſſe.*

Itaque Authores, qui conſulunt ſcrupuloſo, ne confiteatur peccata dubia, non ideò conſulunt præſciſè, quia ea dubia ſunt; ſed quia mens ſcrupulis vexata magnum habet fundamentum, vt credat, ſe non peccare, niſi certò ſciat, ſe peccaſſe. Audi P. Thomam Sanch. *lib. 1. ſum. cap. 10. num. 82. Primum* (remedium) *eſt ei ſuadere, vt nihil mortale eſſe putet, niſi tale eſſe norit certò, & abſque formidine vlla. Hoc tradunt Azor tom. 1. Inſtit. moral. lib. 2. cap. 10. quæſt. vlt. Vaſquez 1. 2. quæſt. 19. art. 6. diſp. 67. cap. 2. ad finem. Qui optimè addit, poſſe interdum quempiam adeò ſcrupulis vexari, vt ipſi ſuadere expediat, ne aliquid eſſe mortale exiſtimet, niſi quod tale eſſe, poſſit iureiurando affirmare.* Vides, quomodo non vtcumque conſulitur ſcrupuloſo omittere peccata dubia; ſed quia quæ ipſi dubia exiſtimant, debent reputare non commiſſa, ex magno & valde probabili fundamento, quod ipſa ſcrupulorum confuſio præſtat. Itaque non omittit ſcrupuloſus dubia, quia dubia ſunt; ſed quia valde probabile exiſtimatur, ea non fuiſſe commiſſa.

61. Eòdem recidit, quod ipſe P. Thom. Sanch. dixit *num. 84. Tertium remedium eſt, vt confeſſarius nullatenus ſcrupuloſo permittat ſcrupulos confiteri, ſed ea ſola, quæ apertè norit eſſe peccata; atque eius dubia in meliorem partem interpretetur. Sic Azor ibid.* Quid enim eſt, dubia in meliorem partem interpretari, niſi iudicare cum fundamento probabili, ea non fuiſſe peccata, vel non fuiſſe commiſſa. Conſulitur ergo illi, vt ea dubia non confiteatur, quia habet fundamentum probabile ad putandum, ſe non peccaſſe.

62. His adde, peccata imprudenter & irrationabiliter dubia non eſſe confitenda, vt dixi *cap. 1.* Dubia autem hominis ſcrupuloſi ſunt imprudenter & irrationabiliter dubia, quia dubitat abſque fundamento dubitandi, & cùm magnum habet fundamentum ad deponendum dubium.

63. Ad argumentum ergo reſpondebis diſtinguendo maiorem: ſcrupuloſis ſuadetur, ne confiteantur peccata dubia, [præſciſè quia dubia, nego; [quia dubia in viro ſcrupuloſo non reputantur dubia, vel quia eſt fundamentum probabile ad putandum, ea non eſſe dubia,] concedo. Ad ſyllogiſmum ſubſecutum, diſtinguo maiorem: Omiſſio peccati in nullo caſu conſulenda eſt, [ſi datur fundamentum ad iudicandum eſſe apparenter certum & reuerà incertum, & falsò exiſtimatum,] nego; [ſi non detur id fundamentum,] concedo. Vnde patet manifeſtè ad reliquas propoſitiones, & conſequentias ſubiunctas. Vide rationem à priori *in addit. num. 61.*

ARTICVLVS IV.

Criſis quarti argumenti.

CAramuel in eadem quæſtione Theologiæ fundamentalis *n. 1931.* proponit duo argumenta ex Ioſepho de Ianuario; quæ quia valde commendat Caramuel, & ſuæ quæſtioni ad maiorem confirmationem ingerit, examinanda quoque veniunt in præſenti. Laudat in primis Authorem ſic: [D. Ioſephus de Ianuario eſt vir ingenioſus & doctus, qui maioris facit vnam rationem fortem, quàm illos omnes, qui numerum Authorum ſequuntur.] Et in margine addit: [Hic liber modò imprimitur, & illum tanti facio, vt moræ impatiens foliatim legam, & eius rationibus, vbi occaſio poſtulat, meas ſententias confirmo.] Eſt ergo neceſſe hæc duo eius argumenta ad criſim trahere, quia illis Caramuel ſuam ſententiam confirmat. Illa poſuit hic Author *part. 2. ſelectar. reſol. 69. num. 6.* 64.

Primum ſic inchoat Ianuarius. [Nouo fundamento id euidenter oſtendo. Quia peccata illa dubia, vel ſunt materia neceſſaria, vel voluntaria Sacramenti Pœnitentiæ? Non enim dici poteſt quod ſint voluntaria: ergo debemus dicere, quod ſint materia neceſſatia. Sed materia neceſſaria Sacramenti Pœnitentiæ trahit neceſſariò formam, ſeu exigit neceſſariò formam abſolutionis ad componendum Sacramentum Pœnitentiæ. Sed peccata dubia poſſunt non eſſe; res enim, de qua dubitatur, exiſtimatur eſſe, & reuerà non eſt; & exiſtimatur non eſſe, & reuerà eſt; hoc enim neceſſariò fert ſecum dubium: (*Vide quàm ſit falſa propoſitio præcedens; nam qui dubitat, non exiſtimat rem eſſe, neque rem non eſſe; ſed ſuſpenſus manet, quin ſe determinet ad alteram partem.*) Ergo ſi peccatum dubium reuerà non eſt; id quod non eſt, trahit neceſſariò formam: ſed hoc eſt abſurdum, quia quod neceſſariò trahit, debet neceſſariò eſſe; cùm tractio ſit actio, ſiue moralis, ſiue phyſica: ergo etiam implicat, quod peccata dubia ſint materia neceſſaria Sacramenti Pœnitentiæ. Nec valet dici quod trahat neceſſariò formam conditionatam; quia debet neceſſariò trahere formam, dum eſt materia abſoluta, vt clariùs infrà. 65.

Confirmatur. Quia peccata dicuntur dubia, non in ordine ad ſeipſa, quaſi reuerà eſſent, & non eſſent; ſed in ordine ad intellectum, qui certum iudicium ferre non poteſt circa tale obiectum, nempe circa peccata dubia; ſed implicat dicere, quod peccata, quæ ſunt, trahant formam conditionatam; vel quæ non ſunt, trahant, ſeu exigant formam, etſi conditionatam: quia operari ſequitur ad eſſe, & quod non eſt, operari non poteſt, & conſequenter nec trahere; & quod abſolutè eſt, abſolutè trahit, ſicuti abſolutè operatur: ergo dici non poteſt, quod peccata dubia ſint materia neceſſaria Sacramenti Pœnitentiæ; quia peccata dubia in ſe reuerà vel ſunt, vel non ſunt: & relatio obiecti, nempe peccati dubij, in ordine ad potentiam, nempe ad intellectum, ex qua oritur dubietas, eſt relatio rationis, quæ nihil eſt, nec ingreditur ad componendum Sacramentum Pœnitentiæ.] 66.

Hoc

Digitized by Google

67. *Eſt ſophiſma ex pluribus æquiuocationibus contextum.*

Hoc argumentum à capite ad calcem eſt merum ſophiſma ex quamplurimis æquiuocis terminis contextum. Euoluamus accuratè fila. Et in primis quid ſibi vult ea exorbitans propoſitio, quod [peccata trahunt formam abſolutionis,] & quod [habent actionem, ſiue phyſicam, ſiue moralem, nempe tractionem.] Sanè quando iſta meditor, cogito, peccata eſſe proceros quoſdam Æthiopes; deinde abſolutionem (vt eſt occiſio peccati) eſſe ingentis molis ſaxum, quo ipſi opprimendi eſſent; porrò Æthiopes oblongis funibus, ac rudentibus ſumma lacertorum compreſſione incumbentes, trahere ad ſe illud ſaxum, quo eſſent opprimendi. Sed numquid Æthiopes procurant ſuam occiſionem? Numquid peccata ſollicitant & trahunt ad ſe interitum ſuum? Numquid peccata operantur mortem ſuam?

68. *Perperam dicitur, quod peccata trahant abſolutionem.*

Itaque abſurdum eſt, quod peccata ipſa trahant, & exigant abſolutionem. Nulla enim res, neque phyſicè, neque moraliter appetit deſtructionem ſuam: atqui abſolutio eſt deſtructio peccati: ergo peccata ipſa non trahunt, neque exigunt abſolutionem. Imò potiùs peccata trahunt, & exigunt (ſi his terminis loquendum eſt) carentiam abſolutionis. Etenim quælibet res, ſiue moraliter, ſiue phyſicè eam conſideres, appetit conſeruationem ſuam: ſed carentia abſolutionis eſt medium ad conſeruationem peccati: ergo potiùs appetunt carentiam abſolutionis. Sicut ſi Æthiopes illi viderent ſaxum immane ſibi impendens, potiùs machinis, aut fulcris detinere conarentur, quàm funibus & rudentibus ad ſui ruinam trahere.

69. *Melius dicitur, quod confeſſio trahit abſolutionem.*

Sanè meliùs ea metaphorâ vteretur Author, ſi diceret, non peccata ipſa, ſed confeſſionem peccatorum trahere, & exigere abſolutionem. Id enim nihil aliud eſt, quàm confeſſionem peccati ordinari ad abſolutionem, & hanc adiungi debere confeſſioni; ad eum modum, quo materia prima appetit formam, cùm confeſſio ſit materia & forma abſolutio. Sola enim materia proxima eſt, quæ ſe habet ad inſtar materiæ primæ recipientis formam: peccata autem, quæ ſunt materia remota, ſolùm ſunt materia circa quā verſatur materia proxima & immediata. Ille tamen argumenti Author non dixit, quod confeſſio trahit abſolutionem, quia vidit hoc pacto euerti funditus ſophiſma ſuum. Nam ex tenore argumenti infertur, quod confeſſio abſoluta trahit abſolutionem abſolutam; & confeſſio conditionata trahit abſolutionem conditionatam. Id tamen eſt contra eius intentum, qui conatur ſuadere formam conditionatam exhiberi non poſſe.

70. *Si peccata trahunt abſolutionem, æquè trahunt abſolutam & conditionalem.*

Exorbitat ſecundò argumentum ob eam propoſitionem, *Implicat, quod peccata, quæ ſunt, trahant, ſeu exigant formam conditionatam.* Et inde reſilit argumentum contra ſuum Authorem. Etenim ſi verum eſt (dato, & non conceſſo) quod peccata trahunt abſolutionem, æquè trahunt iſtam, aut illam, dummodo ſufficiens ſit ad remittenda peccata. Sicut enim materia prima non exigit potiùs formam equi, quàm leonis; quia vtralibet æquè bene informat, & complet materiam primam; ita peccata ſi exigunt abſolutionem, non exigunt potius iſtam, quàm illam, ſi vtralibet eſt potens præſtare ſuum effectum. Atqui abſolutio conditionata tam potens eſt ad remiſſionem peccati, quod reuerà commiſſum eſt, quàm abſoluta: ergo peccata, quæ ſunt, non exigunt potiùs abſolutionem abſolutam, quàm abſolutionem conditionatam; ſolùm enim exigunt formam, quæ abſoluat reuerà ab illis, cuiuſcumque generis illa ſit. Iam verò minor per ſe patet. Nam ſi poſtquam confeſſus es peccata certa, dicat confeſſarius; [Si peccaſti, ego te abſoluo,] licèt ipſe peccet inutiliter apponens conditionem; æquè benè abſolutus manes à peccatis, ac ſi abſolutè diceret, *Ego te abſoluo.* Ergo abſolutio conditionata tam potens eſt ad remiſſionem peccati, quàm abſoluta.

Tum ſic. Procedendo in terminis argumenti, cùm quis confitetur peccatum dubium ſub conditione; ſi illud non eſt commiſſum, admittendum eſt, quod illud in re non trahat abſolutionem, etiam conditionatam; quia reuerà non datur Sacramētum. Si autem illud commiſſum eſt, illud quidem trahit & exigit aliquam abſolutionem, quæ potens ſit ad remiſſionem peccati: ſed abſolutio, ſiue abſoluta, ſiue conditionata, vt conſtat ex dictis, potens eſt ad remiſſionem peccati: ergo illud peccatum, quod reuerà eſt, poſtulat abſolutionem, ſiue abſolutam, ſiue conditionatam: ergo data abſolutione conditionata, peccatum illud, quod reuera eſt, habet quidquid exigit: trahit ergo illam abſolutionem, quæ conditionata eſt. 71.

72. *Abſurdū eſt, peccata eſſe partes componentes Sacramentum.*

Tertiò exorbitat argumentum in eo, quod dixit Author illius, peccata eſſe partes componentes Sacramentum pœnitentiæ. Notanda ſunt ea argumenti verba: *Ergo debemus dicere, quod peccata mortalia dubia ſunt materia neceſſaria: ſed materia neceſſaria Sacramenti Pœnitentiæ trahit neceſſario formam, ſeu exigit neceſſario formam abſolutionis ad componendum vnum Sacramentum Pœnitentiæ.* Ergòne Sacramentum Pœnitentiæ in ſuo eſſe morali componitur ex ipſis peccatis? Certiſſimum quidem eſt apud omnes Theologos, peccata non eſſe partes componentes Sacramentum Pœnitentiæ in ſuo eſſe morali. Id enim expreſsè continetur in Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 3. *Sunt autem quaſi materia huius Sacramenti, ipſius pœnitentis actus, nempe contritio, confeſſio, & ſatisfactio. Qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque & perfectam peccatorum remiſſionem ex Dei inſtitutione requiruntur, hac ratione partes Pœnitentiæ dicuntur.* Quando autem Theologi peccata vocant materiam Sacramenti, in eo ſenſu explicant omnes, quod ſint obiectum, ſiue materia circa quam verſantur contritio, confeſſio, &c. Et ideò optimè dixit P. Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. diſp.* 18. *ſect.* 1. *num.* 2. *Dicuntur autem materia Sacramenti, non quia ſint materia ex qua, ſicut lignum eſt materia ſtatuæ; ſed quia ſunt materia circa quam Sacramentum hoc verſatur.*

73. *Quo ſenſu peccata poſſint dici partes?*

Scio, grauem quemdam Theologum inclinare in eam ſententiam, quod peccata ingrediantur conſtitutiuum Pœnitentiæ. In quo ſi loquatur non de compoſitione morali, ſed de conſtitutione metaphyſica, & ita vt in compoſito morali huius Sacramenti non gerant vices materiæ proximæ, non audebo reprobare. Et quidem eatenus contritio, confeſſio & ſatisfactio, ſecundùm Tridentinum, ſunt partes morales

rales huius Sacramenti, *quatenus ad integritatem Sacramenti, ad plenamque & perfectam peccatorum remiſſionem ex Dei inſtitutione requiruntur,* vtique tanquam diſpoſitiones præuiæ ad abſolutionem: ſed peccata ad id non requiruntur ex Dei inſtitutione tanquam diſpoſitiones, ſed ſolùm præſupponuntur vt conditiones: ergo peccata eſſe non poſſunt partes morales Sacramenti Pœnitentiæ. Quia autem ea, quæ præſupponuntur, ſolent ingredi conſtitutiuum phyſicum aut metaphyſicum denominationis extrinſecæ, aut compoſiti per accidens; ideò fortaſſe tolerari poterit id, in quod ille Theologus inclinat, à qua ego quæſtione modò abſtraho.

74. Et hunc dicendi modum ſequitur fortaſſe Ianuarius: ſed adhuc exorbitat ea propoſitio. Quia non quodlibet conſtitutiuum entis per accidens exigit formam ad componendum vnum compoſitum cum illa; nam in iſto compoſito, ſiue denominatione extrinſeca, *Petrus eſt cognitus*; Petrus non poſtulat cognitionem: Petro enim eſt per accidens, quod ſit, vel quod non ſit cognitus. Similiter ergo, peccato ſecundùm entitatem peccati (non conſiderato vt ſubeſt confeſſioni, quia hoc modo iam inuoluit actum confeſſionis) eſt per accidens, quod abſolutio illud remittat, vel non remittat. Deinde quia quantumvis dicas, peccatum præteritum pertinere ad compoſitionem metaphyſicam compoſiti per accidens, dicere non potes, illud eſſe materiam proximam Sacramenti: ſola autem materia proxima eſt, quæ ad inſtar materiæ primæ poſtulat formam.

75. *Relatio obiecti, etſi relatio rationis, non eſt merū nihil, ſed ens reale.*

Exorbitat quartò argumentum, quòd dixerit, relationem obiecti, quam dicit peccatum dubium ad intellectum, quia eſt relatio rationis, eſſe nihil, & ideo ingredi non poſſe ad componendum Pœnitentiæ Sacramentum. Admirabile enim eſt, quod peccata, dum omninò delentur, & extinguuntur per abſolutionem, poſſint ingredi ad compoſitionem Sacramenti; & quod denominatio cogniti compoſita ex obiecto reali & cognitione reali, ita redigatur ad nihilum, vt non poſſit ingredi ad componendum Sacramentum.

76. *Potior ratio eſt in peccatis, ne componant Sacramentum, quàm in relatione rationis.*

Eſſe potiorem rationem in peccatis, ne componant Sacramentum, quàm in relatione rationis, manifeſtum eſt. Ideò enim relatio obiecti excluditur à compoſitione Sacramenti, quia non habet eſſe realiter, ſiue quia nihil eſt: ſed peccata, dum componere dicuntur Sacramentum, iam non ſunt phyſicè, nec moraliter: ergo non minore iure excludenda ſunt à compoſitione Sacramenti. Minor patet. Quia Sacramentum nondum habet compoſitionem ſuam, donec aduenit abſolutio: & dum adeſt abſolutio, peccata omninò non ſunt, tam ſecundùm eſſe phyſicum, quod tranſiit; quàm ſecundùm eſſe morale, quod per abſolutionem deletur.

77. *Relatio obiecti eſt ens reale.*

E contrà verò relatio obiecti eſt ens verum & reale. Nam eſſe obiectum, eſt eſſe cognitum; & furtum, eſſe obiectum dubium, eſt furtum eſſe cognitum cognitione dubia: item furtum eſſe cognitum cognitione dubia, eſt quædam denominatio extrinſeca compoſita & conſtituta ex materiali & formali; materiale, ſeu habens, eſt furtum verum & reale, quod terminat cognitionem dubiam: nam cùm dubito, an furatus fuerim, de furto vero & reali dubito; forma autem huius denominationis eſt ipſa cognitio dubia, quæ eſt entitas vera & realis. Quo ergo fundamento dicitur, denominationem reſultantem ex entitate poſitiua & cognitione reali, eſſe merum nihil? aut quomodo merum nihil conſtituitur ex duabus entitatibus poſitiuis?

Confundit ea argumentatio relationem rationis, ſiue denominationem extrinſecam cogniti cum ente rationis chimærico & impoſſibili. Ens rationis chimæricum, cum conſtituatur ex obiecto impoſſibili, vtique nihil eſt: relatio autem rationis, quæ eſt denominatio extrinſeca cogniti, cùm non componatur ex obiecto impoſſibili, aut negatiuo, non poteſt dici eſſe nihil. Quæ omnia tam clara, támque dilucida ſunt, vt maiori probatione non egeant. 78.

Confundit relationem rationis cum ente rationis chimærico.

Et vt clariùs adhuc cognoſcas, eam argumentationem totam eſſe ſophiſticam, aduerte, hac eadem, & eiſdem terminis probari poſſe, illicitum eſſe abſoluere moribundū ſub conditione, qui ſigna dubia dedit contritionis. Quia ſi non eſt diſpoſitio requiſita in moribundo, illa non poteſt trahere abſolutionem ad componendum vnum Sacramentum; & ſi datur prædicta diſpoſitio, illa non poteſt trahere abſolutionem conditionatam; *quia operari ſequitur ad eſſe, & quod non eſt, operari non poteſt, & conſequenter nec trahere: & quod abſolutè eſt, abſolutè trahit, ſicut abſolutè operatur.* 79.

Militat contra abſolutionem conditionalem moribundo impendendam.

Item eadem arguendi formâ probabis, ſi moribundus habeat peccatum dubium, nec poſſit aliud certum confiteri, nec aliud medium præſto habeat ad remiſſionem, non eſſe licitum Sacerdoti abſoluere illum ſub conditione. Quo quid abſurdius eſſe poteſt? Sequi verò probatur. Nam *implicat dicere, quod peccata, quæ ſunt, trahant, aut exigant formam conditionatam; vel quæ non ſunt, trahant, aut exigant formam, etſi conditionatam:* quæ ſunt formalia verba eius argumentationis. Vnde moribundo non poteſt impertiri abſolutio conditionata pro illo peccato dubio. Nam ſi illud peccatum non eſt commiſſum, non poteſt trahere abſolutionem; & ſi commiſſum eſt, non poteſt trahere abſolutionem conditionatam: quia cùm illud peccatum ſit abſolutè, non poteſt trahere niſi abſolutionem abſolutam. Cùm ergo ea argumentatio militet contra aſſertiones certiſſimas, patet, illam in mera æquiuocatione, & fallacia conſiſtere. 80.

Tandem à veritate exorbitare videntur ea verba, quæ in fine addit Caramuel, nempe: [Huc vſque Ioſephus de Ianuario, *& omnia ſolidè & ingenioſè.*] Numquid ſolidè dictum, quod peccata trahunt abſolutionem? Numquid ſolidè dictum, quod peccata trahunt & operantur ſuam deſtructionem? Numquid ſolidè dictum, peccata eſſe partes componentes Sacramentum, & ideo exigere formam abſolutionis? Numquid ſolidè dictum, denominationem obiecti eſſe merum nihil; & ideò ingredi non poſſe ad Sacramentum componendum; peccata verò quando iam non ſunt, vtpote omninò deſtructa per abſolutionem, ingredi ad compoſitionem illius? Numquid ſolidè dictum, quod argumentationi præmittit, nempe ea verba, *Nouo fundamento id euidenter* 81.

oſtendo

oſtendo; cùm argumentum nihil afferat præter æquiuocationem?

Articvlvs V.

Criſis quinti argumenti.

82. QVintum argumentum eſt illud alterum, quod affert Caramuel *n.* 1934. ex eodem Ioſepho de Ianuario, qui ſic diſcurrit. [Si quis habet materiam certam in aliis Sacramentis, & vti vult materia dubia, peccat mortaliter. Qui enim habet aquam roſaceam, & habet aquam vſualem naturalem, & vtitur roſaceâ in baptizando, peccat mortaliter, etſi proferat formam ſub conditione; exponit enim ſe periculo probabili fruſtrandi Sacramentum. Sic etiam qui habet hoſtiam triticeam & ſpeltricam, & vult vti ſpeltricâ, & ſub conditione proferre formam conſecrationis, ob eandem rationem peccat. Ergo ſic à pari, qui habet peccata venialia certa, quæ ſunt materia certa voluntaria Sacramenti Pœnitentiæ; & mortalia dubia, quæ ſunt materia neceſſaria (ſecundùm aduerſarios) Sacramenti Pœnitentiæ, peccat mortaliter, ſi confitetur peccata mortalia dubia, dum habet peccata venialia certa ob eandem rationem.

83. Confirmatur. Quia peccata venialia non ſunt neceſſariò confitenda, ſecundùm omnes Catholicos, & ſcholaſticos; ſunt enim materia voluntaria Sacramenti Pœnitentiæ, ex vi Concilij Tridentini: ergo ſi peccator haberet peccata mortalia dubia, & peccata certa venialia, teneretur confiteri neceſſariò peccata venialia ſub pœna peccati mortalis, ne vteretur materia dubia in Sacramento Pœnitentiæ, dum adeſt certa: ſed dicere, quod tenemur confiteri venialia ſub pœna peccati mortalis, eſt abſurdum, quia eſt nouum præceptum non impoſitum à Chriſto, nec à Conciliis, vel Patribus; imò ex iis habemus oppoſitum: ergo debemus dicere neceſſariò, quod peccata dubia nullo modo ſint materia.] Huc vſque Ianuarius (& ex eo Caramuel) qui deinde refutat reſponſionem de obligatione per accidens confitendi venialia. In qua refutatione partim repetit dicta, partim addit aliqua, quæ non ſunt neceſſaria ad materiam præſentem.

84. *Militat contra multas aſſertiones euidentes.* Iam verò hoc argumentum etiam dolo ſophiſtico abundare, patet; quia illud militat contra multas aſſertiones euidentes. Ex illo enim infertur primò, quod ſi quis habet peccata probabilia, de quibus efformat iudicium probabile, quod illa commiſit, peccat mortaliter, ſi illa ſola confiteatur, & non ſuperaddat peccata venialia. Quod ſimili forma oſtendo. Si quis habens materiam certam Baptiſmi, vtatur materia ſolùm probabili (extra caſum neceſſitatis) peccat mortaliter, tenetur enim qui baptizat, conficere Sacramentum omninò certum: ergo qui habet materiam certam Sacramenti Pœnitentiæ, nempe venialia, & vtitur materia tantùm probabili, ſcilicet peccato mortali probabiliter commiſſo, etiam peccat mortaliter. Quo quid abſurdius eſſe poteſt?

85. *Probat, eſſe illicitum, confiteri ſola peccata dubia.* Secundò id argumentum non ſolùm probat, non dari obligationem confitendi peccata dubia, ſed etiam eſſe peccatum mortale illa ſola confiteri. Ex quo vlteriùs fit, in aliquo caſu moribundum non teneri reddere certam ſuam ſalutem, quantùm poſſit; & licitè poſſe exponere ſe periculo illam amittendi. *Et non teneri reddere certã ſuam ſalutem.* Etenim ſecundùm doctrinam eius argumenti, moribundus, qui poſt ſuſcepta Sacramenta iratus eſt proximo, & dubitat, an illi malum graue deſiderauerit; habens peccata venialia, peccat mortaliter, ſi dicat ſolùm confeſſario: *Dubito, an deſiderauerim proximo malum graue; ſi deſideraui, me accuſo.* Et ſimiliter Sacerdos peccat mortaliter, ſi dicat: *Si deſideraſti, te abſoluo.* Quia cùm habeat materiam certam, qua vti poteſt, vtitur materiâ dubiâ. Iſte ergo moribundus ad quid tenetur, vt certam reddat ſuam ſalutem? Solum peccatum dubium, ſecundùm Ianuarium, confiteri non poteſt; quia non poteſt adhibere materiam dubiam, cùm poteſt adhibere certam. Ad materiam certam non tenetur, quia iuxta Ianuarium in nullo caſu tenetur ad confitenda venialia. Supponit autem caſus, non ſibi ſupereſſe medium, quo reddat certam ſuam ſalutem; quia non ſibi ſatisfacit de contritione perfecta à ſe habita, nec poteſt aliud Sacramentum recipere.

86. Quod ſi dicas, in eo caſu extremæ neceſſitatis vti poſſe & debere materia dubia ad reddendam ſecuram ſalutem ſuam. Nihil eleuas vim argumenti. Nam caſus extremæ neceſſitatis non facit, quod deſit moribundo materia certa; habet enim in memoria actuali peccata venialia: atqui per te habens materiam certam & dubiam, peccat mortaliter ponendo materiam dubiam, & omittendo certam: ergo peccat mortaliter moribundus ille præbendo materiam peccati dubij, & omittendo peccata venialia certa. Sed nec tenetur (iuxta Ianuarium) ad ponendam eam materiam certam, quia ſecundùm illum in nullo caſu (etiam extremæ neceſſitatis) obligatur homo ad confitenda venialia. Patet ergo, hominem illum moribundum non teneri reddere ſecuram ſuam ſalutem æternam, quantum poteſt; cùm non poſſit vti confeſſione ſolius peccati dubij, nec teneatur facere confeſſionem venialium, nec illi ſuperſit aliud medium, vt ſupponit caſus.

87. *Id argumentum adigitur ad incompoſſibilia.* Cùm ergo certiſſimum ſit, hominem in eo articulo teneri ad reddendam certam, quantum poſſit, ſalutem ſuam, ad vnum è duobus tenetur in eo caſu: vel ad confeſſionem peccati dubij ſolius; & ſic falſificatur ea poſitio Ianuarij, quod habens materiam certam, peccat mortaliter præbendo materiam dubiam: vel ad confeſſionem venialium; & ſic falſificatur altera poſitio Ianuarij, quod in nullo omnino caſu ſit obligatio confitendi venialia; quia putat cum Caramuele, id cum ea vniuerſalitate fuiſſe definitum à Tridentino.

88. *Probat, eſſe illicitum confiteri peccata dubia ſimul cum certis.* Tertiò, eodem argumento Ianuarij probo, peccare mortaliter eum, qui habens peccata mortalia dubia, ea ſimul confitetur cum venialibus, aut aliis mortalibus certis, conſequenterque communem praxim fidelium accuſandi etiam ſe de peccatis dubiis, damnandam eſſe de reatu peccati mortalis. Quo nihil abſurdius excogitari poteſt. Id autem eadem paritate probatur. Nam ſi quis conſecraret in materia certa ſimul & dubia, v. g. in alia hoſtia triticea, & in alia ſpeltrica, peccaret mortaliter adiungendo materiam dubiam materiæ certæ: ergo ſi valet paritas ab vno ad aliud, etiam peccat mortaliter,

Digitized by Google

mortaliter, qui adiungit peccata dubia peccatis certis. Dic ergo, quo nomine cenſenda ſit ea argumentatio, quæ tot monſtra parturit?

89.

Euidens diſparitas inter Pœnitentiã, & alia Sacramenta.

Vt ergo cernere incipias in quot, & quantis exorbitet ea argumentatio, in primis notanda eſt diſparitas luce meridiana clarior, quæ intercedit inter Sacramentum pœnitentiæ, & cætera Sacramenta. Etenim finis Sacramenti pœnitentiæ eſt deſtruere & delere omnem materiam remotam; ita vt quantò plus deſtruit de prædicta materia remota, tantò meliùs obtineatur finis Sacramenti; cùm tamen cætera Sacramenta non intendant omnem materiam remotam deſtruere. Hinc fit, quod non ſolùm conetur deſtruere peccata certa, ſed & peccata dubia; quæ ratio in cæteris Sacramentis non militat.

90. Fingamus caſum impoſſibilem, explicationis gratiâ. Da, finem Sacramenti Euchariſtiæ eſſe, deſtruere omnem panem triticeum, qui reperitur in toto orbe terrarum; ita vt quantò plus deſtrueretur panis triticei, tantò pluris intereſſet ad finem eius Sacramenti. In eo caſu non ſolùm materia certa, ſed & materia dubia (v. g. ea, de qua dubitatur, an ſit triticea, necne) adhibenda eſſet Sacramento, quia ſic ſecuriùs finis Sacramenti eſſet obtentus. Eodem ergo modo contingit in Sacramento Pœnitentiæ; cùm enim finis illius ſit extinguere prorſus & abolere omnem materiem remotam, quæ reperitur in baptizatis hominibus; conducit maximè ad eum finem, quod deſtruat, quantum poſſit, etiam materiam dubiam. Quem finem cùm cætera Sacramenta non reſpiciant, inde oritur maxima ratio diſcriminis, ob quam poſſit Sacramentum Pœnitentiæ miniſtrari (ſaltem in aliquibus caſibus) cum ſola materia dubia, quam etiam conatur deſtruere; non verò poſſint cætera Sacramenta præſente materia certa.

91.

Qui baptizat ſub conditione cum materia dubia, non exponit fruſtrationi.

Pro cuius maiori intelligentia prænotandum eſt, planè eſſe falſum, quod aſſumit Ianuarius, ſcilicet exponi periculo fruſtrationis Baptiſmum, cùm quis vtens materia dubia, baptizat ſub conditione, dicens: [Si hæc eſt materia congrua, ego te baptizo.] Nam ſi purificatur conditio, & à parte rei eſt materia congrua, verum conficitur Sacramentum, ſi autem non purificatur conditio, ſignificatio formæ illibata manet, cùm ea non ſignificet abſolutè, dari Baptiſmum; ſed ſub conditione quod ſit materia congrua: & cùm reuerà materia non ſit congrua, non fruſtrantur verba formæ ſua ſignificatione. Præterea qui dicit, [Si materia eſt congrua, ego te baptizo:] virtualiter dicit, [Si materia non eſt congrua, ego non te baptizo.] Cùm ergo non eſt materia congrua, non eſt, cur fruſtrentur verba formæ, & eorum ſignificatio. Et ita quamvis tunc non detur Sacramentum, tamen non fruſtratur; quia ipſe ſic ſub conditione baptizans, intendit non baptizare, ſi materia non ſit congrua. Sicut non fruſtratur Sacramentum, quando quis ob dubium rebaptizatur ſub conditione, vel ob neceſſitatis caſum baptizatur in materia dubia: non inquam, fruſtratur, etiamſi reuera ille fuiſſet antea verè baptizatus, aut materia reuerà eſſet inepta; quia forma data ſub conditione facit, quod non deficiat ſignificatio verborum formæ. Imò ideò in iis caſibus datur ſub conditione baptiſmus, ne ſi deſit conditio, fruſtretur Sacramentum.

Quare neceſſitas non facit quod Sacramentum in eis euentibus non fruſtretur; ſed oppoſitio conditionis. Ratio autem, quare non liceat baptizare ſub conditione ſine iuſta cauſa, eſt, non quia fruſtraretur Sacramentum; ſed quia eſt irreuerentia contra Sacramentum, vti verbis tam ſacris abſque iuſta cauſa.

Quare non liceat baptizare ſub conditione ſine cauſa iuſta?

92. Ex his patet manifeſta diſparitas inter Sacramentum Pœnitentiæ & cætera Sacramenta in ordine ad materiam dubiam. Nam cùm ſit finis Sacramenti Pœnitentiæ deſtruere omnem omnino materiam remotam; dum conamur etiam deſtruere dubiam, pluris intereſt ad finem eius Sacramenti. Quæ ratio, vt dixi, non militat in cæteris Sacramentis.

93.

Alia diſparitas inter Pœnitentiam, & alia Sacramenta.

Eſt & alia diſparitas inter Sacramentum Pœnitentiæ, & reliqua Sacramenta. Etenim in omnibus Sacramentis licitum eſt vti forma conditionata ex cauſa iuſta; ex qua iuſta cauſa in Baptiſmo, in Confirmatione, &c. vti poſſumus conditione. In cæteris autem Sacramẽtis quando eſt materia certa, & materia dubia, nunquam eſt iuſta cauſa ad vtendum materia dubia, ſub conditione quod ſit materia idonea; vt patet diſcurrendo per cætera Sacramenta. In Sacramento autem Pœnitentiæ eſt iuſta cauſa ad præbendum materiam dubiam, quando nullum eſt mortale certum, ſed ſolùm aliqua venialia certa. Etenim iuſta cauſa eſt ad abſoluendum ſub conditione, quod iſte homo qui confitetur mortalia dubia, deſiderat ſecurá reddere quantum poſſit ſuam iuſtificationem, & ex alio capite non eſt vnde obligetur ad materiam certam, nempe ad venialia confitenda. Et hinc patet ſecundò, nullam eſſe, & inanem eam paritatem.

94. Patet tertiò, cùm non fruſtretur Sacramentum per formam ſub conditione datam, neque in Sacramento Pœnitentiæ, neque in cæteris Sacramẽtis repugnare ex hoc capite, Sacramentum confici ſub conditione in materia dubia, vt explicatum manet. Et ideò ſi homo baptizatus, centum iteratis vicibus baptizetur ſub conditione, peccatut quidem centies mortaliter, ſed non propter fruſtrationem Sacramenti: ſed propter irreuerentiam vtendi verbis tam ſacris ſine iuſta cauſa.

95.

Licet confiteri ſola peccata dubia ad abſolutionem ſub conditione.

Patet quartò, iuxta mea principia, licitum eſſe confiteri peccata mortalia dumtaxat, etiamſi ſint venialia certa; ita vt homo abſoluatur ſub conditione. Non quia colligatur ex Tridentino, nullam eſſe poſſe obligationem per accidens confitendi peccata venialia; id enim planè falſum eſt, vt patet *ex art. 2. n. 52.* Sed quia nulla fit irreuerentia Sacramento, cùm ex iuſta cauſa datur abſolutio ſub conditione; eſt autẽ iuſta cauſa, quod homo, quantũ poſſit, ſecurum ſe reddat de remiſſione peccatorum, & gratia iuſtificationis; & quia non eſt ratio vrgens, quæ cogat ad confeſſionem venialium in hoc caſu. Et ideò poſſe dari abſolutionem ſub conditione à peccatis dubiis, aſſerit P. Layman. *lib. 5. tract. 6. cap. 3. n. 5.* P. Caſtro Palao *tom. 4. tract. 23. punct. 6. n. 6.* referens pro eadẽ aſſertione Suariũ.

Layman. Caſtro. Pal. Suarez.

96. In ſententia autem P. Thomæ Sanchez citandi, & aliorum putantium, eſſe irreuerentiam contra Sacramentum, dare abſolutionem ſub conditione, quãdo eſt materia certa venialium; quæ ſentẽtia bene ſupponit, poſſe per accidens inſurgere obligationem confitẽdi venialia; probabiliter

Digitized by Google

babiliter dicitur eſſe peccatum mortale, quod in eo caſu abſoluatur homo à ſolis peccatis dubiis, quia probabile eſt, eam eſſe irreuerentiam.

97. Patet quintò, in quot & quantis exorbitet ea argumentatio Ianuarij. Exorbitat enim primò in eo, quod ſub eadem forma militet contra eas tres aſſertiones certiſſimas propoſitas *num.* 84. 85. *&* 88. vt ex eiſdem locis manifeſtum eſt.

98. Exorbitat ſecundò, quòd vult conſtituere paritatem in iis, in quibus tam perſpicua oſtenditur diſparitas, vt patet *ex num.* 92. *&* 93.

99. Exorbitat tertiò in eo, quod aſſerit, quando quis profert formam Sacramenti ſub conditione, exponi periculo fruſtrandi Sacramentum. Id enim eſſe apertè falſum conſtat ex dictis *num* 91.

100. Exorbitat quartò, quòd cum Caramuele conatur ſuadere, eſſe doctrinam Catholicam, & definitam à Tridentino, quod non poſſit inſurgere per accidens obligatio confitendi venialia; cùm oppoſitum certum ſit ex dictis *num.* 52. *& ſequent.*

101. *Sententia cōmunis eſt, poſſe quem per accidens teneri ad confitenda venialia.* Suarez.

Exorbitat quintò, quòd dixerit ſententiam omnium Catholicorum, & ſcholaſticorum, quod nulla eſſe poſſit, etiam per accidens, obligatio confitendi venialia; cùm ſint quamplures ſcholaſtici, qui affirment, talem obligationem per accidens inſurgere poſſe in aliqnibus caſibus. Ita P. Suar. *tom.* 3. *in* 3. *part. diſp.* 66. *ſect.* 4. §. *Tertius: &* ex profeſſo *diſp.* 22. *de Pœnit. ſect.* 8. docens, poſſe Eccleſiam præcipere confeſſionem venialium quoad vſum, licèt non quoad ſpecificationem; id eſt, non vt requiſitam ad integritatem & perfectionem confeſſionis. Et pro hac ſententia citat Alenſem 4. *part. quæſt.* 77. *memb.* 1. *art.* 1. *&* 2. *& memb.* 2. *art.* 5. D. Th. *in* 4. *diſt.* 5. *art.* 1. *quæſt.* 3. S. Bonauent. *diſt.* 17. *art.* 4. *quæſt.* 1. Richardum *art.* 2. *quæſt.* 4. *ad.* 1. & idem tuetur Ioan. Sanc. *diſp.* 17. *n.*.. & apud ipſum P. Vaſquez. *de Pœnit. quæſt.* 90. *art.* 2. *num.* 3. *&* 6. Et poſſe in aliquibus caſibus inſurgere per accidens obligationē confitendi venialia, tuentur P. Ægidius de Coninck 3. *part. quæſt.* 80. *art.* 4. *dub.* 2. *n.* 20. P. Granado. *tract.* 9. *de Pœnit. diſp.* 5. *num.* 23. Leand. à SS. Sacram. *tract.* 5. *de Pœnit. diſp.* 5. *quæſt.* 50. *& tract. de Euchar. diſp.* 7. *quæſt.* 37. & apud ipſum tres alij, Card. Lugo *diſp.* 14. *de Euchar. n.* 98. & Nuñus *in addition. quæſt.* 6. *art.* 6. *diff.* 1. & P. Amicus 3. *part. diſp.* 16. *ſect.* 2. *n.* 14. Item P. Arriaga *tom.* 8. *curſus. Theolog. diſp.* 31. *n.* 37. P. Th. Sanch. *lib.* 1. *ſum. cap.* 10. *num.* 7. quatenus docet, cum peccato dubio eſſe obligationem exponendi materiam certam; hæc autem, caſu quo non ſit aliud mortale, ſunt peccata venialia, vel aliàs cónfeſſa mortalia. Tenet etiam Leander à Murcia *lib.* 1. *Reſol.* 8. *n.* 43. P. Layman. *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 5. *n.* 13. & apud ipſum tres alij, Caiet. *tom.* 1. *opuſc. tract.* 5. *quæſt.* 1. Canus *relect. de Pœnit. part.* 5. §. *At verò.* Nauarrus *in cap. Placuit, diſt.* 6. *de Pœnit. num.* 122. Angelus *verb. confeſſio* 2. *num.* 27. citans Bonau. *in* 4. *diſt.* 16. *quæſt. vlt.*

Alenſis. D. Th. Bonauent. Richardus. Ioan Sanc. Vaſquez. Coninck. Granado. Leand. à SS. Sacram. Lugo. Nuñus. Amicus. Arriaga. Th. Sanch. Murcia. Layman. Caiet. Canus. Nauar. Angelus.

102. *Aqua roſacea non eſt materia dubia, ſed certò inepta.*

Exorbitat ſextò in eo, quod dicat, aquam roſaceam eſſe materiam dubiam Baptiſmi, cùm certiſſimum ſit, eam nullo modo eſſe materiam huius Sacramenti. Nam ex definitione Tridentini *ſect.* 7. *can.* 2. habemus, *aquam veram & naturalem eſſe de neceſſitate Baptiſmi.* Conſtat autem certiſſimè, aquam roſaceam non eſſe aquam veram & naturalem, ſed aquam artificialem, ſiue ſuccum roſarum medio calore ignis expreſſum. Et ita omnes ad vnum Theologi tanquam certum affirmant.

Ad argumentum ergo initio articuli propoſitum reſpondeo, concedendo, in aliis Sacramentis peccare mortaliter eum, qui habens materiam certam, vtitur materia dubia, etiam ſub conditione; non in Sacramento Pœnitentiæ, ob diſparitates aſſignatas. Deinde nego, ideò peccare mortaliter eum, qui ſub conditione vteretur materia dubia, quia exponeret ſe periculo fruſtrandi Sacramentum; cùm ille, qui baptizat ſub conditione in caſu dubij, vel neceſſitatis, non exponat ſe periculo fruſtrandi Sacramentum, eo ipſo, quod ſub conditione profert formam; neque caſus dubij, vel neceſſitatis auferat id periculum; ſed oppoſitio conditionis, vt patet ex dictis. Idem dico in caſu ſpeciali ibi propoſito: nam qui habens hoſtiam triticeam vteretur ſpeltrica ſub conditione, non peccaret, quia exponeret formam conſecrationis periculo fruſtrationis; cùm in ipſa forma conſecrationis contineatur, quod non fiat corpus Chriſti, ſi materia non eſt idonea; ſed propter irreuerentiam vtendi verbis conſecrationis cum periculo non conſecrandi, abſque neceſſitate. Vt omittam rationes alias, ob quas ille homo peccaret, ſcilicet quia exponit fideles periculo idololatriæ materialis; & quia exponit illos periculo non accipiendi corpus Chriſti, ſi illi communicaturi eſſent ex hoſtiis conſecratis in eo ſacrificio. 103. *Reſponſio ad argumentum.*

Ad confirmationem diſtinguo antecedens: 104. *Ad confirm.*
(in fauorem ſententiæ exigentis confeſſionem venialium ſimul cum confeſſione peccati mortalis dubij) peccata venialia non ſunt neceſſariò confitenda [per ſe, & propter neceſſitatem remiſſionis eorum, & integritatem confeſſionis,] concedo; non ſunt neceſſariò confitenda [per accidens,] nego. Et iuxta præfatam ſententiam concedo conſequentiam, quod teneretur confiteri venialia ſimul cum mortali dubio. Nego autem, id eſſe abſurdum, ſed neceſſariò admittendum, iuxta ſenſum communem Theologorum, vt oſtendi *num.* 101.

At verò iuxta meam ſententiam omitto antecedens, & nego conſequentiam, quod teneretur confiteri venialia certa ſimul cum mortali dubio, propter dicta *num.* 95. 105.

ARTICVLVS VI.

Criſis ſexti argumenti.

SExtum Caramuelis argumentum eſt: Quando quis habet iudicium probabile, vel etiam probabilius, quod peccauit mortaliter, non tenetur confiteri peccatum ſuum, vt multi Authores docent: ergo multò minus tenetur, quando dubitat. Patet conſequentia; quia rationes probabiles ad plus obligant, quàm rationes leues, vel nullæ allatæ in dubio poſitiuo, vel negatiuo. 106.

Sed operæpretium eſt verba eius audire *ex n.* 1929. vbi incipit ab his verbis Auſonij Noctinotij: [Si verò quis ſe peccaſſe dubitat ſecundo modo, ſcilicet cum aſſenſu probabili in vtráque parte; & aſſenſus ſit æquè probabilis, ſatis probabile eſt, non teneri ſe accuſare de illo; quia cùm 107.

Digitized by Google

cùm probabile ſit, ſe non peccaſſe, vel illud confeſſum eſſe, poteſt hanc opinionem ſequi. Ita Suar. *in 3. part. tom. 4. diſp. 22. ſect. 9. n. 6.* Sed quid ſi probabilius iudicet, ſe peccaſſe, vel non eſſe confeſſum?... Sed ego etiam in hoc caſu puto, non teneri, cum Syluio... quia poteſt quis ſequi opinionem probabilem, relicta probabiliori... Huc vſque Auſonius. Ex his collige, hanc propoſitionem, *Qui probabiliter, imò probabiliùs putat, ſe peccaſſe, non teneri confiteri illud peccatum*, eſſe probabilem, iudice Syluio, Merano, Diana, Auſonio Noctinot. Collige, hanc, *Qui dubitat dubio purè negatiuo, aut ob rationes leues, quæ non ſufficiant ad probabilitatem, non tenetur illud dubium peccatum confiteri*, eſſe veram Coninckio... Cùm igitur dubium habere negatiuum, ſit neutrius contradictionis partis habere vel leuem notitiam; habere poſitiuum ſit habere alterutrius partis leuiuſculam aliquam notitiam; habere probabilitatem ſit habere magnam & grauem notitiam; & habere probabilioritatem ſit habere grauiorem, maiorem, & clariorem notitiam; quis non videat, Auſonium Noctinot hanc controuerſiam non reſoluiſſe? Rem verbo demonſtraturus ſum. Nam ſententia ipſius, *Qui probabiliter, aut probabiliùs ſcit, ſe peccaſſe, non tenetur confiteri; tenetur tamen qui dubitat, ita vt probabilitatem non habeat*; æquiualet huic: *Qui habet rationes fortes, aut etiam fortiores, non tenetur credere, ſe peccauiſſe, adeóque nec confiteri: at qui habet debiles, vel nullas, tenetur credere, ſe peccauiſſe, ac illud dubium peccatum confiteri.* Quid hoc? Non teneor ſubſcribere rationi forti, imò neque fortiori; & tenebor debili, vel nulli? Sunt nugæ.] Huc vſque Caramuel.

108. Hoc argumentum in multis patitur æquiuocationem. Et quidem quando pro vtraque parte ſunt rationes probabiles circa commiſſionem peccati, quid tenendum ſit explico *cap.* vltimo. Modò autem vt iudicium feram de hoc argumento, loquor cum communi ſententia. Igitur hæc argumentatio patitur æquiuocationem primò. Si ille, qui habet rationes probabiles, aut probabiliores, quod peccauit, non haberet rationes probabiles, neque aſſenſum probabilem, quod non peccauit, bene concluderet argumentum; quia magis promouet veritatem commiſſionis peccati probabilitas, quàm dubium. Sed cùm pro vtraque parte, nempe pro commiſſione, & non commiſſione peccati ſint rationes potentes extorquere iudicium probabile, & ad quamlibet opinionem probabilem poſſit homo pro libertate ſua inclinare; ex vi rationum partis negatiuæ poteſt fomare iudicium probabile, quod non peccauit, & huic adhærere, & oppoſitas rationes ſpernere. Homo ergo conſtitutus in iudicicio negatiuo ptobabili de non commiſſione peccati, maius fundamentum habet ad non confitendum peccatum, quàm ſi ſolùm habeat dubium; cùm iudicium probabile præualeat dubio. Ecce ergo in quo latet æquiuocatio: ſcilicet quod attendit argumentum ad rationes probabiles partis affirmatiuæ de commiſſione peccati, & illas comparat cum dubio; cùm vice verſa id fieri deberet attendendo ad iudicium probabile negatiuum, quod tunc datur; quod præualet, ſi comparetur cum dubio.

Prima argumenti æquiuocatio.

Quando vtrinque eſt probabilitas, datur electio; non autem quando eſt dubium.

109. Secundò æquiuocatio eius argumentationis eſt, quod confundit aſſenſum probabilem & obiectum motiuum probabile; cùm hæc duo valde diuerſa ſint. Nam quando dantur vtrumque motiua probabilia, etſi detur aſſenſus probabilis in alteram partem, quo probabiliter putet v.g. ſe non peccaſſe; non tamen datur ſimul aſſenſus probabilis in partem oppoſitam contradictoriè, quo putet, ſe peccaſſe: quia non poteſt aſſentiri duplici extremo contradictorio, etiam per aſſenſus probabiles. Hæc autē æquiuocatio continetur in ea propoſitione, quam ſupponit admiſſam ab Auſonio, & aliis Authoribus, nempe: *Qui probabiliter, imò probabiliùs putat, ſe peccaſſe, non tenetur confiteri illud peccatum:* cùm prædicti Authores non admittant, niſi hanc, *Qui habet motiuum probabile, vel probabilius ad credendum, ſe peccaſſe, non tenetur confiteri illud peccatum:* ſcilicet [quia aſſenſus elicitus eſt vi alterius motiui probabilis in partem oppoſitam de non commiſſione peccati.]

Æquiuocatio 2. confundit aſſenſum probabilem cum motiuo probabili.

De vtroque contradictoriò repugnat aſſenſus probabilis, non verò motiuum probabile.

Verum quidem eſt, quod poteſt homo ſimul habere hæc duo iudicia ſimul, *Probabile eſt, quod peccaui: Probabile eſt, quod non peccaui.* Sed aliud eſt loqui per propoſitionem modalem de modò *Probabile*, & aliud eſt loqui de aſſenſu abſoluto. Et ita componuntur hæc duo, *Probabile eſt, quod peccaui; Non peccaui:* ita vt hæc ſecunda oriatur etiam ex motiuo probabili. Quod admittunt DD. citati. Et ideò cùm quis dicit, *Non peccaui*, ex motiuo probabili, etſi detur aliud motiuum probabile pro commiſſione peccati, falſum eſt dicere, quod probabiliter putat ſe peccaſſe; quia id verbum *probabiliter putat*, ſignificat aſſenſum abſolutum ex motiuo probabili. 110.

Quare P. Suar. loco citato cum formalitate & diſtinctione locutus eſt. Audi eius verba: [Aſſero, quoties homo *iudicat probabiliter*, ſe non peccaſſe mortaliter, vel iam eſſe confeſſum tale peccatum, etiamſi in contrarium habeat *coniecturas* etiam *probabiles*, poſſe conformari priori iudicio, vt non teneatur tale peccatum confiteri.] Vides P. Saurez circa non-commiſſionem peccati appoſuiſſe verbum *iudicat*, non verò circa commiſſionem peccati; ſed circa hanc ſolùm poſuiſſe *coniecturas probabiles*. Quod ſi Auſonius non locutus eſt cum hac formalitate, & occaſionem dedit Caramueli confundendi iudicium probabile cum motiuo probabili; ſibi imputet. Sed adhuc in hac eadem quæſtione ſæpe confundit Caramuel aſſenſum probabilem & motiuum probabile, vt conſtat *ex diſp. 6. cap. 5.* 111.

Tertia æquiuocatio continetur in ea æquipollentia propoſitionum, quam efformat; ita vt ſibi iſtæ æquipolleant: *Qui dubitat, tenetur confiteri. Qui habet rationes debiles, vel nullas, tenetur credere, ſe peccauiſſe, ac illud dubium peccatum confiteri.* Nam obligatio confitendi peccata dubia non oritur ex eo, quod qui dubitat de peccato, credit, ſe peccaſſe, ſed ex eo, quod dubitat, an peccauerit. 112.

Tertia æquiuocatio perperam ſtatuit æquipollentiam.

Quarta æquiuocatio eſt, quod non diſtinguit argumentatio inter rationes, quæ ſunt leues ad aſſenſū alterutrius partis, & inter rationes, quę ſunt leues ad dubitandū. Nam vt oſtendi *diſp. 6. n.* 122. rationes, quæ ſunt leues ad aſſenſum alterutrius partis, ſolent eſſe graues & vrgentes ad dubitandū: quia dubium tantò inuincibilius eſt, & fortius, quantò leuiores ſunt rationes ad 113.

Æquiuocatio 4.

Rationes, quæ leues ſunt ad aſſenſum, non ſunt leues ad dubitandum.

Digitized by Google

aſſentiendum alterutri parti contradictionis. Etenim dubium non poteſt vinci, niſi per aſſenſum ad alterutram partem; & quantò minus fundamentum datur ad aſſentiendum alterutri parti, tantò difficilior eſt aſſenſus ad alterutram partem, atque adeò ad expellẽdum dubium. Iam verò hæc quarta æquiuocatio ſtat in explicatione eius æquipollentiæ. Nam cùm dicit; *Qui habet rationes leues, vel nullas, tenetur credere, ſe peccauiſſe:* debuit reponere; *Qui habet rationes leues, vel nullas, tenetur dubitare.* Vel ſic: *Qui habet rationes leues, vel nullas ad aſſentiendum, habet rationes vrgentes ad dubitandum.* Quod patet ex proximè dictis.

Inde dignoſcitur prauitas æquipollentiæ.

114. *An rationes vtrimque æquè probabiles in quæſtione facti pariant dubium? Et quid iuxta oppoſitam opinionem?*

Notandum etiam eſt, quod dixi *diſp.6. c.6.* In quæſtione de facto, qualis eſt hæc de commiſſione peccati, quando rationes ſunt vtrimque æquè probabiles, & vt tales repræſentantur, non poſſe formari iudicium probabile de alterutra parte contradictionis, ſed rem manere in ſtatu dubij. Si verò quis formet iudicium probabile (ob authoritatem eorum, qui aliter ſentiunt) in quæſtione de facto, v. g. de noncommiſſione peccati, etiam ſtantibus rationibus vtrimque æquè probabilibus, quamvis ſint rationes probabiliores pro parte oppoſita, non tenetur confiteri peccatum; tenetur tamen peccatum dubium. Quia qui format iudicium probabile de non commiſſione peccati, non dubitat de illo, ſed prudenter iudicat, ſe illud non commiſiſſe.

115. Reſponſio ad argum.

Hinc patet clariſſima ſolutio eius ſophiſmatis. Nego enim primum corollarium, ſcilicet eſſe probabilem hanc propoſitionem; *Qui probabiliter, imò probabilius putat, ſe peccaſſe, non tenetur confiteri illud peccatum:* & pro illa propoſitione hanc repones veram; *Qui habet motiuum probabile, vel probabilius pro commiſſione peccati, non tenetur confiteri illud peccatum:* ſi nimirum iudicat probabiliter, ſe non peccaſſe. Secundum corollarium omitto, ſcilicet, quod ea ſecunda propoſitio videatur probabilis aliquibus Authoribus..

116. Deinde quatuor aliæ propoſitiones, de dubio negatiuo, poſitiuo, probabilitate, & probabilioritate cum confuſione traduntur, & ſine formalitate. Quia habere dubium negatiuum, non eſt præſcisè non habere notitiam alterutrius partis, ſed cum apprehenſione vtriuſque partis, & ſuſpenſione iudicij in vtramque. Et habere dubium poſitiuum non eſt habere leuiuſculam notitiam alterutrius partis, ſed habere motiuum leue ad aſſentiendum alterutri parti cum apprehenſione vtriuſque partis, & ſuſpenſione iudicij in vtramque. Vt omittam etiam inter motiua æquè probabilia poſſe verſari dubium, vt patet *ex diſp. 6. cap. 5.* & cùm declarat quid ſit habere probabilitatem, & probabilioritatem, non diſtinguit, vt debuit, inter motiuum probabile & iudiciũ probabile.

117. Ad demonſtrationem, quam ſubinde promittit contra aſſertionem oppoſitam, patet ex declaratione proximè facta ſecundæ æquiuocationis, & *ex num.* 108. eam propoſitionem eſſe falsò imputatam ſententiæ oppoſitæ, quæ ſolùm admittit veram eam propoſitionem; *Qui habet motiuum probabile, vel probabilius, quod peccauerit, non tenetur confiteri:* quando ſcilicet probabiliter credit, ſe non peccaſſe.

118. Circa æquipollentiam earum propoſitionum, ea deficit in multis. Primò, quia non eſt idem, *Probabiliter ſcit, ſe peccaſſe*; &, *Habet rationes fortes ad credendum, ſe peccaſſe.* Nam prima propoſitio exprimit aſſenſum, & ſecunda exprimit dumtaxat motiuum probabile, virtute cuius poſſit præſtare aſſenſum.

Secundò non eſt idem, *Non tenetur confiteri*; &, *Non tenetur credere, ſe peccaſſe*; quia obligatio confitendi poteſt reperiri ſine aſſenſu, quo credat, ſe peccauiſſe. Et ita prima poteſt eſſe falſa, & ſecunda vera in ſententia communi, quod dubia mortalia exponenda ſunt. Nec dicas, quod de hoc eſt quæſtio; nam dum non probas oppoſitam partem, ſtat tuus aduerſarius in poſſeſſione ſuæ ſententiæ communis. 119.

Tertiò quia non æquiualent iſtæ: *Qui dubitat, tenetur confiteri: Qui habet rationes debiles vel nullas tenetur credere, ſe peccauiſſe.* Tum quia præter dicta *numero* 119. non eſt idem dubitare, atque habere rationes debiles, vel nullas, vt patet *ex num.* 113. & *ex diſp.6. cap.2.* tum etiam quia inter rationes probabiles poteſt dari dubitatio, vt conſtat *ex diſp. 6. cap. 5.* Tum præcipuè, quia licèt qui dubitat, habeat rationes leues, aut nullas ad aſſentiendum alterutri parti contradictionis, habet eo ipſo rationem vrgentem, & non leuem ad dubitandum & permanendum in dubio. 120.

Vnde patet, non eſſe nugas, quas putat Caramuel. Diſtinguenda enim eſt ea propoſitio: Non teneor ſubſcribere rationi forti, imò neque fortiori, [quando eſt iudicium probabile pro parte oppoſita,] concedo; [aliter,] nego. Conſequens etiam diſtinguendũ eſt. Ergo non tenebor ſubſcribere rationi debili, vel nulli [pro aſſenſu in alteram partem,] concedo; [pro dubitatione,] nego. Nam ratio, quæ debilis eſt ad extorquendũ aſſenſum, eſt fortis ad retinendum dubium, ex dictis *diſp.6. c.7.* & *in hoc art. n.* 113. Et nota hoc argumentum militare etiam contra ſententiam Caram. & omnium, quam ipſe aſſerit *n.* 1975. ſcilicet certum de peccato mortali, & dubium de confeſſione, teneri ad confeſſionem illius. Et ideò hoc argumentum ſibi mutuatus eſt Author Theſis Viennenſis citandus *diſp. ſequenti*, præcipuè *c.6.* quare debuiſſet Caram. illud ſoluere, vtpote ſuæ aſſertioni officiẽs. 121.

ARTICVLVS VII.

Septimi argumenti diſcuſſio.

MVltis contendit Caramuel, nunquam, aut ferè nunquam dari verum dubium in homine de peccato à ſe commiſſo; atque adeò ceſſare quæſtionem. Non enim eſt, cur confiteri teneatur peccatum dubiũ ſi ſemper habet motiua probabilia, quibus deponat dubium. Igitur *n.* 1996. ſic aſſerit: [Repugnat in hac materia, dubium purè negatiuum: repugnat purum dubium poſitiuum... Caſum repugnare conſtat; quia *homo præſumitur bonus*, quandiu non dantur rationes, quæ illum malum eſſe perſuadeant: ergo ipſamet carentia rationum contra innocentiam procedentium eſt fortiſſima innocentiæ probatio. Sanè poteſt dari dubium poſitiuũ (hoc eſt, ratio leuis cõcomitans;) at tunc ſtandum eſt pro *poſſeſſione innocentiæ.* Quam firmat ratio fortis & grauis: videlicet, *Plerũque recordatur* homo peccatorũ mortaliũ; atqui 122.

An nunquã detur dubium de commiſſione peccati?

Digitized by Google

mortalium: atqui Petrus non recordatur, ſe hoc peccatum feciſſe: ergo non fecit. Quæ ratio tametſi non ſit demonſtratiua, fortis eſt.] Quod idem latiùs tradit *num.* 1902. vbi addit: [Purum dubium poſitiuum *vix* dari, hoc eſt, vix eſſe caſum, in quo homo habeat aliquas rationes leues, nec tamen concomitanter aliquam certam aut probabilem, ſaltem ex *prioris propoſiti poſſeſſione deſumptam*.]

123. Vbi quatuor capita probationum exhibet, quibus probetur, cùm quis dubitat, an peccauerit, expellendum eſſe dubium. Primum præſumptio bonitatis & innocentiæ. Nam quando quis dubitat, an conſenſerit in delectationem internam, vel dantur rationes probabiles, vel leues, vel nullæ pro elicito conſenſu. Si probabiles, non datur dubium, ſed probabilitas. Si leues, vel nullæ, eæ non ſunt ſufficientes, vt præualeant contra præſumptionem, qua homo quilibet præſumitur innocens.

124. Secundum deſumitur à poſſeſſione innocentiæ. In qua cùm homo ſit ante aduentum dubij, non poteſt illâ ſpoliari per aduentum ſolius dubij.

125. Tertium deſumitur ex regula 45. *de regulis iuris in 6. Inſpicimus in obſcuris, quod eſt veroſimilius, vel quod plerumque fieri conſueuit.* Et cùm plerumque fiat, hominem recordari certò peccatorum, quæ commiſit; ſi hîc & nunc non recordatur, eſt ſignum probabile, quod non commiſit.

126. Quartum denique. Quia propoſitum non peccandi conſtituit hominem in poſſeſſione innocentiæ. Vnde ſi poſt propoſitum non peccandi dubitat, an peccauerit; ex poſſeſſione prioris propoſiti probabiliter colligitur innocentia. Sed hæc multis ſcatent æquiuocationibus.

127. *Ruſtici non attendunt ad motiua probabilia.* Prima æquiuocatio eſt. Nam aliud eſt, quod dentur ea motiua probabilia ad deponẽdum vel expellendum dubium; & aliud eſt, quod ea motiua ſemper, & ab omnibus attendantur. Nam dato quod primum ſit verum, ſecundum eſt manifeſtè falſum: nam homines ruſtici, ignari, imprudentes ad ea motiua non attendunt, imò neque capiunt, quid ſit præſumptio bonitatis, quid poſſeſſio innocentiæ; imò & multi, qui ſæpe lapſi ſunt, ſæpe reſtiterunt, neſciunt diſtinguere, an pluries reſtiterint, vel pluries lapſi fuerint. Ergo in his omnibus non dantur motiua probabilia in intellectibus eorum: ergo in his caſibus verè dubitant. Ergo multò plures ſunt caſus, in quibus retinetur dubitatio, quàm illi, in quibus expellitur ob eiuſmodi motiua. Conſequentia patet. Nam multò plures ſunt homines ruſtici, ignari, imprudentes, quàm prudentes & docti, qui eiuſmodi motiuis vti poſſunt cum ſecuritate conſcientiæ.

128. Et hæc quidem ratio tranſcendit omnia illa quatuor probationum capita. Quare opus eſt ad ſingula ſeorſim deſcendere.

129. *Iterum confunditur aſſenſus probabilis cum motiuo probabili.* Quoad primam ergo probationem, ſecunda æquiuocatio reperitur in eo, quod confundit, vt ſolet, rationes probabiles cum aſſenſu probabili: & ſicut cum aſſenſu probabili eſt incompoſſibilis dubitatio, ita vult cum motiuo probabili cognito vt tali, eſſe etiam incompoſſibilem dubitationem. Quod eſſe planè falſum, oſtendi *diſp.6.cap.5.* vbi latè demonſtraui, poſſe verſari dubitationem inter motiua probabilia, præcipuè quæ vtrimque vi æqualiter probabilia repræſentantur. Vnde in dubio, an peccatum commiſerim, licet ſtet præſumptio pro innocentia, pro commiſſione peccati poteſt ſtare alia ratio probabilis, quæ relinquat intellectum in æquilibrio. Imò ex eadem diſputatione, *c.6.* conſtat, in quæſtione facti rationes, quæ vtrimque repræſentantur vt æquè probabiles, cogere intellum ad dubitationem.

Tertia æquiuocatio eſt, quòd conetur ſuadere Caram. non dari dubium ſpeculatiuum, quale eſt dubium facti, ſiue peccati commiſſi, ex eo iuris axiomate, [Homo præſumitur innocens.] Quod ſi intelligatur de actibus ſpeculatiuis, eſt falſum. Rem declaro. Hominem diuturno tempore conſeruari abſque peccato graui, difficillimum eſt: homines non operari opera difficillima, probabile, & credibile eſt. Ergo non erit imprudens, qui actu ſpeculatiuo iudicet, homines ſæculares communiter & vtplurimùm labi in aliquod peccatum graue: neque erit imprudens, qui actu ſpeculatiuo iudicet, hunc hominem ſæcularem, qui modo communi viuit, aliquando in illud labi. Ergóne teneor præſumere illum innocentem, & ſimul præſumere nocentem, vel peccatorem? Similiter dum incido in hominem peregrè aduenientem, quem nunquam vidi, nunquam ex fama agnoui; quæ ratio, quodve motiuum prohibet actum iſtum ſpeculatiuum in meo intellectu, [Neſcio, an iſte ſit ex innocentibus, an ex peccatoribus?] 130. *Quòd quilibet præſumitur innocens, falſum eſt de actu ſpeculatiuo.*

Illud ergo axioma iuris non loquitur de præſumptione ſpeculatiua, ſed de præſumptione practica in ordine ad aliquos effectus. Itaque quamvis actu ſpeculatiuo credam, Petrum labi in aliqua peccata grauia, quæ difficillimè vitantur ab hominibus eius ſtatus, ſimul debeo præſumere illum innocentem in ordine ad ea bona, vel honores, quæ innocentibus tribuuntur, dum mihi non cõſtat de peccato eius. Et ideò ſi ad dignitatem aſpirat, præſumendus eſt innocens ad illam conſequendam: ſi accuſatur in iudicio, & non probatur delictum, præſumendus eſt innocens, id eſt, taliter iudicandus, ac innocens; ſi adeſt occaſio æſtimandi illum vt innocentem, vel negligendi vt nocentem, præſumendus eſt innocens. 131. *Id verificatur de præſumptione practica in ordine ad aliquos effectus.*

Audiendus eſt P. Leſſius *de iuſt.cap.29.n.33.* [Certum videtur, in dubio nos non teneri ad iudicandum actu poſitiuo, & ſpeculatiuè, proximum reipſa eſſe innocentem, non peccaſſe mortiferè, habuiſſe bonam intentionem, & ſimilia. Ita Caiet. *quæſt.60.art.4.* & alij Recentiores... Probatur. Quia nemo tenetur ad aſſenſum, aut ad modum aſſentiendi, in quo exponit ſe notabili periculo errandi: talis enim aſſenſus non eſt actus virtutis, neque ad actum virtutis neceſſarius; ſed eſt quiddam errori obnoxium, quod perfecta prudentia deuitat, ex imperfectione noſtri intellectus proueniens.] Et *n.34.* [Non tenemur etiam ſemper, occurrente dubio, actu poſitiuo practicè iudicare probum (id eſt, hîc & nunc habendum & tractandum tanquam probum) ſed poſſumus etiã hoc iudicium ſuſpendere. Probatur. Quia non ſemper quãdo occurrit aliquod dubium de proximi probitate, tenemur poſitiuè ſtatuere illum habendum pro viro probo, puro à tali, vel à tali crimine; ſed ſufficit illud iudicare, quãdo ratione affectus & actionis ipsũ concernentis fuerit operæpretium, 132. Leſſius. *Nõ tenemur iudicare ſpeculatiuè proximum innocentem.* Caietan. *Imò nec practicè, quoad omnia.*

vt quando cum illo tractandum, vel prauus in illum animi motus vincendus. Quod maximè patet, dum de illis agitur, de quibus neutram in partem habemus poſitiuam opinionem, eo quod res illorum nobis penitus ſint ignotæ. Hos enim in dubio facile eſt Deo permittere, neutram in partem aliquid ſtatuendo.]

133. Sed dices. Si iura iubent vt in dubio peccati homo præſumatur practicè innocens, ſequitur, vt homo, qui verſatur in dubio de peccato à ſe commiſſo, præſumat ſe ipſum practicè innocentem, id eſt, in ordine ad praxim confeſſionis.

134. *Nequit ius canonicum diſponere de præſumptione innocentiæ in ordine ad cõfeſſionem.* Sed contrà eſt: nam iura humana non poſſunt ampliare ſphæram iuriſdictionis ſuæ ad ius diuinum ſacramentale, quale eſt ius Sacramenti Pœnitentiæ. Affirmat communis ſententia, Chriſtum inſtituiſſe, quod teneatur homo confiteri peccata dubia. Dum ergo contendis, quod iuxta iura humana Petrus dubitans de commiſſione peccati, præſumat ſe innocentem practicè in ordine ad tollendam obligationem confeſſionis, contendis, quod iura humana diſpoſuerint de non confitendo peccato, cuius eſt dubium ſpeculatiuum, cùm de hoc ſolus Chriſtus diſponere potuerit.

135. *An præſumptio innocentiæ ſit iuris naturalis?* Inſtabis. Illud axioma non eſſe ſolùm iuris humani, ſed etiam iuris naturalis; cùm ex iure naturali delinquens in dubio abſoluendus ſit in iudicio, & practicè præſumendus innocens; & ex iure naturali certum ſit, delictum, quod non probatur, ſed manet in dubio, obeſſe non poſſe Petro ad dignitatem obtinendam; & hoc modo Petrum practicè eſſe præſumendum bonum.

136. Admitto, id eſſe ex iure naturali, non tamen in ordine ad omnes effectus; multò minùs in ordine ad effectum, de quo Chriſtus diſponere potuit in ordine ad ſalutem animæ. Nam inde ſequeretur, quod Chriſtus non potuerit præcipere, quod homo confiteatur peccata dubia, quia eſſet contra ius naturale, hominem non præſumere bonum in ordine ad vitandam confeſſionem. Quo quid abſurdius eſſe poteſt?

137. Quarta æquiuocatio. Eſto, id axioma loquatur de præſumptione, etiam in dubio purè ſpeculatiuo, vel extendatur practicè ad Sacramentum confeſſionis. Videamus, quale & quàm vniuerſale ſit, quod *Homo præſumitur bonus, quandiu non dantur rationes, quæ illum malum eſſe probent*: & quomodo etiam hæc propoſitio æquiuocè procedat. Da communiſſimum caſum, quo Petrus in occaſione frequenti colloquendi fœminæ patitur ſuggeſtionem contra caſtitatem: ſcit ſe vicies victorem, ſe vicies victum euaſiſſe; aut ſi mauis dubitat, an pluries victor, an pluries victus euaſerit; cùm ſciat, vtrumque ſibi ſæpe obtigiſſe. In occaſione hodierna dubitat, an vicerit, an victus fuerit; quia neſcit diſcernere, quomodo ſe in interno certamine habuerit.

138. *Homo aliquando non præſumitur bonus, etſi nõ dantur rationes, quæ malum probent.* Tum ſic. In hoc caſu ille homo non præſumitur bonus, neque ſtat præſumptio pro eius innocentia; & tamen non dantur rationes, quę probent illum malum eſſe, ſiue lapſum in hoc peccatum: ergo non eſt vniuerſaliter verum, quod homo præſumitur bonus, quandiu non dantur rationes, quæ illum malum eſſe probent. Maior conſtat, quia non præſumitur bonus in eo genere, in quo vicies vel pluries lapſus eſt. Minor item conſtat, quia rationes, quæ dari poſſent, probantes fuiſſe hîc & nunc malum in occaſione hodierna, non ſunt aliæ, quàm quæ deſumi poſſunt ex anteacta vita: caſus enim ſupponit, non eſſe alias: at quæ deſumuntur ex anteacta vita non magis probant fuiſſe hodie malum, quàm bonum, cùm vicies ceciderit, & vicies ſteterit; vel dubitat, an ſæpiùs ſteterit, an ſæpiùs lapſus fuerit.

Quare axioma ad ſummum loquitur de eo dumtaxat, qui numquam ſcitur peccaſſe in eo genere. Qui propterea præſumitur innocens, dum aliquod eius peccatum non probetur fundamento vtique probabili. In quo ad ſummum innocentia præbet fundamentum probabile ad deponendum dubium: non tamen in caſu proximè propoſito, & aliis multis ſimilibus. Ergo licèt illi, qui nunquam peccarunt in aliquo genere, poſſint extinguere dubium ſuperueniens peccati, eo quod illis ſuffragetur præſumptio innocentiæ; aſt illi, qui aliquoties peccauerunt in vno genere, cùm non ſuffragetur illis præſumptio innocentiæ, neceſſariò dubium retinebunt; ergo non eſt impoſſibile eiuſmodi dubium de peccati commiſſione. 139. *Solùm præſumitur bonus in aliquo genere, qui nũquam peccauit in eo genere.*

Confirmatur primò ex regula *Semel, de regul. iur. in 6.* qualiter proponitur à Caram. *fund.* 37. *num.* 898. [*Semel malus* (ſi emendationem non probet) *ſemper* (in eodem genere, & non in aliis) *præſumitur malus.* Et ratio eſt, quia in omni dubio ſtandum eſt pro poſſeſſione, quæ fuerat ante dubium: vnde ſi ante dubium ſit malitia, ſtandum erit pro ipſa, quouſque correctio, & emendatio comprobetur.] Huc vſque Caramuel. Ergo illi, qui peccauit, nec emendatus eſt, non ſuffragatur poſſeſſio innocentiæ. Sed qui vicies lapſus eſt, & vicies interpolatim reſtitit, peccauit, nec emendatus eſt; quia ſuppono, id contigiſſe in tempore proximè elapſo: ergo ei non ſuffragatur præſumptio innocẽtię. 140. *Semel malus, ſemper præſumitur malus.*

Dices, in eo caſu præſumptionem ſtare pro peccato; quia ſemel malus, ſemper præſumitur malus: & ita extinguitur dubium; quia in eo dubio qui ſemel peccauit in vno genere, præſumitur peccaſſe hîc & nunc. 241.

Sed præſumptio hæc non eſt pro actibus ſpeculatiuis, ſed præſumptio practica in ordine ad aliquos effectus iuris. Sed præcipuè non habet locum hæc præſumptio pro actibus ſpeculatiuis propriæ conſcientiæ. Eſſet enim duriſſimum ei, qui ſemel peccauit in aliquo genere, quod quoties dubitat, an peccauerit in illo genere, debeat illud peccatũ confiteri non tanquam dubium, ſed tanquam reuerà commiſſum. 142.

Confirmatur ſecundò. Qui ſemel mentitur, non præſumitur in alia occaſione verax; & qui ſemel in iudicio peierat, amittit fidem & præſumptionem veracitatis, & bonitatis in eo genere: ergo qui vicies conſenſit in voluptatem, licet vicies reſtiterit, amittit præſumptionem bonitatis: ergo ſi hodie dubitat, an conſenſerit, poterit in dubio remanere, ſi nullam rationem habeat pro commiſſione peccati. 143. *Qui ſemel mentitur, nõ præſumitur verax in alio caſu.*

Dices: Periurum in iudicio amittere fidem, quia hæc eſt diſpoſitio iuris, non quia id verum ſit independenter à iuris diſpoſitione. Ita enim affirmat Caramuel *Theolog. fundam. n.* 899. *fund.* 37. 144.

Sed contrà eſt primò. Quia idem eſt de regula 145.

Digitized by Google

gula *Semel malus*, proximè relata. Neque vnius eſt maior ratio, quàm alterius; niſi quod in iudicio, quod ſemper tendit ad inquirendam veritatem, maior ratio habeatur eorum, quæ ad hunc ſcopum obtinendæ veritatis diriguntur; quale eſt teſtimonium dicentis aliquid in iudicio. Contrà eſt ſecundò, quia ei, qui ſemel extraiudicaliter feſellit, homines fidem non habent, quia in ordine ad fidem amiſit præſumptionem bonitatis. Quare non video, quomodo componatur id, quod ex Caramuele retuli *num. præcedenti*, cum eo, quod aſſerit *diſp.* 137. *in Regul. S. Bened. concluſ.* 3. *num.* 1734. in hæc verba: [Sic ſimiliter cenſeo, virum ingenuum (talem ſe vnuſquiſque iudicat) cum vincitur de formali mendacio, notabilem honorem perdere: *Nemo enim auderet credere aut fidere hominini in mendaciis deprehenſo.*]

146. *Carentia rationum contra innocentiam non ſemper probat innocentiam.* Quinta æquiuocatio reperitur in illo conſequente, nempe: [Ergo ipſamet carentia rationum contra innocentiam procedentium, eſt fortiſſima innocentiæ probatio.] Da caſum proximè appoſitum eius, qui vicies cecidit, & vicies ſtetit, in quo deficit præſumptio innocentiæ; & tamen dubitat, an hodie lapſus ſit. In quo vt conſequens ſit ad rem, debet loqui de probatione innocentiæ in actione hodierna, contra quam nullæ rationes dantur; & tamen, vt conſtat ex dictis, nulla eſt præſumptio pro innocentia: ergo quamvis detur carentia rationum contra innocentiam actionis hodiernæ, tamen innocentia eius non probatur, eo quod deficiat præſumptio innocentiæ, quæ hanc poſſet probare. Patet ergo, latère æquiuocationem in eo, quod argumentum tranſit ab innocentia, quæ talis eſt abſolutè & ſimpliciter in eo, qui non peccauit, ad innocentiam actionis hodiernæ, in qua diuerſiſſima eſt ratio, vt conſtat ex dictis.

147. *In poſſeſſione innocentiæ idem dicendum, quod in præſumptione.* Quoad ſecundam probationem deſumptam ex poſſeſſione innocentiæ, eædem æquiuocationes latent, quæ in præſumptione; & eadem argumenta militant contra eam, ac contra probationem ex præſumptione deſumptam.

148. Specialiter tamen videtur vrgere hæc argumentatio. Non enim datur poſſeſſio innocentiæ, quæ ſuffragari poſſit homini dubitanti de peccato à ſe commiſſo. Pro quo notandum eſt, innocentiam eſſe cumulum multarum actionum, quæ conformantur legi. Nam ſi heri obſeruaui legem, & hodie non obſeruo, non ſum innocens. Petrus tamen, qui omnibus diebus obſeruat, eſt innocens. Præterea Petrus habet poſſeſſionem pecuniarum, quas vſque ad hodiernum diem accepit; non tamen habet poſſeſſionem pecuniarum, quas cras accipiet; quia poſſeſſio vnius pecuniæ non eſt poſſeſſio alterius. Ergo quamvis detur poſſeſſio innocentiæ dierum præteritorum; hæc non eſt poſſeſſio innocentiæ futuræ prouenientis ex actionibus futuris: nec ingrederis poſſeſſionem innocentiæ præſentis, donec elicias actiones præſentes legi conformes: ergo ſi ab initio dubites de bonitate vel malitia huius actionis præſentis, nulla innocentiæ poſſeſſio ſuffragatur bonitati eius actionis; quia poſſeſſio innocentiæ eius actionis, vel poſſeſſio innocentiæ omnimodæ naſcitur cum illa actione: ergo ſi ab initio dubitatur de bonitate, vel malitia eius actionis, dubitatur de poſſeſſione innocentiæ: poſſeſſio autem dubia, non eſt poſſeſſio.

Ego tamen eo argumento non vtor, neque ei multùm fido, quia magis ſubtilitatem redolet, quàm ſoliditatem rationis. 149.

Quod attinet ad tertiam probationem, ea tam infirma eſt, ſicut reliquæ. In re enim memoriæ non poſſe fieri firmum argumentum ex eo quod plerumque fieri conſueuit, clariſſimè oſtendam *diſp. ſequenti, cap.* 2. præſertim argumento quarto 5. & 9. 150. *In re memoria non valet argum. ab eo quod fieri cōſueuit.*

Quod attinet ad quartam probationem ex prioris propoſiti poſſeſſione deſumptam, ea non eſt vniuerſalis. Primò. Quia in multis deeſt propoſitum non peccandi in tali genere, quamvis neque admiſerint poſitiuè propoſitum peccandi. In quibus deeſt ea ratio deponendi dubium. 151. *Fallax argumentum ex prioris propoſiti poſſeſſione.*

Secundò, quia licèt in viro pio, timorato, & conſtanti propoſitum poſſit eſſe argumentum, vt credat, ſe non peccaſſe, & vt ita expellat dubium: at in multis hominibus propoſitum non peccandi elicitum in confeſſione non aheneum eſt, neque adamantinum, ſed pluſquam cereum. Hoc propoſitum quomodo arguet, non extitiſſe peccatum? Meminit homo, ſe poſt propoſitum elicitum, ſæpe lapſum eſſe, ſæpe conſtitiſſe, vt frequenter vſu venit inter homines curis ſæcularibus immerſos. Quomodo ergo in illis deſumi poterit argumentum pro innocentia? 152.

ARTICVLVS VIII.

Criſis argumenti deſumpti ex verbis Tridentini.

EX dictis in ſeptem articulis præcedentibus manifeſtò conſtat, nullum huc vſque argumentum propoſitum eſſe, quod ei ſententiæ de peccatis dubiis non confitendis, probabilitatem poſſit comparare; quia omnia illa æquiuocatione & dolo ſophiſtico niti, compertum manet. Verba tamen Tridentini, quæ in hoc articulo proferentur, videntur magis accedere ad probabilitatem; & ideò oportet accuratiùs rem expendere. 153.

Igitur *num.* 1905. hunc textum Synodi Tridentinæ *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. proponit. *Conſtat enim, Sacerdotes iudicium hoc incognitâ cauſâ exercere non potuiſſe, neque æquitatem illos in pœnis iniungendis ſeruare potuiſſe, ſi in genere dumtaxat, & non potius in ſpecie ac ſingillatim ſua ipſi peccata declaraſſent. Ex his colligitur, oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent, in confeſſione recenſeri, etiamſi occultiſſima illa ſint.* 154.

Ex hoc autem textu ſic arguit: [Cenſendum eſt, Tridentinum Concilium ſufficienter docuiſſe fideles ſeſſione iſta 14. in qua de Pœnitentia ex profeſſo actum: at ibi apertè docet pœnitentem debere confiteri omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habet: ergo & docuit, non debere confiteri illa, quorum poſt diligentem diſcuſſionem, conſcientiam non habet. Atqui illorum, de quibus quis dubitat, conſcientiam non habet: ergo. Probatur minor. Conſcientia eſt notitia ſcientifica, & dubium ſcientifica notitia non eſt. 155.

Digitized by Google

156. Dices. *Conſcientiæ* nomine non ſolùm notitiam euidentem, ſed & dubium intelligi; datur enim conſcientia euidens, probabilis, dubia, ſcrupuloſa, & hypocondriaca. Reſpondeo tamen, hoc eſſe verum in aliis Authoribus & locis, non tamen in præſenti. Ratio eſt, quia illa Concilij verba, *Ex his colligitur*; ſuadent conſequentia ex antecedentibus inferri: atqui ex antecedentibus non infertur conſcientia dubia, ſed certa: ergo in eo loco, *conſcientiæ* nomine non intelligitur dubia, ſed certa. Maior videtur euidens. Minorem probo. Ideò debemus ſingulorum peccatorum ſpeciem & numerum confiteri, quia *Sacerdotes iudicium hoc* (verba Concilij ſunt) *incognitâ causâ exercere non poſſunt, nec æquitatem in pœnis iniungendis ſeruare.* Ergo dubia peccata non debemus exponere. Patet conſequentia. Quia cauſa dubia non eſt cognita, & causâ incognitâ iudicium hoc exerceri non poteſt. Confirmatur. Quia aſſerente Concilio, debet æquitas in pœnis iniungendis ſeruari: ergo debet certò conſtare de delicti exiſtentia. Aliàs enim qua æquitate pœnæ certæ & determinatæ pro peccato incerto & indeterminato iniungerentur?] Hucuſque Caramuel.

157. *An conſcientia, denotet notitiam ſcientificam?*

Communis reſponſio huius argumenti eſt, quam ibi Caramuel propoſuit, *Conſcientiam*, vt communiter vſurpatur, non ſignificare notitiam ſcientificam, cùm ſit etiam conſcientia probabilis, & dubia, imò & erronea. Quam acceptionem eſſe communem Authoribus, ibi fatetur Caramuel. Hinc autem videtur colligi, in ea acceptione locutum eſſe Concilium. Etenim Concilium Tridentinum in omnibus materiis accommodat ſe communi acceptioni nominum, qua Theologi vtuntur, vt patet in materiis de Iuſtificatione, de Sacramentis in genere, & in ſpecie, & reliquis Theologicis: ergo etiam in hac. Sed communis acceptio *conſcientiæ*, apud Theologos non eſt pro conſcientia ſcientifica & euidenti, ſed vt communis eſt etiam conſcientiæ dubiæ: ergo etiam huic acceptioni ſe accommodat Concilium.

158. Et hæc quidem reſponſio probabiliter videtur ſatisfacere obiectioni, dum non eſt aliud fundamentum ad probandum, Concilium vſurpare vocem *conſcientiæ*, pro cognitione ſcientifica. An ſit aliud eiuſmodi fundamentum, dicam *cap. ſequenti.*

159. *Non procedit incognitâ causâ, qui procedit in cauſa dubia.*

Quæ in confirmationem adiungit Caramuel, vt probet, Concilium nomine *conſcientiæ* intelligere notitiam euidentem, ſunt omninò leuia. Eſt enim manifeſtè falſum dicere, quod procedere in cauſa dubia, ſit procedere incognitâ causâ. Nam etiam in foro externo cùm Iudex ſententiam fert in cauſa dubia, euidens eſt, quod procedit cognitâ causâ: cognoſcit enim cauſam, qualis ipſa eſt. Nam quando accuſatus eſt reus, & delictum manet omninò dubium, fert iudex ſententiam abſoluendo: & eſt euidens, quod ad eam ſententiam non proceſſit iudex causâ incognitâ: ergo cauſa quantumvis dubia poteſt eſſe cognita ad ferendum ſententiam pro meritis cauſæ dubiæ. Quare ad id argumentum neganda eſt minor. Et ad probationem neganda eſt conſequentia. Ad cuius probationem negandum eſt antecedens, quod ſcilicet cauſa dubia non poſſit eſſe cognita. Et nota, hoc eodem argumento probari poſſe, non licere Fidelibus ſe accuſare de peccatis dubiis, etiam ſimul cum certis, quia Sacerdotes non poſſunt iudicium hoc exercere incognitâ causâ; & peccata dubia ſecundùm Caramuelem non ſunt cognita. Aſſerere autem id eſſe illicitum, eſſet pluſquam temerarium. Eo enim argumento probat Concilium, licere confeſſionem de venialibus, quod *Piorum hominum vſus demonſtrat*; quæ ratio militat eodem modo circa peccata dubia, ſaltem licitè & voluntariè confitenda.

Confirmatio tantùm probat, vt nihil probet. Ex illa enim probare poteris, moribundo, qui ſolum peccatum habet dubium, & ſolum illud poteſt confiteri, nec ſibi ſatisfacit de contritione perfecta, nec aliud poteſt Sacramentum recipere, non licere illud peccatum ſub conditione confiteri, nec Sacerdoti licere illum ſub conditione abſoluere. Etenim ſecundùm Concilium, æquitas in pœnis iniungendis ſeruanda eſt: ſed non poteſt ſeruari æquitas, niſi certò conſtet de delicti exiſtentia, de qua non certò conſtat, cùm peccatum eſt dubium: ergo non licet moribundo illud peccatum dubium confiteri. Quæ conſequentia abſurdiſſima eſt, cùm certò conſtet, non ſolùm licere, ſed teneri omninò ad id pro ſecuritate ſalutis æternæ. 160.

Confirmatio pugnat contra aſſertionem euidentem.

Reſpondeo ergo, peccato mortali dubio imponi poſſe & debere pœnam multò minorem, quàm eidem peccato mortali certo. In qua confeſſione ſi nullum aliud confiteatur pœnitens, dixi iam ſi in re ſit peccatum, eam pœnam impoſitam deſeruire ad ſatisfactionem Sacramentalem: ſi verò non ſit in re peccatum, eam deſeruire ad ſatisfactionem extra-ſacramentalem. Et hoc modo ſeruatur æquitas, ſicut ſeruaretur, etiamſi nulla eſſet obligatio confitendi peccata dubia; dum fideles pro ſua deuotione illa confiterentur. 161.

Qua ratione peccato dubio poſſit imponi pœna certa?

Secundum textum affert *num. 1906.* ex eodem capite: *Neceſſum eſt, omnium etiam veniam, cum aperta & verecunda confeſſione à Deo quærere.* Et ſubdit Caramuel. [Sanè confeſſio dubia non videtur poſſe aperta vocari.] 162.

Sanè id gratis dicit. Eſt enim apertiſſimâ confeſſio quæ dicit: [An conſenſerim delectationi moroſæ ſodomiticæ, dubito; ſi conſenſi, me accuſo.] Illa autem non eſt aperta, quæ ſpeciem peccati, etſi dubij, palliare & diminuere conatur. Et certè ego componere non poſſum hanc aſſertionem cum ea, quam tradit *ibid. num.* 1996. *concluſione* 4. nempe: [Confeſſus peccatum dubium, ſi deprehendat deinde certum, non tenetur id vt certum confiteri.] Etenim ſecundùm Concilium, *Neceſſum* eſt, vt confeſſio ſit *aperta:* ſed iuxta Caramuelem, confeſſio peccati dubij vt dubij non eſt aperta: ergo ſi deprehendat deinde certum, confeſſio peccati dubij vt dubij nondum eſt facta, vt *eſt neceſſum.* Ergo qui deprehedit deinde certum, neceſſe eſt, quod faciat confeſſionem apertam, qualis, ſecundùm ipſum, non eſt confeſſio peccati dubij vt dubij. 163.

Incompoſſibilitas aſſertionum Caram.

Tertium textum adiungit *ibid.* ex eodem capite. *Itaque dum omnia, quæ memoriæ occurrunt, peccata Chriſti Fideles confiteri ſtudent, procul dubio omnia diuinæ miſericordiæ agnoſcenda exponunt. Qui ſecus faciunt, & ſcienter aliqua retinent, nihil diuinæ bonitati per Sacerdotem remittendum* 164.

Digitized by Google

tendum proponunt. Si enim erubeſcat ægrotus vulnus Medico detegere, quod ignorat, medicina non curat. Subdit Caramuel: [Ergo tenetur quis confiteri peccata, quæ occurrunt, nempe poſt diligentem ſui diſcuſſionem; dubia autem crimina poſt diſcuſſionem non occurrunt. Ergo malè confitetur, qui ſcienter peccata retinet: atqui dubia non retinentur ſcienter; non enim de dubiis datur ſcientia.]

165. Hæc duo, quæ inde colligit, planè falſa ſunt. Primum, quod peccata dubia poſt diſcuſſionem non occurrunt, manifeſtâ experientiâ falſum deprehenditur. Nam qui iuxta ſententiam communem de obligatione confitendi peccata dubia, gubernat conſcientiam ſuam, cùm hanc primò diſcutit ad confeſſionem craſtinam, enumerat quatuor mortalia, de quibus ſe accuſaturus eſt. Deinde cùm accedit ad confeſſarium, duo ex enumeratis occurrunt, & duo non occurrunt. Dices vocem *occurrendi* non competere dubiis. Quibus ergo verbis id ſignificabimus, ſi verba communia vult auferre nobis huius argumenti Author?

166. *Peccata dubia poſſunt omitti ſcienter.* Secundum, cuius falſitas clariùs oſtenditur, eſt, [Peccata dubia non retineri ſcienter, quia in dubiis non datur ſcientia.] Petrus certum putat, ſe teneri ad confitendum peccata dubia; & poſt diſcuſſionem conſcientiæ recordatus eſt eiuſdem occaſionis, ex qua reſultat illi dubitatio, an conſenſerit delectationi moroſæ ſodomiticæ; in confeſſione autem præ verecundia aduertenter noluit illud confiteri. Numquid iſte non peccauit mortaliter operando contra conſcientiam ſuam in materia integritatis confeſſionis? Vel ergo id peccatum dubium omiſit ſcienter, vel per inſcitiam? Secundum dici nequit, aliàs non peccaſſet: ergo primum dicendum eſt, nempe ſcienter omitti poſſe peccatum dubium.

167. *Circa dubitationem poteſt dari ſcientia.* Quam autem ſubiungit propoſitionem, æquiuoca illa eſt. Licèt enim ipſa dubitatio non ſit ſcientia, at circa dubitationem dari poteſt ſcientia; ſcio enim, me habere peccatum dubium, & ſcio me dubitaſſe, & dubitare actualiter de multis. Et cùm aduertenter omitto in confeſſione peccatum dubium, credens vt certum, teneri me ad confeſſionem illius; ſcio me habere illud peccatum dubium, ſiue illud adueniſſe in mentem meam; & ſcio, me nolle confiteri illud.

168. *Textus vrgentior.* Quartum textum, qui magis vrgere videtur, ſic proponit *num.* 1907. [Vniuerſa, quæ diximus, illuſtrat hæc periodus. *Conſtat, nihil aliud* (nota benè, quia dum *nihil aliud* dicit, clariſſimè & vniuerſaliſſimè Concilium loquitur) *in Eccleſia à pœnitentibus exigi, quàm vt poſtquam quiſque diligentiùs ſeſe excuſſerit, & conſcientiæ ſuæ ſinus omnes, & latebras explorauerit, ea peccata confiteatur, quibus ſe Dominum & Deum ſuum mortaliter offendiſſe meminerit. Reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in vniuerſum eadem confeſſione incluſa intelliguntur.* Attentè legatur obſecro. *Conſtat, nihil aliud in Eccleſia à pœnitentibus exigi*, inquit S. Concilium: illi igitur contradicit, qui aliquid requiri exiſtimat. Hæ enim aſſertiones, *Nihil aliud à pœnitentibus exigitur*; &, *Aliquid aliud exigitur*, contradictoriæ ſunt. Cùm autem prior ſit expreſſa Concilij, altera ſine errore clariſſimo teneri non poteſt. Sufficit igitur, vt confiteatur ea peccata, quibus ſe Dominum & Deum ſuum mortaliter offendiſſe meminerit: ergo nemo tenetur confiteri venialia: ergo nec dubia, licèt grauia; dubitare enim non eſt meminiſſe. *Scire eſt quoddam meminiſſe*, dicebat Plato: nullum tamen audimus dubitare & meminiſſe confundentem.] Hic textus per ſe multùm vrget, quia meminiſſe videtur dicere certitudinem.

Sed in primis dictum Platonis non eſt ad rem. Non enim dixit Plato, *Meminiſſe eſt quoddam ſcire*; ſed è conuerſo. Iuxta quem omnis ſcientia eſt actus memoratiuus, non è conuerſo omnis memoria eſt actus ſcientificus. Quantam autem vim habeat hic textus, dicam *capite* 5. 169.

CAPVT III.

Argumenta Franciſci Verde pro eadem ſententia trahuntur ad criſim.

FRanciſcus Verde *in apologia contra* anti-Caramuelem *quæſt.* 12. *à num.* 540. alia argumenta pro eadem ſententia congerit, quæ criticâ librâ indigent. Primum propono, quod ibi his verbis inſtruit: [Pœna certa ſupponit certam culpam; & grauis eſt iniuria velle aliquem ſubire pœnam pro delicto, quod fortè non commiſit. Contradicit enim hoc iuri, quo ſancitum eſt, potiùs eſſe nocentem abſoluendum, quàm innocentem condemnandum, *l. abſentem* 5. §. *eodem*, *l. reſpiciendum* 9. *ff. de pœnis.* Quod vt clarè conſtet, nonne innocens grauatur [illegible] fortè non delinquit, & pœnitentiis affligitur, & certo oneri confitendi ſubiicitur?] 170.

Vt conſtet, quàm leue ſit hoc argumentum, nota, multa in eo inuolui. In primis, quod Pœna certa ſupponit certam culpam.] In qua propoſitione duo videtur continere ſignificata ſub nomine pœnæ. Primum, pœnam, id eſt, onus confeſſionis; ita quod onus confeſſionis certum debeat ſupponere culpam certam. Secundum, pœnam ſatisfactionis in confeſſione impoſitæ; ita vt non poſſit imponi ſatisfactio certa pro culpa non certa. Quod vtrumque explicuit in poſtremis argumenti verbis: [Et pœnitentiis affligitur, & certò oneri confitendi ſubiicitur.] Tertium, quod in argumento continetur, eſt, eſſe grauem iniuriam, velle, quod aliquis ſubeat certam pœnam (ſiue oneris confitendi, ſiue ſatisfactionis pœnalis) pro delicto, quod fortè non commiſit. Quartum, illud contradicere citatis legibus. 171. *Qua ratione pœna certa ſupponat culpam certam?*

Nota deinde, communis ſententiæ Authores aſſerere, Chriſtum D. inſtituiſſe, vt fideles confiteantur peccata dubia ſub dubio; vt ita, ſi fortè peccarunt, veniam conſequantur. Sed numquid Chriſtus non potuit ita inſtituere? Sanè nullus eò audaciæ peruenit, vt negauerit. Nam confiteri ſub dubio peccata dubia, non eſt opus tanti valoris, quod excederet valorem gratiæ pro eo opere donandæ, & valorem gloriæ pro eo opere promiſſæ. 172. *Potuit Chriſtus inſtituere Confeſſionem peccati dubij.*

Cùm ergo communis ſententia aſſerit, ex inſtitutione Chriſti impoſitum eſſe onus certum 173.

tum confitendi ſub dubio peccatum dubium; tu opponis, quod onus certum confitendi debet ſupponere culpam certam. Aſſumis ergo pro antecedenti contradictorium aſſertionis à communi ſententia propugnatæ: aſſumis ergo & ſupponere vis, quod probare debueras.

174. *In eo caſu Chriſtus non irrogaret iniuriam.* Reſpondebis, id ſufficienter probari per ſubſequentem propoſitionem: nempe, [Grauis eſt iniuria velle aliquem certam ſubire pœnam pro delicto, quod fortè non commiſit.] Infero: ergo ſi Chriſtus inſtituiſſet, quod Fideles ſubirent id onus confitendi ſub dubio peccata mortalia dubia, conferendo pro ea confeſſione veniam, ſi fortè indigent, & gratiam certam, & ius certum ad gloriam, ſaltem ex merito proprio confeſſionis, faceret grauem iniuriam Fidelibus. Nam vel conceditur, vel negatur hæc conſequentia? Concedi, niſi à delirante non poteſt: ergo neganda eſt: ergo Chriſtus non irrogaret iniuriam, etſi onus certum confitendi imponeret pro delicto, quod quis fortè non commiſit; quia id onus compenſaretur, imò excederetur à magnitudine præmij. Sed quod ita de facto contingat, affirmat communis ſententia: ergo abſurdum eſt dicere, quod grauis irrogatur iniuria, dum præcipitur, vt quis ſubeat certum onus confeſſionis pro peccato, quod fortè non commiſit, quando ei oneri annexus eſt exceſſus præmij.

175. Eodem modo fit argumentum circa pœnam ſatisfactionis impoſitam pro delicto, quod quis fortè non commiſit; quam ita inſtituiſſe Chriſtum, affirmant communiter Authores oppoſitæ ſententiæ. Vide quæ circa ſatisfactionem conditionalem dixi *cap. 2. articul. 1.* præcipuè *num. 30. & ſequent.*

176. *Ei qui ſponte confitetur peccatum dubium, imponitur pœna certa.* Specialiter autem inſta[illegible] argumentum propoſitum *eo art. 1. num. 28.* in eo, qui voluntariè, licitè, & validè confitetur peccatum mortale dubium, nec alicuius alterius recordatur, abſoluiturque ideò ſub conditione; cui imponitur aliquod opus pœnale certum pro ſatisfactione: ergo iam poteſt quis ſubire pœnam certam pro delicto, quod fortè non commiſit.

177. *Reſponſio.* Reſpondet Verde *num. 555.* [Pœnitentem poſſe pro ſua libertate pro delicto dubio ſubire pœnam certam.] Quando autem ſpontaneè confitetur peccatum mortale dubium, cedit iure ſuo, & ſpontaneè prædictam pœnam certam acceptat.

178. *Reiicitur.* Sed non ſatisfacit. Petrus ad genua Sacerdotis prouolutus confitetur peccatum mortale dubium, neque alicuius alterius recordatur, ideóque petit ab eo abſolutionem ſacramentalem ſub conditione. Imponit illi Sacerdos onus ſatisfactionis ſacramentalis. *Quid, ſi quis ſponte confiteatur peccatum dubium, & nolit cedere iure ſuo?* Renuit Petrus; ait enim, ſe legiſſe apud Caramuelem, & Franciſcum Verde, fieri grauem iniuriam ei, cui imponitur pœna certa pro delicto, quod fortè non commiſit. Vult ergo abſolui ſub conditione, ſed non vult acceptare pœnalem ſatisfactionem; dicit enim, ſe habere ius, ne oneretur ſatisfactione pœnali, neque velle cedere iure ſuo. Inſtat Sacerdos, inſtitutum eſſe à Chriſto, ne detur abſolutio ſacramentalis abſque impoſitione ſatisfactionis: & cùm illa ſit abſolutio ſacramentalis, ſi reuerà ille peccauit, illa dari non poteſt, quin pœnitens ſatisfactionem acceptet. Replicat pœnitens, Chriſtum non inſtituiſſe, vt illi pœnitenti fiat grauis iniuria: at ſecundùm Caramuelem & Franciſcum Verde, fit grauis iniuria pœnitenti, ſi ei detur pœna certa pro peccato dubio: ergo Chriſtus non inſtituit, quod confitenti peccatum dubium, imponatur pœna ſatisfactoria certa.

In qua lite, ſi iudicium ferendum eſt; quod Sacerdos aſſerit, certiſſimum eſt, & indubitabile; quod pœnitens aſſerit, ex doctrina Caramuelis, & Franciſci Verde rectè illatum; & tamen certò falſum, cùm ſit contradictorium eius, quod confeſſarius aſſerit; & ex duobus contradictoriis, ſi vnum certum, alterum certò falſum eſſe, euidens eſt. Eſt ergo certò falſa ea doctrina, ex qua conſequens certò falſum colligitur. 179.

Itaque ſi eſt grauis iniuria imponere pœnam ſatisfactoriam certam pro peccato dubio, etiamſi homo voluntariè confiteatur peccatum dubium, non poterit imponi pro eo pœna ſatisfactoria certa, ſed talis pœnitens habebit ius, ne imponatur ei talis pœna, etiam intra eiuſmodi cõfeſſionem dubiam; & poterit tunc nolle cedere iure ſuo, & nolle acceptare eam. Id autem planè eſt contra inſtitutionem Chriſti, quæ non permittit abſolutionem ſacramentalem abſque acceptatione ſatisfactionis. 180.

Item ex ſuppoſitione, quod quis confiteatur peccatum dubium, adhuc militat ratio eorum Authorum, vt dici debeat in tali confeſſione non eſſe imponendam pœnam certam. Nam adhuc ex ſuppoſitione talis confeſſionis peccatum eſt dubium, & pœna certa: ſed grauis iniuria eſt imponere pœnam certam pro peccato dubio: ergo adhuc ex ſuppoſitione talis confeſſionis imponi non poteſt talis pœna; & poteſt pœnitens illam non acceptare, & nolle cedere iure ſuo. Conſequens eſt certò falſum: ergo & antecedens, vnde concluditur tale conſequens. 181.

Hinc infirmata manet altera reſponſio, qua dici poſſet, eo ipſo, quo quis confiteatur peccatum dubium, cedere iure ſuo, vt imponatur ei pœna certa pro peccato dubio. Etenim iuxta doctrinam eorum Authorum, qui confitetur peccatum dubium, adhuc retinet ius, ne ſibi imponatur pœna ſatisfactoria certa pro peccato dubio: ergo falſum eſt, quod ipſo facto confeſſionis cedit illo iure. Conſequentia patet. Antecedens verò conſtat. Nam dum peccatum eſt dubium, iniuria grauis fit, ſi pro eo imponatur pœna certa; ſed dum illud confitetur, dubium manet: ergo dum illud confitetur, fiet ei iniuria, ſi imponatur pœna certa; atque adeò dum illud confitetur, retinet ius, ne ei imponatur pœna certa. 182.

Quod deinde additur, id eſſe contra eas leges Cæſareas, non eſt ad rem. Numquid enim Chriſtus tenebatur inſtituere confeſſionem ſecundùm directionem iuris Cæſarei? Cùm ergo dicant Authores communis ſententiæ, Chriſtum ita inſtituiſſe Sacramentum Pœnitentiæ, vt detur certa pœna ſatisfactoria pro peccato dubio; malè probatur ex eo, quod ius Cæſareum contradicat, cùm Chriſtus non teneatur dirigere inſtitutionem Sacramenti Pœnitentiæ ad normam iuris Cæſarei. 183. *Ius confeſſionis non eſt regulanda ex Iure Cæſareo.*

Secundò. Etſi teneretur Chriſtus eo iure Cæſareo dirigi, adhuc hoc non contradicit 184.

prædictæ

prædictæ inſtitutioni. Quia ius vetat condemnare innocentem; ea autem inſtitutio, ſi datur, non eſt ad condemnandum, ſed ad abſoluendum ſub conditione eum, qui fortè deliquit.

185. *Onus confeſſionis exceditur à magnitudine præmij.*
Tertia. Etſi id iudicium Sacerdotis dicatur ſententia condemnatoria, qua parte imponit pœnam ſatisfactoriam, adhuc eæ leges non ſunt ad rem; quia eæ leges non loquuntur de impoſitione oneris, cui annexa eſt magnitudo præmij excedens nimium grauitatem oneris; qualis magnitudo præmij promittitur confitenti peccatum dubium. Et ideò ea impoſitio pœnæ ſatisfactoriæ non eſt ſententia condemnatoria, ſed indultoria, & lata in fauorem animæ.

186. Secundum argumentum ſic proponit *n.* 542. [Homo præſumitur bonus, *cap.* 1. *de ſcrutinio*.... Quilibet præſumitur innocens, *l. abſentem*, *ff. de pœnis*.... Homo præſumitur æternæ ſalutis memor, *l. vlt. in fine, Cod. ad l. Iuliam repetund*.... In dubio fauendum eſt reo, *cap. Cùm ſunt*, *de regul. iur.* Nemo in dubio præſumitur obligatus, quia vnuſquiſque naſcitur liber. Gloſſa *in d. cap. Cum ſunt.* Baldellus *lib.* 4. *diſp.* 8. Ex quibus fit, hominem nunquam præſumi deliquiſſe in dubio, *l. meritò*, *ff. pro ſocio*.... Ergo non tenetur confiteri quis de peccato dubio: nam reus abſoluitur vt innocens, quando euidenter non probatur delictum, & præſumptio ſtat pro reo, *l. fin. Cod. de probat.*] Infirmitas huius argumenti conſtat *ex cap. præcedenti, articul.* 7. vbi manifeſtas eius æquiuocationes oſtendimus.

187. *Homo non naſcitur liber ab obligatione legis, ſed ab ea, quam ſponte ſubit.*
Sed adhuc in primis nota, id dictum Gloſſæ, quod [Nemo in dubio præſumitur obligatus, quia vnuſquiſque naſcitur liber;] non eſſe ad rem, quia non loquitur de obligatione præcepti, ſed de obligatione, quam vnuſquiſque ſpontaneè ſubit. Homo enim non naſcitur liber ab obligatione præcepti iam omnibus impoſiti; ſed duntaxat ab obligatione, quam ipſe ſpontaneè ſubit.

188. *Duæ propoſitiones diuerſæ confunduntur.*
Deinde nota, confundi in eo argumento has duas propoſitiones: [In dubio homo non præſumitur delinquens. In dubio homo præſumitur bonus, vel innocens.] Quæ toto cœlo diſtant. Prima enim negat, adeſſe motiuum probabile pro delicto. Secunda affirmat, eſſe motiuum probabile pro innocentia. Nam caſu quo quis non habeat motiuum probabile pro delicto, neque pro innocentia, verificatur prima propoſitio, non ſecunda. Cætera relege *in eo articulo* 7.

189. Tertium ſimile præcedenti proponitur *numero* 543. ſic: [Factum in dubio non præſumitur: ſed peccatum eſt facti: ergo in dubio non præſumitur. Minor eſt clara. Maior probatur *ex l.* 1. *ff. ſi quadrup. pauper*.... Si ergo peccatum in dubio non præſumitur, quare tu vis condemnare illum ad confeſſionem, ad ſubeundam pœnitentiam?]

190. *Quid eſt, peccatum in dubio non præſumi?*
Attende lector, vim argumenti. Quid eſt peccatum in dubio non præſumi? Quod in dubio non detur præſumptio, ſiue ratio probabilis pro commiſſione peccati. Æquiualet ergo argumentum huic formæ: [In dubio non eſt ratio probabilis pro commiſſione peccati: ergo non eſt condemnandus homo ita dubius ad confeſſionem, & ad ſatisfactionem.] Item æquiualet huic formæ: [Peccatum dubium remanet in ſtatu dubij: ergo non eſt obligandus homo ita dubius ad confeſſionem, & ad ſatisfactionem.] Nam quod non detur in eo dubio ratio probabilis pro commiſſione peccati, idem eſt, atque quod remaneat in ſtatu dubij. Reſpondebunt ergo Authores communis ſententiæ, conceſſo antecedenti, & negando conſequentiam; & aſſerent incumbere argumentatori, quærere aliud medium ad probandam conſequentiam, quæ non probatur per hoc quod peccatum remaneat in ſtatu dubij; cùm prædicti Authores aſſerant, peccatum, quod remanet in ſtatu dubij, ſub dubio confitendum.

Sanè confundit argumentum has duas propoſitiones, vt in argumento antecedenti notaui, nempe: [Non datur præſumptio pro commiſſione peccati: Datur præſumptio pro non commiſſione peccati.] Et quidem hæc ſecunda, ſi abſolutè admittatur, benè probat conſequentiam. Prima tamen, quæ aſſumitur in argumento, nihil probat, vt patet ex dictis. Quàm autem falſa ſit ſecunda, & quo ſenſu, & in quibus caſibus, patet *ex cap. antecedent. articulo* 7. 191.

Addit in eius argumenti confirmationem *num.* 554. [Dictam regulam, vt vndequaque ſibi conſtet, ſic tradi iubeo. Factum in dubio non præſumitur, niſi ſoleat & debeat fieri, *l. ſciendum* 30. vbi Gloſſa *verb. ſolemniter*, *ff. de verb. oblig.*] 192.

Sed hoc etiam modo, eodem vitio laborat; quia ſi in dubio non præſumitur, non eſt ratio probabilis, quæ factum ſuadeat; quod eſt dicere, illud manere ſub dubio: ex eo autem, quod peccatum maneat ſub dubio, quomodo probatur non debere exponi in confeſſione; contra eos, qui dicunt, peccatum dubium ſub dubio eſſe confitendum? 193.

Procedit in vlteriorem confirmationem eius regulæ: [Concordat hoc cum alio principio: *in dubio nemo malus.* Et ſic qui eſt ſolitus facere, præſumitur feciſſe illa, ad quæ tenebatur. Baldus *in rubric. Cod. de fide inſtrum. num.* 8.] Et quid de illo, qui non eſt ſolitus facere? Si iſte non præſumitur feciſſe, non ſuffragabitur illi præſumptio; atque adeò retinebit dubium. Fruſtra ergo contenditur per has præſumptiones iuris, omnem euaneſcere dubitationem de commiſſione peccati. Contra hanc confirmationem militant ea omnia, quæ *art.* 7. propoſui contra argumentum deſumptum ex eo, quod homo præſumitur innocens. 194.

Quartum argumentum eſt, quod proponit *num.* 540. [Ignorans inuincibiliter peccatum, non tenetur confiteri: ſed qui poſt ſufficientem diligentiam, adhuc dubitat, eſt inuincibiliter ignorans: ergo non tenetur confiteri. Maior eſt ex Trident. *ſeſſ.* 14. *c.* 5. Minor ſuadetur *ex l. manifeſtiſſimi*, §. *ſin autem neſcius*, *& dubitans*: vbi Bart. & Ang. *Cod. de furtis*,] &c. 195.

Si eam maiorem propoſitionem tradidiſſet Tridentina Synodus, actum eſſet de quæſtione. Eam tamen Authores communis ſententiæ dicunt falſam, nec traditam à Synodo Tridentina. Falſam quidem. Nam ignorantia inuincibilis habetur duplici modo. Primò dubitando, & ſuſpendendo aſſenſum in vtramque partem intellectui propoſitam. Secundò, ſine hac ſuſpenſione, vel quatenus non recordatur eius, nec determinatè 196.

An ignorans inuincibiliter peccatum, non teneatur confiteri?

Duplex modus ignorantiæ.

determinatè, neque ſub dubio; vel quatenus ſibi vt certum, vel vt probabile proponitur, quod non peccauerit. Et licèt ſecundo modo certum ſit, neminem teneri ad confeſſionem peccati taliter ignorati: primo tamen modo, peccatum eſſe confitendum ſub dubio, aſſerit communis ſententia. Quare hoc argumentum deficit in probatione maioris.

Primo modo ignorans, tenetur confiteri iuxta com. ſent.

197. Quintum eſt quod proponit *num. 545.* in hæc verba: [Vel abſolutio poteſt dari de peccatis dubiis purè, vel ſub conditione, ſcilicet ſi peccata exiſtant. Non primum, quia exponeretur periculo forma Sacramenti: ergo ſecundum. Ergo peccata certa, non dubia, ſunt materia abſolutionis. Nam idem eſt abſoluere ſub conditione, ac dicere, *Si peccatum eſt certum, te abſoluo*, vt patet.] Et in margine attribuit hoc argumentum Caramueli. Sed argumentum Caramuelis eſt longè diuerſum, vt patet *ex cap. præced. art. 2.*

198. Attende huius argumenti ingentem æquiuocationem in ea forma conditionali: [Si peccatum eſt certum, te abſoluo.] Etenim ea vox *certum*, dupliciter poteſt accipi: vel pro eo, quod eſt in ſe & à parte rei certum, id eſt, quod realiter extitit; vel pro eo, quod eſt certum quoad notitiam humanam. Si primo modo, verum dicit de ea forma conditionali. Sed hoc modo multa peccata dubia ſunt certa; quia multa peccata, de quibus dubitatur, realiter extiterunt. Et ſi hoc modo ſola peccata certa ſunt materia confeſſionis realiter & cum effectu, etiam multa peccata dubia ſunt materia illius realiter, & cum effectu; quia peccata, quæ à parte rei ſunt certa, non excludunt rationem peccati dubij: nam ea, quæ ſunt certa in re, poſſunt eſſe dubia quoad notitiam intellectus.

Qualis ſit ea forma, [Si peccatum eſt certum, te abſoluo?]

199. Si verò ea vox *certum*, ſumatur, vt ſumi debet in ſuo proprio & legitimo ſenſu, ſecundo modo, id eſt, pro eo quod eſt certum quoad notitiam humanam, ſic manifeſtè falſum eſt, quod talis eſſe debeat ea abſolutio conditionalis. Nam ſi ita eſſet, fieret, quod quando quis in extrema neceſſitate abſolueretur conditionatè ab vno peccato dubio, quod dumtaxat potuit moribundus confiteri, iſte non maneret abſolutus. Eſſet enim idem, ac dicere: [Si tibi eſt certum hoc peccatum, te abſoluo.] Et cùm illi non ſit certum, ſed dubium; ſicut non verificatur conditio, ita neque abſolutio præſtabit effectum.

200. Reſpondet Verde *num. 554.* ad ſimile argumentum anti-Caramuelis his verbis. [Sed reſpondetur, eſſe opinionem ſatis probabilem, quod poſſet abſolui ſub conditione, ad quam abſolutionem non obligat præceptum confeſſionis, ſed charitatis in extrema neceſſitate, in qua quis tenetur adhibere media, quæ probabiliter ſunt neceſſaria: ergo multò magis quæ certò ſunt neceſſaria. Peccata autem dubia in extrema neceſſitate ſunt materia Sacramenti ſub conditione: nam abſolutio abſoluta pro peccatis dubiis dari non poteſt. Sanè in articulo mortis ratione vltimi periculi eſt abſolutio Sacramentalis recipienda. Et tunc confeſſio poteſt fieri de quocumque veniali, etiam olim confeſſo. Et quid, ſi pœnitens nullum peccatum certum commiſerit, & tamen mortali dubio grauatur?... Reſpondeo nihilominus, in illo caſu debere illum hominem confiteri: & quia nullum aliud peccatum habere ſupponitur, debere per accidens illud confiteri, & abſolui ſub conditione, *ſi fortè peccaſti*, &c.]

201. Sed hæc doctrina non ſibi conſtat primò. Nam ſecundùm Franciſcum Verde in articulo mortis poteſt abſolui homo ſub hac forma, *Abſoluo te, ſi fortè peccaſti*; in caſu quo quis confiteatur peccatum dumtaxat dubium; in eodem autem caſu extra articulum mortis debet abſolui ſub hac, *Abſoluo te, ſi peccatum eſt certum.* Vel ergo vtraque conditionalis in ſenſu, quem intendit Verde, eſt eadem, vel diuerſa? Si eadem eſt, infero: ergo ſicut prima reſpicit peccatum dubium, ita & ſecunda. Patet conſequentia. Implicat enim, quod forma abſolutionis ſit eadem, & quod non poſſit abſoluere ab eiſdem peccatis, præſuppoſita adæquata poteſtate in abſoluente.

Aſſertiones incompoſſibiles.

202. Si verò dicas, vtramque formam eſſe diuerſam, & primam eſſe pro articulo mortis, & ſecundam extra illum; planè id implicatorium eſt. Implicat enim manifeſtam contradictionem, quod Sacerdos plena iuriſdictione præditus reſpectu pœnitentis rectè diſpoſiti dicat hanc formam, [Abſoluo te, ſi fortè peccaſti,] cum vera intentione abſoluendi; & quod non abſoluat, etiam extra articulum mortis, ſiue à dubiis (quæ à parte rei extiterunt) ſiue à certis peccatis: ergo ſi eadem forma conditionalis, quæ vſurpatur in articulo mortis pro peccato dubio, vſurpetur extra articulum mortis erga pœnitentem rectè diſpoſitum, etiam pro peccato dubio, poterit extra articulum mortis præſtare eundem effectum. Ergo non debet eſſe diuerſa forma extra, aut intra articulum mortis, ſed poteſt eſſe omninò eadem.

203. Secundò non ſibi conſtat ea doctrina, dum dicitur eſſe opinionem probabilem, quod in articulo mortis poſſit dari abſolutio ſub conditione; cùm dicatur, in articulo mortis teneri hominem ad media, quæ ſunt certò neceſſaria, qualis eſt confeſſio, & abſolutio conditionalis in illo caſu. Ergóne dumtaxat eſt probabile, & non vndequaque certiſſimum, hominem in articulo mortis teneri ad media certò neceſſaria ad ſalutem? Quid eſt certum, ſi hoc non eſt certiſſimum? Si ergo fatetur eiuſmodi confeſſionem, & abſolutionem conditionalem (caſu quo non poſſit moribundus aliud, quàm peccatum dubium confiteri) eſſe medium neceſſarium ad ſalutem; quomodo aſſerit dumtaxat probabile, quod poſſit dari ea abſolutio conditionalis? Vel ergo hæc abſolutio conditionalis non eſt medium neceſſarium ad ſalutem in illo caſu; vel dicendum eſt, non quidem eſſe dumtaxat probabile, ſed pluſquam certum, moribundum ad illam procurandam teneri, quando nullius alterius recordatur.

204. Argumentum quod *num. 540.* proponit primo loco, & quæ deſumit ex Tridentino, maiorem vim habent; & proponentur *cap. 5.*

205. Tandem nota, quod Franciſcus Verde videtur non multùm fidere cæteris argumentis Caramuelis, quæ capite præcedenti propoſita & diſſipata ſunt: vbi enim proponit Verde argumēta pro ſententia negante obligationem confitendi peccata dubia, illa omninò omiſit.

CAPVT

CAPVT IV.

Criſis fundamentorum pro ſententia affirmante obligationem confitendi peccata mortalia dubia.

ARTICVLVS I.

Examinatur prius fundamentum huius ſententiæ.

206. *Omnes antiqui probant ex eo, quod tutior pars eligenda eſt.* OMnes Authores antiqui eo nituntur fundamento ad affirmandum hanc obligationem, quod in dubio conſcientiæ pars tutior eligenda eſt. Putant enim, eum, qui recordatur peccati dubij, exponere ſe graui periculo animæ, ſi tale peccatum dubium non confiteatur. Proderit (præcipuè ad ea, quæ *cap. ſeq.* dicenda ſunt) aliquorum veterum verba audire.

207. S. Thom. S.Thomas *in 4. diſt. 21. queſt. 2. art. 3. ad 3.* ſic ſcribit: [Quando aliquis dubitat de aliquo peccato, an ſit mortale, tenetur illud confiteri, dubitatione manente; quia qui aliquid committit, vel omittit, in quo dubitat eſſe mortale peccatum, peccat mortaliter, ei diſcrimini ſe committens. Et ſimiliter periculo ſe committit, qui de hoc, quod dubitat eſſe mortale, negligit confiteri.]

208. Silueſter. Silueſter verbo *Confeſſio 2. queſt. 2.* [Secundò quæritur, vtrum dubitans de aliquo, an ſit mortale, teneatur illud confiteri? Et dicit S. Thomas, quod ſic: aliter periculo ſe committit, & mortaliter peccat: ſicut etiam & qui aliquid committit, vel omittit in quo dubitat eſſe mortale.]

209. Adrian. Adrianus *in 4. de Sacram. confeſſionis, in 1. part. queſt. 4. in 3. confirmat.* ita ſibi opponit: [Multa ſunt, de quibus dubium eſt, an venialia ſint, an mortalia: non obſtante ergo quod ſint venialia, nequit ea homo ſine periculo damnationis, confitendo prætterire.] Poſteà ſic reſpondet *fol. mihi* 252. [Ad tertiam confirmationem reſpondeo: Illo caſu tenemur ea confiteri, non quia venialia, ſed propter diſcrimen & dubium, an ſint mortalia: & ſic ſolùm propter periculum, non ob rationem venialis culpæ.]

210. Antonin. S. Antoninus 3. *part. tit.* 14. *cap.* 19. §. 8. [Ea autem, de quibus dubitat, vtrum in ipſis peccauerit mortaliter, ſecundùm Thomam tenetur confiteri; *aliàs periculo ſe committit*, ſi negligit confiteri: & mortaliter peccat.]

211. Angelus. Angelus verbo *Confeſſio 1. num.* 34. [Sed quid ſi dubitat? Reſpondeo ſecundùm Bonauent. *ead. diſt.* (*in 4. diſt. 21. part. 2.*) *art. 2. queſt. 1.* quod ſi probabiliter dubitat de aliquo, an ſit peccatum veniale, vel mortale, niſi certificetur per aliquem doctum, tenetur confiteri, ſcilicet, quod in dubio habet; & ab eo abſtinere in futurum: aliter ſi non confitetur, peccat mortaliter, quia *exponit ſe periculo*.]

212. Roſella. Eodem modo loquitur Summa Roſella, verbo *Confeſſio Sacramentalis 1. num.* 12. [Aliàs ſe periculo committit, & mortaliter peccat.]

213. Richard. Richardus *in 4. diſt. 16. art. 5. queſt. 1.* vbi agens de confeſſione venialium, ait: [Per accidens tamen eſt neceſſaria pœnitentia de illis (*venialibus*) in hac vita: ſcilicet aut ratione dubij probabilis, quando vehementer homo dubitat, vtrum peccatum ſit veniale, vel mortale: tunc enim ſi de illo non pœnitet, exponit ſe diſcrimini.]

Alexander Alenſis 4. *part. queſt.* 18. *membr.* 4. *art.* 2. §. 5. [In caſu tamen contingit, quod homo tenetur ea (*venialia*) confiteri; vt quando dubium eſt de aliquo, vtrum ſit veniale, vel mortale: vnde niſi pœniteat, ſicut de mortali, committit ſe diſcrimini; & ideò debet confiteri ſicut habet in conſcientia.] 214. Alenſis.

Ioannes de Medina *Cod. de confeſſ. queſt. de confitendis venialibus, ad 3. argum. fol. mihi* 50. Nam cùm in tertio argumento propoſuiſſet ſibi: [Tertiò quia aliqua ſunt peccata venialia, quæ an mortalia ſint, dubitet ipſe peccator;] ſic reſpondet: [Ad tertium dicendum quod in caſu verum eſt, hominem debere confiteri venialia, non quia iure aliquo ad id adſtrictus, ſed ratione conſcientiæ dubiæ, *vt periculum vitetur*.] 215. Medina.

Nauarrus *in ſum. Hiſpan. c. 27. n.* 277. [Conciencia dudoſa eſpecial ſobre algo, ſi es, ò no, pecado mortal, obliga à *eſcoger la parte mas ſegura*, ſo pena de pecado mortal; porque otramente *ſe pone à peligro* de pecar mortalmente, como lo diximos en otra parte.... Y ſe puede poner delque duda de algun pecado, ſi es mortal, ò no. Ca peca mortalmente ſi no lo confieſa.] Quæ ſic in Latinum vertes: [Conſcientia dubia ſpecialiter circa aliquid, an ſit, necne, peccatum mortale, obligat *ad eligendam partem tutiorem*, ſub peccato mortali; quia aliàs exponit ſe periculo peccandi mortaliter, vt diximus alibi.... Et poteſt apponi exemplum in eo, qui dubitat de aliquo peccato, an ſit mortale, necne. Nam peccat mortaliter, ſi id non confitetur.] Citat ſe ipſum *in commentar. cap. ſi quis autem, de Pœnit. num.* 42. 216. Nauarrus.

P. Azor *tom. 1. Inſtit. lib. 11. cap. 4. queſtion.* 3. [Quoniam *in dubiis, quod tutius eſt, eligere oportet*, ne quis ſe peccati periculo obiiciat.... Si quis dubitet, præbuerit, necne, conſenſum peccato lethali, eo ipſo confiteri debet, cùm ſacram ſuorum peccatorum confeſſionem coram Sacerdote facit.] 217. Azor.

P. Henriquez *lib. 5. de pœnit. cap. 4. num.* 5. [Si de peccato probabiliter dubitet, fuiſſe mortale, tenetur illud confiteri ita dubiè, ſicut nouit; quia *aliàs exponit ſe probabili* dimiandi confeſſionem *pericul*.. Quod tamen facilè, & ſine damno ſuo vitare poteſt.] 218. Henriquez.

Graffis *parte 1. lib. 1. c. 10. n.* 11. [Et tunc debet confiteri illud ſicut iacet in conſcientia, & iudicio Sacerdotis relinquat, vtrum ſit mortale, vel veniale; ſicut enim dubitat, ita dubitando confiteri debet. Debet tamen conteri, & pœnitentiam ſuſtinere, ac ſi eſſet mortale: & *tunc mens aſſecuratur*.] 219. Graffis.

Hoc argumentum non multùm premit. Nam vel Chriſtus inſtituit, quod fideles confiteantur peccata dubia; vel non inſtituit? Si primum, cur Authores non reddunt hanc rationem, cui, ſi ſubſiſtat, nemo refragari poteſt? Si Chriſtus non inſtituit, nec detur de eo ſpeciale præceptum; periculum ceſſat, ſi homo confiteatur peccata certa. Nam dum ab his abſoluitur directè, indirectè manebit abſolutus à dubiis, ſicut ab illis, quorum obliuiſcitur 220. *Parum vrget id argumentum.*

tur in confeſſione. Quod neceſſariò dicendum eſt de eo, qui bona fide tacet in confeſſione peccata dubia, putans, ea non eſſe confitenda.

221. Itaque in duplici caſu poteſt homo conſiderari: primo in articulo mortis, cùm poſt confeſſionem commiſit peccatum, quod dubitat eſſe mortale, & non ſibi ſatisfacit de contritione perfecta, quam habeat. Et in hoc caſu manifeſtum eſt, quod tenetur confiteri, vel illud peccatum dubium, vt ſub conditione abſoluatur; vel (ſecundùm oppoſitam ſententiam) peccata venialia, aut aliàs confeſſa mortalia, etiam tacito peccato dubio, vt ab hoc abſoluatur indirectè. Secundò in vita dum alia peccata confitetur. In quo etſi taceat peccatum dubium, nulli ſe periculo committit non adquirendi gratiam, niſi probetur adeſſe ſpeciale præceptum à Chriſto inſtitutum confitendi peccata dubia; quia indirectè manebit ab illis abſolutus. De tertio verò caſu, in quo quis ante ſumptionem Euchariſtiæ habet ſolùm peccata mortalia dubia, an teneatur confiteri, vt ſecurus de puritate accedat ad ſanctitatem huius Sacramenti, dicam infrà *cap.6.*

Articvlvs II.

Solidius aliud fundamentum huius ſententia proponitur.

222. Fvndamentum, quod me dudum coëgit ad credendum, hanc ſententiam eſſe omninò certam, & oppoſitam improbabilem, eſt, quod deſumitur à communi vſu & praxi Fidelium in tota Eccleſia, ſcilicet confitendi omnia peccata mortalia dubia, cum firma perſuaſione de obligatione graui. Audiendus eſt P. Ioannes de Lugo *diſp. 16. de Pœnit. ſect. 2. num. 67.* [Potiſſimum fundamentum huius doctrinæ deſumendum eſt ex vſu & praxi totius Eccleſiæ, cuius initium non agnoſcitur: quare credendum eſt, ab ipſis Apoſtolis promanaſſe, qui vim & obligationem incluſam in huius Sacramenti inſtitutione meliùs potuerunt intelligere.]

Argum. Ioannis de Lugo.

223. Retulit Caramuel *n. 1924.* hæc verba Cardinalis; & ſic ad illa reſpondet. [Verùm ad hanc rationem reſponderi poſſet primò, non conſtare illam praxim & vſum in Eccleſia tanquam obligatorium. Secundò, licèt id conſtaret, id ortum habere ex eo quod omnes hucvſque Authores ita docuerint, & pauci à paruo tempore inceperint id reducere ad dubium, provt ſæpiùs contingit, & nunc & olim in ſententiis antiquari incipientibus. Videtur itaque mihi hoc argumentum tantumdem valere contra ſententiam contrariam; atque contra feſtum Immaculatæ Conceptionis valeret hoc: *Fuit praxis & vſus Eccleſiæ non celebrare feſtum Immaculatæ Conceptionis, & eius praxis non agnoſcitur initium: ergo credendum eſt ab ipſis Apoſtolis promanaſſe, qui difficultatem de Immaculata Conceptione meliùs potuerunt intelligere.*]

Reſponſio. Caramuelis.

224. Incidit in hanc reſponſionem Caramuelis P. Arriaga *tom. 8. diſp. 31. de Pœnit. ſect. 5. num. 43.* vbi eam retulit ſuppreſſo nomine Authoris; & hæc ſubiungit: [Quæ ſolutio valde mihi lepida videtur. Et quidem libentiſſimè illi admittimus, benè inferre, eam cõſuetudinem non celebrandi Conceptionem fuiſſe tempore ipſorum Apoſtolorum; imò ſi amplius vult, etiam ab ipſo oxordio mundi. Sed quid inde? Aliud enim longè eſt agere de vſu priuatiuo, *Hoc non fiebat olim.* Aliud verò, *Hoc fiebat.*] Proſequiturque explicans quantum interſit inter conſuetudinem priuatiuam, & poſitiuam. Nam ad conſuetudinem priuatiuam ſufficit, quod non exiſtimetur obligatorium; per quod non impeditur quod poſtea fiat obligatorium. E contra verò accidit in vſu poſitiuo: nam ſi ab initio Eccleſiæ fuiſſet conſuetudo celebrandi feſtum Immaculatæ Conceptionis; rectè colligeretur, illud initium habuiſſe ab Apoſtolis. Et ita videtur dicendum circa vſum antiquiſſimum confitendi peccata mortalia dubia. Nam quia poſitiuus eſt, & initium eius non cognoſcitur, rectè videtur Apoſtolis attribui.

Reſpõſionem impugnat Arriaga.

Conſuetudo priuatiua non infert prohibitionẽ.]

225. Quibus addi poteſt, dum dicit Caramuel, *fuiſſe praxim & vſum non celebrandi feſtum Conceptionis Immaculatæ*, potiùs fuiſſe negationem conſuetudinis, ſiue negationem vſus, & praxis. Ex negatione autem conſuetudinis malè infertur prohibitio. Nam eodem modo negatiuo fuit vſus & praxis non recitandi in choro Roſarium B. Virginis, non recitandi Officium expectationis, vel nominis Mariæ, non circumducendi per plateas ſolemni pompa Sacram Euchariſtiam in die ipſi ſacra. Poſitiua autem conſuetudo antiquiſſima, quæ ab omnibus reputatur obligatoria, inferre videtur traditionem Apoſtolicam, vt *art. ſequenti* dicam ex Auguſtino.

Praxis non celebrandi feſtum Conceptionis, fuit carentia conſuetudinis.

Quæ non infert prohibitionem.

Articvlvs III.

Maius robur ſuperadditur eidem argumento.

226. Sed quia olim hoc argumentum à praxi Fidelium deſumptum cenſebam afferre euidentiam moralem, operæpretium erit omnem vim exponere, quæ ad id cenſendum me inpellebat. Pro cuius claritate duo præmitto. Primum, hanc eſſe quæſtionem de facto, nempe: [An Chriſtus D. inſtituerit, quod peccata mortalia dubia exponantur in confeſſione?] Secundum, de praxi communi antiqua Fidelium in tota Eccleſia tanquam obligatoria non poſſe dubitari ſaltem à tempore S. Thomæ; quia ſi talis non eſſet, aliqui Authores antiqui oppoſitum affirmaſſent, aut de ea obligatione dubitaſſent; de qua tamen ne vnus quidem ex antiquis dubitauit. P. Th. Sanch. *lib. 1. ſum. c. 10. n. 66.* ait: [Eo ipſo quod dubium eſt, an peccatum ſit mortale, eſt certum illius cõfitendi præceptum, id teſtãte vſu Eccleſiæ, vt colligitur ex vniuerſis Doctoribus antiquis & neothericis, quos ſtatim referam, qui tanquam rem certam vnanimi conſenſu hoc præceptum ita intelligunt.] Et refert quadraginta Authores pro hac ſententia. Nam P. Enriquez non loquitur clarè, & ex neothericis eſt. Quæ verba viri doctiſſimi, magnum pondus afferre videntur, vt quilibet prudens pro certa reputet hanc ſententiam. Præter ea autem.

Eſt quæſtio facti, [An Chriſtus inſtituerit confeſſionẽ peccati dubij?]

Fuit praxis Fidelium reputata obligatoria, à tẽpore S. Th.

227. Probatur primò. Nam in quæſtione de facto, praxis commũnis Fidelium in tota Eccleſia cum firma perſuaſione de obligatione graui, facit euidentiam moralem, iuxta ea, quæ dixi *diſput. 23. c. 5.* ſed hæc quæſtio eſt de facto, ſcilicet, [An Chriſtus D. ita inſtituerit?] Et eſt cõmunis praxis

Vrgetur argum. à praxi Fidelium, quæ videtur facere euidentiam.

Digitized by Google

praxis Fidelium in tota Eccleſia, cum firma perſuaſione de obligatione graui, ſaltem vſque ad tempora Thomæ Sanchez, qui id ſcribebat ferè ad annum 1610. Ergo eſt moraliter euidens, quod datur obligatio grauis confitendi peccata mortalia dubia.

228. Probatur ſecundò. Nam etſi praxis Fidelium in tota Eccleſia cum firma perſuaſione de aliqua obligatione faciat euidentiam moralem in aliis materiis; atqui id multò magis vrget in materia Sacramentorum, & in iis, quæ Chriſtus inſtituit circa illa: tum quia cùm ea, quæ Chriſtus inſtituit, pertinentia ad vſum Sacramentorum, maiori ex parte non ſcripta, ſed tradita reliquerit in Eccleſia, & quaſi exarata in ipſa conſuetudine, & praxi Fidelium; ideo in hac materia Sacramentorum vrgentiſſimum argumentum eſt ipſa praxis Fidelium cum firma perſuaſione de obligatione. Tum etiam quia Concilium Tridentinum ſæpius repetit, hanc praxim Fidelium, & communem Eccleſiæ perſuaſionem facere euidentiam. Et ita *ſeſſ.* 13. *cap.* 7. *de Sacramento Euchariſtiæ*, agens de præcepto confitendi ante ſumptionem Euchariſtiæ, ait: *Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat, eam probationem neceſſariam eſſe, vt nullus ſibi conſcius mortalis peccati*, &c. Quid enim eſt *declarat*, niſi idem quod [demonſtrat, & certiſſimum & indubitabile reddit.] Et *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. *de Sacramento Pœnitentiæ*, agens de confeſſione ſacramentali, ait: *Vniuerſa Eccleſia ſemper intellexit, inſtitutam eſſe à Domino*, &c. Et *cap.* 7. agens de caſuum reſeruatione, inquit: *Perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit*; quam perſuaſionem proponit vt certiſſimum veritatis argumentum.

229. Cùm ergo in hac quæſtione inquiramus, [An Chriſtus D. inſtituerit præceptum confitendi mortalia dubia?] & inueniamus in omnibus Fidelibus hanc praxim cum firma perſuaſione eius obligationis confitendi peccata mortalia dubia, & verſemur in materia Sacramentorum, cuius doctrina adeò pendet à prædicta praxi, & communi perſuaſione; colligi videtur, hanc praxim & perſuaſionem communem de obligatione confitendi peccata mortalia dubia, facere euidentiam.

230. Probatur tertiò ex dictis *diſp.* 23. *cap.* 5. Etenim conſuetudines antiquas in tota Eccleſia receptas tanquam obligatorias tribuit Auguſtinus traditioni Apoſtolorum, vel Conciliorum decretis. Ita enim aſſerit *lib.* 4. *contra Donatiſtas, cap.* 24. vide Auguſtini textum *ea diſp.* 23. *num.* 142. Et præcipuè tradit *lib.* 4. *contra Donatiſtas, cap.* 6. vt *ibid.* retuli, cuius hæc ſunt verba: *Illa conſuetudo, quam & tunc homines ſurſum verſus aſpicientes, non videbant à poſterioribus inſtitutam, rectè ab Apoſtolis tradita creditur.* Et ferè idem tradit in textu, qui refertur *in cap. Illa, diſt.* 12. quam retuli eadem *diſp. num. eod.* ergo cùm detur in tota Eccleſia praxis & conſuetudo confitendi peccata mortalia dubia, tribuenda eſt Apoſtolis: & cùm *ſurſum verſus aſpicientes*, non videamus initium eius praxis, rectè ab Apoſtolis tradita eſſe credetur.

231. Probatur quartò. S. Auguſtinus *epiſt.* 118. verſans eam quæſtionem, [Quid faciendum ſit in materia Eccleſiaſtica?] ponit tanquam regulam indubitabilem, praxim & conſuetudinem vniuerſalis Eccleſiæ. Sic enim ait: *Similiter ſi quid horum tota frequentat Eccleſia. Nam hoc, quin ita faciendum ſit, diſputare, inſolentiſſima inſania eſt.* Cùm ergo in tota Eccleſia obſeruetur, quod Fideles confiteantur omnia peccata mortalia dubia, *quin ita faciendum ſit, diſputare, inſolentiſſima inſania erit.*

Probatur quintò ex P. Arriaga, qui *ea diſp.* 232.
31. *de Pœnit. cit. num.* 44. ſic arguit: [Hoc ipſo quod doctrina hæc noſtra ſit tradita à Doctoribus, & pertineat maximè ad mores, rectè colligimus, eam fuiſſe traditam à Chriſto Domino; qui in rebus tam neceſſariis, & vſum Sacramentorum concernentibus, patitur, inualeſcere ferè per totam Eccleſiam aliquid quid falſum.]

Probatur ſextò. Nam vt optimè Melchior 233.
Canus *lib.* 3. *de locis, cap.* 4. *§. Tertia via*, ait: [Si quidquam eſt nunc in Eccleſia, communi Fidelium conſenſu probatum, quod tamen humana poteſtas efficere non potuit; id ex Apoſtolorum traditione neceſſariò deriuatum eſt:] ſed quod Fideles ex obligatione ſe accuſent de peccatis mortalibus dubiis, praxis eſt communi Fidelium conſenſu probata; quod tamen humana poteſtas non potuit inſtituere: ergo id ex Apoſtolorum traditione deriuatum eſſe, credendum eſt.

ARTICVLVS IV.

Criſis fundamenti propoſiti.

ETſi nimium vrgere videatur præcedens argumentum, adhuc cenſeo, illud non certò 234.
conuincere. Pro cuius penitiori intelligentia aliquas poſitiones dabo.

Prima. Omnes Authores antiqui affirmantes 235.
obligationem confitendi peccata mortalia dubia, nituntur eo fundamento vnico, quod in dubiis pars tutior eſt eligenda, & quod ille, qui non confitetur peccata mortalia dubia, exponit ſe periculo peccandi grauiter. Patet *ex art.* 1. huius capitis, vbi de conſilio propoſui verba Authorum antiquorum, vt hæc poſitio clariùs innoteſceret. Ex antiquioribus autem nullus eſt, qui eam concluſionem probet ex communi praxi & conſuetudine Fidelium; ſed vt dixi, ex eo dumtaxat, quod in eo dubio, qui non confitetur, committit ſe periculo mortaliter labendi.

Antiqui ſolùm nituntur in eo, quod in dubiis pars tutior eligenda ſit.

Secunda. Si ea praxis & vſus communis Fi- 236.
delium de confitendis peccatis dubiis eſſet cum firma perſuaſione, quod Chriſtus ita inſtituit, vt exponerentur in confeſſione ea peccata mortalia dubia; hæc aſſertio eſſet prorſus indubitabilis. Patet. Nam eſſet traditio præcepti poſitiui diuini; quæ vt dixi *diſp.* 23. *cap.* 5. (etiam extra ea, quæ ſunt certa de fide) facit euidentiam moralem.

Si praxis Fidelium eſſet cum firma perſuaſione de inſtitutione Chriſti, res eſſet certa.

Tertia. Ea communis praxis Fidelium de 237.
confitendis ex obligatione peccatis mortalibus dubiis non eſt coniuncta cum firma perſuaſione de inſtitutione Chriſti. Itaque quamvis Fideles habeant eam communem praxim, non tamen habent firmam perſuaſionem, quod Chriſtus inſtituerit, peccata mortalia dubia eſſe confitenda. Ratio eſt, quia ſi ea praxis communis Fidelium eſſet cum firma perſuaſione de inſtitutione Chriſti, Authores de ea deponerent: atqui nullus Author non ſolùm

Sed non datur ea firma perſuaſio Fidelium.

ſolùm ex antiquis, verùm neque ex neothericis affirmauit eam praxim eſſe cum tali firma perſuaſione Fidelium. Neque aliud eſt fundamentum ad affirmandum, eam praxim niti tali firma perſuaſione.

238. *Ea praxis nititur in eo, quod in dubio proſpiciunt ſecuritati cōſcientiæ.* Quarta. Hæc praxis Fidelium de confitendis peccatis mortalibus dubiis, nititur dumtaxat in eo quod in dubio omnes volunt ſecuritati conſcientiæ proſpicere, neque vlli periculo ſe committere. Patet quia ſi vllum aliud fundamentum poſitiuum eſſet, quo ad id Fideles niterentur communi conſilio, illud vtpote omnibus commune & notum non potuit latere S. Thomam, & reliquos antiquiores; & ſi Authores antiqui illud nouiſſent, nunquam occultaſſent. Cùm ergo omnes Authores (præter neothericos, qui praxim Eccleſiæ & alia fundamenta afferunt) dumtaxat afferant fundamentum deſumptum ex periculo, cui ſe committit, qui tacet peccatum mortale dubium; dicendum eſt, non alio fundamento duci Fideles in ea praxi.

239. *Ea praxis nititur iure naturali probabiliter exiſtimato.* Quinta. Hæc communis perſuaſio fidelium de obligatione confitendi peccata mortalia dubia, nititur iure naturali, ſaltem probabiliter exiſtimato; non iure aliquo poſitiuo. Hæc manifeſtè infertur ex antecedentibus. Etenim id principium, quod [in dubio tutior pars eligenda eſt,] iuris eſt naturalis; quod probabiliter militat in hoc caſu. Cùm ergo nullo alio principio nitatur ea Fidelium communis perſuaſio, dicendum eſt, ſolo iure naturali inniti, ſaltem probabiliter exiſtimato.

240. Hinc facilè eſt, argumenta præcedentis articuli probabiliſſimè ſoluere. Et in primis in eo, quod ait P. Th. Sanch. fatemur, eam eſſe communem praxim Fidelium, nixam tamen probabiliter in eo principio, quod in regimine conſcientiæ pro ſecuritate eius ſtandum eſt; nec committendam eſſe periculo, quod ſequi videtur ex taciturnitate peccati mortalis dubij. Et ſi omnes Authores vſque ad P. Thom. Sanchez, & alij deinceps eam ſententiam vt certam tradiderunt, id ita accidit, quia putarunt, id principium non probabiliter ſolùm, ſed certò habere locum in præſenti caſu: ſæpe enim accidit, quod continua Doctorum hominum diſceptatione, aliqua effulgeant poſteris, quæ antiquiores latuerunt.

241. *Perſuaſio Fidelium in quæſtione facti facit euidētiam; non ſic in quæſt. iuris naturalis.* Ad primum deinde argumentum diſtinguo maiorem: praxis communis Fidelium cum vniuerſali perſuaſione grauis obligationis [iuris poſitiui,] facit euidentiam concedo; [iuris naturalis,] nego. Nam quando eſt communis perſuaſio iuris poſitiui, eſt perſuaſio in quæſtione de facto, quod ſcilicet reipſa impoſitum fuerit tale præceptum poſitiuum; quæ perſuaſio in quæſtione de facto plenè probatur, & cum morali certitudine per teſtes; quæ probatio non poteſt eſſe maior, quàm cùm omnes dicunt, ita ſe accepiſſe vniuerſaliter à maioribus, id eſt ab omnibus Epiſcopis, omnibus Parochis, omnibus Religioſis, omnibus Confeſſariis, omnibus Scriptoribus; quos omnes ita in quæſtione de facto decipi, eſt moraliter impoſſibile. Vide quæ dixi *diſp.* 23. *cap.* 5. Non ſic euenit in perſuaſione obligationis nixæ in iure naturali, quæ eſſe ſolet fundata in ſententia probabili.

Poteſt etiam negari ſuppoſitum maioris, quod perſuaſio Fidelium nixa in iure naturali, qualis eſt hæc, ſit in quæſtione de facto. Nam licèt ſit quæſtio de facto hæc, qua inquirimus, [An Chriſtus D. inſtituerit confeſſionem peccati mortalis dubij ex obligatione graui faciendam?] perſuaſio tamen communis de ea obligatione non eſt perſuaſio de tali Chriſti D. inſtitutione, ſed de obligatione iuris naturalis præſcribentis in dubio tutiorem partem eligendam eſſe. Quare ſimiliter, iuxta hæc, diſtinguenda eſt minor: cum firma perſuaſione de obligatione graui [iuris poſitiui aut inſtitutionis Chriſti,] nego [iuris naturalis, ſaltem probabiliter exiſtimati,] concedo. 242.

Ad ſecundum argumentum patet ex dictis. Fatentur enim in materia Sacramentorum vniuerſalem Fidelium perſuaſionem facere euidentiam, quando ea perſuaſio eſt de iure poſitiuo, ſiue de præcepto impoſito: & in his terminis loquitur Concilium Tridentinum. Et id reputo certiſſimum, non ſolùm in iis, quæ ſunt certa de fide, ſed & in aliis, quæ talia non ſunt. Cùm autem ea vniuerſalis perſuaſio non ſit de inſtitutione Chriſti, aut de præcepto impoſito à Chriſto D. inde eſt, quod non faciat euidentiam propter dicta. 243.

Ad tertium fatemur cum Auguſtino, conſuetudines Eccleſiæ, quarum non agnoſcitur initium, tribuendas eſſe Apoſtolis, tanquam iis, qui eas tradiderunt, quando videlicet illæ non nituntur iuri naturali. In iis autem, quæ iure naturali nituntur, vel certò, vel probabiliter exiſtimato, ad ſolum dictamen rationis, & conformitatem cum natura rationali recurritur; quia conſuetudo, quæ iure naturali innititur, non eget legiſlatore humano, imò nec diuino poſitiuè præcipiente. Conceſſo ergo antecedenti de conſuetudine innixa iure poſitiuo, neganda eſt conſequentia, quæ loquitur de conſuetudine & perſuaſione innixa iure naturali, ſaltem probabiliter exiſtimato. 244.

Ad quartum argumentum. Illud dictum S. Auguſtini in duplici caſu poteſt intelligi. Primò, quando diſputatur, [An ſit licitum illud, quod *tota frequentat Eccleſia?*] Et hoc modo, ſi diſputetur, [An ſit licitum Fidelibus, accuſare ſe de peccatis dubiis?] quin licitum ſit diſputare, aut in dubium vertere, *inſolentiſſima inſania eſſet.* Secundò cùm inquiritur, [An frequentatio, ſiue conſuetudo totius Eccleſiæ recepta tanquam obligatoria, reuerà obligatoria ſit?] Auguſtinum enim loqui etiam in hoc caſu, patet ex iis, quæ de conſuetudine vniuerſali Eccleſiæ docuit in locis allegatis *ea diſp.* 23. *cap.* 5. Cùm ergo in iis locis loquatur Auguſtinus de conſuetudine & praxi Fidelium innixa iure poſitiuo, vt ex prædictis locis patet; eodem modo intelligendus eſt in hoc textu; ſcilicet eſſe *inſolentiſſima inſania* vertere in dubium, an ſit obligatio faciendi aliquid, ad quod in vniuerſali Eccleſia omnes Fideles teſtantur eſſe ius poſitiuum, ſiue præceptum reipſa impoſitum. Quia quando ſolo iure naturali innititur, id ſolùm certitudinis, vel probabilitatis attribuendum eſt communi perſuaſioni Fidelium, quantum probat ipſa ratio, qua innititur. 245.

Ad

Digitized by Google

246. Ad quintum ex P. Artiaga colligente, ex eo quod hæc doctrina tradita ſit ab omnibus Doctoribus, & pertineat maximè ad mores, illam traditam eſſe à Chriſto D. id quidem admitteremus, ſi omnes Doctores affirmarent, eſſe vniuerſalem perſuaſionem Fidelium de inſtitutione Chriſti; nam pluſquam quadraginta Doctores non poſſent id vnanimi conſenſu in quæſtione facti affirmare, quin eſſet certiſſimum. Cùm tamen prædicti Doctores iure naturali nitantur, de ſecuritate conſcientiæ in dubio præſtanda, non rectè infertur ex eorum ſententia, quod Chriſtus D. impoſuerit tale præceptum; cùm Doctores illud non affirment, ſed dumtaxat recurrant ad iuris naturalis principium.

247. Quod verò ſubiungit, [Chriſtum D. non paſſurum in re tanti momenti inualeſcere ferè per totam Eccleſiam aliquid falſum;] reſpondeo duo. Primum, idem argumentum poſſe fieri de omnibus ſententiis probabilibus, quæ tanquam probabiles receptæ ſunt in tota Eccleſia: quæ quia dumtaxat probabiles ſunt, fortè ſunt falſæ. Quomodo ergo patitur Chriſtus D. inualeſcere ferè per totam Eccleſiam aliquid falſum? Cui interrogationi ſatisfacit reſponſio ſecunda; ſcilicet in iis, quæ Fideles operaturi ſunt, ſi probabili, prudentique ratione nitantur, præcipuè ſi vniuerſaliter tanquam probabilis ſit admiſſa, nullum eſſe inconueniens, quod falſum ſit; & hoc pacto multa permittit Chriſtus, quæ fortè falſa ſunt; quia dum operantur iuxta opinionem vniuerſaliter receptam tanquam probabilem, nihil nocent conſcientiæ, ſed ſecuriſſimè procedunt.

248. Aliud eſt, cùm probabilitas inuoluit aliquid, quod ſi attribuatur Eccleſiæ, enorme continet abſurdum; nam eo ipſo deſinit eſſe probabilitas. Vt ſi quis diceret, Eccleſiam ex ratione probabili præſtare cultum Sancto canonizato, qui reipſa damnatus fuiſſet. Eſſet enim id enorme abſurdum (quod Chriſtus non patietur) Eccleſiam venerari vt Sanctum in cælesti gloria degentem eum, qui gehennæ fuiſſet addictus. Et eodem modo certum argumentum eſt illud, quo Immacolatam B. Virginis Conceptionem ſtatuimus, deſumptum ex veneratione, qua Eccleſia id myſterium veneratur, ita Alexandro VII. atteſtante; quia abſurdum eſt, quod Eccleſia falſæ ſanctitati cultum exhibeat. De quo vide *diſp. 9. capite 18.*

249. Ad ſextum ex ea aſſertione Melchioris Cani deſumptum; fateor, ſi quidquam in Eccleſia, communi conſenſione probatur, quod non nititur iure naturali, exceditque humanam poteſtatem, in Apoſtolicam traditionem referendum eſſe, quæ id tradiderit tanquam à Chriſto inſtitutum. At verò ſi iure naturali nititur, non ad Apoſtolicam traditionem, ſed ad dictamen rationis reuocandum eſt, vt iam diximus. Quod ita contingere circa confeſſionem peccati mortalis dubij, patet ex dictis.

***

ARTICVLVS V.

Euertuntur alia fundamenta eiuſdem ſententiæ.

PAter Thom. Sanch. *lib. 1. ſum. cap. 10. numero 66.* ſic etiam probat ſuam ſententiam: 250. *An lex confeſſionis, quia fauorabilis ſit amplianda?*
[Lex quantumcumque pœnalis & odioſa ſit, eſt amplianda, quando eſt in animarum fauorem, ad vitanda peccata (vt probaui *lib. 1. de matrim. diſp. 39. num. 5.* & *lib. 3. diſp. 1. num. 8.*) ne dum hæc confeſſionis lex, quæ tantùm abeſt, vt ſit pœnalis & odioſa, vt potiùs valdè fauorabilis ſit, & tanquam ſuauiſſimum medicamentum ad omnia peccata præterita poſt Baptiſmum commiſſa delenda, ac futura præcauenda, à Chriſto Domino noſtro inſtituta.]

Sed pace tanti Doctoris, mihi videtur eam regulam de amplianda lege fauorabili non bene cadere in præſentem materiam. 251. *Regula de fauore ampliando nòn extenditur ad ius diuinum.* Ea enim regula non eſt iuris diuini, ſed iuris humani ab Eccleſiæ Principibus ſtatuti. Lex autem de confitendis peccatis eſt ſtatuta à Chriſto Domino; & ideò non regulanda, neque interpretanda eſt per regulas iuris humani, quia ius humanum non protrahit ſphæram ſuam ad conſtitutiones diuinas. Itaque quæſtio præſens eſt; [An Chriſtus D. inſtituerit confeſſionem peccati mortalis dubij?] Cùm ergo vt talis obligatio detur, inſtitutio debeat eſſe diuina, & ampliatio legis fauorabilis non ſit ex lege diuina; inde eſt, quod præceptum confeſſionis peccati dubij non ſit per eam regulam interpretandum. Vnde maior diſtinguenda eſt: Lex [humana] amplianda eſt, quando eſt in fauorem animarum, concedo; lex [diuina] nego. Lex enim diuina tantùm amplianda, vel reſtringenda eſt, quantùm conſtat de eius inſtitutione.

Probat deinde. [Quia Tridentinum *ſeſſ. 14. in decreto de Sacramento Pœnitentiæ, cap. 5.* & 252.
can. 7. agens de materia Sacramenti Pœnitentiæ, ſola venialia à confitendi neceſſitate excipit: non ergo ſunt excipienda peccata, de quibus dubitatur, an mortalia ſint.]

Sed neque hoc multùm vrget. Nam peccatum dubium non conſtituit aliud genus peccati; 253. *Dum excipit ſola venialia; non excluait mort. dubia.* neque enim eſſe dubium, eſt aliquid ſe tenens ex parte peccati, ſed ex parte modi cognoſcendi. Et ideò verificatur, quod ſola venialia ſunt materia voluntaria Sacramenti Pœnitentiæ, quia præter peccata venialia nulla alia ſunt præter mortalia. Nam peccata mortalia dubia non ſunt ipſa in ſe dubia, ſed ego ſum dubius de illis; & per improprietatem ſermonis dicuntur ipſa dubia; & dubietas ſolùm extrinſecè dicitur de illis, quatenus ego de illis dubius ſum. Idque præcipuè cùm textus capite ſequenti referendi ex Tridentino, ſi cum hoc conferantur, videantur multò plus ponderis habere, & multò clariùs loqui.

Confirmat deinde. [Quia peccata ſunt detegenda in confeſſione eo modo, quo ſunt in 254.
conſcientia: cùm ergo in illa ſunt tanquam dubia, an ſint mortalia, ſic ſunt aperienda.]

255. *An confitenda peccata eo modo, quo ſunt in conſcientia?* Reſpondeo, peccata, quæ confitenda ſunt ex neceſſitate præcepti, detegenda eſſe in confeſſione eo modo, quo ſunt in conſcientia. Conſtet ergo priùs, mortalia dubia eſſe confitenda; & ita conſtabit, ea dicenda eſſe ſub dubio ex neceſſitate præcepti.

256. Addit denique hoc argumentum. [Tandem, quia id (*confiteri peccata mortalia dubia*) eſt neceſſarium, vt confeſſor tanquam iudex poſſit eo modo de illis iudicare, & ex coniecturis arbitrari, qualia ſint; & tanquam Medicus præcauere in poſterum, medicamento adhibito.]

257. Hoc argumentum etſi ſpeculatiuè facilè ſoluatur, dicendo, priùs conſtare debere, quod Chriſtus inſtituerit confeſſionem peccati mortalis dubij; & ſi hoc non verificatur, quod confeſſor ſit iudex neceſſarius, vel Medicus reſpectu illorum; adhuc tamen in ordine ad praxim non eſt parui momenti id argumentum: ideò de eo iudicium feram in fine capitis quinti.

CAPVT V.

Probabilitas ſententiæ affirmantis, peccata mortalia dubia non ex neceſſitate præcepti confitenda.

258. *Probabilitatē non firmat, ſed turbat ſyllog. ſophiſticus.* PRobabilitas huius ſententiæ non deſiderat ea ſeptem argumenta Caramuelis, quæ *cap.* 2. dilucidè oſtendimus eſſe ſophiſmata; ſicut neque ſimilia alia Franciſci Verde: opinionis enim probabilitatem non fulcit, ſed turbat ſyllogiſmus ſophiſticus. Quare ad cognitionem huius probabilitatis maximè interfuit, æquiuocationes & paralogiſmos à ſolidis fundamentis ſeparare. Et quidem ex dictis capite præcedenti patet, ſententiam de peccatis mortalibus dubiis ex neceſſitate præcepti confitendis, non eſſe certam; cùm omnia eius fundamenta probabiliter diſſoluta ſint: implicat autem contradictionem, aliqua fundamenta eſſe certa, & probabilem ſolutionem habere.

259. Quamuis ergo cenſeam probabiliorem ſententiam, quæ docet, peccata dubia eſſe ex neceſſitate præcepti confitenda; adhuc tamen negare non poſſum, oppoſitam ſententiam, quæ id negat, eſſe probabilem (cum limitatione tamen *num.* 280. in ordine ad praxim ſubiicienda.) Tria enim ſunt fundamenta ſolida pro hac ſententia. Primum eſt ex Tridentino, ex quo textus poſtremus, qui *cap. præcedent. articul.* 7. proponitur à Caramuele, valde vrget; & videtur non eſſe talis reſponſio, in qua omninò quieſcat animus. Relege præſertim ea verba: *Conſtat, nihil aliud in Eccleſia à pœnitentibus exigi, quàm vt poſtquam quiſque diligentiùs ſe excuſſerit, & conſcientiæ ſuæ ſinus omnes & latebras explorauerit, ea peccata confiteatur quibus ſe Dominum & Deum ſuum mortaliter offendiſſe meminerit.* Iuxta quem textum ad nihil aliud quis tenetur, quàm vt poſt diligens examen confiteatur ea peccata quibus meminit ſe mortaliter offendiſſe Deum: ſed qui dubitat, an peccauerit mortaliter, non meminit ſe offendiſſe Deum: *An dubitans de peccato mortali meminerit, ſe offendiſſe Deum?* ergo qui ita dubitat, non tenetur confiteri. Minor patere videtur. Nam ſi quis dubitans de commiſſione peccati mortalis, v. g. furti, prouolutus ad genua Sacerdotis diceret, [Memini, me commiſiſſe peccatum mortale furti;] Sacerdos daret abſolutionem ſine conditione, quia pœnitens ſatis ſignificauit illis verbis, ſe eſſe moraliter certum de commiſſione talis peccati: ergo qui dicit, ſe meminiſſe, excludit omne dubium: ergo ſi dumtaxat tenetur confiteri, quæ meminit, non tenetur confiteri ea, de quibus dubitat. Et quidem quis homo veridicus dubitans de delicto Ioannis, audebit dicere, [Memini, Ioannem hoc delicto ſe obſtrinxiſſe?] Quare non audebit, niſi quia verbum *Memini*, omnem dubitationem excludit?

Dices primò ad explicationem & intelligentiam huius textus, attendendum eſſe initium illius, quo ſic eam definitionem Concilium inchoat. *Sed & impium eſt dicere, confeſſionem, quæ hac ratione fieri præcipitur, impoſſibilem dicere, aut carnificinam illam conſcientiarum appellare. Conſtat enim, nihil aliud in Eccleſia à pœnitentibus exigi, &c.* Itaque Concilium damnare intendit impiam eam ſectariorum calumniam, qua aſſerebant, præceptum confeſſionis in Eccleſia traditum eſſe de re impoſſibili, quaſi doceretur in Eccleſia, eſſe obligationem confitendi peccata, etiam quorum quis non recordatur. Ideò contra ſectarios ſacra Synodus decernit, ſolùm ea peccata eſſe ex neceſſitate confitenda, quorum quis poſt diligens examen recordatur. Cùm autem ſectarij nihil dicerent de confeſſione peccati dubij, non videtur ſacra Synodus de ea quæſtione aliquid decernere. 260.

Hæc tamen reſponſio fortè non omninò ſatisfacit. Nam etſi Tridentini Patres illam calumniam ibi damnare intendant; id non tollit, quod verba, quibus damnant, verificanda ſunt. Videntur ergo non verificari, ſi præter peccata mortalia, quorum quis meminit, etiam ex neceſſitate præcepti confitenda ſint ea peccata, de quibus dubitat. Quia cùm ea propoſitio, [Memini me feciſſe hoc,] excludat dubitationem; ſi confitenda ſunt peccata dubia, confitenda ſunt alia præter ea, quæ meminit: & ſi ſolùm confitenda ſunt ea, quæ quis meminit, ſe feciſſe, vt ait ſancta Synodus, non confitenda ſunt ea, de quibus dubitat; nam ille qui meminit ſe feciſſe, non dubitat. 261.

Dices ſecundò. In memoriam cadit dubitatio: ergo & in verbum *Memini*. Antecedens probatur. Nam ſi quis cùm diſcutit conſcientiam, aduertit, ſe habere quatuor peccata dubia, & vadens poſtea ad confeſſarium, deficiente memoria, confiteatur duo tantùm, iam patet, ſe oblitum duorum peccatorum dubiorum: ergo obliuio eſſe poteſt de peccatis dubiis: ergo & memoria, cùm contrariorum eadem ſit ratio; & eorum, quæ quis obliuiſcitur, potuit meminiſſe. 262. *An in memoriam cadat dubitatio?*

Fortè neque hæc reſponſio omninò ſatisfacit. Nam toto cœlo diſtant iſtæ duæ propoſitiones, [Memini, me offendiſſe Deum peccato furti grauis: Memini me dubitaſſe de peccato furti grauis; vel, Memini, me habere ſub dubio furtum graue.] Nam qui poteſt dicere, [Memini, 263.

me

Digitized by Google

me habere ſub dubio furtum graue;] non poteſt cum veritate dicere, [Memini,me offendiſſe Deum furto graui:] nam hæc poſterior propoſitio dubitationem excludit, atque adeo hæc ſecunda propoſitio excludit obiectum prioris. Ita quein memoriam cadit dubitatio, quatenus poteſt quis meminiſſe ſuæ dubitationis præteritæ, vel ſui peccati dubij: non tamen cadit dubitatio in memoriam,qualiter ſignificatur per iſtam propoſitionem, [Memini me peccaſſe furto graui:] non enim cadit dubitatio in memoriam determinatè reminiſcentem talis actionis à ſe factæ; hæc enim dicit determinatum aſſenſum, quo quis credit, ſe feciſſe talem actionem determinatam: aſſenſus autem dubitationem excludit. Et inde patet, quomodo diſtinguendum ſit antecedens: In memoriam [determinatè reminiſcentem, ſe feciſſe talem actionem] cadit dubitatio, nego; in memoriam [habentem pro obiecto dubitationem,] concedo.

264. *An peccati dubij habeatur conſcientia?*

Secundum fundamentum eſt alter textus Tridentini, allatus etiam à Caramuele, cuius memini *cap. præced. art. 7. ex eiſdem ſeſſ. 14. cap. 5. Ex his colligitur, oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent, in confeſſione recenſeri.* Vbi nomine *conſcientiæ* ſignificari videtur cognitio certa: ergo ſolùm tenetur confiteri peccata, quæ quis certò nouit; non autem ea, de quibus dubitat.

265. Dixi eo articulo 7. eam reſponſionem videri probabilem, ſi quis dicat nomen *conſcientiæ* intelligi à Concilio in ea acceptione, quæ vſitata eſt apud Theologos: iuxta quam diuiditur in conſcientiam certam, probabilem, ſeu opinatiuam, & dubiam: atque adeò verificari poſſe, dubitantem de peccato commiſſo, habere conſcientiam eius peccati dubiam. Neque ea valent,quibus oppoſitum conatur probare Caramuel, vt *ibid.* oſtendi. Vide quæ dicam *cap. 6. num. 29. & 30.*

266. Vrgentiùs probatur, Concilium non loqui in ea acceptione; ſed vſurpare nomen *conſcientiæ*, pro cognitione certa,ex altero textu ipſius Concilij. Eſt enim certum,præceptum confeſſionis quoad totam ſuam integritatem obligare ante ſuſceptionem Euchariſtiæ; atque adeò ea, quæ non ſunt ex neceſſitate præcepti confitenda ante ſuſceptionem Euchariſtiæ, non cadere ſub præceptum confeſſionis per ſe. Hoc autem præceptum confeſſionis ante ſumptionem Euchariſtiæ ſic proponit Concilium *ſeſſ. 17. cap. 7. de Sacramento Euchar. Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat, eam probationem neceſſariam eſſe, vt nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa Sacramentali confeſſione ad Euchariſtiam accedere debeat.* Ex quibus verbis duo inferuntur.

267. *An dubius peccati non ſit conſcius?*

Primum, non requiri ad confeſſionem Euchariſtiæ præuiam; atque adeò neque requiri abſolutè ad integritatem confeſſionis,niſi ea ſolùm peccata confiteri, quorum quis eſt ſibi conſcius. In id autem verbum *Conſcius*, non cadit dubitatio; nam qui dubitat, an commiſerit ſacrilegium, non eſt ſibi conſcius ſacrilegij: vox enim *conſcius*, ſcientiam & certitudinem importat.

268. Secundum,quod infertur eſt,cùm agat Concilium vtrobique de integritate confeſſionis, & in altero textu vtatur voce *conſcientia*, & in altero voce *conſcius*; in eodem ſenſu accipi à Concilio vtramque vocem *conſcius*, & *conſcientia*: & cùm vox *conſcius* nunquam accipiatur pro dubio, ita vocem *conſcientia*, non accipi in eo loco pro cognitione dubia, ſed pro cognitione, quæ hominem reddit conſcium.

269. Dices. Si in eodem ſenſu accipiuntur à Concilio *conſcientia*, & *conſcius*, ſicut *conſcientia* vſurpari ſolet pro dictamine ſcientifico, probabili, & dubio; ita poterit & *conſcius*.

270. Id tamen leue eſt, quia eſt inauditum, quod vox *conſcius*, dicatur de eo, qui dubitat. Nihil autem abſurdius eſt, quàm vt quiſque pro libito dare velit ſignificationem vocibus, in qua nunquam vſurpantur. Vel qui aliter iudicauerit, producat mihi vnum textum, vbi nomen *conſcius*, dicatur de dubitante.

271. Obiicies. Hæc ratio tantum probat, vt nihil probet: ergo ex illa ſophiſticè arguimus. Probatur antecedens. Namſi vrget ratio à nobis facta, probat, ad obligationem confitendi peccatum mortale, requiri ſcientiam de exiſtentia illius: ergo vbi datur iudicium probabile de exiſtentia peccati, maximè ſi nulla ratio probabilis detur pro non exiſtentia illius, nulla erit obligatio illud peccatum mortale confitendi, quod eſt abſurdum. Conſequentia patet, quia iudicium probabile non eſt ſcientia: ſi ergo Concilium requirit ſcientiam peccati, non ſufficit iudicium probabile.

272. Reſpondetur vocem *conſcius*, non vſurpari à Concilio qualiter in Logica, vel Metaphyſica; ſed qualiter vſurpatur in conuictu humano. Id enim iuramus eſſe verum, & habere nos de illo certitudinem, quod ex prudentibus fundamentis iudicamus abſque dubitatione, maximè in quæſtione facti. Sic iuramus, Petrum eſſe filium Ioannis, non quia omnimoda certitudine id ſciamus, cùm multis modis id poſſit eſſe falſum: ſed quia ex prudentiſſimis fundamentis iudicamus abſque dubitatione, maximè in quæſtione facti. Sic iuramus, Petrum eſſe filium Ioannis, non quia omnimoda certitudine id ſciamus, cùm multis modis id poſſit eſſe falſum: ſed quia ex prudentiſſimis fundamentis id iudicamus abſque vlla dubitatione ita eſſe. Ita qui ex prudentibus fundamentis abſque dubitatione iudicat,ſe peccaſſe, eo modo dicitur, eſſe ſibi conſcius talis peccati, & ſcire, ſe peccauiſſe.

273. *Præceptum, vt obliget, debet eſſe certum.*

Tertium fundamentum eſt, vt præceptum obliget, debet eſſe certum: ſed non eſt certum præceptum de peccatis dubiis confitendis: ergo id non obligat. Maior patet. Nam præceptum incertum, ſiue dubium non ſatis promulgationis habet, ſiue non ſatis proponitur intellectui, vt illo homo dicatur obſtringi.

274. *Non videtur ceptum præceptum confitendi peccata dubia.*

Minor verò probatur primò. Nam ex dictis cap. præcedenti conſtat, omnia fundamenta, quæ afferuntur à Doctoribus pro eius certitudine, habere ſolidiſſimam ſolutionem. Secundò: quia illud præceptum meritò poteſt dici dubium, de quo graues Theologi dubitant: atqui, vt conſtat *ex cap. 1.* pluſquam ſeptem Theologi graues dubitant de tali præcepto; cùm

Digitized by Google

cùm aſſerant ſaltem vt probabile, illud non dari: ergo illud præceptum non eſt certum, ſed dubium.

275. Nec dicas, eos Theologos non dubitare, quia habent aſſenſum determinatum de negatione præcepti. Si enim id dixeris, maius robur addis argumento: cùm minùs certum ſit præceptum, quod negant Theologi graues, quàm illud, de quo dubitatur. Dicimus autem, eos dubitare, quatenus ex eorum concluſione negante præceptum, infertur, præceptum nullatenus eſſe certum.

276. Dices. Apud omnes Theologos conſtat, eam propoſitionem eſſe temerariam, quæ opponitur communi ſententiæ omnium Theologorum: ſed ſententia, quæ aſſerit, non confitenda ex obligatione peccata dubia, opponitur communi ſententiæ omnium Theologorum, ſaltem vſque ad tempus Thomæ Sanchez, in quo nullus Theologus dixerat oppoſitum: ergo hæc ſententia temeraria reputanda eſt. Et confirmatur. Tempore P. Thomæ Sanchez ea ſententia erat temeraria, vtpote oppoſita omnibus Theologis: ergo & nunc eſt temeraria; cùm non potuerit tam breui tempore tranſire temeraria in probabilem.

277. *Non opponitur communi omnium ſententia.* Reſpondeo primò, hanc ſententiam non opponi communi ſententiæ omnium Theologorum, quia pluſquam ſeptem ſunt, qui illam ſequuntur, vt conſtat *ex cap. 1.*

278. *Propoſitio poteſt tranſire de temeraria in probabilem.* Ad confirmationem, tempore P. Thomæ Sanchez hæc ſententia fortè reputabatur temeraria, quia nullus Theologus auſus fuerat aſſerere oppoſitam. Nec nouum eſt, quod propoſitio de temeraria euadat in probabilem, imò & in euidentem. Nam quo tempore nullum erat fundamentum ad aſſerendam mortem Regis, iudicium de morte eius erat temerarium: vbi affulſerunt probabiles coniecturæ de eius morte, aſſenſus de temerario tranſiit in probabilem: at vbi certiſſimæ narrationes, & infallibiles nuntij de ea acceſſerunt ad nos, de probabili tranſiit in euidentem moraliter. Similiter contingit ſententiis, iuxta dicta *diſp. 9. cap. 4.* Similiter contingit & huic. Olim enim non animaduertebant Theologi fundamenta grauia, quibus nititur hæc ſententia: & dum ea non affulgebant, deſtituta erat fundamento rationis & authoritatis; ideoque temerè affirmaretur. Vbi autem affulſerunt fundamenta grauia, & graues Theologi in eam inclinarunt, non temeraria, ſed probabilis dicenda eſt.

279. *Non eſt opinio communis, quæ habet plures Authores.* Reſpondeo ſecundò ex dictis *diſp. 11. cap. 2. art. 4.* vbi ex P. Thoma Sanchez, Nauarro, & aliis oſtendi, non eſſe opinionem communem eam, quæ plures numero Authores habet. Nam ſi hi more auium alij alios ſequuntur, numerum addunt, non probabilitatem. Et tales ſunt in hac quæſtione aliqui Authores antiqui ex illis, quos citaui ſuprà *c. 3. art. 1.* Relege eorum verba ibi poſita, & inuenies, nonnullos eorum non addere aliquid ad concluſionem, & probationem S. Thomæ.

280. *Rarò poteſt reduci ad praxim.* Hanc tamen ſententiam ita limito, vt rariſſimus ſit caſus, in quo ille, qui non eſt doctus Theologus, poſſit vti in praxi hac opinione. Quia hæc materia dubiorum valde metaphyſica eſt, & habet multas reflexiones, quas homines indocti callere non poſſunt; & ideo tenentur vel confiteri peccata mortalia dubia, vel ſaltem conſulere, an obſtringantur ad confeſſionem, necne? Primò quia indoctus neſcit diſtinguere inter dubium practicum, & ſpeculatiuum: & fortè operatus eſt cum conſcientia practicè dubia, quo caſu euidenter commiſit peccatum mortale certum. Cùm tamen audit mortalia dubia non eſſe confitenda, putat, neque illam operationem regulatam à conſcientia practicè dubia confitendam eſſe. Secundò, certus de voto, & dubius de impletione omiſit omnino impletionem illius; & indoctus quia dubius fuit de impletione, putat hunc caſum eſſe ex dubiis, qui non ſunt confitendi. Tertiò. Certus de peccato mortali, & dubius de confeſſione eius, omittit: & quia ignarus eſt, & audiuit, peccata dubia non eſſe confitenda, putat, hunc caſum eſſe ex illis, in quibus abſoluitur ab obligatione confitendi. Cuius generis poſſunt eſſe alia innumera. Et ob hanc cauſam hæc ſententia non eſt docenda coram ignara populi multitudine; quin imò homines ignari inſtruendi ſunt, vt in omnibus dubiis ad Theologos doctos confugiant. Et hoc eſt, quod benè probat argumentum vltimum propoſitum in fine capitis præcedentis ex P. Thoma Sanchez.

CAPVT VI.

Extrema criſis huius quæſtionis.

COnſtat ex dictis *cap. præcedenti*, probabilem eſſe ſententiam, quæ negat obligationem confitendi peccata dubia. Sed tamen dixi *num. 259.* probabiliorem à me cenſeri opinionem, quæ eam obligationem affirmat. In qua criſi perſiſto, eamque vnico fundamento confirmo, quod quidem probabilius cenſeo. Cui fundamento iaciendo ſequentes poſitiones ſubſterno. 281. *Probabilius eſt, confitenda eſſe peccata dubia.*

Prima eſt. Vt quis ſuſcipiat Euchariſtiam, debet formare iudicium probabile ſpeculatiuum, quo credat, ſe eſſe in ſtatu iuſtificationis. Patet. Quia ſolus iuſtus admittitur ad conſortium huius Sacramenti: quare qui accedit ad illud, aliqua probabilitate debet credere, ſe eſſe ex numero iuſtorum. 282. *Ad communionē requiritur iudiciū probabile ſpeculatiuum de ſtatu gratiæ.*

Secunda eſt. Qui eſt in mero dubio de peccato mortali à ſe commiſſo, ſaltem poſt confeſſionem proximam, nec habuit contritionem charitate formatam, non poteſt componere iudicium probabile ſpeculatiuum, quo credat, ſe eſſe in ſtatu iuſtificationis. Quia non componuntur dubitatio & aſſenſus probabilis, vt conſtat *ex diſp. 6. cap. 5.* 283. *Cum dubio mortali non componitur id iudicium.*

Nec valet, ſi dicas, dubitantem de peccato mortali à ſe commiſſo, poſſe deponere dubium ex poſſeſſione, vel præſumptione Innocentiæ. 284.

Nam vt omittam, quod hæc reſponſio refutata manet ſuprà *cap. 2. articulo 7.* ea non eſt ad rem, quia mutat caſum. Loquimur enim in caſu, in quo intellectui non occurrat ratio aliqua probabilis, qua dubium poſſit probabiliter deponi; & in quo homo maneat in æquilibrio coactus ad dubitationem. Sic autem dubitans, neceſſariò caret iudicio probabili, quo credat, ſe eſſe in ſtatu iuſtificationis. 285.

Item

Digitized by Google

286. Item neque valet, ſi dicas, dubitantem de peccato mortali à ſe commiſſo, poſſe ante communionem deponere dubium practicè, ex dictamine probabili ſententiæ negantis obligationem confitendi peccata dubia.

287. Etenim hæc duo dubia diſtinguere oportet inter ſe valde diuerſa. Primum, an Petrus acceſſurus ad Euchariſtiam, ſit in ſtatu iuſtificationis, vel potiùs in ſtatu peccati mortalis? Quod dubium eſt purè ſpeculatiuum. Secundum, an Petrus acceſſurus ad Euchariſtiam poſſit accedere ſine contritione perfecta, & ſine confeſſione præuia, ex dictamine ſententiæ probabilis, quod non tenetur confiteri peccata dubia?

288. Primum dubium ſpeculatiuum non poteſt deponi per deciſionem affirmatiuam ſecundi dubij. Quia, vt conſtat ex poſitione prima, non poteſt accedere ad Euchariſtiam ſine iudicio ſpeculatiuo probabili, quo credat, ſe eſſe in ſtatu iuſtificationis. Quod iudicium ſpeculatiuum non poteſt niti in probabilitate ſententiæ aſſerentis non debere exponi peccata dubia, aut non debere præcedere confeſſionem, neque contritionem; quia hoc ſecundum dictamen non tollit rationem primi dubij ſpeculatiui, cum quo nemo poteſt ad Euchariſtiam accedere.

289. Ideò quamvis amplectaris in praxi ſententiam probabilem, quæ negat obligationem confitendi peccata dubia, non potes accedere ad Euchariſtiam cum dubio ſpeculatiuo de peccato mortali à te commiſſo poſt confeſſionem, ſaltem ſine contritione perfecta, aut confeſſione reliquorum criminum. Neque oppoſitum dicam probabile, & clariùs conſtabit ex poſitione 3.

290. *Vt dubius de culpa mortali poſſit formare id iudicium, vnum è duobus præſtare debet, &c.*

Tertia eſt. Vt homo ſic dubitans de ſuo ſtatu iuſtificationis, vt poſſit formare iudicium probabile de illo, alterutram diligentiam præſtare debet: vel eliciendo actum contritionis charitate formatæ, ita vt probabiliter credat eam contritionem fuiſſe charitate formatam; vel ſuſcipiendo Sacramentum Pœnitentiæ. Patet. Quia cùm in eo caſu non præcedat ratio probabilis ad deponendum dubium; debet ſubſequi aliquod medium, per quod ſe reddat probabiliter ſecurum à peccato præterito.

291. *Vt iuſtificetur homo ante communionē, requiritur cōfeſſio.*

Quarta eſt. Dum homo tenetur adhibere medium ad ſuam iuſtificationem, vt ritè diſponatur ad ſuſceptionem Euchariſtiæ; non ſatis eſt contritio charitate formata, ſed requiritur ſacramentalis confeſſio. Videtur colligi ex Trident. *ſeſſ. 13. cap. 7. Vt nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa ſacramentali confeſſione, ad Euchariſtiam accedere debeat.* Nam abſtrahendo modò à ſignificatu eius dictionis *conſcius*, videtur inferri, diſpoſitionem præuiè requiſitam ad ſuſceptionem Euchariſtiæ, non ſtare in ſola contritione, ſed in ſacramentali etiam confeſſione.

292. Et quod attinet ad eam dictionem *Conſcius*, licèt probabile ſit, quod ſuprà dixi à *n.* 264. & præcipuè *num.* 269. nempe ſignificare notitiam rei abſque dubitatione; probabilius tamen videtur, eam dictionem *Conſcius*, ſignificare conſcientiam practicam, eamque certam de obligatione confitendi peccatum; quia probabile (imò probabilius) videtur, eſſe certam obligationem confitendi peccata mortalia dubia.

Et ita ſenſus verborum Concilij eſt: *Vt nullus ſibi conſcius mortalis peccati*; vel quod quis certò, aut abſque dubitatione ſcit, vel cuius confitendi obligationem certam (cuius certitudo probabiliter aſſeritur) habet; *quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa ſacramentali confeſſione ad Euchariſtiam accedere debeat.* 293.

Quinta eſt. Confeſſio peccatorum; quæ requiritur ad Euchariſtiæ ſuſceptionem, requiritur ad Sacramentum Pœnitentiæ. Probatur. Præceptum confeſſionis ſecundum totam ſuam integritatem obligat ante Euchariſtiæ ſuſceptionem: ergo confeſſio, quæ requiritur præuiè ad Euchariſtiæ ſuſceptionem, requiritur ex præcepto ad Sacramentum Pœnitentiæ; cùm præceptum confitendi prærequiſitum ad communionem, eandem latitudinem habeat quoad integritatem, ac præceptum ipſum confeſſionis per ſe. His poſitis. 294.

Confeſſio, quæ prærequiritur ad Communionem, requiritur ad Sacram. Pœnit.

Conficitur argumentum, quod probabiliorem reddit concluſionem de obligatione confitendi peccata dubia. Etenim cùm quis dubitat de peccato mortali à ſe commiſſo, tali dubitationis genere, vt illam deponere non poſſit ex aliqua ratione probabili, ante ſumptionem Euchariſtiæ tenetur illud confiteri ſub dubio: ſed confeſſio eius peccati, quæ prærequiritur ad ſumptionem Euchariſtiæ, requiritur ex præcepto ad integritatem Sacramenti Pœnitentiæ: ergo confeſſio peccati mortalis, de quo quis dubitat, an id commiſerit, eo dubitationis genere, vt illam non poſſit probabiliter deponere, requiritur ex præcepto ad Sacramentum Pœnitentiæ. Conſequentia eſt legitima. Minor patet ex poſitione quinta. 295.

Dubius de culpa mortali ante communionem tenetur illam confiteri.

Maior probatur. Vt quis accedat ad Euchariſtiam, requiritur, quod habeat iudicium probabile ſpeculatiuum, quo credat ſe eſſe in ſtatu iuſtificationis: ſed qui dubitat de peccato mortali à ſe commiſſo eo genere dubitationis, vt hanc deponere probabiliter non poſſit, non aliter poteſt habere iudicium probabile de ſuo ſtatu iuſtificationis, niſi confiteatur illud peccatum mortale dubium: ergo qui ſic dubitat, vt accedat ad Euchariſtiam, tenetur confiteri, ſcilicet ſub dubio, illud peccatum mortale dubium. Conſequentia patet. Maior conſtat ex poſitione prima. 296.

Minor probatur. Nam qui ſic dubius eſt de peccato mortali à ſe commiſſo, non poteſt formare id iudicium probabile de ſua iuſtificatione, antequam aſſumat aliquod medium ſuæ iuſtificationis, quo ritè aſſumpto, poterit illud probabile iudicium formare: atqui hoc medium ſuæ iuſtificationis, ad quod adhibendum tenetur, non poteſt eſſe aliud, quàm confeſſio eius peccati, quod impedit: ergo qui ſic dubius eſt de peccato mortali à ſe commiſſo, non poteſt aliter habere id iudicium probabile, niſi confitendo id peccatum. Maior conſtat ex poſitione tertia. Minor etiam patet ex poſitione quarta: & conſequentia ligat. 297.

Et tria quidem argumenta propoſita *cap. præced.* pro negatiuæ concluſionis probabilitate, valde vrgent; non tamen excedunt probabilitatem; ideóque habent probabilem ſolutionem, quam adhibere poteris, ſi hanc affirmatiuam, 298.

matiuam aſſertionem, quam vt probabiliorem propoſui, propugnare velis.

299. *Ad 1. Argum.*

Ad primum, quod propoſui *num.* 259. exhiberi poteſt ſolutio tradita *num.* 260. Concilium loqui de ea memoria, quam negabant ſectarij requiri in Eccleſia ad confeſſionem: & ſenſus verborum eſt, non requiri in Eccleſia confeſſionem peccati obliti, ſed eius, in quod cadit memoria, prout hæc opponitur obliuioni, & peccato oblito. Et ita ea extrema verba expones: *Ea peccata confiteatur* (non quorum oblitus fuerit, vt fingunt ſectarij, ſed) *quibus ſe Dominum & Deum ſuum mortaliter offendiſſe meminerit*; eo modo, quo meminerit, certò, vel ſub dubio.

300. *Ad inſtantiam.*

Ad inſtantiam propoſitam *num.* 261. poteſt probabiliter reſponderi, licèt ea propoſitio, *Memini, me feciſſe hoc*, excludat dubitationem; verba tamen Concilij non excludunt, propter limitationem, quæ colligitur ex procemio periodi, ratione cuius ſolùm excludit Concilium peccata oblita, ſiue certa, ſiue dubia. Vnde patet, poſſe etiam eodem modo reſponderi probabiliter ad inſtantiam propoſitam *num.* 263.

301. *Ad ſecundum.*

Ad ſecundum argumentum *ex num.* 264. *&* 265. patet ex proximè dictis in quarta poſitione, quomodo quis dicatur habere conſcientiam de peccato dubio, & eſſe conſcium illius, ſcilicet practicè; propter certitudinem de obligatione confitendi peccata dubia, quam probabiliter adſtruit hæc ſententia, quam probabiliter adſtruunt eius Authores.

302. *Ad inſtantias.*

Et ad inſtantias factas *num.* 267. *& ſequent.* poteſt dici probabiliter, quod quamvis in id verbum *Conſcius*, non cadat formaliter dubitatio, cadit tamen obiectiuè, quatenus quis eſt conſcius obligationis confitendi peccata dubia; quam obligationem certam eſſe, probabiliter dicitur.

303. *Ad tertium.*

Ad tertium argumentum ex *num.* 373. poteſt reſponderi, aliud eſſe diſcurrere ex principio reflexo de probabilitate ſententiæ negantis obligationem confitendi peccata dubia; & aliud eſſe diſcurrere ex principiis directis. Nam primo modo, & ſuppoſita probabilitate eius ſententiæ, cùm probabilitas afferat incertudinem; conſequenter dici debet, præceptum eſſe incertum. At verò diſcurrendo ex principiis directis, probabiliſſimè dicitur, id præceptum confitendi peccata dubia eſſe certum. Et ita quamplurimi ſunt Authores, qui id certum eſſe affirmant, etiam ex illis, qui quæſtionem ſolidè, & ingenioſè diſcutiunt.

CAPVT VII.

De obligatione confitendi peccata probabiliter cognita.

304. *In quo differant dubium probabile de peccato, & peccatũ probabiliter exiſtimatum?*

PRo complemento huius materiæ oportet etiam quæſtionem reſoluere circa peccata, quando adeſt probabilitas circa eorum commiſſionem, vel reatum. Et quæſtionis gratiâ damus, peccata mortalia dubia eſſe confitenda ex neceſſitate præcepti, iuxta probabiliorem opinionem. Pro cuius explicatione præmittendum eſt primò, aliud eſſe dubium probabile de peccato, & aliud peccatum probabiliter exiſtimatum. Dubium enim probabile, vt dixi *cap.* 1. contingit, quando prudenter dubitatur; dubium verò improbabile, quando imprudenter: hoc eſt, quando eſt ratio vrgens ad deponendum dubium, vt contingit in ſcrupuloſo. Quando autem nulla eſt ratio, quæ vrgeat ad deponendum dubium, tunc prudenter dubitatur, & dicitur meritò dubium probabile. Peccatum autem probabiliter exiſtimatum, nullo modo eſt dubium; eſt enim quando datur aſſenſus probabilis circa exiſtentiam peccati: aſſenſus autem excludit dubitationem.

305. *Diuerſitas inter motiuũ probabile, & aſſenſum probabilem.*

Præmittendum ſecundò, aliud eſſe, quod detur motiuum probabile, & aliud, quod detur opinio, ſiue aſſenſus probabilis. Primò, quia vt conſtat ex *diſp.* 6. *cap.* 5. poteſt dari dubium inter motiua æquè probabilia pro vtraque parte contradictionis; & tamen non poteſt dari aſſenſus probabilis in vtramque partem contradictionis. Secundò, quia cum aſſenſu probabili affirmatiuo componitur motiuum probabile partis negatiuæ, & cognitio eius; non tamen componitur aſſenſus negatiuus. Tertiò, quia componuntur duo motiua probabilia vtriuſque partis contradictionis; cùm non componantur duo aſſenſus probabiles contradictorij.

306. *Tripliciter poteſt dari probabilitas de commiſſione peccati mortalis.*

Præmittendum tertiò, tripliciter poſſe contingere, quod detur probabilitas, ſiue motiuum probabile circa exiſtentiam peccati mortalis. Primò, ita vt pro exiſtentia & non exiſtentia dentur rationes probabiles, ſiue ſint æquè probabiles, ſiue inæqualiter probabiles. Secundò, ita vt pro exiſtentia peccati detur motiuum probabile, nullum verò pro non exiſtentia. Tertiò, ita vt detur motiuum probabile pro non exiſtentia peccati, nullum verò pro exiſtentia. Hos duos modos negat Caramuel, qui cenſet, impoſſibile eſſe, quod vna pars contradictionis ſit probabilis, quin etiam oppoſita ſit probabilis. Cuius oppoſitum demonſtraui *diſp.* 4. Et pro re præſenti ſatis euidenter oſtenditur. Nam ſi mihi non recordanti cuiuſdam peccati, quod commiſi coram Petro, ipſe Petrus teſtetur, ſe audiuiſſe à me, pro exiſtentia eius peccati habeo motiuum probabile, nempe teſtimonium Petri. Suppono autem, mihi non occurrere tunc rationem aliquam, quæ ſuadeat, me non commiſiſſe, vel Petrum dicere falſum. Quis enim poteſt dubitare, quod quamvis detur aliqua ratio probabilis, poteſt fieri, quod ego non aduertam ad illam?

307. *Qui habet rationes vtrimque æquè probabiles, tenetur confiteri. In eo caſu datur dubium.*

Dico primò. Qui habet rationes vtrimque æquè probabiles pro exiſtentia, & non pro non exiſtentia peccati, tenetur confiteri peccatum, ſi peccata dubia confitenda ſunt. Patet concluſio *ex diſp.* 6. *cap.* 6. vbi probaui, in quæſtione de facto intellectum manere dubium, quoties non videt fortiorem rationem pro vna, quàm pro altera parte contradictionis. Sic contingit Iudici in cauſa, in qua vnus teſtis ſtat pro vna parte, & alter teſtis æqualis authoritatis pro altera: qui iudex omnino hæret dubius, niſi pro altera aliæ probabiles coniecturæ accedant. Et in quo, precor, differt intellectus delictum proprium inquirens, à iudice inquirente alienum delictum, ſi in

vtroque

Digitized by Google

vtroque caſu motiua æquè probabilia vtrimque concurrant.

308. Confirmatur. Da caſum, in quo ego diſcutio conſcientiam meam, ad illam in confeſſione à peccatis expiandam: & oblitus omnino, an tale peccatum commiſerim in tali occaſione, interrogo domeſticos meos. Acceduntque duo domiſtici, qui teſtantur, me in tali occaſione id perpetraſſe: accedunt duo alij æqualis fidei, qui teſtantur aliquid incompoſſibile phyſicè cum perpetratione peccati in ea occaſione. Tunc dubius hæreo, neſciens quibus eorum maiorem fidem habiturus ſum. Ergo in quæſtione de facto, quando adeſt æquale rationum, aut probationum pondus pro vtraque parte contradictionis, vtrumque ſimul collatum me relinquit in ſtatu dubitandi.

309. Obiicies. Quando dantur rationes vtrimque æquè probabiles de exiſtentia, & de non exiſtentia peccati, verificantur iſtæ duæ propoſitiones, [Probabile eſt, me peccaſſe,] & [Probabile eſt, me non peccaſſe:] ſed vbi probabile eſt, me non peccaſſe, non teneor confiteri; quia poſſum me accommodare ei probabilitati: ergo vbi dantur rationes vtrimque æquè probabiles, non teneor confiteri, etiamſi peccata dubia confitenda ſint. Maior probatur. Nam iſtæ ſunt æquipollentes, [Datur motiuum probabile pro exiſtentia peccati,] & [Probabile eſt me peccaſſe;] nam dari motiuum probabile, & dari probabilitatem, idem eſt. Et ideò etiam iſtæ ſunt æquipollentes, [Datur motiuum probabile pro non exiſtentia peccati,] & [Probabile eſt, me non peccaſſe.]

310. Reſpondetur negando maiorem. Nam eo ipſo quod motiua vtrimque æquè probabilia in quæſtione de facto relinquant intellectum omnino dubium, implicat, quod relinquant vnam partem determinatam probabilē. Itaque quodlibet motiuum probabile ſeorſim à motiuo partis oppoſitæ dat ſuæ parti probabilitatem: vbi autem vtrimque concurrunt, dumtaxat relinquunt dubium, quia vna probatio facti eneruatur per oppoſitam probationem æqualis ponderis. Ad probationem. Eæ duæ propoſitiones ſunt æquipollentes, quando tale motiuum datur ſeorſim à motiuo partis oppoſitæ; ſecus quando concurrunt, propter dicta. Ad id, quod ſubiungitur, diſtinguo antecedens: Idem eſt dari motiuum probabile, [quando concurrit cum motiuo probabili partis oppoſitæ in quæſtione de facto,] ac dari probabilitatem, nego; [quando non concurrit cum motiuo probabili partis oppoſitæ in quæſtione de facto; vel ſi concurrant, eſt in quæſtione de iure,] concedo. Vel ſic: [quando vnum motiuum deſtruitur per alterum,] nego; [quando vnum non deſtruitur per alterum,] concedo. Nam in quæſtione facti vis vnius motiui deſtruitur per alterum.

311. *Voluntas facilè flectit intellectũ, quoad maiorem probationem.*

Sed notandum eſt (quod & *illa diſp. 6.* notaui) etſi in ſe motiua ſint æquè probabilia, facilè poſſe voluntatem inclinatione ſua flectere intellectum, vt credat, maiorem eſſe probabilitatem vnius, quàm alterius partis. Putà ſi ex vtraque parte ſint teſtes ſingulares, inclinatio voluntatis facere poteſt, quod credat, vnum veraciorem præ alio: quo caſu ſi maiorem probabilitatem ſibi reperiat pro non exiſtentia peccati, poterit ſtare pro ea parte dum ita ſibi repræſentatur. Vide alias obiectiones ſolutas loco citato diſputationis 6.

Dico ſecundò. Si pro vtraque parte ſint motiua probabilia, ita vt probabilius ſit pro non exiſtentia peccati, quàm pro exiſtentia, conſiderandus eſt exceſſus; ſi iſte per ſe probabilitatem facit, hæc pars manet probabilis, non oppoſita. Ratio eſt, quam propoſui loco citato diſputationis ſextæ. Quæ ne repetere cogar, conſule ibi dicta. Et nota, quod quandoque exceſſus tantus eſt, vt faciat plenam probationem, & certitudinem moralem facti; vt ibi etiam notaui. Aliquando etiam exceſſus poteſt eſſe tam modicus, vt poſſit & debeat intellectus ſe continere in dubio. 312.

Pars excedẽs facit probabilitatem; non oppoſita, in quæſt. facti.

Dico tertiò. Si detur motiuum probabile pro non exiſtentia peccati; nullum autem tale pro exiſtentia illius, non tenetur homo confiteri, etſi peccata dubia confitenda ſint. Patet, quia in tali caſu homo poteſt non eſſe dubius, & poteſt aſſentiri probabilitati, vel per propoſitionem abſolutam aſſerentem, *Non peccaui*; vel per propoſitionem modalem aſſerentem, *Probabile eſt, quod non peccaui.* Et vtrovis modo aſſentiatur, non tenetur confiteri, quia poteſt ſe accommodare ei probabilitati. 313.

Cùm datur probabilitas pro carentia peccati & nõ pro peccato, non tenetur confiteri.

Dico quartò. Si detur motiuum probabile pro exiſtentia peccati, & nullum tale detur pro non exiſtentia, adhuc poteſt remanere in dubio: & ita remanens non tenebitur confiteri, iuxta ſententiam, quæ negat obligationem confitendi peccata dubia. Probatur primò. Quia motiuum probabile non cogit intellectum ad aſſenſum: ergo poſito motiuo probabili poteſt intellectus ſuſpendere aſſenſum, & manere in æquilibrio. Secundò, ſi vnus teſtis mihi dicat, me commiſiſſe peccatum cuius non recordor, non teneor illi habere fidem (niſi apud me hic & nunc ſit plenæ authoritatis) eo quod ſit teſtimonium valde fallibilis authoritatis. Et ſæpius nobis accidit in conuerſatione communi, ex dicto vnius, licet aliàs veracis, non aſſentiri dictis eius, vel quia poteſt defeciſſe memoria, vel æquiuocationem pati, vel ſimilem ob cauſam; & intellectus ad aſſenſum deſiderat maius motiuum. Tertiò, quia vt dixi *diſp. 6. cap. 6.* formido intellectualis facilè vertitur in dubitationem: atqui probabilitas vnius partis ſecum affert formidinem partis oppoſitæ; in hoc enim differt à certitudine: ergo vbi datur ſola probabilitas, poteſt homo dubitare, nec tenetur aſſentiri. Vide additiones *num. 30.* 314.

Si detur probabilitas pro peccato, & nõ pro carentia, poteſt remanere in dubio.

Sed quid ſi in eo caſu expellat dubitationem, & reuera aſſentiatur exiſtentiæ peccati ex illo motiuo probabili? Dico quintò. Certum eſt, quod tenetur confiteri. In humano enim conuictu ille dicitur eſſe conſcius, qui aſſentitur abſque dubitatione. Et certum eſt, teneri ad confitendum furtum, qui ſibi conſcius eſt furti. Vide, quæ circa hanc rationem dixi ſuprà *cap. 5.* circa ſecundum textum Concilij, *n. 269.* 315.

Si detur aſſenſus probabilis exiſtentia peccati, tenetur confiteri.

Tandem aduerte, Caramuelem aſſerere, eſſe caſum impoſſibilem, quod quis habeat dubium, ſiue poſitiuum, ſiue negatiuum circa commiſſionem peccati. Quod quia apertè impugnaui *diſp. 6. cap. 9.* in ſimili materia, videnda ſunt, quæ circa hoc punctum ibi diſſero, & item quæ latiùs dicam contra ſimilem aſſertionem *diſp. ſequenti, cap. 2.* 316.

An ſit impoſſibile dubium de commiſſione peccati?

DISPV

DISPVTATIO XLVII.

An certus de peccato mortali commiſſo, & dubius de illius confeſſione, teneatur illud confiteri?

CAPVT I.

An Caramuel ſit Author ſententiæ negantis?

1. IN hac quæſtione conſpicies, optime lector, quantum noceant rei Theologicæ Authores illi, qui alicuius opinionis patrocinium aſſumentes, affectu potius, quàm diſcuſſione rationis, aduocant vires ingenij ad noua argumenta pro illis inuenienda. Qui vt ei opinioni opem ferant, non aduertunt animum ad eas conſequentias, quas principia à ſe aſſumpta parturient. Sic enim contigiſſe videtur Caramueli, qui noua argumenta cudere ſtuduit pro ea aſſertione de peccatis dubiis non confitendis. Quæ ſtatim atque emiſit in lucem, prodiit ſtatim Theologus, qui ex eiſdem Caramuelis argumentis conatus eſt promouere alteram aſſertionem, quod [certus de peccato mortali, & dubius de confeſſione illius, non teneatur ad illud confitendum;] & eiſdem armis deſtruere nixus eſt concluſionem certiſſimam.

2. *Negat Caram. ſe eſſe Authorem eius ſententiæ.* Et quidem Caramuel ſæpiùs negat, ſe eſſe defenſorem ſententiæ, quæ dicat, hominem certum de peccato mortali commiſſo, & dubium de confeſſione illius, non teneri ad confeſſionem. Nam *num.* 1930. Theolog. fundam. cum retuliſſet theſes Viennæ propugnatas, quæ Caramuelem pro hac ſententenția citant; ipſe in margine ſic ſcribit. [Citant Caramuelem: at ipſe aliter philoſophatur de dubio peccato, & aliter *de certo peccato, dubia confeſſione.*] Id ſimiliter negat *num.* 1975. illis verbis: *Adeóque per confeſſionem dubiam non ſatisfieri peccatis certis.* Idem repetit *num.* 1988.

3. *Ingens præbuit fundamentum, vt eius Author cenſeatur.* Cæterùm multum fundamentum præbuit Caramuel, vt eius opinionis diceretur Author. Et ita illæ theſes Viennenſes, quatum authoritatem multùm ipſe commendat, eum citant pro hac opinione. Deinde ferè omnia argumenta, quæ affert pro peccatis dubiis non confitendis, militant pro ſententia negante obligationem confitendi, vbi peccatum mortale eſt certum, & confeſſio dubia; vt patebit in ſolutione argumentorum. Et ita ea theſis Viennenſis à Caramuele citata *num.* 1930. vtitur pro hac ſententia eiſdem fundamentis, quæ Caramuel inſtruxit pro peccatis dubiis non confitendis.

4. *Ait, eam aſſertionem eſſe probabilem.* Tertiò. Inter Authores quos refert pro peccatis dubiis non confitendis refert propugnatores Viennenſes eius theſis proximè relatæ: addens, omnes eas theſes tunc propugnatas (& conſequenter hanc) eſſe ſecuriſſimas & probabiliſſimas. Quartò *in art.* 3. eius quæſtionis aliqua argumenta, quæ expreſſis terminis militant contra iſtam ſententiam negantem obligationem confitendi in hoc caſu, diſſoluere conatur, tanquam prædictæ ſententiæ propugnator. Quintò *num.* 1985. ait, licèt in hoc caſu dubius de confeſſione teneatur illud peccatum certum confiteri; tamen cum non teneri confiteri ſtatim; ſed etſi confiteatur alia peccata, iſtius tamen confeſſionem poſſe in poſterum differre.

CAPVT II.

Reſponſio Caramuelis ad præſentem quæſtionem debellata.

PRopoſita ſibi ſæpius hac quæſtione, negat Caramuel, caſum eſſe poſſibilem, in quo certus ſit homo de peccato commiſſo, & dubius de confeſſione. Etenim *in Theolog. fundam. num.* 1985. §. *Reſpondeo,* ait: [Reſpondeo, me ſemper ſuppoſuiſſe, non eſſe in hac materia dubium poſſibile, & etiam ſupponere: credo enim, nos ſemper aut habere certitudinem, aut ſaltem probabilitatem.] Et *eodem num.* §. *Cum reſponderem,* ait: [Suppoſui, vix eſſe probabile, quod homo prudens (nota eos duos terminos, *vix,* & *prudens*) ſciret ſe mortaliter peccauiſſe; &, vtrum fuiſſet confeſſus, dubitaret: quia meo iudicio hæc veritas debet illi eſſe euidenter, aut ſaltem probabiliter nota.] Et *num.* 1976. [Vix eſſe poſſibilem caſum propoſitum.] 5. *Negat caſum eius dubietatis poſſibilem.*

Caſum eſſe impoſſibilem, probat eo *n.* 1976. 6. *Fundamentum Caram.* his verbis: [Ratio eſt, quia dubia conſcientia definitur ambigua & anceps, quæ pro neutra contradictionis parte habet rationē, aut ſaltem pro neutra habet grauem: atqui talis conſcientia non eſt in præſenti poſſibilis: ergo impoſſibilis caſus obiicitur. Probatur minor. Nam vel ille, qui dubitat, an fuerit talem culpam confeſſus, aſſeritur eſſe perſona, quæ ſoleat bonas confeſſiones ſemper facere; aut, quæ non ſoleat? Si primum dicatur, cenſendus eſt probabiliter, etiam tunc adhibuiſſe diligentem animi diſcuſſionem: cúmque poſt diligentem excuſſionem, vix vnquam peccata grauia non occurrant (ſua enim mole ſeſe produnt, ni affectata aliqua negligentiâ impediantur) cenſendum eſt certò, eum huiuſinodi peccatum fuiſſe confeſſum. Vita enim præcedens grauem rationem ſuppeditat: & vbi grauis eſt ratio, omne purum dubium, tam poſitiuum, quàm negatiuum exultat. Si autem ſoleat malas confeſſiones facere, aut defectu examinis, aut affectata aliqua ignorantia; iam etiam habes rationem grauem credendi, illud peccatum non fuiſſe confeſſum. Vita enim præcedens rationem grauem miniſtrat: quæ quia nulla ratione forti impeditur, fortè non tam probabilitatem, quàm moralem certitudinem infert. Nam iuris canonici regulâ 45. *Inſpicimus in obſcuris, quod plerumque conſueuit, vt veriſimilius* (hoc eſt, probabilius) *cognoſcamus*: ergo quod ſemper fieri conſueuit, non iam probabilioritatem, ſed quamdam moralem certitudinem infert. Tandem

Digitized by Google

dem ſi non habeat experientiam, puta ſi ſit puer, & incipiat Sacramentum confeſſionis frequentare; tunc enim quia non eſt ſæpe confeſſus, videtur non poſſe ex vita præterita iudicium ferre: ſi habuerit propoſitum benè confitendi, cenſendus eſt feciſſe diligentias ſufficientes, vt conſcientiam diſcuteret, atque ideò & fuiſſe illud idem peccatum confeſſus. Non enim eſt veroſimile, quod illud peccatum poſt debitum examen non occurrerit, cùm & alia communiter occurrant; nec veroſimile, quod ipſe ſciens & volens peccatum occurrens ſubticuerit: ergo veroſimile non eſt, quod debeat iterum confiteri.] Huc vſque argumentum Caramuelis: quod quidem multa falſa certiſſimè continet, vt iam oſtendo.

7. *Iuxta aſſertionem eius, multi ſunt caſus, in quibus id dubiũ datur.*

Primò enim (velit nolit) in modo ſuo dicendi multos caſus admittit, in quibus homo ſit dubius de confeſſione peccati certi. Dixi enim, cùm referrem eius verba, adnotandos eſſe duos terminos, *vix*, & *prudens*. Illa enim dictio *vix*, denotat aliquos eſſe caſus, etſi raros, in quibus homo verè dubitat de confeſſione peccati certi. Et conſequenter pro iis caſibus raris debet directè reſpondere quæſtioni, an certus de peccato, & dubius de confeſſione, teneatur ad illud confitendum?

8. Deinde ait, vix eſſe caſum in quo homo *prudens* dubitet de eiuſmodi confeſſione. Vnde infertur, quod homines imprudentes dubitabunt. Dicat ergo mihi, numquid ſint plures homines prudentes, quàm imprudentes? Numquid prudentes pueri? Numquid prudentes fœminæ quæ totam animi attentionem ſolis voluptatibus & deliciis adhibent? Numquid prudentes ruſtici & rudes homines? Numquid prudentes in materia confeſſionis, qui ad eam nihil penitus attendunt, niſi ſemel in anno? Si ergo numerus imprudentium magnus eſt, quos is terminus *prudens*, excludit; quomodo dicitur impoſſibilis, aut vix poſſibilis caſus, in quo dubitatur de confeſſione peccati certi.

9. *Malè definit conſcientiam dubiam.*

Secundò. Falſum eſt, quod aſſumit, quod dubia conſcientia definitur eſſe, *quæ pro neutra contradictionis parte habet rationem, aut ſaltem pro neutra habet grauem.* Nam, vt oſtendi *diſp.6. cap. 5.* ſæpè contingit dubium verſante intellectu inter rationes vtrimque æquè probabiles, præcipuè in quæſtione de facto. In qua, vt oſtendi *ibid. cap.6.* neceſſe eſt, quod intellectus maneat dubius, dum rationes repræſentantur vt æqualiter probabiles. Si ergo homini occurrat pro facto confeſſionis eius peccati ea ratio de conſuetudine bene confitendi, & pro facto non confeſſionis alia ratio, quæ repræſentetur vt æquè probabilis, neceſſariò manebit intellectus in æquilibrio.

Inter rationes vtrimque probabiles verſatur dubium.

10. Tertiò. Argumentandi gratiâ da, impoſitum eſſe præceptum confitendi publicè peccata publica, & quod Petrus accuſatur coram Epiſcopo, quòd commiſerit furtum publicum, nec tamen confeſſus fuerit palam. Reus coram Epiſcopo producit duos teſtes ſuæ publicæ confeſſionis: actor producit duos alios æqualis fidei aſſerentes actionem incompoſſibilem cum ea confeſſione, putà abſentiam à loco, vel ſimilem. Dubius quidem hæret Epiſcopus de facto confeſſionis; ideoque decernit vt præcepto certo correſpondeat confeſſio certa. Ergo ſimiliter intellectus, qui habet rationem fortem pro facto confeſſionis peccati, de qua dubitatur; nempe quod in anteacta vita ſoleat plerumque bonas confeſſiones facere; ſi pro parte oppoſita occurrat alia ratio æquè fortis, quæ perſuadeat non eſſe confeſſum peccatum, hærebit dubius in conſideratione ſpeculatiua facti.

Quartò regula 45. inuerſis verbis & variato ſenſu traditur in argumento. Sic corrige, vt in ſuo textu: *Inſpicimus in obſcuris, quod veriſimilius eſt, vel quod plerumque fieri conſueuit.* Quæ 11.

Intellectus cap. Inſpicimus, de reg. iur. in 6.

regula diſiunctiua eſt, vt denotat particula *vel*, & attendi præcipit, quandoque ad id, quod ex aliquibus coniecturis probabilibus eſt veriſimilius, quandoque ad id, quod plerumque fieri conſueuit. Et ratio eſt, quia quod plerumque fieri conſueuit, in aliquibus materiis arguit, ita hic & nunc factum eſſe; in aliis autem materiis minimè. Ideò non dicitur in regula, [Arguimus, ſequimur, tenendum eſt, &c.] Sed, *Inſpicimus*, id eſt, attendimus, an inde poſſimus arguere ad tollendum obſcuritatem, & dubietatem; ſiue an iſta præſens ſit ex materiis in quibus ex frequentiori conſuetudine arguatur, quid hìc & nunc factum fuerit.

Quod autem in aliquibus materiis ex eo quod fieri conſueuit, non arguatur, quod etiam 12.

In multis non valet argum. ab eo, quod fieri conſueuit.

hic & nunc idem fiet, patet: nam in primis non valet in actibus omnino liberis vnius hominis. *Omninò*, inquam, *liberis*; id eſt, habentibus eam libertatem, quæ excludit neceſſitatem phyſicam & moralem. Pone hoc enthimema: [Petrus his triginta diebus ambulauit per plateam: ergo hodie ambulabit.] Tum ſic: Vbi eſt conſequentia phyſica, eſt neceſſitas phyſica; & vbi eſt conſequentia moralis, eſt neceſſitas moralis: ergo ſi illa eſt conſequentia moralis, dabitur neceſſitas moralis in Petro ad ambulationem hodiernam per plateam: & cùm conſuetudo illa triginta dierum ſit quid antecedens ad ambulationem hodiernam, illa neceſſitas erit antecedens: ergo tollet libertatem moralem ambulationis hodiernæ. Ergo ſi ſupponamus, ambulationem hodiernam fieri cum omnimoda libertate morali, illa conſuetudo triginta dierum non poterit afferre neceſſitatem moralem; atque adeò neque conſequentiam moralem. Ergo à conſuetudine, ſiuè ab eo, quod plerumque fieri conſueuit, non poteſt dèſumi argumentum ad talem actum determinatum, ſi talis actus determinatus ſit ex iis, quæ fiunt cum totali libertate, etiam morali, & excludente neceſſitatem moralem.

Nec ſatisfacies, ſi dicas, eam conſequentiam 13.
& neceſſitatem eſſe dumtaxat probabilem, & ideò remanere integram libertatem phyſicam, & moralem.

Nam inde fit, eſſe probabile, quod antecedens 14.
importat neceſſitatem moralem reſpectu conſequentis: ergo probabile eſt, quod conſequens eſt moraliter neceſſarium. Atqui non eſt probabile, quod illa ambulatio hodierna importata per conſequens, ſit moraliter neceſſaria; ſupponimus enim vt certum, illam eſſe omnimodis liberam: ergo neque probabiliter admittenda eſt eiuſmodi neceſſitas in antecedenti reſpectu conſequentis; conſequenterque in iis actibus, qui ſunt omnimodis liberi, non valet conſequentia etiam probabilis ab eo, quod fieri conſueuit.

Sed præcipuè, & magis ad rem noſtram, non 15.

 valet

Non valet in cauſis fortuitis. valet argumentum ab eo, quod fieri conſueuit in iis materiis, quæ dependent à cauſis neceſſariis fortuitò concurrentibus. Attende has omnes conſequentias: [Experientia docuit, quod decem annis pluit prima die Ianuarij: ergo hoc anno pluet prima die Ianuarij. Hoc menſe pluit viginti quatuor diebus: ergo pluet ſex diebus ſequentibus. Decies vidi cecidiſſe fulmina, & ſemper occidiſſe aliquem hominem: ergo fulmina nunc cadentia occident aliquem hominem. Viginti annis liber fui ab infirmitate: ergo & hoc anno liber ero. Quinquaginta annis vixi: ergo viuam quinquageſimo primo.] Hæ omnes fatui ſunt, & non prudentis hominis, quia dependent à cauſis fortuitò contingentibus.

16. *Non valet in re memoriæ.* Tum ſic. Hoc genus dubij, an confeſſus fuerim, vel non confeſſus tale peccatum, eſt res memoriæ: ſed res memoriæ dependent à cauſis neceſſariis fortuitò contingentibus: ergo hoc dubium, quod confeſſus, aut non confeſſus fuerim tale peccatum, dependet à cauſis neceſſariis fortuitò contingentibus. *Ideò non valet in dubio de confeſſione talis peccati.* Sed vbi res dependet à cauſis neceſſariis fortuitò contingentibus, non valet argumentum ab eo, quod plerumque fit, vt conſtat ex dictis: ergo in hoc dubio, an fuerim confeſſus hoc peccatum, necne, non valet argumentum ab eo quod plerumque fit.

17. *Memoria pendet à cauſis fortuitis.* Illa autem minor, quod res memoriæ dependeat à cauſis neceſſariis fortuitò contingentibus (nam cætera patent) manifeſtè probatur. Nam res memoriæ dependet à ſpeciebus memoratiuis, quæ fortuito caſu deficere ſolent, abſque eo quod homo medium inueniat ad eas excitandas, aut aduocandas, vt ipſa experientia quotidie nos admonet.

18. *Ex multis aliis conuincitur, caſum eius dubij eſſe poſſibilem.* Quintò. Ex vita anteacta, & bonis, vel malis confeſſionibus olim factis, non infertur firmitas memoriæ, vel infirmitas: ſed à firmitate, vel infirmitate memoriæ oritur, quod quis in confeſſione recordetur, vel obliuiſcatur peccatorum: ergo ex vita anteacta non infertur, quod quis recordatus fuerit, vel oblitus peccatorum in confeſſione.

19. Sextò. Mihi admirationem excitat, quod, Caramuel vtatur illo dilemmate: [Vel eſt perſona, quæ ſoleat bonas confeſſiones ſemper facere, aut quæ non ſoleat?] Sed poſteà in argumento non retinuit ſecundam partem dilemmatis negatiuè, *aut quæ non ſoleat*; ſed mutauit in affirmatiuam: *Si autem ſoleat malas confeſſiones facere*, &c. Itaque dilemma vt proponitur in diſcurſu argumenti, ita eſt: [Vel eſt perſona, quæ ſoleat ſemper bonas confeſſiones facere, aut quæ ſoleat ſemper malas confeſſiones facere.] Sed numquid inter eum, qui ſoleat bonas confeſſiones ſemper facere, & eum, qui ſoleat ſemper malas, non eſt inuenire medium? Numquid concludit aliquid dilemma, ſi componatur ex extremis habentibus medium? Quid, ſi dicam eſſe perſonam, quæ ſæpe bonas confeſſiones facit, ſæpe defectu memoriæ malas? malas, inquam, materialiter; nam de his loquimur in præſenti.

20. Itaque multi experiuntur, quod frequenter in confeſſione omittunt aliqua peccata mortalia ex obliuione, & quod frequenter etiam recordantur omnium; ita vt tam commune ſit illis, in aliquibus confeſſionibus obliuiſci, quàm in aliquibus confeſſionibus recordari omnium: ergo in his ex anteacta vita non poteſt ſumi argumentum ad colligendum, ſe confeſſos eſſe id peccatum, de quo dubitant, neque ad colligendum, ſe non eſſe confeſſos. Quod debuit aduertere argumentator, cùm propoſuit dilemma ex extremis habentibus medium; & quàm facilè illi ſatisfaciendum erat, ſcilicet aſſignando medium in eo, qui frequenter bonas, & frequenter malas confeſſiones faciat.

Septimò. Qui malas confeſſiones plerumque ſolet facere, vel ex defectu examinis, 21.
vel ex obliuione; habet, vt inquit iſte Author, argumentum, vt colligat, quando dubitat de peccato confeſſo, ſe nunc etiam malam confeſſionem feciſſe; id tamen argumentum tale eſt, vt virtute illius poſſit ſe continere in mero dubio, & non determinare intellectum, vt poſitiuè credat, ſe malam confeſſionem feciſſe. Probatur. Id argumentum ad ſummum eſt probabile, & veroſimile: atqui argumentum probabile, vt patet *ex diſp. 6. cap. 5.* non rapit intellectum, nec determinat ad aſſenſum: ergo poteſt intellectus manere ſuſpenſus in æquilibrio; ſtante eo argumento probabili.

Octauò. Etſi eiuſmodi argumentum de 22.
confeſſo, vel non confeſſo peccato poſſet deſumi in hominibus timoratis, qui frequenter accedunt ad Sacramentum Pœnitentiæ; at eos, qui nihil de confeſſione cogitant, niſi ſemel in anno, quibus frequens eſt inter magnam peccatorum mortalium turbam obliuiſci aliquorum; ſi velimus interrogare experientiam, quam habent de obliuione, vel non obliuione peccatorum in cæteris confeſſionibus, cùm tam diuturnum tempus interceſſerit; reſpondebunt quidem, ſe huius experientiæ non recordari, quia toto anni tempore nihil de hac experientia, aut de aliqua circumſtantia pertinente ad confeſſionem cogitauerunt.

Nonò. Ex eo, quod plerumque fit, deſu- 23.
mitur argumentum ad factum: ſed plerumque fit, quod in rebus ad memoriam pertinentibus non ſit conſequentia, nec firmum ſumatur argumentum: ergo in rebus ad memoriam pertinentibus deſumitur argumentum, quod non poteſt in illis firma deduci conſequentia. Ergo cùm ad memoriam pertineat, quod hoc peccatum confeſſus ſis, vel non confeſſus; in hac materia non poterit firma deduci conſequentia. Minor probatur. Nam qui ſæpe aliqua repetiuit, quæ memoriæ mandauit, repentino accidenti obliuiſcitur; quod non ſemel, ſed centies experimur.

Decimò. Sæpe rudibus hominibus dubitanti- 24.
bus de confeſſione peccati, non ſuccurrit ea ratio deſumpta ex anteacta vita; vel ſi occurrit, neſciunt, an ea ſit grauis, an leuis, an inferat, vel non inferat. Quod ſi dicas, confeſſarium ſupplere poſſe interrogando rationes, quas habet pro vtraque parte. Is potiùs videtur caſus practicè impoſſibilis, quia homines rudes poſt multam confeſſarij indagationem, vel peccata ipſa explicare neſciunt; quomodo explicabunt rationes alias, quæ pro & contra poſſunt occurrere.

Vndecimò. Quod attinet ad pueros, mani- 25.
feſtè

Digitized by Google

feſtè falſum eſt, quod aſſumit, ſcilicet ex propoſito bene confitendi, colligi eos confeſſos eſſe omnia peccata. Etenim ex propoſito bene confitendi non colligitur firmitas memoriæ: ſed hæc eſt, quæ facit, non omitti peccatum in confeſſione: ergo ex propoſito bene confitendi non colligitur quod puer confeſſus fuerit peccatum.

26. Confirmatur. Ex propoſito proprio non colligitur defectus caſus fortuiti, ſiue cauſæ fortuitò aduenientis: ſed quod confiteatur integrè omnia peccata, includit defectum cauſæ fortuitò aduenientis, qualis ſæpiſſimè contingit, cùm quis obliuiſcitur etiam eorum, quæ præmeditatus fuerat: ergo ex propoſito proprio non colligitur, quod integrè confeſſus fuerit omnia peccata; integrè, inquam, integritate materiali.

27. Duodecimò. Da caſum, quo puer duodennarius primam fecit confeſſionem, deinde poſt annum integrum dubitat, an ipſe aliquando confeſſus fuerit; quod nullatenus poteſt ad memoriam adducere. Iſte ſcit, ſe peccaſſe mortaliter, neſcit an aliquam fecerit confeſſionem. Neque hìc valere poteſt propoſitum bene confitendi, quia nec confeſſionis, nec propoſiti recordatur: ergo certus de peccato poteſt eſſe dubius de confeſſione illius.

28. Similis eſt caſus in adulto, qui cùm confeſſus fuerit ante menſem integrum, certus eſt de adulterio à ſe commiſſo, non tamen poteſt recordari, an illud commiſerit ante confeſſionem proximam, an poſt illam. In quo non valet argumentum deſumptum ex eo, quod bonas confeſſiones facere ſoleat; cùm non dubitet de confeſſione ipſa, ſed an peccatum contigerit ante, an poſt ipſam confeſſionem. Ecce de peccato certus eſt, & de confeſſione dubitat.

29. *Reſponſio ad argum. negãdo omnia.* Quare ad argumentum Caramuelis reſpondendum eſt, negando omnia. Itaque negandum eſt, conſcientiam dubiam eſſe, quæ pro neutra parte habet rationem, aut pro neutra grauem. Negandum eſt, eam eſſe regulam iuris, qualem proponit, & in verbis, & in ſenſu. Negandum eſt, eam regulam, etiam in eo ſenſu admiſſam, habere locum in rebus à memoria dependentibus. Negandum eſt, homines ſemper bonas confeſſiones facere, aut ſemper malas; quia idem homo ſæpe bonas facit, ſæpe malas materialiter. Negandum eſt, quòd vix peccata grauia non occurrant, præcipuè ea, quæ ſiſtunt in actibus internis, & magis præcipuè in iis, qui inter magnam peccatorum ſyluam ſolùm ſemel in anno in memoriam conantur adducere peccata. Negandum eſt, vitam anteactam eſſe vrgentem rationem de confeſſo, vel non confeſſo peccato; cùm vita anteacta non ſit argumentum firmitatis memoriæ. Negandum eſt, quod vbi grauis eſt ratio, omne dubium exulat; quia ſi ex oppoſita parte militat alia ratio æquè grauis in dubio facti fluctuat intellectus. Negandum eſt, conſuetudinem faciendi confeſſiones malas materialiter eſſe argumentum perſuadens, hìc & nunc non eſſe confeſſum hoc peccatum, ita vt omninò excludat dubitationem; cùm argumentum probabile ſecum patiatur dubitationem. Negandum tandem eſt, quod in puero ex propoſito bene confitendi arguatur, peccatum eſſe expoſitum in confeſſione; cùm ex illo propoſito non arguatur firmitas memoriæ, & præcipuè in eo puero, qui non recordatur, an aliquando confeſſus fuerit.

CAPVT III.

Alia reſponſio Caramuelis ad eandem quæſtionem confutata.

ARTICVLVS I.

Reſponſio proponitur.

Num. 1985. aſſerit, ſi peccatum ſit certum, & confeſſio dubia, teneri quidem ad confitendum peccatum, ſed non ſtatim; quin potiùs confeſſionem eius peccati differri poſſe. 30. *Ait, certum de peccato, & dubium de cõfeſſione, non teneri ad cõfitendum ſtatim.* Quod his verbis probat: [Obligationem confitendi *ſtatim* non admitto. Cùm certò ſcis, te recepiſſe à Petro mille aureos mutuos, & dubitas, an ſolueris, non teneris *ſtatim* ſoluere, ſed teneris examinare; & potes in mortis articulum differre ſolutionem. Nam qui dubitat ſe debere, & ſoluit, exponit ſe periculo ſoluendi, quod non debet; & ſi faciat, quî poſteà recuperabit rem ſolutam? Si differat, poterit tandem, aut non ſoluere, ſi reperit, ſe nihil debere; aut ſoluere, ſi ſe debitorem reperiat. Quam ob rem durum mihi videtur, dubitantem de confeſſione, ad eiuſdem peccati certam confeſſionem ſtatim faciendam obſtringere.]

Et *num.* 1986. vult parificare omninò argumentum in ſolutione aureorum, & in confeſſione peccati, vt neutrum in dicto caſu fieri debeat ſtatim, & ſic inquit. 31. *Certũ de debito, & dubiũ de ſolutione, poſſe differre hanc ad articulum mortis.* [Indicta enim poterunt dici: dicta autem indicta reddi nunquam poterunt. Vnde tametſi certum ſit, debere peccata verè commiſſa, & dubiè abſoluta, clauibus Eccleſiæ ſubiici; non tamen ſcio, an ſubiici debeant *ſtatim*. Scio enim debitorem dubium non teneri *ſtatim* debitum illud dubium ſoluere, maximè ſi deſit ſpes recuperandi, ſi fortè poſtea iam fuiſſe aliàs ſolutum, conſtiterit: & in confeſſione omnis ſpes recuperandi deeſt, quia dicta indicta reddi nequeunt.]

In quarum priori periodo abſolutè affirmat, certum de peccato mortali, & dubium de confeſſione illius, non teneri ſtatim confiteri, ſed differre poſſe confeſſionem illius. 32. In ſecundâ verò cum formidine, & dubitatione id aſſerit: ait enim; *Non tamen ſcio, an ſubiici debeant ſtatim.* Deinde in hac ſecunda periodo affirmat, eſſe certum, dari obligationem confitendi peccatum certum dubiè confeſſum; cùm anteà dixiſſet, omnes theſes Vienneuſes, in quibus affirmatur oppoſitum, eſſe *ſecuriſſimas, & probabiliſſimas.* Quæ duo componere non poterit, qui nouerit, ex duobus aſſertionibus contradictoriis ſi vna eſt certa, impoſſibile eſſe, quod altera ſit probabilis, nedum probabiliſſima, & ſecuriſſima.

***

Digitized by Google

Articvlvs II.

Impugnatio exempli allati.

33. *Abſurdũ ex dilatione ſolutionis vſque ad articulum mortis.*

ILlud ſic impugno primò. Nam ſi debitor, qui dubitat, an ſoluerit mille illos aureos, poteſt ſolutionem differre vſque ad articulum mortis, etiam hæres illius poterit differre vſque ad articulum mortis ſuæ, & etiam hæres hæredis; & ſic omnes differre poterunt vſque ad extremam iudicij diem. Quo quid abſurdius eſſe poteſt? Id autem inferri ex ea reſponſione, probatur. Ideò debitor dubius de ſolutione mille aureorum poteſt eam differre in articulum mortis, quia ſi dubitans ſoluit, exponit ſe periculo ſoluendi, quod fortè non debet: ſed ſi in articulo mortis permanet dubium, etiam hæres remanebit dubius; & ſi dubius ſoluit, exponit ſe periculo ſoluendi, quod fortè non debet: ergo in hærede permanet eadem ratio; & conſequenter hæres poterit differre in articulum ſuæ mortis. Et ſic de cæteris hæredibus poſteris.

34. Nec obſtat, ſi dicas, teneri hæredem ad implendum vltimam voluntatem teſtatoris: qui cùm præceperit ſolutionem, non poteſt hæres illam omittere.

35. Nam hæres in ſatisfactione debitorum non tenetur, niſi quantùm obligant ipſa debita. Si enim teſtator ſolui præcipiat debitum, & poſteà conſtet, illud non deberi, non tenetur hæres ad ſoluendum. Succedit hæres vniuerſalis in omni iure defuncti, tam ſoluendi, quàm lucrandi; nec alio modo tenetur ſoluere, quàm tenebatur teſtator. Atqui in articulo mortis teſtatoris perſeuerat idem dubium, & eadem ratio differendi ſolutionem: poterit ergo hæres differre.

36. *Cùm dubium eſt inuincibile, nequit differri ſolutio.*

Impugno ſecundò. Quia dum dubium eſt vincibile, & eſt ſpes vincendi dubium, ſolutio differri poteſt. Vbi autem omnis ſpes deficit vincendi dubium, certiſſimum eſt, quod non poteſt differri ſolutio. Suppoſito enim, quod cùm mutuum eſt certum, & ſolutio dubia, tenetur mutuatarius ad ſolutionem, ad hanc differendam nullus alius titulus eſt, niſi ſpes vincendi dubium: ergo vbi ceſſauerit ſpes vincendi dubium, ceſſat titulus ad differendam eam ſolutionem.

37. Tum ſic. Si homo dubius de ſolutione mutui certi, ſuperuiuat quadraginta, vel quinquaginta annis, quomodo dubium eſſe poteſt vincibile tanto tempore, & durare tandiu ſpes illud vincendi? Numquid ad vincendum id dubium non ſufficiunt menſes ſex? Numquid non ſufficiunt duo anni, non quatuor, non ſex? Quod ſex annis non potuit indagari, quæ ſpes eſt indagandi poſtea? Quomodo ergo dicitur, quod differri poteſt vſque ad articulum mortis, qui ad quadraginta annos aliquando protrahetur? Diſcutiat ergo debitor dubius libros rationum, inſtrumenta, teſtes, memoriam ſuam; & vbi deeſt ſpes vincendi dubium, certiſſimè ſciat, ſe teneri ad ſoluendum *ſtatim*, nec poſſe differre ſolutionem ad articulum mortis.

Articvlvs III.

Triplex diſparitas inter dubitantem de ſolutione mutui, & dubitantem de confeſſione peccati.

NOtandæ ſunt tres rationes diſcriminis, quod datur inter debitorem mutui dubitantem de ſolutione, & inter peccatorem dubium de confeſſione peccati certò commiſſi. Prima eſt, quod dubius de ſolutione mutui certi, vt in plurimum plus temporis requirit ad vincendum dubium, quàm dubitans de confeſſione peccati certi. Nam ad vincendum dubium de ſolutione mutui recurri ſolet ad tabulas publicas, chirographa, teſtes, libros rationum, & ſimilia, quæ maioris temporis tractum requirunt. Et verò ad vincendum dubium de confeſſione peccati certi communiter nihil amplius requiritur, quàm propriam memoriam conſulere; cui memoriæ plus nocet, quàm prodeſt protractio temporis; faciliùs enim recordamur eorum, quæ paulò ante, quàm quæ ante longum tempus acciderunt. 38. *Ad vincendũ dubiũ de ſolutione, plus tẽporis requiritur, quàm ad dubium de confeſſione.*

Secunda ratio diſcriminis eſt, quod dubius de ſolutione mutui exponitur periculo patiendi damnum, ſi non procurat diligenter vincere dubium: ſi enim reipſa ſoluit, & oblitus eſt ſolutionis, ſoluet iterum debitum. At verò dubitans de confeſſione peccati, nulli damno exponitur. Quid enim intereſt ſi peccatum reipſa confeſſum, cuius confeſſionis oblitus eſt pœnitens, iterum confiteatur? Numquid aliquod emolumentum amittet? Quin potiùs lucrabitur emolumentum ſpirituale, repetito actu eximij meriti. Numquid famam amittet apud confeſſarium? Si pœnitens id putat, ignorat, quid ſit ſacramentalis confeſſio. Vnde non video, quantum ſit illud periculum, quod fabricatur Caramuel, videlicet ceſſare ſpem recuperandi in eo, qui dubius de confeſſione peccati, iſtud confitetur: quia dicta in confeſſione non poſſunt reddi indicta. Quid enim damni, quid periculi ſubit pœnitens, per hoc quod ſecunda vice confeſſa, non poſſint non manere confeſſa? Vel in quo eſt paritas à ſolutione mutui ad confeſſionem peccati certi quoad hoc punctum recuperandi, aut non recuperandi? Video itaque manifeſtam diſparitatem inter illos duos, quòd debitor ſecunda ſolutione patitur damnum; peccator autem ſecunda confeſſione nullum. 39. *Alia diſparitas ex periculo damni.*

Tertia ratio diſcriminis inter vtrumque eſt, quod ſatisfactio creditoris non poſtulat, quod fiat vnica ſolutione; hodie enim poteſt ſolui dimidium debiti, & cras, vel ſequenti die aliud dimidium. Quod ſi ex mille aureis, quos Petrus accipit mutuos, quingenti certò eſſent inſoluti, vt de quingentis aliis dubitaretur, nullum eſſet inconueniens, nulla mutuatoris iniuria, quod hodie ſoluerentur quingenti, & de aliis quingentis procraſtinaretur ad vincendum dubium ſolutionis. Confeſſio autem peccatorum ex inſtitutione Chriſti poſtulat integritatem, ita vt ſub vnicam abſolutionem omnia peccata, quorum quis conſcientiam habet cadere debeant. 40. *Debitum non petit vnicam ſolutionẽ, & peccata petunt vnicam confeſſionem.*

Digitized by Google

beant. Vnde patet manifeſta diſparitas inter vtramque, quæ magis conſtat ex articulo ſequenti.

Articvlvs IV.

Oſtenditur, peccatum dubiè confeſſum, ſtatim confitendum eſſe.

41\. *Sub vnica cõfeſſione eſſe debent omnia peccata, quæ ſunt in conſcientia.*

Qui dubitat de confeſſione peccati certi, habet conſciẽtiam eius.

Itaque tanquam certum ſtatuendum eſt, dubitantem de confeſſione peccati certò commiſſi, teneri grauiter ad illud confitendum in prima confeſſione, vel ex inſtante præcepto, vel voluntariè ſuſcepta. Oſtendo primò concluſionem ex diſparitate proximè allata. Integritas confeſſionis à Chriſto D. inſtituta poſtulat, quod ſub vna abſolutione confiteatur pœnitens omnia peccata, quorum habet conſcientiam: ſed quando eſt dubius de confeſſione vnius peccati mortalis certò commiſſi, habet conſcientiam illius peccati: ergo integritas confeſſionis à Chriſto D. inſtituta poſtulat, quod confiteatur ſimul cùm reliquis illud peccatum certum, de cuius confeſſione dubitat. Maior eſt de fide; circa quam vide P. Suarez *tom. 4. in 3. part. diſp. 22. ſect. 1. num. 4.* Minor eſt Caramuelis, qui docet, quando peccatum eſt certum, & confeſſio dubia, manere conſcientiam peccati, & obligationem confitendi. Conſequentia autem obligat.

42\. Nec ſatisfacies, ſi dicas, ex cauſa vrgenti poſſe omitti peccatum mortale in confeſſione, vt quando tacendum eſt propter vitandum graue damnum proprium vel alienum, temporale vel ſpirituale. Atqui pœnitentem dubium de confeſſione peccati certò commiſſi habere vrgentem cauſam omittendi peccatum illud, quia exponitur periculo confitendi, quod iam eſt confeſſum.

43\. *Niſi reſultet graue damnum, nequit taceri peccatum.*

Hæc reſponſio conuincitur primò. Nam vt poſſis tacere peccatum Sacerdoti potenti abſoluere ab omnibus, neceſſe eſt, quod ex confeſſione illius poſſit oriri graue damnum proprium, vel alienum: ſed periculum confitendi, quod aliàs in re eſt confeſſum, non eſt graue damnum, imo nec leue: ergo propter id tacere non potes tale peccatum. Maior conſtat apud omnes; quia præceptum Chriſti de integritate confeſſionis vrget, niſi quando graue damnum imminet; quia eum hoc non cenſetur obligare præceptum poſitiuum.

44\. *Non eſt graue damnũ, quod confitearis peccatum dubiè confeſſum.*

Minor conſtat primò, quia ſi id eſſet graue damnum, etiam in articulo mortis eſſet graue damnum; grauitas enim damni non pendet ex eo, quod detur intra vel extra articulum mortis. Vnde fieret, quod nec in articulo mortis teneretur ad illud confitendum.

45\. Item grauitas damni non minuitur per hoc, quod procraſtinetur, aut differatur confeſſio: quare ſi illud eſſet graue damnum, non tam poſſet procraſtinare confeſſionem eius peccati, quàm illam omittere.

46\. Conſtat ſecundò. Nam tranſacto toto tempore dilationis, & manente dubio, manet, ſecundùm Caramuelem, obligatio confitendi illud ſtatim: & tamen manet idem periculum confitendi peccatum iam confeſſum: ergo id periculum non eſt damnum graue, ratione cuius poſſit quis eximi ab onere confitendi illud peccatum; ſi enim eſſet damnum graue, ceſſaret obligatio confitendi illud, cùm non obliget præceptum, dum imminet damnum graue.

Conſtat tertiò. Nam ſi quis confiteatur peccata ſua ter, vel quater, nullum graue damnum patitur: ergo multò minùs patietur, ſi confiteatur, quod dubitat, an ſit confeſſum: ergo ſi confiteri iterum non eſt graue damnum, nec periculum confitendi iterum erit graue damnum. 47.

Dices, id periculum confitendi, quod iam eſt confeſſum, non eſſe graue damnum, ſed graue onus. 48.

49\. *An excuſet quòd id ſit graue onus?*

Hæc tamen reſponſio non eſt ad rem. Nam inſtauro argumentum. Integritas confeſſionis à Chriſto D. inſtituta poſtulat, vt ſub vna abſolutione confiteatur pœnitens omnia peccata mortalia, quorum conſcientiam habet, etiamſi illud ſit graue onus: ſed per te qui dubitat de confeſſione peccati certi, habet conſcientiam illius: ergo etiamſi ſit graue onus, integritas confeſſionis poſtulat, vt ſub vna confeſſione cum reliquis illud confiteatur.

50\. *Dubius de cõfeſſione peccati certi, eſt conſcius culpa.*

Ideò non poteſt ſic accedere ad Euchariſtiam.

Oſtendo ſecundò concluſionem. Nullus ſibi conſcius peccati mortalis poteſt accedere ad Euchariſtiam ſuſcipiendam abſque confeſſione ſacramentali illius, vt expreſsè conſtat ex Trid. *ſeſſ. 13. cap. 7.* ſed qui dubitat de confeſſione peccati certò commiſſi, ſibi conſcius eſt peccati mortalis, alioqui poſt dilationem temporis tranſactam, & manente dubio, non teneretur confiteri: ergo qui dubitat de confeſſione peccati certò commiſſi, non poteſt accedere ad Euchariſtiam abſque confeſſione ſacramentali illius: ergo ſi poſt dubitationem de confeſſione acceſſurus eſt ad Euchariſtiam, *ſtatim* tenetur confiteri illud peccatum.

Quod ſi inſtante præcepto, vel occaſione confitendi, non poſſit nunc vincere dubium, eſt tamen ſpes probabilis illud vincendi tempore ſequenti; in ea occaſione confitendi, hîc & nunc eſt inuincibile: ſed dum eſt inuincibile dubium de confeſſione peccati certò commiſſi, pœnitens habet conſcientiam illius: ergo ex præcepto integritatis tenetur ad illud confitendum. 51.

52\. Reſponſio ad argum.

Ad argumentum Caramuelis *art. 1.* propoſitum reſpondeo concedendo, quod ille, qui accepit mille aureos mutuos à Petro, non tenetur ſoluere, donec aduertat, dubium eſſe inuincibile, amittatque ſpem vincendi illud per diligentias opportunas, niſi doloſè velit eas omittere, vt duret ſpes vincendi dubium, & conſequenter procraſtinatio ſolutionis. Nego tamen, quod poſſit differri ſolutio vſque ad articulum mortis, poſteaquam dubium factum eſt inuincibile. Propoſitionem ſubiunctam diſtinguo: Qui dubitat, ſe debere, & ſoluit, exponit ſe periculo ſoluendi, quod non debet, [ſi dubium eſt vincibile,] concedo, [Si dubium iam eſt inuincibile] nego. Cùm enim dubium eſt inuincibile, iam deficit ſpes amplius inueſtigandi, & ſciendi: tunc autem cùm certa ſit obligatio ſoluendi, & non poſſit veniri in cognitionem ſolutionis præteritæ, vtique debet; & ſi debet, non ſe exponit periculo ſoluendi, quod non debet. Et ſi quidem exponit ſe periculo ſoluendi debitum bis, idem periculum militat in articulo mortis.

53\. Quæ pro vtriuſque paritate affert, ea nullius momenti eſſe, liquidò conſtat ex dictis.

CAPVT IV.

Sententia negans, peccatum certum dubiè confeſſum, eſſe confitendum, ex ipſius fundamento debellatur.

54\. *Theſis Viennēſis, neminem teneri ad confitendum peccatum certū dubiè confeſſum.*

CAramuel *loco cit. Theolog. fundam. n.* 1930. refert theſim quamdam propugnatam in Vniuerſitate Viennenſi à quodam doctoralis laureæ candidato, Præſide P. Martino Palxouicke Societatis Ieſu. Cuius hunc ſcribit renorem: [Controuertitur, an ſi quis certus, quod peccauerit mortaliter, dubitet negatiuè, ſe tale peccatum eſſe confeſſum, eo ipſo liber ſit ab eius confeſſione? Negatiua placet ſententia; nimirum quæ docet, non teneri tale peccatum confiteri.] Et ante omnia notatum velim, non poſſe citari prædictum P. Martinum pro ea ſententia: eſt enim ſtylus communis in Vniuerſitatibus, quod Præſides horum actuum teneantur ſe accommodare placitis propugnantium; ſicut quando Doctor Societatis præſidet actui Thomiſtæ propugnantis præmotionem phyſicam, non propterea is Doctor pro ſententia præmotionis phyſicæ citari poteſt. Præſidis enim munus ſolùm eſt, quod ſuggerat propugnatori modos reſpondendi, quales illi ſunt in ea theſi. Sed an probabilitas extrinſeca huius theſis aliqua ſit, dicam in fine capitis 6.

Præſes citari nequit pro theſi propugnata.

55\. Proponuntur in ipſa theſi illa ipſa argumenta, quibus Caramuel probat, peccata mortalia dubia non eſſe confitenda de neceſſitate præcepti. Quæ argumenta quia *diſp. præcedenti* demonſtraui eſſe ſophiſtica, parum negotij nobis iam faceſſent. Vnum ſolùm, quod ſuperaddunt tanquam rationem à priori, accuratiùs examinare oportet; ex eius enim refutatione conſtabit certitudo noſtræ ſententiæ.

56\. *Fundamentum eius theſis.*

Illud autem recitat Caramuel citatus in hæc verba. [Ratio à priori eſt, quia non poteſt eſſe certior obligatio confitendi, quàm ſit fundamentum & radix huius obligationis: atqui rotum obligationis confitendi fundamentum eſt, peccaſſe mortaliter, & necdum eſſe confeſſum; ideóque alterutro deficiente, non eſt obligatio confitendi, vt patet: ergo ſi non ſit certum obligationis fundamentum confitendi, hoc ipſo oritur dubium de obligatione. Sed dubia obligatio nulla eſt obligatio; in dubio enim de obligatione ſtandum pro libertate.]

57\. *Certum eſt, dubitantem de confeſſione peccati mortalis certi, teneri ad eius confeſſionem.*

Certiſſima tamen, & indubitabilis ſententia docet, certum de peccato mortali, & dubium de confeſſione illius, teneri obligatione graui confitendi illud. Pro hac otioſum eſt Authores referre; nam omnes, qui quæſtionem verſant, id tanquam certum affirmant, & ſupponunt. Et antequam ad alia argumenta progrediar pro hac certiſſima aſſertione, quæ ex illo proximè citato fundamento, volunt Authores theſis eſſe ſoluta, operæpretium eſt ad criſim trahere præfatum fundamentum; ſi enim illud euerſum fuerit, & theſis manebit inermis, & argumenta noſtra conſpicientur eſſe inconcuſſa.

Igitur prædictum fundamentum inane eſſe, oſtendo ex eo capite, quod reddit licitas innumeras iniurias, quæ ius proximi euidenter lædunt; quo nullum efficacius ſignum eſſe poteſt ſublatentis fallaciæ. Primò enim licebit vxori, negare debitum coniugale viro ſuo, quia dubitat, an ſit adulter. Hanc eſſe euidentem iniuriam nemo negabit, cùm velit ſpoliare iure ſuo maritum, & graui pœna plectere propter peccatum dubium. 58.

Fundamentum eius theſis reddit licitas plures actiones euidenter iniuſtas.

Eſſe autem licitum, ſi illud fundamentum ſtat, in ſimili forma oſtendo. Non poteſt eſſe certior in vxore obligatio reddendi debitum, quàm ſit fundamentum & radix huius obligationis: atqui totum fundamentum obligationis reddendi debitum eſt contractus matrimonij, & quod vir non fuerit adulter; ideóque alterutro deficiente, non eſt obligatio in vxore reddendi debitum: ergo ſi non ſit certum fundamentum obligationis reddendi debitum, videlicet quod vir non fuerit adulter, hoc ipſo oritur dubium de obligatione reddendi debitum. Sed dubia obligatio nulla eſt obligatio; in dubio enim ſtandum eſt pro libertate: vxor ergo non obligatur reddere debitum coniugale, ſi dubitat de viri adulterio. 59.

Poterit vxor negare debitum viro, dubitans, an ſit adulter.

Secundò. Pater poterit negare legitimam filio, huncque exhæredare, dubitans, an filius ei fuerit ingratus. Quia fundamentum & radix obligationis dandi legitimam eſt, quod ſit filius, & quod non ſit ingratus; ideóque alterutro deficiente, ceſſat in parte obligatio dandi legitimam: ergo ſi dubium eſt fundamentum obligationis, dubia eſt obligatio, atque adeò nulla. 60.

Pater poterit exhæredare filium, dubitans, an is ſit ingratus.

Tertiò. Pater negare poterit alimenta filio, & dotem filiæ, ſi dubitat, an ille ſit diues, & an iſta nupſerit ignominioſè. Nam radix obligationis præſtandi alimenta filio, eſt filiatio, & quod filius non ſit diues; ideò alterutro deficiente ceſſat obligatio præſtandi eiuſmodi alimenta: ergo ſi dubia eſt radix, dubia quoque eſt obligatio, & conſequenter nulla. 61.

Et negare alimēta filio, dubitans, an ille ſit diues.

Quartò. Mutuatarius, qui accepit mutuos à Petro mille aureos, poterit non ſoluere, quia dubitat inuincibiliter, an pecunia illa mutua fuerit furtiua, & non exiſtens ſub dominio Petri; fundamentum enim obligationis mutuatarij eſt, quod acceperit mutuos à Petro, & quod fuerit Petrus verus dominus, & non fur eius pecuniæ; & ideo alterutro deficiente, non tenetur ſoluere pecuniam Petro. Si ergo dubium eſt fundamentum obligationis, dubia quoque eſt obligatio. 62.

Poterit mutuatarius nō ſoluere mutuum, dubitans, an fuerit furtiuum.

Quintò. Qui mercem emit à Petro ante ſolutionem pretij, non tenebitur ſoluere Petro pretium mercis, ſi dubitat, an mercis ſit alterius domini. Sextò. Poterit Iudex repellere teſtem à iudicio; quia dubitat negatiuè, an ſit excommunicatus; ſicut etiam actorem, & tabellionem. Septimò. Poterit ſubditus negare obedientiam Regi, quia dubitat, an ſit tyrannus. Octauò. Poterit Prælatus Regularis negare alimenta ſubdito, quia dubitat negatiuè, an valida fuerit illius profeſſio. Nonò. Poterit ſubditus Regularis negare obedientiam Prælato ſuo, quia dubitat negatiuè, an Prælatus ſit excommunicatus. Decimò. Poterit ſponſus de futuro reſilire à ſponſalibus, quia dubitat negatiuè, an ſponſa oſculata fuerit alium virum. 63.

Referuntur multa alia iniuria, quæ fierent licitè.

Vndecimò

Vndecimò poterit quis negare primitias ſuo Parocho, quia dubitat, an habeat titulum verum, aut putatiuum.

64. In quibus omnibus exerceri manifeſtam iniuriam, nemo poteſt dubitare; quia ratio naturalis dictat, neminem à iure ſuo deturbandum propter ſolum dubium ſuperueniens. Sed in his omnibus militare idem argumentum, quo vtuntur Authores eius theſis, ex dictis clariſſimum eſt, cùm eodem tenore efformetur argumentum. Solutio ergo, quæ proderit his omnibus iniuriis repellendis, proderit ſimiliter euertendo illi fundamento prædictæ theſis.

65. *Exponitur radix obligationis in vxore, ad reddendum debitũ.*

Dicendum ergo eſt, radicem & fundamentum obligationis vxoris reddendi debitum coniugale, non eſſe vtcumque, [quod vir non fuerit adulter,] ſed [quod vir non certò (aut ad ſummum non probabiliter) fuerit adulter.] Dixi intra parentheſim, *Aut ad ſummum non probabiliter*; quia eſt quæſtio aliàs reſoluenda, an in materia iuſtitiæ ſufficiat opinio probabilis ſpeculatiua, vt quis ſpolietur iure ſuo. Similiter radix & fundamentum obligationis, qua tenetur Pater præbere legitimam filio, non eſt vtcumque quod filius non ſit ingratus; ſed quod filius non ſit certò ingratus. Et ideò quamvis ſit ſub dubio ingratitudo filij, adhuc perſeuerat fundamentum obligationis Patris, quia adhuc verificatur, quod filius non eſt certò ingratus. Et ſi inductionem feceris per reliqua exempla, eandem ſolutionem inuenies in illa conuenire.

66. *Exponitur radix obligationis confitendi peccatum.*

Hinc patet in quo ſita ſit æquiuocatio argumenti, quo vtitur ea theſis, cùm dicit, radicem & fundamentum obligationis confitendi eſſe, quod peccatum ſit commiſſum, & quod nondum ſit confeſſum. Hanc ſecundam partem ſic corrige: *Et quod nondum ſit certò, vel probabiliter confeſſum.* Quod ita eſſe corrigendum, manifeſtè patet ex omnibus exemplis proximè poſitis. Ex illis enim conſtat, vel licitas eſſe eas iniurias, vel fundamentum obligationis ita eſſe intelligendum. Pro cuius maiori claritate.

67. *Radix obligationis confitendi, non eſt, quod peccatum non ſit realiter confeſſum.*

Non qualiter eſt in re, ſed qualiter eſt in conſcientia.

Aſſero, fundamentum obligationis confitendi non eſſe, quod illud peccatum nondum ſit realiter confeſſum. Nam fundamentum obligationis non eſt, qualiter eſt in re, ſed qualiter eſt in conſcientia. Patet. Nam quamvis quis non ſit realiter confeſſus peccatum; ſi tamen habet conſcientiam probabilem, quod illud fuerit confeſſus, vtique non tenetur confiteri; atque adeò ſicut in illo caſu fundamentum exemptionis ab obligatione non eſt, quod peccatum ſit realiter confeſſum; ſed quod homo habeat conſcientiam probabilem de confeſſione illius; ita fundamentum obligationis confitendi illud non eſt, quod illud non fuerit realiter confeſſus, ſed quod homo non habeat conſcientiam certam, vel probabilem de confeſſione illius.

68. Idem eſt in caſu, quo Petrus confeſſus eſt periurium certum, & deinceps oblitus confeſſionis, iudicat, ſe non eſſe confeſſum illud periurium; nec in contrarium occurrit vlla ratio probabilis. In hoc caſu certum eſt, illum teneri ad confitendum periurium; & tamen verè & realiter eſt confeſſus illud: ergo poteſt dari obligatio confitendi illud, quamvis reuerà illud confeſſus fuerit. Sed non poteſt dari obligatio confitendi illud, deficiente fundamento obligationis: ergo ſi datur obligatio confitendi illud, falſificata hac propoſitione, *Hoc periurium non eſt realiter confeſſum*; obiectum eius propoſitionis non eſt fundamentum talis obligationis.

Confirmatur primò. Deficiente fundamento obligationis, deficit obligatio: ſed in illo caſu deficit hoc, quod eſt [quod periurium non ſit confeſſum] & non deficit obligatio: ergo hoc quod eſt, [quod periurium non ſit confeſſum,] non eſt fundamentum obligationis. 69.

Confirmatur ſecundò. Cùm deficit fundamentum obligationis, deficit obligatio: ſed in illo caſu deficit fundamentum obligationis ab aduerſariis deſignatum, nempe [quod periurium non ſit confeſſum:] ergo in illo caſu deficit obligatio confitendi periurium; atque adeò cùm in conſcientia ſua habeat ſine dubitatione, quod nondum eſt confeſſum, adhuc tenebitur confiteri. Quod conſequens eſt apertè falſum: ergo aliqua ex præmiſſis eſt apertè falſa. Sed maior certa eſt, & ab aduerſariis ſtabilita: ergo minor eſt apertè falſa, nempe fundamentum obligationis confitendi eſſe, quod periurium non ſit realiter confeſſum. 70.

Idem argumentum efformare licet (vt ſuprà dixi) in caſu, quo Petrus non eſt confeſſus illud periurium; & tamen exiſtimat ex motiuo probabili, ſe iam illud eſſe confeſſum. In quo caſu non tenetur illud confiteri, quamvis reuera illud confeſſus non fuerit. Etenim hæc duo non componuntur, & quod detur fundamentum adæquatum obligationis; & quod obligatio non reſultet: atqui in hoc caſu hæc duo componuntur, & [quod periurium commiſſum, & nondum confeſſum ſit,] & quod obligatio confitendi non reſultet: ergo [quod periurium commiſſum, & nondum confeſſum ſit,] non eſt fundamentum adæquatum obligationis confitendi. 71.

Hinc prodita eſt æquiuocatio, quæ in argumento eius theſis Viennenſis latebat. Cui reſpondebis, conceſſa maiori, diſtinguendo minorem: totum obligationis confitendi fundamentum eſt, peccaſſe mortaliter, & necdum [realiter] eſſe confeſſum; nego; & necdum [certò, aut probabiliter,] eſſe confeſſum, concedo; fundamendum enim eius obligationis eſt; quod in conſcientia illius certa aut probabili illud peccatum non ſit confeſſum. Quare cùm quis dubitat de confeſſione peccati certò commiſſi, adhuc habet radicem & fundamentum obligationis confitendi; quia apud conſcientiam dubitantis nec certò, nec probabiliter eſt confeſſum; quia cùm dubitat, nec repræſentatur ſibi tanquam certum, nec tanquam probabile, quod illud peccatum ſit confeſſum. 72. *Reſponſio ad argum.*

Et ex dictis patet falſitas ſubiunctæ propoſitionis: [Ideóque alterutro deficiente deficit obligatio confitendi;] quia quamvis deficiat, [quod peccatum non ſit confeſſum,] poteſt eſſe obligatio confitendi, ſcilicet quando Petrus realiter eſt confeſſus, & apud conſcientiam ſuam datur ſaltem probabilis exiſtimatio, quod non eſt confeſſus. Tunc enim præcedente confeſſione peccati, perſeuerat obligatio confitendi. 73.

Digitized by Google

CAPVT V.

Eadem theſis aduerſa communibus argumentis deſtruitur.

74. AVulſa iam æquiuocatione, ſub qua ſe tuebatur theſis oppoſita, caput extollunt communes argumentationes, quæ ab illa æquiuocatione videbantur infringi. Probatur ergo primò falſitas theſis oppoſitæ. Homo ſtatim, atque commiſit peccatum mortale, certam obligationem incurrit confitendi illud: ſed huic certæ obligationi non poteſt ſatisfacere per confeſſionem dubiam: ergo dum confeſſio eſt dubia, nondum ſatisfactum eſt obligationi confitendi; atque adeò ea certa obligatio confitendi adhuc perſeuerat. Probatur minor. Obligatio certa eſt ad certam impletionem; nam ſi obligatio eſſet ad impletionem dubiam, obligatio non eſſet certa, ſed dubia. Ideóque obligatio certa audiendi ſacrum non poteſt referri ad auditionem dubiam: ergo dum impletio non eſt certa, ſed dubia, retinet homo eam obligationem certam, quam ſemel incurrit.

Obligationi certæ non ſatisfit ſatisfactione dubia.

75. Reſpondent diſtinguendo minorem; obligationi enim certæ non poteſt homo ſatisfacere per impletionem dubiam, dum obligatio eſt certa; aliter autem dicendum, dum obligatio redditur dubia. At per hoc præſciſè, quod impletio obligationis dubia ſit, redditur obligatio dubia; & ideò non mirum, quod iam non exigat impletionem certam.

Reſponſio.

76. Vt reſponſionem de falſitate conuincas, interrogo aduerſarium: quare dubitatio de confeſſione reddat dubiam obligationem confitendi? Et reſpondet: Quia talis eſt obligatio, quale eſt fundamentum obligationis; & cùm fundamentum obligationis ſit, quod peccatum non ſit confeſſum, & hoc fundamentum reddatur dubium, inde eſt, quod obligatio reddatur dubia.

Conuincitur.

77. Ex dictis ergo capite præcedenti conſtat reſponſionis falſitas. Primò, quia falſum eſt, fundamentum obligationis eſſe, quod peccatum non ſit confeſſum realiter; ſed quod non certò aut probabiliter ſit confeſſum; quod ibi ſatis demonſtratum eſt. Secundò, quia ſi id fundamentum obligationis admittatur, licitæ erunt quamplurimæ iniuriæ ibi enumeratæ, pro quibus eadem forma arguendi militat.

78. Probatur ſecundò. In omni materia cuiuſlibet præcepti, obligationi certæ non ſatisfit ſatisfactione dubia: ergo obligationi certæ confitendi peccatum certò commiſſum, non ſatisfit confeſſione dubia. Conſequentia patet tanquam particularis contenta in antecedenti vniuerſali. Antecedens autem patet inductione, quam omnes Authores admittunt; & ratio euidens dictat. Qui habet obligationem certam recitandi officium diuinum, & habet verum dubium de recitatione, non ſatisfecit obligationi. Qui habet verum dubium de adimpletione voti, non ſatisfecit obligationi certæ illius. Qui verè dubitat de auditione ſacri in die feſto, non ſatisfecit obligationi certæ audiendi illud. Qui verè dubitat de confeſſione annua à ſe facta, non ſatisfecit obligationi certæ de prædicta annua confeſſione.

Obligationi certæ recitandi officium non ſatisfit recitatione dubia.

Idem eſt de voto, &c.

Reſpondebunt ſimiliter, eo ipſo quod quis dubitet de recitatione, dubiam reddi obligationem recitandi; quia fundamentum obligationis recitandi eſt, quod detur lex, aut quod hæc non ſit impleta. Quare ſi hæc ſecunda pars redditur dubia, fundamentum obligationis eſt dubium; atque adeò dubia redditur ipſa obligatio. 79.

Reſponſio.

In hoc tamen caſu & cæteris in hoc argumento propoſitis clariùs cernitur, quod id non ſit fundamentum obligationis. Nam quamvis quis non recitauerit, ceſſat obligatio recitandi, ſi probabiliter credit, ſe recitaſſe. Et quamvis recitauerit, perſeuerat obligatio recitandi, ſi putat, ſe non recitaſſe, nec habet fundamentum probabile in contrarium. Non eſt ergo fundamentum obligationis recitandi ipſa non recitatio realis, ſed non recitatio vt ſe habet in conſcientia hominis, ſiue quod non ſit illi certum, neque probabile quod recitauerit. Ideò autem præcepto recitandi officium non ſatisfit recitatione dubia, quia ſtante recitatione dubia, adhuc ſtat fundamentum obligationis recitandi, ſcilicet, quod non ſit certum, neque probabile quod recitauerit. Quod eodem modo in reliquis præceptis explicandum eſt. 80.

Clariùs conuincitur in exemplis poſitis.

Sed operæpretium eſt, hoc idem argumentum proponere in materia iuſtitiæ, quod maiori adhuc explicatione eget. Probatur ergo tertiò. In materia iuſtitiæ debito certo non ſatisfit ſolutione dubia: ergo obligationi certæ confitendi non ſatisfit confeſſione dubia. 81.

Debito certo non ſatisfit ſolutione dubia.

Ad hoc argumentum reſpondet theſis illa Vienenſis in hæc verba. [In conſcientiæ foro, eſto conſtet, debitum ex contractu oneroſo contractum eſſe; ſi deinde debitor dubitet, an illud ſoluerit, excuſatur à ſoluendo, donec conſtet certò, ſolutum non eſſe. Cui doctrinæ multùm fauet Medina *Cod. de reſtit. quæſt.* 20. Secundum, quia præſupponunt, dum id docent, eum, qui mala fide incipit rem alienam poſſidere, ſi poſtea dubitet; an ſua ſit, vel alterius, non obligari ad reſtitutionem; quia talis non tenetur alienam ſuæ indemnitati præferre: ergo à fortiori non tenebitur ſoluere, qui bona fide per contractum v. g. mutui rem alienam cœpit poſſidere, ſi poſtea dubitet inuincibiliter, an mutuatori debeat, necne; eſt enim paritas. Demùm in caſu noſtro hoc ipſo quod inuincibiliter ſuboriatur dubium negatiuum, ceſſat certum debitum, adeóque certa obligatio.] Hucuſque theſis apud Caramuelem cit. 82.

In quibus verbis quatuor notanda ſunt. Primùm aſſeritur, accipientem ex contractu mutui mille aureos, ſi dubitet inuincibiliter de ſolutione, non manere obligationem ſoluendi. Secundùm aſſeritur, obligationem iuſtitiæ certam per dubitationem de ſolutione reddi dubiam; nempe quia fundamentum obligationis partiale, quod eſt non ſolutio, redditur dubium. 83.

Tertiùm dicitur, dum Authores aſſerunt, accipientem bona fide pecuniam alienam mutuò, ſi dubitet de ſatisfactione, teneri adhuc ad mutuum ſoluendum; eos Authores præſupponere, quod ſi mala fide eam pecuniam mutuò accepit, 84.

Digitized by Google

accepit, ſcilicet cenſens eſſe furtiuam, ſi poſteà dubitet, an ſit ſua, eum non teneri ad ſoluendum. Quartùm. Quod Medina faueat ei doctrinæ.

85. *Si ſolus mutuatarius dubitat de ſolutione, certa eſt obligatio.* Quod ad primum attinet, certum eſt, ſi ſolus mutuatarius dubitet de ſolutione facta; dari certam obligationem ſoluendi: quia obligatio ſoluendi non redditur dubia per dubitationem de ſolutione facta. Quod clariſſimè conuincitur in omnibus illis caſibus manifeſtæ iniuſtitiæ, propoſitis *cap. præcedenti*, *à num.* 58. Sic enim obligatio reddendi debitum coniugale redderetur dubia in vxore per hoc, quod ipſa negatiuè dubitaret de adulterio viri; & ſic in reliquis ibi propoſitis. Quia ſicut dicitur fundamentum obligationis ſoluendi ipſa non ſolutio, ita dicendum eſt fundamentum obligationis reddendi debitum ipſa non adulteratio coniugis, à qua dependet obligatio reddendi debitum coniugale, ſicut à non ſolutione dependet obligatio ſoluendi.

86. *Si ambo dubitent, variāt Authores.* Dixi, *ſi ſolus mutuatarius dubitet.* Nam caſu quo mutuatarius, & mutuator pariter dubitent, ſunt Authores, qui aliter diſcurrant. *An res diuidenda?* Nam ſunt, qui dicant, in pari dubio vtriuſque, rem debitam diuidendam. Ita P. Layman. *lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. *num.* 42. *Layman.* Sunt qui dicant ſtandum pro poſſeſſore ipſius rei. Ita P. Tanner. 1. 2. *diſp.* 2. *quæſt.* 6. *dub.* 4. *num.* 48. quem citat *An ſtandum pro poſſeſſore?* Diana *parte* 4. *tract.* 3. *reſol.* 32. vtrumque tamen iudico falſum: nec mei inſtituti eſt, hanc modò quæſtionem verſare. *Tannerus.*

87. Quod attinet ad ſecundum, nempe obligationem ſoluendi mutuum fieri dubiam, ſi dubitetur de ſolutione, quia fundamentum obligationis eſt non ſolutio; apertè conſtat, eſſe falſum ex ſupradictis. Quia etſi non ſoluerit, liberatur ab obligatione ſoluendi pro conſcientia ſua, ſi putat certum, ſe ſoluiſſe. Item etſi ſoluerit, adhuc tenetur ſoluere pro conſcientia ſua, ſi putet certum, ſe non ſoluiſſe. Non eſt ergo fundamentum obligationis ſoluendi ipſa realis non ſolutio; ſed quod non ſit certa ſolutio facta.

88. Et pro maiori claritate nota, in materia iuſtitiæ, cum ſint duæ partes, ſiue duo ſubiecta, alterum, in quo eſt obligatio ſoluendi; alterum, in quo eſt ius ad ſolutionem; duplici modo conſiderari obligationem ſoluendi: vno modo præciſè attendendo ad conſcientiam debitoris. Et ita fundamentum eius obligationis eſt, quale proximè explicui, ſcilicet, quod in conſcientia eius non facta certò ſit ſolutio debiti. Alio modo non attendēdo ſolùm ad obligationem conſcientiæ debitoris, ſed attendendo etiam ad ius creditoris. Et hoc modò intellectus, cùm in hac materia diſcurrit, conſtituit ſe tanquam iudicem vtriuſque partis, vt etiamſi debitor propter conſcientiā ſuam liber maneat ab obligatione ſoluendi, creditor poſſit agere de iure ſuo, & recuperare quod ſuum eſt. Cæterùm etiam hoc modo dicendum eſt, fundamentum id obligationis non eſſe, quod non facta ſit realiter ſolutio; ſed quod non ſit certò facta. Nam quamvis dubitet etiam creditor, per ſolam dubitationem non poteſt amittere ius ſuum, quod ante dubitationem erat certum.

89. *Quod accepi mala fide, ſi mox dubitem eſſe meum, teneor reſtituere.* Quod attinet ad tertium, nihil tale præſupponunt Authores, quin imò omnes fatentur, quod ſi mala fide à poſſeſſore bonæ fidei accepi rem alienam, v.g. equum, quem furatus ſum à Petro poſſeſſore bonæ fidei; & poſtea dubito, an ille equus ſit meus, quem fures in via abſtulerunt, & dubium hoc remaneat omninò inuincibile; obligatio reſtituendi eſt certiſſima; quia ius Petri, quod erat certum ante dubitationem meam, non minuitur per hanc meam dubitationem.

Quod ad quartum ſpectat, Medina *loco cit.* §. *Secundum, quia præſupponunt*, ita ait: [Si Petrus detinet rem, quam ego dubito meam eſſe, an ipſius, qui eam tenet; ſi eam, ſtante dubio, accipio, pecco; acceptam tamen illi reſtituere non teneor, quamdiu eſt dubium *probabile*, quod mea ſit. Non enim in caſu huius dubij teneor Petri indemnitati potiùs, quàm meæ propriæ conſulere.] In quibus verbis nihil fauet theſi prædictæ; loquitur enim, quando ſunt rationes probabiles ſuadentes, rem eſſe ſuam. Theſis autem loquitur de mero dubio negatiuo. 90.

CAPVT VI.

Cætera argumenta pro eadem theſi Vienenſi conuincuntur eſſe ſophiſtica.

PRædicta theſis Viennenſis, vt iam dixi, adoptauit ſibi pleraque argumenta, quibus Caramuel probat, peccata dubia non eſſe ex neceſſitate præcepti confitenda. Quæ argumenta cùm in diſputatione præcedenti omninò euanuerint tanquam certò ſophiſtica, non eſt cur in illis iterum diſſipandis immoremur. Quare breuiter & remiſſiuè ea euertenda ſunt. 91.

Primum ſic proponit apud Caramuelem cit. [Quia de ſcrupuloſis plurimi tenent non obligari eos ad confitendum, niſi iurare poſſint, mortale fuiſſe peccatum, & nunquam confeſſum.] Sed tales ſcrupuloſi certi ſunt de peccato, & dubij de confeſſione: ergo certus de peccato, & dubius de confeſſione non tenetur ad confeſſionem illius. 92.

Ex *diſp. præced. cap.* 2. *art.* 3. conſtat, ſi valet argumentum à ſcrupuloſis ad non ſcrupuloſos, eodem modo probari poſſe, etiamſi ſis certus de peccato commiſſo, & certò credas, peccatum non eſſe confeſſum, adhuc non eſſe obligationem confitendi; quod eſt hæreticum. Nam datur caſus, in quo cum ſcrupuloſo ſic agitur, & non permittitur confiteri, quando dicit, ſe eſſe certum de non confeſſione eius peccati; quia datur graue fundamentum, ad iudicandum, tunc decipi ſcrupuloſum. Ob quam rationem ſcrupuloſus dubius de confeſſione peccati certò commiſſi, iubetur practicè deponere dubium. Quod ita deponere non poteſt, qui non eſt ſcrupuloſus, & negatiuè dubitat de confeſſione peccati certò commiſſi. Quare diſtinguenda eſt maior: ſcrupuloſi non obligantur ad confitendum, niſi iurare poſſint, mortale fuiſſe peccatum, & nunquam confeſſum, [quia habent graue fundamentum ad iudicandum, id eſſe confeſſum, concedo; [aliter,] nego. Similiter diſtinguo minorem: ſunt dubij de confeſſione, [habentes tamen graue fundamentum ad deponendum dubium,] concedo; [aliter,] nego. Vide locum citatum præcedentis diſputationis. 93.

Secundum

94. Secundum argumentum ſic proponit ea theſis: [Si quis venit ad confeſſionem cum peccato, de quo negatiuè inuincibiliter dubitat, an ſit confeſſus, & dicat: *Accuſo me de hoc peccato, ſi necdum confeſſus; ſi autem fortè ſum confeſſus, me non accuſo.* Tali, inquam, ſi de nullo alio ſe abſolutè accuſet peccato, abſolutio impendi non poteſt; quia hæc certam requirit materiam, propter periculum committendi ſacrilegium: ergo peccatum taliter confeſſum, non eſt ſufficiens materia, multò minùs neceſſaria confeſſionis. Talis autem non tenetur aliter confiteri. Imò ſi fortè priùs eſt confeſſus, nullo tenetur præcepto idem peccatum confiteri ſecundò.]

95. Hoc argumentum euanuiſſe conſtat *ex diſp. præced. cap.* 2. *art.* 2. & qua parte contendit, non poſſe dari abſolutionem ſub conditione, quando non datur materia certa, eo quod ſit periculum committendi ſacrilegium, *artic.* 5. clariſſimè oſtenſum eſt, id eſſe pluſquam falſum. In quibus locis videbis, id argumentum militare contra multas aſſertiones certiſſimas, adeóque æquiuocatione ſophiſtica inniti.

96. Tertium ſic proponitur. [Prætereà ſi dubium ſit poſitiuum, adeóque vtraque contradictionis pars appareat probabilis, poſſet eligere quamcumque volet; adeóque non confiteri: vt eximij tradunt DD. Suarez *diſp.* 21. *ſect.* 9. *num.* 5. *&* 6. Coninck *diſp.* 7. *de Pœnit.* ergo à fortiori non tenebitur confiteri, ſi nulla ratio occurrat.]

97. De æquiuocatione huius argumenti latè dixi *eo cap.* 2. *art.* 6. vbi clarè oſtendi, quàm nulla ſit conſequentia à probabilitate ad dubium. Qui enim probabiliter iudicat, ſe eſſe confeſſum, non poteſt dici præſtitiſſe ſatisfactionem dubiam, ſed credendus eſt plenè ſatisfeciſſe ſuæ obligationi. Aliud eſt quando ſunt motiua vtrimque æquè probabilia in hac quæſtione facti, [An peccatum confeſſum ſit?] De quo latè dixi *eadem diſp. cap.* 6.

98. Quartum. [Ex Tridentino citato. Ea ſolùm obligatur mortalia pœnitens confiteri, quorum conſcientiam habet; conſcientia autem ex communi Doctorum eſt iudicium de rebus agendis, aut de honeſtate & turpitudine actionis: dubitans negatiuè hoc non habet: ergo nec conſcientiam: ergo non tenetur confiteri, de quibus negatiuè dubitat, an ea ſit confeſſus.]

99. Hoc argumentum potiùs militat contra prædictam Theſim. Etenim ſtatim atque homo committit peccatum, iſtud eſt in conſcientia peccatoris, nec de conſcientia illius egreditur, niſi adhibendo medium debitum ad remiſſionem, vel potiùs iudicando, medium eſſe adhibitum. Nam licèt quis confeſſus fuerit peccatum ſuum, ſi pro certo habet, ſe non eſſe confeſſum, adhuc peccatum eſt in conſcientia ipſius: dum autem iudicat indubitanter, illud eſſe confeſſum, ſaltem ex ratione, quæ ſibi proponitur vt probabilis; iam peccatum non eſt in conſcientia ipſius. Sed quando quis commiſit peccatum mortale, ſcit ſe habere conſcientiam peccati; & dum dubitat, an confeſſus fuerit, neſcit, an adhibuerit medium debitum ad remiſſionem illius: ergo peccatum adhuc perſeuerat in illius conſcientia.

100. Argumentum æquiuocè procedit. Fateor enim non eſſe confitenda peccata, niſi quorum homo habet conſcientiam. Admitto etiam, conſcientiam dicere iudicium: æquiuocatio autem latet in propoſitione ſubiuncta, nempe: [Dubitans negatiuè hoc non habet.] Etenim dubitans, quà dubitans, non iudicat; cæterùm dubitans de vno, iudicat de aliis. Certus de peccato commiſſo, & dubius de confeſſione illius, ſcit, ſe peccaſſe, & de eo habet iudicium, quamvis dubitet de confeſſione.

Quomodo cõſcientia ſit iudicium; & cuius obiecti?

101. Itaque conſcientia peccati, ſiue quod peccatum perſeueret in conſcientia, dicit duo; vnum poſitiuum, & alterum negatiuum: ſcilicet quod peccatum fuerit in conſcientia, & quod non egreſſum fuerit à conſcientia. Fuit in conſcientia, quatenus habet iudicium de peccato: non egreſſum eſt à conſcientia, quatenus neſcit, adhibitum à ſe medium debitum ad remiſſionem. Et ideò peccatum perſeuerat in conſcientia illius, quia ſcit ſe peccaſſe, & neſcit, an adhibitum fuerit medium debitum ad remiſſionem illius.

Quid ſit peccatum perſeuerare in cõſcientia?

102. Quintum: [Sat multi docent, vero dubio dubitantem, an habeat lethale peccatum, poſſe accedere ad Euchariſtiam ſine confeſſione. Granado *de Euchariſt. tract.* 10. *diſp.* 7. *num.* 13. apud Henriquez Paludanus, Antoninus, Tabiena: ſed qui dubitat negatiuè, an commiſſum peccatum mortale ſit confeſſum, habet verum dubium de peccato mortali: ergo ſine vlteriori confeſſione poterit communicare.]

103. Ea ratio, *An habeat lethale peccatum,* æquiuoca eſt; ſi enim dubitat an habeat per commiſſionem, id eſt, an commiſerit; ea maior eſt probabilis, vt conſtat *ex diſp. præcedenti.* Si verò dubitat, an habeat, id eſt, an peccatum certum nondum remiſſum ſit per medium debitum, & certò falſa eſt propoſitio, & ab illis Authoribus nullatenus cogitata. De mente autem Patris Granado conſtat *ex diſp. præced. cap.* 1. quod id ſit *intelligendum de dubio minùs proprio, quod nimirum probabili ratione deponi poſſit.* Quæ ſunt verba prædicti Patris. Minor autem planè falſa eſt; qui enim ſolùm dubitat de confeſſione, certò ſcit, ſe habere conſcientiam peccati mortalis.

104. Tandem pro extrinſeca probabilitate eius ſententiæ videtur hæc dixiſſe Caramuel eo *num.* 1930. [Primò has theſes prodiiſſe authoritate facultatis Theologicæ. Secundò, fuiſſe propoſitas à duobus viris doctiſſimis. Tertiò, fuiſſe pacificè defenſas, adeóque ab Vniuerſitate tales, vtminimùm, iudicatas, quæ nihil contra fidem, nihil contra bonos mores haberent. Poſito igitur, omnes eſſe ſecuriſſimas, & probabiliſſimas, quinquageſimam recognoſcamus.]

An ea theſis habeat authoritatem?

105. Incidit P. Arriaga *tom.* 8. *diſp.* 31. *num.* 41. in hanc citationem harum theſium factam à Caramuele, & ait: [Citat prætereà varias theſes, quæ non magnam habent authoritatem.]

Quid ſentiat Arriaga?

106. Quare non magnam habeant authoritatem, dixi *diſp. præced. cap.* 1. Quia Authores earum, eorumque doctrinæ præſtantia exteras nationes latent. Præſidem actus Theologici pro ea aſſertione non eſſe citandum, notaui ſuprà initio capitis 3. Accipientem lauream Doctoris non eſſe ſufficientem ad dandam probabilitatem opinionibus moralibus, oſtendi *diſp.* 11.

Non à Præſide.

Non à Laureando.

cap.

Digitized by Google

*cap.*15.præcipuè cùm laureandi magis ſtudeant oſtentationi ingenij, quàm ſolidæ doctrinæ promouendæ. Si quis Reuiſor deſignatus eſt in Vniuerſitate, qui præuideat theſes propugnandas, fortè non multùm curat, niſi ſolum, quod eæ non ſint hæreticæ, aut erroneæ. Cæteras autem, etſi improbabiles, facilè permittunt propugnari, vt argumentis vltrò citróque perpenſis, veritas magis aperiatur; in quo etiam fortè Reuiſor amicitiæ cedit. Aſſiſtentiam Doctorum Theologorum non eſſe approbationem theſis, patet; cùm ſæpe viderimus, eos de theatro egredi faſtidio plenos, quòd videant theſes permitti futilioris doctrinæ. Et licèt aſſiſtentia Theologorum eſſet approbatio eius theſis; rurſus inquirendum eſſet, an ij Theologi ſuperent doctrina illos Scriptores, qui ex aliis tranſcribunt; quos non addere probabilitatem, ſæpè affirmat Caramuel. Vnde patet, eam theſim non haurire probabilitatem extrinſecam ex iis capitibus, quæ Caramuel enumerat.

Non à Reuiſore. — *Non à Theologis adſtantibus.*

DISPVTATIO XLVIII.

An abſoluendus ſit ſub conditione moribundus, in quo nulla determinata ſigna contritionis apparuerunt?

CAPVT PRIMVM.

Sententia Caramuelis affirmatiua, & negatiua aliorum referuntur; & propria ſtatuitur.

1. *Abſoluendū ſub conditione moribundum, qui nullum dedit ſignum.*

CARAMVEL *in Theolog. fundam. à num.* 1848. *fundament.* 66. multis contendit, probabilem eſſe ſententiam, & reipſa in praxi tenendam, quæ docet moribundum, qui nullo ſigno confeſſionem petit, abſolui ſub conditione poſſe, & debere.

2. Homobon. Molfeſius. Salmeron. Lotherius. Lupus. Anton. Litt. A S. Fauſto. Petr. March. Bauni. Muſart. Mem. Bon. Rit. Rom. D. Anton. Diana.

Sed & plures alij eam ſententiam defendunt apud eundem Caramuelem, Homobonus *in Exam. Eccleſ. part.* 1. *tract.* 7. *cap.* 18. *quæſt.* 84. Molfeſius *in ſum. tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 5. *num.* 48. *&* 49. qui citat P. Salmeronem, Lotherium, & Lupum ita opinantes, Antonius de Litteratis *in ſum. part.* 1. *cap.* 35. *num.* 7. Bartholomeus à S. Fauſto *Theolog. moral. lib.* 4. *quæſt.* 204. Petrus Marchantius *in Tribunali tom.* 1. *tract.* 4. *tit.* 4. *quæſt.* 3. *dub.* 7. *reſp.* 7. P. Stephan. Bauni *de Sacram. in genere quæſt.* 17. *controu.* 4. licèt oppoſitam dicat probabiliorem P. Carolus Muſart. in reſolutione, quam ibi inſerit Caramuel *à numero* 1857. Memoriale Confeſſionis Bononienſe *cap.* 1. *de forma Pœnit. num.* 16. quatenus docet, eos, qui confeſſionem frequentant, poſſe abſolui, etſi nulla ſigna dederint confeſſionis poſtulatæ, vel deſignatæ. Pro quo citat Rituale Romanum, & D. Antoninum, & Antoninum Diana *part.* 3. *tract.* 3. *reſolut.* 18. dicentem eſſe probabilem.

3. Guimenius. Victorian. Pellizar. Suarez. Baldell. Naldus. Leand. à SS. Delgadillo. Velaſco. Zanard. Longus. Raynaud. Auerſa. Machado. Tamburin. Poncius. Mart. S. Ioſ. Torreblanc. Remig. Ludou. à Concept. Lezana. Verricel. Bayus.

Sed & alij multi DD. citantur ab Amadeo Guimenio *tract. de Pœnit. propoſitione* 20. qui ibi hanc ſententiam tuetur. Illi autem ſunt Victorianus *in memorial. Clericor. part.* 4. *cap.* 1. *num.* 14. qui loquitur de moribundo, qui confeſſionibus eſt aſſuetus. P. Pellizarius *in Manual. Regular. tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 3. *ſect.* 1. *num.* 60. *& tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 3. *ſect.* 2. *num.* 114. apud quem refertur P. Suarez priuatim tradidiſſe; referuntur etiam P. Baldellus, & Naldus ab ipſo Pellizario conſulti: item Leander à SS. Sacram. *tom.* 1. *tract.* 5. *de Pœnit. diſp.* 5. *quæſt.* 46. Delgadillo *tom.* 1. *de Pœnit. cap.* 13. *dub.* 18. *&* 19. Acacius de Velaſco *tom.* 1. *verb. Abſolutio, reſol.* 12. *num.* 4. Zanardus *in Director.* 1. *part. de Pœnit.* §. 9. limitans [ſi non erat in mortali noto.] Laurentius Longus *in Tabulis Sacram. Tabul.* 2. *cap.* 24. *num.* 8. Theophilus Raynaudus *de Martyrio, part.* 2. *cap.* 3. *num.* 7. Auerſa *de Pœnit. quæſt.* 10. *ſect.* 8. Machado in eam inclinans *tom.* 1. *lib.* 2. *part.* 4 *d. ct. m.* 5. *num.* 4. P. Tamburinus *in methodo expedita confeſſionis, lib.* 2. *cap.* 10. §. 1. *num.* 11. Ioannes Poncius *in curſu Theolog. deciſ.* 46. *concluſ.* 4. Martinus à S. Ioſeph *in monitis tom.* 1. *lib.* 1. *tract.* 16. *n.* 2. Torreblanca *lib.* 14. *practic. ir. cap.* 11. Remigius *in ſum. tract.* 5. *cap.* 5. §. 11. *num.* 5. Ludouicus à Concept. *in Exam. tract.* 5. *de Pœnit. quæſt.* 1. Lezana *in quæſt. Regular. tom.* 3. *verb. confeſſio.* Verricelli *in quæſt. moral. tom.* 1. *tract.* 6. Iacobus Bayus *in Inſtitut. lib.* 2. *cap.* 91. vbi ait, dari poſſe abſolutionem in eo caſu per modum ſuffragij. In quo addito videtur non locutus probabiliter, aut non ſe explicuiſſe probabilibus terminis. Vbi vides, ſtare pro hac ſententia triginta octo Authores Recentiores.

4. Oppoſita ſent. Henriquez. Layman. Fay. Reginald. Belloch. Pitigiani. Vaſq. Arriaga.

Antiquiores autem omnes ſtant pro oppoſita ſententia, & multi Recentiores apud Caramuelem *cit. num.* 1870. inuenies P. Henriquez *lib.* 3. *de Pœnit. cap.* 10. *num.* 6. P. Laymannum *Theolog. moral. lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 12. *n.* 4. Petrum Fay *de Pœnit. in addition.* 3. *quæſt.* 3. *artic.* 2. *diſput.* 2. P. Reginaldum *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 3. *num.* 25. P. Turrianum *de Pœnit. quæſt.* 9. *art.* 2. *diſp.* 3. *dub.* 1. *ad* 3. Bellochium *de caſib. reſeru. part.* 1. *quæſt.* 2. *num.* 116. Pitigianum *in* 4. *diſt.* 17. *quæſt. vnic. art.* 8. *concl.* 3. P. Vaſquez *tom.* 4. *in* 3. *part. quæſt.* 91. *art.* 2. *dub.* 1. Idem tradit P. Arriaga *tom.* 8. *diſp.* 36. & quamplurimi alij, quorum pars negat poſſe abſolui moribundum ex ſolis ſignis contritionis exhibitis: pars autem affirmat, ſolùm abſolui poſſe, quando prædicta ſigna exhibuit.

5. Tres concluſiones.

Meam ſententiam triplici propoſitione declaro. Prima eſt: Fundamenta Caramuelis non videntur ſufficere ad probabilitatem primæ ſententiæ. Secunda eſt: Ex ſolidiori fundamento adſtruitur probabilitas practica ſententiæ affirmantis, poſſe dari abſolutionem ſub conditione moribundo, in quo nulla determinata & clara ſigna contritionis videntur, modo inferiùs exponendo. Tertia eſt: Ex dictamine alio reflexo in praxi eſt hæc opinio valdè probabilis, imò & moraliter certa.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT II.

Fundamenta Caramuelis vocantur ad criſim.

ARTICVLVS I.

Diſcuſſio primi argumenti.

6. *An Sacerdos, nullo ſigno dato, abſoluendus? An qui in officio dicit* Pater N. *petat confeſſionem?*

PRimum proponit in Sacerdote pio & religioſo, qui repentino caſu ſenſibus deſtituitur, & ianuæ mortis accedit. Non eſt probabile, illum horas canonicas non recitaſſe; temerarius enim cenſor haberetùr, qui diceret, eum non recitaſſe: ergo prudenter procederet, qui diceret, eum recitaſſe: ergo prudenter creditur, eum recitaſſe orationem Dominicam initio cuiuſlibet horæ. Sed in oratione Dominica dixit, *Dimitte nobis debita noſtra*: ergo poſtulauit veniam peccatorum. Item non poſtulauit aliter ſibi dandam, quàm per media oppottuna à Chriſto inſtituta: ſed præcipuum eſt confeſſio: ergo poſtulauit veniam per medium confeſſionis ſibi dandam: ergo ea eſt poſtulatio confeſſionis. Sed moribundus, qui poſtulat confeſſionem, abſoluitur ſaltem ſub conditione: ergo ille ita abſoluendus eſt.

7. *An quia omnes orant, cenſeantur petere confeſſionem pro vltima hora?*

Extendit argumentum ad omnes catholicos. Nam ſi pij ſunt, credendum eſt, eos audire Miſſam, orare Deum, & recitare Roſarium: in Roſario autem ſimiliter recitant orationem Dominicam. Imò nullus eſt, licèt impius, qui non credatur habere aliquod pietatis exercitium.

8. *An quia omnes dicunt* Aue M. *cenſeantur petere confeſſion ẽ extremam?*

Et meliùs extenderet, ſi diceret, cùm vbique vigeat conſuetudo recitandi ter ſalutationem Angelicam initio noctis, ſignum dante campana, credendum eſſe, nullum exiſtere Catholicum, qui illam tunc non recitet. In ſalutatione autem Angelica dicimus, *Ora pro nobis peccatoribus nunc, & in hora mortis noſtræ.* Cùm autem poſtulamus à B. Virgine, vt intercedat pro nobis in hora mortis, quid aliud petimus, quàm bonum finem? Bonus autem finis includit diſpoſitionem congruentem, & præparationem per receptionem Sacramentorum: ergo poſtulamus à B. Virgine, vt nobis obtineat medium Sacramenti Pœnitentiæ: ergo poſtulamus confeſſionem.

9. *Ad abſolutionem neceſſaria eſt confeſſio peccatorũ, ſaltem in genere.*

Pro huius argumenti infirmitate cognoſcenda, duas propoſitiones ſtatuo, quæ apud omnes certiſſimæ eſſe debent. Prima eſt. Ad abſolutionem impendendam neceſſaria eſt confeſſio, ſaltem peccatorum in genere, quando neceſſitate vrgente alia ſpecialior confeſſio fieri non poteſt. Hæc autem confeſſio peccatorum in genere debet eſſe ſignum aliquod exterius, quo homo ſignificet ſe peccaſſe. Hæc propoſitio patet ex Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. vbi definit, confeſſionem eſſe materiam Sacramenti Pœnitentiæ: ex quo euidenter infertur, non dari eſſentiam Sacramenti Pœnitentiæ, ſi actus confeſſionis deſit; cùm in nullo penitus euentu poſſit exiſtere res compoſita ex materia & forma abſque ſua materia, ſiue abſque partibus ſuis eſſentialibus. Confeſſio autem nihil aliud eſt, quàm actus quidam externus, quo homo ſignificat, ſe peccaſſe. Quod confirmatur ex dicendis infrà à *num.* 20.

Secunda propoſitio eſt: Hoc ſignum externum æquiualens confeſſioni debet eſſe cum relatione ad claues, nec aliter poteſt dici confeſſio. Hanc ſupponit vt certam P. Suar. *tom.* 4. *in* 3. *part. diſp.* 23. *ſect.* 1. *num.* 13. in hæc verba. [Eſt tamen attentè obſeruandum, non ſatis eſſe adhibere ſigna contritionis (quod fortè voluit Abulenſis ſuprà) ſed neceſſarium eſſe, illa adhibere in ordine ad claues; quia contritio, & manifeſtatio eius per ſe non eſt ſufficiens materia Sacramenti Pœnitentiæ, ſed quatenus informat confeſſionem aliquam, cum qua perficit confeſſionem Sacramentalem: & hoc eſt exhibere ſigna in ordine ad claues.] Itaque quod homo manifeſtet, ſe eſſe peccatorem, indifferens eſt ad finem practicum abſolutionis ſacramentalis obtinendæ, & ad finem ſpeculatiuum, vt cùm quis ſocium colloquens dicit, ſe peccatorem eſſe. Non eſt ergo confeſſio ſacramentalis niſi ſignum externum, quo homo ſignificat, ſe eſſe peccatorem, referendo actualiter hoc ſignum, quantum eſt ex parte ſua, ad abſolutionem obtinendam. 10. *Id ſignum debet eſſe cum relatione ad claues.*

11. *Si probabile eſſet hanc eſſe confeſſionem, abſolutio poſſet dari abſque conditione.*

Deueniendo autem ad argumentum Caramuelis, ex multis capitibus cernitur illud eſſe prorſus inſufficiens ad probabilitatem eius ſententiæ. Oſtenditur primò. Si probabile eſſet, quod ſit confeſſio illa petitio contenta in oratione Dominica, *Dimitte nobis*, &c. poſſet impendi abſolutio abſolutè, & abſque conditione: atqui non eſt probabile, illam poſſe dari abſolutè: ergo non eſt probabile, illam eſſe confeſſionem. Conſequentia patet, cùm in propoſitione conditionali valeat à negatione conſequentis ad negationem antecedentis, vt eſt euidens Dialecticorum Regula. Minor eſt Caramuelis, qui *numero* 1848. *concluſ.* 1. ait: [Poſſe eiuſmodi moribundum abſolutè & ſine conditione abſolui, eſt improbabile.]

Maior verò eſt manifeſta. Etenim ob nullam aliam rationem poſſet negari abſolutio abſoluta, niſi ne fieret iniuria aut irreuerentia Sacramento: atqui Sacerdos, qui ſupra confeſſionem probabilem dat abſolutionem abſolutam, nullam irrogat iniuriam, nullam irreuerentiam committit in Sacramentum: ergo ſi illa eſſet confeſſio probabilis, poſſet abſolutio impendi abſolutè. Maior & conſequentia patent. Et minor non eſt minùs certa. In hoc enim Authores conueniunt, quod vbi eſt probabile, dari partes Sacramenti, vel vbi eſt probabile, dari requiſita ad abſolutionem abſolutam, nulla infertur iniuria Sacramento. Et ita cùm probabile eſt, dari iuriſdictionem in Sacerdote, non fit iniuria Sacramento ex eo quod exponatur fruſtrationi; quia quantum eſt ex parte Sacramenti, & adminiſtrationis eius (& ſecluſa alia lege charitatis) ſufficit, ſi operetur ſecundùm opinionem probabilem: nemo autem, quantum eſt ex parte adminiſtrationis Sacramenti, tenetur ad amplius. Sed dum ſit confeſſio probabilis, probabile eſt, quod non fruſtratur Sacramentum, etſi detur abſolutio ſine conditione: ergo non committit irreuerentiam in Sacramentum: vel ergo dicendum 12.

dum eſt, illam non eſſe probabiliter confeſſionem, vel dicendum eſt, poſſe cum illa impendi abſolutionem abſolutè, & abſque conditione, quod repugnat.

13. *Alia impugnatio.* Oſtenditur ſecundò. Quid enim ſi Sacerdos ille legerat apud Caramuelem *diſputatione* 118. *in Regul. numero* 1454.& *numero* 1458. *B.* Orationem Dominicam, Angelicam, & Symbolum, quæ dicuntur ante, vel poſt officium canonicum, in omnibus Breuiariis eſſe partes officij extrinſecas, & nullatenus obligatorias? Quid ſi probabile credebat, quod ibi docet Caramuel? Sanè nullo fundamento ducemur ad credendum, eum initio, aut fine officij recitaſſe orationem Dominicam. Quod ſi dicas, etiam in Prima, in ea parte, quæ incipit, *Pretioſa*; & in introductione ad Completorium recitari orationem Dominicam; adhuc has duas partes vult Caramuel eſſe extrinſecas, & non obligatorias. Quod ſi recurras ad orationem Dominicam, quæ dicitur in Matutino ante Lectiones; cùm ipſe aſſerat, omnes Lectiones & Reſponſoria Matutini eſſe leuiter obligatoria, *comment. in Regul. numero* 1458. *B.* mirum erit, quod Lectiones & Reſponſoria ſint leuiter obligatoria; & oratio Dominica præcedens ſit grauiter obligatoria. Vide *diſputat.* 33. *num.* 12. Si ergo Sacerdos ille id legerat apud Caramuelem, quomodò ſciemus, illum non reduxiſſe ad praxim? Quid ſi ante duos menſes parum firma conſtabat valetudine? Quî præſumemus, eum recitaſſe?

14. Sed quid, ſi legerat apud Caramuelem, & alios, ſe non teneri ad attentionem? Quomodo ſciemus, eum dixiſſe attentè ea verba, *Dimitte nobis*, &c. ſi ex ea probabilitate apud ſe erat ſecurus, ſe non teneri ad attentionem? Quæ autem erit hæc confeſſio, ſi ea verba non attentè, nec ex animo dixit? Præcipuè cùm totalis attentio ad omnia verba ſit ferè impoſſibilis.

15. Huic poſtremæ obiectioni ſic reſpondet Caramuel *numero* 1852. [Mihi tamen hæc reſponſio viſa fuit inſufficiens. Primò, quia probabilis eſt illa ſententia, quæ attentionem requirit; & ſi dicatur ſatisfeciſſe ille Sacerdos, dicendus eſt omnia neceſſaria poſuiſſe, adeóque attentionem etiam, quam eſſe neceſſariam ab huius ſententiæ defenſoribus proponitur. Secundò, quia etiam multi veniunt malè diſpoſiti ad pedes confeſſarij; & tamen præſumuntur ex animo loqui, quandiu non conſtet contrarium. Multi dicuntur confeſſarium vocaſſe, qui illum non curarunt; & tamen Sacerdos tenetur teſtibus credere.... ergo quicumque recitat ſuum *Pater*, credendus eſt ex animo procedere, adeoque petere confeſſionem, ſaltem extremam, quandiu non probatur contrarium.]

16. Sed multò inſufficientior eſt hæc reſponſio, ſiue argumentatio Caramuelis. Et primò quidem, quia non video, vel leuiſſimam conſequentiæ vim in hoc enthimemate: [Hæc propoſitio *A*, eſt probabilis, ſicut & oppoſita: ergo illam ſequitur Caramuel.] Sicut etiam in hoc: [Opinio ſtricta eſt probabilis: ergo illam ſequitur Caramuel.] Deinde, quia ſecundùm Caramuelem *in apolog. de probabilitat.* probabilitas dicit *Praua conſequentia.*

libertatem: vbi autem eſt libertas, quomodo colligitur determinatio ad vnam partem?

Id quod ſecundo loco addit, leuius eſt. 17. Etenim eſt magna diſparitas, ad hoc vt credamus pœnitentem accedere benè diſpoſitum, & ad hoc vt credamus, Sacerdotem recitaſſe attentè. Nam pœnitentem eſſe malè diſpoſitum, eſt grauiſſimum crimen; cuius oppoſitum credere debemus, ſi nullum ſignum eius grauiſſimi criminis cernimus. At recitare ſine attentione Sacerdotem, qui probabile putat, ſe ad attentionem non teneri, non eſt tale; nec vrget nos, vt credamus, eum ſupra obligationem reputatam operatum eſſe. Deinde quia pœnitens dicit, ſe pœnitere, ſe proponere in poſterum: & teſtimonium illius eſt probabilis coniectura. Sacerdos autem ſenſibus deſtitutus non dicit, ſe attentè recitaſſe.

Id, quod ſubdit de teſtibus falsò aſſerentibus, quod pœnitens vocauit confeſſarium, eadem infirmitate laborat. Nam teſtes dant ſaltem probabilem coniecturam: nulla autem datur in caſu præſenti, vt colligamus, Sacerdotem ex duabus opinionibus elegiſſe ſtrictiorem. 18.

Oſtenditur tertiò. Ea formula precationis non eſt reputanda confeſſio ad abſolutionem ſufficiens, quæ fit ab hominibus actualiter peccantibus, vel actualiter exiſtentibus in ſtatu peccati mortalis, putà in concubinatu, odio, retentione rei alienæ, &c. Sed oratio Dominica, & ea eius verba, *Dimitte nobis*, &c. dicuntur communiter ab hominibus vel exiſtentibus in actuali peccato, vel in concubinatu, odio, retentione rei alienæ, &c. ergo ſaltem pro illis hominibus illa non eſt confeſſio ad abſolutionem ſufficiens. Minor patet; cùm omnes illi dicant orationem Dominicam, vt ſupponit Caramuel. Maior probatur. Etenim confeſſio cum actuali peccato, vel cum actuali propoſito peccandi, fictio potiùs eſt, quàm confeſſio. 19. *Non eſt ſufficiens ad abſolutionem diſpoſitio, quæ datur in actualiter peccantib.*

Oſtenditur quartò. Materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ eſt confeſſio, iuxta definitionem Tridentini: ſed ea precatio, *Dimitte nobis*, &c. non eſt confeſſio: ergo ea non eſt materia, nec valet ad Sacramentum Pœnitentiæ. Probatur minor. Confeſſio enim eſt manifeſtatio peccatorum, ſaltem in genere facta Sacerdoti per ſe, vel per alium, vt Sacerdos tanquam Iudex ferat ſententiam: illa autem precatio non fit Sacerdoti à pœnitente per ſe, vel per alium: ergo non eſt confeſſio. 20. *Confeſſio petit eſſentialiter, quod fiat Sacerdoti.*

Reſpondet Caramuel *num.* 1851. nondum ſibi demonſtratum eſſe, [etiam in caſu extremæ neceſſitatis, Pœnitentiæ ſacramentalis inſtitutionem, confeſſionis deſiderium, & petitionem, ſigno externo expreſſa, & confeſſario manifeſtata, exigere.] 21. *Reſponſio.*

Sed mihi demonſtratum eſt, Tridentinam Synodum docere, confeſſionem eſſe materiam Sacramenti Pœnitentiæ; & ſine ipſa ſtare Sacramentum. Mihi quoque eſt demonſtrabile, confeſſionem eſſe manifeſtationem peccatorum, ſaltem in genere factam Sacerdoti, ſaltem per alium; nihil enim demonſtrabilius, quàm ſignificatio nominis, ex communi conſenſu. 22. *Confunditur.*

Sed ad hæc adhuc reſpondet apud P. Arriaga 23.

Digitized by Google

*diſput.*36. *num.* 19. (id deſumpſit ex edit. Francofurt.*n.*1206. nam in editione anni 1657. quatuor, horum aliqua omiſit. Ecce verba P. Arriaga: [Hinc argumentatur. Contritionem intelligit communis ſententia de contritione impropria & imperfecta. Secundò. Confeſſionis vocabulum æquiuocum eſt, & à multis de confeſſione integra materialiter intelligitur. Satisfactio item variè accipitur. Quibus poſitis, ait: Cur temerè ſic Petrus ſecum diſcurret? Eodem modo loquitur Concilium de confeſſione, quo de contritione, & ſatisfactione: atqui ſufficit contritio impropria & imperfecta, nempe attritio; ſufficit etiam ſatisfactio volita: ergo etiam ſufficiet confeſſio impropria & imperfecta, qualis illa eſt, quæ ex vitæ teſtimonio præſumitur. Præterea contritionis nomine Concilium intelligit deſiderium contritionis: ergo & intelliget deſiderium confeſſionis. Poſt hæc petit ſibi demonſtrari aliquo euidenti ſyllogiſmo diſparitatem.]

24. Confunditur vlteriùs reſponſio.

Sed non proceditur ad diſparitatem, cùm paritatis antecedens eſt euidenter falſum. Nam nomen contritionis ipſa Tridentina Synodus explicuit, iuxta cuius explicationem euidens eſt, ibi nomen contritionis eſſe commune contritioni perfectæ & attritioni. Nomen confeſſionis non eſt æquiuocum; nam ex communi ſenſu Eccleſiæ euidenter conſtat eius ſignificatio. Vnde P. Arriaga *ibid.* ſubdit: [Dico, in eo iniuriam fieri Concilio, quòd dicatur, illud æquiuocè & obſcurè locutum; locutum enim eſt adeò clarè, vt non ſciam, quid clarius poſſet optari. Vtitur enim ipſum Concilium voce illa Attritionis, & illam ſufficere expreſsè definit. Vnde potiùs retorqueo manifeſtè argumentum. Circa contritionem expreſsè limitat priora verba, & declarat, quo ſenſu ſit locutum; circa confeſſionem verò nihil limitat. Quo ergo, quæſo, iure tu debes corrigere in hoc verba Concilij, & impropriè explicare, quod illud abſolutè docet?]

25. Huc optarem, vt aduocaretur à Caramuele illa prolixa periodus, quam texit *in Theolog. fundam. num.*1897. *fund.* 66. vt probet dictum Concilij, quod peccata venialia licitè reticeri poſſunt in confeſſione, taliter intelligendum, vt nec per accidens poſſit eſſe obligatio illa confitendi. Cuius periodi partem propoſui *diſput.*46. *num.* 37. *&* 38. Notanda præſertim ſunt illa verba Caramuelis. [Nemini priuato homini conceſſum, vt vniuerſales propoſitiones dictatas & reuelatas ab Spiritu Sancto reſtringat; illæ enim, quæ hodie reſtringuntur, ſummo totius Eccleſiæ conſenſu & conſilio reſtringuntur; & hoc propter rationes fortiſſimas, quæ in præſenti locum non habent. Si enim quæcumque ratiuncula ſufficeret, vt vniuerſaliter latas leges remitteret, & ad aliquos ſingulares caſus reduceret, periclitaretur Decalogus; abblandireris enim tibi, & millenas exceptiones & limitationes delirares. Standum igitur verborum communi acceptioni in Canonum catholicorum materia; vbi non docemur ab Eccleſia, verba eſſe aliter interpretanda.] Hæc ſi Caramuel relegeret, cùm confeſſionem ait in Concilio impropriè intelligendam, profectò id non aſſeruiſſet. Cùm *nemini priuato homini conceſſum, vt propoſitiones reuelatas ab Spiritu Sancto* de materia Sacramenti Pœnitentiæ *reſtringat*, & interpretetur in alio ſenſu, in Eccleſia inaudito. *Standum igitur verborum communi acceptioni in canonum catholicorum materia*; atque adeò in definitione de materia Sacramenti Pœnitentiæ, *vbi non docemur ab Eccleſia, verba eſſe aliter interpretanda.*

26. Videndus omninò P. Arriaga de reliqua eius argumenti materia, quam optimis rationibus confundit. Nec contemnenda eſt, quam deſumit ex eo, quod ſi liceat confeſſionem impropriè accipere, ita licebit & abſolutionem; & valebit, *Deus te abſoluat*: *Credo te abſolutum*, &c. Vide etiam quid dicat de deſiderio contritionis, & deſiderio confeſſionis.

27. Sed maxima & præcipua impugnatio huius argumenti Caramuelis, ſicut & reliquorum, quæ ſequentibus articulis proponentur, eſt, quod retinendo proprietatem confeſſionis in re & nomine, & ſine recurſu ad *Pater noſter*, & ad opera anteactæ vitæ, poteſt ei moribundo impendi abſolutio ſub conditione, vt conſtabit *ex cap.*3.

ARTICVLVS II.

Secundi argumenti diſcuſſio.

28. *An petat confeſſionem, qui facit aliquid, quod non faceret, ſi confiteri nolles?*

SEcundum argumentum pro eadem ſententia proponit *num.*1853. his verbis: [Ille eſt dicendus extrinſecè petere confeſſionem, qui extrinſecè facit aliquid, quod omnino non faceret, ſi confiteri nollet: ſed qui vellet mori impœnitens, & ad infernum ire, non ageret vitam Chriſtianam: ergo ſingulæ vitæ Chriſtianæ actiones ſunt totidem linguæ, quibus homo extrinſecè proteſtatur, ſe velle antequam moriatur, confiteri.]

29. *Si id eſſet probabile, poſſet abſolutio impendi ſine cõditione.*

In primis ſi hæc argumentatio probabiliter concludit, omnes actiones vitæ Chriſtianæ eſſe confeſſiones pro articulo mortis; probabile etiam eſt, poſſe impendi abſolutionem abſolutè, & abſque conditione. Quod ſi improbabile eſt, abſolutionem poſſe concedi abſque conditione, vtique neque hoc argumentum, neque aliquod aliud probabiliter vrget, vt dicatur, ſingulas actiones vitæ Chriſtianæ habere vicem confeſſionis pro mortis articulo. Vide ſuprà *num.*11. *& ſequent.*

30. Secundò, vt vim argumenti diſcutiamus, inſtruamus illud in ſimili. Petrus aſpirat ad Præturam vrbis Hiſpalenſis; vt conſequatur, decreuit merita ſua & maiorum ſuorum ad Regem referre, & ita petere Præturam. Viæ neceſſaria parat, carpit iter, Curiam Regiam ingreditur, certior fit de tempore opportuno alloquendi Regem. Sed numquid præparatio viæ, itineris inchoatio, vel proſecutio, Curiæ ingreſſus petunt aliquid à Rege, aut ſunt petitiones Regi factæ? Minimè. Quid ergo dices ad propoſitionem ſequentem: [Ille eſt dicendus petere à Rege Præturam Hiſpalenſem, qui facit aliquid, quod omnino non faceret, ſi Præturam nollet.] Negabis quidem, quia eſt manifeſtè falſa. Quare? Quia aliud eſt petere à Rege, & aliud diſponere multa, quæ præuiè conducunt ad petitionem faciendam. Eodem ergo modo falſa eſt illa maior. Nam audire Miſſam die feſto, vacare à ſeruilibus, &c. non

Digitized by Google

non eſt confiteri, ſed facere quædam remotè præuia ad confeſſionem poſtremam.

31. *An carpens iter ad confeſſionem, ſi cadat, poſſit abſolui?*

Dices. Si quis adiret confeſſarium causâ confitendi peccata ſua, & in via decederet moribundus; ſi illud conſtaret, abſoluendus eſſet omninò, ſaltem ſub conditione: ergo carpere iter ad confeſſionem eſt quædam inchoata confeſſio. Sed audire Miſſam, vacare à ſeruilibus diebus feſtis, &c. eſt quaſi carpere iter ad confeſſionem poſtremam: ergo audire Miſſam, &c. eſt quædam inchoata confeſſio.

32. Reſpondetur, illum abſolui non poſſe abſque conditione, atque adeò non eſſe probabile, quod illa itineris inchoatio ſit confeſſio peccatorum, ſaltem in generali, iuxta dicta ſuprà *num.*11. An autem abſoluendus eſſet ſub conditione, capite ſequenti decidendum eſt.

33. *Signum requiſitum ad abſolutionem, debet eſſe accuſatio.*

Auditio Miſſæ non eſt accuſatio.

Tertiò refutatur ea argumentatio Caramuelis. Vt aliqua ſit confeſſio ſufficiens ad abſolutionem recipiendam, debet eſſe accuſatio de peccatis, ſaltem in generali; ſiue ſignum externum quo homo ſignificet, ſe peccaſſe, vt conſtat ex propoſitione prima, *num.*9. Sed auditio Miſſæ, vacatio à ſeruilibus, &c. non eſt ſignum externum, quo homo ſignificet, ſe peccaſſe, vt ex ſe patet: ergo auditio Miſſæ, &c. non eſt confeſſio ſufficiens ad abſolutionem impendendam. Præcipuè cùm auditio Miſſæ, & vacatio à ſeruilibus nullam dicat relationem ad claues.

34. Quartò refutatur argumento tertio propoſito *artic. præcedenti.* Etenim non eſt confeſſio illa, quam facit concubinarius, aut vſurarius, qui voluntatem habent perſeuerandi in eo ſtatu peccati: ergo ſaltem eiuſmodi concubinariis & vſurariis auditio Miſſæ, & recitatio Roſatij non eſt interpretanda confeſſio. Vide *num.*19.

Articvlvs III.

Argumenti tertij diſcuſſio.

35. *An actus vitæ chriſtianæ ſint ſigna petendi confeſſionem?*

TErtium argumentum proponit *ibid.*[Nullum ſignum huius voluntatis certius & euidentius iſto (*nempe exercitio vitæ Chriſtianæ*) reperiri: quam ob rem qui conuerſationem orthodoxam & piam diceret non ſignificare extrinſecus animum petentem vltimam abſolutionem, deberet negare omnia ſigna. Certius eſt enim viuentem chriſtianè velle mori chriſtianè, quàm confeſſionem peti ab eo, qui pectus manu percutit, aut cœlum aſpicit.]

36. Sed vel vi huius argumenti eſt probabile, quod exercitium vitæ chriſtianæ vtcumque eſt confeſſio ſufficiens ad abſolutionem; vel non eſt probabile? Si ſecundum; cur intendit probare argumentator, quod eſt probabile? Si primum; poterit ergo abſolui abſolutè & abſque conditione. Cur ergo dicit eſſe improbabile, quod poſſit abſolui abſolutè,& abſque conditione? Vide *num.* 11. *&* 12.

37. Deinde licèt exercitium vitæ chriſtianæ ſit ſignum certum voluntatis habitualis vltimæ abſolutionis, id eſt, ſignum, quod vellet petere illam, ſi aduerteret; tamen nullo modo eſt ſignum accuſationis de peccatis; neque ſignum, quo manifeſtet, ſe eſſe peccatorem, aut ſe peccaſſe: ſine quo eius generis ſigno non ſtat confeſſio. Præcipuè cùm id non ſit ſignum relatum ad claues. Quare fateor, certius eſſe, viuentem chriſtianè habitualiter velle mori chriſtianè, quàm confeſſionem peti ab eo, qui pectus manu percutit; ſed non eſt certius, imò nullo modo eſt ſignum, viuentem chriſtianè, accuſare ſe de peccatis: qui autem pectus manu percutit, dat ſignum, quo credimus, illum dolere de peccatis; quod eſt ſignificare, eo modo quo poteſt, ſe commiſiſſe peccata, & accuſare ſe de illis.

Articvlvs IV.

Diſcuſſio quarti argumenti.

QVartum argumentum, quod proponit *n.* 1854. deſumit ex praxi, qua milites abſoluuntur, cum cadunt in bello lethaliter percuſſi. Sed praxis quorumdam ſingularium Sacerdotum parum probat. Et idem dicendum eſt de abſolutione in bello & extra bellum. 38.

Proſequitur deinde ſic: [Rem vrgeo. Ille poteſt abſolui, etiamſi careat ſenſu, qui dixerit, *Si eò venero, vt caream ſenſu, volo abſolui:* at omnes id extrinſecè dicunt: ergo. Probatur minor. Quoniam omnes actiones conuerſationis orthodoxæ, quæcumque illæ ſint, ſunt extrinſecæ proteſtationes, quibus homo aſſeuerat, ſe velle ſanguine Chriſti frui, & ſaluari: ergo quibus proteſtatur extrinſecè, ſe velle medium ponere vnicum, quod eſt confeſſio: ergo nemo eſt, qui non ſignificet extrinſecè, ſe velle confiteri, & abſolui ante mortem. Rem ampliùs vrgeo. Ponantur duo moribundi, Petrus, & Paulus; ille hæreticus formalis iſte catholicus; vterque tamen carens ſenſu. Titius Petri filius catholicus te vocat, dicitque Patrem ſuum petiiſſe confeſſionem. Anne abſolues Petrum? Abſolues: & tamen periculo res plena eſt: nam filius eſt teſtis ſuſpectus, & qui mentiri poſſit, ne patre in loco profano ſepulto ignominiam incurrat; & tamen vera loqui præſumitur: ergo & poterit abſolui Paulus. Certius eſt enim, Paulum verum catholicum (& probum, ſi velis) noluiſſe ſine confeſſione mori, quàm Petrum formalem hæreticum fuiſſe in agone conuerſum: fortiùs Pauli bonam voluntatem probat, & publicat vita anteacta, cuius ſingulæ actiones catholicæ, totidem externæ confeſſionis extremæ petitiones videntur, quàm voluntatem Petri teſtimonium Titij habentis cur mentiatur.] 39. *An qui dixit, [Si caream ſenſu, volo abſolui,] poſſit abſolui?*

Sed eidem telo ſubeſt hoc argumentum, ac cætera. Nam ſi probabiliter concludit, hanc eſſe confeſſionem, & accuſationem ſufficientem, abſoluatur abſque conditione. Quod ſi improbabile eſt, vt ait Caramuel, quod abſolui poſſit abſque conditione, non erit probabile, illam eſſe confeſſionem, & accuſationem ſufficientem ad abſolutionem ſacramentalem. 40.

Deinde qui diceret ea verba, *volo abſolui,* &c. fateretur ſe peccaſſe, & eſt quædam accuſatio generalis peccatorum. Cæteræ autem actiones vitæ catholicæ, etſi ſint indicia voluntatis habitualis non decedendi abſque confeſſione, dum non exprimunt voluntatem actualem abſolutionis, non ſunt accuſationes, nec per illas homo fatetur ſe peccaſſe. 41.

Digitized by Google

42. *An abſoluendus hæreticus, cuius filius teſtatur, patrem petiiſſe confeſſionem.*

Nec magis vrget caſus ſubſequens. Ille enim hæreticus abſoluendus eſſet ſacramentaliter ſub conditione, propter dicenda cap. ſequenti; quamvis fortaſſe teſtimonium filij eſſet in circumſtantiis, cui ad ſepulturam Eccleſiaſticam non haberetur fides. Nec certius eſt, catholicum in eo euentu feciſſe confeſſionem, aut accuſationem generalem de peccatis: ſolùm enim eſſet certius de voluntate habituali, quod ſi aduerteret, peteret confeſſionem. Signum autem externum huius voluntatis habitualis non eſt accuſare ſe de peccatis, qualiter requiritur ad Sacramentum Pœnitentiæ.

ARTICVLVS V.

Quintum argumentum diſcutitur.

43. *An ad abſolutionem ſufficiat accuſatio virtualis?*

QVintum proponit *num.* 1873. Nam cùm ex Maldero retuliſſet hunc ſyllogiſmum: [Abſolutio eſt actus iudicialis: ſed ad iudicium non proceditur, vbi nulla eſt accuſatio: ergo.] Reſpondet, [diſtinguendo minorem; eſt enim falſa, ſi agatur de accuſatione vera & reali; vera; ſi de virtuali, & præſumptione.] Corrige, *& præſumptiua.*

44. *An delictum gerat vices accuſantis?*

Hinc procedit ad argumentum. [Sæpe enim ex indiciis, & circumſtantiis concurrentibus, ad iudicium proceditur; & ſæpe ipſummet delictum accuſat. Vt rem meliùs intelligas, hunc caſum à te decidendum propono. Bacher captus Bruxellis, dum arctè cuſtoditur in ſecretiſſimo carcere, laqueo inuenitur ſuſpenſus, & damnatur ſtatim; & quia fuit deſperationis reus, per pedes patibulo infauſto ſuffigitur. Anne ſanctè damnatur? In vrbe illa fui, cùm caſus accidit, nec audiui vel vnum, qui contra ſententiam muſſitaret. Sed quis eum accuſauit, obſecro? Quis conuicit? Accuſauit eum, & conuicit vita anteacta, proditiones & ſcelera, de quibus videbatur conuictus, ita vt omnibus conſideratis non aliter videretur occiſus, quàm à ſe. Ergo in tribunalibus indicia, quæ vehementia dicuntur, loco accuſationis & probationis haberi ſolent; & indicia, quæ elidi non poſſunt, æquiualent informationi plenæ. Errant igitur Diana, & alij, ſi ſemper accuſationem veram & realem in iudicio requirunt; & ipſi, velint nolint, debent ſtare à nobis, ſi ſint contenti accuſatione virtuali, & interpretatiua. Hinc ego; quia *præſtat ab hoſte doceri*, iam audentior & doctior eandem rationem ſumo, & meam opinionem ſtabiliam. Sic diſcutro. Abſolutio eſt actus iudicialis: ergo ſicut in iudiciis ciuilibus, proportione ſeruata, ſic etiam in Sacramento Pœnitentiæ proceditur. At in ciuilibus tribunalibus non ſolùm accuſatio vera & realis, ſed etiam virtualis, moralis, & interpretatiua locum habet: ergo etiam in tribunali ſacramentalis confeſſionis. Recognoſcat, obſecro, ſincerus lector conſequentiam vtramque, videatque, an ex Concilio Tridentino illi meliùs ſuam, quàm nos noſtram deducant. Quod ſi euidens ſit, nos meliùs dialecticari, erit euidens etiam, noſtram ſententiam eſſe probabiliorem.]

45. Quomodo autem hæc duo componantur, & quod hæc ſententia ſit probabilior, nempe eam virtualem confeſſionem ſufficere ad Sacramentum, & improbabile eſſe quod Sacerdos poſſit in eo caſu impendere abſolutionem abſque conditione, ego non capio, vt notaui in omnibus articulis præcedentibus, & præcipuè *artic.* 1.

Hoc argumentum Caramuelis impugnat P. Arriaga *tom.* 8. *diſp.* 36. *ſect.* 3. *ſubſect.* 2. *num.* 18. his verbis: [Si ipſius euidentiæ non ſint aliæ, quàm hæ, non adeò mirarer, eum velle habere euidentias pro omni morali materia. Ego dico, euidens eſſe & euidentiſſimum, eum in hoc argumento æquiuocationem paſſum. Primò, quia in hoc differt iudicium ſacramentale ab aliis, quod in hoc accuſatio debet eſſe ab ipſomet reo: ergo requiritur, vt ipſe reus eam faciat: ergo non poteſt deſũmi ex eo, quod deprehendatur etiam in ipſo facto; alioqui ſi ſuperueniam, & deprehendam Petrum ſodomiticè peccantem, quia illa eſt accuſatio virtualis, potero ego illi etiam nihil dicenti dare abſolutionem, quia iam ſe accuſat virtualiter; & talis accuſatio virtualis ſufficit iuxta hunc Authorem. Vide quid probet ea euidens dialecticatio. In aliis iudiciis accuſatio non requiritur vt fiat à reo, ſed à quocumque, & quomodocumque; non enim alio ex capite requiritur, niſi vt iudici conſtet de delicto: vnde in delicto publico non eſt vlla propria accuſatio neceſſaria. Da, iudicem cum multis aliis in eum, quem dixi, ſodomiticè peccantem incidere; non eſt alia tunc accuſatio neceſſaria, ideoque poteſt ipſo facto eos duos adiudicare igni, etiamſi illi centies negent ſe peccaſſe. Quæſo autem, an poſſem abſoluere ſacramentaliter eum, de cuius peccato per meos oculos, & per Dei reuelationem conſtaret; ſi tamen ille negaret ſe peccaſſe, aut non peteret veniam? Ecce quàm leue eſt illud argumentum, vt erroris damnet Dianam, & alios quærentes pro abſolutione ſacramentali accuſationem ipſius rei.] Huc vſque P. Arriaga. 46. *Impugnat vrgenter Arriaga.*

47. *Reſponſio pro Caram.*

Fortè reſpondebit Caramuel ad hoc argumentum, ipſum ſuo argumento non contendere eandem accuſationem, quæ talis eſt in foro externo, poſſe eſſe accuſationem in foro ſacramentali, neque in omnibus tenere paritatem: ſed ſolùm valere ſuum argumentum, quoad accuſationem virtualem in communi; ita vt ſicut in foro externo valet accuſatio virtualis, quæ non ſit realis accuſatio, ita etiam in foro ſacramentali valeat etiam virtualis accuſatio. Quamuis, quia vterque forus differt in eo, quod forus ſacramentalis exigit accuſationem ipſius rei, non verò forus iudicialis externus, quoad hoc non debeat eſſe eadem accuſatio virtualis; quin potius in foro ſacramentali detur accuſatio virtualis conſiſtens in operibus bonis exercitis ab ipſo peccatore; in foro autem externo detur accuſatio virtualis conſiſtens in ipſa patratione delicti publica commiſſa à reo.

48. *Conuincitur.* *Peſſima conſequentia.*

Adhuc tamen non ſatisfacit hæc reſponſio. Nam, vt notaui *diſputat.* 46. *artic.* 1. *cap.* 9. cùm forus iudicialis externus in tam multis differat à ſacramentali, eſt hæc peſſima conſequentia: [Ambo tribunalia conueniunt in aliquibus: ergo conueniunt in hoc.] Sicut eſt etiam peſſima iſta conſequentia: [Aliquod animal eſt homo: ergo iſtud animal eſt homo.] Inde enim

Digitized by Google

enim probabis, iſtud animal, nempe leonem, eſſe hominem. Solùm ergo valet argumentum ab vno iudicio ad aliud in iis prædicatis, quæ ad rationem communem iudicij neceſſaria ſunt. Nam cùm talia prædicata conuenire debeant omni iudicio, conuenire etiam debent foro ſacramentali, qui eſt actus iudicij. Et ideò optimè colligit Tridentina Synodus, Sacerdotes in hoc Sacramento procedere debere cognitâ causâ; quia de ratione iudicij eſt procedere cognitâ causâ.

49. Hinc deſumit nouas vires argumentum P. Arriaga. Nam cùm argumentum Caramuelis procedat à ſimilitudine in aliquibus communi vtrique foro, & inde inferat, idem debere conuenire foro Sacramentali, quod conuenit iudicio externo, fit, quod argumentatio Caramuelis probat plus, quàm argumentator intendit. Et dum argumentator ſolùm intendit, quod in foro pœnitentiæ detur accuſatio virtualis, ex eo quod in foro externo detur accuſatio virtualis; cùm hæc conſequentia non aliunde habeat robur, niſi ex ſimilitudine vtriuſque in aliquibus: ex eodem capite probari poteſt, quod ſicut euidentia delicti gerit vicem accuſationis in foro externo, ita eadem euidentia delicti gerit vicem accuſationis in foro ſacramentali, cùm ad vnum non detur maior ratio, quàm ad aliud. Quæ tamen eſt conſequentia euidenter abſurda: Vnde ſicut hæc abſurdeſcit, ita & prima.

50. Quod ſi dicas, etiam in hoc deficere argumentum Malderi, qui ex eo, quod iudicium externum poſtulat accuſationem formalem, arguit, quod ea etiam requiratur ad forum ſacramentalem; quod argumentum, retorquendo illud in Authorem, ſibi arrogat Caramuel. Reſpondeo, mea non intereſſe, defendere argumenta Malderi: & ſi illud eſt inefficax, oſtendere debuit Caramuel eius inefficaciam, non autem aſſumere vt efficax pro ſua ſententia.

51. Et quia Patris Arriaga in hac materia mentionem fecimus, ſcias oportet, Caramuelem referre *num.* 1876. quod prædictus Pater Arriaga (ſuppreſſo nomine) abſoluerit excellentiſſimum quemdam Armorum Generalem Baltaſarem de Marradas moribundum, nullo dato ſigno confeſſionis, aut contritionis. Tamen P. Arriaga *cit. num.* 35. refert, eum caſum eſſe omninò falſum, quia prædictus Baltaſar confeſſus eſt peccata ſua omninò rationis compos, & ita à P. Arriaga abſolutus. Lege, ſi placet, hanc hiſtoriam apud P. Arriaga *eo num.* 35: ſcio enim tibi placituram.

52. Aliud argumentum ex Caramuele adducit P. Arriaga *numero* 19. deſumptum ex praua quadam interpretatione verborum Concilij Tridentini. Quod tamen in editione Theologiæ fundamentalis anni 1657. qua vtor, non reperio. Fortè in alia editione propoſitum, quia minùs ſolidum inuenit; in hac editione omiſit Caramuel. Ideò ab eo impugnando ſuperſedeo. Videat qui volet apud P. Arriaga cit.

***

ARTICVLVS VI.

Poſtremum argumentum diſcutitur.

NVmero 1868. ſic arguit: [Sicut de Baptiſmo, ſic de Pœnitentia diſcurrere poſſumus, & debemus: ſed catechumenus, qui in morbum lapſus ſenſibus deſtituitur, baptizari poteſt; quia ipſa ſtatûs catechumeni profeſſio ſit Baptiſmi ante mortem ſuſcipiendi petitio: ergo Catholicus, qui in morbum ſimiliter lapſus, ſenſibus deſtituitur, abſolui poterit, quia ipſa ſtatûs Catholici profeſſio ſit abſolutionis ſacramentalis ante mortem ſuſcipiendæ petitio.] Cuius ſyllogiſmi maiorem, paritatem nempe quoad hoc in Baptiſmo & Pœnitentia colligit ex eo, quod Concilium Arauſicanum *cap.* 12. ait, quod *ſubitò obmuteſcens baptizari, aut pœnitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis præteritæ teſtimonium aliorum verbis habet, aut præſentis in ſuo nutu.* 53. *An valeat paritas Baptiſmi?*

Confirmat *num.* 1862. ex P. Carolo Muſart. Nam etiam Sacramentum extremæ Vnctionis requirit, vt ſuſcipiens præſumatur attritus, & vt aliquo modo petat receptionem Sacramenti: atqui extrema Vnctio datur cuilibet à ſenſibus alieno, qui catholicè vixit, quia prudenter præſumitur alienus à peccato, & petere illud: ergo ſimiliter in Pœnitentiæ Sacramento dicendum eſt. 54. *An valeat paritas extremæ Vnctionis?*

Hoc tamen argumentum nihil probat; eſt enim manifeſta diſparitas inter Sacramentum Pœnitentiæ, & alia duo Sacramenta. Nam in his duobus Sacramentis petitio illorum non eſt materia Sacramenti; & ideò abſque actuali petitione ſaluatur tota eſſentia Sacramenti. At in Sacramento Pœnitentiæ requiritur materia, quæ ſit actus pœnitentis; & ideò non ſufficit petitio interpretatiua, ſed petitio; ſiue confeſſio formalis. Quod autem dicitur, ex Concilio Arauſicano colligi paritatem inter Baptiſmum & Pœnitentiam, intelligendum eſt proportione ſeruata, ſecundum exigentiam vtriuſlibet Sacramenti. Nam cùm Baptiſmus requirat voluntatem ſuſcipientis, ne detur inuito, ſufficit voluntas interpretatiua. Cùm autem in Pœnitentia requiratur petitio confeſſionis, ſiue confeſſio pro materia proxima, non ſufficit petitio interpretatiua, ſed formalis requiritur. 55. *Diſparitas inter Sacramentum Pœnitentiæ, & alia duo.*

CAPVT III.

Solidiori fundamento probatur affirmatiua ſententia.

VNicum, ſolidumque fundamentum huius ſententiæ eſt, quod ſolùm tetigere (quos viderim) Petrus Marchantius, & Barthol. à S. Fauſto *cap.* 1. citati. Quoties eſt materia dubia, in moribundo ſenſibus deſtituto, poteſt abſolui ſub conditione: ſed in omni ferè repentino caſu, quo moribundus ſenſibus deſtituitur, eſt materia dubia: ergo in omni ferè repentino caſu eiuſmodi poteſt abſolui ſub conditione. 56. *Cùm eſt materia dubia, poteſt abſolui conditionali.*

Maiorem reputo certam. Nam in eo dubio euentu, Sacramento non fit iniuria, & moribundo 57.

Sacramento non fit iniuria, cùm ex iuſta cauſa datur abſolutio ſub conditione.

bundo æternam felicitatem accedere, eſt contingens: quid ergo obeſt, ne poſſit ſub conditione abſolui? Sacramento non fieri iniuriam ex periculo fruſtrationis, cùm abſolutio datur ſub conditione, conſtat *ex diſp.46.cap.2. num.91*. Nam qui dicit: [Si capax es, te abſoluo,] dicit etiam virtualiter: [Si non es capax, non te abſoluo.] Vnde ſi reipſa non eſt diſpoſitio in pœnitente, ipſe Sacerdos intendit non abſoluere; atque adeò verba abſolutionis non fruſtrantur effectu ſuo. Et quamvis iniuria fit Sacramento, ſi quis dicat lapidi, vel actualiter adulteranti: [Si es capax, te abſoluo,] id non eſt, quia fruſtratur abſolutio, quæ dum conditionalis eſt, non fruſtratur: ſed quia verba ſacra dicuntur irrationabiliter, & abſque cauſa. At quoties datur cauſa iuſta ad impendendam abſolutionem ſub conditione, nulla fit irreuerentia Sacramento.

58. Confirmatur eadem maior. Abſolutio poteſt impendi ſub conditione, quoties eſt iuſta cauſa ad illam impendendam: atqui nulla iuſtior cauſa eſt præ ea, in qua dubitatur, an moribundus ſit rectè diſpoſitus: ergo in hoc dubio impendenda eſt. Maior in multis caſibus oſtenditur. Puero enim ſeptennario, cùm dubito, an ex tenuitate rationis ſit ſufficienter diſpoſitus ad abſolutionem peccatorum, quæ faſſus eſt, impendo abſolutionem conditionalem. Etenim abſolutam non audeo, quia non mihi ſatisfacio de integritate rationis eius, atque adeò neque de diſpoſitione ſufficienti ad abſolutionem: relinquere autem illum deſtitutum beneficio ſanguinis Chriſti, quo fortè indiget, mihi duriſſimum videtur. Ideò iuſtam cauſam inuenio, vt ſub conditione abſoluam. Deinde qui vnum dumtaxat peccatum mortale dubium habet, & illud ſub conditione confitetur: [Si verè commiſi,] ne cogatur confiteri venialia, ad quæ confitenda non tenetur, præcipuè ſi illorum non meminerit, vel renuat confiteri; iuſta ea cauſa eſt, vt abſoluatur ſub conditione, vt dixi *diſputatione 46. num. 93.* Prætereà ſæpiùs contigit, vt dicenti mihi formulam abſolutionis, ſubitum occurrat dubium, an iam abſoluerim, & ne circumſtantes notent, me formam inceptam repreſſiſſe, ſub conditione impendo; [Si fortè non te abſolui:] quæ videtur eſſe iuſta cauſa. Et ſic in multis aliis caſibus.

59. Quod autem nulla iuſtior cauſa ſit ad impendendam abſolutionem ſub conditione, quàm ea quæ interuenit, quando dubium eſt, an moribundus ſit rectè diſpoſitus, patet ex dictis; cùm poſſit prodeſſe homini ad æternam ſalutem, & nulli, nec ipſi Sacramento obeſſe.

60. Poſſe abſolutionem ſub conditione impenſam ei moribundo prodeſſe ad ſalutem, patet. Nam cùm dubium eſt, an ſit rectè diſpoſitus, eſt etiam dubium, an ſit dumtaxat attritus: caſu ergo quo attritus ſit, ſi non impendam abſolutionem, damnabitur; & ſi illam abſolutionem conditionalem impendam, conſequetur ſalutem æternam.

61. Minor verò prioris ſyllogiſmi probatur. Nam cùm video moribundum ſenſibus deſtitutum, fortè non deeſt illi id, quod neceſſarium eſt ad abſolutionem impertiendam: fortè motus labiorum is erat, quo petiuit confeſſionem à Sacerdote id non intelligente: fortè gemitus, quos edebat, erant ſigna externa contritionis, quæ faciunt confeſſionem inchoatam, ſine aduertentia confeſſarij: fortè gemitibus & ſuſpiriis volebat ſignificare deſiderium confeſſionis, & confeſſarij, nec intelligebatur à circumſtantibus deſiderium: fortè crebri reſpirationis ictus imperantur partim ab anxietate deſideratæ confeſſionis, qui tamen videntur eſſe dumtaxat effectus agonis. Ergo dubium eſt, an ex parte ſua illæ actiones externæ fuerint ſufficientes ad confeſſionem, ortæ à diſpoſitione interna.

Aliquando edit ſigna ſine aduertētia confeſſarij.

Confirmatur ex eo, quod narrat Marchantius citatus ſibi eueniſſe: nam cùm incidiſſet in ſubitum morbum, qui facultatem loquendi ei abſtulit, multis ſuſpiriis & gemitibus conabatur ſignificare petitionem confeſſionis; nec tamen intelligebatur à circumſtantibus. Illa quidem erant ſigna ſufficientia ad abſolutionem, eratque rectè diſpoſitus: ergo de cæteris moribundis poteſt eodem modo dubitari, an gemitus, ſuſpiria, vehementes reſpirationis ictus, & ſimilia proficiſcantur à deſiderio petendi confeſſionem, & ſint ſigna externa voluntatis confitendi. 62.

Caſus Marchantij.

Sed quia in aliquibus caſibus eſt maior difficultas, oportet rem ampliùs explicare. Nam confeſſarius denuò accedēs moribundo, etſi ſibi videatur, moribundum eſſe rationis impotem, non tamen certò ſcit; & ideò iure merito poteſt dubitare, cùm ſæpè qui omninò amiſit loquelam, adhuc ſit rationis compos. Moribundus autem tunc aliquas actiones facit, ſaltem gemituum, vel crebræ reſpirationis. Quis ſcit, ſi adhuc rationis compos eos gemitus, eam anxietatem reſpirationis dirigit ad poſtulandam, vel deſiderandam confeſſionem? In quo caſu oportebit, quod confeſſarius coram moribundo clamore intento actum contritionis repetat, vt ſi fortè compos ſui eſt, eam anxietatem reſpirationis, eoſve gemitus referat ad contritionem, & deſiderium confeſſionis exprimendum. Quo caſu dubius confeſſarius, an id ſit ſignum externum confeſſionis, abſoluet ſub conditione. 63.

Praxis confeſſarij.

Quod ſi confeſſarius moribundum clamore intento moneat, vt conſtringat ſibi manum in ſignum ſuæ contritionis, vel vt oculos eleuet in cœlum; nec tamen moribundus exequatur, adhuc duplici ex capite poteſt remanere dubius de confeſſione. Primò, quia ſicut contingit, quod infirmus adhuc rationis compos amittat facultatem loquendi; ita poteſt contingere, quod amittat etiam facultatem motricem, ita vt difficilè mouere poſſit manum, vel contractis, vel laxatis nimium neruis, vel alio modo: & ita adhuc remanet dubium, an ſit rationis compos, an ſit adhuc capax contritionis, an eos gemitus, vel ictus reſpirationis dirigat ad ſignificandam contritionem, & confeſſionis deſiderium. Et ita dubitans confeſſarius, an ea ſit ſufficiens confeſſio, poteſt ſub conditione abſoluere. Secundò, interrogare poteſt confeſſarius adſtantes, an ante aduentum ſuum aliquos gemitus ediderit, aliquos vehementes ictus reſpirationis: & quia non ſtatim ab initio 64.

Digitized by Google

initio deficit vſus rationis, prudenter dubitare poteſt, an cùm eos gemitus vel reſpirationes ab initio edidit, fuerint à rationis compote directæ ad ſignificandam contritionem; & ita eſt dubium, an confeſſionem fecerit per illa ſigna, quæ à circumſtantibus confeſſario manifeſtantur: & ita ſub conditione abſoluere poterit.

65. *Quid ſi ad torturam non edat ſigna manifeſta?*

Sed quid, ſi moribundi crura torqueantur, vt humor ad inferiores partes deſcendens expeditum relinquat caput; & non obſtante torturâ inſenſibilis maneat, & immobilis? Hoc enim videtur ſignum certum, quod eſt omnino ſenſibus, & ratione deſtitutus. Adhuc tamen non euaneſcit omnino dubium. Nam ſi aderat Sacerdos, fortè dum quærebatur, & expediebatur funis ad torturam, moribundus erat rationis compos; defectus enim rationis, ſicut & augmentum morbi ſucceſſiuè aduenit. Fortè tunc adhuc erat ratio ſufficiens ad contritionem, fortè gemitum vel acrem reſpirationem dirigebat infirmus in ſignum contritionis. Præterea poteſt interrogare confeſſarius circumſtantes, quos gemitus, quas reſpirationes ediderit infirmus ante torturam; quæ fortè ille direxit in ſignum contritionis. In quo caſu dubius eſt confeſſarius, an ſufficiens ſignum ediderit: ergo in dubio poterit ſub conditione abſoluere.

66. Confirmatur. Cùm videt confeſſarius, moribundum eleuare oculos in cœlum, propter illud ſignum externum abſoluit ſub conditione, cùm ſignum illud dubium ſit: ergo cùm ſignum eſt dubium, abſolui poteſt ſub conditione. Sed in caſibus prædictis dantur ſigna dubia, nempe quæ enumerata ſunt: ergo in prædictis caſibus poteſt ſub conditione abſolui.

67. *Abſoluendus eſt cùm eſt dubium, an ſigna procedant à contritione, an ab agone.* Sancius.

Et quidem abſoluendum eſſe ſub conditione moribundum, quando dubium eſt, an ſigna, quæ exhibet, procedant à contritione, an ab anguſtia morbi, docet Ioannes Sancius *diſp.* 44. *num.* 35. in hæc verba. [Et ſub dicta conditione impertienda erit abſolutio, quando ambiguitas intercedit, num ſigna ſint ex dolore orta, vel ex angore & anguſtia mortis; cùm prodeſſe poſſit infirmo, & non obeſſe Sacramento: vitatur namque ſacrilegij periculum, conditione appoſita.] Quod idem expreſſit P. Tamburinus *in methodo confeſſ. lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 16. P. Layman. *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 8. *num.* 4. Diana *part.* 3. *tract.* 3. *reſol.* 3. Leand. à SS. Sacram. *tract.* 5. *de Pœnit. diſp.* 5. *quæſt.* 42. Cùm ergo, vt diximus, ferè ſemper poſſit dubitari, an gemitus, vel acres reſpirationis ictus, quos edit moribundus, procedant à contritione; cùm oppoſitum non ſit certum, dicendum eſt in omnibus iis euentibus, in quibus oppoſitum non fuerit certiſſimum, poſſe impendi abſolutionem ſub conditione.

Tamburin. Layman. Diana. Leander.

68. Dices, multos caſus reperiri poſſe, in quibus certum moraliter ſit, deeſſe homini diſpoſitionem neceſſariam. Nam qui in ipſo duello lethaliter vulneratus decidit ſenſibus deſtitutus, præcipuè ſi ſit ipſe prouocator, certum eſt, eum diſpoſitione neceſſaria carere. Deinde qui in ipſo actu adulterij, vel pugione confoditur & ſenſibus deſtituitur, vel naturali morbo caput occupante, ratione deficitur, certum eſt, non potuiſſe attendere ad diſpoſitionem requiſitam; & ſic in ſexcentis aliis.

Ad hos caſus reſpondet P. Tamburinus *in methodo confeſſ. lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 12. his verbis: [Quid, ſi fortè ita, actualiter peccando, ſubitò deſtituatur ſenſibus, vt non poſſit, humanitus loquendo, atteri? Reſpondeo, tunc non eſſe præſumendum attritum, atque adeò nec abſoluendum, docent communiter. Vide Coninck in ſimili *diſp.* 19. *de extrema Vnctione, dub.* 5. citantem Suarium *diſp.* 42. *de Sacram. ſect.* 1. *num.* 10. Sed ego ſub prædicta conditione vix illum regulariter ſine abſolutione dimitterem; non quia velim abſoluere non diſpoſitum, ſed quia rariſſimè euenit, vt tam citò ſenſibus quis, dum actu peccat, deſtituatur; ita vt vicinus morti non velit ſuæ ſaluti conſulere per aliquam attritionem.] Hæc P. Tamburinus.

69. *An aliqui ſint caſus, in quibus non ſit abſoluendus?* Tamburin.

Quibus addo, adhuc in his caſibus non eſſe certum, quod illi homines careant diſpoſitione neceſſaria ad abſolutionem, quin potiùs meritò dubitari poſſe. Nam quomodo ſcis, prouocatorem illum ne vnum quidem momentum habuiſſe, in quo ratione adhuc ſtante, ſignum ederet deſideratæ confeſſionis. Is, qui in actu adulterij ratione priuatur ex morbo ſubito, fortè habuit breuem morulam, in qua aduertit ſibi aduenire morbum; & ſimul conatus eſt deſiſtere ab actu adulterij, & petere confeſſionem; cuius fortè aliquod ſignum præbuit, quod à nemine eſt intellectum: præſertim cùm de miſericordi Dei prouidentia id ita poſſimus præſumere. 70.

In his ergo caſibus eodem modo diſcurrendum eſt, ac in proximè dictis. Nam vel confeſſarius aderat initio morbi repente ingruentis. Et ſic poteſt dubitare, an actiones, quas initio fecit, direxerit in ſignum confeſſionis poſtulatæ, & contritionis exercitæ. Vel confeſſarius aduenit poſt aliquantum tempus. Et ſic poteſt ei relinqui dubium de confeſſione, ſiue ſigno confeſſionis dato, iis omnibus modis, quos in periodis præcedentibus propoſui. 71.

Et confirmantur hæc omnia. Nam hoc diſcurrendi modo retinemus eſſentiam confeſſionis, & Sacramenti Pœnitentiæ in ea communi acceptione, qua illam vſurpant ſacri Canones, Concilia & Theologi. Affirmamus enim ad Sacramentum Pœnitentiæ requiri eſſentialiter ſignum externum, quo homo per ſe, vel per alium ſignificet confeſſario peccata ſua, ſaltem in genere, quando alio modo non poteſt. Et ſolùm addimus id, quod prædictæ aſſertioni non contradicit; nempe quando eſt dubium, an homo dederit confeſſario tale ſignum, ſub dubio, ſiue ſub conditione abſolui poſſe. 72.

Signũ externum confeſſionis eſt requiſitum.

Illud etiam addendum eſt (quæ eſt ſecunda pars concluſionis noſtræ) non ſolùm in his dubiis poſſe præſtari abſolutionem ſub conditione; ſed etiam quemlibet Sacerdotem teneri ſtrictiſſimè obligatione charitatis (etiam eum, qui contrariam ſuſtinet opinionem) ad impendendam abſolutionem ſub conditione ei, qui (ob prædictas actiones dirigibiles ad ſignandam contritionem) non eſt certum quod careat diſpoſitione neceſſaria. Probatur. Quilibet tenetur ſtrictiſſima lege charitatis (ſaltem cùm commodè poteſt) ad ſubueniendum proximo in extrema neceſſitate conſtituto, ſaltem afferendo 73.

In his caſibus tenetur Sacerdos abſoluere.

Digitized by Google

rendo opem dubiam, ſi non poteſt certam aut probabilem afferre: ſed moribundus, de quo dubitatur, an ſignum dederit æquiualens confeſſioni, & an ſit diſpoſitus, eſt conſtitutus in extrema neceſſitate ſalutis æternæ; & Sacerdos occurrens abſque incommodo ſuo poteſt dare illi abſolutionem conditionatam, quæ fortè proderit, opem vtique dubiam: ergo prædictus Sacerdos ex ſtrictiſſima lege charitatis ad id grauiſſimè tenetur.

74. *Confirmatur exemplo famelici, cui dubio alimento ſubueniëdum.*

Confirmatur. Ponamus caſum metaphyſicum ad rei explicationem, in quo homo ſit in extrema neceſſitate, nempe præ fame mortis periculo obnoxius; cui ſolus accedit cæcus habens in manu fruſtum, neſciens an ſit panis nimium ſicci, an ligni; qui cæcus clamoribus pauperis commotus, & de eius extrema neceſſitate certior factus, non poteſt illi aliter ſuccurrere, quàm largiendo panem dubium. Numquid non tenetur grauiſſimè ad eam opem dubiam ferendam; quæ fortè proderit, quia fortè eſt panis? Ergo moribundo in hac extrema neceſſitate conſtituto opis dubia ferenda eſt, dum certior alia ferri non poteſt.

75. *In extrema neceſſitate, baptizandum eſt in materia dubia.*

Confirmatur ſecundò. Nam ſi gentilis moribundus petat Baptiſmum, & non inueniatur niſi materia dubia, v.g. aqua, quæ dubitatur an ſit naturalis, vel artificialis; dum alia certior inueniri non poteſt, teneris ex lege charitatis illum baptizare cum materia dubia, quia fortè proderit; fortè enim eſt aqua naturalis: ergo cùm moribundus catholicus eſt in extrema neceſſitate, ſi ei non poteſt afferri remedium certum, teneris lege charitatis ei afferre dubium, quod fortè proderit. Ergo cùm in iſto caſu (in quo aduertitur gemitus, vel reſpiratio) dubium ſit an ante defectionem ſenſuum moribundus dederit ſignum ſufficiens à nobis non cognitum; & ideò dubium ſit, an habeat diſpoſitionem ſufficientem, poteſt, & tenetur Sacerdos dare abſolutionem conditionalem, quæ fortè proderit.

Paritas.

76. *Tenetur abſoluere etiam Sacerdos opinionis contrariæ.*

Dixi ad id teneri eum Sacerdotem, qui eſt opinionis contrariæ, vt in ſimili notauit P. Vaſquez *tom.4.in 3.part. quæſt.91. art.2. dub.1. num.* 38. Quod ſic probatur. Ille, etſi opinionis contrariæ ſit, poteſt licitè dare ei moribundo abſoluionem, eo quod ſit probabilis hæc ſententia ob authoritatem triginta octo Authorum, quos *cap.* 1. citaui (nam eos, qui negant ſigna, interpretor de ſignis claris, & notis) & propter argumenta non contemnenda huius capitis: ſed qui poteſt licitè ſuccurrere extremè laboranti, etiam opitulatione dubia, ad id tenetur ex lege charitatis: ergo etiam Sacerdos contrariæ opinionis ad id tenetur lege charitatis.

CAPVT IV.

Aduerſantia argumenta ſoluuntur.

77. OPpones primò ſacros Canones, qui videntur huic ſententiæ contradicere. Nam Concilium Arauſicanum 1. *can.* 12. ait: *Subitò obmuteſcens, prout ſtatutum eſt, baptizari, aut pœnitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis præteritæ teſtimonium aliorum verbis habet, aut præſentis in ſuo nutu.* Idem habetur in Concilio Carthaginenſi IV. *can.* 76. & habetur *cap. Si pœnitentiam*, 26.*quæſt.*6. Et Euſebius Papa, vt refertur in decreto Iuonis *part.* 35. & apud Burchard. *lib.*18.*cap.* 11. *Si quis pœnitentiam petens, dum Sacerdos venerit, fuerit officio linguæ priuatus, conſtitutum eſt, vt ſi idonea teſtimonia habuerit, quod ipſe pœnitentiam petiiſſet, & ipſe per motus ſuæ voluntatis aliquod ſignum facere poteſt, Sacerdos impleat omnia, ſicut ſuprà circa ægrotantem pœnitentem ſcriptum eſt.* Ergo ſi pro petitione confeſſionis moribundi non ſint idonea teſtimonia, nec ipſe poteſt nutum exhibere ſufficienter expreſſiuum ſuæ voluntatis, nequit abſolui. Quibus ſimilia ſunt decreta alia.

Reſpondet Caramuel, eos Canones non vti particula *tantùm*, ita vt ſenſus ſit, quod poſſit accipere pœnitentiam tantùm in eo caſu, quo habeat aliorum teſtimonium de confeſſione ſua, vel per ſe poſſit declarare per nutus voluntatem confitendi. Atque adeò Concilium ſolùm dicere quod poteſt fieri in eo caſu; non tamen negare, quod poſſit abſolui deficiente ea conditione. 78. *Incõgrua expoſitio Caramuelis.*

Sed ſanè violenta eſt ea expoſitio. Nam cùm dico: [Si es capax, ego te abſoluo;] vel, [Si non es baptizatus, ego te baptizo;] ex communi ſenſu virtualiter clauduntur hæ propoſitiones: [Si non es capax, non te abſoluo;] & item, [Si es baptizatus, non te baptizo.] Vnde eodem modo intelligitur propoſitio conditionalis ſacrorum Canonum: [Pœnitentiam accipere poteſt, ſi habet teſtimonium;] virtualiter enim claudit hanc: [Si non habet teſtimonium, non poteſt accipere pœnitentiam.] 79. Refutatur.

Dicendum ergo eſt, eos ſacros Canones nihil officere noſtræ ſententiæ, qui dicimus, ad verum Sacramentum pœnitentiæ conficiendum, certiſſimè requiri ſignum externum contritionis, vel deſideratæ confeſſionis, intimatum Sacerdoti per ipſum moribundum, vel per adſtantes; & ſolùm addimus, cùm ſigna ſunt dubia, ſub dubio (id eſt ſub conditione) impendendam eſſe abſolutionem; quæ ſigna dubia ferè ſemper inueniuntur, modo *cap. præced.* explicato. Quo pacto optimè intelliguntur ſacri Canones, dum poſtulant nutus: nam ſigna externa, de quibus prudenter dubitat Sacerdos, an data fuerint à moribundo cauſâ poſtulandæ confeſſione, licèt à Sacerdote non bene intellecta, vtique nutus ſunt. 80. *Hæc ſententia ſacris Canonibus congruit.*

Oppones ſecundò. Hinc inferri, quod baptizandus ſit quilibet Gentilis, vel Mahometanus, qui repente ſenſibus deſtituitur. Nam ſimiliter gemitus, vel vehementes reſpirationis ictus fortè procedunt à deſiderio Baptiſmi. Id autem videtur abſurdum, præcipuè in Mahometano, qui ſemper apparuit pertinaciſſimus. 81. *An baptizãdus ſub cond. infidelis, dum dubitatur de voluntate eius.*

Reſpondetur negando ſequelam. Dubium enim debet eſſe probabile, id eſt, prudens, & quod cadat in hominem prudentem. Non autem eſt probabile dubium, neque cadens in hominem prudentem, quando oppoſitum eſt moraliter certum; quale eſt, quando Infidelis ſemper ſe pertinacem oſtendit. Eſt autem latum diſcrimen inter vtrumque. Nam de homine fideli prudenter dubitatur, an ea ſigna 82. *Dubium debet eſſe prudens, vt baptiſmus detur ſub conditione.*

ſigna ſint contritionis; cùm ex vno capite præſumatur omnem Fidelem deſiderare ſuam ſalutem æternam, & media ad illam; ex alio verò non ſit certum, illum eſſe rationis impotem ad deſiderandum, & ad præbendum ſigna ſui deſiderij. De infideli autem, qui ſemper ſe pertinacem oſtendit, nihil tale præſumitur. Aliud eſt de infideli, qui antea viſus eſt inclinare ad catholicam fidem: cuius ſigna conuerſionis etiam dubia poterunt mouere ad præbendum ſub conditione Baptiſmum.

83. *An ſigna dubia non ſufficiant, quia non manifeſtant?*

Oppones tertiò. Vt fiat confeſſio, debet Pœnitens per ſe, vel per alium manifeſtare peccata confeſſario: ſed per ſigna dubia non fit prædicta manifeſtatio: ergo ſigna dubia non ſunt ſufficientia ad confeſſionem. Probatur minor, quia manifeſtare eſt præbere notitiam indubiam; præbere autem notitiam dubiam, non eſt manifeſtare.

84. *Etiam de euidentia poteſt dari dubitatio reflexa.*

Hæc tamen obiectio militat etiam contra communem ſententiam, quæ aſſerit, quando moribundus exhibet ſigna dubia, vt ſtringere magnum, & ſuſpicere cœlum, abſoluendum eſſe ſub conditione. Reſpondeo ergo, etiam de euidentia poſſe dari dubitationem reflexam; ſæpe enim dubitaui, an ſyllogiſmus aliquis ſit demonſtratiuus, an topicus, qui fortè reuera demonſtratiuus erat. Non eſt ergo contra rationem manifeſtationis, ſeu confeſſionis, quod confeſſarius dubitet, an talis ſit. Ipſa enim in re poteſt eſſe ſufficiens manifeſtatio, qualis requiritur ad ſacramentum, quamvis confeſſarius dubitet, an talis ſit. Et quidem, vt optimè notauit P. Suarez *diſp.* 21. *de Pœnit. ſect.* 4. *num.* 10. Chriſtus D. [ex parte pœnitentis ſolùm poſtulauit, vt ſuam conſcientiam aperiat Sacerdoti, quantum, & qualiter poteſt; dummodo ſignum externum exhibeat; conſcientia enim aperiri non poteſt niſi per ſigna externa.]

85. *Suſpirium ex intētione pœnitentis poteſt eſſe ſignū contritionis.*

Quod amplius declaro. Da, moribundum rationis compotem, & loquendi facultate carentem, non poſſe aliud ſignum edere, quàm gemitum, vel ſuſpirium, & hoc edidiſſe profectum à contritione, & deſiderio confeſſionis. Quamvis iſtud ſuſpirium, vel gemitus non manifeſtet certò voluntatem confitendi, ex intentione tamen hominis moribundi referentis illud ad illum finem manifeſtandi ſuam voluntatem, eſt ſignum externum, quo poteſt intelligi interna eius voluntas. Nam in conuictu humano ſunt quàplurima ſigna eiuſmodi. V. g.

Actiones indifferentes fiunt ſigna ex intentione agẽtis, & circumſt.

Petrus ludebat chartis pictis; & cùm debebat producere chartam A, ipſe producere volebat chartam B: tunc ego cubito clam percutio; & aduertens animum, intelligit, ſe monitum de charta A, prodenda. Numquid illa percuſſio ex ſe eſt ſignum talis chartæ prodendæ? ex intentione tamen mea, qua ad eum finem cubito percuſſi, & ex circumſtantiis, vtique ſignum coniecturale eſt illius. Item Petrus ex inaduertentia non aperit caput, vt debet honoris causâ, adueniente Prætore: ego oculorum nictationem direxi ad Petrum versùs Prætorem; & Petrus aduertens animum intellexit, me illi ſignificare, quod honoris causâ caput apiriat. Sanè oculorum nictatio ex ſe non eſt ſignum honoris exhibendi Magiſtratui: ego tamen per id ſignum intendo illum monere de honore præſtando; vnde ex intentione mea & circumſtantiis, ea nictatio eſt ſignum coniecturale eius rei. Et ſic in ſexcentis aliis.

Sic ergo contingit in præſenti. Nam gemitus ex ſe non eſt ſignum, quo quis ſe fateatur 86.
peccatorem, aut quod confeſſionem & abſolutionem deſideret; ex intentione tamen ſua, & ex circumſtantiis, in quibus non poteſt aliter ſe explicare, & in quibus quiſque præſumitur deſiderare media ſuæ ſalutis, eſt ſignum externum coniecturale deſiderij confitendi. Quando ergo dubitat confeſſarius, an infirmus ediderit illud ſignum ex intentione declarandi voluntatem confeſſionis; verè dubitat, an reuerà detur confeſſio, & materia proxima Sacramenti; atque adeò ſub dubio, ſiue ſub conditione impendere poteſt abſolutionem. Sicut in quolibet alio caſu neceſſitatis in materia dubia poteſt ſub conditione conficere ſacramentum.

Oppones quartò. Si ſemper, aut ferè ſemper abſoluendus eſſet moribundus ſacramenta- 87.
liter ſub conditione, quia ſemper ſunt eiuſmodi ſigna explicita; fieret quod moribundus excommunicatus denuntiatus ſemper abſolueretur ab excommunicatione, vt conferretur ei ſepultura eccleſiaſtica; nam qui ſacramentaliter abſoluitur, à fortiori abſolui poterit (imò debebit ante abſolutionem ſacramentalem) ab excommunicatione; hoc autem falſum eſt, nam ſic omnino fruſtrarentur ſacri Canones præcipientes, ne abſoluatur ad excommunicatione, qui non dedit ſigna contritionis; qui quidem ſupponunt, non ſemper exhiberi ſigna contritionis: ergo falſum eſt, quod moribundus ſemper, aut ferè ſemper ſit abſoluendus.

Reſpondetur primò, ſi omnis moribundus 88.
abſoluendus eſſet ab excommunicatione propter ea ſigna dubia, non fruſtrari ſacros Canones: quia ſunt multi alij caſus, in quibus prædicti ſacri Canones locum habent: nempe illi, in quibus excommunicatus denuntiatus apparet mortuus; neque vllus eſt teſtis, qui affirmet, illum dediſſe ſigna probabilia, vel dubia confeſſionis; in quibus eccleſiaſticâ ſepulturâ carere debent prædicti excommunicati.

Reſpondetur ſecundò, excommunicatum 89.
non toleratum abſolui non poſſe ab excommunicatione in ordine ad eccleſiaſticam ſepulturam & ſuffragia, ſiue ante, ſiue poſt mortem, ſi non dederit ſigna manifeſta pœnitentiæ, ſed tantummodò dubia; quia ſic expreſsè decernitur *in cap. A nobis 2. de ſent. excommunicat.* [Vt ſi de ipſius viuentis pœnitentia per euidentia ſigna conſtiterit, defuncto etiam abſolutionis beneficium impendatur.] Vnde licèt abſoluatur ſub conditione quoad forum internum propter ſigna dubia, non poteſt abſolui abſolutè ab excommunicatione in ordine ad eccleſiaſticam ſepulturam, & ſuffragia. Ratio autem diſparitatis eſt manifeſta. Aliud enim eſt quod requiritur ad ſalutem æternam animæ, & aliud quod requiritur ad honorem ſepulturæ, & ad minuendas pœnas Purgatorij. Hæc enim duo ſunt longè diuerſi generis: hoc ſecundum cum primo comparatum leue eſt, & ferè nullius momenti. Quare Eccleſia ob iuſtiſſimas cauſas potuit hominem priuare ſepultura & ſuffragiis, vbi de eius pœnitentia, & ablatione contumaciæ non conſtat. Hæc autem moralis certitudo, aut probabilitas non requiritur, vt quis

Nequit quis abſolui ab excommunicatione ad ſepulturam, propter ſigna dubia.

Digitized by Google

quis ſacramentaliter abſoluatur in extrema neceſſitate; ſufficit enim dubium prudens, vt ei opis dubia afferatur, quæ fortè proderit.

90. Oppones quintò. In ſcholis Societatis non admittitur hæc propoſitio: *Moribundus, etſi nullum ſignum det aut dederit contritionis, adeo vt Sacerdos nec ſciat, nec prudenter putare poſſit, preceſſiſſe ſenſibilem aliquam confeſſionem, abſolui poteſt.* Hæc autem propoſitio contradicere videtur doctrinæ traditæ: ergo non admittenda.

91. Reſpondeo, doctrinam traditam longiſſimè abeſſe ab ea propoſitione, cùm planè profiteamur, nullam eſſe abſolutionem; & præterea adiungamus quodvis ſignum, quantumvis tenue, datum à moribundo, prudenter putandum eſſe à confeſſario ſignum poſtulatæ confeſſionis, ad eum effectum vt ſub dubio, & ſub conditione abſolutionem moribundo impertiat.

CAPVT V.

Hanc ſententiam ex dictamine reflexo fieri valde probabilem, imò in praxi moraliter certam.

92. EX huc vſque dictis patet, probabilem eſſe ſententiam, quæ docet, abſoluendum eſſe quemlibet moribundum ſub conditione, vbi fuerint prædicta ſigna pœnitentiæ, etiam dubia; quod rarò non continget. Nam triginta octo Authores, (hi ſolùm negant ſigna clara, & nota) & rationes à nobis datæ ſufficiunt ad probabilitatem.

93. Th. Sanch. *In neceſſitate vrgenti ſufficit tenuis probabilitas.* Sed ſi alicui videretur, adhuc modicam eſſe huius partis probabilitatem, ei magnum probabilitatis robur accedit ex ea doctrina, quam tradit P. Th. Sanch. *lib. 2. de Matrim. diſp. 36. num. 8.* his verbis: [Quod aliàs non iudicaretur probabile, facit tale eſſe vrgens neceſſitas, & periculum, quod ex oppoſito ſequeretur.] Quando ſcilicet oppoſita pars non eſt manifeſtè euidens, qualis non eſt in terminis noſtræ aſſertionis. Et *lib. 1. ſum. cap. 9. n. 35.* vbi ſic ait: [In duplici tamen caſu excuſabitur ſequens, aut conſulens opinionem, quæ ita parum probabilitatis habet, vt aliàs amplecti non poſſit. Prior eſt, quando vrget maxima periculi grauis vitandi neceſſitas, quod vitatur ſequendo opinionem non apertè falſam, nec omni probabilitate deſtitutam.]

94. Nauarrus. Quod idem tradidit Nauarrus *cap. inter verba, num. 135. fine,* vbi ita ait: [Licèt quis habeat opinionem alicuius partis, & ſolam alterius formidinem, non tenetur ſequi opinionem, ſi inde magnum imminet alicui periculum, & formido alterius apparentem habeat probabilitatem; quia periculum graue facit, vt in moralibus formido præponderet opinioni.] Sic Nauarrus. Sotus. Quod idem tradit Sotus *de ſecreto, memb. 3. quæſt. 2. concluſione 3.*

95. Cùm ergo non ſit euidens, prædicto moribundo negandam eſſe abſolutionem etiam ſub conditione, ſed potiùs hæc pars aliquam habeat probabilitatem, etſi ea tanta non eſſet, quæ per ſe ſufficeret ad praxim; periculum tamen grauiſſimum damnationis æternæ facit, vt ea ſit in praxi probabilis, & ſecura, cùm nullum maius periculum poſſit excogitari.

Deinde cùm ſit dictamen moraliter certum, quod poſſit quis ſequi opinionem practicè probabilem, & ex dictis conſtet, hanc aſſertionem eſſe practicè probabilem; fit quod ea opinio in praxi ſit moraliter certa ex dictamine reflexo; ſiue quod moraliter certum ſit, poſſe & debere Sacerdotem vti prædicta opinione in omni ea extrema neceſſitate moribundi ſuprà explicata: maximè cùm adeò certum ſit, te in extrema proximi neceſſitate teneri ad afferendum illi opem dubiam, quæ fortè proderit, cùm certam illi afferre non potes. 96. *Hæc opinio ex dictamine reflexo fit practicè certa.*

DISPVTATIO XLIX.

An in articulo mortis requiratur contritio perfecta cum Sacramento Pœnitentiæ, ita vt non ſufficiat attritio cognita?

CAPVT I.

Prænotantur aliqua.

PRÆMITTO primò, opiniones veterum, quæ docebant veram contritionem charitate perfectam requiri ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, non eſſe probabiles; ſed eſſe omninò certum poſt Tridentinum, Sacramentum Pœnitentiæ poſſe conſiſtere cum ſola attritione. Ita affirmat P. Suar. *tom. 4. in 3. part. diſp. 20. ſect. 1. num. 10. & 13.* & omnes DD. communiter. Et patet ex verbis Tridentini. Nam *ſeſſione 13. c. 4.* ait: *Docet præterea, etſi contritionem hanc aliquando charitate perfectam eſſe contingat, hominemque Deo reconciliare priuſquam hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur,* &c. Ex quibus verbis patet, aliquando, & non ſemper contritionem eſſe charitate perfectam, per eamque hominem ante Sacramentum Pœnitentiæ manere Deo reconciliatum: aliquando autem ante Sacramentum Pœnitentiæ, quod per abſolutionem completur, non dari contritionem charitate perfectam, ſed ſolùm contritionem imperfectam. Quod per verba ſequentia magis declarant. Tridentini PP. *Illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam ex turpitudinis peccati conſideratione,* &c. *Et quamvis ſine Sacramento Pœnitentiæ per ſe ad iuſtificationem producere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit.* Vnde patet, attritionem per ſe extra Sacramentum non ſufficere ad iuſtificationem; bene tamen intra Sacramentum Pœnitentiæ, vbi eſt vltima diſpoſitio ad iuſtificationem conſequendam. Cùm ergo doceat Concilium, aliquando contritionem charitate perfectam reconciliare hominem Deo ante Sacramentum, contritionem autem imperfectam non reconciliare hominem Deo ante Sacramentum; in Sacramento autem diſponere ad eiuſmodi 1. *Ex Trid. certum eſt, poſſe conſiſtere ſacramentum pœnitentiæ cum attritione.*

Digitized by Google

eiuſmodi reconciliationem; fit, poſſe dari Sacramentum ſine perfecta contritione, & aliquando dari cum contritione imperfecta. Vnde fit certum, & indubitabile, contritionem perfectam non eſſe per ſe neceſſariò requiſitam ad valorem Sacramenti pœnitentiæ; & conſequenter oppoſitum nullatenus eſſe probabile.

2. *Aliqui docent, ad pœnitentiam requiri contritionem reputatam.* Victoria. Sotus. Ledeſma. Vega. Corduba. *Eo quod ad ſacramẽtum debet pœnitens accedere in gratia.*

Præmitto ſecundò, opinionem eſſe aliquorum aſſerentium, ad Sacramentum Pœnitentiæ non ſufficere attritionem cognitam vt talem, ſed ſaltem reputatam vt contritionem. Ita Victoria *in relectione de poteſtate Eccleſiæ, quæſt.* 2. Sotus *lib.* 2. *de nat. & gratia, cap.* 15. & *in* 4. *diſt.* 18. *quæſt.* 3. *art.* 2. Ledeſma *ſecunda quarti, quæſt.* 20. *art.* 1. Vega *lib.* 13. *in Trident. cap.* 34. *ad* 3. Corduba *lib.* 1. *quæſtionum Theolog. quæſt.* 2. *opin.* 3. *poſito* 2. *& opin.* 4. quos refert P. Suar. cit. *num.* 7. Eo præcipuè ducuntur fundamento, Quod ſancta ſanctè tractari debent: ergo cùm Pœnitentiæ Sacramentum ſanctum ſit, debet homo ad illud accedere cum ſanctitate actuali, quæ in peccatore non poteſt aliunde prouenire, quàm contritione perfecta.

3. *Communis ſententia, ſufficere attritionem cognitam.*

Præmitto tertiò, communem ſententiam, & ab omnibus ferè Authoribus propugnatam, eſſe, attritionem cognitam vt talem, ſufficientem omnino eſſe ad Sacramentum pœnitentiæ. Seriem Authorum texere, qui eam defendunt, longum eſſet. Vide P. Suar. cit. *numero* 9.

4. *An in articulo mortis tutum ſit vti attritione cognita?*

Præmitto quartò, cardinem difficultatis in eo verti, an in articulo mortis poſſimus hac poſtrema ſententia vti. Et ratio dubitandi eſt; nam homo in articulo mortis conſtitutus certam reddere debet ſalutem omni modo ſibi poſſibili: ſi autem ſententia aſſerens attritionem cognitam vt talem ſufficere ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, ita ſit probabilis, vt etiam ſit probabilis oppoſita, & probabile quoque ſit, attritionem cognitam vt talem requiſitam eſſe ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, fiet, quod qui cum ſola attritione cognita confitetur in articulo mortis, non reddat certam ſuam ſalutem. Nam ſicut eſt probabile, quod Sacramentum non valet cum attritione cognita; ita etiam erit probabile, quod qui in articulo mortis cõfitetur cum attritione cognita, non ſuſcipit validum Sacramentum; atque adeò eſt probabile, quod condemnabitur. Vnde vt reddat certam ſalutem ſuam, non poterit vti attritione cognita in Sacramento Pœnitentiæ extremo. Vnde deciſio quæſtionis pendet ab eo, quod inquiramus, an certum omninò ſit ſufficere attritionem cognitam, ita vt oppoſitum non ſit probabile; quo caſu ſufficiet in articulo mortis attritio cognita: an verò probabile ſit, requiri ad valorem Sacramenti contritionem cognitam; quo caſu aſſerendum eſt, in articulo mortis requiri contritionem reputatam, vt homo ſecuram reddat ſuam æternam ſalutem.

CAPVT II.

Quid ſenſerit Caramuel in hac quæſtione?

5. *Caram. attribuit Dianæ, quod liceat exponere ſe periculo damnationis.*

IGitur Caramuel *num.* 521. ſic incipit quæſtionem: [Summâ inconſequentia Diana laborare videtur, cùm dicit *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 98. poſſe ſe exponere hominem periculo æternæ damnationis probabili. Et *part.* 7. *tract.* 11. *reſol.* 29. negat, poſſe ſe hominem exponere probabili peccandi periculo: omnes enim rationes, quæ ſecundum impugnant, diruunt primum; & quæ primum ſtabiliunt, firmant etiam ſecundum. Quamobrem oportet vel vtrumque concedere, vel vtrumque negare.] Circa quod duo notanda ſunt. Primum, à Caramuele ſummam irrogari iniuriam Antonino Dianæ, qui quamvis doceat *ea reſol.* 98. attritionem cognitam ſufficere in articulo mortis, nunquam dixit, poſſe hominem ſe exponere periculo probabili ſuæ damnationis, quin potiùs ſupponit vt certum omnino, ſufficere cum Sacramento attritionem cognitam; vt patet ex eius verbis: [Nemo tenetur, neque ex propria charitate, neque ex alio præcepto ampliùs facere, quàm id, quod Eccleſia docet, ad ſalutem eſſe neceſſarium: ſed Eccleſia per Concilium Tridentinum docet, ad ſalutem, & ad gratiam impetrandam à Deo, ſufficere attritionem cognitam ſimul cum Pœnitentiæ Sacramento: ergo non tenetur quis ad amplius.] Et poſteà colligit tanquam abſurdum, quod non eſſet certa ſententia de attritione ſufficiente ad Sacramentum Pœnitentiæ, ſi in articulo mortis requireretur contritio, iis verbis: [Ex iſta opinione ſequeretur, incertum eſſe, ſufficere attritionem cum Sacramento ad obtinendam ſalutem: ſed hoc dicere eſt falſum: ergo fruſtra requiritur alia certitudo extrinſeca.

Sed per iniuriam id illi attribuit.

6. *Caram. & Diana in his omninò conueniunt.*

Secundum. Si Diana procedit inconſequenter, eadem inconſequentiâ laborare Caramuelem. Nam in primis vterque aſſerit, nemini licere ſe exponere probabili peccandi periculo. Caramuel id aſſerit *num.* 511. & Diana *ea reſol.* 29. *cit.* Deinde ſi Diana aſſerit, in articulo mortis ſufficere attritionem cognitam cum Sacramento Pœnitentiæ, idem omninò docet Caramuel *num.* 532. Nec ſatisfaciet Caramuel, ſi dicat, ideò ipſum aſſerere, quod ſufficit in articulo mortis attritio cognita, quia reputat non eſſe verè probabilem opinionem, quæ requirit attritionem cognitam ad Sacramentum Pœnitentiæ. Nam idem docet Diana, vt patet ex verbis eius ſuprà citatis.

7. *Imponit Suario, quod docuerit, non ſufficere attritionem cognitam, in art. mortis.*

Deinde Caramuel cùm propoſuiſſet punctum difficultatis, an ſcilicet moribundus cum probabilitate ſententiæ aſſerentis, non ſufficere attritionem ad Sacramentum Pœnitentiæ, teneatur elicere contritionem ad reddendam certam & ſecuram ſuam ſalutem æternam? ſtatim *num.* 524. pro affirmatiua ſententia citat P. Suar. *tom.* 4. *in* 3. *part. diſp.* 15. *ſect.* 4. *num.* 17. & *num.* 525. addit, Suarium fuiſſe primum inuentorem huius ſententiæ. Sed debuerat Caramuel non confidere citationibus aliorum, & legiſſe Suarium, ne talem impoſturam illi obiiceret; qui non ſolùm non fuit primus author eius opinionis, ſed nec illam docuit

eo

Digitized by Google

eo loco, quem citat, neque vllo alio. Et quidem P. Suarez docuit, hominem in articulo mortis teneri ad contritionem perfectam ex ea generali præmiſſa, quod datur præceptum contritionis perfectæ; & ſi quando obligat, maximè in articulo mortis. Id tamen eſſe, quia cum ſola attritione, etiam cognita, periculo ſe exponeret ſuæ damnationis, nequaquam docet, ſed omnino oppoſitum. Audi eius verba *n.* 20. [Quod ſi tandem contingeret, hominem in eo caſu mori ſine actu amoris, vel contritionis; & ſine nouo peccato, vel quia raptus eſt priuſquam hoc aduertere poſſet, vel quia illos omiſit ex probabili ignorantia obligationis, ſeu iuris, aut etiam facti, quia videlicet conatus eſt ad talem actum habendum, & putauit ſe habere, re tamen vera non habuit: in his, inquam, caſibus ille homo ſaluabitur; quia tunc neceſſitas talis actus non eſt neceſſitas medij in reipſa omninò requiſiti; ſed præcepti, à cuius tranſgreſſione tunc excuſabitur propter aliquam ex dictis circumſtantiis: & ideò non amittit iuſtitiam, quam per Sacramentum conſecutus fuerat: ergo ex vi illius ſaluabitur. Non poſſumus autem maiori cum certitudine tali homini ſalutem promittere, quàm ſit certa opinio illa, quæ aſſerit, Sacramentum cum ſola attritione cognita iuſtificare, & quàm ſit etiam certum, in illo Sacramento confitendo nullum ſubſtantiale impedimentum interueniſſe.] Ecce quomodo Suarez non requirat contritionem perfectam propter periculum amittendi aliàs ſalutem æternam, & tanquam medium ad illam reipſa omninò requiſitum.

Suarez requirit contritionem perfectam in art. mortis, non ex neceſſitate præcepti.

8. Sed cùm Caramuel *num.* 525. proponeret rationes Authorum affirmantium, ſufficere in articulo mortis attritionem cognitam, hanc ita proponit. [Prima, quia Suarius eſt primus Author opinionis contrariæ: ergo illa non eſt vera. Patet. Incredibile eſt, annis integris mille ſexcentis rem tam neceſſariam, ſi eſſet vera, fuiſſe in Eccleſia Romana ignoratam. Altiùs de Dei miſericordia eſt præſumendum; non enim admittendum eſt, ab illo ita totam Eccleſiam deſeri, vt in re tanti momenti ſemper fuerit decepta.] Hanc rationem tanti æſtimat Caramuel, vt eam ita commendet: [Hæc ratio tametſi moralis ſit, & non metaphyſica, fortis interim eſt, & ſufficiens vt Suarij opinio reiiciatur.] Vbi notandum eſt primò, falſum eſſe antecedens, vt euidenter conſtat ex dictis, P. Suar. non eſſe Doctorem eius opinionis, nedum primum Authorem illius.

Quatuor notanda circa argumentum Caram.

9. Notandum eſt ſecundò, non fuiſſe nouum in Eccleſia Dei exigere contritionem perfectam in articulo mortis, cùm tot, tantique Doctores veteres ante Concilium Tridentinum cenſuerint, eam fuiſſe requiſitam ad effectum Sacramenti conſequendum; & conſequenter eum, qui ſine contritione perfecta moreretur, æternæ damnationis eſſe reum. Eius opinionis fuerunt Magiſter Sent. Hug. & Richard. de S. Vict. Alenſis, & S. Bonauent. Gabriel, Maior, Medina, Adrianus, Petrus Soto, Henricus, Caiet. Ferrar. quos citat P. Suar. ea *diſp.* 20. *ſect.* 1. *num.* 3. & 5.

10. Notandum eſt tertiò. Etiamſi vera eſſet ea ſententia de contritione requiſita in articulo mortis ad effectum Sacramenti conſequendum, & Suarius fuiſſet primus Author illius, perperam dicitur, deſertam fuiſſe Eccleſiam, vt in re tanti momenti ſemper fuerit decepta. Nam ſemper in Eccleſia Dei fuit compertum & intellectum, in articulo mortis vtendum eſſe mediis omninò certis, & quæ ſecuram reddant ſalutem æternam: vnde ab initio Eccleſiæ, ea edocta fuit, vt in quovis huius generis dubio ſecurius medium amplectendum eſſet. Et ex hoc generali dictamine ſufficienter prouidit Deus quidquid opus fuit ad articulum mortis.

Notandum eſt quartò, quod cùm à tempore Magiſtri vſque ad tempus Tridentini reputata fuerit probabilis doctrina, quæ requirit contritionem perfectam ad effectum Sacramenti, interrogandus eſt Caramuel, an ſtante dictamine de probabilitate vera eius doctrinæ, poſſet moribundus vti attritione cognita, vel non poſſet? Si primum dicat, contrarius ſibi eſt, & ſuæ tertiæ concluſioni, quæ ita habet: [Si eſt verè probabilis opinio quæ contritionem veram cum Pœnitentiæ Sacramento requirit, infirmus non poteſt licitè cum attritione ex hac vita diſcedere: non enim ſe poteſt exponere probabili æternæ damnationis periculo.] Si verò dicat ſecundum, quod in toto eo tempore teneretur moribundus vti contritione perfecta; ipſe ſibi obiiciat ſuum argumemtum. Nam ſimiliter incredibile erit, quod annis mille centum res tam neceſſaria, ſi eſſet vera, fuiſſet in Eccleſia Romana ignorata vſque ad tempus Magiſtri Sent. qui primus cognoſcitur id docuiſſe; & quod non eſt admittendum, à Deo ita totam Eccleſiam deſeri, vt in re tanti momenti tanto tempore fuiſſet decepta. Et tamen certum eſt, quod ſtante eo dictamine de probabilitate opinionis Magiſtri, quilibet moribundus tenebatur elicere contritionem perfectam. 11.

Deinde Caramuel accedens ad reſolutionem quæſtionis, in concluſione quinta affirmat, infirmum in articulo mortis non teneri ad contritionem, *ſed ſufficere, ſi confiteatur etiam cum attritione cognita.* Ratio autem, quare non ſe exponat periculo damnationis, eſt, quam tradit concluſione quarta, ſcilicet quia abſolutè loquendo, non eſt probabilis propoſitio, quæ ait, non ſufficere ad iuſticationem attritionem cum Sacramento, licèt dicatur eſſe tenuiter probabilis, eo quod præ ſe fert nonnullam probabilitatis vmbram; ad veram autem probabilitatem non aſcendit. Cùm ergo ea opinio non ſit verè probabilis, oppoſita, quæ docet, ſufficere attritionem cum Sacramento Pœnitentiæ, certa eſt; & ideò moribundus, qui illam ſequitur, non ſubit periculum damnationis, ſed ſecurus decedit. 12.

Ait, tutò ſufficere attritionem cognitā in art. mortis, quia oppoſita opinio non eſt probabilis.

Cæterùm Caramuelem non ſatisfacere quæſtioni, ſic oſtendo. Si eſt probabilis ſententia, quæ docet, non ſufficere ad Sacramentum Pœnitentiæ attritionem cognitam, infirmus non poteſt licitè cum attritione cognita ex hac vita decedere: ſed ea opinio probabilis eſt, & eſſe debet Caramueli: ergo infirmus non poteſt licitè cum attritione cognita ex hac vita diſcedere. Maior eſt Caramuelis, qui in hac quæſtione eam ſæpe inculcat. Minor probatur. Ea opinio ſecundùm Caramuelem eſt probabilis, quæ habet pro ſe quatuor Authores, imò vnum Authorem, vt docet *in Theolog. fund. num.* 448. 13.

Caram. non ſatisfacit quæſtioni.

&

& ſæpe alibi : ſed opinio , quæ aſſerit , ad Sacramentum Pœnitentiæ eſſe omninò requiſitam contritionem, ſaltem reputatam, haber pro ſe pluſquam quatuor Authores , vt conſtat ex capite primo : ergo illa eſt probabilis : ergo oppoſita non eſt certa : ergo qui cum illa moritur, decedit è vita ſine certitudine,quam poſſet habere conando ad contritionem perfectam.

14. Reſpondebit primò , opinionem quatuor Authorum eſſe improbabilem, & certò falſam, quando quatuor Authores decidunt contra principium certum. Atqui principium certum eſſe , non requiri ad Sacramentum contritionem charitate perfectam , neque contritionem cognitam vt attritionem ; ſed ſufficere attri-
15. tiouem cognitam vt talem.

Sed eam opinionem non eſſe improbabilem & certò falſam in ſenſu à ſuis Authoribus in-
16. tento,conſtabit ex dicendis *cap. ſequenti.*

Reſpondebit ſecundò , id quod aſſeruit *fundam.66. num.* 1827. vbi ſic ait : [Inquirimus, an ſit probabilis ſententia , quæ contritionem cum Sacramento Pœnitentiæ requirit ? Si ſtamus nudæ rationi , mihi non videtur probabilis. Sed quia non caret omninò authoritate, potero ſubſcribere P. Ioanni Ionge , Societatis Ieſu Sacræ Theologiæ Profeſſori Louanij, qui ſemel me præſente , in Theologica diſputatione præſidens dixit , *hanc opinionem eſſe tenuiter probabilem* , hoc eſt , ferè improbabilem. Rationem , quæ me ducit , propono. Sacramentum Pœnitentiæ priuilegium eſt : ergo aliquem fauorem concedit. Atqui ſi contritionem & confeſſionem ſimul exigeret , non eſſet fauor, ſed grauamen : ergo. Probatur minor. Quia ante pœnitentiæ inſtitutionem ſola contritio ad iuſtificationem ſufficiebat : ergo hodie cùm tenemur habere confeſſionem in re , vel in voto , grauamur. Ergo dicendum eſt , priuilegium hoc ad hanc formam poſſe reduci. Videlicet ſi Chriſtus dicat : *Debet mihi peccator contritionem ; & quia hic actus eſt ſummè difficilis, ero attritione, & confeſſione contentus.*

An quia id Sacramentũ eſt priuilegiũ, non requirat contritionem perfectam.

17. Sed hæc vehementer diſplicent propter tria. Primum , quia licèt ea opinio eorum Doctorum ſit probabilis , ea tamen non docet , contritionem charitate perfectam eſſe requiſitam ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ , vt conſtabit *ex cap. ſequenti.* Secundum , quia etſi opinio eorum Doctorum ſit tenuiter probabilis , non tamen eſt tenuiter probabile , ſed certiſſimè falſum,non ſufficere ad valorem Sacramenti attritionem cognitam; quæ debuit diſtinguere, & exprimere Caramuel, iuxta dicenda *cap. ſequenti.*

Ne tenuiter quidem eſt probabile, requiri, ad valorem Sacramenti,contritionem reputatam.

18. Tertium. Quia potiùs eſt tenuiter probabilis ratio à Caramuele allata. Vnde enim probat , Sacramentum Pœnitentiæ debere eſſe priuilegium in eo ſenſu ? Prætereà magis grauari videtur conditio humana , per hoc quod homo obſtringatur aperire peccata ſua alteri homini , quàm per hoc , quod eliciat actus internos. Quamvis abſolutè confeſſio non debeat dici grauamen , attentis auxiliis gratiæ à Deo collatis ad illam faciendam ; & attentis effectibus , quos pœnitens conſequitur ex opere operato , vt ait Concilium Trid. *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. *de Sacramento Pœnitentiæ.* Quare hæc res maiori indiget explicatione

CAPVT III.

Statuitur vera reſolutio huius difficultatis.

DEpendet vera huius difficultatis reſolutio à vera intelligentia opinionis aſſe- 19.
rentis , requiri ad Sacramentum Pœnitentiæ contritionem ſaltem reputatam , neque ſufficere attritionem cognitam , nam eam doctrinam veterum Theologorum , quæ perfectam charitate contritionem , cognitam vt talem , requirit ad Sacramentum Pœnitentiæ, poſt Tridentinum nullo modo eſſe probabilem , conſtat ex capite primo. Et quidem poteſt dubitari , an ea opinio requirat attritionem, reputatam vt contritionem , ad hoc vt Sacramentum ſuſcipiatur validè , an ſolùm vt ſuſcipiatur licitè. Etenim ſi ſolùm requiritur contritio reputata , vt Sacramentum ſuſcipiatur licitè ; caſu quo aliquis ex opinione probabili , & cum bona fide vtatur attritione cognita vt tali ; non peccabit , nec Sacramentum reipſa exponetur defectui ; neque vllum impedimentum apponetur iuſtificationi. In quo caſu moribundus non exponitur damnationi , cùm Sacramentum Pœnitentiæ ſuum valorem habeat , & effectum reipſa ſortiatur. Si verò ſecundùm illorum Authorum ſententiam requiratur attritio reputata vt contritio ad valorem Sacramenti ; & conſequenter ad eius effectum conſequendum,quamvis bona fide vtatur attritione cognita , ſi ea opinio vera eſt in re , Sacramentum reipſa erit nullum ; quamvis propter opinionem probabilem contrariam non teneatur pœnitens illud iterare. Et ita ſi probabile eſt,contritionem reputatam requiri ad valorem Sacramenti, tenetur moribundus conari ad actum contritionis perfectum. Nam iuxta eam doctrinam probabile erit , quod ſine contritione reputata, aut cum contritione cognita non valet Sacramentum Pœnitentiæ : ergo probabile eſt,quod moribundus cum contritione cognita non iuſtificatur : ergo incurrit periculum probabile damnationis æternæ ; quod vt vitetur, tenebitur ad contritionem conari. Pro cuius rei deciſione.

An ea opinio requirat contritionem reputatam , vt validè, an vt licitè recipiatur Sacramentum.

Et quid interſit inter vtrumlibet?

Dico primò. Probabilis ſententia eſt , quæ 20.
docet requiri contritionem reputatam , vt licitè ſuſcipiatur Sacramentum Pœnitentiæ.Primò propter Authores citatos capite primo,qui hoc ſaltem contendunt. Secundò propter rationem,quam ij Authores adducunt, ſcilicet ſancta ſanctè tractanda eſſe ; atque adeò debere peccatorem ſe diſponere media contritione perfecta , quæ iuſtificationem operatur , vt ita cum iuſtificatione præuia accedat homo ad Sacramentum Pœnitentiæ;quod non eſt improbabile, præcipuè cùm in hac ſententia verificetur, multos eſſe caſus , in quibus homo ſola attritione iuſticatur ; atque adeò ſaluetur definitio Tridentini propoſita ſuprà *num.* 1.

Non eſt improbabile, requiri contritionem reputatam , vt licitè recipiatur Sacramentum.

Dico ſecundò. Non eſt probabile,nec tenui- 21.
ter probabile , requiri ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ contritionem reputatam : adeoque

Digitized by Google

Nullo modo eſt probabile, requiri contritionem reputatam ad valorem Sacramenti.

que omninò certum eſt, & indubitabile, validum eſſe Sacramentum, & effectum ſuum ſortiri cum ſola attritione cognita, quando cum bona fide Pœnitens accedit ad Sacramentum. Probatur primò. Nam Authores exigentes contritionem reputatam, ſolùm exigunt illam, vt licitè accedat Pœnitens ad Sacramentum, propter præceptum contritionis perfectæ, quod exiſtimant obligare, quoties peccator accedit ad Sacramentum Pœnitentiæ. Et ita Sotus, qui dicitur fuiſſe primus Author eius opinionis de contritione reputata. Qui loco citato ſolùm dixit, requiri contritionem vi præcepti, quod obligat, quoties Eccleſia præcipit confiteri: nunquam verò dixit, Sacramentum ſuo effectu fruſtrari, caſu quo bona fide quis accedat cum attritione cognita. Quod ampliùs expreſſit Corduba citatus, dum ait, quacumque ratione homo excuſetur ab impletione præcepti, ſiue per ignorantiam facti, quia putat ſe eſſe contritum; ſiue per ignorantiam iuris, quia exiſtimat ſibi licere accedere cum attritione, illum conſequi effectum Sacramenti. Et ideò P. Suar. optimè dixit, iuxta horum Authorum mentem, ſolam attritionem in re eſſe ſufficientem diſpoſitionem ad effectum Sacramenti; requiri verò contritionem, ſaltem reputatam, ſolùm ratione præcepti. Cùm ergo nullus Author requirat contritionem reputatam ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, eiuſque effectum conſequendum, caſu quo pœnitens bona fide accedat; dicendum eſt, eam opinionem non eſſe probabilem, quoad fruſtrationem valoris.

Hæc eſt mens Authorum eius opinionis.

Sotus.

Corduba

22. *Falſa exiſtimatio contritionis nequit requiri ad valorem Sacramenti.*

Probatur ſecundò. Nam ex Concilio Tridentino, vt *cap.* 1. probauimus, euidenter conſtat, attritionem cum ſacramento conferre primam gratiam. Exiſtimatio autem contritionis, quæ non datur, prodeſſe poteſt, vt homo habens præceptum contritionis, ſatisfaciat conſcientiæ ſuæ, adeoque ſatisfaciat ei præcepto operando licitè, & non peccando. Euidens autem eſt, eam exiſtimationem falſam, & erroneam, ſecluſa obligatione præcepti, non poſſe requiri per ſe ad valorem Sacramenti; & ad effectum illius conſequendum; cùm ea exiſtimatio falſa non augeat dolorem, neque diſpoſitionem ad Sacramentum. Vnde ſi homo bona fide credit, non dari præceptum contritionis, & reipſa habet attritionem cum Sacramento; euidens eſt, quod habet totum, quod petit Concilium: ergo certum omninò eſt, contritionem exiſtimatam non requiri per ſe ad valorem Sacramenti, neque ad eius effectum conſequendum; ſed ſi ad aliquid requiritur, requiri ſolùm ad impletionem præcepti. Non eſt ergo probabilis doctrina, quæ oppoſitum intendat. Et ideò P. Suar. capite præcedenti citatus in poſtrema parte periodi dixit, certam omninò eſſe doctrinam quæ aſſerit, *ſacramentum cum ſola attritione cognita iuſtificare.*

23. *Moribundo ſufficit ad valorem Sacramenti attritio cognita.*

Hinc manifeſtè infertur reſolutio præcipuæ difficultatis: quod ſcilicet moribundus bona fide accedens ſine contritione perfecta ad Sacramentum Pœnitentiæ, & cum ſola attritione cognita, non tenetur ad amplius ad eum finem, vt validum reddat Sacramentum. Probatur. Si ad amplius teneretur, eſſet, ne ſubiret probabile periculum ſuæ damnationis, quod oriretur ex probabilitate doctrinæ aſſerentis, ad effectum Sacramenti conſequendum eſſe per ſe neceſſariam contritionem reputatam, nec ſufficere attritionem cognitam: ſed, vt conſtat ex aſſertione præcedenti, ea doctrina non eſt probabilis; ſed oppoſita omninò certa: ergo moribundus ad amplius non tenetur.

CAPVT IV.

Obiectionibus occurritur. Vbi an ex alio titulo teneatur moribundus ad actum contritionis perfectæ.

Obiicitur primò. Dolor peccati debet proportionari cum accuſatione peccati in Sacramento Pœnitentiæ; ſic enim eadem tendit viâ pœnitentia oris, & cordis: ſed accuſatio eſt de offenſa Dei: ergo dolor eſſe debet de offenſa Dei. Sed dolor de offenſa Dei formaliter includit contritionem perfectam; attritio enim potiùs reſpicit pœnam gehennæ, vel ſimile motiuum: ergo requirit contritionem perfectam. 24.

Sed inefficacia huius argumenti ex eo manifeſtè deprehenditur, quod requirit ad ſacramentum veram contritionem perfectam, & non ſolam contritionem cognitam; quod eſt apertè contra Tridentinum, vt vidimus *cap.* 1. Reſpondetur ergo, omiſſa maiori, diſtinguendo minorem; accuſatio eſt de offenſa Dei materialiter ſumpta, concedo; formaliter, nego. Sufficit enim, quod peccator ſua detegat peccata confeſſario ad remiſſionem comparandam, quamvis non dicat, ſe accuſare de illis, quia ſunt offenſæ Dei. Quo pacto etiam conſequens diſtingues. 25.

Quomodo accuſatio debeat eſſe de offenſa Dei?

Obiicitur ſecundò. Peccatum eſt auerſio à Deo, & conuerſio ad creaturam: ergo non deletur peccatum, niſi fiat auerſio à creatura, & conuerſio ad Deum. Sed conuerſio ad Deum eſt dilectio Dei: ergo deletur peccatum per contritionem dilectione Dei formatam. Confirmatur. Qui peccat lethaliter, diligit creaturam pluſquam Deum: ergo vt deleatur peccatum, requiritur quod diligatur Deus pluſquam creatura. Id autem fit per contritionem charitate formatam: ergo hæc requiritur. 26.

Quomodo ad remiſſionem requiratur conuerſio ad Deum?

Hoc argumentum laborat eodem vitio, eodemque tenore militat contra doctrinam Tridentini. Reſpondetur ergo diſtinguendo minorem; niſi fiat auerſio à creatura, & conuerſio ad Deum, [habitualiter,] concedo; [actualiter, ſiue per actum formalem conuerſionis,] nego. Itaque peccator confitens cum attritione cognita, conuertitur ad Deum per habitum gratiæ & charitatis, quem in Sacramento Pœnitentiæ comparat. Ad confirmationem dic ſimiliter, remitti peccatum, non neceſſariò per dilectionem Dei actualem, ſed per habitualem, datam in Sacramento Pœnitentiæ virtute abſolutionis. 27.

Obiicitur tertiò. Homo per Sacramentum Pœnitentiæ fit de attrito contritus: ſed non poteſt fieri 28.

Quomodo per Sacramentũ fiat quis de attrito contritus?

fieri contritus, niſi per contritionem perfectam, ſaltem reputatam: ergo contritio ſaltem reputata requiritur ad effectum Sacramenti conſequendum. Reſpondetur, hoc eſſe minùs efficax; nam contritio reputata, quæ reuerà non eſt contritio, non poteſt dare attritioni effectum contritionis ratione ſui, niſi per aliquid aliud. Reſpondetur ergo, in hoc Sacramento hominem fieri de attrito contritum, contingere duobus modis. Primò quoad effectum iuſtificationis; ſicut enim contritio charitate formata daret homini iuſtificationem, ita attritio cum Sacramento dat homini iuſtificationem & primam gratiam. Secundò habitualiter, quia dat homini habitum charitatis, cuius actus eſt dilectio, & contritio perfecta.

Moribundum teneri ad actũ charitatis ex præcepto, certum eſt.

29. Inqnires, an moribundus, licèt propter valorem Sacramenti non teneatur ad contritionem charitate perfectam, ſaltem ad illam teneatur ex alio titulo? Et quidem grauiter teneri moribundum ad eliciendum actum charitatis, apud me certum eſt. Nam ex decreto nouiſſimo Alexandri VII. cuins tenorem propoſui *diſp. 9. cap.* 20. conſtat eſſe improbabile, quod homo non teneatur in tota vita elicere actum charitatis. Quod ſi aliquando vrget graue præceptum eliciendi actum charitatis, maximè in periculo, vel articulo mortis; cùm id ſit tempus omnium opportuniſſimum eliciendi actum charitatis.

An ad ſecuritatem ſalutis æternæ teneatur ad actum charitatis? Et videtur affirmandum.

30. Præcipua difficultas eſt, an grauiter homo teneatur ad illum eo titulo, vt ſecuriorem reddat ſalutem æternam. Et videtur certum, quod homo teneatur hoc titulo. Primò. Quia *neſcit homo, vtrum amore, an odio dignus ſit.* Eccleſiaſtæ 9. idque etiam poſt ſuſceptum Sacramentum: ergo etiam poſt ſuſceptum Sacramentum neſcit homo, an ſit in ſtatu ſalutis æternæ: ergo tenetur, quantum poteſt, certam & tutam reddere ſalutem ſuam: quæ certa & tuta redditur per actum charitatis.

31. Et confirmari poteſt ex Trid. *ſeſſ. 6. cap.* 11. vbi dicitur, neminem ſine ſpeciali Dei reuelatione ſcire poſſe, ſe eſſe ex electis à Deo: ſed qui non eſt certus de ſua æterna ſalute, debet illam reddere tutam, quantum poſſit; & illam ſecuriorem reddit ſuperaddendo actum charitatis: ergo ad id tenetur.

32. Secundò, quia Petrus non eſt omninò certus, ſe eſſe baptizatum, cùm non ſibi euidenter conſtet de intentione baptizantis: item non conſtat ei euidenter de valore Baptiſmi, & Ordinis Sacerdotalis ſui confeſſarij, atque adeò neque de valore abſolutionis in ipſum collatæ; quorum valor ſi à parte rei deſit, amittet ſalutem æternam, ſi peccauit in vita ſua lethaliter, & poſt peccatum non elicuit actum charitatis: ergo vt certiorem & ſecuriorem reddat ſalutem ſuam, & non maneat expoſitus contingentiæ damnationis æternæ tenetur illam tutiorem reddere quantum poteſt, nempe eliciendo actum charitatis.

Ratio in contrarium.

33. Pro parte autem negatiua argui poteſt. Nam ſi poſt ſuſceptum Sacramentum, ideò tenetur homo ad actum charitatis, quia non eſt certus de effectu iuſtificationis conſecuto per Sacramentum; etiam poſt elicitum actum illum charitatis, adhuc eſt incertus de iuſtificatione ſua, cùm adhuc neſciat, an elicuerit illum perfectè. Vnde fiet quod toto tempore periculi & articuli mortis non debeat ceſſare ab actibus charitatis, quia poſt quemlibet actum charitatis adhuc non ſcit euidenter, ſe iuſtum eſſe. Id autem videtur onus intolerabile, præcipuè cùm à nemine Theologo id requiratur.

Debet ſecurum ſe reddere per actũ charitatis.

Adhuc tamen mihi indubium eſt, moribundum teneri ad actum charitatis, non ſolùm ex præcepto charitatis, ſed etiam ex præcepto reddendi ſecuram ſalutem ſuam, quantum poſſit. Quia firmiùs quis poteſt iudicare de ſecuritate valoris actus à ſe eliciti, quàm de ſecuritate valoris Baptiſmi, ordinationis, & iuriſdictionis Sacerdotis abſoluentis: ergo poſt abſolutionem ſuſceptam adhuc reſtat medium ſecurius, nempe actus charitatis, quo quis tutiorem reddat ſuam ſalutem æternam. 34.

Neque inde infertur, quod teneatur moribundus inceſſanter elicere multiplices actus charitatis. Quia ſecundus actus charitatis non eſt medium certius & ſecurius primo, ſi primus elicitus eſt cum tota attentione & intentione animi. Quod ſi dubitet de tali attentione & intentione animi circa primum actum, tenebitur ad ſecundum. 35.

Nec in hoc aliquod nouum ponimus, cùm omnes admittant ex præcepto charitatis teneri moribundum ad eum actum; & nos ſolùm ſupperaddamus nouum titulum eius obligationis, nempe maioris ſecuritatis ſalutis æternæ. 36.

Sed non requiritur cum formali deteſtat one peccatorum.

Et hinc patet, ex hoc titulo non requiri actum formalis contritionis & deteſtationis peccatorum; ſed ſufficere actum charitatis. Iſte enim eſt diſpoſitio vltima ad iuſtificationem; qua poſita, neceſſe eſt hominem iuſtificari. 37.

DISPVTATIO L.

An qui ex obliuione, vel inaduertentia non expoſuit peccatum lethale in confeſſione, liber maneat ab obligatione id confitendi?

CAPVT I.

Quid in hac quæſtione ſcripſerit Leander à Murcia?

Pars affirmatiua ex parte damnata eſt ab Inquiſit.

PARS affirmatiua quæſtionis ex parte damnata eſt à ſupremo Fidei Tribunali Hiſpano in Indice expurgatorio anni 1640. in Petro Cornejo, quatenus docuit, ſi quis oblitus fuerit peccati mortalis in confeſſione præuia ad communionem Euchariſtiæ, & ante talem communionem opportuno tempore recordatus fuerit, teneri præuiè ad communionem illud confiteri. Sed cùm Leander à Murcia, ſecutus Caramuelem, vt conſtat 1.

Digitized by Google

ex diſp. 9. caput. 2. fin. aſſerat, propoſitionem non priuari ſua probabilitate, quantumvis prohibita ſit vel ab ipſo Summo Pontifice; ideò auſus eſt partem affirmatiuam huius quæſtionis proponere ad inſtar opinionis probabilis. De damnatione autem huius opinionis facta ab Alexandro VII. vide in fine huius diſputationis.

Damnata ab Alexandro VII.

2. *Murcia. Neminem teneri ad confitendum peccatum mortale ex obliuione omiſſũ in confeſſione.*

Itaque prædictus Leander *lib. 2. diſquiſition. diſput. 4. reſol. 25.* inſtituens præfatam quæſtionem, proponit primam ſententiam aſſerentem, neminem teneri ad confitendum id peccatum mortale, ex obliuione, vel inaduertentia omiſſum. Auſpicatur enim reſolutionem illam his verbis: [In hac difficultate prima ſententia negat, teneri quempiam fateri ea peccata, quæ poſt diligentem diſcuſſionem & examen conſcientiæ, illi memoriæ non occurrunt.] Probat hanc ſententiam octo argumentis, quæ mutuatus eſt ex Caramuele. Nam plura, quæ Caramuel affert ad probandum, non eſſe confitenda peccata dubia, ipſe transſcribit ad probandum, non eſſe confitenda peccata oblita in confeſſione; ita vt ſæpè eadem formalia verba ipſius vſurpet. In quorum fine aſſerit, ſe vidiſſe Neapoli tractatum pro prædicta ſententia compoſitum à quodam viro Docto Capuccino, cui ſubſcripſerant pluſquam duodecim Docti ex Neapolitano Regno, præter alium virum doctum, qui Romæ eandem ſententiam tanquam veriſſimam tuebatur. Proponit deinde quinque argumenta contra eam ſententiam, quibus omnibus exhibet ſolutionem, aſſerens ita reſpondere illos eius ſententiæ Authores.

3. In reſponſione autem poſtremæ obiectionis adducit ſententiam Petri Cornejo à Tribunali Inquiſitionis expunctam, quod qui confeſſus eſt cum intentione ſumendi Euchariſtiam, vel ſine ea intentione confeſſus voluit poſteà communicare, non tenetur confiteri peccata mortalia, quæ denuo poſt confeſſionem, & ante communionem in memoriam venerunt. Et pro eadem ſententia citat P. Henriquez, P. Ioannem Præpoſitum, P. Tamburinum, P. Hermannum Buſembaum, P. Emanuelem Sà, P. Fagundez, & Hieronymum Garcia. In qua Authorum allegatione, quantam inferat iniuriam prædictis Authoribus, veritati Theologicæ, & Sacro Fidei Tribunali, ex infrà dicendis conſtabit. Deinde latè probat propoſitionem prohibitam, [non ſolùm à Fidei Quæſitoribus, ſed à Summo Pontifice] non reddi intrinſecè improbabilem.

4. Denique in fine reſolutionis, poſtquam ſententiam reliquit octo argumentis probatam, & ab obiectionibus propugnatam, ſe ſtare pro oppoſita ſententia affirmat his verbis: [Sed his non obſtantibus, hæc opinio nullatenus ſuſtineri, aut defendi poteſt in praxi. Tum quia noua, & à nemine hucvſque in lucem edita, vel typis mandata: tum quia contrarium tanquam certum docet communis opinio: tum quia eadem communis tutior omnino eſt, & totius Eccleſiæ praxi confirmata. Tum quia hæc opinio ex parte expungi mandata eſt à Sancta Inquiſitione, vt ſuprà diximus, cuius iudicio in rebus fidei & morum omninò ſtandum eſt, contrariis non obſtantibus quibuſcumque.]

Et immediatè ſubdit *num. 18.* [Contrariam verò ſententiam tanquam certam euidenter, tenent DD. Et ſpecialiter in caſu, quo Euchariſtia ſumenda eſt.] Et pro hac citat octo Authores. Et *num. 19.* proponit rationes, quibus pro iſta ſententia vtuntur Authores, eaſque reprobat. Pro qua ſententia ſolam hanc periodum ſcribit. [Potiſſima ergo ratio eſt, quia ex præcepto integritatis confeſſionis tenemur, non ſolùm formaliter, ſed etiam materialiter integram facere confeſſionem omnium mortalium, excepto caſu neceſſitatis: ſed peccata oblita non ſunt confeſſa: ergo tenemur illa confiteri.] Quibus verbis claudit eam vigeſimamquintam reſolutionem. 5.

Notanter dixi initio capitis, Leandrum proponere eam priorem affirmatiuam concluſionem ad inſtar opinionis probabilis; quia multa ſunt, quæ ſuadent, prædictum Authorem cenſere probabilem prædictam concluſionem, & proponere eam ad probabilitatem eius ſtabiliendam, & tanquam probabilem ab ipſo doceri. 6.

Multa ſuadent, Murciam ſuffragari probabilitati opinionis relatæ.

Primum. Nam opinionem eſſe probabilem nihil aliud eſt, quàm habere pro ſe rationes graues, & oppoſita argumenta, ſi qua ſunt, opportuna reſponſione diſſolui: ſed Leander proponit octo argumenta pro ea ſententia, quæ tanquam grauia conatur vrgere; & diſſoluit obiectiones oppoſitas, neque diſſoluendo ea octo argumenta, neque reprobando ſolutionem obiectionum: ergo proponit eam ſententiam tanquam probabilem. Vrgeo formaliùs. Ille proponit concluſionem tanquam probabilem, qui illam conatur oſtendere grauibus rationibus firmatam, & ab obiectionibus propugnatam; cùm in eo conſiſtat probabilitas: id præſtat ille Author; ergo illam proponit vt probabilem. 7.

Secundum. Ille, qui pro aliqua ſententia proponit argumenta, & non ſoluit, ab omnibus cenſetur ſtare pro ea ſententia. Et ita SS. D. N. Alexander VII. in Bulla, quam dedit anno 1661. pro Immaculata Conceptione, cùm prohiberet, ne quis verbo, vel ſcripto contra ſententiam Immaculatæ, Conceptionis quomodolibet tractaret; præcauens, ne quis ea calliditate vteretur, vt proponeret ſua argumenta contra Conceptionem Immaculatam, & deinde manus lauaret, & innocentiam prætexeret, ſubdens, ſe non tenere eam opinionem prohibitam, vetuit, ne quis proponeret argumenta contra Conceptionem Immaculatam, illa inſoluta relinquendo: ſic enim habent verba Bullæ: [Denique alio quovis prætextu, ſeu occaſione, ſcripto, ſeu voce loqui, concionari, tractare, diſputare contra ea quidquam, determinando aut aſſerendo, *vel argumenta contra ea afferendo, & inſoluta relinquendo.*] Ergo quamvis Leander lauet manus, & dicat innocentem ſe eſſe ab aſſertione eius ſententiæ, dum procedit *argumenta afferendo, & inſoluta relinquendo*, manifeſtè colligitur, defendere ſententiam, vel ſaltem proponere vt probabilem. Vide alia in confirmationem huius partis diſp... 8.

Tertium.

Digitized by Google

9. Tertium. Nam, vt docet P. Pellizar. *tom.* 2. *Manual. Regul. tract.* 10. *cap.* 8. *num.* 15. [Referens, nec improbans aliquos Doctores, videtur ſequi, vt notauit Sanch. *lib.*6. *Moral. c.*9. *num.* 187. Et præterquam quod non improbat eos quatuordecim Theologos ſubſcriptores eius opinionis,] id fortiùs vrget in argumentis pro aliqua opinione relatis; quantò plus auget probabilitatem vis argumentorum, quàm extrinſeca authoritas.

10. Quartum, quia in ea reſolutione vigeſimaquinta vtramque ſententiam proponit, & cùm primam illam [De non confitendo peccata, quæ in alia confeſſione ex obliuione omiſſa ſunt,] tot argumentis propugnet, & ab obiectionibus vindicare conetur; pro ſecunda verò nihil afferat roboris, niſi quatuor lineas poſtremas ſuprà relatas *num.* 4. conuincitur, voluiſſe illam primam fulcire vſque ad probabilitatem. Et quidem quamvis octo Authores referat, vtique illos non refert pro ea generali concluſione, quæ aſſerit, omnia peccata in confeſſione omiſſa ex obliuione, vel inaduertentia, confitenda eſſe; ſed ſolùm pro ea parte concluſionis, quod tenemur ante communionem confiteri.

11. Quintum. Nam pro ea prima concluſione refert ſententiam & ſubſcriptiones pluſquam tredecim virorum doctorum; quod nihil aliud eſt, quàm affirmare, eſſe probabilem probabilitate extrinſeca; cùm nihil aliud ſit aſſerere probabilitatem extrinſecam opinionis, quàm aſſerere habere pro ſe Authores magnæ doctrinæ; præcipuè cùm ſoluat quidquid in contrarium opponitur.

12. Sextum, quia dum proponit motiua, quibus impellitur ad non ſuſtinendam, nec aſſerendam priorem illam concluſionem, nullum affert, quo denotet, illam improbabilem eſſe, aut non probabilem, vel oppoſitam eſſe certam. Attende primum: *Tum quia noua & à nemine hucvſque in lucem edita, vel typis mandata.* Sed quod ſit noua, & nondum typis mandata, non eſt qualitas, quæ probabilitatem tollit concluſioni, ſi aliàs ratione graui roboretur, vt notauit ipſe Leander *lib.*1. *diſp.* 1. *reſol.* 15. *n.*5. Attende ſecundum. *Tum quia contrarium tanquam certum docet communis opinio.* Vbi nota eum non dixiſſe, contrarium eſſe certum; nec dixit tanquam certum defendi ab omnibus Doctoribus, quod dicere debuit: ſed tanquam certum defendi à communi opinione. Itaque apud Leandrum, intra metas opinionis continetur aſſerere, quod certa ſit contraria ſententia. Attende tertium. Tum *quia eadem communis tutior omnino eſt.* Sed quid ad rem? cùm ipſe ſæpius aſſerat, neminem teneri ad probabiliorem & tutiorem viam ineundam in praxi. Attende quartum. *Et totius Eccleſiæ praxi confirmata.* Sed non declarat, qualis ſit, & quantum obliget hæc praxis Eccleſiæ; cùm poſſet inde euidens argumentum deducere contra priorem ſententiam. Vide infrà *cap.* 2. Attende quintum. *Tum quia hæc opinio ex aliqua parte expungi mandata eſt à ſancta Inquiſitione.* Sed numquid propterea eſt improbabilis? Reſpondet Leander *num.* 17. [Reſpondetur, quod eſſe prohibitam aliquam opinionem non ſolùm à Fidei Quæſitoribus, ſed etiam à Summo Pontifice, non reddit illam intrinſecè improbabilem.] Vide quatenus conetur omnibus modis firmare eius prioris ſententiæ probabilitatem. Quibus accedit, non ſibi contradicere Authorem aliquem, dum defendit partem negatiuam quæſtionis, & partem affirmatiuam aſſerit probabilem; & hoc pacto procedit Murcia, qui quamvis defendat, peccata mortalia obliuionis causâ omiſſa, confitenda eſſe, cùm ad memoriam redeunt; tamen oppoſitam partem proponit vt probabilem, vt ſatis conuincunt argumenta facta.

CAPVT II.

Eſſe obligationem confitendi peccata ex obliuione omiſſa, cùm in alia confeſſione in memoriam veniunt, omnes Doctores Catholici docent.

Docent Doctores omnes Catholici tanquam certiſſimum, omnia peccata mortalia, quæ in ſpecie & ſingillatim non ſunt expoſita in confeſſione, ſiue ex inaduertentia, ſiue quauis alia ex cauſa omiſſa ſint; cùm ad memoriam redierint, ex inſtitutione Chriſti confitenda eſſe. Vnde mirandum eſt, quod Murcia tam grauiter decipiatur, vt oppoſitum voluerit adinſtar opinionis probabilis proponere. 13.

14. *Perſuaſio fidelium in praxi ſacramēt. facit euidentiam de inſtitutione Chriſti. Conſtat ex Tridentino.*

Et quidem generalem omnium Fidelium perſuaſionem in praxi Sacramentorum eſſe regulam certam ad cognoſcendam inſtitutionem Chriſti, habemus ſæpius repetitum in Concilio Tridentino. Ideò *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. de Sacramento Pœnitentiæ, loquens de caſuum reſeruatione, & de iuriſdictione ad abſoluendum neceſſaria, dixit: *Perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit.* Et capite de Extremæ Vnctionis Sacramento, ait: *Vt ex Apoſtolica traditione per manus acceptâ Eccleſia didicit, &c.* & infrà? *Intellexit enim Eccleſia, materiam eſſe oleum,* &c. Et *ſeſſ.* 13. *cap.* 7. *de Sacramento Euchariſtiæ*, agens de præcepto confitendi ante ſumptionem Euchariſtiæ, ait: *Eccleſiaſtica autem conſuetudo, declarat, eam probationem neceſſariam eſſe, vt nullus ſibi conſcius peccati peccati mortalis*, &c. Nam, vt *diſp.* 23. *cap.* 5. notaui, id verbum, *declarat*, idem eſt, ac [demonſtrat, & certiſſimum, atque indubitabile reddit.] Quæ verba præceptum ſaltem Eccleſiaſticum demonſtrant. Et *ſeſſ.* 14. *cap.*5. *de Sacram. Pœnit.* agens de confeſſione ſacramentali, ait: *Vniuerſa Eccleſia ſemper intellexit, inſtitutum etiam eſſe à Domino*, &c. Et ſæpiſſimè aliàs.

15. *Perſuaſum ſemper fuit, teneri omnes ad confitendum peccata mortalia oblita, cùm ad memoriam venerint.*

Atqui perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, & inter omnes Fideles, omnia peccata in ſpecie & ſingillatim ex obligatione confitenda eſſe, dum ad memoriam venerint, & in ſpecie & ſingillatim non fuerint expoſita in aliqua confeſſione. Quem vniuerſalem ſenſum Eccleſiæ manifeſtè aſſerit Tridentina Synodus. Nam *ea ſeſſ.* 14. *cap.* 5. initio, ait: *Vniuerſa Eccleſia ſemper intellexit, inſtitutam eſſe à Domino integram peccatorum confeſſionem.* Quæ verba de ſenſu vniuerſali Eccleſiæ cadunt ſupra reliquam doctrinam huius capitis. In iſta

Digitized by Google

autem contineri expreſsè obligationem confitendi peccata, etiam in alia confeſſione propter obliuionem omiſſa,conſtat *ex cap.ſequenti.*

16.
Perſuaſio fidelių de præcepto poſitiuo facit euidentiam.

Confirmatur primò. Nam vt oſtendi *diſp.*23. *cap.* 5. conſuetudo omnium fidelium in tota Eccleſia cum firma perſuaſione de aliquo præcepto poſitiuo diuino, vel humano, facit euidentiam moralem de illo; idque maximè circa inſtutionem Chriſti in materia Sacramentorum. Hanc autem eſſe Eccleſiæ praxim & conſuetudinem vniuerſalem cum firma perſuaſione de obligatione confitendi peccata mortalia oblita, cùm ad memoriam venerint, manifeſtè conſtat ex omnibus Theologis, qui, nemine hucvſque diſcrepante, affirmant hanc obligationem. Quæ obligatio cùm non nitatur iure naturali, vt patet; neque potuerit induci aliqua humana poteſtate, omnes Theologi cenſent, eam oriri ex inſtitutione Chriſti. Atqui certiſſimè probatur, eſſe in omnibus Fidelibus per totam Eccleſiam, perſuaſionem aliquam vniuerſalem de inſtitutione Chriſti,quoties hæc vniuerſalis perſuaſio reperitur in omnibus Doctoribus Theologis; hi enim ſunt ex quibus reliqui omnes Fideles eam vniuerſalem perſuaſionem hauſerunt. Ideò optimè dixit Melchior Canus de locis Theologicis *lib.* 8. *cap.*4. *concluſione* 3. [Nullum dogma (*ſi ad fidem, moreſve pertineat*) reperietur, quod eadem mente, oreque ſcholaſtici omnes certò ac firmiter aſſeruerint, quin idem in vniuerſum Eccleſia teneat, eorum authoritate mota,] eo quod ab illis tanquam à Magiſtris reliqui Fideles diſcant.

Perſuaſio fidelium conſtat ex communi Theologorum.

17.
Omnes Theologi hanc obligationem tradunt, vt inſtitutam à Chriſto.

Cùm ergo DD. omnes Theologi hanc vniuerſalem doctrinam aſſerant de obligatione confitendi peccata mortalia oblita, cùm ad memoriam venerint; & quidem non innixi aliquo iure naturali, aut poſitiuo humano; ſed tanquam à Chriſto inſtitutum, certiſſimum eſt, eſſe in Eccleſia vniuerſalem perſuaſionem de ea obligatione tanquam à Chriſto inſtituta. Ergo cùm perſuaſio vniuerſalis omnium Fidelium per totam Eccleſiam circa eam obligationem ortam ex inſtitutione Chriſti faciat euidentiam moralem; dicendum neceſſariò eſt, eſſe moraliter euidens, quod datur in Eccleſia præceptum Chriſti D. de confitendis peccatis oblitis, cùm ea ad memoriam redierint.

18.
S. Auguſt.
Hæc praxis, cuius initium non agnoſcitur, tradita ab Apoſtolis credenda eſt.

Confirmatur ſecundò ex verbis Auguſtini (quæ, quamvis aliàs propoſita, ſicut & ſubſequentis confirmationis, hîc repetere oportet) *lib.* 4. *contra Donatiſtas, cap.* 6. *Illa conſuetudo, quam & tunc homines ſurſum verſus aſpicientes non videbant à poſterioribus inſtitutam, rectè ab Apoſtolis tradita creditur.* Sed certiſſima praxis & conſuetudo omnium Fidelium per totam Eccleſiam cum firma perſuaſione de obligatione confitendi peccata oblita, poſtquam ad memoriam redeunt, non agnoſcit initium ſuæ inſtitutionis, aut traditionis; ergo ea eſt ex illis, quæ ab Apoſtolis traditæ eſſe rectè creduntur; quam quidem tradiderunt vt inſtitutam à Chriſto D.

19.
Canus.

Conſonat Melchior Canus *lib.* 3. *de locis, cap.*4. §. *Tertia via*, ita aſſerens. [Si quidquam eſt nunc in Eccleſia communi Fidelium conſenſione probatum, quod tamen humana poteſtas efficere non potuit, id ex Apoſtolorum traditione neceſſariò deriuatum eſt.] Quod ſicut eſt dictum Auguſtini, intelligitur de iis, quæ non ex obligatione iuris naturalis, ſed iuris poſitiui orta ſunt, vt dixi *diſp.*46. *cap.*4. *art.* 4. ſed praxis confitendi peccata oblita, poſtquam ad memoriam redierint, cum perſuaſione de obligatione eius, communi omnium Fidelium conſenſione probata eſt, & illam non potuit inſtituere humana poteſtas,neque illa niti poteſt iure naturali ad id obligante: ergo illa ex Apoſtolorum traditione neceſſariò deriuata eſt,ſcilicet tanquam à Chriſto D. inſtituta.

Confirmatur tertiò ex eodem Auguſtino *epiſt.* 118. vbi circa eam quæſtionem: [Quid faciendum ſit in materia Eccleſiaſtica?] ponit tanquam regulam indubitabilem praxim & conſuetudinem vniuerſalis Eccleſiæ,his verbis: [*Similiter ſi quid horum tota frequentat Eccleſia. Nam hoc quin ita faciendum ſit, diſputare, inſolentiſſima inſania eſt.* Vbi non loquitur ſolùm contra eos, qui dicunt illicitam praxim omnium fidelium; ſed etiam contra eos, qui dixerint,praxim omnium fidelium receptam ab omnibus tanquam obligatoriam, eam talem non eſſe. Quia non minùs attendenda eſt praxis Eccleſiæ quoad licitum, quàm quoad obligatorium, ex regula ibi tradita ab Auguſtino. Cùm ergo in tota Eccleſia vigeat praxis confitendi peccata oblita in vna confeſſione, poſtquam ad memoriam redierint, recepta ab omnibus tanquam obligatoria ex inſtitutione Chriſti, *inſolentiſſima inſania erit*, ſecundùm Auguſtinum, de illa conſuetudine & obligatione dubitare. 20. S. Auguſt. *Quomodo praxis Eccleſiæ ſit regula indubitabilis?*

Ideò cùm Murcia ſuprà citatus dixit, hanc ſententiam de confitendis peccatis ex obliuione omiſſis,cùm ad memoriam venerint, eſſe *totius Eccleſiæ praxi confirmatam*, debuit inferre, eam eſſe certiſſimam Chriſti inſtitutionem; cùm omnes Fideles ex vniuerſali perſuaſione ſuæ obligationis id in praxi obſeruent, & obſeruandum dicant. 21.

Et propterea Doctores id tanquam certum ſupponunt, neque vllus antehac de eo dubitauit. Quare P. Granado *tom.*2. *in* 3. *part. contron.de pœnit.tract.*1. *diſp.* 4. *num.* 1. [Duo ſunt (inquit) inter Catholicos omninò citra controuerſiam. Vnum eſt, peccata mortalia poſt Baptiſmum commiſſa, ſi ſemel non ſint legitimè declarata in aliqua confeſſione ſacramentali, eſſe materiam non ſolùm ſufficientem, ſed etiam neceſſariam Sacramenti Pœnitentiæ.] Quæ autem ſunt citra controuerſiam inter Catholicos,vel ſunt dogmata fidei, vel concluſiones Theologicæ, vel certiſſimè illatæ ex concluſionibus Theologicis. 22. *Theologi indubitanter tradunt.* Granad.

Chriſtophorus à Ioſeph *tom.* 1. *Receptarum, verb. confeſſio, part.*4. *dub.* 3. *num.*12. aſſerit, hunc eſſe euidentem Eccleſiæ ſenſum. Ecce eius verba. [Cum illo onere abſoluuntur peccata oblita, quod ſi poſtea memoriæ occurrant, debeant directè clauibus ſubiici. (Eam directam ſubiectionem affirmat eſſe expreſſam peccati manifeſtationem.) Quod communi conſenſu ſemper receptum fuit in Eccleſia. Et hic communis ſenſus facit euidentiam.] 23. Chriſt. à S. Ioſeph.

Et quamvis multi Authores non ſpecificent, concluſionem hanc eſſe de fide catholica quoad peccata oblita poſtea ad memoriam reuocata; continetur tamen, aut ſaltem infertur hæc concluſio euidenter ex alia generali, quam affirmant 24.

Fagundez. affirmant eſſe de fide catholica. Et ita P. Fagundez *in 2. præc. Eccleſ. lib. 1. cap. 1. num. 1.* ait: [De fide tenendum eſt, iure diuino teneri omnes fideles Sacerdoti confiteri omnia, & ſingula peccata mortalia, quæ poſt Baptiſmum commiſerunt, quanta morali adhibita diligentia id facere poſſunt. Ita contra hæreticos definit Concil. Trident. *ſeſſ. 14. cap. 5. & can. 7.*]

Coninck. P. Ægidius Coninck *diſputat. 5. de Pœnit. dub. 1. num. 3.* [Fide tenendum eſt, nos iure diuino teneri particulatim Sacerdoti confiteri omnia peccata mortalia, quæ poſt Baptiſmum commiſimus, quantum morali adhibita diligentia id facere poſſumus. Ita contra hæreticos definit Trid. *ſeſſ. 14. cap. 5. can. 7.*] Qui Authores indubiè includunt in hac aſſertione omnia peccata, ſiue oblita ad memoriam redeuntia, ſiue non oblita: ex hac enim generali propoſitione de fide indubiè inferunt, etiam oblita ad memoriam redeuntia confitenda eſſe. Quare cenſeo, hanc concluſionem aut eſſe de fide, aut ſaltem ex propoſitione de fide euidenter illatam. Ratio autem quare non ſpecificent quoad peccata oblita poſtea ad memoriam redeuntia, eſt, quia nullius dubitatio, ſiue catholici, ſiue hæretici circa id exorta fuerat. Imò quod DD. id punctum non controuertant, eſt argumentum manifeſtum, id eſſe citra controuerſiam inter omnes catholicos.

Hæc concluſio ſaltem eſt illata ex propoſitione de fide.

CAPVT III.

Eadem veritas oſtenditur ex plurimis inter ſe mutuò collatis textibus Concilij Tridentini.

25. MAxima huius veritatis elucidatio deſumitur ex collatione omnium textuum Synodi Tridentinæ *ſeſſ. 14. de Sacram. Pœnit.* præcipuè *cap. 5.* Primus continet ea verba proximè relata: *Vniuerſa Eccleſia ſemper intellexit, inſtitutam etiam eſſe à Domino integram peccatorum confeſſionem, & omnibus poſt Baptiſmum lapſis iure diuino neceſſariam exiſtere.* Semper autem perſuaſum fuit in Eccleſia, hanc integram omnium mortalium confeſſionem eſſe debere, dum obliuio, inaduertentia, vel neceſſitas non impedierit. Quare cùm recedit obliuio, inaduertentia, vel neceſſitas, cùm nihil impediat integritatem, ad illam tenemur. Secundus ibidem: *Sacerdotes ſui ipſius Vicarios reliquit, tanquam Præſides, & Iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur.* Quæ vniuerſaliſſima propoſitio comprehendit etiam oblita, poſtea ad memoriam reuocata. Et nota, *tanquam ad iudices*; quod denotat eſſe debere cum cognitione cauſæ, ſcilicet dum non fuerit impoſſibile propter, &c. Tertius ibidem: *Conſtat enim, Sacerdotes iudicium hoc incognitâ causâ exercere non potuiſſe.* Hic textus reliquis adiunctus hanc veritatem clarè conuincit. Itaque ſecundùm Tridentinum, vniuerſa Eccleſia ſemper intellexit, *integram peccatorum confeſſionem* à Chriſto eſſe inſtitutam, *& omnia mortalia crimina ad Sacerdotes*, tanquam ad iudices eſſe deferenda; & Sacerdotes *hoc iudicium incognitâ causâ exercere non potuiſſe.* Cuius ſenſus eſt, non poſſe exerceri hoc iudicium incognitâ causâ, dum illa poteſt eſſe cognita: poteſt autem eſſe cognita, dum peccata, quæ priùs in confeſſione omiſſa ſunt ex obliuione, in memoriam redeunt. Itaque cùm præſcribit Concilium, omnia mortalia iudicanda eſſe à Sacerdotibus cum cognitione cauſæ, & mortalia oblita nondum iudicata ſint à Sacerdotibus cum cognitione cauſæ; vtique præſcribit, mortalia oblita, dum ad memoriam redierint, iudicanda eſſe cum cognitione cauſæ.

Quatuor alij textus rem penitus dilucidant. 26.
Itaque quartus *ibid.* eſt: *Neque æquitatem quidem illos in pœnis iniungendis ſeruare potuiſſe, ſi in genere dumtaxat, & non potius in ſpecie, ac ſingillatim ſua ipſi peccata declaraſſent.* Quintus paulò inferius: *Et fieri nequeat, vt de grauitate criminum rectè cenſere poſſint, & pœnam, quam oportet, pro illis pœnitentibus imponere.* Sextus *cap. 8. Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum ſpiritus, & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, ſalutares & conuenientes ſatisfactiones iniungere.* Septimus inferiùs: *Habeant autem præ oculis, vt ſatisfactio, quam imponunt, non ſit tantùm ad noua vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum; ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & caſtigationem. Nam claues Sacerdotum non ad abſoluendum dumtaxat, ſed & ad ligandum conceſſas, etiam antiqui Patres & credunt, & docent.*

Ex quibus quatuor textibus patet, ſi pec- 27.
cata in vna confeſſione per obliuionem omiſſa, & ad memoriam redeuntia, non exponantur expreſsè & in ſpecie in altera confeſſione, contra declarationem Concilij non ſeruaturos Sacerdotes *æquitatem in pœnis iniungendis* circa eiuſmodi peccata nondum declarata; & fieri nequire, *vt de grauitate eorum criminum rectè cenſere poſſint*; neque *pœnam, quam oporteret, pro illis, pœnitentibus imponere.* Item neque poſſe *pro qualitate criminum ſalutares, & conuenientes ſatisfactiones iniungere.* Quomodo autem ſatisfactio, quam imponere Sacerdos debet, erit *non tantùm ad noua vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & caſtigationem*, ſi in particulari non exponantur ea peccata confeſſario, cùm ad memoriam redierint. Conſtat enim, Sacerdotes iudicium hoc *incognitâ causâ* exercere non potuiſſe.

Octauus textus *ex cap. 5.* eſt: *Ex his colligi-* 28.
tur, oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem, conſcientiam habent, in confeſſione recenſeri. Atqui vbi peccata præterita in memoriam veniunt, quæ olim ex obliuione omiſſa ſunt, pœnitens habet conſcientiam eorum peccatorum: eſt ergo obligatio, ea peccata omiſſa in confeſſione, aperiendi in ſpecie confeſſario. Et quidem textus iſte collatus cum antecedentibus manifeſtè declarat mentem Concilij. Etenim ille habet conſcientiam peccati mortalis, qui ſcit, ſe commiſiſſe peccatum mortale, & non ſubiecit illud confeſſioni ea ratione, qua requirit Concilium: atqui Cõcilium in textibus allatis requirit, *integram peccatorum confeſſionem* eſſe faciendã, & *omnia mortalia crimina* deferenda eſſe ad Sacerdotes, & hos non poſſe *æquitatem ſeruare in pœnis* iniungendis, neque Sacerdotes *de grauitate criminum rectè cenſere, neque pœnam, quam oportet, pro illis, pœnitentibus iniun-*

Pœnitens habet conſcientiam peccati obliti in memoriam redeuntis.

Id clarè colligitur ex Trid.

Digitized by Google

gere; debereque Sacerdotes ſatisfactiones imponere non ſolùm ad *infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & obligationem*: ergo qui ſcit, ſe commiſiſſe peccatum mortale, & non ſubiecit illud confeſſioni, quæ habeat omnia ea, quæ requirit Concilium ad confeſſionem, habet conſcientiam peccati mortalis. Sed ille, qui in confeſſione oblitus eſt peccati mortalis, & poſtea recordatur eius, ſcit, ſe commiſiſſe peccatum mortale, & euidens eſt, quod non ſubiecit confeſſioni illud cum omnibus iis requiſitis proximè relatis, quæ requirit Concilium, id eſt, non ſubiecit confeſſioni illud taliter, quod Sacerdos poſſit exercere iudicium non incognitâ cauſâ, & æquitatem ſeruare in pœnis, &c. ergo euidens eſt, quod habet conſcientiam peccati mortalis. Et ideò P. Ægidius de Coninck *diſput. 7. de Pœnit. initio*, ex communi Doctorum mente dixit: [Conſcius autem ſibi alicuius peccati mortalis ille dicitur, qui ſcit, ſe id commiſiſſe, & nondum legitimè eſſe confeſſum.] Imò & Author eius opinationis ſibi contradicens admittit, ſi eius peccati in confeſſione omiſſi recordetur ante ſumptionem Euchariſtiæ, teneri illud confiteri, quia conſcius eſt, ſiue quia conſcientiam habet peccati mortalis. Vide *cap. 3. num. 158*.

29. Nonus ibidem: *Verùm cum vniuerſa mortalia peccata, etiam cogitationis, homines iræ filios, & Dei inimicos reddant, neceſſum eſt omnium etiam veniam cum aperta & verecunda confeſſione à Deo quærere.* Quibus verbis adiunge antecedentia, & ex vtriſque catenam producito hoc pacto. [Vniuerſorum mortalium peccatorum venia à Deo quærenda eſt in iudicio Sacerdotum, qui exercere illud debent cognitâ cauſâ, & taliter, quod æquitatem in pœnis iniungendis exercere poſſint, & de eorum grauitate rectè cenſere, & ſalutares ſatisfactiones iniungere pro qualitate criminum, & in vindictam & caſtigationem eorum peccatorum præteritorum. Quo pacto pœnitens, qui peccata propter obliuionem omiſſa, & poſteà in memoriam redeuntia nondum in ſpecie & ſingillatim confeſſus eſt, manifeſtum eſt, quod non quæſiuit à Deo veniam vniuerſorum peccatorum aperta confeſſione facta in iudicio per Sacerdotem exercendo cum cognitione cauſæ, & taliter quod æquitatem in pœnis iniungendis ſeruare poſſit, &c. ſed nunquid erit verecunda confeſſio eorum, quæ non exponuntur?

30. Decimus textus ibidem: *Itaque dum omnia, quæ memoriæ occurrunt, peccata, Chriſti fideles confiteri ſtudent, procul dubio omnia diuinæ miſericordiæ agnoſcenda exponunt. Qui verò ſecus faciunt, & ſcienter aliqua retinent, nihil diuinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt. Si enim erubeſcat ægrotus vulnus Medico detegere, quod ignorat, medicina non curat.* Et in primis non exponuntur omnia, quæ memoriæ occurrunt, ſi oblita ad memoriam redeuntia, non exponuntur. Item qui non confitetur peccatum, poſtquam abceſſit obliuio eius in priori confeſſione accidens, & ſucceſſit memoria, ſcienter retinet illud: ergo dum illud priùs oblitum non confitetur, nihil diuinæ bonitati remittendum proponit. Quod ita eſſe, manifeſtò comperies, ſi iterum texueris catenam ex hoc & præcedentibus textibus, ſic: [Dum omnia, quæ memoriæ occurrunt, peccata, Chriſti fideles confiteri ſtudent, adducendo ea ad iudicium exercendum per Sacerdotes cum cognitione cauſæ, & confitendo ea in ſpecie & ſingillatim, taliter quod poſſint ſeruare circa illa æquitatem in pœnis iniungendis, & rectè cenſere de grauitate eorum, & ſatisfactiones ſalutares iniungere pro qualitate criminum, & in vindictam & caſtigationem præteritorum peccatorum, hi procul dubio omnia peccata diuinæ miſericordiæ agnoſcenda exponunt. Qui ſecus faciunt, nihil diuinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt.] Quæ in peccatis in confeſſione oblitis, poſtmodùm in memoriam redeuntibus, & nondum in ſpecie & ſingillatim confeſſis non verificari, meridiana luce clarius eſt. Deinde ſi quis peccata oblita in confeſſione, & in memoriam redeuntia non detegit Medico in ſpecie & ſingillatim; quod ignorat, medicina confeſſionis non curat: præcipuè cùm hæc curatio comprehendat ſatisfactionis impoſitionem pro qualitate criminum, & pro vindicta præteritorum iniungenda; quandiu autem non ſunt in ſpecie & ſingillatim in confeſſione declarata, huic curationi non ſunt expoſita; quare dum redeunt in memoriam, ſi non ſubiiciuntur in ſpecie confeſſioni, nondum curationi expoſita eſſe intelliguntur; ſed potiùs conſtat, vulnera Medico non eſſe detecta.

Peccata deſerenda ſunt Sacerdoti vt Medico.

Vndecimus textus ibidem: *Colligitur præterea, etiam eas circumſtantias in confeſſione explicandas eſſe, quæ ſpeciem peccati mutant; quòd ſine illis peccata ipſa neque à pœnitentibus integrè exponantur, nec iudicibus innoteſcant; & fieri nequeat, vt de grauitate criminum rectè cenſere poſſint; & pœnam, quam oportet, pro illis, pœnitentibus imponere.* Iuxta quem textum, omnia peccata in ſpecie, & ſecundùm omnem eorum ſpeciem aperienda ſunt Sacerdotibus, vt illa ipſis integrè innoteſcant, & taliter, vt ipſi de grauitate criminum cenſere poſſint, & pœnam, quam oportet, ſcilicet pro menſura grauitatis eorum pœnitentibus imponere: ſed peccata propter obliuionem omiſſa in confeſſione, & ad memoriam reuocata, neque ſingillatim in vlla confeſſione expoſita, non ſunt expoſita Sacerdotibus in ſpecie, neque taliter vt iudicibus innoteſcant, nec vt de grauitate eorum cenſere poſſint, nec taliter quod pœnam pro menſura grauitatis eorum imponere poſſint: ergo non ſunt expoſita in confeſſione, vt requiritur à Concilio: ergo neceſſariò in ſpecie & ſingillatim exponenda. 31.

Duodecimus ibidem: *Sed & impium eſt, confeſſionem, quæ hac ratione fieri præcipitur, impoſſibilem dicere, aut carnificinam illam conſcientiarum appellare. Conſtat enim, nihil aliud in Eccleſia à pœnitentibus exigi, quàm vt poſtquam quiſque diligentiùs ſe excuſſerit, & conſcientiæ ſuæ ſinus omnes & latebras explorauerit, ea peccata confiteatur, quibus ſe Dominum & Deum ſuum mortaliter offendiſſe meminerit.* Hic eſt textus, in quo maximè nititur Murcia pro ſua opinatione. Sed fruſtra; ſenſus enim euidentiſſimus horum verborum eſt non teneri pœnitentes ad confitendum peccata mortalia, dum eorum obliuione afficiuntur; ſed ſolùm ea, quorum meminerunt, dum aliorum non recordantur. 32.

Digitized by Google

33. Pro cuius rei claritate, noto primò, ea, quæ de Sacramento Pœnitentiæ definiuit ſacra Synodus Tridentina *illa ſeſſ.* 14. eò præcipuè directa fuiſſe, vt conuelleret errores ea ætate exortos. Ita enim affirmant Patres Tridentini initio prædictæ ſeſſionis, his verbis: [Quamuis in decreto de iuſtificatione multus fuerit de Pœnitentiæ Sacramento propter locorum cognationem, neceſſaria quadam ratione ſermo interpoſitus; tanta nihilominus circa illud *noſtra hac ætate diuerſorum errorum eſt multitudo,* vt non parum publicæ vtilitatis retulerit, de eo exactiorem & pleniorem definitionem tradidiſſe; in qua *demonſtratis & conuulſis*, Spiritus ſancti præſidio, *vniuerſis erroribus*, catholica veritas perſpicua & illuſtris fieret.]

34. *Sectarij aiebant, in Eccleſia tradi obligationem confitendi peccata, etiam dum oblita ſunt.*

Noto ſecundò, ferè omnes Hæreſiarchas eius temporis impugnare confeſſionem ſacramentalem ex eo capite, quòd confeſſio eſſet impoſſibilis; eo quod impoſſibile eſt, quod homo recordetur omnium peccatorum ſuorum. Hinc inferebant, homines confeſſione ad deſperationem trahi, conſiderantes, peccata non remittenda eſſe, niſi in confeſſione reipſa manifeſtarentur; nec manifeſtari poſſe, quæ memoriam ſubterfugerent. Ideò confeſſionem ſacramentalem vocabant conſcientiarum carnificinam; quia torquet conſcientias, dum illas obligat confiteri ea, quæ ad memoriam adduci non poſſunt. Ita Caluinus *lib.* 3. *Inſtitut. cap.* 4. *ſect.* 16. 17. *&* 18. Philippus Melancthon in confeſſione Auguſtana, Martinus Kemnicius 2. *part. Exam. pag.* 1024. qui inter alia eius furfuris hæc habet. [Quintò conſcientiam adducit in dubitationem, & deſperationem ſcrupuloſâ illâ enumeratione: videns enim, ſe non poſſe omnia delicta colligere, nunquam adquieſcit; dubitatio verò extinguit fidem. Sextò exigit rem impoſſibilem: conſtat enim, plurima peccata nos nec intelligere, nec meminiſſe, iuxta illud: Delicta quis intelligit?] Qui paulò ante dixerat: [Hæc eſt vetus illa carnificina conſcientiarum,] &c. Quod idem repetunt ſectarij paſſim. Quos omnes latè refert Cardin. Bellarminus. *tom.* 2. *lib.* 3. *de Pœnitent. cap.* 16. *&* 21.

35. Hinc manifeſtè conſtat, ſenſum eorum verborum eſſe, non eſſe impoſſibilem confeſſionem ex eo capite, quod fingunt ſectarij, quod quis teneatur ad confitenda ea etiam peccata, quorum poſt diligens examen non recordatur: id enim per manifeſtam calumniam à ſectariis dictum eſt, cùm in Eccleſia non exigatur à pœnitentibus, vt confiteantur peccata, quorum non recordantur; ſed ea ſolùm, quæ poſt diligens examen ad memoriam venerint.

36. Conferenda ergo ſunt verba ſectariorum cum verbis Concilij. Sectarij dicunt, in Eccleſia Romana impoſſibilem eſſe confeſſionem, quia obligantur pœnitentes ad confitenda peccata, etiam dum eorum non recordantur. Id falſum eſſe, & impium, docet ibi ſacra Synodus, nec teneri pœnitentes ad confeſſionem, niſi modo poſſibili, ſcilicet ad confitendum ea, quorum recordantur; non verò dum peccata memoriam ſubterfugiunt.

37. Itaque ſectarij non loquebantur de peccatis oblitis, dum iterum ad memoriam veniunt: nam hoc modo non fieret impoſſibilis confeſſio, cùm poſſibile ſit peccata oblita in vna confeſſione, poſteà ad memoriam reuocari, & ſic reuocata, alteri confeſſioni exponere: ſed loquuntur de peccatis oblitis, dum obliuio eorum tenet pœnitentes: nam hoc modo eſſet impoſſibilis confeſſio, ſi obſtringeret pœnitentes ad confeſſionem eorum, dum eos tenet peccatorum obliuio.

38. *Concilium excludit à confeſſione peccata oblita, dum oblita ſunt.*

Quare in his verbis expreſsè definiuit Concilium, non teneri pœnitentes ad confitendum peccata oblita, dum oblita ſunt. Etenim Concilium damnat expreſsè eum errorem, qui reddebat impoſſibilem confeſſionem: ſed error, qui reddebat impoſſibilem confeſſionem, non eſt, quod quis teneatur ad confitenda peccata oblita, ſi poſtea in memoriam venerint, cùm id non ſit impoſſibile; ſed quod quis teneatur ad confitenda peccata oblita, dum oblita ſunt; hoc enim modo eſſet confeſſio impoſſibilis; & hoc modo impoſſibilis aſſerebatur à ſectariis: ergo in iis verbis expreſsè damnat Concilium, quod quis teneatur ad confitenda oblita, dum oblita ſunt: ergo euidenter loquitur Concilium in hoc ſenſu.

39. Maioris ergo claritatis gratiâ inquiro, ſi daretur in confeſſione ea impoſſibilitas, qualem ſectarij calumniantur, vnde ea proueniret? Reſpondebis & rectè, ex obligatione confitendi peccata, etiam dum illorum non recordamur. Et ita hæc propoſitio eſſet vera, [Teneris confiteri peccata, etiam dum illorum non recordaris:] quæ eſt propoſitio ſectariorum. Inquiro ſecundò; hæc impoſſibilitas, ſiue obligatio impoſſibilis per quid formaliter tollitur? Nonne per contradictoriam? videlicet: [Non teneris confiteri, dum illorum non recordaris.] Cùm ergo Concilium intendat euertere errorem illum de impoſſibilitate confeſſionis; id vtique euertit aſſerendo contradictoriam illam, nempe non teneri nos ad confitenda peccata, dum illorum, poſt debitum examen, non recordamur. Patet ergo, hunc eſſe ſenſum legitimum Concilij.

40. Sed & magis patet ſenſus eorum verborum, ſi ex illis & præcedentibus catena contexatur, in qua textus reliqui cum hoc conferantur; præcipuè quia multùm inſiſtit Murcia in illis verbis, *Nihil aliud exigitur*, &c. Itaque: [Ne dicatur confeſſionem eſſe impoſſibilem, ſciant, quod nihil aliud in Eccleſia à pœnitentibus exigitur, quàm vt poſt diligens examen, ea peccata, quibus ſe Deum mortaliter offendiſſe meminerint, confiteantur; in qua confeſſione deferre debent omnia ſua peccata ad Sacerdotes, & ad eorum iudicium, quod exercere debent non incognitâ cauſâ, & in ea confeſſione omnia in ſpecie, & ſingillatim manifeſtari debent quantum poſſibile fuerit, taliter quod æquitatem ſeruare poſſint in pœnis iniungendis, pro qualitate criminum, & de grauitate cenſere, & pœnam, quam oportet imponere in caſtigationem præteritorum.] Cùm ergo redeuntibus ad memoriam peccatis, ea, quæ exigit Concilium, impleta non ſint, adhuc durat obligatio ea implendi per confeſſionem, in qua in ſpecie & ſingillatim exponantur.

41. Et hîc propriè habet locum, *Exceptio firmat regulam in contrarium.* Etenim præſcribi debent ea ſolùm, quorum meminerint, dum alia non meminerint, vt ex ſenſu liquet: ergo tenentur,

Digitized by Google

nentur, dum meminerint. Cùm ergo ſolùm excludat, quoad confitenda peccata oblita modum impoſſibilem, vtique adſtruit confitenda oblita, modo quo fuerit poſſibile, ſcilicet dum ad memoriam redierint.

42. *Quæ peccata oblita, dum oblita ſunt, intelligantur in ea confeſſione in vniuerſum incluſa?*

Tredecimus textus ibidem: *Reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in vniuerſum eadem confeſſione incluſa eſſe intelliguntur; pro quibus cum Propheta dicimus: Ab occultis meis munda me Domine.* Vbi notanda eſt particula, *In vniuerſum*; quia cùm exigat Concilium, quod omnia peccata in ſpecie & ſingillatim exponantur in confeſſione, modò aſſerit, peccata ex obliuione omiſſa in aliqua confeſſione, licet in tali confeſſione non includantur tanquam expoſita in ſpecie & ſingillatim, includi tamen *in vniuerſum*, ad effectum remiſſionis. Ergo cum debeant exponi in ſpecie & ſingillatim, ſecundùm præſcriptum Concilij; & dum memoriam ſubterfugiunt, non contineantur in illa confeſſione in ſpecie & ſingillatim; ſed ſolùm *in vniuerſum*, ad effectum remiſſionis; fit, quod ſi redeunt ad memoriam, debent in ſpecie & ſingillatim exponi.

43. Decimuſquartus textus ex eadem ſeſſione *can. 7. de Sacramento Pœnitentiæ: Si quis dixerit, in Sacramento Pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum neceſſarium non eſſe iure diuino confiteri omnia & ſingula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habeatur*, &c. *anathema ſit.* Sed quando in priori confeſſione omiſſa ſunt aliqua peccata ex obliuione, & in alia confeſſione redeunt ad memoriam, verificatur, quod pœnitens non eſt confeſſus omnia & ſingula peccata, quorum memoria habetur: ergo adhuc tenetur ad confitenda ea peccata. Cui textui ſi conferas reliquos textus antecedentes, vt in præcedentibus adnotauimus, & ad eandem catenæ normam, manifeſtas vires argumento ſuperaddes.

CAPVT IV.

Rationibus oſtenditur eadem veritas.

44. VT rationibus agamus, opus eſt repetere multa ex iis, quæ capite præcedenti propoſita ſunt. Adhuc tamen quia oportet illa ad formam ſyllogiſticam reducere, neceſſum eſt aliqua repetere. Erit autem hoc caput, cum argumentis in eo proponendis, quaſi ſummarium eorum, quæ in præcedenti latiùs propoſita ſunt.

45. *Qui recordatur peccati obliti ſe ſcit, non eſſe confeſſum eo modo, quo requirit Concilium.*

Probatur primò. Qui recordatur peccati mortalis, & ſcit, ſe non eſſe confeſſum illud peccatum eo modo, quo requirit Concilium, tenetur illud confiteri: ſed qui ex obliuione omiſit peccatum mortale in alia confeſſione; & in alia recordatur illius; ſcit, ſe non eſſe confeſſum illud peccatum eo modo, quo requirit Concilium: ergo qui ex obliuione omiſit peccatum mortale in alia confeſſione, & in alia recordatur illius, tenetur illud confiteri. Conſequentia ad amuſſim artis ſyllogiſticæ deducta eſt. Maior eſt indubitabilis.

46. Probatur minor. Secundùm Concilium Tridentinum, quilibet pœnitens tenetur ad integram peccatorum confeſſionem, & ad deferenda ad Sacerdotes omnia mortalia crimina in ſpecie & ſingillatim, taliter quod poſſint exercere iudicium non incognitâ causâ, & de grauitate criminum rectè cenſere; & taliter quod poſſint ſeruare æquitatem in pœnis iniungendis pro qualitate criminum, & non ſolùm ad infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad peccatorum præteritorum vindictam & caſtigationem.

Sed qui ex obliuione omiſit peccatum mortale in alia confeſſione, & in alia recordatur illius, quamvis dicatur, peccatum illud incluſum eſſe *in vniuerſum* in illa priori confeſſione; at ſcit, non eſſe expoſitum in ſpecie, & ſingillatim, & taliter quod potuerit Sacerdos exercere iudicium circa illud non incognitâ causâ, & de grauitate illius rectè cenſere; & taliter quod potuerit ſeruare æquitatem in pœna iniungenda pro qualitate criminis, & non ſolùm ad infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad peccati præteriti vindictam & caſtigationem. 47.

Ergo qui ex obliuione omiſit peccatum mortale in alia confeſſione, & in alia recordatur illius, ſcit, ſe non eſſe confeſſum id peccatum, eo modo, quo requirit Concilium. 48.

Maior tota compacta eſt ex textibus Concilij ſine vlla additione, vt patet ex capite præcedenti. Conſequentia conſtat; & minor eſt euidens, cùm peccatum mortale ex obliuione omiſſum, & poſtea in memoriam reuocatum, nondum in ſpecie, & ſingillatim ſit declaratum in confeſſione; & conſequenter in illo non inueniantur impleta ea, quæ propoſita ſunt in minori. 49.

Et nota, cùm dicimus ea requiſita ſeruari debere iuxta Concilium in confeſſione cuiuſlibet peccati, ne exiſtimes, id in eo ſenſu dici, quod confeſſio ſit inualida, ſi confeſſarius non ſeruauerit omnimodam æquitatem in pœnis iniungendis, aut ſi non rectè cenſuerit de grauitate criminis, &c. Nam ſenſus eorum textuum eſt, quod tenentur pœnitentes, dum fuerit poſſibile, ad confitendum omnia, & ſingula peccata in ſpecie tali confeſſione, vt vi illius poſſint Sacerdotes eam æquitatem ſeruare, & rectè cenſere de grauitate criminis, &c. 50. *Quomodo teneatur confeſſarius ſeruare æquitatem in pœnis iniungendis?*

Confirmatur & explicatur ampliùs hoc primum argumentum. Nam ſi aliquis confiteatur peccata venialia, & obliuiſcatur hæreſis mentalis, vel actus odij Dei, in quem incidit, licèt in ea confeſſione abſoluatur ab omnibus; tamen ſi recordatur actus interni peſſimi, dum illum non fatetur, adhuc talis actus non eſt allatus ad iudicium, in quo de grauitate criminis poſſit Sacerdos rectè cenſere, & æquitatem ſeruare in pœnis iniungendis pro qualitate criminis, &c. Nam cùm Sacerdos ſolùm iniunxerit pro ſatisfactione recitationem orationis *Salue Regina*, quinquies v. g. nec potuerit grauiſſimam ſatisfactionem imponere ſine cognitione cauſæ, illa confeſſio non habebit requiſita, quæ Concilium poſtulat: ergo cùm ad memoriam venerit, debet afferri ad iudicium, in quo poſſit Sacerdos æquitatem ſeruare quoad ſatisfactionem imponendam. 51.

Probatur ſecundò. Iuxta verba Concilij quilibet tenetur confiteri ea peccata mortalia, quorum habet conſcientiam: ſed qui in vna confeſſione 52.

Digitized by Google

Pœnitens habet conſcientiam peccati obliti, ad memoriam redeuntis.

confeſſione oblitus eſt peccati mortalis, & poſteà recordatur, habet conſcientiam illius: ergo tenetur confiteri illud, nempe quando vrget præceptum confitendi. Maior eſt Tridentini, vt patet ex capite præcedenti, *num.* 28. Minor probatur. Ille habet conſcientiam peccati mortalis, qui ſcit, ſe commiſiſſe illud, & non adhibuiſſe confeſſionem illius cum iis requiſitis, quæ exigit Concilium: ſed qui in vna confeſſione oblitus eſt peccati mortalis, & poſteà recordatur eius, ſcit, ſe commiſiſſe illud, & non adhibuit confeſſionem eius cum iis requiſitis, quæ exigit Concilium: ergo habet conſcientiam illius. Minor patet: cùm ad confeſſionem cuiſlibet peccati talem exigat Concilium & cum talibus requiſitis, qualia propoſita ſunt in antecedenti argumento; ea autem non eſſe ſeruata ab eo qui priùs omiſit peccatum, & poſteà recordatur illius, manifeſtum eſt, cùm nondum fuerit in ſpecie declaratum.

53. *Qui in confeſſione oblitus eſt peccati, illud non ſubiecit clauibus.*

Probatur tertiò. Qui recordatur peccati mortalis à ſe commiſſi, & illud non ſubiecit clauibus, tenetur illud in ſpecie confiteri: ſed qui oblitus eſt peccati mortalis in confeſſione, & poſtea meminit eius, recordatur vtique illius à ſe commiſſi, & id non ſubiecit clauibus: ergo tenetur in ſpecie illud confiteri. Maior & certiſſima eſt, & admittitur ab aduerſario. Minor probatur. Nam claues Eccleſiæ non ſunt ſolùm ad abſoluendum, ſed etiam ad imponendam ſatisfactionem pro qualitate delicti, vt patet ex iis verbis Tridentini *ſeſſ.* 14. *cap.*8. *ſatisfactio, quam imponunt, non ſit tantùm ad noua vita cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem. Nam claues Sacerdotum, non ad abſoluendum dumtaxat, ſed ad ligandum conceſſas, etiam antiqui Patres & credunt, & docent.* Vnde ſic argumentor. Ille non ſubiecit clauibus Eccleſiæ peccatum (ſaltem directè, & immediatè) qui non ſubiicit illud taliter, & cum tali cauſæ cognitione vt poſſint Sacerdotes illud ligare media ſatisfactione impoſita pro qualitate delicti, & ad illius non ſolùm medicamentum, ſed etiam caſtigationem, vt patet ex præfato textu Concilij: ſed qui in confeſſione oblitus eſt peccati mortalis, & poſtea eius meminit, non ſubiecit illud eo modo; cùm non ſubiecerit taliter, vt poſſit ligari media ſatisfactione impoſita pro qualitate criminis, &c. vt ex terminis patet: ergo qui oblitus eſt peccati mortalis in confeſſione, & poſteà eius meminit, illud non ſubiecit clauibus Eccleſiæ.

Duæ claues in Sacramento Pœnit.

54. Dices, claues Eccleſiæ in Sacramento Pœnitentiæ eſſe duas; alteram ad abſoluendum, alteram ad ligandum media ſatisfactione. Qui ergo confeſſus eſt peccata, quæ memoriæ occurrerunt; alia, quæ ſubterfugerunt memoriam, ſubiecit claui abſolutionis, quamvis non ſubiecerit claui ligandi media ſatisfactione.

55. Hæc reſponſio impugnatur apertè. Nam hæc ſubiectio, qua peccata ſubiiciuntur clauibus, eſt ipſa confeſſio: hæc autem ſecundùm Concilium (dum non obſtet impoſſibilitas) debet ſubiicere peccata Sacerdoti, vt cum cognitione cauſæ poſſit exercere circa peccata vtramque poteſtatem, etiam poteſtatem imponendi ſatisfactionem pro qualitate criminis, ſeruando æquitatem in pœnis iniungendis, &c. Confeſſio autem, in qua remanſit ſub obliuione peccatum, non ſubiecit hoc pacto peccatum illud, ratione impoſſibilitatis ortæ ex obliuione. Cùm autem ſucceſſit memoria eius peccati, inſtat obligatio ſubiiciendi peccatum vtrique claui; quia ex vno capite, iuxta Concilium, confeſſio debet eſſe talis, vt ſubiiciat peccatum etiam poteſtati ligandi media ſatisfactione, modo dicto, dum id fuerit poſſibile; & ex alio capite ceſſauit impoſſibilitas implendi eam obligationem. Vnde fit, illud peccatum ex obliuione omiſſum, non eſſe ſubiectum ſecundæ claui modo, quo exigit Concilium. Imò nec primæ; cùm Concilium poſtulet, vt ſubiiciantur peccata poteſtati abſoluendi, non in generali, ſed in ſpecie etiam, & ſingillatim.

Probatur quartò. Quilibet pœnitens omnia peccata ſua debet deferre Sacerdoti vt Medico, ad hoc vt vulneri medicinam adhibeat; vt patet ex textu decimo propoſito capite præcedenti: ſed qui oblitus eſt in confeſſione peccati mortalis, & poſtea recordatur eius, nondum detulit illud peccatum Sacerdoti vt Medico: ergo nondum impleuit eam obligationem; atque adeò accedente memoria eius peccati, adhuc illa obligatione tenetur. Probatur minor. Nam, vt textus idem præſcribit, *Quod ignorat, medicina non curat*; atque adeò nemo cum veritate dicitur detuliſſe Sacerdoti vt Medico vulnus, quod Medicus ignorat: ſed peccatum eius, qui oblitus eſt illius in confeſſione, adhuc Medicus ignorat: ergo nondum delatum eſt Sacerdoti vt Medico. Minor patet. Id enim ignorat Medicus, quod illi non eſt declaratum in ſpecie, & in ſingulari. 56.

Qui in confeſſione oblitus eſt peccati, nondum id detulit Sacerdoti vt Medico.

Probatur quintò. Regula generalis propoſita cum aliqua exceptione, omnia comprehendit, præter excepta: ſed regula generalis Concilij eſt, [omnia peccata mortalia in ſpecie & ſingillatim confitenda eſſe;] vt patet ex textu 1. 2. 4. 8. 9. 10. 11. Et exceptio huius regulæ eſt, [peccata oblita, dum oblita ſunt, non eſſe confitenda;] vt patet ex textu 12. & ſenſu illius euidenti: ergo præter peccata oblita, dum oblita ſunt, reliqua omnia ſunt confitenda: ergo peccata oblita, dum ad memoriam tranſeunt, confitenda ſunt. Hæc conſequentia patet. Ea, quæ non clauduntur in exceptione, confitenda ſunt: ſed peccata oblita, dum ad memoriam tranſeunt, non clauduntur in exceptione; cùm exceptio ſolùm contineat peccata oblita, dum oblita ſunt: ergo peccata oblita, dum ad memoriam tranſeunt, confitenda ſunt. Confirmatur. Quæ non continentur in exceptione, continentur in regula generali: ſed peccata oblita, dum ad memoriam redeunt, non continentur in exceptione: ergo in regula generali. 57.

Ab obligatione confitendi mortalia ſolùm excipit oblita, dum oblita.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT V.

Quatuor alia argumenta pro eadem veritate.

58. *Eſt obligatio confitendi peccata in ſpecie, & ſingillatim, dum non fuerit impoſſibile.*

PRobatur ſextò. Omnes fideles tenentur confiteri omnia & ſingula peccata mortalia in ſpecie & ſingillatim, dum id non fuerit impoſſibile (ſcilicet phyſica, vel morali impoſſibilitate) ſed quamvis impoſſibile ſit confiteri peccata oblita, dum oblita ſunt; non tamen eſt impoſſibile, ſed omnibus modis poſſibile, confiteri peccata, poſtquam in memoriam veniunt: ergo omnes fideles tenentur confiteri omnia & ſingula peccata mortalia (etſi priùs oblita ſint) poſtquam in memoriam veniunt. Minor & conſequentia patent. Maior probatur. Sectarij dicebant, eſſe impoſſibilem confeſſionem Eccleſiæ Romanæ, quia obligat ad confitenda etiam peccata, quorum pœnitens non recordatur, etiam dum non recordatur: è contra eo textu 12. relato *cap.* 3. declarat, eam non eſſe impoſſibilem, quia confeſſio non obligat ad eam impoſſibilitatem: ergo ſenſus verborum Concilij eſt, quod non tenetur pœnitens ad confeſſionem modo impoſſibili, hoc eſt, ad confitenda peccata, dum eorum non recordatur: ergo dum non fuerit ea impoſſibilitas confitendi, tenentur pœnitentes ad omnia & ſingula peccata in ſpecie & ſingillatim confitenda.

59. *Arguitur ex impoſſibilitate confitendi, quam fingebant ſectarij.*

Confirmatur primò. Ideò, ſecundùm Concilium, nihil aliud in Eccleſia exigitur à pœnitentibus, quàm confeſſio eorum, quorum recordantur; vtique ne ad aliquid impoſſibile teneri dicantur, vt patet *ex eo cap.* 3. *à num.* 35. Sed per hoc quod confiteri deberent peccata, quorum nullo modo recordantur, ad aliquid impoſſibile tenerentur; & per hoc quod confiteri deberent peccata in confeſſione oblita, & poſtea memoriam ſubeuntia, non poſſunt dici ad aliquid impoſſibile teneri: ergo ſecundùm declarationem Concilij, pœnitentes non debent confiteri peccata, quorum nullo modo meminerunt; & tenentur confiteri peccata priùs ex obliuione omiſſa, & poſtea memoriam ſubeuntia.

60. Confirmatur ſecundò. Concilium damnat expreſsè errorem ſectariorum, qui reddit impoſſibilem confeſſionem ſacramentalem: ſed error, qui reddit impoſſibilem confeſſionem ſacramentalem, eſt ſolùm aſſerere, quod tenentur pœnitentes confiteri peccata oblita, dum oblita ſunt; non verò aſſerere, quod tenentur confiteri peccata oblita, dum ad memoriam redeunt: ergo Concilium damnat expreſsè eam aſſertionem, quod tenentur pœnitentes ad confitenda peccata oblita, dum oblita ſunt: ergo expreſsè loquitur Concilium in hoc ſenſu.

61. Confirmatur tertiò. Cùm dicit Concilium, non eſſe impoſſibilem confeſſionem, quia nihil aliud à pœnitentibus exigitur, illud, *Nihil aliud*, refertur ad impoſſibilitatem à ſectariis confictam: ergo ſolùm excludit Concilium eam impoſſibilitatem: ergo non excludit confeſſionem modo poſſibili faciendam, qualis eſt confeſſio eorum, quæ priùs oblita in confeſſione, poſteà in memoriam veniunt: ergo ſi hæc non excluditur, ſtandum eſt definitioni generali, quod omnia & ſingula peccata deferenda ſunt Sacerdotibus in ſpecie & ſingillatim, dum fuerit poſſibile. Relege explicationem textûs duodecimi, traditam *cap. præcedenti.*

Probatur ſeptimò, & ante probationem ſupponendum eſt, quando duæ propoſitiones ſunt euidenter æquipollentes, ſi vna definitur in Concilio, alteram quoque definitam dicendam eſſe. Patet. Nam propoſitiones æquipollentes ſunt, quæ ſolùm verbis differunt, eundem tamen ſenſum continent. Et cùm Concilium non definiat mera verba, ſed ſenſum; manifeſtum eſt, ex duabus euidenter æquipollentibus, ſi vna definitur, alteram quoque eadem definitione comprehendi. 62. *Ex duabus æquipollentibus, ſi definitur vna, altera etiam definita manet.*

Relege ergo textum 12. *cap.* 3. propoſitum, & ſenſum illius ibidem demonſtratum, & inuenies eſſe euidenter æquipollentem huius propoſitionis: [Impium eſt confeſſionem dicere impoſſibilem: conſtat enim non eſſe impoſſibile, quod in Eccleſia exigitur; non enim exigitur, quod pœnitens confiteatur peccata oblita, dum oblita ſunt, vt volunt ſectarij; ſed quod nulla alia mortalia confitenda ſunt, præter ea, quæ poſt diligens examen ad memoriam adducuntur.] 63. *Quomodo hæc aſſertio æquipollet definitæ.*

Rurſus iſta poſtrema propoſitio eſt exceptiua exponibilis, & ad regulas Dialecticæ exponenda eſt. Et quia propoſitiones Dialecticæ ſummam conciſionem poſtulant, vocemus peccata, alia oblita, alia memorata. Et his terminis propone illam propoſitionem exceptiuam: [Nulla alia mortalia confitenda ſunt præter memorata.] 64.

Hæc iuxta regulas Dialecticæ ſic exponitur: [Nulla mortalia diſtincta à memoratis confitenda ſunt; & omnia memorata confitenda ſunt.] 65.

Et illa æquiualet iſti: [Nulla mortalia oblita confitenda ſunt, & omnia memorata confitenda ſunt.] Sed prima pars huius propoſitionis exponentis in quo ſenſu accipitur? Et quidem cùm ea contradicat ſectariis, debet loqui in ſenſu ſectariorum; alioqui non contradicet. Si ergo ſectarij loquuntur de oblitis, dum oblita ſunt; Concilium loquitur de oblitis, dum oblita ſunt. Et ſenſus eſt: [Nulla mortalia oblita, dum oblita, confitenda ſunt; & omnia memorata confitenda ſunt.] 66.

In hac autem continetur iſta: [Omnia oblita, dum redeunt ad memoriam, confitenda ſunt.] Tum quia ſolùm excluduntur oblita, dum oblita. Tum quia iſti termini, *omnia oblita, dum oblita*, & *omnia memorata*, faciunt diuiſionem adæquatam: ſed peccata oblita, quæ ad memoriam redeunt, non continentur in primo membro diuiſionis: ergo continentur in ſecundo. Ergo propoſitio, quæ dicit, *omnia memorata eſſe confitenda*, includit omnia priùs oblita, & poſteà memorata. 67.

Probatur octauò. Præſcribit Tridentinum, quod quilibet tenetur confiteri omnia peccata, quibus ſe Deum mortaliter offendiſſe meminerit: ſed peccatis grauibus oblitis priùs, & poſtea memoriam ſubeuntibus, ſe Deum mortaliter offendiſſe meminit: ergo priùs oblita, 68.

&

Digitized by Google

& poſtea memoriam ſubeuntia tenentur confiteri.

69. Probatur nonò. Concilium requirit, vt omnia peccata deferantur Sacerdotibus, non ſolum in vniuerſum, ſeu in generali, ſed in ſpecie & ſingillatim, vt patet præcipuè ex textu 2. 4. & 11. ſed peccata oblita in confeſſione non includuntur in ea confeſſione in ſpecie, & ſingillatim, ſed ſolùm includuntur *in vniuerſum*, vt patet ex textu 13. atque adeò non ſunt delata in ſpecie, & ſingillatim, ſed ſolùm in vniuerſum: ergo ſi poſtea recordatur pœnitens eorum, tenetur ea confiteri in ſpecie, & ſingillatim.

Non ſufficit, peccata includi in confeſſione in vniuerſum, ſed in ſpecie, & ſingillatim.

Peccata oblita ſolùm includuntur in vniuerſum.

70. Confirmatur. Quando quis confitetur confeſſario inferiori peccata non reſeruata, & obliuiſcitur peccati reſeruati, tunc tenetur pœnitens poſtea confiteri peccatum reſeruatum, quando venerit ad memoriam: quia ille confeſſarius inferior non habebat iuriſdictionem in illud peccatum reſeruatum, vt notat Murcia *ibid. reſol.* 26. Et tamen illud peccatum oblitum includitur *in vniuerſum* in illa confeſſione: ergo quamvis peccata alia oblita includantur in ea confeſſione in vniuerſum, malè colligitur, quod non ſint confitenda. Minor eſt certiſſima. Sicut enim ſectarij vniuerſaliſſimè loquebantur de omnibus peccatis oblitis, ita Concilium loquitur vniuerſaliſſimè de omnibus peccatis oblitis, quod nemo tenetur illa confiteri, & quod illa ſunt incluſa *in vniuerſum* in ea confeſſione.

CAPVT VI.

Recenſentur breuiter propoſitiones in Concilio definitæ, in quibus continetur noſtra concluſio.

71. QVamvis ex dictis in duobus capitibus ſuperioribus ſatis ſuperque conſtent propoſitiones in Concilio Tridentino definitæ, in quibus certiſſima doctrina de peccatis in confeſſione oblitis, & ad memoriam redeuntibus confitendis continetur; maiori tamen claritatis gratiâ oportet recenſere breuiter eiuſmodi propoſitiones. Pro quo reuoca in memoriam eam prænotationem, quam *cap. præced. num.* 62. propoſui, ſcilicet quando duæ propoſitiones ſunt euidenter æquipollentes, ſi vna eſt definita in Concilio, alteram quoque ſub eadem definitione comprehendi.

72. Prima propoſitio: [Pœnitens tenetur confiteri omnia peccata mortalia; non tamen tenetur confiteri oblita, dum oblita.] Prima pars definitur textu 1. 2. 4. 8. 9. 10. 11. 12. Secunda verò pars eſt definita in textu 12. in quo damnatur error hæreticorum dicentium, confeſſionem eſſe impoſſibilem, quia præcipiuntur confiteri peccata oblita dum oblita ſunt, vt patet ex dictis *cap.* 3. & 4.

73. In hac autem propoſitione ſic definita contineri iſtam: [Peccata mortalia in confeſſione oblita, dum ad memoriam redeunt, confitenda ſunt;] patet ex dictis *cap.* 3. *num.* 40. & *cap.* 4. *num.* 37. & præcipuè ex confirmatione propoſita *in eodem num.* 57. Quando enim eſt regula generalis cum vnica exceptione, quæ non continentur in exceptione, continentur in regula generali: ſed peccata mortalia oblita, dum ad memoriam redeunt, non continentur in exceptione; exceptio enim ſolùm excipit peccata oblita dum oblita: ergo peccata mortalia oblita, dum ad memoriam redeunt, continentur ſub regula generali, ſcilicet præſcribente, quod omnia mortalia confitenda ſunt.

Secunda propoſitio: [Omnia peccata mortalia deferenda ſunt Sacerdotibus, quantum fuerit poſſibile.] Prima pars continetur in illis textibus ſuprà relatis Concilij; eſt enim eadem, ac prima pars propoſitionis primæ. Secunda verò pars continetur in textu 12. relato *c.* 3. cùm ibi definiatur, omnia peccata eſſe confitenda, & talem confeſſionem non eſſe impoſſibilem, nec obligare modo impoſſibili. Nam ſi quis aſſerat, præceptum diuinum confeſſionis obligare modo impoſſibili, directè opponetur ei textui Tridentini: definit ergo Concilium, omnia mortalia eſſe confitenda, & non modo impoſſibili, ſed ſolo modo poſſibili. Et ideò P. Ægidius de Coninck relatus *cap.* 2. *n.* 24. dixit: [Fide tenendum eſt, nos iure diuino teneri particulatim Sacerdoti confiteri omnia peccata mortalia, quæ poſt Baptiſmum commiſimus, *quantum morali adhibitâ diligentiâ id facere poſſumus.*] Et quidem formalibus terminis idem aſſeruit P. Fagundez cit. *ibid.* quod idem eſt, ac dicere, eſſe fide diuina ſanctum, nos teneri confiteri omnia mortalia eo modo, quo fuerit poſſibile. 74.

In hac autem propoſitione definita contineri obligationem confitendi peccata oblita, dum ad memoriam redeunt, manifeſtè patet: nam hoc quod eſt confiteri peccata mortalia, modo poſſibili, ſiue quantum fuerit poſſibile, ſolùm excludit peccata oblita, dum oblita; cùm hoc ſolum ſit impoſſibile: & includit confeſſionem oblitorum, dum redeunt ad memoriam, cùm hoc ſit poſſibile. 75.

Tertia propoſitio definita in Concilio eſt: [Omnia peccata mortalia deferenda ſunt in ſpecie & ſingillatim ad Sacerdotes vt iudices, taliter quod poſſint procedere in omnibus non incognita causâ, & rectè cenſere de grauitate criminum; & taliter quod ex vi talis confeſſionis poſſint iniungere pœnas pro qualitate criminis; & non ſolùm in emendationem vitæ, ſed & in caſtigationem præteritorum criminum.] Hæc definita eſt in textu 3. 4. 5. 6. 7. relatis *cap.* 3. 76.

In hac autem propoſitione ex omnibus illis textibus compoſita contineri hanc obligationem de confitendis peccatis oblitis, ad memoriam redeuntibus, manifeſtum eſt. Nam qui recordatur peccati mortalis in confeſſione antecedenti obliti, cognoſcit ſe non impleuiſſe circa illud peccatum id præceptum de confeſſione, quæ habeat omnia ea requiſita. Vnde dum Chriſtus præcipit confiteri omne mortale peccatum taliter, quod poſſit confeſſarius rectè cenſere de grauitate criminis, &c. præcipit confiteri omnia mortalia, quæ non ſunt confeſſa, taliter quod poſſit confeſſarius rectè cenſere de grauitate criminis, & imponere ſatisfactiones, &c. in quo manifeſtè includuntur peccata mortalia priùs oblita, & ad memoriam redeuntia. 77.

78. Quarta propoſitio : [Omnia peccata mortalia ſubiicienda ſunt clauibus, non ſolùm quatenus claues dicunt poteſtatem abſoluendi, ſed & quatenus dicunt poteſtatem ligandi, ſeu obligandi ad ſatisfactionem.] Hæc propoſitio definita eſt in textu 7. relato *cap. 3. num. 26.* eſt enim euidenter æquiualens illi textui.

79. In hac autem continetur propoſitio, quæ adſtruit obligationem confitendi peccata mortalia in confeſſione oblita, & ad memoriam redeuntia. Nam illa quarta propoſitio obligat ad ſubiiciendum omnia mortalia clauibus, quà dicunt poteſtatem obligandi ad ſatisfactionem pro qualitate delicti: atque adeò obligat ad confitendum peccata, quæ nondum ſubiecta ſunt confeſſario, vt potenti obligare ad ſatisfactionem pro qualitate delicti: ſub qua generalitate continentur peccata oblita in confeſſione, & mox ad memoriam redeuntia, quæ vt, patet, non ſunt ſubiecta huic poteſtati imponendi ſatisfactionem adæquatam qualitati delicti.

80. Quinta propoſitio : [Omnia peccata mortalia aperienda ſunt Sacerdoti vt Medico: & quæ ignorat, medicina non curat.] Hæc definita eſt in textu 10. relato *capite 3. numero* 30.

81. Hæc autem propoſitio quinta manifeſtè includit alteram, quæ iniungit confeſſionem peccatorum mortalium, quæ cùm in vna confeſſione ſunt oblita, poſteà memoriam ſubeunt. Nam cùm hæc quinta propoſitio præſcribat, impoſſibilem eſſe medicinam vulneris ſpiritualis à Medico ignorati, clarè comprehendit vulnus peccati obliti, quod ad memoriam redit; quod cùm non ſit in ſpecie expoſitum, vtique eſt ignoratum à Medico. Et cùm præſcribat, omnia vulnera ſpiritualia aperienda eſſe Medico, & peccatum mortale oblitum, & ad memoriam rediens, nondum ſit apertum Medico; vtique illud comprehenditur præcepto.

82. Sexta propoſitio definita : [Omnia peccata mortalia ſunt confitenda in ſpecie & ſingillatim; & quæ oblita ſunt in aliqua confeſſione, ſolùm *in vniuerſum* incluſa eſſe intelliguntur in tali confeſſione.] Hæc definita eſt quoad primam partem in textu 4. & quoad ſecundam partem in textu 13. relatis *c. 3. n. 26.* & *num.* 42.

83. In hac autem continetur noſtra concluſio de confitendis peccatis oblitis iam ad memoriam reuocatis. Quia cùm præcipiat Concilium, omnia peccata mortalia exponi in ſpecie & ſingillatim, & declaret, peccata oblita non in ſpecie & ſingillatim incluſa eſſe in illa confeſſione, ſed ſolùm in vniuerſum; declarat vtique omnia ea, quæ ſolùm in vniuerſum ſunt incluſa in confeſſione, includenda eſſe in alia confeſſione in ſpecie & ſingillatim.

84. Septima propoſitio : [Oportet à pœnitentibus omnia & ſingula peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent, in confeſſione recenſeri.] Hæc definita eſt in textu 8. & 14. relatis *cap. 3. num.* 28. & *num.* 43.

85. In hac etiam includitur concluſio noſtra; cùm ex dictis *cap.* 3. *&* 4. conſtet manifeſtè, eum habere conſcientiam peccati mortalis, qui ſcit, ſe commiſiſſe illud, & cognoſcit, ſe nondum expoſuiſſe illi confeſſioni, quam præſcribit Concilium: confeſſioni, inquam, qua cum cognitione cauſæ poſſit confeſſarius imponere ſatisfactionem pro qualitate criminis. Id quod ſtrictiſſimè verificatur in eo, qui oblitus eſt peccati mortalis in vna confeſſione, & deinde recordatur illius.

CAPVT VII.

Soluuntur, & in Authorem reflectuntur duo priora argumenta Murciæ, & de dolo ſophiſtico accuſantur.

CVm nulla poſſit eſſe opinio probabilis, niſi quæ ratione firma & graui fulciatur; tanquam certiſſimum ſtatuitur ab omnibus, illam non eſſe probabilem, quæ ſophiſticis, aut leuibus argumentis innititur. Igitur poſtquam oſtenſum eſt, eam opinationem à Murcia propoſitam, eſſe ſaltem contra concluſionem certò illatam ex articulo fidei catholicæ; operæpretium erit etiam oſtendere quod licèt non eſſet adeò certò falſa, adhuc nullo modo eſſet probabilis. Quod vt conſtet, oſtendam, omnia ea argumenta à Leandro propoſita leuiſſima eſſe, & ferè omnia ſophiſtica. 86.

Primum argumentum ſic proponit Murcia. [Hæc ſententia probatur in primis ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 14. c. 5.* vbi hæc verba facit: *Conſtat enim Sacerdotes iudicium hoc incognitâ cauſâ exercere non potuiſſe, ſi in genere dumtaxat, & non potiùs in ſpecie & ſingillatim ſua ipſi peccata declaraſſent. Ex his colligi, oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem, conſcientiam habent, in confeſſione recenſeri, etiamſi occultiſſima illa ſint.* Hucvſque Concilium. Ex quibus verbis ſic ſumitur argumentum. Concilium apertè docet, pœnitentes debere confiteri omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent: ergo & docuit, non debere confiteri illa, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam non habent; iuxta regulam communiter receptam ab vtriuſque iuris Doctoribus, quod videlicet *Exceptio firmat regulam in contrarium.* Aſſerens igitur, quod ſola illa peccata neceſſariò ſint confitenda, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem, pœnitentes conſcientiam habent; firmauit, quod illa peccata, quorum conſcientiam non habent, non ſint neceſſariò confitenda: ſed de peccatis oblitis pœnitens conſcientiam non habet: ergo non ſunt neceſſariò confitenda. Minor probatur, quia conſcientia eſt notitia ſcientifica; & id, quod oblitum eſt, actualiter non ſcitur, iuxta illud Philoſophi; *Id ſcimus, quod memoriâ retinemus.*] 87.

Hoc argumentum duobus modis militat contra ſuum Authorem. Primò, nam capite præcedenti ex hoc textu infertur manifeſtè, quod pœnitentes tenentur ad confitenda peccata, quorum in vna confeſſione obliti ſunt, ſi obliuioni ſuccedat memoria; eo quod qui oblitus eſt peccati mortalis in vna confeſſione, & poſtea recordatur eius, verè habet 88.

Dupliciter regreditur in Authorem.

Digitized by Google

habet conſcientiam peccati mortalis, vt ibi oſtenſum eſt.

88. Secundò militat contra ſuum Authorem, quoad ipſam argumenti formam, qua vtitur, hoc pacto. Etenim vt *Exceptio firmat regulam in contrarium*, ita Concilium aſſerens, quod ſola illa peccata neceſſariò ſint confitenda, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem pœnitentes conſcientiam habent; firmauit, quod illa peccata, quorum conſcientiam non habent, non ſint neceſſariò confitenda: ſed de peccatis oblitis, dum oblita ſunt, pœnitens conſcientiam non habet; & de peccatis oblitis, dum ſuccedit memoria eorum, pœnitens conſcientiam habet: ergo peccata oblita, dum oblita ſunt, non ſunt confitenda; & peccata oblita, dum ſuccedit memoria eorum, confitenda neceſſariò ſunt. Maior eſt aduerſarij. Probatur minor eadem probatione, qua vtitur aduerſarius. [Conſcientia eſt notitia ſcientifica; & id, quod oblitum eſt, actualiter non ſcitur, iuxta illud Philoſophi, *Id ſcimus, quod memoriâ retinemus.*] Sed id, quod oblitum eſt, dum oblitum eſt, actualiter non ſcitur; & dum ſuccedit memoria eius, actualiter ſcitur: ergo de oblitis, dum oblita ſunt, pœnitens non habet conſcientiam; & de oblitis, dum ſuccedit memoria eorum, pœnitens habet conſcientiam. Deinde de eo, quod oblitum eſt, dum oblitum eſt, non datur notitia ſcientifica; & de eo quod oblitum fuit, dum ſuccedit memoria, datur notitia ſcientifica: ergo ſi conſcientia eſt notitia ſcientifica, de eo quod oblitum eſt, dum oblitum eſt, non datur conſcientia; & de eo, quod oblitum fuit, dum aduenit memoria, datur conſcientia. Ecce quomodo argumentum Murciæ deſtruit ſuam opinionem, & confirmat veritatem illi oppoſitam.

89. *Detegitur æquiuocatio.*

Deinde tribus modis ſophiſticum eſſe oſtenditur. Conſidera iterum ſyllogiſmum Murciæ: [Illa peccata, quorum conſcientiam non habent, non ſunt neceſſariò confitenda: ſed de peccatis oblitis pœnitens conſcientiam non habet: ergo peccata oblita non ſunt neceſſariò confitenda.] Et vide quàm ſubdolè procedat argumentum, non eliciendo conſequentiam, quam intendit. Inquiro enim, an intendat probare, quod peccata oblita, dum oblita ſunt, non ſunt neceſſariò confitenda; an potiùs, quod peccata oblita, dum ad memoriam redeunt, non ſunt neceſſariò confitenda? Et quidem hoc ſecundum fatetur eſſe aſſumptum, quod probandum ſuſcepit. Quare ergo non elicit hanc conſequentiam? [Ergo peccata oblita non ſunt neceſſariò confitenda, etiamſi memoria eorum adueniat;] niſi quia vult, propoſitionem manere in æquiuoco, vt apparentem ei probabilitatem conferat. Argumentum autem, cuius vis ſtat in æquiuoco, ſophiſticum eſt: eſt ergo ſophiſticum id primum argumentum.

90. *Syllogiſmus ſcatet quatuor terminis.*

Secundò, quia ſyllogiſmus ille ſubdolè ſcatet quatuor terminis, dum voce tenus videtur conſtare tribus. Ideò enim ſophiſticus eſt iſte ſyllogiſmus: Omnis canis latrat: hoc ſydus eſt canis: ergo hoc ſydus latrat;] quia licet voce tenus ſint tres dumtaxat termini, *canis*, *latrans*, & *hoc ſydus*; tamen ſub voce *canis*, latent duo termini ob duo ſignificata diuerſa, quorum vnum eſt in maiori, & alterum diuerſum in minori.

Quod autem latenter ſcateat ille ſyllogiſmus Murciæ quatuor terminis, patet, ſi recoles ſenſum propoſitionum. 91. Etenim in ea minori: [Sed de peccatis oblitis pœnitens conſcientiam non habet;] ille terminus *peccata oblita*, ſupponit pro peccatis oblitis, dum actualiter oblita ſunt, vt patet ex ipſa probatione, qua illam confirmat Author, ſcilicet: [Conſcientia eſt notitia ſcientifica; & id, quod oblitum eſt, actualiter non ſcitur.] Loquitur ergo de peccatis oblitis, dum actualiter non ſciuntur. At verò in ea concluſione: [Ergo peccata oblita non ſunt neceſſariò confitenda,] ille terminus *peccata oblita*, ſupponit pro peccatis oblitis, poſtea memoriam ſubeuntibus; atque adeò habet diuerſum ſignificatum, ac habet in minori. Quod autem ſic ſupponat in concluſione ille terminus *peccata oblita*, patet ex dictis; cùm concluſio ab Authore intenta vel loqui debeat de peccatis oblitis, dum oblita ſunt; vel de peccatis oblitis, dum iam memoriam ſubeunt. Et conſtat, Authorem argumenti non loqui priori modo, quia non eſt ad rem eius; ſed loqui poſteriori modo, quia eſt concluſio ab Authore intenta.

Sed & alio etiam modo oſtenditur fraus ſophiſtica eius ſyllogiſmi. 92. Quod vt explicem rogo, quo defectu laboret iſte ſyllogiſmus: [Quidquid implicat contradictionem, non poteſt fieri a Deo: ſed quod cæcus videat, implicat contradictionem (cùm cæcitas, & viſus componi non poſſint) ergo quod cæcus videat, non poteſt fieri à Deo; atque adeò non eſt verum, quod dicit Euangeliſta: *Cæci vident*, &c.] Reſpondebis, & benè, In minori, & concluſione variari proprietates terminorum. In minori enim terminus *cæcus*, habet ſtatum, id eſt, quod cæcus, dum eſt cæcus, videat: in concluſione autem terminus *cæcus*, habet diſtractionem, id eſt, quod ille, qui fuit cæcus, modò videat, ſcilicet pro diuerſa temporis differentia. Vel ſi non vis ad rudimenta Dialectica recurrere, benè etiam reſpondebis, ſi dicas, ideò fallacem eſſe eum ſyllogiſmum, quia illud *quod cæcus videat*, ſumitur in minori in ſenſu compoſito; & in concluſione in ſenſu diuiſo.

93. *In ſyllogiſmo variantur proprietates terminorum.*

Ecce ergo qualiter ille ſyllogiſmus Murciæ eadem fraude ſophiſtica laboret. Nam in illa minori, [Sed de peccatis oblitis pœnitens conſcientiam non habet,] is terminus *peccata oblita*, habet ſtatum, id eſt, de peccatis oblitis, dum oblita ſunt, conſcientiam non habet; vt patet ex illa probatione minoris, *Id quod oblitum eſt, actualiter non ſcitur*. In concluſione verò terminus *peccata oblita*, habet diſtractionem, id eſt, peccata, quæ fuerunt oblita, non ſunt neceſſariò confitenda. Item in minori *peccata oblita*, accipiuntur in ſenſu compoſito cum obliuione; ſic enim, & non aliter verum eſt, quod *id, quod oblitum eſt, actualiter non ſcitur*. In concluſione verò non ſumuntur peccata oblita in ſenſu compoſito cum obliuione, ſed in ſenſu diuiſo; & in caſu, quo diſceſſit obliuio, & ſucceſſit memoria.

Quod ſi reſpondeat, in vtraque propoſitione ſumi eum terminum *peccata oblita*, in 94. ſenſu

ſenſu compoſito; ſit, quod ſolùm probat in concluſione, peccata oblita, dum ſunt oblita, non eſſe confitenda: in quo operam perdidit, cùm illud non ſit ad rem, & certiſſimum ſit, nec probatione egeat. Si verò reſpondeat, in vtraque propoſitione ſumi *peccata oblita*, in ſenſu diuiſo; ſit, & minorem eſſe falſam, quia de peccatis, quæ fuerunt oblita, & tranſierunt ad memoriam, pœnitens habet conſcientiam, vt probatum manet: & prætereà probationem minoris repugnare cum ipſa minori, ſi peccata oblita accipiantur in ſenſu diuiſo: nam ea propoſitio, *Id, quod eſt oblitum, actualiter non ſcitur*, non verificatur niſi de peccatis oblitis, dum ſunt oblita, vt patet ex dictis. Et hinc manifeſtè conſtat, quid ſit reſpondendum ad argumentum.

95. Secundum argumentum ſic proponit Murcia. [Probatur ſecundò ex verbis eiuſdem Concilij Tridentini in eadem ſeſſione ita dicentis: *Conſtat, nihil aliud in Eccleſia à pœnitentibus exigi, quàm vt poſtquam quiſque diligentiùs ſeſe excuſſerit, & conſcientiæ ſuæ ſinus omnes, & latebras explorauerit, ea peccata confiteatur, quibus ſe Dominum, & Deum ſuum mortaliter offendiſſe meminerit.* Vbi ponderanda veniunt illa verba, *Conſtat, nihil aliud in Eccleſia à pœnitentibus exigi:* igitur ipſis opponitur, qui aliquid aliud requiri aſſerit. Hæ enim aſſertiones, *Nihil aliud à pœnitentibus exigitur*; &, *Aliquid aliud exigitur*, contradictoriæ ſunt: cùm autem prima ſit expreſſa Concilij, altera ſine clariſſimo errore teneri non poteſt: ſufficit ergo, vt pœnitens confiteatur ea peccata, quibus Deum ſuum mortaliter offendiſſe meminerit: ergo nemo tenetur peccata oblita confiteri, quia illis ſe Deum offendiſſe non meminit.] Huc vſque argumentum ſecundum.

96. *Quot vitiis laboret ſecūdum argumentum?* O quantis modis claudicat argumentum! O quantis ſophiſticatur! Et in primis inquiro circa hanc poſtremam conſequentiam, an concluſio loquatur de peccatis oblitis in ſenſu compoſito, vel in ſenſu diuiſo? An loquatur de peccatis oblitis, dum ſunt oblita, an potiùs de peccatis oblitis, quæ iam tranſierunt ad memoriam? Si primum, operam perdit, quia indubitabile eſt, quod nemo tenetur confiteri peccata oblita, dum oblita ſunt: & item non eſt ad rem, vt patet ex dictis. Si verò dicat ſecundum, quod concluſio loquitur de peccatis oblitis in ſenſu diuiſo, id eſt, de peccatis oblitis, poſtquam tranſierunt ad memoriam; vide, quàm abſurda euadat integra propoſitio in ſenſu diuiſo explicata, quæ talis eſt: [Ergo nemo tenetur confiteri peccata, quæ fuerunt oblita, & tranſierunt ad memoriam; quia illis ſe Deum offendiſſe non meminit.] Quia ſi iam tranſierunt ad memoriam, quomodo illis ſe Deum offendiſſe non meminit?

97. Deinde contra ſuum Authorem argumentum reflectitur eiſdem verbis. Sufficit, vt pœnitens confiteatur ea peccata, quibus Deum ſuum mortaliter offendiſſe meminerit: ſed cùm peccata fuerunt oblita, & poſtea ſubierunt memoriam, iam pœnitens meminit, illis ſe Deum ſuum mortaliter offendiſſe: ergo cùm peccata fuerunt oblita, & poſtea ſubierunt memoriam, pœnitens tenetur ea confiteri.

Tertiò, textus iſte Concilij manifeſtè militat contra eam opinationem. Nam *cap. 3. & 4.* ex illo certiſſimè probauimus, peccata, quæ in vna confeſſione propter obliuionem omiſſa ſunt, & poſtea in memoriam venerunt, confitenda eſſe. 98.

Quartò, peccat iſtud argumentum, dum ab eo textu aufert initium, vnde legitimus eius ſenſus indagandus eſt: ex quo incidit in aliud barathrum, ſcilicet quod accipiat verba Concilij in ſenſu illegitimo. Initium autem, quod deeſt ei textui, eſt: *Sed & impium eſt, confeſſionem, quæ hac ratione fieri præcipitur, impoſſibilem dicere, aut carnificinam illam conſcientiarum appellare. Conſtat enim, nihil aliud*, &c. Vbi Concilium damnat errorem, quem ſectarij affingebant Eccleſiæ Romanæ, propter quam cauſam dicebant eſſe impoſſibilem confeſſionem; ſcilicet quòd tenerentur pœnitentes confiteri peccata oblita, etiam dum oblita ſunt. Quare ſenſus euidentiſſimus verborum Concilij eſt, non eſſe impoſſibilem confeſſionem, quia non tenentur pœnitentes confiteri peccata oblita, dum oblita ſunt, poſt diligens examen; & nihil aliud requiri à pœnitentibus in Eccleſia, quàm vt confiteantur peccata mortalia, quorum poſt diligens examen meminerunt, dum aliorum non meminerunt. Quod manifeſtè probatum manet *cap. 3. & 4.* 99.

Quintò deducitur, argumentum eſſe ſophiſticum eodem prorſus modo, ac præcedens. Primò, quia elicit conſequens æquiuocum, non declarans aſſumptum à ſe intentum, vt ſuprà notaui. Secundò, relege poſtremum enthymema huius ſecundi argumenti: [Sufficit, vt pœnitens confiteatur ea peccata, quibus Deum ſuum mortaliter offendiſſe meminerit: ergo nemo tenetur peccata oblita confiteri, quia illis ſe Deum offendiſſe non meminit.] Quod etſi enthymema ſit, virtualiter eſt ſyllogiſmus; nam ſi hæc poſtrema propoſitio aſſumatur vt minor, euadit ſyllogiſmus ſic: [Sufficit, vt pœnitens confiteatur ea peccata, quibus Deum ſuum mortaliter offendiſſe meminerit: ſed peccatis oblitis, ſe Deum offendiſſe nonmeminit: ergo non tenetur peccata oblita confiteri.] Ecce ſcatet quatuor terminis: nam *peccata oblita*, ſub vna voce continet duos terminos; habet enim duo ſignificata. Nam in minori ſupponit pro peccatis oblitis, dum oblita ſunt; quia de peccatis oblitis dum ad memoriam redeunt, verificari non poteſt; nec ſenſus intentus ab arguente id patitur. In concluſione autem ſupponit pro peccatis oblitis, etiam poſtquam ad memoriam tranſeunt; quia id eſt aſſumptum, quod Author argumenti contendit probare. 100. *Scatet quatuor terminis.*

Et ſimiliter aperitur dolus ſophiſticus, ſicut & in præcedenti argumento, ex eo quod varientur proprietates terminorum; nam cùm terminus *peccata oblita*, in minori habeat ſtatum, in concluſione habet diſtractionem. Item peccata oblita in minori accipiuntur in ſenſu compoſito, & in concluſione in ſenſu diuiſo 101.

Digitized by Google

diuiſo. Relege hos eoſdem defectus notatos in præcedenti argumento; *à num. 89. vſque ad 94.*

Iuxta hæc ad argumentum reſpondebis, eas duas propoſitiones eſſe contradictorias: *Nihil aliud à pœnitentibus exigitur, quàm vt quiſque poſt diligens examen, confiteatur ea peccata, quibus Deum mortaliter offendiſſe meminerit, dum alia non meminerit: Aliquid aliud exigitur,* &c. Et primam eſſe certiſſimam, & ſecundam ſine clariſſimo errore teneri non poſſe. Loqui autem Concilium in eo ſenſu explicato, patet ex errore ſectariorum, quem ibi damnat, vt abundè patet ex dictis.

CAPVT VIII.

Conuelluntur eodem modo quinque alia argumenta Murciæ.

102. Tertium argumentum ſic proponit. [Probatur tertiò ex verbis ſequentibus Concilij *ibid.* quæ ſic ſe habent: *Reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in vniuerſum eadem confeſſione incluſa intelliguntur.* Ex quibus verbis ſic arguitur. Concilium aſſerit, quod reliqua peccata, quæ diligenter cogitanti memoriæ non occurrunt, in vniuerſum in eadem confeſſione incluſa intelliguntur, id eſt, pro confeſſis habentur: ergo cùm in vniuerſum confeſſa eſſe intelligantur, ſiue pro confeſſis habeantur peccata illa, quæ memoriæ diligenter cogitanti non occurrunt, non tenebitur illa confiteri.]

103. *Id argumentum militat contra Authorem.* Hunc textum Concilij militare apertè contra eam opinationem de peccatis oblitis non confitendis, etiamſi ad memoriam redeant, conſtat manifeſtè *ex cap. 3. 4. & 5.* Nam cùm Concilium declaret, omnia peccata deferenda eſſe Sacerdotibus in ſpecie, & ſingillatim; & in hoc textu dicat, peccata oblita, dum oblita ſunt, incluſa intelligi in ea confeſſione, in qua adeſt obliuio eorum, non quidem in ſpecie & ſingillatim, ſed ſolùm in vniuerſum, & in generali; manifeſtum fit, quod ſi illa peccata oblita poſteà in memoriam venerint, manet adhuc obligatio confitendi illa in ſpecie, & ſingillatim. Et cùm in verbis immediatè antecedentibus damnet errorem ſectariorum, quod Sacramentum confeſſionis obliget ad confitendum peccata oblita, etiam dum oblita ſunt; & declaret Concilium non eſſe obligationem confitendi peccata oblita, dum oblita ſunt; eodem ſenſu affirmat & declarat, peccata oblita, dum oblita ſunt, incluſa intelligi in vniuerſum in ea confeſſione, id eſt, oblita peccata remitti tunc, cum obligatione tamen ea confitendi, ſi ad memoriam venerint, quod ex ibi dictis manifeſtum eſt.

104. Ad argumentum ergo reſponde, concedendo, peccata mortalia, quæ poſt diligens examen memoriæ non occurrunt, intelligi incluſa in eadem confeſſione, non quidem in ſpecie & ſingillatim, ſed *in vniuerſum*, & in generali; idque in ordine ad remiſſionem eorum, cum obligatione tamen confitendi ea in ſpecie & ſingillatim ſi redierint ad memoriam, cùm inſtat executio alterius confeſſionis; cùm adhuc non ſint in ſpecie & ſingillatim expoſita in confeſſione. Deinde diſtinguo antecedens æquiuocum ſubſumptum: Ea peccata pro confeſſis habentur [in ordine ad remiſſionem,] concedo; [in ordine ad tollendam obligationem confitendi ea, ſi ad memoriam redierint,] nego. Argumentum autem in mera æquiuocatione fundatum, eſſe ſophiſma, quis non videat?

Sed poſt propoſitum id tertium argumentum præoccupare conatur Murcia duas reſponſiones, quæ ei argumento exhiberi poſſent. 105. Primam, peccata oblita eſſe incluſa indirectè in ea confeſſione, eo quod non ſint directè ſubiecta clauibus. Secundam, ea peccata oblita eſſe incluſa in ea confeſſione implicitè; non verò materialiter & formaliter. Et vtramque reſponſionem conatur impugnare. Ego tamen neutra reſponſione vtor; tum ne verborum inuolucris rem claram & manifeſtam inuoluamus; tum quia Concilium ipſum expreſsè dat nobis legitimam reſponſionem per eam particulam *in vniuerſum*, quæ opponitur alteri, *in ſpecie & ſingillatim.* An autem pœnitens à peccatis oblitis abſoluatur directè, an indirectè, conſtabit *ex cap. ſequenti.*

Reliqua argumenta, quæ proponit Murcia, omnia nituntur eo ſenſu ſuppoſititio verborum Concilij: qui cùm alieniſſimus ſit ab illis verbis, vt ex dictis abundè conſtat; fit, ea argumenta eodem pede claudicare, vt vel ex ipſa eorum propoſitione conſtabit. Quæ breuitatis causâ non ad verbum refero, ſed ea ſolùm, in quibus vires eorum conſiſtunt. 106.

Quartum argumentum eſt. Quia Concilium Tridentinum declarauit, materiam neceſſariam confeſſionis eſſe peccata ſpecie & numero diſtincta; & quia non dixit circumſtantias aggrauantes debere in confeſſione exponi; probabilius omitti poſſe dicuntur: ergo cùm Concilium dixerit, peccata, quæ memoriæ occurrunt, eſſe confitenda, & non dixerit peccata oblita eſſe confitenda, quin potiùs expreſsè dixerit, eſſe in eadem confeſſione incluſa; illa confitenda non erunt. 107.

Ecce redit argumentator ad implicandum ſenſum verborum Concilij. Quare ſi legitimus ſenſus verborum retineatur, argumẽtator operam perdit. Itaq; Concilium apertè docet, peccata oblita, ſi ad memoriam redierint, eſſe confitenda; quia etſi id formalibus verbis non dicat, illud tamen verbis euidenter æquiualentibus docet; declarat enim omnia peccata deferenda eſſe Sacerdotibus in ſpecie & ſingillatim, & ita vt pœnas pro illis iniungere poſſint pro qualitate criminum; peccata autem oblita, dum oblita fuerint, non debere in ſpecie ad confeſſionem deferri; peccata autem, quæ memoriæ occurrunt, & quorum quis conſcientiam habet, eſſe confidenda: quod idem eſt ac dicere, dum ex obliuione ad memoriam tranſierint, debere in ſpecie & ſingillatim ad Sacerdotes deferri, ita vt poſſint pro qualitate criminum pœnas iniungere, &c. vt ex ſuprà dictis abundè conſtat. 108.

Tria ſequentia argumenta ferè eodem recidunt; ideò ea ſimul proponam. Quintum argumentum eſt. Non conſtat, quod Concilium obliget ad confitendum peccata oblita; imò 109.

contrarium conſtare videtur : ergo dicendum eſt, vel Concilium non obligare ad illa confitenda, vel ſaltem eſſe dubium, an ad id velit obligare. Sed quando eſt dubium de præcepto, non poſſidet præceptum, ſed poſſeſſio ſtat pro libertate : ergo in dubio, an teneamur confiteri peccata oblita, ſtandum eſt pro libertate, & dicendum, non eſſe obligationem ea confitendi.

110. Sextum argumentum eſt. Quando lex eſt pœnalis & odioſa, in eius interpretatione benignior pars eſt amplectenda : ſed lex quæ inducit grauamen confeſſionis, eſt pœnalis : ergo in dubio in benigniorem partem interpretanda eſt, ita vt non obliget peccata oblita confiteri.

111. Septimum argumentum. Lex pœnalis, ſiue quæ aliquod grauamen imponit, non obligat ad ipſum grauamen ſubeundum, niſi clarè, & expreſſè illud imponat, vt tenent communiter Iuriſperiti : ſed lex Concilij imponens grauamen confeſſionis, aut impoſitum declarans, non obligat expreſſè ad confitendum peccata oblita; imò videtur expreſſè eximere ab illis confitendis : ergo nulla ratione tenetur quis ad confitenda peccata oblita.

112. Hæc tria argumenta eo communi cardine verſantur, nempe eſſe dubium, an Concilium declaret obligationem confitendi, quæ in vna confeſſione omiſſa ſunt, & poſtea ad memoriam redierunt. Et in dubio ſtandum eſſe à parte benigniori. Ex *cap.* autem 3.4. *&* 5. meridiana luce clariùs conſtat, Concilium iniungere obligationem confitendi peccata, quæ priùs obliuionem ſubierunt, & poſtea memoriam. Quare negando, id eſſe dubium, prædicta argumenta diſparent. Sed quamvis Concilium eius rei memoriam non feciſſet, nihil inde argui poſſet, propter traditionem Eccleſiæ, & vniuerſalem praxim, qua omnes fideles vtuntur ex firma perſuaſione, quod ad id obligantur, vt conſtat *ex cap.* 2.

113. *An lex de cõfeſſione ſit pœnalis, & odioſa?*

Præterea id, quod additur in 6. & 7. argumento, quod lex confeſſionis ſit pœnalis & odioſa, & grauamen imponens, falſum eſt. Nam lex, quæ indicit actionem difficilem, in qua actione continentur excellentia commoda, præcipuè ſi actio ea difficilis in eum finem indicatur, vt ſubditus ea excellentia commoda comparet; non eſt dicenda pœnalis, nec odioſa, nec grauemen imponens. Ita ſi ciuitas ſummâ aquæ inopiâ laboraret, & lex indiceret ciuibus, vt aliquam operam adhiberent ad aperiendum fontem, qui maximo commodo & vtilitati futurus eſſet, non diceretur lex pœnalis, neque grauamen imponens, ſed potiùs fauorabilis. Legem autem confeſſionis ſic ſe habere patet ex Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. illis verbis : *Ipſa verò huiuſmodi confeſſionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia grauis* (id eſt, grauamen imponens) *quidem videri poſſet, niſi tot, tantiſque modis, & conſolationibus leuaretur, quæ omnibus dignè ad hoc Sacramentum accedentibus, per abſolutionem certiſſimè conferuntur.*

114. Præterea ferè omnia huius capitis argumenta in ſophiſmatis reponenda eſſe, ex eo conſtat, quod illa nitantur in illo ſuppoſititio ſenſu verborum Concilij, accipiendo peccata oblita in ſenſu diuiſo, cùm debent ſumi in ſenſu compoſito, vel è conuerſo. In ea autem æquiuocatione ſtare ſophiſma, conſtat *ex capite 7.*

CAPVT IX.

Soluitur, & impugnatur octauum argumentum.

ILlud ſic ſe habet. [Qui confitetur peccatum reſeruatum tempore Iubilæi, ſi obliuiſcatur alicuius peccati reſeruati, non tenetur iſtud confiteri confeſſario habenti poteſtatem in reſeruata; ſed poteſt confiteri confeſſario inferiori approbato, vt tenet communis ſententia; idque ita verum eſt, quia illud peccatum reſeruatum oblitum, eſt directè abſolutum & ſubiectum clauibus : ſed peccatum quodlibet oblitum in quauis confeſſione, eſt directè abſolutum, & ſubiectum clauibus : ergo iam non eſt ex neceſſitate confitendum.] 115.

Quod autem peccatum ex obliuione omiſſum, ſit directè abſolutum, & ſubiectum clauibus, conatur probare Murcia *num.* 10. & *tota reſolut.* 26. citans pro ea ſententia P. Henriquez, & apud ipſum nouemdecim Anthores, nempe Nauarrum, Paludanum, Gabrielem, Adrianum, Canum, Ledeſmam, Anglium, Antoninum, Silueſtrum, Armillam, Angelum Gerſonem, Couarruuiam, Cordubam, Peñam, Gallum, Gueuaram, Roſellam, Rodericum. 116.

Hoc argumentum triplici pede claudicat, maiori, minori, & conſequentiâ. Et quidem malè concludit : quia is terminus *non eſt ex neceſſitate confitendum*, qui reperitur in concluſione, in nulla præmiſſa reperitur. Eſt autem potiſſima regula artis ſyllogiſticæ, quod in conſequente non debet prodire terminus, qui non repertus fuerit in præmiſſis. Vnde vt ſyllogiſmus rectè concluderet, deberet aſſeri in maiori, peccatum reſeruatum oblitum in confeſſione tempore Iubilæi, in qua aliud peccatum reſeruatum expoſitum eſt, non eſſe neceſſariò confitendum, ſic : [Tale peccatum reſeruatum oblitum, quia directè clauibus ſubiectum eſt, non eſt neceſſariò confitendum : ſed quodlibet oblitum non reſeruatum, etiam eſt clauibus directè ſubiectum : ergo quodlibet oblitum non eſt confitendum.] Hoc autem modo ſupponit maior rem falſam, & quam ipſe argumentator non vult proponere, quia ſcit à quovis negandam. 117.

Quod attinet ad maiorem, quæ cauſalis eſt, 118.
propter illam particulam, *Ideò*, illa quidem omninò falſa eſt, & manifeſtè falſa. Et quidem communis ſententia admittit, cùm quis tempore Iubilæi confitetur peccata reſeruata, & alia reſeruatata ex obliuione omittit; hæc peccata omiſſa poſſe exponi confeſſario ordinario non habenti poteſtatem in reſeruata. Cuius aſſertionis ratio certiſſima, & indubitata eſt : quia confeſſarius, qui abſoluit tempore Iubilæi, abſtulit omninò reſeruationem virtute Iubilæi : neque aliter poteſt, tranſacto Iubilæo, confeſſarius ordinarius abſoluere; quia poteſtas abſoluendi à peccato reſeruato non poteſt tranſire ad confeſſarium carentem ea

Quare reſeruatum oblitũ tempore Iubilæi, poſſit, eo tranſacto, abſolui ab inferiore?

Digitized by Google

ea poteſtate, niſi ſublata reſeruatione. Dixi, rationem eſſe *certiſſimam & indubitatam*, quia licèt ea opinio non ſit certa, ſed probabilis, imò & probabiliſſima: at ex ſuppoſitione, quod vera ſit, certum eſt, non poſſe eſſe veram propter aliam rationem, niſi quia tollitur reſeruatio virtute Iubilæi.

119. *Tempore Iubilæi non abſoluitur quis directè à peccato reſeruato oblito.*

Hinc patet, falſam eſſe eam minorem cauſalem, ideo in eo caſu poſſe abſolui pœnitentem, tranſacto tempore Iubilæi, à peccato reſeruato oblito, per confeſſarium inferiorem ordinarium, carentem poteſtate in reſeruata; quia ab eo peccato oblito eſt abſolutus directè pœnitens; aut quia illud peccatum reſeruatum oblitum, ſit directè ſubiectum clauibus. Quia ſiue dicatur abſolui directè, ſiue dicatur abſolui indirectè ab eo peccato reſeruato oblito; dum tamen tollatur reſeruatio, poteſt abſolui ab illo per quemlibet confeſſarium ordinarium. Idque manifeſtum eſt. Nam ſi confeſſarius dicat: [Abſoluo te à peccatis reſeruatis, quæ confeſſus es; & virtute Iubilæi, tollo reſeruationem à cæteris peccatis oblitis, ſi quæ habes;] certum eſt, quod abſolueretur indirectè pœnitens à peccatis oblitis reſeruatis; vt fatetur Murcia *ea reſol. 26. num. 7.* & tamen poſſet abſolui ab eis reſeruatis oblitis per quemlibet confeſſarium approbatum, cùm ſit ablata reſeruatio à potente auferre illam virtute Iubilæi. E contra ſi neque confeſſarius vellet tollere reſeruationem à peccatis oblitis, neque virtute Iubilæi ipſo facto tolleretur reſeruatio à talibus peccatis oblitis, talia peccata oblita non manerent exponibilia confeſſario ordinario poſt tempus Iubilæi, etiam quamvis abſolutionem, quam nos vocamus indirectam, velis vocare directam; quia ſi nullo modo fuit ablata reſeruatio, ſemper manent reſeruata, donec ea exponas confeſſario habenti poteſtatem in reſeruata. Ergo quod poſſit pœnitens in eo caſu abſolui à quolibet confeſſario approbato, non prouenit ex eo, quod pœnitens directè abſolutus ſit ab iis reſeruatis oblitis; ſed quia reſeruatio manet ſublata tempore Iubilæi, & virtute illius. Quare maior illa cauſalis certiſſimè neganda eſt.

CAPVT X.

Minor prædicti argumenti ſpecialiter impugnatur.

120. *Peccata in confeſſione oblita, non ſunt directè ſubiecta clauibus.*

QVod attinet ad minorem prioris ſyllogiſmi, illa certiùs falſa eſt, quod videlicet peccata oblita directè ſubiiciantur clauibus. Illud autem in primis ſumma admiratione dignum eſt, quod citet Murcia pro hac aſſertione viginti & vnum Authores, cùm vnus ſolus eam teneat, & ille quidem Iuriſperitus, & in materia purè Theologica.

121. *Ex 20. Authoribus, quos citat, ne vnus quidem ſuffragatur.*

Citat primo loco Patrem Henriquez *lib. 3. de Pœnit. cap. 16. num. 5. & comment. littera D.* vt videas, quo iure illum citet, ecce verba Henrici in loco citato. [Durante Iubilæi tempore, ſi quis animum habet præſtandi, & ſupplendi neceſſaria (licèt incontritè, vel etiam dimidiatè, præ pudore à principio confiteatur) *abſoluitur directè ab excommunicatione & reſeruatione peccati etiam obliti*; quia in gratiam pœnitentis concedit Papa directè omnia vſque ad illud tempus reſeruata; quamvis obliuio eſſet culpabilis ex quadam negligentia præparandi ſe. Quod certius eſt, quando animo, vt à reſeruatis abſolueretur, acceſſit ad talem confeſſarium, vel ſuperiorem, & abſolutus eſt à reſeruatis quibuſdam eiuſdem ſpeciei.] Dicat ergo Murcia, vbi aſſerit Henriquez, pœnitentem abſolui directè à peccatis oblitis? Liberum quidem directè manere aſſerit ab excommunicatione & reſeruatione peccati: abſolutum autem directè à peccato oblito nec aſſerit, nec aſſerere poteſt. Vtique non poteſt, quia loquitur in caſu, in quo pœnitens non manet ſacramentaliter abſolutus, ſcilicet in caſu quo *incontritè, vel etiam dimidiatè præ pudore à principio confitetur*; & item in caſu quo *obliuio eſt culpabilis*. Quid euidentius eſſe poteſt?

Nouemdecim Authores, quos citat P. Henriquez pro ea opinione proximè relata, quod pœnitens tempore Iubilæi, etiam dimidiatè confitens, abſoluitur directè ab excommunicatione & reſeruatione peccati reſeruati obliti; citat Murcia pro ſua opinatione, quod abſoluitur pœnitens directè à peccato oblito. Vnde patet manifeſtè, ne vnum quidem ex illis Authoribus ei opinationi ſuffragari; examina ſingulos, & quàm ſit hoc certum, experieris. Sanè quod Murcia ipſos non legerit, fatetur; ſed aſſerit, quod Henricus eos citat pro abſolutione directa peccati obliti; cùm Henricus non citet eos; niſi dumtaxat pro abſolutione directa ab excommunicatione & reſeruatione peccati obliti. Vnde ſententiam, quam tantâ Authorum catervâ fulcitam credit, illâ omnino deſtitutam vides. 122.

Proſequitur Murcia *ea reſol. 26. num. 5.* citans iterum Patrem Henriquez *lib. 1. de Pœnitentia, cap. 13. num. 8.* hæc verba adiiciens: 123.
[Vbi licèt non expreſsè in corpore id aſſerat; in Comment. verò, littera D. probat, peccata oblita directè abſolui in confeſſione: quia rationes, quas ibidem adducit, id conuincunt: videlicet quod verba abſolutionis humano modo intelligenda ſint, & quod non debeat pœnitens abſolui ſolùm à peccatis confeſſis, ſed abſolutè à peccatis, id eſt ab omnibus peccatis commiſſis; ſiue in confeſſione expreſſis, ſiue oblitis.] Huc vſque Murcia, qui fatetur, vt vides, quod Henricus in corpore non id expreſsè aſſerat; ſed neque expreſsè, neque implicitè id aſſerit. Hæc enim ſunt eius verba: [Abſolutio non ſolùm peccata, quæ quis expreſsè confitetur, tollit; ſed ea quorum poſt diligens conſcientiæ examen homo oblitus eſt; vel quæ cauſa excuſante ſilet, vt ne proximum infamet.] Vbi nihil de directa abſolutione ab oblitis. In commentario autem, *littera D.* ſolas habet citationes Authorum: *littera C.* habet ea, quæ affirmat Murcia, ſed ſolis dumtaxat his verbis: [Quia humano modo ſub aliis intelliguntur, & abſoluitur formaliter ab oblitis. Quare ne addat in confeſſione à peccatis confeſſis.] Et propter hæc ſola verba citatur à Murcia, tanquam dixerit, pœnitentem abſolui directè ab oblitis; & peccata oblita eſſe directè ſubiecta clauibus. Ecce quomodo ex viginti Authoribus, quos pro abſolutione di-

recta de peccatis oblitis allegauit Murcia, ne vnus quidem ei remanſit. Solùm remanſit illi Valerus Iuriſperitus; de quo poſteà redibit ſermo.

124. *Qui bona fide confitetur inferiori reſeruata, indirectè abſoluitur à reſeruatis.*

Vt autem huius minoris falſitatem oſtendam, nempe oblita peccata directè ſubiici clauibus, ſiue ab eis pœnitentem directè abſolui; notandum eſt primò id, quod etiam notat Murcia: quod ille qui confiteatur bona fide peccata reſeruata, & non reſeruata confeſſario non habenti poteſtatem in reſeruata; tunc indirectè abſolui à reſeruatis: & idem dicendum, quoties oblita peccata ſunt reſeruata; ab illis enim tanquam certum ſupponit is Author non abſolui directè, ſed indirectè.

125. *Abſoluitur indirectè peccatum, cùm abſoluitur dependenter ab alio.*

Notandum eſt ſecundò cum eodem Murcia, quod tunc pœnitens abſoluitur indirectè ab aliquo peccato, quando abſoluitur ratione alterius, id eſt, ex connexione cum alio, & dependentia ab illo: v. g. cùm quis abſoluitur à reſeruatis, & à non reſeruatis per confeſſarium inferiorem, id eſt, non habentem poteſtatem in reſeruata; in caſu tamen neceſſitatis, in quo id eſt licitum: quia tunc non abſoluitur à reſeruatis, quia iuriſdictionem habeat ad abſoluendum ab illis; ſed ex connexione, quam habet horum abſolutio cum abſolutione illorum.

126. *Quod dependet ab alio, connectitur cum illo.*

Idem eſt depẽdentia, atque connexio.

Notandum eſt tertiò ad euitendam æquiuocationem terminorum, idem eſſe dependentiam atque connexionem. Nam res, quæ dependet ab altero, connectitur cum illo; & quæ connectitur cum hoc, ab eo dependet. Ita dum exiſtentia creaturæ intelligitur dependere à Deo, intelligitur connecti cum Deo; & connexionem creaturæ cum Deo, dependentiam propriiſſimè dicimus.

127. *Directè abſoluit, quod independenter ab alio. Indirectè, quod dependenter.*

Notandum quartò & præcipuè, quando duo genera peccatorum ita ſe habent, vt ab vno poſſit Sacerdos abſoluere independenter ab alio, non verò è contra; illud, à quo abſoluit Sacerdos independenter ab alio, directè ſubiici clauibus, & ab eo directè abſolui pœnitentem: illud verò, à quo non poteſt abſoluere Sacerdos independenter ab alio, ſubiici clauibus indirectè, & ab eo pœnitentem indirectè abſolui.

128. Id conſtat primò in exemplo allato de confeſſario inferiori abſoluente à reſeruatis & non reſeruatis in caſu neceſſitatis, in quo non auffertur reſeruatio. Ideò enim abſoluit directè à non reſeruatis, quia vt ab illis abſoluat, non dependet ab hoc, quod pœnitens afferat alia peccata reſeruata, à quibus etiam abſoluatur; & ideò abſoluit indirectè à reſeruatis, quia vt ab iſtis abſoluatur, dependet ac hoc quod pœnitens afferat alia non reſeruata, à quibus etiam abſoluatur.

129. Conſtat ſecundò ex ratione à priori. Nam quod abſoluatur peccatum indirectè, eſt quod abſoluatur ex connexione cum aliis: ſed illud, quod abſoluitur dependenter ab alio, abſoluitur ex connexione cum alio; & quod abſoluitur independenter ab alio, abſoluitur ſine connexione cum alio: ergo quod abſoluitur dependenter ab alio, indirectè abſoluitur; & quod independenter ab alio, directè.

130. *Ab oblitis abſoluit dependenter ab expreſſis, non è conuerſo.*

Hinc patet manifeſtè, & probatur primò, peccata oblita non abſolui directè, ſed indirectè. Etenim confeſſarius abſoluit ab oblitis dependenter ab abſolutione expreſſorum; & non abſoluit à peccatis expreſſis dependenter ab abſolutione oblitorum: ergo cùm abſoluat ab expreſſis directè, ab oblitis indirectè abſoluit. Hæc conſequentia patet ex notatione quarta. Antecedens verò conſtat. Etenim à ſolis oblitis nequit confeſſarius abſoluere, niſi etiam abſoluat ab expreſſis: à peccatis autem expreſſis poteſt abſoluere ſine eo quod abſoluat ab oblitis, vt fit quando nulla ſunt oblita: ergo abſolutio oblitorum dependet ab expreſſis; & abſolutio expreſſorum eſt independens ab oblitis.

Dices. Si ſupponamus, eſſe peccata oblita, 131.
& peccata expreſſa, etiam abſolutio expreſſorum fiet dependenter ab abſolutione oblitorum: ergo vel vtraque directè, vel vtraque indirectè abſoluuntur.

Quomodo explicetur depẽdẽtia, in qua conſiſtit indirectum?

Ex hac obiectione conſtat clariùs, ad in- 132.
quirendum, quod peccatum directè, & quod indirectè abſoluatur; item, an detur connexio & dependentia, quæ conſtituit indirectum; non eſſe ſupponendum, quod dentur vtraque peccata in aliqua confeſſione; quia facta hac ſuppoſitione tantùm connectitur abſolutio non reſeruatorum cum abſolutione reſeruatorum, quantùm abſolutio reſeruatorum cum abſolutione non reſeruatorum: item ſupponendo, quod in vna confeſſione ſunt peccata expreſſa, & peccata oblita; tantùm connectitur abſolutio expreſſorum cum abſolutione oblitorum; quantùm abſolutio oblitorum cum abſolutione expreſſorum; quia ex ſuppoſitione quod ſint vtraque peccata, nec iſta ſine illis, neque illa ſine iſtis abſolui poſſunt.

Quare connexio iſta, quæ conſtituit indire- 133.
ctam abſolutionem, non eſt attendenda, facta ea ſuppoſitione; ſed abſolutè, an neceſſarium ſit ad abſolutionem iſtius peccati hìc & nunc faciendam, quod ponatur alia materia; ſiue, an abſolutio iſtius peccati connectatur cum poſitione alterius materiæ; ita vt ſine hac non poſſit fieri abſolutio illius peccati. Cùm ergo abſolutio à peccatis oblitis vt fiat, exigat neceſſariò peccata expreſſa, & cum his connectatur; abſolutio à peccatis oblitis eſt indirecta, vtpote data ex connexione cum peccatis expreſſis, ſeu cum confeſſione eorum. Et cùm abſolutio à peccatis expreſſis vt fiat, non exigat neceſſariò, quod dentur peccata oblita, neque connectatur cum eo, quod dentur peccata oblita; abſolutio à peccatis expreſſis eſt directa. Et idem contingit in altero caſu de peccatis reſeruatis, & non reſeruatis. Quia inferior confeſſarius non poteſt abſoluere à reſeruatis, niſi dependenter à non reſeruatis; ideo à reſeruatis indirectè abſoluit: & quia poteſt abſoluere à non reſeruatis, quamvis nulla dentur reſeruata; ideò à non reſeruatis directè abſoluit.

Confirmatur argumentum factum. Pœni- 134.
tens prouoluitur ad genua confeſſarij, & dicit, ſe nullius peccati recordari, & nihil aliud profert. Confeſſarius autem dicit: [Ego te abſoluo à peccatis oblitis;] & reuerà coram Deo ſunt peccata oblita, & contritio peccatorum. Et interrogo, an abſolutionem validam dederit confeſſarius? Dicis, & rectè, confeſſarium nihil egiſſe. Tum ſic: ergo à peccatis oblitis non poteſt abſoluere confeſſarius, niſi dependenter

Digitized by Google

dependenter à materia expreſſa, & ex connexione cum illa: ſed hoc eſt abſoluere indirectè: ergo à peccatis oblitis indirectè abſoluit.

135. Dices, tunc non eſſe abſolutionem validam, quia nulla materia data eſt ad abſolutionē, cùm hoc modo nihil omninò confeſſus fuerit. Optima propoſitio. Inſtauro argumentum: ergo vt abſoluat ab oblitis, neceſſe eſt, quod det materiam expreſſam: ergo abſolutio ab oblitis dependet ab hoc, quod in confeſſione præbeatur materia expreſſa: ergo abſolutio ab oblitis fit ex connexione cum materia expreſſa, ſiue cum confeſſione peccatorum expreſſorum. Hoc per te eſt abſolui indirectè: ergo à peccatis oblitis pœnitens abſoluitur indirectè.

136. *Iudicium non procedit directè, niſi in cauſam cognitam. Ideò non eſt abſolutio directa ab oblitis.*

Probatur ſecundò. Iudicium non procedit directè, niſi in cauſam cognitam: ſed abſolutio eſt iudicium: ergo non procedit directè, niſi in cauſam cognitam. Sed peccata oblita non ſunt cauſa cognita; cùm ea incognita maneant iudici Sacerdoti: ergo abſolutio non procedit directè in peccata oblita. Maior, quæ ſola eget probatione, probatur ex Trident. *ſeſſ.* 14. *cap.5.* vbi ait: *Conſtat enim Sacerdotes iudicium hoc, incognitâ cauſâ exercere non potuiſſe.* Quod ſaltem de iudicio directè procedenti intelligi debet.

137. Probatur tertiò. Peccata oblita non dicuntur propriè ſubiici vtriſque clauibus: ergo multò minus dicetur, quod ſubiiciuntur directè. Antecedens probatur. Nam vt oſtendi *cap.4. in probatione* 3. claues Sacramenti Pœnitentiæ non ſunt ſolùm ad abſoluendum, ſed etiam ad imponendam ſatisfactionem pro qualitate delicti, ſeruando æquitatem, &c. cùm hæc poteſtas requirat cognitionem cauſæ, & circa peccata oblita non ſit cognitio cauſæ: ergo peccata oblita, propriè loquendo, non ſubiiciuntur vtriſque clauibus Sacramenti Pœnitentiæ. Vide loco citato vberiorem huius argumenti confirmationem.

CAPVT XI.

Diſſoluuntur obiectiones aduerſus doctrinam capitis præcedentis.

138. Leuiſſima ſunt, quæ obiicit Murcia pro abſolutione directa peccatorum oblitorum, & quæ in caput eius retorquentur. Et reuoca in memoriam, falſum eſſe quod dicit, eas rationes adductas eſſe ab Henriquez, qui nihil aliud dicit, quàm eas duas breuiſſimas periodos ſuprà relatas *num.* 121. quas Murcia aſſumit tanquam antecedens ad ſuam conſequentiam perperam eliciendam.

139. Obiicit primò. Verba abſolutionis, *Abſoluo te à peccatis tuis;* quia humano modo intelligenda ſunt, æquiualent propoſitioni vniuerſali, *Abſoluo te ab omnibus peccatis tuis:* (quod antecedens probat multis textibus iuris, & citationibus Iuriſprudentum) ergo intentio confeſſarij abſoluentis, & actus ipſe abſoluendi, directè & per ſe dirigitur ad omnia peccata, & per conſequens ad oblita. Confirmatur ex iis, quæ antea ſuppoſuerat. Abſolutio cùm ſit quædam ſententia pronuntiata in iudicio confeſſionis, dependet ab intentione confeſſarij, ſicut lex ab intentione legiſlatoris: ergo cùm intentio confeſſarij ſit abſoluere ab omnibus; & ſub his omnibus contineantur oblita, iam ex intentione confeſſarij directè abſoluitur pœnitens ab oblitis.

Hoc argumentum militat contra Murciam, qui aſſerit confeſſarium inferiorem, cui pœnitens confitetur reſeruata, & non reſeruata, abſoluere indirectè à reſeruatis, & directè à non reſeruatis. Verba abſolutionis æquiualent propoſitioni vniuerſali: ergo quando confeſſarius dicit, [abſoluo te ab omnibus,] tam ex intentione ſua, quàm ex vniuerſalitate propoſitionis comprehendet reſeruata. Quod ſi directa abſolutio dependet ab intentione abſoluentis, habeat intentionem confeſſarius abſoluendi ab vtriſque; & ſic directè abſoluet etiam à reſeruatis. 140.

Reſpondetur ergo concedendo, quod verba ſint vniuerſalia, & quod intentio abſoluentis ſit abſoluere ab omnibus; adhuc tamen non abſoluere directè ab oblitis, quia non poteſt intendere abſoluere aliter, ac poteſt. Cùm ergo tam in primo caſu de oblitis & expreſſis, quàm in ſecundo de reſeruatis & non reſeruatis; non habeat poteſtatem abſoluendi, niſi alia dependenter ab aliis, ſcilicet oblita dependenter ab expreſſis, & reſeruata dependenter à non reſeruatis; quantumvis intendat abſoluere independenter, nihil proderit eius intentio; quia hæc non poteſt excedere poteſtatem. Et cùm dicitur, abſolutionem dependere ab intentione, verum eſt partialiter; ſed non à ſola intentione, ſed etiam à poteſtate; quia ſi intendat ſupra id, quod poteſt, nihil agit. Quare intentio abſolutionis non poteſt ferri ad abſoluendum, niſi eo modo quo abſoluere poteſt. 141.

Quamvis intendat abſoluere ab oblitis, abſoluit indirectè. Quia dependenter ab expreſſis.

Obiicit ſecundò. Verba abſolutionis non ſunt, *Abſoluo te à peccatis confeſſis;* ſic enim abſolutio reſpiceret directè peccata confeſſa, & indirectè peccata oblita. Nam illa verba ſunt contra inſtitutionem Sacramenti Pœnitentiæ à Chriſto factam, & in damnum pœnitentis. Quod notatum eſſe dicit Murcia à P. Henriquez *lib. de Pœnit. cap.* 13. *num.* 8. & *in comment. litt. D.* & à Nauarro, Ledeſma, & Medina: ergo abſolutio directè tendit in omnia peccata, etiam oblita, & eo ipſo manent directè ſubiecta clauibus. 142.

Sed argumentum reflectitur in Anthorem in caſu, quo inferior confeſſarius abſoluit à peccatis reſeruatis & non reſeruatis. Nam ille non dicit, *Abſoluo te à peccatis non reſeruatis,* ſed abſolutè dicere poteſt, & dicit, *Abſoluo te ab omnibus peccatis:* ergo abſolutio tendit in reſeruata & non reſeruata: ergo etiam reſeruata manent directè ſubiecta clauibus. 143.

Reſpondetur ergo, quod dicat, *Abſoluo te à peccatis confeſſis*, vel, *ab omnibus peccatis*; idem eſſe quoad valorem abſolutionis, imò quoad modum directum & indirectum abſoluendi. Idem eſt quoad valorem abſolutionis, quia vtroque modo confertur gratia remiſſiua peccati; at poſitâ gratiâ, impoſſibile eſt, quod maneat non remiſſum aliquod peccatum mortale, propter incompatibilitatem gratiæ, & peccati. Idem eſt quoad modum directi, vel indirecti; quia qui dicit, *Abſoluo te ab omnibus,* ab oblitis abſoluit dependenter ab expreſſis; 144.

Vterque modus non differt quoad valorem, neque quoad modum directi, & indirecti.

quia

Digitized by Google

quia ſine expreſſis non poteſt abſoluere ab oblitis.

145. *Ea forma, [Abſoluo te à confeſſis,] non eſt contra institutionem Sacr. nec in damnum pœnit.*

Quod addit, ea verba, *Abſoluo à confeſſis*, eſſe contra inſtitutionem Sacramenti, & in damnum pœnitentis; & dicit ſine probatione Murcia, & eſt certiſſimè falſum. Non in damnum pœnitentis; quia tam abſolutus manet, cùm dicit, A *confeſſis*, atque cùm dicit, *Ab omnibus*; quia cùm dicit, *A confeſſis*, confertur gratia, quæ omnia delet. Non contra inſtitutionem Sacramenti à Chriſto factam, quia Chriſtus id non prohibuit, neque eſt, vnde id probetur; præcipuè cùm conſtet ex dictis, non eſſe in damnum pœnitentis, & eodem modo abſolui, cùm dicitur, *A confeſſis*, atque cùm dicitur, *Ab omnibus*.

146. Quod autem dicit Murcia, notatum eſſe à P. Henriquez, à Nauarro, & Ledeſmio, & Medina, falſum eſt, quia P. Henriquez ſolùm conſulit, ne dicatur, *A peccatis confeſſis*; & Nauarrus, ne dicatur, *A peccatis contritis*, quia poſſunt eſſe attrita; & ferè idem colligitur ex aliis duobus. Nullus autem eorum dixit eum abſoluendi modum à peccatis confeſſis eſſe contra inſtitutionem Chriſti, aut in damnum pœnitentis.

147. Obiicit tertiò. Vt abſolutio ſit indirecta, requiritur, quod peccatum non ratione ſui abſoluatur, ſed ratione alterius; ita vt alterum primò abſoluatur directè, & ratione eius propter connexionem abſoluatur aliud, vt contingit, quando in caſu neceſſitatis confitetur quis peccata reſeruata & non reſeruata, cum confeſſario inferiore; quia cùm confeſſarius non habeat tunc iuriſdictionem in reſeruata, abſolutio ſolùm reſpicit directè non reſeruata; & propter connexionem cum abſolutione horum, abſoluendo directè à non reſeruatis, indirectè à reſeruatis abſoluit; quia tunc abſolutio non poteſt attingere immediatè & in ſe ipſis reſeruata, ſed mediatè, & in alio, ſcilicet in peccato non reſeruato, ratione cuius indirectè abſoluit reſeruatum. Sed quando quis confitetur peccata mortalia, & ex obliuione omittit alia, abſolutio tendit immediatè in oblita, & in ſe reſpicit oblita; quia eſt abſolutio omnium peccatorum, & non ſolùm expreſſorum; & aliàs confeſſarius habet iuriſdictionem certam ad oblita & expreſſa, vt ſupponimus, atque adeò abſolutio non limitatur ad expreſſa defectu iuriſdictionis: ergo peccata oblita manent directè abſoluta in eadem confeſſione. Confirmatur. Confeſſarius debitè abſoluens intendit abſoluere directè, quantum poteſt: ſed poteſt abſoluere peccatum oblitum: ergo illud directè abſoluit.

148. Maior proximi argumenti eſt congeries multarum propoſitionum, ad quarum ſingulas ſeorſim dicendum eſt. Cùm dicit, vt abſolutio ſit indirecta, requiri quod peccatum non ratione alterius abſoluatur; ita intelligendum eſt, quod à tali peccato non abſoluatur pœnitens independenter ab alio peccato, ſed potiùs dependenter; non excluſa connexione cum abſolutione alterius peccati, ſed propter connexionem cum illo, modo explicato capite ſuperiori. Et hoc pacto falſum eſt, quod peccatum oblitum ratione ſui abſoluatur, & non ratione alteriùs; cùm peccatum oblitum non abſoluatur independenter ab expreſſo, ſed cum neceſſaria dependentia ab expreſſo, vt explicatum manet. Si autem alio modo intelligat hoc, quod eſt abſolui, non ratione ſui, ſed ratione alterius; neque id explicat, nec poteſt eſſe verum.

Quomodo oblitum abſoluatur ratione alterius.

149. *Quomodo quis abſoluatur priùs ab expreſſis, & poſteà ab oblitis? Prioritate naturæ.*

Deinde cùm dicit, peccatum, à quo directè abſoluitur pœnitens, primò abſolui, & deinde alterum, in quod cadit abſolutio indirectè, verum eſt de prioritate rationis, vel naturæ. Hæc autem conſiſtit in dependentia vnius ab alio: ita vt quod dependet ab alio, ſit poſterius illo; & illud, à quo dependet, ſit prius. Et ita verum eſt, quod à peccato expreſſo abſoluitur priùs, & poſtea ab oblito; quia abſolutio obliti dependet, modo ſupra explicato, ab abſolutione expreſſi, & non è contra. Caſus autem confeſſarij inferioris abſoluentis à reſeruatis & non reſeruatis, manifeſtè militat pro concluſione de abſolutione indirecta peccati obliti, vt patet ex dictis capite ſuperiori.

150. *An peccatum oblitum abſoluatur in ſe immediatè.*

Tertiò, cùm dicit, abſolutionem confeſſarij inferioris in eo caſu non poſſe attingere immediatè, & in ſe ipſis reſeruata, ſed mediatè & in alio; nihil aliud agit, quàm multiplicare terminos: quia id intelligendum eſt de immediatione independentiæ, & de mediatione dependentiæ. Et ſicut à peccato oblito non abſoluitur pœnitens independenter à peccatis expreſſis, propter dicta: ita non attingitur peccatum oblitum immediatè ab abſolutione in eo ſenſu.

151. Ad confirmationem diſtinguo maiorem. Intendit abſoluere directè, quantum poteſt, [& eo modo, quo poteſt,] concedo; [aliter ac poteſt,] nego. Minorem etiam diſtinguo. Poteſt abſoluere peccatum oblitum, [dependenter ab expreſſo,] concedo; [independenter ab expreſſo,] nego. Quod patet ex dictis.

CAPVT XII.

Nihil prodeſſe authoritatem extrinſecam pro oppoſita opinatione allatam.

152. *An oppoſita pars habeat probabilitatē extrinſecam.*

Refert Murcia, vt notauimus *cap.* 1. Theologum Capuccinum Authorem tractatus pro oppoſita opinatione compoſiti, & pluſquam duodecim viros doctos, qui illi tractatui ſubſcripſerant in Regno Neapolitano, & alium virum doctum Romæ pro eadem ſententia militantem. Ex quo fieri poteſt argumentum. Illa opinio eſt probabilis quæ habet pro ſe quatuordecim viros doctos; cùm vel vnum admittant plures Authores: ergo cùm hæc habeat pro ſe quatuordecim, probabilis abſolutè dicenda erit.

153. *Contra certitudinem nulla præualet authoritas.*

Reſpondeo primò. Contra propoſitionem ex principiis fidei Catholicæ certò illatam neque centum Authores ſufficere. Item neque contra certitudinem moralem. Nam vt dixi *diſp.* 11. quiuis Authorum numerus in quæſtione iuris ſolùm dat probabilitatem: at contra certitudinem nulla eſt probabilitas; quia vbi vna pars eſt certa, altera neceſſariò eſſe debet certò falſa; quod multò magis vrget, quando certitudo prouenit à principiis Fidei Catholicæ, qualem habet concluſio de peccatis oblitis confitendis, cùm ad memoriam redeunt.

Reſpondeo

Digitized by Google

154. *Non valent Authores, dũ conſtat, niſi fundamento leui.* Reſpondeo ſecundò ex dictis *ea diſp.* 11. neque ſufficere Authores plurimos, quando conſtat, eos leuiſſimo rationis fundamento niti. In tantum enim dant probabilitatem extrinſecam, in quantum præſumitur, plures Authores non conſpirare in vnam concluſionem, niſi graui rationis fundamento fulcitos. At in præſenti caſu conſtat ex capitibus proximis, fundamenta eius opinationis eſſe ſophiſtica & leuiſſima; quare nulla illi prodeſt authoritas extrinſeca.

155. *Authores, quorum doctrina incognita eſt, non dant probabilitatem.* Reſpondetur tertiò, plures Theologos, quorum doctrina in noſtris regnis incognita eſt, nullam apud nos probabilitatem afferre, vt latè demonſtraui *ea diſp.* 11. *cap.* 15. Authoritas enim doctorum nititur in doctrina eorum cognita. Vnde ergo ſcimus, quanta ſit doctrina eorum ſubſcribentium, & an ſit tanta, quanta requiritur ad probabilitatem? Item cùm ſint Doctores ſupremæ, & infimæ claſſis, ex quibus hi probabilitatem non augent, vt oſtendi *ibid.* Interrogo, in qua claſſe conſtituendi à nobis ſint illi, quorum doctrinam non nouimus.

156. Et ſi quidem hæc omnia vera ſunt, cùm nomina Theologorum ſcimus; quantò magis vevera erunt, cùm citantur anonymi; ita vt non ſolùm fama doctrinæ eorum lateat nos, ſed vel nomen ipſum. Ex quibus omomnibus patet, ne minimum quidem hilum probabilitatis ex illorum citatione ei opinationi aduenire.

CAPVT XIII.

Impugnatur oppoſita aſſertio, eo quod ex parte à Sacro Fidei Tribunali damnata fuerit; & in totum ab Alexandro VII.

157. Fatetur Murcia *ea reſol.* 25. *num.* 14. eam aſſertionem de peccatis oblitis non confitendis, ex parte abolitam fuiſſe, & expungi iuſſam à Sacro Fidei Tribunali Hiſpano in Indice expurgatorio anni 1640. quatenus expungi iuſſit in Petro Cornejo eam propoſitionem, quæ aſſerit, ſi poſt confeſſionem, & præuiè ad communionem Euchariſtiæ recordatus quis fuerit peccati mortalis nondum in confeſſione expreſſi, non teneri eum ad illud in confeſſione exprimendum ante communionem. *Propoſitio dãnata ab Inquiſitione.*

Vnde argumentum conficitur. Quoties Tribunal Fidei damnat aliquam propoſitionem in Indice expurgatorio, ab inductione eſt magnum fundamentum ad credendum, illam improbabilem, & certò falſam, vt conſtat *ex diſp.* 9. *cap.* 13. ſed hæc propoſitio, qua parte docet, peccatum mortale ex obliuione omiſſum in confeſſione, non eſſe confitendum, ſi ad memoriam redierit ante communionem Euchariſtiæ, damnata eſt à Sacro Fidei Tribunali: ergo magnum fundamentum eſt ad credendum, eam eſſe improbabilem & certò falſam: ergo multò magis credendum eſt, eſſe improbabilem, & certò, falſam quatenus vniuerſaliter aſſerit eiuſmodi peccatum mortale ex obliuione omiſſum, nunquam eſſe confitendum ex obligatione.

158. Reſpondet primò Murcia, ſi pœnitens recordetur peccati mortalis ex obliuione omiſſi in alia confeſſione, & velit accipere Sacramentum Pœnitentiæ, non verò Euchariſtiam, poterit in hac ſecunda confeſſione tacere peccatum. At verò ſi ſit accepturus Euchariſtiam, tenetur confiteri peccatum ex obliuione omiſſum. Sed quare tenetur? propter præceptum à Tridentino intimatum, aſſerente, [Eam probationem neceſſariam eſſe, vt nullus *ſibi conſcius peccati mortalis*, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa ſacramentali confeſſione ad Sacramentum Euchariſtiæ accedere debeat.] Attende enormiſſimam inconſequentiam, vel potiùs manifeſtam contradictionem Itaque hîc dicitur confitendum eſſe ante ſumptionem Euchariſtiæ peccatũ mortale oblitum in alia confeſſione; quia præcipit Concilium, quod nemo accedat ad Euchariſtiam, qui habuerit conſcientiam peccati mortalis; quia qui oblitus eſt peccati mortalis in alia confeſſione, & nondum eſt confeſſus, conſcius ſibi eſt, ſiue conſcientiam habet peccati mortalis. Compone, obſecro, hæc cum priori argumento, quod proponit Murcia pro illa opinatione de oblitis non confitendis; vbi magno conatu intendit, illum, qui oblitus eſt peccati mortalis in alia confeſſione, etiamſi eius recordetur, non habere conſcientiam peccati mortalis. Eſt ergo doctrina implicatoria, quæ tam apertam contradictionem inuoluit.

159. Dicere autem, oblitum peccati mortalis in confeſſione, & poſtea recordatum, habere conſcientiam peccati mortalis, ſi eſſet communicaturus; & non habere conſcientiam illius, ſi non eſſet communicaturus, ridiculum eſſet; cùm ſcientia, ſiue conſcientia de peccato præterito, vt exiſtat, non dependeat ab actionibus futuris. Neque ideò habet conſcientiam peccati mortalis, quia communicaturus eſt; ſed quia commiſit peccatum, & illud non eſt confeſſus in ſpecie.

160. *Si confiteatur ex intentione communicandi, poſſe omitti peccatum tunc oblitum. Falsò citat octo Authores.* Reſpondet ſecundò [quod quando confeſſio, in qua oblitum fuit peccatum, fuit facta ex intentione ſumendi Euchariſtiam, ex præcepto Concilij Trid. *ſeſſ.* 13. *cap.* 7. dicendum eſt, tunc tale peccatum non eſſe confitendum, quia præceptum Concilij iam fuit adimpletum.] Et pro hac aſſertione, cum ſumma iniuria veritatis Theologicæ, citat P. Henriquez *lib.* 8. *de Euchar. Sacr. cap.* 46. *num.* 3. *litt. I. & K.* P. Tamburinum *de expedita Commun. cap.* 1. §. 8. P. Hermanum Buſembaum *in Medulla Theolog. Moral. lib.* 6. *tract.* 3. *cap.* 2. *de ſuſcept. Euchar. dub.* 2. *art.* 1. *num.* 6. P. Reginaldum *lib.* 29. *cap.* 6. *quæſt.* 4. *ſect.* 1. *num.* 105. P. Ioannem Præpoſitum 3. *part. quæſt.* 80. *art.* 5. *dub.* 3. *num.* 15. & Hieronymum Garcia *in ſum. tract.* 3. *diff.* 5. *dub.* 1. *poſito* 5. *num.* 50. & apud hunc P. Emanuelem Sà, & P. Stephanum Fagund. præter Petrum Cornejo, in quo ea aſſertio expungi iuſſa eſt à Sacro Fidei Tribunali. In qua calumnia imponenda Patri Reginaldo, & Patri Præpoſito exceſſit etiam Leander à SS. Sacram. *part.* 2. *tract.* 7. *diſp.* 7. *quæſt.* 21. *Henriquez. Tamburin. Buſembaũ. Reginaldũ. Præpoſitum. Hier. Garc. Sà. Fagundez.*

161. Ex quibus Authoribus præter Cornejo citatum, & præter Hieronymum Garcia, quem ad manus habere non potui, reliqui omnes tenent apertiſſimè oppoſitam ſententiam, vt inductione, & ex eorum expreſſis verbis conſtabit,

Digitized by Google

Quando cõmunicaturus eſt in loco cõmunicantiũ, non teneri ſurgere a i cõfeſſ. obliti.

Ratione infa vel ſcandali, vel irreuerentia.

ſtabit. Pro quo notandum eſt, eos Authores citatos aſſerere, quando communicaturus acceſſit iam ad linteum, aut gradum, vbi miniſtratur Euchariſtia, ſi recordatur peccati mortalis, eum non teneri inde ſurgere ad quærendum confeſſarium, ſi infamia vel ſcandalum ſequatur. Et aliqui addunt, non teneri inde ſurgere ad quærendum confeſſarium ob reuerentiam illius loci; reputant enim irreuerentiam ſurgere ex loco illo, vbi iam accepturus eſt Euchariſtiam. Conſtat enim ex Concilio, neceſſitate vrgente poſſe omitti confeſſionem ante ſumptionem Euchariſtiæ; eſt autem neceſſitas vrgens ad omiſſionem confeſſionis, ſi infamia, vel ſcandalum ſequatur, aut irreuerentia exterior contra Sacramentum. Secluſa autem quavis ex his neceſſitate, aut alia ſimili, nullus ex præcitatis Author, præter Petrum Cornejo, dixit poſſe abſque neceſſitate omitti confeſſionem eius peccati mortalis, quod quis recordatur, ſe non eſſe confeſſum in alia confeſſione.

162. *Henriquez.* P. Henriquez loco citato hæc verba habet: [Laicus verò, qui ad linteum altaris aſtat paratus communicare cum aliis, & confeſſionem præmiſerat, excuſatur propter reuerentiam Sacramenti, ne ſtatim redeat ad confeſſarium, vt directè abſoluatur à peccato, cuius fuerat oblitus, etiam ſecluſâ notâ & ſcandalo; cùm iam accedat iuſtus & probatus per confeſſionem; & expedit communiter, ne Sacerdos ad altare audiat reconciliationes volentium communicare. Pœnitens tamen noui peccati memor, antequam ad altare accedat, tenetur quæſito confeſſario id aperire, antequam communicet.] Vide ergo quanta iniuria fit Henrico, qui tam expreſsè docuit, teneri communicaturum noui peccati memorem, antequam accedat ad altare, confiteri peccatum oblitum; & ab eo excuſari, poſtquam acceſſit ad altare, non ſolùm ob ſcandalum, ſed ob irreuerentiam Sacramenti; eo quod putet, eſſe irreuerentiam exteriorem ſurgere à loco proximo communionis. Et *in commentario litt. I. & K.* ſolùm addit aliqua verba in confirmationem eiuſdem ſententiæ.

163. *Tamburin.* P. Tamburinus loco citato, *num. 62.* cùm propoſuiſſet rationem dubitandi, quod iam videtur impleuiſſe præceptum de præmittenda confeſſione ille, qui noui peccati mortalis fit memor, hæc habet: [Sanè ita primò, vt dixi, aſpectu, ex vi argumenti dicendum eſſet; niſi obſtaret praxis Fidelium, ex qua colligimus cum Delugo *ibid. num. 126.* præceptum de præmittenda ante communionem confeſſione non eſſe ſolùm de præmittenda confeſſione integra formaliter, ſed etiam, vbi aduertimus, materialiter. Solùm eos liberandos à præmittenda confeſſione talis peccati obliti cenſeo, qui vel actu celebrant, vel ante altare ad linteum communicaturi expectant. Hos enim, etiamſi nullam notam infamiæ incurrant, non obligo ad recedendum, quamvis breui reuerſuros. Sic Henriquez & Victoria apud Fagundez 3. *Eccleſ. præc. lib. 3. cap. 9. num. 14.* Ratio eſt, quia ex vna parte irreuerenter ſe gererent inchoatam quaſi actionem ſine clara neceſſitate relinquendo, ſicuti non bene moratè ſe gereret, qui inuitatus à Rege, vbi ſedet ad menſam, vellet vel ad breue tempus recedere; & ex alia parte non apparet clara neceſſitas, quia hic iam eſt iuſtus, beneque diſpoſitus propter abſolutionem indirectam talis peccati,] &c. Numquid in his verbis docet Tamburinus, peccatum oblitum non eſſe confitendum, etiamſi veniat ad memoriam ante communionem, & ante acceſſum ad altare; cùm dicat, *ſolum eos liberandos à præmittenda confeſſione peccati obliti, qui vel actu celebrant, vel ante altare ad linteum,* &c.

Eadem omninò, quæ duo præcitati Doctores, habet P. Hermanus Buſembaum *in loco citato.* Hæc enim ſunt eius verba: [Si in ſcamno communicantium recorderis peccati mortalis, quod oblitus es confiteri, nec ſine nota, aut ſcandalo graui poſſis recedere, vt habet Nauarrus, Fillucius, Reginaldus, Card. de Lugo *cit. num.* 112. & alij: porrigenti autem Euchariſtiam confiteri non expedit, nec decet. Quo caſu etiamſi nec poſſis elicere contritionem, excuſat à peccato Hurtado *loco cit.* Imò quidam DD. apud Henriquez excuſant laicum antè confeſſum, etiam præciſa nota & ſcandalo, non recedentem; eo quod is dicatur iuſtificatus & probatus per confeſſionem. Quam ſententiam probat Tamburinus,] &c. Vbi vides expreſsè loqui de eo, qui iam eſt in ſcamno communicantium. Quando autem rationem dat concluſionis: *Eo quod is dicatur iuſtificatus & probatus per confeſſionem*; cùm loquatur Author ſolùm de eo qui adeſt ſcamno communicantium, intelligitur, quia ex vna parte eſt iuſtificatus; & ex alia irreuerentia ſurgendi excuſat ab implendo præcepto integritatis materialis. Quod magis explicuit P. Tamburinus. 164. *Buſembaũ.*

P. Reginaldus cit. nihil amplius concedit, quàm præcitati. Ecce verba eius: [Attamen ad vitandam irreuentiam illam, quæ erga Sacramẽtum ipſum committeretur recedendo indecenter coram aliis, quando ipſum adminiſtratur, ille, qui cum cæteris communicare paratus adſtat ad ſacræ communionis linteum, non tenetur ſtatim recedere ad confeſſarium, vt abſoluatur directè;] &c. Et poſtea citat P. Henriquez vbi ſuprà citauimus, dicens de eo: [Notat, id locum habere, ſecluſa etiam infamiæ nota & ſcandalo.] Quod poſtremum Reginaldus non aſſerit, ſed refert. 165. *Reginaldus.*

P. Ioannes Præpoſitus cit. multò minùs dicit, quàm cæteri. Etenim *ibid. num. 6.* ait: [Si quis in ſcamno communicantium recordetur mortalis, neque poſſit abſque infamia recedere, poteſt abſque præuia confeſſione communicare. Ita Victor. Nauar. Henriq. Sotus *diſt. 12. quæſt. 1. art. 4. fin.* & plures alij. Videtur tamen Henriquez in eo excedere quod dicat, id eſſe licitum, etiam ſecluſa nota & ſcandalo. Porrò quia communiter poteſt ſubeſſe periculum infamiæ, communicaturi poſſunt ſine ſcrupulo permanere.] Vbi vides quantum diſtet P. Præpoſitus ab ea concluſione, quæ illi attribuitur à Murcia de peccato oblito non confitendo ante communionem; quandoquidem etiam in caſu, quo eſt in ſcamno communicantium, dicat, ob ſolam infamiam, vel ſcandalum poſſe remanere abſque confeſſione peccati obliti. Cui videtur exceſſus opinio P. Henriquez, qui iudicat etiam ſecluſa infamia, vel ſcandalo, eſſe irreuerentiam ſurgere à 166. *Præpoſitus.*

ſcamno

Digitized by Google

ſcamno communicantium; & ideò tunc adeſſe neceſſitatem, ob quam omitti poſſit confeſſio peccati obliti in confeſſione, quæ præceſſerat.

167. Sà. P. Emuel Sà *verb. Euchariſtia, num.* 24. hæc ait: [Accedens ad communionem, ſi recordatur alicuius peccati mortalis, & non poteſt ſine nota diſcedere, communicet, poſtea quamprimùm confeſſurus.] Idem noto in Emanuele Sà, quod in Præpoſito.

168. Fagundez. P. Stephanus Fagundez *in.* 3. *Eccleſ. præc. lib.* 3. *cap.* 9. *num.* 14. ſic ait: [Quid dicendum ſit, quando aliquis laicus iam ad linteum menſæ diuinæ communicaturus aſſiſtit, & ibi recordatur alicuius peccati mortalis non confeſſi; an teneatur ſurgere è menſa, vt confeſſarium adeat?... Henriquez *lib.* 8. *de Euch. cap.* 46. *num.* 3. affirmat, hanc ſolam cauſam eſſe ſufficientem, vt huiuſmodi homo communicare poſſit, abſque obligatione ſurgendi è menſa, & & quærendi confeſſarij propter reuerentiam Sacramenti; videtur enim aliqua indecentia ipſius Sacramenti, ſi teneatur tunc ſurgere.] Quod latè ibi proſequitur, & vt probabile admittit.

169. Cùm ergo hæc ſuffragia legeris prædictorum Authorum, relege (& obſtupebis) eam periodum Murciæ: [Qui omnes docent, quod quando confeſſio, in qua oblitum fuit peccatum, fuit facta ex intentione ſumendi Euchariſtiam ex præcepto Concilij Tridentini *ſeſſ.* 7. *cap.* 13. dicendum eſt, tunc tale peccatum non eſſe confitendum, quia præceptum Concilij iam fuit adimpletum.] Obſtupebis, inquam, quòd citentur Authores pro concluſione contradictoriè oppoſita ei, quam ipſi defendunt; cùm ſolùm admittant in ipſis locis, in quibus citantur à Murcia, poſſe omitti confeſſionem peccati obliti, quando iam communicaturus eſt in menſa & ad linteum, ratione ſcandali aut infamiæ; & aliqui eorũ, ratione irreuerentiæ, quam probabiliter putant adeſſe, ſi quis ſurgat è ſacra menſa, antequam ſumat cibum ſacrum.

170. Hinc colliges, quanta iniuria fiat decreto Sanctæ Inquiſitionis de expungenda opinione Petri Cornejo de non confitendo ante communionem peccato oblito, dum octo Authores citantur falsò pro opinione à ſacro Tribunali expungi iuſſa. Dicere enim, quod octo Authores ſtant pro opinione expungi iuſſa à ſacro Tribunali, eſt damnare decretum ſacri Tribunalis, & aſſerere, octo Authores ſtare contra eius decretum. Item qui eos octo Authores producit pro ea opinione, oſtendit, Tribunal irrogare iniuriam Petro Cornejo, dum in ſolo illo expungit Tribunal doctrinam, quam eandem in octo aliis Authoribus, maiori ex parte Recentioribus permittit. Et cùm ex dictis conſtet euidenter, nihil tale dixiſſe, vel cogitaſſe eos Authores, ex falſitate creſcit iniuria.

171. *Ex Tridentino conuincitur falſitas eius aſſertionis.* Ratio autem, quæ conuincit de falſitate eam reſponſionem ſecundam traditam à Murcia de peccato oblito, & poſtea memoriam ſubeunte confitendo ante ſacram communionem ſecluſo caſu neceſſitatis, eſt ipſa, quam tradit Tridentinum ea *ſeſſ.* 13. *c.* 7. Etenim; *Nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa Sacramentali confeſſione ad ſacram Euchariſtiam accedere debet*: ſed qui in confeſſione facta cum intentione cõmunicandi, ſine ſine illa, oblitus eſt peccati mortalis, & ante ſacram communionem recordatur illius peccati,

verè habet conſcientiam peccati mortalis, ſine *conſcius ſibi eſt* illius, vt patet ex dictis *n.* 158. ergo ille abſque præmiſſa ſacramentali confeſſione eius peccati, ad ſacram Euchariſtiam non debet accedere; intellige extra caſus neceſſitatis.

Confirmatur. Nam *Eccleſiaſtica conſuetudo declarat* vim huius præcepti iuxta Tridentini 172. *Item ex Eccleſiaſtica cõſuetudine, quam allegat Concilium.* verba: ſed Eccleſiaſtica conſuetudo & praxis eſt, quod nemo accedat ad Euchariſtiam ſine confeſſione cuiuſcumque peccati mortalis ad memoriam redeuntis, quando non eſt neceſſitas omittendi: ergo nemo poteſt accedere ad Euchariſtiam ſine confeſſione cuiuſcumque peccati mortalis ad memoriam redeuntis. Quod argumentum cùm faciat euidentiam moralem, meritò ſacra Fidei Inquiſitio Hiſpana damnauit oppoſitam opinationem in Petro Cornejo.

Reſpondet tertiò Murcia, quod aliquam opinationem prohibitam eſſe non ſolùm à Fidei 173. *An damnatio reddat opinione intrinſecè improbabilem?* cenſoribus, ſed etiam à Summo Pontifice, non reddit illam intrinſecè improbabilem. Et ego interrogo Murciam, an iudex capitis damnans reum, reddat illum intrinſecè malefactorem? Reſpondebit, ſi veritatem amat, iudicem non reddere illum intrinſecè malefactorem, ſed declarare pro ſua poteſtate, talem eſſe. Quare ergo *Iudex damnans reum, non reddit illum intrinſecè reum.* licèt Fidei Cenſores non conſtituant propoſitionem intrinſecè improbabilem, non poterunt declarare, præcedente cognitione cauſæ, illam propoſitionem eſſe intrinſecè improbabilem?

Progreditur Murcia. Pontifices Romani prohibent, ne vllus verbo, vel ſcripto doceat, B. 174. Mariam conceptam fuiſſe in peccato originali; & huius decreti violatores denunciari apud ſacrum Fidei Tribunal: cùm tamen ipſi Pontifices declarent, ſe non intendere derogare probabilitati eius opinionis. Et proſequitur his formalibus verbis: [Quod idem dicendum eſt in noſtro caſu. Cenſores enim Fidei, tum propter reuerentiam debitam ſacræ Euchariſtiæ, & ne pandatur oſtium, ſine debita præparatione, & conſcientiæ diſcuſſione accedendi ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, & ne pius mos Fidelium in vniuerſa Eccleſia receptus non accedendi ad Euchariſtiam, niſi priùs peccata etiam oblita per confeſſionem ſacramentalem expiauerint, paulatim decidat, prædictam opinionem de non confitendis peccatis oblitis in confeſſione, expungi mandarunt. Non tamen ex eo credendum eſt, eos Fidei Cenſores eiuſdem opinionis intrinſecæ probabilitati (qualiſcumque ſit) derogare intendiſſe.]

175. *Diſp.* 9. ſublata eſt æquiuocatio ſophiſtica *Opinio manet improbabilis poſt dãnationem Rom. Pontificis.* eius propoſitionis, quod opinio probabilis non poteſt reddi improbabilis; & demonſtratum eſt, propoſitionem priùs probabilem in materia morum cum cognitione cauſæ poſſe à ſummo Pontifice damnari tanquam certò falſam; & ſi damnetur à Iudicibus Fidei, præcipuè in indice expurgatorio, eſſe magnum fundamentum ad cenſendum, eam eſſe certò falſam, licet id iudicium non habeat omnimodam infallibilitatẽ. Nam opinio (admiſſa vt probabilis à Doctoribus) dum contra illam non eſt inuentus textus aliquis euidens, aut demonſtratio, probabilis eſt: quod ſi contra eam reperiatur textus euidens, vel demonſtratio, iã non eſt probabilis. Quod ſi iſte textus euidens, vel demonſtratio, ex conſultatione Doctiſſimorum virorum, appa-

Digitized by Google

reat, & reperiatur in iudicio; poterunt iudices cum tali cognitione cauſæ damnare illam opinionem vt improbabilem & certò falſam. Relege eam *diſp.* 9. vbi pro hac doctrina efficaciſſima argumenta comperies.

176. *Ea opinio pugnat contra argumentum euidens. Et euidentiam cognouit Inquiſitio.*

Ea propoſitio de non confitendo peccato oblito ante communionem, propoſita eſt intellectui Petri Cornejo vt probabilis. Argumentum autem, contra eam ſuprà propoſitum ex Tridentino, euidens eſt. Hanc euidentiam cognouit Tribunal Sacrum, & cum cognitione cauſæ, id eſt, cum cognitione eius euidentiæ, decernens, eam eſſe certò falſam, expungi mandauit.

177. *Quod affert de conceptione, non eſt ad rem.*

Quod addit de prohibitione opinionis de Conceptione B. Mariæ in originali, non eſt ad rem, vt patet *ex ea diſp.9. cap.*18. *art.*4. cùm ex ipſis diplomatibus Pontificiis conſtet, non prohibitam quia hæreticam, vel impiam; ſed ob ſcandala, & inconuenientia alia.

178. *Reliquæ propoſitiones prohibentur, quia damnabiles.*

In reliquis autem propoſitionibus ad doctrinam fidei, vel morum pertinentibus ex ipſa praxi Sacri Tribunalis conuincitur, non deleri propoſitiones, niſi quia continent doctrinam certò falſam, & aliis cenſuris theologicis notatam. Etenim quando ad Sacrum Tribunal defertur aliqua talis propoſitio, Iudices remittunt propoſitionem viris doctiſſimis Qualificatoribus, vt videant, quâ cenſurâ digna ſit propoſitio, an erronea, an ſcandaloſa, an temeraria, &c. nec iubetur expungi, donec conſtet, aliquâ cenſurâ theologicâ dignam eſſe: ergo perperam ait Murcia, eam opinionem Petri Cornejo non ob falſitatem & improbabilitatem doctrinæ, ſed ob alia inconuenientia prohibitam eſſe. Deinde ſi prohibita eſt propter eiuſmodi inconuenientia, quare audet Murcia iterum recudere.

179. Sed ob quæ inconuenientia ea opinio eſt prohibita? Ait primò in verbis ſuprà relatis: [Tum propter reuerentiam ſacræ Euchariſtiæ, & ne pandatur oſtium, ſine debita præparatione, & conſcientiæ diſcuſſione accedendi ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum.] Itaque ſi doceatur, licitum eſſe communicare ſine confeſſione peccati obliti in alia confeſſione, fit contra *reuerentiam debitam Euchariſtiæ*, & *panditur oſtium accedendi ad Euchariſtiam* ſine *debita præparatione*, & *conſcientiæ diſcuſſione*. Sed hæc opinatio à Murcia propoſita docet vt probabile, licitum eſſe communicare ſine confeſſione eius peccati obliti: ergo talis opinio facit contra reuerentiam debitam Sacræ Euchariſtiæ, & pandit oſtium accedendi ad Sacram Euchariſtiam ſine debita præparatione, & conſcientiæ diſcuſſione.

180. Secundò. Si probabile eſſet, eam non eſſe præparationem neceſſariam ad recipiendam Euchariſtiam, vnde, aut quomodo panderetur oſtium accedendi ſine debita præparatione? Nam ſi hæc non eſſet debita præparatio, quamvis ſine illa accederet, vtique accederet homo ſufficienter præparatus. Sic enim qui docet, non eſſe peccatum accedere ad Euchariſtiam ſine confeſſione venialium, non pandit oſtium accedendi ſine debita præparatione; eo ipſo quod licitum eſt accedere ſine confeſſione venialium.

181. Secundum inconueniens, ob quod prohibetur ea opinio, eſſe ait: [Ne pius mos fidelium in vniuerſa Eccleſia receptus non accedendi ad Euchariſtiam, niſi prius peccata etiam oblita per confeſſionem ſacramentalem expiauerint, paulatim decidat.] Si iſte pius mos non eſt obligatorius, quid intereſt, quod paulatim decidat? Quia ſi decidit mos non obligatorius, illæſa ſeruatur præparatio & probatio ad Euchariſtiam neceſſaria. Deinde quis vnquam audiuit, ob retinendum morem aliquem pium non obligatorium, præcepiſſe Eccleſiam, vel Inquiſitores Fidei expungere eam propoſitionem, quæ aſſerit non eſſe obligatorium? Numquid ad retinendum pium morem de ſalutatione Angelica recitanda ante noctem, erit opportunum medium delere propoſitionem, quæ aſſerit, eum morem non eſſe obligatorium? Numquid ad retinendum pium morem cõfitendi etiam peccata venialia ante communionem, erit opportunum mediũ delere propoſitionem quæ aſſerit, eum morem non eſſe obligatorium?

Et tandem ſi propter ea inconuenientia, quæ refert Murcia, expungi iuſſa eſt ea propoſitio Petri Cornejo, quare licuit Murciæ eam propoſitionem recudere? Numquid inconuenientia vrgent, ne permittatur in Petro Cornejo; & non vrgent in Murcia. 182.

Denique ea propoſitio, quæ vniuerſaliter docet, peccata propter obliuionem omiſſa in confeſſione, non debere ampliùs in confeſſione exponi, damnatur ab Alexandro VII. eſtque vndecima ex damnatis, vt minimùm tanquam ſcandaloſa in priori decreto anni 1665. cùm iam hæc diſputatio proximè parabatur ad prælum. Ex qua damnatione remanere certò falſam, apertè conſtat ex *diſp.*9. *cap.* 20. Proderit autem hæc diſputatio, vt cognoſcatur, eam opinionem eſſe certò falſam, etiam ante prædictam damnationem. 183.

Eam doctrinã damnauit vt ſcandaloſam Alexãder VII.

DISPVTATIO LI.

An ille, qui confeſſus eſt peccatum vt dubium, & poſtea certò recordatur illius, teneatur illud confiteri vt certum?

CAPVT I.

Status quæſtionis, & pars negatiua.

NON procedit quæſtio præſens de illo, qui certò recordatur peccati mortalis à ſe commiſſi; & adhuc ſcienter confitetur peccatum illud vt dubium. Omnes enim tanquam certum & indubitabile tuentur, illum hominem ſacrilegè confiteri; quia non confitetur peccatum eo modo, quo eſt in conſcientia illius. Et ſimiliter qui exiſtimat certò commiſſum à ſe peccatum lethale, cùm reuera ſit dubium, id eſt, quando verè ſunt rationes dubitandi, ad quas ille non attendit; ſi tunc confitetur vt dubium, conueniunt omnes, illum ſacrilegè confiteri, ob eandem rationem. 1.

Qui certum ſcienter confitetur vt dubium, peccat.

Procedit ergo quæſtio de illo, qui cùm dubius 2.

Digitized by Google

bius ſit de peccato lethali à ſe commiſſo, illud exponit confeſſioni vt dubium, & poſtea recordatur certò commiſſionis peccati: An videlicet poſt certam notitiam, & recordationem illius, teneatur illud vt certum confiteri.

Lugo non audet negare obligationem.

3. Card. Lugo *diſp.* 16. *de pœnitentia*, *ſect.* 2. §. 4. cœpit in hac quæſtione dubitare. Nam ante illum omnes Theologi tenuerant, hominem in illo caſu teneri ad confitendum illud peccatum vt certum. Sed poſteaquam propoſuit rationes, quæ parti negatiuæ ſuffragantur, addidit: [Cæterùm quia in re morali non eſt facilè recedendum à communi ſenſu, & quia nullum inuenio ſcriptorem pro ea parte; eos autem paucos, qui hoc attigerunt, video in contrarium inclinare, nolo ego in hoc puncto aliquid definire, ſed ſecutiorem partem conſulere.]

Caram. Leander. Merolla. Verde. Verricelli. Breſſer. Pellizzar. Tambur. Tancred.

4. Vix noſter Lugo hanc rimulam aperuit, cùm Recentiores, agmine facto, eam putarũt oſtium ampliſſimum, per quod in eam ſententiam tutò ingrederentur. Ideo hominem in illo caſu non teneri ad confitẽdum peccatum vt certum, qui iam confeſſus eſt vt dubium, tenuerunt Caramuel *in Theolog. fund. n.* 1997. *fund.* 63. Leand. à SS. Sacr. *tom.* 1. *de Sacr. tract.* 5. *diſp.* 5. *quæſt.* 27. & apud ipſum Merolla *tom.* 1. *diſp.* 3. *c.* 3. *dub.* 3. *corol.* 23. *num.* 157. *&* 159. Item Franc. Verde *in Apolog. contra anti-Caramuelem*, *quæſt.* 12. §. 2. *num.* 550. & apud ipſum Verricelli *tract.* 5. *de ſcrupulorum cauſis & remed. quæſt.* 6. *n.* 22. Breſſerus *de conſcientia lib.* 4. *cap.* 18. *n.* 197. P. Pellizzarius *tom.* 2. *Manual. Regular. tract.* 10. *c.* 10. *num.* 198. P. Tamburinus *in methodo lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 24. Iancredus *tom.* 5. *diſp.* 6. *quæſt.* 2. ex quibus Pellizarius & Tamburinus eam opinionem, non abſolutè, ſed ſolùm vt probabilem tuentur. Quid ergo deeſt ad probabilitatem opinionis, cui nouem Authores ſuffragantur.

Authoritas ſine fundamento non prodeſt eſt.

5. Sed quia *Non eſt credendum Doctoribus, quantumcunque doctrinâ polleant, dum carent fundamento*, vt ex Ioanne Lupo ait P. Thomas Sanchez *lib.* 3. *de matrim. diſp.* 44. *num.* 3. & multò magis ſi opponantur fundamento demonſtratiuo, ideò oportet inquirere, an contra præfatam opinionem militet fundamentum omninò certum?

CAPVT II.

Certam eſſe partem affirmatiuam.

6. Dicendum ergo eſt tanquam certum, & indubitabile, eum, qui confeſſus eſt peccatum lethale vt dubium, ſi poſtea certò recordetur illius, teneri denuò ad confitendum illud vt certum. Ita omnes Theologi ante Ioannem de Lugo, qui primus de hac re dubitauit.

7. Oſtenditur primò concluſio. Implicat, opinionem non eſſe improbabilem, contra quam militat principium certum: ſic ſe habet opinio negatiua: ea ergo certò falſa exiſtimanda eſt. Conſequentia eſt ineuitabilis. Et maior eſt metaphyſicè euidens. Implicat enim contradictionem, quod ex duabus contradictoriis, ſi vna eſt certa, altera non ſit certò falſa, vt demonſtraui *diſp.* 4. *num.* 6. & *diſp.* 15. *num.* 589.

8. Minorem verò (in qua tota cauſa verſatur) oſtendo. Eſt enim principium certiſſimum à Concilio Tridentino definitum, quod [omnia peccata mortalia deferenda ſunt Sacerdotibus taliter, quod poſſint exercere iudicium non incognitâ causâ, & de grauitate criminum rectè cenſere: & taliter quod poſſint ſeruare æquitatem in pœnis iniungendis pro qualitate criminum; & non ſolùm ad infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & caſtigationem.] Quæ periodus contexta eſt ex verbis Tridentini *ſeſſ.* 14. *de Sacram. Pœnitent. cap.* 5. *&* 8.

Ita confitenda peccata, vt poſſit ſeruari æquitas in pœnis.

9. Et quidem *cap.* 5. ait: *Conſtat enim Sacerdotes iudicium hoc incognitâ causâ exercere non potuiſſe, neque æquitatem quidem illos in pœnis iniungendis ſeruare potuiſſe, ſi in genere*, &c. Ex quibus verbis euidenter conſtat, confeſſionem ita faciendam eſſe, vt poſſint Sacerdotes iudicium exercere non incognitâ causâ, & ita vt poſſint ſeruare æquitatem in pœnis iniungendis.

10. Et inferiùs agens de neceſſitate exponendi peccatorum ſpecies, ait: [quod ſine illis peccata neque à pœnitentibus integrè exponantur, nec iudicibus innoteſcant; & fieri nequeat, *vt de grauitate criminum rectè cenſere poſſint, & pœnam, quam oportet, pro illis pœnitentibus imponere.*] Ex quibus verbis clariſſimè conſtat, confeſſionem taliter faciendam eſſe, vt confeſſarius poſſit de grauitate criminum rectè cenſere; & taliter vt poſſint pœnam, quam oportet, pro criminibus imponere. Pœnam autem, *quam oportet*, eſſe debere *pro qualitate criminum*, expreſſit Tridentina Synodus *ibid. cap.* 8.

vna clauis ad abſoluendum, altera ad ligandum

11. Et eodem *cap.* 8. ſic ait Concilium: [Habent autem præ oculis, vt ſatisfactio, quam imponunt, *non ſit tantùm ad nouæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum; ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & caſtigationem.* Nam claues Sacerdotum *non ad abſoluendum duntaxat, ſed & ad ligandum* conceſſas etiam antiqui Patres & credunt, & docent.] Ex quorum tenore verborum manifeſtè patet, attento textu proximè relato, taliter confeſſionem fieri debere, vt Sacerdos poſſit imponere pœnam pro qualitate crimininum; quæ pœna ſit ad præteritorum criminum caſtigationem.

12. Definit itaque Tridentina Synodus, confeſſionem peccatorum talem eſſe debere, vt Sacerdos cum cognitione cauſæ poſſit iniungere pœnam pro qualitate criminum ſeruando æquitatem. Quod non ſic intelligitur, vt ſi Sacerdos non ſeruet æquitatem in pœnis iniungendis, ſit inualida confeſſio, quod eſſet ingens abſurdum; ſed quòd pœnitens ita confiteri debet, vt informet intellectum iudicis ſui ita vt poſſit imponere pœnam, ſeruando æquitatem, & pro qualitate criminum. Vnde infert Sacra Synodus, circunſtantias mutantes ſpeciem, in confeſſione exponendas eſſe; quia aliàs non poſſet ſeruare Sacerdos æquitatem in pœnis iniungendis, neque iniungere pœnam, quam oportet pro qualitate criminum.

13. Iam verò cum principio definito à Synodo Tridentina non poſſe componi opinionem, quæ ait, eum, qui confeſſus eſt peccatum vt dubium, non teneri ad confitendum illud vt certum, etiamſi certò recordetur illius, facilè oſtenditur. Etenim qui confeſſus eſt hæreſim mentalem vt dubiam, & poſtea certò recordatur, ſe illi plenum adhibuiſſe conſenſum cum

Digitized by Google

omni aduertentia rationis, non confeſſus eſt taliter, vt poſſit Sacerdos ſeruare æquitatem in pœna iniungenda, nec pro qualitate criminis, & rectè cenſere de grauitate criminis ad imponendam pœnam, quam oportet, nempe ad iuſtam eius criminis caſtigationem: ergo debet confiteri peccatum vt certum, ad hoc vt poſſit Sacerdos eam æquitatem ſeruare. Conſequentia eſt manifeſta.

14. *Peccato certo, & dubio non debetur eadē pœna.* Et antecedens certiſſimum eſt. Quia non debetur eadem pœna peccato dubio, & peccato certo; neque ſeruaret æquitatem Sacerdos, qui pro hæreſi mentali certa non maiorem imponeret pœnam, quàm imponitur ei, qui dubitat de conſenſu pleno in prædictam hæreſim. Ergo qui confeſſus eſt hæreſim vt dubiam, & iam certus eſt, ſe deliberatè admiſiſſe illam, nondum eſt confeſſus peccatum taliter, vt innoteſcat Sacerdoti, quam æquitatem in aſſignanda pœna ſeruare debeat.

15. Confirmatur primò. Petrus confeſſus eſt copulam illicitam cum Berta, immemor circunſtantiæ adulterij; cuius circunſtantiæ certò recordatur. In hoc caſu ideo, iuxta definitionem Concilij, tenetur confiteri circunſtantiam adulterij, quam omiſit in ea confeſſione, quia taliter debet exponere peccatum ſuum, vt poſſit Sacerdos ſeruare æquitatem in iniungenda pœna: (neque enim particula *ideò*, ſemper denotat rationem à priori, ſed quandoque denotat illationem conſequentis ex antecedenti, vt in præſenti) ſed eadem ratio conuincit, peccatum expoſitum vt dubium, cum iam certò dignoſcitur, debere iterum exponi vt certum; neque enim aliter Sacerdos poterit ſeruare æquitatem in pœnis iniungendis, cùm non ſeruetur æquitas imponendo eandem pœnam peccato certo, & peccato dubio: ergo ex mente Concilij peccatum expoſitum in confeſſione vt dubium, debet exponi vt certum, poſtquam certò dignoſcitur.

16. *Reſponſio.* Nec ſatisfacies, ſi dicas eſſe diſparitatem inter vtrumque caſum, quòd in primo non abſoluitur directè Petrus à circunſtantia adulterij, quam omiſit; & in ſecundo homo abſoluitur directè à peccato, quod confitetur vt dubium.

17. *Confutatur.* Nam admiſſo eo diſcrimine inter vtrumque caſum, id non eſt ad rem paritatis proximè inſtructæ. Hæc enim procedit ab argumento firmiſſimo, quo vtitur Synodus ad probandum circumſtantiam adulterij omniſſam in priori confeſſione, debere ad confeſſionem adduci, nempe quia aliter non fit confeſſio, ita vt poſſit Sacerdos ſeruare æquitatem in pœnis iniungendis, nec ſatisfactionem imponere pro qualitate delicti. Quæ ratio eadem militat in peccato confeſſo vt dubio, confitendo vt certo, poſt quam certò dignoſcitur.

18. *Peccatum mortale ſubiici debet vtrique clavi.* Confirmatur ſecundò. Qui non ſubiecit vtrique claui Eccleſiæ peccatum ſuum, quod certò ſcit à ſe eſſe commiſſum, tenetur illud vtrique ſubiicere: ſed qui confeſſus eſt peccatum vt dubium, & poſtea illud certò dignoſcit, nondum ſubiecit peccatum ſuum vtrique claui Eccleſiæ: ergo adhuc tenetur ſubiicere, atque adeò confiteri illud vt certum. Conſequentia firmiſſimè obſtringit.

19. Maior patet ex Synodo Tridētina *in ea ſeſſ. 14. cap. 8. de Sacr. Pœnit.* vbi dicitur: *Claues Sacerdoti non ad abſoluendū duntaxat, ſed & ad ligandū conceſſas, etiam antiqui Patres & credunt, & docent.* Ex quo inferunt, ſatisfactionem à Sacerdote imponendam, *non eſſe tantùm ad nouæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum; ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & caſtigationem;* quam imponi debere pro qualitate criminum, & ſeruando æquitatem, priùs ſtatuerat ſacra Synodus: ſicut & confeſſionem fieri debere eo modo, vt Sacerdotes poſſent exercere poteſtatem ſecundæ clauis, ſeruando æquitatem in pœnis pro qualitate criminum. Vnde fit, iuxta mentem Concilij, neminem rectè confiteri, qui non ſubiecit vtrique claui peccata ſua taliter, vt circa illa poſſit Sacerdos exercere munus vtriuſque clauis, abſoluendi, & ligandi.

Minor verò, ſcilicet non ſubieciſſe vtrique claui peccatum ſuum, eum qui confeſſus eſt peccatum vt dubium, & poſtea certò recordatur illius, clarè cōſpicitur. Etenim ille ſubiicit ſecundæ claui peccatum ſuum, qui ita confitetur peccatum ſuum, vt poſſit Sacerdos illud ligare pœna condigna pro qualitate criminis, vt patet ex verbis Concilij ſuprà traditis: ſed qui confeſſus eſt peccatum vt dubium, & poſtea illius certò recordatur, nondum confeſſus eſt peccatum taliter, vt poſſit Sacerdos illud ligare pœna condigna pro qualitate criminis; cùm euidens ſit, pœnam condignam peccati dubij non eſſe pœnam condignam peccati certi: ergo qui confeſſus eſt peccatum vt dubium, & poſtea illius certò recordatur, nondum illud ſubiecit ſecundæ claui pœnitentiæ. 20. *Qui culpam confitetur vt dubiam, nondum ſubiicit ſecundæ clavi.*

CAPVT III.

Alia argumenta pro certitudine eiuſdem concluſionis.

OStenditur ſecundò concluſio. Qui habet conſcientiam peccati mortalis, tenetur ad illud confitendum: ſed qui confeſſus eſt peccatum vt dubium, & poſtea certò recordatur illius, habet conſcientiam peccati mortalis: ergo is tenetur confiteri illud vt certum. Conſequentia eſt euidens, vtpote ſyllogiſmi inſtructi ad amuſſim primi modi primæ figuræ; ambæ enim præmiſſæ traduntur in ſenſu vniuerſalium. 21. *In hoc caſu habet conſcientiam peccati mortalis.*

Maior autem eſt euidens ex verbis Concilij *in ea ſeſſ. 14. cap. 5. de Sacram. pœnit.* [Ex his colligitur oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, *quorum*, poſt diligentem ſui diſcuſſionem, *conſcientiam habent*, in confeſſione recenſeri.] 22.

Minorem oſtendo. Etenim ille habet conſcientiam peccati mortalis, qui ſcit, ſe cōmiſiſſe illud, & nondum confeſſus eſt eo modo: quo exigit Concilium Tridentinum, quare optimè P. Ægidius de Coninck *diſp. 7. de pœnit. initio,* dixit ex communi ſenſu Doctorum: [Conſcius autem ſibi alicuius peccati mortalis ille dicitur, qui ſcit, ſe id commiſiſſe, & nondum legitimè eſſe confeſſum.] Sed qui confeſſus eſt peccatum vt dubium, & poſtea certò recordatur illius, nondum confeſſus eſt peccatum eo modo, quo exigit Concilium: ergo qui confeſſus eſt peccatum vt dubium, & poſtea certò recordatur illius, habet conſcientiam peccati mortalis. Maior, & conſequentia patent. 23.

Nec minùs patet minor. Concilium enim exigit, vt peccatum lethale confitearis taliter, vt poſſit 24.

Digitized by Google

poſſit Sacerdos ſeruare æquitatem in pœnis iniungẽdis pro qualitate delicti, vt conſtat *ex præced.* ſed qui iam certus es de peccato lethali commiſſo, quod duntaxat vt dubium expoſuiſti, nondum confeſſus es taliter, vt Sacerdos poſſit ſeruare æquitatem in pœna iniungenda pro qualitate criminis; cùm non poſſit ſeruari æquitas imponendo eandem pœnam peccato dubio, & peccato certo, vt conſtat ex dictis: ergo nondum confeſſus es peccatum tuum eo modo, quo exigit Concilium.

25. Huc reuoca duo alia argumenta duobus proximis capitibus ſubiicienda, pro impugnatione obiectionum aduerſariarum.

CAPVT IV.

Prima obiectio diſſoluitur, & debellatur.

26. *Qui dicit 10. plus minus, certus mox de 11. non tenetur exponere.* Contra hanc inconcuſſam veritatem Card. Ioannes de Lugo aliqua argumenta excogitauit; ex quo reliqui Authores deſumpſerunt. Primum eſt. Probabile eſt, illum, qui confitetur ſe peieraſſe decies, plus minuſve, ſi poſtea certò recordetur, ſe peieraſſe vndecies, vel duodecies, non teneri ad confitendum ea duo peccata numero diſtincta; & tamen illa ſub dubio confeſſus eſt, cùm dixit, decies plus minuſve: ergo probabile eſt, eum, qui confitetur ſub dubio peccatum, non teneri ad illud confitendum vt certum, etiamſi poſtea illius certò recordatur.

27. *Paritas à numero ad ſpeciem.* Conſequentia patere videtur; ſi enim ſufficit confeſſum eſſe ſub dubio peccata numero diuerſa, ſine eo quod adſit obligatio confitendi illa vt certa, etiam poſtquam quis ea certò dignoſcit; ſatis etiam erit confiteri ſub dubio peccata ſpecie diuerſa, ſine eo quòd adſit obligatio repetendi illa vt certa, quando certò dignoſcuntur; cùm non ſit maior obligatio confitendi peccata ſpecie diuerſa, quàm peccata ſolo numero differentia.

28. Item minor eſt euidens. Nam qui dicit, ſe peieraſſe decies paulò plus vel minus, ſub dubio dicit aliqua alia, ſaltem duo ſuprà illa decem; imò ipſum peccatum decimum etiam dicit ſub dubio, cùm dicat *vel minus*.

29. *Suarez. Vaſq. Coninck. Granad. Leand. Sotus. Sà. Viuald. Vega. P. Ledeſm. Villalob. I. Sanc. Lopez. Fagund. Diana. Bonacin. Nuñus. Filliucis. Reginald. Etc.* Quod autem ſit probabilis ea opinio de duobus peccatis iam certò cognitis non repetendis vt certis in alia confeſſione, inde oſtenditur, quòd eam tradant Sapientiſſimi Doctores. P. Suarez *tom. 4. in 3. part. diſp. 22. ſect. 5. n. 38.* P. Vaſquez *tom. 4. in 3. part. quæſt. 91. art. 1. dub. 6.* P. Coninck *tom. 2. de Sacram. diſp. 7. dub. 7. n. 62.* P. Granado *tom. 2. in 3. part. controu. 7. tract. 9. diſp. 10. num. 3.* item Leander à SS. Sacram. *1. p. de Sacram. tract. 5. diſp. 5. quæſt. 6.* & apud ipſum Sotus, Sà, Viualdus, Vega, Petr. Ledeſma, Villalobos, Ioan. Sancius, Lopez, Fagundez, Diana, Bonacina, Nuñus, Filliucius, Reginaldus, Pitigianus, Trullench, Geſualdus, & Baſſæus. Argumentum autem probabilitatis, à principiis intrinſecis petitum nullum afferunt pro prædicta concluſione.

30. *Præmiſſa ſint probabiles in ſenſu compoſito cum concluſione.* Sed in primis modum arguendi eſſe prauum, conſtat ex iis, quæ notaui *diſp. 8.* nempe vt noua aliqua concluſio illata ex præmiſſis habitis vt probabilibus denuo aſſeratur, opus eſſe, quod præmiſſæ ſint probabiles in ſenſu cõpoſito cum concluſione. Solet enim contingere, quòd ex præmiſſis, quæ probabiles reputantur, denuò appareat illata concluſio, ad quam antea non aduertebatur. In quo caſu vnum è duobus infertur; vel quod illa concluſio eſt probabilis, vel quod præmiſſæ non ſunt probabiles. Priùs ergo Theologus examinet attentè, an concluſio denuò apparens illata ex illis præmiſſis, ſit probabilis, vel improbabilis. Quod ſi ex aliquo alio capite improbabilem inuenerit, procedat arguendo ordine inuerſo: [Concluſio eſt improbabilis: ergo præmiſſæ, ex quibus infertur, ſunt improbabiles.] Cuius rei nonnulla exempla propoſui *ea diſp. 8. cap. 2.*

In præſenti ergo diſcurſu conſtat ex ſupradictis, à principiis intrinſecis eſſe improbabilem eam concluſionem, quæ ait, eum, qui confeſſus eſt peccatũ vt dubium, ſi poſtea certò recordetur eius, non teneri ad confitendum illud vt certum. Debuit ergo Card. Lugo, debuerunt ſectatores eius, dum viderunt eam concluſionem inferri ex illis præmiſſis, dicere alteram ſaltem præmiſſarum non eſſe probabilem. Maximè cùm nullum fundamentum à ratione petitum afferant pro ea præmiſſa; & ſola authoritas non proſit ad probabilitatem, ſtatim atque apparuit fundamentum certum pro parte oppoſita, quod eos Authores latuit, nempe concluſio improbabilis illata ex illa præmiſſa: Authores autem, quicumque illi ſint, non dant probabilitatem in eo, quod ignorant; & multò magis, ſi militent contra principium certum, vt latè tradidi *diſp. 11.* & hæc dicta ſunt, quantum attinet ad modum diſcurrendi. An autem ea præmiſſa vitietur per hanc concluſionem, iam aperio. 31. *Vitiatur præmiſſa per concluſionem improbabilem.*

32. *Ea opinio nō infert concluſionem intentam.* Itaque ex ea doctrina non inferri hanc concluſionem, oſtendo primò. Et pono caſum, quo Petrus ſe accuſauit, peieraſſe decem vicibus, & de aliis decem vicibus dubitare. Authores, quibuſcum pugnamus, dicunt, idem dicendum eſſe de hoc caſu, ideoque illum hominem certiorem redditum de aliis decem vicibus, non teneri ad confitendum vt certa alia decem periuria, ſed ſufficere illam priorem confeſſionem, in qua confeſſus eſt illa vt dubia. At verò Authores, quos citant pro ea præmiſſa, id ſolùm admittunt de duabus, aut tribus vicibus, vt ex eorum contextu clariſſimè patet. Ergo ex eo quod admittatur tanquam probabilis ea præmiſſa illorum Doctorũ, non infertur vniuerſaliter quod peccata expoſita vt dubia, non debeant exponi vt certa, poſtquam certa ſunt; cùm illi Authores limitantes expreſsè doctrinam ſuam ad duas, vel tres vices, expreſsè excludant illam vniuerſalitatem. Implicat enim, quod inferatur propoſitio vniuerſalis ex illa propoſitione, quæ ipſam vniuerſalitatem excludit.

33. Dices, eos Authores, etſi in concluſione, quam affirmant, excludant eam vniuerſalitatem; aſſerere tamen rationem, quæ omnimodam affert paritatem reſpectu propoſitionis vniuerſalis comprehendentis omnia peccata, quæ iam expoſita ſunt vt dubia.

34. Sed ſi ſic reſpondeant, tacitè damnant eos Authores, quos pro ea præmiſſa aduocant, cùm ſic aſſerant, eos docere incompoſſibilia, dum ratio concluſioni aduerſatur, cùm concluſio excludat vniuerſalitatem, & ratio ab ipſis allata illam claudat. Deinde quia inter vtrumque inue-

Digitized by Google

nire eſt apertam diſparitatem, quam iam explico.

35. *Diſparitas inter vtramque opinionẽ.* Oſtendo ergo ſecundò, hanc concluſionem ex illa præmiſſa non inferri; & poſſe componi hæc duo, & quod ille, qui confeſſus eſt decem periuria plus minus, non teneatur ad confitenda alia duo, iam certò cognita; & quod, vtplurimum, ille, qui confitetur peccata vt dubia, teneatur illa confiteri vt certa, poſtquam certa ſunt. Quam diſparitatem explicabo inſiſtendo in eo certiſſimo principio definito à Synodo Tridentina, nempe confeſſionem debere fieri taliter, vt Sacerdos cognita cauſa poſſit ſeruare æquitatem in pœnis iniungendis pro qualitate criminum.

36. *Vnum, vel duo peccata non variant iudicium quoad 2. clauem.* Pro cuius claritate ſtatuo, vnum, vel duo peccata ſola numero diſtincta, inter plura alia eiuſdem ſpeciei expoſita in confeſſione (dummodo illud vnũ, vel duo non omittantur ſcienter) non variare practicè iudicium Sacerdotis in ordine ad ſecundam clauem, & poteſtatem ligandi, ſiue imponendi pœnam: nam eadem pœna imponitur à Sacerdote, ſiue periuria ſint decem, ſiue vndecim. Quamvis enim à parte rei maiorem reatum pœnæ incurrat homo propter vndecim periuria, quàm propter decem; at in exiſtimatione hominum, qui pœnam impoſituri ſunt, propter obſcuritatem cognoſcendi eam condignitatem pœnæ, eadem pœna ſatisfactoria imponitur propter decem, ac propter vndecim periuria: quare vndecim periuria eandem condignitatem practicam pœnæ ſortiuntur, ac decem.

37. Ex his apparet diſcrimen inter vtrumque. Nam qui vnum vel duo peccata ſolo numero diuerſa confitetur ſub dubio, inter plura alia certò expoſita eiuſdem ſpeciei, non tenetur illa confiteri ſ vt certa, poſtquam certa ſunt, quia illa duo, quæ ſub dubio expoſita ſunt, videntur ſufficienter ſubiecta ſecundæ claui Sacerdotis, cùm practicè non mereantur, ideſt non poſſint puniri maiori pœna; quia nõ eſt facilè diſcernibilis humano, & practico modo ea maior pœna, quæ aſſignanda eſt vndecim periuriis, quàm decem. Quod non contingit, quando vel magnus numerus peccatorum expoſitus eſt vt dubius, & poſtea apparet certus; vel quando vna diuerſa ſpecies, putà adulterij, expoſita eſt ſub dubio, & poſtea apparet certa: quia hæc valde immutant iudicium Sacerdotis, & habent longè diuerſam condignitatem pœnæ, etiam humano modo conſideratam. Quare qui in hoc ſecundo caſu expoſuit ſub dubio ſpeciẽ adulterij, quam poſtea inuenit eſſe certam, nondum confeſſus eſt eam ſpeciem peccati taliter, vt Sacerdos poſſit ſeruare æquitatem in pœna iniungenda pro qualitate criminis, vt exigit Sacra Synodus: qui autem decem periuria certa confeſſus eſt, & vnum, vel duo ſub dubio, etſi poſtea ea duo certa eſſe comperiat, verificari videtur, quod iam confeſſus eſt omnia ea periuria taliter, vt poſſit Sacerdos ſeruare æquitatem in pœna iniungenda pro qualitate criminis; cùm Sacerdos humano modo procedens non ſit impoſiturus maiorem pœnã pro duodecim, quàm pro decẽ; nec ſit facilè diſcernibilis exceſſus pœnæ.

38. Hæc non dixerim ex proprio ſenſu, ſed potiùs ne dicam improbabilem ſententiam tantorum virorum, qui tuentur, ea duo periuria ſub dubio dicta non eſſe repetenda, etſi certò dignoſcantur. Nam ego non video aliam viam, qua ea ſententia ſit probabilis, ſtante eo principio definito à Sacra Synodo, quod confeſſio taliter facienda ſit, vt Sacerdos poſſit ſeruare æquitatem in pœnis iniungendis pro qualitate criminis: maximè cùm id diſcrimen proximè aſſignatum, videatur probabiliter ſuſtineri poſſe.

Itaque ego, qui firmiſſimo dictamine teneo peccata ſub dubio expoſita, eſſe confitenda vt certa, poſtquam certè cognoſcuntur; exiſtimo dicendum etiam eſſe, eum, qui confeſſus eſt decem periuria plus minus, ſi poſteà duo alia certò dignoſcat, teneri ad confitendum illa duo vt certa, & illa duo eſſe ſufficienter ſubiecta ſecundæ claui Sacerdotis; & vndecim periuria maiorem condignitatem pœnæ ſubire, quàm decem. Verùm huic exiſtimationi meæ cum formidine aſſentior, ideoque iſte aſſenſus meus relinquit locum probabilitati partis oppoſitæ: & diſcrimen proximè datum intra metas probabilitatis relinquit. 39.

P. Gaſp. Hurtado *de pœnit. diſp. 9. diff. 5.* & cum eo Leander à Murcia *lib. 1. diſquiſitionum, reſol. 9. n. 14.* alio modo explicant hanc rem. Dicunt enim, in eo ſenſu accipiendam eſſe communem ſententiam, quòd ille, qui confitetur decem periuria plus vel minùs, non teneatur confiteri alia duo vt certa, etiamſi poſteà certò dignoſcat illa; in eo, inquam, ſenſu, quòd qui ſic exponit decem periuria plus vel minùs, non exponit illa dubitando formaliter, ſed cum aſſenſu probabili ad illa duo ſuperaddita: qui autem cum aſſenſu probabili confitetur peccatum, etſi certò id poſtea cognoſcatur, non eſt neceſſe iterum confiteri vt omnino certum. Quando autem quis confiteretur illa duo ſub dubio formali, poſteà certò dignoſcens illa, teneretur confiteri illa vt certa. 40.

Id tamen ſuſtineri non poteſt. Primò. Nam per hoc quod confitearis, te peieraſſe decies, vel duodecies, non poteſt confeſſarius facere iudicium probabile de duodecim periuriis determinatè à te commiſſis; temerarius enim iudex erit, ſi audiens diſiunctum, determinatè aſſentiatur duodecimo periurio, quod ſolum ſub diſiuncto confeſſus eſt. Et idem eſt, ſi cõfitearis duodecim periuria plus minuſve; cùm vtroque modo loquaris diſiunctivè. Secundò. Nam ſi quis ferat teſtimonium in iudicio, quod Petrus exercuerit tria vel quatuor homicidia, ſtolidus erit iudex, qui dicat, quartum homicidium eo teſtimonio diſiunctiuo eſſe ſemiplenè probatum. Atqui ſi teſtimonium diſiunctiuum probabilitatem faceret vnius partis, hæc maneret ſemiplenè probata. 41.

CAPVT V.

Secunda obiectio eneruatur & conuincitur.

Secundum argumentum eſt. Nam qui exponit peccatum vt dubium, illud confitetur, vt eſt in conſcientia; deinde Sacerdos abſoluit ab illo peccato directè, etſi ſub conditione, quod ita ſit, à parte rei: ſed qui directè abſolutus eſt ab aliquo peccato, ex iure diuino non tenetur iteratò illud confiteri: ergo qui confeſſus eſt peccatum vt dubium, non tenetur illud iteratò confiteri vt certum, etiam poſtquam certum eſt. 42.

Et confirmatur primò. Nam licèt Sacerdos putet 43.

Digitized by Google

putet eſſe veniale peccatum, quod à parte rei fuit mortale, verè abſoluit ab illo mortali, quia vult abſoluere ab eo, vt eſt à parte rei: ſed ſimiliter à peccato, quod confiteris vt dubium, Sacerdos vult abſoluere vt eſt à parte rei: ergo ab illo abſoluit directè.

44. Confirmatur ſecundò. Ad quòd enim eſt iſta iterata confeſſio peccati vt certi? Non vt abſoluatur directè; quia etiam ab illo expoſito vt dubio, pœnitens eſt abſolutus directè, ſub conditione, quod verè commiſſum fuerit. Neque id requiritur, vt det certam notitiam confeſſario; quia talis notitia debet eſſe in ordine ad abſolutionem; qua tamen iam non indiget pœnitens, cùm ab eo peccato ſit abſolutus directè, licèt ſub conditione, quod verè commiſſum fuerit: ergo repugnat, quod abſolutionem directam totius peccati obtinuerit, & quod ſit obligatio deferendi illud ad confeſſionem.

45. Leander Murcianus *lib. 1. reſolut. 9. num. 2.* ait, cùm quis fatetur peccatum dubium, abſolui ab eo indirectè: ideo enim adiungendum eſt aliud peccatum certum, vt abſolutus directè à certo, maneat abſolutus indirectè à dubio. Et citat pro hoc dicendi modo Patrem Suarium *tom. 4. in 3. part. diſp. 22. ſect. 9. num. 3.* & P. Thomam Sanchez *lib. 1. ſum. cap. 10. n. 70.* Sed neuter dixit, abſolui pœnitentem indirectè à peccato dubio; cùm tamen vterque dixerit in locis citatis, cùm quis confitetur peccatum dubium, adiungere debere materiam certam.

46. *A peccato dubio non abſoluimur indirectè.* Fallitur ergo Murcianus, dum ait, pœnitentem abſolui à peccato dubio indirectè. Neque Authores adſtruunt, adhibendam eſſe materiam certam, vt ratione iſtius, & dependenter ab iſta abſoluatur pœnitens à peccato dubio. Ideò enim exigunt materiam certam ſimul adhibendam, ne ſi illud peccatum, quod exponitur vt dubium, à parte rei non fuerit commiſſum, abſolutio illa conditionalis fruſtretur effectu: quam fruſtrationem iudicant dedecere Sacramenti adminiſtrationem. De quo dixi *diſput. 46. cap. 2.* vbi docui poſſe ex iuſta cauſa impendi abſolutionem conditionalem pro peccato expoſito vt dubio, abſque alia materia certa. Vbi etiam notaui neceſſariò admittendum eſſe aliquem caſum moribundi, in quo abſolutio ita impendatur.

47. Dicendum ergo eſt, à peccato expoſito vt dubio abſolui directè pœnitentem, quamvis conditionaliter. Et ſi quæſtio non ſit de voce, id eſt euidens. Nam, vt oſtendi *diſp. 50. cap. 9.* abſoluitur à peccato directè, qui abſoluitur ab illo independenter ab alio; indirectè verò cùm abſoluitur dependenter ab alio, vt contingit in peccatis oblitis: ideò enim quis abſoluitur indirectè ab oblitis, quia ab illis abſoluitur dependenter ab expreſſis; abſolutio enim impenſa à peccatis expreſſis non dependet ab abſolutione oblitorum; benè tamen è conuerſo. Atqui cùm quis abſoluitur à peccato expoſito vt dubio, vtique abſolutione conditionali; ab illo quidem abſoluitur independenter ab abſolutione alterius. Nam ſi vnum duntaxat peccatum dubium confiteatur Petrus, & ab illo conditionaliter abſoluatur; ſi à parte rei illud eſt commiſſum, verè abſoluitur ab illo, ſaltem ſi bona fide illud ſolum confiteatur.

Ad obiectionem ergo propoſitam reſpondeo, Sacerdotem abſoluere directè & conditionaliter à peccato expoſito vt dubio, nec propterea deficere obligationem confitendi illud vt certum, poſtquam certum eſt; quia nondum ſeruatus eſt modus, quem Chriſtus præſcripſit ad remiſſionem peccati. Sic enim qui contritione perfecta dolet de peccato, antequam confiteatur obtinet remiſſionem peccati; & tamen adhuc tenetur confiteri peccatum, quia nondum impleuit modum à Chriſto præſcriptum. Itaque ex præcepto Chriſti per Tridentinum declarato tenetur pœnitens confeſſionem taliter inſtituere, vt poſſit Sacerdos ſeruare æquitatem in pœnis iniungendis pro qualitate criminis: quem modum non ſeruauit, qui confeſſus peccatum dubium, & poſtea certum comperiens, nondum confeſſus eſt vt certum; quia dum non confitetur vt certum, non facit confeſſionem taliter, vt poſſit Sacerdos ſeruare eiuſmodi æquitatem in pœnis iniungendis. 48.

Abſolutus directè à peccato dubio, nondum ſubiecit 2. claui.

Minorem itaque obiectionis ſic diſtinguo: qui directè abſolutus eſt ab aliquo peccato, ex iure diuino non tenetur iteratò illud confiteri; [ſi confeſſus eſt taliter, vt Sacerdos poſſit ſeruare æquitatem in pœnis iniungendis pro qualitate criminis,] concedo; [ſi aliter confeſſus eſt,] nego. Vel ſic: [ſi confeſſus eſt cum ſubiectione ad vtramque clauem,] concedo; [aliter,] nego. Quæ diſtinctio manifeſtè conſtat ex dictis *c. 2.* & *3.* 49.

Ad priorem confirmationem concedo, pœnitentem ſatisfeciſſe præcepto, ſi omnes circumſtantias aperuit, ex quibus Sacerdos poſſet colligere malitiã mortalem peccati, licèt Sacerdos erret, putans eſſe veniale, & ritè abſolui ab eo peccato. Tum quia ex parte ſua fecit quidquid debuit, vt Sacerdos poſſet ſeruare æquitatem in pœnis iniungendis; ſiquidem aperuit omnes circumſtantias, vnde grauitas peccati dignoſci potuiſſet. Tum etiam, quia Chriſtus non obligauit pœnitentem ad quærendum Sacerdotem, qui nulla inſcitia laborare poſſet, aliàs obligaret ad impoſſibile; ſed ad ſummum ad quærendum Sacerdotem reputatum doctum. 50.

Et hinc patet diſcrimen inter vtrumque. Nam hic pœnitens ſeruauit modum à Chriſto præſcriptum, confitendo taliter, vt Sacerdos poſſet ſeruare æquitatem in pœnis iniungendis. Qui autem confeſſus eſt peccatum vt dubium, & poſtea comperit eſſe certum, nondum aperuit peccatum ſuum taliter, vt Sacerdos poſſit ſeruare æquitatem in pœnis iniungendis pro qualitate criminis; cùm peccato certo multò maior pœna ſatisfactoria debeatur, quàm peccato dubio, vt cõſtat ex dictis. 51.

Ad poſteriorem confirmationem conſtat, confeſſionem peccati vt certi requiri, non vt abſoluatur directè vtcumque; ſed vt illud peccatum ſubiiciatur ſecundæ claui Sacerdotis, cui nondum plenè ſubiectum eſt, dum ſolùm eſt expoſitum vt dubium; quia nondum expoſitum eſt taliter, vt Sacerdos poſſit ſeruare æquitatem in pœnis iniungendis. 52.

Hinc colliges, quàm falsò dixerit Leander à SS. Sacr. *tom. 1 tract. 5. diſp. 12. quæſt. 12.* cum, qui coram inferiori confeſſus eſt vt dubium, peccatum, quod in ſe eſt reſeruatum; ſi poſtea 53.

A reſeruato dubio non abſoluit directè inferior.

 reperiatur

Digitized by Google

reperiatur eſſe certum, non teneri exigere abſolutionem à ſuperiore. Tum ex dictis, quia id peccatum nondum ſubiecit, vt debuit, ſecundæ claui Sacerdotis. Tum etiam, quia in peccatum reſeruatum certum non habet iuriſdictionem inferior; & ideò abſoluere debet ab illo non ſolùm ſub ea conditione, ſi peccatum commiſſum eſt; ſed etiam ſub ea conditione, ſi non fuerit redditum certum.

54. *Paritas ab excommunicatione dubia.* Hinc etiam comperies, nutare argumentum Caramuelis *in Theolog. fundam. num.* 1997. *fundam.* 66. & Franciſci Verde *in apolog. contra anti-Caramuel. n.* 550. & Leandri à SS. Sacr. proximè citati, deſumptum ab excommunicatione dubia. Aiunt enim, eum, qui afficitur excommunicatione dubia, & abſoluitur ab ea, ſi certa comperiatur excommunicatio non debere iterum abſolui ab ea: ergo ſimiliter dicendum eſt de eo, qui confeſſus eſt peccatum vt dubium.

55. *Diſparitas.* Nutare, inquam, id argumentum, cùm propter diſparitatem rationis, tum propter falſitatem doctrinæ, ſi loquatur de excommunicatione reſeruata. Propter diſparitatem rationis: nam confeſſio ſacramentalis exigit, quòd pœnitens ſubiiciat peccata lethalia ſecundæ claui Sacerdotis, quantumcunque abſolutus ſit directè conditionaliter ab illis, vt conſtat ex dictis. At qui verè abſolutus eſt conditionaliter ab excommunicatione, non habet præceptum iterum ſubiiciendi illam poteſtati Eccleſiæ.

56. *Ab excommunicatione reſeruata dubia non abſoluit inferior.* Deinde propter falſitatem doctrinæ, ſi loquatur de excommunicatione reſeruata ſuperiori; quam tamen nec Caramuel, nec Verde expreſſerunt circa cenſuram reſeruatam; illam autem expreſſit Leander citatus. Nam ſi illa excommunicatio, v. g. hæreſis externæ, dubia ſit pœnitenti, tamen à parte rei certa; poteſt inferior abſoluere ab illa, etiam conditionaliter, nempe ſub ea conditione, [ſi verè extitit.] Ratio eſt. Nam maior defectus notitiæ eſt, cùm quis incidit in eam excommunicationem reſeruatam, & omninò obliuiſcitur eius; quàm cùm dubius eſt, an in eam inciderit; & tamen cùm omninò oblitus eſt eius, non tollitur excommunicatio per abſolutionem inferioris: ergo multò minùs cùm quis dubius eſt de ea excommunicatione, liberabitur ab ea per abſolutionem inferioris. Sed quidquid ſit de hoc, argumentum nihil probat propter diſparitatem euidentem proximè traditam. Et eodem modo, eademque diſparitate ſoluitur illud, quod afferunt prædicti Authores, de eo qui obtinuit diſpenſationem voti dubij: quæ diſpenſatio valet, etſi votum poſtea reddatur certum: circa quam diſpenſationem diſtingue, quæ diſtinguenda ſunt, cum P. Th. Sanch. *lib.* 4. *ſumm. capite* 44. *numero* 10.

DISPVTATIO LII.

An elapſo termino Paſchali confeſſionis, & communionis annuæ, eximantur fideles ab onere confitendi & communicandi quamprimùm.

CAPVT PRIMVM.

Sententia affirmatiua.

NOn eſt nobis in præſenti controuerſia cum Caramuele, qui de hac re parum, aut nihil ſcripſit: à cuius ingenij litibus paululum quieſcendum eſt. Agemus modò cum Apologiſta eius Franciſco Verde, & cum cæteris aliis, quorum ipſe veſtigiis inſiſtit. Et quidem de communione annua eſt præcipua quæſtio: nam terminus præcepti confeſſionis annuæ varius eſt iuxta varias opiniones Authorum: ſed ſequimur modò communiorem opinionem, quæ terminum vtriuſque præcepti identificat. 1.

Igitur Franciſcus Verde *in apolog. contra anti-Caram. quæſt.* 10. §. 4. *num.* 510. ait, à ſe propugnari opinionem, quæ docet, eum, qui non eſt confeſſus hoc anno, eximi ab onere præcepti anni elapſi. Quod idem diceret de præcepto communionis annuæ. Nec miror: nam multi, & nobiles Authores hoc ipſum docent de præcepto communionis annuæ. Ita Diana *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 41. ſecutus D. Antoninum, Syluestrum, Tabienam, Armillam, Medinam, Victoriam, Ledeſmam, P. Valentiam, P. Toletum, & P. Emanuelem Sà. 2. *Verde. Diana. Antonin. Syluest. Tabiena. Armilla. Medina. Victoria. Ledeſma. Valentia. Tolet. Sà.*

Fundamentum præcipuum huius opinionis deſumitur à paritate aliorum præceptorum, quæ intra terminum aliquem temporis concluduntur: nam elapſo termino præcepti auditionis Miſſæ violati, nempe die Dominica, non tenentur fideles eam audire feria ſecunda: & elapſo termino ieiunij violati, putà die Vigiliæ, non tenentur fideles altera die ieiunare. Audiendus eſt Card. Toletus *lib.* 6. *ſumm. cap.* 18. [Qui tempore ſtatuto non communicat, peccat quidem, ſed iam non tenetur communicare pro illo anno; ſicut qui non audiuit ſacrum in die Dominico, non tenetur audire die Lunæ; neque qui ſoluit diem ieiunij ex præcepto, tenetur alio die ieiunare.] Ita Toletus agens de præcepto communionis annuæ. Nam de præcepto confeſſionis oppoſitum dicit eſſe probabilius. 3. *A paritate aliorum præceptorum.*

Limitant plerique Authores eius ſententiæ, vt præceptum intelligatur, quando ex malitia quis omiſit communionem tempore Paſchali: tunc enim tranſacto termino non tenetur iam ad communionem. Quando verò quis illam omiſit, vel ex conſilio confeſſarij, vel ex legitimo 4.

Digitized by Google

gitimo impedimento, aut cauſâ iuſta, tunc prorogatur obligatio: quia ipſa lex capitis, *Omnis vtriuſque*, concedit facultatem confeſſario ad prorogandum tempus, quando ipſe expedire iudicauerit.

5. Sed ex hac ipſa diſtinctione P. Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. diſp.* 70. *ſect.* 2. §. *Alij verò*, colligit manifeſtam diſparitatem inter præceptum audiendi ſacrum, vel ieiunandi, & præceptum communionis annuæ. Recolenda ſunt eius verba. [Si prædicti Authores rem attentiùs conſideraſſent, ex hac eadem poſteriori parte potuiſſent elicere, priorem ſententiam eſſe falſam, & non eſſe idem iudicium ferendum de hac lege, & de omnibus aliis, quæ certa tempora deſignant. Nam ieiunium, aut Miſſa, ſiue per impotentiam, ſiue per malitiam præſcripto die omittantur, non cadunt amplius in obligationem ſubſequente die. Et per ſeſe incredibile eſt, voluiſſe legiſlatorem in hoc præcepto, vt non extingueretur ſtatim obligatio, ſed differretur, quando propter iuſtum impedimentum non poteſt in Paſchate communicari; & tamen non multò magis voluiſſe, vt, quacumque ratione, aut temeritate omitteretur, non extingueretur ſtatim obligatio, ſed permaneret, ſemperque vrgeret, donec impleretur.] Hæc Suarius. Quæ diſparitas ab initio huius diſputationis notanda fuit pro inferiùs dicendis.

Diſparitas inter hoc & alia præcepta.

CAPVT II.

Quàm ſit certa oppoſita ſententia.

6. SIt concluſio. Attenta praxi, quæ hodie, & multis ab hinc annis viget in Eccleſia (quidquid ſit de probabilitate extrinſeca, quam inferiùs examinabimus) ſtando à principiis intrinſecis, improbabile eſt, quod qui omiſit communionem annuam tempore Paſchali, hoc tranſacto non teneatur ad communicandum quamprimùm, ſaltem ſi loquamur in circumſtantiis, in quibus Paſtores vrgent ad communionem deinceps faciendam.

Certum eſt, quod tranſacto tempore tenentur, cùm Paſtores vrgent.

7. Oſtenditur primò. Improbabile eſt, Prælatos Eccleſiaſticos poſſe punire tanquam reos illos, qui operantur probabiliter, & ſequuntur dictamen practicè probabile: ſed Prælati Eccleſiaſtici, qui vrgent ad communicandum deinceps, poſſunt punire tanquam reos illos, qui tranſacto tempore Paſchali nolunt communicare: ergo improbabile eſt, quod illi, qui tranſacto tempore Paſchali nolunt communicare vrgentibus Paſtoribus ad communicandum, deinceps operentur probabiliter, & ſecundùm dictamen practicè probabile. Conſequentia eſt legitima.

Paſtores licitè puniunt eos, qui tranſacto tempore non communicãt.

8. Maiori nihil eſt euidentius. Nam qui operantur ſecundùm dictamen practicè probabile, non delinquunt: atqui improbabile eſt, poſſe puniri tanquam reos illos, qui non delinquunt: ergo improbabile eſt poſſe puniri tanquam reos illos, qui operantur ſecundùm dictamen practicè probabile.

Puniri non poſſunt, qui operantur probabiliter.

9. Iam verò minor prioris ſyllogiſmi eſt etiam moraliter euidens. Nam in tota, aut ferè tota Eccleſia, Epiſcopi, & Prælati Eccleſiaſtici excommunicatione puniunt eos, qui tranſacto tempore Paſchali nolunt communicare: ergo poſſunt illos ſic punire. Antecedens euidenti experientiâ patet. Et conſequentia eſt moraliter neceſſaria. Eſt enim ſummè abſurdum dicere, omnes Prælatos Eccleſiaſticos operari improbabiliter, dum excommunicatione puniunt eos, qui elapſo tempore Paſchali nolunt communicare, dumque cenſuris vrgent ad id præceptum deinceps implendum. Huc ſpectat Auguſtinus *epiſt.* 118. vbi docens, quæ eſſe debeat regula certa agendorum, ſubiungit: *Similiter etiam ſi quid horum tota frequentat Eccleſia. Nam hoc quin ita faciendum ſit diſputare, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt.* Moraliter enim verificatur frequentari in tota Eccleſia, quod in ferè tota exercetur. Et cùm in ferè tota Eccleſia fiat hæc punitio eorum, qui Paſchali tempore elapſo nolunt communicare; *inſolentiſſima inſania* erit, iuxta phraſim Auguſtini, diſputare, quin ab Epiſcopis, & Parochis ita faciendum ſit; & à fortiori eos damnare tanquam improbabiliter operantes.

Reſpondebis primò, Epiſcopos, & Parochos operari non improbabiliter, imò verò probabiliter, dum ſe accommodant opinioni probabili, quæ docet, elapſo termino Paſchali, teneri adhuc fideles implere præceptum. 10.

Sed qui ſic reſpondent, non ſentiunt vim argumenti. Etenim non ſe accommodat opinioni probabili affirmatiuæ, qui ſequitur dictamen præſcribens, opinionem oppoſitam eſſe improbabilem; cùm opinio probabilis affirmatiua non doceat, oppoſitam eſſe improbabilem: atqui Prælati punientes excommunicatione eos, qui elapſo termino Paſchali non communicant, practicè ſupponunt, opinionem oppoſitam eſſe improbabilem; cùm punire non poſſint eos, qui probabiliter operantur: ergo Prælati dum eos puniunt non ſe accommodant opinioni probabili. Imò ſe accommodant opinioni improbabili, cùm improbabile ſit, poſſe puniri eos, qui practicæ probabilitati ſe conformant. Id quod verum eſt, ſi verè eſt practicè probabilis opinio docens, elapſo termino Paſchali non teneri fideles hîc & nunc obligatione deinceps communicandi, etiam vrgentibus Paſtoribus ad communicandum deinceps. 11.

Non ſe accõmodat opinioni, qui punit ſequentes oppoſitam.

Reſpondebis ſecundò, Prælatos Eccleſiaſticos, qui ſic illos puniunt, & vrgent ad communionem poſt elapſum terminum Paſchalem, prudenter procedere, & non improbabiliter; quia ipſi certum putant, fideles teneri deinceps ad communionem; & improbabilem putant opinionem, quæ docet, eos non teneri. Et ſic ex dictamine proprio rectè procedunt, quamvis reuera & à parte rei decipiantur. 12.

Hæc reſponſio aſſerit, omnes Epiſcopos, & omnes Parochos ferè in tota Eccleſia errare (quamvis inuincibiliter) dum excommunicatione puniunt eos, qui tranſacto termino communicare nolunt, dumque eos vrgent ad communicandum deinceps. Quæ quidem aſſertio abſurda eſt. Abſurdum enim & improbabile eſt, quod errant ij, qui faciunt id, quod conſuetudine ferè totius Eccleſiæ firmatur; & iuxta Auguſtinum relatum, *quin ita faciendum ſit, diſputare inſolentiſſima inſania eſt.* Et hæc propoſitio 13.

Non errant, qui conformantur conſuetudini Eccleſiæ.

poſitio tanquam omnino certa retinenda eſt: *Non errant, qui faciunt id quod conſuetudine ferè totius Eccleſiæ vſurpatur.* Et oppoſita improbabilis, & abſurda dicenda eſt.

14. Reſpondebis tertiò, Epiſcopos, & Parochos, dum excommunicant tranſgreſſores elapſo termino Paſchali, non punire eos, quia non communicant elapſo termino, ſed quia non communicarunt intra terminum.

15. *Non excommunicant ob culpam præteritam, ſed ob contumaciam.*

Sed hæc reſponſio eſt euidenter falſa. Non enim abſoluunt eos, donec communicent etiam elapſo termino: & elapſo termino vrgent eos cenſuris ad communicandum; & ſi poſt duos menſes, vel plures, non communicant, eos tenent excommunicatione ligatos: ergo eos ſic puniunt, quia nolunt, etiam poſt elapſum terminum communicare. Ergo non ſolùm puniunt propter delictum præteritum non communicandi intra terminum. Deinde excommunicatio fertur ob contumaciam; & non fertur, niſi tranſacto termino Paſchali: ergo contumaces iudicantur, qui tranſacto termino Paſchali non communicant; & ideò tanquam contumaces eâ pœnâ plectuntur.

16. Reſpondebis quartò, eum, qui non communicauit in Paſchate, eſſe quidem obligatum ad communicandum deinceps, non vi præcepti Eccleſiaſtici, *in cap. Omnis vtriuſque:* ſed vel vi edicti Epiſcopalis, vel quia cùm illud caput, *Omnis*, non impoſuerit cenſuram latam, ſed ferendam, iis verbis, *Viuens ab Eccleſiæ ingreſſu arceatur*; poſſunt vi eius clauſulæ Paſtores imponere cenſuram latam cum onere communicandi deinceps. Et hoc pacto obligatos, iuſtè cenſuris percutiunt.

17. Sed hæc reſponſio coincidit cum noſtra ſententia, vt conſtabit ex vtroque argumento ſubiiciendo *in cap.* 4. & ex ipſa concluſione ſuprà ſtabilita, quæ loquitur in circunſtantiis, in quibus Paſtores vrgent ad communicandum deinceps. Vide etiam infrà dicenda *cap.* 6.

CAPVT III.

Duo alia argumenta pro eadem concluſione.

18. *Leges obligãt eo modo, quo vſu recepta.*

OStenditur ſecundò certitudo noſtra, & improbabilitas intrinſeca oppoſitæ ſententiæ. Pontifices Romani præſcripſerunt, leges Eccleſiaſticas obligare eo modo, quo vſu & conſuetudine receptæ ſunt: ſed lex Eccleſiaſtica de communione annua, & confeſſione ad eam præuia, ita eſt conſuetudine recepta, nempe tanquam obligatoria, etiam elapſo termino Paſchali: ergo eiuſmodi lex obligat, etiam elapſo termino Paſchali. Precor lectorem vt attentè conſideret hunc ſyllogiſmum, cuius in primis conſequentia legitima eſt.

19. Maior non ſubſiſtit ſolâ probabilitate, ſed omnimodâ certitudine; quæ tam eſt certa, quàm certum eſt, conſuetudinem eſſe optimam legum interpretem, *cap. Cùm dilectus, de conſuetud.* Et, vt oſtendi *diſp.* 23. *cap.* 4. conſuetudo ita legem interpretatur, ac ſi lex ipſa verbis expreſſis afferret id ipſum, quod conſuetudo in praxi obſeruat. Potuerunt enim, & voluerunt Romani Pontifices conferre conſuetudini eam vim authenticam interpretandi leges.

Minor etiam eſt indubitabilis euidentiâ facti. Eſt enim in ferè omnibus Diœceſibus immemorialis conſuetudo compellendi fideles, 20.
qui non communicarunt in Paſchali termino, ad communicandum deinceps. Ergo id præceptum ita eſt vſu receptum, vt præcepto & cenſuris compellantur fideles ad communicandum deinceps.

Confirmatur primò. Eo modo obligat lex, 21.
quo recepta eſt: ſed conſtat euidentiâ facti, prædictam legem receptam eſſe eo modo, vt compellantur communicare deinceps illi, qui non communicarunt intra terminum Paſchalem: ergo eo modo recepta eſt prædicta lex.

Confirmatur ſecundò. Nam vt oſtendi *ex diſp.* 23. *cap.* 4. *art.* 1. conſuetudo accedens legi 22.
ſcriptæ facit euidentiam moralem de obligatione, aut non obligatione eius legis, iuxta qualitatem conſuetudinis: ſed vrget conſuetudo obligandi, & compellendi fideles ad communionem annuam, etiam poſt elapſum terminum: ergo prædicta conſuetudo accedens ei legi, facit euidentiam moralem de obligatione legis.

Conſuetudo accedens legi, facit euidentiam moralẽ de obligatione.

Confirmatur tertiò ex conſtitutionibus ſynodalibus particularium diœceſum, in quibus 23.
expreſsè ſupponitur, vel deciditur obligatio communicandi deinceps, qua tenentur, qui non communicarunt vſque ad Dominicam in Albis: ergo ſic vſu receperunt hoc præceptum, & non aliter. Ergo hæc conſuetudo eſt euidens interpretatio huius præcepti.

Et ita in Conſtitutionibus Synodalibus 24.
Diœceſis Hiſpalenſis *lib.* 5. *tit. de pœnitentiis & remiſſ. cap.* 10. ſic iubetur. [Enſeñen aſimiſmo (los Curas) al pueblo la obligacion, que tienen de prepararſe con la confeſſion para recebir el Santiſſimo Sacramento de la Eucariſtia; y que los que no lo hubieren recebido el Domingo de Quaſimodo, ſi por alguna juſta cauſa no lo hubieren dilatado con conſentimiento de ſu confeſſor, an quebrantado ia el precepto de la Yglesia, y pecado mortalmente en ello. Y eſtas miſmas amoneſtaciones en el miſmo tiempo haran todos los Predicadores en los ſermones que hicieren en el dicho tiempo de la Quareſma. Y contra los que paſado el Domingo de Quaſimodo ſe hallare, que no an complido con el precepto de la Ygleſia; *mandamos* ſe proceda deſta manera; que declarando los Curas en la Miſſa, como Fulalano, y Fulano no an cumplido, *ſe les amoneſte* caritativamente tres vezes, *que lo hagan*: la primera monicion ſe haga en la ſegunda Dominica; la ſegunda en la tercera; la tercera en la quarta deſpues de Paſqua. Y ſi llegada la quinta no hubieren obedecido, les declaren en el miſmo dia por deſcomulgados, y los aſienten en la tablilla, haciendolos publicar cada dia de fieſta, haſta que real y verdaderamente cumplan con ſu obligacion.] Quæ verba in Latinum ſermonem transfero, propter Hiſpani idiomatis ignaros. [Doceant ſimiliter (Curati) populum obligationem, qua tenentur, præmuniendi ſe confeſſione ad accipiendum Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum;

Conſtit. Synodal. Hiſpal.

Digitized by Google

tum; & eos, qui id non acceperint vſque ad Dominicam in Albis, niſi ex aliqua iuſta cauſa prorogauerint de conſenſu confeſſarij, violauiſſe iam præceptum Eccleſiæ, & per id lethaliter peccaſſe. Et has eaſdem monitiones eodem tempore dabunt omnes Concionatores in concionibus, quibus coram populo declamauerint in prædicto tempore Quadrageſimæ. Et aduerſus illos, quos, elapſa iam Dominica in Albis, conſtiterit non ſatisfeciſſe præcepto Eccleſiæ, *iubemus*, quod ſic procedatur: vt denunciantibus Curatis, quod iſte, & ille non ſatisfecerunt, *moneantur* fraternaliter tribus vicibus, *vt ſatisfaciant*: prima monitio fiat in ſecunda Dominica poſt Paſcha, ſecunda in tertia, tertia in quarta. Quod ſi accedente quinta Dominica non obedierint, denuncientur eodem die excommunicati, & ſcribantur in tabulis excommunicatorum, & proclamentur ſingulis diebus feſtis, quouſque realiter & verè ſatisfaciant obligationi.]

25. Vbi notabis Archiepiſcopos Hiſpalenſes noluiſſe admittere praxim ceſſationis præcepti immediatè poſt Dominicam in Albis; ſed potiùs ſtatuiſſe praxim, vt qui elapſo termino non communicauerint, deinceps communicent. Et omnes fideles eius diœceſis ſic in praxi acceperunt id præceptum; & ita inuiolabiliter obſeruatur. Præceptum autem, vt notaui, obligat eo modo, quo receptum eſt.

26. Nec valet, ſi dicas, eam conſuetudinem fundari in ignorantia probabilitatis opinionis docentis, extra terminum Paſchalem non currere obligationem eius præcepti; adeóque eam conſuetudinem non habere vim authenticam interpretandi legem.

27. *Error non eſt exceptio contra vim conſuetudinis interpretandi legem. Nempe, cùm dubitatur de errore.*

Nam, vt oſtendi *ea diſp.* 23. *cap.* 4. *art.* 2. *n.* 48. in quolibet dubio ſtandum eſt pro interpretatione conſuetudinis; atque adeò cùm dubitatur, an per errorem aliquem lex inualuerit, ſtandum eſt pro conſuetudine; quæ ideò eſt optima legis interpres, quia conſuetudo habet vim tollendi quamlibet dubitationem; quam vim & authoritatem ei confert lex Eccleſiaſtica in prædicto capite *Cùm dilectus*. Ideò in loco citato multis oſtendi, ignorantiam aut errorem non facere exceptionem contra vim interpretandi legem, quæ ineſt conſuetudini ex præfato capite *Cùm dilectus*.

28. *Epiſcopus per ſe poteſt præcipere communionem.*

Oſtenditur tertiò eadem concluſio. Epiſcopi habent poteſtatem præcipiendi fidelibus, vt quotannis accipiant ſacram Synaxim, etiam elapſo termino Paſchali; etiam independenter ab eo decreto Concilij Lateranenſis; & de facto id præcipiunt: ergo ad id obligantur fideles. Conſequentia patet ex eo, quod fideles tenentur adimplere præcepta, quæ Prælati Eccleſiaſtici imponunt ex legitima poteſtate.

29. Maior autem tam certa eſt, quàm eſt certum, Epiſcopos habere poteſtatem ferendi leges pro vtilitate ſuorum ſubditorum, eas maximè, quæ expediunt ad ſalutem animarum. Nulla autem lex magis conducens eſt ad ſalutem animarum, quàm quæ iniungit, fideles quotannis accipere ſacram Synaxim.

30. Minor verò patet ex praxi ſingularum diœceſum. Nam in monitionibus, quas præmittunt, antequam denuncientur excommunicati, qui nolunt communicare tranſacto termino Paſchali; præcipiunt ſubditis, vt qui non communicauit in Paſchate, & eius termino, deinceps communicet.

Pro quo notandum eſt (quod apud omnes conſtat) poſſe Prælatos inferiores præcipere, quæ à ſuperioribus præcepta ſunt; ideóque eandem actionem poſſe pluribus præceptis Prælatorum inter ſe ſubordinatorum iniungi. Quare non repugnat, quod communio annua, quæ à Concilio Generali præcepta eſt, iterum ab inferioribus Prælatis præcipiatur. Vnde cùm Prælati inferiores vrgent ſubditos ad communionem annuam, non ſolùm promulgant præceptum Superioris, ſed ipſi etiam, propria authoritate nitentes, id ſub graui culpa præcipiunt. Quod ſi probabile ſit, quod ex vi præciſa præcepti Concilij Generalis non teneantur deinceps communicare fideles elapſo termino Paſchali, dum ipſi Epiſcopi adhuc vrgent ſubditos ad communionem Euchariſtiæ deinceps faciendam, vtique ſua authoritate vtuntur ad præcipiendam præfatam communionem; ad quam præcipiendam habent poteſtatem independenter à Concilio. 31.

Prælatus inferior poteſt denuò præcipere, quæ à ſuperiore præcepta ſunt.

CAPVT IV.

Duo alia argumenta pro eadem concluſione.

QVartò probatur eadem concluſio ex verbis Decreti, *cap. Omnis vtriuſque, de pœnit. & remiſſ. Saltem ſemel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti... ſuſcipiens reuerenter, ad minus in Paſcha, Euchariſtiæ Sacramentum.* Vbi duo præcipiuntur: & quod quilibet communicet quotannis, & quod ad minus id fiat in Paſchate. Quod ſi non fit in Paſchate, adhuc vrget, quod id debeat fieri eo anno. Et ideò Concilium Trid. *ſeſſ.* 13. *can.* 9. ait: *Si quis negauerit omnes fideles teneri ſingulis annis ſaltem in Paſchate, ad communicandum, anathema ſit.* Et ita ſi imponeretur præceptum audiendi Miſſam ſingulis hebdomadis, ſaltem in prima die hebdomadæ; ſi in prima non audiuiſſet, teneretur audire altera die, quia adhuc vrgeret præceptum audiendi Miſſam in ea hebdomada. Vide multa, quæ in huius argumenti confirmationem adducit P. Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. diſp.* 70. *ſect.* 2. *§. Dico ergo.* 32.

Id verbum, Ad minùs in Paſcha, prorogat obligationem vltra Paſcha.

Probatur quintò. Nam in ea periodo Decreti, *cap. Omnis vtriuſque*, ait Innocentius: *Alioquin & viuens ab Eccleſia ingreſſu arceatur, & moriens Chriſtianâ careat ſepulturâ.* Conuenit autem inter Doctores, eam non eſſe pœnam latam, ſed ferendam. Ergo vi eius periodi poſſunt Prælati inferiores eam pœnam inferre, & arcere eos ab Eccleſia, donec ſatisfaciant; & poſtulare pro ſatisfactione communionem deinceps faciendam. Quam ſatisfactionem eſſe ad mentem Decreti, benè obſeruauit P. Enriquez *tom.* 2. *lib.* 8. *cap.* 5. *n.* 1. *in gloſſa, litt. I.* illis verbis: [*Omnis*, iubet, vt qui non communicauerit, viuens arceatur ab Eccleſia, nempe *quouſque communicet*: & ita praxis Epiſcoporum per edictum excommunicat omittentes.] Ergo dum Paſtores vrgent ad communionem deinceps faciendam ſub pœna excommunicationis, operantur vi facultatis, quam eis tribuit 33.

Innocentius dat facultatē Paſtoribus cogendi ad cōmunionem vltra Paſcha.

Digitized by Google

buit Innocentius, arcendi eos ab Eccleſia. Sic ergo vrgentibus Paſtoribus ad communionem deinceps faciendam, tenentur parêre fideles; & lethaliter peccant, ſi non communicant.

CAPVT V.

Satisfit argumento partis oppoſitæ.

34. TOtum fundamentum, quo nititur oppoſita opinio, eſt, quod deſumitur à paritate aliorum præceptorum, audiendi ſacrum, ieiunandi, &c. vt vidimus *cap.* 1. Sunt autem inter hoc, & alia præcepta multæ rationes diſcriminis.

35. *Prima diſparitas.*

Prima eſt, quam verbis P. Suarij oſtendi *cap.* 1. *n.* 5. Qui enim ex iuſta cauſa, etiam ex conſilio confeſſarij, omittit ieiunium Vigiliæ, non tenetur ieiunare altera die: qui autem ex iuſta cauſa omittit communionem intra terminum Paſchalem, tenetur communicare quamprimùm. Et incredibile eſt, quòd qui omiſit ex iuſta cauſa, teneatur; qui autem ex temeritate, non teneatur communicare deinceps. Sumitur ergo diſparitas ex eo, quod ſatis colligitur intentio legis de communione annua, vt velit obligare adhuc eos, qui præſcripto tempore non communicarunt; cùm conſtet intentionem legis de ieiunio, & auditione ſacri extendi ad prorogandam obligationem extra ſuum terminum.

36. *Secunda diſparitas, ex diuerſo modo quo leges ſunt vſu receptæ.*

Secunda ratio diſparitatis deſumitur ex dictis in ſecundo argumento, nempe ex diuerſo modo, quo iſta, & illæ leges conſuetudine receptæ ſunt. Nam lex communionis annuæ conſuetudine recepta eſt tãquam obligans eos, qui intra terminum Paſchalem eam non impleuerunt, vt conſtat apertè ex ſecundo argumento. At verò lex ieiunij, & auditionis Miſſæ non eſt ita vſu recepta: quin potius conſuetudine totius Eccleſiæ ita recepta eſt, vt qui deſignato die omiſit, non amplius teneatur.

37. *Tertia diſparitas ex nouo præcepto Epiſcopi.*

Tertia ratio diſparitatis ſumitur ex dictis in tertio argumento. Nam Epiſcopi præcipiunt ſubditis non communicantibus intra terminum, vt communicent deinceps, & ad id cenſuris compellunt, in quo procedunt intra ſphęram ſuæ poteſtatis. At verò illos, qui die feſto omiſerunt auditionem ſacri, non compellunt, vt altera die ſatisfaciant. Quare ſaltem ex præcepto Epiſcoporum obligat communio annua eos, qui omiſerunt illam intra terminum; non ſic auditio ſacri.

38. *Quarta diſparitas, ex dictione, ſaltem.*

Quarta ratio diſparitatis deſumitur ex tenore verborum legis. Nam in lege de communione annua iniungitur, vt fideles eam ſuſcipiant quotannis, *ſaltem in Paſchate*; quæ verba denotant, vt notaui in quarto argumento, duo præcipi; & quod communio fiat quotannis, & quod ſaltem in paſchate fiat. Præceptum autem de audienda Miſſa non iniungit, quòd audiatur ſingulis hebdomadis, ſaltem in die feſto. Quæ diuerſitas verborum diuerſitatem obligationis importat.

CAPVT VI.

An oppoſita opinio fulciatur probabilitate extrinſeca?

IN re tam graui oportet maximè inquirere mentem Authorum, qui docuerunt, non teneri communicare ſacram Synaxim deinceps eos, qui intra terminum Paſchalem non ſatisfecerunt præcepto. Pro cuius claritate præmitto primò, in duplici ſenſu poſſe verſari præſentem quæſtionem. Primò, ſpeculatiuè quidem, & non conſideratis omnibus circumſtantiis, quæ de facto in praxi occurrunt: nempe, an ex vi verborum formalium præcepti teneantur fideles ad communicandum deinceps, qui intra terminum non ſatisfecerunt. Secundò, practicè, & attenta conſuetudine, qua, vrgentibus Parochis ad communionem deinceps faciendam, præceptum in omnibus, aut ferè omnibus diœceſibus receptum eſt; an, ſcilicet, hoc modo teneantur ſatisfacere præcepto deinceps, qui intra terminum non ſatisfecerunt? 39.

Duplex ſenſus quæſtionis.

Præmitto ſecundò idem omninò eſſe aſſerere, ſententiam noſtram eſſe certam, & oppoſitam eſſe improbabilem. Implicat enim quod mea ſententia ſit certa, & quod oppoſita ſit probabilis: implicat quod ſententia negatiua ſit certa, & quod affirmatiua eius contradictoria non ſit certò falſa, & improbabilis; vt apertè conſtat *ex diſputatione* 4. *capite* 1. 40.

Vbi vna concluſio eſt certa, oppoſita eſt improbabilis.

Iam verò plures ſunt Authores, qui cenſent in ſecundo ſenſu, & attenta praxi ferè totius Eccleſiæ, eſſe omninò certam ſententiam à nobis traditam; & conſequenter oppoſitam eſſe improbabilem, iuxta proximè dicta. Ita P. Suarez proximè citatus, cuius ibidem hæc ſunt verba. [Hæc ergo ſententia eſt *ſine dubio vera*, & rationabilis, magiſque fauens bonis motibus fidelium: nec dubitari poteſt, quin in ſenſu explicato potuerit hæc lex dari; *nec rationem probabilem* video, ob quam exiſtimemus, non eſſe hanc Eccleſiæ intentionem.] Sententiam autem eſſe *certam*, & *ſine dubio veram*, ſynonyma ſunt; cùm de veritate opinionis probabilis poſſit eſſe dubium, vt euidens eſt, & demonſtraui *diſputatione* 6. deinde, iuxta Suarium, oppoſita ſententia non nititur *ratione* aliqua *probabili*: implicat autem, eſſe probabilem opinionem, quæ caret ratione probabili. 41.

Hanc ſententiam eſſe certam, aiunt doctores.

Suarez.

P. Ægidius de Coninck 3. *part. quæſt.* 80. *artic.* 11. *dub.* 4. *num.* 109. Affirmat, vtramque ſententiam eſſe probabilem, & quæ eximit, & quæ obſtringit fideles obligatione communicandi deinceps. Loquitur autem in primo ſenſu, ſcilicet attenta vi verborum decreti Concilij Lateranenſis. Nam poſtea ſubdit certum eſſe, poſſe Paſtores cogere ſubditos ad communicandum deinceps. Ecce eius verba. [Prima, & ſecunda ſententia ſunt ſatis probabiles. Quia certum eſt, Concilium Lateranenſe potuiſſe ita nobis præcipere communionem in Paſchate, vt ante illud tempus ad illam non teneremur, & eo adueniente, 42.

Coninck.

continuò

continuò teneremur, donec ſatisfeciſſemus præcepto. An autem ita præceperit, non ita conſtat, cùm pro vtraque parte ſint diuerſæ rationes, & authoritates Doctorum. Sed quidquid hac de re ſit, *hoc videtur certum*, poſſe Eccleſiæ Paſtores, eum, qui non communicauit in Paſchate, per cenſuras *cogere, vt prima data commoditate communicet*; vt patet ex multorum locorum praxi.]

43. Vbi obſerua primò, cum dicit vtramque eſſe probabilem, loqui ſolùm vi verborum præcepti, & non attenta praxi, & conſuetudine. Secundò *certum* eſſe, vbi Paſtores per cenſuras cogunt ſubditos ad communicandum deinceps, ſubditos teneri grauiter ad communicandum deinceps; quia implicat contradictionem, quòd Paſtores poſſint cogere oues ſuas ad aliquam actionem, & de facto cogant; & quod oues non ligentur obligatione parendi. Tertiò, aſſertionem contradictoriam eſſe improbabilem, & certò falſam; quia ex dictis, ex duabus contradictoriis, ſi vna eſt certa, altera eſt certò falſa, & improbabilis. Quartò, ex praxi communi Paſtorum certò colligi, ſubditos teneri ad parendum in hac materia: illis verbis, *Vt patet ex multorum locorum praxi*. Quomodo autem id colligatur ex praxi, conſtat ex primo, & ſecundo argumento ſuprà pro noſtra concluſione inſtructo.

44. Caſtro Palao. P. Caſtro Palao *tom. 4. tract. 21. diſputat. vn. punct. 15. num. 7.* ſic ait: [Quia ſententia, in qua fundantur, *non ſatis firma ratione fulcitur*; ea de cauſa cenſeo omninò dicendum, & in praxi ſemper conſulendum, omittentem communionem tempore Paſchatis ex legitimo impedimento, aut ex malitia, teneri, cum primùm poſſit, communicare. Nec enim hominibus ſic in malum procliuibus permittendum eſt, ab hoc Sacramento omnium malorum antidoto ſeparari: potiùs namque expedit ad illius frequentiam induci, vt eorum infirmitates eâ ſalutari medicinâ curentur.] Sed quid eſt, *non ſatis firma ratione fulciri*, niſi non eſſe probabilem; cùm iuxta hunc Authorem probabilitas opinionis conſiſtat in eo quod firma ratione fulciatur, vt retuli *diſputat. 11.* Quod ſi *num. 6.* eam ſententiam dixit probabilem, id ſanè dixit in primo ſenſu ſpeculatiuo, nempe vi verborum formalium præcepti lati ab Innocentio.

45. *Qui negant obligationem, non loquuntur attenta praxi.* Iam verò Authores, qui docuerunt, fideles non teneri elapſo termino Paſchali ad communicandum deinceps, ſemper credidi, eos loqui in primo ſenſu, id eſt, ex vi verborum formalium præcepti ab Innocentio lati; non verò attenta praxi Eccleſiarum, & vrgentibus Paſtoribus ad communionem deinceps faciendam.

46. Granado. P. Granado *tom. 2. in 3. part. contron. 6. tract. 10. diſputat. 4. à num. 4.* totus eſt in propugnanda ſententia, quæ defendit, non teneri fideles præcepto communicandi deinceps, elapſo termino Paſchali. Sed quomodo id propugnat? Sanè in primo ſenſu, & ex vi præciſè Eccleſiaſtici præcepti lati ab Innocentio in Concilio Lateranenſi. Nam eo *num. 4.* ſic proponit quæſtionem: [An qui intra prædictum Paſchæ tempus non ſumpſit Euchariſtiam, teneatur ex vi huius præcepti Eccleſiaſtici, cùm primùm poſteà poſſit; an non, ſed ſine nouo peccato differri liceat vſque ad aliud Paſcha?] Et *num. 10.* magis rem explicat his verbis: [Ad tertium reſpondetur, fideles compelli cenſuris, non quia perſtet *obligatio illius præcepti Eccleſiaſtici*; ſed quia à iure non eſt impoſita non communicantibus vlla cenſura, aut indicta aliqua pœna, in quam ipſo facto incurrant, vt optimè oſtendit Suarez (*tom. 3. in 3. part. diſp. 70. ſect. 3.* proponitur tamen imponenda, vt conſtat ex verbis Innocentij initio diſputationis relatis, idque in pœnam tranſgreſſionis præcepti communicandi in Paſchate. Eo autem ipſo quod Prælati in ſuis diœceſibus differant executionem huius pœnæ, & non excommunicent, niſi poſt quindecim, aut plures dies à Paſchate Reſurrectionis, cenſentur præcipere vt intra illos dies accedant ad Euchariſtiam, qui antea non acceſſiſſent. Nos verò ſolùm *locuti ſumus in aſſertione de præcepto Innocentij*, *& hoc* aſſeruimus *ceſſare* elapſo Paſchate.] Vbi clarè vides, hunc Authorem ſolùm loqui ex vi præciſa præcepti Innocentij; in quo ſenſu dicit probabiliorem ſententiam, quæ admittit, non peccare, qui deinceps non communicant elapſo termino. Et tanquam certum ſupponit, & abſque controuerſia, peccare mortaliter eos, qui vrgentibus Paſtoribus ad communionem elapſo termino communicare nolunt.

P. Henriquez, qui *lib. 8. cap. 5. num. 1.* citatur pro oppoſita ſententia, in eodem ſenſu locutus eſt. Habet enim hæc verba: [Elapſo toto illo tempore, quod pro Paſchæ die ſubſtituitur, ceſſat illo anno per ſe obligatio huius affirmatiui præcepti; vt ceſſat in aliis præceptis Eccleſiæ. Sed per accidens ratione dilationis datæ à confeſſario, vel ratione excommunicationis, & ſcandali, reus compellitur poſtea à Paſtore communicare.] Quibus verbis immediatè ſubiungit in margine *litt. I.* ſequentia: [Quia caput *Omnis*, iubet, vt qui non communicauerit, viuens arceatur ab Eccleſia, nempe quovſque communicet. Et ita praxis Epiſcoporum per edictum excommunicat omittentes.] Vbi ſatis clarè ſuam ſententiam expreſſit P. Henriquez, docens, etſi præceptum per ſe non obliget ad communicandum deinceps, per accidens tamen, id eſt, per facultatem, quam dat Paſtoribus ad arcendum eum ab Eccleſia, *quovſque communicet*, peccare mortaliter eum, qui non communicat deinceps, vrgentibus ad id Paſtoribus. 47. Henriquez.

Bonacina etiam citatur pro oppoſita ſententia *diſput. 4. de Sacram. quæſt. 7. punct. 2. n. 13.* Sed loquitur in primo ſenſu, & minimè aduerſatur, quin imò ſuffragatur omninò noſtræ aſſertioni. Audienda ſunt eius verba. [Vtrum qui non communicauit in Paſchate, teneatur elapſo tempore Paſchatis, quamprimùm commodè poterit, eodem anno communicare. Reſpondetur, probabiliter ſuſtineri poſſe, non teneri, niſi fortè diſtulerit confeſſionem ob conſilium confeſſarij, *aut niſi lata ſit excommunicatio*; vel *niſi extet lex aliqua particularis*, *vel conſuetudo* contra non communicantes elapſo Paſchatis tempore.] Vbi obſerua primò eas quatuor limitationes, ſub quibus dicit eſſe probabile, quod non tenetur communicare deinceps. 48. Bonacina.

deinceps. Obſerua ſecundò, vt exceptio firmat regulam in contrarium, ita vbi dicit eſſe probabile, quod ille non tenetur communicare deinceps, excepto caſu in quo lata ſit excommunicatio, vel lex particularis, vel conſuetudo; conſquenter affirmat non eſſe probabile, quod eximatur ab obligatione communicandi deinceps in caſu, in quo lata ſit excommunicatio, vel lex particularis, vel inducta conſuetudo. Ait ergo oppoſitam ſententiam non eſſe probabilem in terminis noſtræ concluſionis.

49. *Sotus.* Sotus, qui vnus eſt ex præcipuis Authoribus, qui pro oppoſita parte referuntur, ſemper limitationem addidit, [Niſi addatur excommunicatio.] Ita *in 4. diſt.* 18. *art.* 4. §. *Gravior*, loquendo de præcepto confeſſionis, & obligatione implendi illud elapſo anno, ait: [Et quidem opinio eſſe poteſt aliis probabilis: ego tamen pro mea ingenij tenuitate nunquam auſus ſum eam quantum ad confeſſionem affirmare. Primùm enim ſi *adiuncta eſt cenſura excommunicationis*, vt adiungi ſolet, & *optimè poteſt*, virtute illius citra dubium homo ille negligens, elapſo anno confiteri tenetur; quia non poteſt excommunicatione abſolui, donec confiteatur.] Vbi notat Mag. Soto non eſſe probabile, quod qui hoc anno non confeſſus eſt, elapſo anno eximatur ab obligatione confitendi.

50. Deinde §. *Tertiò denique*, agens de præcepto communionis, ait: [Habet præfixum tempus Paſchatis: quare illo elapſo, *ſi excommunicationem ſubmoueas*, non videtur homo ampliùs teneri, ſed ſemel peccaſſe.] Admittit ergo hominem non teneri ad communicandum deinceps, dummodo non addiderit Epiſcopus excommunicationem contra non communicantem deinceps: nam in caſu talis excommunicationis latæ (qualem ferè omnes Epiſcopi ferunt) certum ſupponit, quod tenetur communicare deinceps.

51. *In quo ſenſu ſit probabilis oppoſita ſententia.* Ex quibus omnibus fit, probabile eſſe, tam probabilitate extrinſeca, quàm intrinſeca, quòd ſtando præciſè verbis præcepti communis Eccleſiaſtici, lati *in cap. Omnis vtriuſque*, qui non communicauit in termino Paſchali, non tenetur deinceps communicare. At verò neque probabile intrinſecè, neque extrinſecè eſſe, quod ſtante conſuetudine, quæ authenticè interpretatur præceptum, maximè vrgentibus per cenſuras Paſtoribus ad communionem deinceps faciendam; is, qui non communicauit in termino Paſchali, eximatur ab obligatione communicandi deinceps. Nam Anthores recentiores, dum negant obligationem communicandi deinceps, has circumſtantias excludunt, vt vidimus. In quo ſenſu locutos fuiſſe antiquiores, credendum eſt, quos iſti recentiores citant, & ſectari ſe profitentur.

DISPVTATIO LIII.

An omnia peccata luxuriæ contra naturam ſint eiuſdem ſpeciei infimæ?

CAPVT PRIMVM.

Quid ſenſerit Caramuel cum paucis aliis?

SANCTISSIMVS D. N. Alexander VII. in primo ex duobus decretis, in quibus quadragintaquinque opiniones morales damnauit, vt minimùm, tanquam ſcandaloſas, eodem tenore damnauit hanc, quæ ordine eſt vigeſimaquarta. *Mollities, ſodomia, & beſtialitas ſunt peccata eiuſdem ſpeciei infimæ; ideoque ſufficit dicere in confeſſione, ſe procuraſſe pollutionem.* Quam propoſitionem manſiſſe omnino improbabilem, & certò falſam, manifeſtum eſt ex dictis *diſp.* 9. *cap.* 10. ſicut & oppoſitam manſiſſe, ſaltem moraliter, euidentem. 1. *Cenſura Alexandri VII.*

Hinc putabit aliquis, otioſum fore, materiam hanc ad quæſtionem trahere; cùm ex prædicta damnatione à ſtatu dubij tranſierit ad omnimodæ certitudinis gradum. Adhuc tamen cenſeo, fore valde vtile hanc quæſtionem verſare; vt dum à principiis intrinſecis pars affirmatiua eſſe improbabilis conſpicitur, conſter, etiam ante damnationem, illam fuiſſe improbabilem, adeoque iure merito damnatione repulſam. Præterea, quia Caramuel, qui cùm dixerit, ea omnia eſſe vnius infimæ ſpeciei, affirmauit tamen, eas circumſtantias eſſe confitendas; fortè putabit, ſuam ſententiam nullum accepiſſe præiudicium ab ea damnatione; ideoque quantum acceperit, operæpretium explicare. 2.

Igitur Caramuel *in Theologia fundamentali num.* 1663. *fundam.* 57. duo aſſerit, mordicuſque tuetur. Primum, omnia ſcelera contra naturam eſſe vnius infimæ ſpeciei moralis, & nullo modo inter ſe ſpecificè diſtingui. Quod etiam tradidit *in comment. in regul. diſput.* 66. *num.* 983. Secundum. Etſi ſpecie non differant, eas circunſtantias confitendas eſſe, non quia circumſtantiæ aggrauantes confitendæ ſint; ſed vt numerus peccatorum in confeſſione exponatur. 3.

Sed præcipuè audiendus eſt *in Theol. intention. præc.* 6. *lib.* 4. *n.* 1969. vbi ſic diſſerit: [Dico tertiò. *Mollities, ſodomia, beſtialitas ſunt peccata eiuſdem ſpeciei infimæ.* Sententia expreſſa eſt D. Thomæ: illam defendunt Authores *in meo comment. in Regul. Benedict.* citati. *Et tam clara videtur, vt contraria videatur error in Philoſophia.* Oſtenditur. Ideò furari argentum, & furari armenta, non ſunt peccata diſtincta ſpecie, quia, tametſi animantes, & metalla ſpecie, aut pluſquam ſpecie diſtinguantur, in his duobus furtis non dantur duæ malitiæ ſpecie diſtinctæ, ſed tota ſpecifica illa diſtinctio ſe tenet ex parte materiæ. Non aliter in peccatis contra-naturalibus philoſophor: ideò ſunt mala, aut interdicta, quia in abuſu conſiſtunt, 4. *Peccata contra naturam eſſe vnius ſpeciei.*

Digitized by Google

Totam malitiam contra naturam eſſe prodigere ſemen.

conſiſtunt, & ſemen extra vas naturale deciditur: atqui hoc eodem modo reperitur in mollitie, beſtialitate, & ſodomia: ergo ſunt peccata eiuſdem ſpeciei; omnia enim ſunt puræ pollutiones, quæ diuerſimodè procurantur: nam ſicut mollities manuum tactibus procurata non diſtinguitur ſpecie à procurata tactu veſtium, tametſi manus, & veſtes ſpecie diſtinguantur; ſic nec procurata cuiuſcumque corporis partis contactu, cuiuſcumque animalis, cuiuſcumque materiæ. Vniuerſarum enim harum immunditierum malitia in hoc ſolùm formaliter conſiſtit, quod ſemen extra vas naturale effundatur.]

5. Et *num.* 1970. accedit ad ſecundam quæſtionem, an ſuppoſito, quod illa crimina ſint eiuſdem ſpeciei infimæ, eorum circunſtantiæ ſint in confeſſione aperiendæ? Et ſic reſpondet: [Negat Diana, negat Antonius Cotonius: negaui etiam ego aliquando huic argumento inſiſtens, quod videbatur ſolutione carere: Tenetur pœnitens in confeſſione numerum, & ſpecies peccatorum explicare diſtinctè: ergo ſi dicantur ſpecie non diſtingui hæc peccata, non debere explicare in confeſſione, dicendum eſt.] Et poſtquam protulit verba Cotoni, & Dianæ, addit: [Cæterùm licèt hæc doctrina in Hiſpania, Gallia, Belgio, Germania, &c. fortè tolerabilis eſſet, quia in his prouinciis vix ex nomine ſodomia noſcitur; in Græcia, Aſia, Africa, &c. vbi hoc vitium obtinet, non debet admitti: & quia non debemus duas conformare Theologias, ideò in praxi docemus, oppoſitum tenendum eſſe; debereque pœnitentem, ſicut adulterium duplex, & ſacrilegium duplex, ſic etiam peccata hæc diſtinguere ob malitias aliquas numero diſtinctas, quæ intercurrunt.] Hæc ibi Caram. Quod latiùs docuerat *in Theolog. fundam. n.* 1701.

Vt exprimatur numerus, circumſtãtias eſſe exponendas.

6. Contra hanc Caramuelis ſententiam inſurrexit D. Ludouicus Creſpinus in anti-Caramuele. Contra anti-Caramuelem inſurgit Franciſcus Verde, & ſuadere conatur vtramque partem ſententiæ Caramuelis, nempe in Apologia contra anti-Caramuelem *quæſt.* 5. *à num.* 258. Et quamvis Caramuel ſæpe vociferetur viginti ſex Authores, & iis plures ſtare pro ea aſſertione, planè decipitur, vt ex dicendis conſtabit.

CAPVT II.

An Sanctus Thomas ſuffragium afferat ſententiæ affirmatiuæ relatæ.

7. Omnia peccata contra naturam eſſe vnius ſpeciei infimæ, aſſerit Caramuel ſuprà relatus, eſſe expreſſam ſententiam S. Thomæ. Quàm autem id ſit falſum, iam oſtendo. Textus vnicus, qui, penes Caramuelem, ſuffragatur ei ſententiæ, hic eſt, 2. 2. *quæſt.* 154. *art.* 11. Ecce titulus articuli: *Vtrum vitium contra naturam ſit ſpecies luxuriæ?* Cui ſic reſpondet in corpore articuli. *Reſpondeo dicendum, quod, ſicut ſupra dictum eſt, ibi eſt determinata luxuriæ ſpecies, vbi ſpecialis ratio deformitatis occurrit, quæ facit indecentem actum venereum. Quod quidem poteſt eſſe dupliciter. Vno quidem modo, quia repugnat rationi rectæ; quod eſt commune in omni vitio luxuriæ. Alio modo, quia etiam ſuper hoc repugnat ipſi ordini naturali venerei actus, qui conuenit humanæ ſpeciei; quod dicitur vitium contra naturam. Quod quidem poteſt pluribus modis contingere. Vno quidem modo, ſi abſque omni concubitu, causâ delectationis venereæ, pollutio procuretur, quod pertinet ad peccatum immunditiæ, quam quidam mollitiem vocant. Alio modo, ſi fiat per concubitum ad rem non eiuſdem ſpeciei; quod vocatur beſtialitas. Tertiò, ſi fiat per concubitum ad non debitum ſexum, putà maſculi ad maſculum, vel fœminæ ad fœminam, vt Apoſtolus dicit ad Rom.* 1. *quod dicitur ſodomiticum vitium. Quartò, ſi non ſeruetur naturalis modus concumbendi, aut quantum ad inſtrumentum non debitum, aut quantum ad alios monſtruoſos, & beſtiales concumbendi modos.*

8. Vt ex his verbis inferat Caramuel, eſſe expreſſam ſententiam Sancti Thomæ, vnitatem ſpecificam omnium peccatorum contra naturam, *num.* 1666. §. *Pono igitur, in Theologia fundament.* excogitauit varia genera diuerſitatis, ſed præcipuè quoad rem præſentem duo: aliud diuerſitatis eſſentialis ſpecificæ, & aliud diuerſitatis modalis, ſiue ex modo aliquo concomitante. Prioris diuerſitatis exemplum ponit in diſtinctione hominis à bruto; poſterioris in diuerſitate hominis ſedentis, & ſtantis. Et *num.* 1678. infert, quod cùm S. Thomas diſtinguens diuerſa vitia contra naturam, dixerit, *vno modo, & alio modo*; & in fine textus *alios concumbendi modos*; [in modos, & non in ſpecies ſubdiuidit Doctor Angelicus contra-naturale peccatum;] quæ ſunt verba Caramuelis.

Duplex genus diuerſitatis, ſpecificæ, & modalis.

9. Sed numquid apud S. Thomam hæ dictiones, *vno modo, & alio modo,* excludunt diuerſitatem ſpecificam? Si negas, infero: ergo malè arguis, ea vitia contra naturam non diſtingui ſpecie, eo quod diuerſos modos expreſſerit S. Thomas. Si verò concedis, infero: ergo vitium luxuriæ in genere, & vitium luxuriæ contra-naturalis diuerſificantur tantùm in modos, non autem differunt eſſentialiter inadæquatè. Patet conſequentia: nam in ipſo initio huius textus relati, ponens diuerſitatem luxuriæ in genere, & luxuriæ contra-naturalis, eam conſtituit per eas dictiones, *vno modo, & alio modo.* Relege ea verba: *quod quidem poteſt eſſe dupliciter. Vno quidem modo, quia repugnat rationi rectæ: quod eſt commune in omni vitio luxuriæ. Alio modo, quia etiam ſuper hoc, repugnat ipſi ordini naturali venerei actus, qui conuenit humanæ ſpeciei; quod dicitur vitium contra naturam.* Quomodo ergo rationi conſentaneum eſſe poteſt, quod in vno, & eodem textu S. Thomas per eas dictiones *vno modo, & alio modo,* adſtruat diuerſitatem, quæ eſſentialis eſt, & ſpecifica, ſaltem inadæquata; & inferiùs per eaſdem omninò dictiones intelligatur excludere omnem diſtinctionem ſpecificam, & eſſentialem.

10. Sed qui legerit omnes articulos, quos inſtituit S. Thomas de diuerſitate ſpecificâ aliquarum rerum, præcipuè in prima ſecundæ, & in ſecunda ſecundæ, inueniet, ferè ſemper explicare S. Thomam eam diuerſitatem ſpecificam per diuerſos modos, & per eas dictiones, *vno modo, & alio modo.* Cuius rei exempla innumera vſque ad tædium afferre poſſemus, ſed præſtat aliqua in medium producere.

Per diuerſos modos ponit S. Th. diuerſitatem ſpecificam.

Digitized by Google

11. *Diuerſitas ſpecierum luxuriæ.* In hac *quæſt.* 154. *art.* 1. diuerſas ſpecies luxuriæ explicat per diuerſos modos, & per eas dictiones *vno modo*; & *alio modo*. Nam in corpore ait: *Ideo oportuit, ſpecies luxuriæ aſſignari ex parte materiæ, vel obiecti; quæ quidem poteſt non conuenire rationi rectæ dupliciter. Vno modo, quia habet repugnantiam ad finem venerei actus. Et ſic in quantum impeditur generatio prolis, eſt vitium contra naturam... Alio modo materia, in qua exercetur actus venereus poteſt eſſe non conueniens rationi rectæ per comparationem ad alios homines; & hoc dupliciter: primò quidem ex parte ipſius fœminæ, cui aliquis commiſcetur, quia ei debitus honor non ſeruatur; & ſic eſt inceſtus. Secundò, ex parte eius, in cuius poteſtate eſt fœmina; quæ ſi eſt in poteſtate viri, eſt adulterium*, &c. Ecce dum enumerat diuerſas ſpecies luxuriæ, nempe vitium contra naturam, inceſtum, adulterium, ea explicat per diuerſos modos, & ſub illis dictionibus, *Vno modo*, *& alio modo*.

12. Et in reſponſione ad primum explicat per diuerſitatem modorum eam diuerſitatem ſpecificam actuum luxuriæ: [*Ad primum ergo dicendum, quod prædicta diuerſitas materiæ habet annexam diuerſitatem formalem obiecti, quæ accipitur ſecundum diuerſos modos repugnantiæ ad rationem rectam.* Ij autem diuerſi modi repugnantiæ ſunt, qui reperiuntur in inceſtu, adulterio, vitio contra naturam, &c.]

13. *Diuerſæ ſpecies infidelitatis per diuerſos modos.* *In* 2. 2. *quæſt.* 10. *art.* 5. proponit titulum; *Vtrum ſint plures infidelitatis ſpecies?* In corpore autem explicat, quomodo poſſint eſſe diuerſa ſpecificè vitia contra vnicam virtutem. Et ſic ait: *Attingere autem regulam, eſt vno modo circa vnam materiam: ſed à regula deuiare, contingit multipliciter* (ideſt multis modis.) *Et ideò vni virtuti multa vitia* (diuerſa in ſpecie,) *opponuntur.* (Quare? niſi quia à regula deuiare contingit multis modis; & ex his multis modis deuiandi à regula, conſurgit diuerſitas ſpecifica?) *Diuerſitas autem vitiorum, quæ vnicuique virtuti opponuntur, poteſt conſiderari dupliciter. Vno modo, ſecundùm diuerſam habitudinem ad virtutem: & ſecundùm hoc determinatæ ſunt quædam ſpecies vitiorum, quæ opponuntur virtuti.* Ecce per diuerſos modos deuiandi à regula cōſtituit S. Th. diuerſitatem ſpecificam inter vitia diuerſæ ſpeciei: ergo planè falſum eſt, quod apud Angelicum Doctorem diuerſitas modi excludat diuerſitatem ſpecificam; cùm potiùs diuerſitatem ſpecificam vitiorum explicet per diuerſos modos deuiandi à regula rationis.

14. *Diuerſæ ſpecies duliæ, per diuerſos modos.* Item *q.* 103. *art.* 4. cui præfigit hunc titulum: *Vtrum dulia habeat diuerſas ſpecies?* Et in corpore ſic ſatisfacit quæſtioni: *Reſpondeo dicēdum, quod dulia poteſt accipi dupliciter. Vno modo communiter, ſecundum quod exhibet reuerentiam cuicunque homini ratione cuiuſcumque excellentiæ, & ſic continet ſub ſe pietatem, & obſeruantiam, & quamcumque huiuſmodi virtutem, qua homini reuerentiam exhibet; & ſecundum hoc habebit partes ſpecie diuerſas. Alio modo poteſt ſumi ſtrictè, prout ſecundùm eam, reuerentiam exhibet ſeruus Domino: nam dulia ſeruitus dicitur, vt dictum eſt.* Ecce per eas dictiones *vno modo, & alio modo*, explicat Sanctus Thomas res ſpecie diuerſas, quales ſunt reuerentia, quam ſeruus exhibet Domino; & reuerentia, quam non ſeruus exhibet aliis ob excellentiam aliquam. Dum ergo per diuerſos modos explicat res diuerſæ ſpeciei, patet quod diuerſi modi apud ipſum non excludunt diuerſitatem ſpecificam.

Item *quæſt.* 110. *art.* 2. agens de diuerſis ſpeciebus mendacij, ſic ait in corpore. *Reſpondeo dicendum, quod mendacium tripliciter diuidi poteſt. Vno modo ſecundum ipſam mendacij rationem, quæ eſt propria, & per ſe mendacij diuiſio: & ſecundum hoc, mendacium in duo diuiditur, ſcilicet in mendacium, quod tranſcendit veritatem in maius, quod pertinet ad iactantiam; & in mendacium, quod deficit à veritate in minus, quod pertinet ad ironiam. Alio modo poteſt diuidi mendacium in quantum habet rationem culpæ ſecundum ea, quæ aggrauant, vel diminuunt culpam mendacij ex parte finis intenti. Aggrauat autem culpam mendacij, ſi aliquis per mendacium intendat alterius nocumentum; quod vocatur mendacium pernicioſum*, &c. Ecce per eas dictiones *vno modo, & alio modo*, ſignificat, & explicat res ſpecie diſtinctas, ſaltem inadæquatè. 15. *Diuerſæ ſpecies mendacij, per diuerſos modos.*

Item *quæſt.* 148. *art.* 4. adſtruens diuerſas ſpecies gulæ, *in corp.* ait: *In eſu autem duo conſiderantur, ſcilicet ipſe cibus, qui comeditur, & eius comeſtio. Poteſt ergo inordinatio concupiſcentiæ attendi dupliciter. Vno quidem modo, quantum ad ipſum cibum, qui ſumitur; & ſic quantum ad ſubſtantiam, vel ſpeciem ſibi quærit aliquis cibos lautos, ideſt, pretioſos. Quantum ad qualitatem quærit cibos nimis accuratè præparatos, ideſt, ſtudioſè. Quantum ad quantitatem, excedit nimis in edendo. Alio verò modo attenditur inordinatio concupiſcentiæ quantum ad ipſam ſumptionem cibi; vel quia præuenit debitum tempus comedendi, quod eſt præproperè; vel quia non ſeruat modum debitum in edendo, quod eſt ardenter.* Ecce per diuerſos modos diſtinguit Doctor Angelicus vitia gulæ ſpecie diuerſa. Quod autem expreſsè loquatur de diuerſis ſpeciebus gulæ, patet *ad* 1. vbi ait: *Ad primum ergo dicendum, quod corruptio diuerſarum circumſtantiarum facit diuerſas ſpecies gulæ propter diuerſa motiua ex quibus moralium ſpecies diuerſificantur.* Et tamen hæc diuerſitas ſpecifica explicatur à S. Thoma per eas dictiones, *vno modo*, & *alio modo*: quamvis ſub vno modo tres ſpecies conſtituat, & ſub alio modo duas. 16. *Diuerſæ ſpecies gulæ per diuerſos modos.*

Vide etiam *quæſt.* 158. *artic.* 5. *corp.* vbi diſtinguendo varias ſpecies iræ, diſtinguit illas per diuerſos modos, & ſub iis dictionibus, *vno modo*, & *alio modo*. Et ſimiliter *quæſt.* 162. *art.* 4. *corp.* agens de diuerſis ſpeciebus ſuperbiæ, eas explicat eodem tenore per diuerſos modos. Et *ibidem ad* 1. diſtinguens infidelitatem à ſuperbia, id explicat per eas dictiones, *vno modo*, & *alio modo*. Quod paſſim alibi reperies. 17.

Iam verò S. Thomam in ea eſſe ſententia, quod vitia contra naturam diuerſificentur in ſpecie, probauit efficaciter Caietanus *in ea quæſt.* 154. *articulo* 11. his verbis. [Quoniam Author in 1. artic. huius quæſtionis numerando ſpecies luxuriæ, dixit in numero plurali, *vitia contra naturam*. Et in artic. vltimo huius quæſtionis, dicit etiam pluraliter, *in vitiis, quæ ſunt contra naturam, tranſgreditur*. &c. Pluralis ſiquidem numerus inſinuare videtur pluralitatem vitiorum ſpecificam: nam ratione numeralis diſtinctionis non fieret ſermo pluralis.] Itaque Sanctus Thomas ſicut nunquam 18. *S. Th. ponit diuerſas ſpecies contra naturam.* Caiet.

Digitized by Google

quam vocat diuerſas, aut plures virtutes, neque virtutes in numero plurali, duos actus aut habitus ſolo numero diſtinctos; ita neque appellat pluraliter vitia, duos actus, aut habitus vitioſos ſolo numero diuerſos. Vbi notandum eſt, in eo articulo vltimo S.Thomam ſæpe vocare vitia, & peccata contra naturam in numero plurali.

19. Sed inſtat Caramuel *n*. 1682. contra P.Ouiedo, qui aliter cenſet de mente S.Thomæ, quàm Caramuel vult. Et cum eo agit his verbis: [Poſtulo ab Ouiedo, quot Authores ad probabilitatem requirantur? Lege totum punctum 1. controuerſiæ 3. *tract*. 5. in quo quærit Ouiedus, qualis debeat eſſe ſententia, quæ dicatur probabilis. Et videbis, eundem vnico Authore eſſe contentum, etſi cum aliquibus limitationibus, quæ nunquam ſuadebunt, Armillam, Tabienam, Aſtenſem, Filliucium, (quibus addo omnes Theologos, quos habes *à num*. 1684. & octo etiam Theologiæ Doctores, & Profeſſores, quorum litteras videre poteris inferiùs) non facere opinionem probilem: at ipſi docent, hanc fuiſſe ſententiam D.Thomæ: ergo, vt minimum, hanc opinionem fuiſſe à D.Thoma electam, propugnatam, & traditam, erit probabile. Sed ſi littera D.Thomæ examinetur, erit euidens, eius fuiſſe ſententiam, quam eidem iſti Authores adſcribunt. Non enim ita deprimendus eſt S. Doctor, vt differentiam, quæ eſt inter ſpecies, & modos, ignoraſſe dicatur. At ipſe agens de peccatis Luxuriæ, ea in ſpecies diuidit; agens ſtatim de peccatis contranaturam, ea diuidit in modos: ergo ſenſit Angelicus Doctor, illa ſpecificè, & ita diſtingui modaliter.] Hucvſque Caramuel.

20. *An Theologi nobis incogniti faciant nobis probabilitatem?*

Reſpondeo primò, nullum Scriptorem præter Filliucium, clarè aſſeruiſſe, eam eſſe mentem S.Thomæ, nempe omnia peccata contra naturam eſſe vnius ſpeciei infimæ, vt apertè conſtabit ex dicendis *cap. ſequenti*. Ad id, quod addit, octo Theologos, qui ſcripta ſua non ediderunt in lucem, idem affirmare de mente S.Thomæ, reſpondeo ex dictis *diſp*. 11. *cap*. 15. nullam apud nos afferre probabilitatem. Conſiſtit extrinſeca probabilitas in eo, quod nota ſit præſtantia doctrinæ eius Theologi: atqui apud nos Hiſpanos non eſt nota præſtantia doctrinæ eorum Theologorum: ergo apud nos nullam faciunt probabilitatem.

21. *Contra oculorum experientiam nulla teſtium turba prodeſt.*

Reſpondeo ſecundò, contra id, quod oculis cernimus, nullam multitudinem teſtium facere probabilitatem. Ita ſi mihi videnti ſolem, centum teſtes dicant ſolem abeſſe, illis centum teſtibus non habeo fidē. Sanè oculis vſurpauimus in textibus ſupra relatis apud S.Thomam diſtinctionem diuerſorum modorum non excludere diſtinctionem ſpecificam; quin imò hanc ab Angelico Præceptore explicari per diuerſos modos, quibus actiones diſſonant rationi. Quamvis ergo S.Thomas explicet diuerſa peccata contra naturam per diuerſos modos, euidens eſt, quod non propterea excludit eorum ſpecificam diuerſitatem. Itaque oculis cernimus, S.Thomam explicare ſæpe diuerſitatem ſpecificam per diuerſos modos: quomodo ergo habebimus fidem dicentibus, per diuerſos modos in peccatis contra naturam deſignari à S. Thoma identitatem ſpecificam.

Hinc cernis, cum quanta iniuria veritatis dicat Caramuel [euidens, eius fuiſſe ſententiam, quam eidem iſti Authores adſcribunt.] Cùm ſit euidens, nihil tale affirmatum eſſe à S.Thoma, vt conſtat ex dictis. Lepidū autem eſt, quod dicat, deprimi auctoritatem S.Doctoris, ſi dicatur ignoraſſe differentiam, quæ eſt inter ſpecies, & modos. Neque enim deprimitur Authoritas S.Thomæ, eo quod ignorauerit ſubtilitatem à Caramuele adinuentam in eum ſolum finem, vt claritas ſententiæ S.Thomæ interturbetur. Sanè ſi id ſit adſcribere ignorantiam S. Doctori, vtique adſcribenda illi erit in omnibus quæſtionibus, in quibus agit de diuerſitate ſpecifica actuum moralium, in quibus omnibus, vt ſuprà vidimus, diuerſitatem ſpecificam actuum explicat per diuerſos modos. Ignorabat ergo S.Thomas differentiam inter ſpecies, & modos; vel potiùs dicendum, S.Thomam nihil ibi ignoraſſe; quia non ignoratur, quod ſciendum non eſt; neque ſcienda eſt diuerſitas inter ſpecies, & modos, cùm dentur plures modi arguentes diuerſitatem ſpecificam, vt ex textibus S. Thomæ ſuprà relatis euidenter conſtat.

22. *Diuerſitas hæc inter ſpecies & modos fictitia.*

23. Et ſanè mirandum eſt, quod tam comperta ſit ea diſtinctio modorum contra ſpecies, vt vult Caramuel; & tamen quod ea non reperiatur tradita apud vllum ex veteribus, vel recentioribus. Sanè ſi ita comperta eſſet ea diſtinctio modorum, & ſpecierum, non latuiſſet Syluestrum; qui tamen *verb. Luxuria*, *q*. 1. ait: [Pluribus *modis* (peccatum contra naturā) poteſt contingere: ideò iſta ſpecies Luxuriæ, (quam vocat S.Th. vitium contra naturam) tanquam ſubalterna continet ſub ſe *multas ſpecialiſſimas*.] Vbi notanda venit ea particula cauſalis *ideò*. Ait enim ideò eas eſſe ſpecies ſpecialiſſimas, quia modi peccandi ſunt maximè diuerſi. Si autem diſtinctio modorum excluderet diuerſitatem ſpecificam, malè argueretur diuerſitas ſpecifica ex diuerſitate modorum. Cùm ex ratione formali excludente non inferatur incluſio, ſed excluſio.

CAPVT III.

An aliqui Scriptores negent eam diſtinctionem ſpecificam?

CAramuel *à n*. 1684. refert viginti tres Authores pro aſſertione, quæ negat diuerſitatem ſpecificam in peccatis contra naturam. Ex quibus plures cum magna iniuria referuntur; aliorum verò ferè nullus id expreſsè aſſeruit. Quod conſtabit, ſi diſcurramus per teſtimonia ſingulorum. 24.

Refert in primis P.Henriq. *lib*. 11. *ſum. c*. 16. *n*. 6. ſic differentem: [Quidam ſatis putant, ſi in confeſſione vir explicet, ſe cum fœmina habuiſſe rem contra naturam, aut extra vas naturale, non deſcendens ad explicandum modum, & partem, aut locum corporis, quaſi hæc in genere moris ſint vnius ſpeciei; nec cauſat tam magnum horrorem, ſi vir, & fœmina in vno lecto, quamvis præpoſterè, miſceantur, quàm ſi duo viri inter ſe, duæ fœminæ conſpiciantur luxuriari, in quocunque corporis loco, aut quocunque modo.] 25. Henriq.

26. Sed P.Henriquez longè abeſt ab ea aſſertione negatiua. Primò, quia eam aſſertionem, quam refert, non approbat, nec reprobat. Secundò, & præcipue, quia ipſa aſſertio, quæ ponit identitatem ſpecificam in eo quod vir & fœmina copulentur præpoſterè, & in eo quod copulentur alio modo contra-naturali, ſupponit, ponendam eſſe nouam ſpeciem cùm duo mares, vel duæ fœminæ ſe carnaliter cognoſcunt: ergo ea aſſertio euidenter admittit diſtinctionem ſpecificam inter aliqua peccata contra naturam. Illi itaque Theologi, quos refert P.Henriquez, admittunt diſtinctionem ſpecificam, quando mas cum mare, & quando mas cum fœmina polluitur. Imò ſolùm negant diſtinctionem ſpecificam, quando mas cum fœmina, vel præpoſterè, vel alio modo contra-naturaliter copulantur; ſupponendo alias ſpecies peccatorum contra-naturalium eſſe admittendas, quandoquidem in hac ſola hypotheſi excludunt. Itaque hæc duo benè componuntur inter ſe: & quod differant ſpecie infimâ copulatio maris cum mare in vaſe præpoſtero, & copulatio maris cum mare extra vas præpoſterum; & quod non differant ſpecie copulatio viri cum fœmina in vaſe præpoſtero, & copulatio contra-naturalis eorundem extra vas præpoſterum, quidquid ſit de veritate, vel falſitate huius vltimæ aſſertionis.

27. Angel. Secundò refert Angelum *verb. Interrogationes, num.* 1. ita aientem: [Confitetur mulier, quod fuerit cognita extra vas debitum; non quærat poſteà confeſſarius in quo loco, vel quomodo, & huiuſmodi: ſicut faciunt quidam, qui potiùs ſunt contaminatores, quàm confeſſores.]

28. Sed ex hoc nihil infertur pro aſſertione negante diuerſitatem ſpecificam. Primò, quia vt omnes Doctores practici conſulunt confeſſariis, ne ſint nimij in interrogationibus rerum venerearum; ita ad vitandas eas nimias interrogationes, ex iis peccatis, quæ pœnitentes exprimunt, debent coniicere confeſſarij ea, quæ communiter accidunt. Mens ergo Angeli eſt, quod quando mulier confitetur, quod cognita fuerit extra vas debitum, intelligatur, quod communiter accidere ſolet, cognitam fuiſſe præpoſterè; & ideò quod non ſit ampliùs interroganda.

29. Deinde *num.*1695. refert alia verba Angeli *verb.Luxuria*, in quibus ſingillatim exprimit peccata contra naturam. Et ſubdit: Sic hi quatuor modi dicuntur peccatum contra naturam.] Et *num.*1696. infert Caramuel: [Ecce peccata contra naturam non in ſpecies, ſed in modos diſtinguit.] Sed *in cap. præcedenti*, euidenter oſtendimus, S. Thomam per diuerſos modos exponere diuerſitatem ſpecificam plurimarum actionum: Angelus autem eos diuerſos modos peccati contra naturam deſumpſit ex S.Thom. cui omninò adhæret etiam in ordine numerandi illos. Quare in eodem ſenſu locutum eſſe, credendum eſt. Quod ſi adeò compertum eſt, vt vult Caramuel, modos, & ſpecies eſſe membra diuidentia, & res inter ſe condiſtinctas, quomodo dixit Sylueſter ſuprà citatus *num.* 23. [Pluribus *modis* poteſt contingere: *ideò* iſta ſpecies Luxuriæ tanquam ſubalterna continet ſub ſe *multas ſpecialiſſimas?*] Notaui cauſalem *ideò*; quæ denotat, cauſam formalem, ob quam dantur ibi multæ ſpecies ſpecialiſſimæ, eſſe, quia pluribus modis poteſt contingere, nempe ob maximam diuerſitatem eorum modorum.

30. Mox refert Caramuel verba Angeli *ibid.* in quibus ait, deſiderium inefficax fœminæ ſolutæ, & deſiderium inefficax coniugatæ eſſe eiuſdem ſpeciei, *quia ſolùm eſt contra vnam prohibitionem.* Subdit Caramuel: [Subſumo: atqui omnia peccata contra naturam, ſunt contra eandem prohibitionem: ergo legaliter loquendo, ſunt modi diuerſi peccandi ſub eadem ſpecie.]

31. Sed hoc multò minùs probat ſententiam, quæ nec negat diſtinctionem ſpecificam inter peccata contra naturam, eſſe de mente Angeli. Ideò enim deſideria inefficacia fœminæ ſolutæ, & fœminæ coniugatæ ſunt eiuſdem ſpeciei, & contra vnicam prohibitionem; quia ea deſideria ſunt præciſiua, & non feruntur ad qualitatem ſolutæ, vel coniugatæ, vt latè docui *diſputatione* 44. quæ ratio non habet locum in præſenti, vt euidens eſt.

32. Fagundez. Tertiò refert P. Fagundez *Præcept.*2. *Eccleſ. lib.*4. *cap.*2. *n.* 8. vbi ait: [Si mulier, aut vir confitetur habuiſſe copulam extra vas naturale, non eſt exquirendum, in qua parte corporis; quia ſufficit habere cognitionem huius peccati contra naturam; & non oportet illas circumſtantias omnes percipere.]

33. Oportuiſſet tamen ad venandam mentem P. Fagundez, textum integrum produxiſſe. Addit ergo Fagundez: [Et quia maior cognitio poteſt afferre nocumentum magnum confeſſori.] Ex qua ratione colligitur, id non aſſeruiſſe propter identitatem ſpecificam; ſed ad vitandum damnum confeſſarij; ratione cuius damni vitandi poſſunt omitti circumſtantiæ mutantes ſpeciem, præcipuè dum pœnitens eas tacet bona fide, quia dum mens confeſſarij nimis immergitur circumſtantiis libidinoſis, caro eius libidine impetitur, & periculo conſenſus quandoque ſe exponit.

34. Præcipuè cùm P.Fagundez *tom.*2. *in præcept. Decalogi, lib.*6. *à num.*3. latè doceat, dari quinque ſpecies diuerſas in peccatis Luxuriæ contra naturam. Quamvis in fine addat: [Quare huiuſmodi ſpecies peccati contra naturam propter proprias malitias ſpecie inter ſe diuerſas, ſpecie diſtinguuntur; vel ſi non ita rigoroſè diſtinguuntur, ita ſunt ſaltem aggrauentes, vt neceſſariò ſint confitendæ.] Itaque licèt vt certum aſſerat, eas circumſtantias contra naturam eſſe confitendas; ſub dubio tamen relinquit, an diſtinctio ſit ſpecifica, an minor. Authores autem non ſunt citandi pro alterutra parte quæſtionis, in qua dubitant; cùm impoſſibile ſit dubitare de vna parte, quin dubitent de oppoſita.

35. Carbo. Quartò refert Caramuel Ludouicum à Carbone *in compendio*, & 2.2. *q.* 154. *art.* 11. quia peccata contra naturam non diſtinguit in ſpecies, ſed tanquam grauius à minùs graui.

36. Sed ſciendum eſt, pauciſſimos ex antiquis inſtituiſſe expreſsè eam quæſtionem, [An peccata luxuriæ contra naturam diſtinguantur ſpecie?] Ideo neque partem affirmatiuam, neque negatiuam expreſſerunt. Velle eos citare pro vna parte, in ea quæſtione, quam non tractauerunt,

Digitized by Google

ctauerunt, ſed potiùs omninò omiſerunt; ex mera auiditate colligendi Authores, & ad mentem ſuam vtcumque trahendi, oriri poteſt. Cùm ergo Ludouicus à Carbone quæſtionem omnino omiſerit, cum iniuria veritatis pro vna parte citatur.

37. Sotus. Quintò refert Dominicum Sotum *in 4. diſt.41.quæſt.vn.art.4.fin.* eo quod enumerat ſeptem ſpecies luxuriæ, & in vltima collocat luxuriam contra-naturalem, & eam non diuidit rurſus in ſpecies. Et citat S.Auguſtin. relatum *in cap. Adulterij, 32.quæſt.7.* ergo cenſet, peccata contra naturam non diſtingui ſpecie.

38. Sed vt videas, quàm immeritò citetur Sotus, accipe totum textum: [Septima denique (ſpecies) atque omnium peſſima eſt nefandum flagitium contra naturam. De quo Auguſtinus in libro de adulterinis coniugijs, & refertur *can. adulterij, 32. q. 7.* Adulterij malum vincit fornicationem, vincitur ab inceſtu; ſed horum omnium peſſimum eſt, quod contra naturam fit; vt ſi vir membro mulieris non ad hoc conceſſo vtatur. Hoc execrabiliter fit in meretrice; ſed execrabiliùs fit in vxore. Horum autem diſputatio præſenti loco prætereunda eſt.]

39. Vbi notabis primò, Sotum præterire, & omnino omittere eam quæſtionem, [An peccata luxuriæ contra-naturalis differant ſpecie.] Vt in vltimis periodi verbis aſſeruit. Quomodo ergo citatur Sotus pro altera parte in ea quæſtione, quam omnino præteriit? Notabis ſecundò, incidenter, & per tranſennam hanc periodum poſitam à Soto. Agens enim *in eo art.* 4. de Filiis illegitimis, in fine articuli ſic ait: [Cæterùm quia dictum eſt, per illicitum concubitum tum affinitatem contrahi, tum & filios illegitimos procreari; interſerunt hîc nonnulli Interpretes Magiſtri Sententiarum, Authorem ipſum ſecuti, ſpecies luxuriæ. Quæ certè ad propoſitum nihil attinent.] Et poſteà breuiſſimè enumerat eas ſpecies, nec exprimit, an omnes eæ ſpecies infimæ ſint, an earum aliquæ ſubalternæ. Cùm ergo non ſolùm omiſerit quæſtionem de diſtinctione ſpecifica peccatorum contra naturam; ſed etiam aduerterit tractationem de his, & reliquis ſpeciebus luxuriæ ad propoſitum nihil attinere; planè conuincitur Sotum in ea quæſtione nihil voluiſſe definiri, vtpote in materia, in qua Interpretes eius loci ſaltant extra chorum.

40. Sed inſtat Caramuel ex eo dicto Auguſtini (quaſi etiam Auguſtinus vnitati ſpecificæ peccatorum contra-naturalium ſuffragetur) ita diſſerens: [Ecce totum malitiæ fundamentum in negatione ponitur Ab Auguſtino, & ex eo à Soto; adeoque ſicut in omnibus vna eſt negatio, vnica etiam erit ſpecies.]

41. Sed aduerſatur veritati nimia ſubtilitas, quæ tandem in nihilum abit. Nam in primis S.Auguſtinus agit de luxuria contra-naturali, quæ exercetur inter coniuges. Deinde falſum eſt, quod ponat Auguſtinus malitiam vitij contra-naturalis in negatione, quæ communis ſit omnibus peccatis contra naturam; cùm ſolùm exprimat actionem, qua vir vtitur vaſe præpoſtero vxoris; id enim ſignificant ea verba; *Vt ſi vir membro mulieris non ad hoc conceſſo vtatur.* Id autem non eſt commune meræ pollutioni: nam in ea vir non vtitur vllo membro mulieris. Nec ad propoſitum Auguſtini ſpectabat diſtinguere diuerſas ſpecies.

Sextò refert Peſantium 2.2.*quæſt.*154.*art.*11. qui in eum locum D.Thomæ nec dicit peccata contra naturam diuidi in ſpecies, nec ea diuidit in modos. Et ſic arguit Caramuel. [Cumque D. Thomas peccatum contra-naturale in modos diuidat, videtur debuiſſe Commentator huius, vel maioris diſtinctionis meminiſſe, ſi maiorem cognoſceret: at quia nihil omninò dicit, cenſendus eſt, non putaſſe, diſtingui ſpecie peccata contra-naturalia; nec modalis diſtinctionis, quæ intra eandem ſpeciem eſt, fuiſſe ſollicitum, vtpote purè materialis.] 42. Peſantius.

Sed ſi ita licet citare Authores in quæſtione, quam omnino omiſerunt; quid non erit ab extrinſeco propabile, ſaltem in materia diſtinctionis, vel identitatis ſpecificæ inter aliqua extrema? Quia debuit Peſantius exponere diſtinctionem, vel identitatem eorum peccatorum, & non expoſuit; colligitur à Caramuele, cenſuiſſe ea eſſe eiuſdem infimæ ſpeciei. Si ergo ita cenſuit, quare non aſſeruit? Numquid inuidit poſteris cognitionem veræ doctrinæ? Numquid improbo labore opus erat, & ſupra Doctoris vires, affirmare, quod cenſebat? Omiſit ergo quæſtionem; & ideò pro neutra parte citari debuit. 43.

Septimò refert Caramuel *n.*1686. Ioannem Nider in Præceptorio, *præc.6.c.2.n.6.* vbi agens de peccatis contranaturam, ſuadet Concionatoribus, vt in ea materia cautè, & circumſpectè loquantur. Et addit: [Sed ſpecies, & modos huius turpitudinis non expedit coram populo particulariter explicare.] Vides quod ſpecies huius turpitudinis admittit; & tamen vult Caramuel pro ſuo libito nomine ſpecierum intelligi ſacrilegium, inceſtum, & adulterium, quæ peccatis contra-naturalibus ſolent admiſceri. Sed hæ ſpecies ſacrilegij, inceſtus, & adulterij non ſunt tales, quod non expediat corã populo eas explicare; ſunt enim decentiſſima verba, quibus explicentur. Species autem, quas non expedit coram populo explicare, ſunt quæ deſcendunt ad ſpeciales differentias pollutionis, ſodomiæ, & beſtialitatis. Pergit Caramuel, vt ſibi ſuffragetur Niderius, addens hæc iſtius Authoris verba: [Sunt autem huius nefandiſſimi peccati multi modi, ſecundùm Thomam vbi priùs.] Et refert omnes modos peccandi contra naturam, quos D.Thomas propoſuit, & poſtea ſubdit: [Hoc peccatum Certæ ſpeciei. . . eſt grauiſſimum.] 44. Nider.

Subdit Caramuel: [Quibus verbis poſſit clariora reperiri, non credo.] Sed quare adeò clara cenſet Caramuel? Tum quia omnes eas differentias ſodomiæ, beſtialitatis, &c. vocat modos: tum etiam quia omnes illas continet ſub ſexta ſpecie luxuriæ. Sanè clariùs locutus fuiſſet, ſi dixiſſet, [Hoc peccatum ſextæ tæ *ſpeciei infimæ* eſt grauiſſimũ.] Sed cùm *ex cap. præcedenti*, conſtet, apud S. Thomam eſſe frequentiſſimum vſurpare diuerſos modos pro diuerſis ſpeciebus; & apud Dialecticos, & ex illis apud Theologos, nomen *ſpecies*, ad infimas, & ad ſubalternas indifferens ſit; planè conſtat, Niderium ne obſcurè quidem, nedum clarè, aſſeruiſſe identitatem ſpeciei infimæ in peccatis Luxuriæ contra naturam: imò clariſſimè docuiſſe, ſub ſpecie vitij contra natu- 45.

Digitized by Google

ram contineri ſpecies infimas illis diuerſis modis exercitas.

46. T.b. Rom. Bamberg. Octauò refert *num.* 1688. tabulam quandam Romanam, & Bambergenſem pro inſtructione Parochorum, in qua verb. *Luxuria*, dicitur, vitium contra naturam eſſe ſpeciem luxuriæ, & fieri quatuor modis. Ex quo infert, (peccata contra-naturalia non ſpecificè, ſed merè modaliter diſtingui.] Quæ citatio eadem hallucinatione laborat, ac reliquæ; cùm conſtet ex dictis, per diuerſos modos exponi diuerſitatem ſpecificam, & ſpeciem ſubalternam eſſe veram ſpeciem.

47. Marchant. Nonò refert *num.* 1689. Iacobum Marchant. *in Horto Paſtorum tract.* 4. *lect.* 11. eo quod dixerit: [Licèt verò generaliter nomine ſodomiæ vitia contra naturam accipiantur, ſpecialiter tamen ſodomia ſignificat peccatum, quo perſonæ eiuſdem ſexus committuntur, vel perſona diuerſi ſexus extra vas naturale.] Item quod ſub nomine pollutionis videatur omnes ſordes contra-naturales comprehendere. Sed quis hanc citationem non contemnat, aut non videat, eam non eſſe ad rem? Nam quamvis ſpecie diſtinguantur peccata contra naturam, ſtat optimè, quod ſub nomine ſodomiæ, vel pollutionis, vel quovis alio generali nomine latè, & impropriè omnes ſpecies eorum peccatorum contineantur.

48. Feliſius. Decimò refert Mathiam Feliſium in elucidatione Decalogi, *præcept.* 6. *cap.* 8. aientem: [Vitium contra naturam, licet vna ſit luxuries, ſecundùm D.Thomam, multis tamen modis abominabilibus, ac execrabilibus adimpletur.] Sed cùm non definierit, an ſit infima, aut ſubalterna; & cùm conſtet, varietatem modorum ſæpiſſimè afferre diuerſitatem ſpecificam, conſtat, eiuſmodi teſtimonium non eſſe ad rem præſentem.

49. Graffis. Vndecimò refert Iacobum de Graffis *deciſ. aurear. part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 88. *n.* 1. eo quod dicat: [Vitium contra naturam poteſt multipliciter contingere, ſecundùm S. Thomam. Vno quidem modo,] &c. refertque modos peccandi contra naturam, quos recenſet S. Thomas. Sed iam abundè conſtat ex dictis, diuerſos modos peccandi non dicere vnitatem ſpeciei infimæ, ſicut neque apud S. Thomam, ita neque apud cæteros, qui eum ſequuntur; & fictitiam eſſe eam diſtinctionem modalem, quæ opponatur diuerſitati ſpecificæ.

50. Nauarrus. Duodecimò refert Caramuel *n.* 1690. Nauarrum *in ſum. cap.* 16. eo quod aſſerat, certam ſpeciem luxuriæ eſſe peccatum contra naturam: quaſi omnia eius generis ſint vnius ſpeciei infimæ. Sed mirandum eſt, citari Nauarrum pro ſpecie infima, cùm hæc verba ſubiiciat: [Aduertendum item, quod non dixi, prædictas ſex ſpecies luxuriæ eſſe *ſpecialiſſimas*, ſed potiùs *genera ſubalterna*, quæ ſub ſe alias ſpecies continent.] Et ponit exemplum in inceſtu, quem cenſet eſſe ſpeciem ſubalternam reſpectu aliarum ſpecierum iuxta gradum conſanguinitatis, & affinitatis.

51. Præuidit vim huius argumenti Caramuel, & reſpondet: [Si Nauarrus cenſeret, vitium contra naturam eſſe genus ſubalternum, faciliùs appoſiturum eſſe exemplum in eo, quàm in inceſtu.] Sed nodum in ſcirpo quærit, qui in re tam clara difficultatem. Nam qui exempli cauſâ aliquid ponit pro libito, eligit quod mauult. Subſiſtit itaque ratio vniuerſalis, quod eæ ſex ſpecies luxuriæ non ſunt ſpecies infimæ, &, vt ipſe loquitur, ſpecialiſſimæ; ſed genera ſubalterna, quæ alias ſub ſe continent.

Inſiſtit autem Caramuel in eo, quod dixerit Nauarrus: [Eiuſdem ſpeciei eſt etiam cùm peccatur cum animali bruto, quod beſtialitas dicitur.] Quaſi beſtialitas, & ſodomia ſint vnius ſpeciei infimæ. Inſiſto & ego in eo, quod ipſe immediatè explicat mentem ſuam dum ait: eas *ſpecies luxuriæ non eſſe ſpecies ſpecialiſſimas, ſed potius genera ſubalterna*. Ex quo etiam capite eliduntur alia, quæ ex textu Nauarri fruſtra colligere vult in patrocinium ſuæ ſententiæ. 52.

Tredecimò citat *n.* 1691. P. Ioannem Azor *part.* 3. *lib.* 3. *cap.* 22. Eumque ex aliquibus coniecturis conatur adducere ad ſuffragium ſuæ ſententiæ. Sed quid proſunt coniecturæ, quando aliàs euidenter conſtat de mente Doctoris. Nam *eo lib.* 3. *cap.* 17. ſic habet: [Primò quæritur, an quinque iſta peccata contra naturam, ſint ſpecie inter ſe diſtincta? Reſpondeo eſſe ſpecie inter ſe diſtincta, vt rectè probat Caietanus. Nam hæc quinque peccata ſpecialem, & diſtinctam malitiam habent contra rectam rationem.] Quam ergo fidem habebimus eiuſmodi citationibus, dum Author tam euidenter exponens mentem ſuam, pro oppoſita ſententia citatur? Aut quid eſt caligare in luce meridianâ, niſi tam apertæ euidentiæ fucum facere? 53. Azor.

Sed audiamus coniecturas Caramuelis pro arrogando ſibi ſuffragio Azorij. *Eo cap.* 22. quærit primò, an beſtialitas ſit vnius ſpeciei infimæ, an verò diſtinguatur ſpecie pro diuerſitate belluarum? Et reſpondet, eſſe ſolùm vnius ſpeciei: [Quoniam licèt ſpecie differant belluæ, vna tamen eſt rationis turpitudo, nimirum copulam habere cum re alterius ſpeciei.] Subdit Caramuel: [Hic ego: Si diſtinctio beſtiæ, & beſtiæ hoc peccatum nefarium non diſtinguit, nec diſtinguet diſtinctio hominis & beſtiæ, viri & fœminæ, manuum, aut cuiuſcumque partis contactus, Ratio eſt, quia vel tota ratio formalis huius peccati conſiſtit in negatione vaſis debiti, vel in materia eius poſitiua, cui ineſt talis negatio? Si primum, omnia contra-naturalia crimina ſunt vnius ſpeciei. Si ſecundum, beſtialitatis peccatum multiplicandum eſt iuxta brutorum differentias; maximè in illorum ſententia, qui ea diſtinguunt ſpecie: non enim reperitur diſparitatis ratio. Hucvſque diſcurſus Caramuelis. 54.

Sed quod tota ratio malitiæ huius vitij non conſiſtat in negatione vaſis debiti, ex eo conſtat, quod Caramuel etiam admittit maiorem deformitatem (ſaltem aggrauantem) in beſtialitate, quàm in ſodomia: ergo ad negationem vaſis debiti addit beſtialitas aliquam aliam rationem malitiæ, ſaltem quæ dicatur eſſe circumſtantia aggrauans. Ergo falsò dicitur, quod tota malitia huius vitij ſtat in ſola negatione vaſis debiti. Vide quæ de hoc dicam *cap.* 7. Quare ad priorem partem dilemmatis negatur antecedens. 55. *Tota ratio huius malitiæ non ſtat in negatione vaſis debiti.*

Ad poſteriorem partem dilemmatis diſtinguendum eſt antecedens. Nam deformitas (ſiue ſit circumſtantia merè aggrauans, vel etiam ſpecifica) non ſtat vtcumque in materia poſitiua 56.

tiua

tina, ſed in eo quod ea luxuria exerceatur ex affectu libidinoſo ad belluam. Belluæ autem licet differant ſpecie phyſica, non differunt quoad hoc ſpecie morali; quia non eſt magis diſſonum rationi coire cum equa, quàm cum aſina. Sicut etiam non differunt ſpecie morali quoad furtum, quia non eſt magis diſſonum rationi furari equum, quàm aſinum.

57. Pergit diſcurſus Caramuelis *num.* 1652. in hæc verba: [Quærit ſecundò idem Azorius, an coitus cum dæmone ſuccubo, vel incubo, ſit peccatum eiuſdem ſpeciei cum beſtialitate? Et reſpondet ex eodem Caietano vbi ſuprà, eſſe eiuſdem ſpeciei ſecundùm eſſe naturale; vna tamen eſt rationis turpitudo, nimirum coitus cum re alterius ſpeciei. Sed hoc mihi videtur mirabilius. Plus enim homo à dæmone differt, quàm ab alia beſtia: ergo tenendum eſt, materiales circumſtantias non conſiderari, ſed totam malitiam in negatione debiti inſtrumenti conſiſtere.]

58. *Beſtialitas differt ſpecie à coitu cum dæmone.* Ego quidem cenſeo, beſtialitatem differre ſpecie à coitu cum dæmone, qui iudico, multò amplius diſſonare rationi coire cum dæmone, quàm cum bellua. Quorum vitiorum diuerſitas ſpecifica conſtabit ex dicendis infra. Stando tamen opinioni Caietani, & Azorij, dicendum eſt, non attendi diſtantiam phyſicam hominis à dæmone, vel à bellua; ſed attendi ſolùm diſſonantiam rationis, quam eiuſmodi coitus afferunt. Cenſent autem prædicti Doctores, non magis diſſonare rationi coitus cum vno ſuppoſito alterius ſpeciei, quàm cum alio: ideoque dæmonem, & belluam quoad hoc non differre ſpecie morali, quamvis ſecundùm ſe differant ſpecie phyſica.

59. Pergit vlteriùs ſubdens: [Quærit tertiò, an in confeſſione ſit exprimenda circumſtantia belluæ, vel rei, cum qua eſt habita copula. Reſpondit, ſatis eſſe, ſi in confeſſione dicatur, quod fuerit coitus cum re alterius ſpeciei.] De hoc autem nihil amplius differit, quaſi hoc ſufficiat ad citandum Azorium pro ſententia adſtruente vnitatem ſpecificam infimam in peccatis luxurioſis contra-naturalibus. Id tamen non ſufficere ad aduocandum ſibi ſuffragium Azorij, euidens eſt. Stat enim diſtingui ſpecie beſtialitatem à ſodomia, & non diſtingui ſpecie beſtialitatem à coitu cum dæmone, propter dicta. Si autem hæ duæ copulæ ſint eiuſdem ſpeciei infimæ, rectè infertur eſſe vnum in ſpecie vitium coire cum aliquo ſuppoſito alterius ſpeciei; atque adeò ſufficere, id ſic exprimere in confeſſione.

60. *Gerſon.* Quatuordecimò conatur *num.* 1693. adducere in ſuffragium ſuæ ſententiæ Ioannem Gerſonem *in Opuſc. de cognitione venialium, & mortal. conſider.* 17. Et ſic ait Caramuel: [Clariſſimè (Gerſon) ſuam mentem exponit, & non iam omnia peccata contra-naturalia, ſed vniuerſaliter loquendo, omnia peccata carnis ad eandem infimam ſpeciem moralem reducit.] Id ſanè ſufficiebat, vt abſtineret à citatione eius, qui rem tam euidenter falſam doceret. Sed videamus, quibus verbis id doceat. Verba Gerſonis ſunt hæc: *Luxuria de ſe eſt contra mandatum Dei.* In hac propoſitione categorica reperit Caramuel vnitatem ſpecificam infimam omnium peccatorum in materia luxuriæ. Subiungit enim Caramuel: [Ecce vir doctus in oppoſitione operis, & legis rationem peccati conſtituit. Et quia ſpecies luxuriæ non cognoſcit, ad modales differentias deſcendit, & ait: *Fit multis modis. Et ſingulos recenſet accuratè.* Vide in quale barathrum trahat illa diuerſitas ſpecierum, & modorum, per quam Caramuel conatur ſuam promouere opinationem. Per id enim trahitur Gerſon ad ſummam inſcitiam rei euidentis, qualis eſt diuerſitas ſpecifica peccatorum Luxuriæ. Et hinc conuincitur falſitas eius intruſæ diſtinctionis ſpecierum, & modorum; cùm Gerſon, qui non potuit ignorare ſpecies varias Luxuriæ, eas appellet nomine modorum diuerſorum. Affert autem alia verba Gerſonis, quæ non ſunt ad rem præſentem, & ex quibus ipſe Caram. colligit paruitatem materiæ in re venerea, de quibus abundè dictum eſt *diſp.* 45.

Quintodecimò refert *num.* 1694. S. Antoninum, qui *in ſua Theol. de* 6. *præcept. cap.* 18. enumerans diuerſa peccata contra naturam, addenſque ſi quid horum in diebus feſtiuis operetur quis, id eſſe magis graue; ſubdit: [Et ſecundùm aliquos huiuſmodi circumſtantias neceſſe eſt confiteri, quia mutant ſpeciem peccati.] Et (omiſſis aliis, quæ differit Caramuel minùs ad rem) addit: [Noto illud, *ſecundum aliquos*; & infero, contrariam ſententiam, quam habet D. Antoninus, fuiſſe ſuo tempore communem; malè enim aliquibus adſcriberet, quod ab omnibus, aut à pluribus affirmaretur; Omnia illa ad mentem huius Doctoris, ſola grauioritate diſtingui. Hoc ſonant illa verba, *Grauiſſimum omnium, magis graue.*] &c. 61. S. Antonin.

Pro recta Diui Antonini intelligentia, notandum eſt, ex Authoribus, qui Antoninum præceſſerunt pauciſſimos inſtituiſſe eam quæſtionem, an peccata contra naturam differant ſpecie? Qui pauci Doctores, omnes ad vnum, diuerſitatem ſpecificam conſtituunt, ideò in confeſſione exprimendam, vt ampliùs conſtabit *ex cap. ſeq.* Eos ergo pauciſſimos citat Antoninus; qui quoniam pauci erant, citat aliquos. Quaſi diceret: [Ex Doctoribus agentibus de Luxuria, aliqui inſtituunt quæſtionem de diſtinctione ſpecifica peccatorum contra-naturalium; adeoque de expreſſione earum circumſtantiarum in confeſſione aperiendarum, qui quidem diſtinctionem ſpecificam admittunt, & expreſſionem earum circunſtantiarum.] Et ita eſſe intelligendum Antoninum patet: nam ſi aliqui ex antiquis eam diuerſitatem ſpecificam expreſsè negarent, certè non latuiſſent Caramuelem, qui diligenter Authores explorauit, vt ad ſuum ſuffragium adduceret; quorum ne vnum quidem producit, qui quæſtionem expreſsè inſtituerit, & diuerſitatem ſpecificam negauerit. Quod autem addit, Antoninum ſolum recurrere ad grauioritatem, nihil prodeſt: Nam grauioritas eſt indifferens ad diuerſitatem ſpecificam, & ad merè aggrauantem. Vnde benè componitur aſſeri grauioritatem, & eſſe tantam, quæ ad diuerſitatem ſpecificam pertingat, vt conſtabit *ex cap.* 6. 62.

Sed quid præſtat morari in coniecturis, ſi alio in loco conſtat ſententia D. Antonini. Nam *in ſumm. part.* 2. *tit.* 5. *cap.* 4. ſic ait: [Vitium contra naturam eſt altera ſpecies luxuriæ, quod eſt grauiſſimum ſuper omnia alia 63.

vitia

Digitized by Google

vitia luxuriæ... Sed eſt iſta *ſpecies non ſpecialiſſima*, quam oportet confiteri; ſed *ſubalterna, genus ad alias ſpecies* ſpecialiſſimas, videlicet mollitiem, ſodomiam, innaturale, beſtialitatem.]

64. Haſſia. Sextodecimò refert *num. 1695.* Henricum de Haſſia §. *luxuria*, eo quod aſſerat, [Super omnia deterius, & mortaliſſimum eſt per tertiam regulam contra legem naturæ, peccatum contra naturam, vel cum ſexu indebito, vel cum alia ſpecie.] Subditque Caramuel: [Nec tamen diſtinguit ſub hac peccati contra-naturalis ſpecie inferiores ſpecies.] Quia iſte Author omiſit omninò quæſtionem de diuerſitate ſpecifica peccatorum contra-naturalium, vult Caramuel, eum citari pro parte negatiua quæſtionis. Si ſic eſt, magnum Authorum ſyllabum poteſt conficere pro ſua opinione; ſunt enim innumeri Theologi, qui de peccatis contra naturam locuti ſunt; qui tamen ad quæſtionem de diuerſitate ſpecifica non deſcenderunt.

65. Layman. Septimodecimò ob eandem rationem citat P. Paulum Layman *lib. 3. ſect. 4. de Temperantia, num. 9.* quia cùm agat de vitiis contra naturam, non dicit, ea eſſe diſtincta ſpecificè. Sed dixi iam, quàm iniuſtè referantur Authores pro vna parte eius quæſtionis, à qua tractanda omninò abſtinuerunt.

66. Taurinus. Duodecim refert *num. 1697.* Taurinum Dandulonem in compendio pro Catholicæ fidei inſtructione, §. *luxuria*. Vbi ait, peccata contra naturam fieri multis modis; & alios eſſe aliis grauiores. Ex quo Caramuel hanc colligit conſequentiam: [Modi ergo iſti ſola differunt grauioritate.]

67. Et primò quidem ego hanc conſequentiam colligo: Ergo non eſt tota ratio malitiæ relucens in peccatis contra naturam, prodigere ſemen; quia ſi hæc eſſet tota ratio, nõ poſſet vnum eſſe grauius alio; nam cùm ratio communis ſit eadem in omnibus, non poteſt eadem ratio formalis aliis maiorem, aliis minorem grauitatem tribuere. Dicendum ergo eſt contra Caramuelem, diffuſionem ſeminis non eſſe totalem rationem formalem malitiæ; ſed eſſe aliunde augmentum eius malitiæ, ſiue illud ſit ſpecificans, ſiue aggrauans, de quo poſteà.

68. Secundò, diſtinctionem modorum contra ſpecies eſſe ſolum adinuentam à Caramuele ad promouendum ſuam opinationem, conſtat *ex cap. præced.* Et *ex hoc cap. num. 29.* Vbi ſpecialiter adnotantur verba Syluestri.

69. Chainus. Vndevigeſimò citat Bartholomæum Chainum *in Confeſſionali, precept. 6.* Vbi monens confeſſarium, ne nimius ſit in interrogationibus in materia luxuriæ, ait: [Et cùm vltimam peccati ſpeciem habuerit, vlteriùs non procedat ad alias particulares circumſtantias non neceſſarias, propter periculum euitandum.] Et mox: [Si peccauit contra naturam voluntariè pollutionem procurando per ſemetipſum, vocatur peccatum immunditiæ, vel mollitiei, ſiue hoc procurauit propriis manibus, vel aliis modis; de modis enim non eſt curandum. Si maſculus cum maſculo turpitudidinem operatus eſt, vel fœmina cum fœmina, vel vir cum muliere extra vas debitum, dicitur ſodomia, vel ſodomiticum vitium, de quo Apoſtolus *Rom.* 1. Si cum brutis operatus eſt nefas, dicitur beſtialitas.]

Sed quid, quæſo, habet Chainus in ſuffragium ſententiæ Caramuelis? Numquid quòd dixerit, *de modis enim non eſt curandum*: de quibus modis? Numquid de diuerſis modis intercedentibus inter pollutionem, ſodomiam, & beſtialitatem; an potiùs de diuerſis modis, quibus procurari ſolet mera pollutio? Ex contextu euidens eſt, eum de his loqui, non de illis. Itaque ait: Siue mera pollutio procuretur manibus, ſiue linteo, ſiue paxillo, ſiue aliis ſimilibus modis, *de his modis non eſſe curandum*. Nam hoc, quod de modis dixit, in mera pollutione poſuit. Nam poſtea tranſiuit ad explicandum ſodomiam, & beſtialitatem. Quod ſi dicat Caramuel, agere etiam de modis ſodomiæ, & beſtialitatis, præterquam quod repugnat euidenter contextui, cur dicit de his modis non eſſe curandum, cùm ipſe tam accuratè diſtinguat eos diuerſos modos ſodomiæ, & beſtialitatis? 70.

Vigeſimò citat P. Antonium de Eſcobar *in ſumma tract. 1. exam. 8. cap. 2. num. 77.* qui agens de peccatis luxuriæ contra-naturalibus, ait: [Scio, probabile eſſe, omnes eſſe vnius ſpeciei, & hodie videtur inter Doctores, qui viuunt, communiſſima hæc opinio.] Non habui ad manum hanc Summam, vt dignoſcerem, ſi fortè cum aliqua limitatione id aſſerat. Notandum eſt primò, eum ſolùm loqui de probabilitate extrinſeca. Secundò, Authores, qui ſuppreſſo nomine referuntur, nihil addere probabilitatis. Nam cùm authoritas, ſiue probabilitas extrinſeca conſiſtat in eo, quod præſtantia doctrinæ Authorum nota ſit; reſpectu eorum, quibus præſtantia doctrinæ Authorum non eſt nota, nulla eſt authoritas, nec probabilitas extrinſeca: de quo vide *diſp. 11. n. 224.* & *diſp. 50. n. 55.* 71. Eſcobar.

Vigeſimoprimò citat Dianam, quem vocat *Moralium Theologorum Principem* (admirabile eſt, quod inter Suarios, Vaſquios, Sancios, Molinas, Leſſios, Sotos, Bannezios, &c. principatum teneat Antoninus Diana) *part. 3. tract. 4. reſol. 158.* Qui etſi probabilius cenſeat, peccata contra naturam eſſe diuerſæ ſpeciei, ait tamen eſſe probabile, omnia eſſe vnius ſpeciei infimæ. Quod idem cernitur in Antonio Cotonio *in compendio Dianæ, verb. Circumſtantia, num. 17.* Circa quod notare oportet, hos non eſſe duos, ſed vnum Authorem: nam qui librum alterius redigit in compendium, nihil de ſuo addit, ſed ſolùm ea, quæ reperit in prædicto libro, ad breuiorem methodum redigit. Sed præcipuè notandum eſt, Dianam iam reuocaſſe ſententiam. Nam *part. 9. tract. 8. reſol. 81.* affirmat, eam ſententiam eſſe improbabilem. 72. Diana.

Vigeſimoſecundò refert *num. 1698.* P. Tamburinum *lib. 7. in Decal. cap. 7.* quem conatur aduocare ad ſuffragium ſuæ concluſionis; ſed fruſtra, cùm ipſe Tamburinus expreſsè aperuerit mentem ſuam *eo cap. 7. initio*, vbi ſic ait: [Quatuor ſunt ſpecies, & quidem diſtinctè aperiendæ; quia habent turpitudinem, ſi non phyſicè diuerſam, quia omnes prodigunt ſemen ſine ſpe generationis; certè ex recta hominum æſtimatione, diuerſam moraliter. Mollities, ſodomia perfecta, ſodomia imperfecta, beſtialitas.] Cùm ergo tam expreſſa ſit ſententia Tamburini, fruſtraneo conatu in oppoſitam flectitur partem. 73. Tamburin.

Videamus

Digitized by Google

74. Videamus tamen, quid dicat Tamburinus in ſuffragationem oppoſitæ partis. *Ibid.* §. 3. *num.* 3. ait: [Si duo mares commiſceant corpora, & moueantur ad procurandum pollutionem, vel quandocumque ſe tangant impudicè ex affectu indebiti ſexus, ita vt effuſio ſeminis vel ſit intra vas præpoſterum, vel etiam extra, puto eſſe ſodomiam.]

75. Sed in qua ex his periodis negat Tamburinus diuerſitatem ſpecificam inter peccata contra-naturalia? Nam in primis rectè ſtat, quod ſub nomine ſodomiæ concludantur duæ ſpecies: altera qua duo mares in vaſe præpoſtero copulantur ex affectu ſexus indebiti; altera, qua ex eodem affectu tactibus impudicis ſe prouocant ad pollutionem. Tamburinus enim, ambo eſſe ſodomitica, aſſeruit; neque tamen affirmauit, ambo eſſe vnius ſpeciei infimæ.

76. Sed quamvis diceret, ambo ea peccata ſodomitica eſſe vnius ſpeciei infimæ; vbinam aſſeruit, meram pollutionem, quæ fit abſque affectu indebiti ſexus præſentis, & beſtialitatem eſſe vnius ſpeciei infimæ cum actu ſodomitico; præcipuè cùm diuerſa motiua formalia vnicuique eorum adſcribat? Stat ergo optimè, ea duo peccata ſodomitica eſſe vnius ſpeciei infimæ, & adhuc ſpecie differre à pollutione, & beſtialitate.

77. Marſilius. Vigeſimotertiò refert P. Antonium Marſilium, qui in Collegio Romano docuit, eſſe ſodomiticos iuuenes, qui ſe amant, & tactibus corrumpunt. Sed hoc non eſt ad rem propter proximè dicta circa Tamburinum.

78. Obſecro, amice Lector, vt ſyncerè relegas omnes Authores relatos, & inuenies Azorium, & Tamburinum; imò & Niderium, pro noſtra ſententia euidenter ſtare; Angelum & Fagundez dubiè loqui; Antoninum, & Chainum perperam intelligi à Caramuele; teſtimonia Marchantij, & Henriquez non eſſe ad rem; Ludouicum à Carbone, Sotum, Peſantium, Henricum de Haſſia, Laymannum, Taurinum Dandulonem omnino omiſiſſe quæſtionem de diuerſitate ſpecifica peccatorum contra naturam; citari Ioannem Nider, Tabulam Romanam, & Bambergenſem, Mathiam Feliſium, Graffium, & Gerſonem, propter eam fucatam diſtinctionem modorum contra ſpecies, quam ne vnus quidem Author propoſuit, vel illum digito oſtendat Caramuel; Dianam, qui ſententiæ probabilitatem aſſeruit, reuocaſſe ſententiam; Nauarrum, qui ſub vna ſpecie conſtituit peccata contra naturam, expreſſiſſe, loqui ſe de ſpeciebus ſubalternis; denique Antonium de Eſcobar remiſſiuè ſuffragari.

79. Iam verò vndecim ſubſcriptores Theologi eius ſyntheſis, quos memorat *num.* 1684. nullam facere nobis fidem probabilem, ſatis conſtat *ex diſp.* 11. *cap.* 15. *art.* 2. 5. *&* 6. Quia cùm non conſtet nobis (Hiſpanis) de præſtantia doctrinæ eorum Theologorum, non poſſunt nobis fidem facere probabilem; quia ibi nulla eſt dicentis authoritas, vbi nulla fama, nullave ſufficiens cognitio de eius præſtantia doctrinæ.

CAPVT IV.

Omnes Theologi tuentur diuerſitatem ſpecificam voluptatum contra-naturalium.

80. OMnes Theologi, qui hanc quæſtionem expreſſis terminis tetigerunt, conſtanter affirmant eorum peccatorum diuerſitatem ſpecificam, vno, vel altero dempto, qui probabilitatem partis oppoſitæ conatus eſt ſuadere. Cuius rei ingens argumentum eſt, quod cùm Caramuel tanto conatu promouere cupierit probabilitatem oppoſitæ ſententiæ; & aduocare hinc & inde ſuffragia probabilitatis, vix vnum attulerit, qui expreſsè doceat; vt conſtat *ex cap. præcedenti.*

81. Caiet. Syluest. S. Antonin. Armil. Hanc ergo diuerſitatem ſpecificam peccatorum luxuriæ contra-naturalis docent expreſſis terminis Caietanus 2. 2. *queſtion.* 154. *art.* 11. Syluester *verb. luxuria, quæſt.* 1. Cuius verba propoſui ſuprà *num.* 23. S. Antonin. in Summa, *part.* 2. *tit.* 5. *cap.* 4. Armilla *verb. luxuria, num.* 5. Vbi proponens diuerſos modos peccati contra naturam, ait: [De huiuſmodi oportet confiteri *ſpecificè.*] Quod fieri non poſſet ſi non diſtinguerentur ſpecificè. Et inferiùs ait: [Nota etiam, ſecundùm Thomam, quod ſi vir cognoſcat vxorem ſuam extra vas debitum, non dicitur ſodomia, ſed ſpecies innominata.] Iuxta quæ verba, illa copula cum vxore extra vas debitum diſtinguitur à ſodomia tanquam ſpecies innominata. Et inferiùs ait: [Sit igitur diligens confeſſor, dum circa hoc peccatum interrogat, vt tangat ſpecies, non autem ad actus, & ad modos ſingulares deſcendat.] Cùm ergo in primo textu dixerit, quod confeſſarius tangat *ſpecies*, non autem ad modos ſingulares; planè cenſet, ſpecies pollutionis, ſodomiæ, & beſtialitatis eſſe exprimendas; alios autem modos, qui non conſtituunt diuerſam ſpeciem, ſubticendos eſſe.

82. Roſella. Roſella *verb. luxuria, num.* 1. *&* 2. vbi ait: [Præter prædicta eſt peccatum contra naturam, quod habet tres ſpecies. Prima eſt ſodomiæ... Eſt etiam alia ſpecies contra naturam, quæ dicitur mollities... Dicitur beſtialitas, & ita eſt tertia ſpecies contra naturam.] Viguerius *lib. de Anima, cap.* 7. *de Temperant.* §. 4. *de vitiis oppoſitis caſtitati, verſ.* 7. *de vitio contra naturam.* Vbi diſertè aſſerit, vitium contra naturam *habere plures ſpecies*; quas ſtatim enumerat. Et Ioannes Nider ſuprà relatus *num.* 43. (Viguer. Nider.)

83. Medina. Azor. Tolet. Leſſius. Reginal. Sayrus. Villal. Idem expreſſit Bartholomæus de Medina *in ſum. cap.* 14. §. 18. P. Azor. 3. *part. lib.* 3. *cap.* 17. *quæſt.* 1. Cuius verba propoſui *num.* 53. Toletus *lib.* 5. *ſum. cap.* 13. *num.* 1. Leſſius *lib.* 4. *de virtut. cap.* 3. *dub.* 13. *num.* 90. Reginaldus *tom.* 2. *lib.* 22. *cap.* 3. *ſect.* 8. *num.* 57. *& ſect.* 1. *num.* 18. §. *intelligitur.* Sayrus *in Claui regia, lib.* 8. *cap.* 5. *num.* 5. Villalobos *tom.* 5. *tract.* 40. *diff.* 15. *num.* 2. qui affirmat, eſſe ſententiam omnium.

84. Valencia. Lopez. Bonacina. Item Valencia 2. 2. *diſp.* 9. *quæſt.* 3. *punct.* 3. Ludouicus Lopez *part.* 1. *cap.* 73. Bonacina *tom.* 1. *tract. de Matrim. quæſt.* 4. *punct.* 11. *num.* 2. §. *aduertendum.* Quatenus ait, ad incurrendam pœnam ſodomiæ, [Neceſſarium eſſe, vt peccatum

catum ſit in ſua ſpecie conſummatum: non enim ſufficit quælibet pollutio,] &c. Vbi apertè diſtinguit ſpecie ſodomiam, & pollutio-
31. nem. Idem ſupponit Sà *verb. luxuria, num. 6.* dum ait: [Ad beſtialitatem reducitur etiam coitus cum dæmone. Sunt autem reliquæ beſtialitates eiuſdem ſpeciei.] Quod non diceret, ſi cenſeret, omnia peccata contra naturam eſſe eiuſdem ſpeciei infimæ.

85. Oppoſitam ſententiam improbabilem eſſe, & intolerabilem affirmant P. Ouiedo à Caramuele citatus, *tract. 6. de peccatis, controuerſ. 5. punct. 3. 5. & 7. num. 54.* Ioannes Martinez de Prado *tom. 5. c. 15. quæſt. 18. n. 35.* D. Ludouicus Creſpinus in anti-Caramuele *quæſt. 5.* & Diana reuocans priorem ſententiam *part. 9. tract. 8. reſol. 31.*

Ouiedo. Prado. Creſpinus. Diana.

CAPVT V.

Præmittuntur aliqua de diuerſitate ſpecifica.

86. EX iis, quæ latè docui in Dialectica, conſtat, ſpeciem eſſe illud prædicatum vniuerſale, quod prædicatur de indiuiduis tanquam tota eorum eſſentia. Differentiam verò eſſe illud prædicatum eſſentiale, per quod vna ſpecies differt eſſentialiter à reliquis ſpeciebus ſub eodem genere contentis. Ex quo vlteriùs fit, differentiam numericam non eſſe prædicatum eſſentiale talis indiuidui. Nam in conſideratione dialectica, & philoſophica, non dicuntur eſſentialia, niſi quæ communia pluribus indiuiduis: nam cùm incognitæ ſint differentiæ numericæ indiuiduorum, non cadunt ſub ſcientiam; atque adeò conſideratio philoſophica non illas attendit, neque eſſentiales reputat.

Species eſt tota eſſentia.

Differentia numerica non eſt eſſentialis huic indiuiduo.

87. *Diſp. 30. Log.* aſſerui, negari non poſſe eam, quam vocant differentiam materialem intra eandem ſpeciem. Quis enim neget, plus differre marem à fœmina, quàm marem à mare; plus actum affirmatiuum à negatiuo eiuſdem obiecti, quàm affirmatiuum ab affirmatiuo? Aſſerui præterea, eam differentiam materialem propriè, & in rigore pertinere ad accidens logicum, quintum prædicabile: cuius quidditas eſt, poſſe prædicari de pluribus tanquam prædicatum non eſſentiale, neque eſſentiæ debitum. Per cuius vltima verba differt accidens logicum à proprio. Eam autem differentiam materialem non eſſe prædicatum eſſentiale, ex eo conſtat, quod ſpecies in conſideratione philoſophica ſit tota eſſentia indiuidui. Vnde ſi differentia materialis eſſet eſſentialis, ea partialiter conſtitueret ſpeciem; atque adeo reperiri deberet in omnibus indiuiduis ſpeciei, ſicut cætera prædicata eſſentialia conſtituẽtia ſpeciem.

Datur differentia materialis.

Pertinet ad accidẽs quintum prædicabile.

88. Iam verò cùm differentia materialis non ſit prædicatum eſſentiale, & alioqui ſit communis pluribus indiuiduis; nec tamen debita eſſentiæ, vtpote quæ in pluribus indiuiduis ſpeciei non reperiatur, neque comitetur neceſſariò ſpeciem; cùm differentia maris non reperiatur in fœminis eiuſdem ſpeciei; fit, quod eſſe marem prædicetur de pluribus indiuiduis tanquam prædicatum non eſſentiale, & non debitum eſſentiæ; atque adeo quod ſit accidens logicum.

His prælibatis, quæ ad ſolutionem multarum obiectionum prodeſſe poſſunt, illud præcipuè prænotandum eſt, & inquirendum, quanta debeat eſſe diuerſitas, vt ea vocari iure poſſit diuerſitas ſpecifica? Cui quæſtioni reſpondeo id, quod dixi *lib. 1. Phyſic. diſp. 13. cap. 1.* ſcilicet diuerſitatem ſpecificam eſſe magnam quandam diuerſitatem, quæ quidem magna ſit iudicio prudentum. 89.

Quanta diuerſitas requiratur, vt ſit ſpecifica?

Diuerſitatem ſpecificam debere eſſe magnam, & omnes admittunt, & inductione conſtat. Quod autem magnitudo eius diuerſitatis ſolâ prudentum trutinâ penſanda relinquatur, clariſſimè oſtendo. Rogo enim, quare, cùm in animalibus mas, & fœmina differant pluſquam duo mares, non dicemus eam diuerſitatem maris à fœmina eſſe ſpecificam, & marem à fœmina differre ſpecie? Profectò non poteſt reddi alia ratio, niſi quia ea diuerſitas non eſt tanta, quantam attendunt prudentes Philoſophi ad diuerſificandas res in ſpecie; eamque in conſideratione prudentum Philoſophorum eſſe paruam diuerſitatem. 90.

Iudiciũ prudens eſt menſura diuerſitatis ſpecificæ.

Nec ſatisfacies, ſi dicas, ideò marem, & fœminam non diuerſificari ſpecie, quia non habent operationes ſpecie diuerſas, neque reſpiciunt alia connotata diuerſa eſſentaliter. 91.

Contrà enim eſt. Inquiro enim, quare homo, & equus ſpecie differant? Et ſtatim clamas, quia conſtituuntur per ordinem ad ratiocinium, & hinnitum, quæ operationes diuerſitatem habent ſpecificam. Sed rogo vlteriùs, vnde colligis, ratiocinium, & hinnitum diſferre ſpecie? Si reſpondeas, ideò ita eſſe, quia homo, & equus diuerſificantur ſpecie, petis principium; neque aſſignare poteris alias operationes, aut connotata alia, ex quibus talis ſpecifica diuerſitas deſumatur. Reſpondebis ergo, inter ratiocinium, & hinnitum diuerſitatem eſſe tantam, quanta iudicio Philoſophorum ſufficit ad diuerſificandum ſpecificè. 92.

Similiter rogo, quare differant ſpecie albedo, & nigredo; quaréve arguat diuerſitatem ſpecificam congregare viſum, & diſgregare? Similiter quare diuerſificentur ſpecie calor, & frigus; intellectio, & volitio eiuſdem obiecti, ab eadem anima deriuatæ? Quod ſi recurras ad potentias realiter diſtinctas ab anima, præterquam ad falſitatis aſylum confugis, eſto id verum ſit, debes oſtendere rationem, quare potentia intellectiua, & volitiua differant ſpecie; illam quidem immunem à petitione principij. Similiter quare iudicium, & ſimplex apprehenſio complexa differant ſpecie, cùm tamen terminentur ad idem obiectum, & ab eadem potentia intellectiua proficiſcantur? Quorum omnium nullam aliam rationem tradere poteris, niſi quia ea diuerſitas magna iudicio prudentum Philoſophorum tanta eſt, quanta ad differentiam ſpecificam requiritur. 93.

Cum hoc ſtat, eſſe aliqua indicia diuerſitatis ſpecificæ, ab omnibus prudentibus obſeruata, & obſeruanda; quæ quoties reperiuntur, non erunt prudentes Philoſophi, qui negent diuerſitatem ſpecificam. Et ideo quoties datur ordo realis tranſcendentalis ad terminos ſpecie diuerſos, conſtituenda neceſſariò eſt diuerſitas ſpecifica. Ideo enim omnes admit- 94.

Dantur indicia diuerſitatis ſpecificæ.

runt

Digitized by Google

tunt, hominem, & equum ſpecificè diuerſificari, quia ſunt principia operationum ſpecie diuerſarum; quæ operationes aliunde, quam à principiis, præſupponuntur diuerſificati ſpecie. Sed cùm dicis, hominem, & equum eſſe diuerſos ſpecie propter operationes ſpecie diuerſas; cùm ad reddendam rationem diuerſitatis ſpecificæ non poſſis petere principium, vel alia connotata operationum diuerſa in ſpecie, afferre debes, ex quo ſequetur proceſſus infinitus; vel dicendum tibi eſt, eas operatione eſſe diuerſæ ſpeciei; quia earum diuerſitas tam magna eſt, quam iudicio prudentum Philoſophorum requiritur ad eſſentialem diſtinctionem.

95. Dices. Quoties dantur ordines reales tranſcendentales ad terminos ſpecie diuerſos, toties prædicti ordines ſpecie differunt: ſed homo, & equus dicunt ordines reales tranſcendentales ad terminos ſpecie diuerſos, nempe ratiociniū, & hinnitum; & rurſus ratiocinium, & hinnitus dicunt ordines reales tranſcendentales ad hominem, & equum tanquam ad ſua principia: ergo homo, & equus ſpecificantur ab operationibus ratiocinij, & hinnitus; & iſtæ operationes ſpecificantur ab homine, & equo: ergo non eſt neceſſe recurrere ad iudicium prudens Philoſophorum tanquam ad trutinam magnitudinis diuerſitatis, in prædicta ſpecificatione, ſiue hominis & equi, ſiue operationum eorum.

96. Reſpondetur conceſſa maiori, & minori, & prima conſequentia, negando ſecūdam. Etenim verū eſt, quod principia ſpecificantur ab operationibus; & quod operationes ſpecificantur à principiis. Item principia poſſunt eſſe indicia diuerſitatis ſpecificæ operationum, & diuerſæ in ſpecie operationes poſſunt eſſe indicia diuerſitatis ſpecificæ principiorum. Cæterū diuerſæ operationes nunquā ſunt indicia actualia diuerſitatis ſpecificæ principiorū, niſi quando operationes, independenter à diuerſitate ſpecifica principiorum, aliunde ſupponuntur diuerſæ in ſpecie; quia id, quod eſt indiciū diuerſitatis ſpecificæ, eſt antecedens illam inferens: atqui antecedēs non præſupponit cōcluſionē, neque indiget illa ad ſui verificationem. Qui ergo intēdis probare, hominem & equum differre ſpecie, & pro antecedēte aſſumis diuerſitatem ſpecificam operationū, debes aliunde probare hanc operationū diuerſitatē; in argumētatione enim nemo probat antecedēs per concluſionē, quā probare intendit. Non ergo aliūde poteris tunc id probare, quàm ex iudicio prudentum Philoſophorum. Quod ſi adhuc in hoc exemplo eſſet locus negandi, quæ diximus; ſunt & alia plurima exempla ſuprà poſita diuerſitatis ſpecificæ, in quibus id negari non poteſt, eo quod diuerſificētur ſpecie abſque recurſu ad terminos ſpecie diuerſos, quales ſunt intellectio & volitio eiuſdem obiecti, & eiuſdem principij; iudicium, & ſimplex apprehenſio complexa eiuſdē obiecti; calor, & frigus, & ſimilia, quorum diuerſitas ex ſolo prudētū iudicio probari, & mēſurari poteſt.

97. Cùm ergo vera ſint hæc in ſpecie phyſica, multò magis locum habent in ſpecie morali, cuius menſura multò magis pendet à iudicio prudentum. Quare enim non differunt ſpecie morali furtum auri, & furtum argenti, niſi quia, quamvis aurum, & argentum ſpecie phyſica differant, at iudicio prudentū in ordine ad penſandam malitiam actionis, non differunt ſpecie morali. Sanctus Thomas 2.2.*quæſt.*61. *art.*1. inquirit, an iuſtitia commutatiua, & diſtributiua differant ſpecie? Affirmatque inter eas ſpecificam diuerſitatem, quia iuſtitia commutatiua reſpicit ordinem partis ad partem; diſtributiua verò ordinē totius ad partem. Sed quare iſti duo ordines debent inducere tantam diuerſitatem, quæ pertingat ad ſpecificam; niſi quia iudicio prudentū iſti duo ordines diuerſitate maxima differūt, & tanta, vt ad ſpecificā pertingat?

Idē S.D. 2.2.*q.*66.*art.*4. interrogat, an furtū, & rapina differāt ſpecie? Et inter ea peccata ſpecificā diuerſitatem conſtituit; quia rapina affert violentiā illatā domino; furtum verò ignorantiam domini. Sed vnde probabis, eam violentiā domino illatā addere malitiā pluſquā aggrauantem, & malitiam ſpecificè diuerſam à furto? Sanè non aliunde, niſi quia iudicio prudentum ea diuerſitas maxima eſt, & quæ inter ſpecificas debeat connumerari. Quod in innumeris aliis exemplis rerum moralium obſeruare poteris. 98.

CAPVT VI.

Oſtenditur morali euidentia diuerſitas ſpecifica peccatorum contra-naturalium.

His præſuppoſitis oſtendo diuerſitatem ſpecificam moraliter euidentem inter peccata luxuriæ contra-naturalis, pollutionem, ſodomiam, & beſtialitatem. Tunc datur in moralibus diuerſitas ſpecifica, quando iudicio prudentum ea diuerſitas eſt maxima, & tanta, vt in eorum æſtimatione reputetur ſpecifica: ſed eſt moraliter euidens, quod diuerſitas intercedens inter ea peccata contra-naturalia, iudicio prudentum eſt maxima, & tanta, vt in eorum æſtimatione reputetur ſpecifica: ergo eſt moraliter euidens, ea peccata contra-naturalia differre ſpecie. Conſequentia patet. Maior conſtat ex capite præcedenti. 99. *Cùm iudicio prudentum diuerſitas eſt maxima, tūc eſt ſpecifica.*

Minor verò patet *ex diſp.*12.*cap.*1. Vbi oſtendi, communem omnium, aut ferè omnium Doctorum ſententiam facere euidentiam moralem in illis quæſtionibus, quarum reſolutio pendet omnino à iudicio prudentum: ſed quæſtio præſens eſt ex illis, quarum reſolutio pendet omnino à iudicio prudentum; & omnes prudentes conſpirant in id, quod diuerſitas eorum tanta ſit, vt pertingat ad ſpecificam: ergo eſt moraliter euidens, quod diuerſitas illorum eſt ſpecifica. 110. *Quando communis Doctorum facit euidentiam moralem?*

Hæc minor duabus partibus conſtat. Et prima quidem patet *ex cap. præced.* Vbi demonſtratur, diuerſitatem ſpecificam moralitatum omninò dependere à iudicio prudentum tanquam à menſura. Secunda verò pars conſtat *ex cap.* 2. 3. & 4. Ex quibus patet, eſſe communem ſententiam ferè omnium Doctorum, quæ adſtruit diuerſitatem ſpecificam inter ea peccata contra-naturalia. 101.

Confirmatur primò ex dictis *ea diſp.* 12. *cap.* 1. Illa diuerſitas eſt maxima, & ſpecifica, quæ talis eſt iudicio prudentum: ergo euidens eſt, quod diuerſitas eſt maxima, & ſpecifica, quando eſt euidens, illam eſſe talem iudicio prudentum. Sed quando ferè omnia iudicia prudentum conſpirant in hoc, quod diuerſitas 102. *Diuerſitas eſt euidenter ſpecifica, cùm omnia iudicia prudentum conſpirant.*

diuerſitas eſt maxima, & ſpecifica; euidens eſt, quod illa eſt maxima, & ſpecifica iudicio prudentum: ergo quando fere omnia iudicia prudentum conſpirant in hoc, quod diuerſitas eſt maxima, & ſpecifica, euidens eſt, illam eſſe maximam, & ſpecificam. Sed ferè omnes prudentes conſpirant in hoc, quod diuerſitas inter ea peccata contra-naturalia eſt maxima, & ſpecifica; cùm ferè omnes Doctores illam aſſerant, & vix ſit vnus, vel alter, qui oppoſitum tueatur, vt conſtat *ex cap.* 2. 3. *&* 4. ergo euidens moraliter eſt, eam diuerſitatem eſſe ſpecificam.

103. Confirmatur ſecundò. Nunquam euidentius eſt, aliquam diuerſitatem eſſe maximam & ſpecificam iudicio prudentum, quàm cùm omnia prudentum iudicia conſpirant ad cenſendum eam diuerſitatem eorum peccatorum eſſe maximam, & ſpecificam: ſed omnia prudentum iudicia conſpirant ad cenſendum, diuerſitatem eorum peccatorum contra-naturalium eſſe maximam, & ſpecificam; cùm omnes prudentes petiti (idest, omnes Doctores) cenſuerint, eam eſſe diuerſitatem ſpecificam: ergo euidens eſt ita, vt non poſſit eſſe euidentius, moraliter loquendo, eam diuerſitatem illorum peccatorum eſſe maximam, & ſpecificam iudicio prudentum. Sed quæ iudicio prudentum eſt ſpecifica, illa eſt diuerſitas verè ſpecifica: ergo euidens eſt, illam eſſe diuerſitatem ſpecificam.

104. Exemplum ſtateræ.

Confirmatur tertiò exemplo ſtateræ. Nam ſi dubitans, an pondus argenti tui ſit duodecim librarum; & ad examen, illud appendis ad omnes ſtateras prouinciæ, comperiſque, omnes ſtateras prouinciæ conformari in deſignando pondere duodecim librarum; moraliter euidens eſt, argentum tuum habere pondus duodecim librarum: atqui ſtatera diuerſitatis ſpecificæ in moralibus eſt iudicium prudentum, ad cuius menſuram determinatur quantitas diuerſitatis in moralibus: ergo vbi omnia iudicia prudentum conformantur in quantitate diuerſitatis, euidens eſt, diuerſitatem eſſe tantam, quantam determinant iudicia prudentum, & non minorem. Sed omnia iudicia prudentum (vno, vel altero dempto) conformantur in aſſerenda diuerſitate ſpecifica inter peccata contra-naturalia: ergo moraliter euidens eſt, ea diuerſificari ſpecificè.

185. Confirmatur quartò aliquibus exemplis. Primò. Euidens eſt, abſtinentiam, & caſtitatem eſſe diuerſæ ſpeciei in eſſe morali: quarum prima fugit voluptates edendi, & ſecunda voluptates venereas. Quare ergo euidens eſt, in eſſe moris voluptates edendi, & voluptates venereas eſſe diuerſæ ſpeciei, niſi quia iudicio omnium prudentum diuerſitas earum eſt maxima, & ſpecifica? Secundò. Euidens eſt, furtum, & detractionem eſſe peccata diuerſæ ſpeciei. Sed quare id eſt euidens? Dices, id ita eſſe, quia res fortunæ, & famæ euidenter differunt ſpecie. Sed quare eſt euidens, res fortunæ, & famam eſſe diuerſæ ſpeciei, cùm non ſufficiat ad diuerſitatem ſpecificam moralem diuerſitas ſpecifica phyſica, vt patet in furto auri, & in furto argenti. Sanè non aliunde id eſt euidens, niſi quia iudicio omnium prudentum damnum in bonis fortunæ, & damnum in fama maximè differunt, & ſpecificè. Quod in ſexcentis aliis exemplis cernere licet. Cùm ergo iudicio omnium prudentum ea peccata luxuriæ contra-naturalis maximè diſtent, & ſpecificè differant; euidens eſt, illa ſpecificè differre.

Vbi notabis primò, in iis, quæ omnino pendent à iudicio prudentum tanquam à menſura, etiamſi duo, vel tres reſiſtant, & reliquorum iudicia affirment; verificari, quod omnes prudentes id affirmant. Nam cùm duo, vel tres reſiſtunt communi iudicio, ſanè quoad hoc non ſunt prudentes, imò imprudenter agunt reſiſtendo communi iudicio prudentum. Cùm ergo illi duo, vel tres in hoc non cenſeantur prudentes, verũ eſt, quod omnes prudentes id cenſent. 106.

In hoc genere cum duo reſiſtũt reliqui, non ſunt prudentes.

Notabis ſecundò, cùm ſint tria genera diuerſitatis, ſcilicet, numericæ, aggrauantis, & ſpecificæ, diuerſitatem numericã dici poſſe paruam; diuerſitatem aggrauantẽ poſſe dici magnam, ſiue notabilem, aut grauem; diuerſitatem verò ſpecificam iure merito dici poſſe maximã. Quo nomine eam appellauimus, vt diſtinguamus à diuerſitate circumſtãtiæ notabiliter aggrauãtis. 107.

Diuerſitas ſpecifica dicitur maxima.

CAPVT VII.

Roboratur concluſio tradita impugnatione oppoſitæ aſſertionis.

Caramuel in loco citato Theologiæ fundam. *n.* 1683. admittit, beſtialitatem grauiorem eſſe ſodomiã, & hanc ſimplici pollutione: addit tamen, hunc exceſſum malitiæ eſſe tantùm circumſtantiæ aggrauantis, non tamen variantis ſpeciem. Sic enim ait: [At ego ſodomiam, beſtialitatẽ, eſſe *maiora crimina* quàm pollutionem, probari ab Ouiedo video: at illas eſſe ſpecie inter ſe, aut ſpecie à pollutione diſtinctas, ab eodem vel leuiter ſuaderi non video. *Omnes enim magis horrent*, ait. Sed quid inde? Omnes enim magis horrent *grauiora*, etiam in eadem ſpecie.] Quod idem admittit *n* 1669. Vbi agens de pollutione, ait: [Eſſe moraliter peccaminoſam, Doctores vniuerſi tenemus, ſed *minùs grauem* reliquis culpis contra-naturalibus.] Et *n.* 1670. ait: [Secundus eſt ſodomia, mollitie *multò grauior.*] Et deinde: [Tertius eſt beſtialitas, quæ *grauior* adhuc reliquis eſt.] Et paſſim alibi per totam quæſtionem id inculcat. 108.

Deinde ſæpiùs affirmat, totam rationem peccandi in vitiis contra-naturalibus eſſe quod effundatur ſemen extra vas debitum. Ita *n.* 1677. ait: [Cùm tota contra-naturalitatis ratio in hac negatione conſiſtat, nimirum quod ſemen extra debitum vas effundatur.] *Et n.* 1685. *§. ſubiungit, & §. Pater Dominicus*, idẽ repetit. Et *n.* 1690. ait: [Rationem formalem conſtitutiuam peccati contra-naturalis aſſerit (Nauarrus) eſſe opponi ordini, quem natura ad habendam copulam carnalem ordinauit; qui cùm vnus ſit, oppoſitio etiam vna eſſe debet: vbi enim vna ſola datur ratio ſpecifica, vna ſola dari poteſt ſpecies.] Idem tradit *num.* 1191. & paſſim alibi per totam quæſtionem. 109.

Hinc impugnatur primò oppoſita ſententia, eo quod incompoſſibilia docet, vt iam in præcedentibus incidenter notaui. Implicat enim, totam rationem peccandi contra naturam eſſe, effundere ſemen extra vas debitum; & adhuc eſſe aliam grauioritatem culpæ in genere luxuriæ repertam in ſodomia, & beſtialitate. 110.

Quod

Digitized by Google

111. Quod vt oculis cernas, pono has duas propoſitiones: *Tota pecunia mea eſt intra arcam: Vltra pecuniam contentam in arca eſt alia pecunia mea extra illam.* Quas ex apprehenſione terminorum conſtat eſſe oppoſitas, & incompoſſibiles. Et vide ſimilem oppoſitionem, & incompoſſibilitatem in his: *Tota ratio formalis peccandi in contra-naturalibus eſt effuſio ſeminis extra vas debitum: Eſt & alia ratio formalis peccandi* (eſto ſit tantummodo aggrauans) *in contra-naturalibus*; nempe in ſodomia, & beſtialitate. Primam propoſitionem docet Caramuel, vt patet ex ſupradictis *n.* 109. Secundam admittit, dum concedit, eſſe grauioritatem in ſodomia reſpectu pollutionis; & in beſtialitate reſpectu ſodomiæ, & pollutionis, vt conſtat *ex n.* 108. Grauioritas enim iſta eſt quædam malitia in genere luxuriæ, ſuperaddita præſciſæ effuſioni ſeminis factæ extra vas debitum: ergo vltra effuſionem ſeminis extra vas debitum eſt & alia ratio formalis peccandi in genere luxuriæ reperta in peccatis contra-naturalibus; quantumvis dicatur eſſe dumtaxat aggrauans, & nullatenus ſpecifica.

Non eſt tota ratio malitiæ contra-naturalis, effuſio extra vas debitum.

112. Reſpondebis primò, eam grauioritatem ſodomiæ eſſe rationem peccandi, non tamen eſſe rationem formalem peccandi; & ideò non eſſe ſpecificam.

113. Sed hæc reſponſio nullam habet probabilitatem. Implicat enim, quod aliqua ſit malitia moralis, & quod non habeat rationem formalem conſtitutiuam talis malitiæ. Nam id, per quod conſtituitur in eſſe talis malitiæ, eſt ratio formalis illam malitiam conſtituens.

114. Reſpondebis ſecundò, etſi ea grauioritas, qua excedit ſodomia ſimplicem pollutionem, ſit ratio formalis noui augmenti malitiæ; eam tamen non eſſe rationem formalem peccandi contra-naturaliter.

115. Sed multò minùs probabilis eſt hæc reſponſio. Nam id nouum augmentum malitiæ, quod dicitur aggrauans, eſt de genere luxuriæ, & opponitur caſtitati; non enim eſt alia virtus, cui opponatur: ergo illud nouum augmentum eſt de genere luxuriæ naturalis, vel de genere luxuriæ contra-naturalis. Malitia enim contracta iam ad indiuiduum talis numero peccati, non poteſt præſcindere ab vtroque membro diuiſionis adæquatæ; cùm quælibet malitia luxuriæ vel naturalis ſit, vel contra-naturalis.

116. Illud nouum augmentum repertum in ſodomia, eſſe luxuriæ naturalis, dici neutiquam poteſt; cùm non ſit malitia luxuriæ naturalis, vbi non reperitur ordo ad vas debitum. Ergo illud nouum augmentum malitiæ repertum in ſodomia vltra malitiam pollutionis, eſt augmentum luxuriæ contra-naturalis. Cùm ergo illud nouum augmentum malitiæ habeat rationem formalem peccandi in genere luxuriæ, vtique illum habet in genere luxuriæ contra-naturalis.

117. Impugno ſecundò aſſertionem oppoſitam. Etenim inter meam ſententiam, & oppoſitam conuenit, adeſſe in ſodomia nouam malitiam diuerſam ſuperadditam malitiæ pollutionis; & diſcriminamur in eo, quod oppoſitæ partis Patroni dicunt, eam nouam malitiam ſuperadditam eſſe aggrauantem; noſtræ autem ſententiæ Patroni aſſerunt, eam nouam malitiam eſſe ſpecificè diuerſam. Inde ergo reſultat quæſtio, an id nouum augmentum malitiæ repertum in ſodomia, ita ſit graue iudicio prudentum, vt pertingat ad diuerſitatem ſpecificam; an verò iudicio prudentum ſit ſolùm notabiliter graue, ita vt ſolùm pertingat ad circumſtantiam notabiliter aggrauantem, & non ſpecificantem?

In hac ergo controuerſia litem dirimit iudicium prudentum. Si enim ea malitia ſuperaddita malitiæ pollutionis iudicio prudentum ita eſt gravis, vt pertingat ad ſpecificam, dicendum eſt, illam quidem variare ſpeciem: ſed euidens eſt, quod illa malitia ſuperaddita ita eſt grauis iudicio prudentum, vt pertingat ad grauitatem ſpecificam: ergo euidens eſt quod pertingit ad grauitatem ſpecificam, & non ſolùm vtcumque ag grauantem. Maior, & conſequentia patent. 118.

Minor conſtat *ex cap. præced.* Euidens enim eſt, quod aliquid habet tantam grauitatem iudicio prudentum; quando omnes prudentes iudicant, habere tantam grauitatem: ſed omnes prudentes iudicant, illam malitiam ſuperadditam afferre grauitatem maximam, quæ pertingat ad ſpecificam: ergo euidens eſt, illam malitiam ſuperadditam in ſodomia afferre grauitatem maximam, quæ pertingit ad ſpecificam. 119.

Et eodem modo poteſt inſtaurari argumentum inſtructum à P. Ouiedo, & ſolutum à Caramuele. Hic enim illud refert *num.* 1673. his verbis: [Peccata diſtinguuntur ſpecie propter diuerſas diſſonantias (ſcilicet, cum ratione) ſed diuerſa diſſonantia eſt in concubitu rationalis cum irrationali, quàm in ſimplici pollutione: ergo diſtinguuntur ſpecie.] Reſpondet Caramuel, diuerſam eſſe diſſonantiam rationis; ſed non tam diuerſam, vt afferat diſtinctionem ſpecificam. 120.

Inſto. Quod ſit tam diuerſa, aut magis, aut minùs, debet eſſe in æſtimatione prudentum: ergo quod ſit magis, vel minùs diuerſa, non pendet à libito cuiuſque, ſed à iudicio prudentum. Sed omnes prudentes (vno vel altero dempto, qui eo ipſo quoad hoc non cenſentur prudentes) cenſent, eam diſſonantiam eſſe maximè diuerſam, atque adeò ſpecificè: ergo ea diſſonantia rationis eſt maximè diuerſa, atque adeò ſpecifica. Quod quidem iudicium omnium prudentum facit euidentiam moralem, vt conſtat *ex cap. præced.* 121.

CAPVT VIII.

Inſtantiæ Caramuelis diſſoluuntur.

INſtat primò *num.* 1699. his verbis: [Vos ipſi, & vniuerſi omnes Doctores aſſeritis, illam eſſe opinionem probabilem, quæ à quatuor, vel ſex Doctoribus talis cenſetur: atqui hæc non iam à ſex, ſed à viginti ſex (imò etiam à quadraginta) admittitur: ergo ſequitur, neminem poſſe dari, qui illius probabilitatem neget.] 122.

Reſpondeo primò, eum numerum Authorum in ſola fucata ſubtilitate, qua ad alienam mentem trahuntur Authores, poſſe ſubſiſtere. Conſtat enim *ex cap.* 2. 3. *&* 4. ſolum vnum, vel alterum poſſe citari cum veritate 123.

Quàm pauci tueantur opinionem oppoſitam?

Digitized by Google

pro ea aſſertione. Et hinc conſtat, quàm falſa ſit minor eius ſollogiſmi.

124. Reſpondeo ſecundò, diſtinguendo maiorem. Nam vt latè oſtendi *diſp.* 11. ſufficiunt quatuor, aut ſex Authores ad probabilitatem (imò & vnus) ſi ſint omni exceptione maiores: ſi autem legitima exceptio contra illos iure opponatur, neque quadraginta ſufficiunt. Prima autem, & præcipua exceptio contra Authorem eſt, quod procedat contra principium certum; nam qui ſic procedit contra principium certum, ignorat ſaltem inuincibiliter illud; neque habet authoritatem Doctor in eo ipſo, quod ignorat. Tres ergo Authores, vel quatuor, qui diſtinctionem ſpecificam negant inter pollutionem, ſodomiam, & beſtialitatem, procedunt contra principium certum à nobis præiactum, nempe in quæſtionibus, quæ omnino pendent à iudicio prudentum (qualis eſt hæc de diuerſitate ſpecifica eorum peccatorum) ſententiam communem ferè omnium Doctorum facere euidentiam moralem: ideò tres illi, aut quatuor non ſunt attendendi.

Faciunt probabilitatem, qui ſunt omni exceptione maiores.

Eſt exceptio contra Authorem, procedere contra theſim certam.

125. Inſtat ſecundò *num.* 1700. his verbis: [Qui viginti ſex, aut plures pro mea ſententia Authores dedi, non ero nimius poſtulator, ſi tres, aut quatuor pro contraria poſtulem nominari. Nam huic aſſertioni: *Probabile eſt, omnia peccata contra naturam eſſe eiuſdem ſpeciei*; aſſonare poteſt hæc: *Omnia peccata contra naturam non ſunt eiuſdem ſpeciei.* Vnus enim, & idem Doctor poteſt vtrãque defendere. Solùm opponitur hæc: *Non eſt probabile, peccata contra naturam eſſe eiuſdem ſpeciei.* Sed & hæc rationibus, & Authoritibus caret. Multos, & multas examinaui, fateor; vix autem vnam fortem, vix vllam vel debilem pro illa legiſſe affirmo.]

126. Reſpondeo, eum, qui vnam ſententiam docet tanquam certam, oppoſitam affirmare improbabilem. Implicat enim ex duabus propoſitionibus contradictoriis vnam eſſe certam, & oppoſitam non eſſe certò falſam, & improbabilem. Iam verò omnes Authores qui hanc diuerſitatem ſpecificam expreſſerunt inter peccata luxuriæ contra-naturalis, illam affirmant indubitanter & abſque vlla oppoſitarum partium contrarietate; neque enim referunt in hac quæſtione diuerſas ſententias probabiles, ſicut in aliis quæſtionibus topicis plerumque ſolent. Quod idem eſt ac tradere doctrinam, tanquam certam. Ideò omnes Doctores, qui ſtant pro hac ſententia de diuerſitate ſpecifica eorum peccatorum, citari iure poſſunt pro ea propoſitione modali, *Non eſt probabile peccata contra-naturalia eſſe eiuſdem ſpeciei infimæ.*

Omnes tradunt han ſententiam tanquam certam.

127. Præterea in iis quæſtionibus, in quibus ſententia omnium, aut ferè omnium facit euidentiam moralem, de quibus latè egi *diſp.* 12. eo ipſo quod ea ſententia communis talis ſit, illa eſt moraliter euidens, atque adeò oppoſita eſt certò falſa morali euidentia. Sicut ergo ſententia omnium, eo ipſo quod talis ſit, & in tali materia, virtualiter dicit, ſe eſſe moraliter euidentem, ita eodem modo dicit, oppoſitam eſſe certò falſam. Et cùm hæc quæſtio ſit eius generis, communis ſententia, dum facit euidentiam, facit etiam oppoſitam eſſe improbabilem, & virtualiter dicit, oppoſitam eſſe certò falſam.

In tali genere, ſententia ferè omnium eſt moraliter euidens.

128. Itaque hæc propoſitio: *Non eſt probabile, peccata contra naturam eſſe eiuſdem ſpeciei*, infertur ex hac: *Omnes prudentes cenſent, ea peccata contra-naturalia tantâ grauitate pollere, quanta requiritur ad diuerſitatem ſpecificam.* Nam hæc æquiualet iſti: *Euidens moraliter eſt, ea peccata contra-naturalia eſſe diuerſæ ſpeciei*; cùm ex dictis *cap.* 6. iudicium concors omnium prudentum faciat euidentiam moralem in ea diuerſitate ſpecifica. Cùm ergo prima inferatur ex ſecunda, continetur in ſecunda; atque adeò ſecunda virtualiter dicit primam. Cùm ergo omnes Authores ſecundam tueantur, pro prima ſtare cenſentur: ergo non iam tres, aut quatuor, quos poſtulat, Authores Caramueli oſtendo; ſed omnes.

CAPVT IX.

An ſi peccata contra-naturalia ſint eiuſdem ſpeciei infimæ, inferatur, circumſtantias eorum non eſſe confitendas?

Alterum argumentum, quod militat contra ſententiam Caramuelis, eſt huiuſmodi. Si peccata contra-naturalia eſſent eiuſdem ſpeciei infimæ, non eſſet neceſſe confiteri circumſtantias ſpeciales ſodomiæ, & beſtialitatis. Vnde qui ſemel ſe fœdaſſet pollutione, ſemel actu ſodomitico, ſemel beſtialitate, ſatisfaceret præcepto confeſſionis, dicens: *Ter peccaui luxurioſè contra naturam*; hoc eſt abſurdum, & contra praxim Fidelium; & iam poſt damnationem Alexandri VII. ſcandaloſum, & improbabile: ergo certò tenendum eſt, peccata contra-naturalia non eſſe eiuſdem ſpeciei infimæ. 129.

Reſpondet Caramuel *num.* 1701. in hæc verba: [Hoc argumentum poſtulat, vt oſtendam, non obſtante quod prædicta peccata contra-naturalia eiuſdem ſint ſpeciei infimæ, debere adhuc *diſtinctè* in confeſſione *declarari.* Tenetur enim pœnitens, vt patet ex inſtitutione Sacramenti, & definitione Tridentini Concilij *ſeſſ.* 14. *c.* 5. non ſolùm explicare peccatorum ſpecies, ſed etiam numerum: ergo ſi detur aliud præceptum, quod plures res ſimul præcipiat, erit virtualiter multiplex, & debebit pœnitens in confeſſione exponere, qualiter violauerit illud.] 130.

Et poſtquam in confirmatione huius conſequentis multa exempla attulit, quæ poſtea ſeorſim examinanda venient, deinde *n.* 1707. ſubdit: [Hinc ad peccata contra naturam deueniendo, debere aio explicari, quoties violetur lex illa naturalis, quæ ſemen ad generationem dirigit: & hoc aliter fieri non poſſet, niſi illa in confeſſione diſtinctè, & expreſsè explicando. Actus enim, qui pluries ordinetur ad non generationem, non diſtinguitur ſpecie ab actu, qui ſemel deordinetur; ſed habebit plures malitias diſtinctas numero, & ideò in confeſſione declarandas. Deciſio igitur ſeminis, vt ſit connaturalis, petit primò alterius perſonæ contactum; ſecundò, eiuſdem ſpeciei; tertiò, diuerſi ſexus; quartò, in vaſe legitimo; quintò, non in præpoſtero: & vt licita ſit, peri e ſextò, 131.

Digitized by Google

ſextò, vt ſit inter maritum,& vxorem.Præſcindendo igitur ab hac vltima circumſtantia, ſi cæteræ ponantur, manebit ſimplex fornicatio, & ſi auferatur quarta, manebunt tres connaturalitates; quarum vel omnes, vel aliquæ poſſunt abeſſe,& ſuâ abſentiâ in peccato malitias multiplicare: quas qui in confeſſione non exponat, non explicabit numerum deformitatum,& malitiarum grauium, quæ conſtituunt peccatum, quod commiſit. Hinc patet, alio modo peccare, qui tactibus propriis polluitur; alio, qui alienis: imò etiam alio ſi tactibus fœminæ, aut viri. Hinc etiam patet, alio modo mollem & alio ſodomitam, & alio adhuc execrabiliori, qui beſtialitatem committit. In beſtialitate eſt contra-naturalitas defectu ſpeciei, imò etiam defectu ſexus, quoniam maſculinus ex ſe, & fœmininus per accidens (hoc eſt, vt contractus ad talem ſpeciem animalis) eſt ineptus ad generationem. In ſodomia non naſcitur ex defectu ſpeciei contra-naturalitas, ſed ex defectu ſexus, aut vaſis. Et in mollitie defectu vnius, aut alterius circumſtantiæ, ſi illa tactibus propriis, aut fortè alienis procuretur.]

132. Et vt in forma reſpondeat, proponit hunc ſyllogiſmum: [Nulla peccata, ſi ſint eiuſdem ſpeciei, debent in confeſſione diſtingui: at omnia peccata contra naturam (nempe intra luxuriæ lineam) ſunt eiuſdem ſpeciei: nulla igitur peccata contra naturam debent in confeſſione diſtingui.] Cui ſic ſibi videtur ſatisfacere: [In forma reſpondeo, conſequentiam eſſe legitimam: at conſequens eſſe falſum. Cùm igitur falſum ex vero ſequi nequeat, non carebit falſitate antecedens. At minor vera eſt: ergo erit falſa maior. Nam peccata diſtincta puto numero (vt vberiùs hucuſque demonſtrauimus) non diſtinguuntur ſpecie, & tamen debent in confeſſione clarè, & diſtinctè exponi. Cùm igitur in peccatis contra naturam plures deformitates numero diſtinctæ reperiantur, ſicut adulterium duplex, & ſacrilegium duplex à ſimplici; ſic etiam hæc debent peccata in confeſſione diſtinctè, & apertè explicari.] Hucuſque Caramuel, exponens neceſſitatem confitendi expreſsè, & diſtinctè circumſtantias ſpeciales pollutionis, ſodomiæ, & beſtialitatis.

133. *Quid in alia editione docuerit Caramuel?*

Hæc ita aſſerit in editione reformata Lugdunenſi anni 1657. Nam in Francofurtenſi anni 1652. ſic lego: [Hac ſententia ſemel admiſſa (de vnitate ſpecifica peccatorum contra-naturalium) ſequitur neceſſariò, pœnitentem ſatisfacere, ſi ita in confeſſione ſua peccata exponat, vt confeſſario ſpecies, & numerus peccatorum innoteſcat, etſi nulla circumſtantia, tametſi notabiliter aggrauans, modò ſpeciem non mutet, exprimatur.] Vbi omiſit ea omnia, quæ in editione Lugdunẽſi addidit circa confeſſionem earum circumſtantiarũ ſodomiæ, beſtalitatis, &c.

134. In verbis ergo relatis editionis Lugdunenſis affirmat, in peccato ſodomiæ eſſe plures malitias numero diſtinctas, ſcilicet non ſeruati ſexus,& vaſis debiti, vltra profuſionem ſeminis; & eas malitias numero diſtinctas debere clarè, & diſtinctè in confeſſione exponi; quia aliter non poſſunt exponi eæ malitiæ numero diſtinctæ: cùm tamen ſit certum, omnia peccata numero diſtincta explicanda eſſe.

135. Hic tamen dicendi modus conuincitur primò. Vt explicetur numerus peccatorum, ſatis eſt dicere, bis peccaui in hac ſpecie, ter, vel quater: ergo ſi in beſtialitate ſunt quatuor malitiæ numero diſtinctæ, nempe prodigendi ſemen, non ſeruandi ſpeciem, non ſexum, non vas debitum; ſufficiet dicere, [*Commiſi actionem externam luxurioſam cum quatuor malitiis contra-naturalibus*:] ergo propter numerum malitiarum explicandum non erit neceſſe exprimere circumſtantiam beſtialitatis. Hæc conſequentia euidenter infertur ex prima. Prima verò per ſe patet; cùm numerus peccatorum ſufficienter exponatur per aduerbia numeralia; ſuppoſita explicatione ſpeciei peccati.

Vt exponatur numerus non debent exponi circumſtantia.

Conuincitur ſecundò. Circumſtantia differentialis reperta in beſtialitate non ſpectat ad differentiam numericam peccati: ergo propter explicandas, qualiter requiritur, differentias numericas, non eſt neceſſe explicare circumſtantiam differentialem beſtialitatis. Conſequentia eſt euidens; nam ad explicandas differentias numericas peccatorum ſolùm requiritur explicare id, quod ad tales differentias numericas ſpectat; non verò alia, quæ ad tales differentias numericas non pertinent. 136.

Hæ circumſtantia non ſpectant ad differentiam numer.

Quod verò attinet ad antecedens, id eodem modo efformari poteſt in illis pluribus malitiis, quas diſtinguit Caramuel in beſtialitate, nempe, quod non ſeruetur ſpecies, quod non ſeruetur vas debitum, &c. Hæ enim malitiæ non ſpectant ad differentias numericas: ergo propter has explicandas, aut numerandas, non eſt neceſſe explicare ſpeciales circumſtantias earum malitiarum. Iam verò probatur id antecedens; nam circumſtantia differentialis reperta in beſtialitate eſt quædam ratio communis reperta in omnibus ſingularibus indiuiduis beſtialitatis: atqui ratio communis non ſpectat ad differentiam numericam; cùm hæc ſit vltima taleitas indiuidui: ergo circumſtantia differentialis reperta in beſtialitate non ſpectat ad differentiam numericam. Similiter applicatio ſeminis ad vas indebitum eſt ratio communis reperta in omnibus indiuiduis actionum beſtialium, & ſodomiticarum; & ratio communis pluribus indiuiduis non ſpectat ad differentiam numericam: ergo applicatio ſeminis ad vas indebitum nullo modo ſpectat ad differentiam numericam. 137.

Ratio communis nõ determinat differentiam numer.

Confirmatur. Ad explicandum numerum hominum, ſiue indiuiduorum ſpeciei humanæ non eſt neceſſe explicare, an mares ſint, an fœminæ; quia eſſe marem, & eſſe fœminam non ſpectat ad differentiam numericam indiuiduorum naturæ humanæ: ergo ad explicandum numerum contra-naturaliũ (ſi hæc ſpectant ad infimam ſpeciem) non eſt neceſſe explicare, an fiant cum ſuppoſito eiuſdem, an alterius ſpeciei. 138.

Et pro maiori huius confirmationis explicatione, do caſum, quo Petrus pugione confodit ventrem fœminæ prægnantis, cuius fœtus erat viuus, ex quo vulnere ſecuta eſt mors vtriuſque. Et prouolutus Petrus ad genua confeſſarij (ſto à ſententia eorum, qui dicunt occidentem vno impetu duos homines committere duo peccata) ait: *Me accuſo duplicis homicidij*. Confeſſarius inſtat, vt aperiat ampliùs circumſtantias, an occiſæ fœminæ, an viri, an ex vtroque ſexu; an fuerit occiſio fœtus intra vterum. Reſpondet Petrus, homicidia ex iis circumſtantiis non variare ſpeciem; ideò non debere 139.

diſtinguere. (Abſtraho ab excommunicatione occiſionis fœtus.) Reclamat confeſſarius, teneri pœnitentem ad confitendum numerum peccatorum; & ſpectare ad numerum eam diuerſitatem maris, aut fœminæ; infantis, aut fœtus. Sanè id ad numerum non ſpectare conuincet Petrus, ſi reponat, ſufficienter explicari numerum, ſi exponatur, quot indiuidua ſpeciei occiſa fuerint; nec pertinere ad differentias numericas homicidiorum, an perpetrata fuerint in marem, an in fœminam, an in fœtum, an in infantem iam natum. Similiter ergo contingit in præſenti. Nam ſi omnia contranaturalia vnius ſint infimæ ſpeciei, ſufficienter explicabitur numerus, ſi dicatur, quot indiuidua eius ſpeciei admiſſa fuerint, quin ad numerum eorum pertineat, an ſit eiuſdem, an alterius ſpeciei ſuppoſitum, cum quo ſit coitus contra-naturalis.

CAPVT X.

Obiectiones Caramuelis diſſoluuntur.

ARTICVLVS I.

Duæ obiectiones ex primo Decalogi præcepto.

140. PRolixum diſcurſum texit Caramuel *à numero* 1702. vt probet, teneri pœnitentem ſpeciales circumſtantias confiteri, quæ ſpeciem non variant, propter numerum peccatorum in confeſſione exponendum. Et ſic obiicit primò. [Primum Decalogi præceptum obligat, vt credas Deum, credas in Deum, ſperes in Deo, & ames Deum; & tamen licet eiuſdem præcepti ſint partes actus iſti, debet in confeſſione exponere pœnitens, an fuerit atheus, hoc eſt, crediderit, non dari Deum; an infidelis, hoc eſt, putauerit, per ſe, aut per Eccleſiam mentiri Deum; an amiſerit ſpem obtinendi beatitudinem; an odio habuerit Deum; an ſaltem non elicuerit amoris actum, cùm debebat. Actus iſti realiter, & ſecundum ſe conſiderati, diſtinguuntur genere, vel ſpecie: etiam ipſi diſtinguuntur ſpecie ſecundum moralem conſiderationem, vt ratio ſuadet, & omnes Scriptores docent. Sed quid ſi provt vnum, & idem præceptum terminant, dicerentur non diſtingui ſpecie morali, ſiue virtuali? Dicam illos, ſiue vno, ſiue altero modo conſiderentur, etiam in hac hypotheſi aliàs falſa, debere in confeſſione diſtingui. Stat igitur, ſubſtantiales, & eſſentiales eiuſdem præcepti partes (diſtinguantur, aut non diſtinguantur ſpecie) ſi violari contingat, debere in confeſſione exponi.]

141. Reſpondeo, ideò ita peccata contra primum præceptum diſtinctè confitenda eſſe, quia mutant ſpeciem. Ad probationem deſumptam ex ea hypotheſi impoſſibili, in qua omnia ea eſſent vnius ſpeciei infimæ, dicendum eſt, ea non debere diſtinctè explicari; ſed qui actus internos habuit non credendi, & deſperandi, ſatisfaceret, ſi diceret: *Habui tot actus internos contra primum præceptum.* Etenim ſatis eſt confiteri ſpeciem, & numerum: ſed ille confiteretur in ea hypotheſi ſpeciem, & numerum: ergo ſatis eſſet, ſi ita confiteretur.

Obiicit ſecūdò. [Si daretur homo qui haberet vnum corpus, & duas animas... non diſtingueretur à te ſpecie; nec tamen diſtingueretur accidentaliter, ſed ſubſtantialiter: ergo peccata, quæ intra eandem ſpeciem habent circumſtantias, quæ non iam augeant, & aggrauent priorem malitiam, ſed conſtituant diuerſam numero, aut ſpecie malitiam, debent in confeſſione exponi. Nam ſi malitiæ diſtinguuntur ſpecie, debent exponi, quia diſtinguuntur ſpecie; ſi numero, debent, quia diſtinguuntur numero. Tenemur enim ſpeciem, & numerum peccatorum, ſeu inobedientiarum, quæ in ſingulis actibus ſunt, in confeſſione declarare. Quam ob rem Petrus ſi illum hominem biformem (nempe habentem duas rationales animas) occideret, aliter peccaret, quàm ſi Ioannem occideret: & licet non eſſet peccatum diſtinctum ſpecie, deberet illud explicare propter duas malitias, & peccaminoſitates diſtinctas numero, quæ in illo homicidio inueniuntur: ergo ſi in aliis peccatis contingat eſſe plures deformitates, & peccaminoſitates, quæ diſtinguantur puro nomine, tenebitur pœnitens eas in confeſſione exponere: aliàs enim non ſatisfaciet Tridentino definienti, debere homines in peccatorum confeſſione numerum, ſpecieſque explicare.] 142.

Sed vel ex hoc ipſo exemplo conuincitur de falſitate oppoſita ſententia. Do hominem duplicis animæ. Do homicidam illius committere duo numero homicidia, quia aufert duas animas. Vnde probat Caramuel, homicidam non ſatisfacere confeſſionis præcepto, ſi dicat, ſe commiſiſſe duo homicidia, etſi non dicat, ſe occidiſſe hominem duplicis animæ? Ergo quamvis in beſtialitate ſint quatuor malitiæ numero diſtinctæ contra naturam intra eandem ſpeciem infimam, non erit neceſſe exponere circumſtantiam beſtialitatis, ſed ſatis erit confiteri quatuor malitias numero diſtinctas contra naturam, in genere luxuriæ. 143.

In forma ergo reſpondeo ad argumentum concedendo maiorem, quod ille homo duplicis animæ non differret à te ſpecie: concedendo item minorem, quod non differret à te accidentaliter, ſed ſubſtantialiter, ideſt, numero formarum ſubſtantialium. Et admiſi *libro primo Phyſicorum, diſp.* 16. *cap.* 2. non fore duos, ſed vnum hominem, & vnum compoſitum per ſe. Nego tamen conſequentiam, qua affirmat, circumſtantias, quæ conſtituant diuerſam numero malitiam intra eandem ſpeciem, debere diſtinctè explicari. Nam circumſtantiæ, quæ numerum augent, non debent explicari, quia numerus ſufficienter explicatur ſine explicatione circumſtantiarum; quod non contingit in explicanda ſpecie, quæ plerumque explicari non valet abſque diſtincta expreſſione circumſtantiæ; numerus autem ſemper explicatur per numeralia, & abſque expreſſione peculiaris circumſtantiæ. 144.

Numerus explicatur, non explicatis circumſtantiis.

Et hinc intelligitur, quomodo diſtinguenda ſit ea propoſitio ſubiuncta: Si malitiæ diſtinguuntur numero, debent explicari, quia diſtinguuntur numero. Quam in forma ſic diſtinguo: debent explicari [expreſſione circumſtantiæ, quæ auget numerum,] nego; debent explicari [per mera nomina numeralia,] concedo. Itaque in propoſito caſu ſatis erit dicere, ſe commiſiſſe duo homicidia; non verò erit neceſſe 145.

ceſſe eam circumſtantiam aperiri, quod commiſſa fuerint erga hominem habentem duas animas, quamvis hæc circumſtantia multiplicet numerum homicidiorum. Et ſimiliter diſtinguendum eſt vltimum conſequens: ſi in aliis peccatis contingat eſſe plures deformitates, quæ diſtinguantur puro numero, tenebitur pœnitens eas in confeſſione exponere [per meram numerationem eorum, expoſita diſtinctè ſpecie] concedo; [per expreſſionem circumſtantiarum, quæ numerum multiplicant,] nego. Et ratio eſt, quam tradidi: quia ad numerum exprimendum non eſt neceſſe aperire circumſtantiam, quæ numerum auget, ſicut neceſſe eſt exprimere circumſtantiam ad explicandam ſpeciem.

Articvlvs II.

Tres aliæ obiectiones circa ſecundum, & tertium præceptum.

146. Obiicit tertiò: [Secundum Decalogi præceptum iubet ne à Deo perfectiones, & virtutes auferas, quas habet; aut imperfectiones, aut vitia affingas, quæ non habet. Peccat contra priorem præcepti partem blaſphemus, contra poſteriorem periurus; & tamen pœnitens non debet inquirere, an blaſphemia, & periurium diſtinguantur, aut non diſtinguantur ſpecie; ſed debet in confeſſione exponere, vtrùm peccatum fuerit blaſphemia, vel periurium. Et hoc propter eandem rationem; quia ſi ſpecie diſtinguuntur, debet; & ſi non diſtinguuntur, etiam debet.]

147. Reſpondeo (vt omittam non bene exponi præcepti partes in ordine ad blaſphemiam, & periurium) ſi per impoſſibile vtrumque peccatum eſſet vnius infimæ ſpeciei, & vtrumque ſub vno nomine communi ſignificaretur, v. g. irreuerentiæ diuini nominis; qui blaſphemiam, & periurium dixiſſet, ſatisfaceret confitendo duas irreuerentias graues aduerſus nomen diuinum; quia ſic numerus, & ſpecies exponeretur ſufficienter. Et licèt ratio blaſphemiæ augeret numerum, ita ſatis confiteretur; quia ad declarandum numerum non eſt neceſſe exprimere circumſtantias, quæ talem numerum augent.

148. Obiicit quartò: [Ad tertium præceptum pertinet dierum diſcretio, videlicet obſeruatio feſtorum, & ieiuniorum. Ieiunij lex poſtulat, vt abſtineas à vetitis cibis, & ſemel comedas in die: & tamen, quia præceptum hoc duas partes habet, exponere debebit pœnitens, qualiter illud violauerit, vtrum videlicet comedendo carnes, an verò bis, aut pluries cibos permiſſos. Obſeruatio feſtorum etiam eſt lex, quæ plura præcipit; debes enim & audire Miſſam, & à ſeruili labore abſtinere; nec ſatisfacies, in confeſſione dicens, *violaui feſtum*; ſed debebis exponere, vtrum illud violaueris non audiendo Miſſam, aut laborando.]

149. Reſpondeo, in diebus ieiunij interuenire duo præcepta diſtincta, aliud abſtinentiæ à carnibus, independens à ieiunio Eccleſiaſtico; & aliud ieiunij Eccleſiaſtici includentis abſtinentiam à carnibus, & vnicam comeſtionem. Nam qui violauit ieiunium comedendo bis, adhuc tenetur lege abſtinendi à carnibus, & non iam tenetur lege ieiunij Eccleſiaſtici. Deinde hæc duo præcepta iniungunt binas abſtinentias ſpecie diuerſas ex diuerſo fine. Nam etſi ambo præcepta feruntur propter compeſcendas concupiſcentias carnis, diuerſo tamen modo compeſcit has abſtinentia à carnibus, quàm vnitas comeſtionis piſcium. Vt enim tradit S.Thomas 2.2. *quæſt.* 147. *art.* 8. comeſtio carnium miniſtrat plus humoris ſeminalis, quàm comeſtio aliorum: & ideò modus compeſcendi concupiſcentias venereas eſt diuerſus, & facit finem vtriuſque præcepti eſſe diuerſum. Quod ſi eiuſdem ſpeciei eſſet comeſtio carnis, & violatio vnitatis comeſtionis; ad explicandam ſpeciem peccati non eſſet opus exprimere comeſtionem carnis, cùm ea non requireretur ad ſpeciem: neque ad explicandum numerum fractionum ieiunij eſſet opus exprimere prædictam comeſtionem carnis, cùm numerus peccatorum, ſuppoſita expreſſione ſpeciei, ſufficienter declaretur per numerationem actionum talis ſpeciei. Vnde in ea hypotheſi ſufficienter confiteretur, qui diceret: [Peccaui ter, vel quater contra præceptum abſtinentiæ.]

Differunt ſpecie abſtinentia à carnibus, & vnica comeſtio.

150. Idem dicendum eſt de duplici parte præcepti obſeruandi feſta, nempe audiendi Miſſam, & vacandi à ſeruilibus. Sunt enim actus ſpecie diſtincti adeſſe ſacrificio, & vacare à ſeruilibus. Ideò ſeorſim confitenda peccata, quæ iis præceptis opponuntur.

Auditio Miſſa differt ſpecie à vacatione ſeruilium.

151. Obiicit quintò. [Pone, Petrum ſemel in vna Miſſa omiſiſſe oblationem, ſemel in alia conſecrationem panis, ſemel in alia conſecrationem vini, tandem in alia communionem. Confitebiturne bene, ſi dicat, *quater in Miſſa celebratione peccaui?* Non certè; ſed exponere debebit, quam Miſſæ partem eſſentialem omiſerit, vt confeſſarius formare iudicium poſſit de commiſſo peccato.]

152. Reſpondeo, mihi eſſe indubium, eſſe partes ſpecie diuerſas, oblationem, conſecrationem, & communionem. Nam offerre ſacrificium, quod conſiſtit eſſentialiter in conſecratione, longiſſimè diſtat à ſuſceptione Sacramenti; & oblatio cæremonialis, ſicut & quælibet alia precatio longiſſimè etiam diſtat ab oblatione eſſentiali ſacrificij, & à ſuſceptione Sacramenti. Neque erit aliquod iudicium prudens, quod non reperiat diuerſitatem maximam inter hæc tria, precari, conſecrare, ſuſcipere Euchariſtiam. Quare qui in vna Miſſa omiſit oblationem, in alia conſecrationem vini, & in alia non communicauit, tria peccata commiſit ſpecie differentia; ideò in confeſſione exprimenda. An autem differant ſpecie conſecratio panis & conſecratio vini, non eſt meum definire. Et ſolùm aſſero, ſi differant ſpecie, exprimenda eſſe in confeſſione ſingillatim. Si autem non differant ſpecie, ſatisfaciet Sacerdos reus, ſi dicat, ſe omiſiſſe bis in duplici Miſſa vnam partem eſſentialem ſacrificij. Sic enim ſpeciem, & numerum ſufficienter explanabit. Sed ſi quis in vna Miſſa omiſit conſecrationem panis, & vini, & in alia conſecrationem vini, non ſatisfaciet, ſi dicat, ſe bis peccaſſe contra eſſentiam ſacrificij; quia ea ſunt duo peccata ſpecie diuerſa: prima enim eſt omiſſio omnimoda ſacrificij, quod debebat exercere; & ſecunda

Oblatio, conſecratio, & communio differunt ſpecie.

Tria omiſſionis peccata ſpecie diuerſa.

Digitized by Google

eſt vera oblatio ſacrificij, licèt ſub vna tantùm ſpecie: at vera oblatio ſacrificij ſub vna ſpecie, & omiſſio ſacrificij, quod quis debebat conficere, non poſſunt eſſe eiuſdem ſpecici.

Articvlvs III.

Aliæ duæ obiectiones circa quartum, & quintum præceptum.

153. OBiicit ſextò: [Ad quartum præceptum pertinet ſanguinis reuerentia, propter quam interdicitur, ne quis ad cognatas, aut affines accedat; & tamen licèt conſanguinitas, & affinitas duæ ſint eiuſdem præcepti materiales partes, explicari in confeſſione debent. Et hoc vltimum affirmat Granado *tract. 9. de Pœnit. diſp. 9. num. 19. pag.* 1263. Trullench *lib. 6. in Decal. cap. 1. dub. 6. num. 5.* Ochagauia *tract. 2. quæſt. 14. num. 10. & 11.* Hurtadus *diſputat. 9. diff. 4.* Fagundez *lib. 6. in Decalog. cap. 6. n. 23. 26. & 27.* Quod probabile putat Leander *part. 1. diſp. 8. quæſt. 35.* nam contrarium iudicat probabilius. Præterea inter gradus ipſos poſſet aliquis negare differentiam ſpecificam, & interim aſſerere, debere in confeſſione explicari. Hinc patet, eum, qui cognouit vnam ſororem vterinam, & alteram ex vtroque parente, non committere duos inceſtus diſtinctos ſpecie; & tamen debere in confeſſione explicare hanc ipſam inceſtus differentiam. Videatur Lugus *diſputat. 16. num. 143. pag. 350.* Hinc etiam patet, eum, qui peccauit cum propria filia, & poſtea cum filia eiuſdem filiæ, non committere peccata diſtincta ſpecie; & tamen debere in confeſſione exponere hanc differentiam; quia in prima fornicatione violauit ius conſanguinitatis; in ſecunda conſanguinitatis, & affinitatis.

154. *Conſanguinitas differt ſpecie ab affinitate.* Reſpondeo, nullum Doctorum, qui affirmauerit conſanguinitatem, & affinitatem eſſe eiuſdem ſpeciei; & negauerit, circumſtantias aggrauantes eſſe confitendas, dixiſſe, eas circumſtantias in confeſſione inceſtus eſſe diſtinctè aperiendas. Nam P. Granado, qui dixit, eas circumſtantias exponendas eſſe, in eo loco citato agnoſcit inter illas diſtinctionem ſpecificam incompletam; & ob eam ſpecificam diſtinctionem concedit, eas eſſe diſtinctè confitendas. Et P. Fagundez *loco citato*, inter conſanguinitatem, & affinitatem ponit diſtinctionem ſpecificam abſque vlla limitatione. Itaque iuxta eos, qui ſolo numero diſtinguunt inceſtum cum conſanguinea ab inceſtu cum affini, eæ circumſtantiæ non ſunt diſtinctè ex neceſſitate confitendæ. Non ad explicandam ſpeciem; cum ſit eadem in vtroque inceſtu. Non ad explicandum numerum inceſtuum: nam ad hunc numerum explicandum ſatis eſt dicere, inceſtus fuiſſe duos. Illi autem, qui dicunt, vtramque circumſtantiam eſſe eiuſdem ſpeciei, & adhuc vtramque diſtinctè eſſe confitendam; id ita aſſerunt, quia cenſent circircunſtantias notabiliter aggrauantes exprimendas eſſe.

155. Ad id, quod additur, poſſe inter gradus conſanguinitatis negari diſtinctionem ſpecificam, & interim affirmari, circumſtantias diuerſorum graduum eſſe ex neceſſitate confitendas; dico, id verum eſſe, ſi ſimul concedatur circumſtantias aggrauantes eſſe confitendas. Cæterùm quod neceſſitas exprimendi diuerſos conſanguinitatis gradus, ſit propter exprimendas differentias numericas, nullam habet probabilitatem, vt conſtat ex dictis.

Ad id, quod ſubiungitur de inceſtu cum ſorore vterina, & cum ſorore germana; reſpondeo, ſi reſpectu huius ſecundæ ſint duo peccata inceſtûs numero diſtincta propter conſanguinitatem ex vtroque latere, neceſſe fore, vel eam circumſtantiam aperire, vel confiteri expreſsè duos numero inceſtus in vna copula, & in altera vnum. Si verò in ſecundo inceſtu ſit vnum numero peccatum, & vterque inceſtus ſit eiuſdem ſpeciei, ſufficiet explicare duos inceſtus, niſi ſequaris opinionem docentium, circumſtantias aggrauantes eſſe neceſſariò exprimendas: iuxta eos, qui primum gradum conſanguinitatis ſpecie diſtinctum affirmant à cæteris, neceſſe erit explicare, inceſtus illos fuiſſe in primo gradu conſanguinitatis. 156.

Ad vltimum, quod additur de inceſtu cum filia, & deinde cum filia eiuſdem filiæ, reſpondeo, non aliter teneri inceſtuoſum ad expreſſionem earum circumſtantiarum, niſi vel ob diſtinctionem ſpecificam conſanguinitatis ab affinitate, aut vnius conſanguinitatis ab alia; vel quia circumſtantiæ aggrauantes ſint ex neceſſitate confitendæ. Nam ob ſolum numerum exprimendum, non eſt neceſſe referre circumſtantias, ſed ſolùm numerare inceſtus. 257.

Meâ quidem ſententiâ inceſtus cum conſanguinea primi gradus lineæ rectæ, ſpecie differt ab inceſtu cum conſanguinea in alio gradu, ſiue eiuſdem, ſiue tranſuerſæ lineæ. Nam licèt Diuus Thomas 2. 2. *quæſt.* 101. ſub eadem virtute pietatis collocet cultum erga parentes, & erga conſanguineos; cùm pietas reſpiciat ex motiuo formali principium actiuum eſſendi, & reliqui conſanguinei non ſint principia actiua eſſendi; ſicut hi ſolùm reductitiè ſpectant ad principium actiuum, ita cultus eis debitus ſolùm reductitiè ſpectat ad pietatem propriè dictam. Quare pietas, vt reſpicit parentes, & conſanguineos, eſt ſpecies ſubalterna continens ſub ſe pietatem propriam, & rigoroſam, videlicet in ordine ad parentes, & pietatem reductitiam, ſcilicet in ordine ad reliquos conſanguineos. Hinc fit, inceſtum cum filia, & inceſtum cum nepte, attento præciſè gradu conſanguinitatis, eſſe diuerſæ ſpeciei; atque adeò diſtinctè exponendos in confeſſione. Quod ſi in copula cum nepte in prædicto caſu, non admittens diſtinctionem ſpecificam inter conſanguinitatem ſecundi gradus, & affinitatem, admiſeris duos numero inceſtus correſpondentes conſanguinitati, & affinitati, iuxta meam ſententiam teneris exponere inceſtum cum conſanguinea in primo gradu lineæ rectæ; & in altera copula duos inceſtus numero diſtinctos. 158. *An inceſtus primi gradus differat ſpecie ab inceſtu aliorum graduum?*

Obiicit ſeptimò. [Quintum Decalogi præceptum homicidia interdicit; & licèt qui vno actu vult occidere vnum hominem, & alio decem, non committat duo peccata diſtincta ſpecie; debet nihilominus hoc in confeſſione explicare, quia ſecundus actus attingit decem malitias, & ita virtualiter ſe habet ac ſi eſſet decuplex actus.] 159.

Reſpondeo,

Digitized by Google

160. Reſpondeo, vel ſecundus actus continet decem malitias numero diſtinctas, vel vnicum, iuxta varias ſententias? Si primum, ſufficiet ſe accuſare de vndecim peccatis homicidij interni, ſiue actuum internorum, qui terminentur ad homicidium, quin exprimatur ea circumſtantia, quod decem homicidia volita fuerint per vnum actum. Si verò dicatur, ſecundum actum eſſe vnius malitiæ in ſpecie & numero, ſufficiet ſe accuſare de duobus actibus internis terminatis ad homicidia, quin explicetur multiplex obiectum ſecundi actus. Vnde fit, quod propter ſolum numerum explicandum nunquam ſit neceſſe exponere eam circumſtantiam, quod vnus actus plura obiecta reſpexerit. Et idem dicendum eſt ad ſimilia exempla, quæ ſuperaddit Caramuel. Authores autem, quos ibi citat de occidente vno impetu plures homines, dicunt, numerum horum exponendum, quia cenſent eſſe in illa actione totidem malitias numero diuerſas. Et idem dicendum in alio caſu de eo, qui voluit vno actu vni fœminæ decies copulari.

ARTICVLVS IV.

Altera obiectio circa ſextum præceptum.

161. OBiicit octauò. [Copula incepta, & non conſummata, & copula conſummata non diſtinguuntur ſpecie, & tamen eſt tam certum, hanc differentiam debere in confeſſione exponere, vt reprehendatur Luiſius Turrianus *de Pœnitent. quæſtione 9. articul. 1. diſputatione 29. dubitat. 2. ad 5.* quòd minùs probabile dixerit, cùm improbabile iudicare debuiſſet, non eſſe neceſſarium circumſtantiam copulæ completæ, vel incompletæ declarare. Sanè ſententiam, quam Turrianus minùs probabilem dixerat, Cardinalis Lugo *diſputatione 16. numero* 238. opponi communi Doctorum ſenſui, affirmat. Et Leander *part. 1. tractat. 5. diſputat.* 8. §. 3. *quæſtione 5.* certiſſimam ait eſſe communem opinionem... Hæc veritas extendi poteſt etiam ad homicidium. Non enim vulnerare grauiter, & occidere diſtinguuntur ſpecie. Et tamen tenebitur pœnitens explicare, an voluerit tantùm vulnerare, aut etiam an voluerit occidere.]

162. Sed in primis mihi certum eſt, non ideò copulam inceptam, & conſummatam diſtinctè exponendas eſſe in confeſſione, vt numerus explicetur. Hic enim ſufficienter exprimitur, ſi dicatur, ſe deliquiſſe bis in tali ſpecie. Deinde certum eſſe aſſero, explicandam eſſe copulam conſummatam. Nam oppoſitam opinionem damnauit Alexander ſeptimus in priori decreto, quæ eſt vigeſimaquinta ex damnatis, nempe: *Qui habuit copulam cum ſoluta, ſatisfacit præcepto confeſſionis dicens: Commiſi cum ſolutâ graue peccatum contra caſtitatem, non explicando copulam.* Vide diſp. 9. cap. 20.

Certò explicanda eſt copula conſummata.

163. Deinde cenſeo, actionem externam, in qua deciditur ſemen; & actionem externam, in qua illud non deciditur, ſpecie diſtingui. Nam deciſio ſeminis eſt actio maximè diſtans à qualibet alia, in qua illud non deciditur. Ideò cùm diximus *diſputat.* 44. commotionem ſpirituum eſſe in ſpecie fornicationis, de ſpecie ſubalterna intelligendum eſt, non de infima. Et ſpecies ſimplicis fornicationis ſumpta in tota latitudine, quam poteſt habere, ſubalterna eſt. Quod video doceri à Cardinali Lugo *de Pœnitem. diſputat. 16. num.* 238. quam refert, & ſequitur Leander *tom. 1. tract. 5. diſputat.* 8. §. 3. *quæſt.* 5. propterea tactus præuij ad copulam fornicariam explicandi ſunt in confeſſione, explicata copulâ. Nam hac declarata, ſub illa intelliguntur expoſitæ omnes diſpoſitiones præuiæ, quæ ſolent carnem ad copulam præparare.

Deciſio ſeminis, & actio, in qua non deciditur, ſpecie differunt.

Sed eſto ſint eiuſdem ſpeciei infimæ, in hac quidem quæſtione idem omninò dicendum de explicatione expreſſa copulæ conſummatæ, ac de explicatione actus externi vltra internum. 164. Conuenit quidem inter omnes Catholicos (etiam eos, qui dicunt, actum externum non addere augmentum malitiæ ſupra internum) non ſatis eſſe confiteri actum internum, à quo proficiſcitur, & imperatur externus; ſed hunc etiam exponi debere in confeſſione. Cuius ratio non eſt, quia addat malitiam numericam, ſpecificam, aut aggrauantem; ſed quia (vt conſtat ex conſuetudine, & traditione Eccleſiæ) ita inſtituit Chriſtus Dominus hoc Sacramentum, vt confiteri teneamur etiam peccata externa; quidquid ſit, an addant, vel non addant malitiam. Ex eadem ergo traditione, & ſenſu Eccleſiæ conſtat, ita inſtitutum eſſe à Chriſto Domino hoc Sacramentum, vt teneamur expreſsè confiteri copulam conſummatam, quando conſummata eſt; non quia addat malitiam numero diſtinctam ab incepta; ſed quia ita voluit Chriſtus Dominus inſtituere.

Copula conſummata explicanda eſt ex inſtitutione Chriſti.

165. Ad id, quod additur in fine obiectionis de vulneratione, & occiſione, reſpondet P. Granado *tom. 2. in 3. part. controu. 7. tract. 9. diſput. 9. num. 21.* his verbis: [Quod autem quis occiderit, aut mutilauerit, non poteſt non declarari, quia eſt eſſentialis diſtinctio, ſaltem incompleta, & longè diuerſus modus reſtitutionis; ſicut inter membrum, v.g. brachium, & vitam totius hominis eſt magna diſtantia, & ſpecifica diſtinctio incompleta.] Iuxta cuius ſententiam explicandæ diſtinctè ſunt vulneratio, & occiſio propter ſpecificam diſtinctionem. Sed eſto vulneratio, & occiſio ſint eiuſdem ſpeciei moralis; illæ quidem diſtinctè explicandæ ſunt, non ad explicandum numerum læſionum; ſed quia actio externa conſummata ex inſtitutione Chriſti expreſsè declaranda eſt, vt conſtat ex proximè dictis.

Occiſio, & vulneratio differunt ſpecie.

Quid ſi non differrent ſpecie.

ARTICVLVS V.

Obiectio alia circa idem præceptum ſextum.

OBiicit nonò. [Petrus heri cœlebs coniugatam cognouit, & hodie iam coniugatus aliam coniugatam, & poſtea vnam ſolutam; & quidem tria peccata commiſit, quæ non diſtinguuntur ſpecie; & tamen illa debebit in confeſſione explicare: nam adulterium duplex violat iura duplicis matrimonij; & in adulterio ſimplici aliter peccat ſolutus coniugatam 166.

Digitized by Google

gatam cognoſcens, & aliter coniugatus ad ſolutam accedens. Idem dicendum eſt de ſacrilegio; Religioſus enim, qui Monialem cognoſcit, duplex ſacrilegium committit: at Religioſus, qui ſolutam; aut ſæcularis, qui Monialem, ſimplex tantùm: & tamen in hoc ipſo ſacrilegio ſimplici datur varietas; aliud enim eſt violare proprium votum cooperante muliere, & aliud cooperari, vt mulier violet ſuum votum. Hinc patet, differentiam matrimonij, aut ſacrilegij ſimplicis, & duplicis debere in confeſſione exponi. Ita Archangelus... Et eſt ſententia hodie in Cathedra, & in Confeſſionali communis.]

167. Leander à SS. Sacramento *tom.* 1. *tract.* 5. *de Pœnit. diſp.* 8. §. 3. *queſt.* 54. ſecutus Archangelum *diſtinct.* 16. *pag.* 187. *col.* 1. ait, ideò explicandas eſſe circumſtantias adulterij duplicis, & ſimplicis; quia coniugatus, qui committit adulterium cum coniugata, irrogat duplicem iniuriam ſpecie diuerſam. Irrogat enim iniuriam propriæ vxori contra fidem matrimonij ipſi debitam; & irrogat iniuriam marito alterius coniugatæ, cui commiſcetur: quæ quidem ſunt duæ deformitates ſufficientes ad conſtituendam diuerſam ſpeciem.

168. *Solutus peccans cum coniugata, peccat in duplici ſpecie.*

Sed hæc doctrina non eſt ad rem, id eſt, non ſatisfacit difficultati, quia ſolutus, qui peccat cum coniugata, in eadem duplici ſpecie peccat; iniuriam enim irrogat marito, & cooperatur peccato coniugatæ peccantis contra fidem matrimonij. Si ergo adulterium ſimplex ſoluti cum coniugata claudit vtramque ſpeciem peccati, non ideò debet exponi in confeſſione adulterium duplex, nempe coniugati cum coniugata, quia hoc continet duplicem ſpeciem; cùm tam in ſimplici, quàm in duplici vtraque ſpecies reperiatur.

169. Propterea Doctores communiter dicunt, ideò diſtinguendum eſſe in confeſſione adulterium duplex, & ſimplex, quia adulterium duplex continet duas malitias numero diſtinctas; vnam, qua coniugatus adulter peccat contra propriam vxorem; alteram, qua peccat contra maritum adulteræ. Ita P. Thomas Sanch. *lib.* 9. *de matrim. diſputat.* 15. *num.* 6. P. Vaſquez *tom.* 3. *in* 3. *part. queſt.* 91. *articul.* 1. *dub.* 4. *num.* 4. P. Leſſius *lib.* 4. *cap.* 3. *dubitat.* 10. *num.* 74. P. Coninck *tom.* 2. *de Sacrament. diſputat.* 7. *dub.* 6. *num.* 4. Pater Caſtro Palao *tom.* 1. *tract.* 2. *diſput.* 3. *punct.* 3. *num.* 9. & alij communiter.

170. Sed adhuc hæc reſponſio non videtur ſufficiens. Nam tenetur homo confiteri ſuum adulterium coniugati cum coniugata propter duas malitias numero diſtinctas ibi repertas; de his ſufficienter ſe accuſabit homo ſi dicat, *Bis peccaui in ſpecie adulterij.* Et idem eſt, ſi dicas eſſe duas malitias, quas adulter committit in propria perſona, contra ſuam vxorem, & contra maritum adulteræ; & alias duas cooperationes cum adultera peccāte contra ſuum maritum, & contra vxorem adulteri; quas quatuor malitias reperiri in peccato adulteri, ſicut & in peccato adulteræ, certum mihi eſt. Nam ſic videtur ſufficere, ſi adulter ſe accuſet, dicens, *Quater peccaui in ſpecie adulterij.*

171. Sed adhuc hæc accuſatio non videtur idonea. Nam adulterium præter iniuriam, quam includit, ſignificat actionem contra caſtitatem. Vnde qui ſe accuſat de duobus, vel de quatuor peccatis in ſpecie adulterij, denotat ſe commiſiſſe totidem actiones contra caſtitatem. Quod cùm falſum ſit in coniugato, qui ſemel cognouit coniugatam, videtur neceſſarium exprimere, ſe coniugatum ſemel peccaſſe cum coniugata.

Sed poteſt adhuc inſtari, ſaltem inferri ex dictis, quod non tenetur adulter, qui commiſit adulterium ſimplex, exprimere in confeſſione, an ipſe ſit coniugatus, an fœmina, cum qua concubuit, coniugata ſit; cùm ſatisfacere videatur dicens, *Peccaui ſemel contra caſtitatem cum ſpecie adultery*; ſiue, *commiſi adulterium.* Id tamen concedere aliquis fortaſſe non reputabit abſurdum, eo quod eodem peccato, & eaſdem malitias continente, peccat coniugatus, qui cognoſcit ſolutam; & ſolutus, qui cognoſcit coniugatam. Vterque enim peccat contra caſtitatem, & contra coniugium: neque grauiùs peccat adultera coniugata, quàm conſors eius delicti adulter ſolutus; quia etiam iſte peccat contra caſtitatem, & operatur eandem iniuriam mariti, quam infert coniugata adultera. 172.

Ex his fit, iuxta ſententiam, quæ admittit plures malitias & iniurias numero diuerſas in adulterio duplicato, non poſſe ſufficienter eas explicari, niſi declaratâ circumſtantiâ matrimonij, ex parte vtriuſque adulteri, vt conſtat *ex num.* 171. 173.

Quia tamen eſt valde probabilis ſententia, quæ negat, eſſe poſſe in vna actione plures malitias numero diuerſas, quam tuentur P. Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. diſput.* 22. *ſect.* 5. *num.* 33. P. Layman *lib.* 1. *tract.* 3. *cap.* 3. *num.* 2. P. Filliucius *tom.* 2. *tract.* 21. *cap.* 8. & alij, quos refert Diana *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 164. & quia probabile eſt, non eſſe ex neceſſitate confitendam circumſtantiam aggrauantem, ad quam recurrere ſolent Authores eius opinionis, aſſerentes, eos plures reſpectus malitiæ ad plura obiecta conſtituere vnum numero peccatum grauius; alia via oportet incedere, ſub qua in omni ſententia de vnitate, vel pluralitate numerica malitiæ conſtet, eſſe neceſſarium confiteri circumſtantiam coniugij ex parte vtriuſque in adulterio duplicato. 174.

Et quidem ex dictis *num.* 164. conſtat ex inſtitutione Chriſti confitendum eſſe non ſolùm peccatum internum, non ſolùm externum inceptum, ſed externum etiam conſummatum. Iam verò actus conſummatus eſt non ſolùm operatione peccantis, ſed etiam cooperatione. Quare ex inſtitutione Chriſti non ſolùm operatio per ſeipſam conſummata, ſed etiam cooperatio exponenda eſt. Et ideò qui alienis tactibus polluitur, non ſolùm debet confiteri pollutionem ſuam, ſed operationem ad peccatum alterius. 175.

Non ſolùm operatio, ſed etiam cooperatio debet exponi.

Deinde vera eſt ſententia Leandri, & Archangeli relata ſuprà *num.* 167. differre ſpecie eas duas malitias, quarum vna tendit contra fidem matrimonij proprij, & altera tendit in iniuriam coniugis alieni. 176.

Iam verò coniugatus, qui adulteratur cum coniugata, præter malitiam luxuriæ, exercet duas operationes ſpecie diuerſas, & duas cooperationes ſpecie diuerſas; quamvis vna operatio cum alia cooperatione eiuſdem ſit ſpeciei. 177.

In adulterio duplicato ſunt duæ operationes, &

Digitized by Google

duæ cooperationes ſpecie diuerſæ.

cici. Nam ille adulter operatur in iniuriam propriæ vxoris, atque adeò contra fidem matrimonij proprij; & item operatur in iniuriam coniugis alieni. Deinde cooperatur adulteræ peccanti contra fidem proprij matrimonij; & inferenti iniuriam alieno coniugi. Cùm ergo ad confitendum perfectè peccatum, non ſufficiat confiteri operationem, ſed neceſſe ſit confiteri cooperationem, etiamſi hæc ſit eiuſdem ſpeciei cum operatione; item adulter ambas operationes, & ambas cooperationes confiteri debet; atque adeò circumſtantias vtriuſque coniugis, ſiue plures numero malitiæ cadant in eandem actionem, ſiue non cadant.

178. Idem dicendum eſt (quoad explicationem vtriuſque voti) de copula, quæ ſacrilega eſt ex parte vtriuſque luxuriantis. Nam Sacerdos luxurians cum Religioſa, operatur actionem veneream contra proprium votum; & cooperatur actioni venereæ alterius contra votum illius. Cùm ergo debeat confiteri operationem ſuam, & cooperationem ad peccatum alterius, non ſatisfacit, ſi dicat, ſe commiſiſſe peccatum copulæ ſacrilegæ; ſed neceſſe eſt, quod ſuperaddat, ſe cooperatum eſſe ſacrilegio alterius; ſiue, quod idem eſt, ſe exercuiſſe copulam, quæ ſacrilega fuit ex parte vtriuſque.

In ſacrilegio duplicato, vtriuſque votum explicandum eſt.

179. Quæ doctrina non poteſt accommodari peccatis contra naturam, ſi ſint eiuſdem ſpeciei infimæ. Nam qui exercet beſtialitatem, non cooperatur peccato alterius; cùm bellua incapax ſit peccati. Neque ſodomia ſufficienter exprimitur per hoc, quod dicat ſodomita, ſe pollutum eſſe, & cooperatum pollutioni alterius; cum ſic non explicetur vas præpoſterum.

180. Nec ſatisfacis, ſi dicas, ideo explicandum eſſe vas præpoſterum, quia ex inſtitutione Chriſti explicanda eſt actio peccati conſummata; conſummari autem in vaſe præpoſtero prædictam copulam ſodomiticam.

181. Nam iuxta eam opinionem, quæ non diſtinguit ſpecie peccata contra-naturalia, non magis conſummatur ea actio contra-naturalis per vas præpoſterum, quàm per os, manus, mammillas, &c. vt expreſsè argumentantur. Sicut ergo non debent exponi hæ partes corporis, in quibus fit pollutio, ita neque vas præpoſterum.

182. Vt omittam, quod Caramuel non contendit, explicandas eſſe circumſtantas ſodomiæ, & beſtialitatis ex ratione actionis conſummatæ; ſed vt diſtinguantur differentiæ numericæ. Quas poſſe explicari abſque diſcretione ſodomiæ, & beſtialitatis, conſtat ex ſupradictis.

ARTICVLVS VI.

Aliæ obiectiones circa reliqua præcepta.

183. Circa ſeptimum præceptum ſolùm mutat materiam Caramuel; & in materia furti repetit eandem obiectionem, quam ſuprà propoſuit circa quintum, ſcilicet de eo, qui habet actum internum furandi decies, vel furandi pecuniam decem mercatorum: qui quidem in confeſſione debet explicare decem furta, ad quæ terminabatur actus voluntatis; vel decem iniurias illatas decem mercatoribus vna actione furti, quia licèt voluntas furandi ſemel, & voluntas furandi decies ſint eiuſdem ſpeciei infimæ; continet tamen decem malitias numero diſtinctas. Ob eandem ergo rationem, quamvis ſodomia, & beſtialitas ſint eiuſdem ſpeciei infimæ, debebunt explicari ob malitias numero diuerſas.

Ad quam obiectionem conſtat ex dictis. 184. Vbi enim eſt diuerſitas numerica, ea exponenda eſt. Sed ad illam explicandam non requiritur exponere aliam circumſtantiam, quàm merum numerum. Vnde ſufficiet, quod ille primus ſic ſe accuſaret: [Habui actum internum voluntatis furandi cum decem malitiis numero diuerſis.] Vnde ſi peccata contra naturam ſolo differrent numero, & non ſpecie; ille qui propriis manibus ſemel ſe polluit, & ſemel ſodomiticè cum altero egit, ſatisfaceret, ſi diceret: [Commiſi duo peccata contra-naturam, in quorum vno cooperatus ſum peccato contra-naturali alterius.]

Eandem obiectionis formam repetit circa 185. octauum præceptum in eo, qui ſemel per vnicum mendacium nocuit decem perſonis. Quæ per proximam reſponſionem præcedentem euaneſcit.

Et circa nonum, ac decimum præceptum 186. Decalogi, ait nihil ſpeciale occurrere, quod non fuerit in ſuperioribus obiectum.

CAPVT XI.

An ſententia Caramuelis ſubeat damnationem Alexandri VII.

Tenor damnationis factæ ab Alexand. VII. 187. conſtat ex initio diſputationis, *num.* 1. Dico ergo primò, prædictam ſententiam Caramuelis non ſubire damnationem Alexandri. Etenim propoſitio damnata ab Alexandro continet copulatiuè duas partes, & vnitatem ſpecificam infimam eorum peccatorum, & negationem obligationis diſtinctè confitendi illa: & cùm illa damnatio reſpiciat praxim confeſſionis, præcipuè damnat ſecundam partem; primam verò partem damnat quatenus illatiuam ſecundæ, vt denotat illa particula *ideò*. Damnat ergo abſolutè Alexander propoſitionem, quæ dicat, non eſſe diſtinctè confitenda peccata contra-naturalia; & damnat conditionatè propoſitionem, quæ dicat illa omnia eſſe vnius ſpeciei infimæ; nimirum ſub ea conditione, ſi inde inferatur, ea non eſſe diſtinctè confitenda.

Opinio Caram. non eſt damnata ab Alexandro.

Iam verò prædicta ſententia Caramuelis non 188. damnatur, quà immediatè praxim reſpicit, neque quà affirmat vnitatem ſpeciei infimæ. Non quà immediatè praxim reſpicit, cùm non admittat tanquam verum, imò tenaciter neget, poſſe omitti in confeſſione circumſtantias ſodomiæ, & beſtialitatis, &c. Neque damnatur, quà affirmat vnitatem ſpeciei infimæ. Hæc enim affirmatio ſolùm damnatur ſub conditione, quod inferat negationem obligationis confitendi diſtinctè eas circumſtantias. Cùm ergo Caramuel neget prædictam illationem, imò verò formaliter aſſerat, eas circumſtantias

ſodomiæ,

ſodomiæ, beſtialitatis, &c. diſtinctè confitendas eſſe, non eſt, cur ſubeat prædictam damnationem.

189. *An oppoſitā admittat Caram. vt probabilem?* Poſſet tamen aliquis exiſtimare, reuerà eam ſententiam Caramuelis damnari, quia videtur admittere tanquam probabile, quod non debeant expreſſe & diſtinctè explicari huiuſmodi circumſtantiæ. Propoſitio autem, quæ id admittit tanquam probabile, certum eſt, quod ſubit eam damnationem Alexandri VII. Cùm probabilitas arguat licitam praxim, & Alexander præcipue damnet praxim.

190. Quod autem id tanquam probabile admittat Caramuel, videtur clarè colligi ex loco citato Theol. Fundam. *num.* 1681. Vbi, cùm P. Ouiedo dixiſſet, eam opinionem de vnitate ſpeciei infimæ eorum peccatorum, eſſe intolerabilem in praxi; reſpondet Caramuel ſic: [Si eſt probabilis, cur erit ipſa intolerabilis? An quia poſſet aliquis probabilitate abuti? Ergo & Sacra Biblia intolerabilia etiam ſunt; illis enim plurimi hæretici abutuntur. Præterea hæc opinio nihil immutat in praxi ciuili: ergo politicè eſt tolerabilis. Nihil in praxi ſacramentali; quia ſtando illi ſententiæ, quæ docet circumſtantias, maximè aggrauantes, debere in confeſſione exponi (quæ probabilis, & aliquorum eſt) eodem modo debebit confiteri, qui D. Thomam (*quàm falſa eſt D. Thomæ allegatio!* vide *cap.* 2.) ac ille, qui Ouiedum ſequatur. Si ſequamur contrarium, ſemper debebit explicari circumſtantia complicis, & ſic non multùm practicè mutatur. Si cæteræ omittantur, quid inde, ſi pœnitens probabili opinione fundatur? Vel aliàs omnes opiniones benignæ probabiles, dicendæ erunt intolerabiles in praxi, quia illis poſitis modus confitendi mutatur.]

191. Vbi notabis primò eam opinionem, quæ benigna eſt in praxi, vocari à Caramuele probabilem. Et quid eſt eſſe benignam in praxi, niſi quod ex prædicta benignitate ceſſet onus exprimendi in confeſſione eas circumſtantias contra-naturales?

192. Notabis ſecundò, vt ponat obligationem confitendi expreſſè eas circumſtantias, recurrere Caramuelem ad ſententiam merè probabilem de circumſtantiis aggrauantibus confitendis, cuius oppoſita etiam eſt probabilis, imò & probabilior. Iuxta quem dicendi modum probabile erit, circumſtantias contranaturales, vtpote merè aggrauantes, non eſſe neceſſariò exprimendas.

193. Notabis tertiò id, quod addit circa ſententiam de circumſtantiis aggrauantibus non confitendis, nempe licèt circumſtantia complicis exprimenda ſit, cæteras circumſtantias omitti poſſe, nempe beſtialitatis, vaſis præpoſteri, &c. quod proponit tanquam probabile.

194. Notabis quartò ea verba, quæ adiungit: *Si cæteræ omittantur, quid inde, ſi pœnitens probabili opinione fundatur?* Vbi videtur admittere tanquam probabile, quod cæteræ circumſtantiæ (exceptâ circumſtantiâ complicis) poſſint in confeſſione omitti.

195. Et poteſt vrgenter confirmari ex aliis principiis Caramuelis. Ipſe enim affirmat, omnes ſuas aſſertiones eſſe modales de modo *Probabile*, vt conſtat *ex diſput.* 2. Cùm ergo dicit, circumſtantias contra-naturales eſſe exprimendas, illud affirmat per hanc propoſitionem modalem: *Probabile eſt, circumſtantias contra-naturales eſſe in confeſſione exprimendas.* Deinde, vt retuli *diſp.* 4. ſtatuit, eo ipſo quod vna pars ſit probabilis, contradictoriam eius eſſe probabilem. Vnde dum admittit hanc propoſitionem: *Probabile eſt, circumſtantias contranaturales eſſe in confeſſione exprimendas*, eo ipſo admittit hanc: *Probabile eſt, circumſtantias contra-naturales non eſſe in confeſſione exprimendas.* Hanc autem ſubire damnationem Alexandri, conſtat ex dictis.

Et quidem ſi Caramuel admittat, eſſe probabile, quod non debeant eæ circumſtantiæ contra-naturales exprimi in confeſſione, mihi certum eſt, quod eius ſententia incurrit damnationem Alexandri VII. Nam, vt conſtat ex dictis, ab eo Pontifice præcipuè damnatur praxis; quæ quidem praxis in ipſa probabilitate continetur. 196.

Adhuc tamen abſolutè cenſeo, non reprobari ſententiam Caramuelis ea damnatione Alexandri; quia non video ſufficiens fundamentum ad aſſerendum, Caramuelem docere vt probabile, poſſe omitti in confeſſione eas circumſtantias contra-naturales. Primò enim eas exprimendas eſſe, mordicùs tuetur, & tenaciter propugnat. Secundò multis rationibus ſuadet, quas retuli *cap.* 10. Tertiò *num.* 1701. ait: *Hæc veritas poteſt firmiſſimis rationibus demonſtrari.* Quæ verba etſi ad theſim vniuerſaliorem referat, videtur tamen ea ad propoſitam hypotheſim confirmandam adhibere. 197.

Verba autem, quæ retuli *num.* 190. ex Caramuele, potiùs videntur dicta gratiâ arguendi contra P. Ouiedo, quàm ex propria ſententia. Præcipuè cùm illis verbis relatis adiungat immediatè hæc: [Præterea hæc non eſt bona conſequentia: *Hæc duo peccata non diſtinguuntur ſpecie: ergo non debent in confeſſione diſtingui:* nam adulterium ſimplex, & duplex non diſtinguuntur ſpecie, & tamen in confeſſione diſtinguuntur. Et peccandi contra naturam modi debent in confeſſione exponi, & diſtingui; diſtinguantur, vel non diſtinguantur ſpecie.] Deinde, quia verba authoris dubia explicanda ſunt iuxta eiuſdem mentem clariùs alibi expreſſam. Et cùm tam clarè expreſſerit loco citato ſuam mentem, quod eiuſmodi circumſtantiæ ſint exprimendæ, iuxta hanc illa debent exponi. 198.

Ad confirmationem, quæ ſuadere videtur, Caramuelem ſtare pro eius aſſertionis probabilitate de omittendis illis circumſtantiis, reſpondetur, licèt id generaliter affirmet de ſuis aſſertionibus; ſæpè tamen non ſunt niſi modales de modo *Certum*, vt oſtendi *ea diſput.* 2. Quod confirmari poteſt illis verbis ſuprà relatis *num.* 197. *Hæc veritas poteſt firmiſſimis rationibus demonſtrari.* Nam qui promittit demonſtrationem, non docet rem vt merè probabilem. 199.

Dico ſecundò. Præfata ſententia Caramuelis de vnitate ſpecifica peccatorum contra-naturalium, antiquata eſt vi eius decreti Alexandri VII. Quod ſic oſtendo. Tunc antiquatur opinio, cùm prodit ſanctio aliqua decretalis, aut denuò manifeſtatur principium aliquod certum, ex quo, euidentiâ ſaltem morali, infertur, oppoſitam concluſionem eſſe veram: ſic 200. *Opinio Caram. antiquatur decreto Alexandri.*

Digitized by Google

ſic ſe habet ea Caramuelis opinio, poſt quam editum eſt decretum Alexandri VII. ergo vi eius decreti manet antiquata. Maior & conſequentia patent.

201. Probatur minor. Ex eo decreto Alexand. VII. conſtat euidenter ſpeciales circumſtantias ſodomiæ, beſtialitatis, &c. eſſe confitendas; cùm declaratio Pontificis loquentis ex cathedra, qualis eſt hæc, faciat omnimodá certitudinem, de quo vide *diſp.9.c.20.* Ex hoc autem euidẽter infertur, ſaltem euidentia morali, peccata contra-naturalia eſſe diuerſæ ſpeciei infimæ: ergo ex eo decreto infertur euidenter, ſaltem euidentiâ morali, peccata contra-naturalia eſſe diuerſæ ſpeciei infimæ; quæ eſt concluſio contradictoriè oppoſita ei opinioni Caramuelis. De maiori dubitari non poteſt; cùm in eo decreto expreſsè damnetur praxis non confitendi eas ſpeciales circumſtantias. Et conſequentia omninò obligat. Minor verò conſtat ex *cap.9.* Vbi demonſtratum eſt, propter ſolas differentias numericas exprimendas, non eſſe neceſſarium explicare circumſtantias ſpeciales ſodomiæ, & beſtialitatis. Propter differentias autem aggrauantes non poteſt eſſe certum eas circumſtantias eſſe exprimendas; cùm ſit probabiliſſimum, differentias aggrauantes non eſſe neceſſariò confitendas: nulla autem concluſio poteſt eſſe certa propter principium merè probabile, vt euidens eſt, & luce meridiana clarius.

202. Confirmatur. Euidens eſt, non peccare eum, qui omittit eas circumſtantias, quæ nec ad explicandum ſpeciem, nec ad explicandum numerum requiruntur; cùm euidens ſit, non peccare eum, qui vtitur opinione probabili, qualis eſt, quæ omittit circumſtantias aggrauantes intra eandem ſpeciem infimam; ſed eæ circumſtantiæ ſodomiæ, & beſtialitatis, &c. non requiruntur ad explicandum ſpeciem, ſi ſunt vnius ſpeciei infimæ, vt euidens eſt; nec requiruntur ad explicandum numerum, vt conſtat *ex cap.9.* tum quia numerus ſufficienter explicatur per nomina numeralia; tum quia circumſtantia ſodomiæ eſt quædam ratio communis omnibus indiuiduis actionis ſodomiticæ: ratio autem communis pluribus indiuiduis non ſpectat ad explicationem numeri, explicata ſpecie. Ergo euidens eſt, non peccare eum, qui omittit ſpeciales circumſtantias ſodomiæ, & beſtialitatis, ſi hæ intra vnam ſpeciem infimam continentur. Quæ omnia ex dictis euidentia ſunt.

203. Tum ſic. Benè valet ab oppoſito contradictorio conſequentis ad oppoſitum contradictorium antecedentis: ſed ex dictis, hæc eſt euidens conſequentia, [Illæ circumſtantiæ contra-naturales non differunt ſpecie infima: ergo non ſunt diſtinctè confitendæ;] & huius conſequentis propoſitio contradictoria, ex decreto Alexandri VII. eſt euidenter vera: ergo propoſitio contradictoria antecedentis eſt euidenter vera, nempe quæ ponit diſtinctionem ſpeciei infimæ earum circumſtantiarum.

***

DISPVTATIO LIV.

An actus ſit illicitus, qui ponit pro conditione excluſionem malitiæ? Vbi de deſiderio, quod actio non ſit illicita.

CAPVT PRIMVM.

Quæ ſit ſententia Caramuelis, quæ aliorum?

AD aliam materiam magis propriè ſpectat hæc diſputatio; tamen non ſaltat extra chorum, dum illam intra obiectum materiale, ſiue materiam remotam confeſſionis ſacramentalis concludimus. Igitur Caram. in Theologia Prætetintention. *præcept. 6.diſp.præm.quæſt.7.num.2943.* ſic quæſtionem proponit: [Salluſtius ſolebat ſæpius dicere, ſe nihil aliud, quàm luxuriari, facturum, ſi liceret. Et quia hæc verba inceperunt ab æmulis traduci, & torqueri, qualia ipſa mihi videantur, ſtudioſè, & ſolicitè inquirit.] Refert deinde ſententiam P. Thomæ Sanchez, P. Laymanni, P. Azorij (quæ etiam plurimorum eſt) aſſerentium, quando conſenſus conditionatus verſatur circa obiecta ſolo iure poſitiuo interdicta, eum non eſſe mortalem; ſecus, quando circa obiecta, quæ lex naturalis interdicit. Aſſeritque primum eſſe verum, & ſecundum falſum. 1.

Explicat autem ſuam ſententiam *n. 2946. & duobus ſequentibus,* ſic: [Subiungo, me certiſſimè putare, conditionem negantem, malitiam negatam excludere, adeoque actum ex aliis, quæ non negantur, debere iudicari.] Pro qua concluſione refert P. Valentiam, P. Vaſquium, & Sayrum. 2.

Et ſubdit: [Hunc autem, *Occiderem, niſi homicidia Deus interdixiſſet*; in dubium reducerem ob varias ſcholarum ſententias. *Ideò homicidium eſt peccatũ,* ait Scotus, *quia diuinitus interdictum.* Ergo, ſtando fundamentis Scoti, ille actus non eſt peccaminoſus; qui enim interdictionem diuinam tollit, illum exuit Theologica peccaminoſitate. D. Thomas legem naturalem à diuina voluntate diſtinguit; & homicidij malitiam v.g. à diſſonantia actus, & legis naturalis deducit. Ergo ſtando huic doctrinæ, homicidium, ſi per impoſſibile non eſſet interdictum à Deo, adhuc iuri naturali eſſet diſſonum, ac propterea mortale peccatum. Ergo eum, qui diceret, *Occiderem, niſi homicidia Deus interdixiſſet*; mortalis peccati reum aget Thomiſta; & eundem Scotiſta velut innocentem abſoluet. Hunc actum, *Occiderem niſi homicidia nec iuri naturali, nec diuino diſſonarent*; neuter, Thomiſta, aut Scotiſta condemnabit: at eundem damnabunt, qui dicunt, homicidium eſſe eſſentialiter malum; ac propterea non eſſe malum, quia prohibitum; ſed eſſe prohibitum, quia malum. 3.

malum. Et ratio condemnationis eſt; quia ab omni lege naturali, & diuina præſcindendo, adhuc homicidium ſua retinet prædicata eſſentialia, ac propterea malitiam intrinſecam, & quidditatiuam.

4. Deinde addit, hunc actum, *Rem haberem cum Cloride, ni eſſet coniugata; cum Æmilia, ni eſſet monialis*, eſſe conſenſum in ſimplicem fornicationem; non autem eſſe in ſpecie adulterij, aut ſacrilegij. Quod quidem verum eſt, ſicut & alia ſimilia, quæ adiungit.

5. Denique *num.* 1948. ſic concludit: [Et tandem hunc, *Occiderem, fornicarer, furarer, mentirer, ſi peccatum non eſſet*, ne leuiter quidem eſſe malum; quia conditio illa negans, omnem malitiam abſtrahit; abſtrahit enim peccaminoſitatem; & præter hanc nihil in iis actionibus peccaminoſum eſt, vt ſuperiùs clarè & ſolidè oſtendi. Hæc quidem omnia meo iudicio tam clara, vt ſalua Authorum reuerentia auderem dicere, contrariam opinionem non habere rationem, quæ grauis cenſeri mereatur.] Id eſt, non eſſe ab intrinſeco probabilem. Quod etiam ex parte docuit *in Theolog. Regul. diſp.* 65. *num.* 1026.

Conditio negans aufert malitiam negatam.

6. Et quidem prima periodus Caramuelis relata *num.* 2. intra ſuos vniuerſales terminos vera, & certa mihi eſt, ſcilicet quod in actu conditionato conditio negans excludit malitiam negatam ex parte obiecti. Diſſentio tamen à Caramuele, dum ab ea propoſitione vniuerſali deſcendit ad ſpecialia exempla. Aſſerit enim, in hoc actu ne leue quidem eſſe peccatum, *Occiderem, ſi non eſſet peccatum*; item in hoc, *Nihil aliud facere, quam luxuriari, ſi liceret*. Nota ea verba numero proximè præcedenti relata: *Conditio illa negans, omnem malitiam abſtrahit; abſtrahit enim peccaminoſitatem, & præter hanc nihil in iis actionibus peccaminoſum eſt.* Apud me enim certum eſt, aliquid peccaminoſum latère in iis actibus, præter malitiam excluſam ex parte obiecti, vt in ſequentibus declaro.

Præter malitiam negatam eſt & alia malitia.

7. Deſcendens autem Caramuel ad ſecundam quæſtionem, quam Authores communiter præcedenti fœderant, nempe, An iſte actus, *Vtinam fornicatio eſſet licita!* & ſimiles ſint illicitis? *n.* 1950. ſic diſſerit: [Subſcribo Vaſquesio *in* 1. 2. *diſp.* 116. *cap.* 2. *fin.* Qui in hoc mihi diſplicet, quod petat bonum finem. Nam etiam ex bono, indifferenti, aut malo poteſt intrinſecam malitiam exuere. Actus iſte, I. *O ſi fornicatio non eſſet peccatum, vt faciliùs poſſem ſeruire Deo!* bonus eſt, etiam in Vaſqueſij ſententia. Cur non etiam, iſti II. *O ſi fornicatio non eſſet mala, vt valetudinem meliorem haberem!* III. *O ſi mollities non eſſet peccaminoſa, ne fœminâ, & mundo muliebri indigerem!* IV. *O ſi homicidium eſſet indifferens, ne inimicum haberem!* non erunt etiam boni, aut indifferentes? Et quidem hunc, *O ſi furtum non eſſet peccatum, vt concubinam furando habere poſſem!* exiſtimo eſſe malum in genere fornicationis, non verò in genere furti. Ratio eſt, quia omnia iſta deſideria æquiualent conditionalibus, in quibus negatur malitia. Primum æquipollet huic, *Si fornicatio non eſſet peccatum, fornicarer, & ſic melius, faciliuſque ſeruirem Deo*,] &c.

8. In quibus verbis tria ponit Caramuel. Primum, ea deſideria æquiualere actibus conditionatis, in quibus pro conditione excluditur malitia. Secundum, ea deſideria non eſſe illicita, ſed bona, vel indifferentia. Tertium, non acquieſcere P. Vaſquio aſſerenti, requiri finē bonū, vt eiuſmodi deſideria à peccato excuſentur. 9.

An ea deſideria æquiualeant actibus conditionatis?

Et quod attinet ad primum, id non eſt vniuerſaliter verum. Nam ille, qui dolēs de æterna plurimorum perditione, diceret: *O vtinam fornicatio non eſſet peccatum, ne tot homines in gehennam præcipites agerentur!* non eliceret actum æquiualētem huic, *Si fornicatio non eſſet peccatū, fornicarer.* Nam in primo illo actu non deſiderat is homo fornicari, etiam ſub conditione, quod non eſſet mala moraliter fornicatio; cùm id non deſideret pro bono ſuo, ſed pro aliorum. Venit ergo Caram. benignè interpretādus, vt non loquatur vniuerſaliter de omnibus actibus deſiderij eiuſmodi, ſed ſolùm de illis, quibus homo pro ſeipſo deſiderat, fornicationem non eſſe malam. Et hoc pacto admitti poteſt, ea deſideria æquiualere actibus conditionatis.

Quod attinet ad tertium de ſententia P. Vaſquij poſtulantis bonum finem, vt ea deſideria ſint licita, aio, ſententiam P. Vaſquij toto cœlo diſtare ab ea, quam refert Caramuel. Audiamus verba eius *ea diſp.* 116. *c.* 2. *fin.* Nam vbi retulit ſententiam Adriani dicentis, eſſe peccatum optare, quod ſit licitum id, quod eſt contra legem naturalem, vt occidere, fornicari, &c. ſubdit: [Nihilominus prædicta doctrina ita limitanda videtur, vt attendatur, ex quo fine quis moueatur ad talem affectum. Si enim quis optaret ex eo, quod videret ob ſuam fragilitatē ſæpius incidere in peccatum, non eſſet mortale: & ſic de aliis, quæ mouent, iudicādum eſt.] Hæc dumtaxat ſunt verba, quæ circa rem præſentem profert P. Vaſq. In quibus verbis non videtur poſtulare determinatè finem bonum tanquam requiſitum, vt ea deſideria ſunt licita; ſed aliquem finem, ob quem deſiderium non ſit illicitum. 10.

Vaſquez non poſtulat ſiē bonum.

Sed neque exempla, quæ proponit Caram. vt probet, non requiri finem bonum, aliquid probant. Nam iſte actus, *Vtinam fornicatio non eſſet peccatum, vt valetudinem meliorem haberem*; tacitè includit aliquid aliud, quod verba non exprimunt, quod quidem finem reddit bonum, & non ſolùm indifferentem. Æquiualet enim iſti actui, *Vtinam fornicatio non eſſet peccatum, vt valetudinem meliorem haberem, non peccando.* Qui autem intendit habere valetudinem bonam non peccando, bonum, & honeſtum finem intendit. Similiter iſte actus, *Vtinam mollities non eſſet peccaminoſa, ne fœminâ, & mundo muliebri indigerem*; æquiualet huic; *Vtinam mollities non eſſet peccaminoſa, vt non peccando, immunis eſſem ab indigentia fœminæ, & mundi muliebris.* Eſt autem finis honeſtus immunitas ab indigentia fœminæ non peccando. An autem requiratur finis bonus, vt is actus deſiderij liceat, mox diſputabo. 11.

Exempla allata includūt finem bonum.

Argumentum autem, quod pro ſua ſententia obiicit P. Thomas Sanchez cum aliis, parui pendit Caramuel. Nam *numer.* 1951. ſic ait. [Video Azorium, Sanchez, Molfeſiumque, apud Dianam *part.* 3. *tractat.* 6. *reſol.* 47. contra me armatos. Expectemus. Bonum totius naturæ, inquiunt, non poteſt licitè poſtponi bono, & voluptati particulari: atqui deſiderans, fornicationem non eſſe peccatum, totius naturæ bonum ſuo poſtponeret: ergo peccaret. 12.

Argumentū P. Thomæ Sanch. diminutè propoſitum à Caram.

Digitized by Google

peccaret. Probatur minor. Quia fornicationem eſſe peccatum, ad totius bonum naturæ conducit; hoc immutari, eſſet grauiſſimum naturæ malum. *Parturiunt montes, oritur ſed paruiculus mus.* Ratio hæc à tribus viris torquetur, illàque cuiuſcumque nomen omninò maius eſt. Quis vnquam probabit, non poſſe fornicationem ſine grauiſſimo naturæ malo diſpenſari? Et quis, Deum naturæ damnum, etiam grauiſſimum, inferre non poſſe? Nemo quidem: nam contrariæ ſententiæ Authores libenter, & frequenter has theſes ſupponunt, nunquam probant. Et eſto, neutrum poſſit, cur ille idem, qui hoc ſuo iudicio impoſſibile (nimirum quod fornicatio peccatum non ſit) deſiderat, non poterit etiam deſiderare hoc alterum impoſſibile, quod ipſa ſit vtilis, aut neceſſaria bono totius naturæ? Sanè rationem non aſpicio.] Hucvſque arguunt aduerſarij, & reſpondet Caramuel.

13. *Triplex Caramuelis reſponſio.* Vbi vides, eum tria reſpondere ad eam obiectionem. Primùm gratis, & abſque probatione dici, fornicationem eſſe in damnum totius naturæ. Secundum, licèt ſit in damnum totius naturę, poſſe Deum diſpenſare in præcepto non mœchandi; & ideò poſſe quem deſiderare, quod mœchatio non eſſet peccatum, nempe ex diſpenſatione diuina. Tertium, licet eſſet fornicatio in damnum totius naturæ, & Deus diſpenſare non poſſet, adhuc poſſet quis deſiderare, quod fornicatio non eſſet in damnum naturæ, quin potiùs quod eſſet vtilis, & neceſſaria naturæ: quo pacto non præponeret bonum proprium bono totius naturæ.

14. *Non ſatisfacit Caram.* Sed mihi videtur Caramuel ſic reſpondens non ſatisfacere. Supponit enim, ſe loqui iuxta ſententiam communem, quæ conſtituit malitiam moralem in eo, quod actio diſſonat rationi, vt ex citato loco Caramuelis, *num.* 1650. Prima ergo reſponſio non ſatisfacit; quia quamvis probetur, fornicationem eſſe in damnum totius naturæ, quatenus eſt in damnum prolis; at iuxta eam ſententiam conceditur, quod fornicatio diſſonat rationi: deſiderare autem, quod non diſſonet rationi, videtur eſſe, deſiderare id, quod naturæ rationali malum eſt, & incongruum.

15. Secunda reſponſio non ſatisfacit. Nam obiectio non procedit in eo ſtatu, in quo Deus diſpenſaret in præcepto non mœchandi. Nam ſi procedat in eo ſtatu, fatetur P.Th.Sanch. *lib. 1. ſum. c. 2. n. 24.* actum cõditionalem, aut actum eiuſmodi deſiderij eſſe licitum. Ecce eius verba: [Hanc ſententiam limitandam eſſe, niſi res illa iure naturæ vetita, eſſet licita in aliquo ſtatu, aut caſu, & conditio apponeretur, ſi ille caſus adeſſet, aut ille ſtatus: talis enim conditio excuſaret à culpa.] Itaque iuxta eam ſententiam fornicatio diſſonat rationi, dum Deus non diſpenſat. Quod ſi voluntas deſideraret, fornicationem eſſe licitam ex diſpenſatione diuina, deſideraret eſſe licitam in circumſtantiis, in quibus poteſt exerceri abſque peccato. Deſiderare autem, quod non diſſonet rationi in circumſtantiis, in quibus ea diſſonat de facto, omnino excludit circumſtantiam diſpenſationis diuinę.

16. Sed neque tertia reſponſio videtur ſatisfacere. Nam deſiderare, quod ſint vtilia, & neceſſaria naturæ ea quæ rationi diſſonant, iuxta P. Th.Sanch. eſt deſiderare quid chimæricum, &

vtramque partem contradictionis, vt ex argumentis ex eodem Authore ſubiiciendis conſtabit. Quare ſi argumenta hæc in ipſo Authore legiſſet Caramuel, non velut ridiculum murem neglexiſſet. Ea enim talia ſunt, vt toto acumine ingenij Caramueliſtici indigeant, vt iam propono.

Igitur P.Th.Sanch. *lib. 1. ſum. c. 2. n. 23.* ſic ait: 17. *Argumentũ P.Th.Sanch. integrè propoſitum.* [Hic actus, *Comederem carnes in Quadrageſimâ, niſi Eccleſia prohibuiſſet*, vacabit culpa: ſecus autem de iis, quæ iure naturali ſunt interdicta, vt, *Occiderem, vel furarer, niſi eſſet peccatum*, vel, *niſi eſſet vetitum.* Talis enim actus eſſet mortalis, ac ſi cõditio non apponeretur. Ratio diſcriminis eſt, quia cùm res prioris generis non ſint intrinſecè, & ex natura ſua malæ, poteſt ab eis per conditionem obiectam malitia auferri; nec conditio contradictionem implicat, & poteſt quis, eas non eſſe malas optare. Quippe id aliud non eſt, quàm optare, Eccleſiam id non prohibuiſſe. At res poſterioris generis ſunt intrinſecè, & ſuapte naturâ malæ, ac proinde abſque ſua malitia intelligi nequeunt, & conditio illa negans, inuoluit contradictionem. Quare cùm voluntas deſiderio efficaci in illius actus ſubſtãtiam feratur, in quo malitia imbibita eſt, nec ab illo ſeparari poſſit, fertur in rem mortaliter malam, ac proinde mortaliter peccabit. Et confirmatur: quia hoc nihil aliud eſt, quàm velle, vt iure naturæ vetita liceant, & rerum naturæ immutẽtur. Quod eſt in maiori malo complacere, quàm ſunt homicidium, vel fornicatio ſemel commiſſa; peius enim eſt, hæc licere, quàm ſemel committi. Tandem quia nemo dubitabit, hunc actum eſſe culpam lethalem, *Si eſſet licitum, deſtruerem Deum:* cùm tamen conditio rationem malitiæ auferre videatur.]

Ex quibus verbis P.Th. hæc argumenta licet 18. ſic ad formam redigere. Primum. Actio afficiens iniuriâ proximum, cum libertate, & aduertentia rationis, ab intrinſeco eſt diſſona rationi; id eſt, ab intrinſeco eſt talis, vt rationi propoſita, indefectibiliter rationi diſſonet: ergo quod eiuſmodi actio non diſſonet rationi, eſt impoſſibile. Atqui quodlibet impoſſibile conſtituitur ex vtraque parte contradictionis; quidquid enim contradictionem non implicat, poſſibile eſt; & quidquid eſt impoſſibile, non aliunde impoſſibilitatem habet, quàm à contradictione. Ergo qui deſiderat aliquid impoſſibile, contradictionem deſiderat. Sed qui deſiderat, quod actio illatiua iniuriæ non ſit diſſona rationi, ſiue (quod idem eſt in ſententia, quam ſupponimus) non ſit peccatum, aliquid impoſſibile deſiderat: ergo contradictionem deſiderat. Deſiderare autem contradictionem, nempe quod ſit peccatum, & quod non ſit peccatum, in eſſe moris diſſonat rationi: ergo eiuſmodi deſiderium diſſonat rationi, atque adeò eſt malum moraliter.

Et eodem ferè pacto fit argumentum de actu 19. conditionali, qui iuxta P.Th.Sanch. deſideratiuus eſt. Nota ea verba, *Quippe id aliud non eſt, quàm optare, Eccleſiam id non prohibuiſſe:* in quibus loquitur de actu conditionali. Deinde ea conditio, *Si actio illatiua iniuriæ non eſſet peccaminoſa*, ſiue, *non eſſet diſſona rationi*; eſt impoſſibilis: ergo claudit vtramque partem contradictionis. Ergo idem eſt, ac ſi dicat: *Si eſſet peccaminoſa, & non eſſet peccaminoſa*; ſiue, *ſi eſſet diſſona rationi, & non eſſet diſſona*

rationi: qui autem vellet iniuriâ afficere proximum ſub ea hypotheſi contradictionis, voluntatem haberet rationi diſſonam: ergo peccaret. Cùm ergo hæc hypotheſis æquiualeat primæ, etiam in prima peccat; atque adeo apponens eam conditionem, quod non eſſet peccatum, peccat.

20. Confirmatur. Qui diceret, *Si hæc actio eſſet mala moraliter, & non eſſet mala, exercerem illam, afficiendo iniuriâ proximum*; ſub vtraque hypotheſi contradictoria amplectitur iniuriam proximi: ergo eam amplectitur ſub hypotheſi affirmatiua; nam à copulatiua ad vtrâlibet eius partem eſt euidens argumentum: atqui amplecti iniuriam proximi, caſu quo ſit mala, eſt peccatum: ergo amplecti iniuriam proximi ſub hypotheſi quod ſit mala, & non ſit mala, eſt peccatũ. Sed ea cõditio, *Si talis actio nõ eſſet mala*, vtpote impoſſibilis, claudit vtramque partem contradictionis: ergo deſiderare iniuriam proximi ſub tali hypotheſi, eſt peccatũ.

21. Et nota iterum, loqui Caramuelem iuxta ſententiam, quæ conſtituit malitiam moralem in eo, quod diſſonet rationi. Subiungit tamen *num.* 2954. [Supponendo poſteriorem ſententiam (*quæ conſtituit culpam Theologicam in ſola interdictione diuina*,) quæ ab omnibus teneri debet, omnia ſunt peruia. Dico, actus illos eſſe bonos, & licitos, non ſecus ac iſtos, *O vtinam carnes non eſſent interdictæ*,] &c. Sed fallitur: nam eadem difficultas eſt in ſententia conſtituente malitiam Theologicam in interdictione diuina, & contra eam etiam militat argumentum proximè factum. Hæc enim ſententia admittit, actionem iniuriæ proximi, ſecluſa interdictione diuina, eſſe diſſonam rationi indefectibiliter, ſicut & mendacij, & ingratitudinis, &c. quam vocat malitiam Philoſophicam, eſſeque à Deo punibilem, affirmat Caramuel videndus *in Theol. fund. n.* 542. *fund.* 12. Eſt ergo impoſſibile, quod ab iniuria, mẽdacio, &c. deficiat ea diſſonantia rationis: ergo in hoc actu, *Si iniuria non eſſet diſſona rationi, illam inferrem Petro*; conditio eſt impoſſibilis, adeoque inuoluens vtramque partem contradictionis: vnde videtur inferri, quod is actus eſt malus moraliter, ſaltem malitia philoſophica, etiamſi conditio illam neget, & excludat.

22. Secundum argumentum, quod in eiſdem verbis P. Thomæ Sanch. continetur, eſt: Peccat, qui deſiderat, licere illicita; peccatum eſſe bonum, & malum morale eſſe honeſtum: ſed qui ponit eam conditionem, ea omnia deſiderat: ergo peccat. Maior probatur. Nam qui peccatum approbat, peccat; deſiderare autem, quod peccatum ſit bonũ, eſt velle approbare peccatũ.

23. Tertium argumentum ibidem cõtentum, eſt: Actus efficax volũtatis fertur in totam ſubſtantiam actionis, qualis ipſa eſt; & à tota ſubſtãtia actionis ſumit ſpeciem: ſed iſte actus, *Occiderem Petrum, ſi liceret*; eſt actus efficax, nempe ſub tali conditione: ergo iſte actus terminatur ad totam ſubſtantiam occiſionis, qualis ipſa eſt. Cùm ergo ipſa occiſio in ſe ſit intrinſecè diſſona rationi, ad eiuſmodi malitiam terminatur actus, & ab ea ſumit ſpeciem: ergo eiuſmodi actus deſiderij efficacis conditionati eſt malus moraliter. Et quidem actus deſiderij inefficacis præſciſiuus eſt, id eſt, ſequẽs præſciſionẽ, quam facit intellectus, vt oſtẽdi *diſp.* 41. *c.* 3. *art.* 3. *probat.* 1. & *diſp.* 44. *c.* 3. *art.* 3. *concl.* 5. quia ad vnam formalitatẽ præſciſam ab intellectu poteſt terminari, & non ad aliam: at verò actus deſiderij efficacis non poteſt ſic ad vnam formalitatem terminari, ſed neceſſariò ad totam obiecti ſubſtantiam cum omnibus circumſtantiis neceſſariò concomitantibus terminari debet.

Quarti argumenti ibidem contenti efficacia ſatis clarè per ſe patet. Quod deſumitur ab eo actu, *Si liceret*, *Deum deſtruerem*; qui quidem peccaminoſus eſt, quantumvis conditio excludat malitiam. 24.

Oporteret ergo, Caramuelem ad hæc argumenta animum aduertere, ad eaque ſoluenda ingenij ſui conatum adhibere; & non afferre ſolùm ea argumenta, quæ contemneret. 25.

CAPVT II.

Præmittuntur aliqua ad reſolutionem huius controuerſiæ.

DVplicem partem habet quæſtio præſens. Priorem, an liceat actus conditionatus, cuius conditio excludat malitiam moralem, etiam circa ea obiecta, quæ iure naturæ mala ſunt? Poſteriorem, an liceat actus deſiderans, ea obiecta eſſe mala? Et de priori priùs, de poſteriori poſteriùs differendum eſt. 26.

Duplex quæſtio.

Igitur præmitto primò, in hac quæſtione non eſſe recurrendum ad præſciſionem, quam faciat intellectus, & ſequatur voluntas per eiuſmodi deſideriũ. Nam cùm loquamur iuxta ſentẽtiam conſtituentem malitiã moralẽ in eo, quod actio diſſonet rationi (id eſt, in eo, quod apta ſit diſſonare rationi actualiter cognoſcenti) & eiuſmodi diſſonantia ſit prædicatum conſtitutiuum, v.g. mendacij, iniuriæ, &c. impoſſibile eſt, quod cognoſcatur mendaciũ, iniuria, &c. quin cognoſcatur eſſe quid diſſonum rationi. Vnde quãvis hoc, quod eſt eſſe diſſonum rationi, poſſit cognoſci abſque differentiis mendacij, iniuriæ, &c. atq; adeò poſſit præſcindi ab iis differentiis; at mendaciũ, iniuria, &c. nequeũt cognoſci abſque eo, quod ſint diſſona rationi, adeoq; præſcindi nequeunt ab hoc prædicato. Ideoque cùm dicimus, *Si mendacium non eſſet diſſonum rationi*; is actus non eſt operatio intellectus præſcindentis, ſed negantis prædicatum de ſubiecto, cui tale prædicatum ineſt. 27.

In hac quæſtione non prodeſt præſciſio.

Præmitto ſecundò, actum voluntatis etiam efficacem, non ſumere ſpeciem, aut malitiam ab obiecto, quale eſt in ſe, ſed ab obiecto, quale proponitur per intellectum. Hæc præmiſſa eſt demonſtrabilis. Nam qui ignorans inuincibiliter, mendacium eſſe peccatum, efficaciter vult mendaciũ, non peccat; ideoque is actus voluntatis, quãvis ſumat ſpeciem moralẽ ab obiecto, non eſt malus, quia licèt obiectũ in ſe malũ ſit, at non eſt malum, qualiter proponitur intellectui ignoranti inuincibiliter malitiam. 28.

Actus non ſpecificatur ab obiecto vt eſt in ſe, ſed vt proponitur intellectui.

Præmitto tertiò, aliquos putare, ex quolibet impoſſibili inferri vtramq; partem cõtradictionis. In quo inſigniter decipiuntur, eorumq; deceptio ex hoc ſyllogiſmo manifeſtè cõuincitur: *Omnis lapis eſt homo, Petrus eſt lapis, ergo Petrus eſt homo.* Qui euidenter, ipſo naturæ lumine dictante, concludit, quamvis præmiſſæ ſint in ſe impoſſibiles, & concluſio neceſſariò vera. 29.

Non ex quolibet impoſſibili infertur vtraque pars contradictionis.

Quod

Digitized by Google

Quod idem eſt, etiamſi impoſſibile afferatur tanquam conditio: ſi enim ſyllogimus proximè efformatus, per propoſitiones abſolutas rectè concludit; eodem prorſus pacto rectè concludet, etiamſi præmiſſæ vertantur in conditiones, & totus ſyllogiſmus in propoſitionem conditionalem commutetur, ſic: *Si omnis lapis eſſet homo, & Petrus eſſet lapis, Petrus eſſet homo.* Et ſicut in priori ſyllogiſmo ſola concluſio affirmatiua colligitur, ita & in proxima propoſitione conditionata, quæ eodem formæ tenore procedit.

30. *Regula ad dignoſcendũ, quando infertur vtraque pars contradictionis; quandoq; non.*

Itaque vt diſtinguas hypotheſes, in quibus ex impoſſibili infertur vtraque pars contradictionis, ab illis, in quibus non vtraq; infertur, ea tibi regula aſſumenda eſt, vt attendas, non ad impoſſibilitatem, quam in ſe continet conditio; ſed ad impoſſibilitatem, vel poſſibilitatem, quam conditio importat in actu ſignato, id eſt, ad poſſibilitatem, vel impoſſibilitatem, quæ vt talis proponitur intellectui ex parte conditionis. Itaque ſi conſideremus conditionem in ſe impoſſibilem, reſpectu intellectus, cui illa proponitur vt poſſibilis, ſiue reſpectu intellectus, cui non proponitur impoſſibilitas, neque implicatio contradictionis; hoc modo, reſpectu illius intellectus non poteſt inferri vtraque pars contradictionis.

31. Exemplis rem dilucido. Hæc conditionalis, *Si homo eſſet chimæra, eſſet, & non eſſet*; rectè infert vtramq; partem contradictionis; quia conditio, ſiue antecedens, importat impoſſibile in actu ſignato, ſiue impoſſibile, quod proponitur vt impoſſibile. Deinde iſte actus, *Si Petrus eſſet equus, eſſet hinnibilis*, rectè etiam infert; quia licèt in ſe ſit impoſſibile, Petrum eſſe equum; tamen ea cõditio in actu ſignato importat rem poſſibilem; quia ſic fit comparatio reſpectu intellectus, cui id non proponitur vt impoſſibile, ſed vt identificatio vera, & poſſibilis eorum prædicatorum. Quod ita neceſſariò dicendum eſſe, conſtat ex ſyllogiſmo in formam propoſitionis cõditionatæ efformato, ſic: *Si omnis equus eſſet hinnibilis, & Petrus eſſet equus, Petrus eſſet hinnibilis.* Quam concluſionem inferendam eſſe, & non aliam, conſtat ex eodem ſyllogiſmo in formam abſolutam redacto: *Omnis equus eſt hinnibilis, Petrus eſt equus, ergo Petrus eſt hinnibilis*: in quo ſyllogiſmo euidens eſt, non poſſe ex illis præmiſſis inferri concluſioné hanc negatiuam: *Ergo Petrus non eſt hinnibilis.* Quod ſi ad inferendam concluſionem, ſupponas impoſſibilitatem Petri identificati cum equo, iam minori aliquid aliud addis, vnde ſequitur vtrumq; ſic: *Omnis homo eſt hinnibilis: Petrus eſt equus identificatione impoſſibili: ergo Petrus eſt equus, & non eſt equus*; quia ſic antecedẽs in actu ſignato importat impoſſibilitaté, & implicationem contradictionis, quam antecedẽs refũdit in concluſioné.

32. *Quid, ſi proponitur conditio, ita vt non ſequatur vtraque pars?*

Præmitto quartò: cùm conditio proponitur intellectui taliter vt non inferat vtramque partem contradictionis, tunc actum deſiderij conditionatum, etiam efficacem, non ferri formaliter ad aliquid implicatorium, & impoſſibile, ſed ad aliquid verum, & reale, id eſt, quod obiectiuè eſt verum, & reale, ſiue quod proponitur vt verum & reale. Hæc præmiſſa per ſe patet, ſi termini comprehendantur. Voluntas enim fertur in obiectum eo modo, quo proponitur intellectui. Cùm ergo in actu ſignato, & vt proponitur intellectui, nõ dicat impoſſibilitatem; hanc non poteſt amplecti formaliter voluntas.

CAPVT III.

Actus eiuſmodi conditionatos deſiderij plerumque eſſe licitos.

Iterum noto, quæſtionem eſſe de actibus conditionatis, in quibus conditio excludit malitiam moralem ab obiectis, etiám iure naturæ prohibitis. V.g. *Si mẽdacium non eſſet malũ, mentirer. Si mœchatio eſſet licita, mœcharer.* Aſſero ergo, actus eiuſmodi plerumque eſſe licitos. Et, vt comprehendamus fines quæſtionis intra metas ſententiæ Scoti, & Caramuelis conſtituentium malitiam Theologicam in ſola prohibitione diuina; ſicut ipſi admittunt malitiam philoſophicã intrinſecam ipſis obiectis; ita aſſero iuxta eum dicendi modum, hunc actum, *Si mendacium non diſſonaret rationi, mentirer*, non conſtituere malitiam philoſophicam. 33.

Oſtenditur primò. Cùm elicio hunc actum conditionatum deſiderij, *Si mendacium eſſet bonum, mentirer*; in ordine ad eum eliciendum proponitur mendacium intellectui, vt bonum bonitate vera, & reali: ergo voluntas amplectitur bonum bonitate vera, & reali; cùm volũtas non poſſit amplecti, niſi id obiectũ, quod, & quale proponitur intellectui. Antecedẽs verò patet; cùm intellectus per eum actum, quo manuducit voluntatem ad eum actum conditionatum, non cognoſcat mendacium, niſi vt ſub conditione bonum verè, & realiter. Eodem modo fit argumentum in hoc actu, *Si mendacium non eſſet malum, mentirer*; quia *non eſſe malum*, eſt bonitas negatiua. 34.

Oſtenditur ſecundò. Hæc propoſitio conditionalis eſt vera, & neceſſaria, *Si mendacium non eſſet malum, eſſet amabile à voluntate*; & hæc eſt falſa, *Si mẽdacium non eſſet malũ, eſſet licitè amabile à voluntate, & non eſſet licitè amabile à voluntate*: ergo verè eſſet licitè amabile à voluntate ſub conditione, quod non eſſet malũ. Hæc conſequentia patet, quia continetur in antecedẽte. Tum ſic. Sed per iſtum actum, *Si mendacium non eſſet malum, mentirer*, voluntas amplectitur mendacium pro hypotheſi, in qua non eſſet malum: ergo eo modo licitè amplectitur illud. 35.

36. *Quomodo ex eo actu impoſſibili non inferatur vtraque pars contradictionis?*

Primum verò antecedens, ex quo cætera pendent, demonſtro hoc ſyllogiſmo euidenter concludenti: *Omne quod non eſt malum, eſt licitè amabile à voluntate: ſed mendacium non eſt malum: ergo mendacium eſt licitè amabile à voluntate.* Quem vt reducas ad primum modum primæ figuræ, terminum negatum verte in infinitum, ſic: *Omne, quod eſt non malum, eſt licitè amabile à voluntate; mendacium eſt non malum.* Quibus poſitis præmiſſis, non licet inferre: *Ergo eſt licitè amabile, & non eſt licitè amabile à voluntate.* Ergo idem dicendũ eſt, ſi ſyllogiſmus datus per propoſitiones abſolutas conuertatur in ſyllogiſmum conditionalem, ſic: *Si omne, quod non eſſet malũ, eſſet amabile à voluntate; & mendacium non eſſet malum, mendacium eſſet licitè amabile à voluntate.* Si ergo in ſyllogiſmo abſoluto non poteſt inferri vtraque pars contradictionis, neque poterit in conditionato. Inde fit, quod ſola pars affirmatiua ſit vera, imò & neceſſaria, vtpote neceſſariã illationẽ inuoluens.

Digitized by Google

37. Oſtenditur tertiò. Qui ignorat inuincibiliter malitiam mendacij, non peccat, dum mendacio præſtat conſenſum: ergo qui præſtat conſenſum conditionatum mendacio, ſub conditione, quod non eſſet malum, non peccat. Probatur conſequentia. Ideò ignorans inuincibiliter malitiam mendacij, non peccat, quia, quamvis ſit in ſe intrinſecè malum à parte rei; non tamen proponitur intellectui vt malum: ſed ei, qui præſtat conſenſum mendacio ſub conditione quod non eſſet malũ, non proponitur mendacium vt malum, ſed potiùs vt conditionatè non malum; ergo ſimiliter non peccat.

Vrgens argumentum ab ignorantia inuincibili.

38. Confirmatur. Sicut ſe habet iudicium mentis abſolutum ad aſſenſum voluntatis abſolutum; ita ſe habet iudicium mentis conditionale ad aſſenſum voluntatis conditionalem: ſed iſtud iudicium mentis abſolutum, *Mendacium non eſt malum*; qui eſt error inuincibilis, remouet ab aſſenſu voluntatis abſoluto rationem malitiæ: ergo iſtud iudicium mentis conditionale, *Si mendacium non eſſet malum, eſſet licitè amplexibile à voluntate*, remouet ab aſſenſu voluntatis conditionali rationem malitiæ.

39. Obiicies. Concluſio huius capitis ponit eiuſmodi actus conditionatos plerumque licitos: rationes autem allatæ probare videntur, eos ſemper licitos: non ergo bene conueniunt rationes concluſioni.

40. Reſpondeo, rationes allatas ſolùm probare eos actus conditionatos, quantum eſt ex parte obiecti amati, eſſe licitos; adeóque quoties ex parte tendentiæ actus, aut ex oppoſitione cum aliqua virtute non fuerunt illiciti, ſemper fore licitos. Quia tamen licet ex parte obiecti amati nihil illicitum includant, ſæpe contingit, eos eſſe illicitos, vt capite ſequenti declaro; ideò ſolùm dixi in concluſione eos plerumque eſſe licitos.

CAPVT IV.

Eos actus affectos conditione excludente malitiam, plerumque eſſe illicitos.

41. Aſſero ſecundò, poſſe actum conditionatum eſſe illicitum, quamvis excludat ex parte obiecti omnem malitiam moralem, ſiue quamvis afficiatur conditione illam malitiam excludente; adeóque plerumque contingere, vt eiuſmodi actus conditionati ſint illiciti. Patet primò aſſertio: nam, vt latè oſtendi *diſp.* 41. *cap.* 3. cum Patre Vaſquez, eiuſque ſectatoribus, poteſt fieri, quod actus voluntatis non amplectatur aliquam malitiam ſe tenentem ex parte obiecti; & quod adhuc ille actus voluntatis ſit malus moraliter: non quidem ex habitudine actus ad aliquam malitiam moralem obiecti, quam abeſſe ſupponimus (in ea diſputatione 41. vi præſciſionis) vi conditionis excludentis præfatam malitiam; ſed ex habitudine oppoſitionis cum aliqua virtute, aut ex habitudine ad aliquam aliam circumſtantiam. Ergo eiuſmodi actus conditionati poſſunt eſſe illiciti ex hoc capite.

Actus malus, qui nullam habet malitiam ex parte obiecti.

42. Patet ſecundò. Nam licèt iſte actus, *Mœcharer, ſi non eſſet peccatum*, ex parte obiecti nullam afferat malitiam moralem, vtpote omnino excluſam per conditionem; adhuc tamen poſſet Deus illum actum prohibere. In quo caſu excluſà omnino malitià ex parte obiecti, actus eſſet illicitus, & malus moraliter; quia deuiaret à regula præcepti diuini.

Poteſt Deus prohibere actum, cuius conditio excludit malitiam.

Patet tertiò. Nam iſte actus, *Si eſſet poſſibile, & non eſſet peccatum, vulnerarer Deum, conculcarem, contumelia afficerem*; eſt malus, imò inter malos peſſimus moraliter; non quidem malitià morali ſe tenente ex parte obiecti, cùm ab obiecto excludat conditio omnem malitam; ſed quia ingens irreuerentia eſt contra religionem Deo debitam, ita effari, etiam conditionaliter. 43.

Actus contemnens Deũ ſub conditione excludẽte malitiam, malus eſt.

Similiter iſte actus, *Si non eſſet peccatum, ego mœcharer cum Beata N.* (horret animus ſanctam aliquam Virginem cæli incolam nominare) ex parte obiecti non affert malitiam moralem; quia excluditur per conditionum; & tamen ſumma irreuerentia eſt, talem actum conditionatum producere. Sicut enim, ſi quis Reginam alloquens, ei diceret: *Ego concumberem tecum, ſi eſſes fœmina vulgaris*; & ſi quis Regem alloquens diceret: *Ego tibi alapam in faciem impingerem, ſi eſſes homo priuatus*; accuſaretur de audacia irreuerenti (Hiſpanè *des verguenza*) contra Maieſtatem regalem; ita loqui ſub eo modo conditionali cum ſancta Virgine, vel de ſancta Virgine, eſſet irreuerentia contra maieſtatem beatificam. Primus ergo actus conditionatus, licèt ex parte obiecti excludat vi conditionis malitiam moralem, adhuc malus moraliter eſt; quia is modus dicendi, aut volendi, etiam conditionatus, habet oppoſitionem contra duliam perſonæ Beatæ debitam. 44.

Sic etiam actus contemnens perſonam beatam ſub ſimili conditione.

Inferes primò, eſſe illicitum actum, quo quis complaceat in occiſione Petri conditionatè futura abſque peccato, dicens: *Ego occiderem Petrum, ſi non eſſet peccatum*; non quia ex parte obiecti ſit malitia moralis, cùm per conditionem actus, malitia excludatur ab obiecto; ſed quia eſt contra charitatem complacere de malo Petri vt malum eſt, etiam ſub quavis alia conditione excludente malitiam. 45.

An ſit malum velle occiſionem Petri, ſi non eſſet peccatum.

Aliud eſt, ſi quis diceret, *Ego occiderem Petrum, ſi non eſſet peccatum, neque eſſet malum Petri*: ſic enim neque afferret malitiam ex parte obiecti, neque complaceret in malo Petri. Cùm autem conditio non excludit malum Petri, quamvis excludat malitiam moralem, complacet in damno Petri conditionatè futuro: quam complacentiam inhibet charitas. Idem, & eodem modo cenſendum eſt de iſto actu; *Conſumerem omnem ſubſtantiam familiarem Petri, ſi non eſſet peccatum.* Idem de iſto, *Furarer à Petro multam pecuniam, ſi non eſſet peccatum.* Sanè ex complacentia in eo, quod eſt malum Petri. 46.

Neque obſtat, ſi dicas, impoſſibile eſſe, quod non ſit peccatum, & quod ſit malum Petri. Vnde eo ipſo quod conditio ponat, id non eſſe peccatum, ponit etiam, id non eſſe malum Petri. 47.

Id enim ex dictis *cap.* 2. ſatis manet refutatum: nam ad conſiderandam malitiam actus deſiderij, non attenditur obiectum, quale eſt à parte rei; ſed quale proponitur per intellectum. In ea ergo hypotheſi non proponitur intellectui vt impoſſibile, quod id non ſit peccatum, & adhuc ſit malum Petri; quin potiùs proponitur occiſio Petri conditionatè vt non 48.

peccatum;

Digitized by Google

peccatum; & tamen videtur eſſe malum Petri. Et ideò relinquitur in ea hypotheſi caput, vnde is actus ſit malus moraliter.

49. *Velle ſub conditione luxuriam, quando ſit peccatum.* Inferes ſecundò, vt in plurimum eſſe illicitum hunc actum, *Fornicarer cum Berta, ſi non eſſet peccatum*; quia licèt ex parte obiecti excludatur malitia moralis, frequenter adeſt delectatio actualis de fornicatione conditionatè futura, apprehenſa vt obiectiuè præſenti. Quæ delectatio inhibetur à virtute caſtitatis, iuxta dicta *diſp.* 41. Verum quidem eſt, quod poteſt ille actus elici abſque delectatione eius obiecti: cæterùm rarò prorumpit homo in eum actum, niſi ex motiuo delectationis; atque adeò abſque delectatione. Quod idem aſſerendum eſt de eo actu, quem ponit Caramuel, vt retuli *num.* 1. nempe, *Nil aliud facerem, quàm luxuriari, ſi liceret.*

50. Inferes tertiò, hunc actum, *Deum contemnerem, ſi non eſſet peccatum*, eſſe illicitum, & irreligioſum: non ex malitia, quæ verſetur ex parte obiecti; hæc enim omninò excluditur: ſed quia ſic loqui de Deo, etiam ſub conditione excludente malitiam, eſt contra cultum Deo debitum, vt patet ex dictis ſuprà *num.* 48. *& ſequentibus.*

51. *An ſit malū velle hæreſim ſub conditione quod non eſſet peccatum.* Inferes quartò, quid dicendum ſit de ea quæſtione, quam proponit Caramuel *in Theolog. præterintention. præc.* 1. *in diſp. proœmiali, quæſt.* 7. *num.* 2088. nempe: [An peccaret, qui diceret, *Si infidelitas non eſſet peccatum, ego eſſem hæreticus.*] Nam licèt Caramuel ibi neget, eum actum eſſe culpabilem, imò affirmet, eſſe laudabilem; aſſero eum eſſe peccaminoſum: nam æquiualet iſti, *Si infidelitas non eſſet peccatum, non crederem Deum vera dicere.* Nam licèt ex parte obiecti excludat malitiam, actus ipſe opponitur ſummæ reuerentiæ, & appretiationi, quam Deo debemus. Si tamen actus ille à Caramuele propoſitus præſcinderet omnem relationem, & habitudinem ad Deum, ſic non æquiualeret ſecundo, neque haberet malitiam illius. Quo pacto videtur locutus eſſe Thomas Morus iis verbis, quæ ibidem refert Caramuel.

52. *An ſit malum velle periuriū ſub eadem conditione.* Inferes quintò, quomodo ſatisfaciendum eſt ei quæſtioni, quam proponit Caramuel ibidem *præcept.* 2. *in diſp. proœm. quæſt.* 7. *num.* 1269. ſcilicet: [An peccaret mortaliter, qui diceret, *Si non eſſent peccaminoſa periuria, vniuerſos fallerem,*] &c. ipſe enim ait: [Omnia licent; imò, me iudice, Deum omninò honorat, qui propter eum periuria, quæ aliàs committeret, omittit.] Aſſero tamen, ſic loquentem, eſſe culpæ lethalis reum, ſi aduertat ad totum obiectum periurij. Etenim ille actus elicitus cum plena aduertentia ad totum obiectum periurij, æquiualet huic; *Si liceret, affirmarem, Deum eſſe teſtem mendacij.* Quo pacto non dubito, quin ſit lethalis culpa. Summa enim reuerentia Deo debita poſtulat, ne velis, Deum eſſe teſtem mendacij in quavis hypotheſi, etiam in qua fingas id eſſe licitum. Et ita quamvis excludat malitiam ex parte obiecti, actus ille opponitur ſummæ reuerentiæ Deo debitæ. Quod patet ex dictis circa hunc actum, *Si liceret, Deum contemnerem.*

53. Ad obiectionem Caramuelis propoſitam illis verbis, *Deum omnino honorat, qui propter eum periuria, quæ aliàs committeret, omittit:* reſpondeo, eum actum continere æquiualenter duas partes, nempe, *Si liceret, peierarem; ſed quia non licet, ſed potiùs Deo diſplicet, peierare nolo.* Quæ ſecunda pars honeſta eſt, & Deum honorat: at verò prima pars, modo explicato, eſt mala, quia opponitur ſummæ reuerentiæ Deo debitæ, propter dicta.

CAPVT V.

Actus deſiderantes, actionem, etiam iure naturæ vetitam, eſſe licitam, quandoque eſſe licitos, quandoque illicitos.

Ad ſecundam quæſtionum deueniendo, propoſitam *cap.* 1. *num.* 7. ſit prima concluſio. Actus deſiderantes, actionem, etiam iure naturæ interdictam, eſſe licitam, poſſunt, & ſolent eſſe liciti, & carere omni malitia morali. Probatur primò. Non peccat, qui amplectitur mendacium, quod intellectui proponitur vt bonum; ſed qui deſiderat, mendacium eſſe bonum, eo deſiderio amplectitur mendacium propoſitum intellectui vt bonum: ergo qui deſiderat, mendacium eſſe bonum, non peccat. Minor, & conſequentia patent. Nec minùs patet maior. Quia non ſtat peccatum in eo, quod obiectum amplexum à voluntate, ſit à parte rei malum, ſed in eo, quod ſit malum moraliter, eo modo, quo proponitur intellectui: quando ergo proponitur intellectui vt bonum, non eſt cur peccet voluntas; præcipuè cùm ex nulla alia circumſtantia diuerſa ab obiecto reluceat ratio aliqua malitiæ moralis. 54. *Prima concluſio.*

Probatur ſecundò. Si propter aliquid eſſet malus is actus deſiderij, maximè quia deſiderat rem impoſſibilem, compoſitam illam quidem ex bonitate, & ex malitia morali, quatenus deſiderat, eſſe bonum id mendacium, quod reuerà eſt malum: ſed ille actus deſiderij non fertur formaliter ad obiectum impoſſibile, neque ad aliquid vt compoſitum ex malitia morali: ergo ob nullam rationem eſt malus is actus deſiderij. Minor eſt aduerſariorum, & conſequentia patet. Probatur maior. Nam is actus deſiderij non optat, idem ſimul eſſe bonum, & malum; neque deſiderat, eſſe bonum, & non bonum; malum, & non malum; ſed ſolùm deſiderat, eſſe bonum, ſolùmque deſiderat hypotheſim, in qua illud ſit bonum. Videt quidem intellectus, illud eſſe malum, ſed nullo modo deſiderat eſſe malum, ſed potiùs eſſe non malum. Deſiderat illud quidem, non quale eſt à parte rei, ſed quale proponitur intellectui in ea hypotheſi ficta, nempe vt carens omnino ea malitia: ergo non appetit malum is actus deſiderij. 55.

Probatur tertiò. Voluntas non vult malitiam, quam non cognoſcit intellectus: ſed dum deſiderat, mendacium non eſſe malum, intellectus non cognoſcit malitiam pro ea hypotheſi; imò potiùs apprehendit mendacium pro ea hypotheſi vt omninò non malum: ergo voluntas tunc non amat malitiam mendacij. 56.

Confirmatur. Sicut ſe habet ignorantia inuincibilis malitiæ mendacij, ne imputetur mentienti; ita ſe habet apprehenſio mendacij 57.

vt non mali pro ea hypotheſi deſiderata: ergo ſicut ignorantia inuincibilis excuſat mendacium à peccato; ita ea apprehenſio excuſat à peccato illud deſiderium. Conſequentia patet. Et antecedens probatur. Ideò ignorantia inuincibilis excuſat à peccato, quia ea ſtante non cognoſcitur malitia, nec poteſt cognoſci: ſed ea aprehenſio peccati, vt non mali pro ea hypotheſi non apprehendit malitiam, nec pro ea hypotheſi poteſt eam apprehendere: ergo quoad hoc eodem modo ſe habent.

58. Secunda cõcluſio. Sit ſecunda concluſio. Actus deſiderantes, quod actio iure naturæ vetita, non ſit mala, plerumque ſunt illiciti. Nam (vt conſtat ex dictis *cap.* 4.) quamvis ipſum deſiderium excludat malitiam moralem ex parte obiecti, adhuc is actus deſiderij, ſic illam excludens, habet oppoſitionem cum aliqua virtute, ſiue aliquam habitudinem ad circunſtantiam illicitam.

59. Patet primò. Nam iſte actus, *O ſi non eſſet peccatum contemnere Deum, conculcare Euchariſtiam, vulnerare ſacras Imaginus, vt ſic poſſem liberè eas actiones præſtare!* eſt contra cultum Deo, Euchariſtiæ, & ſacris Imaginibus debitum. Sicut ſi aliquis diceret Regi; *O ſi non læderetur Maieſtas impingendo tibi alapam, vt liberè tibi poſſem impingere!* ageret quidem contra reuerentiam regali Maieſtati debitam. Tanta enim eſt reuerentia, quæ regali Maieſtati debetur, vt etiam hic loquendi modus, auferens ex parte obiecti malitiam, procacem audaciam contineat.

60. Patet ſecundò. Etenim irreligioſè, & contra debitam duliam ageret, ſi quis diceret; *O ſi poſſibile eſſet, vt non eſſet peccatum carnaliter copulari cum Beata N. cæli incola!* quamvis ex parte obiecti deſiderati excludat malitiam in actu ſignato; quia hic loquendi, aut cogitandi modus in reuerentiam illi debitam impingit. Sicut de procacia argueretur, qui diceret Reginæ: *O vtinam mihi eſſet licitum tecum carnaliter copulari!*

61 Patet tertiò. Nam contra charitatem agit, qui percuſſus à Petro, dicit: *O vtinam vindicatio priuata eſſet licita, vt ſic Petrum occiderem!* Deſiderat enim occiſionem Petri, vt malam ipſi Petro (& non vt expedientem bobono publico) quamvis excludendo ex parte obiecti malitiam moralem. Quia tamen non excludit malum Petri; ſed potiùs illud deſiderat (quamvis apprehenſum ex parte obiecti vt inferendum actione licita) ideo actus ille eſt moraliter prauus.

62. Quartò denique. Iſte actus deſiderij, *Vtinam fornicatio eſſet licita, vt liberè luxuriarer!* ſi actuali delectatione admiſceatur, eſt moraliter malus. Nam delectationem moroſam eſſe lethaliter prauam, certiſſimè conſtat *ex diſp.* 41. Imò quamvis non admiſceretur actuali delectatione, eſſet moraliter prauus, ſi à Deo, vt fieri poteſt, prohiberetur: poſſunt ergo eiuſmodi actus eſſe illiciti, quamvis ex parte obiecti deſiderati excludatur malitia moralis.

CAPVT VI.

An eiuſmodi deſiderium requirat finem bonum, vt illud ſit licitum?

Vidimus *cap.* 1. *num.* 7. & 10. Caramuelem referre P. Vaſquium pro ſententia requirente finem bonum; & P. Vaſquium poſtulantem dumtaxat, vt finis attendatur; nec exprimentem, an finis futurus ſit bonus, an ſufficiat indifferens. 63.

Et quidem prædicti actus deſiderij poſſunt elici non reſpiciendo aliquem alium finem, ſed ſiſtendo in ipſo obiecto deſiderato: & poſſunt elici propter aliquem finem, quem quis conſequeretur per conſecutionem obiecti deſiderati. Rurſus, actus qui propter aliquem finem eliciuntur, poſſunt reſpicere vel finem bonum, vel malum, vel indifferentem. 64.

Sit ergo prima concluſio. Poteſt eſſe licitum eiuſmodi deſiderium, etiamſi nullum omninò finem reſpiciat diſtinctum ab obiecto deſiderato. Hæc concluſio probatur iis omnibus rationibus, quibus *cap. præced. concl.* 1. oſtenſum eſt, poſſe eſſe licitos actus deſiderantes, quod actio iure naturæ vetita non ſit mala. Primò. Quia licèt nullum alium finem reſpiciat, id obiectum proponitur intellectui vt bonum pro ea hypotheſi; & qualiter proponitur ab intellectu, taliter illud voluntas amplectitur: vnde ex parte obiecti nihil mali amplectitur voluntas. Secundò. Quia licèt nullum alium finem reſpiciat, voluntas non fertur formaliter ad impoſſibile, ſed ad aliquid formaliter bonum in actu ſignato. Tertiò. Nam cùm nihil ſit volitum, quin præcognitum; & intellectus nullam malitiam præcognoſcat in eo obiecto pro ea hypotheſi, ſiue reſpiciat, ſiue non reſpiciat diſtinctum finem, voluntas non amplectitur malitiam obiecti. 65. Prima concluſio

Dixi, poſſe eſſe licitum eiuſmodi deſiderium, vt ſic innuerem, quandoque poſſe eſſe illicitum, nempe ex capitibus propoſitis *cap. præced. concluſ.* 2. 66.

Sit ſecunda concluſio. Poteſt eiuſmodi deſiderium eſſe licitum, etiamſi reſpiciat finem indifferentem; & à fortiori ſi reſpiciat finem bonum. Hæc concluſio patet ex præcedenti. Nam ſi deſiderium eſt licitum, quando nullum alium finem reſpicit, quia tunc intellectui non proponitur aliquid moraliter malum pro ea hypotheſi; idem conuincitur, ſi reſpiciat finem indifferentem; quia tunc etiam eadem ratio militat. 67. Secunda cõcluſio.

Sit tertia concluſio. Eiuſmodi deſideria ſunt illicita, etiamſi reſpiciant finem bonum, quando ſunt ex iis, quæ enumerantur *cap. præced. concluſ.* 2. nempe quando deſideria inficiuntur habitudine oppoſitionis cum aliqua virtute, aut alia habitudine ad circunſtantiam illicitam. Patet concluſio. Nam iſte actus, *Vtinam eſſet licitum, & poſſibile deſtruere Deum, vt eo deſtructo nullus homo peccaret*; licèt finis eius ſit bonus, ipſe tamen actus eſt contra reuerentiam Deo debitam, vt conſtat ex dictis *in concluſ.* 2. quod etiam patet in exemplis *ibid.* poſitis. 68. Tertia concluſio.

Sit quarta concluſio. Quando ea deſideria reſpiciunt 69.

Digitized by Google

Quinta concluſio. reſpiciūt finem malum, deſideria ſunt mala, vtique malitia finis, non alia. In qua concluſione conuenio cum Caramuele ſupra citato. Quod ea deſideria tunc mala ſint, patet ex principio generali, quod omnis actus voluntatis elicitus propter finem malum, ſit malus, eo quod ſemper actus voluntatis inficitur malitiâ finis. Quod verò non habeant aliam malitiam præter malitiam intentionis finis, etiam patêre videtur, loquendo de illis actibus deſiderij, qui aliàs ſunt liciti; ſupponimus enim eos eſſe tales, vt non aliunde habeant, vnde ſint moraliter mali. Inde bene colligit Caramuel, iſtum actum, *Vtinam furtum non eſſet malum, vt ſic ſine iniuſtitia mœcharer*; non ſcatêre malitiâ in ſpecie furti, ſed ſolùm in ſpecie mœchiæ.

CAPVT VII.

Soluuntur argumenta ex P. Thoma Sanchez relata capite primo.

70. AD primum ergo argumentum propoſitum *num.* 18. reſpondeo, concedendo antecedens, quod iniuria proximi ab intrinſeco, & indefectibiliter diſſonat rationi; & primam conſequentiam, nempe impoſſibile eſſe, quod ea non diſſonet rationi. Concedo item ſubiunctum antecedens, quodlibet impoſſibile conſtitui ex vtraque parte contradictionis. Et diſtinguo conſequens: ergo qui deſiderat aliquid impoſſibile [formaliter vt tale,] deſiderat contradictionem, concedo; qui deſiderat aliquid impoſſibile [materialiter,] deſiderat contradictionem, nego. Vel ſic: Qui deſiderat aliquid impoſſibile [in actu ſignato,] deſiderat contradictionem, concedo; qui deſiderat aliquid impoſſibile [in actu exercito,] nego. Vel ſic: Qui deſiderat aliquid impoſſibile [propoſitum vt impoſſibile,] deſiderat contradictionem, concedo; qui deſiderat aliquid impoſſibile [propoſitum vt verum, & reale pro eo ſtatu] deſiderat contradictionem, nego.

71. Quæ triplex diſtinctio in eandem coincidit. Itaque non deſiderat duo prædicata contradictoria formaliter, qui deſiderat, aliquid eſſe verè, & realiter, quando illud in ſe, & à parte rei eſt impoſſibile. Deſiderat verò contradictoria, qui deſiderat impoſſibile propoſitum vt tale. Quare ſi voluntas deſiderat, leonem eſſe chimæram, deſiderat quidem prædicata contradictoria, ex quibus chimæra eſſentialiter conſtituitur. Si verò deſiderat, leonem eſſe equum verè, & realiter, neque ſibi id proponitur vt impoſſibile, non deſiderat prædicata contradictoria.

72. Ad antecedens deinde reſpondeo, illum diſtinguendo; qui deſiderat, quod iniuria proximi non ſit peccatum, deſiderat aliquid impoſſibile [formaliter vt tale, & impoſſibile in actu ſignato,] nego; deſiderat aliquid impoſſibile [id eſt, quod in ſe, & à parte rei, & in actu exercito eſt impoſſibile, propoſitum tamen vt verum, & reale reſpectu actus deſiderantis,] concedo. Itaque licèt impoſſibile in ſe ſit, iniuriam proximi, vel pollutionem eſſe licitam; tamen dum voluntas deſiderat eſſe licitam, non deſiderat illud vt impoſſibile, ſed vt verum, & reale: quia reſpectu eius actus deſiderantis non proponitur id vt impoſſibile, ſed vt verum, & reale. Et voluntas deſiderat obiectum, non quale eſt in ſe, ſed quale proponitur intellectui, ſiue actui intellectionis manuducentis ad id deſiderium.

Ad ſimile argumentum, quod deinde ſubiicitur circa deſiderium conditionatum, diſtinguo antecedens: ea conditio eſt impoſſibilis [in ſe, & in actu exercito,] concedo; eſt impoſſibilis [in actu ſignato, ſiue vt proponitur intellectui reſpectu actus deſiderantis,] nego. Nam cùm dicitur, *Si iniuria proximi non eſſet peccatum*; ex parte conditionis apprehenditur vt verè & realiter licita, & non vt impoſſibiliter licita. Et eodem modo diſtinguendum eſt conſequens. Nam ſi attendatur ad impoſſibilitatem, quam conditio importat in actu exercito, claudit quidem prædicata contradictoria: non ſic, ſi attendatur ſolùm id, quod importat conditio in actu ſignato, & qualiter proponitur intellectui, ſub ea hypotheſi. 73.

Secunda autem conſequentia neganda eſt, & dicendum, nullo modo æquiualere iſtam conditionem, *Si iniuria non eſſet peccaminoſa*; iſti, *Si iniuria eſſet peccaminoſa, & non eſſet peccaminoſa*: quia reſpectu intellectus, cui ea conditio non proponitur vt impoſſibilis, ſed vt vera & realis ſub ea hypotheſi, ea conditio non inuoluit, neque infert duo prædicata contradictoria, vt apertè oſtenſum eſt *cap.* 2. *num.* 29. 74.

Ad confirmationem concedo antecedens, & conſequentiam, & antecedens ſubiunctum, & conquentiam ex illo deductam. Quando verò ſubiungitur, eam conditionem, *Si talis actio non eſſet mala*; vtpotè impoſſibilem, claudere duo prædicata contradictoria, diſtinguendum eſt; includit enim illa in actu exercito, & vt eſt in ſe, & à parte rei; non verò includit illa in actu ſignato, & qualiter proponitur intellectui, vt conſtat ex dictis. 75.

Ad ſecundum argumentum reſpondeo diſtinguendo maiorem; peccat, qui deſiderat, [in ſenſu compoſito] licere illicita, & peccatum eſſe bonum, concedo; peccat, qui deſiderat [in ſenſu diuiſo] licere illicita, & peccatum eſſe bonum, nego. Vel ſic: Peccat, qui deſiderat [ſimul pro ea hypotheſi,] licere illicita, & peccatum eſſe bonum, concedo; qui deſiderat [ſub duplici diuerſa hypotheſi,] licere illicita, & peccatum eſſe bonum, nego. Peccaret itaque, qui vellet, ea, quæ ſunt illicita, ſimul licere; ſicut & qui vellet, quod cùm actio eſt peccaminoſa, ſimul ſit amplexibilis à voluntate vt bona. Non tamen peccat, qui deſiderat, quod ea, quæ in præſenti hypotheſi mala ſunt, in alia hypotheſi non ſint mala, ſed licita. 76.

Ad id, quod ſubiungitur, dico, non approbari peccatum per hoc quod velis actionem, quæ modo peccaminoſa eſt, ſub alia hypotheſi non eſſe peccaminoſam, ſed licitam, & bonam. Approbaret autem peccatum, qui deſideraret actionem peccaminoſam, retenta malitia, eſſe licitam, & amplexibilem à voluntate vt bonam, & honeſtam. 77.

Tertium argumentum in æquiuocatione ſubſiſtit. Ergo diſtinguo maiorem: Actus efficax voluntatis fertur in totam ſubſtantiam actionis, 78.

actionis, qualis ipſa eſt [proportionatè ad ſtatum ſuum abſolutum, vel conditionatum,] concedo; [aliter,] nego. Deinde concedo minorem, & diſtinguo conſequens: ergo iſte actus conditionatus terminatur ad totam ſubſtantiam actionis, qualis ipſa eſt [in ſtatu abſoluto,] nego; qualis ipſa eſt [in ſtatu conditionato,] concedo.

Itaque actus efficax conditionatus non fer-
79. tur in totam ſubſtantiam actionis, qualis ipſa eſt in ſtatu abſoluto, ſed ſolùm qualis ipſa eſt in ſtatu conditionato. Ideò cùm quis vult efficaciter actu abſoluto mœchari cum Berta coniugata, is actus voluntatis fertur ad circunſtantiam coniugij, & eſt in ſpecie adulterij. Adhuc tamen iſte actus efficax conditionatus, *Si Berta non eſſet coniugata, re ipſa illi copularer*, quamtumvis ſit efficax, non fertur ad circumſtantiam coniugij; quia ſub ea conditione, ſub qua efficaciter tendit, caret circunſtantia coniugij: non ergo fertur in circunſtantiam, quam actio habet in ſtatu abſoluto, ſed in eam, quam habet in ſtatu conditionato. Similiter ergo cùm quis dicit, *Mœcharer, ſi eſſet licita mœchia*, cùm is actus non feratur ad mœchiam, qualis eſt de facto in actu abſoluto, ſed ad illam, qualis eſt in eo ſtatu conditionato; & in eo ſtatu conditionato ſit licita, fit quod ille actus conditionatus non fertur in mœchiam, vt illicitam, quamvis in ſtatu abſoluto ſit illicita; ſed in ipſam mœchiam vt licitam, qualis eſſet in eo ſtatu conditionato. 80.

Quartum argumentũ non eſt contra noſtrã doctrinã, quin potius ſuffragatur ſecundæ parti doctrinæ traditæ. Is enim actus, *Deſtruerẽ Deũ, ſi liceret*, licèt ex parte obiecti excludat malitiã, adhuc tamen habet oppoſitionem cum virtute Religionis, & Charitatis, vt conſtat *ex cap.* 4.

ADDITIONES.

POſt abſolutum, & prælo proximè paratum hoc volumen occurrerun aliqua, quæ viſa ſunt neceſſariò notanda & ſuperaddenda; quæ tamen ſuis locis interſeri non potuerunt, ideo hìc in finem Voluminis mittenda fuerunt.

Ad diſput. IV. *num.* 27.

1. *Qui nullius culpæ mortalis eſt cõſcius, habet probabilitatem de ſtatu gratiæ, & non de carentia eius.*

Tandem qui accedit ad Euchariſtiam, nullius culpæ lethalis ſibi conſcius, habet probabilitatem de ſua iuſtificatione; habet enim probabile motiuum ad cenſendũ, ſe eſſe in ſtatu gratiæ iuſtificantis; & de carentia iuſtificationis nullum habet fundamentũ probabile; quia nulla ratio ſibi occurrit, ob quã veriſimiliter credere debeat ſe eſſe in ſtatu peccati mortalis: ergo habere poteſt probabilitatem de ſtatu gratiæ, quin habeat probabilitatem de carentia gratiæ.

Ad diſput. IV. *num.* 60.

2. *Per ſolutionẽ obiectionum non probatur ſufficienter concluſio.*

Confirmatur ſecundò. Nemo ſuam concluſionem, quam conatur eſſe probabilem, probat per ſolam ſolutionem obiectionũ partis aduerſæ, ſed vlteriùs conatur addere fundamentum, cui innitatur concluſio: ergo ad probabilitatẽ cõcluſionis non ſufficit dumtaxat ſolutio obiectionum partis aduerſæ. Antecedens omnibus, qui quæſtiones topicas diſputant, eſt notum.

3. Conſequentia etiam patet. Nam ſi ad probabilitatem concluſionis ſufficeret ſola ſolutio obiectionum partis aduerſæ, nihil aliud requireretur; atque adeo non requireretur addere inſuper aliud fundamentum probilitatis.

4. *Ideo ſolutio obiectionum non naſcitur ex probabilitate opinionis.*

Tum ſic. Ergo probabilis ſolutio obiectionũ non noſcitur ex probabilitate cõcluſionis. Probatur conſequentia. Nam ſi probabilis ſolutio neceſſariò naſceretur ex probabilitate concluſionis, ipſa probabilis ſolutio inferret probabilitatem concluſionis: ſicut effectus infert cauſã, à qua non poteſt non promanare: ergo ipſa probabilis ſolutio eſſet ſufficiens fundamentũ probabilitatis concluſionis. Atqui non eſt, vt conſtat ex dictis: ergo ſolutio probabilis non naſcitur neceſſariò ex probabilitate concluſionis.

Ad diſp. IV. *num.* 113.

5. Conuincitur nonò. Homo quandoque habet probabilitatem, qua aſſentitur, ſe eſſe in ſtatu iuſtificationis; & nulla ratio probabilis ſibi occurrit, quæ ſuadeat, ſe eſſe in ſtatu peccati lethalis; & tamẽ illa probabilitas non tranſit in certitudinem: ergo cùm pro vna parte dantur rationes probabiles, nullis occurrentibus pro oppoſita, illa pars probabilis non tranſit in certam. Conſequentia liquet, & vtraque pars maioris ab experientia eſt euidens. Nec minùs certa eſt minor; quia *Neſcit homo, vtrum amore, an odio dignus ſit.*

Qui habet probabilitatẽ de ſtatu gratiæ, & non de carentia eius, non ideò eſt certus de ſtatu gratiæ.

6. *Probabilitas vnius partis aliquando ex adiũctis trãſit in certitudinem.*

Nec propterea nego, eſſe aliquos caſus, in quibus fundamentum, quod ſecundùm ſe eſt dumtaxat probabile, importat moralem certitudinem, nullo fundamento, aut coniectura contradicente. Sic in aliquibus caſibus vnus teſtis omni exceptione maior facit plenam probationem in iudicio, ſi nihil opponatur contra eius teſtimonium. Id tamen eſt, quia circumſtantiæ ſunt tales, & talem ſuperaddunt coniecturam, vt faciant probationem plenam, & certitudinem moralem. Solùm nego, id ſemper contingere, vt clarè demonſtratum eſt *ea diſp.* 4. *loco citato*, & in hac etiam additione.

Ad diſp. IV. *cap.* 10. *fine.*

7. *Vnus teſtis aliquando plenè probat, nullo contradicente, &c.*

Qui deponit de Baptiſmo, &c.

Suarez. Vaſquez. Coninck. Caſtro Pal.

Notandum tamen eſt, aliquando vnum teſtem facere probationem plenã, ſi teſtis ſit omni exceptione maior, & in cauſa nõ agatur de præiudicio tertij. Et ita vnus teſtis omni exceptione maior deponens de Baptiſmo alicuius, facit plenam fidem, nemine contradicẽte. Ita enim tradunt P. Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. diſp.* 22. *ſect.* 2. P. Vaſq. *in* 3. *part. diſp.* 146. *c.* 4. P. Coninck *in* 3. *part. quæſt.* 66. *art.* 9. *n.* 97. quos refert & ſequitur P. Caſtro Palao *tom.* 4. *tract.* 19. *punct.* 13. *num.* 9. Id enim non eſt ex ratione generali, quod motiuum probabile tranſeat ad certitudinẽ, vbi non eſt pro parte oppoſita aliud motiuum probabile: ſed quia ei teſti in prædictis circumſtantiis aliæ coniecturæ adiunguntur, quæ alteri teſti æquiualent

Digitized by Google

æquiualent. Nam cùm teſtificatio de Baptiſmo alterius nullum afferat commodum, vel emolumentum teſtificanti; deinde cùm materia ſit tam grauis, in qua incredibile eſt, homines fideles velle decipere; ex iis duabus coniecturis accreſcit authoritas teſti, vt faciat plenam probationem.

Ad diſp. VI. *num.* 269.

8. *Venenum non debet negari emptori ex qualicumque dubio.*

Nec propterea exiſtimes, ſolum dubium qualecumque ſufficere, vt pharmacopola neget venenum emptori. Quia ſolùm negare debet, quando eſt periculum probabile. Et bene componuntur hæc duo, quod adſit probabilitas damni euenturi, & quod pharmacopola dubitet; cùm probabilitas non extorqueat aſſenſum, ſed permittat, vt conſtat *ex c.* 5.

Ad diſp. IX. *poſt num.* 93.

9. *Cùm Pontifex damnat opinionem vt ſcandaloſam, erroneum eſſe, negare eſſe talem.* Turrianus. Coninck. Lugo. Bañez. Malderus. Ouiedo. Diana.

Et ita Authores magni docent, quando Pontifex loquens è Cathedra, affirmat, aliquã propoſitionem eſſe erroneam, temerariam, ſcandaloſam, &c. eſſe erroneum negare, illam propoſitionem eſſe talẽ. Ita P. Ludouic. Turrianus 2.2. *diſp.* 55. *dub.* 5. vbi ait: [Exiſtimo, eſſe errorẽ, aſſerere, in his cenſuris poſſe Pontificem errare.] Et P. Coninck *de actib. ſupernat. diſp.* 8. *dub.* 8. *n.* 135. Card. Lugo *de fide, diſp.* 20. *n.* 109. Mag. Bañez 2. 2. *quaſt.* 10. *art.* 2. Malderus 2. 2. *q.* 11. *art.* 2. *mẽb.* 5. P. Ouiedo *contr.* 4. *de Fide, punct.* 9. *n.* 114. quos refert & ſequitur Diana *part.* 11. *tract.* 2. *de Romano Pontifice, reſol.* 10. qui omnes euidenter refragantur doctrinæ Caramuelis contendentis, propoſitionem damnatam à Romano Pontifice manere in ſuo gradu probabilitatis pro foro interno.

Ad diſp. X. *num.* 80.

10. *Qualis ea cõſequentia?*

Obiicies. Cùm quis dicit: *Probabile eſt, quod hoc non ſit peccatum: ergo certum eſt, quod ſi illud fecero, non peccabo*; virtualiter dicit, *Vt probabile mihi proponitur, quod hoc non ſit peccatũ*: non enim quis diceret, id eſſe probabile, niſi quia ſibi proponitur vt probabile. Cùm ergo dicamus, hanc eſſe bonã conſequentiã, *Vt probabile mihi proponitur, quod hoc non ſit peccatum: ergo certum eſt, quod ſi illud fecero, non peccabo*; etiam bona erit prima conſequentia, in qua hæc ſecunda virtualiter continetur.

11. Reſpõdeo, aliud eſſe loqui de antecedente formaliſſimè & metaphyſicè ſumpto, & ſecundùm formale ſignificatũ terminorum; & aliud eſſe loqui de eo antecedente ſecundùm circumſtantias moraliter concomitantes. Et quidem cùm quis dicit, *Hoc eſt probabile*, formaliter & metaphyſicè non dicit, *Hoc proponitur mihi vt probabile*. Da, me argumentari tecum de quadam propoſitione erronea, & argumentandi causã proponere hoc antecedens: *Hoc eſt probabile: ergo*, &c. In hoc caſũ dico, id eſſe probabile; & tamen non proponitur mihi vt probabile.

12. Verùm quidem eſt, quod cùm quis dicit, *Hoc eſt probabile*, aſſentiendo ei obiecto, verificatur, quod id ſibi proponitur vt probabile; & ideò ex circumſtantia aſſenſus verificatur, quod qui dicit, *Hoc eſt probabile*, ſibi id proponitur vt probabile; & ea ratione hæc propoſitio, *Hoc eſt probabile*, virtualiter includit hanc, *Hoc mihi proponitur vt probabile*: id tamen non eſt, quia prædicatũ *Probabile*, includit, quod ſibi proponatur vt probabile: ſed quia circumſtantia, in qua ille loquitur, ſuadet, dati aſſenſum eius obiecti.

13. Hinc reſpondetur argumento, diſtinguendo antecedens. Prima propoſitio virtualiter continet ſecundam [formaliter & metaphyſicè,] nego; [moraliter & ſecundùm modum communem loquendi,] concedo. Cùm autem exponimus vim conſequentiæ, non loquimur de ſignificato vt conueſtito circumſtantiis; ſed de ſignificato vocis formali & metaphyſico. Et hoc modo negamus bonam eſſe conſequentiam. Cum hoc tamen ſtat, quod ſi ex communi modo intelligendi, hæc propoſitio, *Hoc eſt probabile*, tantumdem valeat, ac iſta, *Hoc eſt probabile, & ego aſſentior ei obiecto*; virtualiter includat hanc, *Hoc mihi proponitur vt probabile*: & hoc modo bona erit hæc conſequentia, *Probabile eſt, quod hoc non ſit peccatum: ergo certum eſt, quod ſi illud fecero, non peccabo*; ſicut bona eſt hæc, *Vt probabile mihi proponitur, quod hoc non ſit peccatum: ergo certum eſt, quod ſi illud fecero, non peccabo.*

Ad diſp. XI. *num.* 303.

Caramuel *in Apolog. de probabilit. n.* 23. ſic ait: [Eò horum (Parochorum) deuenit delirium, vt aſſeruerint, non debere ſequi confeſſarium opinionem pœnitentis. Portò pœnitens, ſicut non intelligit mente confeſſarij, ſed ſua; nec peccat voluntate confeſſarij, ſed ſua. 14. *An confeſſarius ſequi debeat opinionẽ pœnitentis?*

Incidit Vincentius Baron *in hanc periodum, diſp.* 2. *ſect.* 1. *art.* 2. *paragr.* 1. *verſ. ſed Fagnanus*; 15. Baron. & ſic diſſerit: [Hic planè Dialecticam Caramuelis deſidero: & quãmlibet contendam, intelligere nequeo, qua forma ſyllogiſmi poſſit Ianſeniſmum, & delirium deducere. Fatemur, quod aſſumit, *pœnitentem ſua voluntate*, non *confeſſarij peccare*. Ergo reſipiſcere debet ſua opinione, non confeſſarij: ergo delirus eſt, quiſquis hoc negauerit. Sanè non magis harum conſequutionum vim capio, quàm ſi quis dicat: *Suo vitio intemperans grauiter ægrotat: ergo ſua, non medici arte curandus eſt.* Quis illud delirium admittat? Ergo perperam deliri habemur, ſi confeſſarium Medici officio in pœnitentem fungi velimus, & ægrum, illius, non ſua opinione, ſuiſque regulis ad meliorem frugem reuocandum.]

Pro æquitate iudicij ferendi inter Caramuelis argumentationem, & obiectionem Vincentij, 16. *Nequit negari abſolutio ei, qui proponit operari licitum.* aduerte, legitimum argumentum, & ſanè demonſtratiuum noſtræ concluſionis, eſſe, quod propoſuimus *eo num.* 303. confeſſarius enim non poteſt negare abſolutionem, defectu propoſiti emendationis, ei pœnitenti, qui habet propoſitum operandi id, quod eſt licitum: ſed quando pœnitens non habet propoſitum operandi in poſterum ſecundùm opinionẽ confeſſarij, ſed ſecundùm opinionẽ propriam, quam ſupponimus eſſe practicè probabilem; habet propoſitum operandi id, quod eſt licitum; cùm quodlibet practicè probabile ſit licitum: ergo quando pœnitens habet propoſitum operandi non ſecundùm opinionem confeſſarij, ſed ſecundùm ſuam propriam practicè probabilem, confeſſarius nequit illi abſolutionem denegare. *Qui proponit operari iuxta propriam opinionem, proponit licitum.*

Caramuel tamen loco citato alia via videtur incedere. Nam poſt verba relata ſubdit immediatè: 17. [Pone primò, puerum A, ignorare inuincibiliter, mollitiem eſſe ſcelus mortale. Vadit ad confeſſarium; is veritatem ſcit. Ergóne debet iudicare, illum peccauiſſe mortaliter? Debet ne iubere, vt ille de peccato mollitiei ſe accuſet? Minimè; nam puer peccatum mortale non commiſit ſtante hypotheſi: & ſacrilegam confeſſionem

faceret

Digitized by Google

faceret, ſi ſe accuſaret lethalis criminis, quod non commiſit. Quid ergo? debet iudicare illum non peccauiſſe, at eumdem indigere inſtructione.

18. *Exemplum pueri inuincibiliter ignari, non eſt ad rem.*

Sed, pace Caramuelis, hoc exemplum non eſt ad rem; quia hîc non repetiuntur duæ opiniones probabiles, altera confeſſarij, & altera pœnitentis: nam iudicium illud pueri erroneum eſt, non probabile: & iudicium confeſſarij, quo cenſet, puerum in ea hypotheſi non peccauiſſe, nec teneri ad confeſſionem eius peccati materialis, non eſt opinatiuum, ſed euidens. Ergo, caſus iſte non probat, quod confeſſarius ſequi debeat opinionem probabilem pœnitentis.

19. *Neque reſponſio Baronis eſt ad rem.*

Sed neque eſt ad rem reſponſio, quam exhibet Baron. loco citato ad hoc exemplum Caramuelis. Reſpondet enim, ſe non facilè creditu-rum, puerum laborare ignorantia inuincibili eius criminis, eo quod pudor criminis puerum teneat, ideoque ad illud perpetrandum *virorum grauium conſpectum fugiat*. Non eſt, in quam, ad rem. Primò, quia non facilè probabit, caſum eſſe impoſſibilem. Quod ſi poſſibilis eſt, Caramuel loquitur in caſu rariſſimo, quo ita contingeret puero ignorantia inuincibilis. Secundò. Quia ſi iſtum caſum non admittat, alios debet admittere ignorantiæ inuincibilis, in quibus non ita euidenter conſpicitur malitia; nam multi homines rudes putarent inuincibiliter, delectationes moroſas internas non eſſe peccata lethalia; imò & aliqui docti, quorum aſſertionem damnauit & expunxit Sacrum Fidei tribunal, vt conſtat *ex diſp.* 11. *num.* 15. *&* 16. In hoc ergo caſu ſtat argumentum & hypotheſis Caramuelis.

Iuris naturalis poteſt eſſe ignorantia inuincibilis.

Aliqui ignorarūt inuinc. malitiam delectationis moroſæ.

20. Pro hac ergo hypotheſi vim habet ratio Caramuelis, quod pœnitens non peccat voluntate confeſſarij, ſed propria; ideo non debet cenſeri reus à confeſſario, qui ſcit eam actionem eſſe lethaliter culpabilem ex ſe, & ſecluſâ ignorantiâ inuincibili.

21. Et hac ratione nullam vim habet argumentum Vincentij petitum ex arte Medica. Nam quod dicit, ægrotum ſuo vitio laborantem, non ſua, ſed Medici arte curandum, nullam habet paritatem: nego enim quod ille puer in illa hypotheſi ſit ægrotus, cum reuerà non peccauerit.

22. *Senſus aſſertionis eſt in ordine ad propoſitum operand.*

Sed cùm legitimus ſenſus noſtræ ſententiæ, [Quod confeſſarius tenetur ſequi opinionem practicè probabilem pœnitentis;] ſit in ordine ad propoſitum emendationis, ita vt non poſſet confeſſarius vrgere pœnitentem ad deſerendum propoſitum operandi ſecundùm propriam opinionem practicè probabilem; ſoluendùm eſt argumentum Vincentij, quà huic noſtræ ſententiæ ſic intellectæ refragari poteſt.

23. *Æger non obedit Medico in iis, quæ non nocent.*

Hoc ergo pacto clarè cernitur, quàm exiguas vires habeat obiectio Vincentij. Nam quamvis ægrotus arte Medici curandus ſit, non ſua; non tamen obtemperare debet iis Medici præceptis, quæ prohibent res minimè nocituras. Ita ſi medicus præcipiat ægro podagrâ laboranti, ne ſericas veſtes induat, ne vtatur galero, ſed pileo, vel ſimilia; non debebit parêre ægrotus, quia ſecundùm artem medicam ea omnia licita ſunt, quia minimè valetudini nocitura. Ita quamvis pœnitens arte Medici ſpiritualis curandus ſit, non tamen debet ei parêre, ſi præcipiat, vt deſerat opinionem ſuam practicè probabilem; quia hæc valetudini ſpirituali minimè officiunt; nec opinio practicè probabilis, vtpote de re omnino licita, refragatur arti medicæ, qua pollet confeſſarius. Vide in his addit. *num.* 46.

Ad diſp. XXXII. *num.* 46.

Id autem dictum P. Suarij, electurum ſe potiùs amittere ſcientiam tot annorum labore comparatam, quàm horam orationis ſolitam fieri à Religioſis Societatis, ſcriptum in ſchedula, & exaratum, propriáque manu P. Suarij ſubſcriptum, conſeruabat in Breuiario, venerabaturque priuatim vt ſacras Reliquias P. Franciſcus Gonzalez, qui ex hac prouincia Romam petiit, vbi pluribus annis obiuit munus Pœnitentiarij pro pœnitentibus Hiſpanicis in Pœnitentiaria D. Petri. Quam ſchedulam in manibus P. Franciſci Gonzalez ſe vidiſſe, & coram multis eius collegij lectam fuiſſe, teſtatur P. Franciſcus Lopez Theologiæ Profeſſor Societatis Ieſu, vt conſtat ex eius Epiſtola, quam apud me retineo. 24. *Teſtimonium de aſſerto P. Suarij.*

Ad diſp. XLVI. *cap.* 7. *fine quartæ concluſionis.*

Aduertendum eſt, aliquando motiuum probabile, nullo alio in oppoſitum apparente, facere probationem plenam; non quidem generali ratione motiui probabilis ex aduerſa parte non collecti, vt notaui ſuprà *num*... ſed ex adiunctis coniecturis. Quo pacto ſi repræſentetur intellectui, cognoſcetur vt plenè probans. Quo caſu intellectus non poterit ſe continere in dubio, niſi temerè. Et ideò in hoc caſu, in quo homo ita illud motiuum apprehendat pro commiſſione peccati, non dicetur dubius, ſed moraliter certus de peccato. Et ideò iuxta quamlibet ſententiam tenebitur illud confiteri. 25. *Probabilitas ex adiunctis aliquando tranſit in certitudinē, nullo, &c.* *In eo caſu tenetur confiteri.*

Ad diſp. XII. *poſt cap.* 5.

CAPVT VI.

Qua ratione vera ſit ea Iuriſperitorum aſſertio, quod opinio communis habenda eſt pro lege?

Eſt ad inſtar axiomatis inter Iuriſperitos, quod opinio communis habenda eſt pro lege; & ideò cenſent ita delinquere iudicem iudicantem contra opinionem communem, ac delinquit is, qui contra expreſſam legem ius dicit. Ita Ioann. Andr. & DD. communiter *in cap.* 1. *de conſtitutionibus*. Innocentius *in cap. Ne innitaris, de conſtit.* Ant. de Butr. *in cap. Nouiſſimus, de verborum ſignific.* Abb. *in cap. Capellanus, de Paroch.* Alexand. *lib.* 2. *conſil.* 95. *num.* 6. & *lib.* 5. *conſil.* 51. Decius *conſil.* 518. *num.* 3. Beroius *lib.* 2. *conſil.* 91. *num.* 16. *&* 17. Gratus *lib.* 2. *conſil.* 77. *num.* 4. Bartolus & Baldus *in leg. fin. C. de pœna iudicis*, quos refert & ſequitur Philippus Decianus *volum.* 3. *reſponſ.* 111. *n.* 17. & Thuſcus *litt. O, concluſ.* 150. & alij apud ipſum. E contra Theologi recentiores tantùm deferunt authoritati vnius Doctoris, vt quamlibet opinionem ſingularem cuiuſlibet affirment aſſumi poſſe vt regulam rectæ operationis, vt conſtat *ex tota diſp.* 11. 26.

Io. Andr. Innocent. Butrius. Abbas. Alexand. Decius. Beroius. Gratus. Bartolus. Baldus. Decianus. Thuſcus.

Ego

27. *Ea aſſertio Iuriſprudentum, rectè intellecta, eſt vera.*

Ego quidem in præcitata diſputatione aſſerui, ad ſecuritatem conſcientiæ ſufficere vnum Authorem omni exceptione maiorem, in materia, in qua talis Author ſit ſingularis. Et nihilominus cenſeo, illam Iuriſperitorum aſſertionem veram eſſe, ſi rectè intelligatur, & explicetur.

28. *Intelligitur vt in plurimum.*

Aſſero ergo, communem omnium, aut ferè omnium Authorum opinionem, in materia legis humanæ, canonicæ, aut ciuilis, vt in plurimum habendam eſſe pro lege; ita vt, ſicut lex expreſſa facit euidentiam obligationis, quæ in lege exprimitur; ita ea opinio communis, quæ verſatur circa legem, faciat ſimiliter euidentiam de obligatione, quam talis opinio affirmat.

29. *Communem dico, pro qua ſtant omnes, aut ferè omnes.*

Et, vt concluſio rectè intelligatur, aliqua prænotanda veniunt. Primum. Nomine opinionis communis non intelligere me illam, quæ multos pro ſe habet Authores, ſed cui *omnes, aut ferè omnes* ſuffragantur. Secundum. Id intelligendum eſſe *in materia legis humanæ.* Nam in materia iuris naturalis prævalere ſolet ratio authoritati humanæ. Tertium. Id intelligendum eſſe *vt in plurimum*, non ſemper, & infallibiliter. Quæ tria ita eſſe admittenda, ex dicendis conſtabit.

30. *Lex accipit euidentem interpretationē à conſuetudine.*

Vt ergo concluſionem demonſtrem, has poſitiones ſtatuo.

Prima poſitio. Lex humana accipit authenticam & euidentem interpretationem ex communi conſuetudine, ſecundùm quam

31. à populo vſu recipitur. Id clariſſimè oſtendo *diſputat. 23. cap. 4. ex cap. Cum dilectus, de conſuetud.* & *ex leg. Nam Imperator, ff. de legibus*, & ex aliis iuribus ita diſponentibus.

32. *Conſuetudo dignoſcitur ex atteſtatione peritorum.*

Secunda poſitio. Certiſſimè dignoſcitur, quænam ſit conſuetudo, ſecundùm quam lex à populo vſu recepta eſt, ex atteſtatione peritorum, qui penetrant praxim legitimam populi, & conſuetudinem in praxi receptam. Patet. Nam conſuetudinis eiuſmodi, viri periti ſunt teſtes idonei. Et quando ingens numerus teſtium aliquid affirmat ſine contradictione, aut ferè ſine illa, facit probationem pleniſſimam.

33. *In quæſtione facti, ſententia omnium facit euidentiam.*

Et confirmatur. Nam conſuetudo eſt res facti. In quæſtione autem facti, omnes, aut ferè omnes Authores atteſtantes facere euidentiam moralem, oſtendi *in hac diſputatione, cap. 5. concluſ. 3.* Eſt ergo euidens conſuetudo, quam omnes, aut ferè omnes Authores teſtantur.

34. *In quæſtione de voce, ſententia omniū facit euidentiam.*

Tertia poſitio. In quæſtionibus, quæ omnino pendent à ſignificatione vocum, ſententia omnium, aut ferè omnium Authorum facit euidentiam. Patet *ex cap. 4. huius diſputationis 12.*

35. *Quæſtiones circa leges humanas pēdent à ſignificato, vel à praxi.*

Ex his patet aſſertio tradita. Etenim quæſtiones in materia legis humanæ, vt in plurimum pendent vel à ſenſu verborum legis, vel à ſenſu, in quo lex intellecta eſt à populo, & ad praxim deducta: ſed in vtroque communis omnium, aut ferè omnium Authorum facit euidentiam: ergo vt in plurimum communis ſententia omnium, aut ferè omnium Authorum in quæſtionibus circa materiam legis humanæ facit euidentiam: ergo vbi adeſt communis omnium, aut ferè omnium Authorum ſententia, certiſſimè credendum eſt, illum eſſe verum ſenſum legis, in quo ipſa obligat, atque adeò in hoc ſenſu dicendum eſſe, talem opinionem communem habendam eſſe pro lege.

Minor conſtat. Nam ſenſus verborum legis deſumitur à ſignificatione verborum 36.
legis: circa quam, ſententiam omnium, aut ferè omnium Authorum facere euidentiam, conſtat ex poſitione tertia, vel potiùs *ex cap. 4.* huius diſputationis. Circa ſenſum autem, in quo lex recepta eſt à populo, praxis & conſuetudo euidenter decernit; cuius teſtes pleniſſimè probantes in quæſtione facti, ſunt Athores concorditer, & ferè ſine contradictione eam expreſsè, vel virtualiter affirmantes.

Huius rei multa exempla reperies, præcipuè *diſputatione 23. in qua cap. 5. articulo 11.* quæritur, an ieiunium quatuor Temporum ſit grauiter obligatorium? Omnes Authores affirmant, ex parte nixi ea lege Calixti I. quæ reperitur *in cap. Ieiunium, diſtinct. 76.* Eaque verba legis, *Nunc per quatuor Tempora fieri decernimus*, affirmant ſignificare obligationem grauem, attenta grauitate materiæ, & aliis adiunctis. Verba autem in communi acceptione vſurpanda eſſe, conſtat. Eſt autem communis vſurpatio illa, quam affirmant omnes periti. Præterea, ſic ipſa conſuetudine receptam eſſe legem probatur pleniſſimè ex concordi ſententia omnium peritorum, qui in quæſtione facti pleniſſimè probant, vt conſtat *ex cap. 5.* huius diſputationis. Meritò ergo ea communis ſententia habenda eſt pro lege, vtpote quæ facit euidentiam moralem legis, & obligationis eius.

37. *Conſtat in ieiunio 4. Temporum.*

Eodem modo facit euidentiam moralem communis ſententia, quæ ait, obligationem grauem recitandi Officium canonicum extendi ad Diaconos, & Subdiaconos, vt notabo *ea diſp. 23. n. 216.* Quia dum hæc communis ſententia omnium Authorum eam obligationem affirmat, teſtatur adeſſe conſuetudinem, quæ legitimè, & euidenter interpretatur legem de officio canonico; quorum teſtimonium in quæſtione facti euidenter & pleniſſimè probat. In hoc ergo ſenſu ea ſententia communis habenda eſt pro lege, vtpote quæ euidenter oſtendit obligationem legis.

38. *Et in lege de officio canonico circa Diaconos.*

Ex dictis colligitur, id ita verum eſſe, quando ſententia omnium Authorum verſatur circa intellectum legis, non autem quando verſatur circa alias qualitates aut adiuncta legis. Vt ſi inquiratur de iuſtitia, aut iniuſtitia illius; item de ſphæra poteſtatis legiſlatoris; de poſſibilitate, aut impoſſibilitate morali legis, de vtilitate, aut inutilitate illius, & ſic de reliquis. Quæ omnia cùm non pendeant à ſignificatione vocum, neque à conſuetudine interpretante legem, neque ab aliis radicibus in hac diſputatione 12. obſeruatis; quæ ſententiæ communi omnium Authorum præbent

39. *Id ita eſt, quando ſententia omniū verſatur circa intelligentiam legis.*

euidentiam moralem, dicendum eſt, illa manere intra metas probabilitatis, ſi ratio, qua nituntur Authores, eſt dumtaxat probabilis.

40. Colligitur etiam, opiniones, communes quæ tales dicuntur, non quia ſint omnium, ſed quia plurium, contra multos alios; non eſſe huius ordinis: illæ enim opiniones, ſi procedunt circa ſignificationem vocum, non poſſunt facere euidentiam; nam in hac materia ſolum facit euidentiam acceptio communis omnium. Si autem procedunt circa exiſtentiam praxis & conſuetudinis interpretantis legem, plures Authores non faciunt euidentiam prædictæ conſuetudinis, niſi tanto numero, tantaque authoritate excedant, vt ex hoc exceſſu reſultet plena probatio.

Ad numerum 23. harum additionum.

41. *An confeſſarius teneatur ſequi opinionem pœnit. circa poteſtatem abſoluendi?*

Inquires, an teneatur Confeſſarius accommodare ſe in praxi opinioni pœnitentis, verſanti circa poteſtatem abſoluendi hîc & nunc? Verbi gratia opinio probabilis eſt, Regularem approbatum in vna Diœceſi poſſe abſoluere pœnitentes alterius Diœceſis. Inquiritur ergo, an prædictus Regularis non approbatus in hac, ſed in altera Diœceſi, teneatur iuxta eam opinionem probabilem, quam ſequitur pœnitens, & cui non aſſentitur confeſſarius, illum abſoluere.

42. *Caſus tripliciter contingit.*

Quæ hypotheſis tribus modis poteſt inſtitui. Primò, ita vt pœnitens confiteatur peccata dumtaxat lethalia, & nullum veniale. Secundò, ita vt pœnitens confiteatur ſimul cum lethalibus aliquod veniale; confeſſarius autem ſupponatur audiſſe iam omnia, vel aliqua mortalia; vel ſaltem velit illa audire, ſciens, ſe non habere niſi eam iuriſdictionem probabilem, cui non aſſentitur aſſenſu abſoluto. Tertiò, ita vt putet confeſſarius pœnitentem habere priuilegium Cruciatæ, vel facultatem ſui Epiſcopi, ad illum, etſi non approbatum in hac Diœceſi, eligendum. Vel da Parochum, qui probabiliter opinatur caſum, de quo ſe vult accuſare pœnitens, eſſe reſeruatum; cùm tamen pœnitens probabiliter opinetur, caſum non eſſe reſeruatum.

43. *Confeſſarius non poteſt abſoluere cum ſola iuriſdictione probabili. Ideò poteſt, cùm pœnitẽs exprimit venialia.*

Primo modo egreditur fines huius quæſtionis. Nam certum eſt, confeſſarium abſoluere non poſſe cum ſola iuriſdictione probabili, vt conſtat *ex diſp. 15. numero* 640. Et ſolùm poteſt vti iuriſdictione probabili, cùm vtitur iuriſdictione certa in venialia. Quo caſu ſi à parte rei falſa ſit illa opinio probabilis, abſoluit directè à venialibus, & indirectè à mortalibus; & ideò non exponit pœnitentem periculo carendi effectibus Sacramenti: cui periculo illum exponit, ſi nullum fateatur veniale, à quo abſoluat.

44. In ſecundo caſu peccat mortaliter confeſſarius, ſi decernens non abſoluere pœnitentem, eo quod ſua opinio non præſcribit abſolutionem tunc impendendam, audit tamen peccata lethalia illius; quia non licet confeſſario audire peccata quando re ipſa non eſt abſoluturus pro tunc, nec poſt aliquem temporis tractum. Quare ſi vult audire, ſciens ſuam iuriſdictionem eſſe probabilem, tenetur accommodare ſe ei opinioni de abſoluendo. Et idem eſt, ſi cœpit audire peccata eius lethalia, ſciens ſe non habere aliam iuriſdictionem in peccata lethalia, niſi illam probabilem, cui non aſſentitur. Et id quidem non prouenit ex eo quod teneatur ſequi opinionem pœnitentis. Quia etſi pœnitens ſit eiuſdem opinionis, confeſſarius tenetur vel non audire peccata; vel ſi audire vult, abſoluere illum iuxta opinionem probabilem.

Peccat mortaliter confeſſarius, qui audit peccata non abſoluturus. Et ſi vult audire, tenetur abſoluere, cũ poteſt probabiliter.

Quare quæſtio procedit in tertio caſu, quando videlicet confeſſarius habens iuriſdictionem certam in venialia, incipit audire confeſſionem pœnitentis, & peccata aliqua mortalia, in quæ iuxta opinionem pœnitentis, habet confeſſarius iuriſdictionem probabilem; cui tamen confeſſarius non aſſentitur aſſenſu abſoluto. An tunc teneatur confeſſarius abſoluere iuxta opinionem pœnitentis; an potiùs negare poſſit abſolutionem ſua opinione ductus? 45.

46. *Non tenetur vti iuriſdictione, cui non aſſentitur.*

In quo caſu, aſſero, confeſſarium non teneri abſoluere pœnitentem, neque quoad hoc ſequi opinionem pœnitentis. Ratio eſt, quia nullus eſt titulus, ratione cuius ad id teneatur confeſſarius, etiamſi ex munere Parochi teneatur audire confeſſiones Parœcianorum. Etenim probabile eſt, quod non poteſt abſoluere pœnitentem in hoc caſu: ergo licet ſibi accommodare ſe ſuo proprio dictamini; cùm non appareat in pœnitente ius aliquod, vt ex dictamine probabiliter falſo abſoluatur. Neque Authores docentes, confeſſarium teneri ſequi opinionem pœnitentis, loquuntur de hoc ſenſu; quia nulla omnino ratio, nullum fundamentum vrget ad id aſſerendum.

Ad diſp. VII. *cap.* 1. *numero* 4.

Caramuel *in Theolog. Præterintention. in 5. præcept. Decal. caſ.* 38. *numero* 2803. agens de fœmina, quæ propter honorem intentat abortum fœtus inanimati, hunc proponit ſyllogiſmum: [Eadem eſt vitæ & honoris ratio: atqui mater poteſt abortum procurare propter vitam: ergo propter honorem.] Et ex illo ſic arguit: [Ex probabilibus præmiſſis ſequitur conſequentia probabilis: ſed illa maior, *Eadem eſt vita & honoris ratio*, eſt probabilis; imò certa à Baſilio cenſetur, vt vidimus; illa minor, *Atqui mater poteſt abortum procurare propter vitam*, probabilis, & multorum eſt, vt etiam vidimus: ergo etiam hæc conſequentia, *Ergo & propter honorem poterit abortum procurare*, erit probabilis.] 47.

Cui ratiocinationi ſic reſpondet ibidem: [Non vrgeor: ſæpe enim monui, nec Ariſtotelem, 48.

ſtotelem, nec Peripateticos cognouiſſe eſſentiam ſyllogiſmi probabilis; non enim meretur hoc nomen ille, cuius præmiſſæ ſunt probabiles, ſed cuius ſunt comprobabiles; hoc eſt, eidem fundamento inſiſtentes, & quæ ab eodem Doctore ſimul admitti poſſint. In ſyllogiſmo autem iſto præmiſſæ non ſunt comprobabiles: nam Baſilius concedit maiorem, & negat minorem: & cæteri concedunt minorem, & negant maiorem: nemo præter Torreblancam vtramque præmiſſam concedit.] Hucuſque Caramuel.

Præmiſſæ dicis incompro babiles, quæ non ab eodem Authore admittuntur.

49 Circa quæ obſeruandum eſt primò, ex eodem argumento Caramuelis probari, eas præmiſſas eſſe comprobabiles. Quare enim illæ ſunt incomprobabiles? Quia ex illis Authoribus (ait) vtriuſque ſententiæ, nemo concedit vtramque. Sed Torreblanca concedit vtramque: ergo ſunt comprobabiles. Nec alio modo id ſolui poteſt, niſi dicatur, ſolum Torreblancam non facere opinionem probabilem. Quod quidem ſi ita reſpondeat, videat quinque alios Authores relatos pro ea ſententia *diſputatione* 14. *cap.* 3. Vnde ſi comprobabiles ſunt, quæ ab vno, & eodem Authore propugnari poſſunt, vt ait Caramuel; hæ erunt comprobabiles, vtpote quæ à ſex Authoribus ſimul conceduntur; nec oſtenditur à Caramuele repugnantia, quare ſimul admitti non poſſint.

Illæ præmiſſa ab eodē Authore admittuntur.

Imò à ſex Authoribus.

50. Obſeruandum eſt ſecundò, hanc cenſuram de incomprobabilitate propoſitionum malam eſſe. Etenim (vt conſtat ex dictis in hoc *cap.* 1.) illæ ſolùm ſunt incomprobabiles, quæ ſunt inter ſe incompoſſibiles: ſed non ſiunt incompoſſibiles ex eo quod non admittantur ſimul ab Authoribus: ergo ex hoc capite non ſunt incomprobabiles.

Malè definit Caram. incōprobabiles præmiſſas.

51. Dices. Sicut eſt probabilitas extrinſeca, nempe quæ deſumitur ab authoritate; ita etiam dabitur comprobabilitas, & incomprobabilitas extrinſeca, ratione cuius illæ propoſitiones erunt comprobabiles, quæ ab eiſdem Authoribus ſimul admittuntur; & illæ incomprobabiles, quæ non admittuntur ſimul ab eiſdem Authoribus. Et ita illæ duæ præmiſſæ relatæ erunt incomprobabiles, quia non admittuntur ſimul ab eiſdem Authoribus.

An detur incomprobabilitas extrinſeca?

52. Sed hæc inſtantia nihil prodeſt. Primò. Nam etſi verum eſſet, quod affirmat, adhuc hoc modo dici poſſent comprobabiles, cum ſex Authores, vt ſupra dixi, ambas admittant vt probabiles.

53. Secundò, Nam vt propoſitiones ſint incomprobabiles ab extrinſeco, deberet affirmari ab Authoribus, eas eſſe incompoſſibiles inter ſe. Itaque aliud eſt, quod illæ præmiſſæ non admittantur ſimul ab Authoribus; & aliud eſt, quod Authores affirment eas ſibi mutuò repugnare. Si hoc ſecundum affirmarent Authores, fortè dici poſſent incomprobabiles ab extrinſeco; quod tamen Authores non dicunt.

54. Tertiò. Nam ſi rem altiùs inſpiciamus, neque hoc modo poſſunt eſſe incomprobabiles ab extrinſeco. Etenim vt aliqua aſſertio ſit poſitiuè improbabilis, debet eſſe certò falſa, vt conſtat *ex diſputatione* 4. ergo vt coniunctio duarum aſſertionum ſit poſitiuè improbabilis, debet eſſe certò falſum quod talis coniunctio detur. Conſequentia patet, tanquam particularis affirmatiua deducta ex vniuerſali. Tum ſic. Sed quod duæ aſſertiones ſint incomprobabiles, eſt quod ſit improbabilis coniunctio vtriuſque: ergo vt duæ aſſertiones ſint incomprobabiles, debet eſſe certum, quod illæ non coniunguntur in veritate. Sed ſola authoritas extrinſeca Theologorum nullam facit certitudinem (præterquam in quibuſdam materiis, de quibus dixi *diſp.* 12.) ergo à ſola authoritate extrinſeca Theologorum non poſſunt propoſitiones eſſe improbabiles, neque incomprobabiles. Et ideò quando Theologi dicunt, aliquam propoſitionem eſſe improbabilem, ea propoſitio non tam accipit improbabilitatem à mero dicto Theologorum, quàm à fundamento certo, quod oſtendunt. Quod idem de incomprobabilitate dicendum eſt, propter dicta.

Præmiſſa ſunt incomprobabiles, cùm improbabilis eſt coniunctio vtriuſque.

A ſola authoritate nequeant eſſe incomprobabiles, niſi rarò.

Vbi etiam aduerte, ſicut datur improbabilitas poſitiua, per quam propoſitio poſitiuè improbabilis eſt certò falſa; & improbabilitas negatiua, ſiue non probabilitas, ratione cuius propoſitio negatiuè improbabilis caret fundamento graui, iuxta dicta *diſp.* 4. Ita diſtinguenda quoque eſt duplex incomprobabilitas, poſitiua & negatiua. Erunt ergo incomprobabiles poſitiuè illæ propoſitiones, quarum coniunctio eſt certò falſa: & incomprobabiles negatiuè, quarum coniunctio caret fundamento graui. Ad neutrum ergo modum incomprobabilitatis ſatis eſt authoritas Theologorum, vt conſtat ex proximè dictis. 55.

Incomprobabilitas poſitiua, & negatiua.

Ad diſputationem XLVI. *num.* 63.

Ratio autem à priori, ob quam licitum eſt ſcrupuloſo, non confiteri peccata dubia, hæc eſt. Nam, vt loquitur P. Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. diſp.* 33. *ſect.* 2. *num.* 1. *Certum eſt, non teneri hominem ad confitendum aliquod peccatum cum morali periculo alicuius grauis nocumenti proprij. Ita docent Theologi omnes.* Atqui ingens imminet periculum grauis nocumenti ſpiritualis, ſi ſcrupuloſus velit confiteri peccata ſibi dubia: ergo ſcrupuloſus ea peccata ſibi dubia non tenetur confiteri. 56.

Quare, ſcrupuloſo liceat non confiteri peccata dubia?

Ratione magni detrimenti.

Minor multis experimentis comperta eſt. Niſi enim homo reſiſtat ſcrupulis, to[t] anxietatibus angitur, vt ad magnam quandoque mentis ægritudinem, quandoque etiam ad deſperationem trahatur. 57.

Et hinc dignoſcitur euidens diſcrimen inter ſcrupuloſum & non ſcrupuloſum; cùm ex confeſſione dubiorum ſcrupuloſo impendeat periculum ingentis nocumenti ſpiritualis; quod homini tranquillæ conſcientiæ non impendet. 58.

Diſparitas inter, ſcrupuloſum, & non-ſcrupuloſum.

Digitized by Google

Ad diſp. XVI. *num.* 133.

59. Notanda etiam ſunt verba P. Leſſij *de iuſt. cap.* 14. *dub.* 4. *num.* 25. [In dubio poſſeſſio illi fauet, ita vt niſi moraliter certum ſit, eius non eſſe, non poſſit eâ ſpoliari: & ita in omnibus Tribunalibus apud omnes gentes iudicatur.]

Ad diſp. IX. *num.* 239.

60. Obiicies. Qui credunt, & confitentur myſterium Incarnationis, habent argumenta demonſtratiua, ſuadentia, id myſterium eſſe credendum, & adhuc coguntur præcepto credendi: ergo falsò diximus, non cogi præcepto ad aſſenſum illos, qui rem certam affirmant.

61. Reſpondeo primò, omittendo, quòd intellectus demonſtratione prædeterminatus, cogatur etiam præcepto, dummodo aduerſarij concedant, ita contingere in aſſertione Immaculatæ Conceptionis Deiparæ: nempe non ſolùm nos, qui ſententiam piam propugnamus, determinari præcepto, ſed etiam prædeterminari argumentis euidentibus.

62. Reſpondeo ſecundò, quando quis obligatur duobus vinculis, vno fortiori, & altero minùs forti, coactionem non attribui vinculo minùs forti, ſed fortiori; præcipuè ſi vinculum minùs forte, ſit ſaltem magno conatu ſolubile. Ita ligatus catenâ ferreâ, & filo cannabino, quod ſaltem magno conatu eſſet diſſolubile, non diceretur cogi eo filo, ſed catenâ ferreâ. Sanè Fidelis ad aſſentiendum myſterio Incarnationis conſtringitur motiuo euidenti credibilitatis, & item præcepto Fidei. Atqui motiuum euidens eſt multò fortius ad cogendum intellectum, quàm nudum præceptum: nam iſtud per ſe rumpi poteſt, ſcilicet per violationem, ſiue inobedientiam; ſtante autem motiuo euidenti, non poteſt intellectus non cogi ad aſſenſum. Ideo ergo coactio ad aſſenſum attribuitur potiùs motiuo euidenti, quàm præcepto.

63. Reſpondeo tertiò, quando intellectus aduertit ad motiuum euidens, & ad præceptum, tunc non cogi intellectum coactione actuali à præcepto, ſed à motiuo euidenti. Quia cùm ab hoc ſit intellectus coactione præuentus, nihil eſt, quod agat præceptum in ordine ad coactionem actualem, ſiue in actu ſecundo. Dicitur autem cogi præcepto Fidei ad aſſenſum, quia id præceptum in actu primo cogit ad aſſenſum: nam ſi intellectus non aduertat ad motiuum euidens, vi præcepti manet coactus ad aſſenſum. Vnde fit, quod aduertente intellectu Fidei ad motiuum euidens, præceptum cogit in actu primo mentem ad aſſenſum: elapſa autem eâ aduertentia mentis ad motiuum euidens, præceptum etiam in actu ſecundo cogit mentem ad aſſenſum.

64. Et vt rem altiùs perſtringamus, nota, motiuum euidens eſſe vinculum, quo intellectus cogitur: præceptum autem, quo voluntas. Hinc fit, quod eatenus præceptum cogit mentem ad aſſenſum fidei, non quatenus præceptum immediatè determinat intellectum ad talem aſſenſum, ſed quatenus immediatè conſtringit voluntatem vt imperet aſſenſum intellectus. Atqui cùm intellectus attendit ad motiuum euidens, non ſolùm non eget imperio voluntatis ad aſſentiendum, ſed nec poteſt tunc actualiter illo duci. Cur enim imperabit voluntas fieri, quod neceſſariò faciendum eſt? Aut quomodo inclinabit intellectum ad illum aſſenſum, ad quem intellectus prædeterminatus actualiter ſupponitur motiuo euidenti? Tunc ergo præceptum non cogit mentem in actu ſecundo, ſed in actu primo; quia potens eſt cogere intellectum pro circumſtantiis, in quibus elapſa ſit aduertentia rationis ad motiuum euidens.

Ad diſputationem XLIV. *Cap. X. fine.*

65. Caramuel *in Theologia Præterintention. cap.* 1. *hypoth.* 5. *num.* 2026. eandem aſſertionem inculcat, dicens: [Et quidem in tali furto duas diſtinctas malitias reperimus, nimirum internam, & externam: illam in genere iniuſtitiæ contra ſeptimum Decalogi articulum; hanc in genere luxuriæ contra ſextum. Sed hæc laſciua malitia, quæ intentioni eſt intrinſeca, & extrinſeca furto, vna quidem & ſimplex eſt, non duplex; adeoque talis homo ad confeſſionem veniens, ſe furatum, ſe fornicatum aſſerat; illam circumſtantiam, nempe quod furatus fuerit in ordine ad fornicationem, ſubticeat: nam licèt grauiter mala ſit, non eſt mala nouâ aliquâ malitiâ, ſed malitiâ illâ fornicationis, quam ſupponitur de facto confeſſus.]

66. Ex quibus verbis conſtat, loqui Caramuelem de eo, qui non ſolùm habuit intentionem mœchandi, ſed reipſa mœchatus eſt. Et pono tantùm temporis inter intentionem mœchandi & mœchationem ipſam interceptum eſſe, vt non reputetur moraliter vna actio continuata, ſed duæ diſcontinuatæ. Vel ergo in hoc caſu admittit Caramuel, ſatis benè confeſſum eſſe Petrum, qui dixit, [ſemel furatus, ſemel mœchatus ſum;] aut non ſatis confeſſum? Si primum dicat, clarè decipitur; cùm ſint duæ actiones numero diuerſæ in ſpecie fornicationis, vtpote moraliter diſcontinuatæ; ille verò homo vnicam dumtaxat confeſſus fuerit. Si verò dicat, illum in hoc caſu non ſatis benè confeſſum, infero: ergo Caramuel non ſatis rem expoſuit, dum dixit, bene confiteri Petrum eo modo relato; ſed debuit exponere, ita dicendum, cùm prior intentio fornicandi & fornicatio moraliter continuantur ob breuitatem temporis intercepti inter intentionem & fornicationem; & aliter reſoluendum, quando intentio & fornicatio moraliter diſcontinuantur.

67. Eodem defectu laborat altera hypotheſis Caramuelis *ibid. num.* 2023. Vbi ſic ait: [Similiter enſem parare, arma ſumere, ſagum induere, clypeo muniri, actiones ſunt indifferentes ſecundùm ſe conſideratæ; & tamen ſi ad duellum iniquum ordinentur, omnes

nes

Digitized by Google

nes inficiuntur extrinſecâ duelli malitiâ: vniuerſæ ſunt malæ, non quidem propriâ, ſed malitiâ finis... Adeoque actio altera non habebit malitiam diſtinctam ab altera actione, ſed omnes & ſingulæ habebunt vnam & ſimplicem malitiam finis; eruntque non multa peccata, ſed vnum; nec debebunt in confeſſione exponi, ſed ſufficit vt finis malitiam confitearis.] Hæc Caramuel.

68. Enim verò vt ea doctrina ſubſiſtat, neceſſe eſt, & quod intentio fuerit vnica numero, & quod realis aggreſſio duelli fuerit moraliter continuata cum intentione illius. Potuit enim contingere, quod Petrus enſem pararet ad duellum, & poſteà reuocaret intentionem duelli, & quod poſtea rediens ad intentionem duelli, ſagum indueret, & illâ mutatâ, exueret; & deinde quod reipſa egrederetur ad duellum. Nam ſub his circumſtantiis ſunt tria peccata in ſpecie iniuſtitiæ; & ideò non ſufficit confiteri aggreſſionem realem duelli, ſed etiam duas alias intentiones numero diuerſas. Et ratio eſt, quia illa media indifferentia non deſumunt malitiam à fine ipſo ſecundùm ſe, ſed à fine vt intento: vel, vt meliùs dicam, non à fine, ſed ab intentione finis. Et ideò non attendendum, an finis fuerit vnicus; ſed an intentio finis fuerit vnica, vel multiplex.

SYLLABVS VOCVM,

QVÆ IN INDICE SVBIICIENDO CONTINENTVR.

ABORTVS.
Abſolutio, Abſolutus.
Acceptatio legis.
Accidens morale.
Actus.
Adminiſtratio.
Æquipollentia.
Adulterium.
Alexander VII.
Alimenta.
Amortizatio.
Appetitus.
Argumentatio.
Attritio.
Author.
Baptiſmus.
Bellum.
Bona.
Bona Eccleſiaſtica.
Brocardica.
Calumnia.
Caſtitas.
Cauſa.
Cauſa finalis.
Cenſura Theologica.
Certitudo.
Charitas.
Claues Eccleſiæ.
Commotio ſpirituum carnalium.
Communio.
Compenſatio.
Comprobabiles præmiſſæ.
Conceptio Immaculata B.M.
Concubinarius.
Concupiſcentia.
Conditio.
Confeſſio Sacramentalis.
Coniux.
Conſcientia.
Conſequentia.
Conſequentia magna.
Conſilium.
Conſuetudo.
Contractus.
Contradictio.
Contradictoriæ.
Contritio.
Cultus.
Debitum coniugale.
Decima.
Declarationes Cardinalium.
Decretum Pontificium.
Definitio.
Delectatio moroſa.
Demonſtratio.
Deſiderium.
Deus.
Diſiunctiua propoſitio.
Diuerſitas ſpecifica.
Diues.
Diſpenſatio.
Dominium.
Donatio.
Dubium.
Eccleſia.
Egenus.
Eleemoſyna.
Emptio, & venditio.
Epiſcopus.
Erronea propoſitio.
Euchariſtia.
Euidentia.
Excommunicatio.
Fides diuina.
Finis.
Formido.
Fornicatio.
Furtum.
Gabella.
Grauitas materiæ.
Habitus naturalis.
Hæres.
Homicidium.
Hora.
Horæ canonicæ.
Horologium.
Ianſeniſmus.
Ieiunium.
Ieiunium naturale.
Ignorantia.
Immunitas Eccleſiarum.
Immunitas Eccleſiaſtica.
Improbabile.
Incertum.
Incomprobabiles præmiſſæ.
Inquiſitionis Tribunal.
Inſtans.
Intellectus.
Intentio finis.
Ioannes Machado.
Iudex.
Iuriſdictio.
Ius ciuile.
Legitima filiorum.
Lex.
Lex quoad tempus.
Lis.
Logica moralis.
Luxuria.
Malitia moralis.
Maria Virgo.
Matrimonium.
Medicus.
Miſſa.
Momentum.
Monialis.
Neceſſitas.
Obedientiæ votum.
Occaſio peccandi.
Officium Canonicum.
Opinio probabilis.
Oratio.
Ordo ſacer.
Oſculum.
Pactum.
Paruitas materiæ.
Paruitas materiæ in re venerea.
Paſcha.
Paſtores Eccleſiæ.
Pater.
Pauper.
Paupertatis votum.
Peccatum.
Peccatum dubium.
Periculum peccandi.
S. Petrus.
Philoſophiæ Profeſſor.
Pia cauſa.
Pœnitens, Pœnitentia.
Pollutio.
Pontifex Romanus.
Poſſeſſio.
Potentiale dominium.
Præceptum.
Prælatus.
Prælatus Eccleſiæ.
Prælatus Regularis.
Præſciſio.
Præſcriptio.
Præſumptio.
Princeps laicus.
Priuilegium.
Probabilitas.
Probatio plena.
Prohibitio.
Prudentia.
Pudicitia.
Quæſtio facti.
Regula Iuris ciuilis.
Regula Religioſa.
Regulares.
Relatio prædicamentalis.
Relatio rationis.
Reſtitutio.
Rex.
Sacramentum.
Sacri Canones.
Sacrilegium.
Sanctitas corporis.
Scandaloſa propoſitio.
Securitas
Sententia communis.
Seruus.
Significatio vocum.
Specificatio.
Sponſalia.
Status Eccleſiaſticus.
Societas IESV.
Subſtantia moralis.
Summiſta.
Templum.
Teſtamentum.
Teſtis.
Traditio.
Vectigal.
Venerea cogitatio.
Virginitas.
Votum.
Votum Caſtitatis.
Votum Obedientiæ.
Votum Obedientiæ Societ. IESV.
Votum Paupertatis.
Vſura.
Vxor.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
RERVM NOTABILIVM,
In hac Criſi Theologica contentarum.

Prior numerus paginam, alter marginales notas deſignat.

A

ABORTVS.

PRACTICE improbabile eſt, quod liceat procurare *abortum* fœtus inanimati. p.180.n.25. Eſt tamen ſpeculatiuè probabile, ſaltem ab extrinſeco. ibid.num.26

In dubio de animatione fœtus, *abortus* eſt certiſſimè illicitus apud omnes Authores. ibid.n.27. Et ſemper eſt dubium de animatione fœtus. ibid. quia incerta omnino eſt dies animationis. ibid. num.28.

ABSOLVTIO, ABSOLVTVS.

Abſolutus directè à peccato dubio, ſi poſtea certò recordetur, tenetur illud confiteri vt certum. p.739.n.48

Vide, *Confeſſio*, num.1.2.3.4.6.17. 18.20.24.32.33. 34.36.37.38.39.44 45.46.48

ACCEPTATIO LEGIS.

1. Seruis poſſunt imponi leges abſque eorum *acceptatione*. p.447.n.2

Homines liberi non poſſunt non *acceptare* leges, quæ ſunt neceſſariæ ad conſeruationem Reipublicæ. ibid.n.3

Regulares, quibus præcipiuntur ea, quæ expreſſa ſunt in Regula, non poſſunt non *acceptare* præcepta. ibid.n.4

2 Reſidet in Prælatis Eccleſiaſticis poteſtas ad obſtringendum legibus populos non *acceptantes* eas. Idque eſt de fide, vel fidei proximum, iuxta Bellarminum, & Suarium. p.448. n.10. Certum ſecundùm omnes. ibid. n. 11. Et argumentum partis oppoſitæ peccat contra Logicam. p.449. num.13

3 Si populi irrationabiliter inuiti, contra legem latam ſeditionem excitarent ſuper *acceptatione* eius, adhuc lex eſſet valida. Et oppoſitum eſt improbabile. ibid.n.19

Peccat populus non *acceptando*, ſine cauſa legem latam. p.450.n.25. Et propoſitio oppoſita damnata eſt ab Alexandro VII. ibid. & p.105.n. 319. & ideo eſt certò falſa. ibid.

Implicat, peccare populum in non *acceptanda* lege; & ſimul legem eſſe in deſtructionem. p.450.n.26

4 Chriſtus conceſſit Prælatis Eccleſiæ poteſtatem præcipiendi abſque vlla conditione, aut limitatione *acceptationis* populi. ibid. n.28. Oſtenditur ex Euangelio. ibid. Et ex Paulo *Rom.* 13. n.29. & ex quarto Decalogi præcepto. num.30. Praxis eſt, & fuit in Eccleſia, obligare etiam *nolentes*. p.451.n.33. & quàm certum fundamentum huius poteſtatis ſibi à Chriſto traditæ, ſit hæc praxis Eccleſiæ. ibid.

Vbi conſtat de conceſſione poteſtatis ſupremæ, & non conſtat de limitatione *acceptationis* expectandæ, certò cenſenda eſt data abſque limitatione. ibid.n.36

Si poteſtas ferendi leges data eſſet Petro dependenter ab *acceptatione* populi; data eſſet partialiter ipſi populo poteſtas legiſlatiua. ibid.n.37 Et de fide eſt, poteſtatem legiſlatiuam ſupremam datam eſſe Petro & ſucceſſoribus, & non alteri. ibid.n.38

An Romanus Pontifex habeat poteſtatem obſtringendi Fideles ad *acceptationem*? p.450.n.39 5

Si non haberet eam poteſtatem, poſſent ſubditi ſine cauſa non *acceptare* legem eius. ibid.n.40

